# LEXICON
# TOTIUS LATINITATIS

AB

## AEGIDIO FORCELLINI

SEMINARII PATAVINI ALUMNO

LUCUBRATUM

DEINDE

A

## IOSEPHO FURLANETTO

EIUSDEM SEMINARII ALUMNO

EMENDATUM ET AUCTUM

NUNC VERO CURANTIBUS

## FRANCISCO CORRADINI ET IOSEPHO PERIN

SEMINARII PATAVINI ITEM ALUMNIS

EMENDATIUS ET AUCTIUS

MELIOREMQUE IN FORMAM REDACTUM

Secunda impressio anastatice confecta quartae editionis aa. 1864-1926 Patavii typis mandatae cum appendicibus quibus aucta est prima anastatica impressio a. 1940 edita.

# LEXICON
# TOTIUS LATINITATIS

AB

AEGIDIO FORCELLINI

SEMINARII PATAVINI ALUMNO

LUCUBRATUM

DEINDE

A

IOSEPHO FURLANETTO

EIUSDEM SEMINARII ALUMNO

EMENDATUM ET AUCTUM

NUNC VERO CURANTIBUS

FRANCISCO CORRADINI ET IOSEPHO PERIN

SEMINARII PATAVINI ITEM ALUMNIS

EMENDATIUS ET AUCTIUS

MELIOREMQUE IN FORMAM REDACTUM

TOM. IV

CURANTE IOSEPHO PERIN

CUM APPENDICE

EIUSDEM

MCMLXV

ARNALDUS FORNI EXCUDEBAT BONONIAE

GREGORIANA EDENTE PATAVII

**SYRTĬCUS**, a, um, adject. (syrtis) ad syrtim pertinens. ¶ 1. Stricto sensu, vel proprie. *Seneca Vit. beat.* 14. Deprehensi in mari syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur. *Id. Ep.* 90. Gentes syrticæ in defosso latent: quibus propter nimios solis calores, nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est, nisi ipsa arens humus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 11. 11. (32). Syrticæ solitudines. ¶ 2. Latiore sensu, vel translate, pro arenoso, sterili. *Lucan.* 10. 38. Syrticus Ammon. *Sidon.* 8. *Ep.* 12. Syrticus ager et vagum solum.

**SYRTIS**, ĭdis *et* ĭdos, f. 3. (syrtis) Syrtica. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182). Syrtides gemmæ in litore Syrtium, jam quidem et in Lucania inveniuntur. *Sillig.* syrtitides.

**SYRTIS**, is, f. 3. (σύρτις). In genet. sing. etiam *syrtidos* apud *Lucan.* 9. 909. Natus et ambiguæ coleret qui Syrtidos arva Chersydros. — In abl. *syrti* et *syrte*. *Solin.* 27. 54. et *Sidon.* 8. *Ep.* 12. et *carm.* 5. 549. — Syrtis est locus arenosus in mari, navigantibus periculosus, quod mare ibi vadosum est, arenæ vehens cumulos, qui loci faciem subinde immutant dorsaque et brevia modo hic modo illic faciunt, in quæ tracta navis undarum cursu dehiscere periclitatur (It. *secche, banchi;* Fr. *banc de sable;* Hisp. *bajio, banco de arena, seca;* Germ. *die Sandbank;* Angl. *shallow, sandbank*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 114. tres Eurus ab alto In brevia et syrtes urget - Illiditque vadis atque aggere cingit arenæ. *Horat.* 1. *Od.* 22. 5. Sive per syrtes iter æstuosas. — *Sall. Jug.* 80. *de Lepti.* Oppidum situm inter duas Syrtes, quibus ex re nomen inditum. Nam duo sunt sinus in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terræ præalta sunt, cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa. nam ubi mare magnum esse et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt. ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Hæc *Sall.* Itaque duæ sunt Syrtes, major et minor, *le secche di Barberia:* illa nunc dicitur *golfo di Sidra:* hæc *golfo di Cabes* vel *Kabbs*. Describuntur a *Lucano* 9. 303. Syrtes vel primam mundo natura figuram Quum daret, in dubio pelagi terræque reliquit etc. *Avien. Perieg.* 293. Major vasta sibi late trahit æquora Syrtis Infidumque rati pelagus fuerit. *Horat. Epod.* 9. 3. exercitatæ Noto. *Id.* 2. *Od.* 6. 3. barbaræ. *Lucan.* 9. 861. dubiæ. *et* 5. 484. vadosæ. *Val Flacc.* 7. 86. sævæ. *Virg.* 5. *Æn.* 51. Gætulæ. *et* 4. *ibid.* 41. et *Ovid.* 8. *Met.* 120. Syrtis inhospita. *Sil. It.* 17. 634. naufraga. *Tibull.* 3. 4. 91. horrenda. *Lucan.* 9. 431. vaga. *et ibid.* 713. ambigua. *Propert.* 2. 7. 71. incerto mutantur flumine Syrtes. — Hinc de re, quæ fieri omnino nequeat. *Id.* 3. 17. 7. Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis Præbeat hospitio sæva Malea suo. *et Seneca Hippol.* 568. ignibus junges aquas, Et amica ratibus ante promittet vada Incerta Syrtis.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de terris arenosis ac sterilibus, quæ vel ad Syrtes Africæ vel alibi sunt. *Lucan.* 3. 295. Usque parætonias Eoa ad litora syrtes. *Id.* 9. 447. nam littore sicco, Quam pelago, syrtis violentius excipit Austrum. *Prudent. Apoth.* 511. Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon. *Id.* 11. *Cathemer.* 65. Ipsasque arenas syrtium Fragrasse nardo et nectare. *et* 7. *ibid.* 30. *de Helia.* Casto fruentem syrtium silentio. *h. e.* solitudinis. ¶ 2. Metaphora est *syrtis patrimonii* de eo, qui naufragium bonorum luxuria fecit, apud *Cic.* 3. *Orat.* 41. 163. Syrtim patrimonii, scopulum libentius dixerim; Charybdim bonorum, voraginem potius.

**SYRTĪTIS**. *V.* SYRTIS, idis.

**SYRTĪTES**, æ, m. 1. gemma, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (93)., ubi *Harduin.* et *Littré* leg. *sititas*. V. SITITES. — De alia *Isid.* 16. *Orig.* 14. 10. Syrtites vocatur, quoniam in littore Syrtium inventa est primum in parte Lucaniæ. color ejus croceus: intus stellas continens elanguidas, sub nubilo renitentes.

**SȲRUS**, i, m. 2. ¶ 1. Vocatur a rusticis scopa: a σύρω, traho, quia trahit et verrit sordes. *Varro* apud *Non. p.* 46. 10. *Merc.* Ventique frigido se ab axe eruperant Phrenetici, septentrionum filii, Secum ferentes tegulas, ramos, syros. ¶ 2 Est etiam scrobs. *V.* SIRUS.

**SYSSĪTĬĒTÆRIS**, ĭdis, f. 3. herba sic appellata a σύσσιτος, convivator, et ἑταιρεία, societas. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (165). Syssitietærida a convictu in Perside nominari, quoniam hilarentur illa. *Harduinus* et *Silligius* ediderunt ex MS. *hestiatorida*.

**SYSTALTĬCUS**, a, um, adject. συσταλτικός, contrahendi vim habens. *Capell.* 9. *p.* 335. Tropi in rhythmopœia tres sunt, quos systalticos dicimus.

**SYSTĒMA**, ătis, n. 3. σύστημα, compages, constructio. Solet in scientiarum studiis adhiberi pro ingeniose excogitata rerum dispositione, *sistema:* quo sensu tamen deest nobis Latini scriptoris exemplum. Transfertur ad explicanda genera multorum tonorum musicalium, qua de re V. *Capell.* 9. *p.* 322. *tit. Quid sit systema.* Adde *Fulgent.* 3. *Mythol.* 5. *et* 3. *ibid.* 10. et *Chalcid. Tim.* 44.

**SYSTĒMĂTĬCUS**, a, um, adject. (systema) ad systema pertinens. *Mar. Victorin.* 1. 15. 4. Systematica (*carminum species*) autem, quæ ex plurimis metris, neque ex uno versu aut eodem colo vel commate continentur. Adde *Diomed.* 3. 21. 1., ubi *systematicus* est unus e sex modis metricis. *Atil. Fortunatian.* 2. 28. 10. *p.* 298. 1. *Keil.* Inter binos versus decurrunt melica systematica.

**SYSTŎLE**, es, f. 1. συστολή, figura poetica, per quam syllaba naturâ longa corripitur. Ab *Isid.* 1. *Orig.* 34. 4. dicitur correptio verbi contra naturam. Exemplo sit illud *Virg.* 6. *Æn.* 827. Illæ autem, paribus quas fulgĕre cernis in armis. pro *fulgēre*. Puto tamen nullam hic esse systolem, quum apud veteres *fulgo, is,* et *fulgeo, es,* reperiantur. *V.* FULGEO init. *Mar. Plot. Sacerd.* 1. *Gramm. p.* 452. 15. *Keil.* Systole - ut *stetĕruntque comæ* pro *stetērunt*. — Locum etiam habet, quum syllaba longa positione, altera consonante extrita, brevis fit. *Lucan.* 8. 796. Cur obicis Magno tumulum Manesque vagantes? *pro* objicis. V. *Diomed.* 2. *p.* 437. *Putsch.* et *Charis.* 4. *p.* 249., qui tamen Græce semper usurpant.

**SYSTȲLOS**. *V.* DIASTYLOS.

**SYZȲGĬA**, syzugia *et* synzugia, æ, f. 1. συζυγία, copulatio, conjunctio. ¶ 1. Generatim. *Tertull. De præscr.* 46. Exponit (*Valentinus*) hos Æonas per syzygias. Adde *Macrob.* 7. *Saturn.* 9. 19. ¶ 2. Specialim, apud Grammaticos, est conjugatio. *Id. De diff. verb.* 14. 5. ¶ 3. Item figura poetica, quæ fit variorum pedum velut in unum pedem collecta conclusione, ut definit *Sergius* in *Donat. p.* 1822. *Putsch.*, ut si v. gr. dictio aliqua quattuor syllabarum numerum excedens, in duas partes aut tres dividatur, ut *ædificatio* nullum per se pedem efficit; at si dividatur hoc modo *ædifi-catio,* duos dactylos facit; si hoc modo *ædifica-tio,* choriambum et pyrrhichium.

# DE LITTERA T

T t est *A)* Littera alphabeti; *B)* Nota breviationis; et *C)* Nota numeralis.

*A)* T est littera decima nona Latini alphabeti, consona et quidem muta, quæ scilicet non in sonum suum sed in sonum *e* litteræ finitur; et etiam spiritalis, quia *h* littera ei subjecta inserit spiritum, ut *Thoas,* inquit *Mar. Victorin.* 1. 3. 24. *et* 30. — *a)* Scriptione et sono respondet Græcorum litteræ ταῦ. — *b)* Pronunciatione affinis est litteræ *d*, cum qua aliquam habet cognationem, ut docet *Quintil.* 1. 4. 16. *et ibid.* 11. 5., atque adeo aliquando permutatur (*V.* infra et litt. D): eo tamen differunt, quod *t*, ut ait *Capell.* 3. *p.* 58., appulsu linguæ dentibusque impulsis extunditur, *d* appulsu linguæ circa superiores dentes innascitur. Cf. *Terentian.* 2388. *Putsch.* — In syllaba *ti,* sequente vocali, ita aliquando prolata est, ut quasi *s* littera interposita esset vel ut tamquam *zi* scriptum esset. Cf. *Isid.* 1. *Orig.* 27. 28. *Pompej. Comment. p.* 286. 11. *Keil.* «Quotiescumque, inquit, post *ti* vel *di* syllabam sequitur vocalis, illud *ti* vel *di* in sibilum vertendum est» Cf. etiam *Consent. Art. p.* 395. 6. et *Serv. Comment.* in *Donat. p.* 445. 8. *Keil.* Hinc sequiore potissimum ætate hæc syllaba *ti* sæpe mutata est in *ci,* ut patet ex MSS. et edit. libris, ubi *ocium, solacium, mutacio* et similia passim occurrunt pro *otium, solatium, mutatio* etc. Ceterum postquam critici viri recentiores inscriptiones veteres diligenter investigarunt atque explorarunt, compertum est, usum syllabæ *ci* pro *ti* ante vocales nec tam frequentem nec tam antiquum esse, ut quidam affirmaverant. V. *Pezzi op. cit. p.* 52. — Excipe, si ante syllabam *ti* sint litteræ *t, s, x,* ut *Attius, ostium, mixtio;* vel, ex quorumdam sententia, sequatur terminatio *er,* ut *nitier, petier, quatier* pro *niti, peti, quati;* vel *ti* insit in Græcis nominibus, ut *Miltiades, Bœotia* etc.; tunc enim littera *t* naturali sono est efferenda. — c) In compositione vocum — α) Præponitur vocalibus iisve subjicitur, ut *tulit;* et etiam geminatur in mediis vocibus, ut *attulit;* quia vero inter vocales duriore sono olim efferebatur, quædam voces simplici atque duplici *t* scriptæ occurrunt, ut *cotidie* et *cottidie, quatuor* et *quattuor, glutire* et *gluttire, Britannia* et *Brittannia* etc. V. *Pezzi op. cit. p.* 51. — β) Præponitur etiam consonantibus *l, m, r,* ut *Tlepolemus, tmarus, tmesis,* quæ Græca sunt, et *trabs, tremo, tritus, Troja, truncus,* quæ Latina. *Diomed.* 2. *p.* 420. *Putsch.* Verum ante *l* aliquando mollitur, præmissa littera *s,* ut in *stlata, stlembus, stlis, stlocus,* quæ tamen, in usu apud veteres, fere jam obsoleverunt. — Item ante *h,* sed raro, occurrit in antiquis monumentis; hinc reperitur *Kartago* pro *Karthago, teatrum* pro *theatrum.* Cf. *Vel. Long. Orthogr. p.* 2230. *Putsch.* Ad rem *Cic. Orat.* 48. 160. «Quin ego ipse, quum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros, Cetegos, triumpos, Karthaginem* dicerem etc.» *V.* integr. loc. — Et subjungitur consonantibus *p, c, s,* ut *Ptolemæus, Ctesipho, Stichus.* — d) Supplet aliquando hæc littera alias, nam in quibusdam vocibus — α) Ponitur pro *d,* ut in *Alexanter* pro *Alexander, Cassantra* pro *Cassandra;* item in fine vocum *aput* pro *apud, aliut* pro *aliud, set* pro *sed* etc.; contra *adque* pro *atque, quodannis* pro *quotannis, quadraginta* pro *quatraginta* inus.; *quadriduum* pro *quatriduum.* Cf. *cetle* pro *cedile,* at *fecid* pro *fecit* etc. in multis vet. monum.; sunt enim hæ duæ litteræ affines. Cf. *Quintil.* 1. 4. 16. et *Mommsen* in *Ephemerid. epigr.* II. *p.* 122., qui ex *Leg. Colon. Genit.*, nuper in Hispania reperta, exempla hujusmodi congessit. — β) Pro *c,* ut *setius* pro *secius, ecquis* pro *etquis* inus. — γ) Pro *s,* ut in *versus* a *verto. Priscian.* 1. *p.* 44. *Putsch.* Sic fortasse in *civitas* pro *civitat, lis* pro *lit* et similibus; quamquam in his litteram *t,* ut apud Græcos τ ante sigma, extritam esse puto, ut sit *civitas* pro *civitats, lis* pro *lits* etc.: interdum litteræ *s* adsimilatur, ut in *concussus* a *concutio, fassus* a *fateor,* ut fit etiam ante *r* in *parricida* pro *patricida.* — e) Denique aliquando omittitur, ut in *pos* pro *post, hau* pro *haut, stis* pro *stitis.* — Videsis plura apud *Lachmann* ad *Lucr.* passim, *Pezzi op. cit. p.* 52. et *seqq., Schleicher Gramm.* § 82.-91., *Schw.-Sidl.* § 266. *et seq., Ribbeck* ad *Virg.* in *Ind. Gramm.,* al.

*B)* Nota breviationis seu littera singularis. — *a)* In notis prænominum T. valet *Titus;* at ⊥ inversa est *Tita,* ut putat *Ursatus Marm.* etc. p. 263. et in *Not. Rom.* et *Ferrari* in *Sigl. Rom.*; TI. valet *Tiberius;* TR. *Trebius* et TER. *Terentius.* — *b)* Præterea T. valet *tribunus* vel *turma;* TR. *trierarchus* vel *tribunus:* TR. LAT. *tri-*

bunus *laticlavius*; TR. PL. *tribunus plebis* vel *plebei*: TR. MIL. *tribunus militum*; T. P. *tribunicia potestate*; T. F. I. *testamento fieri jussit*; T. F. *testamenti formula*; T. V. *titulo usus*; T. P. *testamento posuit*; T. K. *tabularius kastrensis*; T. F. C. *testamento faciendum curavit* etc. V. *Henzen, Inscr. Lat. p.* 218. *et seq.* — *c*) Veteribus senatusconsultis T littera subscribi solebat: eaque nota significabatur, ita tribunos quoque censuisse. *Val. Max.* 2. 2. *n.* 7. — *d*) In breviculis sive laterculis militaribus T in capite versiculi *superstitem* vel *vivum* significat, ut docet *Isid.* 1. *Orig.* 24., quasi sit τηρηθείς, servatus; vel potius est pro Υ, h. e. ὑγιείς, sanus. V. *Arevali* adnot. ad *h. l.*

*C*) Nota numeralis, significat centum sexaginta; lineolâ vero superductâ, centum sexaginta millia, ut docet *Auct. De not. num. p.* 1683. *Putsch.* — Interdum etiam, Etruscorum more, inversa occurrit, valetque, ut littera L, quinquaginta. Sic in *Inscr.* apud *Furlanettum, Museo d'Este p.* 163. *n.* 74. IN. F. P. XLV. *h. e.* in fronte pedes quadraginta quinque. *V.* quæ ibi adnotantur. — Apud Gromaticos vet. casis designandis inservit. *Cas. Litter. p.* 317. 9. *Lachm. Rud.* Casa per T nomen habens plerumque super se fines parvos habet etc. Adde *ibid. p.* 330. 3. et *p.* 336. 28.

# TA

TĂBĀNUS, i, m. 2. De etymo et quantitate prioris syllabæ hæc proponimus. *Vaniçek* ducit a Skr. *tap*, urere, cruciare; at *Lennep.* a τάω, tendo, protendo, *sc.* aculeum: hinc τάFω, τάβω etc. Hac notatione posita, prior syllaba brevis est, ut cum *Schellero* volunt recentiores. At *Furlanello* videtur longa ex eo quod vox a *tabeo* sit potius ducenda, quia, ut ait *Martini*, hoc animal corpore tabet; *sc.* gracile est; et quia, ut tradit *Plin.* 11. *Hist. nat.* 33. 38. (113). tabani ex ligno nascuntur et alibi, ubicumque humor est nimius. Sic *Arist. De anim.* 5. c. 18. Οἱ δὲ μύωπες γίνονται ἐκ τῶν ξύλων. Viderint eruditi. Perperam vero *Morelli Lex. Lat.* non modo primam sed et secundam brevem facit. — Tabanus est muscæ genus, et *asilum* Latini nominant, in ore aculeum habens, quo armenta maxime infestat; unde poetæ fingunt, Io puellam tabano a Junone immisso versam fuisse in insaniam, μύωψ *vel* οἶστρος (It. *tafano, assillo*; Fr. *taon*; Hisp. *tabano*; Germ. *die Bremse, Stechfliege*; Angl. *ox-fly, gadfly*). *Varro* 2. *R. R.* 5. *a med. de vaccis.* Eas æstate tabani concitare solent et bestiolæ quædam minutæ sub cauda. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (100). Reliquorum quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet, item culicibus et quibusdam muscis. *et ibid.* 36. 43. (120). Tabani cæcitate moriuntur. *Id.* 30. *ibid.* 11. 30. (101). fiunt ex vermiculis. Adde *Isid.* 12. *Orig.* 8. 15. Cf. *Senec. Ep.* 58. Hunc, quem Græci œstrum vocant, pecora peragentem et totis saltibus dissipantem, asilum vocabant.

TĂBĔFĂCĬO, făcis, factum, făcere, a. 3. (tabes et facio) Part. *Tabefactus.* — Tabefacio est tabidum facio, corrumpo, consumo, liquidum reddo, τήκω.

I.) Proprie. *Solin.* 2. *circa med.* Padus intumescit tabefactis nivibus et liquentibus brumæ pruinis. *Vulgat. interpr. Eccli.* 31. 1. Vigilia honestatis labefaciet carnes. Adde *Judith* 14. 14. — Apud *Prudent. Cathem.* 10. 14. pro *tabefacta* legend. *labefacta.*

II.) Translate. *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 4. 32. Da illis bostibus formidinem et tabefac audaciam virtutis eorum. Adde *Augustin.* ad *Ps.* 147. *n.* 26. *Cassiod.* in *Ps.* 38. *v.* 13. Licet (*anima*) tabĕfiat, tamen etc.

TĂBĔFĪO. *V.* voc. præced.

TĂBELLA, æ, f. 1. *deminut. a* tabula, parva tabula, *tavoletta*, σανίδιον, πινάκιον.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Martial.* 1. 3. Hos (*libellos*) eme, quos arctat brevibus membrana tabellis. Adde *Apic.* 7. 11., ubi *Schuch* rectius leg. pro *patella.* — *Ovid.* 2. *Fast.* 407. *de Remo et Romulo.* Sustinet impositos summa cavus alveus unda. Heu quantum fati parva tabella vehit! *h. e.* navicula. *Catull.* 32. 5. *tabellam liminis* videtur vocare ipsas ligneas valvas januæ. *synecdoche* utrobique. ¶ 2. Latiore sensu de lamina dixit *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (19). Inciditque in tabella ærea eam ædem. *Martial.* 11. 31. Pistor multiplices struit tabellas.

II.) Translate. ¶ 1. De flabello, *ventaglio.* *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 37. faciles arcessere ventos, Quos faciat nostra mota tabella manu. Adde *eumd.* 1. *Art. am.* 161. ¶ 2. Item de ludo quodam dicitur in illo *Ovid.* 3. *Art. am.* 365. (et 2. *Trist.* 481.) Parva tabella capit ternos utrinque lapillos: In qua vicisse est, continuasse suos. Cl. *Cavedoni* in *Mem. di Modena T.* 18. 207. hunc ludum confert cum illo, qui vulgo dicitur apud rusticos pueros *il biffo*, quemque *id. ibid.* describit. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Tabella alearis. ¶ 3. Sæpius usurpatur de tabula picta, *quadro, pittura*, γραφή, δέλτος. — *a*) Generatim. *Cic.* 7. *Fam.* 23. *a med.* Exhedria volebam tabellis exornare. *Ovid.* 1. *Art. am.* 71. priscis sparsa tabellis Porticus. Adde 2. *Art. am.* 680. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 95. Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella. Adde 2. *Ep.* 2. 180. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 37. (113). Tabellæ comicæ. *cartelloni*, in quibus pictæ sunt personæ et actores comœdiarum. — *b*) Speciatim de tabellis votivis. *Cic.* 3. *Nat. D.* 37. 89. Nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? *Orelli* tabulis. *Tibull.* 1. 3. 27. Nunc, dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi, Picta docet templis multa tabella tuis. *Juvenal.* 12. 27. Et quam votiva testantur fana tabella Plurima. pictores quis nescit ab Iside pasci? *Horat.* 2. *Sat.* 1. 33. quo fit, ut omnis Votiva pateat tamquam descripta tabella Vita senis. — De tabellis votivis V. *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1871. *p.* 65. *et seqq.* ¶ 4. Sæpissime de tabella, in qua scribitur, *tavoletta da scrivere*: item ipsa scriptura, syngrapha, *scrittura, scritto*, γραμματίδιον, γραμματεῖον. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 27. vix sumptæ Musa tabellæ Imponit pigras pæne coacta manus. *Festus p.* 359. 8. *Müll.* Tabellis pro chartis utebantur antiqui, quibus ultro citro, sive privatim sive publice opus erat, certiores absentes faciebant: unde adhuc tabellarii dicuntur et tabellæ missæ ab imperatoribus. Hæc *Fest.* Fiebant tabellæ e fago, abiete, buxo, tilia, acere, citro, ebore in tenues laminas secto. His cera inducebatur: unde *ceratæ tabellæ*, et *cera* simpliciter pro tabellis. *Juvenal.* 8. 142. falsas signare tabellas. *h. e.* falsa testamenta. *Martial.* 9. 103. Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas. *h. e.* syngrapham. *Juvenal.* 6. 199. Si tibi legittimis pactam junctamque tabellis Non es amaturus. *scrittura, istrumento matrimoniale.* Sic *Sueton. Claud.* 29. *sub fin.* Tabellas dotis consignare. *Id. ibid.* 15. *a med.* Ex tabella pronunciare sententiam. *h. e.* de scripto. *Tac. Dial. de orat.* 36. *ad fin.* Testimonium per tabellam dare. *in iscritto.* et *Cic.* 5. *Tusc.* 11. 33. Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum et testificaris, quid dixerim aliquando aut scripserim. *con iscritture legittime e irrefragabili.* et *Cluent.* 65. 184. Tabellæ quæstionis. *protocollo dell' interrogatorio.* Adde *Auct. B. Afr.* 3. 4. et *Frontin.* 1. *Strateg.* 1. 2. ¶ 5. Tabellas postquam scripserant, lino obligatas anulo obsignabant mittebantque, quo opus erat, epistolæ vice, *lettera, viglietto, pistola*, ἐπιστολή. Erant *duplices, triplices* etc. a numero foliorum; *pugillares* a parvitate; *citreæ, eburneæ* etc. a materia. *Ovid.* 3. *Art. am.* 469. Verba vadum tentent abiegnis scripta tabellis. *et* 1. *ibid.* 437. Cera vadum tentet rasis infusa tabellis. *Id.* 3. *Amor.* 14. 31. Cur toties video mitti recipique tabellas? *Cic.* 3. *Cat.* 5. 10. Tabellas proferri jussimus, quæ a quoque dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego signum: agnovit. nos linum incidimus, legimus. erat scriptum ipsius manu. — *Tabellæ laureatæ* apud *Liv.* 45. 1. *h. e.* epistolæ, quibus victoriæ nuncius ferebatur. *V.* LAUREATUS. ¶ 6. Hinc de tabella litteraria, in qua pueri scribendi et supputandi artem discebant, *tavoletta*: quæ et *tabula* dicitur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (59). Fecit et Libyn puerum tenentem tabellam. *V.* TABULA. ¶ 7. Et de tabella votiva inscripta. *Ovid.* 3. *Fast.* 268. Et posita est meritæ multa tabella deæ. *Juvenal.* 12. 100. Legitime fixis vestitur tota tabella Porticus. Uterque tamen locus intelligi potest et de pictis (*V.* supra sub II. 3. *b*). — Exemplum votivæ tabellæ inscriptæ habes apud *Maff. Mus. Ver.* 84. 3. ISIDI SERAPI VOTO SVSCEPTO PRO SALVTE SCAPVLAE FILII SVI P. QVINCTIVS PARIS S. L. M. Adde *aliam* apud *Gruter.* 82. 6. ¶ 8. Item de tabella, quæ in suffragiis ferendis adhibebatur; suffragia enim et sententiæ olim voce ferebantur, postea per tabellas ferri cœptæ sunt, *voti, fave, ballotte, suffragio.* *Lucian. Harmon.* 3. Οἱ μέν γε τῶν Λακεδαιμονίων βασιλεῖς τῶν ἄλλων ἑκάστου μίαν ψῆφον φερόντων, ἐκεῖνοι μόνοι ἑκάτερος αὐτῶν, δύο ἔφερον. In comitiis ferendarum legum binæ tabellæ dabantur, in quarum una *U. R.* h. e. *uti rogas* scriptum erat, in altera littera *A.* h. e. *antiquo.* In judiciis sive per populum sive per judices haberentur, ternæ. prima *A.*, id est *absolvo*, habebat: secunda *C.*, id est *condemno*: tertia *N. L.*, id est *non liquet.* In creandis magistratibus una dabatur tabella, in qua nomina candidatorum perscripta erant, sive expressa sive per notam primæ tantum litteræ, ut quidam volunt. Laturus suffragium puncto signabat nomen ejus, cui favebat, ut in PUNCTUM dictum est. *Cæs.* 3. *B. C.* 83. Dixit, placere sibi ternas tabellas dari ad judicandum. unam fore, qui liberandos omni periculo censerent: alteram, qui capitis damnarent: tertiam, qui pecunia multarent. *Cic. Flacc.* 39. *ad fin.* Quum tabella vobis dabitur, judices, non de Flacco dabitur solum: dabitur de omnibus bonis civibus etc. *Id. Planc.* 6. *a med.* Populo grata est tabella, quæ frontes aperit hominum, mentes tegit datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant. *Id. Pis.* 1. *extr.* Me universa civitas non prius tabella, quam voce, priorem consulem declaravit. *et ibid.* 40. An ego exspectem, dum de te quinque et septuaginta tabellæ diribeantur? *Seneca* 3. *Benef.* 7. *ad fin.* De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam potest. *h. e.* sententiam ferre. *Propert.* 4. 11. 49. Quælibet austeras de me ferat urna tabellas. *Sueton. Aug.* 33. Quum de falso testamento ageretur, non tantum duas tabellas, damnatoriam et absolutoriam, simul cognoscentibus dedit, sed tertiam quoque, qua ignosceretur iis, quos fraude ad signandum, vel errore inductos, constitisset. ¶ 9. Denique est testamentum in tabellis scriptum. *Inscript. Lanuvin.* apud *Cl. Cardinal. Dipl. mil. p.* 369. *n.* 510. Cf. *Juvenal.* 8. 142.

TĂBELLĀNĬO, ōnis, m. 3. (tabella) qui tabellas exscribit, tabellio. *Edict. Diocl.* 7. 41. Tabellanioni in scriptura libelli vel tabularum in versibus n. centum, ✠ ... *V.* TABELLIO.

TĂBELLĀRĬA, æ, f. 1. *V.* TABELLARIUS, a, um.

TĂBELLĀRĬUNCŬLUS. *V.* CALABARRIUNCULUS.

TĂBELLĀRIS, is, m. 3. *V.* DIPLOMARIUS.

TĂBELLĀRĬUS, a, um, adject. (tabella) ad tabellam pertinens; speciatim vero ¶ 1. Est id, quod ad parvam tabulam scriptoriam seu litteras pertinet. Hinc *Tabellaria navis*, quæ præmissa nunciat secuturæ classis adventum, *nave d'avviso.* *Seneca Ep.* 77. *init.* Subito hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent et nunciare secuturæ classis adventum, tabellarias vocant. ¶ 2. Est etiam quod ad suffragium pertinet, h. e. ad tabellam, qua suffragium significat. Hinc *Tabellaria lex*, qua cautum est, ne suffragia posthac voce, sed tabella, id est ne palam et aperte, sed clam et occulte ferrentur. Qua lege constitutum fuit genus illud libertatis, quo nemo alterius gratiæ erat obno-

zius, et cui palam refragari non audebat, occulta tabellæ voce, sine ulla offensione, poterat repugnare. Quattuor hujusmodi leges fuere: Gabinia, Cassia, Papiria, Cœlia. Prima in creandis magistratibus, altera in judiciis, tertia in legibus ferendis, quarta in judiciis perduellionis, quod Cassia exceperat, tabellas induxit. Gabinia a Q. Gabinio trib. pleb. lata est ann. U. C. DCXV.; Cassia a L. Cassio Longino trib. pleb. biennio post: Papiria a C. Papirio Carbone trib. pleb. ann. U. C. DCXXIII; Cœlia denique a C. Cœlio Caldo, itidem trib. pleb. ann. U. C. DCXLVII. De his et de tabella ipsa verba facit *Cic.* 3. *Legg.* a *c.* 15. V. etiam *Plin.* 3. *Ep.* 20. et 4. *Ep.* 25. et *Sall. orat.* 2. *ad Cæs.* 58. Cf. *Orelli Ind. Legg. p.* 277. *et seqq.* et *Drumann, Gesch. Rom. v.* 2. *p.* 113., 409. *et alibi.* — Hinc absolute, substantivorum more

*Tabellaria, æ,* f. 1. titulus comœdiæ Novii vel Nævii, cujus fragmenta apud *Ribbeck, Comic. Lat. reliqu. p.* 268. ed. alt.

*Tabellarius, ii,* m. 2. qui tabellas seu litteras perfert, *portalettere, corriere,* γραμματοφόρος. *Hieronym. Ep.* 8. Portitores epistolarum tabellarios vocavere. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Janitor, quis tu? a Marco tabellarius. *Cassius* ad *Cic.* 11. *Fam.* 12. Si litteræ perlatæ non sunt, non dubito, quin Dolabella tabellarios meos deprehenderit litterasque interceperit. *Cic.* 15. *ibid.* 17. Præposteros habes tabellarios: quum a me discedunt, flagitant litteras: quum ad me veniunt, nullas afferunt. Atque idipsum facerent commodius, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent: sed petasati veniunt, comites ad portam exspectare dicunt. Cf. *Apul. De mag.* Tabellarius publicus. Alii aliter leg., quod tabellarii servi essent domestici. Cf. tamen *Cic.* 2. *Att.* 7. 3. *Inscript.* apud *Gruter.* 11. 5. OPTIO TABELLARIORVM STATIONIS MARMORVM. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 551. — *Tabellarius castrensis,* militaribus officiis addictus. *Inscript.* apud *Orelli n.* 3249. — *Tabellarius diplomarius,* qui principis diplomata ferebat ad cursum publicum usurpandum. *Inscr.* in lamina ærea apud *Orell. n.* 2917. Alii tamen leg. *tabellaris.* V. DIPLOMARIUS. — *Tabellarius ex officio annonæ* legitur in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 312. *n.* 366., qui num *portalettere* vel *cancelliere* fuerit, subdubitat *Marin. Frat. Arv. p.* 614. *V.* TABULARIUS. — *Tabellariorum castra* ea erant, ubi tabellarii commorabantur in publicum usum. *Curios.* et *Notit. Urb. p.* 30. et 31. *Pr.* — De tabellariis ævi Augustei V. *Mommsen* in *Herm.* 1. 343.

TĂBELLĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

TĂBELLĬO, ōnis, m. 3. (tabella) scriba publicus et juris aliquantum peritus contractuum et testamentorum instrumenta publice conscribit, ut colligitur ex *Cod. Theod.* 9. 19. 1. et ex *Cod. Justin.* 1. 2. 14. *a med.* In *Gloss. Philox.* dicitur ἀγοραῖος et νομικός, *notaio. Ulp. Dig.* 48. 19. 9. Solet et ita interdici vel juris studiosis vel advocatis vel tabellionibus sive pragmaticis. *Capitolin. Macrin.* 4. Ad Africam isse venatorem primo, post etiam tabellionem, deinceps advocatum fuisse fisci. *Firmic.* 4 *Mathes.* 5. Tabelliones publicos facit, et qui ex litteris quærant vitæ subsidia.

H o m o n y m. *Tabellio* differt a *tabulario,* qui alter non solum scribit, sed etiam scripta custodit. *V.* TABULARIUS.

TĀBENS, entis. particip. *V.* voc. seq.

TĀBĔO, tābes, tābŭi, tābere, n. 2. Etymologi recentiores vocem conferunt cum rad. Skr. *tak,* cui inest notio fluendi, et Gr. τήκω, Dorice τάκω. — Part. *Tabens* I. et II. — Tabeo est liquesco, tabesco, τήκομαι, ἀπομαραίνομαι (It. *liquefarsi, consumarsi;* Fr. *se fondre, se liquéfier;* Hisp. *fundirse, liquidarse;* Germ. *schmelzen, verwesen;* Angl. *to melt away, dissolve*): occurrit autem absolute, vel conjungitur etiam Ablativo causæ vel modi.

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Art. am.* 89. *de Icaro.* Tabuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos. *Id.* 15. *Met.* 362. Nonne vides, quæcumque mora fluidove calore Corpora tabuerint, in parva animalia verti? *si putrefanno.* (Adde *Lucan.* 7. 823.) *Stat.* 4. *Theb.* 364. Tabens sanies. *Seneca Med.* 588. Aut ubi in rivos nivibus solutis Sole jam forti mediove vere Tabuit Æmus. Adde *Senec. alter.* 3. *Quæst. nat.* 27. *ante med. Martial.* 4. 18. Tabuit in calido vulnere mucro tener. *Cels.* 4. 10. *extr.* Sortitiones, in quibus porrum incoctum tabuerit. — Improprie. *Solin.* 22. *ad fin.* Ubi ignis tabuit. *h. e.* defecit, exstinctus est.

II.) Translate est deficio, consumor, solvor, langueo. *Lucret.* 4. 1254. Namque aliis rebus concrescunt semina membris Atque aliis extenuantur tabentque vicissim. *Ovid.* 7. *Met.* 540. *de pestilentia.* Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros Sponte sua lanæque cadunt et corpora tabent. *Gell.* 7. 8. *extr.* Delphinus amans desiderio tabuit exanimatusque est. *Virg.* 1. *Æn.* 176. optata potiuntur Troes arena Et sale tabentes artus in litore ponunt. *Martial.* 9. 83. Bisque tuum decies non toto tabuit anno. *h. e.* patrimonium absumptum est. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 445. et 4. *ibid.* 250., ubi de his usurpat, qui ex amore contabescunt et moriuntur. Sic *Propert.* 1. 15. 19. Hypsipyle nullos post illos sensit amores, Ut semel Æmonio tabuit hospitio. *h. e.* Iasonis hospitio excepti amore correpta contabuit, *s' innamorò.* et *Capell.* 1. *p.* 15. Tabens divum nexio. *h. e.* conjugium.

TĂBERNA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, dicitur ex eo, quod tabulis clauditur, inquit *Ulp. Dig.* 50. 16. 183., quasi *tabulerna*: unde *tabernacula* et *contubernales,* ut *Fest.* apud *Paul. Diac.* in *Adtubernalis p.* 12. 6. *Müll.* et in *Contubernalis p.* 38. 6. et in *Tabernacula ibid. p.* 356. 24. docet. *Donat.* vero ad *Ter. Adelph.* 3. 3. 5. vult dici per metathesin, quasi *trabena,* a trabibus validioribus, quibus superiora suspensa sint. Sed recentiores etymologi *tabulam* et *tabernam* a communi radice Skr. *ta* et *tan,* tendere, extendere, derivant, unde Gr. τανύω et τείνω et Lat. *tendo, tentorium* etc., addita terminatione, ut fit *fabula* a *fari* etc. — Taberna est ædificium utile ad habitandum, domus, οἴκημα (It. *abitazione, casa;* Fr. *habitation, domicile, maison;* Hisp. *habitacion, casa;* Germ. *das Haus, die Wohnung;* Angl. *a dwelling, house*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Universim. *Ulp. Dig. loc. cit.* Tabernæ appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificium, nempe ex eo quod tabulis clauditur. Cf. tamen *Fest. p.* 356. 24. *Müll.* — *b*) Speciatim dicitur de casa humili et paupere. *Isid.* 13. *Orig.* 2. 43. Tabernæ olim appellabantur ædiculæ plebejarum parvæ et simplices in vicis, asseribus et tabulis clausæ. *Horat.* 1. *Od.* 4. 13. Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres. Fortasse et illud *ejusd.* huc pertinet, *Art. P.* 127. Ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros, Regali conspectus in auro nuper et ostro Migret in obscuras humili sermone tabernas. ¶ 2. Latiore sensu et sæpe dicitur de loco, ubi merces veneunt, *bottega:* et ubi artifices artem suam profitentur, καπηλεῖον, παντοπωλεῖον: quia olim ex tabulis compactis fiebant et fronti ædium affigebantur, quo essent prætereuntibus conspectiores. *Cic. Cluent.* 63. *extr.* Instructam ei et ornatam, medicinæ exercendæ causa, tabernam dedit. (*Ulp. Dig.* 50. 16. 185. Instructam tabernam sic accipimus, quæ et rebus et hominibus ad negotiationem paratis constat.) *Id.* 2 *Phil.* 9. 21. et *Horat.* 1. *Sat.* 4. 71. et *Martial.* 1. 118. Taberna libraria. *Tac.* 15. *Ann.* 34. sutrina. *Varro* 7. *L. L.* 55. *Müll.* et *Horat.* 1. *Ep.* 14. 24. vinaria. *taverna.* et *Varro ibid.* (et *Sueton. Aug.* 4.) cretaria, unguentaria. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 131. tonsoris. *Plaut. Men.* 2. 3. 81. et *Truc.* 3. 2. 29. deversoria. *osteria, taverna:* quæ absolute deversoria a *Varron.* 1. *R. R.* 2. *a med.* appellatur. et a *Val. Max.* 1. 7. *sub fin.* meritoria. et a *Paulo Dig.* 33. 7. 13. cauponia. *Pompon. ibid.* 1. 2. 2. *ante med.* (et *Liv.* 3. 48.) lanionis. (laniena. *V.* LANIENA) *Ulp. ibid.* 8. 5. 8. *a med.* casearia. *Paul. ibid.* 32. 1. 38. purpuraria. *Ulp. ibid.* 18. 1. 32. et *Liv.* 26. 11. argentaria. *V.* ARGENTARIUS. *Non. p.* 532. 16. *Merc.* Tabernas non vinarias solum, ut nunc dicimus, sed omnes, quæ sunt popularis usus, auctoritas Romana patefecit. Varro de vita populi Rom. lib. II. Hoc intervallo primum forensis dignitas crevit atque ex tabernis ligneis argentariæ factæ. *Sueton. Aug.* 4. et *Pompon. Dig.* 33. 7. 15. Tabernam exercere. *Sueton. Ner.* 37. locare. *Cic.* 2. *Invent.* 4. *circa med.* Devertere in tabernam. *Juvenal.* 3. 103. postquam omnis ubique Fixa catenatæ siluit compago tabernæ. *Quintil.* 6. 3. 38. Tabernæ erant circa forum. Adde *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 265., ubi legitur *taberna aureficina.* et *ibid.* 4. 138., ubi *tabernæ cum pergulis.* — Tabernæ conjungebantur etiam cum monumentis sepulcralibus hospitii seu custodiæ causa. *Inscript.* apud *Murat.* 997. 1. HAEC MONVMENTO TABERNA CEDET. *Alia* apud *Gruter.* 640. 2. HAEC TABERNA CVM AEDIFICIO HVIVS MONVMENTI TVTELA EST. — De tabernis veteribus et novis in foro Romano *V.* VETUS. In iis olim ludos litterarios fuisse, indicat *Liv.* 3. 44. — De tabernis in circo V. *Cic. Mur.* 35. 73. Apud *Plutarch.* est θεωρητήριον.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de fornice et lupanari. *Catull.* 37. 1. et 10., *Virg. Cop.* 3. et *Propert.* 4. 8. 19. ¶ 2. *Catull.* 36. 15. Dyrrhachium vocat *Hadriæ tabernam,* quia ibi erat emporium, quo conveniebant populi mare Hadriaticum accolentes, omne genus merces coempturi.

H o m o n y m. Quid *taberna* ab *officina* differat, in ea voce dictum est. Pro ea tamen aliquando ponitur. Nam *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (121)., postquam *sutrinam,* eamdemque mox *officinam* appellavit, paullo post *tabernam* dixit. *Id.* 33. *ibid.* 11. 49. (139). Vasa ex argento Firmiana, Clodiana, Gratiana. etenim tabernas mensis adoptavimus. *Juvenal.* 13. 44. siccato nectare tergens Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

TĂBERNACLĀRĬUS. *V.* TABERNACULARIUS.

TĂBERNACLUM. *V.* TABERNACULUM.

TĂBERNĀCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. (tabernaculum) qui tabernacula conficit et curat. *Inscript.* apud *Gruter.* 642. 8. COLLEGIVM TABERNACVLARIORVM. *Alii leg.* tabernaclariorum *syncop.* Quam lectionem confirmat *Inscript.* apud *Henzen n.* 6101. C. IVLIO CHRYSANTO AEDITVO COLLEGI TABERNACLARIORVM. — V. tamen cl. *Cognolati præf.,* huic Lexico præmissam, 2. 19.

TĂBERNĀCŬLUM *et per syncop.* tabernaclum, i, n. 2. (taberna) subitarium tectum, frondibus aut stragulis opertum, adversus solis et aeris injurias: qualia sunt quæ in castris subinde excitantur et modo huc modo illuc transferuntur, σκήνωμα (It. *trabacca, tenda, padiglione;* Fr. *tente;* Hisp. *tienda;* Germ. *das Zelt, die Hütte;* Angl. *a tent, pavillon*). ¶ 1. Generatim. *Fest. p.* 356. 25. *Müll.* Tabernacula dicuntur a similitudine tabernarum: quæ ipsæ, quod ex tabulis olim fiebant, dictæ sunt: non, ut quidam putant, quod tabulis claudantur. *Cæs.* 3. *B. C.* 85. Signo profectionis dato tabernaculisque detensis. *et ibid.* 96. Recentibus cæspitibus tabernacula constrata. *Cic. Pis.* 25. *a med.* Mihi libertus domum biduo ante conduxerat, quæ vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocassem. *Id.* 7. *Verr.* 12. 30. In ipso aditu portus tabernacula carbaseis intenta velis collocabat. *et ibid.* 33. *extr.* Totos dies in litore, tabernaculo posito, perpotabat. *Id. Brut.* 9. *a med.* Militare tabernaculum. *Nepos Eumen.* 7. Statuere tabernaculum. *Auct. B. Afr.* 1. constituere. *Tac.* 5. *Hist.* 22. Incisis tabernaculorum funibus, suismet coriis coopertos trucidabant. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (170). Nomades in tabernaculis viventes. *Sueton. Aug.* 36. Auctor fuit, ut proconsulibus ad mulos et tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur. — Itineris causa tabernacula comparabantur, unde publice Romæ ea dabantur legatis ac magistratibus in provincias ituris. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 32. Deinde ornat decemviros tabernaculis etc. *Id.* 5. *Att.* 10. Multis locis ne tectum quidem accipio

ꝗ in tabernaculo maneo plerumque. — Hinc translate. *Cic.* 3. *Orat.* 20. 77. Qui in una philosophia quasi tabernaculum vitæ suæ collocarunt. — *A tabernaculis* dictus, qui sequiore ætate *tabernacularius*. *Inscript.* apud *Murat.* 926. 15 TI. CLAVDIVS AMIANTHVS AVG. FABER A TABERNACVLIS. — *Ad tabernacula* item dictus, qui tabernaculorum curam habet. *Inscript.* in *Annal. dell' I . . archeol. a.* 1856. *p.* 23. *n.* 135. AVR. BASILEO . . . PP. AT TABERNACLA. *h. e.* præposito ad tabernacula. — *Tabernaculum capere* est locum eligere tabernaculo constituendo. Comitiorum die exercitum imperari mos erat, qui præsidio esset, dum populus ferendis suffragiis occupabatur. Eum exercitum extra Urbem, intra pomœrium tamen, imperabat is, qui comitia habebat. Ei rei tabernaculum, aliquo pomœrii loco statutum, intrabat, quod ante cives armati sub signis conveniebant. Id tabernaculum auspicato constituebatur: si quid contra receptos ritus admissum esset, vitio captum dicebatur et comitia dirimebat aut vitio creatos fuisse magistratus declarabat. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. *ad fin.* Quum tabernaculum vitio cepisset imprudens. *Liv.* 4. 7. Quod C. Curtius, qui comitiis præfuerat, parum recte tabernaculum cepisset. *Cic.* 2. *Divinat.* 35. 75. Quid scire haruspices de tabernaculo recte capto potuerunt? Adde 2. *Nat. D.* 4. 11., *Val. Max.* 1. 1. *n.* 3. et *Lælium Felicem* apud *Gell.* 15. 27. *extr.* — Apud Hebræos *tabernaculorum festum*, quod et Græco nomine *scænopegia* dicitur, quid sit, *V.* in SCÆNOPEGIA. — Et *tabernaculorum urbes* dictæ, ubi thesauri aliaque in usum regis asservabantur. *Vulgat. interpr. Exod.* 1. 11. ¶ 2. Speciatim est taberna, *bottega*. *Tertull. advers. Psych.* 16. Balnea et tabernacula in nonam usque clauduntur. ¶ 3. Apud Ecclesiasticos scriptores, *tabernaculum*, σκηνή, dicitur de ædificio sacro, ad formam tabernaculi seu domus, in Dei honorem cultumque erecto, quod plenius *tabernaculum testimonii* seu *fœderis* appellatur. *Vulg. interpr. Exod.* 26. 1. *et alibi.* — Pars ejus anterior *tabernaculum primum* et pars interior, seu adytum, *secundum* vocatur, apud *eumd. Hebr.* 9. 2. *et* 3. Hujus ædificii descriptionem videsis apud *Ackermann* § 316. *et seqq.* — Hinc figurate et cælum significat, qua sedes Dei sanctorumque est, *Luc.* 15. 2. et ecclesiam Christi, *Am.* 9. 11. et *Act.* 15. 16. et corpus humanum, qua est animæ quasi domicilium, 2. *Petr.* 1. 14. Pro cælo sidereo videtur esse in illo *Ps.* 18. 6. In sole posuit tabernaculum suum. ὑπαλλαγή pro solem posuit in tabernaculo suo. Cf. *Ps.* 103. 2.

TĂBERNĀRĬA, æ, f. 2. *V.* voc. seq. in fin.

TĂBERNĀRĬUS, a, um, adject. (taberna) ad tabernam pertinens. *Apul. De mag.* Cur tam absurdis tamque tabernariis blanditiis subagitarem? *h. e.* plebejis, rusticis, ineptis, vulgaribus, quales in tabernis popellus adhibere solet: vel a cauponibus ad alliciendos hospites: vel potius a mulieribus tabernariis, sed in malam partem. V. *Quicherat.* ad *h. v.* — *Tabernariæ fabulæ* (de quibus dictum est in FABULA) apud *Donat. fragm. de Comœd. et Tragœd.*, *Diomed.* 3. *p.* 487. *Putsch.* et *Fest.* in *Togatarum p.* 352. 8. *Müll.* ita dictæ sunt ab humilitate personarum et argumenti similitudine. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tabernaria, æ,* f. 1. ¶ 1. Est mulier, quæ tabernam habet mercimonii cujuscumque exercendi causa, etiam in malam partem, *sc.* popa, item meretrix. *Isid.* 15. *Orig.* 2. 43. Unde et tabernariæ (*dictæ*), quod ibi (*sc.* in tabernis) solebant considere. Adde *Scholiast.* ad *Juvenal.* 8. 162. ¶ 2. Item tabernariorum ars. *Cod. Theod.* 11. 10. 1.

*Tabernarius, ii,* m. 2. ¶ 1. Est qui tabernam qualiscumque mercium generis exercet, *bottegaio, tavernaio,* κάπηλος. *Cic. Flacc.* 8. 18. Opifices et tabernarios atque illam omnem fæcem civitatum, quid est negotii concitare? *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. *a med.* Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset. *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1368. TABERNARII INTRA MVRVM NEGOTIANTES. — De caupone. *Gloss. Paris.* Caupo, tabernarius pessimus. *Ibid.* Caupones, tabernarii, qui vinum adulterum vendunt. ¶ 2. Est etiam qui tabernas ambit. *Non. p.* 161. 14. *Merc.* Popinones vel hi, quos dicimus tabernarios a popinis; vel luxuriosi, qui se popinis dedunt. *Gloss. Cyrill.* Καπηλοδύτης, ganeo, tabernarius.

TĂBERNĀRĬUS, ii, m. 2. *V* voc. præced. in fin.

TĂBERNĬO, ōnis, m. 3. (taberna) ¶ 1. Est qui tabernas frequentat; hinc gulosus, luxuriosus, potator, ganeo. *Gloss. Isid.* et *Gloss.* apud *Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 525. ¶ 2. Est etiam qui vinum vel alia vendit. *Gloss. Paris.* et *Thes. nov. Latin. p.* 574. ed. *Mai.*

TĂBERNŎLA et

TĂBERNŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* taberna, parva taberna. *Sueton. Ner.* 26. Tabernulas effringere et expilare. Adde *Ulp. Dig.* 5. 1. 19. *a med.* et *Apul.* 7. *et* 9. *Met.* — Fuit Romæ locus, tabernula dictus, in regione quinta. *Varro* 5. *L. L.* 47. *Müll.*, ubi et *tabernola* scribitur.

TĀBES, is, f. 3. (tabeo) *Tabis* pro *tabes* in recto casu improbat *Prob.* in *App. p.* 198. 13. *Keil.* V. *Brambach p.* 147. — Præter rectum, quartum et sextum casum usum habere non videtur. *Charis.* 1. *p.* 73. *et* 118. *Putsch.* quasi reprehendit Cinnam, quod in *Smyrna*, nullo ante se usus auctore, *tabis* dixerit. Sed et *Celsus* usurpavit 3. 22. Quum hæc genera tabis sint. — In sexto casu *Lucret.* ut *labi* pro *labe* dixit 5. 930. *Lach.*, sic etiam *tabi* pro *tabe*, 1. 805. Imbribus et tabi nimborum arbusta vacillant. *Priscian.* tamen 7. *p.* 768. *Putsch.* eumque secuti non pauci *tabe* legunt: et similiter produci ultimam, ut in *fame*, observant. Sic apud *Pacuv.* 274. *tabi* (Codd. *tali*) defendit *Ribbeck op. cit.* in *Coroll. p.* XLV. — In plur. num. usurpari posse negat *Charis.* in *Excerpt. p.* 548. 11. *Keil.* Sunt tamen qui leg. apud *Sil. It.* 8. 21. His super internæ tabes et civica vulnus Invidia augebant. *Alii vero* labes. Sane *tabes* et *labes* sæpissime in libris commutantur; sed *labes* habet locum, ubi ruina et pernicies significatur: *tabes*, ubi corruptio et contagio. — Tabes est liquatio et ipsa res liquata, liquor, fluor, τῆξις (It. *liquefazione, liquore*; Fr. *liquéfaction, fusion*; Hisp. *liquacion, fundicion*; Germ. *das Schmelzen*; Angl. *a melting, dissolving*): occurrit autem tum de animantibus tum de inanimis.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 21. 36. Per nudam glaciem fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. *a med.* Æstate prima maximæ et integræ adhuc nives: ex mollissimoque tabes est. *Liv.* 30. 34. *a med.* Per cumulos corporum et tabem sanguinis sequentes hostem. *Alii leg.* labes. *Lucan.* 8. 688. *de capite reciso Pompeji.* tunc arte nefanda Submota est capiti tabes raptoque cerebro Exsiccata cutis. *h. e.* extractum expressumque quidquid humidi et fluidi inerat, ne caput putresceret. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (120). Cujus aceti asperitas visque in tabem margaritas resolvit. ¶ 2. Speciatim est humor corruptus et corrumpens, sanies, tabum, *marcia, marciume,* μάρανσις: quum corpora solida solvuntur in fluidam putredinem, quæ quidquid contigerit, solvit corrumpitque. *Id.* 15. *ibid.* 19. 21. (80). Putris tabes arboris. *Id.* 33. *ibid.* 6. 32. (99). Argentum vivum exest ac perrumpit vasa, permanans tabe dira. *Lucan.* 7. 791. sidentes in tabem spectat acervos (*cadaverum*). et *ibid.* 809. tabes cadavera solvit. *et* 2. 166. cadavera tabe fluunt. *Liv.* 40. 29. Arca, quæ titulum sepulti regis habuerat, inanis inventa, per tabem tot annorum omnibus absumptis. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 25. (108). Tabes mercium, *mercatanzie guaste*. et 2. *ibid.* 101. 104. (223). Luna ferarum occisa corpora in tabem visu suo resolvit. *h. e.* macerat et putrefacit. ¶ 3. Sæpe dicitur de humore corrupto, viru, quo corpus animalis inficitur et absumitur. *Ovid.* 3. *Met.* 49. *de angue.* Hos necat afflatos funesti tabe veneni. *Id.* 3. *Pont.* 1. 26. Tinctaque mortifera tabe sagitta madet. *Seneca Herc. Œt.* 716. Missa est palla tabe Nessea illita. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (70). Dentes, flammis indomiti, cavantur tabe pituitæ. ¶ 4. Est etiam morbi genus, quo paullatim corpus absumitur, *cachessia, tisica, tisichezza.* Ejus tres describit species *Cels.* 3. 22. Una Græce ἀτροφία, qua corpus non alitur, summa macies oritur: altera καχεξία, ubi malus corporis habitus est ideoque omnia alimenta corrumpuntur: tertia, quam φθίσιν dicunt, oritur fere a capite: inde in pulmonem distillat: ex hoc exulceratio accidit et febricula, tussis sputum purulentum etc. *Cic.* 3. *Tusc.* 13. 27. Habet ardorem libido, levitatem lætitia gestiens, humilitatem metus: sed ægritudo majora quædam, tabem, cruciatum, afflictationem. *Quintil. Declam.* 5. 15. *ad fin.* Penitus visceribus immissa tabes quotidie aliquid ex homine præmittit in mortem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (156). In tædio vitæ fames lenta nos consumit tabe. ¶ 5. *Tabes oculorum* apud *Tac.* 4. *Hist.* 81. est ex vitiato humore cæcitas. ¶ 6. Eadem ratione *tabes* in arboribus dicitur, quum inarescunt et paullatim deficiunt. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (225). Inarescunt arbores *etc.* mox et macies earum partium fragilis, postremo tabes morsque, non intrante suco aut non perveniente. ¶ 7. *Tabes soli,* terræ squalor et sterilitas, ubi nullum gramen provenit. *Id.* 8. *ibid.* 21. 33. (79). Basilisco mustelarum virus exitio est. Injiciunt eas cavernis, facile cognitis soli tabe.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice. *Lucan.* 9. 700. Hic quæ prima caput movit de pulvere tabes, Aspida somniferam tumida cervice levavit. ¶ 2. Figurate dicitur de aliis, uti sunt corruptela, contagio, pestis, morbus. *Sall. Cat.* 37. *extr.* et *Jug.* 37. Tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat. *Id. fragm.* apud *Fest. p.* 359. 6. *Müll.* Qui quidem mos, uti tabes, in Urbem coierit. *et Corvinus ibid.* Propter hanc tabem atque perniciem domus totius. *Liv.* 7. 38. *a med.* In urbe insidentem tabem crescentis in dies fenoris pati. *Tac.* 1. *Hist.* 27. Infecit ea tabes legionum quoque motas jam mentes. *Id.* 1. *Ann.* 6. Ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. *Virg.* 6. *Æn.* 442. quos durus amor crudeli tabe peremit. *Ovid.* 2. *Met.* 806. anxia nocte Anxia luce gemit lentaque miserrima tabe Liquitur. *scil.* invidiæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Tabes animi contrectata adurit. *h. e.* livor. Adde *Liv.* 2. 23. et *Petron. Sat.* 119. *ad fin.*

TĀBESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TĀBESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* tabeo) Part. *Tabescens* et *Tabescendus* I. — Tabesco est in tabem solvor, liquesco, liquefio, tabeo, *liquefarsi, disfarsi,* τήκομαι: usurpatur autem absolute, vel conjungitur etiam Abl. rei, qua quis tabescit, sine aut cum præp. *ex, super.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Frigoribus durescit humor: et idem vicissim mollitur tepefactus et tabescit calore. *Lucret.* 6. 515. igni Cera super calido tabescens multa liquescit. *et ibid.* 964. exstructas ningues radiis tabescere. *Colum.* 12. *R. R.* 17. Ficus in jure tabescunt. *Cels.* 6. 15., *Cato R. R.* 88. et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 44. (96). Sal tabescit. *Lucret.* 3. 581. quum corpus nequeat perferre animai Discidium, quin id tetro tabescat odore. Sic *Aur. Vict. Cæs.* 39. Odor tabescentium membrorum. *Seren. Sammon. c.* 63. Tabescunt vulnera. — Passive *Lactant. De mort. persec.* 33. 9. Tabescenda viscera.

II.) Translate est solvi, minui, interire, deficere: et refertur etiam ad animum, *mancare, sminuirsi, languire, consumarsi. Liv. Andron. tr.* 17. Præstatur laus virtuti, sed multo ocius verno gelu tabescit. *Plaut. Stich.* 5. 1. 8. Quasi senex tabescit dies. *Id. Capt.* 1. 2. 30. Ego qui tuo mœrore maceror, macesco, consenesco et tabesco miser, ossa atque pellis sum misera macritudine. *Lucret.* 2. 1170. omnia paullatim ta-

bescere et ire Ad scopulum spatio ætatis defessa vetusto. Id. 3. 925. æterno tabescere luctu. Id. 5. 679. Crescere itemque dies licet et tabescere noctes. Catull. 68. 55. assiduo tabescere lumina fletu. Ovid. 5. Trist. 1. 77. assiduis animum tabescere curis. Cic. 4. Tusc. 17. 37. Tabescere molestiis. Horat. 1. Sat. 1. 110. Quodque aliena capella gerat distentius uber, Tabescat. h. e. invidia maceretur. Sall. Jug. 14. Nolite pati, regnum Numidiæ, quod nostrum est, per scelus et sanguinem familiæ nostræ tabescere. Cic. 2. Cat. 4. Ne patiantur, desiderio sui Catilinam miserum tabescere. Id. 2. Att. 21. a med. (et Ter. Adelph. 4. 3. 11.) Tabescere dolore ac miseria. Id. ibid. 14. otio. Ovid. 4. Met. 259. Tabuit ex illo dementer amoribus usa Nympharum impatiens. Ammian. 14. 3. 4. Absque ullo egressus effectu deinde tabescat immobilis. Martial. 12. 39. tabescas utinam, Sabelle, belle. Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 4. 75. Barca tabescas. et apud Garuzzi Graffiti d. Pompei plat. 27. 66. Asellia tabesses. — Cum Conjunctivo et part. ne. Propert. 3. 12. 9. Illa quidem interea fama tabescet inani, Hæc tua ne virtus fiat amara tibi. — Passive. Cic. 3. Att. 25. Nobis in hac calamitate tabescendum est, h. e. usque ad finem vitæ immorandum.

TĀBĬDŌSUS, a, um, adject. (tabidus) idem ac tabidus. Tertull. Apolog. 13. sub fin., item Pudic. 14. a med., ubi et tabiosus legitur.

TĀBĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. tabidi, aliquantum tabidus. Virg. Cir. 182. Tabidulamque videt labi per viscera mortem.

TĀBĬDUS, a, um, adject. (tabes) usurpatur A) Active; et B) Passive.

A) Active est tabem afferens, tabificus. Ovid. 4. Pont. 8. 49. Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas. Lucan. 6. 737. Hecate pallenti tabida forma. Tac. 16. Ann. 66. Lentum et tabidum venenum. Martial. 1. 79. Indignas premeret pestis quum tabida fauces. Virg. 3. Æn. 137. Tabida lues. Seneca Herc. Fur. 691. Famesque mœsta tabido rictu jacens. h. e. tabe lenta consumens, ut Plin. ait 2. Hist. nat. 63. 63. (156). Alii leg. rabido.

B) Passive est liquatus, liquefactus, liquefatto.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Liv. 21. 36. sub fin. In levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur. ¶ 2. Speciatim est tabe infectus, resolutus, corruptus. Seneca Œdip. 358. Et felle nigro tabidum spumat jecur. et ibid. 147. Deficit pastor grege deminuto, Tabidos inter morriens juvencos.

II.) Translate. Ovid. 1. Pont. 1. 67. mens mihi tabida facta De nive manantis more liquescit aquæ. Calpurn. 3. Ecl. 50. domina sine Phyllide tabidus erro. h. e. tabe et macie consumptus, ut qui lenta tabe laborant.

TĀBĬFĬCĀBĬLIS, e, adject. (tabifico) idem ac tabificus. Acc. apud Non. p. 179. 27. Merc. Pernici orbificor liberorum leto et tabificabili.

TĀBĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (tabifico) actus tabificandi. Translate Augustin. in Ps. 122. n. 6. Ut (anima) veniret ad hanc infirmitatem et tabificationem.

TĀBĬFĬCĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

TĀBĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tabes et facio) Part. Tabificatus. — Tabifico est tabere facio, tabidum efficio, tabe inficio. — Translate Augustin. De pecc. mer. 1. n. 10. de Adam. Occulta tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes. Cassiod. in Ps. 38. v. 13. Terrena deserens subtilissimas operationes virtutum divino timore tabificatus (leg. tabificatus) efficit.

TĀBĬFĬCUS, a, um, adject. (tabes et facio) qui tabidum facit seu liquefaciendi vim habens, liquefattivo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Lucret. 6. 736. ubi in campos albas descendere ningues Tabificis subigit radiis sol. ¶ 2. Speciatim est tabem seu corruptionem afferens, pestilens, pestilente, φθιτικός. Seneca Œdip. 79. Tabifica cœli vitia. Lucan. 9. 723. Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps. Id. 5. 111. Tabificus aer, Sueton. Tib. 73. Venenum lentum atque tabificum. Plin. 8. Hist. nat. 10. 10. (29). Elephantis terram edisse tabificum est. Id. ibid. 37. 56. (133). Tabifica urina. Sil. It. 6. 276. sanies.

II.) Translate. Cic. 4. Tusc. 16. 36. Tabificæ perturbationes mentis. scil. ægritudo et metus. Augustin. 6. Confess. 6. Cogitationum tabificarum febribus æstuare. Anthol. Lat. n. 636. Riese. Livor, tabificum malis venenum, intactis vorat ossibus medullas.

TĀBĬFLŬUS, a, um, adject. (tabes et fluo) tabe fluens, tabidus. Prudent. Aphot. 958. quum peccet et ipse Angelus, hospitium qui nescit adire caducum Cratis tabifluæ. h. e. corporis mortalis et tabe pereuntis. — Venant. 4. Vit. S. Martin. 430. Tabifluus morbus. h. e. tabificus.

TĀBĬŌSUS. V. TABIDOSUS.

TĀBIS. V. TABES init.

TĀBĬTŪDO, inis, f. 3. (tabes) idem ac tabes, macies. Plin. 22. Hist. nat. 25. 61. (129). Alica peculiariter longo morbo ad tabitudinem redactis subvenit. Adde Vulgat. interpr. Eccli. 28. 7. Tabitudo enim et mors imminet, in mandatis. Supple ex Græco fonte permane.

TĀBLA. V. TABULA.

TĀBLĀRĬUS. V. TABULARIUS.

TĀBLĪNUM. V. TABULINUM.

TĀBLISSO et tablizo, as, are, n. 1. ταβλίζω, latrunculis aut talis in tabula ludo. Diomed. 2. p. 417. et 421. Putsch. et a veteribus usurpatum fuisse docet et deinde obsolevisse. Legitur tamen apud Julian. Antecess. Constit. 115. 13.

TĀBLISTA, æ, m. 1. (tablisso) qui tablissat. Carm. de eleph. in Anthol. Lat. T. 2. p. 439. Burmann. Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tablistis, Discolor et tabulæ calculus inde datur.

TĀBLIZO. V. TABLISSO.

TĀBŎLA. V. voc. seq. init.

TĀBŬLA, æ, f. 1. — a) Tabla syncop. pro tabula in Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 1. 200.; improbatur tamen a Prob. in App. p. 198. 23. Keil. — Tabola ἀρχαϊκῶς pro tabula in Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 1. 196. et alibi. — b) Alia forma tabulum, i, n. 2. legitur in Gloss. — Tabulas genet. sing. pro tabulæ, Græca positione, ut familias, vias, regias, usurpari docet Auct. Art. etc. Bern. p. 94. 15. Keil, nulla tamen scriptoris auctoritate adlata. — c) Etymologi veteres, ut a φάω, pro φημί, fabula; ita ab inusit. τάω pro τανύω et τείνω, tendo, duxerunt tabula, nimirum ab extensione: hinc ταώς, pavo, quia caudam extendere solitus. Aliter Isid. 19. Orig. 19. 8. «Tabulæ a veteribus tagulæ vocabantur, a tegendo scilicet, unde et tegulæ». Recentiores priori etymo adstipulantur. Diomed. tamen vocis originem se ignorare candide fatetur p. 313. Putsch.; quæ quidem ignoratio longe anteferenda etymologorum scientiæ tam veterum quam recentium quorumdam, qui vana et deridicula comminiscuntur cum ipsius etymologicæ dedecore ac detrimento, quæ, si, sobrie prudenterque tractetur, suas habet nec paucas nec exiguas utilitates. — Tabula est lamina arboris in longitudinem et latitudinem secta, crassitudine tenui, σανίς, πίναξ, πλάξ (It. asse, tavola; Fr. planche, ais, table; Hisp. tabla; Germ. das Brett; Angl. a board or plank).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Cic. 3. Off. 23. 89. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit. Ovid. 11. Met. 428. laceras tabulas in littore vidi. Juvenal. 14. 288. qui navem mercibus implet Ad summum latus, et tabula distinguitur unda. Plin. 33. Hist. nat. 4. 21. (76). Latera (fossarum) cluduntur tabulis. Id. 36. ibid. 15. 24. (114). Summa pars scænæ e tabulis inauratis. Id. 31. ibid. 11. 47. (128). Spongiæ aqua perfusæ expressæque inter duas tabulas. Colum. 7. R. R. 4. a med. Perforatæ tabulæ, quibus ovilia consternuntur. ¶ 2. Latiore sensu de iis, quæ aliis materiis constant. Plin. 34. Hist. nat. 9. 21. (99). Tabula ærea. Tac. 2. Ann. 69. plumbea. Vulgat. interpr. Deut. 10. 3. lapidea. Inscr. apud Orelli n. 369. argentea. Alia in Corp. Inscr. Lat. 3. 1205. marmorea.

II.) Metonymice. ¶ 1. Dicitur de sedili, quod tabulis constat. Horat. 2. Sat. 1. 80. solventur risu tabulæ. h. e. subsellia. ¶ 2. Item de tabula lusoria, scacchiere, qui et alveus dicitur. Seneca Tranquill. 14. a med. Lusisse tu Canum illa tabula putas? illusit. Juvenal. 1. 89. neque enim loculis comitantibus itur Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca. Ovid. De nuce 77. Per tabulæ clivum labi jubet alter et optat, Tangat ut e multis quamlibet una suam. Auson. Prof. 1. 25. Vidimus et quondam tabulæ certamine longo, Omnes qui fuerant, enumerasse bolos: Alternis vicibus quos præcipitante rotatu, Fundunt excisi per cava buxa gradus etc. Adde Martial. 14. 17. de tabula lusoria. Cf. TESSERA. — Hujus tabulæ inventor fertur Palamedes. V. PALAMEDES in ONOM. ¶ 3. Item de pictura, quadro: in tabulis enim olim pingebant. Cf. Aus. Popm. ed. Vallaur. ad h. v. Plaut. Men. 1. 2. 22. Numquam tu vidisti tabulam pictam in pariete? Adde Ter. Eun. 3. 5. 36. Cic. 5. Fin. 1. extr. Epicuri imaginem non modo in tabulis, sed etiam in poculis et in anulis habere. Id. Parad. 5. 2. Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Id. Brut. 75. 261. Tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Propert. 1. 2. 22. Qualis Apelleis est color in tabulis. et 2. 2. 51. fama tabulas anteire vetustas. Ovid. 3. Fast. 831. Tabulam coloribus urere. h. e. encausto pingere. Juvenal. 8. 6. Quis fructus generis, tabula jactare capaci Corvinum etc.? Plin. 35. Hist. nat. 9. 36. (64). Zeuxis Agragantinis facturus tabulam etc. Quintil. 6. 1. 32. Depicta in tabula sipariove imago rei. Id. 10. 2. 6. Describere tabulas mensuris ac lineis. Id. 9. 2. 62. Morbum in signis ac tabulis objiciat Verri. — A tabulis dictus, qui iis præpositus erat curandis et custodiendis. Inscr. apud Bianchini Camer. n. 111. — Manum de tabula, proverb., apud Cic. 7. Fam. 25. Sed heus tu, manum de tabula: magister adest citius quam putaramus Erasmus refert ad illud Plin. 35. Hist. nat. 10 36. (80). de Apelle. Dixit, omnia sibi cum Protogene paria esse aut illi meliora; sed uno se præstare: nocere sæpe nimiam diligentiam. Hinc sequitur, id esse dictum de modo, qui diligentiæ adhibendus est. Sed Georges cum Victorio putat id sumptum a discipulis pictorum, qui, magistro absente, penicillis aliquid in tabula pingunt, eoque superveniente, manum de tabula statim removere admonentur. Alii vero aliter hanc locutionem interpretantur, vel respicientes ad tabulam lusoriam, et desistendum esse a ludo; vel ad litterariam, et cessandum a scribendo contra Cæsarem, ipso adventante. ¶ 4. Hinc, quod in tabulis describebantur seu pingebantur orbis regiones, sumitur pro eo, quod Itali dicunt tavola o carta geografica. Propert. 4. 3. 35. e tabula pictos ediscere mundos. Sic Cic. 6. Att. 2. ante med. Peloponnesi civitates omnes maritimas esse, Dicæarchi tabulis credidi. ¶ 5. Item de tabula votiva. Horat. 1. Od. 5. 13. me tabula sacer Votiva paries indicat etc. h. e. in qua pictum est naufragium. Sic Pers. 6. 32. largire inopi, ne pictus oberret Cærulea in tabula. Cf. Juvenal. 14. 301. mersa rate naufragus assem Dum rogat et picta se tempestate tuetur. ¶ 6. Tabula Sextia et Valeria apud Cic. Quinct. 6. 25. et 14. Fam. 2. quænam, inquit Furlanettus, dicerentur, interpretibus in variis sententias abeuntibus patuit demum ex Vet. Scholiast. ad Cic. Vatin. 9. edito ab A. Maio in Class. Auct. T. 2. p. 175. Quod vero ad tabulam Valeriam pertinere videatur, loci nomen sic ferebatur, quemadmodum ad tabulam Sextiam, cujus meminit pro Quinctio: ita et ad tabulam Valeriam dicebatur, ubi Valerius Maximus tabulam rerum ab se in Gallia prospere gestarum proposuerat ostentui vulgo. His sequentia adnotat cl. editor A. Maius: Gaudeant antiquarii Romani, gratulentur historiæ studiosi. Tabula Valeria (quam Cicero nominat etiam. ep. ad fam. XIV. 2.) quænam esset, critici inde a Manutio multum quæsiverunt. idque eo mirabilius est,

quod locus Plinii exstabat lib. XXXV. sect. 7. (quem nemo e Tullii interpretibus citare videtur) de tabula a M' Valerio Maximo, qui consulatum cum M'. Otacilio administravit, Romæ proposita. Sic ergo Plinius: Picturæ dignatio præcipua Romæ increvit: ut existimo a M'. Valerio Maximo Messalla, qui princeps tabulam picturæ prœlii, quo Carthaginienses et Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere curiæ Hostiliæ anno ab Urbe condita CCCCXC. Ex quo Plinii textu situm etiam urbanum tabulæ Valeriæ cognoscimus; locum scilicet, in quo illa olim fuerat et cujus postea nomen mansit. Sed illud diligenter animadvertendum est, quod nimirum apud interpretem Vaticanum videtur esse scribendum *Sicilia* pro *Gallia*. Valerii enim Maximi res gestæ, non Gallicæ, sed Siculæ inclaruerunt, ex qua insula agnomen *Messalla*, ob Messanam videlicet liberatam, triumphumque reportavit (In *Tabul.* enim *triumphalib.* apud *Gruter. p.* 297. *col.* 2. M'. VALERIVS M. F. M'. N. MAXIMVS MESSALLA COS. DE POENIS ET REGE SICVLOR. HIERONE AN. CDXC. XVI. K. APRIL.). Jam vero tabulam quoque Sextiam non tam Sextii argentarii credere jam placet cum interpretum hodiernorum grege (*V.* infra), quam Sextii alicujus ducis nobilis, qui æque res suas gestas ibi proposuerit ostentui vulgo sive pictas, ut Valerius Maximus, sive litteris exaratas, qualem deinde posuit tabulam in triumpho suo Pompejus, a me nuper (in *Scriptor. Vet. nova collect. e Vatican. codicib. edita T.* 2. *p.* 120.) in Diodori additamentis Vaticanis editam lib. XI. fin. Ita cl. *Furlanettus* in *App.* Cf. *Nepot. Miltiad.* 6. et PŒCILE in ONOM. Sane veteres ac recentiores plerique interpretantur de mensa argentarii hoc nomine appellati; ad has enim tabulas sedebant tribuni plebis, ut viderent quid in contione ageretur, et præsto essent, si quis ipsorum auxilio indigeret: et etiam, ut apud *Cic. Quinct. loc. cit.* sermo est, vadimonia obiri, syngraphæ aliaque ejusmodi fieri solebant, in quibus scilicet rebus testibus erat opus, qui facile ibi inveniri poterant. ¶ 7. Item sæpe pro scriptura, quia in tabulis ceratis scribebant, quæ et *tabellæ* dicuntur, *tavoletta da scrivere, scrittura, libro. Plaut. Asin.* 4. 1. 17. Ne epistola quidem ulla sit in ædibus, nec cerata adeo tabula. *Varro* 3. *R. R.* 5. *a med.* Ornithonis locus deformatus ad tabulæ litterariæ speciem cum capitulo. *della tavoletta*, in qua pueri scribere discunt et ratiocinandi artem. Ejus forma est quadrata et oblonga cum parvo capite perforato, ex quo suspendebatur. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 74. (et 1. *Ep.* 1. 56.) *de pueris.* Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto. *Juvenal.* 9. 40. ponatur calculus, adsint Cum tabula pueri. Adde *Justin.* 23. 4. 9. Hinc de puero valde studioso *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* Quidquid illi vacat, caput de tabula non tollit. Cf. *Cic* 7. *Fam.* 25. — De hac re vide plura apud *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 921. *et seqq.* ¶ 8. Hinc *tabulæ*, syngraphæ, scripturæ contractuum, rationum aliarumque rerum, *scritture, libri, registri* etc. *Plaut. Rud. prol.* 21. Juppiter bonos in aliis tabulis exscriptos habet. *in altro libro o registro.* et *Truc.* 1. 1. 53. Tabulæ, ubi æra perscribuntur usuraria. *Cic. Rosc. Com.* 2. 5. *et* 3. 8. et 2. *Orat.* 23. *a med.* Conficere tabulas. *h. e.* rationes accepti et expensi ex adversariis in codicem referre: *far un libro di conti, un quaderno. Id. Top.* 3. *ad fin.* Multum differt, in arcane positum sit argentum, an in tabulis debeatur. *h. e.* in nominibus. *sui libri.* et 4. *Verr.* 77. *a med.* Litteræ lituræque omnes assimulatæ, expressæ, de tabulis in libros transferuntur. *si trascrivono dai libri de' conti nel corpo del processo.* et *Quinct.* 6. 25. Tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignantur. *h. e.* quæ multorum testium nomina continebant. *Juvenal.* 2. 119. Signatæ tabulæ: dictum, feliciter. *l'istrumento dotale.* et *Capell.* 2. *p.* 47. Tunc tabulas ac Papiam Poppæamque legem sinerent recitari. *h. e.* tabulas nuptiales. Cf. *Brissonium De form.* 6. 124. et *Apulejum* 4. *Met. p.* 293. *Oudendorp.* ibique adnot. Adde *Quintil.* 5. 10. 118. ex *Cic.* ¶ 9. *Tabula patronatus*, de qua *Scholiast.* ad *Juvenal.* 10. 57. Aenea pagina, quæ ante imaginem eorum stans omnes eorum gradus honorum inscriptos continet, quam nunc dicunt tabulam patronatus. *V.* PATRONATUS. — *Tabula patrocinalis*, eadem atque hospitalis. *V.* PATROCINALIS et HOSPITALIS. — *Tabulæ hereditatium* in *Inscr.* apud *Orelli n.* 107. ¶ 10. Item dicitur de iis, quæ in auctionibus proponebantur. *Cic. Cæcin.* 6. 17. Adest ad tabulam: licetur Æbutius. *h. e.* ad auctionem; erat enim tabula, in qua perscriptæ erant res auctioni subjectæ. *Id.* 12. *Att.* 40. *ad fin.* Horti præconi subjiciantur. Id nisi fit, excludemur: sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis. *V.* SEXTIUS in ONOM. *Q. Cic. Petit. cons.* 2. Antonium in prætura competitorem habuimus, amico Sabidio et Panthera, quod ad tabulam quos poneret, non habebat. *h.* e. in qua suffragiorum, postquam lata et collecta fuerant, numerus inibatur et perscribebatur. *Varro* 3. *R. R.* 5. *sub fin.* Narrat, ad tabulam, quum diriberent, quemdam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum. Adde *ibid.* 17. et *Cic. Pis.* 5. *sub fin.* ¶ 11. Item de legibus et edictis. *Id.* 2. *Phil.* 36. *ad fin.* Toto Capitolio tabulæ figebantur. *h. e.* in quibus immunitates aliquibus dabantur ex actis Cæsaris, civitatis jus aliis etc. *privilegi, diplomi, patenti.* Sic 1. *Phil.* 1. *a med.* Neque tabula ullius decreti Cæsaris aut beneficii figeretur. *editto, proclama.* et *Arch.* 4. 9. Tabulæ publicæ Heracleensium. *Liv.* 26. 36. Ut prima inter primos nomina sua vellent in tabulis publicis esse. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 21. (99). Tabulæ æreæ, in quibus publicæ constitutiones inciduntur. *Cic.* 1. *Orat.* 44. 195. Bibliothecas omnium philosophorum unus mihi videtur duodecim tabularum libellus et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare. Adde *ibid.* 43. *Seneca Ep.* 114. § 13. Multi alieno sæculo petunt verba, XII tabulas loquuntur: Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt; ad Appium usque et Coruncanium redeunt. Quidam contra dum nihil nisi tritum et usitatum volunt, in sordes incidunt (*V.* DUODECIM). — Hinc *curator tabularum publicarum* vel *a tabulis*, qui iis curandis præfectus erat. *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1872. *p.* 101. et apud *Orelli n.* 2974. *et* 3128. et *Murat.* 685. 1. et *Bormann Ungedr. Inschr. p.* 19. — Sic formula *descriptum et recognitum tabula aenea, quæ fixa est Romæ* etc. in Diplomatib. Imper. Rom., de qua *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. *p.* 916. — Huc spectat illud *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 8. 22. Quod rescripserunt in tabulis æreis. — De tabulis censoriis. *Cic. Mil.* 27. 73. Memoria publica recensionis tabulis publicis impressa. *Flor.* 1. 6. 3. Ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium officiorumque discrimina in tabulas referrentur. — Et de iis, quæ in ærario asservabantur, *libro delle ragioni o del debito pubblico. Tac.* 13. *Ann.* 28. Cura tabularum publicarum. ¶ 12. Item de tabella, qua in judiciis ferebatur sententia et in comitiis suffragium. *Cic.* 11. *Phil.* 8. *circa med.* Quod si comitia placet in senatu habere, petamus, ambiamus: tabula modo detur nobis, sicut populo data est. *Alii leg.* tabella. *Ascon.* ad illud *ejusd.* 2. *Verr.* 13. *extr.* Ut discoloribus signis juratorum hominum sententiæ notarentur. *Signa* alii ceratas diverso colore tabulas: alii ab judicibus appositas tabulis ceras diversi coloris ajunt. Adde *Divin. Verr.* 7. *ad fin.*, ubi *Cic.* primo *tabellam*, mox *tabulam* usurpat. ¶ 13. *Laudare per tabulas*, scribere testimoniales litteras in laudem alicujus, *fare una testimoniale, un attestato di buoni costumi, lodare in iscritto. Ascon. pro M. Scauro, sub fin.* Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant. ¶ 14. *Tabula*, de proscriptione. *Juvenal.* 2. 28. In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres. *Martial.* 5. 69. Antoni, Phario nil objectare Photino, Et levius tabula, quam Cicerone, nocens. ¶ 15. *Tabulæ* de testamento, *testamento*, διαθήκη. *Ovid.* 2. *Art. am.* 331. Omnibus his inerunt gratæ vestigia curæ: In tabulas multis hæc via fecit iter. *h. e.* ut heredes scriberentur. *Plin.* 2. *Ep.* 20. Coegit mulierem aperire tabulas ac sibi tunicas, quas erat induta, legare. *Juvenal.* 4. 18. si munere tanto Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi. *et* 2. 58. Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister Liberto. *et* 12. 122. si Libitinam evaserit æger, Delebit tabulas. *et* 14. 55. Tabulas mutare. *Martial.* 5. 39. supremas signare. — Huc fortasse pertinet *Inscript.* apud *Henzen n.* 7322. ¶ 16. *Tabulæ novæ*, novus rationum codex, veteri deleto, ut æs alienum vetus debitoribus remittatur. *Cic.* 5. *Phil.* 4. *a med.* Postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis novis salvum esse non posse. *V.* NOVUS. ¶ 17. *Tabulæ Cærites* quænam sint, *V.* in ONOM. ¶ 18. In re rustica *tabula* est modus et mensura agrorum incertæ quantitatis, in quadrum conformata, *misura, quantità di campi. Pallad.* 2. *R. R.* 11. Tabulas pro domini voluntate vel loci ratione faciemus, sive integrum jugerum continentes seu medium etc. *et ibid.* 10. Fiunt sulci tanta longitudine, quantam destinaveris tabulæ. *Id.* 3. *ibid.* 10. *ante med.* Seminarium dicimus æque fossam tabulam pedum duorum semis altitudine. Adde *ibid.* 18. *ad fin.* — *Id. ibid.* 9. 8. Jugeralis tabula. *h. e.* jugeri quarta pars. V. *Schneiderum* ad *h. l.* et vet. interpret. Ital. *p.* 90., qui idem affirmat. ¶ 19. Aliquando est certæ quantitatis mensura. *Var. Auct. de limit. p.* 311. *Goes.* Habet itaque tabula una quadratas perticas septuaginta duas. *et p.* 312. Remanent perticæ centum duodecim, quæ faciunt tabulam unam, semis et perticas quattuor. ¶ 20. Apud *Tertull. Pall.* 1. *et* 5. dicuntur *tabulæ* rugæ et plicaturæ in vestibus, eorumque congeries *tabulatum*: quia instar tabularum aliæ super alias insident et superpositæ sunt, *panneggiamento*, πτυχαί. *V.* CONTABULATIO. ¶ 21. Denique, apud scriptores Ecclesiasticos, *tabulæ* sunt, quæ legem sive decalogum continebant Israelitis a Deo per Moysen in Sina datum. *Vulgat. interpr. Exod.* 24. 12. *et* 31. 18. — Hinc figurate. *Id.* 2. *Cor.* 3. 3. Epistola estis Christi - scripta non in tabulis lapidis, sed in tabulis cordis carnalibus. Adde *Prov.* 3. 3.

TĂBŪLĀMENTUM, i, n. 2. (tabula) tabularum seu asserum colligatio, *tavolato. Frontin.* 1. *Strateg.* 7. Junxit dolia constravitque tabulamentis. Adde *Vet. Tab.* longe *Frontino* antiquiorem, apud *Murat.* 587. 1.; ea enim pertinet ad ann. U. C. DCXCVI.

TĂBŬLĀRĬA. *V.* TABULARIS et TABULARIUS, a, um.

TĂBŬLĀRIS, e, adject. (tabula) ad tabulas pertinens, πινακικός. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 20. (97). Æris temperatura statuaria eademque tabularis. *h. e.* ad ducendas tenues laminas instar tabularum. Adde *Inscr.* apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1863. p. 95. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tabulare*, *is*, n. 3. res tabularis, et sæpius *tabularia*, *ium*, n. plur. 3. tabulæ marmoreæ vel lapideæ. — In sing. num. *Veget.* 2. *Veterin.* 11. *sub fin.* Tabulare palati. *h. e.* fortasse palati convexitas: qua ratione *palatum cœli* dixit *Ennius.* V. SUSPICIO, is. — In plur. *Seneca* 3. *Ira* 19. Torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tabularibus, equuleo, igne, vultu suo. *h. e.* tabulis corpori admotis et adstrictis, quibus homo comprimeretur et pæne eliderетur. Ita recte *Lipsius*, alii leg. *tribularibus*, h. e. tabulis ferreo denso acumine asperatis in modum tribulæ; alii *talaribus*, h. e. ποδοστράβαις, instrumento, quo pedes luxantur: vel ἀστραγαλωτοῖς μάστιξι, flagello ossiculis instructo, ut gravius feriat. *V.* TESSELLATUS. Sed prior sententia magis probanda videtur ex corpore S. Danielis Patavii invento, quod inter duas tabulas, marmoream et ligneam, est repertum: harum superior multis erat foraminibus perterebrata, utramque vero trabales clavi colligabant, quibus martyris corpus fuerat transfossum.

TĂBŬLĀRĬUM, ĭi, n. 2. *V.* voc. seq.

TĂBŬLĀRĬUS, a, um, adject. (tabula) *Tablarius* syncop. pro *tabularius* in *Inscr.* apud *Murat.* 1024. 5. — Tabularius est ad tabulam pertinens, qua est scriptura sive documentum publicum quodcumque. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tabularia, æ, f.* 1. ¶ 1. Est idem ac tabularium. *Claud. Aug.* apud *Non. p.* 208. 29. *Merc.* Quorum jacent muri, villa, horrea curiaque et tabulariæ publicæ. ¶ 2. Item munus tabularii, *h. e.* ars conficiendi rationes. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7. 9. 3. Post vero ut libertus tabulariam administrando, libertatem non amisisti.

*Tabularium, ii,* n. 2. locus, ubi tabulæ, hoc est instrumenta et litteræ et acta publica, reponuntur, archivum, *archivio, cancelleria,* γραμματοφυλάκιον. Cf. *Marquardt Röm. Privatalth.* 1. 128. *Inscript.* apud *Gruter.* 170. 6. Q. LVTATIVS Q. F. Q. N. CATVLVS COS. (*scil.* ann. U. C. DCLXXVI.) SVBSTRVCTIONEM ET TABVLARIVM EX S. C. FACIVNDVM CVRAVIT. *h. e.* locum in Capitolio, quo senatusconsulta, plebiscita de societate et fœdere ac privilegio, cuicumque concessis, ut ait *Sueton. Vesp.* 8., continebantur. De hac tamen *Inscr.* V. quæ disputat *Mommsen* in *Annal. dell' Istitut. archeol. a.* 1858. *p.* 209. *et seqq. Liv.* 43. 16. Censores in atrium Libertatis ascenderunt et ibi signatis tabellis publicis clausoque tabulario et dimissis servis publicis etc. *Virg.* 2. *G.* 502. nec ferrea jura Insanumque forum aut populi tabularia vidit. *Cic. Arch.* 4. 8. Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interiisse scimus omnes. *Gromat. p.* 202. 17. *Lachm.-Rud.* Tabulario Cæsaris inferre. *Inscript.* apud *Gruter.* 478. 2. Tabularium censuale. et apud *Orelli n.* 3207. castrense. et *Notit. Dignit. Imp. Or. c.* 15. dominicum. — Etiam in privatorum ædibus tabularia erant. *Paul. Dig.* 32. 1. 90. In fundo uno ex his, qui prælegati sunt, tabularium est, in quo sunt complurium mancipiorum emptiones, fundorum et variorum contractuum instrumenta, præterea et nomina debitorum.

*Tabularius, ii,* m. 2. ¶ 1. De personis. — *a*) Est qui rationum tabulas perscribit acceptique et expensi rationes conficit, *computista, ragionato,* ἀριθμητής. *Seneca Ep.* 88. *inter init. et med.* Numerare me docet arithmetica. potius doceat, non esse feliciorem, cujus patrimonium tabularios lassat. *Ulp. Dig.* 11. 1. 6. *extr.* Et adversus tabularium puto actiones dandas, qui in computationem fefellit. Adde *ibid.* 50. 13. 1. *ante med. Sidon.* 4. *Ep.* 11. *circa med.* Habebat hunc procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis. et *Ammian.* 28. 1. 5. Obscurissime natus est patre tabulario præsidialis officii. Alii hæc duo ad par. 1. *b* referunt. *Inscr.* apud *Orell. n.* 3247. Tabularius thensaurorum. Adde *Cod. Justin.* 10. 1. 2. — Differt a *commentariensi. V.* COMMENTARIENSIS et COMMENTARIUS. — *b*) Item qui magistratibus apparet, cautiones, acta et rationes conscribendo et conscripta custodiendo, *cancelliere, archivista,* γραμματοφύλαξ. Differt a tabellione, qui eorum, quæ scribit, custos non est. *Ulp. Dig.* 43. 5. 3. Si custodiam tabularum æditnus vel tabularius suscepit. *Arcad. ibid.* 50. 4. 18. Custodes ædium vel logographi vel tabularii. *Inscript.* apud *Gud.* 160. *n.* 7. L. CINCIO L. F. SABINIANO TABVLARIO CLASS. RAVEN. etc. *Alia* apud *Gruter.* 1091 3. et 1100. 7. TABVLARIVS XX. HEREDITATIVM. et 589. 11. IANVARIVS AVG. LIB. TABVLARIVS A PATRIMONIO. et *n.* 2348. TABVLARIVS PVBLICVS REGNI NORICI. et *n.* 3335. TABVLARIVS FISCI LIBERTATIS ET PECVLIORVM. ¶ 2. De rebus est tabularum compages, tabulatum. *Inscript.* apud *Orell. n.* 1430. (*Corp. Inscr. Rhen.* 974.) DEAE PALLADI C. AVR. FESTINVS. TABVLARIVM PENSILEM A SOLO FECIT.

**Homonym.** Discrimen inter *tabularium* et *tabellionem*, V. supra et TABELLIO.

TĂBŬLĀTIM, adverb. (tabula) per tabulas seu modos agri. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. *a med.* Maxime expediet genera vitium tabulatim disponi, decimanis dividi.

TĂBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (tabulo) plurium tabularum compositio et junctura, contabulatio, σανίδωσις (It. *palco, tavolato, solaio;* Fr. *plancher, étage;* Hisp. *entablado, suelo, alto de casa;* Germ. *die Täfelung, das Bretterwerk;* Angl. *a planking, flooring*). *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Centones insuper injecerunt, ne tela tormentis missa tabulationem perfringerent. *Vitruv.* 5. 5. *ad fin.* Omnia publica lignea theatra tabulationes habent complures.

TĂBŬLĀTUM, i, n. 2. *et*

TĂBŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* TABULO.

TĂBŬLĪNUM *et sæpius per syncopen* tablinum, i, n. 2. (tabula). ¶ 1. Est locus sub dio, tabulis constratus, *altana:* de quo *Varro* apud *Non. p.* 83. 21. *Merc.* Ad focum hieme cenitabant, æstivo tempore in propatulo, rure in corte, urbe in tablino, quod mænianum possumus intelligere, tabulis fabricatum. Alii leg. *tabulinum.* At *Avellino Descr. d' una casa Pompeian. p.* 25. ea verba *quod moenianum* etc. putat esse glossema. ¶ 2. Accipitur etiam pro loco, in quo tabulæ pictæ et signa disponuntur ornatus causa, *galleria, pinacoteca,* πινακοθήκη. *Apul. Florid. n.* 22. Medici quum intraverint ad ægrum, uti visant, nemo eorum quod perpulcra tablina in ædibus cernant et lacunaria auro oblita etc. Alii leg. *tabulina.* ¶ 3. Et pro tabulario, seu loco, ubi tabulæ et instrumenta monumentaque rerum gestarum asservabantur, *archivio,* γραμματοφυλάκιον, χαρτοφυλάκιον. *Fest. p.* 356. 33 *Müll.* ex *Scaligeri restitutione.* Tablinum proxime atrium locus dicitur, publicarum rationum causa factus, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas rationum ibi habebant. *V.* tamen *Müllerum. Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (7). Tablina codicibus implebantur et monumentis rerum in magistratu gestarum. Adde *Vitruv.* 6. 4. *et* 8. V. *Avellino op. cit. p.* 23. et quæ de hac voce disputat cl. *Rich,* sumpta pariter loci descriptione ex erutis Pompejorum reliquiis. Cf. *Aus. Popm.* ed. *Vallaur.* ad *h. v.* ¶ 4. *Tablinum,* seu potius *tabulinum,* locus fuit etiam in castris, qui utrum a tabulis interstantibus, an a matriculis militum, quæ ibidem servarentur, ita dictus fuerit, ambigitur. *Hygin. Gromat. p.* 2. *col.* 2. Si legiones plures acceperimus, convertemus pedaturam; quod fuerat signis, tabulino dabimus. *et mox.* Signis pedes CXX., tabulino pedes CCCLX. (*dubimus*). V. *Schelii* adnot. ad *loc. cit.* Cf. tamen et *Lange.*

TĂBŬLĬUS. *V.* TRIENTIUS.

TĂBŬLO, as, ātum, are, a. 1. (tabula) Part. *Tabulatus* et *Tabulandus.* — Tabulo ¶ 1. Est tabulis munio vel consterno, tego. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* Adhæret dormitorium membrum, transitu interjacente, qui suspensus et tabulatus, conceptum vaporem digerit. Alii rectius *tubulatus* legunt. *Fest.* in *Adtubernalis,* apud *Paul. Diac. p.* 12. 7. *Müll.* Gentes, quæ tabulatis habitant ædificiis. *in case di legno.* V. PROVOLO. *Cod. Justin.* 8. 12. 21. opus. ¶ 2. Est etiam in modum plurium tabularum seu tabulamenti dispono. *Tertull. Pall.* 1. *a med.* Pallii jam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis. *h. e.* umbone ex pluribus tabulis erecto. *V.* TABULA. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 77. *de fluminis transmissione.* His quippe (*pellibus*) pactis, substratu levium densarumque itidem et superjectu trabilacularum (*lege trabicularum*) calcatu tabulandarum connexa utrimquesecus pellium pragmenta (*lege* pagmenta) usum ratium integraverant sibique pecorique. — Hinc

*Tabulatum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, est superficies plana, tabulis junctis constrata, *palco, solaio, tavolato,* σανίδωμα.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 3. Si in tabulato olea nimium diu erit, putescet. *et ibid.* 55. Ligna domino in tabulato condito. *Cæs.* 6. *B. G.* 28. In extremo ponte turrim tabulatorum quattuor constituit. *Colum.* 2. *R. R.* 22. Fœnum in tabulata componere. *Id.* 1. *ibid.* 6. *ante med.* Siccas res tabulatis congerere. *Id.* 8. *ibid.* 3. *de gallinario faciendo.* Tabulata supra se quaternos et infra septenos liberos pedes habeant. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. *sub fin.* Tabulatum exstruere. *Stat.* 10. *Theb.* 879. destruere. *Virg.* 2. *Æn.* 463. *de turri.* qua summa labantes juncturas tabulata dabant. *Val. Flacc.* 8. 305. et pedibus pulsant tabulata frementes. (Adde 3. 463.) *Martial.* 2. 60. tabulata catastæ. ¶ 2. Latiore sensu de ramis arborum, speciatim ulmorum, quibus vites aptantur, *spalliera degli orti. Coripp.* 4. *Laud. Justin.* 78. Cf. *Virg.* 2. *G.* 361. ¶ 3. Latissimo sensu de quacumque tabula. *Cod. Theod.* 11. 16. 15. Materiam, lignum atque tabulata exceptorum virorum patrimonia non præbeant. Adde *ibid.* 16. 18. *materiam,* trabes, *lignum,* unde bastilia fiunt et sagittæ, *tabulatum* tabulas seu asseres, ut interpretatur *Gothofredus.*

II.) Improprie. ¶ 1. In arboribus et præcipue in ulmis, ad quas applicantur vites, *tabulata* sunt ramorum ordines effusiores et in plana tendentes, non ad altiora crescentes, ut ait *Servius* ad illud *Virg.* 2. *G.* 360. contemnere ventos Adsuescant summasque sequi tabulata per ulmos. *Colum.* 5. *R. R.* 6. *ante med.* Ulmi quum adulescere incipient, falce formandæ et tabulata instituenda sunt. hoc enim nomine usurpant agricolæ ramos truncosque prominentes eosque vel propius ferro compescunt vel longius promittunt, ut vites laxius diffundantur. *Id. ibid. a med.* Palmites quum primum tabulatum apprehenderint, materia proxima putatione disponetur omnibus annis: alioquin in superius tabulatum excitabitur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (12). Populus, cujus tabulata in orbem patula etc. *Id.* 12. *ibid.* 1. 5. (11). Platani tabulata laxeque ramorum trabibus scamna patula. ¶ 2. Alia significatione, *V.* in TABULA sub II. 19.

III.) Translate est series rerum ordine alia super aliam compositarum, *una mano:* quæ et *stratura* dicitur. *Colum.* 12. *R. R.* 39. *a med.* Acina in dolium conjicito pedibusque bene calcato: ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito, postea alterum supercalcato. *et ibid.* 43. Uvas superponunt. tum furfures infundunt et alterum tabulatum uvarum eodem modo collocant. Adde *ibid.* 48. et 7. *ibid.* 8. *a med.*, ubi de caseo condendo agit.

TĂBŬLUM, i, n. 2. *V.* TABULA init.

TĀBUM, i, n. 2. (tabes) Præter tres casus, quos vides in adlatis exemplis, non habet alium Latinum usum; quod et grammatici veteres monuere, ut *Priscian.* 5. *p.* 672. *et* 673. *Putsch.*, qui *tabi, tabo* diptotum dicit. Contra *Charis.* 1. *p.* 17., *Diomed.* 1. *p.* 288. *ibid.* aliique inter monoptota recensent; immo et plurali carere docent. Ceterum in recto et in accusat. quoque casu sing. usurparunt *Seneca, Quintil.* etc. *loc. cit.* Cf. tamen *Neue Formenl.* 1. 510. — Alia forma *tabus,* masc. gen., apud *Senec. Herc. Œt.* 520. Tabum fluentem vulneris dextra excipit Traditque nobis ungulæ insertum suæ. Alii leg. *tabem insertam.* Etiam *Charis.* hoc genus agnoscit 1. *p.* 19. *Putsch.* et confirmat *Gloss. Labb.* Tabus, λύθρον. — Tabum est lues, venenum (It. *peste, morbo pestilenziale, veleno;* Fr. *peste, venin;* Hisp. *peste, veneno;* Germ. *die Pest, das Gift;* Angl. *pest, poison*). *Freund, Theil,* alii, probabili etymo inspecto, hanc significationem translatam habent. Vox fere poetica.

I.) Proprie. *Virg.* 3. *G.* 481. Corrupitque lacus, infecit pabula tabo. *V.* LUES. *Horat. Epod.* 5. 65. Quum palla, tabo munus imbutum, novam Incendio nuptam abstulit. *Virg.* 3. *G.* 557. turpi dilapsa cadavera tabo. *Liv.* 4. 30. Corpora adfecta tabo.

II.) Translate. ¶ 1. Per metonymiam, est sanguis mortuus vel corruptus, ater cruor, sanies, pus, *sangue morto o corrotto, marcia,* φθίσις, λύθρον. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 107. et *Pis.* 19. 43. Naufragio expulsus, saxis fixus asperis, eviscieratus latere, saxa spargens tabo, sanie, sanguine atro. *Virg.* 3. *Æn.* 27. Nam quæ prima solo ruptis radicibus arbos Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ Et terram tabo macu-

lant. *et ibid.* 626. vidi, atro quum membra fluentia tabo Manderet. *Id.* 8. *ibid.* 485. Mortua quin etiam jungebat corpora vivis *etc.* et sanie taboque fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat. *Servius* hic *saniem* mortui, *tabum* vivi sanguinem esse ait. Sed hoc discrimen auctores non servant. (*V.* infr.) *Ovid.* 2. *Met.* 760. Invidiæ nigro squalentia tabo Tecta petit. *Lucan.* 6. 547. nigramque per artus Stillantis tabi saniem virusque coactum Sustulit. *Seneca Herc. Œt.* 520. tabum fluente volucris dextra excipit. Adde *Tac.* 2. *Hist.* 70. ¶ 2. Metaphorice ut *sanies*, ita et *tabum* de sanguine purpurarum dicitur, quo inficiuntur lanæ. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 125. Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo.

Homonym. Quomodo differat *tabum* a *sanie*, V. sub SANIES.

TĀBUS. *V.* voc. præced. init.

TĂCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TĂCĔO, tăces, tăcŭi, tăcĭtum, tăcere, n. 2. Ratione habita etymi, alii conferunt cum *tego* (V. *Döderlein op. cit. v.* 6. *p.* 361.); alii vim vocis repetunt a littera *t*, qua incipit, ut a litt. *s* in *sileo* (*Bolza Voc. Gen.-Etim.* ad *h. v.*); sed cf. *Vossium* in *Etymol.* — Part. *Tacens* sub *A* I. *a* et II.; *Tacitus* in fin.; *Taciturus* sub *A* I. *b*; *Tacendus* sub *B a* et *b*. — Taceo est nihil dico, sileo, obmutesco, σιγάω (It. *tacere*; Fr. *taire*; Hisp. *callar*; Germ. *schweigen*; Angl. *to be silend*): adhibetur autem *A*) Intransitive; et *B*) Transitivorum more.

*A*) Intransitive.

I.) Proprie. — *a*) Sine additis. *Ennius* apud *Non. p.* 475. 2. *Merc.* Tacere opino esse optimum. *Plaut. Pœn. prol.* 3. silete ac tacete. *Id. Cas.* 2. 8. 62. nam (*lingulaca*) numquam tacet. *Pœn.* 1. 2. 49. AG. Ne me obturba ac tace. MIL. taceo. AG. Si tacuisses, jam istuc Taceo non natum foret. *Ter. Eun.* 4. 4. 53. Taceamne, an prædicem? *et* 3. 2. 36. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto homines. *et* 5. 2. 60. Au, tace, obsecro. *Cic.* 4. *Att.* 16. Non tacente me. Adde 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 101. *Catull.* 61. 126. Ne diu taceat procax Fescennina locutio. *Tibull.* 2. 4. 34. Nec prohibent claves et canis ipse tacet. *Ovid.* 1. *Art. am.* 271. Vere prius volucres taceant, æstate cicadæ. Adde *Liv.* 40. 9. et *Sidon.* 8. *Ep.* 16. — *b*) Cum addito Abl. et præp. *de*. *Cic.* 2. *Verr.* 9. *ad fin.* An me taciturum tantis de rebus existimastis? — *c*) Cum Abl. personæ et præp. *ab*. *Vulgat. interpr. Ps.* 27. 1. Nequando taceas a me. *h. e.* noli tacitus perseverare ad preces meas. — *d*) Cum particula relativa. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Tacebimus, quid in ipso homine prosit homini?

II.) Translate refertur ad inanima et est quiescere, nullo sono obstrepente. *Virg.* 4. *Æn.* 525. Quum tacet omnis ager. *Catull.* 7. 7. quum tacet nox. *Martial.* 4. 64. Illic Flaminiæ Salariæque Gestator pater, essedo tacente. *h. e.* strepitum nullum edente. *Id.* 7. 84. I, liber, ad Geticam Peucen Istrumque tacentem. *h. e.* gelu constrictum. Alii leg. *jacentem.* et *Seneca Med.* 766. Tacens ventus. (Adde *Petron. Sat.* 134. *in carm.*) *Id. Thyest.* 574. Jam silet murmur grave classicorum: Jam tacet stridor litui strepentis. *Ovid. Heroid.* 15. 198. Plectra dolore tacent: muta dolore lyra est. *Tac.* 3. *Hist.* 85. Solitudo et Tacentes loci. *h. e.* in quibus nemo adest. — Illa quoque poetice valde commoda sunt, *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 17. Non oculi tacuere tui conscriptaque vino Mensa. *supra v.* 15. *dixerat.* Multa supercilio vidi vibrante loquentes. *et* 3. *Art. am.* 512. Sæpe tacens odiis semina vultus habet. *Id.* 1. *Amor.* 4. 66. Blanditiæ taceant. *h. e.* nulla sint, absint. *Vulgat. interpr. Is.* 41. 1. Taceant ad me insulæ. *h. e.* tacitæ me audiant.

*B*) Transitivorum more. — *a*) Universim. *Plaut. Pers.* 2. 2. 64. Tu hoc taceto. Adde *Epid.* 5. 1. 44. *Ter. Eun.* 1. 2. 23. Quæ vera audivi, taceo et contineo omnia. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 179. Enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui et tacendum putavi. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 84. Tacere commissa arcana. *Virg.* 4. *G.* 122. nec sera comantem Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi. *h. e.* omisissem dicere de narcisso etc. *Seneca Hippol.* 558. Taceo novercas. *h. e.* silentio prætereo: nihil dico de novercis. *Ovid.* 13. *Met.* 177. Utque alias taceam, qui sævum perdere posset Hectora, nempe dedi. *e per tacere di altre.* — *b*) *Tacenda*, non laudanda: *non tacenda*, laudanda. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 72. dicenda, tacenda locutus. ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα. *Ovid.* 2. *Art. am.* 604. gravis est culpa tacenda loqui. *Martial.* 1. 50. Vir Celtiberis non tacende gentibus. — Sic *sub rosa tacenda* apud *Auct. Epigr.* ed. *Wernsd. v.* 6. *p.* 182. Inde rosam mensis hospes suspendit amicis, Convivæ ut sub ea dicta tacenda sciant. *V.* adnot. ad *h. l.* et v. ROSA. — *c*) Passive et impersonaliter. *Ovid.* 2. *Amor.* 18. 36. Aureus in medio Marte tacetur Amor. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. 4. Ut doceam Rullum posthac in his saltem tacere rebus, in quibus de se et de suis factis taceri velit. *Ter. Eun.* 1. 2. 26. Taceri si vis, vera dicito. *Id. Adelph.* 3. 5. 28. Ignotum est, tacitum est, creditum est. *s'è taciuto, abbiam taciuto.* — Hinc Part. præt.

*Tacitus, a, um*, fere adjectivorum more usurpatur.

I.) Active et est qui tacet, *tacente, tacito*, σιωπῶν. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De personis. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 84. Tacitus tace modo. *Id. Rud.* 4. 4. 70. Tacita bona est mulier semper, quam loquens. *Id. Pœn. prol.* 32. Matronæ tacitæ spectent, tacitæ rideant. *Cic.* 1. *Cat.* 8. *a med.* Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? *Id.* 4. *Verr.* 75. 180. Quum id quoque constabit, vos jam, me tacito, intelligetis etc. *h. e.* me tacente. *Id. Marcell.* 1. 1. Hoc tacitus præterire nullo modo possum. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 26. lac venale per urbem Non tacitus porta. *h. e.* vociferans. — 2.°) De rebus et quidem — *a*) De iis, quæ tacere videntur, animantium ritu. *Cic.* 3. *Cat.* 11. 26. Nihil me mutum delectare potest, nihil tacitum. *h. e.* tabulæ aut signa, quæ sunt monumenta tacentia. *Id.* 5. *Verr.* 16. 41. Os tacitum alicui præbere. *h. e.* nihil respondere. *Id. Rosc. Com.* 7. 20. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (siquam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? *Id. Cluent.* 23. 63. Vocat me alio tacita vestra exspectatio. *Virg. Cul.* 410. His tumulus super inseritur: tum fronte locatur Elogium, tacita format quod littera voce: Parve culex etc. *Id.* 4. *Æn.* 363. totumque pererrat Luminibus tacitis. *h. e.* intentis oculis intuens et interea nihil dicens. ὑπαλλαγή. Sic 7. *ibid.* 343. Alecto tacitum obsedit limen Amatæ. *h. e.* tacita obsedit. — *b*) De re et loco, in quo silentium est et strepitus nullus. *Id.* 6. *ibid.* 386. Per tacitum nemus ire. *h. e.* per silvas Elysiorum. *Seneca Herc. Fur.* 536. Et mutis tacitum litoribus mare. *h. e.* tranquillum. *Martial.* 8. 32. Aera per tacitum. *h. e.* placidum. *Ovid.* 3. *Fast.* 652. Tacitæ aquæ. *Seneca Med.* 158. Tacita quies. *h. e.* nox et somnus. *Id. ibid.* 114. Tacitis tenebris ire. *Id. Herc. Œt.* 486. Arcana tacitus nostra defendens specus. *Ovid. Heroid.* 18. 78. et 2. *Fast.* 552. Tacita nox. *Martial.* 9. 62. domus. *et* 7. 47. taciti regnator Averni. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 22. tacitam luna regnante per Arcton. ¶ 2. Specialim est qui silentio vel secreto agit. — 1.°) De personis. — *a*) Absolute. *Virg.* 4. *Æn.* 306. sperasti, perfide, tantum Posse nefas? tacitusque mea discedere terra? — *b*) Cum additis ad majorem vim. *Apul.* 3. *Met.* At tunc sic tacitus mecum: En fides, inquam. *Id.* 6. *ibid.* Sic in animo meo tacitus expostulabam. *Vulg. interpr. Gen.* 24. 45. Dumque hæc tacitus mecum volvebam. *Id. Dan.* 4. 16. Cœpit intra semetipsum tacitus cogitare. — 2.°) De rebus est occultus, arcanus, *secreto, occulto, nascosto*. *Virg.* 4. *Æn.* 67. tacitum vivit sub pectore vulnus. *Ovid.* 7. *Met.* 147. affectu tacito lætari. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 280. bellum civile pudoris Obtentu tacitum. *Capitolin. Gord.* 12. Senatusconsultum tacitum. *h. e.* quod non vulgatur. Docet autem *Capitolin. ibid.* non solum sub imperatoribus, sed etiam in libera republica, ita re postulante, tacita senatusconsulta fieri aliquando consuevisse: et modum tradit, quo fierent. Exemplum habes apud *Liv.* 4. 11. Sic *Cic.* 4. *Att.* 16. *ante med.* Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret. *Id.* 1. *Cat.* 2. 4. Habemus hujusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum. *Ovid. Heroid.* 17. 143. tacito mando mea verba libello. *depongo i miei sensi secretamente in una lettera.* — *Tacitus mensis* fuit September, nam *Vopisc. Tacit.* 13. *ad fin.* Hic idem Septembrem Tacitum appellari jussit, idcirco quod eo mense et natus et factus est imperator. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

II.) Passive. ¶ 1. Est de re, quæ tacetur. *Plaut. Asin.* 4. 2. 7. Suspendas potius me, quam tacita tu hæc auferas. *h. e.* hæc, quæ aufers, a me taceantur. *Cic.* 3. *Fam.* 8. Prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi relinquenda sunt. *Id.* 3. *Orat.* 17. *sub fin.* Tenere aliquid tacitum. *Id.* 2. *Att.* 3. Cetera si reprehenderis, non feres tacitum. *h. e.* non obtinebis, ut taceam, respondebo enim et repugnabo. Sic *Liv.* 1. 50. *extr.* Ne id quidem ab Turno tulisse tacitum ferunt. dixisse enim etc. *Id.* 3. 45. Ferro hinc tibi submovendus sum, ut tacitum feras, quod celari vis. *tacitum ferre* quis dicitur factum aut vocem suam, cui nemo adversatur aut reprehendit. *Id.* 7. 1. Non patientibus tacitum tribunis, quod pro consule uno plebejo tres patricios magistratus nobilitas sibi sumpsisset. — *Tacita assensio* apud *Cic. Mil.* 5. 12. est, quæ sine verbis aut voce datur. — *Tacitæ induciæ* apud *Liv.* 2. 18. *extr.* et *ibid.* 64. et 23. 46. sunt, in quas utrinque convenitur, nulla pactione præmissa. Sic *Justin.* 6. 7. 1. Neutris quidquam hostile facientibus, quum quasi tacito consensu induciæ essent. — *Tacitus sensus*, naturalis, insitus. *Cic. Orat.* 60. *extr.* et 3. *Orat.* 50. *a med.* Omnes tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quæ sint in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant. — Hinc *tacita* dicuntur præsertim a JCtis, quæ sequuntur ex natura rei et facile intelliguntur et admittuntur ab omnibus, licet verbis aut pacto non exprimantur. *Id.* 2. *Invent.* 47. 140. Non omnia scriptis, sed quædam, quæ perspicua sunt, tacitis exceptionibus caveri. *Ulp. Dig.* 20. 2. 3. Tacita conventio etiam in his locum habet. *Papinian. ibid.* 23. 3. 68. Omnis dotis promissio futuri matrimonii tacitam condicionem accipit. *Ulp. ibid.* 28. 5. 25. Tacita substitutio inesse videtur institutioni. *et ibid.* 29. 2. 66. Ceteris sociis non jubentibus, tacito jure partes ei adcrescunt. ¶ 2. Est etiam demissus, submissus. *Ovid.* 9. *Met.* 300. tacita quoque carmina voce Dixit. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

*Tacitum, i*, n. absolute. ¶ 1. Est locus remotus a strepitu, tranquillus, abditus. *Virg.* 9. *Æn.* 30. septem surgens sedatis amnibus altus Per tacitum Ganges. *h. e.* sine strepitu aquarum. *Sil. It.* 10. 554. Somnus per tacitum allapsus. *Id.* 12. 554. erumpunt sub casside fusæ Per tacitum lacrimæ. Adde 17. 216. *Lucan.* 10. 252. trahitur Gangesque Padusque Per tacitum mundi. *h. e.* per loca subterranea et cavernas latentes. ¶ 1. Est etiam res arcana, tacenda. *Plaut. Cist.* 1. 2. 10. Tacere nequeo misera, quod tacito usus est. *quel che va taciuto.* *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 51. Sic aret mediis taciti vulgator in undis. *V.* TANTALUS in ONOM.

*Tacito*, adverbii more, idem quod tacite. *Justin.* 18. 4. 9. Elissa fugam tacito molitur.

Homonym. Discrimen inter *taceo* et *sileo*. V. sub SILEO. — Item *taceo, reticeo* et *obticeo* eo differunt, quod *tacemus* consilia, *reticemus* dolores, *obticemus* quod nos pudet. *Ter. Heaut.* 1. 1. 23. Ne retice, ne verere: crede, inquam, mihi. *Id. Eun.* 5. 1. 4. Virgo, conscissa veste, lacrumans obticet. Ita *Donat.* V. *Popm.* ad *h. v.*

**TĂCĬBUNDUS**, a, um, adject. (taceo), tacens. *Donat. Vit. Virg. n.* 77. Sæpe aut tacibundus discedebat, aut suffusus pudore tacebat.

**TĂCĬTÈ**, adverb. (tacitus). ¶ 1. Est tacendo, silentio, *con silenzio, chetamente, tacitamente*, σιγῇ, σιωπῇ. *Plaut. Asin.* 3. 2. 42. Quidnam esse dicam? tacite auscultemus. *Cic. pro leg. Manil.* 5. *ad fin.* Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant. *Liv.* 42. 16. *sub fin.* Dissimulare et tacite habere id patique statuerat. *non ne far parola, passare sotto silenzio:* tacitum pati, ut *id.* 7. 1. loquitur. *Madvig* hoc *tacite habere* rejicit subditque: Codex tantum *pati* habet, *que* Grynæus addidit mendum occultans: scribendum est: *tacita haberi pati* etc. *Plin.* 6. *Ep.* 17. *in fin.* Imagines (*majorum*) hos adulescentes tacite laudare, adhortari et agnoscere videntur. *Cic. Mil.* 4. *a med.* Persapienter et quodammodo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi. *Liv.* 2. 58. Tacite exsecrari orætereuntem. *in suo cuore.* et *Lucan.* 5. 511. vigilum somno cedentia membra Transiluit, questus tacite, quod fallere posset. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 54. Et tacite peragens lene Melanthus iter. *h. e.* sine ullo aquarum defluentium strepitu. *Id.* 6. *Fast.* 65. Jane biceps anni tacite labentis origo. ¶ 2. Hinc est clam, occulte, *di nascosto. Justin.* 15. 2. 3. Occidi eum tacite cum matre jubet corporaque eorum terra obrui. *Val. Max.* 6. 5. *n.* 2. *extern.* Postulavit, ut aliquis sibi, cui illam rem tacite exponeret, daretur. *in secreto.* et *Cic. Quinct.* 15. *ad fin.* De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem tacite obscureque conceditur. Adde *Gell.* 12. 12. ¶ 3. Apud JCtos ea *tacite fieri* dicuntur, quæ verbis non exprimuntur, sed tamen fieri æquum est et ab omnibus admitti. Exempla passim in *Digestis* occurrunt. V. *Brisson. De verb. Jur. signif.*

**TĂCĬTO.** *V.* TACITUS.

**TĂCĬTŬLUS**, a, um, adject. *deminut.* taciti, aliquantulum tacitus vel potius tacitus, silentiosus vel sine magna opera. *Varro* apud *Non. p.* 47. 27. *et p.* 550. 18. *Merc.* Sed utrobique, inquit *Forcellinus*, rectius vel *tacitus* vel *taciturnus* alii reponunt. Recentiores tamen a priore lectione non recedunt. V. *Oehler* ad *h. loc.*

**TĂCĬTŪRĬO**, is, ire, n. 4. *desiderat. a* taceo, tacere cupio. *Sidon.* 8. *Ep.* 16. Etsi tacere nondum cœpimus, certe taciturire jam deliberavimus.

**TĂCĬTŪRĬUS**, a, um, adject. (taciturio) qui tacere cupit vel taciturnus. *Priscian. XII. vers. Æn. p.* 472. 10. *Keil.* A taceo simplici fit taciturnus et taciturnitas et taciturius et tacitus participiale.

**TĂCĬTURNĬTAS**, ātis, f. 3. (taciturnus) actus tacendi, silentium, σιγή, σιωπή (It. *taciturnità; Fr. silence, taciturnité;* Hisp. *taciturnidad;* Germ. *das Schweigen, Stillschweigen;* Angl. *taciturnity, silence*). ¶ 1. Generatim. 1. *Fam.* 5. *ad fin.* Sed nosti hominis tarditatem et taciturnitatem. *Id.* 7. *Att.* 8. Suspicionem mihi majorem tua taciturnitas attulerat. *Id.* 1. *Cat.* 7. 16. Vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? *Horat.* 4. *Od.* 8. 22. quid foret Iliæ Mavortisque puer, si taciturnitas Obstaret meritis invida Romuli? *h. e.* silentium poetarum. ¶ 2. Speciatim de virtute servantis arcana commissa. *Ter. Andr.* 1. 1. 4. Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro, sed iis, quas semper in te intellexi sitas, fide et taciturnitate. Ubi *Donatus:* Fides est commendatorum fide exsecutio: taciturnitas vero observantiæ genus, in silentio constituta et in celando secreta. *Aurel. Vict. Epit.* 1. *ante med.* Amici præcipui erant ob taciturnitatem Mæcenas, ob patientiam laboris Agrippa.

**TĂCĬTURNUS**, a, um, adject. (taceo) Comp. *Taciturnior;* Sup. *Taciturnissimus.* — Taciturnus est qui natura facile tacet, qui paucorum est verborum et minime garrulus, σιωπηρός (It. *taciturno;* Fr. *taciturne, silencieux;* Hisp. *taciturno, silencioso;* Germ. *stillschweigend;* Angl. *taciturn, silent*): quasi in *tacendo diuturnus*, inquit *Isid.* 10. *Orig.* 266.; quamquam *urnus* nihil est nisi adjectio syllabica, ut in *diurnus, diuturnus, nocturnus* et similibus.

I.) Proprie. — *a*) Active. *Lucret.* 4. 584. et *Ovid.* 2. *Art. am.* 505. Taciturna silentia rumpere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 83. Ingenium statua taciturnius. *Cic. Sext.* 9. 21. Quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant. *Nepos Att.* 22. Preces ejus taciturna sua obstinatione compressit. — *b*) Passive est is, de quo tacetur. *Horat.* ad librum suum, 1. *Ep.* 20. 12. aut tineas pasces taciturnus inertes. *h. e.* a nemine laudatus aut lectus.

II.) Translate sumitur pro quieto, in quo nullus auditur strepitus. *Horat.* 3. *Od.* 29. 24. caretque Ripa vagis taciturna ventis. *Plaut. Curc.* 1. 1. 20. Valetne ostium? PH. Bellissimum hercle vidi et taciturnissimum. *Ovid.* 1. *Fast.* 425. animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu. *Propert.* 1. 18. 1. Loca deserta et taciturna.

**TĂCĬTUS**, a, um. *V.* TACEO.

**TĀCO**, onis. *V.* ZACHON.

**TACTĬCUS**, i, m. 2. τακτικός, qui est peritus ordinandi milites et aciem instruendi, *tattico. Veget.* 3. *Milit. præf.* Magister armorum, quos tacticos appellamus.

**TACTĬLIS**, e, adject. (tango) qui tangi potest, tangibilis, *tangibile*, ἁπτός. *Lucret.* 5. 152. Tactile nil nobis quod sit, contingere debet.

**TACTIM**, adverb. (tango) tangendo. *Probus Gramm.* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 279. et *Analect. Gramm. Vindob. p.* 379.

**TACTĬO**, ōnis, f. 3. (tango) actus tangendi, *toccamento, tocco*, ἅφις.

I.) Proprie, et quidem cum Acc., quasi infiniti vicem gerat. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 14. Quid tibi ergo meam me invito tactio est? *h. e.* quid meam rem tangis? *Id. Pœn.* 5. 5. 29. Quid tibi hanc digito tactio est? Adde *Cas.* 2. 6. 54. *et* 56. et *Aulul.* 3. 2. 9.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 20. Et qualis est hæc aurium, tales sunt oculorum et tactionum et odorationum et saporum.

**TACTOR**, ōris, m. 3. (tango) qui tangit. — Translate. *Augustin.* in *Ps.* 95. *n.* 6. Et quamvis magnus sit tactor organi Spiritus sanctus, tamen etc.

**TACTUS**, a, um, particip. *V.* TANGO.

**TACTUS**, us, m. 4. (tango) actus tangendi, tactio, ἀφή, ἅψις (It. *tocco, toccamento;* Fr. *attouchement;* Hisp. *tocamiento;* Germ. *das Berühren, die Berührung;* Angl. *a touching, touch*). ¶ 1. Active et quidem — *a*) Abstractorum more, est actus tangendi, tactio. *Lucret.* 1. 318. Signa manus dextras ostendunt attenuari Sæpe salutantum tactu. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 216. Chordæ intentæ ad quemque tactum respondent. *Virg.* 3. *G.* 502. aret Pellis et ad tactum tractanti dura resistit. *Id.* 7. *Æn.* 618. Abstinere tactu. *Id.* 2. *ibid.* 683. Flamma tactu innoxia. et 3. *G.* 416. Malo tactu vipera. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 38. 90. (221). Sanguis tactum non sentit. *Horat.* 3. *Od.* 2. 10. lacessere asperum tactu leonem. *Ovid.* 4. *Met.* 744. virga recens Vim rapuit monstri tactuque induruit hujus. *Id.* 2. *Pont.* 7. 13. Membra reformidant mollem quoque saucia tactum. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 316. Levis tactus. — Hinc translate. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 40. Is solis tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam sæpe comburat. *Id.* 2. *Divinat.* 46. 97. Tactus lunæ. *Orell.* tractus. *Virg.* 3. *Æn.* 138. cæli. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu est unus ex quinque corporis sensibus, in toto corpore æquabiliter fusus, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus, inquit *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. *ad fin. Lucret.* 2. 434. Tactus enim, tactus, pro, divum numina sancta, Corporis est sensus, vel quum vel res extera sese Insinuat, vel quum lædit quæ in corpore nata 'st etc. *Cic. Tim.* 5. Cælum sub a spectum et tactum cadit. *Id. Cæl.* 17. 42. Non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 36. 190. Tactus judicium adhibere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 4. 3. (10). Habere tactum atque gustatum. ¶ 2. Passive. *Lucret.* 1. 454. Tactus corporis cunctis, intactus inani. *tangibilità.* Cf. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (155). Terra — quos odores saporesque, quos sucos, quos tactus, quos colores (*generat*)!

**TÆDA** (teda), æ, f. 1. *Tædai* genet. sing. pro *tædæ* dixit suo more *Lucret.* 3. 897. aut quum tædai corpori adhærent. — Ratione habita etymi et scriptionis, hæc subjicimus. *Apul. De diphthong.* 27. Tæda ortum a Græco δᾷδα, quod significat luminare. Est igitur, inquit *Forcellinus*, a quarto casu Gr. δᾴς, δᾳδός, contracte a δαΐς, δαΐδος; unde diphthongus in antiquis libris, ut ait *Dausquius*, cui adsentiuntur *Cellarius* et *Voss.* in *Etymol.* Sunt tamen multi, qui *teda* scribunt: quos non damnaverim. — Tæda est genus arboris picem ferentis, ut pinus, picea (*Pinus Cembra* Linn.). *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 16., 17., 19. sex enumerat genera arborum, ex quibus pix defluit: et sextum, inquit, genus est tæda proprie dicta, abundantior suco, quam reliqua, parciore liquidioreque, quam in picea, flammis ac lumini sacrorum etiam grata. Hæ, mares dumtaxat, ferunt et eam, quam Græci sycen vocant, odoris gravissimi. Laricis morbus est, ut tæda fiat. Hæc *Plinius.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 21. (52). Pix liquida in Europa e tæda coquitur navalibus muniendis multosque alios ad usus. *Id.* 37. *ibid.* 3. 11. (43). Glessum pineæ arboris esse, indicio est pineus in attritu odor et quod accensum tædæ modo ac nidore flagret. *Id.* 35. *ibid.* 6. 25. (41). Atramentum laudatissimum fit e tædis. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (34). Assulis tædæ subjectis lanam oleo aspersam accendere. *Horat.* 4. *Od.* 4. 43. Ceu flamma per tædas vel Eurus Per Siculas equitavit undas. *Calpurn.* 2. *Ecl.* 28. Me Silvanus amat: dociles mihi donat avenas Et mea frondenti circumdat tempora tæda. *h. e.* pinu. ¶ 2. Latiore sensu, sappii arboris imas partes tædas vocant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (61).

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen dicitur de tabulis navium, ut *pinus. Juvenal.* 12. 57. I nunc et ventis animam committe, dolato Confisus ligno, digitis a morte remotus Quattuor aut septem, si sit latissima tæda. ¶ 2. Item de assulis tædæ aliusve arboris facile ardentis, *facella, fiaccola, fuscello, face. Vitruv.* 7. 10. Sarmenta aut schidias tædæ comburere. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. (et 2. *ibid.* 11.) Completas onerarias naves tæda, pice, stuppa reliquisque rebus, quæ sunt ad incendia, in Pomponianam classem immisit. *Ovid.* 4. *Fast.* 741. Ure mares oleas tædamque herbasque Sabinas. *Id.* 8. *Met.* 460. tædasque in fragmina poni Imperat et positis inimicos admovet ignes. et 3. *ibid.* 373. summis circumlita tædis Admotam rapiunt vivacia sulfura flammam. *Val. Flacc.* 2. 235. Injicere tædas ad fastigia tectorum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 106. 110. (236). In Lycia Hephæstii montes tæda flammante tacti, flagrant adeo ut etc. *Ovid.* 3. *Art. am.* 573. Ignibus hic lentis uretur, ut humida tæda. — Plurimus apud veteres fuit tædarum usus; et quidem — *a*) In sacris. *Id. Heroid.* 12. 34. Ardet ut ad magnos pinea tæda deos. *Id.* 4. *Fast.* 492. *de Cerere.* accendit geminas pro lampade pinus: Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur. *Juvenal.* 2. 91. Talia secreta coluerunt Orgia tæda. *et ibid.* 157. cuperent lustrari, siqua darentur Sulfura cum tædis. — Est etiam *tæda* arvina in exiguas miculas catillaminum insecta de more, quæ in sacris adhibebatur. Ita *Arnob.* 7. *p.* 230. — *b*) In exsequiis, in quibus inversæ præferebantur. *Sil. It.* 2. 184. et 13. 547. — *c*) In nuptiis, in quibus faces præferebantur: quia mos erat sponsam noctu deducere: et Hymenæus cum facibus pingitur; unde metonymice *tæda* ipsas nuptias significat. *Ovid. Heroid.* 4. 121. ne nupta quidem tædaque accepta jugali. *Id.* 9. *Met.* 721. Conjugii pactæque exspectat tempora tædæ. *Id. Heroid.* 6. 134. Me tibi teque mihi tæda pudica dedit. *Propert.* 3. 17. 25. At vos, innuptæ, fa-

licius urita tædas. Seneca Œd ip. 500. Concutit tædas geminus Cupido. Virg. 4. Æn. 18. Si non pertæsum thalami tædæque fuisset. Stat. 3. Silv. 4. 53. Tædas jungere. Ovid. 4. Met. 326. Dignari aliquam tæda. Seneca Herc. Fur. 493. Copulari tædis. Martial. 6. 2. sacræ connubia fallere tædæ. h. e. adulterium admittere. Propert. 1. 8. 21. Nam me non aliæ poterunt corrumpere tædæ. h. e. alius amor. — d) In tormentis, in quibus torquentes hujusmodi instrumento utebantur. Lucret. 3. 1031. Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ. Juvenal. 1. 155. Pone Tigellinum; tæda lucebis in illa, Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant. V. SUPERVESTIO.

TÆDĀCĔUS (tedaceus), a, um, adject. (tæda) ad tædam pertinens, seu qui ex tæda fit. Apul. De mag. Idque se ait Crassus tædaceo fumo et avium plumis comperisse. Ita edidit Oudendorpius, alii minus recte a cæde et fumo; alii potius tædæ fumo.

TÆDĔO (tedeo), tædes, tædŭi, tæsum, tædere, n. 2. Deponentis forma tædeor, eris, vulgo usurpata videtur. Vulg. interpr. It. Phil. 2. 26., ubi pro mœstus erat, ut habet Noster, legitur tædebatur. — Ratione habita etymi, hæc tradit Apul. De diphth. 27. Tædet a Græco tailon, quod significat longum, per conversionem ai in ae et l in d; longitudo enim atque prolixitas actionis sive passionis alicujus tædium generare solet. At hodierni etymologi, duriore hac notatione neglecta, vocem derivant a Skr. tad, fatigare, vexare. — Part. Tædens sub A 2.° a. — Tædeo usurpatur aliquando A) Personaliter; sæpius vero B) Impersonaliter.

A) Personaliter tædeo, tædes, tædui, tædere. Priscian. 11. p. 922. Putsch. Gloss. Philox. Tædeo, ἀηδίζομαι, ἐξαπορούμαι. Claud. Plot. Sacerd. p. 450. 13. Keil. et Cledon. Art. p. 1915. Putsch. Id. p. 1928. ibid. Pudens, tædens, pœnitens (dubium est), utrum faciat ab impersonali verbo. — 1.°) Transitive est tædio afficio (It. annoiare, attediare; Fr. ennuyer, facher; Hisp. enfadar, molestar; Germ. langweilen, verdriesslich machen; Angl. to tire, annoy). Lactant. 4. 19. ex Jerem. 15. 9. Exterrita est, quæ parit et tæduit animam. Vulgat. habet: Defecit anima ejus. — 2.°) Neutrorum more, tædio affici vel capi. — a) Cum Genet. Hieronym. Vit. Malch. n. 7. Cœpi tædere captivitatis et monasterii cellulas quærere. attediarmi, prender fastidio, angustiarmi. et Avien. Carm. 4. 327. Nonne piger lucri quisquis tædensque laboris Insanire putet? — b) Cum Infinito. Sidon. 8. Ep. 15. Operis arreptio fasce perspecto, tæduit inchoasse.

B) Impersonaliter tædet, tædebat, tæsum est, tædere, tædium capio, rincrescere, dar noia, increscere, ἄχθομαι. Construitur — a) Cum Genet. rei. Plaut. Cas. a. 1. v. 54. Abeo intro: tædet sermonis mei. Ter. Eun. 2. 3. 5. deleo omnes dehinc ex animo mulieres: Tædet cotidianarum harum formarum. Cæcil. apud Gell. 2. 23. Tædet mentionis: quæ (uxor) mihi extemplo savium dat jejuna anima. — b) Cum Acc. personæ. Ter. Eun. 3. 2. 11 Me tædet. Cic. 2. Att. 22. Tædet ipsum Pompejum — c) Cum Acc. pers. et Gen. rei simul. Plaut. Most. 1. 4. 4. Ita me ibi male convivii sermonisque tæsum est. Cic. 2. Verr. 12. 35. Sunt homines, quos libidinis infamiæque suæ neque pudeat neque tædeat. Id. 5. Att. 16. Tædet nos vitæ. — d) Cum Infinito. Ter. Phorm. 3. 2. 2. At enim tædet jam audire eadem miliens.

TÆDEOR, ēris. V. voc. præc. init.

TÆDESCIT (tedescit), ebat, ere, n. 3. inchoat. a tædet, idem ac tædet. Minut. Octav. 28. extr. Quos prius tædescit impudicitiæ suæ, quam pudescit.

TÆDET. V. TÆDEO.

TÆDĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (tæda et fero) qui tædam fert, δᾳδοφόρος. Tædifera dea est Ceres, quæ dicitur tædas ad ignem Ætnæ inflammasse, quum investigare vellet filiam Proserpinam a Plutone raptam: cujus etiam sacra noctu fiebant; in quibus sacerdotes deam imitati faces deferebant. Ovid. Heroid. 2. 42. Et per tædiferæ mystica sacra deæ. V. DADUCHUS.

TÆDĬO (tedio), as, āvi, are, n. 1. (tædium) Tædior, aris, deponentis forma, apud Vulgat. interpr. Ital. Tob. 10. 6. et Marc. 14. 33. et Mar. Victorin. in ep. ad Phil. 2. 26. — Part. Tædians. — Tædio est tædio afficior, fastidio, tediarsi. Lamprid. Alex. Sev. 29. Si necessitas cogeret, ante lucem actis operam dabat et in longam horam producebat: neque umquam tædiavit aut morosus aut iratus resedit. Casaubono ad h. l. videtur verbum hoc elegantissimum: mihi non item, inquit Forcellinus. et Tertull. advers. Jud. 11. a med. ex Deuter. 28. 65. Dabit tibi Deus cor tædians et tabescentem animam. Vulgat. habet: Cor pavidum et animam consumptam mœrore. — Tædians animal apud Veget. 1. Veterin. 17. a med. et 3. ibid. 2. et 68. est fastidio cibi laborans.

TÆDĬOR, āris. V. voc. præced. init.

TÆDĬŌSĒ (tediose), adverb. (tædiosus) cum tædio. Apul. De deo Socrat. Ventis tædiose abnuentibus. Alii aliter leg. et Gloss. Philox. Tædiose, ἀηδῶς. Gramm. apud A. Maium in Class. Auct. T. 8. p. 3. Perexiles tantum de induviis netus tædiose sumpsere.

TÆDĬŌSUS (tediosus), a, um, adject. (tædium). tædii plenus (It. tedioso; Fr. ennuyeux; Hisp. cansoso, enfadoso; Germ. ekelhaft, verdriesslich; Angl. tedious, tiresome). Firmic. 1. Mathes. 3. sub fin. Ille invisus longam ac tædiosam lucis sustinet sarcinam. Gloss. Gr. Lat. Σιχχαντός, tædiosus, teter.

TÆDĬUM (tedium), ĭi, n. 2. (tædeo) fastidium, satietas, ἄχθος, οἶκχος (It. noia, fastidio, increscimento, tedio; Fr. dégoût, ennui; Hisp. enfado, molestia; Germ. der Ekel; Angl. tediousness, ennui).

I.) Proprie. — a) Cum Genet. rei, quæ tædium affert. Sall. Jug. 62. sub fin. Quum tædio rerum adversarum omnia bello potiora duceret. Liv. 8. 2. Ipsos belli culpa sua contracti tædium cepit. Ovid. 9. Met. 615. (et Gell. 7. 18. extr.) Capere tædium alicujus rei. Id. 13. Met. 213. ut longi tædia belli Mente ferant placida. Tac. 13. Ann. 2. Tædium movere sui. dar noja. et 12. ibid. 39. Tædio curarum fessus. Justin. 31. 1. sub fin. Quietis urbanæ novas belli causas circumspicere. Auct. B. Alex. 23. Multitudo confecta tædio puellæ (Arsinoes). Plin. 1. Ep. 8. Libenter educationis tædium laboremque suscipere. Plin. alter 30. Hist. nat. 15. 51. (145). Ova noctuæ data in vino tædium ejus adducunt. Id. 8. ibid. 43. 68. (168). Tædium aquarum asinis. h. e. ut aquas pedibus tangere reformident. Quintil. 2. 2. 6. Parere tædium laboris. Gell. 9. 4. a med. Tenuit nos non idoneæ scripturæ tædium. — b) Cum Abl. et præp. de. Ovid. 4. Pont. 7. 3. Tædia fieri vobis de consimili carmine. — c) Absolute. Horat. 1. Id. 14. 17. Nuper sollicitum quæ mihi tædium etc. Tibull. 1. 4. 16. Ne te capiant tædia. Liv. 34. 34. Oppugnatio urbium obsidentibus prius sæpe, quam obsessis, tædium affert. Petron. Sat. 37. Tædio fatigatus. Plin. 8. Ep. 18. a med. Vir ita perditus morbo, ut esse tædio posset uxori. Id. 3. Ep. 9. circa med. Satietate et tædio languescere. Quintil. 8. 3. a med. Aliqua varietatis gratia levare tædium. Id. 4. 2. 22. Figuris variare expositionem ad effugiendum tædium. et 10. 1. 31. Tædium evitare. Ovid. 1. Art. am. 718. tollere. Id. 3. Pont. 7. 3. facere alicui. Tac. 6. Ann. 7. extr. Tædio aliquem afficere. Juvenal. 7. 34. Tædia tunc subeunt animos. Plin. 31. Hist. nat. 3. 21. (34). Animalia, quæ tædium faciunt. schifosi o fastidiosi, ut culices, muscæ etc.

II.) Metonymice de iis, quæ tædium faciunt. Id. 26. ibid. 13. 86. (138). tædium vocat morbum phthiriasis. et ibid. 1. 3. (3). lichenas seu mentagram. et 34. ibid. 18. 50. (167). muscas et culices. Non sunt, inquit, ea tædia in metallis. Id. 28. ibid. 11. 46. (163). Cornus corvini cinis prodest, ut tædia animalium capillis non increscant. non nascano pidocchi. et 29. ibid. 6. 39. (141). Blattarum genus odoris tædio invisum. Id. 15. ibid. 2. 3. (7). Vetustas oleo tædium affert. rancidume, rancidezza. et 19. ibid. 6. 34. (111) de allio. Tædium huic quoque halitu, ut cæpis. Adde Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 4. 1904. — De morbo. Marcell. Empir. p. 390. ed. Ald. In recenti tædio hoc remedium ter factum subveniet, in vetere vero tædio sæpius fieri oportet. Adde Theod. Priscian. 1. 10.

TÆDŬLUS, a, um, adject. (tædeo) Fest. p. 360. 29. Müll. Tædulum antiqui interdum pro fastidioso: interdum quod omnibus tædio esset, ponere soliti sunt.

TÆNĀRĬUS, a, um, adject. Ταινάριος, ad Tænarum pertinens, quod nomen est proprium montis ac promontorii Peloponnesi. V. ONOM. Hinc Tænarius dicitur ¶ 1. De marmore coloris nigri. (Cf. Corsi Delle pietre antich. p. 208.) Plin. 36. Hist. nat. 18. 29. (135). Sunt et nigri lapides, quorum auctoritas venit in marmora, sicut Tænarius. Propert. 3. 1. 49. Tænariis fulta columnis domus. h. e. di nero antico. Cf. Tibull. 3. 3. 15. ¶ 2. Item de purpura, quæ, teste Plin. 9. Hist. nat. 36. 60., laudatissima in mari circa Tænarum promontorium capiebatur. Val. Flacc. 1. 427. Illis Tænario pariter tremit ignea fuco Purpura. Id. 5. 513. Accipe Tænarii chlamydem de sanguine aheni. Stat. 7. Theb. 650. Tænaria palla.

TÆNĬA, æ, f. 1. ταινία, limbus, fasciola, vitta lanea in modum coronæ: cujusmodi sunt, quibus Turcæ pilea sua circumdant: vel ex corona dependens, uti sunt, quæ retro ex mitra Episcoporum descendunt: vel quæ etiam fortasse capillis circum tempora alligandis inserviunt (It. fascetta, nastro, striscia, benda; Fr. bande, bandau; Hisp. venda, ligadura; Germ. der Band, die Binde; Angl. a woollen filled).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Festus p. 360. 21. Müll. Tænias, Græcam vocem, sic interpretatur Verrius, ut dicat, ornamentum esse laneum capitis honorati. Enn. ibid. Volans de cælo cum corona et tæniis. Virg. 5. Æn. 269. Puniceis ibant evincti tempora tæniis. Ubi Servius. Vittis roseis: et significat lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus et discoloribus fasciis: et, sicut Varro dicit, magni honoris sunt. Tæniis autem modo vittis: alias vittarum extremitates dicit, ut (7. Æn. 352.) fit tortile collo Aurum ingens coluber: fit longæ tænia vittæ Innectitque comas. Martial. 14. 24. Tænia ne madidos violet bombycina crines. ¶ 2. Latiore sensu, fascia est quam puellæ sub veste gerebant, pectoralis. Apul. 10. Met. ¶ 3. Item cingulum pectorale equorum jugalium. Id. 9. Met. ¶ 4. Item fascia, qua vulnera alligantur. Cæcil. apud Fest. loc. cit. Dum tæniam, qui vulnus vinciret, petit. ¶ 5. Et qua apud Græcos involvebantur cadavera. Id. ibid. Sepulcrum plenum tæniarum, ita ut solet. ¶ 6. Et lemniscus, h. e. lanea instita insertis floribus et frondibus, festone, ad ornatum postium in ædibus. Accius ibid. (deos seu tumulum) decorare est satius, quam urbem, tæniis.

II.) Improprie, a similitudine. ¶ 1. Sunt in chartis tæniæ, veluti fasciæ et inanes ductus in rectum procurrentes, qui vel glutine carent vel corrupti sunt. Plin. 13. Hist. nat. 12. 25. (81). Deprehenditur et lentigo oculis: sed inserta mediis glutinamentis tænia fungo papyri bibula, vix, nisi littera (h. e. scriptura) fundente se. ¶ 2. Id. 3. proœm. ad fin. de freto Gaditano loquens, tænias candicantis freti vocat veluti fascias longo tractu candicantes, e cautibus in fundo maris apparentibus, ubi aqua minus alta est. Unde purpurarum genus, quæ in his inveniuntur, tæniense dicitur, ut est apud eund. 9. ibid 37. 61. (131). ¶ 3. In architectura tænia est membrum in stylobate, epistylio aut capitulo, paullulum projectum et in modum regulæ procedens, simile plintho, sed exilius, quadretto, lista, listello, corrente, faccia. Vitruv. 4. 3. ante med. ¶ 4. Sunt etiam tæniæ in ventre hominum lumbrici tenues, latiusculi et mira longitudine, aliquando tricenum pedum, aliquando et plu-

rium, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 33. 38. (113). et alii docent. *Id.* 20. *ibid.* 15. 59. (167). Dant capparim ad tænias in aceto et melle. *Id.* 31 *ibid.* 9. 45. (101). Sal tæniarum genera pellit in vino potus. *Seren. Sammon* 30. 563. Quid non adversum miseris mortalibus addit Natura, interno cum viscere tænia serpens Et lumbricus edax vivant inimica creanti? Est qui leg. *tinea:* sed hæc primam corripit. Adde *Caton. R. R.* 126. ¶ 5. Est hoc nomine et piscis gracilis et oblongus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (76). Idem præstat tæniæ jecur siccatum cum oleo cedrino. *Sillig.* thynni. ¶ 6. Denique in sacris est porrectio intestini, per quam prolavies editur, sucis perexsiccata vitalibus inquit *Arnob.* 7. p. 230. *V.* NENIA.

TÆNĬENSIS, e, adject. (tænia) ad tænias pertinens. *Tæniense* genus purpurarum apud *Plin.* quid sit, dictum est in voce præced. sub II. 2.

TÆNĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* tænia, parva tænia, ταινίδιον. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ante med.* Ita, ut radix ejus liquido fimo illita et involuta tribus algæ tæniolis pangatur. *h. e.* quibusdam quasi fasciolis.

TÆPŎCON, inquit *Festus* p. 359. 20. *Müll.*, appellarunt Græci genus scribendi deorsum versus, ut nunc dextrorsum scribimus. Ad quem loc. *Scalig.* Œdipode, inquit, opus est. Porro hujusmodi scripturæ genus Græci κιονηδόν vocant. Hæc autem habet *Mazochius* ad *Vossii Etymol.* in V. *Littera.* Tusca vox est ex oriente petita. Nam est, ut jam alii ante me perviderunt, ab Hebr. תהפוך *tahaphoc,* vertes, *scil.* 2. p. fut. vel bi הפך *haphac,* vertit. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 829. Alii tamen leg. *toeporchon,* h. e. τὸ ἐπ' ὄρχον. V. *Müllerum.*

TÆTER. *V.* TETER.

TĂGAX, ācis, adject. omn. gen. Ducitur a *tago* pro *tango,* qua circumvenire et fraudare significat. — Tagax itaque est furunculus, *ladroncello.* Hinc *manus tagax* ex *Lucilio* apud *Non.* p. 408. 33. *Merc.* et *Paul. Diac. Festi epitom.* p. 359. 13. *Müll.* est furax. *Cic.* 6. *Att.* 3. Quæstor levis, libidinosus, tagax. Est qui leg. *sagax,* quod hic locum habere non videtur.

TĂGĒNĬA, ōrum, n. plur. 2. ταγηνίαι, pisces, qui muria condiri solent. *Plaut.* in *fragm.* apud *Fest.* in *Narita* p. 166. 23. *Müll.*, ubi alii aliter leg. Apud *Athenæum* l. 14. ταγηνίαι sunt placentarum genus.

TĂGĒTES. *V.* TRAGANTHES.

TAGMA, ătis, n. 3. τάγμα, ordo, collegium. *Inscript.* apud *Jos. de Hammer Mithriac.* p. 99. ABSOLVIT MART. AGRIANO CEBESIO PATre ET PONT. SC. TAG. (*h. e.* sacri tagmatis) DEI MAGNI (*h. e.* Mithræ) FABIO ET SYMMACHO COSS. *h. e.* ann. CCCXCI.

TĂGO. *V.* TANGO.

TĂLANTUM. *V.* TALENTUM.

TĀLĀRĬA, ium, n. plur. 3. *V.* voc. seq.

TĀLĀRIS, e, adject. (talus) est ad talum pertinens, sed, pro diversa hujus vocis vi, diversa significat.

I.) *Talaris,* a *talus* qua est pars pedis. *Cic.* 7. *Verr.* 13. 31. (*et ibid.* 33. 86. et 2 *Cat.* 10. 22.) Quum iste cum pallio purpureo talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus. *talare,* χιτῶνι ποδήρει, ποδηνεκεῖ. Tunicas demissicias *Plaut. Pœn.* 5. 5. 24. appellat. Adde *Hieronym. Ep.* 64. et *Lactant.* 4. 14. *Fronto De fer. Als.* p. 220. 20. *N.* Talaris ornatus. — *Talares calcei.* V. SUBTALARIS. — Hinc

*Talaria, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more ¶ 1. Sunt partes pedum circa talos. *Seneca Ep.* 53. *circa med.* Morbum, qui talaria cœpit intendere, necesse est podagram fateri. ¶ 2. Item calceamenta alata, qualia Mercurio tribuuntur, πτερόεντα πέδιλα. *Virg.* 4. *Æn.* 239. pedibus talaria nectit Aurea, quæ sublimem alis sive æquora supra Seu terram portant. Sic *Capell.* 1. p. 5. Ipse (*Mercurius*) pedibus talaria nectit aurea. Cf. *Homer. Odyss.* 5. 44. et *Voss. Myth. Briefe* p. 119. *et seqq. Ovid.* 4. *Met.* 666. *de Perseo.* Et liquidum motis talaribus aera findit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. *ad fin.* Minerva quinta, cui pinnarum talaria affingunt. Adde *Propert.* 2. 23. 57. — *Talaria induere.* parare fugam. *Cic.* 14. *Att.* 21. *sub fin.* Nemo est istorum, qui otium non timeat. quare talaria induamus. Alii leg. *videamus,* nihil mutata sententia. *videamus* enim est paremus, nobis comparemus, *provvediamoci di scarpe alate* ¶ 3. De ima veste, quæ talos contingit *Ovid* 10. *Met.* 591. *de Atalanta currente.* Aura refert oblata citis talaria plantis. *h. e.* retro fert et reflat tunicam talarem. ¶ 4. *Talaria,* tormenti genus. *V.* TABULARIS.

II.) *Talaris,* a *talus,* qua est tessera lusoria. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Ipsam feri sanctitatem ludorum talarium licentia solvere. *giuoco di dadi.* V. voc. seq.

TĀLĀRĬUS, a, um, adject. (talus) idem ac talaris. ¶ 1. Qua est a talo parte pedis. *Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 444. Ante Ciceronem ita mulieres ut viri succingebant suas tunicas, quas subarmales vocant; sed Cicero primus instituit, ut feminarum tunicæ ad talos usque dependerent, propter varices operiendas, quæ tunicæ talariæ dicuntur. ¶ 2. Qua est a talo tesseram lusoriam significanti. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Adde unguentarios, saltatores totumque ludum talarium. *Id.* 1. *Att.* 16. Non enim umquam turpior in ludo talario consessus fuit. *h. e.* in loco, quo aleatores conveniunt. Adde *Fronton. De orat.* p. 160. 3. *N.* Cf. *M. Hertz Ind. lect. æstiv.* — *Lex talaria,* de talorum ludo recte et sine fraude exercendo. Hinc ambigue et festive *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 1. Ni hercle defregeritis talos, posthac quemque in tegulis videritis alienum; ego vestra faciam latera lorea. *et ibid.* 9. Ne legi fraudem faciam talariæ, accuratote, ut sine talis domi agitent convivium. Ita *Forcellinus.* Recentiores tamen leg. *alariæ.*

TĀLĀSĬO, Talassio, onis, m. 3. *et* Talassus, i, *seu* Talassius, ii, m. 2. ¶ 1. Est vox, qua apud Romanos, sponsa sponsi domum ingrediente, magna voce clamabatur, quemadmodum in itinere tres illi prætextati pueri, a quibus deducebatur, respondentibus vicissim pueris puellisque, clara voce concinebant *Hymen, o Hymenæe.* — Quidam dicunt carmen nuptiale fuisse, et deum ipsum nuptiarum præsidem, quem Græci vocant Hymenæum. Ab aliis vero scriptum est, fuisse deum virginitatis. — De nominis causa sic *Liv.* 1. 9., ubi de raptu Sabinarum: Unam longe ante alias specie ac pulcritudine insignem a globo Talasii cujusdam raptam ferunt, multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, nequis eam violaret, Talasio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 655. Hinc etiam apud Romanos Talassio invocatur. Quum enim in raptu Sabinarum plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferretur ab aliis, Talassionis eam ducis nobilis esse simulavit: cujus nominis fuit puellæ tuta virginitas. Non absimilem historiam narrat *Plutarch.* in *Romulo* et *Quæst. Rom.* Sed in his alteram quoque adducit nominis causam, ut nempe sit a lanificio, quia Græci τοὺς ταλάρους, hoc est calathos sive quasillos quibus lana continaretur ταλάσους quoque appellarent: in nuptiis autem eam vocem usurpatam, ut novæ nuptæ ad opera et labores ac lanificia in primis excitarentur. Eadem *Varronis* sententia fuit apud *Festum* p. 351. 27. *Müll.*, qui addit, quemdam historiarum scriptorem dicere, virum Talassium nomine rapuisse virginem eximia pulcritudine: et quod ei id conjugium fuerit felix, boni ominis gratia nunc redintegrari. Sunt etiam, qui censent, quia salsedo stimulet Venerem; unde et Venus e mari orta fingitur; hinc Talasionem seu Talassionem vel potius Thalassionem, appellatum a θάλασσα, hoc est mare. Ita *Forcell.* Sunt ex recentioribus qui conferunt cum τελέθω et γάμοιο τέλος apud *Homer. Od.* 20. 74., ut Ἥρη τελεία; vel cum τᾶλις apud *Soph. Ant.* 629. V. *Döderlein* v. 6. p. 362. et *Hartung Rel.* II. p. 246. — Hoc sensu apud *Martial.* 1. 36. Quid si me jubeas Talassionem Verbis dicere non Talassionis? et 12. 42. Nec tua defuerunt verba, Talasse, tibi. *et Catull.* 61. 134. Lubet jam servire Talassio. ¶ 2. *Talassio* est etiam actus ipse Venerius. *Martial.* 12. 96. sed puella Sit tecum tua, ne Talassionem Indicas manibus libidinosis.

TĂLASSA. *V.* THALASSA.

TĂLASSĬO et

TĂLASSĬUS et

TĂLASSUS. *V.* TALASIO.

TĀLAX, ācis, adject. omn. gen. (talus) idem ac scaurus. *Gloss. Isid.* Talax, scaurus. Hinc in *Excerpt. Pithœi,* ubi legitur *telax, stamus,* legendum videtur *talax, scaurus.*

TĀLĔA (talia), æ, f. 1. Scribitur et *talia* apud *Seren. Sammon. loc. cit.*, ut leg. nonnulli: ducitur autem a Gr. θάλλω, floreo, unde θαλία et θάλεια, flos; *Non.* tamen p. 414. 25. *Merc.* derivat a rustico *talio* sive *intertalio, as,* quod est dividere, Ital. *tagliare.* Porro ex recentioribus alii conferunt cum v. *talus,* alii rectius *Nonio* adstipulantur. V. *Vaniçek.* p. 1085. — Primam licenter producit *Seren. Sammon. loc. cit.* Ita *Forcellinus* noster; sed quo argumento licenter id factum affirmet, nullus video. — Talia igitur proprie est baculus, virga (It. *pezzo di legno, stecco, scheggia;* Fr. *petit pieu ou piquet;* Hisp. *estaquilla, astilla;* Germ. *e. Stäbchen;* Angl. *small stake, coach, chip*). ¶ 1. Generatim. *Non. loc. cit.* Taleas scissiones lignorum vel præsegmina Varro dicit; nam etiamnum intertaliare rustica voce dicitur dividere vel excidere ramum. *et mox.* Ex utraque parte æqualiter præcisum, quas alii clabulas, alii taleas appellant. ¶ 2. Hinc speciatim ac sæpe est id, quod ab arbore reciditur, ut in solo depangatur ac plantetur, surculus præcisus ex utraque parte, ut in terra inseratur, quemadmodum illud, quod inseritur ramo, *calamus* vocatur; præcisis enim lignis vel pedali vel cubitali magnitudine, nonnullæ arbores seruntur, *taglia, piantone,* πάσσαλος, θαλία, θάλεια. *Varro* 1. *R. R.* 40. Demum in oleaginis seminibus videndum, ut sit de tenero ramo ex utraque parte æquabiliter præcisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 17. 28. (124). Myrtus et taleis seritur, morus talea tantum, quoniam in ulmo eam inseri religio fulgurum prohibet. Quapropter de talearum satu nunc dicendum est. Servandum in eo ante omnia, ut taleæ ex feracibus fiant arboribus, ne curvæ neve scabræ aut bifurcæ neve tenuiores, quam ut manum impleant, ne minores pedalibus; ut illibato cortice atque ut sectura inferior ponatur semper et quod erit ab radice, accumuleturque germinatio terra, donec robur planta capiat. Hæc *Plin. Cato R. R.* 45. Taleas oleagineas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 31. et 33. *ad fin.* ¶ 3. Et quivis ramus aut surculus. *Seren. Sammon.* 12. 167. Fraxinea in flammis quem fundit talea sucum. ¶ 4. Quas *taleas* ferreas memorat *Cæs.* 5. *B. G.* 12. iisque pro nummo usos esse Britannos dicit, intelligit breves regulas aut lamellas quadratas et oblongas ex ferro: cujusmodi hodie apud Indos alicubi ex ære aut argento pro pecunia in usu esse accepimus, inquit *Forcell.* Sed ibi varia est lectio: etenim pro *taleis* alii leg. *anulis,* alii *lanceis,* alii conjiciunt legend. *talis,* quod vero similius videtur. — *Id. B. G.* 73. *sub fin.* Taleæ pedem longæ ferreis hamis infixis in terram infodiebantur. *h. e.* breves paxilli præfixi ferro, quos stimulos vocabant. *V.* STIMULUS. ¶ 5. In architectura *taleæ* sunt trabeculæ, quibus murorum compages intus colligantur, *chiavi. Vitruv.* 1. 5. Tum in crassitudine ejus (*muri oppidorum*) perpetuæ taleæ oleagineæ ustulatæ quam creberrime instruantur: uti utræque muri frontes inter se, quemadmodum fibulis, his taleis colligatæ æternam habeant firmitatem.

Homonym. Inter *clavam* seu *clavolam* et *taleam* (quas *Varro loc. cit.* pro eodem habere videtur) discrimen esse significat *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *ante med.* Citri arbor quattuor modis seritur, semine, ramo, talea, clava. *et mox* tradit utriusque pangendæ rationem. Differentiam autem ponit tum in eo, quod *talea* bre-

vior et gracilior esse potest, quam *clava*, quæ a talea etiam manubrii crassitudine distinguitur: tum in eo, quod *talea* ita mergi debet, ut aliqua parte exstet. *clava* tota obruenda.

TĀLENTĀRĬUS, a, um, adject. (talentum) ad talentum pertinens ut Talentariæ balistæ apud *Sisenn.* (referente *Non* p 555 27. *Merc.*) sunt quæ saxa jaciunt pondo talenti, h. e. librarum sexaginta, si talentum Atticum minus: vel octoginta, si majus accipias: sicut centenariæ apud *Lucil. ibid.*, quæ pondo centum.

TĂLENTUM, i, n. 2. In *Gloss.* legitur etiam *talantum* a Gr. ταλάω vel τλάω, fero, porto, unde τάλαντον, libra et pondus. — Genet. plur. *talentûm* pro *talentorum* dixit *Cic. Rabir. Post.* 21. 8. Sic *Liv.* 30. 16. etc., *Curt.* 4. 11. 43. *et* 5. 2. 8. etc., *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 40. (80)., *Justin.* 12. 12. 12. *t* 33. 2. 5. etc. (V. *Neue Form.* 1. 106.): cf *sestertium, nummûm, modiûm* etc.; sed et *talentorum* occurrit apud *Sueton. Cæs.* 54., *Plin.* 33. infra *cit.* etc. — Talentum significat tum *A*) Certum pondus; tum *B*) Summam pecuniæ.

*A*) *Talentum*, qua pondus, valebat sexaginta minas. (Græce stateram, libram, lancem, trutinam significat.)

I.) Proprie. *Rhem. Fann. de ponderib.* 37. Cecropium superest post hæc docuisse talentum, Sexaginta minas seu vis sex milia drachmas, Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis. Nam nihil bis obolove minus majusve talento. *Virg.* 11. *Æn.* 333. oratores Munera portantes aurique eborisque talenta. Quia, inquit *Servius*, et ebur ad pondus venditur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (44). Præcipua magnitudine thynni invenimus talenta quindecim pependisse. *Id.* 12. *ibid.* 17. 40. (80). Herodotus tradit, singula milia talentum turis annua pensitasse Arabas regibus Persarum. — Apud Hebræos valebat tria milia siclorum (qui sunt nunc circiter kg. 42, 533.). *Exod.* 38. 24. *et* 25. *et alibi.* Cf. *Vigouroux Manual. Bibl.* etc. *p.* 361. ed. It.

II.) Translate. *Hieronym.* 2. in *Isai.* 5. 18. Plaustrum autem plenum oneratumque peccatis facilius intelligunt, qui meminerint scriptum in Zacharia (5. 7.), impietatem sedere super talentum plumbi et Ægyptios, qui gravi peccatorum sarcina premebantur, quasi plumbum in mare Rubrum esse demersum. Adde *Vulgat. interpr. Apoc.* 16. 25.

*B*) *Talentum*, qua est summa certa pecuniæ, efficit pariter sexaginta minas. Mina centum drachmas habet: drachma fere, qua est moneta, denario Romano respondet. *V.* ARGENTEUS, DENARIUS et DRACHMA. Itaque talentum valet drachmis sex millibus: quæ sunt Romanorum HS. viginti quattuor milia, nam quattuor HS. denarium faciunt, et circiter mille *ducatus*, qui dicebantur, Veneti; vel, ex *Richii* computatione, quinque milia octingentæ viginti tres libellæ Italicæ. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 91. Quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præsertim, maxima. *Id. Rabir. Post.* 8. 21. Vociferabare, decem milia talentum Gabinio esse promissa. *Virg.* 5. *Æn.* 112. ostro Perfusæ vestes, argenti aurique talenta. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 3. 226. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (76). Docuit neminem minoris talento annis decem. *Id.* 33. *ibid.* 3. 15. (51). Argenti quingenta milia talentorum reportavit. — Hinc allegorice. *Vulgat. interpr. Matth.* 25. 14. Homo, peregre proficiscens, vocavit servos suos et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem etc. — Quæ dicimus de pretio talenti, confirmantur a *Senec.* 5. *Controv.* 34. *a med.*, a *Varron.* apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (136)., a *Plaut. Most.* 3. 1. 115. et 3. 3. 16., ubi duo talenta dicuntur efficere minas CXX., a *Gell.* 3. 17., ubi tria talenta fieri ait summam septuaginta duo mil. HS., a *Festo p.* 559. 20. *Müll.* et a *Servio* ad *Virg.* 5. *Æn.* 112. et ad *eund.* 9. *ibid.* 265., nisi quod ubi *libras* dicit, minæ intelligendæ sunt: denique a *Priscian. de ponderib. p.* 1348. *Putsch.* — Apud Hebræos olim *talentum*, si aureum, valebat circiter centum et triginta duo-milia l bell. Ital.; si argenteum, octo mil. et quingentas. Dubitarunt quidam, an talentum Hebraicum post Davidem et Salomonem ejusdem pretii fuerit. Fuisse censet et argumentis firmat *Tirinus* in *Proleg. de pond. et monet.* § ult.

*NB.* Præter talentum Atticum commune, quod fere scriptores Latini intelligunt, nisi aliud notetur, fuit alterum talenti Attici genus, quod *majus* vel *magnum* vocant, habens ad illud, quod priore loco diximus, proportionem sesquitertiam: h. e. LXXX. minas continens vel LXXXIII. unc. IV., ut ait *Priscian.* De hoc est illud *Liv.* 38. 38. Argenti probi duodecim milia Attica talenta dato. Talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. — Interdum tamen scriptores *talentum magnum* vocant, quod posteriore loco descripsimus. *Plaut. Most.* 3. 1. 114. Quanti ædes destinat? TRA. talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus. Eodem modo intelligendus est *id. Cist.* 2. 3. 19. et *Gracch.* apud *Gell.* 11. 10. *sub fin.* Magnum enim dixere Latini talentum Atticum præ aliarum nationum talentis, quæ minoris æstimationis fuerunt, ut Rhodium, Alexandrinum, sive Ægyptium, Neapolitanum, Syracusanum, Rheginum: quæ enumerantur a *Festo loc. cit.*, suo cuique pretio attributo. Ceterum, qui accuratiorem de tota talenti ratione disputationem cupit, adeat *Gronov. De pecun. Vet.*, *Salmas. De modo usur.*, *Budæum De asse*, *Voss.* in *Etymol.*; speciatim vero de Hebr. *Cornel. A. Lapide De mens. et pond. Hebr.* et *Græc.*, *Ackerm.* § 115. *et seq.*, *Cavedoni* in *Numism. Bibl. p.* 137. *et seq.*, *Saulcy* in *Recherch. sur la numism. Jud.*, *Madden* in *History of jewish coinage*, *Hager* in *Münzen d. Bibel* etc.

TĂLĔŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* talea, parva talea, ξυλάριον. *Colum.* 3. *R. R.* 17. Complures taleolas terræ mandaverunt. *Id.* 12. *ibid.* 33. Scillam secato quam tenuissime, sicut raphani radicem, taleolasque suspende in umbra, ut adsiccentur. *et ibid.* 46. Inulæ taleolas facito.

TĂLĬA. *V.* TALLA.

TĂLĬĀTŪRA, æ, f. 1. ab obsol. *talio, as*, scissura, *tagliatura*. *Var. Auct. de limitib. p.* 266. *Goes.* Terminus si aliquam scissuram (hoc est taliaturam) habuerit, montem scissum (hoc est taliatum) ostendit. Videtur tamen esse glossema.

TĂLĬĀTUS, a, um, particip. ab obsol. *talio, as*, scissus, *V.* in voc. præced.

TĀLĬO, ōnis, f. *et rarius* m. 3. Ratione habita etymi, est a rad. Skr. *tal*, quæ significat etiam parem facere, æquare, comparare: sunt tamen qui cum *talis* conferunt. — Talio itaque est æqualis retributio, par vindicta; ita ut aliquis tale quid patiatur, quale fecit, ex. gr. si quis alteri oculum eruit, ipsi quoque oculus eruatur, *taglione, pena equivalente*, ἀμοιβή; quamobrem usu in malam partem accipitur. *Fest. p.* 363. 4. *Müll.* Talionis mentionem fieri in duodecim, ait Verrius, hoc modo: Si membrum rupserit (alii *ruperit, rupsit* vel *rupit*), ni cum eo pacit, talio esto. Neque id quid significet, indicat. puto, quia notum est. permittit enim lex parem vindictam. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 710. *Putsch.* Si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 54. 55. (187). Sicut in Cornelia familia nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus: idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere. *Gell.* 20. 1. *a med.* Taliones illæ tuæ reciprocæ, argutiores profecto, quam veriores, fuerunt. *Id. ibid.* Talionem imponere. *et ibid.* parissimam facere. *et ibid.* redimere. Adde *Cic. fragm.* apud *Augustin.* 21. *Civ. D.* 11. — Masculine. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 16. Ad injuriam coercendam, quam prohibuerat talione opposito. Alii tamen leg. *opposita.* — *Sine talione*, impune. *Martial.* 12. 64. Corrumpit sine talione cælebs: Cæcus perdere non potest, quod aufert. *h. e.* qui cælebs est, alienam uxorem impune corrumpit, quia nemo ei potest similem injuriam facere. — Apud Hebræos quoque hæc consuetudo et jus vigebat. *Exod.* 21. 23. *et seq.*: etiam testis mendax, eodem talionis jure illa pœna erat afficiendus, quæ crimini, pro quo mendaciter deposuerat, decreta erat. *Deut.* 19. 16. *et seqq.*

TĀLĬPĔDANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

TĀLĬPĔDO, as, are, n. 1. (talus *et* pes) Part. *Talipedans.* — Talipedo est pedibus vacillo et quasi supra talos insisto, *scappucciare, sdrucciolare*, παραφέρομαι. *Fest. p.* 359. 30. *Müll.* Talipedare antiqui dicebant pro vacillare pedibus lassitudine, quasi qui trahit pedes, ut talis videatur insistere aut identidem tollere pedes. *Lucret.* 3. 503. Tum quasi talipedans primum consurgit. *Lachmannus* leg. *vaccillans*. Confirmat usum vocis *Gloss. Lat. Gr.* Talipedo, παραγείρομαι.

TĀLIS, e, adject. — *Tale*, ablat. sing., pro *tali* occurrit in *Inscript.* apud *Orell. n.* 4589. CICEREIAE CICEREIVS L. HOMO INFELICISSIMVS QVI TALE PVELLA CARET. — Ratione habita etymi, videtur esse a rad. pronom. Skr. *ta*, is, hic, unde Gr. τό et τηλίκος, Æolice ταλίκος, et Lat. *talis, tam, tantus*. — Talis est hujusmodi, ejusmodi, ejus aut hujus generis, τοῖος (It. *così fatto, tale, cotale, somigliante*; Fr. *tel, pareil, semblable*; Hisp. *tal, igual, semejante*; Germ. *so beschaffen, v. solcher Beschaffenheit, solcher*; Angl. *such, of this or that kind, such like*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) Absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 6. 26. Cui in re tali jam subvenisti. *Nepos Cim.* 1. Quum talem condicionem aspernaretur. *et ibid.* 2. Tali modo custodia liberatus Cimon etc. — Eodem modo refertur in oratione ad ea, quæ dicta vel dicenda vel etiam facienda sunt, et idem est ac sequens, *seguente*. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 22. Talibus affata est libera lingua sonis. Adde *Quintil.* 5. 10. 82. *V.* alia infra. — 2.°) Sæpe connectitur cum aliis vocibus. — *a*) Cum oppos. *qualis*. *Cic.* 2. *Off.* 13. 44. Ut facillime, quales simus, tales esse videamur. *Id. Mur.* 14. *ad fin.* Quum esset talis, qualem te esse video. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 208. — *b*) Cum pronom. *aliquis, quis, quisquam* etc. *Cic.* 16 *Att.* 8. *sub fin.* Non equidem hoc divinavi, sed aliquid tale putavi fore. *qualche cosa di simile.* et *Liv.* 5. 1. Qui, a quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe habebat. *Id.* 26. 31. Tantum abest, ut et ipsi tale quidquam facturi fueritis. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 11. Omnem legem esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. *Id. Tim.* 7. Idque molitus tali quodam est modo. *Sall.* 2. *Hist. fr.* 61. Saxa aut quid tale. *Id. Jug.* 40. Illa et alia talia placere sibi faterentur. — *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 67. tale nihil metuens. — *c*) Cum particulis *ac, atque, ut, qui*. *Cic. Vatin.* 4. 10. Honos talis populi R. voluntate paucis est delatus ac mihi. *Ter. Phorm.* 5. 8. 39. Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio. *Cic.* 1. *Off.* 26. *a med.* Tales nos tunc esse putamus, ut jure laudemur. *Liv.* 42. 42. *a med.* Hæc quæ purgata a me sunt, talia esse scio, ut aures, ut animi audientium sint. *Cic.* 10. *Fam.* 6. *a med.* Talem te esse oportet, qui ab impiorum civium societate sejungas. *Propert.* 2. 16. 34. Ultima talis erit, quæ mea prima fides. *Stat.* 2. *Theb.* 170. Dii bene, quod tales stirpemque animosque venitis, Ut responsa juvent. Ubi notandus accusativus Græca ratione. ¶ 2. Speciatim, seu prægnanti, ut ajunt, sensu, adhibetur pro *tantus* et quamdam excellentiam notat, in utramque partem, sæpius in bonam, τοιοῦτος. *Cæs.* 1. *B. C.* 53. Ut principes talem nuncium attulisse viderentur. *sì buona novella.* et 6. *B. G.* 33. *extr.* Pro tali facinore. *per sì gran scelleraggine.* et *Nepos Alcib.* 6. Quod talem virum e civitate expulissent. *sì degno, sì grande.* et *Sall. Jug.* 67. *sub fin.* Tamen is ad id locorum talis vir consulatum appetere non audebat. *essendo un personaggio sì degno.* et *Phædr.* 3. 9. Quæso tam angustam, talis vir, ponis domum? *tu che sei un uomo sì grande?* Sic *Plaut. Capt.* 5. 2. 2. Quid me oportet facere, ubi tu, talis vir, falsum autumas? *Nepos Pausan.* 3. Non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus o-

portere judicari. *Cic. Quinct.* 13. 42. In quo ille tot et tales viros defatigat. *Id.* 2. *Phil.* 29. 71. Quibus rebus tantis, talibus gestis, quid fuit causæ, cur etc.? *Id.* 15. *Fam.* 4. *ad fin.* Si hoc quod ego gessi, tale atque tantum videbitur, ut etc. *Id. Cluent.* 53. 153. Judices tali dignitate præditi. *Virg.* 1. *Æn.* 339. haud equidem tali me dignor honore. *d'un tanto onore.* et 4. *Ecl.* 46. Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fusis. *apportatori di tali o sì felici tempi.* et *Plaut. Merc.* 3. 1. 3. Ne plora. nimis stulte facis: oculos corrumpis tales. *sì begli occhi.* et *Virg.* 5. *Ecl.* 81. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona? *per sì bei versi.* et 11. *Æn.* 303. non tempore tali Cogere concilium, quum muros assidet hostis. *h. e.* tam tristi et calamitoso. Eadem ratione *tale tempus* usurparunt *Lucret.*, *Val. Flacc.*, *Sil. It.*, *Balb.* ad *Cic. post Ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* et *Liv.* 22. 35. *extr.* et 30. 37., quorum loca recitat *Drakenborch.* ad *Sil. It.* 8. 112. — Hinc

*Talia, ium,* n. plur. 3. absolute, hæ res, hæc verba. *Sall. Cat.* 51. Numquam ipsi talia fecere. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Talia commemorat lacrimans exterrita somno: Eurydice prognata etc. *Ovid.* 8. *Met.* 705. Talia dum placido Saturnius edidit ore etc. *Virg.* 5. *Æn.* 79. Purpureosque jacit flores ac talia fatur. *et* 1. *ibid.* 563. Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant Dardanidæ. *Id.* 6. *ibid.* 372. Talia fatus erat etc.

TĀLISCUMQUĔ, lĕcumque, adject. idem ac talis. *Auct. Priap.* 16. Quale fuit malum, quod littera pinxit Acontî *etc.* Taliacumque puer dominus florentis agelli Imposuit mensæ, nude Priape, tuæ. *Bücheler* leg. *talia nunc; Müller* vero *talia quinque.*

TĀLĬTER, adverb. (talis) tali modo, *talmente, in tal maniera,* τοίως. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (121). Lacunaria primus pingere instituit: nec cameras ante eum taliter adornari mos fuit. *Pallad.* 8. *R. R.* 8. Aquam taliter poteris invenire. — *Martial.* 5. 7. Qualiter Assyrios renovant incendia nidos *etc.* Taliter exuta est veterem nova Roma senectam. — Quidam tribuunt et *Varroni* 1. *R. R.* 18. *sub fin.*, item *Cicer.* 10. *Att.* 17. *sub fin.*, sed omnino *aliter* utrobique legendum.

TĀLĪTHA, vox Syro-Chaldaica, quæ significatur puella; occurrit autem apud *Vulg. interpr. Marc.* 5. 41. Ait illi (*Christus*): Talitha, cumi. Litteris Hebraicis scribitur טליתא *telida,* puella, gnata: cui additum est verb. imper. 2. pers. fem. קומי *qumi,* surge, sta.

TĀLĪTRUM, i, n. 2. Scriptio hujus vocis in *Gloss.* mirifice variatur, ut videre est apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 547. et alibi, ubi leg. *talatrum, talastrum* etc. — Videtur esse a *talus,* quod olim non de pedum modo, sed etiam de manuum ossiculis usurpatum, recte statuit *Voss.* in *Etymol.* — Talitrum est nodus in digitorum articulis eminens, quem Itali dicunt *nocca,* Græci κόνδυλος, vel ictus digitorum, qui sic complicentur. Sunt vero qui putant, hac voce significari ictum digiti alteri digito, scilicet indici, impositi, complicati et vibrati, quem Itali *buffetto* vocant, sed non probant. Percussio hujusmodi ita describitur a *Petron. Sat.* 96. Caput miserantis stricto acutoque articulo percussi. V. et *Capell. loc. cit.* in CONDYLUS. *Sueton. Tib.* 68. Fuit articulis ita firmis, ut caput pueri vel etiam adulescentis talitro vulneraret. *con la nocca.*

TALLA (tala), æ, f. 1. *Talia* quoque dici potest, ut ab ἄλλος, alius, inquit *Dacer.* ad *Fest.* loc. cit. in TALEA. — Dicta est *talla* a θαλλός, ramus viridis. — Talla est folliculus cæpæ, *talia, guscio della cipolla. Lucil.* apud *Non. p.* 201. 2. *Merc.* Flebile cæpe simul lacrimosæque ordine tallæ. *et Gloss. Philox.* Talla, κρομμύου λέπυρον.

TALPA, æ, f. *et etiam* m. 1. Est masc. gen. apud *Virg.* 1. *G.* 183. et 3. *ibid.* 539. Aut oculis capti fodere cubilia talpæ. Ubi *Servius:* mutavit genus. nam hæc talpa dicitur. — *Voss.* in *Etymol.* derivat a Chald. טלף *talleph,* scidit, fodit; ex recentioribus vero, *Zeyss* (*Zeitschr.* etc. *von Kuhn* XIX. 181.) a rad. *tal,* tollere; *Corssen* (*Kritsch. Beitr.* etc. I. 178) a rad. *skalp,* sculpere; alii vero aliunde. Cf. ἀσπάλαξ. — Talpa est animal muri simile, nigri coloris et ex vulgi opinione captum oculis, quod arva et hortos suffodit (*It. talpa; Fr. taupe;* Hisp. *topo;* Germ. *der Maulwurf;* Angl. *mole*). *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. *ad fin.* Quid? talpam num desiderare lumen putas? *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (17). Animalia, quæ semper defossa vivunt, ceu talpæ. *Id.* 10. *ibid.* 69. 88. (191). Liquidius audiunt talpæ obrutæ terra. *Id.* 30. *ibid.* 5. 12. (38). Terra a talpis excita. *Id.* 8. *ibid.* 29. 43. (104). Varro auctor est, a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia. *Hieronym.* 1. in *Isai.* 2. 19. Talpa est animal absque oculis, quod semper terram fodit et humum egerit et radices subter comedens frugibus noxium est. — De talpa est ænigma apud *Sympos. ænigm.* 21. ed. *Wernsd.*

TALPĀNUS, a, um, adject. (talpa) ut Talpanæ vitis, apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (36). fortasse ita dicta, quia mustum colore talpæ fert. *Silligius* leg. *talpona* fortasse eod. sensu. *Georges* interpretatur *eine Art Weinstöcke,* ut sit substantivum, *ceppo di vite.*

TALPĪNUS, a, um, adject. (talpa) ad talpam pertinens. *Cassiod.* 9. *Variar.* 3. *de auri fossorib.* Talpinum animal imitantes itinera fodiunt. *V.* TALEA.

TALPŌNA. *V.* TALPANUS.

TĀLUS, i, m. 2. Neutri quoque generis esse arguitur ex illo *Lactant. Plac.* 15. *Fab.* 6. *de Achille.* Apollo talum (quod fuit in corpore ejus mortale) percussit. — Vox est contracta a *taxillus,* ut ab *axilla ala,* a *maxilla mala.* V. TAXILLUS. Aliter *Isid.* 11. *Orig.* 1. 111. *Talus* dictus a *tolo,* nam tolus est eminens rotunditas, unde et fastigium templi rotundi, tolus vocatur. — Talus est in homine os in extrema tibia supra calcem (It. *tallone;* Fr. *talon;* Hisp. *talon;* Germ. *d. untere Fusstheil, d. Ferse;* Angl. *heel, heelbone*).

I.) Proprie. *Cels.* 8. 1. *sub fin.* Excipitur crus infra osse ex transverso talorum: idque ipsum super os calcis situm est. *et ibid.* 7. *ad fin.* Os tali, calx, manus, planta. *et ibid.* 22. Talus in omnes partes prolabitur. *Ovid.* 8. *Met.* 807. Auxerat articulos macies genuumque rigebat Orbis et immodico prodibant tubere tali. (hic *Ovid.* significat duos illos processus ossium cruris, qui utrinque supra pedem exstant.) *Martial.* 8. 75. Expulit offenso vitiatum pollice talum. *Seneca* 5. *Benef.* 24. Meministi, talum te torsisse? *di esserti slogato un tallone.* et *Apul.* eod. sensu *Florid. n.* 16. Talum invertere. *et Auct. B. Hisp.* 38. intorquere.

II.) Improprie, a similitudine, est os quasi cubicæ figuræ in articulo pedis multorum animalium, quæ bifida seu bisulca sunt; nam quæ multifida sunt (ut nec homo), item quæ solidæ ungulæ, tale os fere non habent, ut *Arist. l.* 2. *Hist. anim. c.* 1. *a med.* et *de partib. animal. c.* 10. *sub fin.* docet: *aliosso,* ἀστράγαλος. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 46. 106. (255). Talos asinus Indicus, unus solidipedum, habet. Nam sues ex utroque genere existimantur: ideo fœdi earum (*tali*). Hominem qui existimarunt habere, facile convicti. Lynx tantum digitos habentium, simile quiddam talo habet: leo etiam tortuosius. Talus autem rectus est in articulo pedis ventre eminens concavo, in vertebra ligatus. Hæc *Plin.* — Hujusmodi ossa sex latera habent, sed quattuor tantum, quibus insistere possunt, quia duo reliqua ita incurva sunt, ut vix illis queat talus consistere: consistit tamen aliquando, et *rectus talus* tunc dicitur. Horum lateribus seu figuras seu puncta figurarum nomen habentia insculpebant et in ludo utebantur, qui *talarius* et *talaris* dicitur, qui plerumque quattuor, ad minimum tribus talis, et quidem superstitiose, peragebatur. Ditiores, spretis ossibus, ex ebore, crystallo aliave nobiliore materia factos adhibebant. Ex quattuor talorum lateribus prius *unio* seu *canis* (V. hanc vocem) seu *vulturius* (V. hanc vocem) dicebatur; huic oppositum, *senio:* reliquorum vero eminens, *ternio* seu *trinio* seu *suppum;* huic oppositum concavum, *quatrio* seu *quaternio:* porro in talis ipsa laterum figura et facies pro numero erat; in tesseris unicuique ex sex lateribus suum erat punctum. Quum itaque tali ita caderent, ut diversa esset omnibus facies, jactus *Venerius* seu *basilicus* atque etiam absolute *Venus* vocabatur, isque optimus et omnium felicissimus habebatur; damnosus, si unum vel plures canes ostenderent; pessimus, quum omnes tali eadem figura caderent: senio plerumque felix erat jactus. Ceterum, ut in nostris ludis usuvenit, non easdem leges videntur omnes servasse, sed de quibus inter ludentes convenerat. Conjiciebantur tali in pyrgum seu turriculam seu fritillum, ex quo cadebant in alveolum seu tabulam lusoriam, ne, si manu jacerentur, fraus aliqua in mittendo fieret. *Seneca Apocoloc. sub fin.* Nam quoties missurus erat resonante fritillo, Utraque subducto fugiebat tessera fundo: Quumque recollectos auderet mittere talos, Lusuro semper similis semperque petenti, Decepere fidem. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 23. Quattuor tali jacti casu Venereum (*jactum*) efficiunt. num etiam centum Venereos, si quadringentos talos jeceris, casu futuros putas? (Adde 2. *ibid.* 21. 48. et 59. 121.) *Id.* 3. *Fin.* 16. 54. Ita jacere talum, ut rectus assistat. *Propert.* 4. 8. 45. Me quoque per talos Venerem quærente secundos, Semper damnosi subsiluere canes. *August.* apud *Sueton. Aug.* 71. Talis jactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos qui Venerem jecerat. *Plaut. Asin.* 5. 2. 54. Jace, pater, talos, ut porro nos jaciamus. DE. maxime. Te Philenium mihi atque uxori mortem. hoc Venerium est. *Martial.* 14. 14., cujus lemma *Tali eborei.* Quum steterit nullus vultu tibi talus eodem, Munera me dices magna dedisse tibi. *Id. ibid.* 16., cujus lemma *Turricula.* Quærit compositos manus improba mittere talos: Si per me misit, nil nisi vota facit. *Alii pro* quærit *leg.* quæ scit. *Horat.* 1. *Od.* 4. 18. Nec regna vini sortiere talis. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55). Talis ludere. *Justin.* 38. 11. *ad fin.* Talis aureis ad exprobrationem puerilis levitatis donatur. *V. Lucian. Amor.* 16.

III.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen dicitur de imo crure vel pedibus. *Cic. Cluent.* 40. 111. Purpura usque ad talos demissa. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 4. Candidus et talos a vertice pulcher ad imos. *da capo a piedi.* et *Juvenal.* 7. 16. Altera quos nudo traducit Gallia talo. *co' piedi scalzi.* et *Ovid.* 4. *Met.* 342. in adludentibus undis Summa pedum taloque tenus vestigia tingit. Adde 3. *Amor.* 6. 6. ¶ 2. Figurate. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 176. Securus, cadat, an recto stet fabula talo. *h. e.* placeat. «*O che stramazzi il dramma o che si regga A piombo su' talloni, è a lui tutt' uno*» (Gargallo). *V.* STO. *Pers.* 5. 104. tibi recto vivere talo Ars dedit. *h. e.* bene agere in omnibus. — *NB.* De prænom. *V.* ONOM.

TALŪTĀTĬUS. *V.* voc. seq.

TALŪTĬUS, a, um, adject. Ita appellatur genus auri, quod in summa tellure reperitur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (67). Quum ita inventum est (*aurum*) in summo cæspite, talutium vocant, si et aurosa tellus subest. Ita leg. *Sillig.;* at *Jan* talutatium.

TAM, adverbium et conjunctio. — *a*) *Tan* pro *tam* legitur in *Inscript.* Pompejana in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1895.; præsertim ante litteram *c, g, q.* Cf. *Corssen. Auspr.* 1. *p.* 108. et *Brambach p.* 265. — Hinc *tanne* pro *tamne* apud *Afran.*, teste *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 358. 3. *Müll.* — *b*) De antiqua forma *tame* (V. infra sub *c*) pro *tam* ita *Fest. p.* 360. 10. *Müll.* «Tame in carmine positum est pro tam» *h. e.* in carmine Saliari, ut ait *Scalig.*, in quo et *cume* erat pro cum. V. *Scaur.* in *Orthogr. p.* 2261. *Putsch.* Sed *Lipsius* in *Epist. Quæst.* III. 20. p. 183.

pulat *tamde* pro *tame* scribendum esse, invito *Müllero* in *Lucil. reliq. p.* 136. *v.* 35. Hanc tamen *Lipsii* scriptionem confirmat particula *quam*, cujus forma *quamde* apud veteres fuit usurpata, teste *Fest. p.* 261. 4. *Müll.* V. QUAM init. — *c*) Origo vocis videtur esse a Skr. *ta*, is, cum addito locativ. fem. *me*, per aphæresin decurtato, unde et *tamen, tandem, tantus* etc. *V.* TALIS init. Non igitur factum a *tantum* per apocopen, ut nec *quam* a *quantum*. — Tam duo diversa significat.

*A*) *Tam* est adverbium comparativum, ut docet *Plin.* apud *Charis.* 2. *p.* 200. *Putsch.*: cui respondet particula *quam*; et significat adeo, tantum, ita, τοσοῦτον (It. *tanto, così*; Fr. *tellement, autant, aussi, de telle sorte*; Hisp. *de tal manere ó modo, tanto, asi*; Germ. *soweit, sosehr, dergestalt, der Art, so, in dem Grade*; Angl. *so, so much*) ¶ 1. Absolute. — *a*) Cum adjectiv. — *α*) Positiv. *Plaut. Most.* 1. 3. 29. Equidem pol miror tam catam, tam doctam te et bene eductam, Non stultam stulte facere. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. *sub fin.* Tam necessario tempore, tam propinquis hostibus. *Cic.* 1. *Rep.* 3. 4. His rationibus tam certis tamque illustribus opponuntur. et *ibid.* 19 In hac tam clara republica natus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (2). In corporibus tam parvis atque tam nullis. *Quintil.* 10. 3. 13. Quæ causa frontis tam adductæ? — Pro valde, abunde videtur esse in *Dig. Justin. fr.* 12. § 1. Si sobrie vivat, si tam probus sit. *et ibid. fr.* 24. § 1. *de min.* 44. Nisi aut manifesta circumscriptio sit aut tam negligenter in ea causa versati sumus. — *β*) Deminutiv. *Ter. Adelph.* 2. 4. 10. Tam ob parvulam rem. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (82). — *γ*) Superlativ. *Cic.* 12. *Phil.* 5. 11. Nondum erat vestris tam gravissimis tamque multis judiciis ignominiisque concisus. Adde *Apul.* 4. *Met.* — *b*) Cum substantivis. *Plaut. Pers.* 4. 3. 64. Numquam ego te tam esse matulam credidi. Cf. *Cic. Sext.* 37. 80. Cur tam tempore exclamavit occisum. *si presto.* — *c*) Cum verbis. *Plaut. Casin.* 4. 4. 24. Quid tu ergo hanc, quæso, tractas tam? *Id. Most.* 4. 2. 9. Ferocem facis, quia te herus tam amat. *Vellej.* 2. 88. 2. Nec minora consequi potuit. sed non tam concupivit. Adde *Quintil.* 2. 16. 15. — *d*) Cum adverbiis. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Tam insolenter et tam diu. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 234. Jus civile tam vehementer amplexus est. *Id.* 1. *Rep.* 9. 14. Quid tu, inquit, tam mane? *Id.* 3. *Nat. D.* 27. 69. Haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis non dari omnino, quam tam munifice et tam large dari. *Apul.* 1. *Met.* Tam jam, inquit, nec amicis *etc.* parcitis. *h. e.* tantopere. Alii tamen leg. *jam.* — *Tam modo*, vel conjunctim *tammodo*, adeo celeriter, *sì presto, sì tosto*, vel modo, *pur ora, poc' anzi.* *Plaut. Trin.* 3. 1. 8. Quam dudum istuc aut ubi actum est? STAS. illico hic ante ostium, Tammodo, inquit Prænestinus. Notat, ut ait *Scalig.*, Prænestinorum barbariem et irridet peregrinantem. Cf. *Fest. p.* 359. 5. *Müll.* Tammodo antiqui ponebant pro modo, ut Accius: Tammodo, inquit Prænestinus. — *Tamne?* est adeone? *tanto dunque?* *Fest. p.* 359. 26. *Müll.* Tamne, eousque, ut Ælius Stilo et Opilius Aurelius interpretantur. itaque Afranius: Tamne arcula tua plena est aranearum? Alii leg. *tanne.* V. init. ¶ 2. Usurpatur cum aliis vocibus, quibuscum aliqua ratione vel relatione arcte conjungitur. — 1.°) Sæpe occurrit sequente vel rarius præcedente particula *quam.* — *a*) Cum adjectiv. — *α*) Positiv. *Plaut. Capt.* 2. 2. 60. Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuus. *Id. Cist.* 4. 2. 5. Si hera me sciat tam socordem esse, quam sum. *Cic.* 8. *Att.* 4. Numquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi. *Id. Orat.* 30. *in fin.* Nemo orator tam multa, ne in Græco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra. *Id.* 1 *Rep.* 33. 50. Tam esse clemens tyrannus, quam rex importunus potest. *Ovid.* 9. *Met.* 5. nec tam Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est. — *Id.* 12. *ibid.* 220. Quam vino pectus, tam virgine visa ardet. — *β*) Superlat. *Varro* 2. *R. R.* 9. *a med.* Quam paucissimos (*canes*) reliqueris, tam optimi in alendo fiunt. — *b*) Cum substantivis. *Quintil.* 8. 2. 8. Corinthia æra accipimus tam aurum et argentum, quam æs Corinthium. *Id. ibid.* 3. 15. Quoniam orationis tam ornatus, quam perspicuitas aut in singulis verbis aut in pluribus positus. — *c*) Cum verbis. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 12. Tam hoc scit me habere, quam egomet. *Id. Stich.* 3. 2. 1. Libros inspéxi: Tam consido, quam potest, mé obtenturum etc. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. Ego hæc tam esse, quam audio, non puto. *Ovid.* 4. *Met.* 613. *de Acrisio.* Tam violasse deum, quam non agnosse nepotem Pœnitet. *Id.* 3. *ibid.* 659. Adjuro, tam me tibi vera referre, Quam veri majora fide. Adde *Quintil.* 3. 5. 17. — *d*) Cum adverbiis — *α*) Positiv. *Plaut. Capt.* 3. 4. 106. Satin istuc mihi exquisitum est? - AR. Tam satis, quam numquam hoc invenies secus. *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 81. (et *Nepos Eumen.* 11.) Quasi vero quidquam sit tam valde, quam nihil sapere, vulgare. *h. e.* tantopere. *Id.* 1. *Rep.* 34. 51. Si fortuito id faciet, tam cito revertetur, quam etc. — *β*) Comparativ. *Poeta* apud *Quintil.* 9. 3. 15. Quam magis ærumna urget, tam magis ad malefaciendum viget. *Lucret.* 1. 537. quam quæque magis cohibet res, tam magis etc. *Virg.* 7. *Æn.* 787. Tam magis illa fremens *etc.* Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ. — *γ*) Superlativ. *Sall. Jug.* 34. *sub fin.* Quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est. *Cato R. R.* 64. Quam citissime conficies, tam maxime expedies. *et ibid.* 157. *a med.* Quam plurimum ederit, tam citissime sanus fiet. *Id.* apud *Paul. Diac.* in *Veternosus* ex *Festo p.* 369. 9. *Müll.* Quam plurimum bibit, tam maxime sitit. *Id.* apud *Charis.* 2. *p.* 184. *Putsch.* Tam maturrime comparavisse. — *e*) *Tam*, præcedente negativa, in formula *non tam - quam.* *Auct. B. G.* 8. 23. Non tam pugnandi, quam diffugiendi fuit utrorumque consilium. *Cic.* 1. *Rep.* 10. 15. Ut non tam fides non habenda, quam ratio quærenda sit. *Id. ibid.* 25. 39. Ejus autem prima causa coeundi est non tam imbecillitas, quam naturalis quædam hominum quasi congregatio. *Id. Brut.* 33. 126. Utinam non tam fratri pietatem, quam patriæ, præstare voluisset. Adde *Quintil.* 4. 2. 114. — *Cic. Dejot.* 3. 8. Per dexteram te istam oro, non tam in bellis et prœliis (*firmam*), quam in promissis et fide firmiorem. — *f*) Bis *tam* usurpatur, non sequente *quam.* *V.* ROSALIS. — Et *quam* occurrit, omisso *tam.* *Plaut. Trin.* 2. 4. 173. cuiquam exspectatus filius Natus, quam 'st illud Spondeo victum mihi. Ita vult leg. *Gronovius*; sed *Fleckeisen* reponit *cuiquam tam* etc. *Fronto* ad *Am.* 1. 9. Prorsus, cui nullus miles Plautinus de suis, quam hic de tuis virtutibus gloriatur. *Ulp. Dig.* 29. 2. 20. Pro herede gerere non esse facti, quam animi. *Haloand.* edidit *non tam.* Adde *Apul. De deo Socr.* 20. *in fin.* — 2.°) Habet etiam post se particulas — *a*) *Atque.* *Plaut. Amph.* 1. 1. 287. Tam consimile est atque ego. — *b*) *Ut.* *Cæs.* 1. *B. G.* 44. *a med.* Non se tam barbarum neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret etc. *Cic.* 2. *Orat.* 90. 365. Non essem tam inurbanus, uti eo gravarer quod vos cupere sentirem. Adde *Quintil.* 10. 1. 76. — *c*) *Qui* pro *ut.* *Cic.* 9. *Fam.* 2. Quis est tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? *Quintil.* 9. 4. 145. Neque ullum erit tam difficile, quod non commode inseri possit. — *d*) *Quasi.* *Plaut. Curc.* 1. 1. 51. Tam a me pudica est, quasi soror mea sit. — 3.°) *Quo magis* vel *quanto magis - tam magis* idem ac *tam - quam*, inverso ordine. *Lucret.* 4. 1089. quo mage plurima habemus, Tam magis ardescit dira cuppedine pectus. *Id.* 1. 536. Et quo quæque magis cohibet res intus inane, Tam magis his rebus penitus tentata labascit. *Manil.* 3. 349. Et quanto ad gelidas propius quis venerit Arctos, Tam magis officiunt oculis brumalia signa. Alii leg. *quando* pro *quanto.*

*B*) *Tam* conjunctio, apud veteres pro *tamen*, ut docet *Fest. p.* 360. 5. *Müll.*; quia et *tamen* a *tam* descendit. *Novius ibid.* Qui si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum misit. *Enn. ibid.* Ille meæ tam poti' paci' potiri. *Titin. ibid.* Bene quum facimus, tam male subimus, ut quidam perhibent viri. *Id. ibid.* Quamquam estis nihili, tam ecastor simul vobis consului. *Plaut. Men.* 2. 3. 36. Eamus intro, ut prandeamus. MEN. bene vocas: tam gratia est. Adde *Pseud.* 5. 1. 24., ubi alii aliter leg.

TĂMA, æ, f. 1. *Voss.* in *Etymolog.* deducit a ταμεῖν aor. 2. infinit. verbi τέμνω, seco. — Tama est genus tumoris. *Fest. p.* 360. 18. *Müll.* Tama dicitur, quum labore viæ sanguis in crura descendit et tumorem facit. Lucilius: Inguenne exsistat, papulæ, tama, ne boa noxit.

TĂMĂRĪCE, es, f. 1. ταμαρίκη, frutex idem qui myrice. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 37. (116). et 24. *ibid.* 9. 41. (67). Adde *Isid.* 17. *Orig.* 7. 49., ubi alii leg. *tamaricia* vel *tamaritia.*

TĂMĂRĪCĬA *vel* tamaritia. *V.* voc. præc.

TĂMĂRĪCĬUM, ii et

TĂMĂRĪCUM, i, n. 2. idem quod tamarice. *Serv.* ad *Virg.* 4. *Ecl.* 3. Myricæ, virgulta sunt humillima et sterilia quod vulgo *tamaricium* dicitur. Adde *Scribon.* 128. et 132. et *Marcell. Empir. c.* 26. *p.* 123. *retro.* Cf. et *c.* 23. *p.* 119.

TĂMĂRISCUS, i, f. 2. idem quod tamarix. *Pallad.* 12. *R. R.* 8. Apes ex tamarisci floribus mella conficiunt.

TĂMĂRĪTĬA. *V.* TAMARICIA.

TĂMĂRIX, icis, f. 3. myrice, *tamarice.* *Lucan.* 9. 916. Hic ebulum stridet peregrinaque galbana sudant Et tamarix non læta comas. — *Tamaricis* meminit etiam *Colum.* 7. *R. R.* 9. *ante med.* — In genit. plur. *Id.* 8. *ibid.* 15. In silvulis tamaricum aut sirporum frutectis immorari. — De ejus usu hæc apud *Schol. Bern.* ad *Lucan.* 3. 442. Cupressus et tamarix ideo mortuis ponitur, quod excisa non renascatur aut quod infelices sint, id est steriles. - Cupressus est nobilibus deputata pro altitudine, tamarix pro humilitate pauperibus. Cf. *Virg.* 4. *Ecl.* 2.

TAMDE. *V.* TAM init.

TAMDĬU, tandiu, *et divisim* tam diu, adverb. — In scriptione, inquit *Forcellinus* noster, *Dausquium* sequimur, cui per *m* scribi placet. Sed quia *m* ante *d* aliquantum minuitur, placet aliis per *n*, ut in *tandem.* Sic *eandem* in monumento Ancyr. apud *Gruter. p.* 232. et *tantundem*, in fragmento *Agrar. ibid. p.* 206. insculptum est. (Cf. litt. M et N) Immo recentiores plerique omnes hanc scriptionem secuntur. — Tamdiu est tanto tempore, eousque: cui respondet *quamdiu.* ¶ 1. Absolute. *Plaut. Curc.* 1. 3. 15. Haud quidquam est, magis quod cupiam tamdiu. *Cic.* 2. *Fam.* 1. Te abfuisse tamdiu a nobis, dolui. *Nepos Eumen.* 11. Quem tamdiu tamque valde timuissent. *Tac. Germ.* 37. Ducenti ferme et decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur. ἐπιφώνημα. ¶ 2. Conjungitur cum particulis. — *a*) Cum *quamdiu.* *Cic.* 9. *Att.* 4. Tamdiu requiesco, quamdiu ad te scribo. *Id.* 4. *Verr.* 27. 67. Tam diu in illo homine fuit ignominia, quam diu iste in provincia mansit. — *b*) Cum *quam.* *Id. Brut.* 1. *ad fin.* Vixit tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere. — *c*) Cum *quoad.* *Id.* 1. *Off.* 1. 2. Disces quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. *Nepos Att.* 11. *ad fin.* Beneficia, quæ ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. — *d*) Et *dum.* *Cic.* 9. *Att.* 6. Tamdiu, dum lego. *Id.* 6. *Verr.* 3. 6. Usus est tam diu, dum habuit. *Id.* 2. *Off.* 12. *in fin.* Tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. Adde *Senect.* 12. 41. *et* 5. *Tusc.* 33. *extr.* — *e*) Et *donec.* *Colum.* 12. *R. R.* 18. 6. Tamdiu incenditur, donec etc. — *f*) Cum *ut.* *Pallad.* 1. *R. R.* 15. Quæ inductio ante tamdiu subigenda est, ut rutrum, quo calx subigitur, mundum levemus.

TĂME. *V.* TAM. init.

TĂMEL pro tamen ille. V. FERICULUS.

TĂMEN, conjunctio adversativa, de cujus origine V. TAM init. — Tamen est nihilominus, ὅμως, ὅμως μέν τοι (It. nondimeno, nulladimeno, nientedimeno, tuttavia, pure; Fr. toutefois, pourtant, cependant; Hisp. noobstante, sin embargo; Germ. so doch, dennoch, jedoch, doch, gleichwohl; Angl. notwithstandig, nevertheless): usurpatur autem tam initio sententiæ, quam post unam vel plures voces. ¶ 1. Absolute. — a) Universim. Ter. Eun. 1. 2. 90. Tamen contemptus abs te hæc habui in memoria. Adde Andr. 5. 2. 23. et Plaut. Amph. 1. 3. 44., Mil glor. 4. 8. 31. et Cas. prol. 63., ubi tamen accipi posse putat Forcellinus pro quamquam. Cæs. 1. B. G. 32. Propterea quod reliquis tamen fugæ facultas daretur. almeno. Sic 8. ibid. 41. Ut tamen non deterrerentur. et Cic. 4. Fin. 15. 69. et 5. ibid. 12. 30. et Auct. B. G. 8. 33. Quo defendente nullo, armatis ascendere esset difficile. Cf. Drakenborch ad Liv. 40. 56., Kortte ad Sall. Cat. 20. et Madvig ad Cic. 2. Fin. 10. p. 199. Curt. 4. 4. 21. Post excidium renata, nunc tamen acquiescit. Propert. 2. 1. 75. Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus, Unde tamen veniant tot mala, cæca via est. Ubi vim habere τοῦ tandem putat Forcellinus noster. Sic Ovid. 2. Met. 335. totum percensuit orbem Exanimesque artus primo, mox ossa requirens, Repperit ossa tamen peregrina condita ripa. et Ter. Heaut. 4. 2. in fin. Retraham hercle, opinor, ad me illud fugitivum argentum tamen. et Val. Flacc. 6. 383. Tunc ruit, ut montis latus aut ut machina muri, Quæ, scopulis trabibusque diu confectaque flammis, Procubuit tamen atque ingentem propulit urbem. et Justin. 30. 2. a med. Mors ejus diu occultata fuit. Re tamen cognita etc. et Sall. fragm. apud Non. p. 406. 10. Merc. Qui enare conati fuerant, icti sæpe ferramentis navium aut vulnerati a suis aut afflicti alveis undarum vi, mulcato fœde corpore postremo tamen periere. Adde Pacuv. ibid. et Plaut. Pseud. 4. 7. 86. — b) Tamen in principio respondendi, quum adversamur iis, quæ ab alio ante dicta sunt. Cic. 9. Fam. 19. init. Tamen a malitiā non discedis. tenuissimo apparatu significas Balbum fuisse contentum. — c) Pro certe videtur Forcellino esse in illo Cic. Cæcin. 3. 8. Si quis mihi hoc judex dicat: potuisti leviore actione confligere etc. tamen si aut timidior videatur, quam fortem, aut cupidior, quam sapientem judicem esse æquum est. Sic Rutil. De fig. sent. 1. 14. Quum tamen omnes opitulari vellent, sed nemo auderet. h. e. quidem. Cf. Propert. 2. 23. 31., Horat. 1. Od. 3. 23., ubi Scalig. ad Catull. 60. 82. et Propert. loc. cit. putat tamen abundare invito orationis contextu. V. Salmas. ad Spartian. Hadrian. 2. et Heindorf. ad Horat. 2. Sat. 5. 61. Sane pro quidem accipi debet apud Vulgat. interpr. Eph. 3. 2. et 4. 21. Si tamen etc., cui respondet Gr. εἴγε, eadem significatione. V. Perin Lexic. in N. V. Gr. ed. Patav. Adde Lamprid. Heliog. 29. — d) Quod censet Non. loc. cit., sumi etiam pro statim, non probat. Cf. et Serv. ad Virg. 9. Ecl. 62. — e) Pro inde accipit Virgil. Gramm. excerpt. p. 199. 12. Keil. ¶ 2. Conjungitur cum aliis vocibus, quæ præcedunt aut secuntur; et quidem — a) Cum particula si et inservit correctioni, si modo, se pure. Ovid. 4. Met. 535. aliqua et mihi gratia ponto est: Si tamen in dio quondam concreta profundo Spuma fui. se pur è vero, che etc. Id. 3. Trist. 14. 23. Nunc incorrectum populi pervenit in ora. In populi quidquam si tamen ore meum. — b) Simile est nisi tamen. Plin. Paneg. 93. Ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus? nisi tamen illam, ut semper nos meminerimus etc. h. e. nisi solum. Id. 6. Ep. 21. sub fin. Circa me tantum benignitate nimia modum excessit: nisi quod tamen poetis mentiri licet. — c) Cum particula ne et est interrogantis et urgentis. Cic. 2. leg. Agr. 28. a med. Si quinque hominum millibus, ad vim, facinus cædemque delectis, locus quæritur, tamenne patiemini vestro nomine firmari opes etc? Id. Flacc. 9. extr. Si testium studium cum accusatore sociatum est, tamenne isti testes habebuntur? Adde Fontej. 3. 6. et Dom. 19. ad fin. — Et omisso ne. Id. Divin. in Q. Cæcil. 6. 21. Tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui etc.? tamen his operam tuam pollicebere, qui etc.? e pur tuttavia? — d) Cum nihilominus. Id. 13. Fam. 15. ad fin. Et tamen nihilominus Αἰὲν ἀριστεύειν etc. Id. Cluent. 28. 76. Tamen nihilo minus putabant oportere etc. — e) Cum sed. Lucret. 3. 553. Sed tamen in parvo linguntur tempore tali. V. Lachmann ad h. l. Horat. 1. Sat. 1. 27. Sed tamen amoto quæramus seria ludo. Cic. 1. Rep. 30. 46. Sed tamen velim scire etc. Adde Cluent, 9. 26. et 2. Orat. 4. 15. Id. ibid. Sed hoc tamen cecidit etc. Curt. 4. 4. 12. Nonnulli ruunt in hostem, sed haud inulti tamen. — f) Cum at. Ter. Andr. 4. 1. 12. At tamen ubi fides, si roges, nil pudet. Cic. 3. Orat. 4. 14. At pro nostro tamen studio etc. Sed hæc duo conjunguntur, apud Cic. 7. Fam. 26. et 1. Orat. 57. 241. et Ter. Andr. 5. 3. 33. et Heaut. 2. 1. 13. Etiam adtamen pro attamen in Inscript. apud Mommsen n. 6794. V. ATTAMEN. — g) Et verum. V. VERUNTAMEN. — h) Cum etsi. V. TAMENETSI. — i) Cum et, ac. Sall. Jug. 39. Et tamen interim exercitui subplementum scribere etc. Adde Cic. 13. Fam. 15. ad fin. Vulg. interpr. Eccle. 9. 1. Sunt justi atque sapientes etc. et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit. e pure. et Sall. Jug. 97. Ac tamen. ma. — l) Sæpe cum particulis sibi respondentibus quamquam, quamvis, licet, etsi, etiamsi, tametsi, ut, quum. — α) Vel expressis. Cic. Rosc. Am. 20. 55. Quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret. Id. 1. Rep. 23. 37. Quamvis sit magna exspectatiō, tamen eam vinces. Nepos Milt. 2. ad fin. Etsi præter opinionem res ciciderat, tamen etc. Ter. Andr. 5. 2. 23. SIM. Ego jam te commotum reddam. DA. tamen etsi hoc verum est? anche se. SM. tamen. anche. Hic pro quamquam poni videtur, inquit Forcell. et Cic. 13. Fam. 71. Sed tamen, etsi omnium causa velle debeo, tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. Id. 3. Att. 12. Licet tibi significarim, ut ad me venires, tamen intelligo etc. Id. 1. Rep. 16. 25. Etiamsi natura ad humanum exitum abripuit, virtus tamen in cælum dicitur sustulisse. Cæs. 5. B. G. 34. Tametsi a duce deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant. Sall. Cat. 3. sub fin. Quæ tametsi animus aspernabatur, tamen etc. Cic. 1. Rep. 6. 11. Ut verum esset, tamen arbitrarer. Id. 3. Fam. 7. Quum ea consecutus nondum eram, tamen etc. — β) Vel tacitis. Plaut. Mil. glor. 2. 3. 35. Si indicium facio, interii: si taceo, interii tamen. Cic. 1. Fam. 2. sub fin. Cui cum Cato et Caninius intercessissent, tamen est perscripta. Cæs. 1. B. G. 14. a med. Quum ea ita sint, tamen si obsides sibi dentur, se cum iis pacem facturum. Nepos Pausan. 2. extr. Accusatus capitis absolvitur. multatur tamen pecunia. Cic. Harusp. resp. 21. extr. Pro patria solus exarsi: sic tamen, ut vos etc. Id. 1. Att. 18. Hi non sunt permolesti: sed tamen insident et urgent. Phædr. 3. 10. Nil spernat auris: nec tamen credat statim. Sall. Cat. 8. Atheniensium res gestæ satis amplæ fuere: verum aliquanto minores tamen. Tac. Agric. 3. Senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit etc. V. Kritz ad h. l. Adde Germ. 45. — Vel etiam ipsā tacitā sententiā, quæ protasis dicitur, ut adnotat Madvig ad Cic. 2. Fin. 26., ubi plura de hac re, p. 283. — γ) Sæpe tamen post has particulas omittitur. Ter. Adelph. 1. 2. 5., Horat. 1. Od. 28. 35., Seneca 1. Clement. 1. Ex Livio plura exempla congessit Drakenborch ad l. 22. c. 20. Cf. et Kuener ad Cic. Tusc. Disp. 5. 12.

TĀMEN, minis, n. 3. fortasse id quod texitur. Auct. De idiom. gener. p. 584. 48. Keil. Hoc tamen et subtemen, ἡ ῥοδάνη.

TĀMĔNETSI et divisim tamen etsi, conjunctio adversativa, idem quod etiamsi, quamvis, tametsi, benchè. Poll. Asin. ad Cic. 10. Fam. 33. Tamenetsi tantam calamitatem reip. quam tardissime audire optandum est. E~~n. apud Cic. 3. Orat. 42. 168. At Romanus homo tamenetsi res bene gesta est, Corde suo trepidat. Cic. 5. Att. 17. Tamenetsi hoc te haudire ex aliis malo. Catull. 68. 135. Quæ tamenetsi uno non est contenta Catullo, Rara verecundæ furta feremus heræ. Auct. Paneg. ad Pis. 26. tamenetsi bella quierunt, Non periit virtus. Alii pro tamenetsi leg. nec enim si. V. Müller De re metr. p. 273.

TĂMETSI, conjunctio adversativa (tamen et etsi) Etiam divisim tam et si occurrit in Inscript. in Corp. Inscr. Lat. 5. 5050. — Disyllabum usurpavit Lucil. 5. 8. Quo me habeam pacto, tametsi non quæri', docebo. V. Müller de re metr. p. 273. — Tametsi est idem quod quamquam, etsi, καί τοί, εἰ καί (It. sebbene, quantunque, benchè; Fr. bien que, encore que, quoique; Hisp. bien que, aunque; Germ. obgleich, wiewohl, wenngleich; Angl. though, although): jungitur autem in principiis fere indicativo, in medio etiam conjunctivo. ¶ 1. Absolute. — a) Sæpe cum Indicativo. Plaut. Aulul. 4. 10. 38. Tametsi fur mihi es, molestus non ero. Id. Men. 1. 1. 16. Numquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit. Adde Pseud. 1. 5. 56. Ter. Phorm. 2. 3. 81. Metuit hic nos, tametsi sedulo dissimulat. Id. Andr. 2. 2. 11. Obtundis, tametsi intelligo. Cic. 5. Verr. 25. 62. Non mehercule, quæ loquor, crederem, tametsi vulgo audieram, nisi etc. — Inservit correctioni. Id. 6. Verr. 9. 19. Quantam putas auctoritatem laudationis eorum futuram? Tametsi quæ est ista laudatio, quum laudator interrogatus lædat, necesse est? — b) Aliquando cum Conjunctivo in media oratione. Ter. Eun. 2. 1. 10. Memini, tametsi nullus moneas. ¶ 2. Adhibetur sequente tamen. Cæs. 5. B. G. 34. Tametsi a duce deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant. et 7. ibid. 43. Quæ tametsi Cæsar intelligebat, tamen etc. Adde 1. ibid. 3. et 3. B. C. 67., Auct. B. G. 8. 20. et Sall. Cat. 3. Cic. Rosc. Am. 27. 73. Tametsi vicisse debeo, tamen de meo jure decedam. Id. 5. Fam. 1. Tametsi nihil mihi fuit optatius, quam etc., tamen afficior summo dolore etc. Adde Quintil. 9. 3. 2. etc. — Interdum particula tamen secundo loco deest. Sall. Jug. 33. Jugurtha, tametsi in ipso magna vis animi erat, C. Bæbium tribunum plebis magna mercede parat.

TĂMĪĂCA, æ, f. 1. V. voc. seq. in fin.

TĂMĪĂCUS, a, um, adject. ταμιακός, in Gloss. Philox. exponitur fiscalis. Dicitur autem de iis, quæ ad cellarium vel fiscum principis pertinent, quod ταμιεῖον, seu ταμεῖον appellatur, h. e. cellarium, vel fiscus, ærarium, ut eædem Glossæ interpretantur. V. etiam Dirksen ad h. v. Est in Cod. Justin. 11. tit. 68., qui De prædiis tamiacis inscribitur, h. e. de iis, quæ in variis provinciis, præsertim in Cappadocia, fisco principali addicta erant. Ibi Imp. Zeno l. 2. memorat fundos tamiaci juris. Julian. Antecess. Constit. 22. 1. Tamiacæ possessiones. et ibid. 35. 6. mulier. Jul. ep. nov. c. 22. § 83. cingulum sive dignitas. — Hinc

Tamiaca, æ, f. 1. et

Tamiacus, i. m. 2. absolute, substantivorum more, serva vel servus colendis instruendisque tamiacis prædiis adscripti et addicti. Cod. Justinian. 11. 68. 1. Si liber colonus vel colona libera tamiaco vel tamiacæ matrimonii jure copuletur, filii vel filiæ ex hujusmodi contubernio procreati vel procreatæ colonis dominicis adnectentur.

TĂMĪĂCUS, i, m. 2. V. voc. præc. in fin.

TAMINĬA uva, vel taminia absolute, genus uvæ silvestris, quæ Verrio apud Fest. p. 359. 17. Müll. dicta videtur, quæ tam mira (lege rubra) sit, quam minium (Tamus communis Linn.). Cels. 3. 21. ante med. Uva taminia, quam σταφίδα ἀγρίαν Græci nominant. Plin. tamen 23. Hist. nat. 1. 13. (17). falso dicit, eamdem putari a nonnullis atque astaphidem agriam, quum

hæc in apricis nascatur, taminia non nisi in opacis: hæc nigros acinos habeat, taminia rubentes. Adde 26. *ibid.* 13. 86. (138). Cf. TAMNUS.

TĀMĪNO, as, are, a. 1. Etymon petendum a rad. Skr. *tag*, unde *tago* et *tango*, quasi contractum sit a *tagmino*; ideo prima syllaba longa est: sæpius usurpatur in compos. *attamino*, *contamino* etc. — Tamino est idem quod contamino, *contaminare*. *Fest.* p. 363. 13. *Müll.* Taminare, violare: hinc contaminare dictum. Legitur etiam in *Not. Tir.* p. 123. Taminat, attaminat, contaminat.

TAMMŎDO. *V.* TAM.

TAMNĂCUS, i, m. 2. herba eadem ac parthenium, quam vocem vide. *Harduinus* pro *tamnacus* legit *amnacus*; at *Sillig.* leg. *amaracum*.

TAMNE. *V.* TAM.

TAMNUS, i, f. 2. genus vitis silvestris, cujus fructus taminia uva. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 50. (86). In Italia paucissimas (*herbas sponte nascentes*) novimus, fraga, tamnum, ruscum, batin marinam etc. Ita leg. *Harduinus* et *Silligius* ex MSS. *Colum.* 10. *R. R.* 373. Lubrica jam lapathos, jam tamni sponte virescunt. *Alii leg. rhamni*: quod improbat *Pontedera* in *Antiqu. Gr. et Lat.* p. 577., et tamnum esse monet bryoniam nigram ejusque caulem hodieque in Italia in rusticas cenas legi et vulgo *tanno* appellari. Adde *Apic.* 4. n. 127.

TAMQUAM *vel* tanquam, adverb. De scriptione Cf. TAMDIU init. Ceterum utraque scriptio proba auctoritate se tuetur. V. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 5050., 34. et 37. et apud *Orell.* n. 3787. — Tamquam est veluti, quemadmodum, sicut, ceu, ὥσπερ (It. *come*, *tanto quanto*; Fr. *comme*, *comme si*, *de même que si*; Hisp. *como*, *asi que*, *como si*; Germ. *so sehr als*, *sowie*, *gleichwie*, *wie wenn*; Angl. *as*, *just as*, *as it were*). Universim hæc particula sub eodem verbo eumdem casum regit ac habet propositio, quæ præcedit, nisi constructionis ratio alium postulet. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 5. 2. 8. tenebræ ibi erant tamquam nox. *Id. Pers.* 4. 4. 32. tamquam dii omnes, qui cælum colunt. *Ter. Andr.* 3. 3. 61. Inspicere tamquam in speculum. *Id. Phorm.* 1. 2. 14. Nostin ejus natum Phædriam? DA. tamquam te. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ante med.* Quod video tibi etiam novum accidisse, tamquam mihi. *Id.* 1. *Tusc.* 45. 109. Gloria virtutem tamquam umbra sequitur. *Id. Vatin.* 2. 4. Repente enim te, tamquam serpens e latibulis, tumidis cervicibus intulisti. Adde 1. *Rep.* 24. 38. *Id.* 3. *ibid.* 15. 25. Commenti sunt se de terra tamquam hos ex arvis musculos exstitisse. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 1. 2. Siquidem habeat magnitudinem et percussum fortiorem, tamquam jugi somno dormientium. *h. e.* utpote. — *Tac. Agric.* 33. Deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt. *h. e* pariter atque. — *b*) Cum particulis *sic*, *item*, *ita* et hujusmodi, sive ante sive post. *Cic. Brut.* 74. 258. Ætatis illius ista fuit laus, tamquam innocentiæ, sic Latine loquendi. *Id.* 5. *Tusc.* 5. 13. Tamquam levia vina nihil valent, in aqua, sic Stoicorum. *Id.* 13. *Fam.* 69. Apud eum sic Ephesi fui, tamquam domi meæ. *Id. Brut.* 18. 71. Nam Odyssea Latina est, sic tamquam opus aliquod Dædali. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. *sub fin.* Nec te obrui tamquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas. *Id. post redit. ad Quirit.* 1. *sub fin.* Sed tamquam bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt; sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant. *Ter. Eun.* 2. 2. 33. Tamquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis vocabula, parasiti item ut Gnatonici vocentur. *Cic. Senect.* 23. 88. E vita ita discedo, tamquam ex hospitio. — *c*) Sequente *si* cum verbis, condicionem significat relativam atque comparativam. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 21. Tamquam si claudus sim, quum fusti est ambulandum. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *sub fin.* De Dolabella quod scripsi, scadeo, videas, tamquam si tua res agatur. *co-me se.* et *Rosc. Am.* 32. *a med.* Qui tamquam si offusa reipublicæ sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 2. 2. Omnes, tamquam si tu esses, ita fuerunt. *Liv.* 40. 9. Ita me audias, tamquam si mihi quiritanti intervenisses. — Interdum *si* omittitur. *Cic.* 12. *Fam.* 9. Tamquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos. *Id. Brut.* 1. *extr.* Tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur. *Liv.* 41. 24. Tamquam regum arcanis interesset, omnia scit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (154). Tamquam nesciamus, hanc esse solam, quæ numquam irascatur homini. — *d*) Adjecto *met*, ad addendam emphasin. *Plaut. Curc.* 5. 2. 29. Tamquammet genium meum. *Alii* rectius *leg.* Tamquam me et genium meum: *alii etiam* et *omittunt*. ¶ 2. Speciatim pro quasi vero. *Petron. Sat.* 106. O te feminam simplicem! tamquam vulnera ferro præparata litteras biberint. *Liv.* 42. 3. *ad fin.* Tamquam non iidem ubique dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornandique.

TAMQUAMMET. *V* voc. præced.

TANDEM, adverb. De scriptione *V.* TAMDIU init.; de notatione vero dicendum videtur, duplici constare elemento, h. e. particula *tam*, et demonstrativa *dem*; quam tamen *Döderlein* vult esse apocopen e *demum*. — Tandem est post longam moram, ad extremum, denique, demum, aliquando, τελευταῖον, ὀψέ ποτε (It. *finalmente*, *alla fine*, *in fine*; Fr. *enfin*, *à la fin*; Hisp. *enfin*, *finalmente*; Germ. *endlich*; Angl. *at lenghth*, *at last*, *finally*) ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute *Eun.* apud *Non.* p. 116. 29 *Merc.* Juppiter tibi summe tandem male re gesta gratulor. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 99. Censebam me effugisse a vita maritima, Ne navigarem tandem hoc ætatis senex. *Id. Amph.* 1. 1. 99. Hæc illic est pugnata pugna usque a mane ad vesperum – Sed prœlium id tandem diremit nox interventu suo. *Ter. Adelph.* 5. 3. 8. tandem reprime iracundiam. *Id. Andr.* 3. 4. 7. Tandem cognosti, qui siem. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Tandem milites conscendere in naves jubet. *Id.* 1. *ibid.* 25. Tandem vulneribus defessi pedem referre cœperunt. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 66. tabulas socero dabit atque, Ut legat, orabit, multum Nasica negatas Accipiet tandem. *Plaut. Rud.* 2. 5. 11. Tandem vero serio. *Horat.* 1. *Od.* 23. 11. Tandem desine matrem Tempestiva sequi viro. *finisci una volta di* etc. et 3. *ibid.* 15. 2. Tandem nequitiæ fige modum tuæ. *Ovid.* 1. *Met.* 734. Finiat ut pœnas tandem rogat. Adde *Lucret.* 5. 137. et *Curt.* 6. 7. 12. — *b*) Jungitur cum particula *jam*, ad majorem vim sententiæ. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 39. Aliquam mihi partem hodie operæ des denique: jam tandem ades illico. *Virg.* 6. *Æn.* 61. Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 37. Polliceor, me esse perfecturum, ut jam tandem illi fateantur etc. — *c*) Item cum *aliquando*. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 61. Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum. *Cic.* 11. *Fam.* 28. *circa med.* Tandem aliquando Romæ esse cœpimus. *Id. Quinct.* 30. *ad fin.* Spes est, hunc miserum aliquando tandem posse consistere *Id.* 2. *Cat.* 1. 1. Tandem aliquando L. Catilinam = ex urbe ejecimus. — *d*) Item cum *denique*. *Apul.* 4. *Met.* Tandem denique asinali verecundia ductus. πλεονασμός. Adde 3. *et* 10. *ibid.* et *Ammian.* 26. 5. 13. et 17. 12. 10. *V.* DENIQUE sub *B* 2. — *e*) Præcedente *nisi*. *Apul.* 4. *ibid.* Nemo quisquam fuerit ausus - bestiam vel digito contingere, nisi tandem pigre ac timide quidam lenius etc. ¶ 2. Speciatim sæpe effertur interrogando et urgendo. *Plaut. Truc.* 2. 1. 27. Numqui male nos agimus tandem? *Ter. Andr.* 5. 3. 4. Ain tandem? civis Glycerium est? *Id. Phorm.* 2. 1. 1. Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo? *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Quod si furore atque amentia impulsus bellum intulisset, quid tandem vererentur? *Sall. Cat.* 20. *in fin.* Quæ quousque tandem patiemini, fortissumi viri? *Cic. Partit.* 4. 12. Quonam tandem modo? *Id.* 1. *Legg.* 1. *a med.* Quorsum tandem aut cur ista quæris? *Id.* 1. *Nat. D.* 38. 105. Hoc, per ipsos deos, quale tandem est? *Id.* 2. *Orat.* 3. *circa med.* Quid vos tandem? Crassus: num quidnam, inquit, novi? *Id.* 1. *Rep.* 13. 19. Quid tandem agebatis. *Id Rabir. Post.* 14. 38. Quod genus tandem est istud ostentationis et gloriæ? ¶ 3. Ad illud *Ter. Phorm.* 2. 1. 1. supra *adlat.* hæc habet *Donat.* Tandem hic expletiva conjunctio, ut (*Cic.* 1. *Cat.* 1. 1.) Quousque tandem abutere etc. *Festus* p. 360. 11. *Müll.* Tandem quum significet aliquando, interdum tamen ex supervacuo ponitur, ut apud Terentium in Phormione, quom ait: Itane tandem uxorem duxit etc. At Cicero etiam, inquit *Forcellinus*, duplicat significationem, quom ait (2. *Cat.* 1. 1.) tandem aliquando. Non probabit *Donat.* quod ait de conjunctione expletiva: neque *Festus* quod de supervacua: aut *Servius*, qui utrumque sequitur, ad *Virg.* 1 *Æn* 335. et 373. Habet enim *tandem* his et similibus locis elegantem vim, quæ et in *demum* simili usu apparet Minime vero probabit *Non* p. 405. 33. *Merc.* illud *tandem aliquando* exponens *vix*. Addit *id ibid.* poni *tandem* etiam pro tamen afferens illud *Titinii*: Sin forma odio sum, tandem ut moribus placeam viro. At exponendum videtur potius *saltem*. ¶ 4. Raro ponitur in enumeratione pro *denique* seu *postremo*. *Quintil.* 12. 1. 25. Non forensem quamdam instituimus operam nec mercenariam vocem nec non inutilem sane litium advocatum, quem denique causidicum vulgo vocant: sed virum quum ingenii natura præstantem, tum vero tot pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandem rebus humanis singularem etc. Adde *Lucret.* 5. 137. — Contra *denique* universim pro *tandem* apud *Plaut. Trin.* 4. 2. 43. Lubet experiri, quo evasurus est denique.

Homonym. Differt *tandem* a *postremo* eo, quod *tandem* refertur potius ad tempus, *postremo* usurpatur præsertim in enumerationibus, ut *denique*. *Virg.* 1. *Æn.* 61. Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 104. Quæro igitur vester deus primum ubi habitet; deinde quæ causa quum loco moveat postremo deus quid appetat.

TANDĬU. *V.* TAMDIU.

TANGENS, entis, particip. *V.* TANGO.

TANGĬBĬLIS, e, adject. (tango) qui tangi potest, tactilis, *tangibile*, ἁπτός. *Lactant.* 7. 11. *sub fin.* Ea, quæ visibilia sunt oculis et tangibilia manu. Adde *ibid.* 12.

TANGO, tangis, tĕtĭgi, tactum, tangere, a. 3. *Tago* pro *tango* apud veteres reperitur. *Fest.* p. 356. 27. *Müll.* *Tagit* Pacuvius in Teucro: Ut ego si quisquam me tagit Et *tagam* in Hermiona: Aut non cernam nisi tagam sine dubio antiqua consuetudine usurpavit; nam nunc ea sine præpositionibus non dicuntur, ut *contigit*, *attigit*. Sic *Plaut. Asin.* 2. 2. 106 Cavebis, ne me attigas; si me tagis, næ hodie malo cum auspicio nomen commutaveris. Alii leg. *taxis* pro *tetigeris*, ut *faxis* pro *feceris*. *Varro* apud *Non.* p. 176. 18. *Merc.* Sed, o Petrulle, ne meum taxis librum — Ratione habita etymi, ducunt a rad Skr. *tag*, ejusdem significationis; unde Gr. θίγω et Lat *tago* et, cum *n* epenthetico, *tango*: sic *pango* a *pago*. Cf. *frango*, *linquo*, *plango*, *scindo* etc. — Part. *Tangens* I. 1.; *Tactus* I. 1. 2. et 6., II. 1. 2. et 4.; *Tacturus* I. 4.; *Tangendus* I. 1. et 8. — Tango est tactûs sensu deprehendo, attingo, contingo, θίγω, ἅπτομαι (It. *toccare*; Fr. *toucher*; Hisp. *tocar*; Germ. *berühren*, *anrühren*; Angl *to touch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 1. 304. Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res. *Plaut. Rud.* 3. 4. 15. Tange utramvis digitulo minimo modo. *Id. Amph.* 1. 1. 157. Quod si ego illum tractim tangam ut dormiat? Cf. I. 6. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Genu terram tangere. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 42. aliquis cubito prope tangens inquiet. *Virg.* 12. *Æn.* 201. Tango aras, medios ignes et numina testor. Adde 3. *ibid.* 324. *Ovid.* 11. *Met.* 308. virgaque movente soporem Virginis os tangit *Propert.* 3. 19. 15. qui tactas in fœdere ruperit aras. *Ovid.* 1. *Art. am.* 575. rapias illius tacta labellis Pocula. *Id.* 3. *Trist.* 4. 18. Sic cadit, ut tacta surgere pos-

sit humo. *Id.* 4. *Met.* 386. tactis subito mollescat in undis. *Id.* 4. *Fast.* 740. Tactaque fumanti sulfure balet ovis. *h. e.* fumo sulfuris afflata. Sic 7. *Met.* 326. neque erant tacti, nisi odore, dracones. *Id.* 3. *ibid.* 729. frondes auctumni frigore tactæ. *et* 6. *ibid.* 140. tristi medicamine tactæ Defluxere comæ. *Lex Numæ* apud *Fest.* in *Pellices* p. 222. 5. *Müll.* Pellex aram Junonis ne tangito : si tanget etc. — Cum genetivo, ut Gr. ἅπτομαι, θιγγάνω, usurpavit *Vulgat. interpr. Ital. Matth.* 9. 21. Si tetigero tantum vestimenti ejus. *et Luc.* 6. 19. Quærebat tangere ejus. ¶ 2. Speciatim de loco est adire, ingredi, visere. *Cic.* 3. *Verr.* 10. 27. Verres simul ac tetigit provinciam, statim etc. *Seneca Œdip.* 666. Tangere gressu loca. *Horat.* 3. *Od.* 3. 53. Quicumque mundo terminus obstitit, Hunc tangat armis. *Id.* 1. *ibid.* 3. 24. Non tangenda rates transiliunt vada. *Ovid. Heroid.* 1. 42. ausus es Thracia nocturno tangere castra dolo. *Id.* 4. *Met.* 778. Gorgoneas domos tangere. *Virg.* 4. *Æn.* 612. Tangere portus. *Juvenal.* 13. 44. Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat, Intra quæ puer est. Rursus *Ovid.* 2. *Trist.* 10. 109. Tacta mihi tandem longis erroribus acto Juncta pharetratis Sarmatis ora. *et* 3. *ibid.* 2. 18. Et pœnæ tellus est mihi tacta meæ. ¶ 3. Item, de loco, contiguum esse. *Cæs.* 5. *B. G.* 3. Hæc civitas Rhenum tangit. *Cic. Mil.* 19. *a med.* Villa, quæ viam tangit. *Id. Rosc. Am.* 7. *a med.* Fundi decem et tres, qui Tiberim fere omnes tangunt. ¶ 4. Item pro sumere, capere, auferre, furari, *pigliare, torre, rubare. Plaut. Aulul.* 4. 10. 10. Cur id ausus facere, ut id, quod non tuum esset, tangeres? *metter la mano su quel d'altrui.* et *Ter. Adelph.* 2. 1. 24. Tetigin tui quidquam? *Cic.* 2. *Fam.* 17. *ante med.* De præda mea teruncium nec attigit nec tacturus est quisquam. *Id.* 2. *leg. Agr.* 25. *sub fin.* Idcirco agros nominare non possum, quia tangam nullum ab invito. ¶ 5. Item gustare. *Plaut. Pœn.* 1 2. 34. Nisi multa aqua macerantur, salsa sunt, tangere ut non velis. *Ovid.* 3. *Fast.* 745. Ut Satyri levisque senex tetigere saporem, Quærebant flavos per nemus omne favos. *Id.* 7. *Met.* 750. non illa canes avidæque volucres, Non cani tetigere lupi. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 87. Tangere cibos dente. — Ἐλάττωσις seu extenuatio est in illo *Plauti Mil. glor.* 3. 2. 10. Tetigit calicem clanculum. *h. e.* exhausit. ¶ 6. Item pulsare, percutere, ferire. *Ovid. Remed. am.* 336. Tangere chordas. *Horat.* 3. *Od.* 26. 11. sublimi flagello Tange Chloen semel arrogantem. *Tibull.* 4. 1. 97. signata cita loca tangere funda. *Cic.* 15. *Att.* 11. Quemquam oportuisse tangi. *h. e.* occidi. *Ovid.* 2. *Trist.* 144. ulmus fulmine tacta Jovis. — Hinc *de cœlo tactus*, fulmine ictus, *percosso dal fulmine*, κεραυνοβλής. *Virg.* 1. *Ecl.* 17. De cælo tactæ quercus. *Cic.* 2. *Divinat.* 21. 47. Nattæ statua aut æra legum de cælo tacta. *Liv.* 25. 7. Tacta de cælo multa : duæ in Capitolio ædes, vallum in castris etc. Adde 29. 14. *et alibi sæpe.* et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 4. 4. Simulacrum a cælo tactum. — Et absolute. *Id.* 2. *ibid.* 54. 55. (144). Tacta ædes Junonis. — Hic autem loquendi modus κατ' εὐφημισμὸν adhibebatur, ut abstinerent a verbis mali ominis, quæ sunt percutere, icere etc. ¶ 7. Item in re obscena est vitiare. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 25. Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor, quin eam habeam potissimum. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 54. matronam nullam ego tango. *Catull.* 21. 7. insidias mihi instruentem Tangam te prior irrumatione. Adde *Ter. Eun.* 4. 7. 27. et *Phorm.* 5. 8. 5. ¶ 8. Item tingere, liquore aspergere, illinere. *Ovid.* 5. *Fast.* 441. Rursus aqua tangit. *asperge, bagna.* et 4. *ibid.* 790. sparsa tangere corpus aqua. *Pers.* 3. 44. oculos tangebam parvus olivo. *Tibull.* 1. 9. 52. luto corpora tangit Amor. *h. e.* pallore inficit. *Propert.* 4. 8. 86. Terque meum tetigit sulfuris igne caput. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (38). Si superior palpebra saliva tangatur. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. *a med.* Fimo bubulo ima planta tangenda est. *et* 3. *ibid.* 25. *circa med.* Felle lacertæ viridis si tangantur cacumina. — *Tingere* in plerisque adlatis locis reponunt alii; sed saniores critici *tangere* defendunt. — Hinc *tangere aves*, sc. *visco*, apud *Petron. Sat.* 109. Per antennam pelagiæ consederant volucres, quas tectis arundinibus peritus artifex tetigit.

II.) Translate. ¶ 1. Est afficere, movere animum, perturbare. *Cic.* 2. *Att.* 19 Minæ Clodii contentionesque, quæ mihi proponuntur, modice me tangunt. *Virg.* 1. *Æn.* 466. Sunt lacrimæ rerum : et mentem mortalia tangunt. *Ovid.* 3. *Art. am.* 541. Nec nos ambitio nec amor nos tangit habendi. *Id.* 10. *Met.* 614. Nec forma tangor, poteram tamen hac quoque tangi. *Id.* 4. *ibid.* 164. Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes. Sic *Tertull. Apolog.* 40. Invidia cælum tundimus, Deum tangimus; et quum misericordiam extorserimus, Juppiter honoratur a vobis, Deus negligitur. *Ovid.* 5. *Fast.* 489. si te proverbia tangunt. *Liv.* 3. 17. Si vos urbis, si vestri nulla cura tangit, at veremini deos. *Val. Flacc.* 8 198. et te, fidissime rector, Haud vani tetigere metus *Seneca Phœniss.* 301. Non patris illos tangit afflicti pudor, Non patria. *et Hippol.* 27. Si quem tangit gloria silvæ. *Propert.* 3. 1. 39 Carminis interea nostri redeamus ad orbem, Gaudeat ut solito tacta puella sono. *et ibid.* materno tacta dolore Thetis. Sic *Vulg. interpr. Gen.* 6. 6. Tactus dolore cordis intrinsecus. *Ovid.* 10. *Met.* 636. rudis primoque Cupidine tacta. *ferita.* — Cum Infinito. *Ovid.* 5. *Fast.* 73. Hinc sua majores posuisse vocabula Majo, Tangor et ætati consuluisse suæ. *h. e.* inducor ut credam. ¶ 2. Item decipere, circumvenire, fraudare. ductum a tangendis visco avibus : vel a *tango*, qua ferire significat. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 118. Si neminem alium potero, tuum tangam patrem. *Id. Epid.* 5. 2. 40. Istis te tetigi triginta minis. *Id. Pœn.* 5. 5. 7. Ære militari tetigero lenunculum. *Id. ibid. prol.* 101. Tangere hominem vult bolo. *Turpil.* apud *Non.* p. 408. 27. *Merc.* Mihi est iratus pater, quia se talento argenti tetigi. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 39 Tactus sum vehementer visco. *son forte invescato dall' amorosa pania.* et *Pseud* 5. 2. 13. Probe tactus Ballio est. *h. e.* circumventus et fraudatus. *Vet Poeta* apud *Cic.* 2. *Orat.* 64. 257. Sentin senem esse tactum triginta minis? *V.* BOLUS. — In his quoque ἐλάττωσις seu μείωσις est, h. e. extenuatio; ¶ 3. Item dicto pungere, mordere. *Ter. Eun.* 3. 1. 30. Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio. *Fest.* p. 356 *Müll.* Tangere maledictis. ¶ 4. Item pro leviter et paucis memorare, breviter dicendo tractare. *Lucil.* apud *Jul. Rufinian. De schemat. lex.* in *Antiphrasi.* Non tango, quod avarus homo quodque improbu', mitto *Cic. Rosc. Am.* 30. 83. Neque omnia dicam et leviter unumquodque tangam. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 44. *a med.* Ubi Aristoteles ista tetigit? *Ter. Phorm.* 4. 4. 10. Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere aut nominare uxorem? *Cic* 2. *Orat.* 10. *ad fin.* Illud tertium, quod a Crasso tactum est. *toccato, accennato* et *Manil.* 3. 21. spatio majore canenda, Quam si tacta loquar, Romanæ gentis origo. *h. e.* tractata ab aliis, vulgata et nota. ¶ 5. Item pro spectare, adficere. *Cod. Theod.* 11. 16. 4. Quæ res neglecta verecundiam tangit. *et* 9. 2. 2. Quem crimen pulsat, quem negotium tangit. ¶ 6. Item pro suscipere, aggredi. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 17. Aversis utinam tetigissem carmina Musis Adde *Propert* 3. 3. 16. ¶ 7. *Tangere acu rem*, aliquid optime perspicere, ipsam rem divinare, *toccare il punto, colpire nel segno.* V. ACUS. Similiter *Seneca Œdip.* 795. Viduam relinques? OEDIP tangis en ipsos metus. ¶ 8 Apud Mathematicos, de figuris geometricis. *Boeth. Art. geom.* p. 378. Circuli se invicem contingere dicuntur, qui tangentes sese invicem secant. Adde *ibid.* p. 413. et *Cassiod. De geometr.* ¶ 9 Prægnanti, ut ajunt, censu. *Vulg. interpr. Marc* 10. 13. Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. *h. e.* ut manibus impositis iis bene precaretur. *Id. Joh.* 20. 17. Noli me tangere. *h. e.* noli in pedum meorum complexu et osculis diutius inhærendo moras nectere. V. *Patrizi* in *h. l.*

TANGŎMENAS facere, *h. e.* perpotare, congræcari, Italice *far gozzoviglia*. habetur apud *Petron fragm. Tragur.* 34. et 73. *Burmann.*, ubi alii leg *tengomenas* a τέγγω, madefacio: alii *tingomenas* a tingendo terram reliquiis meri e poculis dejectis, alii alia ratione interpretantur. V. *Burmann. ibid.* Porro *tangomenas facere*, ex sententia *Fr. Oriolii* in *Opusc. litter. Bologn. T.* 1. *p.* 60., est sermo abruptus, in quo subauditur *noctes* vel *horas* vel *labeas* (*scil.* madefacere). insulsum enim hominem, qualis fuisse hic fingitur Trimalchio, ἐλλειπτικῶς loqui decet. Ita el. *Furlanetto* Sed *Muncker, Buecheler*, alii, restituerunt τέγγε πνεύμονας, quod est principium cantici nobilissimi *Alcæi* (*fragm.* 30. *p.* 715. ed. *Bergk.*), quamquam *Buecheler* in altera sua *Petronii* edit. dedit *tengomenas* pro *tangomenas* Græcis litteris adhærens. *Georges* vero pro vulgato *tangomenas* habet *tengomenas*, Gr. τέγγω μῆνας, humecto seu madefacio lunas, sc. perpoto totam noctem : ita ut pænultima syllaba producenda sit.

TANĬĀCÆ, ārum, f. plur. 1. partes suillæ longiores, ut costæ et offa penita, σχελίδες πλευρίδες. *Varro* 2. *R. R.* 4. *ante med.*, ubi alii leg. *tanacæ* eod. sensu : alii rectius *tæniacæ*. V TOMACINA.

TANNE. V. TAM init.

TANOS, i, m. 2. gemmæ genus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 19. (74). Inseritur smaragdis et quæ vocatur tanos, e Persis veniens gemma, ingrate viridis atque intus sordida.

TANPISTER. *V.* TANTISPER.

TANQUAM. *V.* TAMQUAM.

TANTĂLUS, i, m. 2. nomen avis, quæ vulgo ardea dicitur. *Isid.* 12. *Orig.* 7. 21. Ardea vocatur quasi ardua. Hunc multi tantalum nominant.

TANTĪ. *V.* TANTUS.

TANTĪDEM. *V.* TANTUSDEM.

TANTILLŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* tantillus, tam parvus, tantulus. *Apul.* 2. *Met.*

TANTILLUS, a, um, adject *deminut. a* tantulus, fere idem quod tantulus, *tanto poco o piccolo*, μικρός, ὅσος. — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 61. Monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat. *Id. Truc.* 2. 6. 56. Hocine mihi ob labores tantos tantillum dari? *Ter. Adelph.* 4. 2. 24. Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis. δεικτικῶς, adhibendo gestum, quo res parva significetur. *Augustin.* 15. *Civ. D.* 14. Tantillus annus. — *b*) Sequente alia particula *Cels.* 2. 8. Optimum est, febrem omnino non esse : secundum est, tantillam esse, ut etc. *Daremberg* leg. *tantulum.* — Hinc

*Tantillum*, i, n. 2. absolute, substantivorum more, res tantula, *un tantino.* — *a*) Absolute. *Plaut. Most.* 2. 1. 47. Intus potate haud tantillo hac quidem causa minus. Sic *Catull.* 99. 5. nec possum flentibus ullis Tantillum vostræ demere sævitiæ. *un tantino.* Simili ratione adhibentur *hic* et *hoc* a *Ter., Plaut., Tibull.* V. HIC. — *b*) Sequente alia particula. *Plaut. Stich.* 4. 2. 40. Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi sat est loci. *Id Rud.* 4. 4. 106. Si hercle tantillum peccassis, quod posterius postules te ad verum converti, nugas magnas egeris.

TANTISPER adverb. *Tanpister* pro *tantisper* per transmutationem, quam exponit et inter barbarismos recenset *Diomed.* p. 453. 1. *Keil.* — Originem ducit a *tantus*, adjectâ particulâ syllabica *per*, quæ est parelcon, ut Græce ab ὡς fit ὥσπερ. Cf. *aliquantisper, parumper* et hujusmodi. — Tantisper est idem fere ac tamdiu, *tanto tempo*, μέχρι τοῦ μέχρις ἄν. Usurpatur autem ¶ 1. Generatim — 1.°) Cum aliis particulis. — *a*) Sequente *dum. Plaut. Most.* 3. 1. 153. Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar. Adde *Men.* 31. 3. 11. *Ter. Heaut.* 1. 1. 54. Ego te meum esse dici tantisper volo, dum, quod te dignum est, facies. *Cic.* 2. *Invent.* 50 149. Deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem dejectus in profluentem deferretur, compararetur Adde 9. *Fam.* 2. — *b*) Item *quoad. Gell.* 6. 4. Viveret tantisper, quoad

fieret permutatio. *Ulp. Dig.* 43. 18. 3. *ad fin.* Qui vult ire, agere tantisper, quoad de servitute constet. — *c*) Item ut et conjunctivo. *Apul.* 9. *Met.* Quin mihi manum tantisper accommodas, ut exobrutum protinus tradatur emptori. — 2.°) Absolute pro aliquanto tempore. *Plaut. Aulul.* 4. 5. 6. Tantisper hic ego ad januam concessero. *Cic.* 12. *Att.* 14. Totos dies scribo, non quo proficiam quid, sed tantisper impedior. Adde *Cæcin.* 10. 30. *et* 12. *Att.* 14. ¶ 2. Speciatim notat interea. *Cic.* 1. *Tusc.* 7. *ad fin.* Sed video, quid efficiat: tantisper hoc ipsum magni æstimo, quod pollicetur. *Liv.* 1. 3. Tantisper tutela muliebri res Latina et regnum avitum paternumque puero stetit. Adde *ibid.* 22. *a med.* Alii tamen in his locis interpretandis a priore significatione non discedunt.

TANTĪTAS, ātis, f. 3. (tantus) magnitudo, extensio alicujus rei. *Virg. Gramm. excerpt. p.* 196. 2. *Keil.* Qualis talis, quantus tantus ex primis nominibus veniunt, ut qualitas talitas, quantitas tantitas. *Id.* tamen nulla scriptoris auctoritate usum vocis confirmat.

TANTO. *V.* TANTUS.

TANTŎPĔRE *et rectius divisim* tanto opere, adverb. De diversa scripturæ forma et significatione in hoc et in aliis hujusmodi, ut *magnopere, maximopere* etc. disputant *Lindemannus De adv.* 4. *p.* 19., *Gernhardus* ad *Cic.* 1. *Off.* 1. 3., alii. V. *Hand T.* 3. *p.* 576. *et seq.* et *Hildebr.* ad *Apul.* 2. *Met.* Cf. MAGNOPERE. — Tantopere est tantum, tam vehementer, usque adeo, τηλικοῦτον, τοσοῦτον (It. *tanto, sì grandemente;* Fr. *avec tant de peine, tant, tellement, si fort;* Hisp. *si grandemente, si bien, tanto;* Germ. *so sehr, so viel;* Angl. *so much, so greatly*). — *a*) Universim. *Plaut. Most.* 2. 2. 92. Cur tantopere extimueras? *Id. Cas.* 3. 2. 9. Hoc erat ecastor, quod me vir tanto opere orabat meus. *Ter. Heaut.* 4. 5. 38. hoc, quia dudum tantopere jusseras, Eo cœpi. *Id. Adelph.* 5. 8. 22. Si vos tantopere istuc vultis, fiat. *Cic. Mur.* 10. 23. Istud nescio quid, quod tantopere didicisti. — *b*) Cum particulis relativis. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Quantopere eorum animi magnitudinem admiraretur, tantopere licentiam arrogantiamque reprehendere. *Cic.* 1. *Orat.* 35. *ad fin.* Neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere ejus in causis orationa delector. *Quintil. in epist. ad Tryphon.* Si tantopere efflagitantur, quam tu affirmas. *Nepos Att.* 7. Attici quies tantopere Cæsari fuit grata, ut etc. — *c*) Inverso ordine. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 1. Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quæsere.

TANTŬLUM. *V.* voc. seq. in fin.

TANTŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* tantus, tam parvus, *sì piccolo, sì poco,* τοσουτοσί. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 31. Non tantulum - Umquam intermittit tempus, quin eum nominet. *Cæs.* 2. *B. G.* 30. Homines tantulæ staturæ tanti oneris turrim etc. *et* 4. *ibid.* 22. Neque has tantularum rerum occupationes sibi Britanniæ anteponendas judicabat? *Cic. Senect.* 15. 52. Quæ ex fici tantulo grano aut ex acino vinaceo aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. *Id.* 4. *Att.* 8. *ad fin.* Dices, tantulane causa? *Gell.* 13. 19. Tantula ætas. *Apul. De mag.* dos. *Cels.* 2. 8. cibus. — Cum partic. ut. *Cic.* 3. *Tusc.* 27. 66. Dolorem tantulum malum esse, ut a virtute obruatur. *Alii leg.* tantillum. — Hinc absolute

*Tantulum,* nomen et adverbium. ¶ 1. *Tantulum, i,* n. 2. substantivorum more. *Cic.* 4. *Verr.* 38. 93. Et vendidisset, si tantulum moræ fuisset, quominus ei pecunia illa numeraretur. *Id. Rosc. Am.* 39. *a med.* Si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset. *Id.* 15. *Att.* 27. *sub fin.* Nec quidquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem præterieris. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 59. qui tantuli eget, quantum est opus. — *Cic. Rosc. Am.* 45. 130. Deinde cur tantulo venierint. *Potest subintelligi* pretio. ¶ 2. *Tantulum,* adverbialiter, est tam parum, *un tantino. Cic.* 7. *Verr.* 68. *ad fin.* De omnibus nobis siquis tantulum de recta regione deflexerit. *Id. ibid.* 71. Si tantulum oculos dejecerimus, præsto esse insidias.

TANTUM. *V.* TANTUS.

TANTUMMŎDO, adverb. Aliquando etiam disjungitur per tmesin. *Quintil. Declam.* 340. Hoc insigne non tantum libertatis modo, sed etiam dignitatis esset. — Tantummodo est idem ac solummodo, solum, μόνον, μόνως (It. *solamente;* Fr. *seulement;* Hisp. *solamente;* Germ. *nur;* Angl. *only*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) Absolute. *Cæs.* 1. *B. C.* 62. Pedites tantummodo humeris ac summo pectore exstare. *Cic.* 6. *Rep.* 22. 24. Homines populariter annum tantummodo solis, id est unius astri reditu metiuntur. *Id.* 4. *ibid.* 6. 14. Omnis ea indicatio versatur tantummodo in nomine. Adde 2. *Nat. D.* 32. 81. — 2.°) Jungitur cum aliis particulis. — *a*) Cum *sed, sed etiam,* præcedente part. negativa. *Id.* 3. *Orat.* 14. 52. Neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. *Liv.* 9. 37. Neque e silvis tantummodo promota castra, sed etiam in campos delata acies. — *b*) Cum *ut. Cic. Sull.* 10. 30. Quæ omnia suppressa voce dixit, tantummodo ut vos, qui ea probabatis, possetis exaudire. ¶ 2. Speciatim pro dummodo. *Sall. Jug.* 81. *sub fin.* Quum Pœni aliam condicionem, tantummodo æquam, peterent. *sol che, pur che fosse giusta.* et *Att.* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. *ante med.* Tantummodo Cnæus noster ne, ut urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat. ¶ 3. Πλεονασμός est in illo *Sueton. Tib.* 11. *ante med.* Unum hoc tantummodo, neque præterea quidquam etc.

TANTUNDEM. *V.* TANTUSDEM.

TANTUS, a, um, adject. Ad scriptionem quod attinet, veteres scripsisse *tamtus* cum *m* pro *tantus,* colligitur ex *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 206. *l.* 38., 40. et 43.; immo per *m* scribendum esse docet *Cornutus* apud *Cassiod. Orthogr.* 1. *post med.* V. litt. M. et *Brambach p.* 4. *et* 266. — Etymologorum alii deducunt a Skr. *ta,* is, unde *tam, talis* etc., adjecta terminatione ut in v. *quantus;* alii vero minus probabiliter a Skr. *tan,* extendo. — Tantus ¶ 1 Sæpius rem auget et est tam magnus, τόσος, τηλικοῦτος (It. *sì grande, cotanto, tanto;* Fr. *aussi grand;* Hisp. *si gran;* Germ. *so gross;* Angl. *so great, so much*): cui respondet *quantus* vel expresse vel tacite. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 2. 61. Tantilla tanta verba funditat. *Id. Bacch.* 1. 2. 15. stultior es barbaro Poticio, Qui tantus natu deorum nescis nomina. *sì vecchio.* et *Pœn.* 5. 4. 105. hac me lætitia tanta et tantis affecistis gaudiis. *Ter. Eun.* 3. 5. 50. flabellulum tenere te asinum tantum. *tanto fatto, sì grasso e grande.* et *Cæs.* 3. *B. G.* 11. Ne tantæ nationes conjungantur. *sì potenti.* et *Sall. Cat.* 40. Tanta ista mala. *Cic.* 1. *Orat.* 10. *ad fin.* Ista tanta tamque multa profitenda non censeo. *Id.* 2. *ibid.* 20. 84. Non idem sentio tanta hac in re tamque immensa posse fieri. *Id.* 2. *Verr.* 16. 47. Tot tantaque vitia. *Id.* 3. *Nat. D.* 38. *extr.* Conservare urbes tantas atque tales. *Id.* 13. *Fam.* 66. Quæ tua sponte faceres in hominem tantum et talem. *Nepos Hannib.* 13. Hic tantus vir (*Hannibal*) tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit litteris. *Nepos Phoc.* 1. In summa paupertate tantam paternam tueri gloriam. *Virg.* 2. *G.* 154. neque tanto tractu se colligit anguis. *Id.* 5. *Æn.* 404. tantorum ingentia septem Terga boum - rigebant. Rursus *Cic.* 1. *Rep.* 3. 4. Neque solum in tantis rebus, sed etiam in mediocribus vel studiis vel officiis. *Id.* 2. *Nat. D.* 5. 15. In tantis motionibus tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum atque tantarum ordinibus. *Id. Rosc. Com.* 8. *ad fin.* qui tantas et tam infinitas pecunias repudiarit. *Curt.* 3. 1. 10. Totis viribus tanti belli discrimen aditurus. *Id.* 3. 5. 5. In tanto impetu cursuque rerum. — *Virg.* 1. *Æn.* 33. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. ἐπιφώνημα. Cf. *Quintil.* 8. 5. 11. — Tanto opere, tam vehementer, tantum *V.* TANTOPERE. — *b*) Cum aliis vocibus aliqua ratione vel relatione sibi conjunctis. — *α*) Cum partic. *ita* ad majorem vim. *Plaut. Amph.* 5. 1. 5. Ita tanta mira in ædibus sunt facta. *tante meraviglie.* Sunt qui referunt ad numerum, ita ut sit non tam magna sed tam multa. — *β*) Cum Genetivo partitivo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (121). Jugi modici occursu tantus ille ventorum coercetur. *quel fra i venti sì grande.* — *γ*) Sequente *ut* finali vel comparativo. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tanta erat operis firmitudo, ut etc. *Cic. Rosc. Am.* 43. 125. Non fuit tantus homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur. Adde *Curt.* 4. 10. 29. *Seneca* 3. *Ira* 4. Irascentem varie aggredieris blandeque: nisi forte tanta persona eris, ut possis iram comminuere. *così accreditata e potente.* — *Cic.* 1. *ad Brut.* 9. Est alienum tanto viro, ut es tu. *come.* Cf. *Tac. Agric.* 20. Tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniæ nova pars. *Nepos Ages.* 4. Tanta modestia dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartæ. Adde *Cic.* 3. *Verr.* 2. 3. V. *Kritz* ad *Sall. Jug.* 62. et *Hist. fragm.* 3. 77. *p.* 266. — *δ*) Cum relativo *qui. Cic. Marcell.* 3. Nulla est tanta vis, quæ non ferro ac viribus frangi possit. *Id. Sull.* 2. *extr.* Statuerunt, tantum illud esse maleficium, quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet. — *ε*) Et sæpius cum *quantus. Cæs.* 2. *B. G.* 11. *in fin.* Tantam eorum multitudinem interfecerunt, quantum fuit diei spatium. *Cic.* 6. *Phil.* 7. 18. Multas magnasque habui consul contiones: nullam umquam vidi tantam, quanta nunc vestra est. *Id. pro leg. Manil.* 11. 29. Quæ tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus. *Id. ibid.* 16. 48. Qui tantas res auderet optare, quot et quantas - detulerunt. *Sall. Cat.* 58. Quanta cujusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere potest. *Cic. Amic.* 20. 74. Improbi bonis amici esse non possunt, quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia. *Seneca* 7. *Controv.* 17. Romulus non tantam urbem fecit, quantam Cicero servavit. — *ζ*) Raro cum partic. *quam,* sive ante sive post. *Virg.* 6. *Æn.* 352. maria aspera juro, Non ullum pro me tantum cepisse timorem, Quam tua ne spoliata armis etc. *Sympos. v.* 6. *p.* 527. *Wernsd.* Quam piger est annus, tantam non segnis it alter. — 2.°) Speciatim refertur ad numerum et est pro *tot* in plur. num. vel poetice in sing. — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 37. Quasi mihi non sescenta tanta soli soleant credier. Cf. *Amph.* 5. 1. 5. et *Cas.* 3. 5. 4. *Lucan.* 7. 834. numquam se tanto vulture cælum Induit. *Val. Flacc.* 5. 636. quid tantæ coeunt in prœlia gentes? *Stat.* 11. *Theb.* 160. ut lamentabile tantis Urbibus induerem capiti decus. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 171. Arebant tantis epoti millibus amnes. *Maximian. Eleg.* 1. 117. Me vero heu tantis defunctum partibus olim etc. Adde *Tertull. Apolog.* 1. *Id. ibid.* 40. Tantos (*Christianos*) ad unum? *Vulg. interpr. Joh.* 6. 9. Sed hæc quid inter tantos? Adde *Matth.* 15. 33. — *b*) Cum relativo *quantus. Cajus Dig.* 30. 1. 64. Legatum valet in tantos, quanti inveniantur. εἰς τοσούτους ὅσοι. *Imp. Constantin. Cod.* 11. 47. 7. Tanti quoque servi et originarii transeant, quanti apud superiores dominos et possessores vel in soliditate vel in parte manserunt. Adde *Manil.* 5. 170. — *c*) Huc trahi posse videntur et hæc. *Cic.* 5. *Verr.* 43. 102. Intelligetis sexies tantum, quam quantum satum sit, ablatum esse ab oratoribus. *sei volte tanto.* et *Auct. B. Afr.* 19. *ad fin.* Cum equitibus MC. peditum ac levis armaturæ quater tantis. Adde *Liv.* 3. 17. Sic *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 52. Decem tanta te amo. *dieci volte altrettanto.* — *d*) *Alterum tantum.* V. ALTER sub *B* 3. ¶ 2. Aliquando rem imminuit vel certe non auget, sed simpliciter qualitatem rei exponit. *Cic. pro leg. Manil.* 6. 14. Ceterarum provinciarum vectigalia tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus. *sono tali e tanti:* vel *sì pochi.* et 1. *Fam.* 7. *ante med.* Senatus auctoritas, cui scis

intercessum esse, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 10. *a med.* Si bellum tantum erit, ut vos aut successores sustinere possint. *Augustin. Serm.* 93. Absit, ut tanta virginum multitudo ad tantum virginum numerum revocetur. *h. e.* tantillum, tantulum. — Hinc substantivorum more

*Tanti*, genet. sing. (*subaud.* pretii), pro tanto pretio, *per tanto.* ¶ 1. Proprie. — *a*) Cum relativo *quanti. Plaut. Merc.* 2. 4. 22. Tanti quanti poscit, vin tanti illam emi? *Id. Bacch.* 4. 7. 28. tanti est, quanti est fungus putidus. *Cic.* 5. *Verr.* 84. 194. Frumentum tanti fuit, quanti iste æstimavit. — *b*) Absolute. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Graviter increpuit, tanti habitare censorem. *Id. ibid.* Qui frugiferas arbores tanti taxaverat. ¶ 2. Translate est æstimari seu dignum esse, ob quod aliquid fiat. — *a*) Cum relativ. *quanti, quam, ut. Cic. Amic.* 16. 56. Ut quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. *Id. Mil.* 22. 58. Etsi id quidem non est tanti, quam quod propter eosdem etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. *a med.* Tanti ejus apud me gratiam esse ostendit, uti etc. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 14. Tanti non fuit Arsacem capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hic gestæ sunt, spectaculo careres. *non pagò la spesa.* et *Quintil.* 1. 6. 38. Hoc tanti fuit vertere, ut etc. — *b*) Cum Infinito. *Cic.* 2. *Cat.* 7. 15. Est mihi tanti, Quirites, hujus invidiæ tempestatem subire, dummodo a vobis belli periculum depellatur. — *c*) Absolute. *Ovid.* 2. *Met.* 423. Hoc certe conjux furtum mea nesciet, inquit: Aut, si rescierit, sunt o, sunt jurgia tanti? *Cic.* 2. *Att.* 13. *sub fin.* Juratus tibi possum dicere, nihil esse tanti. *Capell.* 9. *p.* 302. Tanti quippe visum umquam Veneri displicere.

*Tanto*, ablat. sing., comparationi inservit, et quidem — 1.°) Ante adjectiva compar. — *a*) Sequent. *quam* vel *quanto. Cic.* 5. *Verr.* 45. 106. Tanto ne minoris decumæ venierint, quam fuerunt? *Liv.* 2. 20. *a med.* Tanto vi majore, quam paullo ante magister equitum, prœlium init. *Justin.* 14. 4. *sub fin.* Tanto pulcrior hæc Antigono, quam Alexandro tot victoriæ fuerunt: ut quum ille Orientem vicerit, hic etiam eos, a quibus Oriens victus fuerat, superaverit. Cf. *Ovid.* 6. *Fast.* 539. Vix illam subito posses cognoscere, tanto Sanctior et tanto, quam modo, major erat. - *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Quanto erat gravior oppugnatio, tanto crebriores nuntii mittebantur. Adde *Liv.* 5. 10. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (133). Tanto major vis, quanto recentior. — *b*) Cum particula *si. Plaut. Bacch.* 2. 3. 76. mihi sit multo tanto carior, Si etc. — *c*) Absolute. — *Tanto melior*, est formula laudantis, probantis, acclamantis, plaudentis, *tanto meglio! bravo! bene!* et subaud. *es.* (V. *Vavassor. De vi et usu quor. verb.*) *Plaut. Pers.* 2. 5. 24. Omnes sycophanticis instruxi et comparavi, Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SAG. tanto melior! *Id. Truc.* 5. 60. Hem tibi talentum argenti. Philippicum est: tene tibi. PHRO. Tanto melior! noster esto. *Ter. Heaut.* 3. 2. 37. quo pacto id fieri soleat, calleo. CHRE. Tanto hercle melior! *Phædr.* 3. 5. Æsopo quidam petulans lapidem impegerat. Tanto, inquit, melior! assem deinde illi dedit. *Seneca Ep.* 31. Ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, admirabor et clamabo: tanto melior! surge et respira etc. — Huic opponitur *tanto nequior. Ter. Adelph.* 4. 1. 12. SY. Nihilne in mentem? CTES. numquam quidquam. SY. tanto nequior! Adde *Plaut. Men.* 2. 3. 79. — Similia sunt illa *Senec. Tranquill.* 15. *ante med.* Laudemus toties dignum laudibus et dicamus: tanto fortior! tanto felicior! *Plin. Paneg.* 71. Quod factum a cuncto senatu, quam vera acclamatione celebratum est! tanto major! tanto augustior! — 2.°) Ante adverbia compar. *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Quanto superiores sumus, tanto nos geramus summissius. *Id.* 5. *Verr.* 97. 225. Reperietis quinquies tanto amplius istum, quam quantum licitum est civitatibus imperasse. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. Quantum opere processerant, tanto aberant ab aqua longius. *Nepos Pausan.* 4. *sub fin.* Huic ille, quid ex litteris comperisset, aperit. Tanto magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne etc. *Sueton. Tib.* 40. Transiit in continentem potestatemque omnibus adeundi sui fecit: tanto magis, quod ab urbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat. — 3.°) Cum aliis adverbiis. *Plaut. Amph.* 3. 2. 62. Bis tanto amici sunt inter se, quam prius. δὶς τόσῳ. *Id. Pers.* 1. 3. 73. Ter tanto pejor ipsa est, quam tu illam esse vis. *Id. Rud.* 2. 6. 37. Ego multo tanto miserior, quam tu. — 4.°) Et cum partic. *ante, post. Cic.* 7. *Verr.* 34. 89. Si Cleomenes non tanto ante fugisset. *Curt.* 6. 7. *a med.* Existimans, haud incorrupta fide tanto post deferre, quæ audierat. *Virg.* 3. *G.* 476. Nunc quoque post tanto videat etc. — 5.°) Jungitur *tanto* etiam cum verbis comparationem significantibus. *Nepos Hannib.* 1. Tanto præstitit ceteros imperatores, quanto populus R. antecedit fortitudine cunctas nationes. *Id. Epam.* 2. Doctrinis tanto antecessit condiscipulos, ut etc. — 6.°) Cum superlativ. *Catull.* 49. 6. Tanto pessimus omnium poeta, Quanto tu optimus omnium patronus. In quibusd. libr. prior hic versus deest.

*Tantum*, substantivorum et adverbiorum more usurpatur. ¶ 1. Substantivorum more, *tantum* est res tanta et occurrit absolute aut sequent. *quam, quantum, qui* vel *ut.* — 1.°) Universim. — *a*) Refertur sæpe ad rei magnitudinem seu quantitatem eique augendæ inservit. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 5. Sed quid huc tantum hominum incedunt? *Cæs.* 5. *B. G.* 54. Tantum se ejus opinionis deperdidisse. *Cic.* 1. *Rep.* 4. 7. Quamquam nostri casus plus honoris habuerunt, quam laboris, neque tantum molestiæ, quantum gloriæ. *Id.* 1. *ibid.* 48. Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos, sine consiliis et disciplina. *Liv.* 44. 1. Ad tantum fastigii venerit. — *b*) Aliquando tamen rem imminuit vel non auget, sed simpliciter exponit. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. *sub fin.* Præsidii tantum est, ut ne murus quidem cingi possit. *sì poca guarnigione.* et *Cato R. R.* 156. Eo indito salis micam quasi ervum et cuminum fricti tantum quod oleat. *tanto che basti.* et *Plaut. Epid.* 2. 3. 4. Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet. *Liv.* 4. 57. Quum tantum belli in manibus esset, *guerra sì premurosa.* et *Plaut. Bacch.* 2. 3. 37. Vi coactus reddidit ducentos et mille Philippum. NICOB. tantum debuit. *tanta somma.* et *Liv.* 37. 12. Tantum moratus, dum Eumenes cum classe assequeretur, Samum petere intendit. *et ibid.* 39. Tantum progressus a castris, ut dimicaturum appareret. — 2.°) *Tantum est*, hoc et nihil amplius, *tanto e non più. Ter. Eun.* 5. 6. 24. Numquid est aliud mali, quod non dixeris reliquum? PAR. tantum est. *Id. Hecyr.* 5. 3. 15. Tantumne est? BACCH. tantum. *Plaut. Merc.* 2. 2. 11. Numquid amplius? LYS. tantum est. *Id. Cas. prol.* 85. Argentum si quis dederit, ultro ibit nuptum: non manebit haruspices. tantum est. *così è, nè più nè meno: tant'è.* Adde *Trin. prol.* 22. — 3.°) *In tantum*, adeo, tantopere, usque eo, *a tal segno, talmente, sì. Virg.* 6. *Æn.* 876. Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos. *Liv.* 22. 27. In tantum suam felicitatem virtutemque enituisse. ἐπιφάνημα. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 24. Quædam aquæ fervent in tantum, ut non possint esse usui. *Id.* 2. *Benef.* 23. Danti in tantum producenda notitia est muneris sui, in quantum delectatura est eum, cui datur. *Colum.* 12. *R. R.* 24. Quum aqua in tantum refrixerit, quantum ne contacta corpus urat. *Id.* 3. 13. *a med.* Humum in tantum deprimere, donec mensuram datam ceperit. ¶ 2. Adverbiorum more, *tantum* est tam vehementer, tantopere, *tanto*, τοσοῦτον: cui respondet *quantum;* quamquam, ut animadvertit *Madvigius* ad *Cic. Fin.* 1. *p.* 14., *tantum* pro *tantopere* rarius, quoniam *tantum* fere iis modo verbis additur, in quibus magis pro substantivo mensuram indicet, quam pro adverbio gradum. Usurpatur vero absolute aut sequent. *quantum, ut*, et jungitur sæpius cum verbis. — 1.°) Generatim. *Plaut. Most.* 2. 2. 94. Tu, ut occepisti, tantum quantum quis, fuge. *Cic.* 12. *Att.* 18. De fano tantum, quantum me amas, velim cogites. *Juvenal.* 14. 139. Tantum crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. — 2.°) Speciatim, cum adjectivis, sive positivis sive superlativis, pro *tam. Virg.* 4. *G.* 101. Nec tantum dulcia, quantum et liquida. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 80. Juventus Non tantum Veneris, quantum studiosa culinæ. *et ibid.* 3. 313. tantum dissimilis. Ita leg. *Bentlejus;* alii *tanto.* et *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 102. Quum umquam tantum latens atque ita submersa in peritoneo collectio comprobetur. *Vellej.* 2. 11. 1. C. Marius quantum bello optimus, tantum pace pessimus. — 3.°) Item pro *adeo.* — *a*) Sequente *ut* cum Conjunctivo. *Cic. fragm. orat. pro M. Tull.* 3. (edente *A. Maio* in *Class. auct. T.* 2. *p.* 331.) Id ipsum verecunde modiceque faciam, tantum ut nunc me M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat. *Id. Flacc.* 28. 66. Summissa voce agam, tantum ut judices audiant. Adde *Cæcin.* 8. 23. *Nepos Con.* 4. Rex tantum auctoritate ejus motus est, ut Tissaphernem hostem judicaverit. *Augustin.* in *Ps.* 63. Tantumne deseris lucem consilii pietatis, ut hoc dicas etc. — *b*) Absolute. *Plaut. Men. prol.* 16. Tantum ad narrandum argumentum adest benignitas. *Cic.* 4. *Verr.* 54. 134. Ne miremini, qua ratione hic tantum apud istum libertus potuerit. — 4.°) *Tantum abest, ut.* V. ABSUM. — 5.°) Item significat solum, tantummodo, *soltanto, solamente*, μόνον. — *a*) Absolute. *Cic. Flacc.* 15. 34. Dixit publice data. dixit tantum: nihil ostendit. *Id. Parad.* 2. 17. Nomen tantum virtutis usurpas: quid ipsa valeat, ignoras. *Id.* 4. *Verr.* 54. 134. Verrem tantum avaritia semper hiante fuisse, ingenio et cogitatione nulla. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 6. Lucilius hosce secutus, Mutatis tantum pedibus numerisque. *et ibid.* 9. 3. notus mihi nomine tantum. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 101. Tantum ne noceas, dum vis prodesse, videto. *Sall. Jug.* 17. Tantum illud vereor, ne etc. Πλεονασμός est in illo *Cic.* 2. *Att.* 9. *ad fin.* Cogitamus tantum dumtaxat nos defendere. Alii tamen leg. *tum dumtaxat:* alii aliter. V. *Orelli* ad *h. l.* — *b*) Sequentibus particulis. — *Tantum non*, solum non, pæne, propemodum, *quasi*, μονονοῦ, ὅσον οὐ: de re non quidem peracta, sed cui parum omnino deest. *Liv.* 5. 7. Quum agger promotus ad urbem vineæque tantum non jam injunctæ mœnibus essent. *h. e.* solum deerat, ut injunctæ essent: ceterum erant proximæ. *Id.* 34. 40. Tantum non jam captam Lacedæmonem esse. *Id.* 37. 29. *sub fin.* Romanos tantum non jam circumveniri a dextro cornu. *Id.* 4. 2. *ad fin.* Quum hostes tantum non arcessierint. *Sueton. Tib.* 11. Tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit. — *Tantum quod*, vix dum, simul ac commodum. *Cic.* 7. *Fam.* 23. Tantum quod ex Arpinati veneram, quum mihi a te litteræ redditæ sunt. *appena era venuto.* et *Nepos Datam.* 6. Tantum quod ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet. *Alii leg.* vix dum. *Vellej.* 2. 117. 1. Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico bello Cæsar manum, quum etc. *Cic.* 15. *Att.* 13. *sub fin.* Hæc quum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. *Sueton. Ner.* 6. Natus est XVII. cal. Januar. tantum quod oriente sole. *quasi sullo spuntar del sole.* et *Aug.* 98. Alexandrina navis, quæ tantum quod appulerat. *allora allora.* Similia sunt illa *Cic.* 5. *Verr.* 53. *ad fin.* Tantum quod oratoribus Metellus obsides non dedit, se nulla in re Verri similem futurum. *sol non diede, mancò questo solo che non diede.* Alii leg. *tantum non.* et 3. *ibid.* 45. 116. Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere possit, unius hominis causa conscriptum esse. tantum quod hominem non nominat: causam quidem totam perscribit. — Alia est ratio in illo *Livii* 22. 2. *a med.* Jumentorum itinera toto prostratorum passim acervi, tantum quod exstaret aqua, quærentibus ad quietem parvi temporis necessarium cubile da-

bant. *et* 33. 4. *extr.* Cum iis copiis rex hostem opperiebatur. Romanis ferme par numerus erat: equitum copiis tantum, quod Ætoli accesserant, superabant. *h. e.* solum iis superabant, quæ ab Ætolis accesserant. Similiter in illo *Tertull. Apolog.* 3. Bonus vir C. Sejus, tantum quod Christianus. *h. e.* nisi quod, præterquam quod, πλὴν ὅσον, πλὴν ὅτι. — *Tantum modo*, idem ac solum, solummodo; sed in unam vocem conjuncta fere occurrunt. *V.* TANTUMMODO. — *Tantum ne*, est desiderantis, *purchè solo, non. Ovid.* 9. *Met.* 21. Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno Odit.

TANTUSDEM, tantădem, tantumdem *vel* tantundem, adject. — Genet. *tantīdem*, cum pænultima brevi, usurpat *Varro* apud *Non. p.* 480. 31. *Merc.* Quid quasi non curat tantidem Aristoteles. — Vox duplici elemento composita, quod est *tantus* et *dem*, particulâ demonstrativa, de cujus vi *V.* IDEM init. et *Vaniçek p.* 319. *et seq.* — Tantusdem est æque tantus, æque multus, τοσοῦτος (It. *altrettanto; Fr. aussi grand, autant de;* Hisp. *otro tanto;* Germ. *eben so gross;* Angl. *as much, as many, as much again*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum relativ. *quantus, quantulus. Plaut. Pœn.* 3. 3. 20. Malo bene facere tantumdem est periculum, Quantum bono male facere. *Labeo Dig.* 32. 1. 29. Quum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantamdem partem habeat, quantulam unus heres. Ita *Torrentin.*, at *Haloand.* tantulam. — *b*) Absolute. *Pompon. Dig.* 19. 5. 26. Si tibi scyphos dedi, ut eosdem mihi redderes, commodati actio est: si ut pondus argenti redderes, quantum in illis esset, tantidem ponderis petitio est. ¶ 2. Speciatim pro *tantum* simpliciter. *Plaut. Truc.* 2. 5. 7. quæ ausa sum tantundem dolum aggrediri, *sì grande inganno.* Alii leg. *tantum clam dolum.* — Hinc absolute, substantivorum more

*Tantidem*, genet. sing., n. 2. tanti etiam, æque magno pretio, *altrettanto:* cui respondet *quanti.* ¶ 1. De pecunia. *Cic.* 5. *Verr.* 83. *sub fin.* Ibi tantidem frumentum emeret, quanti domi vendidisset. — Absolute. *Ter. Adelph.* 2. 1. 45. Ob malefacta hæc tantidem emptam postulat sibi tradier. *per quel che la mi costa.* et *Cic.* 5. *Verr.* 36. 83. Coegit Segestenses a Docimo tantidem publice accipere. *Alii leg.* tantumdem. ¶ 2. Dicitur et de aliis rebus. *Id. Rosc. Am.* 39. 115. Ipse tria prædia sibi depactus est: voluntatem decurionum ac municipiorum omnium tantidem, quanti fidem suam fecit. — *Plaut. Merc.* 2. 2. 44. decrepitus senex Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete. — Absolute. *Enn.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 32. *Müll.* Tantidem quasi feta canes sine dentibu' latrat. *tanto come.* et *Plaut. Pers.* 1. 2. 18. Ubi quadruplator quempiam injecit manum, Tantidem ille illi rursus injiciat manum.

*Tantumdem*, nomin. vel accus. sing., n. 2. æque tanta res. ¶ 1. Fere de pecunia dicitur. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 64. *et* 109. Tantundem argenti, quantum miles debuit, dedit huic. *Cic.* 5. *Verr.* 87. 201. Magistratibus tantundem detur in cellam, quantum semper datum est, *tanto quanto.* et *Plaut. Pers.* 4. 4. 36. Si tibi subiti nihil est, tantundem est mihi. ¶ 2. De aliis rebus. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Erat vallus in altitudinem pedum decem: tantundem ejus valli agger in latitudinem petebat. *Cic.* 1. *Tusc.* 43. *ad fin.* Undique enim ad inferos tantundem viæ est. *Plaut. Pœn.* 4. 3. 48. Ego tantundem scio, quantum tu. *Plin. præf.* Nec quicquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, ut velles. *Seneca Ep.* 47. Servi sunt? imo conservi, si cogitaveris, tantundem in utrosque licere fortunæ. *Quintil.* 1. 5. 4. Inter duo verba, quæ idem significant ac tantundem valent. *Id.* 6. 2. *ante med.* Virium atque impetus non tantundem exigunt. *Tac.* 2. *Hist.* 50. Tantundem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ. *Ulp. Dig.* 26. 7. 3. Tantundem prætor facit et de his, qui etc. *fa o pratica lo stesso.* ¶ 3. *Tantumdem*, adverbiorum more, pro *tantum*, apud *Isid.* 5. *Orig.* 3. 3. Mos autem longa consuetudo est de moribus tracta tantumdem. *Ita* Codd. *plerique omnes.*

TĀOS, i, m. 2. ταώς, Græce pavo, Latine gemma, ita dicta, quia pavoni similis est. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 72. (187). Taos pavoni est similis, item aspidi, quam vocari chelidoniam invenio.

TĂPANTA, τὰ πάντα, vox Græca Latinis litteris scripta. De uxore divitis, quæ viri animum sibi obnoxium reddidit et sola domi imperat, usurpat *Petron. fragm. Tragur.* 37. *Burmann.* In cælum abiit et Trimalchionis tapanta est. *ella è il factodo o factotum di Trimalcione.* At *Buecheler* leg. *topanta.* Cf. voc. seq.

TĂPANTĬO, ōnis, m. 3. *deminut. a* tapanta, quod omne reliquum, *ogn' altra cosetta*, interpreteris. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 705. *n.* 263. D.·M. SANDALIVS DICIT AMBVLA SEQVAERE (*pro sequere*) ME CVM OENOFORV (*sc.* œnopboro) ET CALICE ET TAPANTIONE. *h. e.* cum reliquis omnibus, quæ ad sacrificium diis Manibus peragendum necessaria sunt. *Fabrettius* autem hæc adnotat: *Scaliger* hanc inscriptionem *Thesauro Gruteri* sui inserendam tradidit *p.* 652. 2. et in Indice grammaticalium posuit inter barbara illud *tapantione*, sed, quid sibi velit, non explicat; ut nobis pudori non sit, nequaquam intelligere, quæ tantum virum effugerunt.

TĀPES, ētis, m., *sæpius* tapete, is, n. 3. *et* tapetum, i, n. 2. (τάπης) Alia forma est *tapeta, æ*, f. 1., de qua idem *Prob.* in *Art. min.* 546. 548. et *tapetus, i,* m. 2. in *Gloss.* 592. *Osbern.* — *Tappetia*, cum duplici *p*, apud *Plaut. Pseud. loc. cit.;* aliter *Ritschelius*, sed perperam: hodieque Itali dicunt *tappeto.* Ita *Schoell* etc. *Anal. Plaut. p.* 162. Cf. etiam *Fest.*, qui *p.* 351. 5. *Müll.* habet *tappete;* legend. tamen *tapete* monet *Müller.* Et rursus apud *Plaut. Stich.* 2. 2. 54. *Cod.* A. — Rectus casus *tapes* caret exemplo: quod et *Charis.* 1. *p.* 45. *Putsch.* et *Prob.* in *Excerpt. De nom. p.* 209. *Keil* adnotarunt. — Accus. sing. *tapeta*, a *tapes*, apud *Sil. It.* 4. 270.; item Abl. sing. *tapete* apud *eumd.* 17. 64.; item Genet. plur. *tapetum* apud *Stat.* 5. *Theb.* 208., et *tapetium* apud *Charis. p.* 62. 1. *Keil.* et *tapetorum* apud *eumd. p.* 62. 2.; item Acc. plur. *tapetas* apud *Virg.* 9. *Æn.* 358. et *Stat.* 1. *Theb.* 518. *et* 10. *ibid.* 107. Adde *Prob. prior. loc. cit.* — Tapes est vestis stragula, fere villosa et variis coloribus et figuris picta, qua parietes, mensæ lecti, pavimenta, equi sternuntur, τάπης, τάπις (It. *tappeto; Fr. tapis, tapisserie;* Hisp. *tapiz, tapete, cubierta;* Germ. *der Teppich;* Angl. *carpet, cover*). *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (192). Est et hirtæ lanæ pilo crasso in tapetis antiquissima gratia. Jam certe priscos iis usos, Homerus auctor est. Aliter hæc Galli pingunt, aliter Parthorum gentes. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 14. Alexandrina belluata conchyliata tapetia. *Id. Stich.* 2. 2. 54. Babylonica peristromata consutaque (*Fleckeis.* conchyliata) tapetia. *Martial.* 14. 147. Stragula purpureis lucent villosa tapetis. *Virg.* 9. *Æn.* 358. craterasque simul pulcrosque tapetas. *et ibid.* 325. Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis Exstructus toto proflabat pectore somnum. *Varro* apud *Non. p.* 542. 15. *Merc.* Cubo in Sardinianis (*al.* Sardianis) tapetibus. *Ovid.* 13. *Met.* 638. positique tapetibus altis Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho. *Virg.* 7. *Æn.* 277. Instratos ostro alipedes pictisque tapetis. *Sil. It.* 17. 64. nullo decorare tapete Cornipedem Nomas assuetus. *et* 4. 270. Sidonio fulgentem ardore tapeta. *Turpil.* et *Cæcil.* apud *Non. p.* 229. 7. *et* 542. 18. *Merc.* Glabrum tapete. *Calpurn. Ecl.* 6. 72. melior viret herba tapetis. *Apul.* 10. *Met.* Me phaleris aureis et fucatis ephippiis et purpureis tapetis et frenis argenteis et pictilibus balteis et tintinnabulis perargutis exornatum etc. *Vulgat. interpr. Prov.* 7. 16. Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Ubi alii per tapetia picta accipiunt delicatissimas easque variegatas sindones, quæ ex præstantissimo lino Ægyptio fiebant.

TĀPĒTA et
TĀPĒTE et
TĀPĒTUM et
TĀPĒTUS. *V.* TAPES.

TĀPĪNŌMA, ătis, n. 3. ταπείνωμα, dictio humilis, *umiltà, bassezza di dire. Sidon.* 4. *Ep.* 3. O eloquium non exilis sed subtilis ingenii, quod nec per scaturigines hyperbolicas intumescit nec per tapinomata depressa tenuatur.

TĀPĪNŎPHRŎNĒSIS, is, f. 3. ταπεινοφρόνησις, animi demissio seu abjectio, apud *Tertull. advers. Psych.* 12., sed Græce.

TĀPĪNŌSIS, is, *et Græca positione*, eos, f. 3. ταπείνωσις, humilitas. — Speciatim hoc nomine appellatur vitium grammaticale, quum rei magnitudo vel dignitas verbi humilitate deprimitur seu minuitur, ut siquis parricidam vocet hominem nequam. *Virg.* 1. *Æn.* 126. Apparent rari nantes in gurgite vasto. Ubi *Servius:* In gurgite vasto, Tapinosis est, id est rei magnæ humilis expositio. Prudenter tamen Virgilius humilitatem sermonis epitheto plerumque sublevat, ut hoc loco *vasto* addidit. *Id.* apud *eumd.* 6. *Ecl.* 76. Adde *Charis.* 4. *p.* 242. *Putsch.*, qui tapinosin agnoscit et in illo *Horat.* 1. *Od.* 6. 6. gravem Pelidæ stomachum cedere nescit. Humiliter enim *stomachum* pro ira dixisse putat. Item *Diomed.* 2. *p.* 445. *V.* TAPINOMA.

TAPULLUS vel
TAPPULLUS, a, um, adject. idem ac convivalis, ut Lex tappulla, quam ficto nomine conscripsit jocoso carmine Vabrius Valentinus, apud *Lucil. Sat. fr. inc.* 178. Cf. *Fest. p.* 363. 20. *Müll.*, ubi *tapullus* unico *p* reponit *Müllerus.*

TĂRANDUS, i, m. 2. animal apud Scythas. *Hesych.* Τάρανδος ζῶον ἐλάφῳ παραπλήσιον, τοῦ τὰς δορὰς εἰς χιτῶνας χρῶνται Σκύθαι. *G. Cuvier* ad *Plin. loc.* mox *citand.* putat, hoc animal esse quod Germani *das Rennthier* vocant, et ab iisdem vocibus junctim enunciatis ortum fuisse tarandi vocabulum. *V.* RHENO. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 34. 52. (128). Mutat colores Scytharum tarandus, nec aliud ex iis, quæ pilo vestiuntur, nisi in Indiis lycaon, cui jubata traditur cervix. *et mox.* Tarando magnitudo, quæ bovi, caput majus cervino, nec absimile, cornua ramosa, ungulæ bifidæ, villus magnitudine ursorum. Sed quum libuit sui coloris esse, asini similis est. Tergori tanta duritia, ut thoraces ex eo faciant. Colorem omnium arborum, fruticum, florum locorumque reddit, in quibus latet metuens ideoque raro capitur. Mirum esset, habitum tam multiplicem dari, mirabilius et villo. Eadem habet *Solin.* 30. *a med.* At *Sillig.* leg. *tarandrus; Mommsen* vero *parandrus.*

TĂRĂTALLA, nomen coci joculariter fictum a *Martial.* 1. 51. Si tibi Mistyllus cocus, Æmiliane, vocatur; Dicetur quare non Taratalla mihi? Horum versuum hæc est sententia. Æmilianus quidam cocum suum Mistyllum vocabat, ducto fortasse nomine ab illo *Homeri* versu *Iliad.* 1. 465. μίστυλλον τ' ἄρα τ' ἄλλα. h. e. secabant autem et alias res. cur non liceat, inquit *Martialis*, quemadmodum tibi a primo verbo illius carminis, ita mihi a sequentibus nomen coco imponere et *Taratalla* appellare?

TĂRĂTANTĂRA ¶ 1. Est vox tubæ, ab *Ennio* ficta (*Ann.* 452.). *Serv.* ad *Virg.* 9. *Æn.* 503. in eum versum: At tuba terribilem sonitum procul ære sonoro. Hemistichium, inquit, Ennii. Nam sequentia iste mutavit. Ille enim ad exprimendum tubæ sonum ait *taratantara dixit.* Et multa hujusmodi *Virgilius*, quum aspera invenerit, mutat. ¶ 2. Est etiam instrumentum, quo farina colatur, fortasse quod nos vulgo dicimus *buratto. Arev.* ex *Cathol.* ad *Gloss. Isid.* Cervida lignum, super quod dicitur taratantara.

TĂRĂTRUM *et* teratrum, i, n. 2. τέρετρον, genus terebræ. *Isid.* 19. *Orig.* 19. 15. Taratrum quasi teratrum; scofina (*Lindem.* scobina) dicta, quod hærendo scophen (*Lindem.* scoben) faciat. Sic *Thes. nov. Latinit.* 577. *et* 591. Teratrum, quod perforat lignum.

TĂRAX, ăcis. *V.* TETRAX.

TARBĒLŎDĂTHĬON, ii, n. 2. herba apud Gallos, communius arnoglosson dicta. *Apul. Herb.* 2., ubi alii aliter leg.

TARDABĬLIS, e, adject. (tardo) tardus, torpescens, ut Tardabilis rigor, *Tertull. Anim.* 43.

TARDANS, antis, particip. *V.* TARDO.

TARDĀTĬO, ōnis, f. 3. (tardo) actus tardandi, *ritardo, indugio. Lactant.* ad *Stat.* 9. *Theb.* 227. Mora fluvii fugientibus Thebanis et tardationis Hippomedontis parvam requiem tribuit. — Speciatim, apud Medicos, passio tardans. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 28. Appellari claudicationes vel tardationes possunt sive alienationes.

TARDĀTUS, a, um, particip. *V.* TARDO.

TARDĒ, adverb. (tardus) Comp. *Tardius;* Sup. *Tardissime.* — Tarde est lente, pigre, cunctanter, *lentamente, tardamente, βραδέως.* ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pers.* 5. 1. 19. Move manus, propera: tarde cyathos mihi das. *Virg.* 2. *G.* 3. proles tarde crescentis olivæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 51. Stellæ tum celerius moventur, tum tardius. *Id.* 1. *Tusc.* 31. 75. Qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediuntur. *Id.* 14. *Fam.* 5. Quum adversis ventis usi essemus tardeque et incommode navigassemus. *Sall. Jug.* 11. *extr.* Hæc tardius procedunt, neque lenitur animus ferox. *vanno in lungo.* et *Cic. Cæcin.* 2. *in fin.* Ut quæque res est turpissima, sic maturissime judicanda est: at in ea, in qua existimationis periculum est, tardissime judicatur. *Ovid. Heroid.* 2. 9. tarde, quæ credita lædunt, Credimus. ¶ 2. Speciatim est diu. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 28. Quum admotæ (*sordes*) corporibus tardius fuerint immoratæ. *h. e.* diutius. ¶ 3. Item sero, *tardi, ὀψέ:* quia, quæ tarde sunt, sero veniunt. *Cic. Mil.* 20. *ad fin.* Cur vesperi? quid necesse est tarde? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. *sub fin.* Triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. *Id.* 2. *Fam.* 9. In his sum locis, quo et propter longinquitatem et propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 3. Oportet autem nona quaque die vinum moveri aut curari vel, si tardius, undecima. *Seneca Ep.* 70. Nihil existimat sua referre tardius fiat an citius. Sic *Augustin.* 21. *Civ. D.* 17. Omnes qui vel citius vel tardius liberantur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (56). Quattuor aut quinque tardissime diebus florere incipiunt. *Asin. Pollio* apud *Cic. ep.* 10. 33. Tametsi tantam calamitatem rei publicæ quam tardissime audire optandum est.

Homonym. Differunt *tarde* et *sero.* Nam qui *tarde* facit, adhuc in tempore facere potest: qui *sero*, non amplius in tempore. *Petron. Sat.* 7. Tarde, imo jam sero intellexi, me in fornicem esse deductum. — Aliud discrimen *V.* sub SERO.

TARDĔO, tardes, tardŭi, tardere, n. 2. (tardus) tardus sum vel fio. *Tibull.* 1. 4. 27. At si tardueris etc. *Dissen* et *Bährens* leg. *tardus eris.*

TARDESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* tardeo, tardus fio, *divenire tardo, βραδύνομαι. Lucret.* 3. 418. tardescit lingua, madet mens.

TARDĬCORS, cordis, adject. omn. gen. (tardus et cor) qui tardo et stupido est corde. *Augustin. Enchirid.* 103. Sed ut intelligamus per quascunque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos. Adde *eumd.* 6. *Op. imperf. contra Julian.* 16.

TARDĬGEMŬLUS. *V.* TARDINGEMULUS.

TARDĬGĔNUCLUS, a, um, adject. (tardus et geniculum) proprie genu tardus vel lentus; sed pro claudo, *zoppo, rattratto,* usurpat *Læv. fragm.* 15. *M.* Cf. *Gell.* 19. 7., ubi *Hertz* leg. *tardingemulus.* V. hanc voc.

TARDĬGRĂDUS, a, um, adject. (tardus et gradus) qui tarde graditur, *chi va tardo, βραδύπους. Cic.* 2. *Divinat.* 64. ex *Pacuvio.* Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera, Capite brevi, cervice anguina, adspectu truci, Eviscerata, inanima, cum animali sono. *h. e.* testudo. Adde *Mar. Victorin.* 1. 4. 93. *p.* 29. 3. *Keil.* Legitur et in *Not. Tir. p.* 95.

TARDĬLINGUIS, e, adject. (tardus et lingua) qui tardus et impeditus est lingua. *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 4. 10. apud *Interpr. Orig.* in *Is. Hom.* 6. *n.* 1. Exilis vocis sum et tardilinguis.

TARDĬLŎQUUS, a, um, adject. (tarde et loquor) qui tarde loquitur, *βραδύγλωσσος. Seneca Ep.* 40. *extr.* Summa summarum hæc est, tardiloquum te esse jubeo.

TARDINGĔMŬLUS, a, um, adject. (tarde et ingemo) qui tarde et lente ingemit. *Læv.* apud *Gell.* 19. 7. Tardingemulo senio oppressus. Cf. *Müller De re metr. p.* 78. At *Forcell.* et *Furlanett.* leg. *tardigemulo;* quod parum differt: adnotant vero rectius leg. *tardigenulo,* ut sit a *tardus* et *genu,* et idem significet quod *tardigradus.* Hinc *Virg.* 5. *Æn.* 431. tarda trementi Genva labant. *V.* TARDIGENUCLUS.

TARDĬPES, pĕdis, adject. omn. gen. (tardus et pes) qui tarde incedit aut claudicat, epithetum Vulcani, qui claudus esse dicitur, *βραδύπους. Catull.* 36. 6. Electissima pessimi poetæ Scripta tardipedi deo daturum. *h. e.* igni. — *Tardipes,* absolute, est ipse Vulcanus. *Colum.* 10. *R. R.* 419. Quin et Tardipedi sacris jam rite solutis.

TARDĬTAS, ātis, f. 3. (tardus) lentitudo, cunctatio, mora, *βραδύτης* (It. *tardezza, lentezza;* Fr. *lenteur, marche lente;* Hisp. *lentitud, tardanza;* Germ. *die Langsamkeit, Säumigkeit;* Angl. *a slowness, tardity*): cui *celeritas* opponitur.

I.) Proprie. *Cic. Rabir. perduell.* 7. 21. Qui (*M. Æmilius*) quum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat. *Id.* 10. *Fam.* 22. Propter tarditatem sententiarum moramque rerum, quum ea, quæ consulebantur, ad exitum non pervenirent. *Id.* 5. *Phil.* 9. *sub fin.* Ista legatio moram et tarditatem afferet bello. *et* 6. *ibid.* 3. *a med.* Plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est. *Id. Sext.* 47. 100 Nonnumquam cunctatione et tarditate dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, utrumque amittunt. *Id.* 3. *Cat.* 8. 20. Tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem (*simulacrum*) collocaretur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (171). Gignitur mula ex equo et asina, sed effrenis et tarditatis indomitæ. *Tac.* 2. *Ann.* 39. Tarditas onerariæ navis. *Id.* 16. *ibid.* 14. *extr.* veneni. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (83). et *ibid.* 13. 51. (137). et 23. *ibid.* 2. 28. (59). Tarditas aurium. *durezza di udito.* — In plur. num. *Cic. Tim.* 9. *circa med.* Ut esset mensura, quæ in istis octo cursibus celeritates tarditatesque declararet. *Id.* 1. *Off.* 36. 131. Cavendum, ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur. *Augustin.* in *Gen. ad litt.* 2. 16. Regradationes siderum vel fortasse tarditates. — Apud Medicos *tarditas* dicitur de morbis chronicis, *cronicismo. Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 14. Ac si passio fuerit tarditate inveterata et plurimo tempore perseverans etc.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 68. 229. Qui aut magistrorum inopia aut ingenii tarditate aut laboris fuga non sunt assecuti, *ottusità, ingegno non pronto,* hebetudo. *Id.* 1. *Nat. D.* 5. *a med.* Quod non Academiæ vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. Adde *Pis.* 1. 1. et *Quintil.* 1. 1. 1. — In sequentibus significat stultitiam aut quippiam stultitiæ proximum. *Cic.* 1. *Orat.* 27. *extr.* Cujus in dicendo aliquid reprehensum est, aut æterna in eo aut certe diuturna valet opinio tarditatis. Dixerat *paullo sup.* Oratoris peccatum, siquod est animadversum, stultitiæ peccatum videtur. *Id.* 1. 1. *Legg.* 19. 51. Quid abjectius tarditate et stultitia dici potest? *Gell.* 16. 12. Tarditas quædam animi et stupor, qui alucinantibus plerumque usu venit.

TARDĬTĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TARDĬTĬES, ēi, f. 5. (tardus) idem ac tarditas. *Accius* apud *Non. p.* 181. 21. *Merc.* Multa amittuntur tarditie et socordia. *Alii leg.* tarditia.

TARDĬTŪDO, inis, f. 3. (tardus) idem ac tarditas. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 29. Podagrosi estis ac vicistis cochleam tarditudine. *Accius* apud *Non. p.* 181. 20. *Merc.* Atque eccos segnes somno et tarditudine.

TARDĬUSCŬLĒ, adverb. (tardiusculus) aliquantisper tarde. *M. Aur.* apud *Front.* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) ep. 7. Metuo, ne Lorium tardiuscule venias.

TARDĬUSCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* tardus, aliquantum tardus, *ὑποβραδύς. Ter. Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 198. 26. *Merc.* Ad cursuram sum tardiuscula. *Ter. Heaut.* 3. 2. 4. Ille Cliniæ servus tardiusculus est. *tardetto, alquanto lento o pigro.* — Hinc

*Tardiusculus, i,* m. 2. absolute, qui tardo est ingenio. *Augustin. De don. persev.* 16. *n.* 43. Quod ut apertius propter tardiusculos explicemus, renovationem meam ferant, quibus ingenio prævolare donatum est.

TARDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tardus) Part. *Tardans* 2.; *Tardatus* 1. *a* et *d.* — Tardo est tarditatem et moram affero, moror, retardo, *ἐπέχω* (It. *intertenere, ritardare;* Fr. *retarder, ralentir, arrêter;* Hisp. *retardar, relentecer, atravar;* Germ. *säumig machen, verzögern* Angl. *to make slow, retard, stop*). Occurrit ¶ 1. Transitive et est, ut diximus, retardo, moror. — *a*) Cum Accusativo. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Eorum animi magnitudinem admirari, quos non castrorum munitiones, non altitudo montis, non murus oppidi tardare potuisset. *Auct. B. G.* 8. 14. *a med.* Transeundi difficultas celeritatem insequendi tardare posset. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. et 1. *B. C.* 27. Tardare impetum hostium. *Cic.* 7. *Fam.* 5. Mea dubitatio aut impedire profectionem videbatur aut certe tardare. *Id.* 6. *Att.* 8. Nos Etesiæ vehementissime tardarunt. *Id.* 11. *Phil.* 10. 24. Vereor, ne exercitus nostri tardentur animis. *Ovid. Heroid.* 10. 19. Nunc huc nunc illuc et utroque sine ordine curro: Alta puellares tardat arena pedes. *Horat.* 2. *Od.* 17. 24. volucrisque fati Tardavit alas tutela Jovis. *Cels.* 2. 19. Aliæ (*res*) urinam citant, aliis tardant. *Arnob.* 1. 43. In curriculis equos incitare - tardare. *Cic.* in *carm. de suo consul.* 2. *Divin.* 12. *ad fin.* Hæc tardata diu species multumque morata. *Id.* 2. *ad Brut.* 1. Si hæc non essent tardata et prograstinata, bellum jam nullum haberemus. *Cæs.* 3. *B. C.* 70. *extr.* Eadem res, celeritate insequentium tardata, nostris salutem attulit. *Virg.* 5. *Æn.* 453. At non tardatus casu neque territus heros. *et* 12. *ibid.* 746. genua tardata sagitta. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. 8. (26). Præacuta bipenni cruro tardato. *h. e.* debilitato. — *b*) Cum addito Acc. et præp. *ad. Cæs.* 7. *B. G.* 26. Palus, quæ perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. *Cic.* 5. *Verr.* 57. 130. Quum animum ad persequendum non negligentia tardaret. — *c*) Vel Abl. et præp. *ob, in. Id. Cæcin.* 27. 77. Me ratio pudoris a præsentis laude tardaret. *Id. pro leg. Manil.* 10. 22. Illum in persequendi studio mœror, hos lætitia tardavit. *Orell.* retardavit. — *d*) Cum Infinito. *Cæs.* 2. *B. C.* 43. *extr.* Ut reliqui ob timorem propius adire tardarentur. *Augustin.* 6. *Confess.* 11. Tardatus converti ad Dominum. Adde *Vulg. interpr. Eccli.* 5. 8. — *e*) Sequente *quominus, quin,* et Conjunctivo. *Aurel. Vict. Cæs.* 42. Quem tamen, quo minus statim in hostes alios ad Italiam contenderet, hiems aspera clausæque Alpes tardavere. *Ovid.* 13. *Met.* 283. Nec me lacrimæ luctusve timorve Tardarunt, quin corpus humo sublime referrem. ¶ 2. Neutrorum more, seu absolute, est cessare, procrastinare, differre, moram trahere, *portare in lungo, tardare, differire, βραδύνω. Cic.* 1. *ad Brut.* 18. Quæsivit, arcesseremusne te, an tardare et commorari te, melius esset. *Id.* 6. *Att.* 7. *ad fin.* Numquid putes reipublicæ nomine tardandum esse nobis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. (27). Apes fucis imperant primosque in opera expellunt: tardantes sine clementia puniunt. — In re medica, de chronicis morbis usurpatur. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 9. 90. Quo fit, ut a satyriasi discernatur priapismus: siquidem illa celer sit et non tardet in corpore. — Hinc *tardans passio,* cui *celer* opponitur, apud *eumd.* 4. *ibid.* 6. 84. et 5. *ibid.* 2. 38.

TARDOR, ōris, m, 3. (tardus) tarditas, tarditudo. *Varro* apud *Non. p.* 229. 23. *Merc.* Nec

me pedatus versuum tardor refrenet. *h. e.* hypallage, ut interpretatur *Oehlerus*.

TARDUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, deducunt recentiores a rad. Skr. *tard*, lentus sum, quam cum rad. *tar*, volvendo movere, fricare, unde Gr. τείρω et Lat. *tero*, conjungunt. — Comp. *Tardior* I. 1. *a, c, d*, et II. 3.; Sup. *Tardissimus* I. 1. *a* et II. 3. — Tardus est lentus, cunctabundus, piger, remissus, βραδύς (It. *lento, tardo, pigro;* Fr. *lente, paresseux;* Hisp. *lento, tardo;* Germ. *langsam, säumig;* Angl. *slow, tardy*): cui *celer, velox, festinus* opponitur et tum de animantibus tum de inanimis usurpatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 1. tardo amico nihil est quidquam iniquius. *et mox.* Sicut ego hos duco advocatos, homines spissigradussimos, Tardiores quam corbitæ sunt in tranquillo mari. *et ibid.* 7. Nequidquam hos procos mi elegi loripedes, tardissumos. *Ter. Eun.* 5. 9. 49. Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctes et dies. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Cæsar ubi reliquos tardiores esse vidit. *Cic.* 1. *Invent.* 24. *ad fin.* Valens, an imbecillus; longus, an brevis; velox, an tardus. *Id.* 2. *Orat.* 68. 275. Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? tardum. *Id.* 2. *Fin.* 13. 39. Tarda et languida pecus. *Id.* 10. *Att.* 18. Omnia adhuc tarda et spissa. *Tibull.* 4. 1. 89. Quis tardamve sudem melius celeremve sagittam Jecerit? *Cic.* 1. *Orat.* 60. 254. Tardiores tibicinis modos et cantus remissiores facere. *Horat. Art. p.* 164. Utilium tardus provisor. *Propert.* 1. 8. 41. tardus Apollo. *Virg.* 1. *G.* 273. asellus. *et* 2. *ibid.* 206. juvenci. *Sil. It.* 5. 5. palus. *Virg.* 3. 14. tardis flexibus errat Mincius. *Id.* 5. *Æn.* 682. Stuppa vomens tardum fumum. *Tibull.* 1. 3. 16. Quærebam tardas anxius usque moras. *Ovid.* 10. *Met.* 49. incessit passu de vulnere tardo. *Virg.* 2. *Æn.* 436. Pelias vulnere tardus Ulyssi. *Id.* 1. *G.* 32. novum tardis sidus te mensibus addas. *h. e.* æstivis, qui longiores esse videntur, et revera horæ æstivæ sunt hibernis longiores: vel quia optat, ut diu vivat: vel quia in his Virgo et Libra tarde oriuntur. Ita *Servius*. Sic 2. *ibid.* 481. Quid tantum Oceano properent se condere soles Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet. *h. e.* tarde venientibus, inquit *Servius:* et æstivis dixisse videtur, ne bis idem tempus significaret. *Ovid.* tamen *tardam noctem* longam dixit, 2. *Pont.* 4. 26. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 23. tarda fluunt Tempora. — Substantivorum more. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 6. minus est gravis Appia tardis. *poltroni.* — *b*) Cum Genet. *Val. Flacc.* 3. 547. tardusque fugæ longumque resistens. *h. e.* tardus ad fugiendum. — *c*) Cum Acc. et præp. *ad. Cic.* 9. *Att.* 13. *ante med.* Eo tardior ad discedendum fui quod etc. Sic *Vulgat. interpr. Jac.* 1. 19. Tardus autem ad loquendum et tardus ad iram. — *d*) Cum Abl. et præp. *in*, aut etiam sine præp. *Spartian. Carac.* 1. Non ille in litteris tardus. *Cic.* 7. *Att.* 3. *circa med.* Bibulus in decedendo, ut audio, tardior. *Quintil.* 10. 3. 20. Tardior in scribendo. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 17. (76). Incessu tardus. Adde *Solin.* 1. 92. — *e*) Cum supinis. *Seneca Œdip.* 293. Quod tarda fatu est lingua, haud te mirari addecet. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 19. (31). Quum sit tardum dictu, pluribus (*virium*) prosit, an noceat. *h. e.* difficile dictu. — *f*) Cum Infinito. *Sil. It.* 3. 233. docilis fallendi et nectere tectos Numquam tarda dolos. *Coripp.* 4. *Johann.* 1136. Omnia jam pereunt Maurorum tarda moveri. ¶ 2. *Tarda avis* vel *avis tarda* (et unica voce *avistarda* in *Gloss. vet.* apud *Quicherat p.* 22.), avis, quæ tarda est volatu. *Gloss. Cyrill.* et *Isid.* 12. *Orig.* 7. 13. Alio nomine *bradypus* et *otis* vocatur, Ital. *ottarda.* ¶ 3. *Tardus sapor* apud *Virg.* 2. *G.* 126. *Servio* est, qui vix intelligitur: *Nonio p.* 410. 20. *Merc.* diuturnus et perseverans: *Philargyrio* gravis et diu palato immorans. ¶ 4. *Tardæ passiones* apud Medicos, sunt morbi chronici, quibus *celeres* opponuntur. *V.* TARDANS. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard. præf.* Præscriptis celerum passionum libris, tardarum placet curationes ordinare.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice, vel active. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 32. Hunc nec hosticus auferet ensis, Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra. *h. e.* quæ tardos facit, *stroppiatrice. Id.* 2. *ibid.* 2. 88. et *Tibull.* 2. 2. 19. tarda senectus. *Seneca Phœniss.* 568. Stridente tardum machina ducens onus. *Juvenal.* 4. 107. Montani quoque venter adest abdomine tardus. — Absolute. *Tac. Agric.* 18. Quies tarda et contraria bellum inchoaturo. ¶ 2. Figurate transfertur ad animum et ingenium, hebetemque et obtusum significat atque ægre aut vix percipientem ea, quæ ab aliis percipi solent, quare et stultus est aut stulto similis, *ottuso, tardo, goffo, sciocco. Ter. Heaut.* 4. 5. 27. Prorsum nihil intelligo. SYR. vah! tardus es. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 8. 31. Sensus omnes hebetes et tardos esse, nec percipere ullo modo res eas, quæ subjectæ sensibus videntur. *Id.* 1. *Nat. D.* 5. *ad fin.* Nimis indociles quidam tardique sunt. *Id.* 5. *Tusc.* 24. 68. Primum ingenio eximio sit, necesse est; tardis enim mentibus virtus non facile comitatur. *Id.* 3. *leg. Agr.* 2. *circa med.* Quem vestrum tam tardo ingenio fore putavit, cui, Sullam dictatorem fuisse, in mentem venire non posset? — Et cum Acc. et præp. *ad. Vulgat. interpr. Luc.* 24. 25. O stulti et tardi corde ad credendum. — Absolute, substantivorum more. *Augustin.* 4. *Music.* 9. *n.* 10. Laborat magister docens tardos. ¶ 3. Item refertur et ad orationem. *Cic.* 2. *Orat.* 53. 213. In utroque genere dicendi et principia tarda sunt et exitus tamen spissi et producti esse debent. *Id. Brut.* 70. *ad fin.* Lentulus non tardus sententiis, non inops verbis. *Id. Orat.* 64. 216. Spondeus quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior. *Plin.* 4. *Ep.* 7. *circa med.* Os confusum, hæsitans lingua, tardissima inventio, memoria nulla. *Quintil.* 10. 3. 5. Sit vel tardus, dum diligens, stilus. *Id. ibid.* 7. *a med.* Tum et tardior pronunciatio moras habet et suspensa ac velut dubitans oratio. — Cum Abl. et præp. *in. Cic. Brut.* 59. *extr.* Curio quum tardus in cogitando tum in instruendo dissipatus fuit.

Homonym. Quo differant *tardus, segnis, piger, iners*, V. sub SEGNIS.

TĂRENTĪNUS, a, um, adject. ad Tarentum pertinens, quæ erat urbs Italiæ in Magna Græcia. *V.* ONOM. — Hinc Tarentinæ castaneæ, laudantur a *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (93). ut faciles nec operosæ cibo, planæ figura: *ibid.* 22. 24. *ad fin.* nuces juglandes, duum generum, fragili putamine (quarum meminit et *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. *sub fin.*, item *Pallad.* 2. *R. R.* 15. *ad fin.*) et duro, quæ sunt amplissimæ et minime rotundæ: *ibid.* 18. 19. (71). ficus, ut prædulces: item a *Varron.* 2. *R. R.* 18. lanæ. et a *Colum.* 7. *R. R.* 2. *et* 4. oves ut mollissimi velleris: quas et Græcas appellant. *Id.* 5. *ibid.* 10. *a med.* et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (55). et *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. laudant Tarentina pira, ut serissima quidem, sed generosissima. — *Favorin.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. oves et nuces Tarentinas dici ait, quasi *Terentinas*, a *tereno*, quod est lingua Sabinorum, molle: unde Terentios quoque dictos putat Varro. hinc et Horatium fortasse dixisse (2. *Sat.* 4. 34.) molle Tarentum. — *Cato R. R.* 151. Tarentinam cupressum memorat, quam in Creta nasci, scribit *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (141). et in Italia advenam esse, quæstuosissimam omnium et dotem filiarum olim dictam. — Præterea Tarentina myrtus, sativa, folio minuto, topiariis idonea, laudatur ab *eod.* 15. *ibid.* 29. 37. (122). — Tarentinum porrum a *Colum.* 8. *R. R.* 11. *a med.;* unde *Martial.* 13. 18., cujus lemma *Porri sectivi:* Fila Tarentini graviter redolentia porri Edisti quoties, oscula clausa dato. — Tarentinus sal, omnium suavissimus atque candidissimus, a *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (86). — Tarentina purpura, ab *eod.* 9. *ibid.* 39. 63. (136)., ubi recitat hæc verba *Nepot.* Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo post rubra Tarentina. huic successit dibapha Tyria etc. *Horat.* hanc violaceam fuisse significat, 2. *Ep.* 1. 207. Lana Tarentino violas imitata veneno. — Rursus *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (39). uvam Tarentinam prædulcem commendat: et *ibid.* 6. 8. (69). Tarentina vina: quæ memorantur etiam a *Martial.* 13. 125. in *lemmate.*

TARGĔLĬON et

TARGĬLĬON. *V.* THARGELION.

TĀRĪCĀNUS (tarichanus) et

TĀRĪCĀRUS, a, um, adject. ταριχηρός, qui est sale conditus. *Apic.* 8. 7. Alii aliter scribunt.

TĀRĪCHĀNUS. *V.* voc. præced.

TĀRĪCHUS. *V.* voc. seq.

TĀRĪCUS (tarichus), a, um, adject. τάριχος, sale conditus, et dicitur de salsamento piscium et de carne, quæ sit sale condita. *Apic.* 9. 13. in *lemmate.* Jus in nullo tarico. Alii leg. *taricho* cum aspiratione.

TARMES et termes, ĭtis, m. 3. Vox est, ut ait Forcellinus, a τέταρμαι, præt. perf. pass. verbi τείρω, tero. Hinc *Isid.* 12. *Orig.* 5. 10. *Teredonas* Græci vocant lignorum vermes, quod terendo edant. Hos nos *termites* dicimus. Ita enim apud Latinos ligni vermes vocantur, quos tempore importuno cæsæ arbores gignunt. — Tarmes igitur est teredo, θρίψ (It. *tarlo: tarma, tignuola;* Fr. *ver rongeur: teigne;* Hisp. *carcoma: polilla;* Germ. *Holzwurm: Schabe;* Angl. *woodworm: wood-louse*), h. e. vermiculus carnem exedens, ut docet *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 358. 5. *Müll.:* Item lignum. *Plaut. Most.* 3. 2. 138. Postea ambo ab infimo tarmes secat. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Abies procreat et alit tarmitem ab eoque vitiatur. Alii leg. *termitem* eod. sensu. Adde *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 256.

TARMUS, i, m. 2. idem ac tarmes. *Gloss. Isid.* Tarmus, vermis in carne.

TARPEJĀNUS, a, um, adject. ad Tarpejum montem pertinens, de quo *V.* ONOM. — Hinc *Tarpejanus œdus sive agnus*, apud *Apic.* 8. 6. et 8. *a med.*

TARPESSĪTA et

TARPEZĪTA. *V.* TRAPEZITA.

TARRUPĬA, æ, f. 1. genus vitis, apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (29).

TARTĂRA, ōrum, n. plur. 2. *V.* TARTARUS.

TARTĂRĀLIS, e, adject. (tartarus) qui tartaro imbutus est. *V.* TARTARUS. *Pelagon. Veterin.* 16. *a med.* Loca, quæ ozænosa sunt, lino diligenter tartarali constringes. *con pannolino imbevuto di tartaro.*

TARTĂRĔUS, a, um, adject. Ταρτάρειος, ad Tartarum et Inferos pertinens, *infernale, tartareo.*

I.) Proprie. *Cic.* vertens *Sophoclis* versus 2. *Tusc.* 9. 22. Tartarea tenebrica plaga. *Virg.* 6. *Æn.* 395. custos. *h. e.* Cerberus. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 215. rex. *h. e.* Pluto. *Virg.* 7. *Æn.* 328. (et *Stat.* 5. *Theb.* 66.) sorores. *h. e.* Furiæ. *Id.* 12. *ibid.* 846. Megæra. *Lucan.* 6. 712. antrum. *h. e.* Inferi. *et* 6. *ibid.* 651. reges. *Ovid.* 6. *Met.* 676. umbræ. *Virg.* 6. *Æn.* 295. Acheron. *et ibid.* 551. Phlegethon. *Seneca Hippol.* 1179. lacus. *Id. Herc. Fur.* 436. tenebræ. *Stat.* 1. *Theb.* 85. Tartarei regina barathri. *h. e.* Tisiphone. *V.* loc. *Val. Flacc.* 4. 579. Tartareæ volucres. *h. e.* Harpyiæ. *Capell.* 1. *p.* 32. recessus.

II.) Translate est horrendus, terribilis, feralis, crudelis. *Virg.* 7. *Æn.* 513. de *Alecto.* cornuque recurvo Tartaream intendit vocem. Ubi *Servius:* Aut terribilem aut fortem secundum usum dixit. *Phædr.* 4. 1. Quos (*mures*) immolatos victor (*mustela*) avidis dentibus Capacis alvi mersit Tartareo specu. ὑπερβολή. *Claudian. B. Gild.* 180. Splendet Tartareo furialis mensa paratu. *h. e.* ferali, terribili, crudeli. *Val. Flacc.* 6. 435. Tauri Tartaream proflantes pectore noctem. *Ammian.* 15. 6. 1. Tartareus delator. *h. e.* horridus, abominandus. *Id.* 28. 1. 10. cognitor. *Id.* 18. 4. 1. Consilia Tartareis manibus miscens.

TARTĂRĪNUS, a, um, adject. (Tartarus) ad

Tartarum pertinens. *Fest. p.* 359. 25. *Müll.* Tartarino quum dixit Ennius, horrendo et terribili Verrius vult accipi: a Tartaro, qui locus apud Inferos. *Ennii* versum *V.* in PALUDUS.

TARTĂROS, i, m. 2. *V.* TARTARUS.

TARTĂRŬCUS, a, um, adject. (Tartarus) Tartareus. *Inscr.* in lamella plumbea apud *De Rossi Bullett. Crist. a.* 1871. *p.* 39. Spiritus Tartarucus. *V.* quæ ab *eod.* adnot.

TARTĂRUM, i, n. 2. τάρταρον, vox infimæ Latinitatis et Græcitatis, est fæx vini indurata et doliis adhærens, quæ etiamnum Italis *tartaro* dicitur. *V.* TARTARALIS. Hæc dedit *Furlanettus,* nullo tamen allato scriptoris loco.

TARTĂRUS *vel* Tartaros, i, m. *et* Tartara, ōrum, n. plur. 2. Sunt qui derivant ab ἀπὸ τῆς ταραχῆς, quod cuncta illic turbata sint: vel ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν, obrigere, tremere ex frigore, ut putat *Forcellinus,* quod potius a Τάρταρος ducendum. Ceterum existimo esse a rad. Skr. *tar,* tero, duplicata, quæ conferri potest cum rad. verbi *tremo.* — Tartarus universim est locus profundissimus Inferorum, ex quo manat Acheron fluvius, ut *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 135. *et* 295. docet. Est enim carcer Inferorum triplici muro circumdatus et Phlegethonte cinctus, ubi puniuntur sontes: itaque detinentur, ut ne numinum quidem favore inde extrahi possint.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 578. Tartarus ipse Bis patet in præceps tantum tenditque sub umbras, Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum. *et ibid.* 542. at læva malorum Exercet pœnas et ad impia Tartara mittit. *Lucret.* 3. 1025. lucis egenus Tartarus horrificos eructans faucibus æstus. *Stat.* 2. *Silv.* 7. 116. *de Lucano mortuo.* Tu magna sacer et superbus umbra Nescis Tartaron et procul nocentum Audis verbera. *Virg.* 6. *Æn.* 135. et *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 22. Tartara nigra. *Ovid.* 10. *Met.* 20. opaca. *Id.* 1. *ibid.* 113. tenebrosa. *et* 11. *ibid.* 670. et 12. *ibid.* 523. *et* 619. inania. *scil.* quia nulla ibi corpora. *Id. Ib.* 575. et *Seneca Œdip.* 869. ima. *Virg.* 4. *Æn.* 243. tristia. *Seneca Hippol.* 951. profunda. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 122. pigra. — *Pater Tartarus* est Pluto. *Val. Flacc.* 4. 258. Et pater orantes cæsorum Tartarus umbras *etc.* ad spectacula pugnæ Emittit. *Manil.* 2. 46. tenebris immersum Tartaron atra In lucem de nocte vocant. Ita leg. *Scalig.*, alii aliter. — De loco Inferorum, ubi impii æternum cruciantur, apud Christianos. *Paulin. Nolan. Joh.* 247., *Venant.* 2. *carm.* 8. 48. et *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 2. 4. — *V.* alia in ONOM.

II.) Translate de fato miserrimo seu infima vilissimaque sorte. *Lucret.* 5. 1125. Et tamen summo quasi fulmen dejicit ictos Invidia interdum contemtim in Tartara tetra. Cf. *Hieronym. Ep.* 125. *n.* 1. Judas de apostolatus fastigio in perditionis Tartarum labitur.

TARTĒSIS et

TARTESSIS, ĭdis, f. 3. ad Tartessum pertinens, urbem Hispaniæ Bæticæ, de qua *V.* ONOM. Hinc Tartessis lactuca, crispissima vertice et thyrso candida, quam generant Tartessi litore Gades, laudatur a *Colum.* 10. *R. R.* 185. 192. *et* 370. et 11. *ibid.* 3. *ante med.*

TARTESSĬUS *vel* Tartesius, a, um, adject. ad Tartessum pertinens, ut Tartessia muræna, quam *Varro* apud *Gell.* 7. 16. docet magni pretii in cenis fuisse.

TĀRŬA, æ, f. 1. *et* taruum, i, n. 2. *Coripp.* 4. *Joh.* 1136. ex conject. *Bekkeri.* Omnia jam pereunt Maurorum tarua nusquam. *et* 6. *ibid.* 273. Aurasii et latos implevit tarua campos. Obscura est vocis significatio; immo, quum nulla nota illustret *Mazzuchelius,* de ipsa voce dubitandum. *V. Quicherat p.* 290.

TARUM, i, n. 2. lignum aloes. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 20. 44. (98).

TĀRUUM. *V.* TARUA.

TASCONĬUM, ĭi, n. 2. terra alba, similis argillæ, ex qua catini fiunt, in quibus coquitur aurum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (69). Catini fiunt ex tasconio. Hæc est terra alba similis argillæ. Neque enim alia afflatum ignemque et ardentem materiam tolerat.

TĂSIS, is, f. 3. τάσις, intensio, intentio, vehementia. *Capell.* 9. *p.* 318. Est autem intentio, quam dicimus tasim, in qua vox persistit ac perseverat.

TAT. *V.* TATÆ.

TĂTA, æ, m. 1. Skr. *tatà* est pater, et Gr. τατᾶ vox puerilis, qua puelli utuntur, quum patrem vocant, ut mammam appellant matrem. *Varro* apud *Non. p.* 81. 5. *Merc.* Quum cibum ac potionem buas ac papas vocent, et matrem mammam, patrem tatam. — Tata proprie est nutritor, educator. *Martial.* 1. 101. Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum Dici et mammarum maxima mamma potest. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 142. *n.* 151. L. FLAVIO L. F. ANIEN. SATVRNINO FL. EVHODVS PATER ET PHOEBVS TATA FECERVNT. *et ibid. n.* 152. MARINVS PATER PIISSIMO FILIO FECIT ET ANTHVS TATA. *Alia* apud *Gruter.* 662. 6. M. VLPIDIVS PAMPHILVS PLATONI TATAE SVO BENE MERENTI FECIT. *Alia* apud *Murat.* 1402. 6. PRIMITIVO HERENNIVS FORTVNATVS TATA ET HERENNIA RHODINE MAMMA B. M. FECERVNT. Adde *alias* apud *eumd.* 983. 3. et 1513. 6. — In alia *Muratorius p.* 1157. 5. et in aliis duabus *Odericius Syllog. vet. inscr. p.* 229. dubitant, nutritoremne, an avum vox *tata* significet: verum ex alia apud *Gruter.* 662. 5., in qua L. Apisius C. F. Capitolinus ex testamento fieri jussit monumentum sibi et suis, quum prius patrem nominet, mox matrem, sororem, fratrem, tandem tatam; videtur hac voce nutritorem potius, quam avum significasse, qui ante sororem fratremque nominandus erat. Sic statuit de hac voce *Walch.* in *Act. Soc.* etc. *T.* 4. *p.* 108.; quod etiam confirmatur ex *Inscr. n.* 11. a *B. Borghesi* Romæ descripta, in qua Arminia Vorgilla, cujus parentes sunt C. Arminius Aphrodicius et Valeria Vorgilla et tata C. Taurius Primitivus. — *NB.* De nom. prop. *V.* ONOM.

TATÆ *et* tat, interjectio ¶ 1. Exsultantis et localiter exclamantis, *eh! capperi! Plaut. Stich.* 5. 7. 3. SAG. Fac tu hoc modo. STICH. at tute hoc modo. SAG. babæ! STICH. tatæ! SAG. papæ! STICH. pax. *V.* AT AT. ¶ 2. Item admirantis. *Id. Truc.* 3. 1. 18. Tatæ! ecquis est? nulla est? ecquis aperit hoc ostium? Alii leg. *tat.* V. ATTATE.

TĂTANS, antis, particip. ex inusit. *tato,* qui nutritii vel patris vice fungitur. *Inscr.* in marmore sane vetusto *Mich. Arditii* «quod, loquit *Raym. Guarini,* τὸ αὐτόγραφον quum *Furlanetto* videre non licuisset, religio virum gravissimum incessit, ut ne illi locum daret in suis ad *Forcellinium* auctariis. Stabit autem exhinc fide nostra». V. *ejusd. Comment. in vet. monum. n.* 16. *p.* 63. Neap. 1830.

TĂTŬLA, æ, m. 1. *deminut.* tatæ, est vox blandientis. *V.* TATA. *Inscript.* apud *Don. cl.* 4. *n.* 63. AVRELIO HERACLIDAE AGITATORI FACTIONIS VENETAE *etc.* FECIT M. VLPIVS APOLAVSTIANVS TATVLAE B. M. *Alia* apud *Passionei cl.* 10. *n.* 6. FELICISSIMA FECIT CLAVDIAE . . . PATRONAE SVAE . . . MARITO EIVS TATVLAE SVO. *Alia* apud *Orell. n.* 4943. SILVI . . . TELESPHORO . . . DOMITIVS APOLLONIVS PATER DOMITIA FORTVNATA MATER SILVANVS ENATER (*h. e.* vir sororis, ab εἰνάτηρ ὁ et ἡ. *V.* JANITRIX) IVLIVS TELESPHORVS TATA CORNELIA SEES MAMMA THREPTVS TATVLA DVLCISSIMAE ET PIENTISSIMAE ANIMAE INNOCENTISSIMAE FECERVNT.

TAU, nomen litteræ undevicesimæ alphabeti Græci (Τ), a thau (ת), quæ est ultima littera alphabeti Hebraici. Describitur ab *Auson. Edyll.* 12. *De litt. monos. Gr. et Lat.* 18. Malus ut antennam fert vertice, sic ego sum T. *et Paulin. Nolan. carm.* 26. 621. Tau stilus ipso brevi retrorsus acumine ductus Efficit. *et Anon. De litt. p.* CXXXXIV. 5. *Hag.* Tertia tau figuram demonstrans dominicæ crucis. unde et Hebraice signum interpretatur. — De usu hujus litteræ hæc habe. — *a*) In re agraria inserviebat casis designandis. *Gromat. vet. p.* 324. 15. *Lachm.-Rud.* Casa per tau, T, nomen habens super se fines parvos habet. Adde *ibid. p.* 330. 3. — *b*) In re musica quibusdam notis musicis respondet. *Boeth.* 4. *Music.* 3. Proslambanomenos, qui adquisitus dici potest, ζ (zeta) non integrum et ⊢ (tau) jacens. *et ibid. ad fin.* Hyperboleon enharmonios, quæ est excellentium enharmonios, ⊥ (tau) supinum et semi A (alpha) dextrum supinum. hyperboleon chromaticæ, quæ est excellentium chromatica, T (tau) supinum habens lineam ⅂ et semi A (alpha) dextrum supinum habens retro lineam V. — *c*) In re sacra symbolum erat vitæ futuræ apud Ægyptios, ut tradit *Rufin.* 2. *Hist. Eccl.* 29. (*V.* loc. integr.); idemque symbolum Crucis Dominicæ apud Christianos in eorum monumentis, ut apud *De-Rossi, Roma Sotterr. t.* 2. *tab.* XXXIX. *n.* 28. *et alibi.* Unde *Tertull.* 3. *advers. Marc.* 22. Ipsa littera Græcorum tau, nostra autem T, species crucis etc. *V.* THAU. — *d*) *Tau* est etiam vox Gallica seu Celtica, apud *Auson.* V. AL.

TAURA, æ, f. 1. (ταῦρα) Apud *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 140. dicitur *taurea.* — Taura est vacca sterilis, *vacca sterile,* quæ nempe sexuales partes internas masculas, externas femineas habet, quales habere solent hermaphroditi. V. *Schneideri* adnot. ad *Colum.* locum mox citandum. *Varro* 2. *R. R.* 5. Quæ sterilis est vacca, taura appellatur. *Fest. p.* 352. 15. *Müll.* Tauras vaccas steriles appellabant, ait Verrius, quæ non magis pariant, quam tauri: sed veri similius sit, ex Græco dictas, quia steriles vaccas ταύρας appellant. *Colum.* 6. *R. R.* 22. Et utique tauræ, quæ locum occupant fecundarum, ablegandæ.

TAURĀRIS, e, adject. Num hæc vox taurarium significet, an illum, qui taureas conficit et vendit, minime liquet. *Inscript.* apud *Murat.* 947. 1. M. CLODIVS M. L. CADMVS TAVRARIS.

TAURĀRĬUS, ĭi, m. 2. (taurus) qui cum tauris pedester pugnat, quique ab Hispanis nunc *torero* dicitur. *Inscr.* apud *Gud.* 106. 1. *V.* in TAUROCENTA. *Fragm. Inscr.* ad Acelum in agro Tarvisino an. 1824. inventum a *P. Paravia.* COELIO CLAV. TAVR. IIII. VIR PRAET. FLAM. SAC. QVAEST. Hanc illustravit *Furlanettus* noster.

TAURĔA, æ, f. 1. *V.* TAUREUS.

TAURĔLĔPHAS, antis, m. 3. ταυρελέφας, genus elephantis tauro similis, apud Indos. *Jul. Val.* 19.

TAURĔUS, a, um, adject. (taurus) taurinus, bubulus, *di bue,* ταύρινος. *Ovid.* 4. *Fast.* 342. Et feriunt molles taurea terga manus. *h. e.* tympanum ex corio bubulo. *Virg.* 9. *Æn.* 706. taurea terga. *h. e.* scutum ex eod. corio. — Hinc

*Taurea, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est flagrum bubulum, lorum. *Juvenal.* 6. 491. taurea punit Continuo flexi crimen facinusque capilli. *Tertull. ad Martyr.* 5. Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt. ¶ 2. Item vacca sterilis, taura. *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 140. *V.* TAURA. init. ¶ 3. De Taureis vel Tauriis ludis, *V.* TAURII.

TAURĬCORNIS, e, adject. (taurus *et* cornu) qui tauri cornua habet, *chi ha le corna di toro Prudent.* 10. περὶ στεφ. 222. Saltat Tonantem tauricornem ludius. *h. e.* Jovem in taurum versum ad rapiendam Europen.

TAURĬCUS, a, um, adject. Ταυρικός, ad Tauros pertinens, de quibus *V.* ONOM. Hinc ¶ 1. *Taurici ludi,* de quibus *V.* in TAURII. ¶ 2. *Tauricæ fabulæ* apud *Tertull. Apolog.* 9.

TAURĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (taurus et fero) tauros ferens, ταυροφόρος. *Lucan.* 1. 473. tauriferis ubi se Mevania campis Explicat. *h. e.* in quibus multa pascua sunt alendo bubulo generi. *V.* MEVANIA.

TAURĬFORMIS, e, adject. (taurus *et* forma) tauri formam habens, ut Aufidus tauriformis. *Horat.* 4. *Od.* 14. 25. *V.* AUFIDUS in ONOM. et CORNU.

TAURĬGĔNUS, a, um, adject. (taurus *et* gigno) tauro genitus, ταυρογενής. *Accius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. *sub fin.* Taurigeno semine ortum, an humano?

TAURII (Taurei), ōrum, m. plur. 2. ludi apud Romanos in Circo Flaminio, in honorem deorum

inferorum. *Fest. p.* 351. 15. *Müll.* Taurii ludi instituti diis inferis ex hac causa videntur. Tarquinio (*Superbo*) regnante, quum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, earum fetus infecti sunt ex carne divendita populo taurorum immolatorum. Ob hoc ludi Taurii appellati sunt et fiunt in circo Flaminio, ne intra muros evocentur dii inferi. Sed Taurios ludos Varro ait vocari, quod eis ludis discipulus pendens a doctore in crudo corio tauri solitus sit impelli atque usque eo inibi cogi docere, quoad consisteret atque virtute talorum constaret pedum firmitas. Hæc *Festus*. Eadem fere habet *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 140., excepto quod pro *taurii* leg. *taurei*. Meminit etiam *Varro* 5. *L. L.* 154. *Müll.* Ibi quoque (h. e. *in Circo Flaminio*) ludis Tauriis circum metas currunt. Alii leg. *Taureis*, alii *Tauricis*.

**TAURĪLĬA**, ĭum, n. plur. 3. ταυρίλια et βουφόνια, ludi Romani, iidem qui Taurii. *Liv.* 39. 22. Per eos dies ludi Taurilia per biduum facti religionis causa. Plerique alii leg. *Taurii*.

**TAURĪNÆ**, ārum, f. plur. 1. *V.* TAURINUS.

**TAURĪNĬCĬUM**, ĭi, n. 2. (taurus et neco) Antepænultima est longa, si a Gr. ταῦρος, taurus, et νίκη (νῑκάω), victoria, vocem deducas; aliter, si a *něco*. — Taurinicium est taurorum venatio in arena, *caccia del toro*. *Inscript.* apud *Murat. præf. p.* 12. CVIVS MEMORIAE OMNE GENVS SPECTACVLORVM ATQVE TAVRINICIA DIANAE EDIDERVNT. *V.* TAUROCENTA. Græce est ταυρομαχία, ut ex *Inscr. Græca* apud *Murat.* 643. 1. apparet. Cf. *Bimardi Diss. p.* 12.

**TAURĪNUS**, a, um, adject. ταυρινός, ad tauros seu boves pertinens, bubulus (It. *di bue*; Fr. *de taureau, relatif à taureau*; Hisp. *de toro*; Germ. *z. Stier gehörig*; Angl. *of or pertaining to bulls or oxen*). *Virg.* 4. *G.* 371. taurino vultu Eridanus. *Ovid.* 6. *Fast.* 197. taurinæ cornua frontis. *Virg.* 1. *Æn.* 372. Taurinum tergum. *h. e.* corium bubulum. *Id.* 4. *G.* 171. taurinis follibus auras Accipiunt redduntque. *Claudian.* 2. *Cons. Stilich.* 265. Taurina tympana. *Stat.* 2. *Theb.* 78. Æraque taurinos sonitu vincentia pulsus. *h. e.* quibus pulsantur tympana ex corio bubulo facta. *Claudian. Edyll.* 5. 38. intendunt taurino viscere nervos. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 40. (146). Taurinum fel. *et ibid.* 17. 68. (232). fimum. *Lucret.* 6. 1067. gluten. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 62. (219). sevum. *Id. ibid.* 9. 41. (147). Taurinus sanguis recens inter venena est. — Hinc

*Taurinæ, arum*, f. plur. 1. absolute, substantivorum more, dictæ sunt caligæ ex corio taurino, *scarpe di vacchetta*. *Edict. Diocl. p.* 24. De caligis . . . taurinæ muliebres bisoles par X. quinquaginta, taurinæ muliebres monosoles par ✠. triginta . . . taurinæ inauratæ . . . taurinæ lanatæ. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

**TAURĬUS**, a, um, adject. *Fest. p.* 360. 20. *Müll.* Taurium æs, quod in ludos Tauricos consumitur. — De Tauriis ludis *V.* TAURII.

**TAURŎBŎLĬĀTUS**, a, um, particip. *V.* TAUROBOLIOR.

**TAURŎBŎLĬCUS**, a, um, adject. (taurobolium) ad taurobolium pertinens. *Inscript.* apud *Murat.* 1980. 7. Ara taurobolica. *Alia* apud *Reines. cl.* 1. *n.* 42. Petra taurobolica.

**TAURŎBŎLĪNUS**, a, um, adject. (taurobolium) idem ac tauroboliatus. *Inscript.* apud *Murat.* 387. 2. RVF. CEIONIVS PATER SACROR. INVICTI MITHRAE TAVROBOLINVS M. D. M. ID. ET ATTIDIS MENOTYRANNI.

**TAURŎBŎLĬOR**, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (taurobolium) Part. *Tauroboliatus*. — Taurobolium facio vel offero.

I.) Proprie. *Lamprid. Elagab.* 7. Matris deum sacra accepit et tauroboliatus est, ut typum eriperet et alia sacra, quæ penitus habentur condita. Sic *Inscript.* apud *Orell. n.* 2351. VIRO SV. TAVROBOLIATO D. M. (*sc.* deum matri) PONTIFICI MAIORI etc. *Alia* apud *Gruter.* 209. 2. et 3. (*Orell. n.* 2361.) FABIAE ACONIAE PAVLINAE TAVROBOLITAE (*h. e.* tauroboliatæ) ISIACAE etc. Adde *aliam* apud *eumd.* 309. 2.

II.) Translate dicitur de rebus fortasse taurobolio consecratis. *Inscript.* apud *Orelli n.* 2326. AEMILIA SERAPIAS TAVROLIVM FECIT ET ARAM (*al.* petram) TAVROBOLATAM (*corrig.* tauroboliatam).

**TAURŎBŎLĪTUS**, a, um. *V.* voc. præced.

**TAURŎBŎLĬUM**, ĭi, n. 2. (ταυροβόλιον) Legitur et *tauropolium* in *Inscr.* apud *Gruter.* 30. 1. et *Murat.* 130. 3. Cf. TAUROPOLOS. — Taurobolium est sacrificium tauri, qui in sacris Matris deum Cybeles immolabatur, quemadmodum *criobolium* sacrificium arietis, ut in *Inscr.* apud *Orell. n.* 2352., et *œmobolium*, ut in *Inscr.* apud *Mommsen n.* 5308. *V.* etiam CRIOBOLIUM. Hinc *taurobolium facere* in *Inscript.* apud *Gruter.* 30. et 31. et *taurobolium accipere* in alia apud *Donat.* 181. 1. et *Gruter.* 27. 4., et *taurobolium movere* in alia apud *Don. cl.* 4. *n.* 10. et apud *Murat.* 130. 6., et *taurobolium tradere* apud *Orell. n.* 2330. — Qui taurobolium accipiebat et consecrandus erat, terra egesta in profundam foveam demittebatur, quæ tabulis passim perforatis consternebatur: dein taurus auratis cornibus super has tabulas immolabatur, cujus sanguis per foramina defluens, oculis, naribus, capite, toto denique corpore a subjecto homine excipiebatur, qui expiari hac ratione dicebatur lustrarique adeo ut viginti annos purus mundusque esse diceretur. V. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1011. et *seqq.*, *Græv. Thes. Antiqu. T.* 4. *p.* 4. et 5. *p.* 7., *Philipp. a Turre, Dissert. de Taurob.*, *Salmas.* in *Lamprid. Elagab.* 7., *Reines.* ad *Inscript. cl.* 1. *n.* 40. et *Zoegam Bassir. ant. T.* 1. *p.* 45. et 81. et *seqq.* — *Taurobolii* mentio vetustior habetur in hac *Inscript.* apud *Murat.* 333. 1. TAVROBOLIVM MATRIS D. M. ID. QVOD FACTVM EST EX IMPERIO MATRIS M. DEVM PRO SALVTE IMPERATORIS CAESARIS T. AELII HADRIANI ANTONINI AVG. PII P. P. LIBERORVMQVE EIVS ET STATVS COLONIAE LVGDVN etc. APP. ANNIO ATILIO BRADVA T. CLODIO VIBIO VARO COS. *h. e.* ann. a Chr. n. CLX. Recentior vero exstat in alia apud *Gruter.* 28. 5. DD. NN. FL. VALENTINIANO ET GRATIANO *imperatoribus* CEIONIVS RVFIVS VOLVSIANVS *etc.* ITERATO VIGINTI ANNIS (*post*) EX PERCEPTIS TAVROBOLIIS VI. ARAM CONSTITVIT ET CONSECRAVIT X. KAL. IVN. D. N. VALENTINIANO AVG. ET NEOTERIO COS. *h. e.* ann. CCCXC. — *Taurobolium* vero non modo in honorem deæ Cybeles, sed etiam aliorum deorum fuisse aliquando institutum, patet ex *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 358. in qua: EGITIVM (*h. e.* Ægitium ab αἰγίς, capra) TAVROBOLIVM *in hon. M. D. M. I. et* VENERIS CAELESTAE etc. (*V.* PANTELIUM) et in alia apud *Fabrett. p.* 666. *n.* 522., in qua: M. D. M. I. SVMMAE PARENTI HERMAE ET ATTIDI MENOTYRANNO INVICTO CLODIVS HERMOGENIANVS CAESARIVS TAVROBOLIO CRIOBOLIOQ. PERFECTO ARAM DICAVIT etc. *et* in alia apud *Donat.* 179. 2. ATTINI SACRVM ET MINERVAE BERECYNTHIAE CONCORDIA COLLIB. IANVARII CYMBAL. LOCO SECVNDO OB CRIOBOLIVM FACTVM M. D. M. I. etc. *et* in alia supra allata in TAUROBOLIOR, ubi Fabia Aconia dicitur tauroboliata Isiaca. *et* ex alia apud *Maff. Mus. Ver.* 82. 3., in qua: MATRI DEVM ET ISIDI G. MENATIVS G. F. FAB. SEVERVS FANVM REFECIT ET PRONAVM DE SVO FECIT EX VOTO apparet, templum Cybele et Isidi commune fuisse. Cf. *De-Rossi Bullett. Crist. a.* 1870. *p.* 166.

**TAURŎBŎLUS**, i, m. 2. qui taurobolium facit seu offert, vel qui taurobolio consecratus est. *Vet. Poet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 33. *Burmann.* Quis tibi taurobolus vestem mutare suasit?

**TAURŎCENTA**, æ, m. 1. (ταῦρος et κεντέω) idem ac taurarius, Hispan. *toreador*, qui in venatione cum tauris ex equo pugnat. *Inscript.* apud *Gud.* 106. 1. PRIMO DVOMVIRATV IN FORO POMPAM TAVROS TAVROCENTAS SVCCVRSORES ET PYCTAS (*dedit*). *et mox.* SECVNDO DVOMVIRATV IN FORO POMPAM TAVROS TAVRARIOS SVCCVRSORES (*dedit*) POSTERO DIE VENATIONE TAVROS TAVROCENTAS AFROS VRSOS CETERA VENATIONE VARIA (*dedit*). Sic Græca *Inscript.* apud *Murat.* 643. 1. Πόμπην, ὁμοίως δὲ ταυρομάχιον, πύκτας καὶ μονομάχους ἔδωκεν. *h. e.* *pompam, similiter autem taurorum pugnam, pyctas et gladiatores dedit.* — Aliud videtur fuisse spectaculum, in quo pugnas taurorum cum equitibus ita describit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. *a med.* Thessalorum gentis inventum est, equo juxta quadrupedante, cornu intorta cervice tauros necare; primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar dictator. Cf. *Sueton. Claud.* 21. — Eamdem taurorum pugnam videre est in anaglypto apud *Selden. Marm. Arundell. n.* 37. *p.* 485. *edit.* 2. (et apud *Boeck. Corp. Inscr. T.* 2. *p.* 740.), sub quo sculptum: Ταυροκαθαψίων ἡμέρα B. h. e. *taurorum pugnæ dies altera*: fuse autem eamdem describit *Heliodor. Æthiop. l.* 10. c. 28. et 30. Hinc in *Gloss. Philox.* Pilæ, ταυριάριοι, ταυροκαθάπται. *V.* PILA. et *Schneiderum* in *Lex. Gr.* ad voc. Ταυροκαθαψία. Porro taurocentas ita describit *Hesych.* Κερατεσσεῖς, οἱ τοὺς ταύρους ἕλκοντες ἀπὸ τῶν κεράτων· καλοῦνται δὲ καὶ κεραελκεῖς. V. *Henzen Expl. Mus. p.* 82. et *Malte-Brun T.* 8. *p.* 113-117., ubi recte describitur hæc hominum cum tauris pugna.

**TAUROPHTHALMON**, i, n. 2. (ταῦρος et ὀφθαλμός), quoddam roris marini genus. *Apul. Herb.* 79.

**TAURŎPŎLĬUM**, ĭi, n. 2. (tauropolos) ritus, quo quis tauro vehitur; nisi mavis idem esse ac taurobolium. *Inscript.* apud *Herzog. Gall. Narb. n.* 12., *Murat.* 130. 3. et *Gruter.* 30. 1.

**TAURŎPŎLOS**, i, f. 2. ταυροπόλος, nomen Dianæ, quæ colebatur Amphipoli, Macedoniæ urbe, et tauro vecta repræsentabatur. (V. *Eckhel D. N. V. T.* 2. *p.* 67, ubi *Diod. Sic.* 18. 4. laudatur, qui ibidem templum eamdem habuisse scribit. De nominis significatione cf. *Passow Griech. Handw.*) *Liv.* 44. 44. Amphipolin quum jam fama pugnæ pervenisset concursusque matronarum in templum Dianæ, quam Tauropolon vocant, ad opem exposcendam fieret.

**TAURŬLUS**, i, m. 2. *deminut. a* taurus, parvus taurus, *torello*. *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* Totus cælus Taurulus fit.

**TAURUS**, i, m. 2. ταῦρος, primo significat marem adultum, non castratum, in genere bubulo et vaccarum admissarium (It. *toro*; Fr. *taureau*; Hisp. *toro*; Germ. *der Stier*; Angl. *a bull*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Virg.* 3. *G.* 212. tauros procul et in sola relegant Pascua. *Plin. loc.* mox *citand.* Tauris minora, quam bubus, cornua. Adde *Plaut. Pseud.* 1. 2. 66. et *Cæs.* 6. *B. G.* 28. *Virg.* 2. *G.* 140. Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem Invertere, satis immanis dentibus hydri. *Philarg.* ad *h. l.* Tauri autem sunt hi, quos ignem flantes Aeetæ imperio Iason junxit, unguento usus, quod ei Medea dederat. *Varro Sat. Menipp.* 39. *p.* 138. *Oehl.* Candens corpore taurus. Sic *Stat.* 1. *Silv.* 4. 129. præstent niveos Clitumna novalia tauros. Nam tauri hujusmodi diis accepti præ ceteris putabantur. *Auct. Philom.* 54. ed. *Wernsd. v.* 6. Barrus barrit: cervi clocitant: equus hinnit: Ast taurus mugit: et mugilant onagri: Quirritat verres, turdus rudit, oncat asellus etc. — Quas notas habere debeat taurus, *Colum.* 6. *R. R.* 20. docet. *Varro* quoque de eodem 2. *R. R.* 1. et 5., item *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. multa disserunt. — De usu taurorum in sacrificiis *V.* SUOVETAURILIA et TAUROBOLIUM. Sic *Vulgat. interpr. Dan.* 3. 40. Holocaustum arietum et taurorum. — Item pro venatione publica in amphitheatris aliisque locis. *Inscript.* apud *Orelli n.* 2530. PRIMO DVOMVIRATV APOLLINARIB. IN FORO POMPAM TAVROS TAVROCENTAS etc. *V.* TAUROCENTA. — Tauri corium multiplici ductu clipeis inducebatur. *Virg.* 10. *Æn.* 783. tribusque Transiit intextum tauris opus. *cuoio a tre doppi*, tauris pro pelle taurina sumptis. Cf. *Sil. It.* 4. 291. *et* 5. 318. — Tauri figuras marmore insculptas illustrat *Visconti* in *Mus. Pio-Clem. T.* 7. *p.* 152. *et* 160. ¶ 2. Latiore sensu de quocumque bove. *Horat.* 3. *Od.* 13. 11. Fessi vomere tauri. *et Virg.* 1. *G.* 64. terræ Pingue solum *etc.* Fortes invertant tauri. — Hinc translate de viro potenti. *Vulgat. interpr. Eccli.*

38. 26. Et enarratio ejus in filiis taurorum. Adde *Is.* 34. 7. etc. *Ps.* 21. 13. Tauri pingues obsederunt me. In Hebr. pro *pingues* est *Basan*, quæ est regio Palæstinæ orientalis, ubi tauri ob pascua erant validiores et ferociores. Sic et *Ezech.* 39. 18. Cf. *Jerem.* 50. 19. et *Is.* 2. 13. *V.* etiam *Ackerm.* § 47. — De tauro Perilli, quo usus Phalarides torquendis reis, *Ovid.* 1. *Art. am.* 653. et 3. *Trist.* 11. a *v.* 41., *Cic.* 6. *Verr.* 33. *ad fin.* et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (89). — *Taurus* inscriptus est etiam unus e mimis *Laberii*, cujus fragm. apud *Diomed.* 1. *p.* 336. *Putsch.*

II.) Improprie. ¶ 1. Est aviculæ genus *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 57. (116). Est quæ boum mugitus imitetur, in Arelatensi agro taurus appellata, alioqui parva. ¶ 2. Item radix arboris. *Quintil.* 8. 2. *a med.* Taurus animal sit, an mons, an signum in cælo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur. Voces *radix arboris*, sunt qui putant vitiosas esse; hactenus enim quænam radix ita appelletur, est incompertum: hunc autem locum respexisse videtur *Diomedes*, qui *loc.* infra *cit.* pro eadem habet obscenam corporis partem. ¶ 3. Item genus scarabæi terrestris. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 5. 12. (39). Tauri vocantur scarabæi terrestres, ricino similes: nomen cornicula dedere. alii pediculos terræ vocant. Ab his terram egestam illinunt strumis. Adde *Isid.* 12. *Orig.* 8. 5. ¶ 4. Item in Fabulis monstrum marinum a Neptuno immissum ad terrendos Hippolyti equos. *Seneca Hippol.* 1136. Cærulea taurus colla sublimis, gerens, Erexit altam fronte viridanti jubam. Adde *ibid.* 1067. et 1080. ¶ 5. Item ea pars in corpore animalis, quæ est inter podicem et scrotum, Græce ὄῤῥον, Latine orrhopygium et apud *Veget.* 1. *Veterin.* 46. hypotaurium. *V.* LASTAURUS. *Festus* in *Solitaurilia* *p.* 293. 20. *Müll.* Harum hostiarum omnium inviolati sunt tauri: quæ pars scilicet cæditur in castratione. *V.* SUOVETAURILIA. *Diomed.* 2. *p.* 444. *Putsch.* Fit ἀμφιβολογία per homonymiam, ut quum dicimus taurum, nec scias, utrum de armento, an obscenam corporis partem, an montem, qui est in Cilicia, an qui est in sideribus, taurum dicamus. — Hinc translate virum in rebus Venereis fortem, quemadmodum Græci ἀταύρωτον vocabant puellam, quæ virgo adhuc esset. *Horat.* 2. *Od.* 5. 3. *de puella:* nec tauri ruentis In Venerem tolerare pondus (*valet*). *Id. Epod.* 12. 17. Lesbia quærenti taurum, monstravit inertem. — Huc spectat illud *Petron. Sat.* 25. Hinc puto proverbium natum illud, ut dicatur, posse taurum tollere, qui vitulum tulerit. — Proprio tamen sensu *Quintil.* 1. 9. 5. Milo, quem vitulum assueverat ferre, taurum tulit. *h. e.* usu et exercitatione vis adquiritur et crescit. ¶ 6. Item cæleste Signum inter Arietem et Geminos. In Fabulis est ille, sub cujus specie Juppiter Europam rapuit et ex Phœnice in Cretam transvexit: vel ille, in cujus formam Io fuit conversa. In ejus cauda sunt septem stellæ, quas appellant Vergilias et Pleiadas, ut *Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 41. (110). docet: in fronte totidem, quas Suculas Latine, Hyades Græce. *Hygin.* 2. *Astron.* 21. et 3. *ibid.* 20. *Virg.* 1. *G.* 217. Candidus auratis aperit quum cornibus annum Taurus et averso cedens Canis occidit astro. *V.* quæ in hunc loc. scripsit *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 18. *a med.* Ceterum de tauro in Fabulis *V.* plura apud *Rossi* in *Florileg. Viscont.* ¶ 7. *Taurus draconem genuit et taurum draco,* Tarentinus notusque senarius, Græce refertur a *Firmic. de err. prof. relig.* 27. et *Clement. Alex. in* Προτρεπτικ. *p. m.* 11. Ταῦρος πατὴρ δράκοντος καὶ ταύρου δράκων. *V.* SABAZIUS. — *NB.* De nom. propr. et cognom. R. *V.* ONOM.

TAUTŎLŎGĬA, f. 1. (ταυτολογία) Vox Græca et Græce adhibenda, ut apud *Quintil.* 8. 3. *a med.* Latinis tamen litteris scribitur apud *Capell.* 5. *p.* 175., *Aquil. De fig. sent. et eloc.* *p.* 26. *Capper.*, *Mar. Plot. Sacerd.* 1. *Gramm.* *p.* 454. 8. *Keil.* et *Jul. Tolet. excerpt.* *p.* CCXXI. 15. *Hag.* — Tautologia est ejusdem rei eloquium, ejusdem sententiæ per alia atque alia verba repetitio: figura apud poetas frequens, qua res eadem multis verbis idem significantibus explicatur. Hujusmodi est illa apud *Virg.* 1. *Æn.* 550. Quem si fata virum servant, si vescitur aura Ætheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris. *et Sil. It.* 6. 208. Utque erat in pugnas et Martem et prœlia et hostem Igneus et magna audendi flagrabat amore. *et* 7. 249. jam vos aciem et prœlia et hostem Poscitis. Adde 14. 613. — Vult *Charis.* 4. *p.* 242. ταυτολογίαν esse, si quis dicat *egometipse*, quum suffecerit *ego*.

TAUTŌNES, um, m. plur. 3. palpebræ seu potius pili palpebrarum aut palpebræ inferiores, ut exponunt *Gloss. Isid.* aliaque. Sic *Thes. nov. Latinit.* *p.* 593. ed. *Mai.*

TAUTŎPŎDĬA, æ, f. 1. ταυτοποδία, ejusdem pedis in eodem versu repetitio. *Atil. Fortunat. Art.* *p.* 2088. *Putsch.* Græce συζυγία, Latine conjugatio dicitur: hæc autem, quum duos similes jungit (*pedes*), tautopodia; quum diversos, dipodia appellatur. Adde *Mar. Victorin. loc. cit.* in DIPODIA.

TAX, Græcis τάξ, vox ficticia, quæ strepitum verberum exprimit, *tac tuc.* Cf. Skr. *taksh*, percutere, cædere, et Lat. *tago. Plaut. Pers.* 2. 3. 12. Tax tax tergo meo erit. non curo. « *Mi verrà su la schiena il cicche e ciacche: Che m'importa?* » (Angel.) *V.* LATEX. Alii leg. *tuxtax*, alii *tuttax* vel *tutax*, conjunctim. (V. *Ritschl Opusc. Philol. T.* 2. *p.* 265.) *Charis.* 2. *p.* 213. *Putsch.* Tax pax Nævius in Agitatoria: Age, ne tibi me adversari dicas, hunc unum diem de meo sequor, sinam ego illos esse tax pax. Ita dedit etiam *Keil.*, alii tamen conjunctim *taxpax*.

TAXA, æ, f. 1. ¶ 1. Est lauri quædam species, topiario operi idonea, excrescente in medio folio parvulo veluti lacinia folii. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (130). ¶ 2. Pro taxatione quidam afferunt duo loca *Dig.* 31. 1. 42. *extr.* et *ibid.* 36. 3. 6., sed ibi rectius legitur *taxatio*.

TAXĀTĬO, ōnis, f. 3. (taxo) actus taxandi, æstimatio, pretium, τίμημα (It. *tassazione, tassa, stima, prezzo;* Fr. *estimation, appréciation;* Hisp. *estimacion, apreciamento;* Germ. *die Schätzung, das Taxiren;* Angl. *a taxing or rating*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. orat. pro Tull.* (edente iterum *A. Maio*) 4. Ejus rei taxationem nos fecimus: æstimatio vestra est: judicium datum est in quadruplum. *scil.* dicebatur *taxatio* pecuniæ summa, quæ a patrono rei proponebatur ob damnum illatum; *æstimatio* vero, quæ a judicibus post damnatum reum decernebatur. *Seneca* 3. *Benef.* 10. Intra pecuniam versabitur taxatio. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 29. (92). Mensa citrea HS. XIV. permutata, latifundii taxatione, si quis prædia tanti mercari malit. *Id.* 9. *ibid.* 35. 58. (120). Illa, corollarium id esse et consumpturam eam cenam taxationem confirmans. *Id.* 37. *ibid.* 3. 12. (48). Taxatio (*sucini*) in deliciis tanta, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum vigentiumque pretia superet. *Id.* 7. *ibid.* 12. 10. (56). Hoc super omnem taxationem est. *non ha prezzo.* Adde *Quintil. Declam.* 5. 4. ¶ 2. Speciatim in contractibus, testamentis aliisque negotiis est clausula restringens et contrahens rem, qua de agitur: et perscribens ac determinans, quatenus vim habere debeat. *Modestin. Dig.* 31. 1. 42. *in fin.* Hic enim taxationis loco habendum est, quidquid ad te pervenit. *Julian. ibid.* 33. 6. 5. Quasi taxationis vicem obtinent hæc verba: *quod natum erit.* Adde *Cod. Theod.* 2. 19. 4. et *Ulp. Dig.* 50. 16. 192.

II.) Translate. *Mar. Victorin.* 1. 11. 39. *p.* 47. 10. *Keil.* Igitur tetrasyllabi pedes erunt omnes sedecim, ut geminato numero ea taxatione trisyllabos, qua illi disyllabos antecedant. *Julian.* apud *Augustin.* 2. *Op. imperf. contra Julian.* 141. Æqualis gratiæ peccatique taxatio.

TAXĀTOR, ōris, m. 3. (taxo) proprie qui taxat, seu numerator, calculator, computator (*Thes. nov. Latinit.* *p.* 592. ed. *Mai*). Hinc translate, qui aliquem maledictis tangit. *Fest.* *p.* 356. 17. *Müll.* in *Taxat:* Scænici, taxatores dicuntur, quod alter alterum maledictis tangit.

TAXĀTUS, a, um, particip. *V.* TAXO.

TAXĔA, æ, f. 1. lardum est Gallice dictum, ut ait *Isid.* 20. *Orig.* 2. *a med.* V. TAXONINUS. Unde *Afran.* apud *eumd. ibid.* Gallum sagatum, pingui pastum taxea. *h. e.* gallum gallinaceum gausape coopertum (*V.* GAUSAPATUS) seu potius Gallum sago coopertum (*V.* SAGUM). *Arnob.* 7. *p.* 229. Quid taxeæ? quid næniæ? quid offæ? Alii perperam leg. *tædæ*. Cf. *Hehn Culturpfl.* *p.* 532. *Aufl.* 2.

TAXĔŌTA, æ, m. 1. ταξεώτης, genus officialium vel ex apparitoribus vel ex curialibus. *Julian. Antecess. Constit.* 115. 6. Taxeotas vel curiales, qui contra prædictam distinctionem ad episcopatus apicem prosiluerunt, officio iterum et curiæ restitui sancimus, ne ex tali condicione sacerdotio injuria fiat. Cf. voc. seq. *Id. ibid.* Tunc eum Præses Pr. teneat et taxeotis suis connumeret. — Illud, quod tribuebatur *Imp. Justinian. Cod.* 1. 3. 53. Sancimus, neminem omnino neque curialem neque taxeotam, episcopum aut presbyterum de cetero fieri. ubi quidam *taxeotam* intelligunt apparitorem esse præsidis, quem aliter *sajonem* dicebant, est recentioris interpretis, qui eam legem ex Græca in Latinam linguam vertit.

TAXĔŌTĬCUS, a, um, adject. ταξεωτικός, ad taxeotam pertinens. *Julian. Antecess. Constit.* 115. 2. Curialis vel taxeotica condicio.

TAXĔUS, a, um, adject. (taxus) qui est e taxo arbore, ut Taxea silva, *Stat.* 5. *Silv.* 5. 29. — Hinc

*Taxeus, i,* f. 2. absolute, substantivorum more. idem ac taxus. *Flor.* 4. 12. 50. ed. *Iahn* et *Halm.* Venenum quod ibi vulgo taxeo exprimitur Alii *taxo*.

TAXĬCUS, a, um, adject. (taxus) ad taxum arborem pertinens, ut *taxica venena*, quidam eadem fuisse putarunt, quæ nunc *toxica*, teste *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 20. (51).

TAXILLUS, i, m. 2. Etymon hujus vocis *V.* in TALUS. Ad rem *Cic. Orat.* 45. 153. Axilla, ala factus est fuga litteræ vastioris. Quam litteram etiam maxillis et taxillis et vexillo et paxillo consuetudo elegans Latini sermonis evellit. Itaque a *taxillo* per syncopen *talus* factus est, ut ab *axilla ala*, a *vexillo velum* etc. Alii tamen volunt esse deminut. tali. — Taxillus ¶ 1. Est idem ac talus. *Pompon.* apud *Priscian.* 3. *p.* 615. *Putsch.* Interim, dum contemplor orcam, taxillos perdidi. Adde *Cic. loc. cit.* et *Vitruv.* 10. 13. ¶ 2. Est etiam parvus cuneus, qui in aliquod foramen injicitur, Italice *tassello* dicitur. *Gargil. de re hortens.* (edente *A. A. Scottio*) 2. 6. Si ferax (*amygdalus*) non erit, terebrari in radicibus debet et taxillus e tæda in foramen aptari; vel in locum tædæ cuneus, qui esset ex robore. Rem eamdem ita describit *Pallad.* 2. *R. R.* 15. *ante med.* Si ferax non erit, tædæ cuneum terebrata radice mergamus. Cf. *Vitruv. loc. cit.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

TAXIM, adverb. (tago) sensim, leviter, leniter, pedetentim, *pian piano, bel bello, a poco a poco:* est autem a *tago*, quasi sensim tangendo. *Varro* apud *Non.* *p.* 47. 27. *Merc.* Novus maritus tacitulus taxim uxoris solvebat cingulum. *Pompon. ibid.* 2. 840. Clandestino tacitus taxim prospectavi periculum. *Lucil. ibid.* 771. Simavit taxim ad nares, delphinus ut olim. *Varro ibid.* 17. 3. Hanc eamdem voluptatem tacitus taxim consequi lapathio et ptisana possum.

TAXIM, verbum, *V.* in TAGO.

TAXIS, is, f. 3. τάξις, figura sententiarum, quæ fit, quum unaquæque res novissimorum verborum sententia clare distinguitur, ut docet *Rutil. De fig.* 2. 20.

TAXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat. vel intens.* a tago) Part. *Taxatus* I.; *Taxandus* II. 3. — Taxo est frequenter seu vehemen-

ter tango (It. *toccare spesso o fortemente;* Fr. *toucher fréquemment ou fortement;* Hisp. *tocar freqüentemente ó fuertemente;* Germ. *oft od. stark berühren, betasten;* Angl. *to touch often or greatly*).

I.) Proprie. *Gell.* 2. 6. et *Macrob.* 6. *Saturn.* 7. Taxare pressius crebriusque est, quam tangere, unde procul dubio id inclinatum est. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 357. 10. *Müll.* Taxat et taxatio a verbo tango dicuntur. *Apul. fragm.* 10. *Met. p.* 717. *Oudend.* Ipsoque (*priapo*) pando et repando ventrem sæpiuscule taxabam. *Var. Auct. De limitib. p.* 247. *Goes.* Petræ si duæ aut tres vel quattuor taxatæ, non perdolatæ a ferro in quadrifinio inventæ fuerint, ab oriente per convallia limitem ostendunt. *h. e.* sæpius aut valde tactæ ideoque politæ et usui aptatæ. Sic *p.* 253. Terminos in remotis locis a ferro non taxatos in finibus constituimus. Adde *loc. cit.* in EPILOGONIUS.

II.) Translate. ¶ 1. Est notare, reprehendere, *tacciare, biasimare:* quasi verbis crebro ferire, dictis pungere. *Sueton. Aug.* 4. Cassius Parmensis quadam epistola, non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem, sic taxat Augustum: Materna tibi farina etc. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (53). In piris taxatur superbia cognomine. *h. e.* quædam pira *superba* appellantur, ut est apud *Colum.* 5. *R. R.* 10. *a med.*, quia parva sunt, sed ocissima omnium, inquit *Plin. loc. cit.* ¶ 2. Item pretium alicui rei constituere, æstimare, *tassare, stimare, assegnare o determinare il prezzo:* vel quia ad æstimandum ponderandumque crebro tactu ac tractu opus est: vel quia Græci quoque dicunt τάσσειν τιμήν. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 27. (90). Chrysocolla aspera taxatur in libras denariis septem; media denariis quinis; attrita denariis tribus. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (136). Talentum Atticum denariis sex millib. taxat Varro. *Sueton. Aug.* 41. Senatorum censum ampliavit ac pro octingentorum milium summa duodecies HS. taxavit. — De aliis rebus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 33. 38. (207). Agrippa hoc intervallum XL. passuum mil. taxat. *et ibid.* 28. 33. (163). Timosthenes totum sinum quatridui navigatione in longitudinem taxavit, bidui in latitudinem. ¶ 3. Hinc figurate. *Seneca Ep.* 24. Quodcumque illud est malum, tecum ipse metire ac timorem tuum taxa. *Id. Consol. ad Marc.* 19. Tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus. *Id. Ep.* 81. *ante med.* Uni sapienti notum est, quanti res quæque taxanda sit. *Aur. Vict. Epit.* 38. Taxare aliquem verbi fatigatione. Adde *Mar. Victorin.* 1. 10. 4.

TAXŌNĪNUS, a, um, adject. ab inusit. *taxone,* vel potius deminut. a *taxo,* qua est meles (quæ vox in hanc significationem occurrit apud *Primas.* in *ep.* ad *Hebr. p.* 773. *Migne*), Italis *tasso,* Germanis *dachs,* Gallis *taisson* dictus fortasse ab Hebr. דשן *dashen,* pinguis, quia hoc animal solet maxime pinguescere. Cf. *Seren. Sammon.* 48. 896. Ceterum videtur esse vox veterum Gallorum seu Celtarum, quia *taxea* Gallice, teste *Isid.* 20. *Orig.* 2. 24., laridum significat. — Taxoninus est igitur ad taxum seu taxonem, h. e. melem, pertinens. *Marcell. Empir.* 36. *sub init.* Adipis leoninæ unciæ quattuor, adipis leopardinæ unciæ quattuor, adipis taxoninæ unciæ tres.

TAXPAX. *V.* TAX.

TAXUS, i, f. 2. arbor abieti similis baccasque ferens, quibus letale venenum inest, præcipue in Hispania, Corsica et Arcadia, σμῖλαξ.

I.) Proprie. *Virg.* 9. *Ecl.* 30. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos. *Calpurn. Ecl.* 8. 77. dulcia mella sudabunt taxi. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 20. Similis his *(abieti et piceæ)* etiamnum aspectu est, ne quid prætereatur, taxus, minus virens gracilisque et tristis ac dira, nullo suco, ex omnibus sola baccifera. Mas noxio fructu. Letale quippe baccis, in Hispania præcipue, venenum inest. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est. Hanc Sextius smilacem a Græcis vocari dixit et esse in Arcadia tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub ea cibumve capiant, moriantur. Sunt, qui et taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur. Repertum, innoxiam fieri, si in ipsam arborem clavus æreus adigatur. *Cæs.* 6. *B. G.* 30. *extr.* Taxo, cujus magna in Gallia Germaniaque copia est, se exanimavit. Adde *Nemesian. Ecl.* 4. 52. — Ob noxiam vim inter ferales habetur ideoque Inferis tribuitur. *Sil. It.* 13. 595. vasta comas nemorosaque brachia fundit Taxus, Cocyti rigua frondosior umbra. *Lucan.* 6. 645. *de Dite.* Phœbo non pervia taxus opacat. Adde 3. 419. et *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 386. et *Calpurn. Ecl.* 11. 52. *Sueton. Claud.* 16. Edicto proposuit, nihil æque facere ad viperæ morsum, quam taxi sucum. Id *Sueton.* tamquam notabile et ridiculum posuit.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen, ponitur pro hasta. *Sil. It.* 13. 210. Letum triste ferens auras secat Itala taxus. ¶ 2. Item pro face e taxo; faces autem hujusmodi tribuuntur fluviis, ut adnotat *Lactant.* ad illud *Stat.* 4. *Theb.* 485. Angue ter excusso et flagranti prævia taxo Tisiphone.

# TE

TĚ, particula demonstrativa, loquelaris quæ dicitur, seu adjectio syllabica, per se nihil significans, quæ videtur respondere Græcæ δε in ὅδε, τοιόσδε etc. (Cf. ISTE init.) et apponitur vocibus *tu* et *te,* vim addens, ut *tute fecisti,* tu ipse per te, non alius. *Enn.* apud *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 18. O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti. *Id.* apud *Non. p.* 469. 25. *Merc.* Bene mones: tute ipse cuncto. *Cic.* 1. *Fam.* 8. Ut tute mihi præcepisti. *Id.* 12. *Att.* 18. *sub fin.* Tute scis. *Plaut. Epid.* 1. 1. 76. Nisi quid tibi in tete auxilii est, absumptus es. *Lucret.* 1. 102. et 4. 913. addit *met.*

TĒ, σέ, quartus et sextus casus pronominis *tu.* *V.* TU.

TĔĀTRUM. *V.* THEATRUM.

TĒBA, æ, f. 1. — Teba est collis, *collina, colle.* *Varro* 3. *R. R.* 1. *a med.* Lingua prisca et in Græcia Æoles Bœotii sine afflatu vocant colles, tebas: et in Sabinis, quo e Græcia venerunt Pelasgi, etiam nunc ita dicunt. cujus vestigium in agro Sabino, via Salaria, non longe a Reate, miliarius clivus appellatur Thebæ. Hæc *Varro,* cui se hac in re minime credere profitetur *Jos. Scalig.*

TĒBENNUM, i, n. 2. τήβεννον, genus quoddam vestis venatoriæ. *Julian. Antecess. Constit.* 96. 1. Proconsul induatur tebennum (id est aliquod vestimenti genus) in festis diebus.

TEBET vel

TĒBETH, vox, quam a Chaldæis mutuati sunt Hebræi ad significandum decimum mensem, mensi Decembri vel potius Ianuario respondentem (*V. Ackerm.* § 103.). Hebraice scribitur טבת *Teved,* Græce Τηβῆθ. *Vulgat. interpr. Esth.* 2. 16.

TECHĪNA. *V.* voc. seq

TECHNA, æ, f. 1. (τέχνη) Alia forma est *techina,* ut habet *Loewe* in *Gloss. nom. p.* 221. Sic et *Ritschl* ad *Plaut. Most.* et *alibi.* (V. *ejusd. Opusc. Philolog. T.* 2. *p.* 473. *et seqq.*) et *Fleckeis.* ad *Ter. loc. cit.* Similiter *mna* pro *mina.* Cf. *drachuma* et *drachma, Alcumena* et *Alcmena.* Sic *Mar. Victorin. p.* 2456. *Putsch.* Antiqui juxta non ponebant *cn,* nec Tecmessam dicebant, sed Tecumessam; donec Julius Cæsar, qui Vopiscus et Strabo, quin et Sesquiculus dictus est, primus de Tecmessa, scripsit tragœdiam suam et ita in scæna pronunciari jussit. — Techna, ut sonat vox Græca, unde ducitur, artem seu artificium significat, sed fere sumitur in deteriorem partem, pro dolo, astutia, impostura, fraude sive fallacia (It. *arte, artifizio, astuzia, furberia, giunteria, treccheria;* Fr. *ruse, fourberie, tromperie, artifice;* Hisp. *astucia, engaño, embuste, fraude;* Germ. *e. listiger Streich, Kunstgriff, List;* Angl. *a device, artifice, trick, shift*). *Plaut. Most.* 3. 1. 23. Metuo, ne technæ meæ perpetuo perierint. *Id. Bacch.* 3. 2. 8. technam de auro advorsum meum fecit patrem. *Ter. Heaut.* 3. 1. 62. falli te sinas Techinis per servulum. Adde *Eun.* 4. 4. 50.

TECHNĬCUS, i, m. 2. (techna) qui regulas artis tradit. *Quintil.* 2. 13. *sub fin.* Et se velut decretis technicorum tutos putent.

TECHNŎGRĂPHUS, i, m. 2. τεχνογράφος, qui artis alicujus præcepta scripto tradit. *Claud. Plot. Sacerd.* 1. 117. *p.* 454. 27. *Keil.*

TECHNŎPÆGNĬON (technopægnium), ii, n. 2. τεχνοπαίγνιον, ludus artificiosus. *Ausonius* hoc nomine inscripsit carmen suum, quod est *Edyll.* 12., in cujus præfatione ad Pacatum procons.: Technopægnion, inquit, nomen dedi, ne aut ludum laboranti aut artem crederes defuisse ludenti. Continet autem illud carmen versus monosyllaba finitos, et interdum etiam inceptos, omnesque multa arte compositos.

TECLA. *V.* TEGULA.

TECLĀRĬUS. *V.* TEGULARIUS.

TECNON, i, n. 2. τέκνον, filius, Græca scilicet positione et significatu, in *Inscr.* apud *Marini, Iscr. Alb. p.* 129. Legitur et in *Act. SS. MM.* Ceterum vox est Græco sermoni relinquenda.

TĒCŎLĪTHOS, i, m. 2. (τηκόλιθος) Etiam *tecolithum* neutr. gen. apud *Priscian. Perieg.* 982. — Tecolithus ¶ 1. Est lapis, qui et spongia dicitur et invenitur in spongiis, vim habens medendi vesicæ et rumpendi calculos, si in vino bibatur: unde ei nomen a λίθος, lapis, et τήκω, liquefacio, consumo. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 19. 35. (143). ¶ 2. Est alius hoc nomine nuclei olivæ similis, eamdem contra calculos vim habens. *Id.* 37. *ibid.* 10. 68. (184) et *Solin.* 37. *a med.*

TĒCŎLĪTHUM, i, n. 2. *V.* voc. præc.

TECTA via, quænam fuerit, *V.* in RECTUS.

TECTĒ, adverb. (tectus) Comp. *Tectius.* — Tecte ¶ 1. Est occulte, latenter, *copertamente, occultamente,* κρυφίως. *Cic.* 1. *Att.* 14. *ante med.* Et tamen ab illo aperte, tecte quidquid est datum, libenter accepi. *Planc.* ad *Coss.* 8. *Fam.* 8. Furnio plura verbo, quam scriptura, mandata dedimus, ut et tectius ad vos perferrentur et nos essemus tutiores. *Cic.* 9. *Fam.* 22. *ante med.* Quod tu appellas suo nomine, ille tectius penem. *Tibull.* 4. 5. 17. Optat idem juvenis, quod nos, sed tectius optat. *Ovid.* 1. *Art. am.* 276. Vir male dissimulat: tectius illa (*puella*) cupit. ¶ 2. Item caute, tute, *sicuramente.* *Cic. Orat.* 68. *ad fin.* Oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta; nec satis tecte declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit.

TECTĪLIS, e, adject. (tego) qui tegitur vel tectorio est inductus. Tribuitur *Apul.* 7. *Met.*, sed minus recte; et legitur in *Not. Tir. p.* 130.

TECTĬO, ōnis, f. 3. (tego) ¶ 1. Est actus tegendi vel tegmen. *Augustin.* in *Job* 7. Tectio foliorum. ¶ 2. Est etiam actus superponendi. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 5. 58. Utendum etiam limpidæ lanæ tectione mediis partibus capitis et collo. *et ibid.* 21. 200. Tectio mundarum lanarum.

TECTŎNĬCE, es, f. 1. ars tectonica. *Max. Victorin. p.* 1937. *Putsch.* Artium genera sunt tria: animi tantum, corporis, et animi et corporis, ut ruris cultus, palæstra, medicina, mechanice, tectonice.

TECTŎNĬCUS, a, um, adject. τεκτονικός, ad ædificia vel ad ædificandum pertinens. *Auson. Edyll.* 10. 298. Quis potis innumeros cultus habitusque locorum Pandere, tectonicas per singula prædia formas? *i disegni delle fabbriche.* —

TECTOR, ōris, m. 3. (tego) universim qui tegit, speciatim vero qui parietes opere tectorio perficit, *chi intonaca o incrosta o delinea le pareti.* *Varro* 3. *R. R.* 2. *circa med.* Villa tua, quam neque pictor neque tector vidit umquam. *Vitruv.* 7. 3. *ad fin.* Græcorum vero tectores, mortario col-

locato, arena et calce ibi confusa etc. *Frontin. Aquæd.* 117. recenset varios opifices aquæductibus inservientes, villicos, castellarios, circitores, silicarios, tectores aliosque opifices. *Tertull. Idolol.* 8. Scit albarius tector et tecta sarcire et tectoria inducere et cisternam liare et cymatia distendere et multa alia ornamenta præter simulacra parietibus incrustare. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 642. 10. — Tres alias Inscriptiones habet *Gudius*, ex quarum duabus apparet, *tectorum* corpus fuisse et in castris quoque locum habuisse. *Prima* est *p.* 17 *n.* 2. M. CLAVDIVS M. L. ORGANIVS SACERDOS BONAE DEAE ET SACERDOS CORP. LVTOR. ET TECTOR. *Altera p.* 149. *n.* 5. A. ANICIVS Q. F. FELIX V. C. TECTOR PRAETORIANORVM. *Tertia p.* 163. *n.* 4. C. DOMITIVS C. F. BASSVS COH. III. LEG. III. ITALICAE PRAEFECT. MIL. ET FABROR. TECTOR. (in impressis est *rector* errore operarum.) *Grævius* in *not.* ad *Cic. Planc.* 25. sibi ait non liquere, quem usum in castris tectores habuerint: fortasse in machinis bellicis operam posuisse.

TECTŌRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* tectorium, parvum tectorium. *Cic.* 9. *Fam.* 22. Bella tectoriola: dic ergo etiam pavimenta isto modo: non potes.

TECTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

TECTŌRĬUS, a, um, adject. (tego) ad tectionem pertinens. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 18. Tectorius peniculus. *pennello da imbiancare.* quem *Plin.* quoque appellat 28. *Hist. nat.* 17. 71. (235). penicillum tectorium. Apud *Plaut.* alii rectius leg. *panicula tectoria.* h. e. comam lanosam arundinum, quibus ruri casæ integi solent, *lanuggine di panico.* ¶ 2. Speciatim *tectorium opus* quidquid parieti exstructo vel pavimento inducitur, tum firmitatis, tum ornatus causa, sive pura calce aut gypso, sive arena calce mixta, sive marmore tuso et calce, *intonico, intonicato, intonacatura, stucco,* κονίασμα. *Varro* 3. *R. R.* 11. Vestibulum exæquatum tectorio opere testaceo. *h. e.* e fictili cocto contuso et calce. *Id.* 1. *ibid.* 57. Granarii parietes et solum opere tectorio marmorato loricandi. *Cic.* 2. *Legg.* 26. 65. Sepulcrum opere tectorio exornare. Adde *Inscr.* apud *Henzen n.* 7372. — Huc spectat illud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (43). Atramentum tectorium, glutino admixto, sole perficitur. Adde *Gromat. p.* 97. 8. *Lachm.* — Hinc

*Tectorium, ii,* n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Generatim est id, quod tegendo inservit, tegmen, operimentum, *covertoio, coperta,* puta stragulum, cento, quo quippiam tegitur. *Cato R. R.* 11. Opercula doliorum et tectoria priva. *Pontedera* ex tribus *Codd.* corrigit *tectaria,* h. e. tegumenta, et *Schneiderus* idem recepit. Adde *Marcell. Empir. c.* 23. *p.* 120. ¶ 2. Speciatim est quidquid parieti exstructo vel pavimento inducitur, ut supra diximus; hinc multiplex tectorii genus: primum vocatur *albarium opus*, secundum *arenatum*, tertium *marmoratum*, de quibus agit *Vitruv.* 7. 2. *et* 3., et quartum *testaceum*, de quo cf. *Varron. loc.* supra *cit.* — *a*) Proprie. *Cic.* 3. *Verr.* 55. *sub fin.* Columna, ex qua tantum tectorium vetus delitum sit et novum inductum. (*Priscian.* 18. *p.* 1151. *Putsch.* legit *dejectum sit:* alii *deletum.*) *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. Totum in eo est (quod mihi erit curæ) tectorium ut concinnum sit. *Varro* 3. *R. R.* 8. Parietes ac camaræ munitæ tectorio. *Seneca Ep.* 86. *ante med.* Balnea obscura et gregali tectorio inducta. *Colum.* 8. *R. R.* 15. *a med.* Cubilia lapide fabricata et expolita tectoriis. *Vitruv.* 5. 10. *a med.* Inferior pars, quæ ad pavimentum spectat, primum testa cum calce trulissetur, deinde opere albario sive tectorio poliatur. *Id.* 7. 3. *ante med.* Quo fundatior erit ex arenato directura, eo firmior erit ad vetustatem soliditas tectorii. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 16. 56. (194). Chia terra lacte diluta tectoriorum albaria interpolantur. *et* 36. *ibid.* 23. 55. (176). Tectorium nisi ter arenato et bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet. *et paullo sup.* Tectoria rimæ fœdant. *Ulp. Dig.* 15. 3. 3. *ante med.* Domum exornare tectoriis. *di stucchi.* et *Nerat. ibid.* 7. 1. 44. Novum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest. *Inscr.* apud *Willmans n.* 333. (*Henzen n.* 7372.) Tectoria perfecta. — *Juvenal*, lepide *tectorium* appellat fucum, quo mulieres faciem illinunt, 6. 466. Tandem aperit vultum et tectoria prima reponit. *belletto.* — *b*) Translate, ipsa quoque materia, ex qua tectorium fit, *tectorium* dicitur. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 17. (31). Pecudis lienem tectorio includere in pariete. *h. e.* calce vel gypso vel denique luto, inquit *Harduin.* et 36. *ibid.* 23. 55. (177). Tectorium inducere lacte (*Sillig.* leg. *late*) et croco subactum. — Hinc figurate. *Pers.* 5. 24. dignoscere cautus, Quid solidum crepet et pictæ tectoria linguæ. *h. e.* sermonem auditu blandum et verba simulata, tegentia fraudem et animum subdolum. *Augustin. Ep.* 1. (*al.* 132.) *ad Volusian.* Sanctarum litterarum studium solida res est, nec ullo linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat. *h. e.* eloquentia inani et fucatis verbis sine rerum aut sententiarum pondere.

TECTŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* tectum, parvum tectum, parva domus. *Hieronym. Ep.* 117. *n.* 9. Ne maledici homines sub uno tectulo vos manentes, lectulum quoque criminentur habere communem.

TECTUM, i, n. 2. (tego) id, quod tegit, tegmen, præcipue domorum (It. *coperto, tetto;* Fr. *toit;* Hisp. *techo;* Germ. *das Dach;* Angl. *the covering or roof*).

I.) Proprie vel active. *Plaut. Rud. prol.* 78. Deturbavit ventus ille tectum ac tegulas. Adde 1. 1. 5. *Lucret.* 2. 191. quum subsiliunt ignes ad tecta domorum. *Sall. Jug.* 67. Tecta ædificiorum. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. Absolutum offendi in ædibus tuis tectum. *Id. Brut.* 73. 257. Firma tecta in domiciliis habere. *Virg.* 2. *Æn.* 695. Culmina tecti. Adde *Ovid.* 12. *Met.* 480. et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 41. *Id. Epod.* 12. 12. Tantà cubilia tectaque rumpit. *coperta o cielo del letto.* — *Tectum deliciatum* apud *Paul. Diac. p.* 73. 3. *Müll.* V. in DELICIA. — *Tectum spectare* quid sit, *V.* in LACUNAR. Adde *Juvenali* ibi *cit.* etiam *Quintil.*, qui 2. 11. 4. dixit in eumd. sensum *tectum intueri.* — Tectum etiam sepulcris imponebatur. *Inscript.* apud *Henzen n.* 7369. AMPHIA AMPLIATA MATER FIL. CARISS. TECTVM CVM CLAT. FERREIS D. S. P. — Tecta in Orientis partibus non fastigiata, sed plana erant et loricâ circum munita; porro et captando frigori et orando et vulgandis edictis aliisque usibus inserviebant, ut videre est apud *Vulgat. interpr. Jos.* 2. 8., 2. *Reg.* 11. 2. *et* 22., *Is.* 15. 3. *et* 22. 1., *Matth.* 24. 6., *Marc.* 2. 4., *Act.* 10. 9. *etc.* Plura de hujusmodi tectis videsis apud *Ackerm.* § 34. — Hinc translate apud *eumd. interpr. Matth.* 10. 27. Quæ in aure auditis, prædicate super tecta. *h. e.* palam publiceque.

II.) Translate per synecdochen, vel passive, est ipsa domus, *casa, abitazione, albergo,* ut docet *Quintil.* 8. 6. 20. *Plaut. Rud.* 2. 7. 16. Recipe me in tectum. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 66. Ne tecto recipiatur. *Auct. B. G.* 8. 6. Milites in tecta gallorum contegit. *Cic.* 5. *Att.* 16. *a med.* Multis locis ne tectum quidem accipio et in tabernaculo maneo plerumque. *Id. Rosc. Com.* 12. 33. Tum erat ager incultus sine tecto: nunc est cultissimus cum optima villa. *Id.* 7. *Verr.* 10. *a med.* Ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile, non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. *Id.* 3. *Cat.* 12. 69. Vos, Quirites, in vestra tecta discedite. *Id.* 2. *leg. Agr.* 33. *a med.* Recipere aliquem tectis ac sedibus suis. *Liv.* 1. 15. De tectis mœnibusque dimicare. *et ibid.* 9. Quum frequentem tectis urbem vidissent. *Virg.* 4. *Æn.* 402. ingentem formicæ farris acervum *etc.* populant tectoque reponunt. *Id.* 1. *ibid.* 631. tectis juvenes succedite nostris. *Id.* 4. *G.* 61. Frondea tecta. *Ovid.* 5. *Met.* 287. claudit sua tecta Pyreneus. *et* 12. *ibid.* 417. Tecta intrare. *et* 14. *ibid.* 250. subire. *et* 9. *ibid.* 148. Tectis excedere. *Id. Heroid.* 1. 109. inimicos pellere. *Id.* 3. *Met.* 697. Claudere aliquem in tectis solidis. *h. e.* in carcere. *Id.* 2. *Art. am.* 382. Isdem sub tectis hospes et uxor erant. *Virg.* 6. *Æn.* 8. Tecta ferarum. Adde 5. *ibid.* 216. — *Stat.* 1. *Silv.* 3. 9. *de villa.* Ipsa manu tenera tectum scripsisse Voluptas. *h. e.* locum domui exstruendæ elegisse ac designasse.

TECTŪRA, æ, f. 1. (tego) ¶ 1. Est tectorium, crusta calcis, marmoris contusi aut alterius materiæ, quæ parietibus superinducitur. *Pallad.* 1. *R. R.* 15. Parietum tectura sic fiet fortis et nitida. *Id. ibid.* 17. In quocumque loco pavimenti vel parietis tectura succumbat. ¶ 2. Est etiam operimentum libri. *Æmil. Prob.* in *epigr. pr. Corn. Nep.* Ornentur steriles fragili tectura libelli. Vide hic male corripi ultimam in *tectura.*

TECTUS, a, um, particip. *V.* TEGO.

TĒCU et

TĒCUM et

TED. *V.* TU.

TĒDA. *V.* TÆDA.

TĒDĔO cum deriv. *V.* TÆDEO.

TĒDIGNĬLŎQUĬDES, æ, m. 1. (dignus *et* loquor) vox ficta joculariter a *Plaut. Pers.* 4. 6. 23., h. e. te digna loquens. Alii aliter leg.

TĔGELLĀRĬUS, a, um, adject. (tegella *inus. a* tegula) *Gloss. Isid.* Tegellaria, venefica. *et ibid.* Tegellaria, malefica, eo quod supra tegulas sacrificet.

TĔGENS, entis, particip. *V.* TEGO.

TĔGES, ĕtis, f. 3. (tego) straguli genus, quam et stoream appellant, ex ulva sive scirpo aut sparto in lodicis similitudinem, quo viliores utuntur, φορμός, φορμίς (It. *stuoia;* Fr. *couverture, natte;* Hisp. *cubertura, estera;* Germ. *die Decke, Matte;* Angl. *a mat made of sedge, rushes*). *Varro* 1. *R. R.* 22. Quæ fiunt de cannabi, lino, junco, palma, scirpo, ut funes, restes, tegetes. *Martial.* 11. 32. Nec toga nec focus est nec tritus cimice lectus Nec tibi de bibula sarta palude teges. *et ibid.* 56. Et teges et cimex et nudi sponda grabati. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69. (112). Similia præcipit et de junco, quem mariscon appellant, ad texendas tegetes. *Colum.* 5. *R. R.* 5. *a med.* Sub ortum Caniculæ palmeis tegetibus vineas adumbrat. *Id.* 12. *ibid.* 50. Canneæ tegetes, quibus oliva excipitur. *Juvenal.* 6. 117. Ausa Palatino tegetem præferre cubili. *h. e.* vilem lodicem meretriciam. *Id.* 7. 221. Institor hibernæ tegetis. *Martial.* 6. 39. Filii in grabatis tegetibusque concepti.

TĔGESTE, is, n. 3. (tego) id, quo quid tegitur. *Scholiast.* in *Juvenal.* 6. 117.

TĔGESTRE, is, n. 3. idem ac teges. *Edict. Dioclet. p.* 22. Tegestre de caprinis pellibus X sexcentis pulicare tenerrimum et maximum X sexcentis. Sed legend. *segestre.*

TĔGĔTĀRĬUS, ii, m. 2. (teges) qui tegetes conficit aut vendit. *Gloss. Labb.*, ubi perperam *tegenarius.*

TĔGĔTĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* teges, parva teges, φορμίδιον. *Varro* 3. *R. R.* 8. Sed pro columbariis in pariete mutulos aut palos in ordinem, supra quos tegeticulæ cannabinæ sint impositæ. *Id.* 2. *ibid.* 11. *a med.* Diligentiores tegeticulis subjectis oves tondere solent, ne flocci intereant. *Martial.* 9. 93. Dat tibi securos vilis tegeticula somnos. Alii rectius leg. *lecticula:* nam antepænult. in *tegeticula* brevis est.

TĔGĬCŬLUM, i, n. 2. (tego) idem ac tegimen vel parvum tegimen. *Donat.* ad *Ter. Phorm. prol.* 27. Φόρμιον tegiculum dicunt Græci, quo insternitur pavimentum.

TĔGĪLE, is, n. 3. (tego) tegmen, velamen. *Apul.* 9. *Met.* Exiguo tegili tantummodo pubem injecti. Alii leg. *tegillo.*

TĔGILLA, æ, f. 1. idem ac tegillum. *Gloss. Isid.* Mappa, gausape, tegilla.

TĔGILLUM, i, n. 2. *deminut. a* tegulum, quod a *tectum*, qua vestem signat, ut a *recta*, quod itidem vestis genus, *regilla*, est parvum tegmen, et speciatim cucullus vel petasus e scirpis factus, vestis vilis et plebeja, ut e *Festo* ac *Nonio* constat, καλυμμάτιον. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 366. 1. *Müll.* Tegillum, cucullionculum ex

scirpo factum. *Plaut. Rud.* 2. 7. 18. Tegillum eccillud mihi unum arescit: id, si vis, dabo. *Varro* apud *Non. p.* 179. 4. *Merc.* In aere volitans milvius, aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat. *V.* TEGILE.

TĔGĬMEN, tegŭmen *et contracte* tegmen, minis, n. 3. (tego) In MSS. multorum auctorum, passim promiscue inveniuntur, ut apud *Liv.* 4. 39., *Virg.* 3. *Æn.* 594., *Ovid.* 3. *Art. am.* 112. et 1. *Met.* 672., *Senec. Herc. Fur.* 1151., *Sil. It.* 1. 402. etc. *Tegimen* et *tegumen* probe dicuntur, sed in sing. recti et quarti casus tantum usurpantur. (V. *Otto* ad *Tac.* 1. *Ann.* 18.) Videtur tamen illud usitatius esse et criticis magis placere: hoc magis antiquitatem sapere; quod adnotavit *Pier.* ad *Virg. loc. cit.* Neque soli poetæ his usi sunt, sed etiam prosæ scriptores. — Tegimen est operimentum, tegumentum, omne id, quod quocumque modo tegit et operit, καλυμμα (It. *coperta, copritura, coprimento;* Fr. *couverture, enveloppe;* Hisp. *cubertura, cubierta;* Germ. *die Bedeckung, Decke, Hülle;* Angl. *any sort of covering or shelter*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 90. Mihi amictui est Scythicum tegmen; calceamentum, solorum callum. *Virg.* 3. *Æn.* 594. Consertum tegumen spinis. *Ovid.* 12. *Met.* 91. removebitur omne Tegminis officium: tamen indestrictus abibo. *h. e.* loricæ, galeæ, clipe. *Lucan.* 7. 499. tutoque latet sub tegmine pectus. *h. e.* lorica. *Virg.* 7. *Æn.* 742. Tegmina capitum. *h. e.* galeæ. Eodem sensu *Sil. It.* 1. 402. Perque ipsum tegimen crepitantia dissipat ossa. *Val. Flacc.* 6. 349. septeno validam circumfert tegmine molem. *h. e.* scutum. Sic *ibid.* 53. Tegmina cælata. (Adde *Lucret.* 3. 651.) *Liv.* 5. 38. *ad fin.* Multos imperitos nandi, graves loricis aliisque tegminibus hausere gurgites. *Virg.* 7. *Æn.* 666. tegmen torquens immane leonis. *h. e.* pellem, tergus leoni detractum. Sic 1. *ibid.* 323. Succinctam pharetra et maculosæ tegmine lyncis. *Val. Flacc.* 5. 361. Tegmina flammea murice. *h. e.* vestes. *et* 6. 702. tegmina plantæ. *h. e.* calcei. *Catull.* 64. 129. suræ. *h. e.* tibialia. *Lucan.* 9. 771. sine ullo tegmine poples erat. *h. e.* sine pelle aut carne. *Virg.* 1. *Ecl.* 1. patulæ recubans sub tegmine fagi. *riparo, ombra.* *Ovid. Medic. fac.* 54. Hordea exuere de palea et tegminibus suis. *h. e.* cortice et folliculis. *Colum.* 10. *R. R.* 243. arbos Punica, quæ rutilo mitescit tegmine grani. *Id.* 3. *ibid.* 10. *circa med.* Tegmina et umbracula vitium. *Id.* 5. *ibid.* 5. 15. Tegminibus opacare vites. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 25. Parietes, quibus fertur omne tegimen cavi. *Colum.* 7. *R. R.* 4. *circa med.* Campis omni surculo ruboque vacantibus ovem Græcam pascere meminerimus, ne et lana carpatur et tegumen. *Alii leg.* tegumenta. *Id.* 1. *ibid.* 8. *a med.* Vestem, manicas, tegumina recognoscat. *Alii leg.* tegmina. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Germanicus, quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen capiti. *Liv.* 1. 20. Et super tunicam aeneum pectori tegumen cælestiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre. *Id.* 36. 32. Testudo collecta in suum tegumen. Alii leg. *tegimen*, alii *tegmen:* sed *tegumen* in MSS. frequentius. Sic *Tac. Germ.* 17. *init.* Tegumen omnibus sagulum fibula aut spina consertum. *Claudian. III. cons. Honor. præf.* 3. excusso salit cum tegmine proles. *h. e.* ovi putamine. *Ovid.* 11. *Met.* 514. spoliataque tegmine ceræ Rima patet præbetque viam letalibus undis. *h. e.* obturamento. *Ammian.* 14. 7. Machinarum operti tegminibus. *Id.* 16. 12. 22. Tegmina ferrea. ¶ 2. Speciatim est tectum domus vel domus. *Stat.* 1. *Theb.* 406. subit uno tegmine. *Paul. Nolan. Vit. S. Felic.* 13. 331. Attiguum tuis culminibus tegimen. Cf. *ibid.* 333.

II.) Translate. *Lucret.* 1, 986. Nec res ulla geri cæli sub tegmine posset. *sotto 'l cielo, sotto la cappa del cielo.* Sic *Cic.* vertens *Arati* carmina, 2. *Nat. D.* 44. 112. lato sub tegmine cæli. *Lævius* apud *Gell.* 19. 7. *sub fin.* nimis poetice flumina gelu concreta *tegmine* esse *onychino* dixit. *Lucret.* 3. 604. tegmine dempto. *h. e.* corpore, quod est quasi quoddam tegumentum animæ.

TĔGĬMENTUM, *sæpius* tegumentum *et contracte* tegmentum, i, n. 2. (tego) idem ac tegimen, integumentum, *coperta.*

I.) Proprie. *Afran.* apud *Non. p.* 111. 331. *Merc.* Accipe hoc tegmentum et sustine. Alii aliter leg. *Acc.* apud *Cic.* 5. *Fin.* 11. *a med.* Pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. *a med.* Quod genus tegumenti erant experti nullo telo transjici posse. *Id.* 2. *B. G.* 21. *ad fin.* Scutis tegmenta detrahere. *h. e.* vela et sacculos, quibus contecta erant. *Id.* 3. *B. C.* 44. *in fin.* Ex centonibus aut coriis tunicas aut tegmenta facere. *et ibid.* 62. Tegmenta galeis ex viminibus facere. Adde *ibid.* 63. *ad fin.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 142. Palpebræ, quæ sunt tegmenta oculorum. *Alii leg.* tegumenta. *Id. ibid.* 60. 150. Tegumenta corporum vel texta vel suta. *Liv.* 9. 19. (et 1. 43.) Scutum Romano, majus corpori tegumentum. *Seneca Ep.* 90. *ante med.* Humus tegumentum repellendis caloribus. *Id. Consol. ad Helv.* 8. Tegumenta capitum. *Sueton. Cal.* 55. *ad fin.* Equo purpurea tegumenta dedit. *gualdrappa.* et *Ambros. De Is. et Anim.* 4. Surge secura in tegimento petræ.

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 2. 2. 32. Istæc ego mihi semper habui ætati tegumentum meæ. *h. e.* tutelam. *Fleckeisen* leg. *integumentum.* et *Cic. Cæl.* 20. Quærere tegumenta vitiorum. *Orell.* leg. *integumenta.*

TEGLA. *V.* TEGULA.

TEGLĀTA. *V.* TEGULATA.

TEGMEN. *V.* TEGIMEN.

TEGMENTUM. *V.* TEGIMENTUM.

TĔGO, tĕgis, texi, tectum, tĕgere, a. 3. Etymologi hodierni ducunt a rad. Skr. *sthag*, ejusdem significationis, unde et Gr. στέγω, dempta littera sibilanti. — Part. *Tegens* I. 2.; *Tectus* fere in omnib. paragr. et in fin.; *Tecturus* I. 1. et II. 1.; *Tegendus* II. 2. et 3. — Tego est operio, contego, obduco, velo, vestio, καλύπτω, στέγω, σκεπάζω (It. *coprire;* Fr. *couvrir, recouvrir;* Hisp. *cubrir, envolver;* Germ. *decken. bedecken, überdecken;* Angl. *to cover*): occurrit autem cum Acc., cui sæpe additur Abl. modi vel instrumenti absolute aut cum præp. *in, sub.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Trin.* 4. 2. 9. capite se totum tegit. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Tigna musculi tegendi causa ponere. *Id.* 5. *B. G.* 43. Quæ (*casæ*) more Gallorum stramentis erant tectæ. Sic *Plin.* 6. *Hist. nat.* 24. 28. (109) Chelonophagi testudinum superficie casas tegentes. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 40. tectus vagina ensis. *Ovid.* 12. *Met.* 29. prima tectus lanugine malas. *et ibid.* 212. Antrum tectum arboribus. *Id.* 4. *Trist.* 2. 41. Rhenus viridi male tectus ab ulva. *Id.* 2. *Pont.* 10. 28. Nymphe tecta sub aqua æquorea. *Id.* 2. *Fast.* 665. congestis tectus in armis. *Propert.* 4. 3. 44. Hippolyte texit galea molle caput. *Cic.* 2. *Divinat.* 69. *sub fin.* Quum projectus esset inhumatus, amica corpus ejus texit suo pallio. *Seneca Controv.* 13. *ante med.* Numquid vestem nihil in matrona tectura concupivit? *Sall. Jug.* 18. Ædificia incurvis lateribus tecta. *Lucan.* 3. 6. Montis acumen tectum nubibus. *Id.* 7. 393. Urbium ruinæ tectæ pulvere. *Martial.* 14. 138. Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum. *Petron. Sat.* 109. Per antennam pelagiæ consederant volucres, quas textis arundinibus peritus artifex tetigit. *h. e.* occulte immissis (*Val. Flacc.* 6. 262. manu tacita cui plurima crevit arundo). *Virg.* 4. *G.* 414. incepto tegeret quum lumina somno. *chiudere.* et *Inscript.* apud *Gruter.* 172. 11. M. AVIANIVS M. F. CONIVNCTVS $\overline{\text{II}}$. VIR ITER TEXIT ET TECTVM S. P. *h. e.* iter stravit. *lastricò la strada.* — *Tecta via*, quænam fuerit, *V.* in RECTUS. — *Tectæ naves*, constratæ, quibus *apertæ* opponuntur. *Liv.* 36. 43. Centum quinquaginta tectis navibus, apertis ferme quinquaginta profecti. Adde 31. 46. Etiam *Cæs.* 3. *B. C.* 100. tectas instratasque scaphas memorat. Adde 1. *ibid.* 56. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). Tectas longas (*invenerunt*) Thasii. — Hinc refertur ad vestes. *Tibull.* 1. 9. 68. Horrida villosâ corpora veste tegam. *Seneca* 1. *Ira* 21. Purpura vestiri, auro tegi. *Auct. B. Hisp.* 26. 2. Equites Romani Astenses argento prope tecti. Similiter *Plaut. Rud.* 2. 7. 19. Eodem (*tegillo*) amictus; eodem tectus esse soleo. *et Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Bestiæ aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ. *et ibid.* 60. 150. Ut tecti, ut vestiti esse possimus. *et Martial.* 5. 14. cucullo caput tectus Nannejus. — *Tectæ* dicuntur oves Tarentinæ (quæ et Græcæ), quia quum mollissimam lanam ferrent, pellibus contectæ pascebantur, ne vellera aut conspurcarentur aut dumis adhærescerent. *Varro* 2. *R. R.* 11. *circa med.*, *Colum.* 7. *R. R.* 2. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (189). ¶ 2. Speciatim est visui subtrahere, occulere, celare, abscondere, *sottrarre alla vista, occultare, nascondere, celare.* *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Tectis insignibus suorum occultatisque signis militaribus. *Id.* 6. *ibid.* 30. Fugientem silvæ texerunt. *Ovid.* 13. *Met.* 822. Multæ quoque vallibus errant (*oves*), Multas silva tegit. Adde 3. *Art. am.* 622. *Cic. Rabir. Post.* 15. 42. Feræ latibulis se tegunt. — Hinc refertur ad sepulturam. *Propert.* 2. 20. 44. Me licet unda ferat, te modo terra tegat. *Ovid.* 15. *Met.* 55. Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis Ossa tegebat humus. *Id.* 2. *Amor.* 6. 59. Ossa tegit tumulus. *Lucan.* 2. 548. Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro. Adde *Propert.* 3. 5. 38. et *Martial.* 9. 30. *et* 5. 34. ¶ 3. Item tueri, protegere, defendere, *proteggere, difendere.* *Ter. Heaut.* 4. 2. 5. Tecto latere abscedere. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Miles dextra ac sinistra muro tectus, quæcumque usui sunt, sine periculo supportat. *et* 3. *ibid.* 26. *ad fin.* Qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus. *et* 1. *ibid.* 85. Quos in sua potestate habuit, conservavit et texit. *Cic.* 13. *Fam.* 66. *extr.* Tegere ac tueri aliquem in aliqua re. *Sall. Cat.* 6. Libertatem, patriam parentesque armis tegere. *Liv.* 4. 37. Tegi magis Romanus quam pugnare. — *Tegere latus* quid sit, *V.* in LATUS. ¶ 4. Item spargere. *Ammian.* 23. 6. 51. Seminibus teguntur aliquæ partes. *Lamprid. Elag.* 13. Statuarum titulos luto tegere. *spruzzare, zaccherare.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. *Plaut. Most.* 1. 3. 7. Hæc illa est tempestas mea, mihi quæ modestiam omnem Detexit, tectus qua fui: quam mihi amor et Cupido In pectus perpluit meum neque jam umquam obtegere possum. Adde *ibid.* 1. 2. 60. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 2. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 27. Per eam te obsecramus ambæ, si jus, si fas est, uti Adversa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Ut honesta præscriptione rem turpissimam tegerent. *Id.* 2. *ibid.* 31. Ita exercitus incommoda sunt tegenda. *Sall. Jug.* 89. Turpia facta oratione tegere. Sic *Phædr.* 4. 23. Superba jactas, tegere quod debet pudor. *Seneca Hippol.* 153. Astu doloque tegere nefas. *Ovid.* 3. *Trist.* 6. 10. Pectoribusque dabas multa tegenda meis. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 38. et *Art. P.* 200. Tegere commissa. *Cic. Pis.* 24. 56. Triumphi nomine tegere atque velare cupiditatem suam. *Id. Quinct.* 26. 81. Mendacio tegere aliquid. *Nepos Dion.* 1. *extr.* Crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tegebat. *Lucan.* 9. 1106. abscondunt gemitus et pectora læta Fronte tegunt. — *Id.* 2. 360. flammea nuptæ tectura pudorem. *Liv.* 41. 2. Nebula matutina texerat inceptum. *Lucan.* 8. 202. Ostendit terras Titan et sidera texit. ¶ 3. Metaphorâ depromptâ ex super. paragr. 3. *Cic. Amic.* 12. 43. Talis improborum consensio non modo excusatione amicitiæ tegenda est, sed potius supplicio omni vindicanda. *Id. Planc.* 1. 1. Is meam salutem atque vitam sua benivolentia, præsidio custodiaque texit. *Id. pro leg. Manil.* 24. 70. Innocentia tecti pericula facile repellemus. *Id.* 1. *Orat.* 59. *sub fin.* Nostri clarissimorum hominum auctoritate leges et jura tecta esse voluerunt. Adde *Cluent.* 11. 31. *Liv.* 8. 6. Legatos ab ira impetuque hominum tegere. *Id.* 1. 53. Donec ad eos perveniat, qui a patrum crudelibus atque impiis suppliciis tegere liberos sciant.

*Nepos Pelop.* 5. Legationis jure satis tectum se arbitrabatur. ¶ 4. *Tegere aliquem,* cingere, circumstare, adesse solatiolis aut auxilii causa. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 25. licet omnis pariter matertera vatem, Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

*Tectus, a, um,* adjectivorum et etiam substantivorum more usurpatur. ¶ 1. Adjectivorum more, unde Comp. *Tectior;* Sup. *Tectissimus.* — 1.°) Est occultus, obscurus, secretus — *a*) Proprie. *Auct. B. G.* 8. 41. Tectos cuniculos ab vineis agunt. — *b*) Translate. *Cic.* 6. *Fam.* 22. Totus est sermo verbis tectus, re impudentior. *et ibid. sub fin.* Tectis verbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoici. *Id. Rosc. Am.* 39. *sub fin.* Paullo occultior atque tectior vestra ista cupiditas esset. *Ovid. Rem. Am.* 619. Tectus amor. *Cic.* 2. *Fin.* 17. 54. Qui occultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet. *Virg.* 2. *Æn.* 126. tectusque recusat Prodere voce sua quemquam. — 2.°) Est etiam cautus, *guardingo, cauto: Cic.* 2. *Orat.* 73. 296. Unum te in dicendo mihi videri tectissimum: propriumque hoc esse laudis tuæ, nihil a te umquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Alii aliter leg. *Id. Rosc. Am.* 40. 116. Tecti ad alienos esse possumus: intimi multa apertiora videant, necesse est. *Id. Dejot.* 6. 16. Quis consideratior illo? quis prudentior? *Alii aliter leg.* ¶ 2. Substantivorum more, *tectum, i,* n. 2. active est id, quod tegit, speciatim vero pars superior domorum, qua ceteræ teguntur; passive autem id, quod tegitur, speciatim ipsa domus. *V.* TECTUM suo loco.

**TĔGŎRA.** *V.* TEGUS et TERGUS.

**TĒGŬLA,** æ, *et sæpius* tegulæ, ārum, f. 1. (tego) Etiam *tegla* et *tecla* legitur in *Inscript.* apud *Marini Fr. Arv. p.* 241. Cf. TEGULARIUS et TEGULATA. — Prima producitur, quamvis vox sit a *tĕgo,* cujus prior syllaba brevis est. Cf. *rēgula* a *rĕgo* etc. *V. Priscian.* 9. *p.* 858. *Putsch.* — Tegula est testæ aliusve materiæ genus, quo domus teguntur, πλίνθος, κέραμος (It. *tegola;* Fr. *tuile, toit, toiture;* Hisp. *teja;* Germ. der *Dachziegel od. das Ziegeldach;* Angl. *a tile*).

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Cic.* 9. *Att.* 7. Promitto tibi, si valebit, tegulam illam in Italia nullam relicturum. *Ovid.* 6. *Fast.* 316. Strataque erat tepido tegula quassa solo. *Id. Ib.* 304. Opprimat hostili tegula facta manu. Adde *eumd.* 2. *Art. Am.* 622., *Martial.* 7. 35. et *Juvenal.* 3. 201. Ænigma de tegula *V.* apud *Sympos. ænigm.* 6. *Wernsd. v.* 6. *p.* 484. — *Extrema tegula stare,* proverb. lapsui vicinum esse. *Seneca Ep.* 12. *ante med.*. ubi *Lips.* mallet *regula.* — *b*) In plur. num. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 23. Quod meas confregisti imbrices et tegulas. Adde *Most.* 1. 2. 28. *Ter. Eun.* 3. 5. 40. Deum sese in hominem convertisse atque per alienas tegulas Venisse clanculum per impluvium. Adde *Gell.* 10. 15. De his loc. disserit cl. *Rich ad h. v. Varro* 3. *R. R.* 7. *extr.* Columbaria qui in tegulis habent. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 45. Quum tamen tu nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere. Sic *Lactant. Placid.* apud *A. Majum in Class. auct. T.* 3. *p.* 125. Juppiter versus in imbrem aureum per tegularum rimas ad illam (*Danaen*) se demisit. *Liv.* 36. 37. Per scalas pervenisse in tegulas. *Varro Sat. Menipp.* 86. *p.* 221. *Oehl.* Tegulas fingere. *Jabolen. Dig.* 19. 1. 18. Tegulas ædificiis imponere. *Pompon. ibid.* 14. 3. 30. in ædificium conjicere. *Ulp. ibid.* 43. 13. 7. *extr.* si quis de ædificio sustulerit. *Id. ibid.* 39. 2. 24. *ante med.* Tegulæ vento dejectæ. *Sueton. Gramm.* 9. Pauperem se et habitare sub tegulis quodam scripto fatetur. *Vitruv.* 5. 10. Tegulæ sesquipedales. *et mox.* bipedales. Adde *Veget.* 6. *Veterin.* 19. 1. — *Tegulæ deliciares* quænam sint, *V.* in DELICIA.

II.) Translate refertur ad alia ob similitudinem. *Inscript.* apud *Orell.* 3272. D. D. FLAMINICA VIENNAE TEGVLAS AENEAS AVRATAS CVM CARPVSCVLIS ET VESTITVRIS BASIVM ET SIGNA CASTORIS ET POLLVCIS CVM EQVIS ET SIGNA HERCVLIS ET MERCVRI D. S. D. *lastre di bronzo dorato.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Quomodo differant *tegulæ* ab *imbricibus,* V. in IMBREX init.

**TĔGŬLĀRĬUM.** *V.* TUGURIUM.

**TĒGŬLĀRĬUS,** ii, m. 2. (tegula) Etiam *teclarius* legitur pro *tegularius,* ut *tecla* pro *tegula.* *V.* TEGULA init. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 11. *n.* 92. (*Henzen n.* 7280.) HERMIA TECLARIVS OLLAM DEDIT. — Tegularius est qui tegulas facit, *tegolaio:* et opponitur *figulo ab imbricibus.* *Vet. Tab. marm.,* apud *Murat.* 305. MYRO AVG. L. PICTOR FELIX AVG. L. IVSCVL. ANTEROS TEGVL. *Inscript.* apud *Pratill. Via App. p.* 180. P. ANICIVS P. L. EROS TEGVLARIVS.

**TĒGŬLĀTA** *et* teglata, æ, f. 1. (tegula) locus tegulis contectus, *tettoia. Inscript.* apud *Vignoli De col. Ant. Pii p.* 271. et apud *De-Rossi, Rom. sotterr. T.* 1. *p.* 216.

**TĒGŬLĪCĬUS,** a, um, adject. (tegula) tegulis contectus. *Inscript.* apud *Gruter.* 54. 11. DEO MERCVRIO ATTEGIAM TEGVLICIAM EX VOTO POSVIT. *V.* ATTEGIA.

**TĔGŬLUM,** i, n. 2. (tego) idem quod tegumen tecti. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (156). Tegulo enim aquaticarum arundinum domos suas Septentrionales populi operiunt. *et ibid.* 37. 70. (178). Scirpi fragiles ad tegulum tegetesque.

**TĔGŬMEN.** *V.* TEGIMEN.

**TĔGŬMENTUM.** *V.* TEGIMENTUM.

**TĔGŬRĬŎLUM.** *V.* TUGURIOLUM.

**TĔGŬRĬUM.** *V.* TUGURIUM.

**TĔGUS,** ŏris, n. 3. *Gloss. Isid.* Tegora, tegur, coria vel posteriora jumentorum. Etiam *Varro* 5. *L. L.* 22. *Müll.* Tegus suis ab eo, quod eo tegitur. Sic a *tegoribus* apud *Plaut. Pseud.* 1. 6. 24. et *Capt.* 4. 3. 2. *et* 4. 4. 7. et *Fronto De eloq. p.* 141. 17. *Nab.* Aliud prandium gubernatori communi et aliud pugili de integris tegoribus. *V.* TERGUS.

**TĒLA,** æ, f. 1. *Apul. De diphthong.* 27. ait scribi *tæla,* ut etiam *tælum,* per diphthongum *ae,* a Gr. tailon (*Gud.* leg. τῆλον), nempe a longitudine; sed auctorem qui ita scripserit, nullum reperias. — Ratione habita etyml. *Isid.* putat esse a Gr. τῆλε, procul, longe (quod a τάω obsoleto pro τανύω, extendo), ob longitudinem staminum, 19. *Orig.* 29. *init.* Sed rectius derivat *Forcellinus* a *texo,* unde *texela,* ut a *tutor tutela,* a *medeor medela* etc., et per syncop. *tela,* ut a *maxilla mala,* ab *axilla ala.* V. TALUS. — Tela est quicquid ex lana, lino sericove texendo conficitur, ἱστός (It. *tela, drappo;* Fr. *tissu, toile;* Hisp. *texido, tela;* Germ. *das Gespinnst, Gewebe;* Angl. *a web of cloth*). Porro duplex fuit telæ texendæ modus: antiquissimus, quo tela pendula seu recta texebatur a stante, quum nempe ejusdem stamina a ligno transverso suspensa, ponderibus lapideis infra appensis extendebatur: deinde licia inferius decussatim implicabant gemina tramæ strata, quæ ope liciatorii antrorsum retrorsumque trahebantur: denique subtemen inter tramæ stamina immissum sursum versus radio seu spatha, quam textrix manu tenebat, impulsum percussumque in telam densabatur. *V.* STAMEN. Hanc texendi rationem exhibet pictura, quam ex perantiquo *Virgilii* Cod. Vaticano primus protulit *Jo. Ciampin. De Musiv. sacr. profanarumq. æd. structuris P.* 1. *c.* 13. *tab.* 35., emendatam parumper dedit etiam *Braun. De vest. Sacerd. Hebr. l.* 1, *c.* 16. Hanc eamd. texendi rationem præbet lapis apud *Lup. epit. S. Sev. p.* 28. Hujusmodi telæ usum ad quartum usque a Chr. n. sæculum durasse, apparet ex *Servii loc. cit.* in *V.* RECTA, æ. Aliquod tamen discrimen inductum est ab Ægyptiis, qui, testibus *Herodot. l.* 2. *c.* 35. et *Etymol. M.* in v. Ἐποιχομένην, sedentes subtemen deorsum detrudere cœperunt, quum aliæ quidem gentes, ut dictum est, stantes sursum impellerent. Alter vero texendi modus est, quo tela ad libellam directa, quæ plana seu jugalis dicitur (*V.* JUGALIS), jugo jungitur, et textrix sedens ope scamillorum, quæ Itali *calcole* vocant, stamina decussata versat et subtemen inter tramæ fila ope panuclii, quod Itali *navicella* dicunt, inserens, idem pectine densat deorsumque telæ textum impellit: qua quidem textura postea longiores panni lanei, linei sericique contexi cœperunt, ex quorum partibus desectis plures vestes fierent; quum e contrario antiquitus tantum telæ texebatur, quantum ad unam tunicam aut una feminalia aut tibialia et id genus alia conficienda satis esset. *V.* INCONSUTUS. Ita *Forcellinus* et *Schneiderus;* sed videsis etiam quid de *tela jugali* dicat cl. *Richius.* — Utriusque telæ conficiendæ formam docet *Seneca Ep.* 90. *ante med.* Posidonius dum vult describere primum, quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtemen insertum, quod duritiem utrinque comprimentis tramæ remolliat, spatha coire cogatur et jungi; textrini quoque artem dixit a sapientibus inventam, oblitus postea repertum hoc subtilius genus, in quo, inquit *Ovid.* 6. *Met.* 55. *et seqq.,* Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo; Inseritur medium radiis subtemen acutis, Quod digiti expediunt atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. Utriusque telæ discrimen paucioribus verbis indicat *id.* 3. *Fast.* 819. Illa (*Minerva*) etiam stantes radio percurrere telas Erudit et rarum pectine densat opus. *h. e.* docet antiquiorem telæ stantis seu pendulæ modum, quæ radio; et recentiorem jugalis, quæ pectine perficitur. Cf. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 248. *et seqq.*

I.) Proprie. *Ovid. Heroid.* 1. 9. Nec mihi *etc.* Lassaret viduas pendula tela manus. et 4. *Met.* 275. Quæ radio stantis percurrens stamina telæ. *et* 6. *ibid.* 576. Stamina barbarica suspendit callida tela. *Cic.* 6. *Verr.* 26. *a med.* Mulier, Lamia nomine, per triennium isti, plena domo telarum, stragulam vestem confecit: nihil nisi conchylio tinctum. *Virg.* 1. *G.* 294. et 7. *Æn.* 14. Arguto tenues percurrens pectine telas. *Id.* 4. *ibid.* 264. et 11. *ibid.* 75. tenui telas discreverat auro. *Ovid.* 6. *Met.* 68. Illic et lentum filis immittitur aurum, Et vetus in tela deducitur argumentum. *Id.* 4. *Fast.* 609. assiduis exercet brachia telis. *Val. Flacc.* 4. 369. Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro. *Ter. Heaut.* 2. 3. 44. Telam texere. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. *ad fin.* retexere. *Plaut. Pseud.* 1. 4. 7. detexere. *Apul.* 6. *Met.* struere. *Ter. Andr.* 1. 1. 48. Lana ac tela victum quæritare. *Ulp. Dig.* 32. 1. 70. § 11. Lino autem legato, tam factum, quam infectum, continebitur, quodque netum, quodque in tela est, quod est nondum detextum. *Id. ibid.* 34. 2. 22. Quod in tela est, nondum pertextum vel detextum, contextum appellatur.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de filo seu stamine ipso ad texendum idoneo. *Virg.* 3. *G.* 561. Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa Vellera, nec telas possunt attingere putres. *Id.* 1. *G.* 285. licia telæ addere. *Tibull.* 1. 7. 84. Ducit inops tremula stamina torta manu Firmaque conductis adnectit licia telis. ¶ 2. Item de jugo textorio atque adeo de toto instrumento texendæ telæ apto. *Cato R. R.* 10. et 14. Tela jugalis. *il telaio.* ¶ 3. *Telæ pes* dicitur pes textorii mali seu ligni, a quo stamina suspensa sunt. *Gloss. Lat. Gr. p.* 266. *Volc.* Telæpes (*leg.* telæ pes), ἱστόπους. ¶ 4. Item speciatim, de opere araneæ, *ragnatelo. Catull.* 68. 49. tenuem texens sublimis aranea telam. *Plaut. Stich.* 2. 2. 24. Ut operam omnem aranearum perdam dejiciamque earum omnes telas. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 145., *Martial.* 8. 33., *Juvenal.* 14. 61. et *Vulg. interpr. Job* 8. 14. *Claudian.* 1. *Eutrop.* 355. Judaicis quæ pingitur India velis. *Heins.* vult leg. *Niliacis* (vel *Attalicis*) *telis* pro *velis,* h. e. tapetibus; ita enim frequenter apud poetas. ¶ 5. Et figurate quodcumque opus subtili artificio elaboratum. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 116. Exorsa hæc tela non male omnino mihi est. *Id. Pseud.* 1. 4. 6. Neque exordiri primum, unde occipias, habes, Neque ad detexundam telam certos terminos. *Cic.* 3. *Orat.* 60. *ad fin.* Quam-

quam ea tela texitur et ea incitatur in civitate ratio vivendi, ut etc. *Vulg. interpr. Is.* 25. 7. Et præcipitabit in monte isto — telam, quam orditus est super omnes nationes. — *Penelopes telam retexere*, proverb. de irrito conatu ac de re, quæ finem non ita facile habitura sit, apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. *ad fin.* *V.* PENELOPE in ONOM.

TĒLÆPES. *V.* voc. præced.

TĒLĂMO *et* telamon, ōnis, m. 3. hominis simulacrum, sub pondere nitentis, quod in ædificiis mutulos vel coronas sustinet, Atlantis instar, quem suis humeris cælum fulcire propter astrologiæ scientiam poetæ fabulati sunt. Dictus est παρὰ τὸ τλῆναι, quod est sufferre, sustentare, et a Græcis ἄτλας etiam dicitur eadem origine; hinc τλάμων Dorice pro τλήμων ferens, sustinens: a τλάω, fero; unde ob euphoniam *telamon* pro *tlamon* Latini dixerunt. *Hesych.* Τελαμὼν ὁ ἀναφορεύς. *Vitruv.* 6. 10. *ad fin.* Item siqua virili figura signa mutulos aut coronas sustinent, nostri telamones appellant, cujus rationes, quid ita aut quare, ex historiis non inveniuntur; Græci vero eos ἄτλαντας vocitant. — *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 745. et 4. *ibid.* 246. docet ex *Ennio*, Atlantem, Latine *Telamonem* dici, sicut Nilus Latine est *Melo*. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

TĒLĀNÆ Ficus, atræ, pediculo longo, memorantur a *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 19. (72)., *Caton. R. R.* 8. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 16.; unde autem dictæ sint, non comperior. Sunt qui leg. *Tellianæ.*

TĒLĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TĒLĀRĬUM, ii, n. 2. (tela) instrumentum, quo tela texitur, *telaio*. *Isid.* 19. *Orig.* 29. *init.* Tela pro longitudine staminum dicta, cujus derivativum est telaria. *Quicherat* in *Add.* etc. *p.* 290. vult esse femin. gener., sc. *telaria, æ;* sed *Ducang. Gloss. med.* et *inf. Lat.* habet v. *Telarium.*

TĒLĀTĬCUS, a, um, adject. (tela) ad telam pertinens. *Vulg. interpr. Ital. Tob.* 2. 20. cod. *Sang.* Dederunt ei telaticum hædum de capris. sc. tamquam esset merces pro tela detexta. *Noster* habet tantum *hædum caprarum.*

TĒLĔPHĬON, ii, n. 2. τηλέφιον, herba portulacæ similis caule et foliis, cui rami a radice septeni octonive fruticant, foliis crassis, carnosis, nascitur in cultis et maxime inter vites: illinitur lentigini et vitiligini (*Sedum Telephium* Linn.). *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 110. (137).

TĒLESTĪNUS, a, um, adject. (τελεστής) initiatus mysteriis. *Inscript.* apud *Murat.* 197. 7. et 1991. 2. FVLLONIA L. F. TERTVLLA SACRORVM ISIDIS LOCVM DEDIT C. TELESENNIO SPERATO SACERDOTI VI. VIR. AVG. TELESTINIS EIVS POSTERISQVE SVIS.

TĔLĒTA *et* telete, æ, f. 1. τελετή, initiatio, consecratio, expiatio: item sacrificium et impensa, quæ initiando fit; nam τὰ τέλη mysteria quoque et sacra significant. *Apul.* 11. *Met.* Indidem mihi prædicat, quæ forent ad usum teletæ necessario præparanda. Ea protinus gnaviter et aliquanto liberalius, partim ipse, partim per meos socios coemenda procuro. et *mox.* Jentaculum religiosum et teletæ legitima consummatio. *et infra.* Rursus interpellor et cogor tertiam quoque teletam suscipere. *Augustin.* 10. *Civ. D.* 9. Per quasdam consecrationes theurgicas, quas teletas vocant. Adde *ibid.* 23. et 4. *ibid.* 31. *Inscript.* poetica apud *Donat.* 73. TV PIVS MYSTES TE SACRIS TELETIS. *et mox.* TV DINDYMENES ATTEOSQVE ANTISTITEM TELETIS HONORAS TAVREIS CONSORS PIVS. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

TĔLĔTUS, i, m. 2. τελετός, perfectus. Apud *Tertull. advers. Valentinian.* 8. unus est ex æonibus Valentinianis. Alii leg. *Theletus*, a θελητός, cupitus.

TĒLĬA, æ, f. 1. *V.* TELIUS.

TĔLĬAMBOS, i, m. 2. (τελίαμβος) genus versus iambo terminati. *Mar. Victorin.* 1. 21. 5. At quum Livius Andronicus primo suo hexametro hujusmodi subnectat versus per ordinem iambo terminatos, novam potius hanc speciem, quam μείουρον æstimant versum et teliambon appellant. *et ibid.* § 7. Homerus hisce versibus teliambis frequenter usus.

TĔLĬCARDĬOS, ii, m. 2. (τελικάρδιος) gemma colore cordis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (183). Telicardios colore cordis Persas, apud quos gignitur. magnopere delectat, muchulam appellant.

TĔLĬCE, es, *positione Græca*, adject. τελική, finalis. *Diomed.* 3. *p.* 519. *Putsch.* Versu quarto recipit strophen heroicen telicen dimetron sic, dactylus spondeus: *more palestræ.*

TĒLĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (telum *et* gero) qui tela fert, βελοφόρος. *Seneca Herc. Œt.* 543. Timende matri teliger sæve puer. *h. e.* Cupido.

TĒLĪNUM, i, n. 2. τήλινον, genus unguenti pretiosissimi: ita dictum, quia præcipuum eorum, ex quibus componitur, est fœnum Græcum, quod Græcis τῆλις. Unde similiter τήλινον ἄλευρον dicunt Græci farinam ex fœno Græco confectam. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (12). Telinum fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, fœno Græco, melle, melino, maro, amaraco. *Tertull. Pall.* 4. *ante med.* Quod apud Omphalen balsamo aut telino spero factum. — Aliam hujus nominis originem affert *Isid.* 4. *Orig.* 12. 7. Unguenta quædam dicuntur a locis, ut telinum, cujus Julius Cæsar (*h. e.* C. Jul. Cæs. Strabo poeta tragicus) meminit, dicens: Corpusque suavi telino unguimus. Alii dictum putant a Telo, una ex Sporadibus, quam Callimachus Agathussam appellavit. Sed a *Plin.* standum videtur, inquit *Furlanettus.*

TĒLIRRHIZOS, i, f. 2. τελίρριζος, gemma cinerei coloris aut rufi, candidis radicibus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (183). *V.* FŒNUM.

TĒLIS, is, f. 3. τῆλις, fœnum Græcum (*Trigonella fœnum Græcum* Linn.), unde *telinum*, apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 120. (184).

TĔLĪUS (telios), a, um, adject. (τέλειος) Secundam, extrita altera diphthongi Græcæ vocali, more suo corripit *Auson. loc. cit.* Cf. *chorĕa* pro *chorēa* a χορεία. — Telius est perfectus. *Auson. Epist.* 18. 19. Quot tellos primus numerus solusque probatur. *h. e.* numerus senarius, qui perfectus dicitur, quia suis partibus æqualis est. etenim unum, duo et tria faciunt sex: dicitur autem *primus numerus telius*, quia is est primus ex numeris perfectus, secundus enim est octo et viginti, tertius tercentum et octoginta sex. — Hinc

*Telia, æ,* f. 1. absolute, dicitur a Grammaticis distinctio seu distinctionis signum, quod in fine orationis appingitur. *Gloss. Isid.* apud *Gaisf. Scriptt. rei metr. p.* 576.

TELLĀNÆ. *V.* voc. seq.

TELLĒNÆ Tricæ. *Arnob.* 5. *p.* 176. Jamdudum me fateor hæsitare, circumbiscere, tergiversari, tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare Tellenas. *Herald.* in *not. p.* 220. Haustum fortasse proverbium e Græcorum fontibus, apud quos τὰ τοῦ Τέλληνος ἀείδειν dicantur, qui ineptam cantilenam identidem inculcant. Aliter et fortasse rectius ita interpretatur *Aus. Popma* ad *Varron. loc.* mox *citand.* Tricæ Tellenæ παροιμιωδῶς dicuntur res impeditæ et intricatæ, a Tellena urbe antiqua Latii, quam Ancus Marcius rex vi cepit, ut *Liv.* 1. 33. et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (68). narrant. *Varro* apud *Non. p.* 8. 29. *Merc.* Putas, eos non citius tricas Tellenas, quam id extricaturos? Alii leg. *Tellanas;* sed *Oehlerus* probat *Atellanas.* V. *ejusd.* adnot. ad *Sat. Menipp.* 37. *p.* 134. Ita et *Riese* in *Varron. Sat. reliq. p.* 143.

TELLĪĀNÆ. *V.* TELANÆ.

TELLŪRESTER vel

TELLŪRISTER. *V.* TELLUSTER.

TELLUS, ūris, f. 3. Ultimam syllabam licenter corripuit *Capell.* 6. *p.* 213., cujus locum habes in *V.* INTERRIVATUS. — De notatione V. *Voss.* et *Döderlein.* Etymologi recentiores ducunt a rad. *tel* vel *tul*, porto, fero, quasi quæ aliquid portat, gerit: similiter *Rabanus* a *tollo*, quia fructus ex ea tollamus. Cf. *terra*, cui voci conjungi hæc potest. — Tellus est terra, γῆ, χθών (It. *suolo, terra;* Fr. *terre, sol;* Hisp. *tierra, suelo;* Germ. *die Erde, der Erdboden;* Angl. *earth, ground*). Vox fere poetica.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro Sat. Menipp.* 75. *p.* 199. *Oehl.* Per æviternam hominum domum, tellurem, prospero gradum. *Cic.* 6. *Rep.* 17. 17. Nam ea, quæ est media et nona, tellus, neque movetur et infima est, et in eam feruntur omnia suo nutu pondera. *Lucret.* 6. 577. Ventus ubi atque animæ subito vis maxima quædam Aut extrinsecus aut ab ipsa tellure coorta, In loca se cava terrai conjecit etc. *Virg.* 4. *Æn.* 24. mihi vel tellus optem prius ima dehiscat. *Id.* 1. *ibid.* 175. ac magno telluris amore Egressi optata potiuntur Troes arena. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 11. Nos premat aut bello tellus aut frigore cælum. *Id.* 6. *Fast.* 404. Nunc solida est tellus; sed locus ante fuit. *Id.* 4. *Trist.* 9. 23. Trans ego tellurem, trans latas audiar undas. — *Virg.* 6. *Æn.* 140. telluris operta subire. *sc.* Inferos et Manes, *i luoghi infernali.* Sic *Propert.* 1. 19. 16. et tellus hoc ita justa sinat. ¶ 2. Speciatim pro terra arationi vel sationi obnoxia. *Horat. Epod.* 16. 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis. *Tibull.* 4. 1. 161. presso tellus consurgit aratro. *Virg.* 1. *G.* 99. Exercetque frequens tellurem atque imperat arvis. *Ovid.* 1. *Met.* 434. diluvio tellus lutulenta recenti. *Id.* 2. *Amor.* 16. 3. Sol licet admoto tellurem sidere findat. *Id.* 4. *Fast.* 299. Sicca diu fuerat tellus. sitis usserat herbas. *Id. Ib.* 237. nuda tellure jacere. *Id.* 8. *Met.* 795. sterilis, sine fruge, sine arbore tellus. *Colum. De cult. hort.* 277. Tellurisque comas sacris aptate canistris. *h. e.* folia et flores. *Id. ibid.* 166. apio viridi crispetur florida tellus. Sic *Virg. Cul.* 69. Florida quum tellus gemmantes picta per herbas etc. ¶ 3. Item pro solo, pavimento, *suolo, pavimento.* *Ovid.* 8. *Met.* 561. Pumice multicavo, nec levibus atria tophis Structa subit. molli tellus erat humida musco: Summa lacunabant alterno murice conchæ. *Id. ibid.* 708. adopertaque marmore tellus.

II.) Translate. ¶ 1. Pro peculiari regione, *paese.* *Horat.* 1. *Od.* 7. 28. promisit Apollo, Ambiguam tellure nova Salamina futuram. *Virg.* 6. *Æn.* 23. Contra elata mari respondet Gnosia tellus. *Tibull.* 1. 8. 57. Tuscula tellus. *et* 3. 4. 91. barbara Scythiæ. *et* 4. 1. 78. Phæacia, *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 33. Achiva. *et ibid.* 3. 82. Exsulibus tellus ultima Tibur erat. *Propert.* 2. 8. 21. Et si qua extremis tellus se subtrahit oris. — In plur. num. *Gall. poet.* apud *Vib. Sequ.* in v. *Hypanis p.* 11. *Oberl.* Uno tellures dividit omne duas. ¶ 2. Item pro fundo, agro, *fondo, terreno, podere, pezzo di terra.* *Horat. Epod.* 15. 19. Sis pecore et multa dives tellure licebit. *Id.* 2. *Sat.* 2. 129. Nam propriæ telluris herum natura neque illum etc. ¶ 3. In Fabulis est dea terræ. *Varro* 1. *R. R.* 1. Primum invocabo, qui omnes fructus agriculturæ cælo et terra continent, Jovem et Tellurem. itaque quod ii parentes magni dicuntur, Juppiter pater appellatur, Tellus terra mater. *Id.* apud *Augustin.* 7. *Civ. D.* 23. *sub fin.* Unam eamdemque terram habere geminam vim; et masculinam, quod semina producat; et femininam, quod recipiat atque enutriat. Inde a vi feminina dictam esse Tellurem, a masculina Tellumonem. *V.* TELLUMO in ONOM. *Cic.* 3. *Nat. D.* 20. *a med.* Si est Ceres a gerendo, terra ipsa dea est; quæ enim est alia Tellus? *Id. Harusp. resp.* 10. 20. Postulationes esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. Epistola, in qua de æde Telluris et de porticu Catuli me admones. Fit utrumque diligenter, ad Telluris quidem etiam tuam statuam locavi. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 143. Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.

Homonym. In quo differant *terra*, *tellus* et *humus*, docet *Isid.* 1. *Differ.* 552. « *Terra* squalida est et inculta; *tellus* fructifera; *humus* autem inferior et deorsum et humida: unde et humati, sepulti. Generaliter autem ubique terra est, non ubique humus». *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 175. Tellurem pro terra posuit, quum tellurem deam dicamus, terram elementum. Promiscue *Varro* 1. *R. R.* 1. Juppiter pater appellatur, Terra, Tellus mater. Universim, ut *tellus* est corpus mundanum respectu habito ad

alia corpora; sic *terra*, materia seu elementum, cui alia elementa, puta *ignis*, opponantur; et *humus*, ima telluris pars, unde *humilis sublimi* opponitur.

TELLUSTER, is, e, adject. (tellus) tellurem incolens, terrester. *Capell.* 7. *p.* 237. Tellustres silvicolæque divi. Alii leg. *telluristres* vel *tellurestres*.

TELO (telon), ōnis, m. 3. Ita exponitur ab *Isid.* 20. *Orig.* 15. 3. Telonem hortulani vocant lignum longum; τῆλε enim Græce dicitur quidquid longum est. *Pithœus l.* 2. *Advers. c.* 16. corrigebat vel *tellenonem* vel *tollonem*. Et nonnulli quidem *tollonem* apud *Plaut.* et *Colum.* legunt; sed plerique alii repugnant. *Tollenonis* meminit etiam *Seneca* philos. Ita *Areval.* Putat *Georgesius* esse « die Brunnenstange » vel « der Wasserheber », quod est sipho. — Pro telonario usurpat *Mar. Mercat.* ex *Procl. Homil.* 22.

TĔLŌNĀRĬUS *et* telonearius, ĭi, m. 2. (telonium *et* teloneum) vectigalibus exigendis præpositus, τελώνης (It. *gabelliere*; Fr. *gabeleur*; Hisp. *cobrador de la gabela*; Germ. *e. Zollaufseher, Zollbeamter*; Angl. *receiver of the gabel*). Cf. *Tac.* 13. *Ann.* 50. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 11. 28. 3. *ad fin.* Publicani et telonarii, præpositi thesaurorum etc. Adde *Non. p.* 24. 19. *Merc.*, ubi in quibusdam codicib. legitur *telonearius*, quod magis ad analogiam *telonii* accedit. Ita etiam scribitur apud *Augustin. Serm.* 302. *n.* 17. — Telonarii, apud Hebræos, qui a *Vulgat. interpr. Matth.* 5. 46. *et alibi.* minus recte dicuntur *publicani*, commorabantur in portubus et in viis publicis, ubi telonium erat; qui quum, teste *Cicer.*, ut ait *Ackerman* § 236., ad amplius exigendum, quam ad fallendam fidem dominis suis promissam, essent procliviores, ubique, præsertim in Judæa, exosi erant et peccatoribus publicis accensebantur, *Luc.* 3. 13. Cf. *Thalmud Baba kama, c.* 10. et *Van-Steenkiste* in *Matth. v.* 1. *p.* 326.

TĔLŌNĔĀRĬUS. *V.* voc. præced.

TĔLŌNĔUM *et* telonium, ĭi, n. 2. Græce est τελώνιον et τελωνεῖον; hinc Latine *telonium* et extrita altera Gr. diphthongi littera vocali, *teloneum* scribitur, quod præferendum videtur, quamvis *Prob.* in *Append. p.* 197. 19. *Keil.* improbet. — Teloneum ¶ 1. Est telonariorum mensa (It. *banco de' gabellieri*; Fr. *bureau des gabeleurs*; Hisp. *banco de los cobradores de la gabela*; Germ. *das Zollhaus*; Angl. *a toll-booth, custom-house*). *Vulgat. interpr. Matth.* 9. 9. Quum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio. Adde *eumd. Marc.* 2. 14. *et Luc.* 5. 27. et *Tertull. Idolol.* 12. et *Baptism.* 12.; ubi alii leg. *telonium*, alii vero *teloneum*. ¶ 2. Est etiam vectigal, *dazio, gabella*. *Cassiod.* 5. *Variar.* 39. Telonei quin etiam canonem nulla faciatis usurpatione confundi. Adde *Novell. Val.* 3. *de trib. fisc.* 2. 19. *c.* 1. et *Cod. Theod.* 6. 35. 3., ubi tamen alii leg. *temonis* pro *telonei*. V. TEMO.

TĔLŌNĬUM. *V.* voc. præced.

TĔLOSTĬCHIS, ĭdis, f. 3. certum carminis genus, in quo extremæ singulorum versuum litteræ aut nomen aliquod aut sententiam exprimunt, si a prima ad ultimam simul compositæ legantur: a τέλος, finis, et στίχος, versus: cui *acrostichis* opponitur. *Optatian. Paneg.* 7. In illa carmine tricenæ quinæ litteræ sunt; acrostichis cum telostichide juncta facit versum: *Certa salus rerum, proles, invicta tonantis.* – *Certa salus rerum pro* initiales versuum litteræ sunt, *les invicta tonantis* litteræ sunt, quibus terminantur.

TELPHIN. *V.* THEPHIM.

TĒLUM, i, n. 2. De scriptione etymoque ita *Apul. De diphth.* 27. « A Græco tailon (*Gud.* leg. τῆλον) *tælum* et *tæla*: tælum a longo ictu vel longitudine hastæ dictum perhibent ». Qui tamen præter illum per diphthongum scripserit, neminem inveni. — *Tellum* cum duplici *l* occurrit in MSS. V. *Loewe Gloss. nom. p.* 137. *n.* 4. Ducunt a Gr. τῆλε, procul, longe, *Festus p.* 364. *Müll.* et *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 249. *et* 9. *ibid.* 509.; etymologi vero recentiores a rad. Skr. *taksh*, icere, percutere, unde Gr. τόξον et Lat. *tignum*, ex quo *telum* pro *tegulum* seu *tigulum*. Cf. *tigillum*. Rectius tamen, ut a *premo* (*premulum*) *prelum*; sic a *tendo* (*tendulum*) *telum* deduxeris, ita ut sit id, quod tenditur. — Telum proprie est quidquid jacitur feriendi causa, scilicet de iis dicitur, quæ missilia sunt et ad feriendum eminus comparata, sive manu sive tormento emittantur, βέλος, τόξευμα (It. *arma da lanciare, saetta, freccia, dardo, lancia*; Fr. *projectile, arme de trait, arme*; Hisp. *arma de tiro, dardo, arma*; Germ. *der Wurfspiess*; Angl. *a missive or missile weapon*): cui *arma* oppon.

I.) Proprie. *Cajus Dig.* 50. 16. 233. Telum vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significat, quod mittitur manu. ita sequitur, ut et lapis et lignum et ferrum hoc nomine contineatur. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Arma rigent, horrescunt tela. *Sall. Cat.* 143. et 52. et *Jug.* 47. Arma, tela, equos et cetera instrumenta militiæ parare. *Virg.* 12. *Æn.* 285. Telorum tempestas. *et* 3. *ibid.* 46. seges. *Lucan.* 6. 776. nimbus. *Liv.* 38. 26. *ad fin.* nubes. *Auct. epit. Iliad.* 359. imber. *Liv.* 44. 35. *ad fin.* Romani omni genere missilium telorum ac saxis maxime vulnerabantur. *Sisenn.* apud *Non. p.* 449. 3. *Merc.* Manuales lapides dispartit, propterea quod is ager omnis ejusmodi telis indigebat. *Ovid.* 1. *Art. am.* 169. Telum volatile. *Val. Flacc.* 2. 524. volucre. *Virg.* 12. *Æn.* 294. trabale. *Ovid.* 5. *Met.* 67. penetrabile. *Virg.* 2. *Æn.* 544. imbelle sine ictu. *Stat.* 9. *Theb.* 802. immane. *Ovid.* 6. *Met.* 257. exitiabile. *Virg.* 12. *Æn.* 858. immedicabile. *Id. ibid.* 887. ingens arboreum. *Id. ibid.* 919. fatale. *Id.* 3. *ibid.* 635. acutum. *Id. Cul.* 184. leve. *Id.* 5. *Æn.* 582. Tela infesta. *et* 9. *ibid.* 555. densissima. *Cic. Harusp. resp.* 1. *extr.* hebetiora atque leviora. *Stat.* 11. *Theb.* 630. noxia. *Ovid.* 14. *Met.* 402. sæva. *Lucret.* 2. 48. fera. *Lucan.* 8. 304. stridula. *Id.* 3. 580. irrita. *Id.* 8. 382. illita dolis. *h. e.* venenata. *Id.* 7. 562. languida aut contenta. *Seneca Thyest.* 382. inertia. *Sall. Cat.* 51. militaria. *Cic.* 3. *Orat.* 39. 158. Si telum manu fugit. *Virg.* 4. *Æn.* 71. Feram telis agere. *Ovid.* 3. *Fast.* 700. aliquem petere. *Cic. Quinct.* 16. 52. Tela conjicere in aliquem. *Id. Prov. cons.* 9. *sub fin.* intendere in aliquem. *Virg.* 5. *Æn.* 497. torquere in aliquem. *Id.* 9. *ibid.* 534. intorquere. *Id.* 11. *ibid.* 610. fundere. *Id.* 12. *ibid.* 813. contendere. *Id.* 1. *ibid.* 191. agere. *Id. Cir.* 160. depromere. *Id.* 10. *Æn.* 333. suggerere alicui. *Lucan.* 4. 40. vibrare. *Quintil.* 4. 5. et 3. 327. spargere. *Cœs.* 3. *B. G.* 4. mittere. *Sall. Jug.* 58. eminus missa remittere. *Id. ibid.* 60. ingerere. *Id. ibid.* 101. jacere. *Auct. B. G.* 8. 9. *a med.* longius permittere. *Cœs.* 2. *B. G.* 21. adjicere. *Sall. Cat.* 51. sumere. *Cœs.* 2. *B. G.* 25. vitare. *et* 1. *ibid.* 8. *extr.* Hostem telis repellere. *Quintil.* 9. 4. 8. (et *Virg.* 10. *Æn.* 57.) Tela dirigere. *et ibid.* 4. 14. projicere. *et* 10. 3. 6. expellere. *Virg.* 2. *Æn.* 410. Obrui telis. *et* 7. *ibid.* 520. raptis concurrere telis. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. Inter hostium tela versari.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de ense, gladio, sica et hujusmodi, quibus feritur comminus, *spada, coltello, pugnale*, ξίφος, μάχαιρα, ἐγχειρίδιον. *Cajus Dig.* 47. 2. 55. Teli appellatione et fustis et ferrum et lapis et denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur. *Cic.* 3. *Cat.* 3. *extr.* Misit, qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret. ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit. *Id.* 1. *Herenn.* 11. 18. et *Liv.* 2. 46. Ajax gladio incubuit: Ulysses intervenit: e corpore cruentum telum educit. *Liv.* 1. 40. *extr.* Elatam securim in caput dejecit: relictoque in vulnere telo etc. *Sall. Cat.* 28. Catilina consulis insidias tendere, parare incendia: ipse esse cum telo, item alios jubere hortari, uti etc. *andare con l'armi sotto, portar armi.* et *Cic.* 1. *Cat.* 6. *a med.* Omnes sciunt, te stetisse in comitio cum telo. *Auct. B. Afr.* 84. Infesto telo venire ad aliquem. *Cic. Rosc. Am.* 12. 33. Totum telum corpore recipere. *Nepos Alcib.* 10. Telum subalare. *h. e.* sica. *Ovid.* 8. *Met.* 883. frontis nunc pars caret altera telo. *h. e.* cornu. *Id.* 1. *ibid.* 330. positoque tricuspide telo Mulcet aquas rector pelagi. *h. e.* tridente Neptunus coercet undas maris. *Sympos. ænigm.* 29. *Wernsd. v.* 6. *p.* 506. *de ericio.* Incolumi dorso telis confixus acutis. *h. e.* spinis et aculeis. ¶ 2. Item de cæstibus et eorum ictu. *Virg.* 5. *Æn.* 438. Corpore tela modo atque animis vigilantibus exit. *Stat.* 6. *Theb.* 772. manibus nunc obvia tela Discutiens. ¶ 3. Item de stimulo, *pungiglione, pugnetto*. *Virg.* 10. *Æn.* 586. Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos. ¶ 4. Item de pleuritide, *mal di punta*: quia dolore corpus, quasi gladius, transverberat, ut *Isid.* 4. *Orig.* 6. 13. ait. *Seren. Sammon.* 22. 402. Est et vis morbi, quod telum commemoratur, Quum subito dolor insanus furit incitus ictu. ¶ 5. Item de fulmine. *Ovid.* 3. *Fast.* 316. arbitrium est in sua tela Jovi. *Id.* 2. *Amor.* 5. 52. Excutere irato tela trisulca Jovi. *Sil. It.* 1. 353. Torquentem quum tela Jovem etc. ¶ 6. Item de radiis lucis. *Lucret.* 1. 147. Non radii solis, non lucida tela diei. Adde 2. 59. *et* 3. 92. ¶ 7. Item de mentula. *Justin.* 38. 1., *Martial.* 11. 78. et *Auct. Priap.* 9.

III.) Figurate. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 112. Itaque me malum esse oportet – Atque hunc telo suo sibi, malitia a foribus pellere. *h. e.* arte. *Sall. in orat. Macri Licin. ad pleb. ante med.* Vis tribunicia, telum a majoribus libertati paratum. *Cic. Pis.* 11. *ad fin.* Pompejo de corpore reipubl. tuorum scelerum tela revellente. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 36. Tela linguæ subire. *Lucret.* 3. 306. Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris. *et* 4. 1045. Veneris qui telis accipit ictum. *Liv.* 3. 55. Qua lege tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum est. *Cic.* 7. *Fam.* 16. ex *vet. Poeta.* Usquequaque sapere oportet. id erit telum acerrimum. *Liv.* 6. 35. Quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. *Cic.* 5. *Fam.* 16. Omnibus telis fortunæ proposita est vita nostra. Adde *Quintil.* 9. 2. 75. *Sueton. Cal.* 53. Peroraturus, stricturum se lucubrationis suæ telum minabatur. *Rutil.* 1. *Itiner.* 451. sævi post tela doloris, Dicitur humanum (*Bellerephonti*) displicuisse genus. *Petron. carm. min.* ed. *Wernsd. v.* 4. *p.* 304. in miseros telum jacularis amoris. *Burmannus* corrig. *amantes*. ¶ 2. Speciatim pro stimulo, incitamento, *stimolo*. *Varro* apud *Non. p.* 363. 14. *Merc.* Remotissimum ad discendum formido: contra delectatio pro telo ad discendum. Alii *protelo*. et *Cic. Amic.* 17. 61. Non mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium. *Liv.* 4. 28. *a med.* Virtute pares, necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis.

Homonym. Discrimen inter *tela* et *arma* V. in ARMA sub *B* init.

TĔMĔNĪTES, æ, m. 1. Τεμενίτης, epithetum Apollinis, cujus signum pulcherrimum et maximum in Sicilia fuit prope Syracusas, in loco, qui Temenos dicebatur: a luco fortasse, qui ibidem erat, nam τέμενος lucum significat. *Sueton. Tib.* 74. et *Cic.* 6. *Verr.* 53. 119.

TĔMĔNĪTIS, ĭdis, f. 3. Τεμενῖτις, nomen unius ex Tarenti portis, quia fortasse prope eamdem lucus, Græce τέμενος, erat. *Liv.* 25. 9. Parte alia portam Temenitida adiret Hannibal. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

TĔMĔRĀBĬLIS, e, adject. (temero) qui temerat aut temeratus sive impurus est. *Venant.* 2. *Carm.* 4. 10. temerabile guttur.

TĔMĔRANS, antis, particip. *V.* TEMERO.

TĔMĔRĀRĬĒ, adverb. (temerarius) imprudenter, temere, *temerariamente*. *Tertull. Virg. veland.* 3. Virgines nuda plane fronte temerario audaciam excitatæ. *Sciopp.* tamen *leg.* in temerariam. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 9. 1. 18. Quo temerarie commissa congrua ultione plectantur. Adde *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 18.

TĔMĔRĀRĬUS, a, um, adject. (temere) ¶ 1.

Sensu, ut ajunt, objectivo seu physico est incertus, non stabilis, fortuitus, *incerto, fortuito, casuale*. *Fest.* in *Navalis scriba p.* 169. 10. *Müll.* Columbariorum questus temerarius incertusque. — In illo *Tibull.* 3. 4. 7. Somnia fallaci ludunt temeraria nocte. τὸ *temeraria* est vana, inutilia. Sic 3. 6. 27. venti temeraria vota Aeriæ et nubes diripienda ferant. — Absolute. *Plaut. Asin.* 2. 1. 14. Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? haud temerarium est. *h. e.* non casu fit, non de nihilo est, non est sine ratione: aliquid portendit. *Id. Aulul.* 2. 2. 7. Non temerarium est, ubi dives blande appellat pauperem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (177). Temerarium est, ante crassitudinem pollicarem viti imperare. *Plin. alter* 4. *Ep. ante med.* Temerarium est, secundis non esse contentum. ¶ 2. Sensu, ut ajunt, subjectivo seu morali, est qui temere agit, inconsultus, præceps, nimis audax, sine consilio et ratione, *imprudente, inconsiderato, temerario*, ἄβουλος, ἄλογος. — a) De personis. *Ter. Andr.* 1. 4. 2. Sane pol illa temulenta est mulier et temeraria. *Cæs.* 6. *B. G.* 19. Homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri. *Cic. Dejot.* 6. 16. Homo inconsultus et temerarius. *Martial.* 4. 43. Non sum tam temerarius nec audax. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. *ad fin.* Hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse ejus imperia diutius sustineri. — *Temerarius*, absolute, inscripta est comœdia *Afranii*, de qua *Charis.* 1. *p.* 84. *Putsch.* — b) De rebus. *Cic. Cæcin.* 12. 34. Feci, quæ dicis, omnia, ea sunt et turbulenta et temeraria et periculosa. *Nepos Timoth.* 3. *a med.* At ille temeraria usus ratione, non cessit majorum natu auctoritati. *Ovid.* 8. *Met.* 407. licet eminus esse Fortibus. Ancæo nocuit temeraria virtus. *Liv.* 25. 37. *sub fin.* Ad consilium prima specie temerarium magis, quam audax, animum adjecit. *Ovid. Heroid.* 18. 189. Temerarius Amor. *Id.* 12. *Met.* 59. Illic Credulitas, illic temerarius Error Vanaque Lætitia est. *Id.* 5. *Fast.* 467. Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis Perdidit. o quanto mitior illa fuit! *Id.* 2. *Met.* 50. Temeraria vox. *Id.* 5. *Trist.* 13. 17. querela. *insussistente, senza fondamento o motivo.* et 8. *Pont.* 6. 27. Juppiter in multos temeraria fulmina torquet. *Martial.* 12. 14 Frena temeraria. *h. e.* equus intractabilis et præceps. — c) De tributo temerario *V.* TRIBUTUS.

TĔMĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (temero) actus temerandi seu corrumpendi, *violazione adulterazione*. *Cod. Theod.* 1. 32. 1. et *Cod. Justin.* 4. 7. 2. In baphiis, admixta temeratio nævum adducit inquinatæ ablutionis.

TĔMĔRĀTOR, ōris, m. 3. (temero) qui temerat seu corrumpit. Hinc ¶ 1. Est corruptor. *Stat.* 11. *Theb.* 12. Quantus Apollineæ temerator matris Averno Tenditur. *h. e.* Tityus, qui Latonam temerare tentavit. *Id.* 1. *Achill.* 600. stat fine dato metuenda sacerdos Exploratque aditus, ne quis temerator oberret Agmine femineo. ¶ 2. Hinc falsarius. *Modestin. Dig* 48. 10. 29. Pœnam temeratoris luit. perinde enim punitur atque si falsum fecerit. ¶ 3. Est etiam violator, aggressor. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 12. 53. 1. Si quis præsentis legis temerator exsistat. *et Cod. Theod.* 11. 14. 3. Temerator horreorum, qui sibi aliquid audeat usurpare.

TĔMĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* TEMERO.

TĔMĔRĔ, adverb. Etymologi hodierni ducunt a rad. Skr. *tam*, quæ significat etiam rigidum vel stupidum efficere, ut is quodammodo fit, qui aliquid temere agit. — Comp. *Temerius* est *Accii* apud *Non. p.* 178. 22. *Merc.* — Temere est sine ratione, sine consilio, casu, inconsulte, imprudenter, stulte, εἰκῆ, ἀβούλως (It. *alla cieca, a caso, senza ragione, inconsideratamente, all' impazzata, senza pensarci, alla balorda, a tastone*; Fr. *par hasard, sans intention, sans réflexion, à la légère*; Hisp. *por acaso, sin pensar, casualmente*; Germ. *v. ungefähr, ohne Grund, durch Zuffall, ohne Ueberlegungs*; Angl. *without reason, without cause, causally, by chance*). ¶ 1. Generatim. — a) Universim. *Plaut. Trin.* 4. 2. 162. Numquam edepol temere tinnit tintinnabulum: nisi qui illud tractat aut movet, mutum est, tacet. *h. e.* sponte, ex se solum. *Ter. Phorm.* 5. 3. 19. Sic erit, non temere dico. *Sall. Jug.* 105. Temere et effuse ire. *Cic.* 4. *Fam.* 13. *a med.* Non scribo hoc temere. *Id.* 8. *Phil.* 5. *a med.* Omnino irasci amicis non temere soleo, ne si merentur quidem. *Id.* 2. *Divinat.* 55. 113. Oracula partim ficta aperte, partim effutita temere. *Id. Fontej.* 1. 1. Audacter hoc dico, non temere confirmo. *Ovid.* 6. *Fast.* 327. Hi temere errabant in opacæ vallibus Idæ. — b) Cum homonymis. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 58. Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, quam ea, quæ temere et nullo consilio administratur. *Id.* 1. *Off.* 29. 103. Ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. *Id.* 1. *Nat. D.* 16. *a med.* Inconsulte ac temere dicere aliquid. *Cæs.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Te nihil temere, nihil imprudenter facturum judicaram. *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 2. Id evenit non temere nec casu. *Id. Fat.* 8. 6. Si forte, temere, usu pleraque fierent etc. — c) *Forte temere* aliquando coeunt in unam notionem. Cf. *Hand v.* 2. *p.* 731. *Ter. Phorm.* 5. 1. 39 Quam sæpe forte temere eveniunt, quæ non audeas optare. Adde *Cic.* 2. *Divinat.* 68. 141 *Liv.* 23. 3. et *Curt.* 5. 11. 10. — d) *Non temere est*, non de nihilo est, non est sine ratione, aliquid portendit, significat, οὐχ ἄλλως. *Ter. Heaut.* 4. 1. 7. Nescio, quid tristis est. non temere est: timeo quid siet. *non è per fronda di porri*. et *Phorm.* 5. 8. 9. et *Plaut. Aulul.* 4. 3. 1. Non pol temere est, quod tu tam times. *Virg.* 9. *Æn.* 375. Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens. ¶ 2. Specialim pro sine negotio vel difficultate, facile, *di leggeri, facilmente*: cum particula negativa. *Plaut. Bacch.* 1. 1 52. Rapidus fluvius est hic, non hac temere transiri potest. *Ter. Phorm.* 4. 5. 2. Hoc temere numquam amittam ego a me, quin etc. *Nepos Att.* 20. Nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 13. non temere a me Quivis ferret idem. *Id.* 2. *Sat.* 2. 116. non temere edi luce profesta Quicquam, præter olus fumosæ cum pede pernæ. *Liv.* 30. 30. Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna numquam decepit. *Quintil.* 1. 3. 3. Illud ingeniorum velut præcox genus non temere umquam pervenit ad frugem. *Sueton. Tit.* 6. *extr.* Non temere quis tam adverso rumore magisque invitis omnibus transiit ad principatum. *et ibid.* 8. *a med.* Quædam sub eo tristia acciderunt: ut conflagratio Vésevi, incendium Romæ, item pestilentia, quanta non temere alias. *Julian. Dig.* 50 17 64 Ea, quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur. Adde *Caton* apud *Charis.* 2. *p.* 206. *Putsch.* ¶ 3 Item incomposite, sine ordine, passim, hic illic. *Horat* 1. *Od.* 12. 7. vocalem temere insecutæ Orphea silvæ. *Alii interpretantur* sponte, nullo impellente. *Liv.* 22. 42. Argentum quibusdam locis temere per vias velut objectum prædæ, vidisse. *Apul.* 4. *Met.* Parva casula cannulis temere contecta. *alla buona.* — *Temere jacere*, toto corpore stratum porrectumque esse, sine cura aut decore, *essere sdrajato*. *Horat* 2. *Od.* 11. 13. sub alta vel platano vel pinu jacentes sic temere. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 21. Tum quoque erat neglecta decens, ut Threcia Bacche Quum temere in viridi gramine lassa jacet. *Virg.* 9. *Æn.* 329. Tres juxta famulos temere inter tela jacentes.

Homonym. *Forte*, *fortuito* et *casu* fere opponuntur consilio, voluntati, proposito: *temere* vero attentioni, considerantiæ, studio. Cf. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Non temere nec casu. *Id. Orat.* 55. 186. Temere ac fortuito etc. Sed *Kritz* ad *Tac. Germ* 10. Vestem temere ac fortuito spargant. adnotat. *temere*, nullo certo consilio aut ratione: *fortuito*, ut fors tulit. *Lucil. fr.* 13. *p.* 60. *Müll.* Si forte ac temere omnino. V. *Gronov.* ad *Liv.* 10. 43. — Huc videntur pertinere etiam *casus* et *temeritas*.

TĔMĔRĬTAS, ātis, f. 3. (temere) ¶ 1. Est eventus, casus fortuitus (*It. caso, accidente*; Fr. *hasard, évènement fortuit*, Hisp. *acaso, caso fortuito*; Germ. *das Ungefähr, die Zufälligkeit*; Angl. *case, accident*). *Sall.* apud *Non. p.* 385. 5. *Merc.* Ad hæc rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant. *Cic.* 2. *Herenn* 23. 36. Temeritate enim autumant esse omnia. *Id.* 2. *Divinat.* 41. 85. Quid enim sors est? Idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. *Id.* 2. *Nat. D.* 32. 82. Quum dicimus natura constare administrarique mundum, non ita dicimus, ut glæbam aut fragmentum lapidis, nulla cohærendi natura; sed ut arborem, ut animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet et artis quædam similitudo. *h. e.* confusio et qualitas contraria dispositioni atque ordini. ¶ 2. Est etiam inconsiderantia, præceps deliberatio, incogitantia, *inconsiderazione, sconsideranza, imprudenza, temerità*, ἀβουλία. *Sall. Jug.* 7. *ad fin.* Et prœlio strenuus erat et bonus consilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet. *Cæs.* 7. *B. G.* 42. Temeritas, quæ maxime illi hominum generi est innata, ut levem auditionem habeat pro re comperta. *et ibid.* 52. Temeritatem cupiditatemque militum reprehendit, quod sibi ipsi judicavissent, quo procedendum aut quid agendum videretur. *et ibid.* 77. Stultitia ac temeritas. *Cic. Marcell.* 2. *extr.* Numquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. *Id. Senect* 6. *extr.* Temeritas est florentis ætatis, prudentia senescentis. *Auct. B. Alex.* 85. Cæsar incredibili ejus vel temeritate vel fiducia motus etc. *Cic.* 1. *Off.* 29. 101. Omnis actio vacare debet temeritate et negligentia. *Liv.* 6. 30. et 22. 25. Temeritas atque inscitia. *et* 42. 49. Inscitia et temeritas. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 85. Quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. *Id.* 3. *Nat. D.* 24. 61. Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate sejunget. *Id. Am.* 6. 20. Posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunæ temeritate. *Id. Planc.* 4. 9. Populus non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnumquam et quadam etiam temeritate. *Id.* 1. *Divinat.* 4. 7. Omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est. *Id.* 3. *Cat.* 7. 16. Furiosa temeritas. *Seneca Agam.* 145. cæca. *Id. Octav.* 838. Temeritate in præceps ferri. *Cic. Harusp. resp.* 26. 55. Plenus inconsideratissimæ ac dementissimæ temeritatis. Ubi vim nota prioris adjectivi et confer cum data vocis interpretatione. Ita *Trivellatus* noster. — In illo *Tac. Germ.* 24. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent tanta lucrandi perdendive temeritate, ut etc. *temeritate* est insana cupiditate. — In plur. num. *Quintil. Declam.* 7. 1. Si temeritates quoque nostras conscientia reorum non potest pati. Adde *eumd.* 9. 4. 97. et *Cic. Sext.* 28. 61.

Homonym. Discrimen inter *audaciam* et *temeritatem* statuit *Isid.* 1. *Differ.* 556. « *Temeritas* sine consilio dicitur; *audacia*, post consilium » Cf. *Victorin.* ad *Cic. Rhet.* 1 *p* 15. *Orell* « *Audax* potest interdum et pro bono accipi: *temerarius* non nisi malus etc. ». Hinc *Liv.* 25. 39. Consilium temerarium magis quam audax. V. *Auson. Popm.* ed. *Vall.* p. 410. — Cf. etiam voc. præc. in fin.

TĔMĔRĬTER, adverb. (temere) idem ac temere. *Acc.* apud *Non. p.* 516. 5. *Merc.* Hoc in re est, quod tu tam temeriter meam benevolentiam interiisse es ratus. *Ennius* quoque usus est, teste *Priscian.* 15. *p.* 1010. *Putsch.*

TĔMĔRĬTŪDO, inis, f. 3. (temere) idem ac temeritas. *Pacuv.* apud *Non. p.* 181. 23. *Merc.* Egon tyrannum novi temeritudinem?

TĔMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Vocem a *temere* vel *temeritas* ducit *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 365. 2. *Müll.*; at *Döderlein* conjungit cum ταμέω, unde τέμνω, scindo, vasto. —

Part. *Temeratus* 1. et 2.; *Temerandus* 1. — Temero proprie est temere tracto, sine consideratione seu reverentia habeo; hinc corrumpo, contamino, polluo, violo, βεβηλόω (It. *macchiare, contaminare, violare*; Fr. *souiller, déshonorer, violer*; Hisp. *ensuciar, manchar, violar*; Germ. *schänden, entehren, beflecken*; Angl. *to contaminate, pollute, violate*). ¶ 1. Generatim. *Fest.* apud *Paul. Diac. loc. cit.* Temerare, violare sacra et contaminare dictum videlicet a temeritate. *Tibull.* 3. 5. 7. Non ego tentavi nulli temeranda virorum Audax laudandæ sacra docere deæ. *Ovid.* 15. *Met.* 75. Parcite mortales dapibus temerare nefandis Corpora. *Id.* 7. *ibid.* 535. Temerare fluvios venenis. *Tac.* 1. *Ann.* 53. Eamdem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 19. thalamos temerare pudicos. *Id. Heroid.* 5. 101. fœdera tecti. *Id.* 4. *Pont.* 10. 82. puram non temerare fidem. *Claudian. B. Get.* 102. delubra oculis temerare profanis. *h. e.* aspicere, quæ non licet. et *Ovid.* 10. *Met.* 695. temerare sacraria probro. *Id.* 2. *Trist.* 503. incestis vocibus aures. *Lucan.* 1. 147. ferrum. *h. e.* cædibus et sanguine inficere. *Liv.* 26. 13. *a med.* Aræ, foci, deum delubra, sepulcra majorum temerata ac violata. *Virg.* 6. *Æn.* 841. Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ. *Ovid. Heroid.* 17 3. Sacra hospitii temerata. *et ibid.* 5. 101. temerati fœdera lecti. *et ibid.* 9. 49. temerata puella. *et ibid.* 14. 17. nox temerata sanguine. *Id.* 9. *Met.* 626. Et scripsi et petii: temerata est nostra voluntas. *Lucan.* 1 225. et *Seneca Med.* 614. temerata jura. *Tac.* 1. *Ann.* 30. Linquere castra infausta temerataque, *h. e.* seditionis scelere infecta *Martial.* 5 71. Rura Cleonæo numquam temerata leone. *Sil. It.* 2. 472. Nil temerare piget, rabidi jejunia ventris Insolitis adigunt vesci. *h. e.* morsu violare etiam ea, quæ esui hominibus non sunt. *Stat.* 1. *Achill.* 302. Trux puer et nullo temeratus pectora motu. *h. e* nullo amoris affectu tactus. — *Tab. aenea* apud *Gruter.* 502. *col.* 1. *l.* 11. PRISCVS TARQVINIVS PROPTER TEMERATVM SANGVINEM QVOD PATRE DEMARATO CORINTHIO NATVS ERAT ET TARQVINIENSI MATRE GENEROSA SED INOPI CVM DOMI REPELLERETVR A GERENDIS HONORIBVS POSTQVAM ROMAM MIGRAVIT REGNVM ADEPTVS EST. *Temeratus sanguis* de eo dicitur, qui ex parentibus imparis condicionis ortus est. ¶ 2. Speciatim dicitur, de re, quæ primum fit, ardua, perdifficili, ita ut sit quasi quædam penetralium violatio seu transgressio. *Stat.* 3. *Theb.* 463. Nubila suspenso celerem temerasse volatu Persea. *h. e.* primum penetrasse et quodammodo violasse, quia volare per aera non hominibus sed avibus datum est. Sic *Val. Flacc. de Argo*, quæ prima dicitur navigasse, 1. 627. illicitas temerare rudentibus undas. *et ibid.* 801. et *Lucan.* 3. 193 Temeratum litus. *et Sil. It.* 15. 532. Temeratæ Alpes. *h. e.* ab Hannibale primum transitæ, quum humanis gressibus negatæ viderentur, ut *id.* 17. 502 loquitur. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 741. Cereale nemus violasse securi Dicitur et lucos ferro temerasse vetustos.

TĒMĒTUM, i, n 1. Putant quidam primam syllabam corripi posse, ut in derivatis *abstemius* (apud *Rabir.* in *Sat.* a *Fulgent.* adl. *p.* 567. 10. *Merc.*) et *temulentus* (apud *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 135.). V. ABSTEMIUS et TEMULENTUS. Nullus tamen certus affertur auctoris locus, qui primam breviet in *temetum*, aut etiam secundam, ut putat *Ricciolius* in *Prosod. Bonon.* Cf. *Müller De re metr. p.* 356. — De notatione alii alia. Sunt qui a Gr. μέθυ, vinum, per metathesin derivent. *V.* BRIA. Sed rectius ducas ab obsoleto *temum*, unde et *abstemius, temulentus* etc., quod est a rad. Skr. *tam*, stupefacere, Cf. TEMERE et TAMINIA. — Sequiore ævo hæc vox in desuetudinem abierat, teste *Augustin. Trinit.* 10. 1. Ex usu loquendi, quem nunc habemus, hoc vocabulum *temetum* emortuum. Cf *Gell.* 10. 23. — Temetum est vinum, *vino. Plaut. Aulul.* 2. 6. 5. Cererine has facturi nuptias? quia temeti nihil allatum intelligo. *Cato* apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (90). Temetum olere. *Varro* apud *Non. p.* 5. 17. *Merc.* olfacere. *Pompon.* apud *Fest. p.* 364. 33. *Müll.* Non multi temeti sed plurimi. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 5. 14. *Müll.* Ita magnam habet vim disciplina verecundiæ: carent temeto omnes mulieres. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 162. accipis uvam, Pullos, ova, cadum temeti. nempe modo isto etc *Juvenal.* 15. 25. De Corcyræa temetum duxerat urna. *Capell.* 8. *p.* 270. Inundantis se temeti infusione proluerat. — *Temeti timor* facete dicitur parasitus et heluo: quia hujusmodi homines edaces bibacesque esse solent. *Novius* apud *Fest. p.* 364. 1. *Müll* Sequimini: i præ, mi nate, sequere temeti timor. Ita *Dacier.* leg., et quidem probabiliter, inquit *Müllerus*. At *Both.*: Sequimini, præmiati, sequere etc.

TEMNENS, entis, particip. *V.* TEMNO.

TEMNĬBĬLIS, e, adject. (temno) qui temni potest, contemptibilis. *Cassiod. Instit. div. litter.* 29.

TEMNO, temnis, tempsi vel temsi, temnere, a. 3. Sunt qui scribunt etiam *tempno* pro *temno*, unde et præterit. *tempsi*; sed cf. EMO et SUMO. — Præterit. *tempsi* videre est in *contemno*. De hoc *Priscian.* 11. *p.* 38. *Putsch. M* antecedente *no* in *psi* conversa facit præteritum perfectum, ut temno tempsi. V. *Brambach p.* 248. Ceterum occurrit apud *Alcim.* 6. 159. Sic tædas tempsisse, pio quod amore calere etc. Adde *Dracont. carm.* 10. 460. *Duhn.* et *Juvenc.* in *Exod.* 91. *Pitra.* Sed et *temni* dictum esse putat *Scalig.* ita legens illud *Lucil.* apud *Non. p.* 180. 3. *Merc.* Quodque adeo fuerint, qui te temnere superbum. At recentiores cum *L. Müllero* leg. *temsere superbi.* — Vox est conjungenda cum Gr. τέμνω, a ταμῶ, seco, scindo, incido, cum *n* epenthetico, quod interdum similem habet significationem. — Part. *Temnens* et *Temnendus.* — Temno est parvi facio sperno, contemno, καταφρονέω (It *sprezzare, far poco conto*; Fr. *mépriser, dédaigner*; Hisp. *menospreciar, desdeñar*; Germ. *verachten, verschmähen*, Angl. *to despise, contemn*). Verbum fere poeticum. *Lucret.* 3. 971. semper aves quod abest: præsentia temnis. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 115. Instat equis auriga suos vincentibus, illum Præteritum temnens extremos inter euntem. et 2. *ibid.* 2. 38 Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. proverb. *per chi ha fame, ogni cibo è saporito.* et *Virg.* 6. *Æn.* 620. Discite justitiam moniti et non temnere divos. *et* 7. *ibid.* 236. ne temne, quod ultro Præferimus manibus vittas ac verba precantia. *Ovid.* 3. *Art. am.* 299. Est et in incessu pars non temnenda decoris. *Tac.* 3. *Hist.* 47. Haud temnendæ manus ductor. — Sunt qui putant, etiam a *Cicer.* verbum ipsum usurpari 13. *Att.* 20. *a med.* Id ago scilicet, ut judicia videar temnere. Sed plerique omn. leg. *tenere.*

TĒMO, ōnis, m. 3. duo diversa significat.

*A*) *Temo* est lignum, et *Is. Vossio* videtur esse a στήμων, stans, ab ἵστημι, sto; non enim placet, quod *Varro* 7. *L. L.* 75. *Müll.* ait, temonem dictum a tenendo, quippe qui jugum contineat. Etymologi recentiores ducunt ab ead. rad. ac *tignum* et putant esse *temo* pro *tecmo.* — Temo itaque est lignum longum et extentum in curru vel aratro, cui jugum in anteriore parte adnectitur, ῥυμός (It. *timone*; Fr *timon*; Hisp. *timon*; Germ. *die Deichsel*; Angl. *rudder, helm*).

I.) Proprie. *Colum.* 6. *R. R.* 2. *circa med.* Juvenci jugum quarto die accipiunt, cui ramus illigatur et temonis vice trahitur. *Virg.* 3. *G.* 173. junctos temo trahat æreus orbes. *Ovid.* 2. *Met.* 107. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curvatura rotæ. Adde *Phædr.* 3. 6.

II.) Improprie *temones* a similitudine vocat *Colum.* 6. *R. R.* 19. longas perticas, quasi vacerras in machina, qua boves et equi colligantur curandi causa.

III.) Translate, per synecdochen, pro curru. *Juvenal.* 4. 126. Regem aliquem capies: aut de temone Britanno Excidet Arviragus. *h. e.* ex essedo, in quo pugnat. — Poetæ non raro usurpant de plaustro Bootæ seu Septentrionibus. *Stat.* 1. *Theb* 370. hiberno deprensus navita ponto, Cui neque Temo piger neque amico sidere monstrat Luna vias. *Cic.* vertens *Arati* carmina, 2. *Nat. D.* 42. *ad fin.* Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arcton. — Ex eo cognoscebant, quantum nox processisset. *Enn.* apud *Varron. loc. cit.* et *Fest.* in *Septentrion. p.* 339. 9. *Müll.* Quid noctis videtur? in altissimo cæli clipeo temo superat stellas. *h. e.* multa nox est, ut *Varro ibid.* dicit. *Seneca Herc. Fur.* 130. Septem stellis Arcades ursæ lucem verso temone vocant. *Ovid* 10. *Met.* 447. Interque Triones Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes. *Lucan.* 4. 523. flexoque Ursæ temone paverent. *h. e.* die adventante. *Stat.* 1. *Theb.* 692. sed jam temone supino Languet hyperboreæ glacialis portitor Ursæ.

*B*) *Temo* in *Cod. Theod.* 6. 26. 14. nomen est præstationis seu functionis, quæ solvebatur ab his, qui tirones præbere debebant supplendo exercitui et pro iis pecuniam solvebant, æstimatione facta, quanti tiro quisque valeret. Videtur autem dici a τιμάω, æstimo, et *temo* corrupte esse pro *timo*. Sane in *Act. S. Max. mart. n.* 1. scribitur *timo*, quamquam *Ruinart* monet legend. *tiro.* Cf. voc. seq. Alii in *eod. Cod.* 11. 16. 15. pro *temonis* leg. *telonei.* *V. Dirksen.*

TĒMŌNĀRĬUS, a, um, adject. (temo) ad temonem pertinens, genus præstationis, de quo in voc. præced. *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 11. 16. 14. Omnium vilium munerum ac totius capitulariæ sive (ut rem, quam volumus intelligi, communi denuntiatione signemus) temonariæ functionis fieri jubemus exsortes. *Impp. Constantin. et Constans Cod. Justin.* 12. 24. 1. Temonaria onera. — Hinc

*Temonarius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more, qui hujusmodi præstationem seu tributum exigit. *Cod. Theod.* 7. 13. 7. Solidorum numerus, qui temonario inferendus est. Adde *ibid.* 18. 3. *et* 6. 35. 3.

TĒMŌNĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

TEMPE, *contracte pro* Tempea, *Græcorum more*, n. plur. 3. indeclin. (τὰ Τέμπη pro Τέμπεα) Dicitur tamen et *Tempea*, in *fragm. Solini* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 386. *Burmann.* Vos quoque qui resono colitis cava Tempea cætu et *Pentad Eleg. et Epigr.* 2. 12. ed. *Wernsd. v.* 3. *p.* 270. Tempeaque exhalant floribus innumeris. — Tempe est nomen regiunculæ in Thessalia amœnissimæ, de qua *V.* ONOM. Hinc usurpatur de locis quibuscumque amœnitate præstantibus. *Virg.* 2. *G.* 469. Speluncæ vivique lacus et frigida Tempe Mugitusque boum mollesque sub arbore somni Non desunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 477. Eloria Tempe. *Id.* 1. *Amor.* 1. 15. Heliconia. *Stat.* 1. *Theb.* 485. Theumesia. *Catull.* 64. 35, Phthiotica. *nisi forte eadem sunt ac Thessalica.*

TEMPĔRĀBĬLIS, e, adject. (tempero) qui temperari potest. *Isid.* 1. *Differ.* 88. Sollicitudo moderata est atque temperabilis; cura vero sine moderatione.

TEMPĔRĀCŬLUM, i, n. 2. (tempero) temperatura. *Apul Florid. n.* 6. Et cinnami merces et ferri temperacula et argenti metalla.

TEMPĔRĀMENTUM, i, n. 2. (tempero) temperatura mixtio rerum cum proportione, proportio diversarum qualitatum in corpore mixto, μίξις, κρᾶσις (It. *temperamento, mescolanza*; Fr *combinaison, mélange en juste mesure*; Hisp. *combinacion, mezcla, mixture en justa medida*; Germ. *das rechte Maass, das richtige Maasshalten*; Angl. *a tempering or mixing in due proportion*).

I.) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 61. (129). Concharum ad purpuras et conchylia (eadem enim est materia, sed distat temperamento) duo sunt genera, bucinum minor concha *etc.* alterum purpura etc. *Id.* 19. *ibid.* 8. 44. (155). Eruca præcipue fri-

gorum contemptrix, diversæ est, quam lactuca, naturæ: idcirco jungitur illi fere in cibis, ut nimio frigori par fervor immixtus temperamentum æquet. *Scribon. Compos.* 230. Teruntur ex cinere lixiva, qua culinarii utuntur, donec habeat mellis liquidi temperamentum. *h. e.* spissitudinem. Hac eadem ratione sæpius usurpatum legas apud eumdem *Scribon.* — Refertur ad rem numariam et ad pondera ac mensuras. *Inscript.* apud *Orelli n.* 784. AD AVGVSTALE TEM. C. P. *h. e.* temperamentum comprobatum pondus. Adde aliam in *Giorn. degli Scavi di Pomp. a.* 1871. *p.* 197.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro modo, mediocritate, moderatione. *Cic.* 3. *Legg.* 10. *a med.* Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putarunt. *Liv.* 28. 44. *in fin.* Et si nulla alia re, modestia certe et temperamento linguæ adulescens senem vicero. *Alii leg.* temperando linguæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (226). Omnia modo constant certoque temperamento. *Id.* 12. *ibid.* 25. 54. (115). Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet. *Plin. alter Paneg.* 3. Servare et tenere temperamentum in aliqua re. *Tac.* 2. *Hist.* 5. Egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solæ virtutes miscerentur. *Justin.* 2. 7. 5. Tanto temperamento inter plebem senatumque egit, ut ab utrisque parem gratiam traheret. ¶ 2. Item, in re physica, *temperamentum cœli* apud *eumd.* 2. 1. 10. est constitutio aeris quæcumque, *clima.* Sic *Capell.* 2. *p.* 44. *de Jove.* Sidus temperamenti vivifici ac salubris. Cf. *eumd.* 1. *p.* 8. et *Vitruv.* 9. 1. ¶ 3. Item, apud Medicos, in corpore animalis est certa qualitatum constitutio et modus, ex quo valetudo bona vel mala exsistit, *complessione, temperamento.* *Colum.* 3. *R. R.* 12. *ante med.* Opus est inter has tam diversas inæqualitates magno temperamento, quod in corporibus quoque nostris desideratur, quorum bona valetudo calidi et frigidi, humidi et aridi, densi et rari certo et quasi examinato modo continetur. Nec tamen hoc temperamentum in terra, quæ vineis destinetur, pari momento libratum esse debere etc. ¶ 4. Item, apud Mathematicos et Musicos, est modorum musicorum commixtio. *Boeth.* 1. *Arithm.* 1. Musici modulaminis temperamento pernoscunt. Adde *ibid.* 20. *et* 5. *Music.* 12.

TEMPĔRANS, antis, particip. *V.* TEMPERO.

TEMPĔRANTER, adverb. a *temperans;* unde Comp. *Temperantius.* — Temperanter est modice, moderate, *moderatamente, temperatamente,* μετρίως, σωφρόνως. *Tac.* 15. *Ann.* 29. Ille de nobilitate generis multum præfatus, cetera temperanter adjungit. *et* 4. *ibid.* 33. Noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter habeatur. Adde *Ammian.* 14. 10. 15. *Cic.* 9. *Att.* 2. *a med.* Nam quod ais, si hic temperantius egerit, consideratius consilium te daturum; qui hic potest se gerere non perdite?

TEMPĔRANTĬA, æ, f. 1. (tempero) moderatio, modestia, σωφροσύνη (*It. moderazione, continenza, temperanza; Fr. moderation, mesure, tempérament; Hisp. moderacion, templanza; Germ. das moralische Maasshalten, die Mässigung; Angl. moderation, temperance*). *Cic.* 1. *Fin.* 14. 47. Temperantia est, quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis rationem ut sequamur, monet. *Id.* 2. *Invent.* 54. 164. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos animi impetus firma et moderata dominatio. Ejus partes sunt continentia, clementia, modestia. *Id.* 3. *Tusc.* 8. 16. Temperans, quem Græci σώφρονα appellant, eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum temperantiam tum moderationem appellare, nonnumquam etiam modestiam: sed haud scio, an recte ea virtus frugalitas appellari possit. *Id. Partit.* 22. 66. Quæ vero moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus laudatur, ejus est munus in agendo: cui temperantiæ nomen est. *Id.* 3. *Nat. D.* 15. 38. Temperantia constat ex prætermittendis voluptatibus. *Id.* 2. *Orat.* 60. *a med.* Dicacitatis moderatio et temperantia distinguet oratorem a scurra. *Id.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Novi enim temperantiam et moderationem naturæ tuæ. *Id.* 3. *Off.* 25. *extr.* Conformatio et moderatio continentiæ et temperantiæ. *et ibid.* 33. Restat quarta pars, quæ decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 57. Summa fuit ejus in victu temperantia. *Sall. Jug.* 49. Metellum magnum et sapientem virum fuisse comperior, tanta temperantia inter ambitionem sævitiamque moderatum. *h. e.* temperamentum. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Egregiam fidem, justitiam, temperantiam cognoverat. *Tac. Germ.* 23. Sine apparatu expellunt famem: adversus sitim non eadem temperantia. *Plin.* 1. *Ep.* 12. *a med.* Increverat valetudo, quam temperantia mitigare temptavit. *con la dieta. et Tac. Ann.* 14. Moderandos feminarum honores dictitans eademque se temperantia usurum in his, quæ sibi tribuerentur.

**Homonym.** Discrimen inter *temperantiam* et *temperationem* sic discernitur, inquit *Isid.* 1. *Differ.* 553., ut *temperantia* animorum sit, *temperatio* rerum. — His adde *temperiem,* quæ, ut docet *Agroetius,* cæli est et corporis et aeris et imprimis ventorum. V. *Auson. Popm. p.* 410.

TEMPĔRĀTĒ, adverb. (temperatus) Comp. *Temperatius* et Sup. *Temperatissime* II. — Temperate est moderate, temperanter, modice, *moderatamente.*

I.) Proprie. *Cato R. R.* 69. Lenibus lignis facito calescat, ubi temperate tepebit, cummin indito. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Arbores humoris temperate, parum terreni habentes.

II.) Translate. *Cic.* 12. *Att.* 32. Ages, ut scribis, temperate. *et* 13. *ibid.* 1. Ita scripsisti, ut neque severius neque temperatius scribi potuerit. *Alii leg.* temperantius. *Augustin.* 6. *Music.* 15. Temperatissime et castissime vivere.

TEMPĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (tempero) mixtio, temperatura, *mescolanza, tempera, temperazione,* εὐκρασία, μίξις.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 44. *ad fin.* Tu solus vasis Corinthiis delectaris? tu illius æris temperationem sollertissime perspicis? *Vitruv.* 7. 11. Cærulei temperationes Alexandriæ primum sunt inventæ. ¶ 2. Speciatim est certus corporum aliarumque rerum modus seu constitutio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 13. Magnitudo commodorum, quæ percipiuntur cæli temperatione, fecunditate terrarum etc. *et ibid.* 10. 26. Omnia, quæ terra concipiat, semina temperatione caloris et oriri et augescere. *Id.* 4. *Tusc.* 13. *circa med.* Est enim corporis temperatio, quum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas: sic animi dicitur, quum ejus judicia opinionesque concordant: eaque animi est virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiæ præceptis.

II.) Translate. ¶ 1. Est moderatio, gubernatio, *regolamento, governo. Cic.* 6. *Rep.* 17. 17. Sol dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio. *Id.* 4. *Tusc.* 1. 1. De moribus institutisque majorum et disciplina ac temperatione civitatis loqui. *Id.* 3. *Legg.* 5. 12. Hæc est, quam maxime probat temperationem reipublicæ: quæ effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. ¶ 2. Item temperamentum, *temperamento. Id. ibid.* 12. 27. Sed præsto est hujus vitii temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas. *et paullo post.* Potest ex temperatione juris, quum potestas in populo auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status. Adde *Firmic.* 6. *Mathes.* 25.

TEMPĔRĀTĪVUS, a, um, adject. (tempero) qui temperat, ut Temperativa medicamina, apud *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. 11. Itali *medicamenti mitiganti* dicunt. Cf. *eumd. ibid. n.* 2.

TEMPĔRĀTOR, ōris, m. 3. (tempero) moderator, *temperatore,* ἁρμοστήρ. *Cic. Orat.* 21. 70. Magni igitur judicii, summæ etiam facultatis debebit moderator ille et quasi temperator hujus tripartitæ varietatis. *Seneca Vit. beat.* 14. Temperator voluptatis. *h. e.* qui voluptate temperate utitur. — Poetice. *Martial.* 4. 55. Quam fluctu tenui, sed inquieto Armorum Salo temperator ambit. Ubi Salonem fluvium vocat armorum temperatorem, quia ejus aquis temperantur enses.

TEMPĔRĀTŪRA, æ, f. 1. (tempero) mixtio, temperamentum, temperatio, *mescolanza, tempera o tempra,* κρᾶσις, μίξις.

I.) Proprie. *Vitruv.* 7. 9. Temperatura minii. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 20. (97). Sequens temperatura statuaria est, eademque tabularis, hoc modo. *et mox.* Appellatur etiamnum et formalis temperatura æris tenerrimi. *et paullo post.* Novissima (*temperatura*) est, quæ vocatur ollaria, vase nomen hoc dante etc. *et ibid.* 2. 5. (10). Insula æs non gignens, sed officinarum temperatura nobilitata. *et ibid.* 15. 43. (150). Ferrum a rubigine vindicatur cerussa et gypso et liquida pice: hæc est temperatura, a Græcis antipathia dicta. *Sillig.* ferro.

II.) Translate. *Seneca Ep.* X. *circa med.* Quæcumque attribuit condicio nascendi et corporis temperatura. *temperamento, complessione.* et *Varro* apud *Non. p.* 179. 12. *Merc.* Quæro ex te, utrum hoc adduxerit cæli temperatura, an terræ bonitas. *clima,* temperies.

TEMPĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* TEMPERO.

TEMPĔRĀTUS, us, m. 4. (tempero) temperantia, abstinentia. *Arnob.* 5. *p.* 167. Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus. *V.* CASTUS, us.

TEMPĔRE et

TEMPĔRI. *V.* TEMPUS.

TEMPĔRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TEMPĔRĬES, ēi, f. 5. (tempero) *Temperia, æ,* in *Art. Anom. Bern. p.* 131. 14. *Hag.,* sed nullus ibi affertur auctoris locus. — Temperies est diversarum rerum mixtio æquata, ita ut nulla res aliam excedat, *mescolanza, mistura,* εὐκρασία.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (8). Corinthii æris tria genera: candidum, argento quam proxime accedens, in quo illa mixtura prævaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit. *Id.* 2. *ibid.* 78. 80. (190). Magna et in colore temperies. *scil.* ut neque nimis fuscus sit neque nimis candidus in cute hominum. Apud *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 268. similem locum habes. Rursus *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (54). Resina, si cum aqua levius decoquatur, rufo colore lentescit. alia temperies ad crapulam. ¶ 2. Speciatim sæpe dicitur de temperata cæli constitutione, quum neque frigus neque æstus nimius est, *temperie, clima temperato,* εὐημερία. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Accipe temperiem cæli, regionis situm, villæ amœnitatem. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 71. Temperie cæli corpus animusque juvantur: Frigore perpetuo Sarmatis ora riget. *Id.* 15. *Met.* 211. Excipit (*æstatem*) auctumnus *etc.* mitisque inter juvenemque senemque, Temperie medius. *et* 1. *ibid.* 50. Nix tegit alta duas (*cæli zonas*): totidem inter utramque locavit Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma. *Lucan.* 10. 207. Sub Jove temperies et numquam turbidus annus. *Ovid.* 4. *Met.* 344. temperie blandarum captus aquarum. *h. e.* quæ neque frigidæ nimis sunt neque calidæ. Adde *Capell.* 1. *p.* 8. ¶ 3. *Temperies anni* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 60. (226). est tempus anni hieme adventante, quum sementis faciendæ tempus est, foliis arborum deciduis. *Gargil. De re hort.* (ed. *A. A. Scottio*) 4. 4. Demissa temperies necessaria eis (*persicis*), ne siccitas anni ruat et admodum exigua poma constringat ac frequens humor enormi vastitate et inani sapore distendat.

II.) Translate. ¶ 1 Generatim. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 217. Servat inoffensam divina modestia vocem, Temperiem servant oculi. *h. e.* modum. *Id. Epithal. Pallad. et Celer.* 64. amor mentisque benignæ Temperies doctique sales et grata senectus. *h. e.* moderatio animi. *Stat.* 2. *Silv.* 6. 48. Tranquilla morum temperies. *la placidezza, la mitezza de' costumi. Claudian. B. Get.* 143. Temperiem cælo pari-

ter belloque referre. *h. e.* æstate temperare hiemem et victoria bellum finire. ¶ 2. Speciatim dicitur de virtute Temperantiæ. *Id.* 2. *Laud. Stilich.* 103. Justitia utilibus rectum præponere suadet *etc.* durum Patientia corpus instruit *etc.* Temperies, ut casta petas, Prudentia, ne quid inconsultus agas.

TEMPĔRĬUS. *V.* TEMPERI.

TEMPĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tempus) *Temporo* pro *tempero* V. suo loco. — *Temperint* pro *temperent* antique, ut *edint* pro *edant*, est *Plauti Truc.* 1. 1. 41. Ita *Forcell.*; at *Spengel* leg. *temperent.* — *Temperor*, deponentium more, legitur apud *Lactant.* 7. 5. Motus aptissime ad utilitates viventium temperatus est. — Part. *Temperans* sub *A* I. 1. et 3. et in fin.; *Temperatus* sub *A* I. 1., II. 2. et in fin.; *Temperaturus* sub *B* 1.° *b* et 3.°; *Temperandus* sub *A* II. 1. — Tempero est varias res, proportione servata, commisceo, κεράννυμι (It. *mescolare, temperare o temprare*; Fr. *combiner ou mélanger convenablement*; Hisp. *combinar ó mezclar convenientemente*; Germ. *in d. rechte Maass,-d. rechte Verhältniss,-d. rechte Mischung bringen, mässigen, mischen*; Angl. *to temper, mix or mingle in due proportion*). Usurpatur *A*) Transitive; et etiam *B*) Neutrorum more.

*A*) Transitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Tim.* 7. Ea quum tria sumpsisset, unam in speciem temperavit. *Id.* 3. *Off.* 33. 119. Quod simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri et temperari non potest. *Id.* 3. *Nat. D.* 14. 36. Ex igne et anima temperatum est. *Id.* 6. *Rep.* 18. 18. Acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. *Ovid.* 5. *Fast.* 401. lectas Pagasæis collibus herbas Temperat et varia vulnera mulcet ope. *Martial.* 9. 12. Temperare pocula Tonanti. *h. e.* miscere, propinare, præbere. *Vitruv.* 10. 22. *a med.* Temperavit ahena aquæ ferventis et picis, desuperne contra capita hostium et stercoris humani et arenæ coctæ candentis. *h. e.* mixtis aqua, pice etc. implevit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (197). Æs conflare et temperare. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (50). vinum. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (145). ferrum. *h. e.* mollitur igne, duratur aqua (ut interpretatur *Martorelli* in *R. Thec. calam.* p. 199.). *Id.* 14. *ibid.* 17. 21. (114). acetum melle. *Id.* 2. *ibid.* 18. 16. (79). colores. *h. e.* colorum varietatem efficere. *Horat. Epod.* 17. 80. desiderii poculum. *Id.* 1. *Od.* 21. 11. mea nec Falernæ Temperant vites neque Formiani Pocula colles. *correggono.* et *Sueton. Ner.* 2. *sub fin.* Temperare venenum. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 2. 2. (18). unguentum. *Id.* 27. *ibid.* 10. 59. (83). collyrium. *Id.* 23. *ibid.* 2. 29. (60). Oxymeli antiqui hoc modo temperabant: mellis minas decem, aceti quinque, salis pondo libram etc. *Calpurn. Ecl.* 2. 43. Ars mea nunc malo pira temperat. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. *a med.* Auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata varietate et natura sonorum. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. 1. Calamo et atramento temperato, charta etiam dentata res agetur. Scribis enim, te meas litteras superiores vix legere potuisse: hoc facio semper, ut, quicumque calamus in manus meas venerit, eo sic utar tamquam bono. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 40. (104). Vinum temperatum ex aqua cælesti. *Id.* 19. *ibid.* 5. 28. (90). Amaritudo temperata mulso. *Id.* 11. *ibid.* 42. 97. (242). Zoroastrem caseo vixisse annis viginti ita temperato, ut vetustatem non sentiret. *manipolato.* ¶ 2. Speciatim, quemadmodum temperando fit ferrum durius et incidendo aptius, sic *temperare ungues* dixit *Stat.* 2. *Theb.* 130. *de tigride.* Bella cupit laxatque genas et temperat ungues. *aguzza, affila.* Sed *Martorelli* in *R. Thec. calam.* p. 200. interpretatur *explicat, laxat.* ¶ 3. Item mitigo, lenio, *raddolcire, mitigare, rattemperare.* *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (65). Temperare asperitatem oxypori addito dulci. *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 131. Etesiarum flatu nimii temperantur calores. *Virg.* 1. *G.* 110. scatebrisque arentia temperat arva. Sic *Claudian. Cons. Prob. etc.* 260. Œbaliæ qui temperat arva Galesus. *h. e.* sitientia irrigat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 18. (91). Vitis solem umbra temperans. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 21. 11. *Id.* 4. *Od.* 12. 1. Jam veris comites, quæ mare temperant. *Id.* 3. *ibid.* 19. 6. quis aquam temperet ignibus. *Martial.* 3. 25. Si temperari balneum cupis fervens. *Seneca Ep.* 86. Quæ (*balnea*) scires ex Corneliis aliquem manu sua temperasse. *V.* TEMPERATURA.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 26. Cujus acerbitas morum immanitasque naturæ; ne vino quidem permixta temperari solet. *Horat.* 2. *Od.* 16. 26. amara lento Temperet risu. *Sueton. Tib.* 34. Annonamque macelli, senatus arbitratu, quotannis temperandam censuit. *h. e.* pretium annonæ minuendum. ¶ 2. Speciatim guberno, moderor, rego, administro, *regolare, moderare, governare*, quod fit non uno eodemque semper modo, sed varias rationes miscendo et nunc hac, nunc illa utendo, pro temporum et rerum varietate. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 6. 4. (13). Sol vices temporum annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat. *Ovid.* 13. *Met.* 366. Temperare ratem. *Horat.* 1. *Od.* 12. 14. (et 3. *ibid.* 4. 45.) de *Jove.* qui res hominum ac deorum, Qui mare ac terras variisque mundum Temperat horis. *Id. ibid.* 8. 6. Gallica nec lupatis Temperet ora frenis. *Id.* 4. *ibid.* 3. 17. O testudinis aureæ Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 2. Mores et instituta vitæ resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius: rem vero publicam nostri majores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 70. mulier si forte dolosa Libertusve senem delirum temperet. *Petron. Sat.* 137. Fortunamque suo temperet arbitrio. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 10. Temperat et sumptus parcus uterque parens. *h. e.* moderatur, ne modum excedant. *Apul.* 3. *et* 4. *Met.* Temperare ictum. *dirigere.* et *Vellej.* 2. 60. *ad fin.* Omnia pretio temperata, vendente rempublicam consule. *h. e.* administrata. ¶ 3. Item modum pono, contineo, moderor, cohibeo, *moderare, raffrenare.* *Cic. Marcell.* 3. 8. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare. *Virg.* 1. *Æn.* 61. mollitque animos et temperat iras. *Augustin.* 3. *De Trinit.* 1. Temperare se ab isto labore. Adde *eumd.* 6. *contra Faust.* 5. *extr.* — In illo *Stat.* 1. *Theb.* 304. *de Mercurio.* Summa pedum propere plantaribus alligat alis Obnubitque comas et temperat astra galero. *h. e.* coercet, pileo obvolvens, ne fulgore perstringant.

*B*) Neutrorum more est abstineo, parco, ἀπέχομαι (It. *astenersi, risparmiare*; Fr. *s' abstenir, se modérer*; Hisp. *abstenerse, contenerse, moderarse*; Germ. *sich enthalten, sich mässigen, mässig sein*; Angl. *to abstain, spare*). — 1.°) Cum Dativo — *a*) vel rei. *Cic.* 3. *Verr.* 59. *sub fin.* Te putet quisquam sociis temperasse, qui ædem Castoris testem furtorum tuorum esse volueris? *et* 4. *ibid.* 6. 17. Non recuso, quin ita me audiatis, ut - si cuiquam ulla in re umquam temperaverit, vos quoque ei temperetis. *Sall. Cat.* 11. *extr.* Secundæ res sapientum animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriæ temperaret. *Liv.* 30. 20. et *Tac.* 15. *Ann.* 16. Temperare lacrimis. *Sueton. Vit. Lucan.* Neque verbis neque factis adversus principem temperavit. *Plaut. Rud.* 4. 7. 28. et *Liv.* 28. 44. linguæ. *Liv.* 2. 23. *a med.* et 32. 20. manibus. *et* 2. 22. oculis. *et* 33. 20. iræ. — Passive impersonaliter. *Id.* 1. 29. *extr.* Templis deum temperatum est. *Id.* 5. 7. Tum vero jam superfundenti se lætitiæ vix temperatum est. *et* 2. 23. *a med.* Nec manibus temperatum foret, ni propere consules intervenissent. — *b*) vel personæ. — *α*) Universim. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 7. *a med.* Usque mihi temperavi, dum perducerem eo rem, ut etc. *h. e.* me continui. *mi contenni.* et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (62). Non quivit temperare sibi in eo (*signo*), quamquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi substituto. — *β*) Sequente Abl. et præp. *ab.* *Cic.* 4. *Herenn.* 18. 25. Eum sibi credis a mendacio temperaturum? — *γ*) vel particulâ *quin, quominus.* *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Neque sibi homines feros temperaturos existimabat, quin etc. *Liv.* 5. 45. *a med.* Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (41). Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis afferam. — Passive impersonaliter. *Liv.* 32. 10. *a med.* Ægre temperatum est, quin missilibus pugnam inter se consererent. — 2.°) Etiam cum Acc. communi. *Plaut. Stich.* 1. 2. 59. Ubi facillime spectatur mulier, quæ ingenio est bono? PAN. cui malefaciundi est potestas, quæ ne faciat, id temperat. — 3.°) Cum Abl. et præp. *ab*, aut etiam sine præp. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. *ad fin.* Neque homines inimico animo temperaturos ab injuria et maleficio existimabat. *Claudian. II. cons. Stilich.* 270. Temperare a venatibus. *Virg.* 2. *Æn.* 8. a lacrimis. *Liv.* 32. 34. Temperare risu. Cf. *eumd.* 30. 20., *Tac.* 15. *Ann.* 16., *al.* supra *adlat.* sub 1.° *a.* — 4.°) Cum Infinito. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 21. 42. primus puerum Priamo qui foret Post illa natus, temperaret tollere. *Plaut. Pœn. prol.* 34. Matronæ canora hic sua voce tinnire temperent. *et* 5. 2. 76. Maledicere huic tu temperabis, si sapis. *Gell.* 4. 9. Dies, in quibus rem quampiam novam exordiri temperandum est. — Hinc Part.

*Temperans, antis*, adjectivorum quoque more adhibetur; unde Comp. *Temperantior* et Sup. *Temperantissimus.* — Temperans est moderatus, continens, temperatus, *moderato, continente, temperante*, σώφρων. — *a*) Absolute. *Cic. Fontej.* 14. 30. Frugi hominem, judices, et in omnibus vitæ partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis, videtis positum in vestra fide ac potestate. *Id. Parad.* 3. 1. *ad fin.* An temperantem eum dices, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? *Id.* 15. *Att.* 1. Quum hominem temperantem, summum medicum, tantus improviso morbus oppresserit. *Id. Fontej.* 13. 28. Homo sanctissimus ac temperantissimus. — *b*) Cum Genet. *Ter. Phorm.* 2. 1. 40. Si est, ut culpam in se admiserit, ex qua re minus rei foret aut famæ temperans. *h. e.* minus parceret rei familiari aut famæ suæ. *Tac.* 13. *Ann.* 46. *extr.* Integre sancteque egit procax otii et potestatis temperantior. *h. e.* moderatior in potestate. *Plin. Paneg.* 52. *a med.* Temperans gaudii seræque lætitiæ. — *c*) Cum Abl. et præp. *ab.* *Liv.* 26. 22. Cives graviores temperantioresque a cupidine imperii. *Alii leg.* temperatiores.

*Temperatus, a, um*, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Temperatior* et Sup. *Temperatissimus.* — Temperatus est æqua proportione mixtus, et dicitur sæpe de regione vel tempore, in quo calor et frigus ita temperata sunt, ut neutrum sæviat. ¶ 1. Proprie. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (26). Eugenia (*vitis*) ferventibus locis, Rhætica temperatis, Allobrogica frigidis copiam præstant. *Vitruv.* 1. 4. Regiones cæli neque æstuosæ neque frigidæ, sed temperatæ. *Colum.* 3. *R. R.* 20. Mitis ac temperatus annus. Adde *Martial.* 10. 30. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. Loca sunt temperatiora, quam in Gallia, remissioribus frigoribus. *Varro* 2. *R. R.* 5. *a med.* Temperatissimum anni tempus. — *Vitruv.* 9. 1. *de Jove sidere.* Temperatissimi affectus. — ¶ 2. Translate est moderatus, modicus, temperans, modestus, *moderato*, μέτριος. — *a*) Generatim. *Cic.* 12. *Fam.* 27. Est autem ita temperatis moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. *Id.* 4. *Att.* 6. Homo in summa magnitudine animi multa humanitate temperatus. *Id.* 3. *Nat. D.* 36. 87. Vir justus, temperatus, sapiens. *Horat.* 2. *Od.* 3. 1. rebus in arduis Servare mentem, non secus in bonis Ab insolenti temperatam Lætitia. *Id.* 3. *ibid.* 4. 66. Vim temperatam dii quoque provehunt In majus: Idem odere vires Omne nefas animo moventis. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 15. Ecquem Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem

in victoria temperatiorem audisti? *Seneca Ep.* 18. Hoc multo fortius est, ebrio ac vomitante populo siccum ac sobrium esse. illud temperatius, non excerpere se nec insigniri nec misceri omnibus. — *b*) Speciatim refertur ad orationem. *Cic.* 2. *Orat.* 53. 212. Neque est ulla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur. *Id. Orat.* 57. *extr.* Sit oratio permixta et temperata numeris nec dissoluta nec tota numerosa. *et ibid.* 27. *a med.* Oratio modica ac temperata. — *c*) *Temperata formositas* apud *Apul.* 4. *Met.* est quæ, inquit *Gell.* 5. 11., à nimiæ pulcritudinis periculo et a summæ deformitatis odio vacat, qualis a Q. Ennio in Menalipp. perquam eleganti vocabulo *stata* dicitur, quæ neque κοινή futura sit neque ποινή. — *d*) *Prela temperata*, ordinata, instructa, parata ad opus, ut iis quandocumque uti liceat, *pronti e preparati. Cato R. R.* 12. Prela temperata quinque, supervacanea tria. *V. Turneb. l.* 8. *Adversar. c.* 6.

TEMPĔROR. *V.* voc. præc. init.

TEMPESTĀS, ātis, f. 3. (tempus) In genet. plur. est *tempestatum*: sed et *tempestatium*, ut *civitatium* etc., reperitur. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. p.* 76. IOVI O. M. TEMPESTATIVM DIVINARVM POTENTI etc. Adde *Vitruv.* 9. 6. ed. *Rose.* — Alia forma *tempestus, ūtis*, veteres usurpasse docet *Varro loc.* infra cit. — Tempestas est idem ac tempus, χρόνος (It. *tempo*; Fr. *temps*; Hisp. *tiempo*; Germ. *die Zeit*; Angl. *time*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 7. *L. L.* 51. *Müll.* In XII tabulis dicunt: Solis occasu diei suprema tempestas esto. Libri Augurum pro tempestate tempestutem dicunt supremum augurii tempus. Alii leg. *pro tempore tempestatem.* et *Lucil.* apud *Non. p.* 407. 31. *Merc.* Jam qua tempestate vivo. *Plaut. Truc.* 2. 4. 29. Verum tempestas memini quondam fuit, Quum inter nos sorderemus unus alteri. *Id. Cas. prol.* 18. Ea tempestate flos poetarum fuit: qui nunc abierunt hinc in communem locum. *Sall. Cat.* 17. *sub fin.* Fuere ita ea tempestate, qui crederent etc. *Cic.* 3. *Orat.* 38. 153. Raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. neque enim illud fugerim dicere, ut Cœlius (*Antipater*) Qua tempestate Pœnus in Italiam venit. *Liv.* 27. 37. *a med.* Carmen illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 183. et *Propert.* 4. 9. 1. ¶ 2. Speciatim est pars temporis, v. gr. annus aut anni pars, *anno, stagione. Pacuv.* apud *Non. p.* 407. 33. *Merc.* Quam te post multis tueor tempestatibus. *Sall. Cat.* 57. Multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit. *Id. Jug.* 101. Sulla rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 96. Postera tempestas melior, via pejor. *i giorni seguenti.* Nisi malis diem intelligere, *il giorno seguente*, ut *Cic.* 1. *Rep.* (edente *A. Maio*) 44. 68. Sic omnia nimia, quum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus lætiora fuerunt, in contraria fere convertuntur. Hæc ex *Platone*: Ἐν ὥραις τε καὶ ἐν φυτοῖς καὶ ἐν σώμασι etc. *Id.* vertens *Homeri* versum, 1. *Divinat.* 25. 52. Tertia te Phthiæ tempestas læta locabit. *Homerus* habet *Iliad. l.* 9. *v.* 363. Ἤματί κεν τριτάτῳ, Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην. *Liv.* 1. 5. Euander, qui multis ante tempestatibus ea tenuerat loca. ¶ 3. Item constitutio cœli et aeris, in utramque partem. — *a*) In bonam partem, scil. de tempore tranquillo, sereno et ventis ferentibus opportuno ad navigandum, *buon tempo. Cæs.* 1. *B. G.* 23. Nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertia vigilia solvit. *Cic.* 14. *Fam.* 4. *a med.* Tuas litteras exspectassem Brundisii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem prætermittere noluerunt. *Id.* 16. *ibid.* 1. *a med.* Et comites et tempestates et navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. *in fin.* Velim, quam primum bona et certa tempestate conscendas. *Id.* 9. *Att.* 13. Fuit pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua ego illum usum puto. *Tac. Agric.* 33. *in fin.* Classis secunda tempestate portum tenuit. — Extra navigationem. *Enn.* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 82. Quum tonuit lævum bene tempestate serena. *Virg.* 9. *Æn.* 20. Tempestas clara. *et Lucret.* 4. 168. liquidissima cœli. *Id.* 1. 178. Dum tempestates adsunt et vivida tellus Tuto res teneras effert in luminis oras. *h. e.* tum sereni dies tum pluvii opportune advenientes. *Id.* 2. 32. quum tempestas arridet et anni Tempora conspergunt viridantes floribus herbas. — *b*) In malam partem, scil. de cœli statu turbato ob nimium ventum aut imbrem, procellam, fulgura, tonitrua, grandinem etc. *tempo rotto o cattivo, temporale, procella*, χειμών. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 69. (278). Cœlestis injuriæ genus unum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ ceteraque similia intelliguntur: quæ quum acciderint, vis major appellatur. *Cels.* 2. 1. Ex tempestatibus optimæ æquales sunt sive frigidæ sive gelidæ: pessimæ quæ maxime variant. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Tanta tempestas cooritur, ut numquam illis locis majores aquas fuisse constaret. *Plaut. Most.* 1. 2. 27. tempestas venit, confringit tegulas imbricesque. *et ibid.* 57. Venit ignavia: ea mihi tempestas fuit: Ea mihi adventu suo, grandinem imbremque attulit. *Cic.* 6. *Verr.* 40. 86. Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus. *Id.* 5. *Phil.* 6. 15. Lex maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina et tonitrua fertur. *Id.* 2. *Off.* 6. 19. Procellæ, tempestates, naufragia, ruinæ, incendia. *Id. Parad.* 6. 3. Virtus neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum nec temporum permutatione mutatur. *Id. Rosc. Am.* 45. 131. Venti vehementiores aut immoderatæ tempestates. *Id.* 2. *Nat. D.* 66. *sub fin.* Si segetibus aut vinetis cujuspiam tempestas nocuerit. *Id.* 7. *Verr.* 10. 26. Hic situs atque hæc natura esse loci cælique dicitur, ut nullus umquam dies tam magna turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore ejus diei solem homines videant. *Id.* 2. *Invent.* 31. *a med.* Subito magnis commotis tempestatibus fluvius Eurotas ita magnus et vehemens factus est, ut etc. *Virg.* 5. *Æn.* 694. effusis imbribus atra Tempestas sine more furit. *Id.* 1. *G.* 323. Et fœdam glomerant tempestatem, imbribus atris Collectæ ex alto nubes. et 2. *ibid.* 310. tempestas a vertice silvis Incubuit. *Liv.* 2. 62. Fœda tempestas cum grandine et tonitribus cælo dejecta. — De mari jactato ventis, *tempesta, fortuna, burrasca, procella. Cæs.* 4. *B. G.* 28. Tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum navium cursum tenere posset. *Id.* 3. *B. C.* 27. Tempestas naves afflixit. *Cic.* 2. *Att.* 6. Ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneæ. *Id.* 2. *Invent.* 31. 95. Quum nautæ adversa tempestate in alto jactarentur — Tempestatis descriptionem habes apud *Virg.* 1. *Æn.* a. *v.* 87. et 3. *ibid.* a *v.* 194., *Horat. Epod.* 10., *Ovid.* 11. *Met.* a *v.* 480. et 1. *Trist.* 2., *Senec. Agam.* a. *v.* 406., *Lucan.* 5. a *v.* 594., *Val. Flacc.* 8. a *v.* 322. etc. — Signa imminentis tempestatis collegit *Lucan.* 5. a *v.* 541. — Romani *Tempestates* pro diis coluere. *Inscript.* apud *Visc. Mon. degli Scip. tab.* 5. *A.* L. SCIPIO FILIOS BARBATI CONSOL DEDET TEMPESTATEBVS AEDE MERETO. *h. e.* dedit Tempestatibus ædem merito: hæc autem inscriptio pertinet ad L. Cornelium Scipionem, qui consul fuit ann. U. C. CCCCXCIV. *Cic.* 3. *Nat. D.* 20. 51. Quod si nubes retuleris in deos, referendæ certe erunt Tempestates, quæ populi R. ritibus consecratæ sunt. *Horat. Epod.* 10. 23. Libidinosus immolabitur caper Et agna Tempestatibus. *Ovid.* 6. *Fast.* 193. Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur, Quum pæne est Corsis obruta classis aquis.

II.) Translate. ¶ 1. Est quævis perturbatio, periculum, calamitas, infortunium. *Cic.* 1. *Cat.* 9. 22. Video, quanta tempestas invidiæ nobis impendeat. *et Harusp. resp.* 3. 4. Multo ante propexi, quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella reipublicæ. *Nepos Alcib.* 4. Utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem, clam se a custodibus subduxit. *Cic. Sext.* 47. *extr.* Quem neque periculi tempestas neque honoris aura potuit umquam de suo cursu demovere. *et ibid.* 67. 140. Repentina vi perculsi ac tempestate populari. *et ibid.* 20. 46. Navis reipublicæ, ereptis senatui gubernaculis, fluitans in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum. *Id.* 1. *Orat.* 1. 1. Qui locus quietis et tranquillitatis plenissimum fore videbatur, in eo maximæ moles molestiarum et turbulentissimæ tempestates exstiterunt. *Id. Dom.* 53. *a med.* Tu, procella patriæ, turbo ac tempestas pacis atque otii. *Id. Cluent.* 35. 96. Vis illa fuit et ruina quædam atque tempestas et quidvis potius, quam judicium. *Id.* 4. *Verr.* 37. *extr.* Hiemi sese fluctibusque committere maluit, quam non istam communem Siculorum tempestatem calamitatemque vitare. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 85. Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis. *Seneca Agam.* 62. Alia ex alia cura fatigat Vexatque animos nova tempestas. *Liv.* 31. 10. Belli tempestatem effugere. *Val. Max.* 1. 8. *n.* 2. *extr.* vocat *tempestatem* pestilentiam, quæ per triennium Romanos afflixit. — Illa poetica sunt: *Stat.* 3. *Theb.* 228. Martem ait tota perfusum pectora belli Tempestate. *h. e.* turbis, cædibus, calamitatibus, quæ bello comitantur. *Virg.* quoque 7. *Æn.* 223. et *Liv.* 31. 10. et 43. 18., item *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 579. et 1. *Laud. Stilich.* 246. et *B. Get.* 112. *et* 641. et alibi *tempestatem* de bello et prœlio dixere. *Id. Cons. Mall. Theod.* 220. Nullaque mutati tempestas proditur oris. *h. e.* turbatio. *Horat.* 2. *Ep.* 15. 31. Pernicies et tempestas barathrumque macelli. Simile est illud *Plauti Capt.* 4. 3. 3. Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! ¶ 2. Item pro magna vi et copia alicujus rei. *Cic. Pis.* 36. *sub fin.* Qui quum concursum plorantium ac tempestatem querelarum ferre non posses, in oppidum devium profugisti. *Virg.* 12. *Æn.* 283. it toto turbida cælo Tempestas telorum ac ferreus ingruit imber. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 101. Non Tartessiacis illum satiarit arenis Tempestas pretiosa Tagi. *Id. Edyll.* 1. 98. Indus odor penetrat nares completque salubri Tempestate viros.

TEMPESTĀTĪVĒ, adverb. (tempestas) tempestive vel mora tempestatis. *Boeth. Demonstr. geom. p.* 400. 6. *Lachm.* Eam insulam sibi vindicabit, cujus terram tempestative præoccupavit.

TEMPESTILLUS, a, um, adject. *deminut. a* tempestus vel tempestivus, satis tempestivus. *Apul.* 8. *Met.* Alii aliter leg.

TEMPESTĪVĒ, adverb. (tempestivus) Comp. *Tempestivius.* — Tempestive est suo tempore, opportune, in tempore: neque maturius neque serius, ὡραίως, εὐκαίρως (It. *a tempo proprio, a suo tempo*; Fr. *à propos, à temps, en temps et lieu*; Hisp. *á tiempo, en buena sazon ó ocasion*; Germ. z. *rechten, schicklichen Zeit, passend*; Angl. *in season, in due season, in good or proper time*). *Cato R. R.* 61. Bene et tempestive arare. *Plaut. Truc.* 1. 1. 41. Qui nostræ ætati tempestive temperint. *Alii leg.* tempestivo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. *in fin.* Serere, colere, tempestive demetere et percipere fructus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (170). Cædi solebant arundines tempestive sub Arcturo etc. (*h. e.* mense Septembri), postquam varietas accessit, cædi ante solstitia cœptæ. *Sillig.* tempestivæ. *Colum.* 2. *R. R.* 8. *a med.* Nec ignoro, quosdam præcepisse, ne seminarentur agri, nisi quum terra pluviis permaduisset. quod, ego, si tempestive competat, conducere non dubito: sed si seri sunt imbres etc. *Id.* 3. *ibid.* 21. *a med.* Uvæ, quæ maturescere incipiunt, tempestive leguntur. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 8. (14). Vinum ægris dare tempestive. *Sueton. Vesp.* 23. Utebatur et versibus Græcis tempestive satis. *a tempo e a proposito.* et *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 81. Felices ambo tempestiveque sepultos! Ante diem pœnæ quod periere meæ. *Justin.* 34. 1. 3. Quærentibus causas belli tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit. *Horat.* 4. *Od.* 1. 9. Tempestivius in domo Pauli comissabere Maximi.

TEMPESTĪVĬTAS, ātis, f. 3. (tempestivus) ¶ 1. Est tempus quippiam agendi opportunum

*tempo proprio a far qualche cosa,* ὡραιότης, εὐκαιρία. *Cic. Senect.* 10. 33. *a med.* Sua cuique parti ætatis tempestivitas est data, ut et infirmitas puerorum et ferocitas juvenum et gravitas jam constantis ætatis et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (105). Columbæ pullis primo salsiorem terram collectam gutture in ora inspuunt, præparantes tempestivitatem cibo. *Id.* 18. *ibid.* 30. 73. (303). Tempestivitas condendi frumenta. *Id.* 11. *ibid.* 14. 14. (36). Alterum genus est mellis æstivi, quod ideo vocatur ὡραῖον a tempestivitate præcipua. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 3. 5. ¶ 2. Pro tempore et temperamento. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (120). Claritatem oculorum consequi et stomachi totiusque corporis tempestivitates.

TEMPESTĪVO, adverb. *V.* voc. seq. in fin.

TEMPESTĪVUS, a, um, adject. (tempestas) Comp. *Tempestivior* 1. *b.* — Tempestivus est tempori aptus et conveniens, opportunus, idoneus, καίριος, εὐκαίριος (It. *che si fa a tempo proprio, opportuno, acconcio;* Fr. *qui arrive à propos, qui vient à son temps, opportun;* Hisp. *el que viene á tiempo, oportuno, tempestivo;* Germ. *zeitgemäss, zeitig, schicklich, passend;* Angl. *done at the proper time or season, seasonable, opportune*): occurrit autem absolute, aut construitur cum Dat., vel Acc. et præp. *ad.* ¶ 1. Dicitur de rebus et est, ut diximus, tempori conveniens, opportunum — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 131. Etesiæ tempestivi et salutares omnibus, quæ oriuntur e terra. *Justin.* 44. 1. 4. Hispania felicibus et tempestivis imbribus in omnia frugum genera fecunda est. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (230). Tempestiva cæsura arborum. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 34. Nondum tempestivo ad navigandum mari, Siciliam adiit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 142. Et tempestivum pueris concedere ludum. *Liv.* 5. 12. *sub fin.* Orationem tempestivam de concordia ordinum, patribus plebique gratam habuit. *Id.* 45. 19. Aggredi aliquem tempestivis temporibus. *in ore proprie.* Sunt qui malint *sermonibus.* et *Ovid.* 5. *Met.* 499. veniet narratibus hora Tempestiva meis. *Stat.* 2. *Theb.* 354. oscula mœstis Tempestiva genis posuit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (54). Apparatus indice tempestivum diem eligentium. *Cic.* 1. *Tusc.* 45. 109. Multa mihi ad mortem tempestiva fuere. *h. e.* multæ causæ ac tempora idonea, quibus mortem obirem. — *Tempestivum est,* opportunum, idoneum tempus est. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (188). Cædi tempestivum quæ decorticentur, quum germinant, alias cortice inextricabili. *Colum.* 1. *R. R.* 8. *sub fin.* Si tempestivum erit, confestim; si minus, postero die fines oculis perlustrare. *se sarà tempo buono.* — *b*) Speciatim, quum de frugibus aliisque fructibus sermo est, *tempestivum* dicimus maturum, percipiendo et utendo aptum, *maturo, fatto, stagionato,* ὡραῖον. *Cato R. R.* 54. Ubi ocymum tempestivum erit, dato primum. *Cic. Senect.* 2. 5. In percipiendis frugibus maturitas tempestiva. *Id.* 2. *Off.* 4. *a med.* Tempestivos fructus ex bestiis capere. *Colum.* 3. *R. R.* 21. *a med.* Nec pariter vetus atque tempestivus fructus præcipitat vindemiam. *Cato R. R.* 31. Materies tum erit tempestiva (*cæsuræ*), quum semen suum maturum erit. *Virg.* 1. *G.* 256. Aut tempestivam silvis evertere pinum. *Gell.* 2. 29. Cassita in sementes forte concesserat tempestiviores, *h. e.* citius solito maturescentes. — *c*) Item *tempestiva convivia,* quæ, nulla dilatione interposita, legitima cenæ hora ineuntur: aut etiam aliquanto maturius, quod solent, qui negotiis carent et orexi laborant et gulæ inserviunt. Eaque sæpe in reprehensione ponuntur. Olim Romani, duri homines et operi rustico dediti, sub occasum solis ex Sabinorum disciplina, cibum sumebant: deinde hora diei decima cenæ dari cœpta et, crescentibus opibus ac luxu, etiam nona aut octava, ut ex *Horat.* 1. *Ep.* 7. 71., *Martial.* 4. 8., *Juvenal.* 1. 49. et aliis constat. Itaque tempestive accumbere dicebantur, qui temporius mensæ assidebant, largius et diutius cibo et poculis lætisque sermonibus operam daturi. *Cic. Senect.* 14. 46. Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus solum, sed cum vestra etiam ætate. (*Cato* senex delectari se dicit tempestivis conviviis, non propter epulas, sed, ut *ibid.* 13. dicitur, propter cœtum amicorum et remissionem animi ex jucundis sermonibus.) *Id.* 9. *Att.* 1. Multa in me et severe in tempestivis conviviis disputantur. et *ibid.* 13. *a med.* Quas eos cenas obire, scripsit ad me Sextus! quam lautas! quam tempestivas! *Id. Arch.* 6. 13. Quis me reprehendat, si quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero? *Id. Mur.* 6. 13. Nemo fere saltat sobrius, neque in convivio moderato atque honesto. tempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema, saltatio. *Sueton. Cal.* 45. *extr.* Senatum objurgavit edicto, quod, Cæsare prœliante et tantis discriminibus objecto, tempestiva convivia, circum et theatra et amœnos secessus celebrarent. V. *Baumgarten* ad *Sueton. loc. cit. Tac.* 11. *Ann.* 37. Tempestivis epulis delinitus, ubi vino incaluit, iri jubet etc. Adde 2. *Hist.* 68., *Cic.* 5. *Verr.* 25. 62., *Senec.* 2. *Ira* 28. *a med., Quintil. Declam.* 9. 10. et *Declam.* 331. *a med. Imppp. Valentinian., Valent. et Gratian. Cod. Theod.* 14. 9. 1., *Apul. De mag.* et *Curt.* 6. 2. 2. *et* 8. 1. 22. — Aliquot in locis, quæ partim recitata, partim indicata sunt, præsertim *Cic. Mur., Sueton.* et *Curt.,* alii leg. *intempestivus,* ut est apud *Manut. de quæs. per epist. par.* 1. 5. Sunt autem qui ita distinguunt, ut *tempestiva convivia* sint, quæ consueto cenandi tempore inchoantur et finiuntur, *intempestiva,* quæ multo ante præveniuntur (ut *Vopisc. Florian. in fin.* loquitur) et in multam noctem producuntur: illa sæpe honesta sint, hæc semper turpia. Verum hæc discrimina et ipsam variantem lectionem tum ex optim. lib. tum ratione rejiciunt alii, *Græv., Gronov., Cellar.* et præcipue *Salmas.* ad *loc.* modo *cit. Vopisci,* ubi disputat contra *Lips. in excursu* A *ad Annal.* 14. *Taciti.* ¶ 2. De personis et quidem de eo, qui opportuno tempore aliquid agit, quod est hominis operosi et recte valentis. *Tac. Dial. de orat.* 14. Num parum, inquit, tempestivus interveni secretum consilium tractantibus? *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 54. (181). Nullis evidentibus causis obiere, dum calciantur matutino, duo Cæsares, Q. Fabius Max., C. Vulcatius Gurges: omnes adeo sani atque tempestivi, ut de progrediendo cogitarent. *Id.* 20. *ibid.* 4. 25. (80). Refrigeratum sub dio dari tempestivis, antecedente vomitione. — Hinc translate, qui idoneus et maturus est ad aliquid peragendum. *Ovid.* 14. *Met.* 584. Tempestivus erat cælo Cythereius heros. *maturo pel cielo.* et *Colum.* 7. *R. R.* 3. Tempestivum gregem iniri. *h. e.* quum est ad pariendum idoneus. *Horat.* 1. *Od.* 23. 12. et 3. *ibid.* 19. 27. puella tempestiva viro. *nubile.* et *Fest.* in *Romam p.* 269. 26. *Müll.* Impulsas captivas auctoritate virginis cujusdam tempestivæ nomine Romes, incendisse classem. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Tempestivo,* adverbiorum more, idem ac tempestive. *Plaut. Truc.* 1. 1. 41. Qui nostræ ætati tempestivo temperint. *Spengel* leg. *tempestive.*

TEMPESTŪŌSUS, a, um, adject. (tempestas) procellosus, θυελλώδης.

I.) Proprie. *Schol. Bern.* ad *Virg.* 1. *G.* 394. Tempestuosum cælum. *Beda De temp. rat. t.* 2. *p.* 107. mensis. *Acron* ad *Horat. Epod.* 10. 10. Orion. *Id. ibid.* 9. 31. Syrtes vento tempestuosæ.

II.) Translate. *Sidon.* 4. *Ep.* 6. Ad tempestuosos hostium incursus trepidare. Adde *Cassiod. Expos.* in *Ps.* 148. 8. *v.* 2. *p.* 1. *Garet. Id. Divin. instit.* 1. Hujus sæculi tempestuosa profunditas. — Absolute, neutr. gen. *Id.* in *Ps.* 148. 8. Qui ex tempestuosis et improbis ad confessionis ipsius gratiam venire meruerunt.

TEMPESTŪS, a, um, adject. (tempus) idem quod tempestivus. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 362. 7. *Müll.* et *Gloss. Isid.*

TEMPESTUS, ūtis. *V.* TEMPESTAS.

TEMPLĀRIS, e, adject. (templum) ad templum pertinens. *Auct. De limit. p.* 295. *Goes.* Fines templares sic quæri debent: ut si in quadrifinio est positum (*templum*) et quattuor possessionibus finem faciet, quattuor aras quæris et ædis quattuor ingressus habet, ideo ut ad sacrificium quisque per agrum suum intraret.

TEMPLĀTIM, adverb. (templum) per templa, ut vicatim, per vicos. *Tertull. Apolog.* 42. *sub fin.* Plus nostra misericordia insumit vicatim, quam vestra religio templatim.

TEMPLUM, i, n. 2. Etiam *templus.* masc. gen. apud *Vulg. interpr. Ital. Marc.* 14, 58. et in *Inscript.* apud *Orelli n.* 4955. et in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 9796. — Templum duo diversa significat.

*A) Templum,* vox est contracta a *tempulum,* quod legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 333. 1. CVRATOR TEMPVLI. *h. e.* templi. et, ut *Georges* putat, deminut. a *tempus;* nisi malis, per epenthesin litteræ *p,* a suo themate verbali factum (*V.* infra) pro *temlum,* ut a *specio speculum.* Cf. EXEMPLUM. — Porro minus placent veterum notationes, ex quibus *Varro* 7. *L. L.* 7. *Müll.* templum a tuendo dici ait, idest ab aspiciendo, quia, qua tuemur, templum est. Sic *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 38. 10. *Müll.* Contemplari dictum est a templo, id est loco, qui ab omni parte aspici vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui templum nominabant. *Isid.* vero minime audiendus, qui 15. *Orig.* 4. 7. *templa* dicta, quasi *tecta ampla,* censet. Recentiores probabilius deducunt a rad. Skr. *tam,* unde Gr. ταμῶ, τέμνω, seco, scindo, et τέμενος, ita ut sit proprie pars seu portio spatii, regionis, agri etc.: aliter, punctum illud, quo duæ lineæ se intersecant ab oriente ad occidentem et a septentrione ad meridiem, et ex quo aliæ ducuntur lineæ. *V.* infra *Isid.* — Templum igitur est sectio, segmentum alicujus rei, vel circuitus vel a toto resectus ac definitus, vel spatium aliquod certum, præcipue auguriis designatum et sacrum, ἱερεῖον (It. *punto o luogo determinato, porzione di spazio, recinto destinato per gli augurii;* Fr. *espace divisé, circonscrit, limité pour les augures;* Hisp. *espacio ó lugar apartado pour los augures;* Germ. *e. abgeschnittener, abgegränzter Raum od. Ort zu den Augurien;* Angl. *place limited, circumscribed for the augury*). *Varro* 7. *L. L.* 6. *Müll.* Templum trifariam dicitur, a natura in cælo, ab auspicio in terris, a similitudine sub terra. Igitur primum templum de cælo dicitur: cujus quattuor partes erant secundum augures, qui spectabant conversi a septentrione in austrum, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. *Id.* apud *Gell.* 14. 7. Non omnes ædes sacræ templa sunt ac ne ædes quidem Vestæ templum. Similiter *Isid. loc. cit.* (*Templi*) partes quattuor erant, antica ad ortum, postica ad occasum, sinistra ad septentrionem, dextra ad meridiem spectans; unde et quando templum construebant, orientem spectabant æquinoctialem, ita ut lineæ, ab ortu ad occidentem missæ, fierent partes cæli dextra atque sinistra æquales, ut qui consuleret ac deprecaretur, rectum aspiceret orientem.

I.) Proprie est spatium, quod certo carmine ab augure lituo finitum et notatum consecratumque esset, unde in omnes cæli partes liber erat aspectus. Sane augures interdum ea, quorum altitudo impediret, quo minus liber quoquoversus aspectus foret, demoliri jubebant: et C. Marius Honoris ædem eo summissiorem fecit, ne, si forte publicis obesset auspiciis, augures eam demoliri juberent. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 92. Templum dicitur locus manu auguris designatus in aere, postquam factum illico captantur auguria. *Varro* 7. *L. L.* 8. *Müll.* Templa tescaque me ita sunto quoad ego casto lingua nuncupavero; olla veter arbor, quisquis est, quam me sentio dixisse, templum tescumque

finito in sinistrum. Cf. *Fest. p.* 157. 24. *Müll. Liv.* 1. 6. *extr.* Palatinum Romulus, Aventinum Remus ad inaugurandum templa capiunt. *Id. ibid.* 18. Tum (*augur*) peregit verbis auspicia, quæ mitti vellet. quibus missis, declaratus rex Numa de templo descendit. *V.* integr. loc. — Hinc *templum facere* et *concipere* apud *Varron. loc.* supra *cit.* dicebantur augures, locum auspiciis captandis designantes: et *effari templa* apud *eumd.* 3. *L. L.* 7. *Müll.* Sic *Cic.* 2. *Legg.* 8. *in fin.* Urbemque, agros et templa liberata et effata habento.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de loci alicujus facie vel prospectu, circuitu, spatio definito, ex. gr. de cælo, de mari, de locis subterraneis etc. — De cælo. *Enn.* apud *Varron. loc. cit.* Contremuit templum magnum Jovis altitonantis. *Id. ibid.* cæli cærula templa. *Ter. Eun.* 3. 5. 42. Qui templa cæli summa sonitu concutit. *Lucret.* 1. 1014. Nec mare nec tellus neque cæli lucida templa. *Id.* 6. 388. cælestia templa. — De mundo. *Cic.* 6. *Rep.* 15. 15. Deus, cujus hoc templum est omne, quod conspicis. — De mari. *Plaut. Mil. glor.* 3. 5. 3. Quæ me in locis Neptuniis templisque turbolentis servavit. Adde *Rud.* 4. 2. 4. — De locis subterraneis. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 21. 48. Acherusia templa alta Orci salvete infera. *Virg.* 6. *Æn.* 41. *de antro Sibyllæ.* vocat alta in templa sacerdos. — De aliis. *Ovid.* 5. *Met.* 278. Parnasia templa. ¶ 2. Speciatim *templum* vocantur Rostra, quod is locus inauguratus erat. *Liv.* 8. 14. Rostraque id templum appellatum. *Id.* 23. 10. Egressus curia in templa consedit. *Cic. Sext.* 29. 62. Templa a collega occupata. ¶ 3. Hinc de loco, circa quem populus vel militum turba coibat ad audiendam imperatoris sui contionem. *Id.* 44. 45. Perseus in contionem processit, sed aliquotiens dicere incipientem quum lacrimæ præpedissent, de templo descendit. *h. e.* de suggestu. Alii aliter interpretantur. ¶ 4. Item de loco, ubi senatus habebatur. Nam in loco per augures consecrato senatum haberi necesse erat, alioquin senatusconsulta non erant justa. Porro senatus habebatur vel in templo simpliciter per augures consecrato, ut in Curia Hostilia vel Pompeja vel Julia, vel in æde alicui deo sacra, ut in æde Jovis, Apollinis, Martis, Bellonæ, Castoris, Concordiæ, Virtutis, Fidei etc. *Cic. Dom.* 51. 131. Curia sedes ac templum publici consilii. Hinc *Mil.* 33. 90. Curia templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici. Cf. *Plaut. Most.* 5. 2. 55. Adde *Liv.* 1. 30. *et* 26. 31. *in fin.* et *ibid.* 33., quibus locis templum de curia dicitur. *et* 2. 1. etiam de asylo. ¶ 5. Similiter de tribunali. *Flor.* 2. 12. 11. Quum in conspectu venisset hostis, in templum recepit et conviviis adhibuit. ¶ 6. Et de schola sive curia collegii. *Inscript.* apud *Orelli n.* 4133. IN TEMPLO COLLEGII FABRVM ET CENTONARIORVM etc. — De *alia* in *Bullett. archeol. Ital. a.* 1861. *p.* 73. IIII. NON. SEPTEMBR. IN CVRIA TEMPLI BASILICAE AVGVSTI ANIANAE SCRIBVNDO ADFVERVNT Q. GRANIVS etc. V. *Minervini.* ¶ 7. Sæpe de ædibus, quæ diis consecratæ erant, *tempio*, ναός. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 94. Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro, sane sanctum apud illos et religiosum. *Martial.* 6. 4. Tot nascentia templa, tot renata. *h. e.* primum dedicata et consecrata. *Varro* 1. *R. R.* 2. 2. Templum (*Telluris*), cujus procuratio ædilis est. *Cic.* 19. *Fam.* 12. Templum Jovis. *Id.* 1. *Divinat.* 2. 4. Junonis Sospitæ. *Id.* 1. *Rep.* 14. 21. Virtutis. *Ammian.* 23. 1. 6. gradile Genii. *Id.* 16. 10. 14. Urbis. *Horat.* 1. *Od.* 2. 16. Vestæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (102). Pacis. *Horat.* 3. *Od.* 6. 2. templa ædesque deorum. *Id.* 2. *Sat.* 2. 104. antiqua deorum. *Inscript.* apud *Orelli n.* 3787. TEMPLVM DIVORVM. *h. e.* Cæsarum. *Horat. loc. cit.* Templa reficere. *Virg.* 3. *G.* 13. de marmore ponere. *Id.* 6. *Æn.* 70. instituere. *Tac.* 15. *Ann.* 54. exstruere. *Id.* 4. *Hist.* 53. sistere. *Virg.* 4. *Æn.* 457. Templum fatidicum. *Inscr.* in *Annal. dell'Istit. archeol. a.* 1858. *p.* 49. novum. *Alia* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 6363. restitutum adjectis porticibus. *Alia ibid. n.* 3075. Templum et aræ. *et n.* 361. et porticus. *et n.* 3066. et signum. *et n.* 5795. cum signo. — Huc pertinet formula *post templum*, et recentius, sc. ab ann. post Chr. CCXVI.. *pos templum*, in diplomatibus. Sic *diploma* Domitiani a. post Chr. XCIII. in *Corp. Inscr. Lat.* 3. *p.* 859. DESCRIPTVM ET RECOGNITVM EX TABVLA AENEA QVAE FIXA EST ROMAE IN MVRO POS TEMPLVM. Adde *alias ibid. a.* 216. *p.* 891., 893. etc. — In templis quum olim carissima deponerentur, publici erant et armati templorum custodes. *Nepos Hannib.* 9. — Apud scriptores Ecclesiasticos dicitur de sacro ædificio sumptuosissimo, a Salomone in urbe Jerusalem erecto ac dein post Chaldæorum vastationem restituto sub Zorobabel et Esdra. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 5. 5., *Matth.* 27. 51. etc. — Et per synecdochen de variis ejus partibus, *sc.* conclavibus, scholis, atriis etc. *Id. Luc.* 2. 46. *et* 19. 45. *et alibi.* — Sic et de ecclesiis seu de ædibus Christianorum sacris. *Venant. Vit. S. Radeg.* 14. Quid egerit circa sancti Martini atria, templa, basilicam flens etc. *Id.* 3. *Carm.* 7. 12. Surgit in his templum, quo placet ara Dei. *Id.* 1. *ibid.* 7. 2. Sacra templa Dei. Adde *Cod. Theod.* 9. 45. 1. — Figurate. *Vulg. interpr. Joh.* 2. 19. Solvite templum hoc. *h. e.* corpus. Cf. *v.* 21. Similiter 1. *Cor.* 3. 16. et *Eph.* 2. 21. *Id. Jer.* 7. 4. Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. *h. e.* templum omnium maximum, sanctissimum. ¶ 8. Hinc etiam ponitur pro sepulcro, seu sacello, in quo monumentum sepulcrale alicujus viri aut mulieris præstantioris, cui cultus fere divinus habetur, ut *Non. p.* 464. 13. *Merc.* observat. *Virg.* 4. *Æn.* 457. Præterea fuit in tectis de marmore templum Conjugis antiqui. *h. e.* Sichæi. *Sil. It.* 1. 81. Urbe fuit media sacrum genetricis Elissæ Manibus et patria Tyriis formidine cultum (*templum*). ¶ 9. Et pro nemore sacro seu luco. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Templum, quod Tanfanæ vocabant. Cf. *Germ.* 40. V. *Bötticher* ad *h. v.* ¶ 10. Item, per metaphoram, transfertur ad alias res. *Lucret.* 5. 104. Mentis templa. (Cf. *Cic. Mil.* 33. 90.) *h. e.* interioris animi secreta. *Id.* 4. 628. Linguæ sudantis templa. *h. e.* pars seu locus.

*B) Templum*, pro *tempulum*, deminut., ut videtur, a *tempus*, qua est pars capitis, *tempia*, in architectura vocantur tigna minora transversim collocata super cantherios, quæ tectum domus sustinent; super hujusmodi tigna asseres deinde compinguntur, qui tegulas superpositas habent, *correnti, pianelle, tempiali, murali. Vitruv.* 4. 2. Supra cantherios templa, deinde insuper sub tegulas asseres. *Id. ibid.* 7. Supra id fastigium columen, cantherii, templa ita sunt collocanda etc. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 367. 14. *Müll.* etiam hujus notionis meminit, quum scripsit, templum dici etiam tignum, quod in ædificiis transversum ponitur.

Homonym. Quomodo differat *templum* ab *æde sacra*, V. sub ÆDES: a *delubro* et *fano*, V. DELUBRUM et FANUM init.

TEMPLUS, i, m. 2. *V.* voc. præc. init.

TEMPŎRĀLIS, e, adject. duo diversa significat.

*A) Temporalis*, a *tempus*, qua significat intervallum seu partem spatii vel motus, est qui ad tempus durat, temporarius, ἐπίκαιρος, ἔγχρονος (It. *che dura sino a certo tempo, temporale*; Fr. *temporaire, qui ne dure qu'un certain temps*; Hisp. *temporáneo*; Germ. *nur e. Zeitlang dauernd*; Angl. *lasting only for a time*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 23. Omne, quod causa temporalis accendit, cito intercidit. *Quintil.* 6. 2. 10. Adjiciunt quidam peritorum, πάθος temporale esse. *Tac. Agric.* 46. Temporales laudes. *Ulp. Dig.* 29. 1. 1. Militibus liberam testamenti factionem Julius Cæsar concessit: sed ea concessio temporalis fuit. *Hermogenian. ibid.* 47. 10. 45. Temporali exsilio coerceri. *Justinian.* 4. *Instit.* 13. *de except.* § 10. Temporales atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent et temporis dilationem tribuunt. In *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 43. *lin.* 16. ARAE TEMPORALES REFECTAE. *h. e.* cæspiticiæ, in quibus non perpetua et stata peragebantur sacrificia, sed quæ extraordinarii tantum sacri causa constituebantur. — *Temporalis accessio* apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 36. 189. est particularis paroxysmus. ¶ 2. Speciatim *temporalis dies* in *Cod. Theod.* 11. 30. 63. *et ibid.* 31. 9. est ultimus spatii et temporis illius, quod ad appellationem exsequendam vel reparandam legibus tribuitur: quo desinente, causa quoque desinit. ¶ 3. Apud Grammaticos *temporalis* est temporis significativus, ut *verbum temporale* apud *Varron.* 9. *L. L.* 95. *et* 108. *Müll.* est, quod tempus significat et per tempora declinatur. *et* 10. *ibid.* 31. *declinatio temporalis.* Sic *temporale nomen* apud *Priscian.* 2. *p.* 581. *Putsch.* est, quod tempus significat, ut *mensis, annus*; et *temporalia adverbia* apud *eumd.* 15. *p.* 117., ut *pridem, nunc, modo.* — *Temporale epithetum* est illud, quod additur nominibus ex rerum tantum adjunctis. *Philargyr.* ad illud *Virg.* 4. *G.* 17. *immitibus nidis*: temporale epithetum est; ideo enim *immitibus*, quia apibus vescantur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Vulgat. interpr. Hebr.* 11. 25. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. ¶ 2. Speciatim de hominibus est mobilis, instabilis. *Id. Matth.* 13. 20. Qui super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit etc. non habet in se radicem, sed est temporalis. Adde *Marc.* 4. 17. Cf. *Eccli.* 27. 12. ¶ 3. *Temporales potestates* sunt, quæ hoc sæculo regunt, sæculares, mundanæ: quibus opponuntur *spirituales* seu divinæ. *Cod. Theod.* 16. 2. 47. (*de episc. eccl.*) § 1. — Hinc

*Temporalia, ium*, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, res temporales, labiles, fluxæ: quibus *spiritualia* et *æterna* opponuntur. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 4. 18. et *Ambros. de Noe et arc.* 30. *in fin.*

*B) Temporalis*, a *tempus*, qua pars capitis, est ad tempora capitis pertinens, *delle tempie. Veget.* 2. *Veterin.* 11. *et* 16. Temporales venæ.

TEMPŎRĀLĬTAS, ātis, f. 3. (temporalis) ratio temporis. *Tertull. Pall.* 1. *a med.* Et si quid præterea condicio vel dignitas vel temporalitas vestit. *occasione di qualche festa o stagione. Id. Resurr. carn.* 60. Donec vita transferatur a temporalitate in æternitatem. Adde *Julian.* apud *Augustin. op. imperf. contra Julian.* 3. 15.

TEMPŎRĀLĬTER, adverb. (temporalis) ad tempus, *temporalmente. Tertull. advers. Jud.* 2. *a med.* Lex temporaliter observata. Adde *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 18. et *Paulin. Nolan. Ep.* 23.

TEMPŎRĀNĔUM, i. *V.* voc. seq.

TEMPŎRĀNĔUS, a, um, adject. (tempus) ¶ 1. Est idem ac tempestivus, *opportuno. Augustin.* 13. *Confess.* 18. *ante med.* Erumpat temporanea lux nostra. *Vulgat. interpr. Deut.* 11. 14. Temporanea pluvia. *Id. Os.* 6. 3. imber. ¶ 2. Est etiam temporalis, ad tempus durans, *temporaneo. Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 18. *Tunc* istud ad principium temporis pertinet, non ad tempus, quia temporaneum motum stabilitas sempiternæ voluntatis includit. — Hinc

*Temporaneum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est id, quod tempestivum est, et dicitur speciatim de imbre auctumnali: cui opponitur *serotinum* seu vernum. *Vulgat. interpr. Jac.* 5. 7. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. *Vulg. Ital.* leg. *temporivum.* V. *Vercellone Var. lect.* in *Deut.* 11. 14. ¶ 2. Pro præcoci, præmaturo. *Id. Is.* 28. 4. Temporaneum ante maturitatem auctumni: quod etc. *h. e.* præcoces ficus, fructus præmaturi, solito citius perfecti. ¶ 3. Est etiam id, quod labile ac fluxum est: cui *æternum* opponitur. *Alcim. Ep.* 15. Salubriter dolor exasperatur in temporaneis, quem salvari cupimus in æternis.

TEMPŎRĀRĬĒ, adverb. (temporarius) idem ac temporaliter. *Salvian.* 5. *Gubern. D.* 8. *a med.*

Hoc enim pacto aliquid parentibus temporarie attribuitur, ut in futuro totum filiis auferatur. Adde 7. *ibid.* 22.

TEMPŎRĀRĬUS, a, um, adject. (tempus) ¶ 1. Est idem quod temporalis, ad tempus durans, *che dura sino a certo tempo, temporaneo,* ἔγχρονος: cui *perpetuus* opponitur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (114). Fecit in ædilitate sua opus maximum non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione. *Id.* 34. *ibid.* 7. 17. (36). Temporarium theatrum. *Id.* 18. *ibid.* 26. 66. (249). Cuculus ales temporarius. *scil.* quia æstate tantum apparet, *uccello di passaggio.* et 11. *ibid.* 38. 90. (223). Sanguis solus in corpore temporarium sentit incrementum. *da un'ora all'altra.* et *Plin. alter* 6. *Ep.* 13. *sub fin.* Nonnulli, quorum temporaria gravitas vel potius gravitatis imitatio ridebatur. *Quintil.* 5. 10. *ante med.* Ira temporarius animi motus. ¶ 2. Est etiam temporibus serviens, mutabilis. *Nepos Att.* 11. Illius liberalitatem neque temporariam neque callidam fuisse. *Seneca Ep.* 90. *ante med.* Hæ sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. *h. e.* temporibus accommodatas eisque mutatis desinentes. *Curt.* 4. 5. *ante med.* Ut sunt Græcorum temporaria ingenia. *h. e.* pro temporum ratione mutabilia. — Hinc

*Temporarium, ii,* n. 2. absolute, id quod temporale est. *Plin. Paneg.* 91. *sub fin.* Non ergo temporarium et subitum est, quod etc. — In plur. num. *temporaria,* quibus *æterna* opponuntur, apud *Chalcid. Tim.* 701.

TEMPŎRĀTIM, adverb. (tempus) pro temporum ratione, per tempora. *Tertull. Pall.* 2. Terra temporatim vestiri amans. *secondo le stagioni.* et *Anim.* 28. Moses decursus generis humani ab exordio mundi quosque per singulas nativitates nominatim temporatimque digessit. *fissandone gli anni.*

TEMPŎRĀTUS, a, um, particip. *V.* TEMPORO.

TEMPŎRI et

TEMPŎRĬUS. *V.* TEMPUS.

TEMPŎRĪVUS. *V.* TEMPORANEUS.

TEMPŎRO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Temporatus* et *Temporandus.* — Temporo est idem ac tempero. *Tertull. Resurr. carn.* 61. Accepisti dentes ad pulsus linguæ temporandos. *Alii rectius leg.* temperandos. *Gloss. Lat. Gr.* Temporatum, εὔκρατον.

TEMPTO cum deriv. *V.* TENTO.

TEMPTOR *et* temtor, ōris, m. 3. (temno) qui temnit, contemptor, *sprezzatore. Seneca Agam.* 605. perrumpet omne Servitium temtor levium deorum. Alii plerique leg. *Solus contemptor,* nempe ex illo *Virg.* 7. *Æn.* 648. *contemptor divum.*

TEMPŬLUM. *V.* TEMPLUM init.

TEMPUS, ŏris, n. 3. tria diversa significat.

*A) Tempus,* pro quo et *tenpus* scribitur in nummo Gallieni apud *Cohen Med. Imper.* IV. 413. *n.* 519. *et seq.;* quodque in genet. etiam *temperis* pro *temporis* declinatum esse, ut *pigneris* pro *pignoris,* patet ex voc. *temperi,* de qua *V.* infra: derivatur a Skr. *tam* vel *tem,* seco, divido, cum epenthesi litteræ *p.* (Cf. TEMPLUM init.); non autem ab eo, quod vult *Varro loc. cit.* sub I. 2. et *Comment. Einsidl.* in *Donat. p.* 256. 17. *Hag.;* et proprie est pars ævi, puta diei, anni etc.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, pars ævi. — *a*) Dicitur de parte diei, *ora. Ter. Heaut.* 1. 2. *in fin.* Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius. *h. e.* ut hora est diei. Adde 1. 1. 116. *Nepos Pelop.* 2. *extr.* Domum Charonis devenerunt; a quo et tempus et dies erat datus. *l'ora e 'l giorno.* et *Cic.* 7. *Fam.* 1. Matutina tempora lectiunculis consumere. *Id.* 1. *Orat.* 7. 26. Extremum tempus diei. *Id.* 1. *Legg.* 3. 9. Subsiciva quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior. — *b*) De parte anni seu tempestate, *stagione. Lucret.* 2. 33. anni Tempora conspergunt viridantes floribus herbas. *Cæs.* 1. *B. G.* 54. Maturius, quam tempus anni postulabat, exercitum in hiberna deduxit. *Sall. fragm. Hist.* 1. 45. Tempore anni mare classibus patefactum. Cf. *Jug.* 50. *Auct. B. Alex.* 43. Hiberno anni tempore. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. Circa Ennam sunt lectissimi flores omni anni tempore. *in ogni stagione.* — Hinc in nummo Annii Veri Cæsaris M. Aurelii Antonini Aug. filii, de quo agit *Eckhel D. N. V. T.* 7. *p.* 83., videre est quattuor pueros, quorum prior canistrum floribus oppletum capite ferens, ver denotat; alter cum falce et spicis æstatem; tertius cum fructibus ac lepore auctumnum; quartus ramum querneum dextra, sinistra vero avem aquaticam tenens, hiemem exprimit: tres priores nudi sunt, ultimus veste tectus: sub his legitur *Temporum felicitas.* Similes figuræ visuntur insculptæ in pluribus monumentis sepulcralibus. V. *Zoeg. Bassi-ril. T.* 2. *p.* 222. et *Annali dell'Istit. archeol. a.* 1861. *p.* 204. *et seqq. Comment. Einsidl.* in *Donat. p.* 256. 18. *Hag.* Sunt anni quattuor tempora, quæ invicem inter se moderantur, æstas calida et hiems frigida moderantur ver et auctumnum. — *Temporum annales partes,* anni tempora, apud *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. 138. ¶ 2. Latiore sensu est intervallum, quo aliquod corpus movetur aut aliquid fit, vel, ut ajunt philosophi, mensura motus secundum prius et posterius (*Arist. Phys. l.* 4.), χρόνος (It. *tempo;* Fr. *temps;* Hisp. *tiempo;* Germ. *die Zeit;* Angl. *time*). — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Varro* 6. *L. L.* 3. *Müll.* Tempus esse dicunt intervallum mundi et motus. id divisum in partes aliquot, maxime ab solis et lunæ cursu. Itaque ab eorum tenore temperato tempus dictum. *Cic.* 1. *Invent.* 26. 39. Tempus autem est id, quo nunc utimur (nam ipsum quidem generaliter definire difficile est) pars quædam æternitatis cum alicujus annui, menstrui, diurni nocturnive spatii certa significatione. *Id. Tim.* 9. *ad fin.* Hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos. *Augustin.* 11. *Confess.* 14. Quid est tempus? Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio: fidenter tamen dico scire me, quod si nihil præteriret, non esset præteritum tempus, et si nihil adveniret, non esset futurum tempus, et si nihil esset, non esset præsens tempus. Duo ergo illa tempora, præteritum et futurum, quomodo sunt, quando et præteritum jam non est et futurum nondum est? Præsens autem si semper esset præsens, jam non esset tempus sed æternitas. *et ibid.* 23. Video tempus esse quamdam distensionem. *et ibid.* 24. Jubes ut approbem, si quis dicat, tempus esse motum corporis? Non jubes. nam corpus nullum nisi in tempore moveri audio. *V.* integr. loc. *Cic. Mur.* 34. *ad fin.* Quod enim fuit tempus aut nostra aut patrum memoria, quo hæc ambitio non fuerit? *Id. Mil.* 26. 69. Erit illud profecto tempus et illucescet aliquando ille dies, quum etc. *Ovid. Ib.* 136. Leniat aut odium tempus et hora meum. *Cic. ad Quirit.* 9. *ad fin.* Neque æquum est tempore et die memoriam beneficii definire. *Id. Quinct.* 1. 4. Diligentia quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intelligi non potest. Sic *Ter. Hecyr.* 3. 3. 14. Neque ut celari posset, tempus spatium ullum dabat. *Cic.* 2. *Divinat.* 45. 95. Quid? quod uno et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas et vitas et casus habent. *Virg.* 6. *Æn.* 745. Orbis temporis. *Ammian.* 17. 13. 12. Temporis intervallo decurso. *Id.* 14. 4. 1. (et *Virg. Cat.* 12. 10.). Momentum temporis. *Id. ibid.* 1. 2. (et *Pallad. De insit.* 165.) Processus temporis. *Sall. Jug.* 37. Sævitia temporis *Nepos Them.* 4. Tempus longinquum. *Auct. Philom. v.* 6. *p.* 390. *Wernsd.* matutinale. *Rutil. Lup. De fig.* 1. 7. summum periculi. Cf. *Cic.* 5. *Phil.* 17. 46. *et* 3. *Off.* 24. 93. *et* 3. *Legg.* 19. 43., *Catull.* 63. 151. et *Horat.* 2. *Od.* 7. 1. *Inscript.* apud *Orelli n.* 4637. Maritus parvi temporis. *Virg.* 10. *Æn.* 467. Tempus vitæ breve et irreparabile. *Id.* 2. *ibid.* 324. Tempus ineluctabile. *Id.* 4. *ibid.* 433. inane. *Id.* 9. *ibid.* 295. longum. *Id.* 10. *ibid.* 11. justum. *Id. Cir.* 35. sollemne. *Ovid.* 6. *Fast.* 771. Tempora labuntur tacitisque senescimus annis. *Calpurn. Ecl.* 12. 32. Omnia tempus alit. tempus rapit: usus in arto est. *Maximian. Eleg.* 1. 9. Cuncta trahit secum vertitque volubile tempus. *Capell.* 2. *p.* 25. Tempus tribus vicibus variatur. *Tertull. Apolog.* 7. *in fin.* Tempus omnia revelat, testibus vestris proverbiis. *Liv.* 25. 2. Tempus appetit. *s'appressa.* et *Virg.* 1. *G.* 493. veniet. *Id.* 7. *Æn.* 511. Tempus nancisci. *et* 11. *ibid.* 471. arripere. *et ibid.* 783. capere. *et* 3. *Ecl.* 42. habere. *Maximian. Eleg.* 3. 25. captare. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. conferre ad aliquid. *mettere, occupare.* et 13. *Phil.* 11. 24. consumere. *Id.* 5. *Phil.* 11. 30. et *Liv.* 1. 57. *et* 26. 19. terere. *Ovid.* 1. *Art. am.* 503. perdere. *Alii rectius leg.* pendere. *Virg.* 12. *Æn.* 96. adesse. *Id.* 3. *G.* 284. fugere. *Sall. Jug.* 1. diffluere. *Id. ibid.* 83. procedere. *Id. ibid.* 36. dilabi. *Id. ibid.* 1. deesse. *Id. ibid.* 27. (et *Virg.* 6. *Æn.* 537.) trahere. *Id. ibid.* 6. agere. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 32. intermittere. *Sall. Jug.* 12. decernere. *et ibid.* 113. constituere. *et ibid.* 108. deligere. *et ibid.* 55. quærere. *et ibid.* 21. antecapere. *et ibid.* 61. concedere luxuriæ. *et ibid.* 44. imminuere. *Cic. Mur.* 35. 74. dispertire. Sic *Liv.* 21. 4. discriminare. *et Tac. Agric.* 9. dividere. *Quintil.* in *epist. ad Tryphon.* dare. *h. e.* impendere, insumere. Sic *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 50. dare tempora studiis. — *b*) Cum Genetivo nominis vel gerundii. *Cic.* 13. *Phil.* 11. 1. Tempus ætatis. *Sall. Jug.* 44. æstivorum. *Liv.* 25. 2. comitiorum. *Cic.* 2. *Fam.* 7. reipublicæ. *Tac.* 15. *Ann.* 39. flagrantis urbis. *Id.* 2. *Hist.* 10. Neronis. *Ovid.* 2. *Fast.* 52. noctis. (Sic *Sympos. p.* 505. *v.* 6. *Wernsd.* primo de tempore noctis. *h. e.* vespera.) *Spartian. Hadrian.* 3. pluviæ. *Cic.* 3. *Fam.* 10. *ante med.* Suspicio, de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi; purgandi autem mei necessarium. *Id.* 2. *Divinat.* 45. *sub fin.* Tempus nascendi, *Cæs.* 2. *B. G.* 19. *a med.* committendi prœlii. — *c*) Cum adject. demonstrativis vel relativis aut quantitatis vel spatii. *Sall. Jug.* 100. Illoque aliisque temporibus. *Id. ibid.* 85. Eodem tempore. *Justin.* 43. 3. 3. Per ea tempora. *Ammian.* 16. 11. 12. In id temporis. *Liv.* 2. 5. Inter omne tempus. *Ovid.* 12. *Met.* 512. parvoque in tempore nudus Arboris Othrys erat. *in breve.* et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 37. (81). Cum ceteris congregari per annos novem. quo in tempore si etc. *Catull.* 66. 35. is aut in tempore longo Captam Asiam Ægypti finibus addiderat. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Ad hoc tempus. *finora.* et *Cic.* 1. *Cat.* 9. 22. In tempus præsens. *per ora.* et 1. *Att.* 4. Venias ad id tempus. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Qui eo tempore principatum in civitate sua obtinebat. *Cic.* 1. *Off.* 2. 4. Quum statuissem aliquid hoc tempore ad te scribere. *Id.* 3. *Fam.* 4. *a med.* Te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie pluris feci. *et* 5. *ibid.* 17. Superioribus temporibus ad te nullas litteras misi. *Id. Brut.* 83. 286. Duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se. *Id.* 1. *Cat.* 4. *extr.* Quos ad me id temporis venturos esse prædixeram. Sic *Auct. B. Hisp.* 3. Id temporis Sex. Pompejus frater, qui præsidio Cordubam tenebat. *et mox.* Invidit idem temporis ut etc. *et* 12. Idem temporis capti etc. — *Omni tempore,* semper, *in ogni tempo, sempre. Cæs.* 1. *B. G.* 11. Ita se omni tempore de populo R. meritos esse, ut etc. *Cic.* 14. *Phil.* 7. *sub fin.* Qui omni tempore veræ pacis auctor fuissem. *Propert.* 2. 17. 19. Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum. Sive ægra pariter sive valente sumus. — *Lucret.* addit præposit. 1. 26. quem tu, dea, tempore in omni Omnibus ornatum voluisti excellere rebus. — *In omne tempus,* vel absolute, *omne tempus,* omni tempore, in perpetuum. *per sempre, in perpetuo. Ovid.* 3. *Amor.* 2. 62. Te dominam nobis tempus in omne peti. *per tutta la vita.* et *Cic.* 5. *Fam.* 15. Amor tuus gratus et optatus: dicerem jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. *Id. ibid.* 7. Si id egissemus, omne tempus una fuissemus. — d) Cum Infinito. *Plaut. Men.* 3. 3. 29. datur mihi occasio Tempusque abire ab his locis. Sic *Horat.* 2. *Ep.* 2. 215. Tempus abire tibi est. *Cic.* 2. *Orat.* 42. *sub fin.* (et *Top.* 1. *extr.*)

Tempus esset jam de ordine argumentorum aliquid dicere. Nepos Hannib. 13. Tempus est hujus libri facere finem. Virg. 5. Æn. 638. Jam tempus agi res. Cf. Liv. 21. 54. Ammian. 17. 7. etc. Liv. 4. 51. Aptissimum tempus fuerat, Bolani agri divisionem objici. Madvig Emend. Liv. p. 126. conjecit *aptissimum ad tempus* etc. De hac infiniti ratione V. Kritz ad Sall. Cat. 30. et Maixner De infin. usu dissert. — ε) Cum particula *ut, quum,* et Conjunctivo. Apul. 8. Met. Jam tempus est, uti isto gladio viam quæram. Ter. Heaut. 5. 3. 22. Si umquam ullum fuit tempus, mater, quum ego voluptati tibi fuerim. Adde Varron. 3. R. R. 1., Cic. Mil. 26. 69. et Virg. 10. Æn. 503. — Cum Indicativo. Cic. 1. Invent. 2. 2. Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum more vagabantur. — 2.°) Speciatim *tempus* diversa significat pro diverso casu et præpositione, cui adnectitur. — a) In Ablativo. — α) *Tempore* et *in tempore*, tempori, ad tempus, tempestive, opportune, *a tempo, a suo tempo*. Phædr. 3. epil. Qui sint, requires. apparebunt tempore. Cic. 7. Fam. 18. Multa, mihi crede, assequere. ego enim renovabo commendationem, sed tempore. Ovid. Heroid. 4. 109. Tempore abest aberitque diu Neptunius heros. Id. Remed. am. 131. Temporis ars medicina fere est. data tempore prosunt Et data non apto tempore vina nocent. Plin. 18. Hist. nat. 6. 8. (44). Suo quæque tempore facienda. Ter. Heaut. 2. 3. 123. In tempore ad eam veni. Id. Andr. 3. 2. in fin. Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam. Liv. 33. 5. Nisi pedites equitesque in tempore subvenissent. Tac. 1. Ann. 58. Puer quo ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo. — *Tempore* significat etiam longo aliquo tempore, *col tempo*. Ovid. 4. Trist. 6. 1. Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri: etc. Tempore paret equus lentis animosus habenis: etc. Tempore Pœnorum compescitur ira leonum. — Et etiam adhibetur pro repente. Propert. 4. 11. 66. Consule quo facto tempore rapta soror. h. e. immatura. V. Hertzberg ad h. l. — β) *De tempore*, mature, tempori, *per tempo*. Auct. B. Hisp. 33. ad fin. Ipse de tempore cenavit, resinam et nardum identidem sibi infudit. — γ) *Ex tempore*, extemplo, statim, illico, *sul fatto, stando in due piedi, immediatamente*. Cic. 3. Orat. 50. 194. Versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore. Adde Arch. 8. 18. — Item pro re nata, ut tempus exigit. Id. 12. Fam. 19. ad fin. Sed melius ex re et ex tempore constitues. Id. 2. Off. 9. a med. Expedire rem et consilium ex tempore capere. — Item pro ex præsenti tempore. Id. 10. Att. 1. Ex tempore futura censes. — δ) *Pro tempore*, ut tempus fert aut permittit. Sall. Jug. 53. in fin. Pauca pro tempore milites hortatus, aciem in planum deducit. Cæs. 5. B. G. 8. Ut quæ in Gallia gererentur, cognosceret et consilium pro tempore et pro re caperet. Adde Ovid. 4. Trist. 2. 23. — ε) *Meo tempore*, quum mihi commodum est, *a mio grand' agio*. M. Aurel. inter Fronton. de fer. Als. 4. Dictatis his, legi litteras Alsienses meo tempore, mi magister, quum alii cenarent, ego cubarem tenui cibo contentus hora noctis secunda. — b) In Accusativo. — α) *Ad tempus*, est commode, opportune, in tempore, ad constitutum tempus, *a tempo*. Cic. Cœl. 7. a med. Dum illi placere vultis, ad tempus ei mendacium vestrum accommodavistis. Id. 13. Att. 45. Ut Puteolos excurrere possem et ad tempus redire. Liv. 38. 25. Quo quum consul ad tempus cum præsidio venisset etc. — Item e re nata. Plaut. ad Cic. 10. Fam. 9. sub fin. Si itineri meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Cic. 1. Off. 8. sub fin. Permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat injuria. *e nasce sul fatto*. — Item ad aliquod tempus. Liv. 28. 42. Dux tumultuarius L. Marcius et militari suffragio ad tempus lectus. Cic. Amic. 20. Coluntur simulationes (quos metuimus) dumtaxat ad tempus. — β) *Ad hoc tempus*, usque adhuc, *sino ad ora, sino al presente*. Cæs. 2. B. G. 17. Nervii quum equitatu nihil possent. neque enim ad hoc tempus ei rei student etc. — γ) *In tempus*, ad aliquod tempus. Tac. 14. Ann. 20. Pompejum incusatum a senioribus, quod mansuram theatri sedem posuisset. nam antea subitariis gradibus et scæna in tempus structa ludos edi solitos. — δ) *Per tempus*, in tempore, *a tempo*. Plaut. Men. 1. 2. 30. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quam advenis. Id. Truc. 1. 2. 84. Per tempus subvenisti mihi. — Contrarium est *post tempus*. Id. Capt. 4. 2. 90. Abi stultus: post tempus venis. *tardi*. et M. Aurel. inter Fronton. ad M. Cæs. 5. 41. Post tempus te videre cupiebam. *da gran tempo*. — ε) *Sub tempus*, paullo ante tempus, circiter tempus. Liv. 1. 35. Sub tempus pueros venatum ablegavit. *pro sub id tempus*. Id. ibid. 22. Sub idem tempus legati missi.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Ovid. Heroid. 4. 25. Ars fit, ubi a teneris crimen condiscitur annis: Quæ venit, exacto tempore, pejus amat. *quand' è passata la stagione*. ¶ 2. Speciatim ponitur pro opportunitate, occasione, *opportunità*. — a) Absolute. Cic. 7. Phil. 9. in fin. Tempus habes tale, quale nemo habuit umquam. Vellej. 2. 21. 2. Insidiari temporibus. Virg. 4. Ecl. 48. Aggredere o magnos (aderit jam tempus) honores. Adde 12. Æn. 96. Sic Sil. It. 11. 194. nunc hora, viri, nunc tempus. adeste. — b) Cum Genet. Liv. 1. 47. Tempus agendæ rei. Sic Nepos Alcib. 8. extr. Tempus rei gerendæ non dimisit. et ibid. 5. Tempus ejus interficiendi quærere instituerunt. Cf. I. 2. 1.° b. — c) Cum Acc. et præp. *ad*. Liv. 30. 4. Scipio ad comparanda ea tempus habuit. — d) Cum Infinito vel cum Conjunctivo et partic. *ut*. Liv. 6. 18. a med. Tempus est etiam majora conari. Plaut. Mil. glor. 4. 3. 8. tempus maxime esse, ut domum eat. Cf. I. 2. 1.° d. ¶ 3. Item res ipsæ et causæ et negotia, calamitates, discrimina, eventus, *temporis* appellatione significantur. Cic. 7. Verr. 1. 1. Provinciam Siciliam dubiis formidolosisque temporibus a belli periculis tutam esse servatam. Id. 2. Fam. 18. a med. Tempora reipubl. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Id. pro leg. Manil. 1. 1. Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. *ai bisogni*. et Planc. 32. 79. Non solum quid cuique debeam, sed etiam quid cujusque intersit et quid a me cujusque tempus poscat. Id. Quinct. 1. 1. Quæ res in civitate duo plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore. *in questa causa*. et Cluent. 50. 138. Quasi ego potuerim illud, quod tam populare esset, in illo tempore præterire. *in quella congiuntura*. et Nepos Milt. 5. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit. Liv. 30. 37. Indignatus, dici ea in tali tempore audirique. Lucret. 1. 93. Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat. Cic. Cluent. 50. 139. Omnes ille orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum et patronorum. Id. 1. Fam. 7. Tempus Caninianum. Nepos Pelop. 4. turbidum. Cic. 4. Fam. 9. Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. et 1. ibid. 5. Ejusmodi tempora post tuam profectionem consecuta sunt, ut meam erga te fidem absens experirere. Id. ibid. 9. Scripsi libros tres de temporibus meis. Id. 1. Off. 10. 31. Incidunt sæpe tempora, quum ea, quæ videntur digna justo homine, commutantur fiuntque contraria. Id. 10. Att. 7. Servire tempori. Sic Nepos Alcib. 7. Temporibus inservire. Curt. 5. 3. 4. Haud sane temporum homo. Cf. Incert. Eleg. v. 3. p. 170. Wernsd. Tempora dispensant usus et tempora cultus. Adde Ovid. Ib. 84. Id. 1. Trist. 9. 5. Tempora si fuerint nubila, solus eris. Vulg. interpr. Ps. 30. 16. Et erit tempus eorum in sæcula. h. e. supplicium. — Huc spectat formula *in illo tempore*, ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, apud Ecclesiasticos scriptores, de tempore non definito, *allora, in quell' occasione o circostanza o congiuntura*. Id. Matth. 11. 25. In illo tempore respondens Jesus dixit etc. V. Cavedoni in Lex. evang. ad h. v. ¶ 4. In re grammatica. — a) Est inflexio verborum, qua præteritum, præsens et futurum significatur. Varro 8. L. L. 20. Müll. In verborum genere quæ tempora adsignificant, quod ea erant tria, præteritum, præsens, futurum, declinatio facienda fuit triplex, ut saluto, salutabam, salutabo. Adde 9. ibid. 32. etc. et Quintil. 1. 5. 47. Comment. Einsidl. in Donat. p. 256. 17. Hag. Tempora verbis accidunt tria. Cf. ibid. 23. Præsens tempus a philosophis instans vocatur eo quod non stat. et 26. Futurum tempus similiter imperfectum et incertum est. et mox. Præteritum vero tempus perfectum et certum est; præterita enim res perfecta est. — b) Item quantitas syllabæ longæ vel brevis. Cic. Orat. 57. 194. Trochæus temporibus et intervallis est par iambo. Adde Horat. 1. Sat. 4. 58. — c) Item numerus, rhythmus, minima mora ac particula temporis, quæ fit inter loquendum vel legendum. Quintil. 9. 4. ante med. Neque enim hiare semper vocalibus aut destitui temporibus volunt, sermo et epistola. Id. 11. 3. ad fin. Nec in loquendo distinctionibus, temporibus, affectionibus moleste utemur. *pause, sospensioni della voce*. ¶ 5. In re musica. Id. 1. 12. sub init. An vero citharœdi non simul et memoriæ et sono vocis et pluribus flexibus serviunt, quum interim alios nervos dextra percutiunt, alios læva trahunt, continent, probant; ne pes quidem otiosus certam legem temporum servat? ¶ 6. Ponitur et pro plaga cœli. Varro 2. R. R. 2. ante med. Stabula spectent magis ad orientem, quam ad meridianum tempus. ¶ 7. *Tempora* sunt etiam feminarum menstruum, apud Marcell. Empir. c. 36. p. 140. retro in fin. — Hinc

*Tempori* et, veterum more, *temperi* vel *tempere* (de quo V. Buecheler Rhein. Mus. 15. 444.), adverbialiter usurpatur; unde Comp. *Temporius* vel, sæpius, *Temperius* (de quo V. Ritschl in Sueton. Vit. et Ter. Comment. p. 507. sqq. ed. Reiff. et Georges Lex. Lat. Wortf. ad h. v.). — Tempori est suo tempore, idoneo tempore, mature, *a tempo, a suo tempo, in tempo, a buon' ora*, ἐν καιρῷ, κατὰ καιρόν. Titin. apud Non. p. 369. 22. Merc. Date pensam lanam. qui non reddet tempori Putatam recte, facite ut multetur malo. Ribbeck temperi. Cato R. R. 2. Rogat, satisne temperi opera sient confecta. et ibid. 3. Ex quavis olea oleum bonum fieri potest, si tempori facies. Plaut. Men. 3. 1. 17. Edepol venio advorsum temperi. Id. Rud. 4. 2. 16. Vigilare oportet hominem, qui vult sua tempori conficere officia. h. e. mature. Id. Pseud. 1. 3. 153. Cedo mihi, quid es facturus? PSEUD. tempori ego faxo scies. Colum. 8, R. R. – Ut propter cibi spem temporius ad officinam redeant. Ovid. 4. Met. 197. de sole. modo surgis Eoo Temperius cælo, modo serius incidis undis. Alii leg. temporius. Cic. 9. Fam. 16. ad fin. Memini, te mihi Phamea cenam narrare. temperius fiat: cetera eodem modo. — Faceta ironia est in illo Plauti Aulul. 3. 3. 5. Coquite, facite, festinate nunc jam, quantum lubet. CONGR. Temperi: postquam implevisti fustibus istorum caput. Adde Cas. 2. 6. 59. et Men. 5. 4. 30.

B) *Tempus*, pro quo in veterib. Gloss. legi *timpus*, testatur Dausqu. in Orthogr.: et in plur. num. *timpora* apud Virg. in quodam MS. vidisse se affirmat Ciofanus et apud Coripp. 4. Johann. 754. et alibi scriptum fuisse fatetur O. Mazzucchellius, qui hoc poema Corippi primus edidit: est autem tempus pars capitis utrinque inter oculos et aures, κρόταφος (It. *tempia*; Fr. *tempe*; Hisp. *sien*; Germ. *der Schlaf*; Angl. *the temple*): adhibetur autem sæpius in num. plurali.

I.) Proprie. Cic. 4. Herenn. 55. 68. Contorquet brachium et Graccho percutit tempus. Vitruv. 9. 6. a med. Pes ingeniculati ad id fulcitur capitis tempus Serpentis, qui est inter Arctos implicatus. et paullo post. Contra rostrum et capitis tempus dexterum. Flor. 4. 12. a med. Recreatus ex vulnere in tempus. Virg. 9. Æn.

418. it hasta Tago per tempus utrumque. *Sil. It.* 12. 414. per geminum transcurrit tempus arundo. *Stat.* 10. *Theb.* 110. fusos a tempore lævo Sustentat crines. — In plur. num. *Cels.* 8. 1. Duæ suturæ super aures tempora a superiore capitis parte discernunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (54). Allium medetur temporum doloribus illitum elixum. *Virg.* 5. *Æn.* 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Horat.* 1. *Od.* 7. 23. Tempora populea fertur vinxisse corona. *Tibull.* 2. 2. 7. puro destillent tempora nardo. *Virg.* 10. *Æn.* 890. et inter Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam. *Lucan.* 3. 711. solido fregit cava tempora plumbo. *Martial.* 10. 83. Et latum nitidæ, Marine, calve Campum temporibus tegis comatis.

II.) Translate. ¶ 1. Est, per synecdochen, ipsum caput. *Catull.* 61. 161. tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus annuit. *Propert.* 4. 9. 15. jacuit pulsus tria tempora ramo Cacus. *h. e.* tria capita; triceps enim fuit. Sic *ibid.* 10. Per tria partitos qui dabat ora focos. ¶ 2. Dicitur etiam de vultu et facie. *Id.* 2. 14. 27. si cæruleo quædam sua tempora fuco Tinxerit. *et ibid.* 18. 83. Cui non his verbis aspergat tempora surdo Aut pudor ingenuus aut reticendus amor?

C) *Tempus* est idem ac temperamentum, ut *tempora ferri* apud *Manil.* 2. 780. V. *Jacob* in Ind. *Manil.* ad *h. v.*

TEMPUSCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* tempus, parvum tempus, *tempo breve. Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 4. 9. Multos versus minimo tempusculo dictaret.

TĒMŬLENTER, adverb. ab adject. *temulentus*; unde Sup. *Temulentissime* II. — Temulenter est ebrie, *da ubbriaco*, μεμεθυσμένως.

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 8. *ad fin.* Jam nunc Gangeticas et Ægyptias aves temulenter eructant. *nell'ubbriachezza.*

II.) Translate. *Cassiod.* in *Ps.* 68. *v.* 13. *extr.* De nece homini temulentissime garriebant. *h. e.* more ebriorum.

TĒMŬLENTĬA, æ, f. 1. (temulentus) ebrietas, μέθυσμα (It. *ubbriachezza*; Fr. *ivresse*; Hisp. *embriaguez*; Germ. *die Trunkenheit*; Angl. *drunkenness*).

I.) Proprie. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (90). Cato scribit, ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, unde et temulentia appellata. *Novius* apud *Fest.* in *Temetum p.* 364. 2. *Müll.* Agite, exite temulentiamque tollite. Alii rectius leg. *temulentum.* et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. *a med.* Siquidem temulentiam sola non facit. *et ibid.* 22. 28. (140). Quasi per se parum doceat libidines temulentia. Adde *Val. Max.* 2. 5. *n.* 4.

II.) Translate. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 4. *n.* 18. *extr.* Verborum sobrietate temulentiam loquacitatis evitans.

TĒMŬLENTUS, a, um, adject. (temetum *ab inusit.* temum) Prior longa corripitur a *Prudent. loc. cit.* — Comp. *Temulentior* I. *a.* — Temulentus est vinolentus, ebriosus, μέθυσος (It. *ubbriaco*; Fr. *ivre*; Hisp. *embriagado*; Germ. *trunken, betrunken*; Angl. *drunk, tipsy*): et dicitur tum de personis tum de rebus.

I.) Proprie. — *a*) De personis. *Ter. Andr.* 1. 4. 2. sane pol illa temulenta 'st mulier. *Id. Eun.* 4. 3. 13. Temulenta es. *Cic. Sext.* 9. 20. Qui non modo tempestatem tueri impendentem temulentus, sed ne lucem quidem insolitam posset. Adde *Liv.* 9. 17. *et* 33. 28. *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 135. *de Baccho.* Hoc circumsaltante choro, temulentus adulter etc. *Alii leg.* merulentus. *Fronto Princ. hist. p.* 318. Milites de meridie somnicolosi ac temulenti. Adde *Curt.* 5. 7. 5. *et* 9. 7. 17. Cf. *Nov.* apud *Fest.* in voc. præc. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. *ante med.* Putidior, temulentior. — *b*) De rebus. *M. Cœl.* apud *Quintil.* 4. 2. 123. Ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordiis stertentem. *Cic. post redit. in Senat.* 6. 13. Vini, somni, stupri plenus, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta. *Capell.* 9. *p.* 314. Temulenta perturbatio. *Tac.* 2. *Hist.* 68. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinæ et castris propiora.

II.) Translate. *Apul.* 5. *Met.* Videt capitis aurei genialem cæsariem ambrosia temulentam. *molle e stillante:* saturam et madentem. *Minuc. Fel.* 5. 13. Temulenta vindemia. *h. e.* musto vel succo abundans. — Hinc

*Temulentus, i,* m. 2. absolute. *Vulgat. interpr. Prov.* 26. 9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti etc. Adde *Senec. Ep.* 47.

TEMUNCULUS, i, m. 2. *deminut. a* temo, parvus temo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 181. Temo, temunculus.

TEN. *V.* TU.

TĔNĀCĬA, æ, f. 1. (tenax) perseverantia aut duritia. *Enn.* apud *Non. p.* 407. 23. *Merc. de equo.* Cujus tenacia infrenari minis nequit. *V.* THESAUROCHRYSONICOCHRYSIDES.

TĔNĀCĬTAS, ātis, f. 3. (tenax) firmitas et perseverantia aliquid retinendi, γλισχρότης (It. *tenacità*; Fr. *force avec laquelle on tient ou retient, ténacité*; Hisp. *fuerza de tener ó detener, tenacidad*; Germ. *das Festhalten*; Angl. *the power of holding fast, tenacity*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. *ad fin.* Cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (86).

II.) Translate. ¶ 1. Est constantia et firmitas animi. *Vulg. interpr. Ital. Act.* 26. 7. Tenacitate nocte ac die deservientes. *Hieronym. Ep.* 10. *n.* 2. Memoriæ tenacitas. *fedeltà o ritentiva.* Adde *Chalcid. Tim.* 132. *et* 252. ¶ 2. Sæpe ponitur pro parsimonia, avaritia, sordibus. *Liv.* 34. 7. Sed in purpura, quæ teritur absumiturque, injustam quidem, sed aliquam tamen causam tenacitatis video. Adde *Ammian.* 17. 9. 7.

TĔNĀCĬTER, adverb. ab adject. *tenax*, unde Comp. *Tenacius* et Sup. *Tenacissime* I. et II. — Tenaciter est cum tenacitate, arcte, firmiter, *tenacemente, fortemente, strettamente*, συνοχηδόν.

I.) Proprie. *Ovid. Heroid.* 9. 21. *de Hercule.* Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues? *Val. Max.* 7. 5. *n.* 2. Quum manum cujusdam tenacius apprehendisset. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. Hami angulosi, quam directi mucrones, tenacius infiguntur. *Id.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* Quæ extima sunt, non tenaciter tantum, sed etiam insolubiliter vinciuntur. *Augustin. Ep.* 6. *extr.* Tenacius habitabit et fixius. *Marcell. Empir. c.* 32. *p.* 133. *retro.* Tenacissime emplastrum hæreat.

II.) Translate. *Ovid. Heroid.* 3. 43. miseros tristis fortuna tenaciter urguet. *h. e.* pertinaciter et obstinate. *Cassiod.* 2. *Variar.* 21. Immemor jussionis tenaciter parcit impensis. *Solin.* 52. *a med.* Psittacus dum in pullo est, quæ monstrata sunt, et citius discit et tenacius retinet. *Ammian.* 24. 4. 4. Tenacius uti. *Augustin.* 18. *Civ. D.* 18. Tenacius est inhærendum. *Apul.* 5. *Met.* Tenacissime dissimulare.

TĔNĀCŬLUM, i, n. 2. (teneo) retinaculum, vinculum, quo aliquid tenetur. *Terentian.* 29. *p.* 2383. *Putsch.* Angustoque tenaculo Certat vincere ponderis In præceps facilem fugam.

TĔNAX, ācis, adject. (teneo) Comp. *Tenacior* et Sup. *Tenacissimus* I. et II. — Tenax est qui arcte tenet, firmiter hæret, facile et constanter retinet, γλίσχρος (It. *tegnente, tenace, attaccaticcio*; Fr. *qui tient fortement, qui s'attache*; Hisp. *el quien tene ó detene, tenaz*; Germ. *haltend, festhaltend*; Angl. *holding fast, tenacious*): et dicitur tum de personis tum de rebus.

I.) Proprie. *Catull.* 71. 34. Tenax hedera huc et huc Arborem implicat errans. *Virg.* 12. *Æn.* 404. prensatque tenaci forcipe ferrum. *Id.* 3. *ibid.* 3. dente tenaci Ancora fundabat naves. *Id.* 4. *G.* 412. et *Ovid.* 11. *Met.* 252. vincla tenacia. et 4. *ibid.* 477. Complexus tenax. *Id.* 2. *Pont.* 1. 14. Mixta tenax segeti crescere lappa solet. *Horat. Epod.* 2. 24. tenaci in gramine jacere. *Tac.* 1. *Ann.* 63. *a med.* Loca limosa, tenacia gravi cœno. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Glæbis tenacissimum solum. *Virg.* 4. *G.* 161. Tenaces ceræ. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 64. (158). Panicula arundinum contusa et interjecta navium commissuris ferruminat textus, glutino tenacior. *Id.* 27. *ibid.* 5. 15. (32). Herba asperitate etiam vestium tenaci. *h. e.* folio hirsuto et vestibus adhærescente, ut *id.* 24. *ibid.* 19. 116. (176). tradit. *Id.* 22. *ibid.* 22. 39. (82). Cutis tenacior capilli. *h. e.* magis retinens, ne defluat. *Id.* 36. *ibid.* 24. 58. (181). Maltha cum adipe suillo et fico, res omnium tenacissima. *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 13. *Seneca Herc. Œt.* 1639. Alta pinus et robur tenax. *h. e.* solida, dura. *Grat. Cyneg.* 386. nodis qua lingua tenacibus hæret. *Plaut. Cas.* 4. 3. 13. (et *Liv.* 39. 25. *ad fin.*) Equos tenax. *duro di bocca*, dentibus frenum tenens et sessori non parens. Sed translate *ibid.* de persona. OL. edepol ne tu, si esses equus, esses indomabilis. ST. Quo argumento? OL. nimis tenax es.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Seneca Hippol.* 625. Regni tenacis dominus et tacitæ Stygis. *h. e.* quod, quos semel accepit, numquam reddit. Sic *Herc. Fur.* 678. Gradumque retro flectere haud umquam sinunt Umbræ tenaces. *Manil.* 4. 165. Tenax animi. *Inscript.* apud *Gruter.* 546. 5. SOCERAE TENACISSIMAE MEMORIAE POSVIT L. IVLIVS MAXIMVS. — *b*) Cum Genet. *Horat.* 3. *Od.* 3. 1., *Ovid.* 10. *Met.* 405. et *Quintil.* 11. 1. *sub fin.* Vir tenax propositi. *Juvenal.* 8. 25. justitiæ. *Pers.* 5. 48. Parca tenax veri. *Colum.* 1. *R. R.* 7. Nec dominus in unaquaque re, cui colonum obligaverit, tenax esse juris sui debet. *Plin.* 10. *Ep.* 10. Probus et industrius et disciplinæ tenacissimus. *Id. ibid.* 7. Memoria tenacissima benefaciendi. *Quintil.* 1. 1. *sub init.* Tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus. — *c*) Cum Abl. et præp. *in*. *Lactant. De mort. pers.* 46. 12. In largiendo tenax. ¶ 2. Speciatim est constans, firmus, stabilis, *fermo, costante.* — *a*) In bonam partem. *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 21. Turpe referre pedem nec passu stare tenaci. *Id.* 2. *Amor.* 6. 14. Et stetit ad finem longa tenaxque fides. — Cum Genet. *Vellej.* 2. 29. *a med.* Tenax amicitiarum. *Virg.* 4. *Æn.* 188. *de Fama.* Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri. — *b*) In malam partem, pertinax, *ostinato, pertinace. Ovid.* 1. *Pont.* 2. 63. Quum video, quam sint mea fata tenacia, frangor. *et* 2. *ibid.* 9. 28. rogabit, Ne sit ad extremum Cæsaris ira tenax. *Sueton. Claud.* 2. Tenaces morbi. ¶ 3. Item parcus, avarus, sordidus, *avaro, spilorcio, tenace. Cic. Cœl.* 15. 36. Filiusfamilias patre parco ac tenaci. *Plaut. Capt.* 2. 2. 39. Tenaxne pater ejus est? PHI. immo edepol pertinax. *Ter. Adelph.* 5. 4. 12. Sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax. *Ovid.* 7. *Met.* 656. parcumque genus patiensque laborum Quæsitique tenax. *Sueton. Cæs.* 67. Milites habebat tam cultos, ut argento et auro politis armis ornaret, quo tenaciores eorum in prœlio essent metu damni. ¶ 4. Et in quacumque re parcus, *riguardato. Cic. Planc.* 22. *a med.* Eosdem, quum jam essent experti, quid valerent, restrictos et tenaces fuisse. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Tenaces* m. et *tenacia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, res tenaces, ut gluten, vinculum et fructuum pediculi. *Pallad.* 3. *R. R.* 18. Capita olearum ulmeis vinculis, vel tenacibus quibuscumque constricta. *et ibid.* 25. Pira lecta cum tenacibus suis. *h. e.* ramulis et pediculis. *Id.* 4. *ibid.* 10. Si dum pendent poma, tenacibus, sicut in arbore habentur, interseris. *et paullo post.* mala cum tenacibus lecta. (*Colum.* hac eadem de re *pediculis* utitur 12. *R. R.* 44.) *Id.* 10. *ibid.* 17. Incisos botryonum tenaces calida pice ambire.

TENDENS, entis, particip. *V.* TENDO.

TENDĬCŬLA, æ, f. 1. (tendo) tenus, laqueus, quem avibus sive feris tendimus, παγίδιον (It. *laccio*; Fr. *lacs, lace*; Hisp. *lazo*; Germ. *d. Schlinge, Fallstrick*; Angl. *snare, gin*).

I.) Proprie. *Non. p.* 410. 16. *Merc.* Tendere,

insidiari, recipere: dictum a tendicula. *Excerpt. ex Charis. p.* 549. 32. *Keil.* Hæ tendiculæ, σαγῆναι. *Augustin.* 20. *contra Faust.* 17. Pastor pecus suum solet ponere in illa captoria tendicula.

II.) Improprie *tendiculæ* sunt longæ perticæ, quibus fullones vestimenta distendunt. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 3. Idem videbis accidere, si quando volueris observare fullonem, quum os aqua implevit et vestimenta tendiculis diducta leviter aspergit. Alii tamen leg. *ridiculis* a *ridicula, æ.* et *Augustin. Serm.* 181. *n.* 7. *extr.* Tamquam in tendicula magni fullonis (*extenditur*).

III.) Translate est machinatio, dolus, insidiæ. *Cic. Cæcin.* 23. 65. Tum aucupia verborum et litterarum tendiculas in invidiam vocant. *tendiculas litterarum* vocat *Cic.* captiones ex litteris et syllabis, quum non rei æquitati, sed summo juri insistimus ipsisque voculis adversarium irretire conamur. Sic *Ambros.* 3. *De fide* 5. *n.* 37. Verborum tendiculas aucupemur. *Vulgat. interpr. Prov.* 1. 11. Abscondamus tendiculas contra insontem frustra. *Augustin. contr. d. epist. Pelag.* 4. *n.* 19. Tendiculæ Manichæorum. Sic *Hieronym. advers. Helvid.* 2. dialecticorum.

**TENDO**, tendis, tĕtendi, tensum *et* tentum, tendere, a. 3. — *a*) Ad formam quod attinet, *tendi* pro *tetendi* dictum quidam putant a *Propert.* 3. 6. 37. qui nostro tendisti retia lecto. *Broukus.* testatur ita esse in omnib. MSS., sed standum a veterib. grammaticis, qui leg. *nexisti.* V. NECTO. At occurrit *tenderant* apud *Senec. Herc. fur.* 538. et *tendisset* apud *Val. Flacc.* 4. 365. *Sch.* V. *Georges Lex. Lat. Wortf.* ad *h. v.* — Etiam *tenno* pro *tendo* scripsisse veteres monet *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 16., ubi *tennitur* pro *tenditur* legend. Cf. *Plaut. Mil. glor.* 4. 9. 14., ubi *Ritschl* leg. *distennite* pro *distendite.* — *b*) Ratione habita etymi, conjungi potest cum Æolico τέννω, unde et τείνω, ejusdem significationis, ut *tendo* sit a rad. ταν vel τεν, cum epenthesi litteræ *d.* — Part. *Tendens* I. 3. et 6.; II. 1. 4.° 5.° 6.° et 2. 1.° et 2.°; *Tensus* vel *tentus* I. 1. et in fin.; *Tensurus* I. 3.; *Tendendus* I. 2. — Tendo est dilato, explico, extendo, distendo, τείνω (It. *stendere, tirare, distendere;* Fr. *tendre, étendre;* Hisp. *tender, extender;* Germ. *spannen, dehnen, strecken;* Angl. *to stretch out, extend, distend*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Colum.* 6. *R. R.* 14. *circa med.* Intumescit collum nervique tenduntur. *Virg.* 3. *Æn.* 268. Tendunt vela Noti. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 72. Tende, precor, valida lora sinistra manu! *Virg.* 7. *Æn.* 164., *Ovid.* 12. *Met.* 564. et *Seneca Herc. Œt.* 1722. Tendere arcum. Sic *Stat.* 3. *Silv.* 1. 51. *Horat.* 1. *Od.* 29. 9. sagittas arcu. *Ovid.* 6. *Met.* 243. tento cornu concita sagitta. *h. e.* arcu corneo contento. *Virg.* 5. *Æn.* 508. (et *Lucret.* 1. 66., ubi alii aliter) oculos pariter telumque. *Horat.* 1. *Od.* 1. 34. barbiton. *accordar la cetra.* et *Lucret.* 2. 618. Tympana tenta tonant palmis. *Id.* 6. 1193. Frons tenta. *h. e.* cutis circa frontem dura et intenta, ut *Cels.* 2. 6. loquitur. *Lucil.* apud *Non. p.* 181. 30. *Merc.* Tres a Deucalione grabati restibu 'tenti. *Id. ibid.* pelles in ordine tentæ. *h. e.* tentoria. *Horat. Epod.* 16. 50. Refertque tenta grex amicus ubera. *Id.* 2. *Sat.* 5. 40. pingui tentus omaso Furius. *Ovid. Heroid.* 10. 30. carbasa tenta Noto. *Alii leg.* tensa. *Val. Flacc.* 1. 185. tento poplite proni Decurrunt. Adde *Stat.* 9. *Theb.* 473. et *Horat. Epod.* 12. 12. *Quintil.* 3. 6. *ad fin.* Via rectissima linea tensa. *Id.* 11. 3. *circa med.* Tensi digiti. *Lucan.* 7. 479. lacerti. *Id.* 2. 683. rudentes. ¶ 2. *Tendere retia, plagas,* extendere capiendis feris, avibus, piscibus, *tendere, spiegare. Ovid.* 8. *Met.* 331. pars retia tendunt, Vincula pars adimunt canibus etc. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 922., ubi pro *ducebam* alii leg. *tendebam.* et *alibi.* et *Cic.* 3. *Off.* 17., *Horat., Virg., Tibull., Propert.* etc. — Hinc translate. *Pacuv.* apud *Fest.* in *Nequitum p.* 162. 29. *Müll.* Sed quum contendi nequitum vi, clam tendenda est plaga. *Ter. Phorm.* 2. 2. 16. Non rete accipitri tenditur neque miluo, Qui male faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, tenditur. *Propert.* 2. 23. 68. insidias in me componis inanes: Tendis iners docto retia nota mihi. *Sall. Cat.* 28. Tendere insidias consuli. — *Val. Flacc.* 4. 364. Tendere astus. Ita *Schenkl;* alii aliter. ¶ 3. *Tendere tabernaculum,* explicare et ponere, *piantare il padiglione:* et fere ad rem militarem pertinet. *Propert.* 3. 9. 45. Tarpejo conopea tendere saxo. *Cæs.* 3. *B. C.* 82. Alterum ei jubet prætorium tendi. Sic *Hygin. Gromat. p.* 1. *col.* 2. Centuriæ non plus quam octonos papiliones singulæ tendunt. — Hinc *tendere,* absolute, tentoria seu castra habere, *essere attendato. Virg.* 2. *Æn.* 29. Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles. *Id.* 8. *ibid.* 605. legio latis tendebat in arvis. *Cæs.* 6. *B. G.* 36. Ut qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui non haberent facultatem. *Curt.* 7. 2. *sub fin.* Hanc seorsum cohortem a ceteris tendere ignominiæ causa jubet. *Id.* 3. 8. *a med.* Quum incondita multitudo, maxime propter jumenta, laxius tenderet. *Frontin.* 4. *Strateg.* 1. 18. Extra vallum tendere. *Hygin. Gromat. p.* 11. *col.* 2. Ut sciamus, quot alæ in prætentura tensuræ sint. *Inscript.* apud *Gruter.* 1096. 6. CN. MARCIO CN. F. GAL. PLAETORIO CELERI PRAEPOSITO NVMERORVM TENDENTIVM IN PONTO. — Hinc *tendentes,* absolute, apud *Ammian.* 23. 2. 6. — Etiam in acie positus miles *tendere* dicitur. *Auct. B. Afr.* 17. Ut una cohors post alteram ante signa tenderet. — Hinc ponitur pro resistere in pugna. *Sall. Cat.* 63. Ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere. *Virg.* 5. *Æn.* 21. Nec nos obniti contra nec tendere tantum Sufficimus. ¶ 4. *Tendere nervum* in obscenis est, et significat tentigine laborare. Ludit in ambiguo *Auct. Priap.* 70. Nemo meo melius nervum tendebat Ulixe. Hinc *Martial.* 11. 60. sed Phlogis ulcus habet, Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam. Adde *eumd. ibid.* 73. et *Auct. Priap.* 20., 27., 34., 80., 81. ¶ 5. *Tendi* etiam dicuntur *nervi* iis, qui noctu cubantes in lecto afficiuntur in pedibus cruribusve ea nervorum contractione, quam Itali nunc *granchio* vocant. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 17. (61). Pedes in humo deponi (*prodest*), si nervi in his cruribusve tendantur in lectulo. *V.* NERVUS in fin. ¶ 6. *Tendere manus, brachia* etc. protendere, porrigere, tollere. *Cæs.* 7. *B. G.* 48. Tendere manus alicui de muro. *et* 2. *ibid.* 13. manus ad aliquem. *et* 2. *B. C.* 5. manus ad cælum. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 65. brachia orantia ad aliquem. et 1. *Fast.* 505. brachia in ripam. *Id.* 11. *Met.* 379. manus in litora. *Id. Heroid.* 10. 145. Has tibi plangendo lugubria pectora lassas, Infelix tendo trans freta longa manus. *Id.* 8. *Met.* 849. tendens super æquora palmas. *Cic. Fontej.* 17. 38. Tendit ad vos virgo Vestalis manus supplices easdem, quas pro vobis dis immortalibus tendere consuevit.

II.) Translate. ¶ 1. Transitive. — 1.°) Generatim. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 65. non anxia mentem Spes agit et longo tendit præcordia voto. *Stat.* 1. *Achill.* 543. Tende animum vigilem fecundumque erige pectus. — 2.°) Speciatim *tendere noctem,* extendere, ducere. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 10. impune licebit Æstivam sermone benigno tendere noctem. Alii leg. *extendere.* Addit *Bentlej.* illud *Hieronymi Ep.* 130. *n.* 15. Numquam dies tibi longi erunt, sed, quamvis æstivis tendantur solibus, breves videbuntur. — 3.°) Item apud Grammaticos est syllabam producere. *Auson. Epigr.* 115. Elige utrum malis: aut tende aut corripe nomen: Convenit quodvis, fur, furiose, tibi. — 4.°) Item, per metonymiam, est porrigere, offerre, exhibere, *offerire, porgere:* quia porrigendo manus tendimus. *Virg.* 2. *Æn.* 674. complexa pedes in limine conjux Hærebat parvumque patri tendebat Iulum. *Id.* 4. *G.* 534. tu munera supplex Tende petens pacem. *Cic.* 1. *Orat.* 40. *sub fin.* Vagari magna cum caterva toto foro, præsidium clientibus, opem amicis et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem. *Id. Fontej.* 12. 26. Populo R. non metum belli, sed spem triumphi tendere. *Pleriq. alii leg.* ostendere. — 5.°) Item dirigere et dicitur de itinere, cursu. *Lucret.* 5. 628. *de Luna.* Tanto posse minus cum signis tendere cursum. Sic *Liv.* 23. 34. Quum quæreret, qui et unde et quo (*navigando*) tenderet cursum. — Cum addito Acc. et præp. *in, ad. Auct. B. Afr.* 95. Iter in Hispaniam tendebant. *Virg.* 1. *Æn.* 660. iter ad naves tendebat Achates. *Ovid.* 2. *Met.* 547. Ad dominum tendebat iter. *Sil. It.* 9. 216. ex acie tende in Capitolia cursum. *et* 10. 73. Ac retro cursum tendentem ad crebra suorum Agmina. *Virg.* 2. *Æn.* 321. cursuque amens ad litora tendit. Est qui leg. *cursumque,* ut hic *Servius,* et *Burmann.* ad *Ovid.* 2. *Met.* 547. monent. — 6.°) Item dicitur de iis, qui de re aliqua certatim contendunt. *Apul. De deo Socr. prol.* Num et in principio vobis diversa tendentibus, ita nemini polliceri ut etc. Adde 2. *Met. Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 83. 34. *Riese.* fatis licet, improbe, tendas Æmula regna meis. ¶ 2. Neutrorum more. — 1.°) Sæpe est ire, pergere, iter dirigere, contendere, *andare, avviarsi, tirar verso qualche luogo:* quod fit pedes gressusque extendendo. *Cic.* 16. *Att.* 5. *ad fin.* Dubito, an Venusiam tendam et ibi exspectem. *Nepos Milt.* 1. *extr.* Cursum direxit (*navibus*), quo tendebat pervenitque Chersonesum. *Plin.* 1. *Ep.* 5. *circa med.* Coimus in porticum Liviæ, quum alter ad alterum tenderemus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Levia tendunt in sublime. — *Tendentes,* absolute, apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 3. (6). Villa ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori. — Cum Accus. sine præp. *Lucan.* 7. 477. Tunc ausæ dare signa tubæ: tunc æthera tendit Extremique fragor convexa inrupit Olympi. *Id.* 9. 729. *de draconib. alatis.* tenditis altum Aera cum pennis. Alii plerique leg. *ducitis.* Illud autem *æthera tendit* alii interpretantur: intendit, impellit. — 2.°) Item est vergere, inclinatum esse, extendi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 66. (176). Gula tendit ad stomachum, is ad ventrem. *Id.* 5. *ibid.* 27. 27. (97). Taurus mons ad occasum tendens. *et* 6. *ibid.* 13. 15. (40). Portæ Caspiæ, quæ per Iberiam in Sarmatas tendunt. *Propert.* 1. 6. 31. At tu seu mollis qua tendit Ionia etc. — Hinc figurate *tendere ad aliquem,* studio in eum ferri, favere, partis alicujus esse. *Liv.* 4. 9. Tutores in ea quoque re partium memores, ad suum tendere. *et* 24. 5. Tendendo duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem Romanam etc. *et ibid.* 28. In contionem vocari placuit, ubi quum alii alio tenderent, nec procul res seditione esset etc. *Apul. De mund.* Naturæ ad diversa tendentes. — 3.°) Item spectare, respicere, aliquid tamquam scopum sibi præfigere, *aver la mira. Brut.* ad *Att. inter ep. Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *a med.* Atqui eo tendit, id agit, ad eum exitum properat, ut sit illi Octavius propitius. *Liv.* 4. 13. Ipse, ut est humanus animus insatiabilis eo, quod fortuna spondet, ad altiora et non concessa tendere. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 17. Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 4. Ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati etc. — 4.°) Item contendere, niti, instare, urgere, *far di tutto, instare, procurare con isforzo:* et assiduitatem aut pertinaciam significat. — *a*) Universim. *Liv.* 32. 32. Necdum sciebat, an, quod summa vi ut tenderent, amicis et propinquis mandaverat, imperium prorogaretur. *Id.* 37. 53. Ne videar nimis pertinaciter in obtinendo eo tetendisse. — *b*) Cum partic. *ut, ne* et Conjunctivo. *Id.* 4. 7. Comitia tribunorum militum ut habeantur, tendunt. *Id.* 3. 15. Eo acrius contra tribuni tendebant, ut plebi suspectos eos criminando facerent. *Id.* 4. 8. *ad fin.* Et tribuni magis necessariam, quam speciosi ministerii procurationem intuentes, ne in parvis quoque rebus incommode adversarentur, haud sane tetendere. — *c*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 10 20. aqua tendit rumpere plumbum. *et* 2. *ibid.* 2. 57. Tendunt extorquere poemata. *Liv.* 6. 38. Si civitati leges imponere tendent. *Virg.* 2. *Æn.* 220. manibus tendit divellere nodos. *Pers.* 5. 139. si vivere cum Jove tendis. *Juvenal.* 10. 154. Jam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit. —

Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

*Tensus* vel *tentus, a, um*, etiam adjective usurpatur; unde Comp. *Tensior*. — Tensus est extentus, *teso, tirato*: cui *remissus* opponitur. *Sidon. Carm.* 2. 407. Est locus Oceani, longinquis proximus Indis, Axe sub Eoo, Nabathæum tensus in Eurum. *h. e.* protentus. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Vox quo remissior, hoc gravior: quo tensior, hoc tenuis et acuta magis est. — Obsceno sensu usurpatur de eo, qui tentigine laborat. *Auct. Priap.* 6. *et* 70. Tormento citharaque tensior. — Cf. etiam loca superius allata, ubi adjectivi magis, quam participii, more adhibetur.

*Tentum, i,* n. 2. absolute, substantivorum ritu. ¶ 1. Est tentorium. *Flor.* 2. 12. *a med.* Quum in conspectum venisset hostis, in tentum recepit. Ita *Salmas.*, alii leg. *templum*; sed *Halm* dedit *tribunal*. ¶ 2. Obsceno sensu est τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικὸν τεταμένον. *Catull.* 80. 6.

TENDOR, ōris, m. 3. (tendo) tensio, *tensione*, τάσις. *Apul.* 4. *Met.* Animi dolore et faucium tendore et corporis lassitudine fatigata. *Alii aliter leg.*

TĒNE. *V.* TU.

TĔNĔBELLÆ, ārum f. plur. 1. *deminut. a* tenebræ, parvæ tenebræ. *Claudian. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 9. *sub fin.* Eruentur atque extrahentur etiam nuncupatim ex abditis tenebellarum, qui hactenus delituere.

TĔNĔBRA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TĔNĔBRÆ, ārum, f. plur. 1. *Tenebra* in sing. num. rarissimum. *Lamprid. Commod.* 16. Repentina caligo ac tenebra in Circo cal. Januariis oborta. Adde *Apul.* 5. *Met.*, *Venant.* 10. *carm.* 17. 36. et *Gloss. Labb.* 104. *c.* — Ad etymon quod attinet, *Isid.* 5. *Orig.* 31. 6. vult dici *tenebras*, quasi *teneant umbras*. Cf. *Augustin.* 1. *De Gen. contra Manich.* 4. At recentiores ducunt a rad. Skr. *tan*, tego, celo (*Curt. Grundz.* p. 534.): vel *tum*, suffoco, retineo, unde *tamasan* seu *tamisram*, umbræ, caligo; ad quam voc., ut ait *Bopp* (*Gloss.* etc. 165. *a*), Latina trahi potest. *Forcellinus* vero ad *Isid.* accedit ducitque a *teneo*, ut a *verto vertebræ*, a *salio salebræ* etc., addita syllabica terminatione; quod homines in tenebris quasi teneantur nec libere se commovere audeant, metuentes, ne vel impingant usplam vel e locis sublimioribus decidant. — Quidquid sit de etymo, tenebræ sunt privatio lucis seu luminis, obscuritas, σκότος (It. *tenebre, oscurità, buio*; Fr. *obscurité, ténèbres*; Hisp. *tinieblas, obscuridad*; Germ. *die Dunkelheit, Finsterniss*; Angl. *darkness, obscurity*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) Universim. *Sall. Cat.* 58. *de Tulliano.* Incultu, tenebris, odore fœda atque terribilis ejus facies. *Cic.* 2. *Nat. D.* 38. 96. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur. *Id.* 2. *leg. Agr.* 17. 44. Tetræ tenebræ et caligo. *Id.* 3. *Fin.* 11. *a med.* Homines tenebras et solitudinem nacti, nullo dedecore se abstinent. *Seneca Thyest.* 993. spissior densis coit caligo tenebris. *Virg.* 1. *G.* 248. obtenta densantur nocte tenebræ. *Id.* 11. *Æn.* 824. tenebris nigrescunt omnia circum. *Lucan.* 1. 543. Involvere orbem tenebris. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 10. 7. (47). Luna solem subeunte, repentinas obduci tenebras. *Ovid.* 2. *Met.* 395. tenebras inducere rebus. *Lucret.* 2. 60. Radii solis discutiunt tenebras. *Ovid.* 7. *Met.* 703. Tenebras aurora pellit. *et* 2. *ibid.* 144. fugat. *Virg.* 8. *Æn.* 591. lucifer resolvit. *Stat.* 12. *Theb.* 254. nigrantes astra laxant. *diradano.* et *Juvenal.* 12. 18. densæ cælum abscondere tenebræ. — *b*) De nocte. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 88. Certum est mihi ante tenebras tenebras persequi. *h. e.* ante noctem vitam finire. Sic de morte *Propert.* 2. 16. 17. Juro, Me tibi ad extremas mansuram, vita, tenebras. *Quintil. Declam.* 10. 12. Omnibus tenebris. *h. e.* omnibus noctibus. *Nepos Eumen.* 6. *ad fin.* Antigonus, tenebris obortis, ignes conspicatus. *sul far della notte.* et *Martial.* 10. 47. Somnus, qui faciat breves tenebras. *Liv.* 31. 23. Classem in statione usque ad noctem tenuit: primis tenebris movit. — *Tenebris*, in tenebris, noctu, *di notte*. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 10. Mirabar, tenebris si quis iturus erat. *Cic.* 2. *Phil.* 30. *a med.* Redii luce, non tenebris. *di giorno, non di notte.* et *Tibull.* 1. 7. 35. Hæc (*anus*) me deducit tenebris. Adde *eumd.* 2. 1. 76. — *Per tenebras*, idem. *Lucan.* 2. 686. — *c*) De eo, qui deliquium animi et virium patitur. *Plaut. Curc.* 2. 3. 30. Tenebræ oboriuntur, genua inedia succidunt. *Lucan.* 3. 735. oculos vastæ obduxere tenebræ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 6. 5. (41). Dolores capitis, oculorum vertigines tenebræque. *Ovid. Heroid.* 13. 23. tenebris exsanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu. Adde 2. *Met.* 181. et 1. *Trist.* 3. 92. — *d*) De cæcitate. *Id.* 3. *Met.* 515. tenebrasque et cladem lucis ademptæ Objicit. *Lucret.* 3. 416. Occidit extemplo lumen tenebræque sequuntur. *Stat.* 4. *Theb.* 407. Longævi rex vatis opem tenebrasque sagaces Tiresiæ consulit. — *e*) De Inferis. *Seneca Œdip.* 868. Tuque tenebrarum potens, In Tartara ima, rector umbrarum, rape. *Horat.* 4. *Od.* 7. 25. et *Virg.* 7. *Æn.* 325. Tenebræ infernæ. *Seneca Herc. Fur.* 436. Tartareæ. *Id. Œdip.* 591. æternæ. *Id. Hippol.* 93. altæ. *Id. Herc. Fur.* 861. turpes. *Virg.* 3. *G.* 551. (et *Sil. It.* 7. 724.) Stygiæ. *Catull.* 3. 13. malæ tenebræ Orci. *Seneca Herc. Œt.* 279. Emerge, conjux, atque dispulsas manu Abrumpe tenebras. *Virg.* 6. *Æn.* 545. Discedam, explebo numerum reddarque tenebris. *Ovid.* 15. *Met.* 154. Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis? — *f*) *Tenebræ caninæ* apud *Tertull.* sunt, quibus quis utitur ad obscena perpetranda. *Apolog.* 8. ¶ 2. Concreto, ut ajunt sensu, tenebræ sunt carcer, domus vilis et obscura. *Sall. Jug.* 16. Clausi in tenebris, cum mœrore et luctu morte graviorem vitam exigunt. *h. e.* in carcere, *prigione oscura.* Sic *Tubero* apud *Gell.* 6. 4. In atras et profundas tenebras eum claudebant ac diu post repente educebant. *Juvenal.* 3. 222. optima Soræ Aut Fabrateriæ domus aut Frusinone paratur, Quanti nunc tenebras unum conducis in annum. h. e. domum vilem obscuram. Sic *Martial.* 2. 14. Grylli tenebræ. *h. e.* tenebrosa balnea Grylli, ut *id.* ait 1. 60. — Similiter de loco abdito, de latebris, *nascondiglio.* *Catull.* 55. 2. Demonstres, ubi sint tuæ tenebræ. *Alii leg.* tabernæ. *Cic. Sext.* 9. 20. Homo emersus subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 238.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) Est obscuritas, ignoratio, oblivio. *Lucret.* 2. 15. Qualibus in tenebris vitæ quantisque periclis Degitur hoc ævi quodcumque est! *in quale ignoranza!* et *Cic. Arch.* 6. *ad fin.* Quæ jacerent omnia in tenebris, nisi litterarum lumen accederet. *Plin.* 9. *Ep.* 14. Pergamus itinere instituto, quod ut paucos in lucem famamque provexit, ita multos e tenebris et silentio protulit. *Cic. Dejot.* 11. 30. Vestram familiam abjectam et obscuram e tenebris in lucem evocavit. *Id.* 7. *Att.* 11. Quæso, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebræ sunt. *Quintil.* 8. 2. *sub fin.* Tenebris orationis lumen inferre. *Id.* 2. 17. 21. Tenebras offundere judicibus. Adde *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr* 19. 61. *Id. ibid.* 6. 16. obducere rebus clarissimis. *et ibid.* 39. 122. Latent ista omnia, crassis occultata et circumfusa tenebris. *Virg.* 2. *Æn.* 92. Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam. *Lucan.* 9. 985. Pharsalia nostra Vivet et a nullo tenebris damnabitur ævo. *Phædr* 3. 10. tenebras dispulit calumniæ Certumque fontem veritatis repperit. *Plin. Paneg.* 44. Ætatem in tenebris agere. *h. e.* remotum a convictu, a foro, a republica, *menar vita oziosa, solitaria, privata.* et *ibid.* 69. *extr.* Sunt in ore hominum et in ore famæ magna nomina ex tenebris oblivionis, indulgentia Cæsaris. *Quintil.* 1. 2. *ante med.* Lumen illud conventus honestissimi tenebris ac solitudini prætulissem. Cf. *Cic. Sext. loc. cit.* — *b*) Et turba, perturbatio, confusio: ducta translatione ab obscura tempestate et procellis. *Cic. Dom.* 10. 24. Quæ cum illis reipublicæ tenebris cæcisque nubibus et procellis quum senatum a gubernaculis dejecisses, populum e navi exturbasses etc. *Id. Rosc. Am.* 32. *a med.* Qui tamquam si offusa reipublicæ sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris omniaque miscebant. *Id. post redit. in Senat.* 3. 5. Ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica dispicere cœpistis. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu de iis, qui errorum vitiorumque quasi tenebris sunt offusi. *Vulgat. interpr. Joh.* 1. 5. Lux (*Christus*) in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt. *Id. Eph.* 5. 8. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux.

Homonym. Inter *caliginem, obscuritatem* et *tenebras* hoc statui potest discrimen, quod *caligo* sit aliquid amplius, quam *tenebræ*, h. e. tenebræ densæ seu spissæ ex nebula vel fumo. (*V.* CALIGO init.): item quod *tenebræ* referantur ad aerem sintque lucis defectus, *obscuritas* vero sit ob aerem obtenebratum luminis defectus, ita ut *tenebris* opponatur *lux*, et *obscuritati lumen* seu *illustratio*, ut *obscuro illustre*. *Curt.* 9. 4. 18. Caliginem ac tenebras et perpetuam noctem profundo incubantem. Adde *Cic.* 5. *Verr.* 76. 177. et *Prov. cons.* 18. 43. *Id.* 3. *Orat.* 13. 47. Tanta insolentia et turba verborum, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, obscuritatem et tenebras afferat. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. Istam virtutem non latere in tenebris neque esse abditam, sed in luce Asiæ esse positam. Cf. *Cic.* 3. *Herenn.* 19. 32. Nec nimis illustres nec vehementer obscuros locos haberi oportet. Adde *Plin. Paneg.* 69.

TĔNĔBRANS, antis, particip. *V.* TENEBRO.

TĔNĔBRĀRĬUS, a, um, adject. (tenebræ) obscurus, ignotus, *oscuro, ignoto*, ut Tenebrarius homo, apud *Vopisc. Firm.* 2., ubi alii leg. *tenebrarum*.

TĔNĔBRASCO. *V.* TENEBRESCO.

TĔNĔBRĀTĬO, ōnis, f. 3. (tenebro) obscuratio, *ottenebrazione, offuscamento*, σκότωμα, ut Tenebratio visus, apud *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 2. 51. *et* 4. 66.

TĔNĔBRESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TĔNĔBRESCO *et* tenebrasco, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* tenebro) Part. *Tenebrescens.* — Tenebresco est tenebrosus fio, *ottenebrarsi, divenir tenebroso.* *Augustin.* 1. *De Gen. ad litt.* 10. *sub fin.* Pars illa, in qua sumus, tenebrescit in noctem. In MSS. est *tenebrascit. Hieronym.* 5. *in Isai.* 12. 10. Præ timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescunt. *Vulgat. interpr. Zach.* 11. 17. Oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur. *Id. Eccle.* 12. 2. Antequam tenebrescat sol etc. *V.* integr. loc., ubi pulcra senii hypotyposis.

TĔNĔBRĬCO, as, āvi, are, n. 1. et
TĔNĔBRĬCOR, āris, ari, dep. 1. (tenebræ) tenebrosus fio, tenebresco, *ottenebrarsi*. — *a*) Forma activa. *Tertull. advers. Jud.* 13. *a med.* ex *Amos* 8. 9. Sol media die tenebricavit. *Vulgatus* habet *tenebrescere*. Adde *Vulg. interpr. Ital. Luc.* 23. 45. *ex MS. Colb.* — *b*) Forma deponent. *Gloss. Lat. Gr.* Tenebricor, σκοτίζομαι. *Augustin. Serm.* 123. *n.* 2. ed. *Mai.* Sol obscurabitur et luna tenebricabitur et stellæ cadent.

TĔNĔBRĬCŌSĬTAS, ātis, f. 3. (tenebricosus) caligo, tenebræ. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 73. Tenebricositate vexari. *h. e.* caligine oculorum.

TĔNĔBRĬCŌSUS, a, um, adject. (tenebricus) Sup. *Tenebricosissimus.* — Tenebricosus est obsitus vel offusus tenebris, obscurus, *tenebroso, oscuro*, σκοτώδης, et occurrit tum proprie tum translate. *Varro* 3. *R. R.* 9. 19. Locus angustus et tenebricosus. *Cic. Pis.* 8. *extr.* Tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa. *Id. Prov. cons.* 4. 8. Latent libidines ejus illæ tenebricosæ, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia, contegebat. *Catull.* 3. 11. Qui nunc it per iter tenebricosum Illuc, unde negant redire quemquam. *Cic. Vatin.* 5. 11. Illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 23. 73. Esse sensus quidem nec obscuros dicit nec tenebricosos. Ubi *tenebricosus* majorem habet vim, quam obscurus, quasi dicat *undequaque obscurus* seu *valde obscurus*.

**TĔNĒBRĬCUS**, a, um, adject. (tenebræ) idem ac tenebricosus, apud poetas. Cic. 2. Tusc. 9. 22. vertens carm. Sophocl. Hæc a tartarea tenebrica abstractum plaga Tricipitem eduxit Hydra generatum canem. Tertull. Pall. 4. sub fin. Tenebrica vestis. h. e. atra. Pacuv. apud Non. p. 179. 15. ex lectione Scalig. sæpes. h. e. carcer tenebricosus.

**TĔNĒBRĬO**, ōnis, m. 3. (tenebræ) nebulo, lucifugus, qui tenebras sectatur et in his libenter delitescit flagitii causâ: item qui fraudibus et mendaciis tenebras ob oculos hominum objicit, fallendi artifex, furbo, furfante, σκοτίας. Varro apud Non. p. 19. 13. Merc. M.' Curius quum dilectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem. (Idem pluribus verbis narrat Val. Max. 6. 3. n. 4.) Afran. ibid. Huc venit fugiens tenebrionem Tyrium. Varro ibid. Si et accusator et reus erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato.

**TĔNĒBRO**, as, āvi, are, a. 1. (tenebræ) Part. Tenebrans I. — Tenebro est tenebras induco (It. ottenebrare; Fr. obscurcir; Hisp. obscurecêr; Germ. verfinstern; Angl. darken).

I.) Proprie. Apul. 8. Met. Jam vespera semitam tenebrante. Lactant. 4. 19. ex Amos 8. 9. Et tenebrabitur dies lucis. Alii leg. obtenebrabitur. Vulgata habet tenebrescere faciam etc. Donatus etiam Virgilio tribuit 3. Æn. 635. telo lumen tenebramus acuto. Sed rectius terebramus alii. Cassiod. Complex. Apoc. 14. Fumus inde progressus est, qui aera solemque tenebravit. — Absolute. Ammian. 19. 8. 5. Itaque vespera tenebrante, postica parte evado.

II.) Translate. Augustin. 2. Serm. Domin. 14. Rerum temporalium cupiditate tenebratur. Adde eumd. 2. Op. imperf. contra Julian. 177.

**TĔNĒBRŌSĒ**, adverb. (tenebrosus) in tenebris, σκοτεινῶς. Hieronym. in Jon. 4. 6. Timuit videlicet, ne, si pro cucurbitis hederæ nascerentur, unde occulte et tenebrose biberet, non haberet.

**TĔNĒBRŌSĬTAS**, ātis, f. 3. (tenebrosus) obscuritas, caligo. Arnob. in Ps. 103. et 118.

**TĔNĒBRŌSUS**, a, um, adject. (tenebræ) Comp. Tenebrosior I.; Sup. Tenebrosissimus II. — Tenebrosus est idem ac tenebricosus, obscurus, σκοτεινός (It. oscuro, tenebroso; Fr. sombre, ténébreux; Hisp. sombrio, tenebroso; Germ. finster, dunkel; Angl. dark, tenebrous).

I.) Proprie. Virg. 5. Æn. 839. Aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras. et 6. ibid. 107. tenebrosa palus Acheronte refuso. Ovid. 1. Met. 113. tenebrosa Tartara. et 5. ibid. 359. sedes. h. e. Inferi. Lucan. 2. 79. carcer. Seneca Agam. 999. specus. Martial. 1. 60. balnea Grylli. Petron. Sat. 91. Per tenebrosum et sordidum egressum extraho Gitona. Claudian. 2. Rapt. Pros. 329. tenebrosa silentia. h. e. quæ apud Inferos servantur. Val. Flacc. 3. 399. Cimmerium domus et superis incognita tellus, Cæruleo tenebrosa situ. Tertull. Anim. 1. sub fin. Tenebrosior carcer.

II.) Translate. Imp. Justinian. Cod. 6. 43. 3. a med. Tenebrosissimus error abolitus est. Prudent. Apoth. 195. Corde tenebroso verum perpendere nescit. Id. 10. περὶ στεφ. 371. O mersa limo cæcitas gentilium! O carnulenta nationum pectora! O spissus error! o tenebrosum genus! Adde eumd. 1. contra Symmach. 244. — De persona. Tertull. 2. advers. Marcion. 28. Heraclitus ille tenebrosus. ὁ σκοτεινός. — Hinc

Tenebrosum, i, n. 2. absolute, id quod obscurum seu tenebris offusum est. Lactant. 7. 4., ubi opponitur τῷ luce præditum. — In plur. num. Chalcid. Tim. 237. Atra et tenebrosa. Vulgat. interpr. Thr. 3. 6. In tenebrosis et in umbra mortis. Ambros. 5. Hexaem. 24. n. 86. Tenebrosa rimari.

**TĔNĔDĬUS**, a, um, adject. Τενέδιος, ad Tenedon pertinens, quæ est insula parva maris Ægæi contra Sigeum promontorium Troadis, cum urbe cognomine, condita a Tene Cycni filio. V. plura in ONOM. — Hinc Tenedia securis, proverb. de severa, tetrica et expedita justitia; nam Tenes legem tulerat, ut homo securim tenens a tergo judicis staret, ut illum, qui mendacii convinceretur aut insontem accusaret, convictum statim occideret. Ita Suidas in Τενέδιος ἄνθρωπος. Alii dicunt statuisse, ut in adulterio deprehensus securi statim a deprehendente feriretur: eamque ita servasse, ut etiam de filio suo deprehenso interrogatus, ipsum quoque sic puniri oportere responderit. Alia apud Erasm. in Adag. habes. Cic. 2. ad Q. fr. 11. Tenediorum libertas securi Tenedia præcisa est, quum eos præter me et Bibulum et Favonium nemo defenderet. h. e. rigide, severe ac statim negata et præcisa est. M. Aurel. inter epist. Fronton. 1. ad M. Cæs. (edente A. Maio) ep. 9. Tum securim Tenediam, quam minaris, abde aliquo ac reconde.

**TĔNELLŬLUS**, a, um, adject. deminut. a tenellus, aliquantum tenellus, tenerello, tenerino. Lævius apud Priscian. 10. p. 903. Putsch. Manu lascivula et tenellula. Catull. 17. 15. Et puella tenellulo delicatior hædo.

**TĔNELLUS**, a, um, adject. deminut. a tener, aliquantum tener, teneretto, teneruccio, ἁπαλώτερος.

I.) Proprie. Plaut. Cas. a. 1. v. 20. Bella et tenella Casina. Varro 1. R. R. 41. Aqua recenti insito inimica, tenellum enim cito facit putre. Id. 2. ibid. 7. Ungulæ tenellæ pullorum equinorum. Stat. 5. Silv. 5. 86. ludusque tenello, Risus et e nostro veniebant gaudia vultu. h. e. puero tenello.

II.) Translate. Domit. Mars. apud Sueton. Gramm. 18. Epirota (h. e. Q. Cæcilius Epirota) tenellorum nutricula vatum. h. e. recentium. — Cum genet. Apul. 5. Met. Psyche simplex et animi tenella.

**TĔNENS**, entis, particip. V. voc. seq.

**TĔNĔO**, tĕnes, tĕnŭi, tentum, tĕnere, a. 2. — a) Ad formam quod spectat, etiam tongo pro teneo, usurpatum fuisse videtur. V. TONGO. — Tenivi in præterito dixisse veteres, testes sunt Charis. 3. p. 220. Putsch. et Diomed. 1. p. 363. et 369.; item tetini, apud Paul. Diac. p. 366. 11. Müll., unde tetinero, apud eumd. p. 252. 9. et tetinerim, is, it, apud Acc. et Pacuv. ex Non. p. 178. 11. Merc. et tetinisse, al. tenisse, apud Pacuv. ibid. — Teni pro tene V. De-Rossi in Bullett. Crist. a. 1874., nisi error sit quadratarii. — b) De syllabarum quantitate monemus, primam in tĕnuit licenter produxisse Cn. Matium apud Diomed. 1. p. 336. Putsch. V. HIETO. item secundam in tenēbamus corripuisse Arator. ep. ad Parth. 35. — Tenerier, parag. pro teneri, apud Capell. poet. 1. p. 23. — c) Ratione habita etymi, Voss. derivat a τείνω, tendo, quia tenendo manus nervi tenduntur. Similiter recentiores cum rad. Skr. tan, extendo, Græcam æque ac Latinam vocem conjungunt. — Part. Tenens sub A I. 1. et 2. 1.° et 2.° et B; Tentus sub A I. 2. 3.° et 3. 3.°, II. 1. 3. 2.°; Tenturus sub A I. 1.; Tenendus sub A I. 1., 3. 1.° et 4.° et 4. 2.° — Teneo est habeo, retineo, κατέχω (It. tenere, avere; Fr. tenir, avoir; Hisp. tener, haber; Germ. halten, haben; Angl. to hold, have): occurrit autem sæpius A) Transitive; et aliquando B) Neutrorum more.

A) Transitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Plaut. Merc. 5. 2. 42. EUT. Porrige brachium, prehende. jam tenes? CHAR. teneo. EUT. tene. Id. Pers. 3. 3. 8. Accipe sis argentum, impudens: tene sis argentum. etiam tu argentum tenes? Ter. Eun. 5. 5. 49. Os tuum impudens videre nimium vellem, qui esset status, flabellum te tenere asinum tantum. Cic. Cœl. 26. ad fin. Quum pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset. Liv. 2. 19. Tenere telum. Virg. 6. Æn. 224. facem. Ovid. 1. Art. am. 320. Et tenuit læta pellicis exta manu. Id. 1. Fast. 99. Ille tenens dextra baculum clavemque sinistra. et 2. ibid. 102. Non sunt hæc digitis arma tenenda tuis. Phædr. 1. 4. Et quem tenebat ore demisit cibum. (Adde Cic. 2. Divinat. 68. 141.) Plin. 25. Hist. nat. 13. 105. (166). Decoctum diu tenendum in ore. Ovid. Heroid. 3. 114. Tenere aliquem in sinu. et ibid. 469. et ibid. 13. 157. sinu. Claudian. Edyll. 3. 19. Absentem tentura virum. — Hinc manu tenere aliquid, proverb. dicitur de re, quæ facile habetur aut conspicitur vel intelligitur. Cic. 3. Off. 17. 68. Leges, quatenus manu tenere possunt. Id. Cluent. 7. 20. Quum res oculis ac manibus teneretur. ¶ 2. Speciatim habet notionem possidendi: hinc — 1.°) Est obtinere, occupare. Cæs. 2. B. G. 22. (et Nepos Miltiad. 3.) Adcantuannus, qui summam imperii tenebat. Id. 7. ibid. 69. Hæc noctu firmis præsidiis tenebantur. Sall. Cat. 39. Tenere provincias aliaque omnia. Id. Jug. 24. Vostrum regnum armis tenet. Cic. pro leg. Manil. 11. in fin. Quam provinciam tenuistis a prædonibus liberam per hosce annos? Id. 2. Divinat. 1. 3. Tenere gubernacula reipublicæ. Id. Mur. 39. 83. Totam rempublicam tenetis. Liv. 1. 5. Euander multis ante tempestatibus ea tenuerat loca. Id. 31. 35. Tenente omnia equitatu. Virg. 6. Æn. 434. Tenere proxima loca. Id. 1. G. 115. amnis abundans Exit et obducto late tenet omnia limo. et 4. ibid. 321. quæ gurgitis hujus Ima tenes. h. e. possides atque incolis. Horat. 3. Od. 17. 8. Formiarum mœnia dicitur et tenuisse Lirim. Nepos Datam. 4. Cataoniam tenebat. h. e. imperio obtinebat. Id. Lysand. 1. In sua potestate tenere civitates. h. e. suas facere. Adde Sueton. Tib. 7. — Absolute, eod. sensu. Cic. 7. Att. 12. An iis me dem, qui tenent. subaud. rempublicam. Adde eumd. 2. ibid. 18. — 2.°) Est etiam imperio, ditione regere, regnare. Horat. 3. Od. 14. 15. tenente Cæsare terras. Virg. 1. Æn. 626. Cyprum ditione tenebat. Val. Flacc. 3. 658. dulcem sceptris Calydona tenerem. — 3.°) Et utcumque possidere. Cic. 2. Off. 23. 81. Multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur. — Part. neutr. gen., absolute. Hieronym. 5. in Is. 18. 11. Et tunc dolebis graviter, quando sperata et pæne jam tenta perdideris. — 4.°) Tenere personam, gerere, sustinere. Cic. 3. Orat. 14. a med. Neque adhuc, quam personam teneant aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Sic tenere vicem apud Sil. It. 4. 715. — 5.°) Huc pertinet etiam formula teneo te, qua utuntur, qui, quod maxime optabant, sentiunt se consecutos: ti ho, sei mio. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 48. 148. Teneo te, inquam. nam ista Academiæ est propria sententia. Ter. Heaut. 2. 4. 27. Teneone te, Antiphila, maxime animo exoptata meo? Adde Ovid. Heroid. 18. 183., Cic. Quinct. 20. 63. et Senec. 7. Benef. 4. — Hoc sensu est etiam amatorum et amicarum. Tibull. 1. 6. 3. et 2. 7. 34., Ovid. 3. Amor. 7. 3., Virg. 1. Ecl. 32., Phædr. 2. 2. etc. — 6.°) Tenere dicuntur arbores, quum satæ comprehendunt. Seneca Ep. 86. sub fin. Positæ vites, etiam Martio exacto, tenent et complexæ sunt non suas ulmos. Colum. 5. R. R. 6. ante med. Si radicibus ulmi junxeris, male vitis comprehendet: et quum tenuerit, incremento arboris opprimetur. Id. 3. ibid. 11. in fin. Rubrica alit vitem, quum tenuit. — Teneri solo dicitur, quidquid terræ cohæret. Jabolen. Dig. 50. 16. 115. — 7.°) Tenere bigas Veneris, obtinere vel prosequi, tropice pro Veneris muneribus frui. Sane Venerem in antiquis monumentis cycnorum vel columbarum aut leonum bigis semper uti nemo ignorat. Varro Sat. Menipp. 22. p. 109. Oehl. ¶ 3. Item rem servandi, pergendi, durandi: hinc — 1.°) Est servare, retinere, ritenere, conservare. Pallad. 5. R. R. 2. in fin. Agri, qui diu aquam tenent. — 2.°) Est etiam, in re militari, defendere, tutari. Virg. 8. Æn. 653. Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat. Cæs. 1. B. C. 44. extr. Perturbatis antesignanis, legio, quæ in eo cornu constiterat, locum non tenuit atque in proximum collem se recepit. Liv. 1. 11. tenere arcem Sabini. — 3.°) Et utcumque retinere, custodire. Horat. 1. Ep. 1. 90. quo teneam Protea nodo! Id. 3. Od. 11. 44. te neque intra claustra tenebo. Id. 1. Ep. 16. 77. sævo te sub custode tenebo. Ammian. 29. 5. a med. Ut tentus ab Igmazene custodi-

retur. Id. 16. 12. ante med. Pater ejus diu obsidatus pignore tentus in Galliis. — 4.°) Similiter rectum servare, dirigere, tendere. Virg. 1. Æn. 373. vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? Quove tenetis iter? Cic. 3. Nat. D. 34. 83. Navigabat Syracusas: quumque secundissimo vento cursum teneret etc. Cæs. 5. B. G. 8. Leni Africo profectus, media nocte vento intermisso, cursum non tenuit et longius delatus æstu etc. Cic. Planc. 21. sub fin. Ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima ætate suscepisti, cohortentur. — Absolute. Liv. 31. 45. a med. Cassandream petentes, primo ad Mendin tenuere. Ovid. 3. Met. 690. Inter utrumque tene. ¶ 4. Item detinendi, continendi: hinc — 1.°) Est detinere, morari, trattenere. Cic. 11. Att. 3. Eum, qui litteras attulit, diutius tenui, quia quotidie aliquid novi exspectabamus. Id. 16. Fam. 7. Septimum jam diem Corcyræ tenebamur. et ibid. 19. Si ob eam rem moraris, accipio causam: si id te non tenet, advola. et 11. ibid. 17. in fin. Non tenebo te pluribus. — Absolute. Id. 3. Verr. 13. 34. Ne diutius teneam, pecunia attributa, numerata est. — 2.°) Est etiam continere, includere, tener chiuso: tenere se aliquo loco, starsi rinchiuso, ritirato. Virg. 2. G. 371. Texendæ sæpes etiam et pecus omne tenendum: Nepos Dion. 1. Quum a conventu remotum se Dion domi teneret. Cæs. 3. B. G. 17. Sabinus idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat. Adde Quintil. 9. 4. 30. — Hinc translate. Cæs. 5. B. G. 52. Magnam partem Galliæ in officio tenuit. Cf. Boeth. 2. Arithm. 2. Quos sexaginta quattuor ad nullum sesquitertium rursus aptabis, quoniam parte tertia non tenentur. h. e. il 64 non è divisibile per 3; non ha il 3 tra i suoi fattori. V. Veratti, Terminol. Matem. p. 95. ad h. v. — 3.°) Et abstinere, tenere lontano. Ovid. 1. Amor. 4. 10. Vix a te videor posse tenere manus. — Tenere se, se continere, abstinere, parcere. — a) Cum addito Abl. et præp. ab. Cic. 2. ad Q. fr. 3. circa med. Ego teneo ab accusando vix me hercule: sed tamen teneo. — b) Cum partic. quin. Id. 4. Acad. (2. pr.) 4. a med. Nec se tenuit, quin contra suum doctorem librum etiam ederet. Id. ad Dolabell. post ep. 14. l. 15. ad Att. Teneri non potui, quin tibi apertius illud idem his litteris declararem. — c) Cum Infinito. Plaut. Merc. prol. 51. Conclamitare tota urbe et prædicere, omnes tenerent mutuitanti credere. h. e. caverent, abstinerent, parcerent. — 4.°) Similiter compescere, supprimere. Cels. præf. a med. Compressum corpus resolvere, solutum tenere. Id. 4. 19. a med. Id assumptum leniter, sine ulla stomachi noxa ventrem tenet. Virg. 4. G. 483. tenuitque inhians tria Cerberus ora. Cic. 6. Verr. 18. sub fin. Vociferari palam: lacrimas vix tenere. Id. Dom. 6. 14. Tenere compressum frumentum. — Hinc translate. Id. Parad. 5. 1. Tenere iracundiam, coercere avaritiam, ceteras animi labes repellere. Id. 12. Att. 38. dolorem. Id. Brut. 80. ad fin. somnum. Id. Vatin. 8. a med. risum.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a notione possidendi. — 1.°) Est obtinere. — a) Cum Accus. Cic. Brut. 21. 81. Tenuit cum hoc locum quemdam etiam Ser. Fulvius. Cæs. 3. B. C. 42. Pompejus interclusus Dyrrachio, ubi propositum tenere non potuit, secundo usus consilio, edito loco castra communit. Cic. Senect. 11. 37. Appius tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos. Id. 2. Verr. 4. in fin. Hoc prætore Siculi neque suas leges neque nostra senatus consulta neque communia jura tenuerunt. Id. Cæcin. 24. 67. Scævola causam apud centumviros non tenuit. — b) Cum partic. ut, ne, et Conjunctivo. Plin. 6. Ep. 5. Tenuit Varenus, ut sibi evocare testes liceret. Liv. 4. 30. in fin. Plebs tenuit, ne consules in proximum annum crearentur. Id. 24. 19. Tenuit, ne incepto abiretur. — 2.°) Est etiam animum occupare, afficere, movere, impellere. Cic. Vatin. 6. 14. Quæ te tanta pravitas mentis tenuit, qui tantus furor, ut etc.? Id. post redit. ad Quirit. 1. 1. Ut aliquando vos memoria mei, misericordia desideriumque teneret. Id. 7. Att. 2. a med. De triumpho nulla me cupiditas umquam tenuit. Id. 1. Tusc. 41. 97. Magna me spes tenet, bene mihi evenire. Id. 1. Att. 11. in fin. Summum me librorum studium tenet, sicut odium jam ceterarum rerum. Sall. Jug. 3. extr. Nisi forte quem inhonesta et perniciosa libido tenet. et ibid. 35. Nondum vos dominationis eorum satietas tenet. — Et passive. Cic. 1. Nat. D. 17. a med. Neque ira neque gratia teneri. Id. 1. Acad. (post.) 2. 4. Teneri studio philosophiæ. Id. Senect. 10. a med. desiderio alicujus rei. Virg. 1. Æn. 679. amore magno alicujus. — 3.°) Hinc ponitur sæpe pro intelligere, scire, videre, intendere, sapere: nam qui intelligit, rem animo quasi arripit vel occupat. — a) Absolute. Ter. Andr. 1. 1. 58. Nam Andriæ illi id erat nomen. SO. teneo. intendo. — b) Cum Acc. Id. ibid. 2. 2. 12. rem tenes. PA. Istuc ipsum. — Passive. Cic. 1. Divinat. 15. 25. Quæ a Romanis auguribus ignorantur, a Cilicibus, Lyciis tenentur. — c) Cum partic. relativ. et Conjunctivo. Plaut. Capt. 3. 5. 39. Nunc ego teneo, nunc scio, quid sit hoc negotii. Ter. Andr. 3. 2. 18. Teneo quid erret. veggo lo sbaglio. et Heaut. 4. 3. 22. Tenes, quid dicam? Cæcin. ad Cic. 6. Fam. 7. ad fin. Tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæsar, tenes. Plaut. Pseud. 1. 2. 81. Tenes, quorsum hæc tendant, quæ loquor? — d) Cum Infinito. Id. Bacch. 4. 4. 10. Nullus frugi esse potest homo, nisi qui et bene et male facere tenet. Lucret. 3. 650. Corpore cum reliquo pugnam cædesque petissit, Nec tenet, amissam lævam cum tegmine sæpe Inter equos abstraxe rotas. — 4.°) Et pro convincere, capere. Cic. Quinct. 20. 63. Tribuni igitur appellabantur. Hic te, inquit, teneo, non est istud judicium pati etc. — Teneri, convictum esse, obnoxium esse. Id. Cæcin. 2. 4. Si negassent, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur. Id. 4. Verr. 78. 191. Nemo ita in manifesto peccatu tenebatur, ut etc. Id. Cluent. 41. in fin. Nec ullo argumento Cluentianæ pecuniæ crimen tenebitur. — Teneri furti, h. e. actione furti. Paul. Dig. 6. 1. 4. Sed et furti et ad exhibendum tenebitur, qui dolo malo etc. Sic Quintil. 5. 14. 11. Teneri cædis. Tac. 11. Ann. 7. repetundarum. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a notione servandi, retinendi. — 1.°) Est servare, retinere vel permanere. Nepos Eumen. 3. Tenuit hoc propositum. Cic. 1. Phil. 14. 27. Si consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenuero. et 5. ibid. 13. 35. Qui ordo in sententiis rogandis servari solet, eumdem tenebo in viris fortibus honorandis. Id. 1. Off. 30. 106. Tenendum esse modum voluptatis fruendæ. Sic Curt. 6. 10. 1. Tenere modum difficile est. — 2.°) Est sustentare, tueri. Cic. 2. Nat. D. 53. in fin. Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu. — 3.°) Item meminisse, memori mente habere, servare, sapere a mente, ricordarsi. Virg. 9. Ecl. 45. numeros memini, si verba tenerem. Plaut. Pers. 2. 2. 1. Satin hæc meministi et tenes? Martial. 4. 37. Et teneo melius ista, quam meum nomen. Cic. 3. Cat. 8. 19. Tenetis memoria, in Capitolio turres de cælo esse percussas. Id. 6. Fam. 2. Velim statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere. — 4.°) Similiter pro certo habere, affirmare, asserere, defendere. Id. 3. Fin. 13. sub fin. Quod idem Peripatetici non tenent. Id. 4. Acad. (2. pr.) 22. ad fin. Illud, quod multos annos tenuisset Zenonique magistro credidisset. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a notione continendi, abstinendi, detinendi. — 1.°) Est detinere, delectare, pascere, trattenere, dilettare. Id. 5. Fin. 18. 48. Pueri pompa, ludis atque hujusmodi spectaculis tenentur. Id. 4. Acad. (2. pr.) 7. ante med. Ut oculi pictura teneantur et aures cantibus. Ulp. Dig. 24. 3, 22. circa med. Tentus cupidine alicujus rei. Cf. II. 1. 2.° — 2.°) Tenere dicitur lex, decretum, quum suam vim habet atque obligat. Cic. 11. Phil. 5. 11. Vopiscus, qui ex ædilitate consulatum petit, solvatur legibus. quamquam leges eum non tenent. Paul. Dig. 27. 1. 31. Statim tenuit eum prius decretum. Papinian. ibid. 39. 1. 18. Omnes nuntiatio tenebit. Absolute Ulp. ibid. 9. 4. 35. Tenet condemnatio. — Hinc teneri lege, adstringi, obligari. Cic. Cæcin. 14. a med. Hoc interdicto Æbutius non tenetur. Id. Harusp. resp. 8. 15. Eos, qui id fecissent. lege de vi teneri. Id. 12. Att. 18. Quasi voto quodam et promisso me teneri puto. Id. 2. ad Q. fr. 3. a med. Qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur. Sic Liv. 24. 29. Teneri fœdere. et 1. 52. in fœdere. — Teneor hoc facere, debeo, Vorstius (De Latin mer. susp. c. 17.) usurpari ait a Justinian. in Instit. Jur., nullo tamen designato loco.

B) Neutrorum more. ¶ 1. Qua teneo significat possidere, occupare, potiri. — 1.°) Est invaleo, obtineo: hinc locutiones apud JCtos, tenet consuetudo, fama, invaluit, inducta est, obtinet. Quintil. 2. init. et 8. 5. 2. Tenuit consuetudo, quæ quotidie magis invalescit, ut etc. Liv. 1. 4. Tenet fama, lupam sitientem ex montibus etc. — 2.°) Est etiam sedem habere, esse aliquo in loco. Id. 32. 5. Qua abscissæ rupes erant, statio paucorum armatorum tenebat. (V. Madvig in Emend. Liv. p. 401.) Cf. eumd. 3. 62. Virg. 2. Æn. 505. tenent Danai, qua deficit ignis. ¶ 2. Qua teneo significat retinere, servare, est duro. Liv. 23. 44. Imber continens per noctem totam usque ad horam tertiam diei insequentis tenuit. Id. 2. 3. Per aliquot dies ea consultatio tenuit. Id. 24. 47. sub fin. Romæ fœdum incendium per duas noctes ac diem unum tenuit. Avien. Or. mar. 89. (et 136.) sed loco certo tenent. h. e. perstant, continuantur. — Hinc de tenente est uno tenore, continuo, Galli nunc dicunt d'un tenant, Itali di seguito. Auct. Pervigil. Ven. 46. De tenente tota nox est pervigilanda canticis.

Homonym. Possidere, habere et tenere ita distinguit Papinian. Dig. 41. 2. 49. « Qui in aliena potestate sunt, rem peculiarem tenere possunt, habere et possidere non possunt; quia possessio non tantum corporis, sed etiam juris est ». Hoc tamen discrimen perpetuum non est. Ad rem optime facit illud Plin. 1. Ep. 10. Nunc vero totum me tenet, habet, possidet. tenet manu (piglia), habet re (ha in potere), possidet jure (possiede od ha in legittimo possesso). — Item tenere, sumere et accipere ita distinguit Isid. Diff. App. n. 28. « Tenemus quæ sunt in nostra potestate; sumimus posita; accipimus data ».

TĔNER, ĕra, ĕrum, adject. Tener vaccula pro tenera est apud Catull. 20. 14. Tenerque, matre mugiente, vaccula. Alii leg. teneraque, alii rectius tenella. Critici tamen recentiores carmen hoc Catullo abjudicant. — Tenerum, genet. plur. pro tenerorum, apud Ennod. poet. p. 403. 16. H. — Teneribus pro teneris apud Cæl. Aurel. 3. Tard. 2. 27. — Ratione habita etymi, olim a Gr. τέρην per metathesin ducebatur. Sabini enim, ut tradit Favorinus apud Macrob. 2. Saturn. 14. sub fin., dicebant teranum pro tenerum: nunc vero a rad. Skr. tan, extendo, intendo, unde et tenus, tenuis, teneo etc. — Comp. Tenerior in omnib. paragr.; Sup. Tenerrimus I. 1. — Tener est tactu cedens, mollis, tractabilis, flexibilis, τέρην (It. molle, tenero, morbido; Fr. tendre; Hisp. tierno; Germ. weich, zart; Angl. tender, soft).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cato R. R. 45. Locus bipalio subactus siet beneque et terra tenera siet. Id. ibid. 151. Terra tenerrima. Cæs. 3. B. C. 58. Adeo teneris arundinum radicibus contusis equos alerent. Horat. 1. Sat. 3. 116. Qui teneros caules alieni infregerit horti. Id. 4. Od. 12. 9. Dicunt in tenero gramine pinguium Custodes ovium carmina fistula. Ovid. 1. Art. am. 299. prata tenerrima. Colum. De cult. hort. 283. tenera decumbere in herba. Id. ibid. 323. teneras audeat erodere frondes. Prudent. 2. Cathemer. 70. et fragili Lac tenerum premitur calatho. h. e. caseus mollis. Virg. 9. Ecl 51. cana legam

tenera lanugine mala. et 10. ibid. 49. ne teneras glacies secet aspera plantas. Cic. 1. Legg. 1. 2. Procera et tenera palma Ovid. Remed. am. 83. Teneræ uvæ. Gell. 17. 15. Sagittis elleboro tinctis ictæ feræ, teneriores ad epulas fiunt. — Tener dicitur aer a Lucret. 2. 145., Virg. 9. Æn. 698., Ovid. 4. Met. 615. et alibi, quia facile cedit. — Tener Phœbus est sol tepidus apud Colum. De cult. hort. 283. — Tenera vestis est rara, levis et facile flexilis. Pacat. Paneg. Theodos. 33. ad fin. Tenero perlucentes amictu et vix leve carbasum vitando sole tolerantes. — Tenera alvus est fluens. Cels. 3. 18. a med. Servanda alvus est quam tenerrima. — Tenerum intestinum, sc. tenue, habet Cæl. Aurel. 4. Tard. 3. 34. ¶ 2. Speciatim sæpe refertur ad ætatem primam animalis et est juvenis, recens. Lucil. apud Priscian. 6. p. 697. Putsch. Inde venit Romam tener ipse etiam atque puellus Virg. 2. G. 343. Teneræ res. Horat. 3. Od. 6. 25. puella incestos amores De tenero meditatur ungue. sin da fanciulla. et 4. ibid. 2. 54. Tener vitulus. Cic. Amic. 19. 67. Equis vetulis teneros anteponere solemus. Phædr. 2. 4. simul exieris pastum cum tenero grege, Aquila est parata rapere porcellos tibi. Val. Flacc. 1. 491. teneras complexus pectore tigres. Seneca Troad. 794. Tener juvencus. Propert. 2. 5. 9. me numina lædunt, Me tener in cunis et sine voce puer. Quintil. 2. 2. 3. Ut teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat. Ovid. 15. Met. 201. de anno. Nam tener et lactens puerique simillimus ævo Vere novo est. Tac. Dial. de orat. 29. Horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur. Plin. Paneg. 15. Disjunctissimas terras, teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti. — Tener mundus, recens conditus. Virg. 6. Ecl. 34. et ipse tener mundi concreverit orbis. Claudian. Cons. Mall. Theod. 253. teneri primordia mundi. — Teneri manes, pueri mortui. Stat. 6. Theb. 121. — A teneris unguiculis, a pueritia, ab infantia. Cic. 1. Fam. 6. Præsta te eum, qui mihi a teneris, ut Græci dicunt, unguiculis es cognitus. ἐξ ὀνύχων. Cf. Horat. 3. Od. 6. 23.

II.) Translate — a) Sumitur in bonam partem, et est dulcis, gratia præditus, comis et hujusmodi, dolce, delicato, grazioso, gentile, modesto. Cic. 3. Tusc. 6. 12. Non enim silice nati sumus, sed est naturale in animis tenerum quiddam atque molle. Seneca Ep. 11. ante med. Rubor magis in juvenibus apparet, quibus et plus caloris est, et tenera frons. h. e. verecunda: cui opponitur os durum. Sic Ovid. Heroid. 2. 143. Tener pudor. Cic. Amic. 13. sub fin. Neque audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream esse volunt: quæ est quum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis. Id. 5. Fam. 21. a med. Tenerior mihi animo videbare, sicut omnes fere, qui vita ingenua, in beata civitate et libera viximus. h. e. minus forti et in calamitate minus confirmato. Ovid. 2. Art. am. 546. Tener somnus. Plin. 35. Hist. nat. 6. 28. (47). Distat (arena hæc) a cæruleo candore modico, qui teneriorem hunc efficit colorem. Cic. Orat. 16. 52. Est oratio mollis et tenera et ita flexibilis, ut sequatur quocumque torqueas. Id. 3. Orat. 45. 176. Nihil est tam tenerum neque tam flexibile quam oratio. Claudian. 2. Rapt. Pros. 323. teneroque levant sermone timores. Alii leg. teneros dolores. Sic Stat. 2. Theb. 353. de Polynice. tenerumque dolorem Conjugis amplexu solatur. Claudian. Laud. Seren. 100. in metrum teneris conversa querelis. h. e. dulcibus, minime acerbis. — b) In malam partem, et refertur ad mores delicati hominis, luxui dediti, mollis, molle, effeminato, dato al lusso o alla mollezza, lezioso. Juvenal. 12. 39. vestem Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam. Id. 1. 22. Quum tener uxorem ducat spado. — Tener poeta, qui de amoribus tractat. Ovid. 3. Art. am. 333. Et teneri possis carmen legisse Properti. Id. Remed. am. 757. teneros ne tange poetas. Catull. 35. 1. Poetæ tenero, meo sodali. Hinc Ovid. 2. Art. am. 273. teneros versus mittere. h. e. amatorios. et 2. Amor. 8. 2. tenerum carmen. — Mollis est etiam in his. Ovid. 11. Met. 153. Pan teneris jactat sua carmina Nymphis. Id. 3. Amor. 2. 53. tener Bacchus. Plaut. Pseud. 1. 1. 65. Teneris labellis molles morsiunculæ. Petron. Sat. 118. Ut quisque versum pedibus instruxit sensumque teneriore verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse. — Hinc

Tener, i, m. et tenerum, i, n. 2. absolute, substantivorum more; unde — a) Teneri, orum, plur. num., sunt pueri. Claudian. 2. Laud. Stilich. 59. tantumque reservat Depositum teneris. h. e. filiis Theodosii. Juvenal. 14. 215. Parcendum est teneris. — b) Hinc a tenero, a teneris, in teneris, a pueritia, ab infantia, puerili ætate. Virg. 2. G. 272. adeo a teneris consuescere multum est. Alii leg. in teneris. Quintil. 1. 2. a med. Assuescat jam a tenero non reformidare homines. Nazar. Paneg. Constant. 4. Ipsum a tenero intuentes, in ipsum oculis ac mente conversi. Colum. 5. R. R. 6. circa med. Plurimum refert, ut plantæ eam partem cæli spectent, cui ab tenero consueverunt. — c) Tenera (tenerrima), orum, res teneræ, quod tenerum est. Plin. 18. Hist. nat. 19. 49. (177). Germinum tenera decerpere. Sic 24. ibid. 8. 29. (45). Tenerrima foliorum in vino albo decocta.

**TĔNĔRASCO** et sæpius teneresco, is, ere, n. 3. (inchoat. a tener) Part. Tenerescens. — Tenerasco est tener fio.

I.) Proprie. Plin. 17. Hist. nat. 22. 35. (189). In tantum tenerescere acinos, ut rumpantur. Id. 28. ibid. 12. 50. (183). Cutem in facie erugari et tenerescere et candorem custodiri lacte asinino putant. Cels. 6. 6. n. 4. Papaveris lacrima combusta, donec tenerescat. Tertull. Resurr. carn. 22. Tenerescentes arbores. Gloss. Lat. Gr. Tenerasco, ἁπαλοῦμαι.

II.) Translate. Lucret. 3. 767. Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem.

**TĔNĔRĒ**, adverb. (tener) Comp. Tenerius; Sup. Tenerrime. — Tenere est molliter, teneramente, delicatamente, ἁβρῶς. Pallad. 1. R. R. 6. in fin. Agri præsulem non ex dilectis et tenere educatis servulis ponas. Tac. Dial. de orat. 26. Oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicuntur. Plin. 4. Ep. 27. Audivi recitantem Sentium multa tenuiter, multa venuste, multa tenere. Petron. Sat. 24. Composit illa tenerius manus. Plin. 23. Hist. nat. 3. 35. (72). Cortex quam tenerrime derasus. Sillig. tenerrimæ.

**TĔNĔRESCENS**, entis, particip. et

**TĔNĔRESCO**. V. TENERASCO.

**TĔNĔRĬTAS**, ātis, f. 3. (tener) teneritudo, mollities, ἁπαλότης (It. tenerezza; Fr. tendreté, mollesse; Hisp. ternura, blandura; Germ. die Zartheit, Weichheit; Angl. tenderness, softness).

I.) Proprie. Plin. 9. Hist. nat. 42. 67. (143). Torpedinis jecori teneritas nulla præfertur. Id. 15. ibid. 24. 29. (100). Callum, teneritas, crassitudo uvarum. Id. 19. ibid. 8. 41. (141). Teneritas brassicæ. Id. 37. ibid. 7. 23. (101). gemmæ.

II.) Translate. Cic. 5. Fin. 21. 58. In primo ortu inest teneritas et mollities quædam, ut nec res videre optimas nec agere possint. Vitruv. 1. 2. a med. Ab severo more Doricorum et a teneritate Corinthiorum temperabitur earum institutio proprietatis. Id. 4. 1. a med. Teneritas ætatis.

**TĔNĔRĬTER**, adverb. (tener) idem ac tenere. Charis. 2. p. 182. Putsch. Tenere an teneriter dici debeat, quæsitum est. nam quidam teneriter efferunt, ut celeriter: alii vero tenere, ut libere.

**TĔNĔRĬTŪDO**, inis, f. 3. (tener) idem ac teneritas.

I.) Proprie. Varro 1. R. R. 36. Sin siccitates sunt et terra teneritudinem habet. Pallad. 6. R. R. 9. Sit caseus loco clauso, ut teneritudinem servet atque pinguedinem. Id. 2. ibid. 15. a med. Teneritudo corticis.

II.) Translate. Sueton. Tib. 44. Pueri primæ teneritudinis. Vulgat. interpr. Esth. 15. 6. Quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens. Adde Jer. 51. 34.

**TĔNĔRŌSĬTAS**, ātis, f. 3. (inus. tenerosus a tener) ætas tenera seu puerilis. Venant. Vit. S. Menard. 2. Quum tenerositatis annos temperaret voluntatis arbitrio.

**TĔNĔRŬLUS**, a, um, adject. deminut. a tener, aliquantum tener, tenerello. Rufin. De metr. comic. 1. § 26. p. 563. 5. Keil.

**TĔNESMŌDES**, is, adject. τεινεσμώδης, tenesmo similis. Theod. Priscian. 2. 2. 18. Si commotiones (ventris) vel pondera perseveraverint, quæ tenesmodes appellamus, hæc frequenter procurant ventris exponendi suavitatem.

**TĔNESMOS** et

**TĔNESMUS**, i, m. 2. τεινεσμός et τηνεσμός, pondi, tenesmo, morbus extremi directique intestini, in quo frequens est desidendi cupiditas et dolor, ubi aliquid excernitur; descendunt autem pituitæ mucisque similia, interdum etiam leviter subcruenta, sed his interponuntur nonnumquam ex cibo quoque recte cocta. Ita describit Cels. 4. 18., sed Græce scribit, ut et Nepos Att. 21. in multis libr. Est a τείνω, tendo, quia intestinum extenditur et vellicatur. Qui hujusmodi morbo laborant, quoddam quasi pondus habere sibi videntur in extremitate recti intestini ideoque Latini eidem commotiones vel pondere tribuunt (V. vocem præced.), Itali vero pondi eumdem appellant. Latine Plin. 28. Hist. nat. 14. 59. (211). Tenesmos, id est crebra et inanis voluntas desurgendi, tollitur poto lacte asinino. Id. 20. ibid. 6. 23. (54). Tenesmo allium in pulte medetur. et ibid. 21. 84. (227). Malvæ semen tenesmo et dysentericis utilissime infundi. Adde Scribon. Compos. 142. et Marcell. Empir. c. 29. sub init. Cæl. Aurel. 4. Tard. 6. 88. Tenesmus necessario providendus.

**TĔNETĀNUM** vinum memorat Veget. 4. Veterin. 10., sed quod et quale fuerit, ignoratur.

**TENGO MENAS**. V. TANGOMENAS.

**TĔNĬLIS**, e, adject. qui teneri potest. Gloss. Isid. Tenilis qui potest tenere (leg. teneri). Cf. habilis.

**TĔNĬVI**. V. TENEO init.

**TENNO**. V. TENDO init.

**TĔNON**, ontis, m. 3. τένων, extremitas musculorum, tendine. Cæl. Aurel. 3. Acut. 3. 20. Nervi majores, quos (Græci) tenontas appellant. Adde ibid. 6. sub init. et ibid. 8. 75.

**TĔNONTĂGRA**, æ, f. 1. τενοντάγρα, morbus, quo majores nervi tenentur seu tenduntur. Cæl. Aurel. 5. Tard. 2. 28., sed Græcis litteris.

**TĔNOR**, ōris, m. 3. (teneo) Etiam tonor apud Quintil. 1. 5. 22. — Tenor est series, continuatio æquabilis, progressus (It. tenore, continuazione; Fr. cours non interrompu, continuité; Hisp. continuidad, curso continuado; Germ. der ununterbrochene Fortgang; Angl. a tenour, continuance). ¶ 1. Generatim. Virg. 2. G. 336. Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies aliumve habuisse tenorem Crediderim. Liv. 8. 38. a med. Fremitus æqualis tenorque idem pugnæ in defatigationem ultimam aut noctem spectabat. Id. 35. 16. a med. Ab Rheginis et Neapolitanis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno et perpetuo tenore juris semper usurpato, numquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus. Id. 41. 15. a med. Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima est, minime convenire. Claudian. Cons. Mall. Theod. 212. Justique tenorem Flectere non odium cogit. Ovid. Heroid. 17. 14. Dumque tenor vitæ sit sine labe meæ. (Adde Liv. 40. 12.) Sic Plin. Paneg. 91. Congruens vitæ tenor. Id. 2. Art. am. 729. Hic tibi servandus tenor est. Id. 3. Met. 111. Sic ubi tolluntur festis aulæa theatris Surgere signa solent primumque ostendere vultum, Cetera paullatim: placidoque educta tenore Tota patent. a poco a poco senza fermarsi. et Virg. 10. Æn. 339. trajecto missa lacerto Protinus hasta fugit servatque cruenta tenorem. il suo impeto e corso. et Claudian. 3. Rapt. Pros. 361. Exploratque habiles truncos rectique tenorem

Stipitis. *h. e.* rectam proceritatem, rigorem. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 98. Et queis lasciva vires tenuare Thalia Dulce vel heroos gressu truncare tenores. *h. e.* quibus placet elegiacum carmen et interrumpere pentametris versibus tenorem carminis heroici. *Tac. Agric.* 6. Idem præturæ tenor et silentium. dictum per ἓν διὰ δυοῖν pro *tenor silentii,* h. e. continuum silentium. — *Tenorem austeritatis* in smaragdis vocat *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (67). perpetuum illum colorem austerum et saturum, qui tota gemma in eorum aliquo genere, nullo vitio corruptus, probatur. — *Uno tenore,* adverbialiter, sine intermissione, una eademque serie vel modo. *Cic. Orat.* 6. 21. *de stilo mediocri.* Isque uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens præter facilitatem et æquabilitatem: aut addit aliquos, ut in corona, toros omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit. *Liv.* 2. 42. *et* 23. 49. Uno velut tenore. *Id.* 22. 27. *a med.* Virum bonum egregiumque socium Hieronem esse atque uno tenore, ex quo in amicitiam populi Romani venerit, fidem coluisse. ¶ 2. Speciatim apud JCtos *tenor legis* est ejus sententia. *Paul. Dig.* 9. 2. 56. Mulier si in rem viri damnum dederit, pro tenore legis Aquiliæ convenitur. *Id.* 2. *Sentent. tit.* 21. *extr.* Filiafamilias, mortuo patre, si in servi contubernio perseveraverit, pro tenore S. C. Claudiani conventa efficitur ancilla. *Hermogenian. Dig.* 42. 1. 46. Actorum verba emendare tenore sententiæ perseverante, non est prohibitum. ¶ 3. Apud Grammaticos est accentus. *Quintil.* 1. 5. *ante med.* Adhuc difficilior observatio est per tenores (quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi, videlicet declinato a Græcis verbo, qui τόνους dicunt) vel accentus, quas Græci προσῳδίας vocant. *et infra.* Item Quantum, Quale interrogantes gravi, comparantes acuto tenore concludunt. *Priscian.* 1. 4. Syllabæ altitudinem habent in tenore. *Anecd. Helv.* ex *Cod. Bern. p.* XVIII. *Hag.* Tenor acutus, gravis vel circumflexus.

TENSA *vel* thensa, æ, f. 1. Ad scriptionem quod attinet, alii vocem putant a Græco desumptum ideoque per *th* scribendam; nam Θήσση pro Θήνση dicitur *Plutarcho* in *Coriol. c.* 25., et in *Diplomate* Neronis an. post Chr. LX. in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 845. et in Ligoriana apud *Gud.* 8. 1. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 21. Thensa cum aspiratione scribitur, ἀπὸ τοῦ Θείου, id est a re divina. Ita *Serv.* Alii vero Latinam esse volunt; nam in *Inscr.* optimæ notæ apud *Gruter.* 35. 12. inscriptum est *tensa:* quam quidem scriptionem prætulerim, quia veri est similius, esse Latinæ originis a *tendo,* quam Græcæ a Θεῖος. Confirmat *Diomed.,* qui 1. *p.* 372. *Putsch.* docet, *tensam* dictam esse, non *tentam,* ad vitandum cacophaton, ne verbum turpe sonaret in sacris. — Ratione habita etymi, *Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 59. Tensas alii a divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere et tangere qui eas deducunt. Hinc *Gloss. Philox.* Ἁρμὰ Θεῶν. Alii sic dictas putant, quia statuæ deorum in his velabantur linteis ad cubiculi speciem tensis; sed hi currus linteis velati rectius *carpenta* dicuntur, quam vocem vide. — Tensa est igitur vehiculum, quo deorum signa atque exuviæ in pompa transferuntur, *carretta o macchina da processione*; cui *ferculum* opponitur, quod humeris gestabatur. *Fest. p.* 364. 10. *Müll.* Tensam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviæ deorum ludicris Circensibus ad pulvinar vehuntur. Fuit et ex ebore, ut apud Titinium in Barbato: et ex argento. — De tensa V. *Cavedoni Saggio p.* 63. et *Append. p.* 158., præsertim *Bullett. archeol. a.* 1839. *p.* 12., *Braun* in *Annal. dell' Istit. archeol. a.* 1839. et *Rich* ad *h. v.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 3. *Verr.* 59. 154. Quam tu viam tensarum atque pompæ ejusmodi exegisti, ut tu ipse illa ire non audeas. *Id.* 5. *ibid.* 3. Qui ex tensarum orbitis prædari sit ausus. *et* 7. *ibid.* 72. *circa med.* Omnes dii, qui vehiculis tensarum solemnes cœtus ludorum initis. *Id. Harusp. resp.* 11. *a med.* Si puer ille patrimus et matrimus terram non tenuit aut tensam aut lorum omisit. *Liv.* 5. 41. Quæ augustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusque, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. *Sueton. Aug.* 43. Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, tensas deduceret. *Id. Vesp.* 5. Neronem monitum per quietem, ut tensam Jovis e sacrario in domum Vespasiani et inde in Circum deduceret. — Tensæ figura fortasse fuit, qualis in nummis gentis Rubriæ apud *Morell. Thesaur. numm. fam. Rom.* passim cernitur. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de quocumque curru, vehiculo. *Titin.* apud *Non. p.* 316. 2. *Merc.* Vende thensam atque mulos: sine eam pedibus grassari: confringe ejus superbiam.

II.) Translate. *Venant.* 3. *carm.* 20. 10. pia mater hirundo Confovet (*fetus*) et placide pendula tensa tegit.

TENSĀRĬUS *vel* thensarius, ii, m. 2. (tensa) qui frena et cingula aptat equis eosque loro et jugo jungit. *Accius* apud *Non. p.* 206. 12. *Merc.* Frena tensarii equorum accommodant. Ita leg. *Scalig.,* alii aliter. *Inscript.,* quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CLXXXIV., apud *Gruter.* 35. 12. NOMENCLATOR TENSAR. IVGARIS. Alii hic leg. *tensarius,* alii *tensarum,* qui nempe præerat equorum jugis ad tensas in pompam trahendas destinatis earumque ductores nominatim ciebat, ut ordine exirent. Ita *Furlanettus.* Sed recentiores non solum apud *Gruter.,* sed etiam apud *Acc.* aliter leg. V. *Ribbeck Trag. fr.* 686.

TENSĬBĬLIS, e, adject. (tendo) qui tendi potest. *Cassiod. De music.* Instrumentorum musicorum genera sunt tria: percussionale, tensibile, inflatile. Tensibilia sunt chordarum fila sub arte religata, quæ amodo plectro percussa mulcent aurium delectabiliter sensum; in quibus sunt species citharárum diversarum.

TENSĬO (tentio), ōnis, f. 3. (tendo) Etiam *tentio* pro *tensio* habet *Priscian.* XII. *vers. Æn.* 5. *p.* 484. 5. *Keil.* et leg. *Rose* apud *Vitruv. loc. cit.* et *Phædro* 4. 13. *in fin.* quidam tribuunt, ubi *penis tentio* pro *pœnitentia* leg., idque confirmat *Gloss. Lat. Gr.* Tentio, τάσις. — Tensio est actus tendendi, intensio, τάσις (It. *tensione, tesa;* Fr. *tension, action de tendre;* Hisp. *tension, tender;* Germ. *die Spannung, Ansdehnung;* Angl. *a stretching, distending*). ¶ 1. Generatim. *Hygin. Gromat. init.* Nunc papilionum tensionem ostendemus. — In plur. num. *Vitruv.* 1. 1. *circa med.* Brachia, quæ in eas tensiones includuntur, quum extenduntur æqualiter etc. *h. e.* nervos extentos. ¶ 2. Speciatim apud Medicos est morbi genus. *Veget.* 1. *Veterin.* 53. *extr.* Tensione laborare. *Scribon. Compos.* 101. *et* 255. Tensio et contractio nervorum. *et* 260. præcordiorum. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 6. 72. Tensio inguinum. *Id.* 3. *Acut.* 6. 68. dorsi et clunium. *Id. ibid.* 63. musculorum atque buccarum. *Id. ibid.* 65. *de tetano.* involuntaria. *et ibid.* 66. levis. Adde *Theod. Priscian.* 2. 10. et *Plin. Val.* 3. 13.

TENSOR, ōris, m. 3. (tendo) qui tendit. *Auct. inc.* in *Anthol. Lat. n.* 19. *Riese.* Harmoniæ tensor. Adde *Gloss.* ed. *Loewe p.* 85.

TENSŪRA, æ, f. 1. (tendo) idem ac tensio. *Hygin. Gromat. sub init.* Papilio unus occupat ped. X, accipit incrementum tensuræ ped. II., tegit homines VIII. — Speciatim apud Medicos est morbi genus, quo corporis membrum tenditur. *Veget.* 1. *Veterin.* 21. *ad fin.* Quæ tensura, ut ita dixerim, corporis aliter laxari non potest. Adde 2. *ibid.* 25. et *Æmil. Macr. c.* 10. *de anetho.* — Eadem ac tentigo, apud *Theod. Priscian.* 4. 1. *ante med.* Si non pausaverit veretri tensura, idem veretrum oleo unges.

TENSUS, a, um, particip. *V.* TENDO.

TENTĀBUNDUS *vel* temptabundus, a, um, adject. (tento) sæpius manu explorans, πειράζων. *Liv.* 31. 36. Ut ægre expeditus miles tentabundus manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset. *brancolone, brancolando.*

TENTĀCŬLUM *vel* temptaculum, i, n. 2. (tento) idem ac tentamen. *Vulg. interpr. Ital. Gen.* 43. 19.

TENTĀMEN *vel* temptamen, ĭnis, n. 3. (tento) idem ac tentatio, *sperimento, prova. Ovid.* 3. *Met.* 341. Prima fide vocisque ratæ tentamina sumpsit Cærula Liriope. Ubi *fide* dixit pro *fidei,* more antiquo. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 19. — Morali sensu. *Id.* 7. *ibid.* 734. Quid referam, quoties tentamina nostra pudici Repulerint mores? *tentazione.* Adde *Augustin. Serm.* 12. ed. *Mai.*

TENTĀMENTUM *vel* temptamentum, i, n. 2. (tento) experimentum, periculum, *prova, esperimento,* πειρασμός. *Virg.* 8. *Æn.* 143. His fretus non legatos neque prima per artem Tentamenta tui pepigi: me, me ipse meumque Objeci caput. *Ovid.* 13. *Met.* 628. postquam mortalia cernunt Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum, Auxilium cæleste petunt. *Gell.* 9. 15. Exponit igitur tentamenti gratia controversiam parum consistentem. Adde *Ascon.* in *Divin. Verr.* 8. *ad fin.* et *Macrob. p.* 2764. *Putsch.* — Morali sensu. *Ovid.* 7. *Met.* 727. tentamenta fide. *h. e.* periculum fidei uxoris, ut in voce præced. *tentazione.*

TENTANS, antis, particip. *V.* TENTO.

TENTĀTĬO *vel* temptatio, i, f. 3. (tento) actus tentandi, periculum, experimentum, πείρασις (It. *prova, esperienza;* Fr. *tentative, essai;* Hisp. *tentativa, ensay, prueba;* Germ. *die Probe, der Versuch;* Angl. *a trying, essaying, proof*). ¶ 1. Universim. *Liv.* 4. 42. Ægre Hortensius pati, tentationem eam credens perseverantiæ suæ. Adde 41. 23. *a med.* ¶ 2. *Tentatio morbi,* accessus, *assalto. Cic.* 10. *Att.* 17. Valetudinem tuam jam confirmatam esse et a vetere morbo et a novis tentationibus, gaudeo. Cf. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 3. *sub init.* ¶ 3. Morali sensu. — *a*) In bonam partem. *Vulg. interpr.* 1. *Mach.* 2. 52. Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis. Cf. *Gen.* 22. 1. — *b*) Sæpius in malam partem, est incitatio ad malum. *Tertull. Fug. pers.* 2. Jobo diabolus nullam potuit incutere tentationem. Adde *Vulg. interpr.* 1. *Petr.* 1. 6. Cf. *Augustin.* 1. *Civ. D.* 27. Mundus per omnes horas tentationis plenus. *Juvenc.* 1. 629. Tetri sæva procul tentatio dæmonis absit. ¶ 4. In illo *Vulg. interpr. Ps.* 94. 9. Secundum diem tentationis in deserto. *tentatio* haberi potest ut nomen loci proprium. In Hebraico est: «*Sicut in Meribah, sicut die Massæ in deserto*». *h. e.* ad stationes Meribæ et Massæ. Cf. *Exod.* 17. 7.

TENTĀTĪVUS *vel* temptativus, a, um, adject. (tento) tentandi vim habens. *Boeth.* 1. *Arist. Elench. Soph.* 2. Sunt autem ad disputandum orationum genera quattuor, doctrinales, dialecticæ, tentativæ, contentiosæ. Tentativæ vero, quæ ex iis attigunt, quæ videntur respondenti, et quæ necessarium est eum scire, qui simulat se habere scientiam, quomodo determinandum est in aliis. Adde *ibid.* 10.

TENTĀTOR *vel* temptator, ōris, m. 3. (tento) qui tentat, *tentatore,* πειραστής. *Horat.* 3. *Od.* 4. 71. Notus et integræ Tentator Orion Dianæ. *Arat.* 2. *Act. Ap.* 561. scelerumque vapores Ignitus tentator (*diabolus*) agat. Sic *Juvenc.* 1. 412. Rursus at ille dolos - Nectere tentator properat. — *Tertull. De anim.* 38. Auctumnus tentator valetudinum. *h. e.* aggressor, adversarius. Adde *Vulg. interpr. Ital. Jac.* 1. 13.; ubi *Noster* habet *intentator* loco τοῦ *tentator,* et recte quidem, nam continuo sequitur: *Deus autem neminem tentat.* Ne sit igitur hic ex una parte aliquid absurdum, si *tentator* admittatur; ex altera vero, si *intentator* sumatur pro eo qui non tentat, aliquid, quod ob mox sequentia tautologiam redoleat, Gr. ἀπείραστος non active, sed, ut sæpe fit, passive accipiendum est, ita ut sensus sit: Deum, ad malum, nec tentari nec tentare posse, *nè tentabile, nè tentante o tentatore.*

TENTĀTRIX *vel* temptatrix, trīcis, f. 3. (tentator) quæ tentat vel incitat ad malum. *Augustin. Serm.* 15. ed. *Mai.* (*Job*) patitur conju-

gem tentatricem, relictam sibi diaboli adjutricem. Adde *eumd.* in *Ps.* 55. *n.* 20.

TENTĀTUS, a, um, particip. *V.* TENTO.

TENTĪGO, inis, f. 3. (tendo) turpis pruritus verendorum, πριαπισμός. — *a*) De verendis virilibus. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 118. malis tentigine rumpi? Adde *Auct. Priap.* 23. et 34. et *Martial.* 7. 67. — *b*) De verendis muliebribus. *Juvenal.* 6. 128. *de Messalina.* adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. 182.

TENTĪLĀBĬUM, ii, n. 2. (tendo *et* labium) tenta alicujus rei extremitas vel ora. *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. Fornaces circumducto tentilabio coronatas. Alii tamen rectius leg. *tereti labio.*

TENTĬO. *V.* TENSIO init.

TENTĬPELLĬUM, ii, n. 2. (tendo *et* pellis) forma sutoris, *forma,* de qua *Horat.* 2. *Sat.* 3. 106. et *Ulp. Dig.* 9. 2. 5. § 3.

I.) Proprie. *Fest. p.* 364. 19. *Müll.* Tentipellium Artorius putat esse calciamentum ferratum, quo pelles extenduntur. Idem, Afranium dixisse in Promo: Pro manibus credo habere ego illos tentipellium. *h. e.* manus præduras instar formæ sutoriæ. Cf. *Martial.* 9. 73.

II.) Translate est medicamentum, quo cutis rugæ extenduntur, τετάνωθρον. *Gloss. Philox.* Tentipellium, φάρμακον πρὸς ῥυτίδας. *Festus loc. cit.* Titinium, ait Verrius, existimare, id medicamentum esse, quo rugæ extenduntur, quum dicat: Tentipellium inducis, rugæ in ore extenduntur; quum ille τροπικῶς dixerit. Hic apparet, inquit *Forcellinus,* verba *rugæ in ore extenduntur* esse glossema, quod in textum, ut sæpe alias factum fuisse constat, receptum est. Hoc tamen *Müllerus* falsum esse putat eaque verba pro genuinis habet. *V.* TETANOTHRUM.

TENTO *vel* tempto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat.* aut *intens. a* teneo *vel* tendo) Ad scriptionem quod attinet, in multis libris legitur *tempto:* atque ita scriptum est in vet. Lap. apud *Manut* in *Orthogr.* et placuit *Faerno* hodieque fere scribitur: at displicet *Manutio, Dausqu., Cellar.,* quum contra rationem suæ originis sit. Verum *Marini Iscriz. Alb. p.* 142. et *Frat. Arv. p.* 339. et 343. ex pluribus lapidib. optimæ notæ probat, lectionem *tempto* passim receptam apud Latinos fuisse. Sic, inquit *H. Mausel* in *Lex. Cæs. p.* 2138., in codd. semper videtur inveniri *temptare,* rarius *temtare,* nusquam vero *tentare.* — Part. *Tentans* I. *a* et *b* et II. 3. *b*; *Tentatus* I. *b* et II. 3. 6. et 8.; *Tentaturus* II. 3. *a* et 9.; *Tentandus* I. *a* et II. 3. *a* et 7. — Tento est tangendo exploro, manu tracto: est enim diu et multum tenere ac tractare, ut solent quippiam exploraturi (It. *toccare e ritoccare;* Fr. *tâter, toucher et retoucher;* Hisp. *tocar y retocar;* Germ. *betasten, wiederhol berühren;* Angl. *to touch and retouch, explore by touching*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 234. si quadratum tentamus, et id nos Commovet in tenebris. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, ut vix pede tentare id possim. *Virg.* 3. *G.* 563. invisos siquis tentarat amictus. *Ovid.* 10. *Met.* 282. manibus quoque pectora tentat. Tentatum mollescit ebur. *Phædr.* 3. 10. Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput. Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *a med.* Pulli singuli tentandi, nequid hesterni habeant in gutture. et *ibid.* 11. *circa med.* Sæpiusque digitis loca feminarum tentanda sunt. nam in promptu gerunt ova, quibus jam partus appropinquat. *Ovid.* 2. *Fast.* 254. Corvus tentat ficum rostro. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 27. (98). *de Tauro monte.* Ubi brachia emittit, tentanti maria similis. — In re medica. *Quintil.* 11. 3. 88. et *Sueton. Tib.* 72. Tentare venas. Sic *Ovid.* 10. *Met.* 289. saliunt tentatæ pollice venæ. Adde *Heroid.* 20. 141. ¶ 2. Speciatim est invadere, aggredi, appetere, oppugnare, quod quidem fit sæpius aut vehementius tangendo. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Tentare opera. *Id.* 3. *B. C.* 55. Achajam. *Alii interpretantur* sollicitare. *Id. ibid.* 40. Simul ex terra scalis et classe mœnia oppidi tentans. *Liv.* 3. 5. Tentare urbem. Adde 45. 11. *Sueton. Claud.* 17. Britanniam. Sic *Flor.* 2. 14. Populus R. virum Thraciæ auxiliis ingentibus validum temere tentavit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Legg.* 22. *ad fin.* Quum se ipse perspexerit totumque tentaverit, intelliget, quanta instrumenta habeat ad obtinendam sapientiam. ¶ 2. Speciatim est quærere, *cercare.* — *a*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Quod eo invito iter per provinciam per vim tentassent. *Alii interpr.* experti essent. Sic *Horat.* 3. *Od.* 2. 22. Virtus, recludens immeritis mori Cœlum, negatâ tentat iter viâ. *Virg.* 3. *Æn.* 145. Tentare auxilium laborum. — *b*) Cum Infinito. *Juvenal.* 7. 3. quum celebres notique poetæ Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos Tentarent. — *c*) Cum particula *si. Phædr.* 4. 7. *de vipera.* Hæc quum tentaret, siqua res esset cibi, Limam momordit. — *d*) Cum partic. relativ. *Virg.* 11. *Æn.* 761. quæ sit fortuna facillima, tentat. *Juvenal.* 7. 175. tenta, Chrysogonus quanti doceat vel Pollio quanti. — *e*) Cum partic. *ut* et Conjunctivo. *Sueton. Cæs.* 11. Tentavit per partem tribunorum, ut sibi Ægyptus provincia daretur. — Possunt tamen hæc ad paragr. mox insequentem commode referri. ¶ 3. Item sæpe est experiri, periculum facere, periclitari, *provare, far prova, tentare,* πειράζω: et occurrit tum in bonam tum in malam partem. — *a*) Absolute *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Eruptionem tentare. *Cic.* 7. *Verr.* 50. *a med.* Homines in prœliis, non in conviviis, belli fortunam tentare, periclitari solent. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. Experiar et tentabo omnia. *Virg.* 4. *Ecl.* 32. Tentare Thetim ratibus. *Horat.* 3. *Od.* 4. 31. Bosporum. *Tac. Germ.* 34. Oceanum. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 135. Solstitio Meroen, bruma tentabimus Istrum. *h. e.* adibimus. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 47. Tentare alicujus vires in arcu. *Petron. Tr. hal.* 18. ed. *Wernsd. v.* 4. Tentant in armis se duces. *Auct. Philom.* 5. *ibid. v.* 6. volucres modulamina tentant. *Ovid.* 10. *Met.* 145. Ut satis impulsas tentavit pollice chordas. *h. e.* prolusit, meditatus est. Sunt qui leg. apud *Stat.* 1. *Theb.* 33. tento chelyn. pro *tendo.* Sic Græci adhibent πειράζειν. *Cic. Orat.* 38. 132. Nullo modo animus audientis aut incitari aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit. *Id.* 12. *Att.* 18. *ante med.* Habeo nihil tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam. *Cæs.* 1. *B. C.* 16. *extr.* Sæpius rem frustra tentatam Cæsar aliquando dimittendam sibi judicabat. *Sall. Jug.* 23. Prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat. *Sueton. Ner.* 49. Pugiones duos arripuit, tentataque utriusque acie, rursus condidit. *Ovid.* 11. *Met.* 326. Lingua tacet; nec vox tentataque verba sequuntur. *Id.* 3. *Trist.* 9. 8. ratis Per non tentatas prima cucurrit aquas. *Id.* 1. *Art. am.* 394. Perprime tentatam. *h. e.* comprime, quam prius precibus tentaveris. *Virg.* 3. *G.* 8. tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo. *Id.* 4. *Æn.* 293. Tentaturum aditus et quæ mollissima fandi Tempora. et 5. *ibid.* 499. Ausus et ipse manu juvenum tentare labores. *Id.* 11. *ibid.* 912. ineant pugnas et prœlia tentent. *Sil. It.* 15. 360. Tentare Martem. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. *a med.* patientiam alicujus. et 1. *Tusc.* 41. 98. prudentiam. et 1. *Divinat.* 17. *circa med.* scientiam. *far prova, se uno è paziente, prudente, dotto.* et *Sil. It.* 2. 510. Tentare nisus. — *b*) Cum partic. interrog. *Cic.* 1. *Tusc.* 4. 7. Tentavi, quid in eo genere possem. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 84. *Phædr.* 1. 23. quum fur panem misisset cani, Objecto tentans, an cibo posset capi. — *c*) Cum part. *si. Cæs.* 1. *B. C.* 83. Tentare, si transire possent. — *d*) Cum Conjunctivo et part. *ut. Cic. Rosc. Am.* 5. 13. Quod aliud tentatur, nisi ut id fieri liceat? Adde *Liv.* 4. 49. — *e*) Cum Infinito. *Curt.* 3. 7. 13. Litteras deferre tentavit. — Huc refert *Klotzius,* quæ in proxim. paragr. 4. secuntur, loca. — *f*) Impersonaliter. *Liv.* 4. 49. Tentatum ab L. Sextio, tribuno plebis, ut rogationem ferret. ¶ 4. Item aggredi, conari. *Lucret.* 5. 659. sol cœlum radiis accendere tentans. *Virg.* 12. *Æn.* 103. mugitus quum prima in prœlia taurus Terrificos ciet atque irasci in prœlia tentat. *h. e.* parat, meditatur. *Id.* de eadem re 3. *G.* 232. Et tentat sese atque irasci in cornua discit. *Ovid.* 2. *Met.* 171. gelidi caluere Triones Et vetito frustra tentarunt æquore tingi. *Nepos Att.* 4. Qui quum persuadere tentaret, noli, oro te, inquit Pomponius etc. *Pers.* 4. 23. nemo in sese tentat descendere. — *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 6. 66. Tententibus igitur in has passiones devenire. *h. e.* pronis, proclivibus vel declivibus. ¶ 5. Hinc *tentare aliquem* est conari in suam sententiam pertrahere et labefactare: fere in malam partem. *Cic. Cluent.* 63. 176. Quum essent animi servorum spe et metu tentati, ut aliquid in quæstione dicerent. et *ibid.* 30. 80. Tentare judicium pecunia. *Sueton. Tib.* 12. *sub fin.* singulorum animos ad res novas. *Virg.* 4. *Æn.* 113. animum alicujus precando. *Tac.* 1. *Hist.* 74. aliquem promissis et minis. *Juvenal.* 10. 304. prodiga corruptoris Improbitas ipsos audet tentare parentes. ¶ 6. Similiter illicere sed in malam partem, puta ad fidem mutandam, sollicitare ad facinus patrandum, *tentare, sollecitare.* — *a*) Absolute. *Sall. Jug.* 52. Tentare popularium animos. *Nepos Epam.* 4. Tentata ejus est abstinentia a Diomedonte Cyziceno. *Ovid.* 11. *Met.* 239. precibus tentata repugnas. *Tac.* 2. *Hist.* 20. *a med.* Tentata Othonianorum fides per colloquium et promissa. — *b*) Cum partic. *ut* et Conjunctivo. *Tac.* 2. *Ann.* 28. Tentatus, ut infernas umbras carminibus eliceret. Adde *Liv.* 4. 55. — *c*) Cum partic. *an. Tac.* 4. *Hist.* 86. Creditur Domitianus tentavisse, an præsenti sibi exercitum traditurus foret. — Improprie *tentare Deum,* se imprudenter ac temere periculis exponere Dei auxilio confisos. *Vulgat. interpr. Ps.* 77. 18., *Matth.* 4. 7. *etc.* ¶ 7. Item tangendo irritare, provocare. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 23. Erat metus injectus iis nationibus, quas populus R. neque lacessendas bello neque tentandas putavit. *Lucan.* 2. 529. Tentandasque ratus moturi militis iras. *Martial.* 6. 64. rabido nec perditus ore Fumantem nasum vivi tentaveris ursi. ¶ 8. Item invadere, infesto animo aggredi, vexare. *Cic. Cœl.* 22. *sub fin.* Domus illa, quæ tentata scelere isto nefario dicitur, plena est integritatis, officii, religionis. *Id. Rabir. perduell.* 1. *a med.* In his rebus evertendis unius hominis senectus, infirmitas solitudoque tentata est. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 80. si condoluit tentatum frigore corpus. *Justin.* 42. 1. 1. In ultionem tentati ab Antiocho Parthici regni. *Nepos Cat.* 2. *in fin.* A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existimationis fecit etc. *h. e.* accusationibus petitus. *Flor.* 3. 5. *a med.* Mithridates male tentatum veneno spiritum ferro expulit. — Hac ratione sæpe de morbis dicitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 2. Gravis auctumnus exercitum valetudine tentaverat. *Cic.* 4. *Tusc.* 14. 31. Animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt. *Virg.* 3. *G.* 441. Turpis oves tentat scabies. *Sueton. Aug.* 81. Initio veris præcordiorum inflatione tentabatur. *Id. Vesp.* 24. Tentatus est in Campania motiunculis levibus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 113. (174). Numquam tentari ab eo morbo. ¶ 9. Item dicitur de vino, quod vires adimit et vacillare facit. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 20. (35). Vina tentant caput. *Id.* 20. *ibid.* 7. 26. (68). Tentantes aquas non nocere lactucam edentibus. *Virg.* 2. *G.* 93. tenuisque Lageos Tentatura pedes olim vincturaque linguam. ¶ 10. Item de stupro appellare. *Tibull.* 1. 3. 73., *Ovid.* 1. *Art. am.* 389. et *Val. Max.* 6. 1. *n.* 7.

TENTOR, ōris, m. 3. ¶ 1. Est qui tenet. In laterculo lapideo familiæ quadrigariæ T. At. Capitonis, apud *Gruter.* 339. 5. et in alio 340. 3. inter varia officia inservientium equis et quadrigis Circensibus enumerantur tentores: quos alii fuisse putant, qui in Circo vestes certantium et aurigarum tenebant: alii qui equos currusve aut repagula ipsa tenebant, antequam emittendi signum ederetur: alii denique, qui frena et lora equis aptabant et eos quadrigis jungebant. Hæc postrema sententia veri videtur similior. ¶ 2.

Est etiam qui tendit. Priscian. Part. XII. vers. Æn. 5. p. 484. 4. Keil.

TENTŌRĬŎLUM, i, n. 2. deminut. a tentorium, parvum tentorium, tendetta, trabacchetta, σκηνίδιον. Auct. B. Afr. 47. a med. Pauci sub pellibus acquiescebant: reliqui ex vestimentis tentoriolis factis etc.

TENTŌRĬUM, ii, n. 2. V. voc. seq.

TENTŌRĬUS, a, um, adject. (tendo) ad tendendum pertinens. Valerian. in epist. apud Trebell. Claud. 14. Huic dabis pellium tentoriarum decurias triginta. — Hinc

Tentorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, proprie velum funibus tensum, papilio extensis velis contra solem cælique injurias excitatus; quo milites præcipue in expeditionibus uti solent (V. PAPILIO), cui opponitur tabernaculum, quod ligneum erat, σκηνή, σκήνημα (It. tenda, padiglione; Fr. tente; Hisp. tienda; Germ. das Zelt; Angl. tent). Virg. 1. Æn. 472. Rhesi niveis tentoria velis Agnoscit lacrimans. Adde Liv. 27. 46. Auct. B. G. 8. 5. Tecta, quæ conjectis celeriter stramentis, tentoriorum gratia erant inædificata. Lucan. 6. 269. armaque late Spargit et effuso laxat tentoria campo. et 9. 912. simul jussit statui tentoria ductor. et 1. 369. cavo tentoria fixa Lemanno. Sueton. Tib. 18. a med. Sæpe sine tentorio pernoctabat. Ovid. 3. Fast. 527. Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt.

TENTRIX, tricis, f. 3. (tentor) quæ tendit. Priscian. loc. cit. in TENTOR.

TENTUM, i, V. TENTUS.

TENTŪRA, æ, f. 1. (tendo) idem ac tensura. Hygin. Gromat. p. 13. col. 2. ad fin. Ut tenturæ amplius efficientes, quam strigæ, in eamdem pedaturam incurrant.

TENTUS, a, um, particip. V. TENDO et TENEO.

TĔNŬĀBĬLIS, e, adject. (tenuo) qui tenuat, estenuante, sottigliante. Cæl. Aurel. 3. Acut. 4. ante med. Superunctiones tenuabiles et apertibiles.

TĔNŬĀRĬUS. V. TENUIARIUS.

TĔNŬĀTIM, adverb. (tenuo) tenuatum in modum, sottilmente. Apic. 2. 4. Intestinum perquam tenuatim productum. Schuch leg. tenuatum.

TĔNŬĀTĬO, ōnis, f. 3. (tenuo) macies, stenuazione. Cæl. Aurel. 2. Tard. 1. 8. Cum pallore et tenuatione partis vitiatæ.

TĔNŬĀTUS, a, um, particip. V. TENUO.

TĔNŬESCENS, entis, particip. ab inusit. tenuesco, qui tenuis fit, qui tenuatur. Censorino tribuitur circa med. cap. 3. Hac (luna) universa gignentia crescente pubescunt, tenuescente tenuantur.

TĔNŬĬĀRĬUS vel tenuarius, a, um, adject. (tenuis) qui tenuia facit; hinc vestis tenuiaria, tenuissimo filo texta, in Inscr. apud Rénier n. 4111. (Wilmans n. 2738.) TVNICAM TENVARIAM (sic) DENARIO VNO SEMISSE. — Et vestiarius tenuiarius et textor (textrix) vestiarius tenuiarius, qui vestes tenuiores facit (h. e. leviores, rariores, tenuissimo, ut diximus, filo textas; cujusmodi a ditioribus æstate gestantur, qui, ut ait Juvenal. 6. 258., tenui sudant in cyclade; quorum Delicias et panniculus bombycinus urit.) vel earum institor est. Inscr. apud Gruter. 650. 8. M. CINCIVS M. L. THEOPHILVS VESTIARIVS TENVIARIVS. et 1111. 7. L. AGRIO VESTIARIO TENVIARIO IMP. CAES. ANTONINI PII etc. Alia apud Gud. 200. 1. IVLIAE AVG. L. PROMENAE TEXTR. TENVIARIAE VESTIARIAE C. IVLIVS C. F. PSAMENVS TEXTOR VESTIARIVS TENVIARIVS. Adde aliam apud Don. 35. Alia apud Orell. n. 4297. VESTIARIVS TENVIARIVS MOLOCHINARIVS., quæ tamen spuria videtur.

TĔNŬĬCŬLUS, a, um, adject. deminut. a tenuis, aliquantum tenuis, angustus, πρόψιλος, εὐτελής. Cic. 9. Fam. 19. Tenuiculo apparatu significans Balbum fuisse contentum.

TĔNŬIS, e, adject. — a) Poetæ, ad primam producendam, u consonantem faciunt, ut sit tenvis, ipsamque vocem syllaba breviorem: vel, ut aliis placet, proceleusmaticum pedem pro dactylo ponunt. Lucret. 4. 1243. Tenue locis quia non potis etc. Virg. 2. G. 180. Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis. et ibid. 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. Lucret. 3. 244. Qua neque mobilius quidquam nec tenuius exstat. Seren. Sammon. 18. 324. Ebibe seu salibus piper adde et tenue cuminum. — Utuntur etiam synizesi. Stat. 5. Theb. 597. Rapta cutis: tenuia ossa patent nexusque madentes Sanguinis imbre novi. et 6. ibid. 196. Obnubit tenuia ora comis ac talia fletu etc. Id. 1. Silv. 4. 36. Sperne coli tenuiore lyra. Id. 4. Theb. 697. Dixerat: ast illis tenuior percurrere visus Ora situs. Adde 12. ibid. 2. Cf. Lachm. ad Lucr. p. 115. et 192. et Müll. De re metr. p. 260. — b) Origo vocis est a rad. Skr. tan, unde τείνω, tendo, extendo (V. TENDO et TENEO), ita ut proprie sit idem quod τετανός, extentus, exporrectus; nam quæ extenduntur, ea attenuantur, ut liquet in pannis, laminis atque aliis. — Comp. Tenuior I. 1. et II. 2.; Tenuissimus I. 1. 3. et 4.; II. 2. — Tenuis est subtilis, exilis, gracilis, λεπτός (It. sottile, tenue; Fr. fin, mince. delié, Hisp. fino, delgado, sutil; Germ. dünn, fein, eng, schmal; Angl. thin, fine, subtile): cui opponitur crassus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Ovid. 3. Art. am. 707. et 4. Met. 104. et 2. Fast. 319. Tenues vestes. di drappo sottile e leggero. et Tibull. 2. 6. 35. vestes tenues, quas femina Coa Texuit. Rursum Ovid. 3. Art. am. 445. tenuissima filo toga. Virg. 4. Æn. 264. et tenui telas discreverat auro. Id. 3. G. 166. laxos tenui de vimine circlos. et 1. ibid. 92. Tenues pluviæ. et 3. ibid. 217. Tenuis nebula. et 4. ibid. 311. aer. Sic Ovid. Heroid. 1. 79. hoc crimen tenues vanescat in auras. Cels. præf. sub fin. et Cic. Fat. 4. 7. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes. aria sottile. et Cic. 1. Divinat. 57. 131. Cælum tenue purumque et propterea salubre. Quintil. 11. 3. 32. Tenuis aut præpinguis vox. Cic. 2. Nat. D. 57. 142. Natura oculos membranis tenuissimis vestivit. Ovid. 3. Art. am. 77. Tenuis pellis. et 1. ibid. 14. 5. et Tibull. 1. 10. 68. Tenues capilli. Martial. 14. 3. in tenues secta ligna tabellas. Colum. 7. R. R. 2. a med. Tenuioris velleris arietes. Ovid. 3. Amor. 7. 30. Tenues acus. Liv. 25. 23. in fin. Ad mille fere armati tenui agmine per silentium eo deducti. in lunghe e strette file. Sic Tac. 1. Ann. 64. sub fin. Nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quæ tenuem aciem pateretur. Ovid. 14. Met. 411. et 2. Fast. 565. Tenues animæ. h. e. vita functæ et sine corpore. Sic Tibull. 3. 2. 9. quum tenuem fuero mutatus in umbram. ¶ 2. Speciatim est macer, gracilis, magro, scarno. Martial. 11. 101. Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre? h. e. tam exilem, gracilem, magra, secca, scarna. et Nemesian. Cyneg. 137. canes macie tenues. Sic Catull. 89. 1. Gellius est tenuis. ¶ 3. Item est parvus, exiguus, paucus, picciolo, poco. Horat. 1. Od. 33. 5. Insignem tenui fronte Lycorida Cyri torret amor. (exiguam frontem inter dotes formæ ponunt Petron. Sat. 126. et Martial. 4. 42.) Liv. 7. 40. Nipperd. Mole tenui naturali objecta. h. e. angusta. Phædr. 4. 12. Tenui contentus cibo. Cic. 3. Tusc. 20. ad fin. Tenuem victum antefert copioso. Id. 4. Herenn. 38. 50. Tenuissimum patrimonium. Id. 4. Verr. 22. 53. Oppidum tenue. Id. 2. Nat. D. 19. ad fin. Lunæ tenuissimum lumen facit proximos accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. Ovid. Heroid. 11. 75. Ut mare fit tremulum, tenui quum stringitur aura. da un venticello. et Martial. 3. 82. Et æstuanti tenue ventilat frigus. freschetto. et Virg. 1. G. 68. et 2. ibid. 289. terram tenui suspendere sulco. Plin. 16. Hist. nat. 36. 66. (165). Tenue foramen. Id. 31. ibid. 2. 2. (4). Tenui intervallo discernente. Id. 3. ibid. 5. 9. (53). Tenuis amnis. Liv. 1. 4. aqua. bassa, poca. et Ovid. 1. Art. am. 291. de tauro. Signatus tenui media inter cornua nigro. di picciola macchia nera. et Plin. 3. Hist. nat. 4. 5. (32). Magnæ quondam urbis tenue vestigium. Tibull. 1. 3. 60. Dulce sonant tenui gutture carmen aves. Martial. 7. 61. Tenues vici. h. e. angusti. Nepos Miltiad. 6. honores. di poca spesa, non sontuosi: cui ibid. oppon. effusi. ¶ 4. Item levis, leggero. Martial. 14. 71. Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis, Colligat hanc tenui verbere cauda levis. Propert. 3. 1. 8. Tenuis pumex. — Tenue vinum apud Plin. 14. Hist. nat. 9. 11. (80). et 15. ibid. 28. 33. (110). et 23. ibid. 1. 22. (39). et 24. (45). est, quod liquorem seu succum habet subtilem, liquidum et aquoso similem: cui opponitur oleosum, crassum, pingue. Eodem sensu dixit Virg. 2. G. 93. tenuisque Lageos Tentatura pedes olim vincturaque linguam. (Ubi Servius: penetrabilis et quæ cito descendit in venas.) Ex quib. apparet, tenue vinum non esse dilutum, piccolo. Eodem sensu Plin. 11. Hist. nat. 38. 90. (221). Pinguissimus asinis sanguis, tenuissimus homini. et 31. ibid. 5. 30. (56). Tenuissimus omnium aquarum Borysthenes ideoque innatans Hypani.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 14. 43. Tenuis et acuta distinctio. sottile ed ingegnosa. et Ovid. 4. Pont. 6. 37. tenui cura limare aliquid. h. e. acri. Lucret. 4. 910. tenues aures. h. e. purgatæ, acutæ, attentæ. Cic. Orat. 5. 20. et 24. 81. Orator tenuis. h. e. subtili dicendi genere utens. V. SUBTILIS. Martial. 6. 64. Tenues Athenæ. h. e. doctæ et ingeniosæ. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 2. et 3. — a) Est parvi momenti aut pretii, levis. Cic. Harusp. resp. 18. sub fin. Corpus nostrum tenuissima sæpe de causa conficitur. Id. 1. Orat. 37. 169. In minimis tenuissimisque rebus labi. et ibid. 28. a med. In artificio perquam tenui et levi plus adhiberi diligentiæ, quam in hac re, quam constat esse maximam. Id. ibid. 13. 57. Tenuis sermo. Id. Cæcin. 15. 43. suspicio. Tac. 12. Ann. 39. damnum. Virg. 1. G. 177. tenuesque piget cognoscere curas. Quintil. 1. 4. Grammatica, ars tenuis ac jejuna. — Tenuis poeta, qui res tenues tractat, ut amores, jocos, bucolica et hujusmodi. Martial. 10. 103. Nec sua plus debet tenui Verona Catullo. Virg. 6. Ecl. 8. Agrestem tenui meditabor arundine Musam. — b) Hinc est etiam imbecillus, debilis. Cæs. 5. B. G. 39. sub fin. Quum tenuissima valetudine esset. Id. 1. B. C. 32. in fin. Tenuis atque infirmus animus. Plin. 12. Hist. nat. 16. 35. (70). Myrra tenuis viribus. Quintil. 10. 2. a med. Nec, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat et elegantiam, quam cupit, non assequatur. et 12. 8. Neque enim quisquam tam ingenio tenui reperitur, qui quum omnia, quæ sunt in causa, diligenter cognoverit, ad docendum certe judicem non sufficiat. — c) Item sæpe refertur ad humilitatem generis et gradus, di bassa condizione. Cic. 3. Legg. 10. a med. Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putarint. et ibid. 13. a med. Respondit, duos se habere vicinos, superiorem equitem R., inferiorem libertinum: quorum quum essent magnificæ villæ, concedi sibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis essent, liceret. Liv. 2. 3. Erant in Romana juventute adulescentes aliquot nec ii tenui loco orti. — d) Et ad paupertatem, povero. Cæs. 6. B. G. 34. ad fin. Misera et tenuis præda. Cic. 2. Off. 20. 69. Qui se locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: at vero ille tenuis, quum, quidquid factum est, se spectatum, non fortunam, putet etc. Sueton. Cæs. 46. Tenuis et obæratus. Virg. 5. Æn. 690. tenues Teucrum res eripe leto. Seneca Hippol. 209. Tenues penates. Martial. 7. 42. Muneribus cupiat siquis contendere tecum, Audeat hic etiam, Castrice, carminibus. Nos tenues in utroque sumus. — Cum Genetivo. Sil. It. 6. 19. Tenuis opum, non patre nitens linguave. — Hinc

Tenue, is, n. 3. absolute, res tenuis. Virg. 4. G. 6. In tenui labor, at tenuis non gloria.

— *Ad tenue*, usque ad minimam partem. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. *a med.* Rationes latiore specie, non ad tenue elimatæ.

**TĔNŪĬTAS**, ātis, f. 3. (tenuis) subtilitas, exilitas, gracilitas, λεπτότης (It. *sottiglìezza, tenuità*; Fr. *ténuité, finesse*; Hisp. *tenuidad, fineza*; Germ. *die Dünnheit, Feinheit*; Angl. *thinness, fineness, subtilty*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Brut.* 16. *ad fin.* Valitudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. *magrezza, scarnezza.* et *Phædr.* 1. 12. Tenuitas crurum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (20). cutis, *Id.* 11. *ibid.* 37. 65. (171). capillamenti, *Id.* 13. *ibid.* 12. 24. (78). chartæ. *Id.* 19. *ibid.* 1. 2. (9). lini. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (81). Tenuitatis summæ linea. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 10. Siccitas et tenuitas aeris. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (105). Summa laus siliginis bonitate et cribri tenuitate constat. *finezza dello staccio.* et 8. *ibid.* 33. 51. (121). Chamæleonis cauda prælonga in tenuitatem desinens. — *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 50. Casurusne in conspectum videatur animus, an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem. ¶ 2. Speciatim dicitur de liquoribus et est qualitas minime crassa aut pinguis aut oleosa, per quam facile fluunt et penetrant. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (39). Tenuitas aquæ, colante terra. *Id.* 11. *ibid.* 39. 92. (226). Subtilitatem animi non constare tenuitate sanguinis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Fin.* 12. 40. Limata quædam et rerum et verborum tenuitas. *V.* SUBTILIS. *Quintil.* 12. 2. *ante med.* Dialectica si totum sibi vindicaverit in foro certamen, obstabit melioribus et sectas ad tenuitatem suam vires ipsa subtilitate consumet. — In plur. num. *Gell.* 1. 3. Discriminum ac differentiarum tenuitates, Ital. *sfumature*, Fr. *nuances.* ¶ 2. Speciatim de angustiis rei familiaris et paupertate, *povertà, scarsezza. Cic. fil. ad Tiron.* 16. *Fam.* 16. *circa med.* Et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 265. Quum innumerabilem Magio pecuniam dixisset datam idque Scaurus tenuitate Magii redargueret. *Id.* 2. *Off.* 21. *circa med.* Tenuitas ærarii. *Id.* 2. *Divinat.* 13. 30. Rerum, quas terra procreat, vel ubertas vel tenuitas. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 17. ¶ 3. *Tenuitas*, titulus, quo quis se demisse compellat. *Augustin.* in *Ps.* 31. *serm.* 2. Psalmus a nostra tenuitate susceptus. *pochezza.*

**TĔNŪĬTER**, adverb. ab adject. *tenuis*, unde Comp. *Tenuius* 4; Sup. *Tenuissime* 2. — Tenuiter est subtiliter, gracìliter, *sottilmente*, λεπτῶς. ¶ 1. Proprie. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Pelles pro velis alutæque tenuiter confectæ. ¶ 2. Translate est leviter, parum. *Cic.* 4. *Verr.* 65. 157. Nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor. *Colum. Arbor.* 8. Sarmentum tenuissime scalpello acuto ita, ne medullam lædas, adradito. *Cic.* 3. *Herenn.* 8. 15. Non necesse est omnes has partes in laudem aut vituperationem transferre, propterea quod sæpe ne incidunt quidem: sæpe ita tenuiter incidunt, ut non sint necessariæ dictu. et *ibid.* 4. 36. Respondere criminibus tenuiter et nugatorie. *Id.* 6. *Verr.* 16. 35. Æstimare argentum eo modo, quo qui umquam tenuissime in donatione histrionum æstimavit. ¶ 3. Item misere. *Ter. Phorm.* 1. 2. 95. DA. Quid rei gerit? GE. sic, tenuiter. DA. Non multum habet, quod det, fortasse. GE. immo nihil, nisi spem meram. ¶ 4. In re oratoria est tenui dicendi ratione, attenuate, presse, subtiliter, acute. *Cic. Orat.* 14. *sub fin.* Non ad philosophorum morem tenuiter disserere, sed ad copiam rhetorum etc. *Gell.* 6. 2. *ante med.* Contra ea Chrysippus tenuiter multa et argute disserit. *Plin.* 4. *Ep.* 27. Recitat multa tenuiter, multa sublimiter, multa venuste, multa tenere. *Id.* 6. *Ep.* 21. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste. *Cic.* 2. *Invent.* 16. *sub fin.* Illæ argumentationes tenuius et acutius et subtilius tractantur: hi autem loci gravius et ornatius. *V.* SUBTILIS.

**TĔNŪO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tenuis) Part. *Tenuatus* I 1. et 2. et II. 1.; *Tenuandus* I. 1. — Tenuo est tenuem facio, minuo, λεπτύνω (It. *sottigliare, sminuire*; Fr. *amincir, amenuiser, subtiliser*; Hisp. *atenuar, adelgazar, sutilizar*; Germ. *dünn-, schmächtig-, fein machen, verdünnen*; Angl. *to make thin, attenuate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ovid. Remed. am.* 445. Grandia per multos tenuantur flumina rivos. *h. e.* multis rivis diducta minuuntur. *Id.* 1. *Art. am.* 761. et 15. *Met.* 551. leves Proteus se tenuabit in undas. *h. e.* in tenues aquas se convertet. *Id.* 1. *Trist.* 5. 11. Spiritus et vacuas prius hic tenuandus in auras Ibit. *Tac. Agric.* 10. Enorme spatium procurrentium extremo jam littore terrarum in cuneum tenuatur. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 8. *sub fin.* Sol matutinum aera spissum et humidum ortu suo tenuat. (Adde *Stat.* 1. *Theb.* 337.) *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Tenso collo tenuatur vox atque fatigatur. *Ovid.* 15. *Met.* 246. tenuatus in auras Aeraque humor abit. et 14. *ibid.* 497. cui respondere paranti Vox pariter vocisque via est tenuata comæque In plumas abeunt. et 7. *ibid.* 531. Luna quater plenum tenuata retexuit orbem. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (75). Charta curiosa interpolatione tenuata. *Capell.* 9. p. 316. Acumen, quod in aciem tenuatam extenditur. *Id. ibid.* p. 308. Cæso etiam tenuatoque metallo rigens vestis. *assottigliato.* ¶ 2. Speciatim de corpore est emaciare, *smagrire. Horat.* 2. *Sat.* 2. 84. Seu recreare volet tenuatum corpus etc. *Apul.* 4. *Met.* Tenuatus venter. *Tac.* 15. *Ann.* 63. Senile corpus et parco victu tenuatum. *smunto, smagrito.* Sic *Propert.* 2. 18. 21. exiles videor tenuatus in artus. *Prudent.* 8. *Cathem.* 54. Jejunio tenuare artus. Cf. *Virg.* 3. *G.* 129. Ipsa autem macie tenuant armenta volentes. *fanno smagrire.* et *Sil. It.* 14. 635. tenuata macie ora. ¶ 3. Item usu consumere, terere, *logorare. Ovid.* 4. *Trist.* 6. 13. Hoc (*tempus*) tenuat dentem terram renovantis aratri: Hoc rigidas silices, hoc adamanta terit. *Id.* 2. *Pont.* 7. 43. assiduo vomer tenuatur ab usu.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 65. meæ famam tenuent oblivia culpæ. *sminuiscano, facciano svanire.* et *Heroid.* 20. 73. Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram. *Id.* 5. *Met.* 374. mecum vires tenuantur amoris. *Claudian. VI. cons. Honor.* 127. Pollentini tenuatus funere campi Hostis. *indebolito per la rotta.* ¶ 2. Speciatim de oratione est elevare dicendo. *Horat.* 3. *Od.* 3. 70. Quo, Musa, tendis? desine pervicax Referre sermones deorum et Magna modis tenuare parvis. *Pacat. Paneg. ad Theodos.* 5. Tanti viri præstat gesta in summam referre, quam enumerando tenuare. ¶ 3. *Tenuare carmen*, tenui stilo deducere et de rebus levioribus canere, ut fit in lyricis, in elegis et quum amatoria aut bucolica tractantur et hujusmodi. *Propert.* 3. 4. 5. Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 2. Fortis heroos, Erato, labores Differ etc. Maximo carmen tenuare tento.

**TĔNUS**, præpositio. — *a*) Ratione habita etymi, ab eadem radice ducitur, unde τείνω et *tendo, teneo* et hujusmodi. — *b*) Scribitur plerumque separatim; aliquando vero cum vocibus coalescit, ut *hactenus, eatenus, quatenus* etc., quæ *V.* suis locis. — Minime placet, quod quidam conjunctim scribunt *pubetenus, verbotenus, oretenus* et alia, tamquam adverbia sint. Hinc *Ammian.* 26. 4. *a med.* Ne verbo quidem tenus insidiarum indicio ullo reperto. Sed occurrit *maretenus* apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 2. *fin.* Sic et VERTEBROTENUS, quam voc. *V.* — *c*) Ad regimen quod attinet, construitur cum Ablat., si nominibus singularibus jungatur: et Genetivo, si pluralibus; non semper tamen, quia et cum pluralibus Ablativum habet et cum singularibus Genetivum: interjecta etiam aliqua voce, ut apud *Horat.* 1. *Ep.* 1. 3., *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 34., *Ammian. loc. cit.* etc. — Olim putabatur copulari posse etiam cum Accusativo; sed loca, quæ afferebantur, unice debentur falsæ lectioni. Ita cl. *De-Vit.* Attamen ex recentioribus sunt qui aliter sentiant et omnino hunc quoque casum vindicant. Saltem labente Latinitate vulgo adhibitum ostendit *Cæl. Aurel. loc.* supra *cit.*, ni velis, *mare* pro *mari* fuisse usurpatum. — *d*) Postponitur suo casui; quamquam veteres quidam grammatici *Sergius* p. 1855. *Putsch.* et *Cledon.* p. 1934. *ibid.* concedunt posse præponi, ut *tenus pube*, raroque id fieri, etiam *Priscian.* docet 14. p. 982. *ibid.* Sic *Avien. Phæn. Arat.* 486. habet *tenus alvo.* Adde *Auson. loc.* infra *cit.* — *e*) Adverbium esse, non præpositionem, Grammatici quidam volunt ex eo quod nulla præpositio cum genetivo effertur; sed inde potius inferas, utroque modo adhiberi, nam et cum aliis casibus usurpatum occurrit. Sunt qui adverbiorum more adhibitum putant a *Val. Flacc.* 1. 537. — De hujus particulæ, usu cf. *Gronov.* ad *Liv.* 44. 40., *Nipperd. Spicil. alt.* in *Nepot.* 3. p. 4., *Hertz Vindic. Gell. alt.* p. 76. et 96. et *Kühner Ausf. Gramm.* 2. p. 376. — Tenus est usque ad, μέχρι, ἄχρις (It. *sino o fino a*; Fr. *jusqu'à*; Hisp. *hasta*; Germ. *bis an, nach hin, bis nach, bis zu*; Angl. *as far as, up or down to*).

I.) Proprie. — 1.°) Cum Genet. — *a*) In sing. num. *Liv.* 26. 24. Corcyræ tenus. Alii leg. *Corcyra*, sed *Gronovio* invito. *Id.* 44. 40. Aquæ ferme genus tenus alta. *genus* genet. a *genu*, us. Alii *genu* legunt. *Ascon.* in *Cic. Mil.* 14. Domi tenus obsessus est. — *b*) In plur. num. *Lucret.* 4. 15. Labrorum tenus. *Virg.* 3. *G.* 53. Crurum tenus. *Id.* 10. *Æn.* 210. Laterum tenus. *Cæl.* 8. *Fam.* 1. Illi rumores Cumarum tenus caluerunt. *Cic. Arat.* 83. Lumborum tenus a palma depulsus. — 2.°) Cum Accus. *Val. Flacc.* 1. 537. regio, quæ virginis æquor ad Helles Et Tanain tenus immenso descendit ab Euro. *Ovid. Heroid.* 12. 27. Scythiam tenus ille nivosam etc. Alii leg. *Tanai* et *Scythia. Sueton. Cæs.* 52. Eadem nave Æthiopiam tenus Ægyptum penetravit. *Plerique alii leg.* Æthiopia. *Solin.* 54. 7. Hydreum tenus. — Præponitur suo casui ab *Auson. Parent.* 3. 15. Tenus Europam. et *Capell.* 7. p. 242. Caput tenus imum collum. Ita *Grot.* At *Kopp.* edidit *immo collo.* — 3.°) Cum Ablat. — *a*) In sing. num. *Cic. Dejot.* 13. 35. Antiochus Tauro tenus regnare jussus. *Virg.* 1. *Æn.* 741. summo tenus attigit ore. et 2. *ibid.* 553. lateri capulo tenus abdidit ensem. et 3. *ibid.* 427. pube tenus. *Ovid.* 2. *Fast.* 145. media tenus eminet alvo. *Horat.* 3. *Od.* 15. 16. cadi fæce tenus poti. *Claudian.* 2. *Rapt. pros.* 34. vestis poplite fusa tenus. *Justin.* 12. 6. 2. Rerum suarum magnitudinem cælo tenus extollere. *Tac.* 15. *Ann.* 40. *in fin.* Tres regiones solo tenus dejectæ. *Val. Flacc.* 7. 433. Nec quibus (*verbis*) incipiat, demens videt, ordine nec quo Quove tenus. — *b*) In plur. num. *Ovid.* 15. *Met.* 512. et 673. Pectoribusque tenus molles erectus in auras. et 6. *ibid.* 258. pennis tenus acta sagitta. *Cels.* 1. 3. Demittere se inguinibus tenus in aquam calidam. *Tac.* 12. *Ann.* 41. Cuncta tectis tenus sole illustria fuere.

II.) Translate. — *a*) Universim. *Sueton. Claud.* 25. Titulo tenus. Adde *eumd. Cæs.* 76. et *Domit.* 13. *Apul.* 10. *Met.* Facie tenus. *Ammian.* 14. 7. 5. Specie tenus. *Id.* 19. 1. 1. Colloquio tenus. *Id.* 14. 5. 3. Rumore tenus. et *ibid.* 9. Susurro tenus. *Id.* 16. 8. 3. Terrore tenus. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 32. Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. *fino a un certo punto. tmesis.* Alii leg. *quodam.* — *Liv.* 41. 20. Vulneribus tenus. — Interponit *Fronto De eloq.* 4. p. 153. 3. *N.* Uno tenus verbo. — Præponitur suo casui ab *Augustin.* 3. *Confess.* 6. Tenus sono et strepitu linguæ. — *b*) *Verbo* seu *verbis, nomine tenus* oppon. τῷ *re, revera, factis* et hujusmodi. *Cic.* 3. *Legg.* 6. 13. Veteres verbo tenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, de republica disserebant. *h. e.* in disputando, *in ispeculativa.* et *Liv.* 34. 5. In quos jecit magis hoc consul verbo tenus, quam ut re insimularet. *Ulp. Dig.* 2. 2. 1. *a med.* Hæc verba cum affectu accipimus, non verbo tenus. *Tac.* 15. *Ann.* 6. *extr.* Usurpatæ nomine tenus urbium expugnationes. *Gell.* 17. 19. Philosophi, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. id significat factis procul, verbis tenus.

TĔNUS (ŏris), n. 3. (τένος) *Furlanettus* apud *Forcell.* quartæ nominum declinationi accenset (Cf. *Lambin.* infra), ut sit *tenus, us,* m.: monoptoton usurpatur. — Tenus est laqueus ad captandas aves dictus, ut ait *Non.* p. 6. 12. *Merc.*, a tendiculis, *laccio. Plaut. Bacch.* 4. 6. 22. Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit. pendebit hodie pulcre: ita intendi tenus. — Aliter exponit *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 62. Tenus propria est extrema pars arcus, ut Plautus ostendit in Bacchid. Ita intendi tenus. Suspicari licet, inquit *Lambinus*, Servium accipere *tenus* in plur. numero, ut significet duo extrema cornua arcus, quibus nervus sedet. — Sunt qui vel laqueum vel paxillum intelligunt, in quo laqueus tenditur. *Tertull. Pall.* 3. Filum in vestis pristinæ modum, quam philyræ tenus junxerat, tenuisse Mercurium, narrant. *Alii leg.* quam philyræ tæniis.

TĔPĔFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (tepeo et facio) Forma *tĕpefaxit* pro *tepefecerit* est *Catull.* 68. 29. *Lachm.* — Passivum *tepefio, fis, fieri,* est *Plin.* et *Cels. loc.* infra *cit.* — Metrica necessitate secundam producit *Catull.* 64. 360. Alta tepēfaciet permixta flumina cæde. — Part. *Tepefactus* et *Tepefaciendus* sub *b.* — Tepefacio est tepidum reddo, χλιαίνω (It. *far tepido, riscaldare alquanto, intiepidire*; Fr. *faire tiédir, échauffer un peu*; Hisp. *hacer tibio*; Germ. *lau -, laulich machen*; Angl. *to warm a little, make tepid*). — *a*) Activa forma. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 40. de sole. Is ejus tractus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam sæpe comburat. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 136. In matris jugulo ferrum tepefacit acutum. *Cels.* 3. 6. *circa med.* Si sudare corpus cœpit, linteum tepefacere oportet paullatimque detergere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). Oleo natura tepefacere corpus. — *b*) Passive. *Varro* 2. *R. R.* 1. *a med.* Vinum tepefactum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Frigoribus durescit humor: et idem vicissim mollitur tepefactus et tabescit calore. *Virg.* 9. *Æn.* 418. it hasta Tago per tempus utrumque Stridens trajectoque hæsit tepefacta cerebro. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (17). Aqua solibus tepefacta. *Id.* 11. *ibid.* 6. 5. (13). Insecta omnia, parietibus nostris occultata, mature tepefiunt. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (92). Alcyones nidum mollibus plumis consternunt tepefaciendis ovis. *Cels.* 6. 7. Medicamentum semper ante tepefieri convenit.

TĔPĔFACTO, as, are, a. 1. *frequentat.* vel potius *intens.* a tepefacio, valde tepidum reddo vel satis calefacio. *Catull.* 68. 29. Frigida deserto tepefactet membra cubili. Ita *Bergk* legend. conject.; alii aliter.

TĔPĔFACTUS, a, um. particip. et

TĔPĔFĪO. *V.* TEPEFACIO.

TĔPENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TĔPĔO, tĕpes, tĕpŭi, tĕpere, n. 2. Origo vocis petitur a Skr. *tap*, ardeo; unde et Gr. τέφρα ducendum videtur. V. *Vanicek* p. 282. — Part. *Tepens* sub *A* I. et II. — Tepeo

*A)* Est tepidus sum, χλιαίνομαι (It. *essere alquanto caldo*; Fr. *être tiède*; Hisp. *ser tibio*; Germ. *ein wenig lau -, warm sein*; Angl. *to be a little warm*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 69. Dolium calfacito. minus, quam si picare velis, tepeat. lenibus lignis facito calescat. ubi temperate tepebit, tum cummin indito. *Virg.* 2. *G.* 330. Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus. *Id.* 10. *Æn.* 555. deturbat terræ truncumque tepentem Provolvens etc. *Ovid.* 3. *Art. am.* 185. quum vere tepenti Vitis agit gemmas. *Martial.* 6. 59. Odit et hibernos, et tepuere, dies. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 25. (78). Carnibus gallinaceorum (ita ut tepebunt, avulsæ) appositis, venena serpentium domantur. *Cels.* 3. 6. *circa med.* Ubi quam maxime tepuit et idoneus esse cibo æger videtur. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 7. 20. (63). Cor recens tepensque adhuc devorare. *Id.* 36. *ibid.* 25. 62. (186). Subdialibus pavimentis Græci domos contegentes, tractu tepente. *h. e.* eo cæli tractu, ubi modica frigora sunt. *Petron. Sat.* 132. Coliculi tepens thyrsus. *h. e.* elixus et calescens.

II.) Translate est sentire amorem, *sentire il caldo d' amore. Horat.* 1. *Od.* 4. 19. Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus Nunc omnis et mox virgines tepebunt. *Ovid. Heroid.* 11. 26. Nescio quem sensi corde tepente deum. *h. e.* calente ex amore.

*B)* Est calorem remittere, defervere (It. *intiepidirsi, raffreddarsi*; Fr. *perdre sa chaleur, se refroidir*; Hisp. *resfriarse*; Angl. *Wärme verlieren, erkalten*; Angl. *to cool, growe cool*).

I.) Proprie. *Martial.* 2. 1. Te conviva leget mixto quincunce, sed ante. Incipiat positus quam tepuisse calix.

II.) Translate remissum esse in amore, amorem paullatim deponere. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 53. Seu tepet, indicium securas perdis ad aures: Sive amat, officio fit miser ille tuo. *Id. Remed. am.* 7. Sæpe tepent alii juvenes: ego semper amavi. *Nemesian. Ecl.* 1. 13. Nunc album caput: et veneres tepuere sub annis. *Quintil.* 6. 1. *a med.* Ut est longe vehementissimus hic, quum invaluit, affectus; ita si nihil efficit, tepet.

TĔPESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TĔPESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* tepeo) Part. *Tepescens* 2. — Tepesco ¶ 1. Est tepere incipio, tepidus fio, tepefio, *riscaldarsi alquanto,* χλιαίνομαι. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. *Virg.* 9. *Æn.* 701. fixo ferrum in pulmone tepescit. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 56. Illa recens pota est, nostra tepescit aqua. *Id.* 3. *Met.* 412. Silvaque sole lacum passura tepescere nullo. — Transitivorum more, labente Latinitate, occurrit apud *Auct. Orest. Trag.* 582. si sensus iners tua corda tepescit. *h. e.* calefacit. ¶ 2. Est etiam calorem paullatim remitto, defervesco, *intiepidirsi.* Translate. *Lucan.* 4. 284. Paullatim cadit ira ferox mentesque tepescunt. *Ammian.* 28. 1. 9. Negotio tepescente ob diuturnam morborum asperitatem. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 38. 218. Ne ex vapore tepescant et amisso frigore non valeant facere densitatem. *Calpurn. Ecl.* 5. 60., ubi declivi jam nona tepescere sole Incipiet.

TĔPHRĪAS, æ, m. 1. τεφρίας, sc. λίθος, marmoris genus coloris cinerei: a τέφρα, cinis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (56). Contra serpentes autem a quibusdam laudatur præcipue ex his, quem tephriam appellant, a colore cineris.

TĔPHRĪON, ii, n. 2. τέφριον, collyrium, de quo *Cels.* 6. 6. *n.* 7. Præter hæc ex frequentissimis collyriis est id, quod quidam cythion, quidam a cinereo colore tephrion appellant. *V.* voc. præc. init. In quibusd. edition. *cythion* et *tephrion* Græcis litteris scribuntur.

TĔPHRĪTIS, ĭdis, f. 3. τεφρῖτις, gemma, quæ novæ lunæ speciem habet, in cornua curvatæ, cinerei tamen coloris. *V.* TEPHRIAS init. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (184). Tephritis novæ lunæ speciem habet curvatæ in cornua, quamvis cinerei coloris.

TĔPĬDA, æ, f. 1. *V.* TEPIDUS in fin.

TĔPĬDĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

TĔPĬDĀRĬUS, a, um, adject. (tepidus) qui aquam tepidam continet. *Vitruv.* 5. 10. Supra hypocaustum ahena tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium etc. *Inscript.* apud *Murat.* 466. 3. (*Orell. n.* 3328.) Cella tepidaria. — Hinc

*Tepidarium, ii,* n. 2. absolute, substantivorum more, locus in balneis, in quo tepida aqua lavabantur; quemadmodum *caldarium,* in quo calida; *frigidarium,* in quo frigida. *Cels.* 1. 3. Commune est omnibus post fatigationem cibum sumpturis in tepidario sedere. *Vitruv. loc. cit.* Ipsa caldaria tepidariaque lumen habeant ab occidente hiberno. Cf. *Rich* ad *h. v.*

TĔPĬDĒ, adverb. (tepidus) Comp. *Tepidius* I.; Sup. *Tepidissime* II. — Tepide est cum tepore, *tiepidamente, con qualche calore,* χλιαρῶς.

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 5. Curandum erit, ut pulli tepide habeantur. nam nec calorem nec frigus sustinent. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *circa med.* Si natare latius aut tepidius velis, in area piscina est. Adde *Marcell. Empir. c.* 9. *p.* 99.

II.) Translate est remisse, languide. *Augustin.* 8. *Conf.* 11. *a med.* Quum diceret mihi consuetudo violenta: Putasne, sine istis poteris? Sed jam tepidissime hoc dicebat. V. *Madvig Adv.* I. p. 158.

TĔPĬDĬTAS, ātis, f. 3. (tepidus) tepor. *Gloss. Lat. Gr.* Tepor, tepiditás, χλιαρότης.

TĔPĬDO, as, are, a. 1. (tepidus) tepidum facio, *far tiepido,* χλιαίνω. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 41. (250). In eodem agro Sulmonensi, pago Fabiano (ubi nunc urbs *Popoli* est), bruma, tanto magis si nives jaceant geletve, ne frigus vites adurat, circumfundunt riguis, quod ibi tepidare vocant, memorabili natura in amne solo. — Etiamnum, teste *Romanell. Topogr. Nap. T.* 3. *p.* 162., ejusdem loci incolæ quum id faciunt, se vites *calidare* vocant. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. 172. Tepidare aerem. *Pelagon. Veterin.* 27. *ad fin.* Cochlearia terna in sextario aquæ tepidæ dabis, et quum cœperit adaquari (*corrige* tepidari), aquam tepidam præbebis etc. Hæc paullo aliter effert *Veget.* 5. *Veterin.* 47. 8.

TĔPĬDUM. *V.* voc. seq. in fin.

TĔPĬDUS, a, um, adject. (tepeo) Comp. *Tepidior* et Sup. *Tepidissimus* I. 1. — Tepidus

I.) Est teporem habens, χλιαρός (It. *caldetto, tiepido*; Fr. *un peu chaud, tiède*; Hisp. *un poco calido, tibio*; Germ. *lau, lauwarm, mässig warm*; Angl. *tepid, lukewarm*). ¶ 1. Proprie. *Seneca Ep.* 92. *a med.* Frigidum aliquid et calidum novimus: inter utrumque tepidum est. Si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum: si plus calidi affudero, fiet novissime calidum. *Lucret.* 2. 857. Nec frigus neque item calidum tepidumque vaporem. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 81. Tepidum jus ligurire. *Id.* 2. *Od.* 6. 17. Ver ubi longum tepidasque præbet Juppiter brumas. *Varro* 1. *R. R.* 6. Fastigia collina tepidiora, quam infima aut summa. *Id.* 3. *ibid.* 10. Anser incubat tempestatibus dies XXX., tepidioribus XXV. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 59. 79. (163). Incubant feminæ tricenis diebus: si vero tepidiores sint, vigintiquinque. *Plin.* alter 5. *Ep.* 6. *a med.* Cubiculum hieme tepidissimum, quia multo sole perfunditur. *Lucan.* 9. 523. quidquid pulvere sicco Separat ardentem tepida Berenicida Lepti. *Calpurn. Ecl.* 2. 79. Tepidæ calendæ. *h. e.* tempus medium inter æstum et frigus, sc. Apriles aut Majæ, vel potius hic Septembres aut Octobres. ¶ 2. Translate. *Lucan.* 3. 23. En nupsit tepido pellex Cornelia busto.

II.) Est qui calorem remisit, qui languido calore est. ¶ 1. Proprie. *Ovid. Heroid.* 6. 90. (et 1. *Trist.* 5. 12.) Certaque de tepidis colligit ossa rogis. *Id.* 2. *Fast.* 645. huc ignem curto fert rustica testu, Sumptum de tepidis ipsa colona focis. ¶ 2. Translate est remissus, segnis, languidus. *Id. Remed. am.* 629. Quid juvat admonitu tepidam recalescere mentem? (Adde 2. *Art. am.* 445.) *Id. ibid.* 434. Afflarant tepidæ pectora vestra faces. *h. e.* levis et parvus amor accenderat pectus. Sic 11. *Met.* 225. Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes. Adde 2. *Amor.* 19. 15. — Hinc

*Tepida, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, aqua tepida. *Apic.* 3. 2. Similiter solipodium in tepidam mittes.

*Tepidum,* adverbiorum more, idem ac tepide. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 43. Notus, adverso tepidum qui spirat ab axe. *Est qui leg.* tepidus.

TĔPOR, ōris, m. 3. (tepeo)

I.) Est modicus calor, qualitas inter calorem et frigus sed ad calorem magis accedens, χλίανσις, ἀλέα (It. *caldetto, tepidità, tepore*; Fr. *faible chaleur, tiédeur*; Hisp. *poco calor, tibieza*; Germ. *d. laue, milde Wärme, Lauheit*; Angl. *lukewarmness*). *Cic. Senect.* 15. *a med.* Uva vestita pampinis nec modico tepore caret et nimios solis defendit ardores. *Id.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. Nec ille (*maris*) externus et adventicius habendus est tepor, sed etc. *Lucan.* 8. 365. Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem Labitur, emollit gentes clementia cæli. *Claudian. III. Cons. Honor. præf.* 4. Ovaque ma-

ternus rupit hiulca tepor. *Id.* 2. *in Rufin.* 95. alternum Zephyri jam bruma teporem Senserat. *Seneca Herc. Œt.* 381. primus tepor. *h. e.* primum ver. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 20. (63). Apes ante fores in tepore solis promotæ. *Id.* 2. *ibid.* 50. 51. (136). Partes Italiæ, quæ a septentrione discedunt ad teporem. *Id.* 16. *ibid.* 33. 60. (142). *de cupresso.* Alibi non nisi in tepore proveniens. *h. e.* in tepidiore cæli tractu, ἐν τοῖς ἀλεεινοῖς. *Id. ibid.* 32. 59. (137). vocat *arbores teporis,* quæ in eo cæli tractu proveniunt. *Ammian.* 14. 10. *sub init.* Cæli reserato tepore. — In plur. num. *Lucret.* 2. 516. Finit enim calor ac frigus: mediique tepores Inter utrumque jacent. *Catull.* 46. 1. Jam ver egelidos refert tepores. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. 6. Medeamur teporibus admotis.

II.) Est defectus caloris, ubi esse solet aut debet. ¶ 2. Proprie. *Tac.* 3. *Hist.* 32. *in fin.* Balineas petit. excepta vox est, quum teporem incusaret, statim futurum, ut incalescerent. ¶ 2. Translate. *Id. Dial. de orat.* 21. *a med.* Nisi forte quisquam ceteros ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit. *tepidezza.*

**TĔPŌRĀTUS**, a, um, particip. *V.* voc. seq.

**TĔPŌRO**, as, ātum, are, a. 1. (tepor) Part. *Teporatus.* — Teporo est tepidum reddo, *riscaldare alquanto. Dracont.* 1. 143. Nec flammas restinguit aqua glaciemve teporat Flammeus ignis aquæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 66. (199). Fragmenta vitri teporata agglutinantur tantum.

**TĔPŌRUS**, a, um, adject. (tepor) teporem habens, tepidus, *caldetto, tiepido. Auson. Eclogar. de solstit.* 1. Sol profectus a teporo veris æquinoctio. *Sidon.* 9. *Ep.* 16. Priusquam duodecimum mensem Favonius flatu teporo maritaret.

**TĔPŬLUS**, a, um, adject. (tepeo) aliquantum tepens. Hinc *Tepula aqua,* Romam in Capitolium ex agro Luculiano perducta, ut est apud *Frontin. Aquæd.* 8., dicta videtur a tepore, quod tepida esset vel minus frigida, quam ceteræ, quæ in usum populi Romani adductæ sunt. Meminit etiam *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (121). Cf. ONOM.

**TĔQUŎM** pro Tecum. *V.* TU.

**TER**, adverb. numerale (tres). In unam quoque vocem coalescit vel cum aliis numeralib., ut *terdeni, tercentum,* vel cum nominibus, ut *tergeminus, teruncius.* — Ter est tribus vicibus, τρίς, τριάκις (It. *tre volte;* Fr. *trois fois;* Hisp. *tres veces;* Germ. *dreimal;* Angl. *three times, thrice*). Est, ut diximus, et quidem plerumque *A)* Adverbium; aliquando vero *B)* Absolute, substantivorum more, usurpatur.

*A)* *Ter,* adverbium.

I.) Proprie ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Enn.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 81. *Müll.* et *Non.* p. 261. 9 *Merc.* Ter sub armis malim vitam cernere, quam semel modo parere. *Cato R. R.* 104. Hæc rude misceto ter in die, dies quinque continuos. *tre volte al dì.* et *Cels.* 4. 12. Ter aut quater die perfricari. et *Cic. Rosc. Am.* 46. 132. Unde vix ter in anno audire nuntium possunt. et *Sueton. Aug.* 40. Ter in annum tesseras dare *Horat.* 2. *Od.* 9. 13. *de Nestore.* Ter ævo functus senex. et 3. *ibid.* 18. 16. Pepulisse ter pede terram. — *Ter et semel cos.,* formula in *Inscript.* apud *Murat.* 158. 1., qua significatur ann. a Chr n. CCII., quo consules processerunt Augg. Severus III. et Antoninus Pius, legiturque in alia apud *Fabrett.* p. 190. *n.* 14. V *Marini Iscr Alb.* p. 49. Alii tamen hic *Marinium* corrigunt ex iis, quæ attulit *B. Borghesius* in *Giorn. Arcad. T.* 22. p. 90. et in *Bullett. dell' Instit. archeol T.* 6. p. 73. Is enim ibi statuit, verba *ter et semel cos.* significare Trajanum Decium ejusque filium Herennium Etruscum, qui ann. a Chr. n. CCLI., ille tertium, hic primum consules fuerunt. Cf. etiam *De-Rossi, Inscr. Christ. T.* 1. p. 23. — *Ter et bis cos.,* ut in *Inscr.* in *Bullett. dell' Instit. archeol. loc. cit.,* aut *III.* et *bis cos.,* ut in *Inscr.* apud *Fabrett.* p. 208. *n.* 515. et in nummo apud *Marin. Frat. Arv.* p. 155., ubi significatur annus a Chr. n. CCXLVIII., quo Philippi pater et filius, ille tertium, hic iterum consules processerunt. — *b)* Cum aliis numeralib. *Varro* 2. *R. R.* 4. *sub fin.* Ter quinquagenos sues habere. *cencinquanta.* et *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divin.* 48. *sub fin.* ter quattuor corpora sancta avium. *dodici.* et *Horat.* 3. *Od.* 19. 14. Qui Musas amat impares, Ternos tres cyathos attonitus petet. *nove.* et *Epod.* 4. 8. bis ter ulnarum toga. (*Barth.* et *Bentlej.* ut barbariem damnant et *trium* legi volunt; quibus suffragatur *Keller.* V. *ejusd.* adnot. ad *h. l.*) *Claudian.* 2. *Rufin.* 491., ubi per varias annis ter mille figuras Egit etc. *Auson. Griph.* 87. *Wernsd. de libris Sibyllinis.* tergemini fatalia carmina libri, Quos ter quinorum servat cultura virorum. sc. XV. Vir. — *Ter unus* est Trismegistus. *Martial.* 5. 25. Hermes omnia solus et ter unus. V. *Letronne Recueil de l'Egypte* p. 283. ¶ 2. Speciatim, Latinitatis labentis ævo, pro tertium. *Plin. Paneg.* 61. Quum, ter consule adsidente, tertio consulem designatum rogari sententiam cernerem. *Lactant. Mort. pers.* 48. Constantino atque ipso ter consulibus. *Ammian.* 14. 10. 1. Constantius consulatu suo septies et Cæsaris ter Valentiam petit in Alamannos arma moturus.

II.) Translate interdum ponitur pro sæpe vel aliquoties. — *a)* Universim. *Virg.* 1. *Æn.* 120. Ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum. Cf. *Serv.* ad *h. l.* Sic 3. *ibid.* 421. atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus. *Id.* 10. *ibid.* 873. Æneam magna ter voce vocavit. *Id.* 4. *ibid.* 690. Ter sese attollens cubitoque annixa levavit, Ter revoluta toro est. *Horat.* 3. *Od.* 3. 65. Ter si resurgat murus aeneus Auctore Phœbo, ter pereat meis Excisus Argivis; ter uxor Capta virum puerosque ploret. Adde *Plaut. Pers.* 1. 3. 73. — *Bis* et *ter,* vel *ter* et *quater,* eodem sensu. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 8. *in fin.* Ludos apparat magnificentissimos - stulte bis terque. Adde *Horat. Art. P.* 358. et *Epod.* 3. 33. et *Ovid.* 4. *Met.* 577. *Martial.* 4. 82. Semel rogata bisque terque neglexit. *Horat.* 1. *Od.* 31. 13. ter et quater Anno revisens æquor Atlanticum. *Virg.* 2. *G.* 398. omne quotannis Terque quaterque solum scindendum. et 12. *ibid.* 155. Terque quaterque manu pectus percussit honestum. — *b)* Hinc junctum nominibus positivis superlativum significat. *Horat.* 2. *Od.* 14. 7. ter amplum Geryonem. *h. e.* tergeminum, tricorporem. *Ovid.* 8. *Met.* 51. O ego ter felix, si etc. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 98. O terque quaterque beati! τρισμάκαρες, τρισόλβιοι. — Cum superlat. *Inscript.* apud *Spreti, Antiq. Ravenn.* p. 231. *n.* 140. IVNIA SABINA TER PIENTISSIMA.

*B)* *Ter,* absolute, substantivorum more. *Vulgat. interpr. Act.* 10. 16. Hoc autem factum est per ter et statim receptum est vas in cælum. *h. e.* per tres vices.

**TERA.** *V.* TERRA.

**TĔRAMON.** *V.* ATERAMNOS.

**TĔRAPHIM.** *V.* THERAPHIM.

**TERBENTĪNUS.** *V.* TĔREBINTHINUS.

**TERCANDENS**, entis, omn. gen. adject. (ter *et* candens), ut Tercandens locus, *h. e.* tripartitus, sc. sepulcrum pro tribus, in *Inscr.* apud *De-Rossi, Inscr. Christ. T.* 1. *n.* 1085. p. 496.

**TERCĒNĀRĬUS.** *V.* TRECENARIUS.

**TERCENTĒNI.** *V.* TRECENTENI.

**TERCENTI.** *V.* TRECENTI.

**TERCENTUM** *vel divisim* ter centum, adject. numer. indecl. idem ac trecenti, *trecento,* τριακόσιοι. — *a)* Stricto sensu. *Virg.* 1. *Æn.* 276. tercentum totos regnabitur annos Gente sub Hectorea. *Ovid.* 14. *Met.* 146. Tercentum messes, tercentum musta videre. *trecento estati e trecento verni.* — Cum aliis numeralib. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 116. Si positis intus Chii veterisque Falerni Mille cadis (nihil est, tercentum millibus) acre Potet acetum. — *b)* Latiore sensu, pro quovis magno numero. *Virg.* 1. *G.* 15. Ter centum nivei tondent dumeta juvenci. et 4. *Æn.* 510. Tercentum tonat ore deos.

**TERDĔCĬES** (terdeciens) *et divisim* ter decies, adverb. ter et decies. *tredici volte. Cic.* 5. *Verr.* 8. 184. Sestertium terdecies. *Vitruv.* 9. 4. Quem circulum luna terdecies in duodecim mensibus percurrit. *Juvenal.* 14. 28. terdecies respirare. *Auson. Epist.* 7. 32. Binas terdecies, semel quaternas, *h. e.* triginta. *Id. Griph.* 90. *Wernsd.* Ter decies ternos habeat decíesque novenos.

**TERDĔCĬMUS.** *V.* TREDECIMUS.

**TERDĒNI** *et sæpius divisim* ter deni, æ, a, adject. proprie distributiv., quod etiam pro cardinali ponitur. Etiam *terdenus, a, um,* sing. num. *V.* infra. — Terdeni est triginta, *trenta,* τριάκοντα. *Virg.* 8. *Æn.* 47. Ex quo terdenis urbem redeuntibus annis Ascanius clari condet cognominis Albam. *Ovid.* 4. *Fast.* 635. ter denæ vaccæ. — Et in sing. num. *Sil. It.* 15. 259. terdena bove donatur.

**TERDĒNUS**, a, um, adject. *V.* voc. præc. in fin.

**TERDUM**, i, n. 2. herbæ genus. *Apul. Herb.* 60. *V.* ASTER.

**TĔRĔBENTĪNUS.** *V.* voc. seq.

**TĔRĔBINTHĬNUS**, a, um, adject. (τερεβίνθινος) Etiam *terebentinus* in *Itin. Antonin.* p. 47., 49. et 51. *Wess;* et *terbentinus* apud *Veget.* 3. *Veterin.* 54. 4. — Terebinthinus eum significat, qui est ex terebintho. *Cels.* 5. 6. Terebinthina resina. *trementina.* et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 22. (34). In arborum differentia placet terebinthina, odoratissima atque levissima. *Petron. Sat.* 33. Terebinthina tabula. Adde *Theod. Prisc.* 1. 12. et 13. p. 294. — De *Tucca terebentina* V. *Itiner. Antemin.* loc. *supra* cit.

**TĔRĔBINTHIZŪSA**, æ, f. 1. τερεβινθίζουσα, nomen gemmæ sic dictæ, quod terebinthi colorem refert. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (116).

**TĔRĔBINTHUS**, i, f. 2. (τερέβινθος) *Terebintus* sine aspiratione scribitur in *Not. Tir.* p. 115. — Terebinthus est arbor, Italice *terebinto* dicta (*Pistacia terebinthus* Linn.), materiâ lenta et nigra, radice valida, in profundum acta, lauri pæne folio, oleæ flore sed puniceo, baccis primum herbaceis, mox rubris et, quum maturuerint, nigricantibus, magnitudine fabæ, resinosis et sulphurosis. Circa Idam Macedoniamque est brevis, fruticosa et contorta, in Syria vero magna et copiosa. Duo ejus sunt genera, sexu distincta, ex quibus mas sterilis est. Hæc fere ex *Plin.* 13. *Hist. nat.* 6. 12. et 13., qui 24. *ibid.* 6. 18. enumerat aliquot ejus usus in medicina. *Virg.* 10. *Æn.* 136. Inclusum buxo aut Oricia terebintho. *cornucopia e cornocapra* Italice. (V. *Bubani Flor. Virg.* p. 109. et *Targ. Diz. bot.* 1. p. 64.) *Marcell. Empir.* c. 20. p. 114. Terebinthi resina purgata. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 6. 12. (54). Syria et terebinthum habet. Ex his mascula est sine fructu. Feminarum duo genera, alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus etc. Cf. *Fée* (*Op. cit.* v. 1. p. 85.) monet: « ne pas être conservées par les botanistes modernes le deux variétés de térébinthe femelle dont parle Pline »; et hanc exhibet synonymiam: « Τέρμινθος, Hipp., *Hist.*, 888. Theoph., 111. 15.; Diosc., 1. 91.; Τετραμίθος, Grec. Mod. *Terebinthus* des Latins. - *Termintîn adhâgi* des Turks. - *Pistacia Terebinthus* L., *Spec.* 1455. ». — Apud *Vulgat. interpr. Gen.* 43. 11. alia memoratur terebinthus, quæ Italice *pistacchio* dicitur (*Pistacia vera* Linn.). V. *Cultrera Flor. Bibl.* p. 371. — *Vallis terebinthi,* quæ et *Hela,* ab occidente maris Mortui seu Asphaltitæ, ubi David gigantem Goliath fundâ percussit. *Id* 1. *Reg.* 17. 2. et 19.

**TĔRĔBINTUS.** *V.* TEREBINTHUS.

**TĔRĔBRA**, æ, f. 1. (tero) instrumentum, quò quid, præsertim lignum, perforatur, τέρετρον, τρύπανον (It. *foratoio, trivella, succhiello, succhio, trápano;* Fr. *foret, vrille, tarière;* Hisp. *barrena, taladro;* Germ. *e. Bohrer, Bohrwerkzeug;* Angl. *a wimble, auger, borer*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 41. Terebra vitem pertundere. *Colum.* 4. *R. R.* 29. *ad fin.* Nam antiqua terebra, quam solam veteres agricolæ noverant, scobem faciebat, perurebatque eam partem, quam perforaverat. Hujus terebræ *antiquæ* V. figuram apud *Rich* ex *Ginz-*

rof. De posteriore, *gallica* dicta, idem *Colum. ibid.* Gallica terebra sic excavat truncum, ne foramen inurat, quippe non scobem, sed ramenta facit. Adde 5. *ibid.* 9. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 15. 25. (116). Gallica terebra, quæ excavat nec urit. *Id.* 37. *ibid.* 13. 76. (200). Plurimum in his (*in scalptura gemmarum*) terebrarum proficit fervor. — *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. (198): ejus inventorem Dædalum facit. — Hinc figurate apud *Isid.* 19. *Orig.* 19. 14. est tarmes, teredo, *tarlo.* ¶ 2. Speciatim, in re chirurgica, instrumentum ossibus perforandis. *Cels.* 8. 3. Terebrarum duo sunt genera: alterum simile ei, quo fabri utuntur; alterum capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, deinde subito latius fit etc. *V.* integr. loc. ¶ 3. Item in re militari, machina perfodiendis urbium muris. *Vitruv.* 10. 19. V. *Lips. Poliorcet. l.* 3. *dial.* 1.

II.) Translate. *Plaut.* apud *Non. p.* 63. 1, *Merc.* Quum in curiosum jocaretur, terebra quidem pertundis. *h. e.* vi extorques aut scrutaris aut curiosius quæris. Alii tamen rectius leg. *tebratum.*

TĔRĔBRĀMEN, mĭnis, n. 3. (terebro) ¶ 1. Est foramen terebra factum. *Scholiast.* ad *Cæs. Germ. Arat. p.* 201. 3. *Breysig.* ¶ 2. Hinc id, quod terebra exteritur. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 19. Furfuracea tinearum terebramina.

TĔRĔBRANS, antis, particip. *V.* TEREBRO.

TĔRĔBRĀTĬO, ōnis, f. 3. (terebro) ¶ 1. Est actus terebrandi, *succhiellamento*, τρύπησις. *Colum.* 4. *R. R.* 29. ¶ 2. Hinc, concreto, ut ajunt, sensu, est foramen ipsum terebra factum. *Vitruv.* 9. 9. *a med.* Translata ex terebratione in terebrationem. — Et in plur. num. *Id.* 10. 13.

TĔRĔBRĀTUS, a, um, particip. *V.* TEREBRO.

TĔRĔBRĀTUS, us, m. 4. (terebro) idem ac terebratio. *Scribon. Compos.* 206. De industria a medicis cum terebratu exciditur, quod lædit eam os.

TĔRĔBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (terebra) Part. *Terebratus* I. *b* et II. 2. — Terebro est terebra pertundo, τρυπάω (It. *succhiellare, trivellare, forare, trapanare;* Fr. *percer, trouer, trépaner;* Hisp. *barrenar; trepanar;* Germ. *bohren, durchbohren;* Angl. *to bore, pierce*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 41. Ex qua terebraveris. — *b*) Cum Accus. *Virg.* 2. *Æn.* 38. cavas uteri terebrare latebras. *Liv. Epit.* 52. *a med.* Dum ossa capitis medici terebrare contendunt. *Colum.* 5. *R. R.* 9. *ad fin.* Vitem terebrare Gallica terebra. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 15. 25. (115). Terebrare vitem in obliquum ad medullam. *Sueton. Tib.* 68. Fuit articulis ita firmis, ut recens et integrum malum digito terebraret. *Virg.* 3. *Æn.* 635. telo lumen terebramus acuto. *Alii* tenebramus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (138). Gryllus terram terebrat, stridit noctibus. *Ovid.* 6. *Fast.* 697. Prima, terebrato per rara foramina buxo, Ut daret, effeci, tibia longa sonos. *Vitruv.* 9. 9. Terebrata gemma. — *Id.* 10. 29. *ante med.* Terebratur foramen digitale. — In re medica. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. 170. Terebratis oculis, quod Græci παρακέντησιν vocant. — *NB.* Terebrandi marmora rationem Romanis olim usitatam repræsentat anaglyptum apud *Fabrett. p.* 587. *n.* CII., quem consulas oportet.

II.) Translate. ¶ 1. Est transfodere, ferire, vulnerare. *Rufin.* ex *Orig. Hom.* 20. *in Num.* 1. Hujusmodi jacula nos terebrare non poterunt, si sit nobis lorica justitiæ. ¶ 2. Est etiam blande se ingerere, expalpare, quærendo extundere, instando et blandiendo pertentare. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 82. Hanc veniam illis sine te exorem. NICOB. ut terebrat! *com'è insinuante!* — *Id.* apud *Fest.* in *Subscudes p.* 306. 3. *Müll.* Terebratus multum siet: et subscudem addite. Hic turpiculi quid latere videtur. ¶ 3. Pro scrutari. *Id.* apud *Non. loc. cit.* in TEREBRA. ¶ 4. Allegorice. *Pers.* 5. 138. Baro! regustatum digito terebrare salinum Contentus perages. *h. e.* tenui victu uti, quasi micas salis in vacuo salino anxie quærens, prementibus digitis et pæne terebrantibus. *Monti* ita vertit: «*gnocolon! ridotto al gelo Col dito leccherai la raschiatura Del rigustato salarin*».

TĔRĔBRUM, i, n. 2. (tero) idem ac terebra. *Hieronym.* 12. *in Is.* 44. 12. Quis possit hoc credere, quod ascia, lima et terebro malleoque formetur Deus? *Id.* hac eadem voce utitur etiam alibi. Adde *Gloss.* in *Corp. Gloss.* 3. 197. *n.* 6.

TĔRĒDO, ĭnis, f. 3. Etiam *teredo, ōnis,* legitur in *Gloss.* in *Prodr. Gloss. p.* 417. *Loewe.* Cossi, vermes in ligno, quos vulgo teredones vocant. Cf. τερηδών, όνος. — Est autem a Græca voce adlata ejusdem significationis, quæ a τείρω, Lat. *tero;* quamquam, inquit *Forcellinus*, sunt qui etiam a sono deducunt, quem teredo in rodendo edit. — Teredo est tarmes, vermis, qui in ligno nascitur illudque rodit (It. *tarlo, tignuola;* Fr. *ver rongeur, teigne;* Hisp. *carcoma, polilla;* Germ. *Holzwurm, Molle;* Angl. *a wood fretter, wood-worm*). — *a*) Proprie de iis vermibus dicitur, qui in mari ligna terebrant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 41. 80. (220). Teredines tantum in mari sentiuntur: nec aliam putant teredinem proprie dici. Terrestres, tineas vocant: culicibus vero similes thripas. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 69. Estur ut occulta vitiata teredine navis. Adde *Vitruv.* 5. 12. et *Colum.* 4. *R. R.* 24. — *b*) Interdum tamen generatim de terrestribus quoque usurpatur. *Plinius* ipse vestium vermes sic appellat 8. *Hist. nat.* 48. 74. (197)., ubi de prætextis Servii Tullii ait: Mirumque fuit, nec defluxisse eas nec teredinum injurias sensisse annis quingentis sexaginta. *Id.* 28. *ibid.* 20. 81. (264). Carnes nullas teredinem sentire, luna decrescente induratas sale. *Id.* 23. *ibid.* 7. 70. (134). Mororum succus celerrime teredinem sentit.

TĔRENS, entis, particip. *V.* TERO.

TĔRENTĪNUS, a, um, adject. ad Terentum pertinens, de quo, *V.* ONOM. — Hinc *Terentini ludi,* qui alio nomine *sæculares* vocantur, quique centesimo quoque anno tribus diebus continuis tribusque noctibus celebrabantur, quamvis postea ambitione principum minore interjecto spatio aliquoties fuerint celebrati. *Auson. Edyll.* 11. 34. Trina Terentino celebrata trinoctia ludo. Adde *Varron.* apud *Censorin. De die nat.* 17. *V.* SÆCULARIS. — *Terentinæ nuces,* quæ ita molles sunt, ut vix attrectatæ frangantur, dictæ nempe a *tereno* (Cf. TENER), quod est Sabinorum lingua *molle,* uti docet *Favorin.*, apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. *V.* TARENTINUS. — *Terentinum isicium* et *Terentinum minutal,* genus edulii, quod vide apud *Apic.* 4. 3.

TĔRĒNUS, a, um. *V.* voc. præc.

TĔRES, ĕtis, omn. gen. adject. (tero) Comp. *Teretior* II. — Teres est oblongus simul et rotundus, cum aliquo lævore, ut columnæ scapus, cylindrus, truncus arboris, στρογγύλος, κυλινδροειδής (It. *lungo rotondo e liscio;* Fr. *arrondi, poli;* Hisp. *redondeado, pulido;* Germ. *abgerundet, rund, glattrund;* Angl. *long, round and somewhat smooth or even, teret*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Fest. p.* 363. 15. *Müll.* Teres in longitudine rotundatus, quales asseres natura ministrat. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. *a med.* Teretes stipites feminis crassitudine. *Virg.* 6. *Æn.* 207. trunci arborum. *Id.* 8. *Ecl.* 16. Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ. *Ovid.* 6. *Met.* 22. levi teretem versabat pollice fusum. et 2. *ibid.* 735. Teres virga. *Virg.* 7. *Æn.* 665. Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello. Sic *Liv.* 21. 8. Missile telum hastili abiegno et cetera tereti, præterquam ad extremum. *Catull.* 64. 262. tereti ære tinnitus ciere. *h. e.* æreis bacillis crotalorum usum præbentibus. *Horat.* 2. *Od.* 4. 21. Teretes suræ. *Lucret.* 1. 35. et *Virg.* 8. *Æn.* 633. Teres cervix. Sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 107. caput tereti cervice reflexum. et *Maximian. Eleg.* 1. 99. Teres collum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 621. laudare capillos Et teretes digitos exiguumque pedem. *Catull.* 61. 181. Brachiolum teres. *Manil.* 5. 152. teretesque optare lacertos. *Sueton. Cæs.* 45. Teretibus membris esse. *Colum.* 4. *R. R.* 33. *a med.* Fissile adminiculum manet diutius, quam teres palus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 28. rupit teretes Marsus aper plagas. *Seneca Hippol.* 45. Teretes laquei. *Catull.* 64. 65. Teres strophium. et *Ovid.* 2. *Fast.* 320. zona. *h. e.* ex funiculis complicatis et contortis. Sic *Virg.* 11. *Æn.* 579. habena fundæ. *Lucan.* 3. 565. catena. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 185. mitra. *Virg.* 5. *Æn.* 313. et *Val. Flacc.* 6. 59. gemma. et *Ovid.* 10. *Met.* 260. lapilli. *Juvenal.* vocat 2. 61. cylindros. Sic *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 40. Collectæ tereti nodantur iaspide vestes. *Catull.* 64. 353. Teres bustum. *sc.* in quo superposita est columella: cujusmodi fuit sepulcrum Archimedis, apud *Cic.* 5. *Tusc.* 23. — De personis. *Horat. Epod.* 11. 28. Teres puer. *di alta e ben formata statura:* procerus et bene habitus. ¶ 2. Aliquando ita ponitur, ut solam rotunditatem cum lævore significet, κυκλοτερής. *Auson. Edyll.* 12. 9. Teres lens. et *Edyll.* 14. 9. guttæ *roris.* et *Sapient. in Solon.* 8. orbis. *Id. epist.* 4. 47. feminum gyri. ¶ 3. Lævorem significare videtur etiam *Plinius,* quum ait de araneo telam faciente, 11. *Hist. nat.* 24. 28. (80). Tam tereti filo et tam æquali deducit stamina, ipso se pondere usus. ¶ 4. Et longitudinem *Varro* apud *Non. p.* 328. 12. *Merc.* semiviri teretem comam volantem jactant tibi galli.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 85. *de Sapiente.* Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis et in se ipso totus: teres atque rotundus, Externi ne quid valeat perlæve morari. *h. e.* minime scaber aut angulosus, ita ut nulla labes, nullum vitium ejus animo adhærere possit. *Auson. Edyll.* 16. 4. *de viro bono.* Vanique ferat quid opinio vulgi, Securus: mundi instar habens: teres atque rotundus, Externæ ne quid labis per lævia sidat. — *Teretes aures,* purgatæ, læves atque adeo acri sensu præditæ. *Cic. Orat.* 9. 27. Atticorum aures teretes et religiosæ. *Id. opt. gen. Orat.* 4. 11. Si teretes aures habent intelligensque judicium. — *Teres oratio,* æquabilis et veluti rotunda ac volubilis, non salebrosa, non aspera, sed faciliter fluens. *Id.* 3. *Orat.* 52. 199. Est et plena quædam oratio, sed tamen teres: et tenuis, non sine nervis ac viribus: et ea, quæ particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. Similiter *Gell.* 13. 19. *a med.* Ciceroni mollius teretiusque visum est, in quinta in Verrem (7. *Verr.* 66.) fretu scribere, quam freto. Perangusto inquit, fretu. erat enim crassius vetustiusque, perangusto freto, dicere. Similiter *Quintil.* 11. 3. 64. Teres vox in disputationibus. *Diomed. p.* 498. 25. et *p.* 499. 21. *Keil.* Teres versus. Sic *Horat. Art. P.* 236. Tu mihi, Mæcenas, tereti cantabere versu. *in versi puliti, scorrevoli, limati.* — Absolute, neutr. gen. *Gell.* 6. 14. Scita et teretia Critolaus (dicebat). — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

TERGĔMĬNUM. *V.* voc. seq. in fin.

TERGĔMĬNUS *vel divisim* ter geminus *et* trigeminus, a, um, adject. *Tregeminus* bis legitur in *Dig.* 5. 4. 3. apud *Torrentin.*, quod mendosum videtur. — Tergeminus seu in plur. num. tergemini dicuntur tres uno partu editi, *tre nati ad un parto,* τρίδυμοι. *V.* GEMINUS. Sunt tamen recentiores alii, qui hanc significationem secundo loco ponunt. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 3. 3. (33). Tergeminos nasci, certum est, Horatiorum Curiatiorumque exemplo. *Liv.* 1. 24. Trigemini fratres. *Colum.* 2. *R. R. procem.* Hominis tum demum declaratur sterile senium, non quum desinit mulier trigeminos aut geminos parere, sed quum omnino nullum conceptum edere valet. *Id.* 3. *ibid.* 8. Albanæ Curiatiæ familiæ trigeminorum matres. — *Id. ibid.* 10. *a med.* Caprarius submittens fetus earum pecudum, quæ trigemino partu commendantur. Adde 7. *ibid.* 6. et *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 122. *Auson. Epigr.* 56. *de Castore, Polluce et Helena.* Istos, tergemino nasci quos cernis ab ovo, Patribus ambiguis et matribus assere natos. — Fuit comœdia *Plauti,* inscripta *Trigemini,* cujus meminit *Gell.* 7. 9. ¶ 2. Latiore sensu est triplex, triplicatus, *triplice, triplicato. Ovid.* 4. *Trist.* 7. 16. Tergeminumque virum tergeminumque canem. *h.*

e. Geryonem tricorporem et Cerberum tricipitem. Sic *Lucret.* 5. 28. tripectora tergemini vis Geryonæ. *Tibull.* 3. 4. 88. *de Cerbero.* Cui tres sunt linguæ tergeminumque caput. *Virg.* 4. *Æn.* 511. Tergemina Hecate. *h. e.* quæ in cælo est Luna, in terris Diana, Proserpina apud Inferos: unde et *triformis* dicitur. *Liv.* 1. 26. Horatius trigemina spolia præ se gerens. *Id.* 6. 6. Tergeminæ victoriæ triplicem triumphum agere. *Alii leg.* trigeminæ. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 28. 34. (114). Quorumdam pomorum trigemina natura est: corpus, deinde lignum rursusque semen in ligno, ut persicis. *Stat.* 6. *Theb.* 289. tergemina luna. *h. e.* trinoctium. *Id.* 3. *Silv.* 4. 83. Hunc nova tergemina pectebat Gratia dextra. *h. e.* tribus dextris, quia Gratiæ tres sunt. *Id.* 4. *ibid.* 8. 21. jus tergeminæ prolis. *h. e.* trium liberorum. *Id.* 1. *ibid.* 1. 91. Jovis ignis tergeminus. *h. e.* fulmen trisulcum. *Sil. It.* 15. 190. valeat quis ferre ruentes Ter gemina cum mole viros? *Gell.* 13. 24. Verba illa Ciceronis in Pisonem (c. 1.) trigemina: decepit, fefellit, induxit. — *Horat.* 1. *Od.* 1. 8. Tergeminis honoribus tollere aliquem. *h. e.* triplici magistratu curuli, ædilitate, prætura, consulatu. Alii intelligunt sex, additis tribus non curulibus, vel duobus ex his et censura. Alii *tergeminos* interpretantur maximos, amplissimos: atque hoc sensu dixisse putant *Martial.* 3. 46. *V.* infra. Nobis non placet, inquit *Forcellinus*, a *triplicis* significatione discedere. — Quidam tribuunt et *Ciceroni* 11. *Phil.* 1. 3. Ecce tergeminum in scelere par etc. Sed plerique alii leg. *Ecce tibi geminum.* — *Trigemina porta* Romæ fuit prope Ostiensem, in circuitu Servii Tullii, ad radices Aventini et prope salinas ad Tiberim; sed unde dicta sit, non constat: neque enim admittendum est, quod quidam putarunt, tergeminos Horatios ea prodiisse in pugnam contra Curiatios, quia ea porta fuit, ut diximus, ad radices Aventini, qui nondum fuerat urbi adjectus (*Liv.* 1. 33.): vero igitur similius est, eam a tribus portis ita fuisse appellatam, qualis antiquitus fuit quæ, ut ait *Forcellinus*, etiamnum Pompejis in Campania cernitur, similis omnino nostris recentioribus, quæ tres plerumque exitus habent, unum medium curribus et equis, geminum hinc inde hominibus olim pervium. Hujus *Trigeminæ portæ* mentio est etiam in *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 130. 5. et *Murat.* 948. 3., item in *alia* apud *Morcell. De stil. inscript. Lat. T.* 1. *p.* 425. Meminere ejusdem portæ etiam *Plaut. Capt.* 1. 1. 22., *Liv.* 4. 16. et 35. 10., *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (15). et *Frontin. Aquæd.* 5. Cf. *Becker Handb. d. Röm. Altth.* 1. 157. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Tergeminum*, adverbii more, pro sæpe, pluries. *Martial.* 3. 46. At tibi tergeminum mugiet ille sophos. Alii interpretantur *maximo plausu te prosequetur*, ita ut *tergeminum* sit *maxime, summopere.*

Homonym. Nonnulli discrimen statuunt inter *tergeminus* et *trigeminus*, ut illud dicatur de tribus uno partu editis, hoc de quacumque alia re triformi aut triplici. Illud certius, a poetis *tergeminus* dici, a prosæ scriptoribus utrumque, quod et ex allatis *Inscriptionib.* et ex nummo apud *Eckhel D. N. V. T.* 5. *p.* 199. evincitur.

TERGENS, entis, particip. *V.* TERGEO.

TERGĔNUS, indecl. omn. gen. (ter *et* genus) trium generum, ut *omne genus* omnium generum. *Auson. Edyll.* 11. 43. Humana efficiunt habitacula tergenus artes. *et ibid.* 49. Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, generatum.

TERGĔO, terges, tersi, tersum, tergere, a. 2. De alia forma *tergo, is, ere,* disputant Grammatici. *Priscian.* 10. *p.* 894. *Putsch.* Tergo tersi: dicitur tamen et tergeo. *et p.* 895. Tergo vel tergeo, tersi, tersum. *et p.* 870. In *geo* desinentia, *geo* in *si* conversa, faciunt præteritum, ut tergeo tersi; quod *Probus* et *Charisius* et *Celsus* et *Diomedes* comprobant et ipse omnibus validior usus. Contra *Rhemn. Palæm. p.* 1383. *ibid.* Infinitivo tergeri, non tergi, quia indicativo tergeo facit, non tergo. *V.* ABSTERGO. Ceterum *tergo, is,* habent, præter *Gramm.* adlatos, *Prob. Cathol. p.* 34. 17. *et p.* 38. 21., *Keil., Serv.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 626., *Varro* et *Ovid. loc. cit., Propert.* 4. 8. 84., *Stat.* 9. *Theb.* 74., *Virg. Mor.* 109., et *Plin.* 2. *Ep.* 5. — *Tersti*, syncop. pro *tersisti*, nonnulli leg. apud *Catull.* 66. 30, alii *tristi* pro *trivisti*. Sic *intristi* pro *intrivisti* apud *Ter. Phorm.* 2. 2. 4. — *Tertus* pro *tersus* est *Varron. Sat. Menipp.* 169. terta nitet galea. *et Caton.* apud *Non. p.* 179. 8. *Merc.* Alii circumtonsi et terti atque unctuli. *Prob.* tamen in *App. p.* 198. 4. *K.* usum improbat. — Ratione habita etymi, alii ducunt a *tero*, inserta littera *g*; alii vero a τρυγέω, sicco; alii a Skr. *sterg*, radere, mundare, littera *s* extrita. — Part. *Tergens* I.; *Tersus* in fin. (et *Tertus* V. supra). — Tergeo est mundo, nitidum facio, abstergeo, derado, ψάω (It. *nettare, forbire, tergere*; Fr. *frotter, nettoyer, essuyer*; Hisp. *estregar, limpiar, pulir*; Germ. *abwischen, abreiben, reinigen*; Angl. *to make clean, scour, wipe*).

I.) Proprie. *Varro* 6. *L. L.* 85. Mantelium, ubi manus terguntur. *Müll.* terguntur. *Cato R. R.* 2. 4. *et Colum.* 2. *R. R.* 22. Per ferias potuisse fossas veteres tergeri. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 9. Numquam concessavimus lavari aut fricari aut tergeri aut ornari. Adde *Lucret.* 6. 119. *Virg.* 7. *Æn.* 626. *Ribb.* Pars leves clipeos et spicula lucida tergent. Ubi *Pierius*: Quamvis codices nonnulli *tergunt* legant, plures tamen et probatiores *tergent.* et *Horat.* 2. *Cat.* 2. 24. gallina tergere palatum. *h. e.* gallinam comesse. *Ovid. Heroid.* 21. 166. Spissaque de nitidis tergit amoma comis. *Id.* 8. *Met.* 663. æquatam (*mensam*) mentæ tersere virentes. *et* 13. *ibid.* 132. manoque simul veluti lacrimantia tersit Lumina. Adde *Liv.* 26. 51. et *Vopisc. Aurel.* 7. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 48. 108. (258). Duros habentibus oculos, ut subinde pedibus eos tergeant. *Quintil.* 11. 3. *a med.* (et *Ammian.* 21. 16. 7.) Tergere nares. *Id.* 6. 3. 60. frontem sudario. *Juvenal.* 14. 62. Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter. *Id.* 13. 44. et jam siccato nectare tergens Brachia Vulcanus. Adde *Sil. It.* 16. 136. — Absolute. *Cic. Parad.* 5. 2. Qui tractant ista, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt. Adde *Inscr.* apud *Orelli n.* 2489., ubi occurrit formula *tergere ornare reficere.*

II.) Translate. *Lucret.* 6. 118. Aridus unde aureis terget sonus ille. *scuote grandemente gli orecchi.* et *Seneca Herc. Œt.* 907. furoris fonte Cinyphio scelus sub axe Libyco tersit. *h. e.* expiavit. *Martial.* 6. 1. Sextus mittitur hic tibi libellus, Quem si terseris aure diligenti, Audebit minus anxius tremensque Magnas Cæsaris in manus venire. *h. e.* emendaveris. — Hinc Part.

*Tersus, a, um,* adjectivorum more usurpatur; unde Comp. *Tersior* et Sup. *Tersissimus.* ¶ 1. Proprie est purus, nitidus, detersus, *netto, forbito, terso. Fest. p.* 363. 2. *Müll.* Tersum diem pro sereno dictum ab antiquis. *Plaut. Stich.* 5. 5. 4. Bene quum lauta, tersa, ornata, ficta (*mulier*) est, infecta est tamen. *Ovid.* 2. *Met.* 736. ut tersis niteant talaria plantis. *Hieronym. Ep.* 60. Pavimenta tersa. ¶ 2. Translate. *Stat. in ep. præfixa lib.* 2. *Silv.* Vir optime nec minus in judicio litterarum, quam in omni vitæ colore tersissime. *Quintil.* 10. 1. 93. Elegiæ mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. *et ibid.* 94. Multo est tersior ac purus magis Horatius. *Plin.* 9. *Ep.* 22. Si elegos ejus (*Passenni*) in manus sumpseris, leges opus tersum, molle, jucundum. *et* 2. *Ep.* 3. Præfationes tersæ, graciles, dulces. *Quintil.* 12. 10. *ante med.* Judicium acre tersumque.

TERGILLA, æ, f. 1. *deminut.* a tergus, parvum tergus sive cutis suis crassa, cum sua pulpa seu adipe, *cotenna. Gloss. Philox.* Tergilla sive tergillum, φορίνη, χοίρου δέρμα. *Apic.* 4. 3. Spathulam porcinam coctam tessellatim concides cum sua sibi tergilla.

TERGILLUM. *V.* voc. præced.

TERGĪNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TERGĪNUS, a, um, adject. (tergum) qui est ex tergore, scorteus, coriaceus. *Lucil.* apud *Non. p.* 81. 32. *Merc.* Cuja opera tergino' calix per castra cluebat. Ita *leg. Scalig.* At *Müll.* leg. *troginus*; alii vero aliter. — Hinc

*Terginum, i,* n. 2. absolute, et subintelligitur lorum, est lorum seu scutica coriacea, *staffile di cuoio*, quo cædebantur servi nocentes. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 21. Numquam edepol vostrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum est. *Lucil.* apud *Non. p.* 414. 9. *Merc.* Orationem fecere compendi potest, Solvi dum salvo in tergo et tergino licet. *Alii aliter leg.*

TERGĪVERSANS, antis, particip. *V.* TERGIVERSOR.

TERGĪVERSANTER, adverb. (tergiversor) cum detrectatione, *di mala voglia, ricusando. Vellej.* 1. 9. 3. Filium ejus Paulli, qui ad Cannas quam tergiversanter perniciosam reipubl. pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat.

TERGĪVERSĀTĬO, ōnis, f. 3. (tergiversor) subterfugium, detrectatio, recusatio, declinatio, νωτισμός. *Cic. Mil.* 20. 54. Quid ergo erat moræ et tergiversationis? *Auct. B. Afr.* 8. *a med.* Hæc ita unicuique præcipiebat, ut, fieri posset necne, locum nullum excusatio haberet nec mora tergiversatio. — In plur. num. *Frontin. Aquæd.* 5. Appius multis tergiversationibus extraxisse censuram traditur, donec et viam et hujus aquæ ductum consummaret. *h. e.* cunctationibus.

TERGĪVERSĀTOR, ōris, m. 3. (tergiversor) qui tergiversatur, cunctator, νωτιστής, περικάμπτης. *Gell.* 11. 7. Non enim Lucilium legistis, qui tergiversatorem *bovinatorem* dicit. *Arnob.* 7. *p.* 247. Tergiversatorem in obsequio esse. Adde *Isid.* 10. *Orig.* 271. et *Non. p.* 79. 26. *Merc.*

TERGĪVERSĀTŌRĬE, adverb. (tergiversatorius) tergiversando. *Augustin. ad Donat. post Collat.* 25. *n.* 45. et *Brev. Collat.* 1. 8.

TERGĪVERSĀTŌRĬUS, a, um, adject. (tergiversor) ad tergiversationem pertinens. *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 5. 20. Tergiversatoriæ ambages.

TERGĪVERSO, as, are. *V.* voc. seq.

TERGĪVERSOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (tergum *et* verto). Forma activa *tergiverso* vulgo usurpata fuisse videtur ex *Thes. nov. Latinit. p.* 593. ed. *Mai.* Tergiversare, in diversas partes vertere vel decipere. — Part. *Tergiversans* 2. — Tergiversor proprie est tergum obvertere et subterfugere, νωτίζω (It. *fuggire, ricusare, schivare*; Fr. *tergiverser, user de détours, de fauxfuyants, éluder*; Hisp. *tergiversar, usar de rodeos, esquivar*; Germ. *den Rücken zukehren, zaudern, zögern, sich entziehen*; Angl. *to backward or reluctant, decline, hang back, refuse, tergiversate*). Unde in *Gloss. Philox.* apte exponitur νωτοστροφεῖν. ¶ 1. Universim. *Cic.* 5. *Tusc.* 28. 81. Itaque eam tergiversari non sinent secumque rapient ad tormenta. *Id.* 7. *Att.* 1. Non est locus ad tergiversandum contra Cæsarem. *et ibid.* 12. *circa med.* An cuncter et tergiverser et iis me dem, qui etc.? Adde *Liv.* 2. 23. et 27. ¶ 2. Refertur etiam ad judicia. *Martian. Dig.* 48. 16. 1. Tergiversari, in universum ab accusatione desistere. *Cic. Planc.* 19. 48. Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? *Id. Flacc.* 20. 47. Hunc æstuantem et tergiversantem judicio ille persequitur. ¶ 3. Item ad disputationes, controversias et cetera hujusmodi, quæ verborum contentionem habent, pro fallere et dicta mutare, ut *Non. p.* 41. 23. *Merc.* ait. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 41. Quid tergiversamur, Epicure, nec fatemur, eam nos dicere voluptatem etc.? *Id.* 3. *Off.* 33. 118. In his tribus generibus non incallide tergiversantur.

TERGĪVUS, a, um, adject. (tergum) ad tergum pertinens. *Gloss. Lat. Gr.* Tergivus, νωτιαῖος.

TERGO. *V.* TERGEO.

TERGŎRO, as, are, a. 1. (tergus) tergus facio, tego. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 52. 78. (212). Sues indurantes attritu arborum costas lutoque se tergorantes. *h. e.* quasi tergus novum e luto sibi inducentes. Sic *Aristot. l.* 6. *c.* 18. Θωρακί-

ζοντες ἑαυτοὺς καὶ ποιοῦντες τὸ δέρμα ὡς παχύτατον.

TERGUM, i, n. 2. *et* tergus, ŏris, n. 3. Etiam *tergus, i,* masc. gen. usurpat *Plaut. Asin.* 2. 2. 12. Habeo, opinor, familiarem tergum, ne quæram foris. Ita leg. et *Non. p.* 227. 23. *Merc.* — *Tergibus* pro *tergis* a recto *tergu*, ut *genu*, quidam leg. apud *Lucret.* 2. 87. neque quidquam a tergibus obstet. Alii *tergis*, ut versus sit sponda cus. *Lachmannus* dedit *a tergo ibus* (ἀρχαϊκῶς pro *eis.* V. IS). — Origo vocis obscura est. *Varro* 5. *L. L.* 110. *Müll.* a *tego* ducit, unde et *tegus, oris* (V. hanc voc.); quare non defuere, qui *tegus* pro *tergus* legendum putarent. *Döderlein* conjungit cum Gr. τράχηλος, cervix, cui suffragatur *Vaniçek p.* 305. — Tergum duo præcipue significat.

*A) Tergum* est dorsum et quidem bestiarum atque hominum: falso enim quidam Grammatici docuerunt, *tergum* esse hominum tantum, *tergus* bestiarum (It. *tergo, dosso* o *dorso;* Fr. *dos;* Hisp. *espalda, cerro;* Germ. *der Rücken;* Angl. *the back*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 131. Si illi sunt virgæ ruri, at mihi tergum domi est. *Id. Capt.* 3. 4. 117. Væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo! *Id. Asin.* 2. 4. 75. Dabitur pol supplicium mihi de tergo vestro. *Id. Men.* 2. 2. 3. Væ tergo meo! *Sall. orat. Macri Licin. ad pleb. sub fin.* Abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. *ad fin.* Grues in tergo prævolantium capita reponunt. *et ibid.* 63. *a med.* Boum terga non sunt ad onus accipiendum figurata. *Liv.* 3. 55. *in fin.* Tergo ac capite puniri. *h. e.* virgis cædi et securi percuti. *Id.* 2. 11. Terga cædere. *Curt.* 4. 15. 31. fugientium fodere. *Auct. Epit. Iliad.* 362. *Wernsd.* premere. *Phædr.* 4. 9. Peras imposuit Juppiter nobis duas: Propriis repletam vitiis post tergum dedit, Alienis ante pectus suspendit gravem. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 32. *circa med.* Quum manibus ad tergum rejectis inambularet. ¶ 2. *Terga vertere, dare* etc., fugere, *fuggire. Cæs.* 1. *B. G.* 53. *init.* Ita prœlium restitutum est atque omnes hostes terga verterunt, nec prius fugere destiterunt, quam etc. *Liv.* 22. 29. (et 36. 38.) Qui plures simul terga dederant, conversi in hostem etc. *Juvenal.* 15. 75. et *Tac. Agric.* 37. Terga fugæ præstare. Cf. *ibid.* 14. Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem, adgressus terga occasioni patefecit. et *Ovid.* 10. *Met.* 706. Terga præbere. ¶ 3. Hinc *terga* absolute pro fuga. *Ovid.* 1. *Art. am.* 209. Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam. *Tac. Agric.* 33. Neque exercitus neque ducis terga tuta esse. ¶ 4. *Terga vertere* est etiam contemnentis. *Hieronym.* 1. *serm.* in *Jer.* 2. 27. Qui projiciunt sermones Dei retrorsum, ipsi vertunt contra eum tergum et non faciem; quando enim magister præcipit, obedientis indicium est, si demisso contra audiat capite. Sin autem vertat tergum, signum est contemnentis. ¶ 5. *Terga dare* est etiam oneri cedere, ut qui ferendo impares inclinantur. *Propert.* 3. 7. 5. Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus Et pressum inflexo mox dare terga genu.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur, per synecdochen, pro toto corpore. *Virg.* 3. *G.* 426. Squamea convolvens sublato pectore terga. *et* 2. *Æn.* 208. sinuantque immensa volumine terga. Sic *Petron. Sat.* 89. Stabant gemina nati pignora Lauconte, quos repente tergoribus ligant Angues corusci. — Eadem ratione dixit *Virg.* 6. *Æn.* 421. *de Cerbero.* ille fame rabida tria guttura pandens Corripit objectam atque immania terga resolvit Fusus humi. *et* 1. *ibid.* 637. sociis ad litora mittit Viginti tauros, magnorum horrentia centum Terga suum. *h. e.* integros sues centum. et 8. *ibid.* 183. Perpetui tergo bovis. *h. e.* integre apposito neque in frusta dissecto. ¶ 2. Item pro parte postica et aversa, *le spalle, il di dietro.* Hinc illa *ab tergo, post* vel *pone tergum,* apud *Cæs., Cic., Virg., Liv., Curt., Justin., Apul.,* alios, frequentissime. Sic *Juvenal.* 13. 16. qui jam post terga reliquit Sexaginta annos. — Huc pertinent sequentia loca, ubi significatur contemptus vel oblivio. *Vulg. interpr.* 2. *Esdr.* 9. 26. Projecerunt legem (*Dei*) post terga sua. *Id. Is.* 38. 17. Tu autem eruisti animam meam ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. *Id. Sophon.* 1. 6. Avertuntur de post tergum Domini. *Id.* 1. *Reg.* 12. 20. Nolite recedere a tergo Domini. ¶ 3. Hinc pro parte aversa cujuscumque rei. *Juvenal.* 1. 5. summi plena jam margine libri, Scriptus et in tergo, necdum finitus Orestes. *Virg.* 2. *G.* 271. *de arbore.* quæ terga obverterit axi. ¶ 4. Item extima pars, tegumen um. *Id.* 10. *Æn.* 784. linea terga clipei. *et ibid.* 482. tot ferri terga, tot æris. ¶ 5. *Terga aquæ*, superficies, qua naves vehit, quemadmodum tergo jumenta ferunt onera: qua ratione et *dorsum maris* dicimus. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 82. Dura meant celeri terga per amnis equo. *Claudian. B. Get.* 338. *de Rheno et Istro.* Ambo habiles remis, ambo glacialia secti Terga rotis. *Lucan.* 9. 341. Eminet in tergo pelagi. *et* 5. 564. niger inficit horror Terga maris. Adde *Avien. Perieg.* 77. — *Terga arvorum,* itidem superficies. *Virg.* 1. *G.* 97. proscisso quæ suscitat æquore terga. *et* 2. *ibid.* 236. glæbas cunctantes crassaque terga. *Pallad. De insit.* 168. juvat effossi terga movere soli. — *Terga montium*, declivia, vel posterior pars seu latus. *Liv.* 25. 15. Ut ad terga collis hostem pertraheret. *Avien. Perieg.* 740. Propter Atlantei tergum salis *etc.* Hicque Sacri sic terga vocat gens ardua montis. *Auct. Ætn.* 287. flexere caput tergoque feruntur. Cf. *eumd.* 447. et *Sil. It.* 1. 205. *et seq.* — *Tergum mundi,* de convexa parte cæli, dixit *Apul. De mag.* In extimo tergo mundi degit. Scit me vera dicere Maximus, qui τὸν ὑπερουράνιον τόπον ἐπὶ τῷ τοῦ οὐρανοῦ νώτῳ legit in Phædro. — *Tergum cassidis*, cavitas. *Grat. Cyneg.* 29. omnem (*cassis*) Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem. *h. e.* cavitate sua feram, quamvis magnam et validam, complecti queat.

*B) Tergum* adhibetur etiam pro tergore seu corio, δέρμα (It. *cuoio, pelle;* Fr. *peau, cuir;* Hisp. *piel, cuero;* Germ. *Haut, Fell;* Angl. *a skin or hide*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 372. Taurino quantum possent circumdare tergo. *Ovid.* 2. *Art. am.* 655. Ferre novæ nares taurorum terga recusant. *Calpurn. Ecl.* 2. 37. Terga mutare. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 34. Terga præuncta, simili modo calefacta. *h. e.* quadrupedum coria. — In illo *Juvenal.* 11. 82. Sicci terga suis rara pendentia crate *etc.* et *Ovid.* 8. *Met.* 648. Sordida terga suis *etc.* non solum corium intelligimus, sed cum sua carne et pingui, quod est laridum. *V.* vocem seq.

II.) Tropice pro aliqua re ex tergore facta. *Ovid.* 15. *Met.* 304. derepta bicorni Terga capro. *h. e.* utres. Sic 14. *Met.* 226. venti bovis tergo inclusi. *Id.* 4. *Fast.* 212. *et* 342. Et feriunt molles taurea terga manus. *h. e.* tympana. Sic *Stat.* 2. *Achill.* 154. Euia pulsant Terga manu. *et* 8. *Theb.* 221. æra sonant Idæaque terga. *Virg.* 5. *Æn.* 403. duro intendere brachia tergo. *con cinghie di cuoio. Id.* 9. *ibid.* 412. *de hasta.* Et venit aversi in tergum Sulmonis ibique Frangitur. *h. e.* in scutum. Sic 10. *ibid.* 718. et tergo decutit hastas. *et Ovid.* 12. *Met.* 96. telum Misit in Æacidem, quod et æs et proxima rupit Terga novena boum. *Stat.* quoque scutum describens 4. *Theb.* 166. Quattuor indomitis Capaneus erepta juvencis Terga superque rigens injectu mollis ahenæ Versat onus. *Lucan.* 10. 12. terga testudinis Indæ.

TERGUS, ŏris, n. 3. *Tegus* pro *tergus*, ἀρχαϊκῶς, apud *Plaut. Capt.* 4. 3. 2. *et ibid.* 4. 7. et *Pseud.* 1. 2. 64. *Fl.* et *Fronto De eloq.* 1. p. 141. 17. *N.* — Tergus duo diversa significat.

*A)* Est corium, pellis, cutis, δέρμα, *cute, pelle, cuoio.* Cf. voc. præced.

I.) Proprie. *Cels.* 7. 25. Cutis circa glandem prehenditur et extenditur, deinde juxta pubem in orbem tergus inciditur, donec coles nudetur. *et ibid. n.* 2. Subter a summa ora cutis inciditur atque ita superius tergus relaxatum cedere retro potest. *Id.* 4. 1. *circa med.* Ventriculus constat ex duobus tergoribus. *h. e.* tunicis, membranis, tegumentis. *Virg.* 1. *Æn.* 215. Tergora diripiunt costis et viscera nudant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (30). *de eleph.* Durissimum dorso tergus, ventri molle. *Sil. It.* 3. 209. squalenti tergore serpens.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen, pro re aliqua e tergore facta. *Ovid.* 13. *Met.* 347. Gestasset læva taurorum tergora septem. *Martial.* 7. 2. Martis tergus Geticum. *h. e.* lorica, thorax. ¶ 2. Ponitur pro larido. *Ovid.* 8. *Met.* 649. Servatoque diu resecat de tergore partem Exiguam, sectamque domat ferventibus undis. *V.* vocem præced. — Apud *Phædr.* 2. 1. divisum tergus juvenci est ipsum corpus sectum in partes. ¶ 3. De corpore serpentis. *V.* vocem præc.

*B)* Adhibetur etiam pro tergo seu dorso *dorso, tergo.* Cf. voc. præc. *Colum.* 6. *R. R.* 37. *sub fin.* Ut equa facilem sui tergoris ascensum minori quadrupedi præbeat. *Propert.* 2. 20. 6. Helle, Aurea quam molli tergore vexit ovis. *Est qui leg.* vellere. *Virg.* 9. *Æn.* 763. *Ribb.* raptas fugientibus ingerit hastas In tergus. Ita leg. etiam *Charis.* 1. *p.* 54. *et* 118. *Putsch.* et *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 211. et habetur in Romano codice apud *Pierium:* alii *tergum.*

H o m o n y m. *Tergus* et *corium* quidam ita distinguunt, ut *tergus* significet pellem recens detractam; *corium*, postquam confecta est: quod est falsum omnino.

TĔRĬMENTUM. *V.* TERMENTUM.

TERISTRUM. *V.* THERISTRUM.

TERJŬGA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TERJŬGUS, a, um, adject. (ter *et* jugum), idem ac ternus, ut *quadrijugus* quaternus. *Auson. epist.* 8. 11. Perfer in excursu vel terjuga milia epodon. Adde *Apul.* 6. *Met.* — Hinc

*Terjuga, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, figura, quæ τρίκωλον Græcis dicitur. *Auct. carm. de schem. p.* 75.

TERMEN, mĭnis, n. 3. *Termunibus* legitur in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 5036. pro *terminibus*, quod est apud *Gromat. vet. p.* 12. 17. et 21. et alibi. *Lachm.* — Etiam feminini generis est in *Inscr.* apud *Cavedoni Marm. Moden. p.* 282. VENIT INIQVA DIES ET ACERBAE TERMINIS HORA. Sic *id.* affirmat se legisse in marmore; at *Murat.* 1282. 11., qui se idem vidisse testatur, legit *et acerbæ terminus horæ*, quod quidem rectius sese habet, inquit cl. *Furlanetto.* Sane insolens hæc feminini generis forma priori lectioni maxime obstare videtur. — Ad etymon quod attinet, recentiores derivant a Skr. *tar*, ad finem venire et etiam ultra progredi, unde *tiras*, trans; hinc Gr. τέρμα et τέρμων. — Termen igitur est idem ac terminus.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 21. *Müll.* Terminus quum in Latio aliquot locis dicitur, ut apud Accium, non terminus, sed termen, hoc Græci τέρμα. *Vet. Inscript.* apud *P. Vict. Aldin. Ant. lap. Ticin. p.* 65. . . . . . . TERMEN PON. CVR. QVI IVDICIIS SVIS PROCVRANDVM INIVNCXIT. *Alia* apud *Orelli n.* 3121. (quæ pertinet ad a. U. C. 637.) *post init.* IBI TERMINA DVO STANT.

II.) Translate. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 59. SI CVM TERMINE LEGERIS PEREMPTAM ME AETATIS VIGESIMO DOLEBIT. *h. e.* vicesimo anno.

TERMENTĀRĬUM, ĭi, n. 2. (tero) linteum. *Varro* 5. *L. L.* 21. *Müll.* Hinc linteum, quod teritur corpore, termentarium *pro* terimentarium. *Müllerus* tamen *leg.* extermentarium.

TERMENTUM (terimentum), i, n. 2. (tero) id, quod tritum est, detrimentum, damnum *Fest. p.* 363. 20. *Müll.* Termentum pro eo quod nunc dicitur detrimentum, utitur Plautus in Bacchidibus. *Plauti* locus est *Bacch.* 4. 9. 5. *Ritschl.* Non Pelides termento fuit, præ ut ego herum expugnabo meum. Alii leg. *tormento.* At *Both.* ex MSS. et ex conjectura sic: Non pol id est! termentum fuit, præ ut herum expugnavi meum. *Fleckeisen* vero *leg.* Non pejus termento fuit. *Gloss. Isid.* Terimentum, nutrimentum (*leg.* detrimentum).

TERMES, itis, 3. duo diversa significat. ¶ 1. *Termes*, masc. gen., est ramus desectus ex arbore, nec foliis repletus nec nimis glaber. Ita describit *Paul.* ex *Festo p.* 367. 18. *Müll. Gell.* 3. 9. *extr.* Palmæ termes ex arbore cum fructu avulsus, spadix dicitur. *Grat. Cyneg.* 20. et incaito Silvanus termite gaudens. Adde *ibid.* 132. Termes incomptus. — Præcipue ramus olivæ. *Horat. Epod.* 16. 45. Germinat et numquam fallentis termes olivæ. ¶ 2. *Termes*, femin. gen. *V.* TARMES.

TERMETIS, is, m. 3. *Vital. De limit. p.* 250. *Goes.* Terminus dici non potest eo quod plus a tres pedes habeat ideoque termetis dici debet. *Goesius* adnotat ad *h. l.* «Nugatur quasi terminus sit dictus - *ter minus*, ut *magister* a *magis ter*».

TERMĬNĂCĬO. *V.* TERMINATIO.

TERMĬNĀLĬA, ium *vel* iōrum. *V.* voc. seq.

TERMĬNĀLIS, e, adject. (terminus).

I.) *Terminalis* est ad terminum pertinens, *terminale*. — *a*) Universim. *Tertull. Jejun.* 11. *sub fin.* Palos terminales figere. *Paul.* 5. *Sentent. tit.* 22. Terminos effodere arboresve terminales evertere. *Ammian.* 18. 2. *a med.* Ubi terminales lapides Alamannorum et Burgundiorum confinia distinguebant. *Gromat. vet. p.* 333. *Lachmann.* Aquæ terminales. — *b*) *Terminalis* vocatur cannabis silvatica, quia termini locum habet, quum secus vias ac sæpes seritur. *Apul. Herb.* 115. Cannabis alia est usualis, alia agrestis, quam Itali terminalem appellitant. Nascitur locis asperis et secus vias ac sæpes. — *c*) *Terminalis Juppiter*, quem *Dionys. Halic. l.* 2. c. 74. Ὅριον Δία vocat, terminis agrorum præerat, cui terminales lapides sacri erant, a Numa Pompilio constituti. *Inscr.* in herma sculpta, in *Bullett. dell' Istit. archeol. T.* 3. *p.* 182. IOV. TER. M. VAL. ANT. (*h. e.* Jovi Terminali Marcus Valerius Antonius) ANTICO V. L. S. *V.* TERMINATOR. — Hinc

*Terminalia, ium* (*Charis. p.* 34. 26. *K.*) vel *iorum* (*Macrob.* 1. *Saturn.* 13. *V.* SATURNALIA), n. plur. 3. absolute, substantivorum more, festa in honorem dei Termini, VII. cal. Mart., ut docet *Lactant. Mort. persecut.* 12., quo nempe tempore annus terminabatur, die ante Regifugium. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.*, *Liv.* 42. 13. *et* 45. 44. et *Macrob. loc. cit.* V. *Ovid.* 2. *Fast.* a v. 639. *Horat. Epod.* 2. 59. Vel agna festis cæsa Terminalibus. — Ad diem significandum, *Cic.* 6, *Att.* 1. *init.* Accepi tuas litteras a. d. quintum Terminalia. Adde 12. *Phil.* 10. 24.

II.) *Terminalis* est etiam ad finem pertinens, *finale*. Hinc *terminalis tuba*, quæ signum dat termini et finis ludorum. *Apul.* 10. *Met.* Ubi discursus reciproci multimodas ambages tubæ terminalis cantus explicuit, aulæo subducto et complicatis siparlis, scæna disponitur. — *Terminalis sententia*, quæ liti finem imponit, *definitiva*. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 31. 14. Litem sententia terminali componere. — *Terminalis vocalis* vel *syllaba*, qua quælibet dictio terminatur. *Priscian.* 15. *p.* 1010. *Putsch.* Sæpe corripiunt nomina o terminalem, quando in adverbia transeunt, ut cito, sero, modo. *Inc. Gramm.* in *Fragm. de verb. p.* 145. *Endl.* Syllaba terminalis. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

**Homonym.** Discrimen inter *terminalem* litteram et *terminationem* ita exponit *Auct. Art. Bern. p.* 91. 28. *Hag.* Scimus quoniam *terminalis* una littera est, seu vocalis vel consonans sit; *terminatio* autem est vocalis sive sola vel vocalis cum consonante. Hæc ergo est differentia inter *terminalem* et *terminationem* in illis nominibus in *a* desinentibus: quando enim mens tua respicit ad potestatem, ideat ad syllabam, tunc t e r m i n a t i o n e m; quando autem ad litteraturam, hoc est ad extremitatem soni, quæ aut vocali aut consonante terminantur, tunc t e r m i n a l i s est.

TERMĬNANS, antis, particip. *V.* TERMINO.

TERMĬNĀTĒ, adverb. (terminatus) cum termino. *Auct. de cas. litter. p.* 243. *Goes.* Fundo terminate finem constituimus.

TERMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (termino) Etiam *terminacio* in *Inscr.* in *Revue archéol. c.* 1864. *p.* 218. et *Gloss. Gr. Lat.*, ut alia id genus (*V.* litt. T). — Terminatio ¶ 1. Est actus terminandi sive limitum constitutio. *Gromat. vet. p.* 253. 10. *Lachm.-Rud.* Terminatio autem ejus (*agri*) facta est VI. Id. Octobr. Adde *ibid. p.* 57. et *p.* 196. et alibi. *Inscript.* apud *Gruter.* 197. 5. *et* 198. 2. L. MESSIVS RVSTICVS CVRATOR ALVEI ET RIPARVM TIBERIS ET CLOACARVM VRBIS R. R. RESTITVIT SECVNDVM PRAECEDENTEM TERMINATIONEM PROXIM. CIPP. PED. CX. ¶ 2. Est sæpius definitio vel distinctio, discretio, finis alicujus rei. — *a*) Generatim. *Cic.* 5. *Fin.* 10. 27. Exposita rerum expetendarum terminatione, cur ista se res ita habeat, deinceps demonstrandum est. *Id. Orat.* 53. 178. Ut igitur poetica et versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentium. — In plur. num. *Vitruv.* 2. *præf.* § 5. Terminationes artis. Adde *eumd.* 1. 2. *Id.* 5. 4. Natura finiit terminationes eorum (*tonorum*) mensuris intervallorum quantitate. *Id. ibid.* Continuata vox efficit terminationes non apparentes. *et* 7. *præf.* § 2. Agendæ vitæ terminationes finire. — *b*) Speciatim, apud Grammaticos, est vocabulorum exitus, *desinenza, uscita. Priscian.* 7. *p.* 727. *Putsch.* Prima declinatio habet terminationes in nominativo tres, *a, as, es.* — *c*) Item apud Rhetores, est clausula. *Cic. Orat.* 59. 200. Ante circumscribitur mente sententia confestimque verba concurrunt: quæ mens statim dimittit, ut suo quodque loco respondeat: quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur. *h. e.* modo hunc modo illum terminum ac positionem verborum structuræ imponendo. — Et etiam figura eadem, quæ Græce *homœoteleuton* nominatur. *Beda De schem. p.* 610. *Halm.*

TERMĬNĀTŎR, ōris, m. 3. (termino) qui terminos ponit, *terminatore*, ὁροθέτης. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 11. Ipse sit Juppiter in merce Mercurius, in Jano initiator, in Termino terminator. Adde *Gloss. Gr. Lat.*

TERMĬNĀTUS, a, um, particip. *V.* TERMINO.

TERMĬNĀTUS, us, m. 4. (termino) idem quod terminus. *Lex de aquæd.* apud *Frontin. Aquæd.* 129. Quique erunt circa fontes et fornices et muros et rivos et specus, terminatus, arbores, vites, vepres, sentes, ripæ, maceria, salicta, arundineta, tollantur, excidantur.

TERMĬNĬA, æ, f. 1. idem ac terminus. *Collat. Mos. et Rom. leg.* 13. *init.* et *in fin.* in *lemmate.* Incipit de terminia mota. *et* Explicit de terminia mota.

TERMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (terminus) Part. *Terminans.* sub *B* 2.; *Terminatus* sub *A* I. 1. et II. et *B* 1.; *Terminaturus* sub *A* II.; *Terminandus* sub *A* I. 2. et *B* 1. — Termino

*A*) Est terminos constituo, certis finibus circumscribo, definio, finio, ὁρίζω (It. *mettere i termini, limitare, terminare*; Fr. *tracer des bornes, limiter, délimiter*; Hisp. *poner limites or terminos, limitar, amojonar*; Germ. *e. Gränze versehen, abgränzen, durch e. Gränze bestimmen*; Angl. *to bound, limit, confine, terminate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 1. 998 Terra mare et contra mare terras terminat omnes. *Cic.* 1. *Off.* 10. *sub fin.* Illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, populo R. adjudicavit. *Id. Cæcin.* 8. 22. Ingrediens intra finem ejus loci, quem oleæ terminabant. *Liv.* 5. 50. Fana omnia, quod ea hostis possedisset, restituerentur, terminarentur, expiarentur. *Inscript.* apud *Gruter.* 196. 4. TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAISAR AVG. GERMANICVS AVCTIS POPVLI R. FINIBVS POMERIVM AMPLIAVIT TERMINAVITQVE. *Alia* apud *eumd.* 199. 1. CIPPIS TERMINARVNT VIAM. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Stomachus palato extremo atque intimo terminatur. *Id.* 3. *Cat.* 11. 26. Quorum alter fines vestri imperii non terræ, sed cæli regionibus terminaret. Adde *Quintil.* 11. 3. 139. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (137). Regiones ab oriente Indo, ab occidente Tigri, a septentrione Tauro, a meridie Rubro mari terminatæ. — Absolute. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 1236. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS..... EX SC. TERMINAVIT. *h. e.* terminos posuit. — Part. *terminatum*, neutr. absolute, limes, finis. *Gloss. Gr. Lat.* Ὅρος ἐπὶ χώρας, terminus - hoc terminatum. ¶ 2. Speciatim pro composito *distermino*, h. e. terminis statutis secerno ac discrimino. *Liv.* 32. 28. *sub fin.* Prætores terminare jussi, qua ulterior citeriorve provincia servaretur. *Id.* 42. 1. Senatui placuit, consulem ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire. *Inscript.* apud *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 240. CN. SENTIVS SATVRNINVS C. CLODIVS LICINVS COS. TERMINAVERVNT LOCVM PVBLICVM AB PRIVATO. V. *Marin. Iscriz. Alb. p.* 23. Adde *aliam*, ad tempora Claudii Imp. pertinentem, in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 1231.

II.) Translate. *Cic. Mil.* 27. 74. Qui Janiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum. *Alii* terminarat. *Id. Senect.* 23. 82. An censes, me tantos labores suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? *Id.* 1. *Tusc.* 25. *a med.* Pythagoras sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit. *et* 2. *ibid.* 19. *a med.* Terminare magnitudinis et diuturnitatis modum. *Id.* 3. *Off.* 33. 117. Epicurus bona voluptate terminavit, mala dolore. *Liv.* 32. 4. Sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis haud facile queas. *h. e.* eorum fines oculis cernere. *Quintil.* 4. 1. 62. Terminare prooemia inter quattuor sensus. *Justin.* 22. 5. *ad fin.* Gloriam tam honestæ militiæ tantam in omne ævum futuram, ut terminari nullo tempore oblivione possit. *Colum.* 10. *R. R. præf. ad fin.* Materia per se et quasi suis finibus terminata. *ristretta ne' suoi confini.* Rursus *Cic.* 1. *Fin.* 13. *in fin.* Propterea, quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles et terminatas habet.

*B*) Est finem alicui rei imponere, absolvere, concludere (It. *terminare, finire*; Fr. *terminer, clore, finir*; Hisp. *terminar, fenecer*; Germ. *abschliessen, endigen*; Angl. *to close, finisch*): quod alii a priore sensu translatum faciunt. ¶ 1. Generatim. *Cic. Marcell.* 11. 33. Unde est orsa, eodem terminetur oratio. *Id. Orat.* 59. 199. Censent, cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. *Id.* 3. *Orat.* 47. *extr.* Vult clausulas longa plerumque syllaba terminari. *Id.* 3. *Fam.* 12. 4. Jam imperio annuo terminato. *Id. Orat.* 5. 20. Oratio conclusa et terminata. *Liv.* 23. 21. Terminare bellum. Sic *Jul. Exsuper.* 3. Hoc ubi Mario compertum est, terminare, quod gerebat, prœlium festinavit. *Fronto De laud. fum. p.* 325. Ut novissimos in epigrammatis versus habere oportet aliquid luminis; sententia clavi aliqua vel fibulâ terminanda est. *Julian. Dig.* 47. 2. 58. Si negotium terminatum est. *h. e.* transactum, peractum. *Paul. ibid.* 50. 16. 230. Res judicio terminatæ. *Id. ibid.* 42. 1. 45. Lis terminata. *Cod. Theod.* 10. 10. 11. Ut quid statuendum sit pro legum ordine terminemus. *h. e.* definiamus, describamus. ¶ 2. Specialim, apud Grammaticos, est desinere. *Quintil.* 1. 5. 62. Si, ut Mæcenas - dicerentur, genetivo casu non *e* littera, sed *tis* syllaba terminarentur. *Mar. Victorin.* 1. 11. 42. Brevis longa terminante componitur.

TERMĬNUS, i, m. 2. (termen) duplici sensu adhibetur, concreto scilicet vel physico, ut ajunt, et abstracto, quem alii ab illo translatum faciunt.

*A*) *Terminus*, concreto vel physico sensu, est limes, finis, v. gr. lapis aut stipes, qui ponitur ad denotandos fines agrorum, regionum, ditionum, sepulcrorum, τέρμα, τέρμων, ὅρος (It. *termine, confine, limite*; Fr. *borne, limite, ligne de démarcation*; Hisp. *limite, termino, confin, mojon*; Germ. *Granze, Gränzmark, Gränzlinie*; Angl. *a boundary, limit, mere*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Horat.* 2. *Od.* 18. 24. Quid, quod usque proximos Revellis agri terminos et ultra Limites clientium Salis avarus? *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 132. Est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (8). Feriæ religiosæ terminis agrorum, *h. e.* Terminalia. *Tac.*

12. *Ann.* 23. Terminos urbis propagare. *et ibid.* 24. ponere. *Justin.* 7. 1. 2. Macedoniæ termini perangusti fuere. *et* 1. 1. 5. Rudes ad resistendum populos, terminos usque Libyæ, perdomuit. *Id.* 21. 6. 3. Alexandria in terminis Africæ et Ægypti condita. *Inscript.* sacra in *Bullett. archeol.* a. 1829. *p.* 205. SOLO SVO INTER QVATTVOR TERMINOS. *h. e.* cippos. *Alia* apud *Henzen n.* 5114. (Cf. cl. *Furlanett. Ant. Lap. Pat. t.* 13. *n.* 81. et *Ant. Lap. Mus. d'Este p.* 29.) TERMINOS FINESQVE EX SENATI CONSVLTO STATVI IVSIT (*sic*) INTER ATESTINOS PATAVINOSQVE. *V.* quæ ibi adnotat *Henzenius.* — *Terminorum* seu etiam *limitum,* qui dicuntur, genera exponuntur a scriptoribus rei agrariæ in fin. *lib.* 1. *Colon. p.* 247. *et seqq.* ed. *Lachm.* coll. *Indic.* apud *eumd.* 2. *p.* 517. Sic in *Inscr.* apud *Orelli n.* 570. Terminos restituere. *et n.* 4334. Termini lapidares. — Inscriptiones terminorum *V.* apud *eumd. n.* 4332. *et seqq.* ¶ 2. *Termini sanctorum,* apud sequioris ætatis scriptores, videntur fuisse limites locorum sacrorum, intra quos criminosi homines immunitatis causa confugiebant. *Julian. Antecess. Const.* 21. 5. Termini sanctorum non prosunt neque homicidis etc. ¶ 3. *Terminus* (de quo *V.* etiam ONOM.) apud Romanos deus fuit. De hoc *Ovid.* 2. *Fast.* 639. solito celebretur honore, Separat indicio qui deus arva suo Termine, sive lapis sive es defossus in agro Stipes. ab antiquis: sic quoque numen habes. Te duo diversa domini pro parte coronant: Binaque serta tibi binaque liba ferunt. *et ibid.* 659. Tu populos urbesque et regna ingentia finis: Omnis erit sine te litigiosus ager. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 368. 3. *Müll.* Termino sacra faciebant, quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant. Denique Numa Pompilius statuit, eum, qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse. Hæc *Festus. Lactant.* 1. 20. *ad fin.* Quid? qui lapidem colunt informem, cui nomen est Terminus, hic est, quem pro Jove Saturnus dicitur devorasse. *Id. ibid., Ovid. loc. cit., Liv.* 1. 55. et *Serv.* ad illud *Virg.* 9. *Æn.* 448. Capitoli immobile saxum; narrant hujusmodi fabulam: Quum Tarquinius Superbus templum Jovi facere vellet in monte Tarpejo, ubi varia sacella erant multorum deorum: visum est iis religionibus locum liberare, ut uni Jovi vacaret. Itaque auspicio facto, quum ceterorum exaugurationem admitterent, aves, in Termini (addit *Liv.* 5. 54. *extr.* et Juventatis) fano non addixere: quæ res, firmum fore ac stabile Romanorum imperium, portendere credita est. Exstructo igitur templo, supra Terminum reliquere in tecto foramen, ut, quia non cesserat, libero cælo frueretur. atque ob id ei deo non nisi sub divo sacrificare mos fuit. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 368. 5. *Müll.* Terminus quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quod nefas esse putarent, Terminum intra tectum consistere.

II.) Translato et obsceno sensu significat etiam τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικόν. V. *Pompon. loc. cit.* in OCQUINISCO.

*B) Terminus* est etiam finis cujuscumque rei, τέλος (It. *fine, termine;* Fr. *terme, borne, fin, but;* Hisp. *fin, termino, remate;* Germ. *Ziel, Ende;* Angl. *end, extremity, conclusion*). ¶ 1. Generatim. *Plaut. Asin.* 1. 2. 13. Ego pol te redigam ad egestatis terminos. *Cic. Amic.* 16. 56. Constituendi sunt, qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi. *Id. Quinct.* 10. *circa med.* Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim. *Id.* 1. *Orat.* 49. 214. Crassus mihi visus est oratoris facultatem, non illius artis terminis sed ingenii sui finibus describere. *Id.* 6. *Fam.* 22. Quum consilii tui eum tibi finem statueris, quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionum esse voluit. *Auct. B. Afr.* 54. Quoniam ipsi sibi neque modum neque terminum constituunt etc. *Cic.* 4. *Cat.* 10. 21. Pompeji res gestæ iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. *Id. Rabir. perduell.* 10. *circa med.* Nihil longius, quam vitæ termini postulant, cogitare. *Plin.* 6. *Ep.* 29. Hos terminos dignitati ac verecundiæ tuæ statuo. *Cic.* 1. *Orat.* 16. 70. Nullis terminis circumscribere aut definire jus tuum. *Vellej.* 2. 46. 2. Neque in pecunia neque in gloria concupiscenda aut modum norat aut capiebat terminum. ¶ 2. Speciatim apud Mathematicos *terminus* dicitur numerorum summa, quasi eorum finis et conclusio. *Boeth.* 1. *Aritm.* 9. Si autem impares terminos ponamus, id est summas, id enim terminos, quod summas nomino etc. — Hinc *terminus major, minor, maximus, minimus, ultimus* etc. apud *eumd. ibid.* ¶ 3. Item a Geometris *terminus* dicitur id quod cujusque est finis, ut apud *Cassiod. De geom.* ¶ 4. Item sequioris Latinitatis tempore, *terminus,* inquit *Furlanettus,* etiam vocabulum significat; unde Itali suum *termine* derivarunt: qua significatione elegantiores Itali scriptores, quos inter et *Segneri,* usi sunt. *Augustin. Serm.* 299. *n.* 6. Blaterent quidquid velint grammatici, terminum videlicet *salvator* haud Latinum esse. ¶ 5. Pro determinatione vel sententia. *Tertull. Pudic.* 13. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen inter *finem* et *terminum* V. sub v. FINIS.

TERMĪTĒUS, a, um, adject. (termes) ad termitem pertinens. *Grat. Cyneg.* 446. ipse manu ramum pallente sacerdos Termiteum quatiens. *h. e.* ramum oleagineum.

TERMO, ōnis, m. 3. (termen) idem ac terminus, apud veteres. *Ennius* apud *Fest. p.* 363. 24. *Müll.* Ingenti vadit cursu, qua redditu' termo est. *et idem:* Hortatore bono priu' quam jam finibu' termo est.

TERMUS. *V.* TARMES.

TERNĀRĬUS, a, um, adject. (terni) universim ad numerum trium pertinens; speciatim vero ¶ 1. Est qui tria continet, *ternario,* τριττύς. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med. de scrobib.* Eorum quaternarii, hoc est quoquoversus pedum quattuor, si est commodum terrenum, quattuordecim ab uno fiunt; ternarii autem duodeviginti. *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Ternariæ formæ (*aureorum*). *Macrob.* 1. *Sat.* 6. 23., *Augustin.* 2. *Doctr. Chr.* 29., *Boeth.* 1. *Arithm.* 11. et *Auson. Edyll.* 11. *præf.* numerus. *h. e.* tres. *Priscian. De fig. num. p.* 415. 29. *Keil.* Ternarius iambus, qui tres habet pedes. ¶ 2. Est etiam triplex. *Diomed.* 1. *p.* 286. *Putsch.* Ternaria nominum forma dicitur, quæ tribus casibus obliquis declinatur. *Claud. Sacerd.* 2. *Gramm.* 92. Formæ casuum sunt sex: unaria, binaria, ternaria, quinaria, senaria. — Hinc

*Ternarius, ii,* m. 2. absolute, videtur esse nummus æreus, qui triens dicitur. *Pelagon. Veterin.* 16. *a med.* Ungula subter molliter raditur scalpello famicali et a qua ternarii magnitudo tollitur.

TERNĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

TERNĀRĬUSDĒNĀRĬUS, a, um, adject. ad tredecim pertinens. *Priscian. De fig. num. p.* 415. 10. *Keil.*

TERNI, æ, a, adject. dispertitiv. Usurpatur etiam sing. num. *ternus, a, um.* V. infra. — In Genet. plur. sæpius *ternum,* quam *ternorum,* dicitur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 67. (173). Intervallo ternorum pedum. At 20. *ibid.* 17. 73. (194). Mensura ternum digitorum. *et* 25. *ibid.* 6. 30. (66). Caules ternum cubitorum. *et* 11. *ibid.* 29. 35. (102). Ternum pedum longitudo. — Terni idem est ac tres, *tre,* τρεῖς, τρία. ¶ 1. In plur. num. — *a*) In distributione. *Priscian. De fig. num. p.* 413. 28. *K.* Ut singuli, bini, terni vel trini: sed terni ἀνὰ τρεῖς, trini τριχεῖς magis significat: quaterni, quini, seni, septeni, octoni, noveni, undeni, duodeni, ternideni, quaternideni, quinideni, senideni, septenideni, octonideni, novenideni, vicenisinguli, vicenibini, viceniterni. *Varro* 2. *R. R.* 1. Ea partes habet novem, ter ternas. *tre per ciascuna.* et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 73. (190). Ternis in die pilulis. *tre al dì.* Cf. *ibid.* (188). Ternæ diebus (*fabæ*) sumuntur. *Cic.* 5. *Verr.* 48. 114. Ut in jugera singula ternis medimnis decidere liceret. *Virg.* 5. *Æn.* 247. Muneraque in naves ternos optare juvencos. *tre per nave.* — *b*) Extra distributionem. *Plaut. Merc.* 2. 2. 33. Quid ternas (*litteras*)? *Ovid.* 10. *Met.* 22. Terna Medusæi vincirem guttura monstri. *h. e.* tria guttura Cerberi. *Virg.* 5. *Æn.* 560. Tres equitum numero turmæ ternique vagantur Ductores. Adde *Tibull.* 4. 1. 112. *Macrob. Somn. Scip.* 1. 6. Ter terna, quæ sunt novem. ¶ 2. In sing. num. est triplex. *Virg.* 5. *Æn.* 120. terno consurgunt ordine remi. *Claudian. Laud. Seren.* 88. te Gratia terna afflavit docuitque loqui. *h. e.* Gratiæ tres. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 47. (39). Terna aspuere deprecatione. Alii leg. *terna tantum,* ut sit idem ac ter.

TERNĪDĒNI *et divisim* terni deni, æ, a, adject. dispertitiv. terni et deni, tredecim, *tredici.* *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 62. (231). Ternadena ova subjicito ætate tota, hieme pauciora, non tamen infra novena. *tredici per volta.* Sunt qui putant ternadena ova esse triginta, non tredecim, quorum sententia vel ex eo refellitur, quod ex ejusdem *Plinii* præcepto 10. *ibid.* 54. 75. (151). ova impari semper numero supponenda sunt. Adde *Priscian. De fig. num. p.* 413. 22. *Keil.*

TERNĬO, ōnis, m. 3. (terni) numerus tria continens, *numero ternario.* *Gell.* 1. 20. Numerus ternio, qui Græce dicitur τριάς. *Capell.* 7. *p.* 257. Multiplicet ternio seipsum, fiunt ter terna novem. — Ita etiam vocatur jactus in ludo talorum et tesserarum a numero punctorum, ubi tamen *trio* pro *ternio* legitur. *Isid.* 18. *Orig.* 65. Jactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, binio, trio, quatrio, quinio, senio.

TERNĬTAS, ātis, f. 3. (terni) triplicitas, trinitas. *Priscian. De fig. num. p.* 413. 30. *Keil.* Ternitas vel trinitas.

TERNŎVĒNI *et divisim* ter noveni, æ, a, adject. dispertit. *Liv.* 27. 37. — *Ternoveni* in Isiacis quid significent, ignoramus. Cf. *Cavedoni* in *Opusc. di Modena, Ser.* II. *T.* 3. *p.* 335.

TERNOX, octis, omn. gen. adject. (ter et nox) ad trinam noctem pertinens. — Absolute *ternoctem Herculeam* apud *Stat.* 12. *Theb.* 301., ubi *ter noctem* divisim scribit *Queck.* V. HERCULEUS in ONOM.

TERNUS, a, um. *V.* TERNI.

TĔRO, tĕris, trīvi, trītum, tĕrere, a. 3. *Terui* in præterito pro *trivi* agnoscitur a *Charis.* 3. *p.* 220. *Putsch.* et confirmatur a nonnullis illo *Plauti Pseud.* 3. 2. 29. Priusquam teruerunt, oculi ut exstillent, facit. Sed alii leg. *triverunt.* V. dicta in ATTERO. — *Tristi,* syncope pro *trivisti,* V. in TERGEO. — *Tertus,* pro *teritus* seu *tritus,* particip., apud *Rustic. Help. carm.* 86., quem terta levavit Gens Chaldæa Deum cum sancte perdita flammæ Lumine. Vide tamen, num *terna* scribend. — Etymon petunt a Skr. *tar,* volvendo moveo vel perforo vel etiam perfrico, unde et Gr. τείρω, trituro. — Part. *Terens* I. 3. et II. 4. 6.; *Tritus* I. 2. et 4. et II. 4. et in fin. (*Tertus* V. supra); *Triturus* I. 1.; *Terendus* I. 3. — Tero est frico, fricando tenuo, contero (It. *strofinare, sfregare ovvero sfregando o pestando sminuzzare, tritare, logorare, consumare;* Fr. *frotter, en frottant broyer, piler, écraser, user;* Hisp. *magullar, estregar ó estregando majar, triturar, consumir;* Germ. *reiben, zerreiben, abreiben, abnutzen;* Angl. *to rub, grind, mince, wear out*).

I.) Proprie adhibetur de rebus, quæ fricando vel tundendo atteruntur aut in minutas partes vel pulverem rediguntur aut usu deteruntur vel consumuntur. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Asin.* 1. 1. 16. illuc me ducis, ubi lapis lapidem terit. *h. e.* in pistrinum, ad molam. *Ter. Eun.* 1. 1. 23. Quam oculos terendo misere vix vi expresserit. *Catull.* 66. 30. Terere lumina manu. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 103. oculos illotis manibus tractes ac teras. *h. e.* tergeas. *Virg.* 2. *G.* 519. teritur Sicyonia bacca trapetis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 506. Nec tua mordaci pumice crura teras. *h. e.* frices et leviges. *Tibull.* 1. 9. 32. nec amplexus aspera barba terit. *h. e.* terendo submovet. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 23. (99). Spicam in area cum palea terere. *Id.* 16. *ibid.* 40. 77. (208). Teritur lignum ligno ignemque concipit attritu. *Id.* 26. *ibid.* 14. 87. (147). Radix in pulverem trita. *Id.*

24. *ibid.* 19. 113. (174). Trita inter duos lapides herba. *Ovid.* 4. *Fast.* 151. Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver Sumere. *Id.* 8. *Met.* 369. dentes in querno stipite triti. *Id.* 4. *Trist.* 6. 19. Ut patria careo, bis frugibus area trita est. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 16. 55. (193). Terra trita ex aqua. *h. e.* comminuta et macerata. *Martial.* 9. 14. gemma trita pollice. *Id.* 3. 65. succina trita redolent. *Id.* 2. 29. Et splendent vulso brachia trita pilo. *h. e.* levia facta. *Varro* 1. *R. R.* 13. Id secundum aream faciundum, ubi triturus sit frumentum. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 45. Milia frumenti tua triverit area centum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 22. (104). Terere aliquid in mortario. *et ibid.* 18. 50. (170). aliquid in farinam. *Petron. fragm. Tragur.* 94. *Burmann.* Fortunata mola buxea piper trivit. *Id. ibid.* 68. Pulvis tritus ex lapide speculari. *Virg.* 5. *Æn.* 324. calcemque terit jam calce Diores. *h. e.* perstringit. *Calces deterere* dixit *Plaut. Merc.* 5. 2. 111. eodem sensu. *Cels.* 1. *præf. ante med.* Duce alii Erasistrato, teri cibum in ventre contendunt. *h. e.* concoqui. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 95. si forte subucula pexæ Trita subest tunicæ. *h. e.* longo usu et attrectatione detritæ. *Martial.* 14. 51. Non tam sæpe teret lintea fullo tibi. *h. e.* consumet, *logorerà.* purgando enim et poliendo atteruntur vestes. *Id.* 9. 23. Nec labris, nisi magna, meis crystalla teruntur. *Virg.* 2. *Ecl.* 34. Nec te pœniteat calamo trivisse labellum. *strisciando danneggiare.* et *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 13. Hoc (*tempus*) tenuat dentem terras renovantis aratri: Hoc rigidas silices, hoc adamanta terit. *Id.* 15. *Met.* 124. colla boum trita labore. *Martial.* 11. 11. pocula trita labris. *et* 32. tritus cimice lectus. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 44. curvis Appia trita rotis. *Tibull.* 4. 13. 9. secretis vivere silvis, Qua nulla humano sit via trita pede. *battuta, frequentata.* Sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (112). Semitæ humanis vestigiis tritæ. *Lucret.* 1. 924. Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo. *Plaut. Men.* 2. 3. 52. lignea (*navis*) sæpe trita. *Propert.* 2. 25. 15. mucro rubigine. *Ovid.* 12. *Met.* 167. ferrum. ¶ 2. Speciatim est tornare, torno polire: quod fit abradendo. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 66. (193). Vitrum torno terere. *Virg.* 2. *G.* 444. Hinc radios trivere rotis. ¶ 3. *Terere locum aliquem* dicuntur, qui frequenter adeunt: et *terere viam, iter,* qui sæpius eunt redeuntque. *Martial.* 2. 11. Quod ambulator porticum terit serus. *et* 10. 10. Mane salutator limina mille teras. *Horat. Epod.* 4. 14. Et Appiam mannis terit. *Virg.* 1. *G.* 380. angustum formica terens iter. *Ovid.* 1. *Art. am.* 52. Nec tibi, ut invenias, longa terenda via est. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 259. flavæque terens querceta Maricæ Liris. ¶ 4. Obscena sententia est in illo *Plauti Capt.* 4. 2. 108. Bojus est, Bojam terit. *V.* BOJÆ. *Propert.* 3. 9. 30. Et famulos inter femina trita suos. — De masculo usurpat *Martial.* 2. 51. et *Petron. Sat.* 87.

II.) Translate. ¶ 1. Est proterere, conterere, perdere. *Nævius* apud *Priscian.* 6. p. 681. *Putsch.* Ut illum dii terant, qui primum olitor cæpam protulit. ¶ 2. Hinc pro calcare, violare. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 228. jurata deorum Majestas teritur. ¶ 3. Item sæpius uti. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. *ad fin.* Jam enim hoc verbum satis hesterno sermone trivimus. *h. e.* usu mollivimus, si forte rude atque asperum videbatur. *Id.* 3. *Fin.* 4. *a med.* In Græco sermone hæc ipsa quondam rerum nomina novarum nova videbantur, quæ nunc consuetudo diurna trivit. *Martial.* 8. 3. jam plus nihil addere nobis Fama potest: teritur noster ubique liber. *h. e.* legitur ab omnibus. Adde 11. 3. ¶ 4. *Terere tempus, diem, ætatem, otium,* est traducere, agere, *passare.* — *a*) Fere in malam partem. *Cic.* 5. *Phil.* 11, *a med.* Teretur interea tempus: belli apparatus refrigescet. *Plaut. Trin.* 3. 3. 66. In ejusmodi negotio diem sermone terere, segnities mera est. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 123. Neque teramus in his discendis rebus ætatem. *et Horat. Epod.* 16. 1. Altera jam teritur bellis civilibus ætas. *Sall.* 1. *Hist. fr.* 20. Triennio frustra trito. *Virg.* 4. *Æn.* 271. qua spe Libycis teris otia terris? Sic *Liv.* 1. 57. Regii juvenes otium conviviis comissationibusque inter se terebant. *et paullo post.* In convivio luxuque cum æqualibus tempus terentes. *Id.* 37. 27. *sub fin.* Appropinquare non ausæ naves, diem trivere. — *b*) In bonam partem. *Id.* 26. 19. Nullo die prius ullam rem egit, quam in Capitolium iret, ingressusque ædem consideret et plerumque solus in secreto ibi tempus tereret. *Virg.* 9. *Æn.* 609. Omne ævum ferro teritur versaque juvencum Terga fatigamus hasta. *tutta la vita si consuma nell' armi.* ¶ 5. Item pro sæpius aut valde exercere, *esercitare, occupare spesso o molto.* *Liv.* 6. 8. Terere se in opere longinquo. *Id.* 6. 27. plebem in armis. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

*Tritus, a, um,* adjectivorum etiam more usurpatur; unde Comp. *Tritior* et Sup. *Tritissimus.* — Tritus ¶ 1. Proprie est frequens et dicitur speciatim de via a pluribus calcata, *battuta, pesta, frequentata.* *Cic.* 1. *Phil.* 3. 7. Quum Brundusium iterque illud, quod tritum in Græciam est, vitavissem. *Ovid.* 2. *Met.* 167. ruunt tritumque relinquunt Quadrijugi spatium. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (98). Cancri os Ponti evincere non valent; quamobrem regressi circumeunt apparetque tritum iter. Cf. *Propert.* 4. 7. 16. Et mea nocturnis trita fenestra dolis. *h. e.* sæpius adita et crebro itu redituque meo pæne detrita. *Seneca Vit. beat.* 1. Tritissima quæque via et celeberrima maxime decipit. ¶ 2. Translate. — *a*) Est exercitatus, versatus, suetus, *pratico, avvezzo, esercitato, versato.* *Cic.* 9. *Fam.* 16. *ante med.* Frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est: quod tritas aures haberet notandis generibus poetarum et consuetudine legendi. Adde *Brut.* 32. 124. *Vitruv.* 2. 1. *a med.* Quum homines quotidie faciendo tritiores manus ad ædificandum perfecissent. *h. e.* exercitatiores, peritiores. — *b*) Est a multis usurpatus, translaticius, vulgatus, contritus, *usitato, triviale.* *Cic. Flacc.* 27. 55. Quid in Græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? *Id.* 1. *Off.* 10. *a med.* Summum jus summa injuria, factum est jam tritum sermone proverbium. *Id. Brut.* 81. *a med.* Ut eam laudis viam rectissimam esse doceret, quam majores ejus ei tritam reliquissent. *Id.* 2. *Acad.* (2. *pr.*) 7. *circa med.* Faciamus tractando usitatius hoc verbum ac tritius. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (151). Tritior mos. *moda più usata.* Ita *Harduin.* et *Sillig.* Alii aliter leg.

*Tritum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est lomenti genus vilissimum apud *eumd.* 23. *ibid.* 13. 57. (163). ¶ 2. Item tithymali genus, quod prophetæ Asclepiu diadema, Latine tritum appellatur, ut ait *Apul. Herb.* 108.

TERPLĪCO. *V.* TRIPLICO.

TERQUĪNI, *et divisim* ter quini, æ, a, adject. dispertit. quindecim. *Mar. Victor. Genes.* 2. 381. Et jam terquinis super omnia celsior ulnis Arca ferebatur.

TERRA, æ, f. 1. *Terrai* in genet. pro *terræ* dixit more suo *Lucret.* 1. 212. et alibi sæpe. — Etiam *terras* in genet. sing. dixere veteres, ut *monetas, familias* etc. *Nævius* apud *Priscian.* 6. p. 679. *Putsch.* Magni Atlantes filii terras. — Ratione habita etymi, *Varro* 5. *L. L.* 21. *Müll.* terram dictam ait, juxta Ælium Stilonem, quod pedibus teratur: quamque sententiam eo confirmat, quod in augurum libris *tera* scribatur unico r. Sed est fortasse a Gr. ἔρα, quod idem significat. Cf. *Lennep. Etym. Gr.* Recentiores tamen dicunt esse pro *tersa,* arida, a Skr. *tarsh,* arere, siccum esse. Cf. Gr. χέρσος, Hebr. *éretz* et Germ. *Erde.* — Terra est elementum frigidum et siccum, quod, quoniam reliqua omnia gravitate exsuperat, infimum sibi inter ea locum vendicavit, γῆ, γαῖα, χθών (It. *terra;* Fr. *terre;* Hisp. *tierra;* Germ. *die Erde;* Angl. *earth*). De ea hæc habet *Varro* 1. *R. R.* 9. Terra tribus modis dicitur, communi, proprio et misto. Communi, ut quum dicimus orbem terræ et terram Italiam aut quam aliam. In ea enim et lapis et arena et cetera ejus generis sunt in nominando comprehensa. Altero modo dicitur terra proprio nomine, quæ nullo alio vocabulo neque cognomine adjecto appellatur. Tertio modo dicitur terra, quæ est mista, in qua seri quid potest et nasci, ut argillosa aut lapidosa et sic aliæ. Hæc *Varro;* quæ quidem omnia confirmari etiam possunt exemplis petitis ex *Cic., Lucret., Vitruv., Liv., Capell., Colum.,* aliis. *V.* infra.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida et globosa et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus. *Id.* 1. *Tusc.* 17. 40. Persuadent enim mathematici, terram in medio mundo sitam ad universi cæli complexum quasi puncti instar obtinere quod κέντρον illi vocant. *Id.* 3. *Orat.* 45. 178. Hunc statum esse hujus totius mundi atque naturæ, rotundum ut cælum, terra ut media sit eaque sua vi nutuque teneatur. *Id.* 1. *Rep.* 14. 22. Umbra terræ. *Lucret.* 1. 213. Solum terræ. *Cic.* 1. *Divinat.* 18. 35. Quum terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus prædixerint. *Sall. Jug.* 17. Orbis terræ. Adde *Senec.* 6. *Quæst. nat.* et *Curt.* 4. 4. *extr.* *Cæs.* 2. *B. C.* 1. Massilia fere ex tribus oppidi partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quæ aditum habeat a terra. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. et *Plaut. Bacch.* 4. 4. 17. *Nepos Them.* 3. Terra continens. *continente.* — In plur. num., etiam ubi opus non est. *Plaut. Rud. prol.* 1. Qui gentes omnes mariaque et terras movet. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 23. *ad fin.* Pecunia tanta, quanta sit in terris. *Virg.* 1. *Æn.* 228. Despiciens mare velivolum terrasque jacentes. *Sall. Cat.* 10. Cuncta maria terræque patebant. *Id. ibid.* 8. Orbis terrarum. Sic *Vulgat. interpr. Act.* 11. 28. Fames magna futura in universo orbe terrarum sub Claudio. *h. e.* in imperio Romano. Alii aliter interpr. *Plin.* 5. *Ep.* 20. *a med.* Nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria. — Pro insulis. *Tac. Agric.* 10. Rariores terræ montesque. — *Terram tangere,* genus quoddam venerationis erat et cærimoniæ superstitionisque: sed non nisi in his rebus, quæ ad deos inferos ac mortuos pertinent, usurpari consuetum. *Plaut. Most.* 2. 2. 51. ædes ne attingite. tangite Vos quoque terram. Sic *Macrob.* 1. 3. Quum tellurem dicit, manibus terram tangit. Cf. *Cic. Harusp. resp.* 11. 23. Aut puer ille patrimus aut matrimus, si terram non tenuit. — *Terram videre,* vel *in terra esse,* dicuntur, qui ad molesti prolixique laboris finem propemodum pervenerunt. Sumptum a navigantibus. *Id. Mur.* 2. *ad fin.* Quo tandem animo me esse oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem? Cf. *Plaut. Stich.* 5. 2. 2. Terra herilis patria, te video libens. *Id. Merc.* 1. 2. 84. Equidem jam me censebam esse in terra atque in tuto loco. — *Aquam et terram petere* vel *postulare,* bellum indicere. *V.* AQUA. — *A terra ad cœlum percontari,* proverbialis locutio est, quæ significat minute exquirere et ab initio ad finem usque rem totam sciscitari. *Plaut. Pers.* 4. 4. 54. Volo hanc ego percontari. SA. A terra ad cælum, quidlubet. — *Terra iter facere* opponitur navigationi, *per terra, viaggio di terra:* sive pedibus sive equo aut curru eatur. *Cic. Planc.* 40. *extr.* Iter Brundisium terra petere contendi, nam maritimos cursus præcludebat hiemis magnitudo. *Liv.* 31. 16. Classe tradita Heraclidi, ut Maroneam peteret, ipse terra eodem pergit. — *Terra ortus, terræ filius,* tam in bonam quam in malam partem adhiberi potest: tum quia terra orti dicuntur, quorum antiquissimum genus est et in ipsa vetustate sepultum; tum quia etiam ita appellantur ignobiles homines, qui patrem et avum ciere non possunt. *Quintil.* 3. 7. *ad fin.* Multum auctoritatis affert vetustas, ut iis, qui terra dicuntur orti. αὐτόχθονες. *Cic.* 1. *Att.* 13. *a med.* Huic terræ filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo. *Minuc. Fel. Octav.* 22. *sub fin.* Inopinato visos, cælo missos; ignobiles et ignotos, terræ

filios nominamus. Cf. TERRIGENA. — *Terræ filios* vulgus vocat, quorum genus incertum est. *Tertull. Apolog.* 10. *ad fin.* — *Terræ*, genet. vel locativ., pro *in terra. Jul. Rufinian. Schem. lex.* 36. Figura per adverbiorum qualitatem, ut quum dicimus *terræ jacet* pro *in terra. Ovid.* 2. *Met.* 345. terræ procumbere. *Virg.* 11. *Æn.* 87. Sternitur et toto projectus corpore terræ. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 25. V. *Oudendorp.* ad *Lucan.* 4. 647. et *Drakenb.* ad *Liv.* 5. 51. Sic Gr. χαμαί et Lat. *humi.* — *Terræ.* dativ., a poetis dicitur pro *ad* vel *in terram. Virg.* 2. *G.* 290. penitus terræ defigitur arbos. *et ibid.* 318. radicem affigere terræ. — *Manil.* 1. 759. terræque remissa (*numina*) Huc migrant ex orbe etc. — De hujusmodi structuris V. *Sanct. Minerv.* 4. 4. et *Vossium De constr.* c. 25. — *Ad terram, in terram*, humi, ad solum, *in terra, a terra. Plaut. Capt.* 4. 2. 17. Tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo. *Id. Pœn. a.* 2. *v.* 38. Tam crebri ad terram accidebant, quam pira. *Id. Pers.* 2. 4. 22. Te hodie si prehendero, defigam in terram colaphis. *et* 5. 2. 15. et *Rud.* 4. 3. 71. Affligere aliquem ad terram. *Ter. Adelph.* 3. 2. 18. Capite aliquem in terram statuere. — *Terra marique* vel *aut terra aut mari*, est in omnibus locis vel quacumque ratione. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 83. ego in hoc triduo Aut terra aut mari alicunde evolvam id argentum tibi. *Cic.* 5. *Fin.* 4. 9. Ut nulla pars cælo, mari, terra, ut poetice loquar, prætermissa sit. *Vatin.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 9. Ego tamen, terra marique ut conquireretur, præmandavi. — *A terra*, ab infimo solo, *da terra. Varro* 3. *R. R.* 7. Ordines quamplurimi esse possunt a terra usque ad cameram. *et ibid.* 8. Infimum ordinem oportet abesse a terra non minus tres pedes. — *De terra*, ex humo, *da terra. Cic. Cæcin.* 21. 60. Qui saxa jacerent, quæ de terra ipsi tollerent. — *Sub terras* aut *terris* poetice refertur ad Inferos. *Virg.* 4. *Æn.* 654. Et nunc magna mei sub terras ibit imago. *Propert.* 3. 3. 61. Sub terris si jura deum et tormenta gigantum. *Id.* 2. 14. 31. Illi sub terris fiant mala multa puellæ, Quæ etc. *Humus* quoque hac ratione accipienda videtur in illo *ejusd.* 4. 11. 100. Dum pretium vitæ grata rependit humus. — *Terrarum*, genet. plur., eleganter jungitur cum quibusdam adverbiis loci et vim quamdam addit orationi. *Cic.* 7. *Verr.* 55. 143. Ubicumque terrarum et gentium. *Id.* 5. *Att.* 10. *a med.* Nesciebam ubi terrarum esses. *Ter. Phorm.* 3. 3. 18. Quoquo hinc asportabitur terrarum. ¶ 2. Speciatim sæpissime usurpatur pro qualibet orbis regione vel parte etiam minima, *terra, paese, luogo, regione.* — *a*) In sing. num. *Enn.* apud *Priscian.* 7. *p.* 762. *Putsch.* Quos homines quondam Laurentis terra recepit. *Plaut. Casin. prol.* 72. Hic in nostra terra in Apulia. *Cic. Amic.* 4. 13. Eorum, qui in hac terra fuerunt, Magnamque Græciam, quæ tum florebat etc. *Id.* 6. *Verr.* 48. 106. Fruges in ea terra (*Sicilia*) primum repertas esse arbitramur. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 127. nobis habitabitur orbis Ultimus, a terra terra remota mea. — *b*) In plur. num. *Lucret.* 6. 713. Unicus in terris Ægypti totius anni. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Cimbri finibus nostris aliquando excesserunt atque alias terras petierunt. *Cic.* 2. *Rep.* 4. 9. Ut id, quod agri efferant sui, quascumque velit in terras portare possit ac mittere. Adde 5. *Verr.* 18. 47. et 2. *Nat. D.* 16. 42. *Sall. Cat.* 16. In extremis terris bellum gerebat. *Curt.* 4. 4. 20. Terræ incognitas adire. *et ibid.* 11. 13. discretas possidere. *et* 9. 6. 22. gentibus aperire. — Hinc *terra Italia, terra Græcia* etc. pro regione Italiæ, Græciæ etc. *Plaut. Trin.* 4. 2. 88. Advecti ad Arabiam terram sumus. Cf. *Men.* 2. 1. 4. Si adveniens terram videas, quæ fuerat tua. *la tua patria.* et *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Eam rem non minus ex usu terræ Galliæ, quam populi R. accidisse. *Liv.* 25. 7. Terra Italia. *Id.* 29. 22. Africa. *Id.* 38. 58. Hispania. *Id.* 33. 6. Pharsalia. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 1113. Britannia. ¶ 3. Huc pertinet formula *sit ti i terra levis* aut *sit ei terra gravis*, sc. terra sepulcri, de qua *V.* in LEVIS. *Inscript.* apud *Orelli n.* 4838. HAVE SEPTIMA SIT TIBI TERRA LEVIS QVISQUIS HVIC TVMVLO POSVIT ARDENTEM LVCERNAM ILLIVS CINERES AVREA TERRA TEGAT. Adde *eumd. n.* 4754. *et* 4756. et *Henzen Suppl. Orell. n.* 7382. Cf. *Orell. n.* 4835. TE TERRA OPTESTOR LEVITER SVPER OSSA QVIESCAS. *Alia* apud *Henzen n.* 7382. SIQVIS LAESERIT NEC SVPERIS COMPROBETVR NEC INFERI RECIPIANT ET SIT EI TERRA GRAVIS. ¶ 4. Item de terra, qua quis tegitur in sepulcro, aut de iis, qui ea conteguntur, sc. manes. *Propert.* 2. 13. 41. Nonnihil ad verum conscia terra sapit. Adde *eumd.* 3. 7. 9. ¶ 5. Item pro solo. *Virg.* 2. *G.* 290. *et ibid.* 318. et *Plaut. Pers.* 2. 4. 22. supra *adl. Caj.* 2. 74. Si radicibus terram complexa fuerit (*planta*), — Et in plur. num. *Tac. Germ.* 1. Germaniam peteret informem terris, asperam cælo etc.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de orbe terrarum vel potius de iis, qui terram incolunt, et de humanis negotiis. *Ovid.* 15. *Met.* 832. pace data terris. *Virg.* 4. *Ecl.* 13. siqua manent sceleris vestigia nostri, Irrita perpetua solvent formidine terras. Cf. *eumd.* 1. *G.* 25. *Id.* 2. *ibid.* 538. hanc vitam in terris Saturnus agebat. *et* 1. *ibid.* 25. urbesne invisere, Cæsar Terrarumque velis curam. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 61. Sic regat imperium terrasque coerceat omnes Cæsar. *Stat.* 1. *Theb.* 179. summe deorum Terrarumque sator. *Ovid.* 2. *Fast.* 131. Hoc tu per terras, quod in æthere Juppiter alto, Nomen habes: hominum tu pater, ille deum. *Sil. It.* 3. 75. Ingens hic terris crescit labor. *h. e.* hominibus. *Vulgat. interpr. Eccli.* 10. 9. (*et* 17. 31.) Quid superbit terra et cinis? *sc.* homo formatus, ut *Gen.* 2. 7., de limo terræ. Adde *Ps.* 49. 1. ¶ 2. *Terra* a veteribus dea habita est, variis nominibus appellata, Tellus, Vesta, Ceres, Mater, Cybele etc. *Cic.* 3. *Nat. D.* 20. 52., *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. et *Ovid.* 6. *Fast.* 299. *et* 460. Fabulantur autem esse eam filiam Demogorgonis, quæ ex incertis patribus Noctem pepererit, Tartarum, Famam, Tagem, Antæum, Pythonem, Typhonem, Tityum etc. V. *Hygin. præf. et fab.* 55. 140. *et* 152., quibus locis plurimos ejus filios recenset, ut merito una rerum naturæ partium cognomine appelletur maternæ venerationis, ut ait *Plin. loc. cit.*, ubi et laudes ejus fuse persequitur. *Varro* 1. *R. R.* 1. Juppiter pater appellatur, Tellus Terra mater. *Sueton. Tib.* 75. Terram matrem deosque Manes orare, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios, darent. Adde *Lucret., Ovid., Liv.* cit. in MATER. De ea *V.* ONOM. — *NB.* Sunt, inquit *Forcellinus*, qui velint hoc nomine *terra*, in sing. num., totum elementum significari: *terræ*, in plur., aliquot terræ regiones. *Virg.* 1. *Æn.* 7. multum ille et terris jactatus et alto. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 20. Dubitas, si hic morari æquo animo non potes, abire in aliquas terras? Sed hæc differentia aut falsa est aut certe non perpetua. Nam et *terram* frequentissime pro una qualibet regione legimus, et *terras* pro toto orbe. *V.* loca superius adlata. Cf. tamen *Hildebr.* ad *Apul. De mund.* 5.

Homonym. Quid intersit inter *terram, tellurem* et *humum*, V. sub TELLUS. Cf. etiam *Döderlein op. cit. v.* 1. *p.* 173. *et seqq.*

TERRÆMŌTUS *et rectius divisim* terræ motus, us, m. 4. Etiam *terrimotium* usurpatum fuisse, monet *Prob. Append. p.* 198. 32. *Keil*; quod tamen ipse improbat. Cf. *Brambach op. cit. p.* 206. — Terræmotus est terræ concussio, quæ a ventis vel potius a vaporibus inclusis et exitum quærentibus fieri videtur: qua de re multa a *Plin.* 2. a c. 79. et a *Seneca* 6. *Quæst. nat.*, item ab *Ammian.* 17. 7. *ad fin.* disputantur: σεισμός (It. *tremuoto*; Fr. *tremblement de terre*; Hisp. *terremoto*; Germ. *das Erdbeben*; Angl. *earthquake*). *Lucret.* 6. 585. quas exitus hic animai Disturbat urbes et terræmotus obortus. *Lachm.* terræ motus. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 78. Tantos terræ motus tota in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factæ sint terræque desederint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit. *Id. Harusp. resp.* 28. *sub fin.* Factus in Piceno nunciatur terræmotus horribilis. *Inscript.* apud *Henzen n.* 7013. MACELLVM TERAE MOTIBVS LAPSVM - CASTRICIVS SVMPTV PROPRIO FIERI CVRAVIT. — *Cic.* 1. *Divinat.* 18. 35. Quum terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus prædixerint. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 84. 86. (200). Maximus terræ memoria mortalium exstitit motus, Tiberii Cæsaris principatu.

TERRĀLIS, e, adject. (terra) ad terram pertinens. Hinc *terralis herba*, ut appellatur sisymbrium, apud *Apul. Herb.* 105.

TERRĀNEŎLA, æ, f. 1. (*deminut. ab inus. terraneus*) genus alaudæ, apud *Phædr. Fab. nov.* 31. 1. Avis, quam dicunt terraneolam rustici, In terra nidum quia componit scilicet. *terrágnola.* At *ibid.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 300. non *terraneolam* sed *terantulam* evidenter legitur. Cf. tamen *Gloss. Labb.* Terraneola, κορυδαλός.

TERRĀRIUM. *V.* voc. seq.

TERRĀRĬUS, a, um, adject. (terra) in terra degens, *terrazzano, terriere. Vet. Scholiast.* ad *Pers.* 6. 24. Solent quidam gulæ dediti, tantæ subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius, an terrarius sit. *h. e.* an aviario inclusus fuerit ibique pastus, an libere in terra sua altus. — Hinc

*Terrarium, ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, agger terreus, qui viæ locum tenet, ut apud nos via prope Tarvisium, quæ nunc *Terraglio* dicitur, *terrapieno, terraglio. Inscript.* apud *Fea, Relaz. d'un viagg. ad Ostia p.* 53. PRO SAL. IMP. CAES. AVG. N. L. SEPTIMII SEVERI PERTINACIS HERCVLI NVMINI SANCTO CVM BASI MARMORATA ACCEPTATORIBVS ET TERRARIS (pro terrariis) C. SENTIVS PORTESIS S. P. D. D. (*V.* ACCEPTATOR et *Ducang. Glossar. med. et inf. Latin.* in v. *Terrarium.*)

TERRĔFĂCĬO, is, ere, a. 3. (terreo et facio) terrere facio. *Gloss. Lat. Gr.* Terrefacio, ἐκπλήσσω. — Passive. *Gloss. Gr. Lat.* Πτύρομαι, trepido, terrefio.

TERRĔFĪO, fis, fieri. *V.* voc. præced.

TERRENS, entis, particip. *V.* TERREO.

TERRĒNUS, a, um, adject. (terra) ¶ 1. qui est é terra, terreus, γαιώδης (It. *di terra*; Fr. *formé de terre, de terre, d'argile*; Hisp. *de tierra ó argilla*; Germ. *erdig, irden*; Angl. *of earth, earthen*). — *a*) Proprie. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. In ea (*planitie*) tumulus terrenus grandis. *Virg.* 11. *Æn.* 850. terreno ex aggere bustum. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 39. Terrena horrea formicarum. *Id.* 7. *Met.* 107. fornax. *h. e.* e lateribus coctis exstructa. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. *extr.* Corpora nostra terreno principiorum genere confecta. *Liv.* 38. 20. Terreni colles. *Id.* 33. 17. *a med.* Campus terrenus operique facilis. *Vitruv.* 8. *præf. ad fin.* Terrenus fructus escarum nutrit animalia. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (160). Terrena vasa. *h. e.* fictilia. *Ammian.* 20. 3. 8. moles. *Ovid.* 15. *Met.* 273. ubi terreno-Lycus est epotus hiatu. *Grat. Cyneg.* 506. Terrena Syene, *h. e.* in campestribus posita. — *Terrena via* dicitur, quæ nec glarea nec silice nec lapide quadrato est strata. *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. Nec potest vel in viam terrenam glaream injicere aut sternere viam lapide, quæ terrena sit, vel contra lapide stratam terrenam facere. — *Terrenus homo*, é limo terræ formatus, sc. Adam. Cf. *Gen.* 2. 7. *Vulg. interpr.* 1. *Cor.* 15. 47. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. Aliis tamen *terrenus* hic rectius est imperfectus, animalis, mortalis, corruptibilis. Adde *Sap.* 7. 1. — *b*) Translate. *Id. Jac.* 3. 15. Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. ¶ 2. Est etiam qui in terra degit aut fit terrestris, χερσαῖος (It. *terrestre, terreno*; Fr. *de la terre, terrestre*; Hisp. *de la tierra, terrestre*; Germ. *z. Erde gehörig, irdisch*; Angl. *earthy, terrestrial*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 103. Bestiarum terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles. *Lucan.* 6. 400. Terrenus homo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 57. 83. (178). vermes. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *sub fin.* Per hos dies abstinent terrenis

operibus religiosiores agricolæ. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 8. 14. (87). et 6. *ibid.* 17. 19. (52). Terrenum iter, *per terra,* non flumine aut mari. *et ibid.* 21. *a med.* demonstratio. *h. e.* explicatio mensurarum itineris terrestris. *Stat.* 2. *Theb.* 40*. Terrena frigora membris ducere. *h. e.* nuda humo cubando sentire. *Ovid.* 7. *Met.* 248. numina. *Horat.* 4. *Od.* 11. 27. eques Bellerophon. *Augustin. Ep.* 15. opes nostræ. *Cyprian. De zel. et liv.* 2. Honores terrenos promittit, ut cælestia adimat. — Hinc absolute, substantivorum more

*Terrenum, i,* n. 2. ager, *terra, campo. Liv.* 23. 19. Quum hostes obarassent quidquid herbidi terreni extra murum erat. *Colum.* 2. *R. R.* 2. Genera terreni tria, campestre, collinum, montanum. *Id.* 3. *ibid.* 11. *a med.* Est vineis amicus etiam silex, cui superpositum est modicum terrenum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (164). Sepia in terreno parit inter arundines. Adde *Gromat. vet. p.* 62. 4. *et* 67. 5. *Lachm.-Rud.* — *Inscript.* apud *Orelli n.* 2633. TERRENVM SACRATVM FODERE NOLI NE SACRILEGIVM COMMITTAS.

*Terrena, orum,* n. plur. 2. res terrestres. — *a*) Proprie. *Quintil.* 12. 11. 13. Ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circumfusus nobis spiritus volucribus convenit. Adde *Gell.* 14. 1. — *b*) Translate. *Vulgat. interpr. Joh.* 3. 12. Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero cælestia, credetis? *h. e.* quæ ad terram seu ad hominem pertinent et captum mentis non superant. *Id. Phil.* 3. 19. In confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Ambros.* 1. *De Cain et Ab.* 2. *n.* 5. Cælestibus se attexere et a terrenis separare.

*Terreni, orum,* m. plur. 2. terræ incolæ. *Sil. It.* 11. 470. cærula nondum Cognita terrenis. *Alii rectius* terrigenis. *Augustin.* 9. *Confess.* 8. Rector cælitum ac terrenorum.

Homonym. Discrimen inter *terrenum, terrestrem* et *terrosum* ita statuit *Isid.* 1. *Differ.* 565. «Terrenum opus dicimus: terrestre, ut maritimum: terrosum vero frumenti genus arenosum». Primum igitur refertur ad terram, qua est materia: alterum ad terram, qua elementum: tertium ad terræ naturam.

TERRĔO, terres, terrŭi, terrĭtum, terrere, a. 2. (τρέω) Etiam *terro, is, ere,* vulgo usurpatum fuisse videtur ex *Gloss. Gr. Lat.* Πτοῶ, terro, territo. *et* πτύρω, terro, terreo. — Ad etymon quod attinet, vox conferri potest cum Skr. *tras,* tremo, unde et Gr. τρέω, τρέμω, ταράσσω. — *Terrens* I. *b* et *e*; *Territus* I. *a, b, c* et II. 2. *c*; *Territurus* I. *e*; *Terrendus* I. *a.* — Terreo est terrorem incutio, metum injicio, perterrefacio, turbo, φοβέω, ταράσσω (It. *spaventare, spaurare;* Fr. *effrayer, épouvanter;* Hisp. *asustar, espantar;* Germ. *schrecken, erschrecken;* Angl. *to affright, frighten*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Sall. Jug.* 42. Arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare. *Cæs.* 7. *B. G.* 84. Multum ad terrendos nostros valuit clamor. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *circa med.* Nec me ista terrent, quæ mihi a te ad timorem proponuntur. *Id. Rosc. Am.* 24. 67. Suæ quemque malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. *Seneca Herc. Œt.* 700. pavido territa vultu, Fertur rapido regina gradu. *Vellej.* 2. 110. *extr.* Alicujus animum quatere atque terrere. — *Sall. fragm.* apud *Arus. Mess.* et *Liv.* 7. 34. Territus animi. — *b*) Cum addito Abl. causæ vel modi sine præp. aut cum præp. *pro. Cic. Harusp. resp.* 4. 6. Urbem cæde incendiisque terreret. *Id. Planc.* 35. *in fin.* Equestrem ordinem consul proscriptionis denunciatione terrebat. *Id. Parad.* 2. 17. Eum tu hominem terreto istis mortis aut exsilii minis. *Phædr.* 1. 2. tigillum missum subito vadi Motu sonoque terruit (*ranas*). *et ibid.* 11. insueta voce terreret feras. *Ovid.* 14. *Met.* 817. Omnipotens tonitruque et fulgure terruit urbem. *Sil. It.* 3. 35. At Stygius sævis terrens latratibus umbras Janitor. *Virg.* 11. *Æn.* 699. subitoque aspectu territus hæsit. *Ovid.* 3. *Met.* 115. territus hoste novo Cadmus. *et* 2. *ibid.* 492. (*vacca*) metu venantum territa fugit. *Justin.* 5. 3. *sub fin.* Hac denuntiatione territi. — *Plin.* 5. *Ep.* 5. Nec dubito, te quoque eadem cogitatione terreri pro istis, quæ inter manus habes. — *c*) Sequente *quod. Propert.* 4. 6. 47. Nec te, quod classis centenis remiget alis, Terreat. — *d*) Et partic. *ne* cum Conjunctivo. *Liv.* 10. 14. Samnites maxime territi, ne ab altero exercitu integro intactoque fessi opprimerentur. *Horat.* 1. *Od.* 2. 4. Terruit urbem, Terruit gentes, grave ne rediret sæculum Pyrrhæ. — *e*) Absolute. sine acc. *Cic. Flacc.* 15. *ad fin.* Lælio opibus suis terrenti ac minanti. *Liv.* 28. 26. *a med.* Territuri succlamationibus, concurrunt.

II.) Translate. ¶ 1. Prægnanti, ut ajunt, sensu est terrore aliquem fugare, loco pellere, insequi, *mettere in fuga con lo spavento, inseguire. Ovid.* 1. *Met.* 727. profugam per totum terruit orbem. *Id.* 14. *ibid.* 518. Has (*Nymphas*) pastor fugatas terruit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 182. Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam. Adde *eumd.* 4. *Od.* 11. 25. *Ovid.* 14. *Met.* 640. Quique deus fures vel falce vel inguine terret. *Virg.* 1. *G.* 156. Et sonitu terrebis aves. ¶ 2. Est etiam deterrere, terrore ab aliqua re detinere, impedire, turbare. — *a*) Cum addito Ablat. et præp. *ab. Sall. in orat. Lepidi contra Sull.* Vos metu gravioris servitii a repetunda libertate terremini. — *b*) Cum Conjunctivo et partic. *quominus, ne. Cæs.* 7. *B. G.* 49. Ut si nostros depulsos loco vidisset, quo minus libere hostes insequerentur, terreret. *Auct. Paneg. ad Constantin.* 22. Illico obvius adfuisti et præsentia tua, ne auderent transitum, terruisti. Adde *Liv.* 2. 45. — *c*) Cum Infinito. *Ammian.* 27. 7. 9. Inimicos loqui terrent amplitudine potestatis. *Manil.* 5. 577. Altera si Gorgon veniat, non territus ire. *Virg. Cul.* 239. Terreor tantis insistere umbris.

TERRESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* terreo, terrere incipio. Agnoscitur ab *Eutych. p.* 448. 28. *Keil.*

TERRESTER, stris, stre, *et*

TERRESTRIS, stre, adject. (terra) qui in terra est, ad terram pertinens, terrenus, *terreno, terrestre,* χερσαῖος. *Plaut. Capt.* 1. 2. 86. ER. Sentesne essitas? HE. terrestris cena est, multis oleribus. ER. sus terrestris bestia est. *Id. Pseud.* 3. 3. 2. 46. Terrestres pecudes. *Cic. Tim.* 10. Animantium genera quattuor: unum cæleste, alterum aerium, tertium aquatile, terrestre quartum. *Id.* 2. *Nat. D.* 30. 75. Ex admiratione rerum cælestium atque terrestrium. *Id.* 7. *Verr.* 27. *sub fin.* Unum horruissent Apronium, terrestrem archipiratam. *et* 6. *ibid.* 58. 129. Ut in Capitolio, hoc est in terrestri domicilio, Jovis poneret. *Nepos Themist.* 2. Exercitus terrestres. *forze di terra:* opponuntur classibus. *Id. Alcib.* 5. *a med.* Victi erant quinque præliis terrestribus, tribus navalibus. *Auct. B. Alex.* 25. *et* 32. et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 6. 6. (39). Terrestre iter. *viaggio per terra:* et navigationi opponitur. — *Id.* 10. *ibid.* 23. 33. (64). Coturnices, parva avis et terrestris potius quam sublimis. *Colum. De cult. hort.* 96. Pangite tunc varios, terrestria sidera, flores. — *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 5. 1. Quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur. *h. e.* corpus nostrum. — Hinc

*Terrestres, ium,* m. plur. 3. absolute, substantivorum more, qui in terris degunt, *i terrestri. Id. Phil.* 2. 10. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum.

TERRĔUS, a, um, adject. (terra) qui e terra est, terrenus, *di terra,* γαιώδης: proprie occurrit et etiam translate. *Varro* 5. *L. L.* 48. *Müll.* Sub muro terreo Carinarum. *Id.* 1. *R. R.* 14. Fossa et terreus agger. *Virg.* 2. *G.* 341. Terrea progenies. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Planities erat magna et in ea tumulus terreus satis grandis. *Recentiores leg.* terrenus. *Capell.* 1. *p.* 23. Virgo cui terreus ortus. Adde 2. *p.* 36. et *Apul. De deo Socr.* — *Prudent.* 10. *Cathem.* 25. Si terrea forte voluntas Luteum sapit et grave captat. — Absolute. *Id.* 12. *ibid.* 90. Regnum quod ambit diva et marina et terrea.

TERRIBERUM *vel* terriverum, i, n. 2. genus quoddam fructuum, ut videtur, sed ignotum, in *Edict. Dioclet.* 6. 94. Cf. tamen *Georges,* qui *terriberes, um,* f.(?) tantum habet et putat significare «eine Art Käse- od. Milschfabrikat».

TERRĬBĬLIS, e, adject. (terreo) Comp. *Terribilior.* — Terribilis est terrorem incutiens, terrificus, horrendus, formidabilis, φοβερός (It. *spaventoso, orrendo, terribile;* Fr. *terrible, épouvantable;* Hisp. *terrible, espantable;* Germ. *schrecklich, erschrecklich;* Angl. *dreadful, terrible*).

I.) Proprie. — *a*) De animantibus. *Ovid.* 1. *Met.* 147. Terribilis noverca. *Virg.* 12. *Æn.* 946. furiis accensus et ira Terribilis. *Ovid. Heroid.* 9. 34. Terribilis fera. — Cum supino. *Cic. Sext.* 8. 10. Alter, dii boni! quam teter incedebat! quam truculentus, quam terribilis aspectu! *Stat.* 3. *Silv.* 3. 72. affatu tyrannus. — *b*) De inanimis. *Enn.* apud *Priscian.* 8. *p.* 842. *Putsch.* Terribilis sonitus. *Id.* apud *Cic.* 3. *Orat.* 42. 167. tumultus. *Cic. Parad.* 2. *a med.* Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia exstinguuntur. *Sall. Cat.* 58. Incultu, tenebris, odore fœda atque terribilis ejus (*carceris*) facies. *Liv.* 4. 26. Quum alia aliis terribiliora afferentur. *Virg.* 6. *Æn.* 299. terribili squalore Charon. *Nepos Datam.* 3. Terribilis facies. *Vellej.* 2. 18. 3. Italiæ libertas. *Sil. It.* 6. 429. decor atque animi venerabile pondus. Cf. *eumd. ibid.* 658. et *Horat.* 3. *Od.* 5. 44. — Cum supino. *Virg.* 6. *Æn.* 277. Terribiles visu formæ. — Absolute. *Ambros.* 6. *Hexaem.* 6. *n.* 37. Naturæ igitur hæc potentia est, ut terribilia aliis, aliis meticulosa sint.

II.) Translate est verendus, venerabilis, ut δεινός apud Græcos. *Imp. Justinian. Cod.* 3. 1. 13. *circa med.* Quum terribiles in medio proponuntur Scripturæ etc.

TERRĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (terribilis) horrida deformitas. *Jornand. Get.* 24. Hunni, vultus sui terrore nimium pavorem ingerentes, terribilitate fugabant.

TERRĬBĬLĬTER, adverb. (terribilis) cum terribilitate, *terribilmente. Arnob.* 2. *p.* 57. Sonus cœli terribiliter concrepantis. *Augustin.* 12. *Confess.* 25. Terribiliter admonere. Adde *Vulgat. interpr. Ps.* 138. 14.

TERRICLA, æ, f. 1. *syncop. pro* terricula, parva terra. *Gloss. Lat. Gr.* Terriclæ, χαρακίδες. *h. e.* terræ aggeres.

TERRĪCŎLA, æ, m. *et* f. 1. (terra *et* colo) qui terram habitat, ἐπιχθόνιος. *Lucil.* apud *Lactant.* 1. 22. Terricolas Lamias, Fauni quas Pompiliique Instituere Numæ. Alii leg. *terriculas. Apul. De deo Socr.* Inter terricolas cælicolasque.

TERRĪCRĔPUS, a, um, adject. (terreo *et* crepo) qui crepando terret. *Augustin.* 8. *Confess.* 2. Os terricrepum. *Gloss. Lat. Gr.* Terricrepus, βαρύβρομος.

TERRĪCŬLA, æ, f. 1. (terreo) terriculamentum, terriculum. *Afran.* apud *Non. p.* 352. 26. *Merc.* Pertimuistis cassam terriculam adversarii. *Lactant. Mort. persecut.* 16. *a med.* Terriculas tyrannicæ potestatis fide stabili et robore animi profligasti. *Minuc. Fel. Octav.* 37. Omnes suppliciorum terriculas illudunt. *V.* TERRICOLA.

TERRICŬLĀMENTUM, i, n. 2. (terriculum) phantasma, spectrum terrorem incutiens, μορμολύκειον (It. *spauracchio, spaventacchio, larva, fantasma;* Fr. *épouvantail, appareil menaçant, spectre;* Hisp. *espantajo;* Germ. *Schreckmittel, Schreckbild;* Angl. *a bugbear, phantom*). *Apul. De deo Socrat.* Terriculamentum inane. *Id. De mag.* Noctium occursacula, bustorum formidamina, sepulcrorum terriculamenta. *Sidon.* 7. *Ep.* 1. Prodigiorum terriculamenta.

TERRĪCŬLUM, i, n. 2. (terreo) idem quod terriculamentum et terricula, *spauracchio, spavento. Accius* apud *Non. p.* 227. 31. *Merc.* Proinde hæc ista tua aufer terricula atque animum iratum comprime. *Liv.* 5. 9. Sine tribuniciæ potestatis terriculis. *Id.* 34. 11. *sub fin.* Nullis minis, nullis terriculis se motos. Cf. *Lucil. loc.* in TERRICOLA. — *Livii* tamen loca etiam ad *terricula, æ,* pertinere possunt. — Apud *Ovid.* 15. *Met.* 155. Quid – vana timetis Materiem vatum falsique pericula mundi. *Alii* piacula. *Madvig* le-

gend. putat *falsi terricula mundi.* V. *Adv. crit.* v. 2. p. 93. Sed obstat quantitas secundæ.

TERRĬFĀGUS, a, um, adject. Vox hybrida a *terra* et φάγω, edo, et significat eum, qui terram edit. *Julian.* apud *Augustin.* 6. *Op. imperf. contra Julian.* 28. *de serpente.* Ob illius culpæ meritum – eum factum esse terrifagum.

TERRĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (terrifico) terriculamentum. *Non.* p. 135. 15. *Merc.*

TERRĬFĬCO, as, are, a. 1. (terrificus) idem ac terreo. *Lucret.* 1. 133. Et quæ res nobis vigilantibus obvia mentes Terrificet. *Virg.* 4. *Æn.* 210. cæcique in nubibus ignes Terrificant animos. *Stat.* 7. *Theb.* 677. quid femine's ululatibus, inquit, Terrificas, moriture, viros?

TERRĬFĬCUS, a, um, adject. (terreo et facio) terrorem incutiens, terribilis, formidabilis, *terribile,* φοβερός. *Virg.* 5. *Æn.* 524. Seraque terrifici cecinerunt omina vates. Sic *Claudian.* 2. *Eutrop.* 46. Terrificus Phœbus. *Lucret.* 2. 632. Terrificas capitum quatientes numine cristas. *Ovid.* 1 *Met.* 179. Terrifica cæsaries. *Val. Flacc.* 1. 785. sacrum. *Veget.* 4. *Milit.* 12. apparatus. *Plin.* 6. *Ep.* 20. vaticinationes. *Solin.* 15. latratus. *Ammian.* 26. 7. 17. fremitus.

TERRĬGĔNA, æ, m. et f. 1. (terra et gigno) *Terrigenum,* genet. plur. pro *terrigenarum,* apud *Val. Flacc. loc. cit.* Adde *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 351. — Terrigena est ex terra genitus, *nato dalla terra,* γηγενής: et dicitur tum de hominibus tum de brutis animantibus. *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. *ex poeta.* Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam, potius quam hominum more cochleam dicere. *Ovid. Heroid.* 12. 99. Donec terrigenæ (facinus mirabile!) fratres In se constrictas conseruere manus. *h. e.* nati ex dentibus serpentis ab Iasone satis. Adde *ibid.* 6. 35. et *Val. Flacc.* 7. 505. etc. Rursus *Ovid.* 5. *Met.* 325. Typhœus terrigena. *Sil. It.* 9. 306. exercitus. *scil.* gigantum. *et Val. Flacc.* 2. 18. monstra terrigenum gigantum. *Augustin.* 16. *Civ. D.* 4. Animalium terrigenarum deceptor, oppressor, exstinctor. — In illo *Vulg. interpr. Ps.* 48. 2. Omnes qui habitatis terram: quique terrigenæ et filii hominum. *terrigenæ* sunt plebeji, homines humilis status: *filii hominum,* nobiles, potentes, magnates. Cf. *ibid.* Simul in unum dives et pauper. — Absolute. *Lucret.* 5. 1410. Quam silvestre genus capiebat terrigenarum. *h. e.* primorum hominum. Sic *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 81. Æterne Rector, divide januas Cæli obserata, terrigenis prius. *h. e.* hominibus. — Apud *Sil. It.* 6. 244. terrigena est serpens. Cf. *ibid.* 151. Monstrum ira Telluris genitum. Adde *Stat.* 5. *Theb.* 506.

TERRĬGĔNUS, a, um, adject. (terra et gigno) ¶ 1. Est e terra genitus. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 12. Aquigena et terrigena animalia. *Venant.* 1. *Carm.* 10. 8. Terrigenum semen. ¶ 2. Item terræ proprius. *Capell.* 9. p. 305. Exosa terrigenæ stoliditatis ignaviam.

TERRĬLŎQUUS, a, um, adject. (terreo et loquor) qui ea loquitur, quæ terrorem afferunt, δειματολόγος. *Lucret.* 1. 103. Terriloquis victus dictis desciscere quæres.

TERRĬMŌTĬUM. *V.* TERRÆMOTUS.

TERRĬPĀVĬUM et

TERRĬPŪDĬUM. *V.* TRIPUDIUM.

TERRĬSŎNUS, a, um, adject. (terreo et sono) qui sono terret, δειματοηχής. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 109. non terrisonus stridor venientis Alani etc.

TERRĬTĬO, ōnis, f. 3. (terreo) terrendi actio, terror, *spavento, paura. Ulp. Dig.* 47. 10. 15. *a med.* Nuda ergo interrogatio vel levis territio non pertinet ad hoc edictum.

TERRĬTO, as, āvi, are, a. 1. (*frequentat. a* terreo) Part. *Territandus.* — Territo est frequenter terreo, *spaventare,* δειματόω. *Plaut. Most.* 3. 1. 80. non nunc me istis verbis territas. *Id. Epid.* 4. 1. 4. Pavor territat mentem animi. *Id. Bacch.* 4. 8. 44. Territare aliquem morte. Adde *Ter. Andr.* 4. 4. 22. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. Territare dubitantes supplicio. *Virg.* 4. *Æn.* 187. et magnas territat urbes. *Liv.* 8. 28. Minis territare aliquem. *Fronto De fer. Alsiens.* (edente iterum *A. Maio*) ep. 3. *a med.* Tum Jovem ferunt canem custodem opposuisse umbris territandis. *h. e.* Cerberum. — *Quintil. Declam.* 10. 7. Territare somnos. *Stat.* 3. *Theb.* 321. *de fulmine.* cælumque trisulca Territat omne coma. — Absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 57. Sub castris ejus vagabatur alias colloquendi, alias territandi causa. *Id. ibid.* 6. Territare metu. *Cic.* 4. *Herenn.* 20. 28. Audacter territas.

TERRĬTOR, ōris, m. 3. (terreo) qui terret, ut Juppiter territor, in *Inscript.* apud *Orelli n.* 5647.

TERRĬTŌRĬĀLIS, e, adject. (territorium) ad territorium pertinens, ut Territoriales termini. *Frontin. De limit.* p. 47. *Goes.*

TERRĬTŌRĬUM, ii, n. 2. De vocis etymo (quam ceteroquin a *terra* ducendam puto, *torium* namque videtur mera nominis productio) variæ sunt notationes veterum (*V.* infra): quænam vero præferenda sit, *Voss.* in *Etymol.* disputat. — Territorium est ager circa oppidum, ἀγρός, χωρίον (It. *distretto, territorio;* Fr. *territoire;* Hisp. *territorio;* Germ. *das Ackergebiet, Territorium;* Angl. *territory*). *Varro* 5. *L. L.* 21. *Müll.* Colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, territorium: quod maxime teritur. *Pompon. Dig.* 50. 16. 239. *sub fin.* Territorium est universitas agrorum intra fines cujusque civitatis: quod ab eo dictum quidam ajunt, quod magistratus ejus loci intra eo fines terrendi, id est submovendi, jus habent. *Sicul. Flacc. De condit. agror.* p. 3. *Goes.* Præmensumque quod universis suffecturum videbatur solum, territis fugatisque inde civibus, territoria dixerunt. *et paullo post.* Bellis gestis, victores populi terras omnes, ex quibus victos ejecerunt, publicavere atque universaliter territorium dixerunt, intra quos fines jus ducendi esset. *Frontin. De limit. ibid.* p. 42. Territorium est quidquid hostis terrendi causa constitutum est. *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 755. Sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum: unde et territorium dictum est, quasi terribovium, tritum bobus et aratro. *Cic.* 2. *Phil.* 40. 102. Quo quidem vomere portam Capuæ pæne perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 34. (107). Extra territorium abire. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *ante med.* Quod ego in territorio Neapolitano in fundis meis comperi.

TERRĬTUS, a, um, particip. *V.* TERREO.

TERRO, is, ere. *V.* TERREO init.

TERROR, ōris, m. 3. (terreo) magnus timor incussus, φόβος, δέος, ἔκπληξις (It. *spavento, gran paura, terrore;* Fr. *terreur, effroi, épouvante;* Hisp. *terror, espanto;* Germ. *das Schrecken;* Angl. *great fear, terrour, affright*). ¶ 1. Abstractorum more. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. *sub fin.* Terror est metus concutiens, ex quo fit, ut terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur. *Plaut. Amph.* 5. 1. 27. eadem nos formido timidas terrore impulit. *Sall. Jug.* 7. *a med.* Esse maximo terrori alicui. *Id. fragm.* apud *Non.* p. 128. 5. *Merc.* In oppido ingens terror erat, ne munimenta madore infirmarentur. *Cæs.* 3. *B. C.* 13. Tantus terror incidit exercitui, ut etc. et 1. *ibid.* 14. Tantus repente terror invasit, ut etc. *Id.* 7. *B. G.* 8. Maximum terrorem inferre hostibus. *Cic.* 2. *Att.* 23. *a med.* Non mediocres terrores jacere atque denuntiare. *Liv.* 6. 42. Ingentem terrorem afferre. *Id.* 3. 4. *ad fin.* Tantum terrorem incussere patribus, ut etc. *Id.* 34. 28. Hostes adorti Romanos, in terrorem ac tumultum conjecerunt. *Id.* 10. 1. *ad fin.* Æqui tantum Romæ terrorem facere, ut tumultus ejus causa dictator diceretur. *Id.* 34. 32. In terrore magno esse. *Nepos Att.* 9. Magnis terroribus vexari. *Cic.* 3. *Off.* 31. *ad fin.* Terrore coactus. *M. Cœl.* apud *Quintil.* 4. 2. *ad fin.* exanimatus. *Lucan.* 3. 98. attonitus. et 1. 487. percussus. *Seneca Troad.* 1136. terror attonitos tenet populos. et *ibid.* 434. turbat atque agitat Phrygas. *Phædr.* 2. 4. Terrore effuso et perturbatis sensibus. *Ovid.* 3. *Fast.* 282. vulgi pectora terror habet. *Id.* 2. *Met.* 100. gelidoque comæ terrore rigebant. *Id.* 3. *Art. am.* 477. terrore pallens. *Id.* 4. *Fast.* 271. pavens. *Id. Heroid.* 16. 12. terror major solet esse periclo. *Plin.* 6. *Ep.* 20. Fictis mentitisque terroribus vera pericula augere. *Sueton. Cal.* 50. Vultum componere ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. *Catull.* 64. 338. Nascetur vobis expers terroris Achilles. *Liv.* 3. 10. Terror externus. *et ibid.* 16. peregrinus. *et ibid.* servilis. *Plaut.* 5. 1. 14. meus. *Auct. B. Afr.* 32. suus. *Cic.* 6. *Att.* 8. miri. *Liv.* 29. 27. ceteri omnes cælestes maritimique. *Ammian.* 16. 12. 61. feri lugubresque. — *b*) Cum Genet., uti ajunt, subjectivo. *Tac.* 1. *Ann.* 21. Paucos ad terrorem ceterorum affici verberibus jubet. — *c*) Cum Genet. objectivo. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. Ipso terrore equorum et strepitu rotarum. *Cic.* 5. *Fin.* 11. 31. Feræ, sibi, injecto terrore mortis, horrescunt. *Id. pro leg. Manil.* 6. 15. Sæpe totius anni fructus uno belli terrore amittitur. *Id. Fontej.* 11. *a med.* Alicujus minis et terrore commoveri. *Justin.* 12. 13. 2. Terror nominis Alexandrini invaserat orbem. — 2.°) De metu deorum et religione, δεισιδαιμονία. *Tac. Germ.* 40. *extr.* Arcanus hic terror sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident. ¶ 2. Concrete, qui dicitur, sensu, de ipsa re, quæ terrori est. *Lucret.* 5. 40. ita ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatit et trepido terrore repleta est Per nemora ac montes magnos. *Curt.* 4. 9. 4. Terror hostium ingens. *Id.* 9. 2. 4. præcipuus. *Id.* 5. 2. 10. Macedonum. *Id. ibid.* 7. 8. unicus Græciæ. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 38. (121). *Justin.* 3. 1. 1. Xerxes, terror gentium. Sic *Ammian.* 14. 11. 30. — Et in plur. num. *Cic.* 1. *Rep.* 47. 71. *de Chartagine et Numantia.* Hujus urbis terrores. Sic *Vellej.* 2. 4. 5. Post duos consulatus duosque triumphos et bis excisos terrores reipublicæ. *h. e.* dirutas Carthaginem et Numantiam. *Trebell. Poll. Claud.* 11. *de barbaris.* Terrores Romani nominis. ¶ 3. *Terror* personæ instar sistitur ab *Ovid.* 4. *Met.* 485.

Homonym. Discrimen inter *metum* et *terrorem* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 357. Quod si tantus habet mentes et pectora terror: *Servius* adscribit, *terrorem* esse proprie, qui aliis infertur: *metum,* quem habent timentes: sed hoc loco terrorem pro metu *Virgilium* usurpasse. Plura hujusmodi *V.* sub v. METUS et apud *Döderlein* v. 2. p. 185. et seqq.

TERRŌSUS, a, um, adject. (terra) terram admixtam habens, *pien di terra, terroso,* γαιώδης *Vitruv.* 2. 4. Arena terrosa. *et ibid.* 6. *ad fin.* Terrosi montes.

TERRŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* terra, exigua terra. *Imp. Leo Cod.* 10. 15. 1. In alienis terrulis nemo audeat, invitis dominis, opes abditas perscrutari. *h. e.* agellis. *Impp. Honor. et Theodos.* 11. 24. 6. Quicumque in ipsis vicis terrulas contra morem fertiles possederunt. *Inscript.* apud *Lup. Epitaph. Sev.* p. 159. SEPTIMIVS IVVENALIS HOC MONIMENTVM VIRGINE IN FRONTE PEDES XII. IN AGRO PEDES XVI. CVM TERRVLA FVRA AB ANTE ET DEXTRA LAEVAQVE AD MVRVM SICVT TERMINVS DEMONSTRAT LONGVM PEDES LII. LATVM PEDES XXXV. *etc.* Adde *Priscian.* 3. p. 615. *Putsch.*

TERRŬLENTĒ, adverb. (terrulentus) terreno modo. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 378. Rem spiritalem terrulente quærere. Alii leg. *terrulenter.*

TERRŬLENTER. *V.* voc. præced.

TERRŬLENTUS, a, um, adject. (terra) ¶ 1. Est qui terra constat, terrenus. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 196. Quod terrulentum ac sordidum, flammis necesse est decoqui. ¶ 2. Est etiam e terra natus. Absolute apud *eumd. Hamartig. præf.* 5. Hic (*Cain*) terrulentis, ille (*Abel*) vivis fangitur.

TERSŌRĬUM, ii, n. 2. (tergeo) instrumentum ad tergendum. *Gloss. Lat. Gr.* Tersorium, ἐκμαγεῖον.

TERSUS, a, um, particip *V.* TERGEO

**TERSUS**, us, m. 4. (tergeo) actus tergendi, *il forbire o nettare*. *Apul.* 1. *Met.* E promptuario oleum unctui, lintea tersui profer. *Id. De mag.* Petere aliquid tersui dentium.

**TERTĬA**, æ, f. 1. *V.* TERTIUS.

**TERTĬADECĬMĀNI** *vel* tertiadecumani, ōrum, m. plur. 2. (tertiusdecimus) milites legionis tertiædecimæ. *Tac.* 3. *Hist.* 27.

**TERTĬĀNA**, æ, f. 1. *et*

**TERTĬĀNI**, ōrum, m. plur. 2. *V.* voc. seq.

**TERTĬĀNUS**, a, um, adject. (tertius) ¶ 1. Est ad diem tertium pertinens, τριταῖος. Hinc *tertiana febris*, quæ tertio quoque die recurrit, *terzana*. *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 24. Ne tertianas quidem febres et quartanas divinas esse. — Etiam *tertiana* absolute dicitur. *Petron. Sat.* 17. Tertianæ impetum timere. *Cels.* 3. 5. Quia tertiana timeri potest, exspectandus est dies tertius. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 107. (170). Herba adalligata brachio tertianas arcere traditur. — *Nudius tertianus*. V. NUDIUSTERTIANUS. ¶ 2. Est etiam, ut videtur, ad Tertium pertinens in *Inscript.* apud *Gruter.* 3. 9. M. GELLIVS STEPHANVS CVM STEPHANO PATRE DOMVM TERTIANAM EX DIRVTIONE RESTITVERVNT DEDICARVNTQVE. *h. e.* a Tertio dictam, ejus ædificatore vel possessore. — Hinc

*Tertianus, i*, et sæpius in plur. num.

*Tertiani, orum*, m. 2. absolute, substantivorum more, sunt tertiæ legionis milites. *Tac.* 13. *Ann.* 38. et 3. *Hist.* 24. — In sing. num. *tertianus*, collective, pro tertianis, apud *eumd. ibid.* 29.

**TERTĬĀRĬUS**, a, um, adject. (tertius) tertiam alicujus rei partem recipiens. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 17. 18. (161). Stannum tertiarium vocant, in quo duæ nigri plumbi portiones sunt et tertia albi. — *Tertiarius* quoque dicitur apud *Vitruv.* 3. 1. *circa med.* numerus octavus ratione numeri senarii, quia continet supra sex tertiam partem, nempe duo: Græce ἐπίτριτος. *V.* EPITRITUS. — Hinc

*Tertiarius, ii*, m. 2. absolute ¶ 1. Est triens seu tertia pars sextarii. *Cato R. R.* 95. Sumito bituminis tertiarium et sulfuris quartarium. Hoc idem ita refert *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (264). Cum bituminis tertia parte et sulfuris quarta. Alii pro *tertia parte* legunt *tertiario*, pro *quarta* vero *quartario*, scilicet *tertia* et *quarta* parte sextarii, quod eodem recidit. ¶ 2. Præterea *tertiarium* vocat *Vitruv.* 4. 7. trigonam figuram contignationis in tecto. V. *Bald.* in *Lex. Vitruv.* ¶ 3. Denique *tertiarius* videtur esse gladiator, qui post pugnam duorum cum victore quasi tertius congreditur. *Gloss. Gr. Lat.* Ἔφεδρος, terciarius (sic). Cf. SECUTOR.

**TERTĬĀTĬO**, ōnis, f. 3. (tertio) operis alicujus trina repetitio, *il fare una cosa per la terza volta*, τρίτευσις. *Colum.* 12. *R. R.* 50. Sint tres laborum ordines, ut unus primæ notæ, idest primæ pressuræ, oleum recipiat; alter secundæ; tertius tertiæ. nam plurimum refert non miscere iterationem multoque minus tertiationem cum prima pressura.

**TERTĬĀTO**, adverb. *et*

**TERTĬĀTUS**, a, um, particip. *V.* TERTIO, as.

**TERTĬCEPS** et

**TERTĬCEPSOS**. *V.* BICEPSOS.

**TERTĬO**, adverb. *V.* TERTIUS.

**TERTĬO**, as, ātum, are, a. 1. (tertius) Part. *Tertiatus* 1. *a* et *b*; *Tertiandus* 1. *a*. — Tertio ¶ 1. Est aliquid tertia vice repeto (It. *fare per la terza volta*; Fr. *répéter trois fois*; Hisp. *repetir tres veces*; Germ. *zu dritten Male wiederholen*; Angl. *to do a thing for the third time*). Speciatim. — *a*) Est arationem tertio repeto, *terzare o arare per la terza volta*. *Colum.* 2. *R. R.* 4. Jugerum talis agri commode proscinditur operis duabus, una iteratur, tertiatur dodrante operæ. *et ibid.* Colles pinguis soli ab Aprili medio in solstitium iterandi tertiandique (*sunt*) Septembri circa æquinoctium. *et ibid.* Campi uliginosi quum arati fuerint, circa solstitium iteratos esse oportebit ac deinde circa Septembr. calendas tertiatos. *Pallad.* 10. *R. R.* 1. Ager pinguis tertia vice arabitur; quamvis humido anno possit et antea tertiari. — *b*) *Tertiata verba*, tertio repetita et imperfecte prolata: quod in perturbatione fieri solet. *Apul.* 5. *Met.* Tremensque et exsangui colore lurida, tertiata verba semianimi voce substrepens, sic ad illas ait. — *c*) *Tertiata castra* sunt tertia parte longiora, quam latiora. *Hygin. Gromat. p.* 8. *col.* 1. Castra, in quantum fieri potest, tertiata esse debebunt, ut flatus auræ æstus exercitus leniat: hoc dixi tertiata, ut puta in longum ped. duo mil. quadringenti, in latum mille sexcenti. Cf. *Veget.* 3. *Milit.* 8. Pulcriora (*castra*) creduntur, quibus ultra latitudinis spatium tertia pars longitudinis additur. ¶ 2. Etiam pro divido in tres partes. *Gloss. Lat. Gr.* Tertio, as, τριτημορίζω. — Hinc

*Tertiato*, adverbiorum more, est tribus vicibus. *V.* QUARTATO.

**TERTĬŌCĒRĬUS**. *V.* SECUNDICERIUS.

**TERTĬUM**, adverb. *V.* voc. seq.

**TERTĬUS**, a, um, adject. (ter) proximus a secundo, τρίτος (It. *terzo*; Fr. *troisième*; Hisp. *tercero*; Germ. *dritte*; Angl. *third*). *Plaut. Bacch.* 4. 4. 66. Vos duo eritis atque amica tua erit tecum tertia. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Gallia est divisa in partes tres: quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam Celtæ. *Cic. Amic.* 16. 56. Tres video sententias ferri: unam, ut eodem modo erga amicos affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram, ut nostra in amicos benevolentia *etc.*; tertiam, ut quanti quisque etc. *Id.* 9. *Fam.* 22. Si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse aut in verbo: nihil esse tertium. *Id.* 5. *Att.* 20. *circa med.* Mancipia venibant tertiis Saturnalibus. *h. e.* tertio die Saturnalium. *Catull.* 62. 63. Tertia pars patri data, pars data tertia matri, Tertia sola tua est. *Ovid.* 13. *Met.* 28. sic ab Jove tertius Ajax. *h. e.* filius Telamonis, qui patrem habuit Æacum, avum Jovem. *et* 14. *ibid.* 237. Tertius e nobis. *Id.* 4. *Fast.* 584. Nupta Jovis fratri tertia regna tenet. *h. e.* Inferos. *Id.* 2. *Trist.* 53. Tertia numina. *h. e.* dii Inferi. Adde *Sil. It.* 3. 116. *et* 13. 437. *Liv.* 6. 27. Tertios censores creari. *Quintil.* 1. 5. *ante med.* Syllaba proxima extremæ aut ab ea tertia. *Colum.* 2. *R. R.* 16. 6. *de lupino*. Quum tertium florem egerit. ter enim florere lupinum adnotavit etiam *Plin. l.* 18. *s.* 46. — *Auson. Edyll.* 13. *extr.* In tertio Georgicorum. *h. e.* in tertio libro. — *Tertius dies est, quod*, pro quum vel ex quo. *Plin.* 4. *Ep.* 27. Tertius dies est, quod audivi recitantem Augurinum. — *Tertio die, quam*, pro postquam. *Plin. alter* 31. *Hist. nat.* 2. 19. (26). Tertio die quam quis biberit. — *Tertio quoque die*, semper tertio die, Ital. *ad ogni terzo giorno, ogni due giorni*, Germ. *alleman am dritten Tage od. einen Tag um den andern*. Hanc significationem firmat *Gell.* 9. 4. *ante med.* Sauromatas cibum capere semper diebus tertiis, medio abstinere. (Cf. *tertio calendas etc.*, *tertiana febris*: item *quartana* apud *Gell.* 17. 12. et *quinquennalis* apud *Cic.* 3. *Orat.* 32. 127., *Censorin. De die nat.* 18. 12. et *Isid.* 5. *Orig.* 37. 1.) *Colum.* 12. *R. R.* 48. Tertio quoque aut quarto die quidquid amurcæ inest, emitti oportet. — *Tertiæ calendæ, nonæ, idus*, sunt tertio die ante calendas, nonas, idus. *Lex* antiqua de scribis apud *Haubold, Mon. leg. p.* 86. et seqq. — *Tertia bruma* est dies festus Bacchi, qui trieterica dicitur, quia tertio quoque anno celebrabatur. *Ovid.* 1. *Fast.* 393. — *Tertia lingua* dicitur maledica, quæ inter duos insidiose fraudes serit et odia. *Vulgat. interpr. Eccli.* 28. 16. *et* 19. — *Tertius e cælo cecidit Cato*, proverb., de quo *V.* CATO in ONOM. — *Ad tertiam vel in tertiam partem decoquere* aliquid est ita coquere, ut, duabus partibus consumptis, una supersit: et absolute *ad tertias decoquere* est, ut, una consumpta, duæ restent. *Varro* 1. *R. R.* 2. *a med.* Aquam ad tertiam partem decoquere. *Colum.* 12. *R. R.* 25. *et* 38. *sub fin.* Sucum in tertiam partem decoquere. — *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 71. (119). Junci radix, in tribus heminis aquæ decocta ad tertias, tussi medetur. *Colum.* 12. *R. R.* 20. Quum ad tertias subsederit coctura. — *NB.* De præn. et cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tertia, æ*, f. 1. ¶ 1. Dicitur de hora diei. *Fronto ad M. Cæs.* 4. 6. Ab undecima noctis in tertiam diei. ¶ 2. Item de parte alicujus rei, *un terzo*. *Scribon. Compos.* 90. *V.* etiam infra.

*Tertiæ, arum*, f. plur. 1. ¶ 1. Sunt tertia alicujus rei pars. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 9. 46. (131). Miscentur argento tertiæ æris Cyprii. *Id.* 34. *ibid.* 5. 11. (20). Quibus ex fœdere tertias prædæ R. populus præstabat. Videsis etiam *Procop. Bell. Goth.* 1. 1. *et* 2. *Ep.* 16. *et* 17. *et* 37. et 7. *Ep.* 20. 22. et *Marini Pap. Dipl. p.* 375. Cf. TERTIUS in fin., PRIMUS, SECUNDUS et PARS. ¶ 2. Item *tertiæ* in re comica, sunt partes alicui histrionum generi in scena agendæ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 11. 10. (54). Spinther secundarum (*partium*) tertiarumque Pamphilus. *V.* PARS. ¶ 3. Item sequiore ætate dicta tributaria solutio, quæ tribus vicibus sive ter in anno persolvi solebat, sc. calendis jan., maj. et septembr., quæque etiam *trina illatio* dicebatur. *Cassiod.* 1. *Variar.* 14. *coll.* 12. *ibid.* 2. *et* 11. *ibid.* 35. Cf. etiam *Savigny Hist. du droit Rom. T.* 1. *p.* 259.

*Tertio* et

*Tertium*, adverbiorum more. ¶ 1. Est tertia vice, *la terza volta*. — *a*) Absolute. *Ter. Eun.* 3. 3. 24. Non hercle veniam tertio. *Liv.* 3. 22. Consules creati Q. Fabius Vibulanus tertium et L. Cornelius Maluginensis. *et ibid.* 67. Satis honorum, satis superque vitæ erat: mori consulem tertium oportuit. *Inscr.* apud *Orelli n.* 4026. Anulejano tertium ædili. — *b*) Cum *semel, iterum* etc. *Liv.* 3. 19. Iterum atque tertium tribuni. *Id.* 23. 9. *ad fin.* Tuam doleo vicem, cui ter proditæ patriæ sustinendum est crimen: semel, quum defectionis ab Romanis: iterum quum pacis cum Hannibale auctor fuisti; tertio hodie. Cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 45. Circumvallare Pompejum instituit, hæc spectans: quod angusta re frumentaria utebatur *etc.*; simul ut pabulatione Pompejum prohiberet *etc.*; tertio ut auctoritatem minueret. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 196. *Putsch.* Veniunt iterum atque tertium tumultuosius. *Cic. Dejot.* 5. 14. Ille iterum, ille tertio, auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum utereris. *Id.* 2. *Divinat.* 59. 121. Nemo est, quin sæpe jactans, Venerium jaciat aliquando, nonnumquam etiam iterum ac tertium. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (139). Idque iterum tertiumque. *Cels.* 4. 4. *ad fin.* Sanguis mittendus est iterum tertioque et quotidie paullum aliquid. ¶ 2. Item tertio loco, ut *Varro* apud *Gell.* 10. 1., ubi distinguit inter *tertio, quarto* et *tertium, quartum*. *V.* QUARTO et QUARTUM. Cf. *Lamprid. Alex. Sev.* 13. et *Flor.* 4. 12. 49. *et* 50. *Cod. Bern. p.* CIII. *Hag.* Differunt adverbia secundo, tertio *etc.* et secundum, tertium *etc.*: illa sunt ordinis, ista numeri. *h. e.* secundo loco, tertio loco, et secundum bis, tertium ter. Narrat autem *Tiro Tullius* apud *Gell. loc. cit.*, quum Pompejus ædem Victoriæ dedicaturus, suum nomen et honores inscribi vellet, dubitatum fuisse, *tertio* ne *consul*, an *tertium* scribendum esset: quumque alii hoc, alii illud præferrent, interrogatum *Ciceronem* judicare de viris doctis veritum esse, ne quorum opinionem improbasset, ipsos videretur improbasse. itaque persuasisse, ut *tert.* scriberetur. Hæc *Tiro*. V. SECUNDUM. — Ceterum *tertium* et *quartum* prætor aut consul in veterib. monumentis frequens est. *Inscript.* apud *Gruter.* 1. 1. M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIVM FECIT. *Frontin. Aquæd.* 10. Quum Agrippa jam tertium consul fuisset. In *monum. Ancyr.* apud *Gruter.* 230. CONSVL QVINTVM: CONSVL VNDECIMVM: TRIBVNICIA POTESTATE DVODECIMVM: CONSVL TERTIVM DECIMVM. — *Tertio* et *septimo consul* dixere olim *L. Cælius Antipater* et *Q. Claud. Quadrigar.* apud *Gell. loc. cit.*, item *Plin. Paneg.* 60. ¶ 3. *Tertio* pro ter, *tre volte*. *Pallad.* 1. *R. R.* 11. Parietes tertio prius debebis obducere, ut tectorium sine corruptione suscipiant. Adde *Fulgent.* 2. *Myth.* 13. et *Trebell. loc. cit.* in SECUNDO.

*Tertius, ii*, m. 2. tertius dies in formulis Ca-

lendaril, ut *tertio calendas, nonas, idus*, h. e. tertio die ante calendas, nonas, idus. *Cic*, in *epp.* passim aliisq.

TERTIUSDECIMUS, adecima, umdecimum, et *divisim* tertius decimus, a, um, adject. decimus tertius, *terzodecimo, decimo terzo*, τρισκαιδέκατος. *Colum.* 6. *R. R.* 36. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (171).

TERTIUSVICESIMUS, avicesima, umvicesimum, *et divisim* tertius vicesimus, a, um, adject. vicesimus tertius, *vigesimoterzo, ventesimo terzo*, εἰκοστὸς τρίτος. *Gell.* 17. 7. Nigidius in tertiovicesimo grammaticorum commentariorum.

TERTUS, a, um. *V.* TERGEO et TERO.

TĔRUNCĬUS (teruntius), ĭi, m. 2. (ter *et* uncia) nummi ærei nomen, quo olim quadrans vocabatur, quia tres uncias continet, quæ est quarta pars assis. — *a*) Stricto sensu. *Varro* 5. *L. L.* 174. *Müll.* Teruncius a tribus unciis, libellæ ut hæc quarta pars, sic quadrans assis eadem. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (45). Quadrans antea teruncius vocatus a tribus unciis. Alii leg. *triuncis*, sed *Harduino* et *Sillígio* invitis. *Mæcian. Distrib. ass.* 97. Dimidio teruncio, qui est octogesima sestertii (*pars*). — *b*) Latiore sensu, mansit in usu loquendi ad significandum exiguum nummum aut minimam pecuniæ summam. *Cic.* 2. *Fam.* 17. De præda mea teruncium non attigit nec tacturus est quisquam. *Id.* 6. *Att.* 2. *ante med.* Omnino nullus in imperio meo sumptus factus est: nullus, inquam, ne teruncius quidem. *Id.* 3. *Fin.* 14. 45. Interit magnitudine maris Ægæi stilla muriæ: et in divitiis Crœsi teruncii accessio. Adde 4. *ibid.* 12. 29. *Apul. De mag.* Dos erat a creditore omnis ad teruntium pridie sumpta. *fino all'ultimo soldo.* Hinc *Plaut. Capt.* 3. 1. 17. Neque ridiculos jam teruncii faciunt. *non istimano un soldo*, nauci, flocci faciunt. — *c*) *Heres ex teruncio* est ex quarta parte seu ex quadragesima; putant enim nonnulli, teruncium fuisse monetam argenteam, quæ esset pars quadragesima denarii seu quarta pars libellæ, h. e. tres unciæ. *Cic.* 7. *Att.* 2. *ante med.* Curius fecit palam te (*heredem*) ex libella, me ex teruncio. *Olivetus* noster interpretatur *ex uncia et quinque scripulis*. V. *Ernesti* in *Ind. Cic* ad voc. *Teruncius*.

TERVĔNĔFĬCUS, a, um, adject. maxime veneficus. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 15. Ut pergræcetur tecum, terveneficе.

TĒSAURUS. *V.* THESAURUS.

TESCA *et* tesqua, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc seq.

TESCUM, i, *et sæpius plur.* tesca (tesqua), ōrum, n. 2. *Tesqua* (*tesqua*) pro *tesca* multi leg. apud *Horat.*, *Lucan.* et *Apul loc* infra *cit.* *Brambach Hülfsb. f. Lat. R.* non *tesca* sed *tesqua* vult legi. — *Tescum, i*, sing. num apud *Varron.* 7. *L. L.* 8. *Müll.* templum tescumque finito in sinistrum. — Etiam adjectiva forma *tescus, a, um*, apud *Fest. loc. cit* ex *Acc.* Quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te adportas loca? — De vocis etymo hæc *Varro* 7. *L. L.* 11. *Müll.* Qui tesca dixit, non erravit: neque ideo quod sancta, sed quod ibi mysteria fiunt ac tuentur (h. e. *curantur*), tuesca dicta, post tesca. Hæc *Varronis* notatio minus placet iis, qui ducunt a δασύσκιος et per syncop. δάσκιος, valde umbrosus: a δασύς, spissus, et σκιά, umbra. Nam, præter *Ciceronem* et *Accium* modo allatos, *Horat.* quoque et *Lucan.* tesca intelligunt loca umbrosa, aspera, inculta, deserta, inamœna. *Gloss. Philox.* Tesqua, κατάκρημνοι καὶ ῥάχεις καὶ ἔρημοι τόποι Cf. *Horat.*, *Lucan.* et *Apul. loc.* infra *cit.* et *Vanicek p.* 315. — Tesqua *Verrius* ait esse loca augurio designata: Opilius Aurel. loca consecrata ad augurandum: libri autem Pontific. docent, sancta loca esse undique septa. In his enim scriptum est: templumque sedemque tescumque, sive deo sive deæ dedicaverit, ubi eos accipias volentes propitiosque. Hostius belli Istrici l. 1. Per gentes alte ætherias et tesca volabis, Templa antiqua deum. Cicero vero aspera, difficilia aditu dixit, quum ait: loca aspera, tesca tuor. Accius in Philocteta: Quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te adportas loca? Hactenus ex *Festo p.* 356. 14. *Müll. Varro* 7. *L. L.* 10. *Müll.* Loca quædam agrestia, quod alicujus dei sunt, dicuntur tesca. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 19. nam quæ deserta et inhospita tesca Credis, amœna vocat qui mecum sentit. *Lucan.* 6. 41. Amplexus fines, saltus nemorosaque tesca Et silvas. Sic *Apul. Florid. n.* 11. Nullus in tesquis suis fructus est, sed infelix lolium etc. et *n.* 17. Merulæ in remotis tesquis fringultiunt.

TESCUS et

TESQUUS, a, um, adject. *V.* voc. præc.

TESSĂLA (tessalla). *V.* TESSELLA.

TESSĂLĀRĬUS. *V.* TESSELLARIUS.

TESSĂRĂCOSTE *vel* tesseracoste, es, f. 1. τεσσαρακοστή, quadragesima (*sc.* dies). *Ambros.* in *Luc.* 3. *n.* 16. Et Pentecoste, cujus Lucas, et Tessaracoste, cujus Matthæus secutus est gratiam etc.

TESSELLA, æ, f. 1. (*deminut. a* tessera) Scribitur et *tessala* (*thessala*) vel *tessalla* apud *Apic.* 2. 1. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (120). Hinc et *tessalarius* pro *tessellarius*. V. hanc voc. — Tessella est tesserula, quævis res seu rei frustulum formam habens quadratam, *tassello, tasselletto, quadretto, pezzetto*, ἀβακίσκος, βόλιον, κύβισκος, ψῆφος. ¶ 1. Generatim. *Apic. loc.* supra *cit.* Quum coctum fuerit, versas in tabulam mundam tessalas concides. Adde *eumd.* 4. 5. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (120). Exempta cortici tessella, surculo a latere plano adigendo. *h. e.* scutula. *V.* hanc voc. ¶ 2. Specialim de lapidibus aut laterculis, quibus pavimenta insternuntur: aut de tabellis, quæ inseruntur ornatus gratia. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 31. Vidisse se affirmabat in balneo tessellas, quibus solum erat stratum, alteram ab altera separari iterumque committi. *Juvenal.* 11. 131. nulla uncia nobis Est eboris nec tesselæ nec calculus ex hac Materia. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (144). Androdamas argenti nitorem habet, ut adamas, quadrata semperque tessellis similis. Adde *Augustin.* 1. *Ord.* 1 *Inscript.* apud *Mommsen n* 5255. Tessellis struere. ¶ 3. Item de parva tessera lusoria. *Inscript.* apud *Orelli n.* 4316.

TESSELLĀRĬUS, a, um, adject. ad tessellas pertinens, *Inscript.* apud *Murat.* 958. 4 HIC ARTIFEX ARTIS TESSELLARIAE LVSORIAE. Sed in lapide legitur *tessallarie lusorie.* V. *Orelli n* 4289. — Hinc

*Tessellarius, ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, qui tessellas facit et inserit. *Imp. Constantin. Cod. Theod* 13. 4. 2. Tessellarii, aurifices, specularii etc. *Gloss. Labb.* Tessellarius, ψηφοθέτης.

TESSELLĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præc.

TESSELLĀTIM, adverb. (tessella) tessellarum modo. *Apic.* 4. 3. Spathulam porcinam tessellatim concides. *et* 7. 9. Pernam, detracta cute, tessellatim incidis.

TESSELLĀTOR, ōris, m. 3. (tessello) idem ac tessellarius. *Gloss. Labb* Ψηφοθέτης, tessellarius, tessellator.

TESSELLĀTUM, i, n. 2. et

TESSELLĀTUS, a, um, particip. *V.* TESSELLO.

TESSELLĀTUS, us, m. 4. (tessello) idem ac pavimentum tessellatum. *Gloss. Gr. Lat.* Ψηφολογία, tessellatus, pavimentum. Num legend. *tessellatum* Cf. hanc voc.

TESSELLO, as, āvi, ātum, are. a. 1. (tessella) *Tessero* pro *tessello* ex *Hildebr.* ad *Apul. loc. cit.*, ubi *tesserato* pro *tessellato* vult legi. Cf. *contessero.* — Part. *Tessellatus.* — Tessello est tessellis sterno vel compono, ψηφοθετέω (*It formare di pezzetti o pietruzze quadrate, fare a scacchi; Fr. former de petites pierres carrées; Hisp. formar de pedrezuelas quadradas; Germ. würfelförmig machen; Angl. to form of smalls squares pieces, tessellate*). *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 208. EVSEBIA CVM SVIS TESSELLAVIT P. CXX. *Gloss. Labb.* Tessellat, ψηφοθετεῖ. — *Tessellatum pavimentum*, ac parvis quadratis lapillis compositum, *scaccato*, apud *Sueton. Cæs.* 46. Munditiarum lautitiarumque studiosissimum multi prodiderunt, quamvis tenuem adhuc et obæratum, in expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulisse. *V.* adnotata ad hunc *Suetonii* locum in SECTILIS et etiam ASAROTON. — *Tessellatum flagrum* est, cui tessellæ seu potius ossicula ex talis ovium implicita identidem sunt ad duriores plagas incutiendas: flagellum hujusmodi μάστιξ ἡ ἀστραγαλωτή Græcis dicitur. *Apul.* 8. *Met.* Arrepto denique flagro, multijugis talis ovium tessellato, indidem sese multinodis commulcat ictibus. — Hinc

*Tessellatum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, idem ac pavimentum tessellis stratum. *Pelagon. Veterin.* 17., *Veget.* 5. *Veterin.* 46. et *Gloss. Labb.* Tessellatum, ψηφοθέτημα.

TESSĔRA, æ, f. 1. Scribitur et *tesera*, unico *s*, in *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1868. *p.* 86. — Vox est a Gr. τέσσερες Ionice pro τέσσαρες, quattuor, quia tesseræ forma quadrata est. — Tessera igitur est id, quod figura seu forma quadratum est, sive naturâ ita factum, sive ut plurimum, arte, constans sex lateribus (*It. quadro, quadrato; Fr. carré, pièce carrée; Hisp. quadrado ó quadro, pieza quadrada; Germ. e. Viereck; Angl. a square, quadrate, a square bit, piece*). *Isid.* 18. *Orig.* 63. Tesseræ vocatæ, quia quadræ sunt ex partibus omnibus. *et Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 5. *a med.* Fit, tribus dimensionibus impletis, corpus solidum, qualis est tessera, quæ cubus vocatur. Adde *Gell. loc.* infra *cit. Capell.* 7. *p.* 269 Si tessera tesseram metitur, in latere quoque alterius lateris mensura est. Sint duo tesseræ octo et sexaginta quattuor: eos qui sexaginta quattuor sunt, octo metiuntur, siquidem octies octo sexaginta quattuor sunt. — De tesseris variisque eorum generibus vide sis multa apud *Morcelli* in *Dissert.* inscripta: *Delle tessere dagli spettacoli Rom.* et *Labus* in notis ad *eumd.* Item et de earum figuris desumptis ex antiq. monumentis consule *Rich op. cit.* ad *h. v.* — Tessera igitur ¶ 1. Est frustum ligni, panni aut lapidis, plerumque quadrata figura, ad quippiam ornandum, ad insitionem, ad pavimenta sternenda: quæ et *tesserula* et *tessella* dicitur, *tassello, quadretto, pezzetto. Plin.* 35. *Hist. nat.* 9. 36 (62). *de Zeuxide.* Opes tantas acquisivit, ut in ostentatione earum, Olympiæ aureis litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit. (*V. Visc. Iconogr. Rom. T.* 1. *p.* 374. ed. *Mediol.*) *Id.* 36. *ibid.* 25. 62. (187). *de subdialib.* Tunc nucleo crasso sex digitos induci et ex tessera grandi, non minus alta duos digitos, strui. *di quadri.* At *Silligius* tessella. *V.* SECTILIS. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. *in fin.* Æstivæ mansiones vel testaceum accipiant pavimentum, vel tesseras aut scutulas etc. *Id.* 4. *ibid.* 10. *ad fin.* Ficus virides servari possunt, singulæ intra viridem cucurbitam clausæ, locis unicuique cavatis et item tessera, quæ secatur, inclusis. ¶ 2. Hinc *tesseræ lusoriæ* sunt cubi ossei vel lignei punctis distincti, quibus in alveolum jactis luditur, Gr. κύβοι et Ital. *dadi*, cujus nominis originem Itali habent a verbo *do.* Porro duplex discrimen inter tesseras et talos ostendit *Martial.* 14. 15. Non sim talorum numero par tessera, dum sit Major, quam talis, alea sæpe mihi. *et* 4. 66. Supposita est blando numquam tibi tessera talo, Alea sed parcæ sola fuere nuces. Est autem unum discrimen, quod quattuor talis veteres, tesseris vero tribus plerumque, quandoque et duabus ludebant: alterum, quod major erat alea et majus periculum in tesseris, quam in talis. Adde tertium, quod talorum alia erat figura, alia tesserarum, ut in utrorumque descriptione videre est. Tribus autem tesseris plerumque lusisse veteres, satis compertum est ex *Hesych* Τρὶς ἕξ, νικητήριος βόλος. *Vet. Scholiast. Cruquii* ad *Horat.* 2. *Od.* 7. 25. Ἀρχιποσίαν significat, id est tesserarum jactu datum in bibendo primatum. Veneris autem jactus lætissimus dicebatur, qui habebat numerum ter senarium, h. e. senarium numerum in tribus tesseris. Italis *tirar diciotto con tre dadi* idem est ac vincere. Hinc alveolum seu tabulam lusoriam videre est apud *Maff. Mus. Ver.* 256. 8., in qua sex sunt verba inscripta,

sex litteris quæque constantia et terno hinc inde ordine disposita, quibus ludi conditio indicatur. Quandoque tamen duabus tantum tesseris usos fuisse, arguitur tum ex *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6., ubi narrat, Pompejum ex Asia Romam transtulisse alveum lusorium cum tesseris e gemmis duabus; tum ex *Senecæ* loco mox citando. *Gell.* 1. 2. Κύβος est figura ex omni latere quadrata. quales sunt, inquit M. Varro, tesseræ, quibus in alveolo luditur, ex quo ipsæ quoque appellatæ κύβοι. (Adde *Vitruv.* 5. *præf.*) *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 85. Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras. quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. *Petron. Sat.* 33. Sequebatur puer cum tabula terebinthina et crystallinis tesseris. *Ter. Adelph.* 4. 7. 21. Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris. Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas. *Martial.* 14. 17. Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto. Adde *Ovid.* 3. *Art. am.* 354. *et* 2. *Trist.* 475. et *Sympos. ænigm.* 88. *Wernsd. v.* 6. *p.* 564. V. *Labus* apud *Orelli Collect. Inscr. Lat. T.* 2. *p.* 447. — Quia in utroque ludo jactus est et utrobique fortuna dominatur, aliquando promiscue ponuntur. *Seneca Apocoloc. sub fin.* Æacus jubet illum alea ludere pertuso fritillo. Et jam cœperat fugientes semper tesseras quærere et nihil proficere. Nam quoties missurus erat resonante fritillo, Utraque subducto fugiebat tessera fundo: Quumque recollectos auderet mittere talos, Decepere fidem. Hactenus *Sen.* At hic potius videtur, utriusque ludi, tesserarum nempe et talorum, mentio fieri. — Illud *Petron. Sat.* 81. Cujus anni ad tesseram venerunt: *Burmann.* interpretatur, qui multum processit ætate et puer vetulus jam factus est. Senes autem talis et tesseris delectantur, ut est apud *Cic. Senect.* 16. *extr.* ¶ 3. Item tabella brevis signi causâ, symbolum. — 1°) Generatim. *Justin.* 3. 5. *a med.* Tantum ardorem militibus injecit, ut, non de salute sed de sepultura solliciti, tesseras insculptis suis et patrum nominibus dextro brachio deligarent, ut ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent. — 2.°) Speciatim tessera militaris multiplex, frumentaria, theatralis, hospitalis, nummaria etc. et etiam, imperatorum ætate, mandatis quibuslibet dandis. — a) *Tessera militaris*, regula, taleola seu tabella, symbolum discernendis sociis ab hostibus et exploratoribus, significandis jussis imperatoris, obeundis vigiliis, colligendis militibus etc., quæ et *signum mutum* dicitur: quod usuvenisse apud Romanos reipublicæ tempore, docet *Lips. De milit. Rom. l.* 5. *c.* 9. Sub Augustis vero signum erat *vocale*, tunc enim verba aut sonus adhibebantur, σύνθημα, σύμβολον. Ejus inventorem *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. Palamedem facit, Trojano bello. *Virg.* 7. *Æn.* 637. Classica jamque sonant: it bello tessera signum. Ubi *Servius*: Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur: scilicet propter confusionem, ut fuit in exercitu Marii *Lar deus*, in Sullæ *Apollo Delphicus*, in Cæsaris *Venus genitrix.* et *Sil. It.* 15. 478. tacitum dat tessera signum, Dimissa in colles pugna silvasque ferantur. *Id.* 7. 347. discurrit tessera castris Intentique docent, quæ sint properanda etc. *Stat.* 10. *Theb.* 17. dat tessera signum Excubiis: positæque vices. *Liv.* 27. 46. Tessera per castra ab Livio consule data erat, ut tribunus tribunum, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet. Adde 7. 35. *et* 36. et 9. 32., *Stat.* 7. *Theb.* 236., *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 331. et *Sueton. Galb.* 6. Simile est illud *Pomponii Dig.* 1. 2. 2. *a med.* Q. Fabius ad Carthaginienses missus legatus, quum essent duæ tesseræ positæ, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, utram vellet, referret Romam; utramque sustulit: et ait, Carthaginienses petere debere, utram mallent accipere. V. *Gell.* 10. 27., ubi eamdem rem, sed paullo aliter, narrat. Cf. *Cæs.* 3. *B. G.* 20. Signum dandum, *h. e.* tessera, non signum prœlii, de quo supra dixerat. *V.* etiam adnot. ad hunc *Cæs.* loc. in edit. 4. *Paris.* — b) *Tessera frumentaria* aut *nummaria* fuit, qua exhibita, unusquisque frumenti aut pecuniæ certam summam a præfecto annonæ accipiebat; similis iis, quas nuper Patavini vocabant *bolle*. Ea dabatur pauperioribus levandæ inopiæ. *Sueton. Aug.* 40. Ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem veterem, concessit rursus, ut sui cujusque mensis acciperet. *et ibid.* 41. *extr.* Frumentum in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est tesserasque nummarias duplicavit. *Inscript.* apud *Donat.* 262. 6, HIC PRIMVS OB HONOREM CEREAL. TESSERIS SPARSIS IN QVIBVS AVRVM ARGENTVM AES VESTEM CETERAQ. POPVLO DIVISIT. Adde *Sueton. Ner.* 11. *sub fin.* et *Juvenal.* 7. 174. Similis est his illa apud *Martial.* 8. 78. Nunc dat spectatas tessera larga feras. *h. e.* in congiariis missilibus jaciebantur et tesseræ, quæ quibus contigissent, nobilem aliquam feram consequebantur. Hujusmodi tesseræ ex ære et cum litteris argenteis, meminit *Marin. Frat. Arv. p.* 695., in cujus parte antica legitur: *Ant. Aug. Lib. II.* h. e. *Antonini Augusti liberalitas secunda*: in postica: *Fru. N. LXI.* h. e. *frumentum numero* (scilicet *ostio*) *sexagesimo primo.* — c) *Tessera theatralis*, schedula, qua quis ad theatrum aliosque publicos ludos admittebatur; quæque a duumviro distribuebatur. *Martial.* 8. 78. et *Inscript.* apud *Orelli n.* 2539. — d) *Tessera gladiatoria* toties dabatur gladiatoribus, quotiescumque in pugna victores fuissent. Harum plures attulit *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 417. *et seq.* et *Marin. Fratr. Arv. p.* 823., quarum interpretationem videsis in SPECTATUS et VICTOR. — Interdum tessera non dabatur statim sed post aliquod tempus; nam, ut est in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1835. *p.* 206., ibi aliquando mensis, non dies, pugnæ indicatur. — Has autem tesseras *consulares* appellavit *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat. v.* 1. *p.* 195. *et seqq.* Cf. *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1862. *p.* 81. *et seq.* — e) *Tessera hospitalis*, significabat jus hospitii. Mos erat dari hospitibus abeuntibus tessera dimidiatam, qua, si redirent, conferendo cum altera dimidia, agnosci possent, et ut veteres hospites admitterentur, ut in HOSPITALIS dictum est. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 86. AGOR. Ego sum ipsus, quem tu quæris. HAN. si ita est, tesseram Conferre si vis hospitalem, eccam attuli. AGOR. Agedum huc ostende. est par probe. nam habeo domi. *Id. Cist.* 2. 1. 27. Hic apud nos confregisti tesseram. *h. e.* hospitii jus violasti. Alii leg. *fidei confregisti tesseram;* non enim de hospitii jure violato, sed de fide non servata hic agitur: est ergo per proverbium vel metaphoram dictum. Cf. *Gronov.* in adnot. et *Hübner* in *Herm.* 5. 371.

Homonym. De discrimine inter *talos* et *tesseras* lusorias *V.* dicta sub 2. et v. TALUS.

TESSĔRĂCOSTE. *V.* TESSARACOSTE.

TESSĔRĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TESSĔRĀRĬUS, a, um, adject. (tessera) ad tesseras pertinens. *Ammian.* 14. 6. *circa med* et 28. 4. *a med.* Tesseraria ars. *h. e.* ludendi tesseris. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tesseraria, æ,* f. 1. quæ tesseras facit. *Inscr.* apud *Gruter.* 624. 8. ANTISTITAE O. L. DELPHIDIS TESSER. LIGNAR. SODALICII MARMORARIOR. sc. *tesseraria lignaria*, quæ faciebat, ut videtur, tesseras ex ligno in usum sodalium marmorariorum. Cf. *Promis, Ant. Torin. p.* 453. *et seq.*

*Tesserarius, ii,* m. 2. ¶ 1. Est artifex tesserarum. *Inscript.* apud *Gruter.* 753. 4. ¶ 2. In militia *tesserarius* est, qui acceptam ab imperatore aut tribuno tesseram per contubernia nunciabat, ut *Veget.* 2. *Milit.* 7. docet. *Tac.* 1. *Hist.* 25. Barbius Proculus tesserarius speculatorum. *Inscript.* apud *Gruter.* 550. 2. CN. LAVDIVS CN. FIL. PAL. THALLVS TESSERARIVS IN LEG. III. ITAL. *et* 365. 6. C. ARRIO C. F. COR. CLEMENTI SINGVLARI PRAEFECTORVM PR. TESSERARIO OPTIONI etc. *et* 1108. 7. C. GALERIO C. LIB. AGATHON. TESSERARIO COH. XII. PRAET. MILITVM. *Alia* apud *eumd.* 753. 4. LECTISTERNIVM MEMORIIS EIVSDEM VALERIANAE ET APPII — PER OFFICIALES TESSERARIORVM QVODANNIS PONATVR ET PARENTETVR. *Alia* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 5272. OFFICIVM TESSERARIORVM. Adde *Orelli Inscr. n.* 3471. etc. ¶ 3. Est etiam *tesserarius*, qui tesseris ludit, aleator. *Ammian.* 28. 4. 22. Aleatorum vocabulum declinantes ideoque se cupientes adpellari tesserarios.

TESSĔRĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

TESSĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* TESSELLO.

TESSERI. *V.* THISRI.

TESSĔRŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* tessera, parva tessera. Speciatim ¶ 1 Dicitur de exiguis quibusdam quadratis lapillis, ex quibus elegantiora pavimenta sternebantur, quæ ab antiquis *tessellata* dicta sunt. *Lucil.* apud *Cic. Orat.* 44. 149. Quam lepide lexeis compostæ, ut tesserulæ arte Endo pavimento atque emblemate vermiculato! *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 60. (184). *de pavimento.* Fecerat parvis e tesserulis tinctisque in varios colores. Alii leg. *testulis;* alii *tesseris.* V. ASAROTON. ¶ 2. Item de symbolo seu signo frumentario, quod qui ad præfectum annonæ referebant, certam frumenti accipiebant mensuram. *Pers.* 5. 74. scabiosum tesserula far Possidet. Cf. *Gell.* 10. 27. *V.* TESSERA. ¶ 3. Item de tabella suffragiorum. *Varro* 3. *R. R.* 5. *in fin.* Narrat, ad tabulam, quum dirimerent, quemdam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum: eum ad consulem tractum a fautoribus competitorum. ¶ 4. Item de parva tessera lusoria. *Gell.* 18. 13. et *Anthol. Lat.* 193. 2.

TESTA, æ, f 1. Etiam *testum, i,* neutr., de quo *V.* infra: et *testu,* item neutr., in sing. tantum num., usurpatum fuisse docet *Phoc.* 2. p. 1692. *Putsch.* — Etymon nominis ducit *Forcellinus* a *torreo,* quasi *testa* sit pro *tosta.* Ceterum conjungi vox potest cum *terra,* quæ pro *tersa,* ut sit aliquid e terra conflatum. — Testa proprie est terra vel argilla cocta vel aliquid ex terra cocta in formam aliquam compositum: hinc est nomen generale cujuscumque vasis fictilis cocti, ut vasa escaria et vinaria, lucernæ, urceoli, calices etc., ὄστρακον, κεράμιον (It. *terra cotta o vaso di terra cotta, testo;* Fr. *terre cuite, vase de terre cuite;* Hisp. *tierra cocida, vaso de tierra cocida, tiesto;* Germ. *gebrannter Thon;* Angl. *baked clay, earthen vessel*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Herenn.* 6. 9. Si Prometheus, quum mortalibus ignem dividere vellet, a vicinis cum testa ambulans carbunculos corrogaret. *Virg.* 1. *G.* 391. testa quum ardente viderent Scintillare oleum. *lucerna.* et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (114). Nitrum uritur in testa opertum, ne exsultet. *Virg. Mor.* 50. infert Inde foco testisque tegens superaggerat ignes. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 69. Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. *Tibull.* 2. 6. 29. At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ. *Martial.* 4. 89. Antipolitani nec quæ de sanguine thynni Testa rubet. *et* 7. 53. Et Libycæ fici pondere testa gravis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (57). (*Pretium vini*) singulis testis milia nummum. *h. e.* amphoris. *Horat.* 1. *Od.* 20. 2. (*Vinum*) Græca quod ego ipse testa Conditum levi. *h. e.* cado aut dolio. *Apul.* 9. *Met.* Scabiem vetustam cariosæ testæ occipit exscalpere. *h. e.* scabiem dolii carie exesi ob vetustatem. *Juvenal.* 14. 308. dolia nudi Non ardent Cynici (*Diogenis*): si fregeris, altera fiet Cras domus aut eadem plumbo commissa manebit. Sensit Alexander, testa quum vidit in illa Magnum habitatorem etc. Sic *Ovid.* 2. *Art. am.* 695. mihi fundat avitum Consulibus priscis condita testa merum. *botte o tino.* et *Propert.* 2. 10. 32. Accipiat manes parvula testa meos. *h. e.* olla, urna sepulcralis. *Martial.* 12. 48. junctaque testa viæ. *h. e.* dolium curtum (ut ait *Lucret.* 4. 1020.) ad mejendum. — De urceo oleario. *Id.* 13. 7. Sic 12. 64. Uncto Corduba lætior Venafro Histra nec minus absoluta testa. *h. e.* testa olei Histri; Histria namque oleis abundat. V. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 2. 3. ¶ 2. Speciatim dicitur de lateribus coctis et tegulis et imbricibus, *mattoni, tegole, embrici.* *Varro* 2. *R. R.* 3. *circa med.* Lapide aut testa substerni

oportet caprile, quo minus sit uliginosum ac lutulentum. *Vitruv.* 2. 8. *ad fin.* De ipsa autem testa, si sit optima seu ad structuram, statim nemo potest judicare, quod in tempestatibus et æstate, in tecto quum est collocata, tunc si firma est, probatur. Adde 7. 1. *et* 4. et *Auson. Parental.* 11. 9. ¶ 3. Item est genus quoddam crotalorum fictilium vel e testis piscium (de quibus *V.* infra), qui in quibusdam saltationibus pulsabantur. *Juvenal.* 11. 170. audiat ille Testarum crepitus cum verbis. *Sueton. Ner.* 20. *ad fin.* Adulescentulos equestris ordinis et quinque amplius milia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos et imbrices et testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi. ¶ 4 *Testæ* sunt et ipsa fragmenta vasorum fictilium: item lapidis aut ossis, *greppo, coccio, rottame, scheggie.* *Sisenna* apud *Non. p.* 125. 18. *Merc.* Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum. *Ovid.* 8. *Met.* 661. (et *Martial.* 2. 43.) mensæ sed erat pes tertius impar: Testa parem fecit. V. *Statii loc. cit.* in ASAROTUM. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 8. 28. (89) Testis cadi salsamentarii tunsis cum axungia. *Id.* 35. *ibid.* 3. 5. (16). Testa trita colorare lineas. *Id.* 36. *ibid.* 22. 48. (167). Lapides aspergine et gelu pruinisque rumpuntur in testas. *Cels.* 6. 9. *a med.* Bacca hederæ conjecta in foramen, dentem findit: isque per testas excidet. Adde 7. 12. *n.* 1., *Propert.* 4. 7. 46., *Tac.* 5. *Hist.* 6., *Juvenal.* 3. 270. et *Pers.* 3. 61. — De ipso osse *Cels.* 8. 16. Neque in cubito tantum, sed in omnibus quoque membris longis, quæ per articulum longa testa junguntur. *Id.* 7. 12. *n.* 1. Donec labans ossis testa recipiatur. *l'ossea scaglia.* — De testis, quæ suffragiis ferendis inserviebant, *V* OSTRACISMUS. — De usu testarum, super quas martyres nudi volutabantur. *Augustin. Serm.* 13. *de Sanct.* ¶ 5. De macula in cute, testæ colorem referente., est illud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 15. 92. (163). Mastos illita aufert testas in facie. Ita *Harduin.* ex suis MSS. omnib. et *Sillig.;* sed alii leg. *tineas.*

II.) Translate. ¶ 1. Est operimentum durum simul et fragile multorum piscium et quorumdam animalium, ut ostreorum, cochleæ etc., *guscio.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. *a med.* Genera fluitantium beluarum, partim ad saxa nativis testis adhærentium. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (60). Ostrea nigra et carne et testa. *et ibid.* 7. 27. (84). Muricum vel conchyliorum testæ cinis. *et ibid.* 10. 46. (129). Muricum vel purpuræ testæ. *et ibid.* 43. (125). sepiarum. *Id.* 30. *ibid.* 8. 21. (66). Cochleæ exemptæ testis. *Varro* 5. *L. L.* 79. *Müll.* testam vocat etiam corneam vestem testudinis. *Minuc. Fel. Octav.* 3. Pueros videmus certatim gestientes, testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem, jactatione fluctuum levigatam, legere de litore; eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest, super undas irrotare etc. Hujusmodi lusus Græce ἐποστρακισμός dicitur, Galli dicunt *jouer au ricochet.* — Hinc *testa ovi* apud *Marcell. Empir. c.* 29. *sub init. p.* 129. *et alibi* est ovi tegumentum, *il guscio dell'uovo.* ¶ 2. Item, per metonymiam, dicitur de ipsis ostreis aliisque piscibus testam habentibus, *pesce armato.* *Horat.* 2. *Sat.* 4. 31. Sed non omne mare est generosæ fertile testæ ¶ 3. Item de calvaria, *cranio,* hinc *testa* Italorum. *Auson. epigr.* 72. Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat Testa hominis, nudum jam cute calvitium. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 761. Comam cutemque verticis revulserat A fronte tortor, nuda testa ut tegmine Cervicem ad usque dehonestaret caput. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. 6. Pati aliquid membranam cerebri dixerunt, alii eam, quæ testam circumtegit. *et* 2. *ibid.* 1. *ad fin.* Anatresim testæ faciendam. *Id.* 1. *ibid.* 4. 118. Terebratio testæ. ¶ 4. Metaphorice de glacie, *ghiaccio.* *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 62. *Burmann.* Thrax puer, adstricto glacie dum luderet Hebro, Frigore concretas pondere rupit aquas. Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne, Abscidit heu! tenerum lubrica testa caput. *Ovid* 3. *Trist.* 10. 37 Vidimus ingentem glacie consistere pontum: Lubricaque immotas testa premebat aquas. Est qui leg. *crusta.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

TESTĀBĬLIS, e, adject. (testor) qui jus habet testimonii dicendi, *chi può essere testimonio.* *Gell.* 6. 7. (*Ex lege Horatia*) jus testimonii dicendi ei tribuitur testabilisque una omnium feminarum ut sit, datur (*scil.* virgini Vestæ).

TESTĀCĒUM. *V.* voc. seq.

TESTĀCĒUS et testacius, a, um, adject. (testa) ¶ 1. Est qui e testa, h. e. fictili cocto vel integro vel tuso, factus est, ὀστράκινος, ὀστρακώδης (It. *di terra cotta;* Fr. *de terre cuite;* Hisp. *de tierra cocida;* Germ. *aus gebrannt. Thon bestehend;* Angl. *of baked clay*). *Vitruv.* 2. 8. *ad fin.* Testacea structura et lorica. *Id.* 7. 4. *ad fin.* et *Colum.* 1. *R. R.* 6. pavimentum. *Plin.* 10. *Ep.* 46. et 48. opus. *Inscript.* apud *Gruter.* 874. 5. (*Orelli n.* 4354.) Monumentum testacium. *et* apud *Reines. cl.* 8. *n.* 61. Hypogæum testacium. *et* apud *Murat.* 1562. 5. Testacea pila et hydria. ¶ 2. Et testæ colorem habens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 31. (106). Melleæ et testaceæ gemmæ. *Id.* 15. *ibid.* 15. 16. (55). Signina pira, quæ alii a colore testacea appellant. ¶ 3. Est etiam *testaceus* testâ, *h. e.* crusta dura et fragili, obductus, ut cochlea, ostrea, *che ha guscio, testaceo, crostaceo.* *Id.* 32. *ibid.* 5. 20. (58). Pastinacam et omnia testacea modice collui in cibis, quia saporis gratia perit. *Id.* 11. *ibid.* 37. 55. (153). Insectorum omnium et testacei operimenti oculi. — Hinc absolute, substantivorum more

*Testaceum, i,* n. 2. ¶ 1. Est testaceum opus, *h. e.* testa tusa et calce mixta. *Id.* 36. *ibid.* 23. 55. (176). Uliginosa et ubi salsugo vitiat, testaceo sublini utilius. *Pallad.* 6. *R. R.* 11. Sex digitorum testaceum superfundemus et frequenter virgis verberabimus, ne rimis possit aperiri. *Inscript.* apud *Henzen n.* 6630. COLYMBVM NEMVS VETVSTATE LAPSVM TESTACIO PICTVRIS AC STATVIS OMNI CVLTV ADORNAVIT. — *Testacea spicata.* V. SPICATUS. ¶ 2. Et fictile quodcumque. *Gloss. Lat. Gr. p.* 265. *Vulc.* Testatium (*sic*), ὀστράκιον. Sic etiam libri in *loco. Vitruv.* V. *Nohl Ind. Vitr.*

TESTĀCĬUS. *V.* voc. præced.

TESTĀMEN, minis, n. 3. (testor) idem quod testimonium, *testimonio.* *Tertull. carm.* 3. *advers. Marcion.* 99. Scilicet hoc testamen erat virtutis imago.

TESTĀMENTĀLIS, e, adject. (testamentum) idem fere ac testamentarius. *Jornand. Get.* 59. *sub init.* Theodoricus convocans Gothos, Athalaricum, infantulum adhuc vix decennem, regem constituit eisque in mandatis dedit ac si testamentali voce denuncians, ut regem colerent, senatum populumque Romanum amarent principemque orientalem placatum semper propitiumque haberent.

TESTĀMENTĀRĬUS, a, um, adject. (testamentum) ad testamentum pertinens, *testamentario.* *Cic.* 3. *Verr.* 42. 100. Testamentaria lex, *h. e.* quæ quippiam cavet circa testamenta. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (8). Adoptione testamentaria Salutiones irrepentes Scipionum nomini. *Ulp. Dig.* 50. 16. 130. Testamentariæ hereditates, *h. e.* quæ ex testamento proveniunt. *Salvian.* 3. *advers. avar.* 7. Servi Romane a dominis libertate donantur, in qua scilicet et proprietatem peculii capiunt et jus testamentarium consecuntur. *Cassiod.* 9. *Variar.* 14. Heres aut testamentarius aut legitimus. — Hinc

*Testamentarius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more, qui testamentum conscribit et conficit, *notaio.* *Ulp. Dig.* 28. 5. 9. *ante med.* Si testamentarius contra voluntatem testatoris condicionem detraxit vel mutavit. Adde *ibid.* 29. 6. 1. et 36. 1. 3. *in fin.* — In malam partem est qui testamenta falsa conficit, ῥᾳδιουργός. *Cic.* 3. *Off.* 18. 73. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est.

TESTĀMENTĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

TESTĀMENTĬFACTĬO, ōnis, f. 3. testamenti faciendi actio, apud *Caj. Instit.* 2. § 114. *Goeschen.* Sed rectius dividitur, ut apud *Cic. Top.* 11. 50. *V.* TESTAMENTUM sub 1.

TESTAMENTOGRAPHUS, i, m. 2. qui testamentum scribit. Vox hybrida a *testamentum* et γράφω, scribo, Lexico expungenda; nam solum occurrit in *Not. Tir. p.* 52. Testamentum, testamentarius, testamentographus.

TESTĀMENTUM, i, n. 2. *Testamentus,* masc. gen., legitur apud *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 24. 8. *Ott.* — Vox, inquit *Forcellinus,* a *testamen,* quod a *testor,* ut a *moneo monumen,* unde *monumentum;* a *doceo documen,* unde *documentum* et similia, in quibus semper *mentum* est vocis productio. Quare merito *Gellius* 6. 12. Servium Sulpicium JCsultum reprehendit, quod testamentum compositum dixerit a mentis contestatione. Idem ait *Ulp. Regular.* 20. § 1. Testamentum est mentis nostræ justa contestatio in id sollemniter factum, ut post mortem nostram valeat. Verum, quid (inquit *Gellius loc. cit.*) calceamentum, quid paludamentum, quid pavimentum, quid vestimentum, quid alia mille per hujuscemodi formam producta? etiamne ista composita dicemus? — Testamentum est declaratio ultimæ nostræ voluntatis, διαθήκη (It. *testamento;* Fr. *dernières volontés, testament;* Hisp. *declaracion de la última voluntad, testamento;* Germ. *die Kundgebung des letzen Willens, das letze Wille, Testament;* Angl. *last will, testament*). ¶ 1. Generatim. *Modestin. Dig.* 28. 1. 1. Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quid post mortem suam fieri velit. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. et *Cic. Cluent.* 14. 41. Testamentum obsignare. et *Plin.* 2. *Ep.* 20. signare. *Cic.* 3. *Verr.* 43. 111. facere. Hinc *testamenti factio,* testamenti condendi actio vel jus, et etiam testimonii testamentarii perhibendi facultas, apud JCtos. V. *Cic. Top.* 11. 50. *et* 7. *Fam.* 21. et *Fest.* in *Nexam p.* 165. 22. *Müll. Cic. Harusp. resp.* 20. 42. Testamentum conscribere. *Id. Cluent.* 14. 41. transcribere. *Id. Mil.* 18. 48. legere. *Id. Cluent.* 11. 31. mutare. *Id.* 2. *Phil.* 42. *sub fin.* irritum facere. *Id.* 1. *Orat.* 57. 241. rumpere. *Id.* 14. *Phil.* 3. 7. subjicere. *falsificare.* et *Parad.* 6. 1. supponere. (eod. sensu.) *Horat.* 1. *Ep.* 7. 9. resignare. *aprire.* et *Nepos Att.* 5. Testamento aliquem adoptare. *Justin.* 5. 11. 2. Regnum alicui testamento legare. *Cic.* 4. *Verr.* 18. *sub fin.* Hereditas, quæ venerat testamento. *Id.* 3. *Off.* 24. 93. Testamento aliquid alicui relinquere. *Id.* 2. *Fin.* 31. *a med.* cavere aliquid. *ordinare o proibire qualche cosa.* et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (141). Testamentum nuncupare. *V.* NUNCUPO. *Quintil.* 3. 6. 96. Testamenta legibus facta rata sint. *Sueton. Cæs.* 38. Testamenta ingrata. *Paul. Dig.* 1. 1. 13. Qui Latine nesciunt, adhibiti non vitiant testamentum. *h. e.* testamenti condendi actum. *Ulp. ibid.* 25. 17. Vindicare ex testamento. *h. e.* successione testamentaria. — *Testamentum,* titulus cujusdam saturæ Varronis, de qua V. *Oehlerum Sat. Menipp. p.* 226. — *Testamentum* φυσικόν apud *eumd. ibid.* quid fuerit, non satis liquet. Videtur tamen, ut ait *Oehlerus,* illud significare, quo qui sint quasi jam natura constituti, litteris quoque heredes declarentur. — *Testamentum vitale* legitur in adnot. ad testamentum *a.* 575. apud *Marini Pap. Dipl. p.* 75., qui putat *p.* 261., ita appellatum fuisse, quod, quum ea adnotatio fieret, viveret adhuc testator. — De testamenti faciendi modo consule *Novell. Theodos.* 11. *tit.* 16. *an.* 439. — Testamenti exemplum videsis in *Inscript.* apud *Orelli n.* 4360. — De testamentorum subscriptionib. et superscriptionib. V. *Savigny Hist. du droit R. T.* 2. *p.* 152. et 156. — Testamentum ad civis R. jura pertinuit: quia neque testamentum facere, legibus Romanis, neque aliquid testamento a cive accipere, nisi civis R. potuit. Itaque *Cicero,* quum Archiam in jure civium versatum esse contenderet, ea maxime ratione nisus est (*ibid.* 5. *in fin.*), quod eum testamentum legibus Romanis, iis præsertim temporibus, quæ accusator criminabatur, fecisse affirmaret: *et Dom.* 32. quum sui etiam in exsilio ut civis habitam esse ratio-

nem, rogatione Clodia neglecta, ostendere vellet, dixit: Quis in locum meum judicem subdidit? quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod et ei adessem? — Porro apud Romanos tria olim testamentorum genera fuere, ut *Gell.* docet 15. 27., unum, quod calatis comitiis, in populi concione, bis in anno, fiebat: alterum in procinctu tertium deinde accessit per familiæ emancipationem, cui æs et libra adhibebatur. *V.* suis loc. et apud *Cajum* 2. *Institut.* § 101., edente *Goeschenio.* ¶ 2. Speciatim *testamentum vetus* et *novum* sunt duæ maximæ partes, in quas dividuntur Sacra Biblia, legem veterem ante Christum et novam post Christum continentes, re contenta pro continenti sumpta. Hæc appellatio magis in usu erat, quam *instrumenti*, temporibus *Tertulliani*, ut ipse docet 1. *advers. Marcion.* 1., ac deinceps apud Christianos passim obtinuit. Cur ita dicatur, explicat *Lactant.* 4. 20. Ceterum quod *Vulg.* vertit *testamentum*, rectius esset *fœdus*; hoc enim proprie significat vox Hebraica *berith*: sed quum hujusmodi *fœdus*, seu vetus seu, et præcipue, novum, rationem habeat *testamenti*, hoc etiam nomine nuncupatum est. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 3. 14. Testamentum vetus. et *Hebr.* 9. 15. prius. et *ibid.* 8. 8. novum. Sic *Tertull. loc. cit.* vetus et novum. Adde 1. *Mach.* 2. 54. Cf. *Isid.* 5. *Orig.* 24. 2. *et seqq.* ¶ 3. Hinc *arca testamenti*, capsa in intimo tabernaculi ac dein templi Judaici adyto, ubi tabulæ Legis aliaque servabantur. *Vulgat. interpr. Num.* 17. 10. et *Hebr.* 9. 4. Cf. 3. *Reg.* 8. 9. ¶ 4. Item pactum seu fœdus inter Deum et hominem, vel inter homines. *Id. Eccli.* 11. 21. et 1. *Mach.* 1. 12.

TESTANS, antis, particip. *V.* TESTOR.

TESTĀRĬUS, a, um, adject. (testa) ad testas pertinens, ut *horrea testaria* apud *Ruf. De regionib.* (qui tamen apud recentiores criticos nullius est auctoritatis) in regione Urbis quarta, ubi testæ seu vasa cujuscumque generis servabantur; sed *chartaria* pro *testaria* legitur in *Notit. Urb.*, ubi scilicet chartæ servabantur, *fondaco di carta.* — Hinc

*Testarius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more, fusor vel excusor. Lex metall. *Vipasc. lin.* 46. in *Ephem. epigr.* 3. 165. *et seqq.*

TESTĀTIM, adverb. (testa) minutim apud veteres: tractum a testarum natura, quæ in exigua fragmenta solent confringi, ὀστρακηδόν. *Pompon.* apud *Non.* p. 178. 25. *Merc.* Jam istam colaphis comminuissem testatim tibi. *Juventius* apud *Charis* 2. p. 196. *Putsch.* Caput ei testatim defregero. *in minute scheggie.*

TESTĀTĬO, ōnis, f. 3. (testor) ¶ 1. Est proprie actus testandi seu testimonii dictio, professio testium, *attestazione. Cajus Dig.* 22. 4. 4. Sine scripturis valet quod actum est, si habeas probationem: sicuti et nuptiæ sunt, licet testatio sine scriptis habita est. — Duplex est *testatio*: altera, quæ fit a testibus præsentibus: altera, quæ ab absentibus per tabulas, ut *Quintil.* 5. 7. *init.* docet: eaque sæpe *testatio* dicitur, quum testes ante contestationem causæ dicunt testimonium scriptoque subsignant. *deposizioni nel processo.* et *ibid.* a *med.* Sæpe inter se collidi solent inde testatio, hinc testes. hæc enim se pars jurejurando, illa consensu signantium tuetur. *Paul. Dig.* 3. 2. 21. L. Titius crimen intendit C. Sejo: atque in eam rem testationem apud præfectum recitavit. *Ulp. ibid.* 48. 19. 9. Ne tabelliones libellos conspiciant vel testationes consignent. *Martian. ibid.* 48. 10. 1. Falsas testationes facere vel testimonia falsa dicere. ¶ 2. Est etiam actus testem aliquem citandi, testificatio, *il citare in testimonio*, ἐπιμαρτύρησις. *Liv.* 8. 6. Inter fœderum ruptorum testationem ingenti fragore cœli procellam effusam. Respicit ad ea, quæ dixerat *ibid.* 5. *in fin.* Hæcine fœdera Tullus etc. ¶ 3. Et documentum signatum testibus, *certificato, fede. Capitolin. M. Aurel.* 9. Per provincias tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii: ut, si forte aliquis in provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret. *fede di nascita.* ¶ 4. Hinc universim est quodlibet indicium, signum, argumentum, quo res quæpiam probatur. *Florentin. Dig.* 28. 1. 24. Unum testamentum pluribus exemplis consignare, interdum necessarium est, si forte navigaturus et secum ferre et relinquere judiciorum suorum testationem velit.

TESTĀTĬUM. *V.* TESTACEUM.

TESTĀTO. *V.* TESTATUS.

TESTĀTOR, ōris, m. 3. (testor) ¶ 1. Est qui testimonium dicit. *Prudent.* 12. *Cathemer.* 85. Hunc et prophetis testibus iisdemque signatoribus Testator et sator jubet Adire regnum et cernere. ¶ 2. Item testamenti conditor, *testatore*, κληροδότης. *Sueton. Ner* 17. Cautum, ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur. *Papinian. Dig.* 28. 3. 17. Voluntas testatoris ex æquo et bono tuebitur. Adde *Lactant.* 4. 20.

TESTĀTRIX, trīcis, f. 3. (testator) quæ testamentum fecit, *testatrice. Cels. Dig.* 31. 1. 30. Ex mediocritate facultatum, quas testatrix reliquit. Adde *Modestin. ibid.* 35. et *Scævol. ibid.* 89. *ad fin.* etc.

TESTĀTUS, a, um, particip. *V* TESTOR.

TESTE. *V.* TESTIS init.

TESTĔUS, a, um, adject. (testa) fictilis, *di terra cotta. Macrob.* 7. *Saturn.* 15. *a med.* Medicinæ ratio est cum testeis terrenisque corporibus. *Id.* 1 *Somn. Scip.* 11. *in fin.* testeum indumentum animi vocat corpus. *Prudent.* 5 περὶ στεφ. 553. Fragmen testeum. *coccio.* et *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 13. 168. Vasculum testeum.

TESTĪCĬUS *vel* testitius, a, um, adject. (testu) ad testu seu testum pertinens. Hinc *testicius panis*, idem ac clibanicius et artopticius. *Cato R. R.* 74. Panem testicium sic facito. Manus mortariumque bene lavato. Farinam in mortarium indito, aquæ paullatim addito subigitoque pulcre: ubi bene subegeris, defingito coquitoque sub testu. Ita leg. *Schneider*, usus lectione editionum principum; vulgatam enim lectionem *depsiticium* vel *depsticium* ineptam putat (quæ tamen defenditur et probatur in *Bullett. archeol. a.* 1838. p. 168.), quia omnis farina in panem depsitur adeoque omnis panis esset *depsticius*; sed qui sub testu coquitur, recte dicitur *testicius*, diversus a *furnaceo*, quo quidem melior est, utpote magis coctus, uti docet *Galen. De alim. facult. l.* 1. *c.* 2. *ad fin.* Confer locum *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 28. Quamquam etiam *testuacium* recte legeretur, ita enim *Varro* vocat.

TESTĪCŬLĀRĬA est titulus comœdiæ *Nævii* apud *Priscian.* 10. p. 890. *Putsch.*

TESTĪCŬLĀTA, æ, f. 1. et

TESTĪCŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* TESTICULOR.

TESTĪCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *V.* voc. seq.

TESTĪCŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Testiculo, as, avi* etc., forma activa, apud *Petron. Sat.* 38. Arietes a Tarento emit et testiculavit in gregem. Alii tamen aliter leg. V. *Buecheleri* adnot. — Testiculor duo diversa significat.

*A)* Testiculor, a *testiculus*, cujus Part. *Testiculatus*: est, ut docet *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 366. 6. *Müll.*, jumentis maribus feminas vel mares feminis admoveo: licet alii dicant *testilor* pro *testiculor.* — Hinc Part. præter.

*Testiculatus, a, um,* adjectivorum more usurpatur et est testiculis præditus. *Veget.* 6. *Veterin.* 7. 2. Omnibus prope mensibus equis tam spadonibus, quam testiculatis, minuendus est sanguis. — *Testiculata*, absolute, dicitur herba quæ et mercurialis et orchion, quia, ut ait *Apul. Herb.* 82., veluti testiculis binis parvis circa exordium est ornata

*B)* Testiculor, a *testis*, per jocum dictum pro testor, testes cito, quidam leg. apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 193.; sed multo plures illum versum, ut insiticium ac spurium, rejiciunt.

TESTĪCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* testis, parvus testis, ὀρχίδιον, ὄρχις (It. *testicolo*; Fr. *testicule*; Hisp. *testiculo*; Germ. *die Hode*; Angl. *a testicle*). Speciatim *testiculi*, δίδυμοι, sunt duo globuli uno scroto comprehensi, in quibus semen masculi animalis elaboratur. Hi et *testes* et *colei* dicuntur a *Cels.* 7. 18.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Herenn.* 20. 3. Medico testiculos arietinos tenens. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 80. (261). Testiculi equini. Adde *Juvenal.* 6. 339. et *Martial.* 3. 24. *Comment. Eins.* in *Donat.* p. 216. 16. *Hag.* Testiculi et testones idem sunt.

II.) Improprie *testiculus leporinus* a similitudine dicta est herba, quæ alio nomine *satyrion* appellatur. *Apul. Herb.* 15.

III.) Translate. *Pers.* 1. 103. Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis?

TESTĬFĬCANS, antis, particip. *V.* TESTIFICOR.

TESTĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (testificor) probatio per testes, testatio, præsertim quæ fit per tabulas cum subscriptione testium, ut in TESTATIO dictum est (It. *deposizione de' testimoni, attestazione*; Fr. *action de déposer, déposition, attestation*; Hisp. *deposicion, atestiguacion*; Germ. *das Zeugensagen*; Angl. *an attestation or declaration by witness*). ¶ 1. Abstractorum more. — 1.°) Stricte. *Cic.* 7. *Verr.* 39. *a med.* Iste in tabulas refert: obsignat signis amicorum, ut, si quando opus esset, hac testificatione uteretur. *Id.* 6. *ibid.* 42. 92. Rei testificatio tolleretur. — Et in plur. num. *Id. Brut.* 80. 217. Sese chirographa, testificationes, indicia, quæstiones, manifestam rem deferre. Adde *Mur.* 24. 49. — 2.°) Universe — *a*) Est quævis declaratio, indicium, testimonium, *testimonianza. Id.* 1. *Fam.* 1. Egit causam tuam cum summa testificatione tuorum in se officiorum et amoris erga te sui. *Id.* 9. *Phil.* 6. *in fin.* His honoribus habitis Ser. Sulpicio, repudiatæ ab Antonio legationis manebit testificatio sempiterna. — *b*) Item martyrium seu passio. *Paulin. Nol. ep.* 31. *n.* 5. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu *testificatio* sunt tabulæ decalogi. *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 16. Ponesque in arca testificationem, quam dabo tibi. Cf. TESTIMONIUM.

TESTĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. (testificor) qui testificatur, sive testimonium dicit. *Gloss. Isid.* Vepra, callidus testificator, diversipellis.

TESTĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *et*

TESTĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *V.* voc. seq.

TESTĬFĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (testis et facio) *Testifico, as* etc., activa forma, in *Inscr.* in *Corp. Inscr Lat.* 4. 2445. et *Commodian. Instr.* 1. *præf.* 7. — Part. *Testificans* I. 3.; *Testificatus* fere in omn. paragr.; *Testificandus* II. — Testificor est testimonium dico, testis sum, testor, μαρτυρέω (It. *far testimonianza, essere testimonio*; Fr. *faire une déposition, déposer, témoigner*; Hisp. *deponer, testificar*; Germ. *als Zeuge aussagen, Zeugniss ablegen*; Angl *to bear witness, testify*).

I.) Active. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accus. *Cic.* 7. *Verr. in fin.* Hæc quum maxime testificaretur, in vincula conjectus est. — *b*) Cum Infinito. *Cic. Quinct.* 6. 25. Testificantur isti, P. Quinctium non stitisse, se stitisse. *Id.* 6. *Phil.* 3. 5. Testificor, denuncio, ante prædico, M. Antonium nihil eorum facturum. *Id.* 2. *Orat.* 55. 224. Testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse. — *c*) Cum partic. relativa. *Id.* 5. *Tusc.* 11. 33. Testificaris quid dixerim. — *d*) Absolute. *Cic. Cæcin.* 16. 45. Siquos armatos conspexissent, ut statim testificati discederent. ¶ 2. Speciatim *testificari aliquem*, testem vocare, *chiamare in testimonio. Cœl.* ad *Cic. post ep.* 9. *l.* 10. *ad Att.* Deos hominesque amicitiamque nostram testificor, me tibi prædixisse. *Ovid. Heroid.* 20. 160. Ille homines, hæc est testificata deam. *Id.* 5. *Fast.* 250. Et Stygiæ numen testificatur aquæ. *Id. Heroid.* 21. 133. Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris Linguaque præsentem testificata deam? ¶ 3. Item confirmare, profiteri, *asserire, affermare, attestare, protestare.* — *a*) Cum Acc. *Cic.* 8. *Att.* 1. Ut

in urbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam. *h. e.* palam ostendebam. *Tac.* 15. *Att.* 36. Testificatus edicto non longam sui absentiam. *protestatosi.* et *Sueton. Galb.* 9. Civem R. se testificans. *Ovid.* 2. *Fast.* 301. Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti Moris et antiquas testificantur opes. *h. e.* demonstrant, quales fuerint priscorum opes. *Id.* 1. *Amor.* 8. 93. Quum te deficient poscendi munera causæ, Natalem libo testificare tuum. *h. e.* assere, affirma et libo parando confirma. *Id.* 1. *Fast.* 39. posteritas puppim servavit in ære, Hospitis adventum testificata dei. *h. e.* ostendens se pro certo habere. — Cum Ablat. et præp. *de. Vulg. interpr. Act.* 23. 11. — *b*) Cum Infinito. *Cic. Orat.* 10. *ad fin.* Testificor, me a te rogatum et recusantem, hæc scribere esse ausum. *Ovid.* 2. *Art. am.* 269. turdoque licet missaque columba, Te memorem dominæ testificere tuæ. *Tac.* 14. *Ann.* 12. *a med.* Quo, matre demota, auctam lenitatem suam testificaretur. *per far vedere, che* etc.

II.) Passive est testimonio firmari, probari, notum et manifestum fieri, *attestarsi, provarsi, rendersi noto o manifesto. Cic.* 1. *Att.* 17. *a med.* Mihi nota fuit et abs te aliquando testificata tua voluntas omittendæ provinciæ. *Ovid.* 3. *Fast.* 326. Mira sed in scæna testificata loquar. *Cic.* 2. *Fam.* 4. *extr.* Hoc non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei. *per attestare. Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 1343. PIETATIS TESTIFICANDAE GRATIA.

TESTĬLOR, aris, ari, dep. 1. (testis) idem ac testicular, ut docet *Paul. Diac. p.* 366. 6. *Müll.* V. in TESTICULOR.

TESTĬMŌNĬĀLIS, e, adject. (testimonium) ad testimonium pertinens. *Tertull. advers. Psych.* 16. *ad fin.* Admitto testimonialem comparationem. *h. e.* quæ pro testimonio est. — *Testimoniales litteræ,* quæ de aliquo testimonium præbent. *Fragm. jur. civ. antejust.* (edente *A. Maio*) *p.* 57. Qui in foro suario negotiantur, habent excusationem litteris allatis a præfecto Urbis testimonialibus negotiationis. — Hinc

*Testimoniales, ium, f.* plur. 3. absolute, substantivorum more, h. e. litteræ qui testimonium perhibent, *testimoniali. Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 7. 20. 12. Plerique testimonialibus fraude quæsitis fiunt veterani. *h. e.* litteris testimonium habentibus honestæ missionis. Adde *ibid.* 21. 4. *Veget.* 2. *Milit.* 3. Contubernales, completis stipendiis, per testimoniales dimissi.

TESTĬMŌNĬUM, ii, n. 2. (testis) *Testumonium* pro *testimonium* in *fragm.* legis antiquæ in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 197. *l.* 3. Cf. *maxumus, æstumo* etc. pro *maximus, æstimo* etc. Item *testemonium* in alia *ibid.* 5. 6372. — *Testimonius* masc. gen. in *Inscr.* apud *Wilmans n.* 2047. AD PERENNEM TESTIMONIVM. — Testimonium est id, quod a teste dicitur rei cuipiam affirmandæ, testatio, testificatio, μαρτυρία (It. *testimonianza, testimonio;* Fr. *témoignage, déposition;* Hisp. *deposicion, atestacion, testimonio;* Germ. *das Zeugniss;* Angl. *a declaracion, testimony*): usurpatur autem de testatione sive ore edita sive scriptis consignata. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 5. 4. 28. duplicem esse ait testimonii modum, manifestum et cæcum: manifestum esse, qui certos testes et præsentes habet: cæcum, in quo multitudinem aut civitatem dicimus scire, ut Cicero: Testis est Sicilia tota (V. *similem loc. Manil.* 11.); quod tamen audientem consternat. Est etiam in cæco jusjurandum, tabulæ absentesque personæ. Hæc *Donatus.* ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) De testatione ore prolata. *Ter. Phorm.* 2. 1. 63. Servum hominem causam orare, leges non sinunt: Neque testimonii dictio est. *Varro* 1. *R. R.* 4. *sub fin.* Vocare aliquem ad testimonium. Sic *Petron. Sat.* 2. Testimonium citare. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Citare in testimonium. *Cæs.* 5. *B. G.* 50. *a med.* Quorum egregiam fuisse virtutem, testimonio Ciceronis cognoverat. *Auct. B. Alex.* 48. Multis signis et testimoniis eorum, qui difficulter odia dissimulant, animadvertere poterat. *Cic. Rosc. Am.* 36. 102. Testimonium dicere in aliquem, in re quipiam. et *ibid.* et *Sull.* 30. 83. de re aliqua. *Id.* 3. *Nat. D.* 34. 83. contra aliquem. *Id. Dom.* 52. 132. Cui senatus testimonium hujus urbis atque imperii conservati dedit. *Quintil.* 11. 1. *sub fin.* et *Plin.* 6. *Ep.* 22. *ad fin.* Testimonium alicui reddere. *Colum.* 3. *R. R.* 9. *a med.* cujuspiam rei perhibere alicui. *Modestin. Dig.* 48. 10. 27. falsum præbere. *Cic.* 5. *Fam.* 12. *a med.* Ut mihi non solum præconium, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. *Id. Rosc. Am.* 35. 101. et 3. *Verr.* 5. 14. Dicere aliquid pro testimonio. *Id. Rosc. Com.* 15. 44. Firmissimis et sanctissimis testimoniis causa communita est. *Id.* 5. *Fam.* 17. Publio tuo neque opera neque consilio neque labore neque gratiâ neque testimonio defui. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 17. *sub fin.* Amicum eum reipublicæ cognosse videor: libenterque ei sum testimonio et omnibus ero, qui bene merentur. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *ad fin.* Lædere aliquem testimonio. *Phædr.* 1. 17. Ovis damnata falso testimonio, Quod non debebat, solvit. — *b*) Sæpe de testatione scriptis consignata, et est dictum testis absentis, quod relatum in tabulas et subsignatum profertur in causa apud judicem aut alium quempiam, *deposizione in iscritto, attestazione, attestato. Callistrat. Dig.* 22. 5. 3. Divus Hadrianus proconsuli rescripsit, testibus se, non testimoniis, crediturum. Verba epistolæ hæc sunt: Quod crimina objiciebat apud me Alexander Apro et non probabat, nec testes producebat, sed testimoniis uti volebat, quibus apud me locus non est. Sabino quoque in hæc verba idem princeps rescripsit: alia est auctoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent. *Cic. Mil.* 17. 46. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius etc. *Liv.* 39. 8. *sub fin.* Falsi testes, falsa signa testimoniaque et indicia, ex eadem officina exibant. *Nepos Lysand.* 4. Petit a Pharnabazo, ut ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *a med.* Industriam, fidem, constantiam alicujus plenissimo testimonio comprobare. *Id.* 7. *Ep.* 33. Factum alicujus ornare testimonio. et 10. *Ep.* 17. Prosequi aliquem libenter testimonio apud quempiam. ¶ 2. Latius etiam accipitur pro omni eo, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem, indicio, argumento, *prova, argomento, indizio, fede,* τεκμήριον. Hoc interest (inquit *Cic.* 4. *Herenn.* 3. *ad fin.*) inter exemplum et testimonium, quod illo demonstratur, id, quod dicimus, cujusmodi sit: hoc, esse illud ita, ut nos dicimus, confirmatur. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Ejus rei testimonium esse, quod nisi rogatus, non venerit. et 5. *ibid.* 28. Res est testimonio, quod etc. *il fatto serve di prova.* et *Cic. Partit.* 2. 6. Testimoniorum genera, divinum et humanum. divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes et responsa sacerdotum, haruspicum, conjectorum. humanum, quod spectatur ex auctoritate et ex voluntate et ex oratione, aut libera aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, promissa, jurata, quæsita. *Id.* 3. *Legg.* 1. 1. Gaudeo, quod te interpellavi, quandoquidem tam præclarum mihi dedisti judicii tui testimonium. *Id. Cæcin.* 18. 52. et *Rosc. Com.* 4. 11. Ejus rei ipsa verba formulæ testimonio sunt. *Id.* 2. *Herenn.* 19. 28. Cui rei mors indigna Palamedis testimonium dat. *Cæs.* 2. *B. C.* 53. Quum laboris sui periculique testimonium afferre vellent, milia sagittarum circiter XXX. in castellum conjecta, Cæsari renumeraverunt. *Nepos Epam.* 4. *ad fin.* Abstinentiæ hoc satis erit testimonium. *Id. Timoth.* 4. Timothei autem moderatæ sapientisque vitæ complura possumus proferre testimonia. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (114). Augustus carmina Virgilii cremari vetuit: majusque ita vati testimonium contigit, quam si ipse sua probavisset. *Vellej.* 2. 116. 2. Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filii contulit. Adde *Caj. Dig.* 3. 1. 25. — In *Cod. Theod.* 6. 22. 1. est suffragatio, judicium. ¶ 3. Item alicujus voluntas expressa seu præceptum, institutum. *Vulgat. interpr. Ps.* 118. 2. Beati qui scrutantur testimonia ejus. *h. e.* Dei præcepta seu legem. et *Ps.* 121. 4. Testimonium Israel. — Hinc translate est liber, quo lex scripta est. *Id.* 4. *Reg.* 11. 12. et 2. *Par.* 23. 11.; itemque tabulæ lapideæ legis. *Id. Exod.* 40. 18. — *Arca testimonii* dicta, quæ testimonium hoc contineret, *ibid.* 31. 7. ¶ 4. *Testimonium quod quattuor constat viris,* est Evangelium, apud *Poet.* in *Anthol. Lat. n.* 928. 53. *Riese.* ¶ 5. Sumitur etiam pro suffragio seu adjumento. *Firmic.* 4. *Mathes.* 5. Sine aliquo bonæ stellæ testimonio. *Id.* 3. *ibid.* 9. Bonum testimonium alicui commodare. — Et in malam partem. *Id.* 8. *ibid.* 30. Si Mars ei testimonium præbuerit, erunt in prima ætate captivi et servi.

TESTIS, is, 3. Recentiores hanc voc. conjungere conantur cum rad. Skr. *tars,* retineo, defendo, r ante sibilantem extrito. Quidquid sit de etymo, testis duo diversa significat.

*A*) *Testis, is,* m. et f., pro quo et *Teste, is,* n. apud *Alcim.* 6. 576. et *Augustin. Serm.* 57. *n.* 3. ed. *Mai.*, est qui testimonium dicit sive in judicio sive extra: item qui præsens adest alicui rei eamque testificari potest, μάρτυρ (It. *testimonio;* Fr. *celui ou celle qui témoigne, témoin;* Hisp. *testigo;* Germ. *der Zeuge, die Zeugin;* Angl. *testifier*). ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Universim. *Plaut. Truc.* 2. 6. 8. Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. *Ter. Adelph.* 2. 1. 49. Ubi me dixero dare tanti, testes faciet illico, Vendidisse me. *Cic.* 2. *Phil.* 4. 8. Si negem, quo me teste convinces? *Id. Fontej.* 3. 6. Satis idonei testes et conscii. *Id. post redit. ad Quirit.* 6. *extr.* Rerum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt. *Id. Fontej.* 6. 11. Testes cupidi et conjurati et ab religione remoti. *Id. Partit.* 34. 117. obscuri aut tenues. *Id.* 4. *Fin.* 21. 71. incorrupti atque integri. *Id. Brut.* 93. *ad fin.* Ab inferis locupletissimos testes excitare. *Id. Vatin.* 1. 1. Testis religiosus. *Id. Quinct.* 23. *a med.* Testes dare in aliquam rem graves aut leves. *Id.* 1. *Fam.* 7. Nemini possum aut studii erga te aut officii aut amici animi esse testis. *Id. Prov. cons.* 18. 43. Pompejus idem mihi testis de voluntate Cæsaris et sponsor est illi de mea. *Id.* 3. *Verr.* 14. 36. Satis multos testes in hanc rem reliquos esse. *Id.* 3. *Fam.* 10. *circa med.* In eo me non perseverasse, testes sunt rationes civitatum. et 5. *ibid.* 5. Meus in te animus quam singulari officio fuerit, populus R. testis est. *Ascon. in* 1. *Verr. in fin.* Testes inducere. et *ibid.* producere. *Liv.* 3. 71. edere. *Cic. Balb.* 18. 41. proferre. *Id.* 2. *Fin.* 21. 67. adhibere. *Id.* 1. *Verr.* 18. 55. constituere. et *mox.* accommodare. et 4. *ibid.* 59. *ad fin.* citare in aliquam rem. et 1. *ibid.* 18. 55. Testibus uti. et *Rosc. Com.* 15. 45. Testis fidem infirmare. *Ovid.* 5. *Fast.* 683. Facere aliquem testem. *h. e.* citare, quod dixit *Phædr.* 1. 17. — *b*) Cum femini et neutr. gen. nominibus. *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 50. Atque incorruptæ pondera testis habet. *Virg.* 9. *Æn.* 289. nox et tua testis Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis. *Seneca Octav.* 76. Nutrix testis nostri fida doloris. *Sueton. Claud.* 40. Inducta teste in senatu, hæc, inquit etc. *Propert.* 2. 7. 91. Sidera sunt testes et matutina pruina. *Ovid.* 4. *Fast.* 885. Stat mihi non parvo virtus mea. vulnera testes Armaque quæ sparsi sanguine sæpe meo. — *c*) *Teste,* neutr. generis, apud *Alcim. loc. cit.* Cælum teste vocat (*Susanna*) famamque recusat inanem Judicio contenta suo. Sic *Augustin. loc. cit.* Teste est cælum super me, quia sine causa adpetisti me. — Ex jure civili testes quinque in testamentis faciendis necessario aderant; septem vero ex jure prætorio, ut habet *Imp. Justinian.* 2. *Institut.* 10.; at in testamentis holographis, ut statuerunt *Impp. Theodos.* et *Valentinian. Novell.* 4., nullius testis est necessitas. Ceterum de hac re *V.* adnot. *Huschkii* ad *Inscr. n.* 4358.[a], *Orelli* et *Gothofred.* ad *Cod. Theod.* 4. 4. 1., *Savigny Hist. du droit R. T.* 2. *p.* 190. et *Marini Pap. dipl. n.* 74. coll. 5. *lin.* 8. Cf. etiam *Caj. epit. instit.* 6. § 3. et *Instit.* 1. § 119. *Goesch.* et *ibid.* 2. § 104. et *Ulp. Regular.* 28.

§ 6. ¶ 2. Latiore sensu apud scriptores Ecclesiasticos *testis* est martyr: Gr. enim μάρτυρ idem ac testis. *Paulin. Nolan.* in *Natal. XIII. S. Steph.* 13. 85. ¶ 3. Item spectator, *presente, spettatore*, qui præsens adest et oculis suis cernit. *Ovid.* 3. *Art. am.* 397. ignoti nulla cupido: Fructus abest, facies quum bona teste caret. *Lucan.* 9. 886 puduitque gementem, Illo teste mori. *Juvenal.* 6. 310. ac luna teste moventur. *Auct. Priap.* 2. Ludens hæc ego teste te, Priape, Scripsi non nimium laboriose.

*B) Testis, is*, m. idem ac testiculus. V. *Phædr. loc.* infra *cit.* — *a*) In sing. num. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 80. (261). Dexter asini testis in vino potus. — *b*) In plur. num. *Id.* 11. *ibid.* 49. 110. (263). Testes pecori ad crura decidui. Adde *Lucil.* apud *Non. p.* 235. 5. *Merc.*, *Horat.* 1. *Sat.* 2. et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (63). etc. — *Testibus præsentibus* quippiam facere est palam, aperte. Sed ambigue et jocalariter utitur *Plaut. Curc.* 1. 1. 30. PAL. Semper curato, ne sis intestabilis. PHÆDR. Quid istuc est verbi? PAL. caute ut incedas via: Quod amas, amato testibus præsentibus. *h. e.* testiculis non privatus. *V.* INTESTABILIS. Similiter *Auct. Priap.* 15. *extr.* Magnis testibus ista res agetur. Nam *testiculi*, ὄρχεις, integritatis, ut ait *Phædr.* 3. 11., testes sunt.

TESTITUDO, inis, f. 3. (testis) idem ac testatio. Vox a Lexico expungenda, occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 52. Obtestatur, testitudo. *Kopp* legend. putat *testudo*.

TESTĬTRĀHUS, a, um, adject. (testis *et* traho) qui testes, *h. e.* testiculos, trahit: occurrit autem ut epitheton arietis, qui ob magnitudinem et pondus testiculorum trahere illos potius videtur, quam sustinere. *Laberius* apud *Tertull. Pall.* 1. Aries reciprocicornis, lanicus, testitrahus. Alii perperam leg. *vestitrahus.* — Huc spectat locus *Lucilii cit.* in TESTIS sub *B.* Ibat forte aries, inquit. Jam quod genu' quantis Testibu'! vix uno filo hosce hærere putares, Pellicula extrema exaptum pendere onus ingens.

TESTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *V.* TESTOR init.

TESTO, ōnis, m. 3. *V.* TESTICULUS sub I.

TESTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (testis) Etiam *testo, as* etc., forma activa, vetustissimi dixere, inquit *Priscian.* 8. *p.* 797. *Putsch.*; hinc *testavi* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 3273. — *Testarier*, paragoge pro *testari*, in XII. Tab. 8. 22. *Schoell.* apud *Gell.* 15. 13. — Part. *Testans* I. 1. 2.° *a* et *c* et 3.; *Testatus* in omn. par. et in fin.; *Testandus* I. 1. 3.° — Testor est testis sum, testificor, testimonio dato ostendo, μαρτυρέω (It. *testificare, fare testimonianza, essere testimonio*; Fr. *être témoin, faire une déposition;* Hisp. *testificar, atestiguar, deponer;* Germ. *Zeuge sein, bezeugen;* Angl. *to testify, attest*).

¶ 1. Generatim. — 1.°) Stricto sensu. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 11. Confiteor. testere licet. signate Quirites. *Quintil.* 11. 3. 172. Quasi inclamaret aut testaretur. Adde *Cod. Theod.* 9. 19. 2. — Huc pertinet illud *ejusd. ibid.* 42. 24. Testatis sceleribus involutus. Ubi *testari* est, ut ait *Cajus* 1. 29., adhibitis testibus declarare. — 2.°) Latiore sensu est ostendo, significo, doceo, *mostrare, far conoscere, dichiarare.* — *a*) Cum Acc. *Sall.* in *epist. Mithridat. ad Arsac.* 5. Sceleris eorum haud ignarus et ea, quæ accidere, testatus antea. *Horat.* 2. *Od.* 1. 29. Latino sanguine pinguior Campus sepulcris impia prœlia Testatur. *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 43. Carmina jure damus raros testantia mores. *Propert.* 3. 5. 51. Agamemnonias testantia litora curas. *Ovid.* 2. *Met.* 486. Assiduoque suos gemitu testata dolores. *h. e.* quæ testimonio ostendit et probavit. *Horat.* 1. *Od.* 28. 10. habentque Tartara Panthoiden, iterum Orco Demissum, quamvis clipeo Trojana refixo Tempora testatus etc. V. *Ovid.* 15. *Met.* a *v.* 161., ex quo locus hic *Horatii* explicatur. — *Testata sigilla* in *Inscr.* apud *Orelli n.* 4092. CAVSA TESTATIS SIGNATA SIGILLIS CIVIVM ROMANOR. SEPTEM h. e. *causa contestata da sette cittadini Romani che vi apposero il loro sigillo.* — Passive. *Liv.* 34. 41. Testata quoque ipso Nemeorum die voce præconis libertas est Argivorum. *pubblicata e confermata.* — Et impersonaliter. *Quintil.* 8. *procem. a med.* Ut Græco verbo testatum est. *Plin.* 4. *Ep.* 21. Patrem illarum defunctum quoque perseverantissime diligo, ut actione mea librisque testatum est. — *b*) Cum Conjunctivo et partic. *ut*. Tab. cer. apud *Massman.* Publice testantur, ut si quis etc. — *c*) Cum Infinito. *Quintil.* 6. *procem.* Nullam terras despicere providentiam, tester? Cf. *Ovid.* 14. *Met.* 306. nec verba locuti Ulla priora sumus, quam nos testantia gratos. — *d*) Cum partic. relativa. *Liv.* 25. 10. Benigne allocutus Tarentinos testatusque, quæ præstitisset civibus eorum etc. — *e*) Absolute. *Tibull.* 4. 1. 10. Ut puro testantur sidera cælo. — 3.°) Et universim, affirmo, profiteor, *affermare, protestare.* *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Nunc illa testabor, non me sortilegos neque eos, qui quæstus causa hariolentur, ne psychomantia quidem agnoscere. *Id. Mur.* 37. 78. Ego quod facio, me pacis, concordiæ, salutis omnium causa facere, clamo atque testor. — Passive. *Id. Orat.* 68. 227. Numerus autem (sæpe enim hoc testandum est) non modo non poetice junctus etc. ¶ 2. Speciatim est testes invoco, adhibeo, *chiamare in testimonio.* — *a*) Cum Acc. *Plaut. Rud.* 5. 2. 51. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi. *Cic. Cluent.* 68. *ad fin.* Sceleratas ejus preces et nefaria vota cognovimus, quibus illa etiam deos immortales de suo scelere testatur. *Virg.* 2. *Æn.* 154. Vos, æterni, ignes et non violabile vestrum Testor numen. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 66. Lucretia testata cives, se ipsa interemit. *Virg.* 12. *Æn.* 496. Multa Jovem et læsi testatus fœderis aram. *Propert.* 2. 1. 37. Theseus Infernis, Superis testatur Achilles, Hic Ixioniden, ille Menœtiaden. — *b*) Cum addito Infinito. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 2. Testor omnes deos, me hac una voce a morte esse revocatum. *giuro.* et *Ovid.* 5. *Met.* 44. testatus jusque fidemque Hospitiique deos, ea, se prohibente, moveri. — *c*) Cum duplici Acc. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 26. Id testor deos. *Cic. Sull.* 12. 35. Hoc vos testor. ¶ 3. Item testamentum facere, *far testamento, testare*, διατίθημι. *Cic.* 2. *Invent.* 21. 62. Nostra est pecunia, de qua is, cujus agnati sumus, testatus non est. *et mox.* Possit ne quisquam de filii pupilli re testari. *Liv.* 1. 34. Quum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decessisset. *Quintil.* 7. 6. *ad fin.* Quis dubitaret, quin ea voluntas fuisset testantis, ut is non nato filio heres esset etc.? Adde *Cod. Theod.* 16. 7. 1., *Ulp.* 22. 4. 12. etc. *Id. Dig.* 38. 16. 1. Intestati appellantur, qui quum possent testamentum facere, testati non sunt. — *Testatæ tabulæ*, passive, apud *Catull.* 68. 122. sunt tabulæ testamenti. — Hinc Part. præter., cujus exempla retulimus

*Testatus, a, um*, etiam adjective usurpatur; unde Comp. *Testatior* et Sup. *Testatissimus.* — Testatus est ab omnibus cognitus, receptus, admissus, confessus, indubitatus, exploratus: quasi omnes vulgo testes de eo sint, *certo, conosciuto, manifesto, provato.* *Cic.* 2. *Verr.* 16. 48. Ejusmodi res ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam, ut etc. *Id.* 11. *Fam.* 27. *a med.* Hæc testata sunt et illustria. *Id.* 4. *Verr.* 76. *sub fin.* Ut res quam maxime clara ac testata esse posset. *Ovid.* 9. *Met.* 277. Herculis testatos orbe labores referre. *Cic. Cœl.* 27. 64. Ut res multorum oculis esset testatior. *Nepos Alcib.* 4. *a med.* Ejus devotionis quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum. *Auct.* 8. *B. G.* 42. Quo notior testatiorque virtus ejus esset. *et Inscr.* apud *Henzen n.* 7169. Testatior erga eum adfectus. *Augustin.* 8. *Confess.* 6. Testatissima mirabilia. — *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130). Cerebro ursi veneficium inesse Hispaniæ credunt, testato, quoniam potum in ursinam rabiem agat. *h. e.* quum testatum sit et vulgo certum.

*Testato*, adverbii ritu. ¶ 1. Est coram testibus, *alla presenza di testimoni.* *Scævola Dig.* 45. 1. 122. *a med.* Quum coheres tutores sæpius testato convenerit. *Ulp. ibid.* 15. 4. 1. Jussum accipiendum est, sive testato quis, sive per epistolam, sive verbis aut per nuntium jusserit. *Id. ibid.* 18. 6. 1. *a med.* Testato denuntiare emptori, ut etc. *Apul. De mag.* Quas tamen litteras tabulario publico præsente et contrascribente Æmiliano, testato descripsimus. ¶ 2. Est facto testamento. *Paul. Dig.* 49. 14. 45. Bona eorum, qui in custodia decesserunt, heredibus eorum non auferuntur, sive testato sive intestato decesserint.

Homonym. Hoc differunt *testor, contestor* et *obtestor*, quod, uti docet *Isid.* 1. *Diff. n.* 561., *testor* sæpenumero ad jusjurandum pertinet, ut Virgilius per sidera testor: *contestor* ad judices: *obtestor* ad adversarios. Cf. etiam *Auct. De disson. serm. p.* CXXXIII. 11. *Hag.*

TESTU n. indecl. et Testum, i, n. 2. operculum fictile ad tegenda vasa culinaria, *coperchio di terra cotta:* fortasse a *tostus* particip. v. *torreo.* Cf. TESTA.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 74. *et* 75. In foco caldo sub testu coquito leniter. *et ibid.* 76. Unguito focum ubi coquas, calfacito bene et testum. *et ibid.* Testo caldo operito. *et ibid.* 84. Omnia in catinum indito: catinum testu operito. Adde *Varron. loc.* in voc. seq. *Ovid.* 5. *Fast.* 509. Stant calices. minor inde fabas, olus alter habebant Et fumant testu pressus uterque suo. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 39. (114). Fimo ovium sub testo calefacto. Ita *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS.

II.) Improprie, de vase non fictili. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (81). Ranarum corda sub æreo testo discoxere.

III.) Tropice. ¶ 1. Est vas ipsum fictile, *vaso di terra cotta, testo.* *Petron. Sat.* 136. *a med.* Animadverto Enotheam cum testu ignis pleno venientem. *Ovid.* 2. *Fast.* 645. Ara fit. huc ignem curto fert rustica testu. Adde *Mummium* et *Afran.* apud *Charis.* 1. *p.* 118. *Putsch.* V. voc. sequent. ¶ 2. Et etiam universim ipsa materia fictilis, testa. *Sulpic. Sever.* 2. *Hist.* 2. *de statua Nabuchod. in fin.* Sed ferrum atque testum inter se confusum coire non poterat. — *NB.* Omnibus adlatis loc. alii leg. *testo* pro *testu:* quidam alicubi *testa.* Sunt etiam qui *testus, us*, faciunt mascul. gen., sed nullo, quod sciam, auctore, inquit *Forcellinus.* Cf. *Georges Lex. Lat. Wortf. p.* 680.

TESTŬĀCĬUM *vel* testuatium, ii, n. 2. (testu) panis genus, quod in testa coquebatur, κλιβανίτης ἄρτος. *Varro* 5. *L. L.* 107. *Müll.* Libum, quod libaretur, prius quam essent (*h. e.* comederent) coctum: testuatium, quod in testu caldo coquebatur, ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ.

TESTŬĀTĬUM. *V.* voc. præc.

TESTŪDĬNĀTUS. *V.* voc. seq.

TESTŪDĬNĔĀTUS *et sæpius* testudinatus, a, um, adject. (testudo) fornicatus, concameratus et incurvus testudinis more, *fatto in forma di testuggine o a volta*, καμαρωτός. *Varro* 5. *L. L.* 161. *Müll.* Fornix testudinatus. Aliter *Müllerus.* et *Vitruv.* 2. 1. *circa med.* Efficiunt barbarico more testudinata turrium tecta. *Id.* 6. 3. Cavædium testudinatum. *V.* CAVÆDIUM. *Colum.* 12. *R. R.* 15. Crates pastorales culmo textæ erigantur et inter se acclive testudineato tecto more tuguriorum, ficum a rore defendant. *Fest. p.* 213. 7. *Müll.* Pectenatum tectum dicitur a similitudine pectinis in duas partes devexum, ut testudinatum in quattuor.

TESTŪDĬNĔUS, a, um, adject. (testudo) ex testudinis tegumento factus, *di tartaruga*, χελώνειος. *Propert.* 4. 6. 32. Aut testudineæ carmen inerme lyræ. *V.* voc. seq. (Adde *Tibull.* 4. 2. 22.) *Martial.* 9. 60. Testudineum hexaclinon. *h. e.* sectis testudinum tergoribus ornatum. Sic *Juvenal.* 6. 80. conopeum. Adde *Seren. Sammon. c.* 8. — *Testudineus gradus*, per similitudinem, de gradu valde lento. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 9. Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum, Testudineum istum tibi ego grandibo gradum. — Hinc absolute apud *Javolen. Dig.* 33. 1. 68. *extr.* Cui testudinea legata essent, ei lectos testudineos pedibus inargentatos deberi.

TESTŪDO, inis, f. 3. *Isid.* 12. *Orig.* 6. 56.

a *testa* derivat « eo quod tegmine testæ sit adopertus in cameræ modum ». Ubi vox hæc in genere masculino *Isid.* videtur usurpasse, quamquam mox femininam adhibet. — Testudo est animal ex genere amphibiorum, fœdissimum et pigerrimum, ut ait *Seneca* 7. *Benef.* 9., testa prædura contectum (unde nomen), quadrupes, tardigradum, caudatum, capite brevi, cervice anguina, adspectu truci, ut ait *Pacuv.* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133., χέλυς, χελώνη (It. *tartaruga, testuggine*; Fr. *tortue*; Hisp. *tortuga*; Germ. *die Schildkröte*; Angl. *a tortoise*). Multa de his *Plin.* 9. *Hist. nat.* 11. 12., ubi tradit marinas in India tantæ magnitudinis esse, ut singularum superficie habitabiles casas integant et cymbas faciant. *Id.* 32. *ibid.* 4. 14. earum genera esse ait quattuor, terrestre, marinum, lutarium et fluviatile: persequiturque plurimas ex omnibus utilitates in medicina. Meminit etiam *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 124. *et* 52. 129. et *Isid. loc. cit.* quattuor testudinum genera describit.

I.) Proprie. *Liv.* 36. 32. *a med.* Testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse: ubi exserit partes aliquas, quodcumque nudavit, obnoxium atque infirmum habere. *Phædr.* 2. 6. Testudo quum abdidisset corneâ corpus domo. *Seneca Ep.* 121. *circa med.* Supinata testudo inquieta est desiderio naturalis status: nec ante desinit niti, quatere se, quam in pedes constitit. — Testudinum putamina secare in laminas lectosque et repositoria his vestire, Carvilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii, inquit *Plin.* 9. *Hist. nat.* 11. 13. (39). Hinc *Martial.* 12. 66. Gemmantes prima fulgent testudine lecti. *Virg.* 2. *G.* 463. Nec varios inhiant pulcra testudine postes. *Ovid.* 2. *Met.* 737. Pars secreta domus ebore et testudine cultos Tres habuit thalamos. Adde *Lucan.* 10. 120. et *Juvenal.* 11. 94. *et* 14. 308. — *Testudo volat,* proverb. apud *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 352., pro quo nos dicimus *l'asino vola.* — Adde *Sympos. Ænigm.* 20. *de testudine.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim usurpatur de quovis tegumento, testa, crusta. *Martial.* 13. 86, cujus lemma *Echinus.* Iste licet digitos testudine pungat acuta, Cortice deposito mollis echinus erit. *Augustin. Serm.* 105. *n.* 7. Ovum testudine tectum est. *guscio.* ¶ 2. Speciatim, per synecdochen, dicitur de organo musico, in quo fides extenduntur, cithara, barbito, *cetera, violino, liuto.* V. dicta in CHELYS. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. *ad fin.* Quocirca et in fidibus testudine resonatur aut cornu. *Virg.* 4. *G.* 464. cava solans ægrum testudine amorem. *Ovid.* 3. *Art. am.* 147. testudo Cyllenes. *Horat.* 4. *Od.* 3. 17. O testudinis aureæ Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas. *Id. Art. P.* 394. Dictus et Amphion Saxa movere sono testudinis. *Val. Flacc.* 1. 277. Thracius hic noctem dulci testudine vates Extrahit. *et ibid.* 187. Orpheus testudine blandus. Adde *Juvenal.* 6. 380. et *Sil. It.* 11. 290. ¶ 3. Item, in re militari, *testudo* est quum conglobati milites et scuta scutis arcte jungentes, invicem se protegunt et ingruentia tela defendunt: Græci συνασπισμός dicunt. *Liv.* 34. 39. Sublatis supra capita scutis continuatisque ita inter se, ut non modo ad cæcos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quidquam esset, testudine facta subibant. *Id.* 44. 9. Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. et in fronte extrema et ex lateribus soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora, sed prætenta pugnantium more: ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt et testudini injecta, imbris in modum, lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Testudine facta, portis succedunt murumque subruunt. *Virg.* 9. *Æn.* 505. Accelerant acta pariter testudine Volsci Et fossas implere parant. *et* 514. Ferre libet subter densa testudine casus. *Val. Flacc.* 4. 146. Diversasque simul socios invadere turmas Admonuit. pergunt rupta testudine fusi. *Tac.* 3. *Hist.* 31. Jam legiones in testudinem glomerabantur. *Id.* 13. *Ann.* 39. Quadripartito exercitu, hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit: alios scalas mœnibus admovere. *Id.* 3. *Hist.* 27. Elatis super capita scutis, densa testudine succedunt. *et* 4. *ibid.* 23. Impetu invasere vallum, oppositis plerique scalis, alii per testudinem suorum. scandebantque jam quidam etc. *Tertull. Martyr.* 3. Testudinem densare. *h. e.* densatis scutis, testudinem facere, ut ait *Liv. loc. cit.* V. *Ammian.* 26. 8. *a med.* et *Lips. l.* 1. *Poliorcet. dial.* 5. ¶ 4. Et machina lignea subjectis rotis, in qua suspendebatur aries coriisque crudis aut centonibus ciliciis tegebatur, uti tutiores essent, qui eam muris admovebant: admota autem, aries emittebatur, qui murum subrueret, χελώνη διορυκτίς. Eam, quod tardos habebat conatus, testudinem arietariam dixerunt, ut ait *Vitruv.* 10. 19., vel quia aries modo exserebat caput, more testudinis, modo retrahebat, ut *Veget.* 4. *Milit.* 14.: vel a figura tegumenti, testudinis tergum referente. Porro *Vitruv.* 10. 20. *et* 21. alias describit testudines, quarum item usus in expugnationibus: earumque construendarum rationem tradit. *Cæs.* 3. *B. G.* 42. Turres testudinesque agere et scalis vallum ascendere cœperunt. Adde *ibid.* 50. ¶ 5. Item, in architectura, est locus in ædibus fornice tectus in modum testudinis conformato, *volta a conca:* nam, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 161. *Müll.,* cavum ædium si sub divo est, dicitur impluvium; si fornice testudinato tectum, testudo. Non solum tamen cavum ædium, sed quæcumque camara fornicata ita appellatur. Aliter leg. *Müllerus.* et *Cic. Brut.* 22. *a med.* Omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse. *Varro* 3. *R. R.* 5. Testudo fit magna, in qua milia aliquot turdorum ac merularum includere possint. *et ibid.* 6. Pullos refert in testudinem eam, in qua pavones habet. *Virg.* 1. *Æn.* 509. foribus divæ, media testudine templi, Sæpta armis solioque alte subnixa resedit. *in faccia alla porta, sotto la gran cupola:* vel in medio templi, cujus tectum testudinatum erat. Alii aliter leg. et interpr., sed *V.* quæ hic erudite adnotat *Benoist.* Adde *Sisenn.* apud *Non. p.* 58. 16. *Merc.* — Hinc metaphorice de cavitate palati usurpat *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 932. vis vocis expressa intimo Pulmone et oris torta sub testudine.

TESTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* testa, parva testa vel testæ fragmentum, ὀστράκιον. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *de porris capitatis.* Tum testulæ vel conchæ quasi sedes in singulis subjectæ seminibus adobruuntur, ut fiant capita latioris incrementi. Adde *Marcell. Empir. c.* 29. *p.* 129. *retro.* — Testulis in comitiis Atheniensium ferebantur suffragia. Hinc *testula collabefieri,* apud *Nepot. Arist.* 1. est damnari. Sic *Themist.* 8. Testularum suffragiis e civitate ejectus. *V.* OSTRACISMUS. — Earum usus erat etiam in cruciandis Christianis, ut constat ex *Prudent. Perist.* 5. 65. *et* 72. ¶ 2. Speciatim est lucerna fictilis. *Id.* 5. *Cathemer.* 17. seu cava testula Sucum linteolo suggerit ebrio. Cf. *Virg.* 1. *G.* 391. et *Auson. Cup.* 5. 22. — In illo *Seren.* apud *Diomed.* 3. *p.* 511. *Putsch.* Cede testula trita, Sol occurrit tibi per speculum, Panope. *testula trita,* seu, ut alii leg., *irrita,* nonnulli pro speculo usurpatum dicunt; alii vero cum *Forcellino* ita interpretantur, ut sensus sit: tolle lucernam ardentem, quæ supervacua est, oriente jam sole.

TESTUM. *V.* TESTU.

TET. *V.* TETH.

TETA, æ, f. 1. genus columbi silvestris, fortasse a φάττα, palumbus. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 58. Columbæ, quas vulgus tetas vocat, et non dicuntur Latine, sed multorum auctoritas Latinum facit.

TĔTĂNĬCUS, a, um, adject. τετανικός, ad tetanum pertinens. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. 83. Tetanica passio. Adde *Marcell. Empir. c.* 18. *p.* 111. — Hinc *Tetanicus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, qui tetano laborat. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (124). Cinis fici datur tetanicis et spasticis. *Id.* 26. *ibid.* 12. 81. (130). Peucedani suco perunguntur spastici, tetanici. Adde 32. *ibid.* 10. 41. (120).

TĔTĂNĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

TĔTĂNŎTHRUM, i, n. 2. τετάνωθρον, medicamentum, quo rugæ in cute tolluntur et pellis extenditur, a τετανός, extensus: Latine *tentipellium. Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (73). Ichthyocollam utilem in capitis doloribus affirmant et tetanothris. *Sillig.* tetanis.

TĔTĂNUS, i, m. 2. τέτανος, omnis convulsio et rigiditas corporis vel membrorum: cujusmodi est rigor et immobilitas cervicis, quum spinæ nervi et musculi utrinque ex æquo obriguerunt, ita ut cervicis vertebras neutram in partem flecti permittant, *intirizzimento, ritiramento di nervi, tetano. Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (48). Vinum non est dandum in duritia præcordiorum neque in opisthotono, tetano. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (122). Prodest atrophis, opisthotonis, tetanis. Adde *Cels.* 4. 3., qui Græce utitur, et *Scribon. Compos.* 101. Cf. *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 113. et *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 6.

TĔTARTÆUM, i, n. 2. τεταρταῖον, numerus quaternarius, *quartina. Colum.* 3. *R. R.* 20. Quod indicaverimus eximium genus (*vitium*), id quantæ possumus, multitudinis efficiamus; deinde quod proximum a primo: tum quod est tertiæ notæ vel quartæ quoque: eatenus velut athletarum quodam contenti simus tetartæo. Alii leg. *tetradio,* quod idem significat: τετράδιον et τετραδεῖον, a τετράς, quaternio. *Schneiderus* tamen ex comparatione loci similis ejusd. *Colum. ibid.* 9., quem habes in OLYMPIONICES, pro *athletarum* aut *lectarum,* ut alii leg., recipiendum putat *equarum.*

TĔTARTĒMŎRĬA, æ, f. 1. τεταρτημορία, apud *Capell.* 9. *p.* 315. *et* 324. est brevior toni distantia, quartam ejus partem recipiens, sicut *tritemoria* quæ tertiam.

TĔTARTĒMŎRĬON, ii, n. 2. τεταρτημόριον, quadrans ac speciatim quarta pars zodiaci, hoc est tria signa. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (160). Durat et ea ratio, quam Petosiris ac Necepsos tradiderunt, et tetartemorion appellant. a trium signorum portione, qua posse in Italiæ tracta CXXVI. annos vitæ contingere apparet. *Sillig.* tartemorion; *alii aliter.* et *Hygin. De limit. p.* 173. *Goes.* Quum sol orbem medium conscendit, umbras omnium rerum in hoc nostro tetartemorio meridiano axi facit ordinatas.

TETAVĬUS, ii, m. 2. Legitur apud *Plin. Valer.* 1. 50. *med.* Tetavius vivus cum axungia mixtus et appositus utiliter medetur.

TĒTĒ. *V.* TU.

TĒTER (tæter) tra, trum, adject. Forma *tetrus* pro *teter* improbatur a *Prob. Instit. art. p.* 59. 38. et *Append. p.* 198. 26. *Keil;* reperitur tamen in *Corp. Gloss.* 2. 198. 7. Cf. *Georges Lex. d. Lat. Wortf. p.* 673. — Ad scriptionem et etymon quod attinet, alii aliunde vocem derivant aliterque scribunt. Quidam enim ducunt ab *ater,* ut proprie nigrum ac tenebricosum significet; itaque scribunt sine diphthongo, unde *tetricus* prima fere correpta. Alii a *tædeo,* ut de re dicatur quocumque modo molesta et cujus quemque tædeat; itaque diphthongum adhibent, adstipulantibus *Manut., Dausq., Cellar.,* aliis, qui testes afferunt, præter Virgilium Mediceum, veterem *Inscript.* apud *Gruter.* 658. 10., ubi *tætra ora* scriptum est, quæ tamen *Inscript.* non optimæ est notæ, et in Cod. palimps. *Frontonis* edito iterum ab *A. Maio p.* 162. Utraque scriptio proba est, inquit *Forcellinus;* quamquam *Georges loc. cit.* diphthongum omnino excludit. Sane recentiores hanc voc. ab eadem radice *tem,* unde *tenebræ,* trahunt, *m* ante syllabicam *ter* extrito. — Comp. *Tetrior* et Sup. *Teterrimus* I. et II. — Teter est fœdus, turpis, molestus, gravis, horridus, μιαρός (It. *brutto, increscevole, fastidioso, orrido, tetro;* Fr. *hideux, affreux, horrible, repoussant;* Hisp. *disforme,*

*fastidioso, horrendo;* Germ. *hässlich, garstig;* Angl. *foul, offensive, noisome, horrid*): usurpatur autem tum de personis tum de rebus.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Accius* apud *Non. p.* 136. 24. *Merc.* Vestitus teter. *Lucret.* 2. 509. aliis aliud tetrius esset Naribus, auribus atque oculis orisque sapori. *et ibid.* 420. Aut fœda specie tetri turpesque videntur. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. Angustiis loci, odore tetro et multitudine cadaverum. *Sall. Cat.* 55. Locus tetra, inculta, fœda atque formidolosa. *Lucret.* 4. 172. tetra nimborum nocte coorta. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 17. 41. Tetræ tenebræ et caligo. *Id.* 4. *Tusc.* 20. 45. Tetra et immanis bellua. *Lucret.* 6. 976. nobis cœnum teterrima quum sit Spurcities, eadem subus hæc jucunda videtur. *et ibid.* 21. Tetro sapore conspurcare omnia. *Id.* 1. 934. Tetra absinthia. *amari.* et 2. 412. cadavera. et 5. 993. ulcera. *et ibid.* 1125. Tartara. *Propert.* 2. 19. 11. venena. *Virg.* 10. *Æn.* 727. lavit improba teter Ora cruor. *Horat.* 3. *Od.* 11. 19. *de Cerbero.* Spiritus teter saniesque manat Ore trilingui. *fetido.* et *Lucan.* 1. 618. pallida tetris Viscera tincta notis. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *ante med.* Tetrum spectaculum. *Id.* 1. *Cat.* 5. 11. Pestis tetra, horribilis, infesta. *Id. Sext.* 8. 19. Alter, o dii boni! quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribilis aspectu! *Sueton. Gal.* 50. Vultum, natura horridum ac tetrum, etiam ex industria efferabat. *Juvenal.* 10. 191. Deformis et teter vultus. *et* 6. 417. mulier teterrima vultu. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 15. Teterrima hiems. *et Petron. Sat.* 35. *extr.* vox. *ingratissima.* — *b*) Cum supino. *Cic.* 5. *Phil.* 7. 18. Illud teterrimum non modo aspectu sed etiam audito. — *c*) Absolute. *Apul. Florid.* 3. Teter (*fertur certavisse*) cum decoro. ubi *teter* opponitur *decoro.*

II.) Translate est malus, dirus, flagitiosus, noxius, turpis. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13. 2. Homo teter et ferus. *Id. Cœl.* 6. 13. Quis tetrior hostis huic civitati? *et Vatin.* 3. 9. Quamquam sis omni diritate atque immanitate teterrimus. *Id.* 1. *Tusc.* 40. 96. Teterrimum esse in aliquem. *Id.* 2. *Off.* 22. 77. Nullum vitium tetrius, quam avaritia. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 33. tetra libido. *Catull.* 76. 25. tetrum deponere morbum. *h. e.* amorem. *Id.* 60. 2. Tam mente dura procreavit ac tetra, Ut supplicis vocem contemptam haberes. *Liv.* 22. 9. *ad fin.* Tetra prodigia. *Lucil.* apud *Horat.* 1. *Sat.* 5. 60. discordia. *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 96. cruciatus. *Cic.* 3. *Off.* 25. 95. Tetrum facinus admittere. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 6. *a med.* Ei tres sententiæ teterrimæ defuerunt. *h. e.* infensæ hominum odio habentium. *Id.* 3. *Verr.* 24. 62. Tetra atque impura legatio. *h. e.* perniciosa iis, ad quos accessit. *Id.* 10. *Fam.* 14. Teterrimum bellum. *Apul. De mag.* Tetra et horribilis (*magia*). — Hinc

*Tetrum,* adverbii more, tetre. *Prudent.* 4. *Cathemer.* 22. Tetrum flagrat enim vapore crasso Horror conscius æstuante culpa.

TETH *vel* theth, nomen nonæ alphabeti Hebraici litteræ: Græce τηθ, cujus figura est ט. *Hieronym. Ep.* 30. *n.* 5. *tet* interpretatur *bonum.* et *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 9. *init.* Nona littera *theth,* cujus interpretatio est *exclusio.* — De hac littera V. *Gesen.* in suo *Thesauro.*

TĔTHĂLASSŎMĔNOS, i, m. 2. τεθαλασσωμένος (οἶνος), marina aqua mixtus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 8. 10. (78). de vino.

TĒTHEA et

TĒTHYA, örum, n. plur. 2. τήθυα *et* τήθεα, *carnumi* nunc vocant vulgo Tusci, animalia marina ex genere mollium, quæ *molluschi* Itali appellant, quæque *Linneus* dicit perperam *ascidias rusticas,* quum neutro genere essent efferenda *ascidia rustica:* ab ἀσκίδιον, utriculus, quia parvi utris figuram habent: ita vero appellata a τήθη, nutrix, quia similia sunt nutricum mammis, quas Itali ex eadem origine *tette* vocant. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (99). Tethya torminibus et inflationibus occurrunt: inveniuntur hæc in scopulis marinis sugentia, fungorum verius generis, quam piscium: eadem et tenesmum dissolvunt renumque vitia. Ita ex *Dalecampio,* etenim *Harduinus* multa perperam immutavit. *Id. ibid.* 30. (93). Lateris dolores leniunt tethya similia ostreo in cibo sumpta. *Id. ibid.* 10. 39. (117). Cachecticis tethya utilia sunt cum ruta ac melle. Hæc *Plinius* hausit partim ex *Aristotel. Hist. animal. l.* 4. *c.* 6., partim ex *Xenocrat. De aliment. ex aquatil. c.* 29. *Silligius* ubique leg. *tethea.*

TĒTHYS, ÿos, f. 3. Τηθύς, nomen proprium deæ maris, de qua *V.* ONOM. Metonymice ponitur pro mari. *Lucan.* 1. 413. an sidere mota secundo Tethyos unda vagæ lunaribus æstuet horis. *et* 2. 588. Tethyoque fugacem Qui ferit Hesperius Bætis. *Seneca Herc. Fur.* 886. Quodcumque alluitur solum longo Tethyos ambitu. *Sil. It.* 5. 395. Ceu pater Oceanus cum sæva Tethye Calpen Herculeam ferit. *Id.* 17. 244. ab occasu Tethyn impellit et ortu. Adde 3. 60., *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 35. et alibi, *Martial. Spectac.* 3. et *Avien. Perieg.* 31.

TĔTĬNI et deriv. *V.* TENEO init.

TĔTRACHMUM. *V.* TETRADRACHMUM.

TĔTRĂCHORDON *et* tetrachordum, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TĔTRĂCHORDOS (tetracordos), on, *et* tetrachordus, a, um, adject. τετράχορδος, qui quattuor chordas seu quattuor sonos habet. *V.* infra hoc sensu absolute usurpatum. Hinc de persona usurpat *Acron* ad *Horat. Art. P.* 216. Prius tetrachordi erant citharœdi. — *Tetrachordos machina* dicitur a *Vitruv.* 10. 13. organum hydraulicum, quod quattuor sonorum differentias habet. — Hinc

*Tetrachordon* et *tetrachordum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, dicebatur ab antiquis musicis quattuor in ordine positorum sonorum congruens fidaque concordia, ut *Capell.* 9. *p.* 324. definit, *h. e.* quod dicunt recentiores musici, *una quarta.* In toto veterum musicarum vocum systemate quinque tetrachorda constituebantur, quibus universa modulationum varietas continebatur; ita tamen, ut dissimiles essent dispositiones et intervalla tonorum et hemitoniorum in tetrachordis diatonici generis, chromatici et harmonici, ut explicant *Vitruv.* 5. 4. et *Capell.* 9. *p.* 323. *Id.* 2. *p.* 43. Nonne ac principio geminum tu das tetracordon? V. *Koppium p.* 235. — Translate *anni tetrachordon* dixit *Varro* apud *Non. p.* 71. 16. *Merc.* quattuor anni tempora (h. e. *le quattro stagioni*) significans, quemadmodum *Macrob.* 1. *Saturn.* 19. *a med.* ait, Mercurio attributum fuisse tetrachordon, quia numerus quaternarius significat vel totidem plagas mundi vel quattuor vices temporum, quibus annus includitur. *Popma* leg. *tetrachordion* contra Codd. fidem.

TĔTRĂCHRŎNOS, on, adject. τετράχρονος, h. e. qui quattuor tempora habet, est pes metricus, qui quattuor temporibus constat. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 47. 10. *Keil.*

TĔTRĂCŌLĬA, æ, f. 1. (tetracolos) *Mar. Victorin. De metr. Horat. p.* 178. 31. *Keil.* Hæc ode scripta est ad tetracolian. *h. e.* strophe quattuor versibus conclusa. *V.* voc. seq.

TĔTRĂCŌLON *et* tetracolum, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TĔTRĂCŌLOS, on, et

TĔTRĂCŌLUS, a, um, adject. τετράκωλος, h. e. quattuor membra habens. *Mar. Victorin.* 4. *p.* 2613. *Putsch.* Tetracolos strophe dicitur eo quod quarto versu vertatur, quo periodus clauditur. *Id. p.* 165. 10. *Keil.* Tetracolæ odæ. *Atil. Fortunat. p.* 2699. *Putsch.* carmina. *Mar. Plot. Sacerd. p.* 2631. *ibid.* versus. — Hinc

*Tetracolon* vel *tetracolum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, apud Rhetores dicitur periodus quattuor membris constans. *Seneca* 4. *Controv.* 25. *sub fin.* Myrrhedius dixit illud tetracolon: Serviebat forum cubiculo, prætor meretrici, carcer convivio, dies nocti. *Id.* 5. *ibid. præf. a med. de Capitone declamatore.* Nulli non post primum tetracolum præferendus. Primum tetracolum quorum faciam, quæritis? Latronis, Fusci, Albutii, Gallionis. *Alii leg.* tetradeum. *Terentian. De metr. v.* 2706. Hanc docti tetracolon vocitant strophen.

TĔTRĂCORDOS. *V.* TETRACHORDUS.

TĔTRĂDĒUM et

TĔTRĂDĬUM, ii, n. 2. τετραδεῖον et τετράδιον, idem quod tetartæum. *Colum.* 3. *R. R.* 20. 3. *V.* TETARTÆUM.

TĔTRĂDŌROS, on, adject. τετράδωρος, qui quattuor palmos æquat. *Vitruv.* 2. 3. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. (170). *V.* DIDOROS.

TĔTRĂDRACHMUM *et per syncop.* tetrachmum, i, n. 2. (τετράδραχμον et τέτραχμον) Sunt præterea qui *tetradrachma, æ,* leg., ut sit feminini gen., quod minus placet. — *Tetrachmum,* genet. pro *tetrachmorum,* habet *Liv.* 37. 46. et 59. et 39. 7., ubi tamen *tetradrachmum* leg. *Drakenborchius.* Sed cf. *Georges Lex. d. Lat. Vortf. p.* 681. — Tetradrachmum est nummus quaternas valens drachmas. *Cassius* ad *Cic.* 12. *Fam.* 13. Nam jam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam est. *Liv.* 37. 58. Tetradrachma Attica triginta quattuor millia septingenta. *Id.* 34. 52. Signati argenti octoginta quattuor millia fuere Atticorum: tetradrachma vocant. Trium fere denariorum in singulis argenti est pondus. *Budæus, Gronov.,* alii *quattuor fere* legendum recte censent, quia drachma denario Romano fere respondet, ut in ea voce dictum est. — In sing. num. *Mæcian. Distrib.* § 45. Olim ut peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetrachmum et drachma, habebatur. Adde *Priscian. De fig. numm. p.* 1349. *Putsch.*

TĔTRĂĔTĒRIS, idis, f. 3. τετραετηρίς, quattuor annorum spatium, quadriennium. *Censorin.* 18. 3. Cf. TRIETERIS.

TĔTRĂFARMĂCUM. *V.* TETRAPHARMACUM.

TĔTRĂGNĀTHĬUS, ii, m. 2. τετράγναθος, genus quoddam phalangii, quod quadruplicem maxillam habere videtur: a τετράς, quaternio, et γνάθος, maxilla. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 27. (87). Tetragnathii duo genera habent: pejor medium caput distinguente linea alba et transversa altera: et cinereus posteriori parte candicans.

TĔTRĂGŌNĀLIS, e, adject. (tetragonus) quadratus. *Boeth.* 2. *Geometr. p.* 1217. Trianguli cathetus et basis tali sunt indagandi ratione: ducatur hypotenusalis summa (h. e. XXV.) in se et in DCXXV. redundat, cui si quattuor adjiciantur embada (*h. e.* DC.), MCCXXV. nascentur, quorum tetragonale latus, id est XXXV. si exceperis, summas utrasque basis et catheti comprobabis.

TĔTRĂGŌNĬCUS, a, um, adject. (tetragonus) idem ac tetragonalis. *Boeth.* 2. *Arith.* 50. *p.* 1059. Geometricam si rationem vestiges, ejus numeri, qui sub utrisque extremitatibus continetur, tetragonicum latus inquire et hunc medium pone. Nam sub XL. et denario numero, CCCC. continetur.

TĔTRĂGŌNISMOS *et* tetragonismus, i, m. 2. τετραγωνισμός, quadratio, quadratura. *Boeth. Arist. Analyt. post.* 1. 7. *p.* 528. Est enim sic probare, ut Bryson tetragonismon.

TĔTRĂGŌNĬUM, ii, n. 2. τετραγώνιον, quadratum. *Isid.* 15. *Orig.* 8. 2. cod. *Gud.* 1. Alii leg. *tetragonum.* — De pallio quadrato in *Not. Tir. p.* 159. Chlamys, tetragonium.

TĔTRĂGŌNON vel

TĔTRĂGŌNUM. *V.* voc. seq.

TĔTRĂGŌNUS, a, um, adject. (τετράγωνος) Pænultimam syllabam licenter corripuit *Auson. loc. cit.* — Tetragonus est idem ac quadratus, quadrigonus. *Boeth.* 2. *Arithm.* 22. Si a tetragona basi proficiscatur. *Gromat. vet. p.* 247. 8. et *p.* 354. 6. *Lachm.* Tetragonus ager. — Translate. *Boeth.* 1. *Arithm.* 27. Tetragonus numerus dicitur, quem duo æquales numeri multiplicant, *h. e.* quattuor, quod duo per duo ducta efficiunt. — Hinc

*Tetragonum* vel *tetragonon, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, quadratum. *Gromat. vet. p.* 219. 2. *L.* Cujus agri mensura in tetragonon variis locis est collecta. Adde *Censorin.*

*fragm.* 7. 2. *H.* — Apud astrologos est aspectus quadrangularis alicujus astri. *Auson. Ecl. de ratione puerperii maturi,* 21. Fulgor tetragono aspectus (*alii* aspectu) vitale coruscat. *et in fin.* Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum. Adde *Capell.* 6. *p.* 229., *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *a med.* et *Censorin. fragm.* 3. 8.

TĔTRĂGRAMMĂTOS, on, adject. τετραγράμματος, h. e. quattuor litteris constans, dicitur nomen proprium Dei apud Hebræos, quod quattuor litteris compositum est, sc. יהוה a rad. Chald. הוה, *havah*, fuit; sed cujus vera lectio ignoratur. V. *Hoelemann Bibelst. p.* 54., *Zeller Bibl.*, *Woert.* et *He Diz. Bibl.* ad *h. v. Isid.* 19. *Orig.* 21. 7. Nomen Domini tetragrammaton. Adde *Hieronym. præf.* in *ll. Reg.*

TĔTRAÏS, ĭdis *vel* ĭdos, f. 3. quattuor formas vel species habens: a τέτρα in compositis pro τέτταρα, quattuor, et εἶδος, species, forma, ut de odoramenti genere exponit *Isid.* 4. *Orig.* 12. 4. *Cf. Quicherat* ad *h. v.*

TĔTRĂLIX, icis, f. 3. τετράλιξ, herba, alio nomine erix et sisara, apibus gratissima. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 15. (41)., ubi *Sillig.* leg. *tamarix.* et 21. *ibid.* 16. 56. (94).

TĔTRĂMĔTER, tri, m. 2. τετράμετρος, h. e. quattuor metris constans, versus quattuor pedibus compositus, cujusmodi est illud carmen, quod in exemplum adducitur a *Diomed.* 3. *p.* 506. *Putsch.* Fulmina nubibus obvia torques. Sunt tamen alia multa tetrametrorum genera, quæ *V.* apud grammaticos et præsertim apud *Diomed. loc. cit.*

TĔTRĂMĔTRUS *vel* tetrametros, a, um, adject. (τετράμετρος) *Tetrāmĕtro*, secunda tertiaque producta, legitur apud *Hephæstionem De metr. p.* 43. not. d. — Tetrametrus est quattuor metris constans, ut *versus tetrametros*, idem ac tetrameter, de quo *V.* voc. præc. *Teretian. De metr. p.* 2095. *Putsch.* et *Priscian. De metr. Ter.* § 2. *p.* 419. 15. *Keil.* Tetrametrus versus. Alii tamen *ibid. paullo post et v.* 1466. leg. *tetrameter.* et *Isid.* 6. *Orig.* 2. 17. pes.

TĔTRANS, antis, m. 3. (τετρᾶς) In genet. plur. *tetrantorum* pro *tetrantum* dixit *Vitruv.* 3. 5. 6. *circa med.* — Tetrans est quarta pars rei cujuspiam.

I.) Proprie. *Vitruv.* 4. 2. *a med.* Tetrantes columnarum. *h. e.* quarta pars crassitudinis summi scapi columnarum. — In re mathematica. *Id.* 10. 11. Circino dividuntur circinationes eorum tetrantibus in partes quattuor vel octantibus in partes octo. Adde *eumd.* 3. 5. 7.

II.) Translate. ¶ 1 In re agraria est locus, ubi se conserunt duæ lineæ seu duo rigores decussatim acti. *Hygin. De limit. p.* 160. *Goes.* Tetrantum veterum lapides adhuc parent. Adde *p.* 164. *et* 181. ¶ 2. Item quidquid eo loco ponitur, ubi duæ illæ lineæ concurrunt. *Frontin. De limit. p.* 132. Termini lapidei crassi semipede, habentes longum tetrantem. ¶ 3. Item instrumentum ipsum, quo duæ illæ lineæ designantur. *V.* Indicem *Goes.*

TĔTRĂO, ōnis, m. 3. τετράων, avis ex genere anserino, *gallo di montagna. Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 29. (56). Decet tetraonas suus nitor absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit; nec ulla ales, excepto struthiocamelo, majus corpore impleas pondus, in tantum aucta, ut in terra quoque immobilis prehendatur. Gignunt eos Alpes et septentrionalis regio. In aviariis saporem perdunt. Moriuntur contumacia spiritu revocato. *Sueton. Cal.* 22. *a med.* Hostiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones, Numidicæ, Meleagrides, Phasianæ. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 13. *extr.* Una tetraonis pennula sordidum artificem pronunciabit tibi creatorem?

TĔTRĂCŒCUM scænam, h. e. quæ quattuor constat cellis, legendum putant in *Inscr.* apud *Reinesium cl.* 2. *n.* 30. pro *latraegum;* veteres enim ædiculas seu cellas scænis adstruebant ab earumque numero διοίκους, τριοίκους, τετραοίκους etc. vocabant. Ceterum si *latraegum* tenendum sit, rectius *lathræcum* scripseris a λαθραῖκον, sc. qui cellam cellasve habet secretiores.

TĔTRĂŌNȲMUS, a, um, adject. τετραώνυμος, quattuor nomina habens. *Priscian.* 2. *p.* 580. *Putsch.* V. TRIONYMUS.

TĔTRĂPHARMĂCUM (tetrafarmacum), i, n. 2. τετραφάρμακον. ¶ 1. Est emplastrum quoddam, quattuor rebus constans, nempe cera, pice, resina, sevo taurino aut, si hoc desit, vitulino: valet autem ad pus movendum. *Cels.* 5. 19. *n.* 9. *et ibid.* 26, *n.* 35. et *Scribon. Compos.* 211., sed Græce uterque. *Veget.* 4. *Veterin.* 28. *ante med.* Tetrapharmacum, quod facit ad omnia vulnera elimpidanda et velociter curanda: adipem taurinam, ceram, picem, oleum. Adde *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 125. ¶ 2. Item ferculum quattuor ciborum generibus instructum. *Spartian. Hadrian.* 21. Inter cibos unice amabat tetrapharmacum, quod erat de phasiano, sumine, perna et crustulo. *Id. Æl. Ver.* 5. Tetrapharmacum, seu potius pentapharmacum, quo postea semper Hadrianus est usus, ipse dicitur reperisse, hoc est, sumen, phasianum, pavonem, pernam crustulatam et apruguam. *Lamprid. Alex. Sev.* 30. Usus est Hadriani tetrapharmaco frequenter.

TĔTRĂPHŎROS, on, adject. τετραφόρος, unus e quaternis hominibus quidpiam portantibus; a τέτρα, quattuor, et φέρω, porto. *Vitruv.* 10. 3. Tetraphori phalangarii. — Apud *Forcellinum* affertur plur. num. m. 2. *V.* HEXAPHORI.

TĔTRĂPLĂSĬOS *et* tetraplasius, a, um, adject. τετραπλάσιος, quadruplus. *Capell.* 9. *p.* 322. Atque est in tetraplasia ratione, ut sunt duodecim ad tria. Alii leg. *tetraplasi*, absolute. Cf. tamen *Cassiod. De music.* Disdiapason, symphonia est, quæ constat ex ratione tetraplasia; fit autem per sonitus quindecim. *V.* TRIPLASIUS.

TĔTRĂPLEURUS, a, um, adject. τετράπλευρος, quadrilaterus: a τέτρα, quattuor, et πλευρά, latus. *V.* POLYPLEURUS.

TĔTRĂPLO, as, are, a. 1. (τετραπλόος) quadruplico. *Capell.* 9. *p.* 322. Diesis tetraplatur. Alii rectius leg. *tetraplantur;* diesis enim habent pro *dieses* plur. num.

TĔTRĂPŌDĬA, æ, f. 1. τετραποδία, longitudo vel conjunctio quattuor pedum. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 62. 14. *Keil.*

TĔTRAPTŌTON. *V.* voc. seq.

TĔTRAPTŌTOS, on, adject. τετράπτωτος, quattuor casus habens: a τέτρα, quattuor, et πτῶσις, casus: Latine *quaternarius* dixeris. *Consent. p.* 351. 22. *et* 28. *Keil.* V. DIPTOTA. — Hinc

*Tetraptoton, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, nomen quattuor casus habens. *Pompej. Comment. p.* 184. 28. *Keil.* — In plur. num. *Diomed. p.* 309. 22. *ibid.*, *Priscian.* 5. 76. et *Isid.* 1. *Orig.* 6. 43.

TĔTRĂPŪS, ŏdis, adject. omn. gen. τετράπους, quadrupes: hoc nomine inscriptus est liber octavus *Apicii*, eo quod ibi agitur de quadrupedum animalium opsoniis et conditurís.

TĔTRĂPȲLON et

TĔTRĂPȲLUM, i, n. 2. τετράπυλον, ædificii genus quattuor habens portas: a τέτρα, quattuor, et πύλη, porta. *Auct. Descr. orb.* 17. apud *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 394. Cæsarea civitas deliciosissima, cujus tetrapylum nominatur ubique, quod unum et novum spectaculum præbet. *et ibid.* 23. *p.* 399. Bostra, maxima civitas, quæ maxima negotia habere dicitur, propinqua Persis et Saracenis, in qua publicum opus tetrapyli mirabile nominatur. *Inscript.* Cirtæ in Numidia, Africæ provincia, quæ urbs nunc *Costantina* dicitur, reperta, edita vero in *Excursion dans l'Afrique septentr. n.* 80. et 81. CLAVDIVS AVLIANVS COMES PRIMI ORDINIS AGENS PRO PRAEF. BASILICAM CONSTANTINIANAM CVM PORTICIBVS ET TETRAPYLO A SOLO PERFICIENDAM CVRAVIT. V. *Rènier Inscr. Afr. n.* 1850.

TĔTRARCHA et

TĔTRARCHES, æ, m. 1. τετράρχης, qui quartam regni partem obtinet, *tetrarca, signore della quarta parte d'un regno.* Ita vero vocatur non solum qui cum aliis tribus regnum aliquod occupat, sed etiam qui post tetrarchas imperium adeptus est, licet plures sint vel etiam pauciores: item qui solus eam regionem tenet, quæ aliquando a quattuor tetrarchis possessa fuit. *Auct. B. Alex.* 67. Dejotarus tetrarches Gallogræciæ tunc quidem pæne totius, quod ei neque legibus neque moribus concessum esse ceteri tetrarchæ contendebant etc. *Cic.* 2. *Att.* 9. Qui regna, qui prædia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. *Sall. Cat.* 20. Reges tetrarchæ. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 12. Omnia magna loquens, modo reges atque tetrarchas. *Lucan.* 7. 226. sicci sed plurima campi Tetrarchæ regesque tenent magnique tyranni. *Sidon.* 5. *Ep.* 7. Indagavimus tandem qui apud tetrarcham nostrum novi principis amicitias criminarentur. *h. e.* Chilpericum, qui Lugduni rerum potiebatur, diviso tunc in quattuor regna imperio Burgundionum. Adde *Vulgat. interpr. Matth.* 14. 1. et *Luc.* 3. 1. V. *Schleusneri Lex. Gr.* ad *h. v.*

TĔTRARCHĬA, æ, f. 1. (tetrarches) principatus quartæ partis alicujus regionis, τετραρχία. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 27. Posteaquam a Cæsare tetrarchia regno pecuniaque mulctatus est. *Id. Dejot.* 15. 42. Negat, umquam se a te in Dejotari tetrarchia pedem discessisse. *Auct. B. Alex.* 78. Mithridati Pergameno tetrarchiam Gallogræcorum jure gentis et cognationis adjudicavit, occupatam et possessam paucis ante annis a Dejotaro. — In plur. num. *Sall.* 4. *Hist. fr.* 61. Dijunctum undique regnis et tetrarchiis. Adde *Plin.* 5. *Hist. nat.* 18. 16. (74).

TETRARCUS. *V.* TETRERARCHUS.

TĔTRARHYTHMUS *vel* tetrarrhythmus, a, um, adject. τετράρρυθμος, quattuor numeris seu pedibus constans, sicut *dirhythmus* seu *dirrhythmus*, qui duos rhythmos seu pedes habet, et *trirhythmus* seu *trirrhythmus*, qui tres. *Mar. Victorin. p.* 97. 27. *Keil.*

TĔTRAS, ădis, f. 3. τετράς, quaternio seu numerus quaternarius. *Victorin. De fabr. mund. post init.* Quattuor elementa temporum tetradem faciunt. Adde *Tertull. advers. Valentin.* 7. et 8., *Ambros. De incarn.* 7. et *Capell.* 7. *p.* 239. Quid tetradem dicam? in qua soliditatis certa perfectio etc. Cf. *Arist. Rhet.* 3. 11. *V.* QUADRAS.

TĔTRĂSĀRĬUS *et rectius* tetrassarius, ii, m. 2. quattuor asses continens: a τέτρα et *assarius*, idem ac semuncia. *Marcell. Empir. p.* 83. retro *Ald.*

TĔTRASCHĒMĂTISTUS, a, um, adject. τετρασχημάτιστος, quattuor habens schemata. *Plot. De metr.* 3. 52. Cæsura tetraschematista.

TĔTRĂSĒMOS, on, *et*

TĔTRĂSĒMUS, a, um, adject. τετράσημος, quattuor tempora habens, ut spondeus versus. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2485. *Putsch.* et *Capell.* 9. *p.* 330. *V.* DISEMUS.

TĔTRĂSŌMUS. *V.* BISOMUS.

TĔTRASSĀRĬUS. *V.* TETRASARIUS.

TĔTRASTĬCHON. *V.* voc. seq.

TĔTRASTĬCHOS, on, *et*

TĔTRASTĬCHUS, a, um, adject. τετράστιχος, quattuor habens ordines: a στίχος, ordo, et τετράς, quaternio. Porticus tetrasticæ (ita enim legi vult *Salmas.* ad *Trebell. Gallien.* 18.) sunt, quæ quattuor habent columnarum ordines. — *Tetrastichon carmen*, quattuor versibus constans, *tetrastico. Quintil.* 6. 3. 96. Ovidius ex tetrasticho Macri carmine librum in malos poetas composuit. Alii hic absolute usurpatum censent. — Ex tetrastichis scripsit *Ausonius* viginti quattuor imperatorum R. vitas. — Sic *tetrastichon dialogon* habet *Poeta* in *Anthol. Lat.* 658. *Riese* in *lemmate.* — Hinc

*Tetrastichon, i,* n. 2. absolute, eodem sensu. *Martial.* 7. 84. Quod non insulse scribis tetrastica quædam. Adde *Poet. in Anthol. Lat.* 556. *R.* in *lemmate.*

TĔTRASTRŎPHI, ōrum. *V.* voc. seq.

TĔTRASTRŎPHOS, on, *et*

TĔTRASTRŎPHUS, a, um, adject. τετράστροφος, qui quattuor strophis constant: a τέτρα pro τέτταρα, quattuor, et στροφή, stropha. *Serv. De metr. Horat. p.* 468. 21. *K.* Secunda ode dicolos est tetrastrofos (*sic*). — Hinc

*Tetrastrophi, orum,* m. plur. 2. absolute, car-

men quattuor strophis constans. *Venant.* 3. *prol.* 4. Credebam enim quasi sono Pindarico compactos tetrastrophos, pedestri glutine sugillatos et ac si enthymematum parturiens catenatum vinculum, fecunda fluxisse oratio, spiris intertexta, sophismate peregrino etc.

TĔTRASTȲLON, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TĔTRASTȲLOS, on, *et*

TĔTRASTȲLUS, a, um, adject. τετράστυλος, quattuor columnas habens: a τετράς, quaternio et στύλη, columna. *Vitruv.* 3. 2. Frons loci, quæ in æde constituta fuerit, si tetrastylos facienda fuerit, dividatur etc. *Id.* 6. 3. Cava ædium tetrastyla sunt, quæ etc. — Hinc

*Tetrastylon, i,* n. 2. absolute, locus in quo quattuor columnæ sunt vel potius quattuor columnarum ordines. *Capitolin. Gordian.* 32. Villa eorum ducentas columnas in tetrastylo habens. Adde *Vitruv.* 3. 2. *Inscript.* apud *Gruter.* 124. 1. (*Orelli n.* 2270.) IBIQVE SACERDOTES IN TETRASTYLO CONSEDERVNT. *Alia* apud *Murat.* 344. 3., quæ pertinet ad ann. CXCI. M. CAECILIVS N. - CONCORD. TETRASTYLVM ORNAVIT. et in *Bullett. archeol. an.* 1839. *p.* 146. GAL. (*an* Gai.?) TITTIENVS PARDALVS ET TITTIENA GALENE TETRASTYLVM SVA PECVNIA FECERVNT etc. *V.* ibid. adnot. — De tetrastylo Arvalium V. *Marini Act. Arval. p.* XIX. et *seqq.* — Forma tetrastyli conspicitur in *Annal. dell' Istit. archeol. an.* 1841. *p.* 121. V. et *Orelli Inscr. Helv. n.* 66.

TĔTRĂSYLLĂBOS, on, *et*

TĔTRĂSYLLĂBUS, a, um, adject. τετρασύλλαβος, qui quattuor continet syllabas. *Mar. Victorin. p.* 2486. *Putsch.* Quo genere trisyllabi et tetrasyllabi usque ad hexasyllabos additamento temporum processerunt. *Priscian. De accent. p.* 336. *Putsch.* Trisyllabæ et tetrasyllabæ dictiones. *Consent. De barbarism. et metapl.* (ed. *Buttmann*) 9. *ad fin.* Induruit, quod est tetrasyllabum, dicit induruit, quod est trisyllabum. Hinc ariete utitur trisyllabo *Virg.* pro tetrasyllabo.

TĔTRAX, ăcis, m. 3. τέτραξ et τέτριξ, aliis idem esse videtur ac tetrao, aliis vero idem quod otis. *Nemesian. fragm.* 1. *de aucup.* 1. Et tetracem, Romæ quem nunc vocitare taracem Cœperunt, avium est multo stultissima. Cf. *Sueton. Cal.* 22.

TĒTRĒ (tætre), adverb. (teter) Comp. *Tetrius;* Sup. *Teterrime.* — Tetre est fœde, turpiter atque adeo moleste, graviter, *bruttamente, vergognosamente, sconciamente. Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 126. *Putsch.* Tetre ætatem exigit. *Cic.* 1. *Divinat.* 29. 60. Multa facere impure atque tetre, cum temeritate et impudentia. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 135. Blanda quidem vultus, sed qua non tetrius ulla Ultrices fucata genas. *Mamert. Paneg. Maximin. Herc.* 2. Multo tetrius opprimens. *Cic. Dom.* 39. *extr.* Quod senatus severe de religione decerneret, impurissime teterrimeque violasti. *Id.* 7. *Att.* 12. Istum quidem, cujus φαλαρισμός times, omnia teterrime facturum puto.

TETRERARCHUS, i, m. 2. τετρήραρχος, quadriremis vel quadriremium præfectus: a τετρήρης, quadriremis, et ἀρχός, princeps. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 177. Trierarchus, tetrerarchus. *Hic perperam* triarcus, tetrarcus *legitur.*

TĔTRĬCĬTAS, ātis, f. 3. (tetricus) tristitia vultus, supercilium, severitas, gravitas, *severità, contegno ruvido,* σκυθρωπασμός. *Auct. Paneg. ad Pis.* 90. Talis inest habitus (*oris*), qualem nec dicere mœstum Nec fluidum, læta sed tetricitate decorum Possumus. *supra dixerat:* plenus gravitate serena Vultus. Cf. *Sil. It.* 8. 610.

TĔTRĬCUS, a, um, adject. (teter) caperato vultu tristitiam præ se ferens, tristis, severus, asper, rigidus, σκυθρωπός (*It. accigliato, sostenuto, severo, rigoroso; Fr. sombre, sérieux, sévère; Hisp. serio, grave, severo; Germ. finster, ernst, streng; Angl. rough, harsh, severe, rigid*): occurrit tum de personis tum de rebus. — *a*) Universim. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 61. exæquet tetricas licet illa Sabinas. *Id.* 2. *Trist.* 397. tetricus domitor Chimæræ. *h. e.* Bellerophon aversus ab amoribus, pudicus. *Id.* 1. *Art. am.* 721. Hoc aditu vidi tetricæ data verba puellæ. *Liv.* 1. 18. Disciplina tetrica ac tristis Sabinorum. *Seneca Herc. Fur.* 579. Et qui fronte nimis crimina tetrica Quærunt ac veteres excutiunt reos. *Martial.* 6. 10. At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira! *et* 12. 71. Udorum tetricus censor et asper erat. *Id.* 4. 73. et 7. 95. *de Parcis.* Tetricæ deæ. *implacabili, crude.* et 11. 3. lectores. *Claudian. Fescenn.* 31. Permissisque jocis turba licentior Exsultet, tetricis libera legibus. *Martial.* 5. 20. Nec lites tetricæ forumque triste. *h. e.* graves, seriæ et nullum jocis locum dantes. Sic 10. 19. Totos dat tetricæ dies Minervæ, Dum centum studet auribus virorum. et *Auson. Gryph.* 72. Tetrica subsellia. *h. e.* forensia, judicialia. *Martial.* 11. 43. Tetricis vocibus corripere aliquem. *Seneca Ep.* 36. Nimis horridi animi et tetrici esse. Apud *Colum.* 8. *R. R.* 11. tetricus opponitur *urbano.* — *b*) Hinc *Tetricus mons* vel *Tetrica rupes,* et *Tetrica* absolute, mons in Sabinis, ita dictus vel quia asperrimus vel quia incolebatur ab hominibus tetricis et severis, nunc *monte S. Giovanni. Virg.* 7, *Æn.* 713. Qui Tetricæ horrentis rupes montemque Severum Casperiamque colunt. *Sil. It.* 8. 419. et a Tetrica comitantur rupe cohortes. Adde *Isid.* 10. *Orig.* 266. — *c*) Metonymice. *Martial.* 6. 70. Tetricæ febres. *et* 7. 80. tubæ. *h. e.* bellicæ. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

Homonym. Differt quandoque *tetricus* a *tetro.* Etenim *Sidon.* 4. *Ep.* 9. *de Vectio viro illustri.* Severitas ejus temperamenti, quæ non sit tetra sed tetrica., ubi *tetrica* est minus quam *tetra* et melius sonat.

TĔTRINNĬO, is, ire, n. 4. verbum fictum ad exprimendam anatum vocem. *Auct. Carm. de philom.* 22. In fluviisque natans forte tetrinnit avis. Alii leg. *titinnit.*

TĔTRISSĬTO, as, are, n. 1. idem ac tetrinnio. *Sueton.* in *fragm. de nat. animal.* apud *Reiffersch. p.* 251. 4, Anatum tetrissitare.

TĔTRĬTŪDO (tætritudo), inis, f. 3. (teter) idem ac tetricitas, *tetraggine, contegno ruvido. Accius* apud *Non. p.* 179. 33. *Merc.* Ne hæc aspernabilem tetritudo mea in occulto faxit.

TĔTRO (tætro), as, are, a. 1. (teter) fœdo, horridum obscurumve facio, *macchiare,* ἀμαυρόω. *Pacuv.* apud *Non. p.* 178. 8. *Merc.* Beluarum ac ferarum adventus ne tetret loca.

TĔTRŌBŎLON, i, n. 2. quarta pars heminæ. *Marcell. Empir. p.* 83. retro *Ald.*

TETTĪGŎMĒTRA, æ, f. 1. τεττιγομήτρα, cicadarum matrix, idest involucrum, ex quo cicadæ oriuntur, *larva della cicala: a* τέττιξ, cicada, et μήτρα, matrix, uterus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 26. 32. (93). Fit primo vermiculus, dein ex eo, quæ vocatur tettigometra, cujus cortice rupto circa solstitia evolant, noctu semper.

TETTĪGŎNĬA, æ, f. 1. τεττιγόνια, cicadæ minoris genus, *piccola cicala. Plin.* 11. *Hist. nat.* 26. 32. (92). Quæ cicadæ canunt, vocantur achetæ; et quæ minores ex his sunt, tettigoniæ, sed illæ magis canoræ.

TĔTŬLI cum deriv. *V.* FERO.

TĔTŬLUS. *V.* TITULUS.

TETUS, i, m. 2. idem ac palumbes. *Schol. Bern.* in *Virg.* 1. *Ecl.* 58.

TEUCHĪTES, æ, m. 1. *V.* voc. seq.

TEUCHĪTIS, idis, adject. fem. τευχῖτις, cognomen junci odorati et quidem laudatissimi, ita dicti, ut videtur, a τεῦχος, vas, quia vase clausus ex Nabathæa Romam afferebatur, ne quid odoris ejus exhalaret. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 72. (120). Laudatissimus ex Nabathæa juncus cognomine teuchitis, proximus Babylonius, pessimus ex Africa ac sine odore etc. *Forcellinus* leg. *teuchites,* gen. masc.

TEUCRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TEUCRĬON *et* teucrium, ii, n. 2. τεύκριον. ¶ 1. Est genus quoddam herbæ (*Teucrium chamædrys* Linn.) *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 80. (130). Chamædrys herba est, quæ Latine trixago dicitur. Aliqui eam chamæropem, alii teucrion appellavere. Adde *Apul. Herb.* 25. ¶ 2. Est etiam herba spargens juncos tenues, folia parva, asperis in locis nascens, austero sapore, numquam florens neque semen gignens. Medetur lieni: constatque sic inventam (invenit autem Teucer). Quum exta super eam projecta essent, adhæsisse lieni eumque exinanisse. Ob id a quibusdam splenion vocatur. Narrant, sues qui radicem ejus ederint, sine splene inveniri. Hæc *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 20. Eadem vero est, quam recentiores *Teucrion flavum* (Linn.) vocant. — Ab *eod.* 26. *ibid.* 7. 19. (35). et *ibid.* 8. 48. (75). et 25. *ibid.* 8. 55. (100). dicitur *teucria.* ¶ 3. Item quibusdam est herba cynoglossa. *Apul. Herb.* 69., ubi alii minus recte leg. *leucrion.*

TEUTHĂLIS, idis, f. 3. τευθαλίς, herba eadem quæ sanguinaria et polygonos. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. (113). Ita leg. *Sillig* et *Jan,* at *Dell.* leg. *thalattias, adis.*

TEUTHASIUS. *V.* PYGNOMA.

TEUTHRĬON, ii, n. 2. τεύθριον, genus quoddam herbæ, quæ et polion dicitur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 21. (44).

TEUTLŎPHĂCE, es, f. 1. τευτλοφακῆ. pulmenti genus ex herba, quæ Græce τεῦτλος dicitur, et lenticula, quæ φακῆ, compositum: hanc *seutlophace* appellat *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 39. 229. *Id.* 1. *Acut.* 15. 127. Dicimus curiosum genus pulmenti - quod Asclepiades appellavit teutlophacen.

TEUTON, ŏnis, m. 3. nomen Gallicum teli, quod aliter *cateja* dicitur. *Isid.* 18. *Orig.* 7. 7. Cateja, genus Gallici teli ex materia quam maxime lenta. — Hujus meminit Virgilius (7. *Æn.* 741.) dicens: *Teutonico ritu soliti torquere catejas.* Unde et eos Hispani et Galli *Teutones* vocant. Alii *teutonas,* alii vero *teutonos* legunt. *V.* CATEJA. De his nuper *Bullet. Dict. Celt. T.* II. *p.* 286. et *Macpherson* in *Critical Dissert. on th. Caled. p.* 153.

TEUTŎNUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

TEUXĪNON, i, n. 2. τεύξινον, genus quoddam herbæ, quæ et aristolochia dicitur. *Apul. Herb.* 20.

TEXENS, entis, particip. *V.* TEXO.

TEXĪTECHNUS, i, m. 2. idem ac cacotexitechnus: quam voc. *V.*

TEXO, texis, texŭi, textum, texere, a. 3. *Texier* paragoge pro *texi* apud *Plaut. Trin.* 3. 3. 68. — *Tixii* pro *texe* in titulo Pompejano in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1570. — Etymon alii petunt a *tego,* a quo *texo* sit frequentativum, ut *taxo* a *tago,* quia tramâ stamen tegitur; idcirco proprie significet superponendo tegere: alii vocem conferunt cum Skr. *taxsh,* compono, facio; unde et Gr. τίκτω, creo, genero. — Part. *Texens* I. 1.; *Textus* fere in omnib. paragr. et in fin.; *Texendus* I. 2. — Texo est filum filo conserendo telam conficio, ὑφαίνω (*It. tessere; Fr. tisser, faire un tissu; Hisp. texer; Germ. weben; Angl. weave, knit*). De texendi modo *V.* in RECTA et TELA. Cf. etiam *Gesner* in *Ind. Scriptt. R. R.* ed. *Schneid. v.* 5. *p.* 688.-715. et *A. Rich* ad v. *Textor.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ter. Heaut.* 2. 3. 44. Texentem telam studiose ipsam offendimus. *Propert.* 4. 3. 18. Texitur hæc castris quarta lacerna tuis. *Tibull.* 2. 6. 35. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit. Sic *Sil. It.* 14. 656. Texere vestes auro. *Propert.* 3. 4. 33. in vacuo texetur aranea lecto. *Catull.* 68. 49. tenuem texens sublimis aranea telam. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Araneolæ quasi rete texunt, ut, si quid inhæserit, conficiant. *Id. ibid.* 60. 150. Tegumenta corporum vel texta vel suta. *Martial.* 11. 56. texta purpura. *Seneca Agam.* 883. Induere conjugis fidæ manu textos amictus. *Val. Flacc.* 2. 409. Dona duci promit chlamydem textosque labores. *h. e.* in chlamyde intextos. — *Silius* 4. 93. Sol bisseno sidere textam Loricam induitur. — Absolute. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (81). Texere incipit. *et ibid.* (84). Sereno non texunt, nubilo texunt. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 258. texentum laudabas carmina. *h. e.* lanificorum. ¶ 2. Latiore sensu, de aliis rebus, quæ

instar telæ nectuntur. *Virg.* 1. *G.* 266. Nunc facilis rubea texatur fiscina virga. *Id.* 11. *Æn.* 64. molle feretrum Arbuteis texunt virgis et vimine querno. *Id.* 2. *G.* 371. Texendæ sæpes etiam et pecus omne tenendum. *Propert.* 3. 2. 36. Texere rosas. *h. e.* corollas facere. *Virg.* 4. *G.* 250. Apes floribus horrea texent. *Id.* 9. *Ecl.* 42. lentæ texunt umbracula vites. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69. (112). Texere tegetes. *Id.* 13. *ibid.* 12. 23. (77). et 25. (81). chartas. et 11. *ibid.* 24. 28. (81). Texere araneus a medio incipit. *et* 13. *ibid.* 11. 22. (77). navigia ex papyro. *et* 18. *ibid.* 26. 63. (233). qualos, crates, fiscinas. *Lucan.* 4. 131. cana salix madefacto vimine parvam Texitur in puppim. *Martial.* 7. 2. *de lorica.* Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictum Texuit innumeri lubricus unguis apri. *Id.* 14. 38. Texere tecta calamis paludis. *coprire.* et *Horat.* *Epod.* 2. 45. claudere textis cratibus lætum pecus. *Ovid.* 6. *Fast.* 262. Et paries lento vimine textus erat. *Stat.* 1. *Theb.* 583. vimine quernò Texta domus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (89). Casæ fissis arundinibus textæ. *Liv.* 30. 3. *sub fin.* Arundine textis storeaque tectis hibernaculis habitare. *Ovid.* 4. *Fast.* 435. implet lento calathos e vimine textos. *et ibid.* 870. Textaque composita juncea vincla rosa. *Seneca Herc. Fur.* 807. Tunc gravia monstri colla permulcens manu, Adamante texto vincit. *h. e.* catena solida et infragili. *Virg.* 5. *Æn.* 588. Creta fertur labyrinthus in alta Parietibus textum cæcis iter ancipitemque Mille viis habuisse dolum. *via intrecciata, tortuosa, imbrogliata.* ¶ 3. Latissimo sensu, pro construere, fabricari. *Cic.* 4. *Att.* 16. *ad fin.* Paulus in medio foro basilicam jam pæne texuit iisdem antiquis columnis. *Virg.* 11. *Æn.* 326. Bis denas Italo texamus robore naves. Sic *Sil. It.* 4. 492. *et* 11. 586. Texere classem alno. *Id.* 14. 418. turrim robore. *Prudent.* 10. *περὶ στεφ.* 846. (et *Sil. It.* 10. 535.) immanem pyram Texebat ustor fumidus pinu arida.

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 3. 3. 68. Quamvis sermones possunt longi texier. *Cic.* 9. *Fam.* 21. Privatas causas easque tenues agimus subtilius capitis aut famæ scilicet ornatius: epistolas vero quotidianis verbis texere solemus. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 5. 1. Sane texebatur opus luculenter. *h. e.* libri de republica. — *Auct. Carm. bucol.* 70. *Wernsd. v.* 2. *p.* 224. Lascivas saliens (*vitulus*) texuerat vias. *h. e.* lascivienti saltu et errore luserat in campo. Sic *Claudian.* 6. *cons. Hon.* 622. certaque vasandi Textas lege fugas. *h. e.* cursus recursusque. *Cf. Ovid.* 7. *Met.* 320. — Allegoria est in illo *Cic.* 3. *Orat.* 60. *sub fin.* Quamquam ea tela texitur et ea incitatur in civitate ratio vivendi, ut etc. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 27. Quum bene firmarunt animum præcepta jacentem, Rursus amor patriæ ratione valentior omni, Quod tua texuerunt scripta, retexit opus. — Hinc

*Textum, i,* n. 2. absolute usurpatur, substantivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Est vestis texta, pannus, *veste, panno, drappo:* et quodcumque opus textum. *Ovid. Heroid.* 9. 163. Illita Nessæo misi tibi texta veneno. *et* 17. *ibid.* 223. Purpura nempe mihi pretiosaque texta dabuntur. *Id.* 8. *Met.* 640. rude textum. *Martial.* 8. 28. Babylonica picta superbe Texta, Semiramia quæ variantur acu. *Id.* 13. 51. Texta rosis facta. *h. e.* corollæ. *Catull.* 64. 10. et *Ovid.* 14. *Met.* 530. et 1. *Fast.* 506. pinea texta carinæ. *Martial.* 3. 58. Vimineo texto ferre ova. *cestella.* et *Cod. Theod.* 15. 7. 11. Sigillatis sericis aut textis uti auratis. — *Capell.* 1. *p.* 14. Textum mundi. *h. e.* junctura seu machina. Similiter *Apul. De deo Socr.* Texta corporum. ¶ 2. Vel est ipsa textura alicujus rei. *Stat.* 10. *Theb.* 56. pepli mirabile textum. *Virg.* 8. *Æn.* 625. clipei non enarrabile textum. *tessitura, lavoro, ricamo istoriato.* et *Lucret.* 6. 1052. Ferrea texta. Adde 5. 95. et *Stat.* 5. *Theb.* 354.

II.) Translate. *Quintil.* 9. 4. *ante med.* Neque illud in Lysia dicendi textum tenue atque rarum, lætioribus numeris corrumpendum erat. *tessitura, stile.* et *Apul. De mag.* Omne calumniæ textum retexere. *l'orditura.*

TEXTERNA, æ, f. 1. (texo) taberna vel officina textoris. *Apul. Florid. n.* 9. Vestem de texterna emere, baxeas de suterna præstinare. Alii rectius leg. *textrina* et *sutrina.*

TEXTĪLIS, e, adject. (texo) *Textile,* ablat. sing. pro *textili,* apud *Venant.* 2. *carm.* 3. 17. et 11. *ibid.* 11. 9. — Textilis est texendo factus, *tessuto,* ὑφαντός, πλεκτός.

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 35. Textiles picturæ. *intessute, sc. trapunti istoriati.* et *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 61. stragulum. *Virg.* 3. *Æn.* 485. dona. *drappi, vesti.* et *Seneca Med.* 572. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (63). Aurum netur et texitur lanæ modo et sine lana. *et mox.* Agrippina induta paludamento, auro textili sine alia materie. *oro filato e tessuto.* et *Val. Max.* 9. 1. *n.* 4. *extern.* Tabernacula textilibus signis adornata. *Cic.* vertens *Sophoclis* carmina, 2. *Tusc.* 8. 20. Ipsa illigatus peste interimor textili. *h. e.* tunica imbuta sanguine Nessi. *Vitruv.* 307. 3. ed. *Rose.* Textilis pannus. *Petron. Sat.* 55. Induere ventum textilem. *h. e.* vestem tenuissimam et subtilitate ventos æquantem, nebulam lineam. ὑπερβολή. — *Martial.* 12. 31. textilis umbra supini Palmitis. *di rami intrecciati.* — Ex *Lucret.* 5. 1349. discimus, prius vestes pelliceas nodis aut spinis circa corpus adnexas, deinde tegumenta quædam rudia ex junci, viminibus, philyris, papyro ac tandem ex lana in restis modum torta et instar storeæ plexis nexisque fuisse contexta: deinde post ferri usum inventum opus textile ab Ægyptiis, ut tradit *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57., apud quos lini copia fuit. *Lucret. loc. cit.* Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen: Textile post ferrum est. V. *Senec. Ep.* 90. *ante med.*

II.) Translate. *Martial.* 6. 80. Textilibus sertis omne rubebat iter. *h. e.* coronis ex rosis. Alii aliter leg. et *Apul.* 11. *Met.* Textilis pileus. — Hinc

*Textile, is,* n. 3. absolute, substantivorum more, est pannus textus, *drappo tessuto,* ὕφος, ὕφασμα. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Textile ne operosius; quam mulieris opus menstruum. *Liv.* 45. 35. Navis ornata spoliis non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium. *Propert.* 1. 14. 22. Quid relevant variis serica textilibus? *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 18. (62). Palmæ foliis utuntur ad textilia.

TEXTOR, ōris, m. 3. (texo) qui texit, ὑφάντης (It. *tessitore, tesseragnolo, testore;* Fr. *tisserand;* Hisp. *texedor;* Germ. e. *Weber;* Angl. *a weaver, plaiter*). *Plaut. Aulul.* 3. 5. 45. Textores, limbolarii, arcularii ducuntur. *Martial.* 12. 59. Hinc instat tibi textor, inde fullo. *Juvenal.* 9. 30. Lacernas male percussas textoris pectine Galli. Adde *Cic. Planc.* 25. *a med.*, ubi alii rectius leg. *tector.* — Tropice intelligunt quidam de ipsa veste a textore confecta illud *Horat.* 1. *Ep.* 19. 13. Exiguæque togæ simulat textore Catonem. *Forcellinus* tamen interpretatur de eo qui texit, sensu proprio.

TEXTŌRĬUS, a, um, adject. (texo) ad textorem et ad texendum pertinens, ὑφαντικός.

I.) Proprie. *Colum.* 9. *R. R.* 6. Alvearia opere textorio salicibus connectuntur. *h. e.* vitili.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 113. *a med.* Textorium, inquis, totum mehercule istud est. *h. e.* captatorium. Potest et absolute hic accipi substantivorum more.

TEXTRĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a textrix, parva textrix. *Arnob.* 5. *p.* 166. Textriculæ puellæ.

TEXTRĪNA, æ, f. 1. et

TEXTRĪNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TEXTRĪNUS, a, um, adject. (textor) ad texendum pertinens. *Vulgat. interpr. Tob.* 2. 19. Textrinum opus. *Firmic. De err. prof. relig.* 17. Minerva textrinæ artis magistra. — Hinc absolute, substantivorum more

*Textrina, æ,* f. 1. ¶ 1. Proprie est ars et officina textoria, ἱστουργεῖον. *Vitruv.* 6. 7. *in fin.* Plumariorum textrinæ pictorumque officinæ. Alii leg. *textrina.* Adde *Apul. Florid.* 9. et *Boeth.* 1. *Arithm. præf.* Cf. *Textrinum* mox seq. ¶ 2. Tropice ipsum opus, quod in textrina fit. *Cassiod.* in *Psalm.* 29. 12. Saccus est textrina grossissima et aspera.

*Textrinum, i,* n. 2. ¶ 1. Proprie est ars et officina textoria, textrina. *Cic.* 6. *Verr.* 26. 58. Nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi iste non textrinum instituerit. *Est qui leg.* textrinam. *et ibid.* 46. 103. Quod oppidum isti textrinum ad muliebrem vestem conficiendam fuit. *Seneca Ep.* 90. *circa med.* Posidonius textrini quoque artem a sapientibus dixit inventam. *Sueton. Gramm.* 23. Palæmon mulieris verna primo, ut ferunt, textrinum, deinde, herilem filium dum comitatur in scholas, litteras didicit. Alii leg. *textrinam,* h. e. texendi artem: quo sensu afferri solet et locus *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (81)., ubi pro *pertinax ratio textrinæ* legitur *per se tenax ratio tramæ. Hieronym. Ep.* 117. *n.* 8. Torosulus juvenis, qui ipse sacculum signet, textrinum teneat, pensa distribuat, regat familiam. ¶ 2. Tropice est navale, ubi texuntur naves, *arsenale,* ναυπήγιον. *Enn.* apud *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 326. Idem campus habet textrinum navibu' longis.

TEXTRIX, trīcis, f. 3. (textor) mulier textoriæ artis perita, *tessitrice,* ὑφάντρια. *Tibull.* 2. 1. 65. Atque aliqua assidue textrix operata Minervam Cantat. *Alii leg.* assiduæ textis operata Minervæ. *Martial.* 4. 19. *de endromide.* Sequanicæ pinguem textricis alumnam. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 9. *n.* 77. Textrix vestiaria tenuiaria. — Speciatim. *Apul.* 6. *Met.* Modicum te progressam textrices orabunt anus. *h. e.* Parcæ, quæ vitæ stamina texunt. *Id. ibid.* Textricum spretis subdolis precibus. Adde *Ulp. Dig.* 33. 9. 3. § 6.

TEXTŪM, i, n. 2. *V.* TEXO in fin.

TEXTŪRA, æ, f. 1. (texo) actus texendi, *tessitura,* ὕφασις.

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 2. 2. 24. Ut operam omnem aranearum perdam et texturam improbam. *ragnatelo.* et *Propert.* 4. 5. 23. Coæ textura Minervæ. Adde *Senec. Ep.* 121. Cf. *Lucret.* 3. 210. Quam tenui constet textura quamque loco se Contineat parvo.

II.) Tropice est opus texendo factum. *Lucan.* 9. 777. laterum textura cavumque Pectus. *le coste.* et *Dracont. Carm. min.* 7. 32. Et vocis textura sonet nervique loquaces.

TEXTUS, a, um, particip. *V.* TEXO.

TEXTUS, us, m. 4. (texo) ratio texendi, textura, *tessitura.*

I.) Proprie. *Lucret.* 4. 729. multo magis hæc sunt tenuia textu, Quam quæ etc. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 37. 61. (132). Capiuntur purpuræ parvulis rarisque textu veluti nassis. *et ibid.* 35. 58. (117). Lolliam Paulinam vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus. *Sillig.* texto. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (60). Grana in stipula crinito textu spicantur.

II.) Translate refertur ad contextum orationis. *Quintil.* 8. 6. *a med.* Præter hæc usus est allegoriæ, ut tristia dicamus melioribus verbis, aut bonæ rei gratia quædam contrariis significemus, aliud textu. *Manil.* 3. 270. quarum ratio manifesta per artem Collecta est venietque suo per carmina textu. *Ammian.* 15. 7. 6. Rem brevi textu percurram. *brevemente.* et *ibid.* 8. 1. Ut ostendit textus superior. *h. e.* verba prædicta. *Id.* 27. 12. *in fin.* Quod contra fœderum textum juvarentur Armeniæ. *contra 'l tenore de' trattati.* et *paullo sup.* Textus gestorum. *serie, narrazione.* Sic 28. 1. 17. Hymetii negotium est actitatum, cujus hunc fuisse novimus textum. *Id.* 15. 5. 12. Priore textu interpolato. *Id.* 22. 15. 8. Textus librorum. *Id.* 14. 6. 26. Redeundam ad textum. *et* 15. 5. 4. Subscribitur textus. *Capitolin. Maxim. duo.* 1. Quorum res gestæ plures atque clariores longiorem desiderant textum.

# TH

TH, littera t cum aspiratione, cui respondet Græca ϑ (Θ), theta. De hac *Priscian.* 1. *p.* 543.

*Putsch.* Sciendum quod hic quoque error a quibusdam antiquis Græcorum Grammaticis invasit Latinos, qui φ et ϑ et χ semivocales putabant nulla alia causa, nisi quod spiritus in eis abundet, inducti: quod si esset verum, debuit c quoque vel t addita aspiratione semivocalis esse, quod omni caret ratione; spiritus enim potestatem litteræ non mutat etc. — Jam inde a Ciceronis ætate distinguebantur *ch, ph, th* a simplici *c, p, t;* quamquam aspiratæ sæpius occurrunt in vocibus non Latinæ originis, uti supt, *chorus, elephantus, thesaurus* etc. raro autem in Latinis, ut *pulcher*, *Cethegus* etc. Consule *Cic. Orat.* 48. 160. et videsis litt. H et T. Græce *Auson. Technop.* 12. *v.* 23. *Schenkl.* Ansis cincta duabus erit quam iota leges Θ. Cf. *Brambach op. cit. p.* 287. *et seqq.*

THABORIM *vel* thaborin, indecl. nomen herbæ chamæmeli apud Ægyptios. *Apul. Herb.* 24., ubi alii *tuorin* leg.

THĂLĂMĒGUS, i, m. 2. θαλαμηγός, navis cubiculata (V. *Senec.* infra *cit.*): sc. navis deliciarum, magis quam belli, causa ornata, thalamis et cubiculis instructa pretiosisque obducta velis aliisque regiis ornamentis, qua utebantur reges Ægypti sursum prorsum Nilo navigantes solatii causa: inventa a Philopatore rege et ab aliis deinceps usurpata: videturque ita dicta παρὰ τὸ ἄγειν τὸν θάλαμον, h. e. quia thalamos habet et cubicula. *Sueton. Cæs.* 52. *de Cæsare et Cleopatra.* Eadem nave thalamego pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetravit. *Seneca* 7. *Benef.* 20. hujus generis naves *cubiculatas* vocat; *Plin.* vero 7. *Hist. nat.* 30. 31. *init.* dicit *villatas.* Similes sunt nostri *burchielli*, inquit *Forcellinus.*

THĂLĂMUS, i, m. 2. (θάλαμος) *Talamus* sine aspiratione in *Insc.* apud *Garrucci, Ant. Iscr. di Benev. p.* 170. — Thalamus est proprie locus interior; hinc cubiculum interius et speciatim feminarum in ædibus ac præcipue sponsorum aut conjugum (It. *camera da letto o da dormire;* Fr. *chambre à coucher;* Hisp. *camara;* Germ. *das Schlafzimmer, Wohnzimmer;* Angl. *a bridechamber, bed-chamber*). Vox poetica.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ovid.* 2. *Met.* 738. Pars secreta domus ebore et testudine cultos Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandrose, dextrum, Aglaurus lævum, medium possederat Herse. *Id.* 10. *ibid.* 456. thalami jam limina tangit; Jamque fores aperit, jam ducitur intus. *Virg.* 6. *Æn.* 623. Hic thalamum intravit natæ. Adde 4. *ibid.* 133. *Ovid. Heroid.* 12. 57. Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum. — De cubiculo sponsorum. *Isid.* 15. *Orig.* 3. 6. Ægyptii lingua sua loca, in quibus nubentes succedunt et incubant, thalamum nominant. *V.* integrum loc. *Vitruv.* 6. 10. In prostadis dextra ac sinistra cubicula sunt collocata, quorum unum thalamus, alterum amphithalamus dicitur. *Thalamus*, viri et uxoris cubiculum: *amphithalamus*, ubi ancillæ cubabant. *Catull. Carm.* 65. *de com. Beren. v.* 17. Ubertim thalami quas (*lacrimas*) intra limina fundunt. *Virg.* 2. *Æn.* 503. Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de quovis habitaculo. *Virg.* 6. *Æn.* 280. Ferreique Eumenidum thalami. *Id.* 4. *G.* 189. *de apib.* ubi jam thalamis se composuere, siletur In noctem. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 46. 71. (185). *de Api.* Delubra et gemina, quæ vocant thalamos.

II.) Translate. ¶ 1. Est cubile, lectus conjugum, *letto conjugale. Propert.* 2. 12. 14. Lacæna Cum Menelaeo surgeret e thalamo. *Id.* 3. 5. 63. Sed thyiæ thalamo aut Oriciæ terebinthi Effulto pluma versicolore caput. *Petron. Sat.* 26. Thalamum veste exornare. — *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. 139. Corporis expansionem ex thalamo fieri probaverunt. *h. e.* Venere et concubitu. — Et de quovis lecto. *Inscr.* apud *De-Rossi Bullett. Crist. a.* 1863. *p.* 95. ¶ 2. Sæpe refertur ad nuptias et conjugium. *Virg.* 4. *Æn.* 550. degere vitam Expertem thalami. *celibe.* et *ibid.* 18. Si non pertæsum thalami tædæque fuisset. *et* 7. *ibid.* 253. Quantum in connubio natæ thalamoque moratur. *Seneca Œdip.* 489. Tradere virginem thalamis. *Ovid.* 3. *Fast.* 689. Parare thalamos tædasque. *Seneca Agam.* 992. Vidua ante thalamos. *et ibid.* 256. Consors thalami. *et Herc. Fur.* 852. thalamis jugatæ virgines. *Id. Herc. Œt.* 419. Virginum thalamos petit: siqua negata, rapit. *Id. Troad.* 891. Ire ad thalamos. *Ovid.* 12. *Met.* 143. Tentasset Peleus thalamos quoque forsitan illos. *h. e.* illam petisset uxorem. *et* 7. *ibid.* 21. quid in hospite, regia virgo, Ureris et thalamos alieni concipis orbis? *h. e.* cogitas habere maritum externum. *Id.* 1. *Amor.* 8. 19. thalamos violare pudicos. *Virg.* 10. *Æn.* 550. incestare novercæ. *Val. Flacc.* 2. 371. Thalamis indulgere. *Sil. It.* 2. 179. thalamos sperare superbos. et 17. 83. thalami flagrantis amores. *Virg.* 9. *Æn.* 593. Turnique minorem Germanam nuper thalamo sociatus habebat. *et* 10. *ibid.* 649. thalamos ne desere pactos. *Stat.* 5. *Theb.* 463. Thalamus coactus. *maritaggio sforzato.* et *Capell.* 1. *p.* 10. In thalamos venire jussus. *h. e.* uxorem ducere. Adde *eumd.* 9. *p.* 301. ¶ 3. Et de ipsa sponsa sive conjuge. *Virg.* 7. *Æn.* 388. Quo thalamum eripiat Teucris tædasque moretur. *Dracont. Carm. min.* 8. 575. Ut conspexit (*Menelaus*) amens sulcari puppibus undas Et thalamos gestare suos. *h. e.* uxorem suam Helenam. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

THĂLASĒROS. *V.* THALASSEROS.

THĂLASSA, æ, f. 1. θάλασσα, mare: Græca vox, qua inscribitur liber nonus *Apicii* auctoris culinarii, quia in eo libro de piscibus marinis condiendis et de salsamentis agitur. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

THĂLASSÆGLE et

THĂLASSEGLE, es, f. 1. θαλασσαίγλη, herbæ nomen. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (164). Democritus tradit, thalassaeglen circa Indum amnem inveniri, quæ ob id nomine alio potamantis appellatur. Hac pota lymphari homines, obversantibus miraculis. *V.* POTAMANTIS.

THĂLASSĒROS *et* thalaseros, ōtis, m. 3. θαλασσερός, ita appellatur collyrium quoddam apud *Galen. De composit. medicam. l.* 4. *c.* 7. *a med.*, cujus ipse compositionem docet. Videtur esse a θάλασσα, mare, et ἔρος seu ἥρως, amor. *Inscript.* apud *Tôchon, Cachets des ocul. p.* 64. L. SACCII MENANDRI THALASSEROS DELACRYMATORIVM. *Alia* apud *eumd. ibid. p.* 60. M. VLPII HERACLETIS THALASSEROS. *Alia* in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 1318. T. IVNIANI THALASER (*leg.* thalaseros) AD CLARITATEM. — *NB.* De nom. propr. B. *V.* ONOM.

THĂLASSĬA, ōrum, n. plur. 2. loca seu vicinia maritima. *Sidon.* 1. *Ep.* 5.

THĂLASSĬCUS, a, um, adject. θαλασσικός, idem ac thalassinus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 43. Palliolum habeas ferrugineum. nam is color thalassicu' st. *et* 4. 6. 67. Nescio quis tecum incedit, ornatu quidem thalassico. *con abito marinaresco.*

THĂLASSĬNUS, a, um, adject. θαλάσσινος, marinus, ut Thalassinus color, idest cæruleus, qui est similis fluctibus maris. *Lucret.* 4. 1120. teriturque thalassina vestis Assidue. Cf. *Lachmann* ad *h. l. p.* 270.

THĂLASSĬO. *V.* TALASIO.

THĂLASSĬON phycos, θαλάσσιον φῦκος, fucus marinus, herba lactucæ similis, trium generum: latum et alterum longius, quadantenus rubens; tertium crispis foliis, quo in Creta vestes tingunt. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 66. (103).

THĂLASSĪTES, æ, m. 1. θαλασσίτης, sc. οἶνος, h. e. vinum, quod cum vasis suis in mare demergitur, ut ejus præcocior sit vetustas, inquit *Plin.* 14. *Hist. nat.* 8. 10. (78). Est autem vox a Græco θάλασσα, mare. *V.* ABROTONITES. Huic opponitur *vinum maris expers*, apud *Horat.* 2. *Sat.* 8. 15., quod Græcis est οἶνος ἀθάλασσος.

THĂLASSŎMEL. *V.* voc. seq.

THĂLASSŎMĔLI, n. indecl. (θαλασσόμελι) *Thalassomel* dixit *Plin. Valerian.* 1. *præf. p.* 164. *Ald.* — Thalassomeli est aqua medicata æquis portionibus maris, mellis, imbris. Mare ex alto et ad hunc usum advehunt fictilique vase et picato condunt. Prodest ad purgationes maxime, sine stomachi vexatione et sapore grato et odore. Hæc *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 35. (68). Est a θάλασσα, mare, et μέλι, mel. *Seren. Samon.* 28. 537. Sæpe thalassomeli adjecto cumulavimus imbri. Adde *Marcell. Empir.* c. 20. *p.* 117.

THĂLASSŎMĔTRA, æ, m. 1. qui mare metitur sive *maris mensor*, ut dixit *Horat.* 1. *Od.* 28. *init.*: a θάλασσα, mare, et μετρέω, metior. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 10. Geometram audivimus, thalassometram numquam audivimus.

THALĪA (talia), æ, f. 1. θαλία. ¶ 1. Est species quædam herbæ strychni sive solatæ, ut docet *Apul. Herb.* 74. Strycni species sunt quattuor: - tertia est, quæ vocatur hypnotice, sive, ut alii, strychnon manicon vel thalia vel anhydron etc. ¶ 2. *Thalia*, vel *talia* sine aspiratione, folliculus cæpæ. *Fest. p.* 359. 11. *Müll.* ¶ 3. Est etiam *thalia*, seu *thallia*, ramus virens olivæ. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *sub init.* — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

THĂLICTRUM vel

THĂLĬECTRUM vel

THĂLĬĔTRUM, i, n. 2. θαλίητρον, θάλικτρον vel θαλίηκτρον, herba folio coriandri, sed paullo pinguiore, caule papaveris, in campestribus præcipue nascens, utilis contra ulcera. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 112. (138). ubi *Harduin. leg.* Thalitruum *ex* MSS. Cf. *Sillig.* adnot.

THALLA. *V.* TALIA.

THALLĬA. *V.* THALIA.

THALLUS, i, m. 2. θαλλός, caulis seu germen virens plantarum (It. *messa, gamba, germoglio, tallo;* Fr. *tige ou branche verte;* Hisp. *tallo;* Germ. *Stängel, Zweig von Bäumen;* Angl. *the green stalk*). De cæpis. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ad fin.* Nisi arundines disposueris, thalli cæparum ventis prosternentur. *Pallad.* 2. *R. R.* 24. Vellendi sunt thalli adhuc semisicci cum semine et sic in sole siccandi. Addunt et *Lucil.* apud *Non. p.* 201. *Merc.*, ubi alii leg. *tallæ* vel *talæ?* Cf. *L. Müller.* — Ex ritu veterum olivam in sollemnibus quibusdam sacris aut civilibus prætendentium *Apul.* 11. *Met.* Exin gaudio delibuti populares thallos, verbenas, corollas ferentes, exosculatis vestigiis deæ - ad suos discedunt lares. Cf. *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 14. 4. *de Alcimo.* Offerens coronam auream et palmam: super hæc et thallos. *h. e.* ramos oleæ aureos. — Hinc et de incantationibus sacris magicis. *Virg. Cir.* 376. Pergit, Amycleo spargens altaria thallo, Regis Iolciacis animum defigere votis. *h. e.* termite myrti aut potius olivæ, quam Itali *aspersorio* et *aspergolo* dicunt, inquit *Facciolattus* noster. Et quoniam thallus de sacris magicis quasi proprie usurpatur, hinc etiam *Thalea silva* videtur esse, quæ iis apta et dicata est. Cf. *Calpurn. Ecl.* 6. 77.

THAMNUM. *V.* voc. seq.

THAMNUS, i, m. 2. Scribitur etiam *tamnus* et *thannus*. Recentiores vero cum *Forcellino* apud *Colum. loc.* infra *cit.* omnino leg. *thamnum* vel *thannum*, neutr. gen. — Thamnus est frutex quidam, cujus flores et coliculos teneros reponi jubet *Colum.* 12. *R. R.* 7., et conditura servari. *Tertull. Anim.* 32. Empedocles, quia se Deum delirarat, idcirco, thamnus et piscis fui, inquit. Cur non magis et pepo tam insulsus et chamæleon tam inflatus? Empedoclis versus exstant apud *Diogen. Laert.*, sed longe emendatiores apud *Clem. Alex. Strom.* 6. Cf. *Gloss. Lat. Gr.* Thamnus, ἕλιξ, βοτάνης εἶδος. et Gr. θάμνος.

THĂMUS, i, m. 2. Rectius legend. *Thamuz;* est enim vox Hebr. seu potius Chald. תמוז, *Thamuz:* significat autem quartum Judæorum mensem et respondet circiter nostro Junio, dictus ab Syrorum numine, quod et Adonis, unde et Adonia festa, quæ et mulieres Hebrææ in honorem Thamuz seu Adonidis celebrabant. Cf. *Hieronym.* in *Ezech.* 8. 14. V. THAMUZ in ONOM. Hinc emendand. *Kalend. Polem.*, ubi pro *Amir* legendum *Thamus*, ut monet *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. ad *h. l.* et *Gloss. Paris.* et *Pap.*, ubi *Thaneus* vel *Traneus* pro *Thamus* legitur.

THANEUS. V. voc. præced.
THANNUM et
THANNUS. V. THAMNUS.

THAPSI, ios, n. 3. genus sinapis. Plin. 19. Hist. nat. 8. 54. (171). Athenienses napy appellaverunt, alii thapsi, alii saurion.

THAPSIA, æ, f. 1. θαψία, frutex quidam foliis fœniculi, caule inani nec excedente baculi longitudinem, semine ferulæ, radice candida. Incisus lacteo suco manat: vim autem habet venenatam, quippe qui etiam effodientibus noceat: remedium autem est cerato corpus prius obducere. (Thapsia Asclepium Linn.) Dictus est a Thapso pæninsula Africæ, ubi plurimum provenit et vehementissimus est. Habet aliquos usus in medicina. Plin. 13. Hist. nat. 22. 43. (124). Cœl. Aurel. 2. Acut. 13. 84. Occipitium atque tempora capitis inungentes thapsia, quam nos ferulaginem dicimus. Cf. etiam Marcell. Empir. c. 30. p. 131.

THAPSOS, i, f. 2. θάψος, genus quoddam herbæ ad tingendum aptæ. Lucan. 9. 919. Peucedanumque sonat flammis Erycinaque thapsos. Erycinam cognomine appellat, quia in Eryce quoque Siciliæ monte invenitur: unde et Τριναχρία dicitur a Nicandro in Theriacis. — Hanc videtur Forcellinus eamdem putare ac thapsiam.

THARBALODATHION. V. TARBELODATHION.

THARGELION (targelion) et thargilion (targilion), ii, n. 2. θαργηλιών, nomen mensis Junii apud Athenienses, ut docet Polem. in Kalend., ita dictus a θαργήλια, quæ sacra erant in honorem Apollinis et eo mense celebrabantur.

THARGILION. V. voc. præced.

THASIUS (Thassius), a, um, adject. Θάσιος, ad Thasum, insulam Thraciæ, pertinens, de qua V. ONOM. Hinc Thasius lapis, in ea insula abundans et diversis coloribus distinctus, apud Senec. Ep. 86. ante med. Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit. Adde Plin. 36. Hist. nat. 6. 5. (44). et Isid. 16. Orig. 5. 12. — Thasiæ vites et Thasium vinum, in eadem insula optime provenientia, apud Virg. 2. G. 91. Sunt Thasiæ vites, sunt et Mareotides albæ. Vet. Poet. apud Plin. 14. Hist. nat. 14. 16. (95). Quinque Thasi vini depromam, bina Falerni. Cf. ibid. 18. 22. (117). Thasos duo genera vini diversa facere proditur: unum, quo somnus conciliatur, alterum vero, quo fugetur. — Thasiæ nuces, eadem ratione. Id. 15. ibid. 22. 24. (90). Thasiæ nuces et Albenses celebrantur.

THASSA. V. THRISSA.

THAU et tau, indecl. nomen litteræ postremæ alphabeti Hebraici, cujus figura est ת, et signum valet, uti docet Hieronym. Ep. 30. (aliter tamen Ambros. in Ps. 118. serm. 22.), in crucis formam apud Hebræos antiquiores, ut videre est in nummis Machabæorum (Cavedoni Numism. Bibl. p. 26. et seqq. Cf. Cornely Tab. in Intr. Bibl. p. 641.), a quibus hanc litteram mutuati sunt Græci et Romani. V. TAU. — Symbolum erat crucis Domini; hinc eo signo notari jussit Deus electorum frontes, ut a communi interitu salvi existerent. Vulgat. interpr. Ezech. 9. 4. Cf. Hieronym. 3. in h. l. et Weitenauer op. cit. p. 493.

THEAMEDES, is, m. 3. lapis est in Æthiopiæ montibus, contrarius magneti, quippe qui ferrum sibi appositum statim abigat. Plin. 36. Hist. nat. 16. 25. (130). Cf. tamen Beckmann Beitrag. 1. 245.

THEANGELIS, idis, f. 3. herba quædam: a θεός, deus, et ἄγγελος, nuntius, quasi deorum nuntia, quod pota divinandi facultatem præbeat. Plin. 24. Hist. nat. 17. 102. (164). Theangelida in Libano Syriæ, qua pota magi divinent.

THEATER. V. THEATRUM.

THEATRALIS, e, adject. (theatrum) ad theatrum pertinens, di teatro, teatrale, θεατρικός. Cic. Sext. 54. 115. Theatrales gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere, levitate nonnullorum, emptos plausus exiles et raros excitare. Tac. 14. Ann. 21. Theatrales artes. Id. 1. ibid. 16. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum. di teatrali fazioni. et 11. ibid. 13. Theatralis lascivia. Quintil. 2. 2. 10. humanitas. affettata. et Inscr. apud Orelli n. 2170. lætitia. Boeth. 1. Music. 1. modi. Cod. Theod. 2. 8. 3. liberalitas. et 15. 5. 2. ludi. Sidon. 3. Ep. 13. sub fin. sermones. h. e. obsceni. Plin. 7. Hist. nat. 30. 31. (116). lex. h. e. de ordine sedendi in theatro. V. infra. Sueton. Domit. 8. Licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit. Id. Aug. 40. Theatralis pœna. h. e. quæ lege Roscia primum statuta fuerat, mox lege Julia theatrali, de qua Plin. 33. Hist. nat. 2. 8. (32), ab Augusto renovata est in eos, qui, equites quum non essent, in quattuordecim spectassent. Eamdem tertio restituisse Domitianum, patet ex Sueton. loc. cit. et Martial. 5. 8. Serv. ad Virg. 2. G. 381. Primi ludi theatrales ex Liberalibus nati sunt. Plin. 4. Hist. nat. 8. 15. (30). In Thessalia montes theatrali modo inflexi. De iisdem Capell. 6. p. 207. Theatrali more curvantur.

THEATRICUS, a, um, adject. θεατρικός, theatralis. Augustin. 2. Doctr. Chr. 18. (et Boeth. De diis et præs. p. 392. Or.) Ad theatricas nugas converti. Id. 6. Civ. D. 6. Theatricæ turpitudines. et ibid. 7. arma. et ibid. 10. theologia. et 2. Music. 5. § 8. operarii. Boeth. De diis et præs. p. 393. di'.

THEATRIDIUM, ii, n. 2. θεατρίδιον, parvum theatrum, sed Græce plerumque scribitur. Varro 3. R. R. 5.

THEATROCYNEGIUM (theatroquinegium), ii, n. 2. θεάτρου κυνηγία, theatrica venatio, una ex consulum processionibus, de quibus Julian. Antecess. Const. 98. 1.

THEATRUM, i, n. 2. (θέατρον) Teatrum pro theatrum, omissa aspiratione, in Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 1. 571. et 572. — Alia forma theater vel theatrus apud Fortunat. Art. Rhet. 3. p. 123. 10. Halm. Sic Inscr. apud Orelli n. 4955. — Theatrum est ædificium semicirculi specie ad spectandos ludos scænicos factum (It. teatro; Fr. théatre, spectacle; Hisp. teatro; Germ. der Schauplatz, Theater; Angl. a theatre): a θεάομαι, specto, video. Olim stantes aderant spectaculis, ut est in Epit. Liv. 48. sub fin. et Val. Max. 2. 4. n. 2.; crescente luxu theatra facta sunt, ut a sedentibus spectaretur. Primo lignea fuere et temporaria, quæ peractis ludis solverentur: postea ex lapide structo et mansura. In his erant scæna, ubi actores agebant: cavea seu arena, ubi edebantur spectacula: orchestra, ubi senatores: gradus plurimi, ubi reliqui spectabant: et primo quidem promiscue, postea, lege Roscia, primi quattuordecim ordines graduum orchestræ proximi equitibus assignati, reliqui pleb.. Hæc Forcellinus. Sed accuratius partes theatri R. (quæ suis quæque locis exponuntur) ita distinguimus et subjecto schemate seu diagrammate illustramus, quod ex theatro Herculanensi, in Romani formam exstructo, desumptum est. Sunt nempe cavea, ædificii corpus spectatoribus assignatum, ubi sedilia, ex gradibus facta, in semicirculum disposita erant, mœniana, præcinctiones, cunei, scalæ, vomitoria, orchestra (O), proscænii pulpitum (C), proscænium (D), scæna (e), postscænium (B).




— De theatri rationibus præcepta tradit Vitruv. 5. 3. et seqq. et ibid. 7. et seqq. — Porro de veterum theatris consule Guhl et Koner d. Leb. Gr. und Röm. n. 58. et 84., Rich op. cit. et Ritschl Parerg. I. p. 212. et seqq. — Ea tamen, quæ ad theatri scænam pertinent, hactenus obscuriora, cl. Lohde in Sken. d. Alten erudite disseruit et ex ruinis nuper repertis satis declaravit. — Discrimen theatri Græci a Romano V. in Bullett. dell' Instit. archeol. a. 1836. p. 92. Cf. Drumann Gesch. Rom. T. 4. p. 520. et seq. — Apud Græcos theatra etiam pro curia erant; in his enim de republica agebatur, habebantur conciones, de summa rerum deliberabatur. Cic. Flacc. 7., Nepos Timol. 4., Liv. 24. 39. et 33. 28., Tac. 2. Hist. 80. et Capell. 5. p. 137.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Nævius apud Charis. 2. p. 192. Quæ ego in theatro hic meis probavi plausibus, ea non audere quemquam regem rumpere. Cæs. 3. B. C. 25. Castra munita altera (ex parte) a theatro, quod est ante oppidum, substructionibus ejus operis maximis. Cic. 1. Tusc. 16. 37. Frequens consessus theatri - movetur audiens tam grande carmen. Nepos Reg. 2. Philippus quum spectatum ludos iret, juxta theatrum occisus est. Cic. 3. Rep. 32. 44. Num aut species præclara oppidi aut theatrum, gymnasia, porticus - rempubl. efficiebat? Id. 3. Fin. 20. 67. Theatrum ut commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisque occuparit. Id. 2. Att. 19. ante med. Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est, nam gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis concissi. Horat. 2. Ep. 2. 130. In vacuo lætus sessor plausorque theatro. Id. ibid. 1. 60. Arto theatro spectare. Id. 1. Ep. 19. 41. spissis indigna theatris Scripta pudet recitare. Ovid. 1. Art. am. 497. curvo theatro sedere. et ibid. 394. et 3. Trist. 12. 24. terna theatra. h. e. Pompeji, Marcelli et Statilii Tauri. Virg. 1. Æn. 428. hic alta theatris Fundamenta locant. Vitruv. 5. 3. Si curiosius eligetur locus theatro, vitabuntur vitia. Id. ibid. 3. Altitudines theatrorum. Id. ibid. 6. Theatri conformatio. et ibid. 3. Theatrorum gradationes. et ibid. ratiocinationes. Cic. 1. Divinat. 27. 59. Theatrum frequentissimum. Lucret. 4. 76. magnum. Ovid. 2. Amor. 7. 3. marmoreum. Id. 3. Met. 111. festum. Id. 11. ibid. 25. structum utrinque. anfiteatro. et Auson. prolus. lud. sept. 21. cuneatum. Plin. 34. Hist. nat. 9. 17. (38). temporarium. Cod. Theod. 15. 5. 5. Theatrorum atque circensium voluptas. et ibid. 7. 12. In theatri proscænio. Inscr. apud Orelli n. 3303. Theatrum et proscænium. et apud Henzen n. 5320. In opus cultum theatri dedit statuas. et ibid. n. 6595. Theatri orchestra. Quintil. 3. 8. 28. Theatrum ædificare. Inscr. apud Henzen n. 5128. exornare. Cod. 8. 225. In theatro spectare. — Theatrum tectum est idem quod odeum, quam vocem vide suo loco. Inscript., quæ adhuc exstat Pompejis in latere theatri hujusmodi, apud Orell. Coll. Inscr. Lat. n. 3294. C. QVINCTIVS C. F. VALG. M. PORCIVS M. F. DVOVIR. DEC. DECR. THEATRVM TECTVM FAC. LOCAR. EIDEMQVE PROBAR. Stat. 3. Silv. 5. 91. Et geminam molem nudi tectique theatri. Loquitur hic de Parthenope, h. e. Neapoli; ergo hic quoque ut Pompejis theatrum et odeum erant. Hinc Tertull. Apolog. 6. ante med. Video et theatra nec singula satis esse nec nuda. Boeth. in Top. Cic. p. 799. Theatrum propter ampliores sonitus exhibendos tegi solet. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de quocumque loco ad edenda spectacula apto. Virg. 5. Æn. 288. campus, quem collibus undique curvis Cingebant silvæ: mediaque in valle theatri Circus erat. et ibid. 664. ad tumulum cuneosque theatri. Cf. Capell. 6. p. 204. Prominentias utrinque componens theatrum quoddam spectare videaris undarum. — NB. Sunt qui distinguant theatrum sing. num. a theatris plur. num. Prob. App. p. 201. 21. Keil. Theatrum mœnia ipsa significat: theatra vero ludos scænicos esse demonstrat.

II.) Translate. ¶ 1. Tropice de iis, qui in theatro spectant, de spectatoribus. Cic. 3. Orat. 50. sub fin. In his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret aut pro-

ductione longius, theatra tota reclamant. *Quintil.* 1. 6. 45. Tota sæpe theatra et omnem circi turbam exclamasse barbare. *Id.* 6. 1. 52. Tunc est commovendum theatrum, quum ventum est ad ipsum illud Plaudite. Cf. *Ovid.* 11. *Met.* 22. ¶ 2. Figurate. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. *extr.* Omnia benefacta in luce se collocari volunt: sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est. *Id.* 12. *Fam.* 29. Ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia est, magno theatro spectata est tum quum etc. *Id.* 7. *Verr.* 14. 35. Ut me et quæsturam meam quasi in aliquo orbis terræ theatro versari existimarem. *Id. Brut.* 2. 6. Quum forum populi R. fuisset quasi theatrum illius ingenii. *Quintil.* 1. 2. *ante med.* Optimus quisque præceptor frequentia gaudet ac majore se theatro dignum putat. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 12. Quare quoniam theatrum tuis virtutibus est datum, celebritate refertissimum, natura autem ita resonum, ut etc.

THĔĀTRUS. *V.* voc. præc. init.

THĒBĀĬCÆ, ārum. *V.* voc. seq.

THĒBĀĬCUS, a, um, adject. ad Thebas, oppidum Ægypti, pertinens, de quo *V.* ONOM. — Hinc *Thebaicus lapis*, quem apud Italos *alabastro Tebaico* quidam esse dicunt; sed *Corsi* (*Delle pietre ant. p.* 16.) censet, eum esse, quem Itali *lavagna tigrata* appellant. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 13. (64). (et *ibid.* 22. 43. (157). Thebaicus lapis, interstinctus aureis guttis, invenitur in Africæ parte Ægypto adscriptæ. *Spartian. Nigr.* 12. Simulacrum ex Thebaico marmore. — Hinc *Thebaicæ, arum*, f. plur. 1. absolute, substantivorum more, palmulæ seu dactyli. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 26. et *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann. V.* etiam CARICUS. Cf. *Gargil. De pom.* 26.

THĒCA, æ, f. 1. (ϑήκη) Ad scriptionem quod attinet, *Apul. De diphth.* 27. *thæcam* diphthongo æ, ut alia, quæ Græce e productum habent, scribi tradit, nullo tamen auctoris loco adlato. — Theca est repositorium, vagina, loculus, in quo aliquid recondimus (It. *borsa, guaina, astuccio, fodero*; Fr. *enveloppe, étui, gaîne, fourreau*; Hisp. *carpeta, estuche, vayna, palillero*; Germ. *Hülle, Futteral, Decke, Scheide*; Angl. *a case, sheath, box*): a ϑέω, pono. *Varro* 1. *R. R.* 48. Proinde ut grani theca sit gluma et apex arista. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 52. Efferri sine thecis vasa, extorqueri alia de manibus mulierum. *Id.* 4. *Att.* 7. Quare in hoc thecam nummariam non retexeris. *Quintil.* 6. 3. 61. Chrysippus, quum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata et post dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit. *Propert.* 2. 7. 17. abrepta desertus conjuge Achilles Cæsare in thecis pertulit arma sua. Alii rectius leg. *in Teucros.* et *Sueton. Claud.* 35. Calamariæ aut graphiariæ thecæ. *V.* CALAMARIUS. *Edict. Diocl.* 10. 17. Thecæ cannarum quinque. Cf. *Martial.* 14. 19. Sic absolute *Ammian.* 28. 4. 12. Quum notarii triginta prope adsistant cum thecis et pugillaribus tabulis. *h. e.* thecis calamariis.

THĒCĀTUS, a, um, adject. (theca) theca inclusus. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *ante med.* Arcum thecatum gestare.

THEHILIM, plur. indecl. Vox ab Hebr. תהלים *thehillim*, hymni, laudes: ita inscriptus est liber Psalmorum in sacris Scripturis. *Isid.* 6. *Orig.* 2. 15.

THĒLĒTUS. *V.* TELETUS.

THĒLŎDĪVES, itis, adject. omn. gen. Vox hybrida a Gr. ϑέλω, volo, affecto, et Lat. *dives*, se. qui vult, sive affectat, dives videri. *Augustin. Ep.* 149. Sic enim et vulgo dicitur; qui divitem affectat, thelodives, et qui sapientiam, thelosapiens, et cetera hujusmodi: ergo et hic thelohumilis, quod plenius dicitur thelon humilis, id est volens humilis, affectans humilitatem. Cf. *Paul. ad Col.* 2. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω ϑέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Alii tamen aliter intelligunt.

THĒLŎHŪMĬLIS, e, adject. *et*

THĒLON et

THĒLŎSĂPIENS. *V.* THELODIVES.

THĒLȲCARDĬOS, ii, f. 2. genus quoddam gemmæ, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (183).

THĒLȲCON, i, n. 2. vocatur apud *Apul. Herb.* 82. herba, quæ et thelygonon dicitur.

THĒLȲGŎNON, i, n. 2. ϑηλύγονον. ¶ 1. Est herbæ nomen, quæ etiam mercurialis dicitur. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 60. (162). Arsenogonon et thelygonon herbæ sunt habentes uvas floribus oleæ similes, pallidiores tamen, semen album papaveris modo. Thelygoni potu feminam concipi narrant. Arsenogonon ab ea semine oleæ, nec alio distat. Hujus potu mares generari perhibentur, si credimus. Hæc *Plin.* Ratio autem nominis est, prioris quidem ab ἄρσην, ενος, mas, et γόνος, generatio: alterius a ϑῆλυς, femineus. V. *Apul. Herb.* 82. ¶ 2. Item herba satyrion. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 40. (99). Græci concitationem (*Veneream*) hanc satyrion appellant, sic et cratægin cognominantes et thelygonon et arrhenogonon etc.

THĒLȲGŎNOS, i, f. 2. species herbæ, h. e. cratæogoni, gustu lenior. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 40. (62).

THĒLȲPHŎNON, i, n. 2. ϑηλύφονον ¶ 1. Est, ex quorumdam sententia, aconitum, apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 3. 2. (122)., quia, tactis eo genitalibus feminini sexus animalium, mortem inferat: a ϑῆλυς, femineus, et φόνος, cædes. ¶ 2. Præterea hoc nomine significatur herba, cujus tactu moriuntur scorpiones; unde et scorpion vocatur. *Id.* 25. *ibid.* 10. 75. (122).

THĒLYPTĔRIS, idis, f. 3. ϑηλύπτερις, genus filicis non fruticosum, brevius, mollius et densius, foliis ad radicem canaliculatis et pinnatis: unde nomen; πτερόν enim ala est. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 55. (78).

THĒLYRRHIZOS, i, m. 2. gemma cinerei coloris aut rufi, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (183). Alii leg. *telirrhizos*.

THĔMA, ătis, n. 3. ϑέμα, id quod positum est: a ϑέω, pono. ¶ 1. Ab astrologis usurpatur pro positione cœli in natali alicujus, sidere natalicio, horoscopo, genitura. *Sueton. Aug.* 94. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit. ¶ 2. Apud rhetores sumitur pro argumento et materia controversiæ declamandæ, et pro quæstione, quæ dissertationis fundamentum est. *Senecà* 3. *Controv.* 20. *ad fin.* Scholastici exempla quum dixerunt, volunt et illa ad aliquod controversiæ thema redigere. Adde *Controv.* 28. *a med.* et *Quintil.* 7. 2. *ad fin.* et 9. 2. *ad fin.* et *Arator.* 2. *Act.* 490. *Auct. Quæst. gramm. Cod. Bern. p.* 187. *Hag.* Epithema dicitur et emplastrum a superponendo dictum, unde et illud quod ait Hieronymus: sumpto themate, putatur quasi sumpta dicendi positione. Porro illud in decretis Innocentii: venimus ad Fotini maximum thema, aliud est, idest quæstionis propositio. ¶ 3. Item apud grammaticos pro ea vocabuli positione, quæ in declinatione invariabilis manet. *Inc. Grammatic.* in *fragm. de verbo*, 16. *p.* 152. *Endl.*

THĔMĔLE. *V.* THYMELE.

THEMONESTRON, i, n. 2. genus herbæ, quæ sæpius pentaphyllum dicitur. *Apul. Herb.* 3., ubi alii *theomenestrum* leg.

THENSA. *V.* TENSA.

THENSAURUS. *V.* THESAURUS.

THEŎBROTĬOS, ii, f. 2. genus herbæ magicæ: a ϑεός, deus, et βρωτός, edulis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (162). Democritus tradit, theobrotion triginta schœnis a Choaspe nasci, pavonis picturis similem, odore eximio. Hanc autem a regibus Persarum comedi ac bibi contra omnia corporis incommoda instabilitatemque mentis. Ita leg. *Silligius.* Cf. *Dioscorid.* 4. 89., qui ϑεοβρότιον inter synonyma sempervivi parvi recenset. Alii tamen *theombrotion*. Sic etiam apud *Plin. loc. cit.* leg. *Janus.*

THEOCTŎNUS, i, m. 2. ϑεοκτόνος, h. e. Dei interfector: a ϑεός, deus, et κτείνω, occido. *Mar. Mercat.* in *Excerpt. Nest. p.* 873. *Mign.* Si quis non adorat crucifixum, anathema sit et inter theoctonos numeretur.

THEŎDŌNĬON, ii, n. 2. herba eadem ac pæonia: quæ videtur ita appellata a ϑεός, deus, et donum: quasi ea sit Dei donum. Ejus meminit *Apul. Herb.* 64.

THEŎDŎTĬON, ii, n. 2. ϑεοδότιον ¶ 1. Est genus quoddam collyrii: a ϑεός, deus, et δόω, do: quasi a Deo datum. *Marcell. Empir.* 8. *a med.* Collyrium Dionysianum, quod appellatur Theodotion, ad lacrimam tenuem restringendam. *Inscript.* apud *Tôchon, Cachets des ocul. p.* 71. IVNII TAVRI THEODOTION AD OMNEM LIPPITVDINEM. ¶ 2. Est etiam genus cretæ viridis, ita dictæ a Theodoto quodam, in cujus fundo primum est inventum, ut tradit *Vitruv.* 7. 7.; ubi tamen Græce scribitur.

THEŎGŎNĬA, æ, f. 1. ϑεογονία, deorum origo. Hoc nomine exstat opus *Hesiodi*, in quo deorum genealogias explicat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 14. 36. Quum vero Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino insitas perceptasque cognitiones deorum.

THEŎLŎGĬA, æ, f. 1. (ϑεολογία) *Theologian* in accus., Græca forma, apud *Augustin.* 6. *Civ. D.* 10. — Theologia est scientia, quæ agit de Deo et de rebus, quæ ad Deum proxime referuntur, ut de angelis, de mundi origine et similibus, *teologia*. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 11. *a med.* Theologia, id est divina ratiocinatio. *Varro* apud *Augustin.* 6. *Civ. D.* 5. tria genera theologiæ esse dicit, mythicon, physicon, civile. Mythicon, quo utuntur poetæ; physicon, quo philosophi; civile, quo populi. *et sub fin.* Prima theologia maxime accommodata est ad theatrum; secunda ad mundum; tertia ad urbem. Videtur tamen *Augustin.* hæc et alia multa, quæ deinceps recitat, non ipsis *Varronis* verbis, sed sententia retulisse. Adde *Boeth. De Trin.* 2., *Chalcid. Tim.* 264. et *Jornand. Get.* 11. *Augustin.* 2. *De doctr. Chr.* 28. Nec ipse Pythagoras fuit, a cujus posteris Platonem theologiam didicisse isti asserunt.

THEŎLŎGĬCUS, a, um, adject. ϑεολογικός, ad theologiam pertinens, *teologico*. *Ammian.* 16. 5. 5. Theologica doctrina. Adde *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn. init.* — *Theologicum metrum* dicitur ab Orpheo et Musæo, qui deorum sacerdotes quum essent, hymnos hoc metro cecinerunt, ut ait *Mar. Plot. Sacerd.* 3. *p.* 502. 14. *Keil.*

THEŎLŎGŪMĔNA, on, n. plur. 2. ϑεολογούμενα, tractatus seu quæstiones de Deo deque rebus divinis. *Macrob.* 1. *Saturn.* 18. Aristoteles, qui theologumena scripsit.

THEŎLŎGUS, i, m. 2. ϑεολόγος, qui circa Dei et rerum divinarum contemplationem versatur, *teologo*. *Cic.* 3. *Nat. D.* 21. 53. Principio Joves tres numerant ii, qui theologi nominantur. *et mox.* Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur. *Arnob.* 3. *p.* 106. Quas (*injurias*) theologi, quas poetæ vestri, ipsi vos quoque ignominiosis celebratis in ritibus. Adde *Mythogr. Lat.* 3. 6. — De poetis dixit *Augustin.* 18. *Civ. D.* 14. Exstiterunt poetæ qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant. Ex quorum numero fuisse perhibentur Orpheus, Musæus, Linus. Verum isti theologi etc.

THEŎMĂCHĬA, æ, f. 1. ϑεομαχία, pugna adversus Deum. *Beda De sex ætat. mund. T.* 2. *p.* 186. V. *Quicherat.* ad *h. v.*

THEOMBROTĬOS. *V.* THEOBROTIOS.

THEŎMENESTRON. *V.* THEMONESTRON.

THEŎNĪNA, æ, f. 1. idem ac portulaca. *Apul. Herb.* 103.

THEONISIS, is, f. 3. nomen herbæ artemisiæ. *Apul. Herb.* 11.

THEŎPATHĪTÆ, ārum, m. plur. 1. nomen hæreticorum, qui deitatem passioni obnoxiam putabant, alio nomine *theopaschitæ* vel *deipassiani*, apud *Mar. Mercat.* in *Excerpt. ex epist. Theod. p.* 1084. *Mign.*

THEŎPNŎE, es, f. 1. ϑεοπνοή, idem ac rosmarinus. *Apul. Herb.* 79. Rosmarinum Zoroastrei theopnoen (*vocant*), Latini salutarem.

THEŎPRĔPĬA, æ, f. 1. ϑεοπρέπεια, ecclesia quædam apud Carthaginem, quæ postea ad Do-

calistas pertinuit (V. *Gest. Collat. Carth. Cognit.* 3. *n.* 5.): a θεός, deus, et πρέπω, convenio. *Augustin. Ep.* 139., ubi alii male leg. *theopropia.*

THĔŌRĒMA, ătis, n. 3. (θεώρημα) In dat. et abl. plur. habet etiam *theorematis* pro *theorematibus:* hoc legitur apud *Chalcid. Tim.* 342., illud apud *Gell.* 1. 2.: sic *emblematis, epigrammatis, peripetasmatis, poematis* a Latinis dictum est. — Theorema est speculatio, propositio speculativa, perceptio et ipsa res, quæ speculando percepta est, *specolazione.* Græce usurpatur a *Cic. Fat.* 6., ubi θεωρήματα vertit *percepta* vel *præcepta:* at Latine a *Gell. loc. cit.*, ubi dicit: Se in theorematis tantum nugalibus oblectantes. Adde 17. 19. et *Capell.* 3. *p.* 51. *et* 6. *p.* 232. *Chalcid. Tim.* 228. Theoremata geometrica.

THĔŌRĒMĂTĬUM, ii, n. 2. θεωρημάτιον, deminut., parvum seu breve theorema. *Gell.* 1. 13. Instructius deliberatiusque fore arbitramur theorematium hoc de mandatis obsequendis.

THĔŌRĒTĬCE, es, *et* theoretica, æ, f. 1. θεωρητική, ars, quæ posita est in sola inspectione et contemplatione rerum nullumque præterea actum exigit, qualis est astrologia, *la specolativa.* Ita definit *Quintil.* 2. 18. 1., sed ipsam vocem Græcis litteris scribit. Latine tamen *Hieronym.* 12. in *Ezech.* 40. 4.

THĔŌRĒTĬCUS, a, um, adject. θεωρητικός, ad theoriam pertinens, contemplativus. *Ambros.* 1. *Hexaem.* 5. *init.* Istarum artium aliæ sunt actuosæ, aliæ theoreticæ. Adde *eumd.* 2. *Abrah.* 8. *n.* 46. et *Fulgent.* 2. *Myth.* 1.

THĔŌRĬA, æ, f. 1. θεωρία, spectatio, speculatio, *specolazione, studio, teoria.* Græca vox Græce usurpatur a *Cic.* 12. *Att.* 6. et *Lactant.* 7. 9. *circa med.* Latine ab *Hieronym.* 12. *in Ezech.* 40. 4. Quo dicto ostendit, nihil theoria et scientia dulcius. *Venant.* 5. *init. Ep.* ad *Martin.* Theologiæ ac theoriæ tirocinio mancipatur.

THĔŌRĬCE, es, f. 1. θεωρική, facultas contemplandi, *contemplativa. Hieronym. Ep.* 30. *n.* 1. Eloquia divina aut de natura disputant, ut in Genesi; aut de moribus, ut in Proverbiis; aut de logica, pro qua nostri theoricen sibi vendicant, ut in Cantico Canticorum.

THĔŌRĬCUS, a, um, adject. θεωρικός, ad theoriam pertinens. *Mythogr. Lat.* 3. 11. Habet etiam *Cassian.* 1. *Collat.* 1.

THĔOS, Θεός, Deus, in *Comment. Einsidl.* in *Donat. p.* 224. *Hag.*, nullo tamen auctoris loco adlato.

THĔŎSĔBĬA, æ, f. 1. θεοσέβεια, cultus Dei, pietas in Deum. *Augustin. De spirit. et litt.* 11.

THĔOSTĂSIS, is, f. 3. θεόστασις, deorum statio, ut *Græcostasis,* Græcorum statio: a θεός, deus, et στάσις, statio. Ita appellata videtur cella, in qua erant deorum simulacra in templis. *Inscript.* apud *Murat.* 125. 2. (*Orelli n.* 2507.) P. RVTILIVS SYNTROPHVS MARMORARIVS DONVM QVOD PROMISIT IN TEMPLO MINERVAE MARMORIBVS ET IMPENSA SVA THEOSTASIM EXSTRVXIT.

THĔŎTŎCOS, i, f. 2. θεοτόκος, quæ Deum peperit. Græca vox a θεός, deus, et τίκτω, pario, diciturque de una Virgine MARIA. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 1. 6. Semper virgo MARIA theotocos seu D. M. deipara. Adde *Mar. Mercat.* in *Excerpt. Nest. p.* 869. *Mign.*

THEPHIM et tephim, vox Ægyptia, qua herba polygonon appellatur. *Apul. Herb.* 19., ubi alii leg. *thephin* vel *telphin.*

THĔRĂPEUTĬCA, ōrum, n. plur. 2. θεραπευτικά, titulus operis Galeni, quod agit de methodo medendi. *Cassiod. Instit. div. litter.* 31.

THĔRĂPHIM (teraphim), plur. indecl. Vox Hebraica תרפים *theraphim,* quæ aliis sunt cælaturæ templi; aliis instrumenta ærea ad cognoscendas horas; aliis imagines hominum ad suscipiendam superiorum virtutem, vel dii domestici, quasi Lares et Penates, sive deorum simulacra, quæ domi habebantur, quasi vitæ commodioris præsides atque largitores, ut est apud *Vulgat. interpr. Judic.* 17. 5. Fecit ephod et teraphim, idest vestem sacerdotalem et idola. Adde *Os.* 3. 4. Si cupias scire, quid nomine Theraphim apud Hebræos communiter intelligatur, ex Targum Hierosolymitano disces. Cf. *Zanolini Lex. Hebr.* et *Weitenauer* ad *h. v.*

THĔRĔAZAR, indecl. Vox composita ex Hebraicis עשר *asher,* decem, et תרי *there,* duo. Ita appellatur liber duodecim Prophetarum, qui minores dicuntur. *Isid.* 6. *Orig.* 1. 6.

THĔRĬĂCA, æ, *et*

THĔRĬĂCE, es, f. 1. *V.* voc. seq.

THĔRĬĂCUS (theriacos), a, um, adject. θηριακός, a θηρίον, fera, dicitur de his, quæ animalium, et præcipue serpentum, venenis remedio sunt. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 21. (70). Fiunt ex vipera pastilli, qui theriaci vocantur a Græcis, exemptis interaneis etc. *Id.* 14. *ibid.* 18. 22. (117). (et 23. *ibid.* 1. 11. [14]). Vitis theriaca vocatur, cujus et vinum et uva contra serpentium ictus medetur. *Pallad.* 3. *R. R.* 28. Theriacam vitem sic facies: sarmentum, quod pangendum est, trium digitorum spatio in ima parte findatur et sublata medulla, ad ejus vicem theriacæ medicamen addatur etc. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 22. (66). Et algam maris theriacen esse, Nicander tradit. — Hinc absolute, substantivorum more

*Theriaca, æ,* et *theriace, es, f.* 1. compositio medicamenti ad serpentum morsus, *utriaca, otriaca, triaca. Id.* 20. *Hist.* 24. 100. (264). Serpylli duum denariorum pondus, opopanacis et mei tantumdem, trifolii, anesi, amii, apii *etc.* Hac theriaca Antiochus adversus omnia venena usus traditur. *Id.* 29. *ibid.* 1. 8. *a med.* Theriace vocatur excogitata compositio luxuriæ. Fit ex rebus externis, quum tot remedia dederit natura, quæ singula sufficerent. *Tertull. Anim.* 24. Theriacam componere. *Hieronym.* 2. *advers. Jovinian. n.* 6. Carnes viperæ, unde theriaca conficitur. *Scribon. Compos.* 163. Ponam theriacarum compositiones.

*Theriaca, on,* n. plur. 2. titulus librorum, qui de Theriaca tractant. *Schol. Bern.* ad *Lucan.* 9. 701. Nomina serpentum aut a Macro (*Mac.* apud *Charis. p.* 81. 18. *K.*) sumpsit de libris theriacon. *h. e.* theriacorum.

THERIBETHRON. *V.* THORYBETRON.

THĔRĬOMA, ătis, n. 3. θηρίωμα, ulceris genus. *Cels. c.* 28. *p.* 37. in *lemmate;* qui hunc morbum ejusque curationem exponit.

THĔRĬON, ii, n. 2. θήριον ¶ 1. Est fera seu bestia, quæ a Chirone in dextra teneri fingitur, in cælum translato. *Schol. German. p.* 179. *Breys. de Chirone.* ¶ 2. Est etiam herba eadem ac dracontea. *Apul. Herb.* 14. *V.* THERIOPHONON.

THĔRĬŎNARCA, æ, f. 1. θηριονάρκη ¶ 1. Est herba magorum torporem afferens serpentibus: a θηρίον, fera, et νάρκη, torpor. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (163). ¶ 2. Item alia a magica et in nostro orbe nascens, fruticosa, foliis subviridibus, flore roseo, serpentes necat: cuicumque admota feræ et hæc torporem affert. *Id.* 25. *ibid.* 9. 68. (113). Ita utrobique leg. *Dell.* et *Jan;* at *Sillig.* theronarca.

THĔRĬŎPHŎNON, i, n. 2. θηριοφόνον, qui belluas seu feras occidit: a θηρίον, bestia, et φόνος, nex: ita appellata est herba eadem ac dracontea, quod necet dracones seu serpentes. *Apul. Herb.* 14. Aliqui therion, Zoroaster theriophonon, Romani draconteam dicunt.

THĔRĬŎRHIZON, i, n. 2. herba, quæ vulgo *viperina* dicitur. *Apul. Herb.* 5. Alii leg. *herpyzon.*

THĔRISTRUM (teristrum), i, n. 2. θέριστρον et θερίστριον, vestis muliebris æstiva, ut docet *Pollux Onom. l.* 7. *c.* 13., fortasse pepli aut amiculi muliebris æstivi genus: a θερίζω, æstatem transigo, quod a θέρος, æstas; cui opponitur χειμάστριον.

I.) Proprie. *Hieronym.* 2. *in Isai.* 3. 23. Mulieres habent et theristra, quæ nos palliola possumus appellare: θέριστρα ab eo, quod ἐν θέρει, hoc est æstate et caumate corpora protegant feminarum. Adde *Isid.* 19. *Orig.* 25. *a med. Tertull. Pall.* 4. Qualis ille Hercules in theristro Omphales. Pro *theristro* alii leg. *serico.* Adde *Vulgat. interpr. Gen.* 38. 14. et *Jer.* 3. 23. Ubi *Noster* in *Gen.* 24. 65. et *Cant.* 5. 7. habet *pallium,* apud LXX est θέριστρον.

II.) Translate usurpat *Hieronym. Ep.* 107. *n.* 7. Numquam (*puella*) exeat foras, ne inveniant eam qui circumeunt civitatem; ne percutiant et vulnerent et auferant theristrum pudicitiæ et nudam in sanguine derelinquant.

THERMÆ, ārum, f. plur. 1. (θερμός) proprie vox adjectiva (*subaudi* aquæ) sed absolute usurpatur. ¶ 1. De locis, ubi sunt aquæ sponte calentes, ut in Bajis et Aponi fonte et aliis locis, quæ memorat *Martial.* 6. 42., θερμὰ ὕδατα (It. *bagni d'acqua calda nascente, aque termali, terme;* Fr. *sources d'eau chaude, bains chauds, thermes;* Hisp. *fuentes de agua calida, baños calidos, terma;* Germ. *warme Heilquellen, Warmbad;* Angl. *warm springs, hot baths*). Unde quædam oppida prope hujusmodi aquas sita, eodem nomine appellantur, ut in Sicilia: de quibus V. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 8. 14. (90)., *Cic.* 4. *Verr.* 35. 86. et *Sil. It.* 14. 232. ¶ 2. Item de balneis structilibus, ubi calefit aqua fornacibus, ut Thermæ Agrippæ (quarum pars erat hodiernum Pantheon). *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (62)., 35. *ibid.* 4. 9. (26). et 36. *ibid.* 25. 64. (189). Neronianæ, *Martial.* 7. 33. et 12. 84. Antonianæ, *Spartian. Carac.* 9. et *Eutrop.* 8. 11., *terme di Caracalla. Martial.* 5. 21. Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ. *et* 3. 68. Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte. *Id.* 10. 51. nec illic Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater. *h. e.* thermæ Agrippinæ, Neronianæ et Titianæ; alii tamen intelligunt tres cellas in thermis, frigidariam videlicet, tepidariam et caldariam, de quibus *Plin.* 5. *Ep.* 6. *Inscript.* Ostiæ reperta apud *Orell. Coll. inscr. Lat. n.* 3327. THERMAS MARITIMAS INTRESECVS (*sic pro* intrinsecus) REFECTIONE CELLARVM FORIS SOLI ADIECTIONE DDD. NNN. VALENS GRATIANVS ET VALENTINIANVS AVGGG. DECORAVERVNT. (Hinc *Minuc. Fel. Octav.* 3. Placuit Ostiam petere amœnissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda et apposita curatio. *et* 4. In istis ad tutelam balnearum jactis et in altum procurrentibus petrarum obicibus residamus.) *Alia* Pompejana apud *eumd. n.* 4326. THERMAE M. CRASSI FRVGI AQVA MARINA ET BALNEVM AQVA DVLCI IANVARIVS L. *Alia* Ocriculana apud *Marin. Frat. Arv. p.* 582. SEX. CLVVIO MARTINO RESTAVRATORI THERMARVM HIEMALIVM etc. *Alia* apud *Murat.* 484. 3. M. SENTIO CRISPINO C. V. QVOD OPERA THERMARVM AESTIVALIVM VETVSTATE CORRVPTA S. P. (*h. e.* sua pecunia) RESTITVIT EXORNAVIT etc. *Alia* apud *Lupoli It. Venus. p.* 150. CVRATOR OPERIS THERMARVM DATVS AB IMP. CAES. HADRIANO AVG. *Sueton. Cal.* 37. Magna thermarum et porticuum et tricliniorum laxitas. *Seneca* 9. *Tranqu. anim.* 7. Inter balnearia et thermas bibliotheca quoque expolitur. *Id. Ep.* 122. *ante med.* Non vivunt contra naturam qui fundamenta thermarum in mare jaciunt; nec delicate natare ipsi sibi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur. *V.* BALNEUM. Hæc loca illud maxime animadvertendum nos monent, quotiescumque thermæ ab Augustis præsertim Romæ conditæ memorantur, non balnea solum publica indicari, sed ædificia plane admiranda, in quibus præter lavacra et laconica nihil eorum defuisse videtur, quæ voluptatem explerent animumque relaxarent. Nam in thermis spatiari, natare, ludere, litteris etiam operam dare fas fuit: ibi xysti, porticus, areæ, platanones, piscinæ, θεατρίδια, cellæ, bibliothecæ tabulis pictis, statuis, signis omnis generis ornabantur. Sic *Eutrop.* 5. 9., ubi septies *thermæ* opponuntur *balneis.* V. etiam *Morcell. De stil. inscr. T.* 1. *p.* 234. — Thermas Herculi dicatas ab antiquis fuisse, patet ex his verbis *Athenæi l.* 12. Τὰ θερμὰ λουτρὰ τὰ φαινόμενα ἐκ τῆς γῆς πάντες Ἡρακλέους φασὶν εἶναι ἱερά. *calida lavacra exsilientia ex terra omnes Herculi dicunt esse sacra.* et *Aristoph.* in *Nub. v.* 1047. Ποῦ ψυχρὰ δῆτα πώποτ' εἶδες Ἡράκλεια λουτρά; *ubi frigida sane umquam vidisti*

*Herculana lavacra?* Hinc *Inscript.* in thermis Herculanis detecta in Dacia, apud *Murat.* 64. 7. HERCVLI GENIO LOCI FONTIBVS CALIDIS CALPVRNIVS IVLIANVS V. C. LEG. LEG. V. MAC. LEG. AVG. PR. PR. MOES. V. L. S. *Alia* apud *eumd.* 43. 6. FABIVS MAXIMVS V. C. RECTOR PROVINCIAE THERMAS HERCVLIS VI TERRAEMOTVS EVERSAS A FVNDAMENTIS RESTITVIT. (*V.* THERMOPYLÆ in ONOM.) *Rosin. Dissert. isagog. c.* 3. *p.* 15. putat, Herculi dicatas fuisse thermas, quia Hercules Osce significat montem torrefactum, unde thermales aquæ scatere solent; Hebraice enim הר *har*, mons, et קלי *kali*, torrefactus. — De thermis celebrioribus loquuntur *Martial.* 6. 42. et *Stat.* 1. *Silv.* 5. ¶ 3. Item de thermopolio. *Juvenal.* 8. 168. Damasippus ad illos Thermarum calices inscriptaque lintea vadit. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen, quod inter *balnea* seu *balinea* et *thermas* interest, *V.* sub BALINEUM.

THERMANTĬCUS, a, um, adject. θερμαντικός, calefaciendi vim habens, *calefaciente. Apul. Herb.* 120. Menta virtutem habet thermanticam. *Pelagon. Veterin.* 16. *ante med.* Unctiones thermanticæ. *Gargil. De pom.* 7. apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 3. *p.* 420. Cortex citriorum thermanticus.

THERMĂPĂLUS, a, um, adject. calidus et mollis: a θερμός, calidus, et ἁπαλός, mollis. Hinc *thermapala ova* apud *Theod. Priscian.* 2. 10.

THERMĀRĬUS, ii, m. 2. (thermæ) thermarum artifex vel potius custos. *Inscript.* apud *Gruter.* 636. 13. D. M. VIRINO VERECVNDI F. THERMARIO. *Alia* apud *Pratill. Via App. p.* 279. D. M. C. CORNELIO C. L. EVHODO LOCATOR. THERMAR. DIANAE L. CORNELIVS C. F. THERMARIVS PATRI B. M. POS.

THERMENSIS, e, adject. (thermæ) ad thermas pertinens. *Inscr. Patav.* apud *Gruter.* 181. 5. Familia thermensis. — *V.* alia in ONOM.

THERMĪNUS, a, um, adject. θέρμινος, e lupinis factus: a θέρμος, lupinum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 49. (94). Therminum (*oleum*) e lupinis emollit, proximum rosaceo effectum habens.

THERMIPŌLĬUM. *V.* voc. seq.

THERMŎPŌLĬUM, ii, n. 2. (θερμοπώλιον) Etiam *thermipolium* scribitur. V. *Ritschl, Opusc.* 2. 488. et *Brix* ad *Plaut. Trin. loc. cit.* Cf. etiam *Lorenz Krit. Anh.* ad *Plaut. Pseud. v.* 742. — Thermopolium est caupona, ubi calida venduntur, *taverna, osteria, bettola*: a θερμός, calidus, et πωλέω, vendo. Nam calida olim in deliciis erant. Qua de re vide, quæ fuse notavit *Fulv. Ursinus Append. de triclinio, Lips. l.* 1. *Elect. c.* 4., *Hieronym. Mercurialis l.* 1. *Variar. lect. c.* 8., alii. *Plaut. Curc.* 2. 3. 13. Tum isti Græci palliati capite operto, qui ambulant: Quos semper videas lubentes esse in thermopolio. *Id. Trin.* 4. 3. 6. satin in thermopolio Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem? Adde *Rud.* 2. 6. 45.

THERMŎPŌTO, as, avi, are, a. 1. calida bibo. Vox hybrida, inquit *Forcellinus*, a θερμός, calidus, et *poto*, bibo. Cf. tamen οἰνοποτεῖν, γαλακτοποτεῖν aliaque id genus. *Plaut. Trin.* 4. 3. 6. Postquam thermopotasti gutturem. *h. e.* calida potione gulam oblectasti.

THERMOS orinos a Græcis, a Romanis lupinum montanum dictum, *Apul. Herb.* 111.

THERMOSPŎDĬON (termospodion), ii, n. 2. θερμοσπόδιον, a θερμός, calidus, et σποδός, cinis, vas est culinarium calido cinere plenum, in quo coquuntur cibi aut, ne frigefiant, reponuntur. *Apic.* 4. 2. *ante med.*

THERMŬLÆ, ārum, f. plur. 1. *deminut. a* thermæ, parvæ thermæ seu idem ac thermæ. *Martial.* 6. 42. Etrusci nisi thermulis laveris, illotus morieris.

THERMŬLĀRĬUS, ii, m. 2. (thermulæ) thermularum custos. *Inscr.* apud *Murat.* 909. 4., de qua tamen V. *Quicherat* in *Add. p.* 293., et apud *Gori, Columb. Liv. p.* 125. *n.* 79.

THERŎNARCA. *V.* THERIONARCA.

THESARICA, æ, f. 1. nomen Hispanum herbæ, quam Græci arnoglosson vocant. *Apul. Herb.* 2.

THĒSAURĀRĬUM. *V.* voc. seq.

THĒSAURĀRĬUS, a, um, adject. (thesaurus) ad thesaurum pertinens, θησαυριστικός. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 23. Apollo, subveni mihi: confige sagittis fures thesaurarios. — Hinc absolute, substantivorum more

*Thesaurarium, ii*, n. 2. locus reponendo thesauro, *scrigno*. ¶ 1. Proprie. *Cassiod.* in *Ps.* 22. 1. Regum thesauraria. *Id.* in *Ps.* 21. 31. Thesauraria terrena. ¶ 2. Translate. *Id.* in *Ps.* 48. *ad fin.* In thesaurario memoriæ aliquid reponere. *Id. Anim.* 5. *de memoria.* Hoc thesaurarium non gravatur oneratum, sed quum multa condiderit, sciendi desiderio plus requirit.

*Thesaurarius, ii*, m. 2. thesauri præpositus, *tesoriere*, θεσαυροφύλαξ. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod.* 10. 23. 1. Omnem summam auri vel argenti ad thesaurarios uniuscujusque provinciæ referri præcipimus. Alii leg. *thesauros*. Adde *Isid.* 1. *Ep.* 10. *et* 14. et *Venant.* 10. *carm.* 21. 17. — De dignitate in Ecclesiis Cathedr. usurpat *Isid.* 2. *Eccl. off.* 11., qui ejus officia minute persequitur.

THĒSAURĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

THĒSAURENSIS, is, m. 3. (thesaurus) thesauri custos, thesaurarius. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod.* 12. 24. 2. Nullus thesaurensis vel officialis Comitis thesaurorum semel deprehensus eversor, quocumque pacto repetat militiam suam.

THĒSAURIZANS, antis, part. *V.* THESAURIZO.

THĒSAURĪZĀTĬO, ōnis, f. 3. (thesaurizo) actus thesaurizandi. *Pseudo-Augustin.* 40. *p.* 1156. *Migne.*

THĒSAURĪZĀTOR, ōris, m. 3. (thesaurizo) qui thesaurizat. Translate apud *Hieronym.* ex *Orig. Jer. hom.* 5.

THĒSAURĪZO, as, āvi, are, 1. (thesaurus) Part. *Thesaurizans.* — Thesaurizo est thesaurum colligo et repono, *tesaurizzare, tesoreggiare.*

I.) Proprie. — *a*) Intransitivorum more. *Salvian.* 1. *advers. avarit.* 2. Ut qui cupiditati et avaritiæ thesaurizarent etc. *et mox.* De meritis thesaurizantium. Adde *ibid.* 4. alibique et *Augustin.* 1. *Civ. D.* 10. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 12. 14. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. — *b*) Transitive cum Acc. *Id. Bar.* 3. 18. Qui argentum thesaurizat et aurum. Adde *Is.* 39. 6.

II.) Translate. *Salvian.* 3. *advers. avarit.* 12. Disciplinam parentes thesaurizare jubet filiis, non pecuniam. *et* 5. *Gubern. D.* 9. Deus enim nos vocat ad pœnitentiam, sed nos thesaurizamus iram. *tesaurizzano ira* habet *Cavalc. Frutt. ling.* Adde *Vulgat. interpr. Tob.* 4. 10.

THĒSAURŎCHRȲSŎNĪCŎCHRȲSĪDES, æ, m. 1. Θησαυροχρυσονικοχρυσίδης, nomen conflatum ex Græcis vocibus θησαυρός, χρυσόνικος, χρυσίς, significantibus thesaurum et (ut videtur) nomina duarum personarum Chrysonicus et Chrysis, et est homo ditissimus, *ricco sfondato. Plaut. Capt.* 2. 2. 35. HEG. Quod erat ei nomen? PHI. Thesaurochrysonicochrysides. HEG. Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est? PHI. Immo edepol propter avaritiam ipsius atque audaciam. Nam illic quidem Theodoromedes fuit germano nomine. *Alii leg.* Thesaurocrypsonychochrysides, a vocibus θησαυρός, κρύπτω, ὄνυξ, χρυσός significantibus thesaurum, abscondo, unguis, aurum vel aureus. Rectius videtur legere et interpretari *Bothius*, qui pro *Thesaurochrysonicochrysides* reponit *Thesaurochryseonicocrœsides*, scil. thesauro aureo vincens Crœsum. Deinde *tenaciam* pro *audaciam* leg., et versum sequent. *nam ille quidem* etc. insiticium recte putat ideoque expungit. Cf. *Fleckeis.* Similiter *Brix* legi vult *Thesaurocrœsonicochrysides.* — Etiam apud Græcos composita hujusmodi reperiuntur, ex quibus afferre liceat singulare illud, quo multiplicia copiosæ cenæ fercula uno verbo, quod sex versus complet, volubili lingua ἀμυστὶ enunciantur, apud *Aristoph. Eccl. v.* 1169. et *seqq.* ed. *Didot.* Λοπαδοτεμαχοσελαχογαλεο | κρανιολειψανοδριμυποτριμματο | σιλφιοπαραομελιτοκατακεχυμενο | κιχλεπικοσσυφοπεριστερα | λεκτρυονοπτεκεφαλλιοκιγκλοπε | λειολαγωοσιραιοβαφητραγανοπτερύγων.

THĒSAURUM. *V.* voc. seq.

THĒSAURUS, i, m. 2. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *thensaurus* pro *thesaurus* olim scripsere et ita haberi in optimis MSS. *Virg., Ter.* et *Livii* et in *Pandectis Florentinis* perpetuo critici testantur, præcipue *Pier.* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 1. et 1. *Æn.* 363. Quum enim mos fuisset veteribus supra vocalem longam circumflexi accentus notam vel lineolam appingere, qua significabatur vocalem illam esse producendam, eam postmodum imperitiores librarii compendii signum esse putarunt et *n* adscripserunt. Hinc *formonsus, Atlans, obtunsus* et multa alia, quæ docti homines postea improbarunt. Sic *Caper p.* 2239. *Putsch.* Cf. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 359. Similiter Gr. τλευπολεμε pro τληπολεμη in ære fictili, Græco-Etrusco in *Giorn. Arcad. T.* 45. p. 58. Ceterum hanc scribendi rationem non omnino absurdam esse, docet ex vet. lapidib. et nummis *Marin. Frat. Arv. p.* 590.; immo recentiores plerique secuntur. Cf. *Ritschl Proleg.* ad *Plaut.* p. CIII., *Halm Emend. Valer. p.* 16., *Rönsch. Ital. p.* 459. et *Wagner Orthogr. Verg. p.* 457. et *seq.* Etiam sine aspiratione *tensaurus* in *Gloss. Sang.* G 13. et *tesaurus* in *Inscr.* in *Bullett. dell'Inst. archeol.* 1876. *p.* 36. — *b*) Forma *thesaurum* neutr. gen. habet *Petron. fragm. Tragur.* 46. *extr.* ed. *Burmann., Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 8. 14. *Müll., Caper p.* 93. 6. *Keil.* et *Gloss. Sang.* A 153. et I 61. Item *thesaurium* apud *Vulg. interpr. Ital.* Colb. 3. *Esdr.* 5. 45. et apud *Cassiod.* in *Ps.* 21. 31. — *c*) Origo vocis est a Gr. θησαυρός, quod *Forcellinus* ἀπὸ τοῦ εἰς αὔριον τίθεσθαι, at *Scaliger* ex θέω, fut. θήσω, pono, et vetustissimo αὖρον, aurum, derivat. Hinc thesaurus, h. e. positio auri, in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 20. ed. *A. Maio.* Quid, si a them. θη, a θέω, ducatur, reliqua vero mera habeatur vocis productio seu terminatio, ita ut sonet id quod reponitur, vel locus, ubi quid reponitur, seu repositorium, conditorium? — Quidquid sit de etymo, thesaurus est acervus, collectio rerum pretiosarum, quæ in futuros usus reconduntur, præsertim pecuniæ, auri, argenti, gemmarum aliarumque id genus rerum: et etiam locus, ubi hæc reconduntur (It. *raccolta di cose preziose da serbarsi per i bisogni, tesoro, scrigno, arca*; Fr. *trésor amassé, provisions, écrin, coffre*; Hisp. *coleccion de varias cosas preciosas, tesoro, cofre, arca*; Germ. *der geborgene Werthgegenstand, das Hinterlegte, der Vorrath*; Angl. *a store or collection of things laid up for future use, treasure*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Plaut. Trin.* 4. 4. 8. Thesaurum effodiebam intus, dotem, filiæ tuæ quæ daretur. *Id. Aulul. prol.* 7. Thesaurum concredere. *Id. Pseud.* 2. 2. 33. supremi promptes thesauros Jovis. Adde *Ter. Eun. prol.* 10. *et seqq.* et *Varron. Sat. Menipp.* 8. *p.* 97. *Oehl. Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134. Thesaurum quærere. *et ibid.* defodere. *Id. Senect.* 7. 21. Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. *Id.* 2. *Divinat.* 65. 134. *et Horat.* 2. *Sat.* 6. 11. Thesaurum invenire. *Sall. Jug.* 78. Oppidum magnum, ubi plerique thesauri Jugurthæ erant. *Id. ibid.* 10. Non exercitus neque thesauri præsidia regum sunt, verum amici. γνώμη. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. *sub fin.* Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem. *Virg.* 1. *Æn.* 362. Auxiliumque viæ, veteres tellure recludit Thesauros, ignotum argenti pondus et auri. *Liv.* 6. 14. Thesauros occultare. *Vitruv.* 5. 9. *ad fin.* Thesauri sunt civitatibus in necessariis rebus a majoribus constituti. *magazzini.* — *Papinian. Dig.* 41. 2. 44. Peregre profecturus pecuniam in terra custodiæ causa condiderat. quum reversus locum thesauri in memoria non repeteret, an desiit pecuniam possidere? *Publil. Syr. v.* 543. Thesaurum in sepulcro ponit, qui senem heredem facit. γνώμη. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 17. (37). Thesaurum effringere. *rompere lo scrigno o il salvadanaio.* et *Curt.* 5. 2. 11. Incredibilem ex thesauris summam pecuniæ egessit. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6344. Thesaurorum procurator. *et n.* 6871.

præfectus, *tesoriere*. — Thesauros in sepulcro condidisse veteres, colligitur ex *Plaut. Pseud.* 1. 4. 19. et *Inscr.* apud *Steiner Cod. Inscr. Rhen.* n. 443. — *b*) Speciatim a JCtis, *Paulo Dig.* 41. 1. 31. accipitur pro veteri depositione pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat. Adde *eumd. ibid.* 2. 3., *Scævol. ibid.* 6. 1. 67. et *Callistrat. ibid.* 49. 14. 3. *sub fin.* Similiter *Imp. Leo Cod.* 10. 15. 1. definit thesaurum, condita ab ignotis dominis temporis vetustioris mobilia. *Javolen. Dig.* 34. 2. 39. Si argentum præsentis custodiæ causa, non perpetuæ, veluti thesauro, depositum esset. *Spartian. Hadrian.* 18. De thesauris ita cavit, ut, si quis in suo reperisset, ipse potiretur; si quis in alieno, domino daret; si quis in publico, cum fisco æqualiter partiretur. Aliter statuit *Theodoricus* apud *Cassiod.* 4. *Var.* 34. Compendio publico fideliter vindicabis aurum vel argentum tua indagatione detectum. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 77. n. 88. et *Visc. Op. var.* t. 1. p. 73. IOVI CVSTODI ET GENIO THESAVRORVM ABAM C. IVLIVS AVG. LIB. SATYRVS D. D. — *c*) Et pro ærario principis vel arca largitionum principalium. *Cod. Theod.* 10. 24. 2. et *ibid.* c. 1. et 11. 28. 3. ¶ 2. Latiore sensu est locus, in quo aliquid servandum reponitur, apotheca, conditorium, *ripostiglio*. *Liv.* 39. 50. Admonent quidam, esse thesaurum publicum sub terra, saxo quadrato sæptum, eo vinctus Philopœmen demittitur. *Virg.* 4. *G.* 228. Siquando sedem augustam servataque mella Thesauris relines, h. e. favis aut alvearibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 93. (199). Condit in thesauros maxillarum cibum sphingiorum et satyrorum genus. *Id.* 17. *ibid.* 14. 22. (99). Monedula condens semina in thesauros cavernarum. — Poetice *Nævius* apud *Gell.* 1. 24. Orcinum thesaurum vocat, vel sepulcrum vel Inferos. — In *Cod. Theod.* 8. 5. 48. est depositorium publicum, borrea publica.

II.) Improprie, a similitudine, de quibusdam stellis in cælo. *Hieronym.* 6. *in Is.* 14. 10. Legimus quoque in Job Hyadas et Vesperum et Arcturum et thesauros sive interiora Austri. At *Vulg. interpr. Is.* habet tantum *interiora Austri*. Sane in Hebr. nihil aliud legitur quam *qadre*, interiora, quod *Hieronym.* subdit explicans τὸ *thesauros*.

III.) Translate. ¶ 1. Qua est locus seu conditorium. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 12. Istic est thesaurus stultis in lingua situs, Ut quæstui habeant male loqui melioribus. *Cic.* 1. *Orat.* 5. *a med.* Thesaurus rerum omnium, memoria. *Id. Partit.* 31. *extr.* Qui illos locos, tamquam thesauros aliquos argumentorum, notatos habeat. *Id.* 15. *Att.* 27. Excudam aliquid Ἡρακλείδιον, quod lateat in thesauris tuis. h. e. in pluteis secretioribus. *Plin.* 1. *Ep.* 22. Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, ille thesaurus est. h. e. promptuarium omnis doctrinæ. ¶ 2. Pro acervo, cumulo quocumque, in malam partem. *Plaut. Merc.* 1. 1. 51. Tu quidem thesaurum hunc mihi apportavisti mali. *Id.* apud *Non.* p. 456. 20. *Merc.* Hunc qui domi uxorem meam impudicitia impetivit, per quem teneo thesaurum stupri. h. e. per quem domi meæ multa stupra fiunt. *Apul.* 5. *Met.* Thesauros abditæ fraudis. ¶ 3. Item pro libro, in quo rerum plurimarum abundans copia sit. *Plin. præf. Hist. nat. circa med.* Quoniam, ut ait Domitius Piso, thesauros oportet esse, non libros. ¶ 4. Apud *Plaut. Trin. prol.* 18. et *Ter. Eun. prol.* 10. est *Thesaurus* nomen comœdiæ.

THESCE *et* theske, indecl. herba cyclamen apud Ægyptios. *Apul. Herb.* 18.

THĒSĬON *et* thesium, ii, n. 2. Θήσειον, herba radice bulbosa, gustu aspera, purgandæ alvi vim habens (*Thesium linophyllum* Linn.). *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 67. (107). *et* 22. *ibid.* 22. 31. (66).

THĔSIS, is, f. 3. θέσις, *h. e.* positio: vox Græca a θέω, pono. ¶ 1. A rhetoribus adhibetur ad significandam quæstionem infinitam, seu materiam et argumentum disputationis infinitæ, quod Latine *propositum* dici potest, ut *Cic. Top.* 21. 79. docet. Quod si quæstio definita sit, et certis personis, locis, temporibus, actionibus determinata, hypothesis dicitur, Latine *causa*, ut in ea voce dictum est. Exemplum thesis est, an ducere uxorem vitæ cælibi præstet: hypothesis, an Milo Clodium recte occiderit. Plura de his *Quintil.* 3. 5., ubi hæc vox aliquoties Latine scribitur et inflectitur. *Id. ibid.* Thesin a causa sic distinguunt, ut illa sit spectativæ partis, hæc activæ. *Seneca* 1. *Controv. proœm.* Declamabat Cicero, non quales nunc controversias dicimus, nec tales, quales ante Ciceronem dicebantur, quas theses vocabant. ¶ 2. De *thesi*, quæ opponitur *arsi*, V. ARSIS. ¶ 3. De distinctionibus et intervallis orationis V. POSITURA. ¶ 4. *Thesis* est etiam sacramentum (V. *Festi* et *Asconii loc. cit.* in SACRAMENTUM), depositum pecuniæ vel alicujus rei, quod Græce παρακαταβολή, Italice nunc *caparra* dicitur, quodque tunc aliquis amittit, quum voti damnatus est. Hinc *Callimach. Hymn.* in *Cerer.* v. 48. Τέκνον πολύθεστε τοκεῦσι. h. e. fili multum votis expetite parentibus. *Inscript.* apud *Morcell. De stil. inscr. Lat.* T. 2. p. 322. (*Orelli* n. 1759.) PRO SALVTE C. CAESARIS AVG. GERM. ET REDITV F. P. PR. (h. e. Fortunæ Primigeniæ Prænestinæ) THESIS Q. COSIDIVS TERTIVS D. D. V. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 2. p. 88. ed. *Med.* et aliter vocabulum interpretantem *Marin. Frat. Arv.* p. 589. et etiam *Petrini Mem. Prenest.* p. 61. et p. 295. n. 8. *Morcellius* minus bene ἀνάθημα, donarium, explicavit. Cf. et *Schiass. Lex. Morc.* in h. v.

THĒSĪUM. V. THESION.

THESKE. V. THESCE.

THESMŎPHŎRĬA. V. voc. seq.

THESMŎPHŎRĬOS, on, *et* themosphorius, a, um, adject. (thesmophorus) proprie ad thesmophorum seu legiferum, h. e. Cererem, sed usu ad Thesmophoria pertinens. — *Thesmophorium metrum*, genus metri in Thesmophoriis adhibitum, apud *Mar. Victorin.* 4. p. 259. *Putsch.* O perpetuo tellus quæ nunc riget usta gelu. — Hinc *Thesmophoria, orum*, n. plur. 2. θεσμοφόρια, absolute, sacra Cereris, *initia* Latine dicta, ab Erechtheo Athenarum rege instituta, quo tempore frumenti satio a Triptolemo inventa est, ut *Justin.* tradit 2. 6. 12.: ita dicta a θεσμός, lex, et φέρω. Prima enim Ceres leges tulisse dicitur ideoque θεσμοφόρος cognominata est, quia ante frumenta homines sine lege vagabantur: ex agrorum autem divisione nata sunt jura, ut *Macrob.* 3. *Saturn.* 12. et *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 58. docent. *Arnob.* 5. p. 173. Vultis consideremus mysteria et illa divina, quæ Thesmophoria nominantur a Græcis, quibus gente ab Attica sancta illa pervigilia consecrata sunt et pannychismi graves? Adde *Macrob. loc. cit.* et *Hygin. fab.* 147. Ita *Forcellinus*. Cf. tamen *Schoemann Antich. Grec.* v. 3. p. 382. et seqq. *coll.* p. 271. et seqq. *Pichler.*; unde colliges, ea, quæ de Thesmophoriis dicuntur, Eleusiniis potius tribuenda esse: illa enim mense anni Attici quarto fiebant, hiemali satione jam peracta, e muliebri præcipue sexu, sed nullo initiationis ritu. — *Thesmophoria* Græce titulus est comœdiæ *Aristophanis*.

THESMŎPHŎRUS, a, um, adject. θεσμοφόρος, legifer. *Inscr.* apud *Murat.* 30. 3. (*Orelli* n. 1495.) D. CERERI BELSIANAE ALMAE FRVGIFERAE ARISTIGERAE THESMOPHORAE. Hanc tamen sublestæ fidei esse putat ch. *Furlanetto*. Cf. *Orelli Inscr.* n. 2190. ΤΕΡΕΝΤΙΑ ΠΑΡΟΜΟΝΗ. ΙΕΡΕΙΑ ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥ.

THESMU osthanes, genus herbæ, quod et mentastrum, apud *Apul. Herb.* 91. *Ald.*, si vera est lectio.

THESSĂLUS, a, um, adject. Θεσσαλός, ad Thessaliam pertinens. V. ONOM. — Adhibetur etiam universim pro magico; Thessali enim, ob copiam herbarum nocentium, veneficiis et incantationibus infames fuere, præcipue feminæ. *Horat. Epod.* 5. 45. Quæ sidera excantata voce Thessala Lunamque cælo deripit. *Id.* 1. *Od.* 27. 21. Quæ saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis poterit? *Juvenal.* 6. 609. Thessala philtra.

THĒTA, n. g. θῆτα, est *A*) Littera; et etiam *B*) Nota.

*A*) *Theta* est nomen litteræ octavæ alphabeti Græci, cujus figura, Græce Θ (ϑ), Latine scribitur et effertur cum aspiratione *th*. Græcis litteris usurpat *Terentian. De litt.* v. 284. p. 333. *Keil.* V. TH.

*B*) *Theta* est etiam nota. ¶ 1. In Græcorum judiciis, nota condemnationis, quemadmodum apud Latinos C., quod ea sit prima littera in dictione θάνατος, mors. Huc allusit *Pers.* 4. 13. Et potis es vitio nigrum præfigere theta. *Martial.* 7. 37. Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum? Est operæ pretium dicere theta novum. *h. e.* emunctionem, quo signo quæstor ille se reos condemnare indicabat. *Auson. Epigr.* 128. Miselle doctor, OY tibi sit obsceno Tuumque nomen Θ sectilis signet. *h. e.* tibi sit figura Græcæ diphthongi, qua significatur laqueus et nomen hinc tuum nigro theta notetur. Sic in *Anecd. Helv.* p. CXXXXIV. 2. Et dicitur theta ἀπὸ τοῦ θανάτου, idest a morte. Unde ut habet per medium telum, idest mortis signum. De qua quidam: O multum ante alias infelix littera theta. ¶ 2. Fuit etiam defunctorum nota in breviculis militum et in lapidibus sepulcralibus. *Rufin.* 2. *Invect. in Hieronym.* n. 36. Si quis accepto breviculo, quo militum nomina continentur, nitatur inspicere, quanti ex militibus supersint, quanti in bello ceciderint, et requirens qui inspicere missus est, propriam notam Θ ad uniuscujusque defuncti nomen adscribit et propria rursus nota (*scil.* V.) superstitem signat. Hinc etiam in vet. lapidibus sepulcralibus, illud Θ videre est apud *Marin. Frat. Arv.* p. 610. et *Orelli Inscr.* n. 4472. et 4473. ¶ 3. Quandoque item erat nota critica scriptionem aliquam improbans. *Sidon. carm.* 9. 335. Isti qui valet exarationi Districtum bonus applicare theta. ¶ 4. In re agraria nota casis designandis inserviens. *Innocent. cas. de litt.* p. 321. 19. *Lach.-Rud.* ¶ 5. In re musica. *Boeth.* 4. *Music.* 3. Trite Synemmenon, quæ est tertia conjunctarum theta et lambda supinum. ¶ 6. Denique nota numeralis ad numerum octo designandum. *Acron* ad *Horat.* 1. *Ep.* 15. 24. emend. *G. Becker*. Ut ait in Theta. *h. e.* octavo libro Odysseæ. — Olim apud Latinos valuit etiam centum. V. *Schweizer-Sidl. Teor.* etc. n. 2. *Pezzi.*

THETH. V. TETH.

THĔTĬCUS, a, um, adject. θετικός, positivus. Hinc apud Rhetores *theticum* dicitur, quod ad thesin sive ad quæstionem in utramque partem disputabilem pertinet. *Victorin. Expl. in Rhet. Cic.* 2. 16. *Halm.* Theticum genus. *Id. ibid.* 41. lex. Adde *C. Fortunat. Art. Rh.* 2. 26. *Halm.*

THĔTIS, idis, f. 3. (Θέτις) De varia vocis scriptura et positione V. ONOM. init. — Thetis est nomen proprium Nymphæ maris, filiæ Nerei et Doridos: de qua item plura V. in ONOM. Metonymice ponitur pro mari. *Virg.* 4. *Ecl.* 32. Tentare Thetin ratibus. *Martial.* 10. 30. Ilic summa levi stringitur Thetis vento. *Stat.* 4. *Silv.* 6. 18. Erythrææ lapilli Thetidis. *perle*. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 143. Ilic latrat Gætula Thetis. *h. e.* mare Libycum. In illo *Martial.* 10. 13. Et Thetis unguento palleat uncta tuo. *Thetis*, per hyperbolen, est balneum vastum instar maris.

THĔURGĬA, æ, f. 1. (theurgus) Græce θεουργία sonat opus divinum: a θεός, deus, et ἔργον, opus. Accipitur ab *Augustin.* 10. *Civ. D.* 9. et 10. pro genere magiæ, qua per quædam sacra dii dæmonesque evocantur, et ad homines accedere coguntur animæ purgandæ gratia.

THEURGĬCUS, a, um, adject. (theurgia) ad theurgiam pertinens, θεουργικός, ut Consecratio theurgica teletæ, *Augustin.* 10. *Civ. D.* 9. Theurgica ars, *ibid.* 10.

THEURGUS, i, m. 2. θεουργός, qui theurgiam tractat, et sacris deos elicit. *Augustin.* 10. *Civ. D.* 10.

THIĂRIZA. V. THIUS. a, um.

THIĂSANS (tiasans), antis, particip. ab inusit. *thiaso, as*, thiasos agens. *Pacuv. Tr.* 311. *Ribb.* Thiasantem fremitu concite melum!

THIĂSITES, æ, m. 1. (thiasus) sodalis, qui

in honorem Bacchi thiasos, h. e. choreas, ducit, θιασίτης vel θιασώτης. Paul. Diac. ex Fest. p. 366. 8. Müll. Thiasitas, sodalitas. Alii tamen legend. putant sodales pro sodalitas. — De sodalitate Thiasitarum, quæ eadem videtur esse atque eranistarum, V. Revue archéol. 1865. p. 225. et seqq.

THĬĀSUS, i, m. 2. (θίασος) ¶ 1. Est saltatio sive chorea, quæ Baccho exhibebatur; et etiam cœtus ipse saltantium sive Bacchicos choros agentium. Virg. 5. Ecl. 30. Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho. Stat. 3. Silv. 41. Confectus thiasis. h. e. saltando fessus. Catull. 63. 27. Simul hæc comitibus Atys cecinit notha mulier, Thiasus repente linguis trepidantibus ululat. h. e. cœtus Bacchantium et thiasum agentium. et 64. 251. florens volitabat Iacchus Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis. Adde Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 3. 1828. ¶ 2. Pro sodalitio est fortasse apud Henzen Inscr. n. 6082. Thiasus Placidianus. sc. thiasus a Placidio quodam, privato, ut videtur, homine, institutus; vel locus, in quo aliquis sacerdotum cœtus habebatur. Cf. Bullett. archeol. Napol. an. 5. p. 113. ed. 2. — NB. De cogn. et nom. propr. R. V. ONOM.

THIATIS, is, m. 3. nomen mensis apud Ægyptios. V. THOTI. Plin. 27. Hist. nat. 42. 80. (105). Tradunt Ægyptii, mensis, quem thiatin vocant, die XXVII. fere in Augustum mensem incurrente, si quis etc. Sillig. Thoti.

THIBIN. V. TIBIN.

THIELDONES, um, m. plur. 3. genus quoddam equorum. Plin. 8. Hist. nat. 42. 67. (166). In eadem Hispania Gallaica gens est et Asturica; equini generis – hi sunt quos thieldones vocamus, minore forma appellatos asturcones – gignunt, quibus non vulgaris in cursu gradus. Alii aliter leg. V. Sillígii adnot.

THIOPHENGES, indecl. Vox Ægyptia, qua significatur herba a Græcis peristereon dicta. Apul. Herb. 66., ubi Ackermann dedit pempsemple. Cf. ibid. 3.

THIS, indecl. Vox Ægyptia, qua significatur herba a Latinis mentastrum dicta. Apul. Herb. 90.

THISRI (tisri), indecl. nomen mensis apud Chaldæos et Hebræos, qui est September vel partim ad Septembrem, partim ad Octobrem pertinet: Hebraicis litteris est תשרי Thishri, quod a Chald. שרא shera, solvit, aperuit, quasi annum aperiens: erat enim mensis anni civilis primus. V. Levy Chald. Wörterb.; aliter vero in Aruch, de quo V. Zanolinium nostrum in Lex. Chald. v. 2. p. 682. Memorat Polem. in Kalend. September vocatur apud Hebræos Thisri. Mommsen in Corp. Inscr. Lat. 1. p. 251. legit Tesseri pro Thisri.

THĪUS, a, um, adject. θεῖος, divinus: hinc thia rhiza dicta herba betonica apud Apul. Herb. 1., ubi occurrit thiarhiza vel thiariza conjunctim.

THĪUS (tius), ii, m. 2. θεῖος, patris et matris frater. h. e. patruus et avunculus, zio. Isid. 9. Orig. 6. 15. Fratrueles materteræ filii sunt: sobrini consobrinorum filii: thius Græcum nomen est. Cf. thia, h. e. amita, apud Ducange et Archiv f. Lat. Lex. etc. E. Wölfflin 1889. p. 446.

THLĂDĬAS et thlasias, æ, m. 1. θλαδίας et θλασίας, eunuchus, cui non evulsi, ut spadoni, sed contusi et fracti sunt testes: a θλάω, tundo, ut Colum. 6. R. R. 26. et Pallad. 6. R. R. 7. dicunt. Similis est thlibias, θλιβίας, a θλίβω, premo, elido, cui scilicet fissa ferula compressi sunt testes. Utriusque mentio fit ab Ulp. Dig. 50. 16. 128. Spadonum generalis appellatio est: quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ, sed et si quod aliud genus spadonum est, continetur. Paul. ibid. 48. 8. 5. Hi quoque, qui thlibias faciunt, in eadem causa sunt, qua hi, qui castrant. Plin. hos thladias seu thlasias ait esse, quibus franguntur testes. Is enim sic 11. Hist. nat. 49. 110. (263). Homini tantum injuria aut sponte naturæ franguntur testes; idque tertium, ab hermaphroditis et spadonibus semiviri genus habent.

THLĂSĬAS. V. voc. præced.

THLASPI, is, n. 3. θλάσπι, herba est duorum generum: unum angustis foliis, digitali longitudine, cauliculo semipedali, peltarum specie, semine incluso lenticulæ effigie, nisi quod infringitur, unde et nomen (nempe a θλάω, frango), flore albicanti: alterum latis foliis, radice magna. Hæc ex Plin. 27. Hist. nat. 13. 113. (139). Cels. 5. 23. n. 3. Thlaspis P. ✠. V. = =. Scribon. Compos. 170. Thlaspis ✠. P. VI. et victoriati.

THLĪBĬAS. V. THLADIAS.

THLĪBŎMĔNUS, i, m. 2. θλιβόμενος, proprie particip. Gr. a θλίβω, premo, et est afflictus, indigens. Cyprian. Ep. 2. (8). Sive viduæ sive thlibomeni. Alii leg. clinomeni, sed perperam.

THLIPSIS, is, f. 3. θλίψις, afflictio, vexatio. Vulg. interpr. Ital. apud Lucif. Caral. 1. pro S. Athan. p. 828. Mign.

THOCA, æ, f. 1. palla seu vestis genus Gallorum et Britannorum proprium. Gloss. Isid. Thoca, flavu (corrige clavus) vel vestis. Inscr. apud Murat. præf. p. 16. Accipias libenter thocam Britannicam.

THŌCUM, i, n. 2. θῶκος, quod exponitur a Fest. apud Paul. Diac. p. 367. 8. Müll. Thocum genus sellæ habetur apud Plautum. Ita leg. Müllerus ex conject. Meursii; alii throcum.

THODONA, nomen herbæ apud Ægyptios, quæ bryonia vulgo dicitur. Apul. Herb. 66.

THŎLUS, i, m. 2. (θόλος) Dictum volunt, inquit Forcellinus, ἀπὸ τοῦ θεῖν ὅλον, quia totus circumcurrit; sed melius conjungitur cum v. thalamus, ut sit ab eadem radice θαλ, Skr. dhar, sustinere. — Tholus est umbilicus tecti, ubi trabes omnes conveniunt, summa et media pars cameræ rotunda aut in modum scuti: item ipsa camera rotunda forma in fastigiatum cacumen desinens (It. fondo del tetto, cupola; Fr. coupole, rotonde, voûte; Hisp. cupula, rotunda, boveda; Germ. die Kuppel, das Kuppeldach; Angl. a cupula or dome).

I.) Proprie. Ovid. 6. Fast. 282. de æde Vestæ. Par facies templi (h. e. rotunda), nullus procurrit in illo Angulus: a pluvio vindicat imbre tholus. Vitruv. 4. 7. In medio tecti ratio ita habeatur, uti quanta diametros totius operis erit futura, dimidia altitudo fiat tholi præter florem. Id. 7. 5. circa med. Tholorum rotunda tecta. Claudian. Edyll. 6. 62. Afflatosque vago temperat igne tholos. h. e. fornices, cameras. Adde Varron. apud Non. p. 448. 22. Merc. — In tholo sacrarum ædium suspendebantur donaria diis oblata. Virg. 9. Æn. 406. siqua tuis pro me pater Hyrtacus aris Dona tulit: siqua ipse meis venatibus auxi Suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi. Stat. 4. Theb. 733. figamque superbis Arma tholis. Id. 1. Silv. 4. 32. dives prædæ, tamen accipit omni Exsuvias Diana tholo captivaque tela, Bellipotens. Val. Flacc. 1. 56. I, decus, et pecoris Nephelæi vellera Grajo Redde tholo.

II.) Translate, per synecdochen, est ipsum ædificium tholo instructum aut rotunda figura exstructum: cujusmodi fuit ædes Vestæ et Pantheon. et apud Varron. 3. R. R. 5. Inter eas piscinas accessus semita in tholum, qui est ultra, rotundus, columnatus, ut est in æde Catuli, si pro parietibus feceris columnas. Martial. 2. 59. Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum. Ovid. 6. Fast. 295. Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi: Mox didici, curvo nulla subesse tholo. — Tholum macelli Varro memorat apud Non. loc. cit. significans in macello domum fuisse tholo tectam. Verba Varronis sunt: Et pater Divum trisulcum fulmen igni fervido actutum mittat in tholum macelli. Est qui leg. Marcelli. — Rich op. cit. ad h. v. figuram macelli cum tholo dedit, ex nummo Neronis Imp. apud Eckhel D. N. V. T. 6. p. 273.

THŌMIX et tomix, icis, f. 3. θῶμιξ, restis, funiculus ex cannabe, junco, sparto, palma aliave materia, cordicella, corda. Fest. p. 356. 3. Müll et Paul. Diac. p. 357. 1. ibid. Thomices Græco nomine appellantur e cannabo impolito et sparto leviter tortæ restes, ex quibus funes fiunt. Lucilius: Vidimus vinctum thomice cannabina. Opilius Aurelius scribsit, mollem pulvillum, quem in collo habent (jumenta), restis ne lædat, thomicem vocari. Hæc Festus. Hujusmodi funes tumiclas appellare videtur Apul. 8. Met. V. TUMICLA. Vitruv. 7. 3. Tomix ex sparto Hispanico. Colum. 12. R. R. 32. Marrubii caules teneros in sole siccato; deinde fasciculos facito et tomice palmæ aut juncea ligato. Plin. 17. Hist. nat. 10. 11. (62). Sic et spinas sæpis causa serunt, tomice moris spinarum circumlita. (Enarrant hoc futius Colum. 11. R. R. 3. sub init. et Pallad. 1. R. R. 34.) Pallad. 1. R. R. 13. Binas inter eos (asseres) perticas dirigemus tomicibus alligatas.

THŌRA, indecl. Vox ipsa Hebraica, תורה thorah, quam ducunt alii a thor, explorare, scrutari, ita ut sit exploratio vel ratio, dispositio, ordo: alii rectius a jarah, quod est etiam docere, instruere, ita ut doctrinam significet et legem. Usurpatur autem pro parte sacrarum Scripturarum, quæ legem Mosaicam continet; distinguunt enim Hebræi tres Scripturarum classes, quarum primam vocant thora seu legem; alteram neviim, seu prophetas; chetuvim tertiam, seu scripta. Isid. 6. Orig. 1. 5. Hi sunt quinque libri Moysi, quos Hebræi thora, Latini legem appellant.

THŎRĂCA, æ, f. 1. idem ac thorax. Ennod. Opusc. VI. circa med. in carm. At mihi crux culpis, crux scutum cruxque thoraca. Licenter primam corripuit, quæ naturâ est longa.

THŌRĀCĀTUS, a, um, adject. (thorax) thorace indutus, vestito di corazza, θωρακοφόρος. Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (69). Parrhasius pinxit navarchum thoracatum. Id. 37. ibid. 9. 37. (118). Formatamque inde effigiem Neronis thoracatam.

THŌRĀCE, es, f. 1. idem ac thorax, qua significat imaginem alicujus usque ad thoracem expressam, busto. Trebell. Claud. 3. Illi clipeum aureum in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus. Cf. Salmas. ad h. l., qui thorace non ablativum, sed rectum casum habuit.

THŌRĀCĬUM, ii, n. 2. deminut. a thorax, ut θωράκιον a θώραξ. ¶ 1. Est parvus thorax. Ampel. 8. Sicyone in Achaia sunt posita Ulyssis chlamys et thoracium. ¶ 2. Item parva fascia pectoralis seu sagulum, stomachino, corpetto, farsetto, giubbettino. Lucil. 2. Sat. 26. ricæ, thoracia, mitræ. ¶ 3. In re nautica esse id, quod Italice cassa delle pulegge dicitur, tradit cl. Guglielmotti, Di due Navi Rom. etc., sed nullo classicæ Latinitatis auctore laudato.

THŌRĀCŎMĂCHUS, i, m. 2. θωρακόμαχος, qui thorace indutus pugnat. Auct. De reb. bell. p. 18. Labbé. Affertur a Freund et Klotz. Cf. Ducange Gloss. med. et inf. Latin.

THŌRAX, ācis, m. 3. (θώραξ) pectus, totum illud corporis spatium, quod duodecim costis utrinque circumscribitur et pertinet anteriore quidem parte ad pectorale os et sæptum transversum, declinat vero posteriore ad spinam duodecim vertebris circumscriptam (It. petto, torace, imbusto; Fr. poitrine, thorax; Hisp. pecho, torax; Germ. die Brust; Angl. the thorax, breast, chest).

I.) Proprie. Venant. 7. Carm. 12. 113. Per thoraca meum ducas, precor, oris aratrum, Ut linguæ sulcus sint sata nostra tuæ. — Apud medicos. Plin. 27. Hist. nat. 7. 28. (49). Absinthium thoracem purgat cum iride sumptum. Cels. 5. 25. n. 8. Ad thoracis dolores catapotium. Cœl. Aurel. 2. Acut. 27. 144. Pejorante passione thorax exstantior fiet. et 3. Tard. 1. 5. Arthopnœa cum thoracis eversione atque singultu. h. e. stomachi.

II.) Tropice. ¶ 1. Ponitur pro lorica vel pro quovis munimento pectus tegente, sive illud laneum sit sive ferreum sive ex alia materia confectum, corazza, usbergo, panciera, corsaletto, giubbone, farsetto. Martial. 7. 1. Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ. Val. Flacc. 3. 87. densis thoracibus horrens Stat manus. Virg.

10. *Æn.* 337. thoraca simul cum pectore rupit. *Sueton. Aug.* 82. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis et subuculæ thorace laneo et femoralibus et tibialibus muniebatur. *giubbone, farsetto, camiciuola.* Sic *Liv.* 4. 20. In thorace linteo scriptum. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 260. Thoracum validos pulsant suspiria nexus. Adde *Juvenal.* 5. 143. ¶ 2. Est etiam imago alicujus usque ad thoracem expressa, *busto. Vitruv. Compend.* 2. Ut est in Urbe Triton aeneus cum tudidem thoracibus ventorum factus ad templi Androgei Cyrenensis similitudinem. *Rufin.* 2. *Hist. Eccl.* 29. Thoraces Serapis, qui per singulas quasque domos (*Alexandriæ*) in parietibus, in ingressibus, in postibus etiam ac fenestris erant, ita abscissi sunt omnes et abrasi ut etc. Cf. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 993.

Homonym. *Thorax* differt a *lorica* apud *Liv.* 42. 61. Scuta supra mille quingenta, loricæ thoracesque mille. ubi *lorica* est sagulum coriaceum, *corsaletto di cuoio,* et *thorax* thoracis munimentum seu tegmen ex metallo, *corazza di metallo.*

THŎRȲBĒTHRON, i, n. 2. ϑορύβηϑρον, genus herbæ, quæ et leontopŏdion dicitur. *Apul. Herb.* 8. Alii male leg. *theribethron.* Cf. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 34. (52).

THŎRUS. *V.* TORUS.

THOS, ŏis, m. 3. ϑώς, ωός, genus luporum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 34. 52. (123). Nam thoes (luporum id genus est procerius longitudine, brevitate crurum dissimile, velox saltu, venatu vivens, innocuum homini) habitum, non colorem, mutant, per hiemes hirti, æstate nudi. *Id.* 10. *ibid.* 74. 95. (206). Dissident thoes et leones. *Solin.* 30. *a med.* Æthiopicis lupis proprium est, quod in saliendo ita nisus habent alitis, ut non magis proficiant cursu, quam meatu. Homines tamen numquam impetunt. Bruma comati sunt, æstate nudi. thoas vocant. *Grat. Cyneg.* 253. Hic et semiferam thoum de sanguine protem Finxit. — Sunt, qui inter lupos cervarios numerent. *Gloss. Philox.* Lupus cervarius, ϑώς. Sed *Plinius* de thoe et lupo cervario distinctis agit locis. Alii pantheris accensent. Sane *Scholiastes Homeri* in *l.* 10. et 13. *Iliad.* ϑῶες exponit πανϑῆρας, quasi dicas, *minutos pantheras.* At *Cuverius* ad locum prius cit. *Plinii* putat, thoem esse lupi genus, quod Galli nunc *chacal,* Itali *lupo dorato* vocant. Cf. שועל *shual,* quod apud Hebræos est vulpium genus. *Neh.* 4. 3. et *Ps.* 63. 11. — Duorum thoum figuram videsis in Lithostrato Prænestino, quod cl. *Pieralisius Tab.* 1. illustravit.

THOT (Thoth) *et*

THOTI *vel* Toti, *et*

THOUT, indecl., nomen mensis Septembris apud Ægyptios, a Mercurio dicti, qui lingua eorum *Thot,* Græce Θωϑ, vocatur, ut tradit *Suidas* in *h. v.* De hoc tamen *V.* ONOM. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 80. (105). Mensis quem (*Ægyptii*) Thoti vocant. Alii aliter leg. V. *Sillig.* Adde *Polem.* in *Kalend.*, ubi *Thovis* pro *Thout* legunt quidam. Cf. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 56. et *Lactant.* 1. 6. Sunt tamen qui ita distinguunt, ut *Thot* sit nomen Mercurii, *Thoti* vero mensis.

THRACĬAS. *V.* THRASCIAS.

THRÆCĬDĬCUS. *V.* THRECIDICUS.

THRÆX (Threx), æcis, *et* Thrax, ăcis, m. 3. Θραῖξ, Θρῆξ et Θρᾴξ, genus gladiatorum, parmula et sica utentium, ita vocatum, vel quia hi erant instructi parmula Thracia, vel quia, qui primi sic pugnarunt, Thraces erant. *Fest.* apud *Paul. Diac.* p. 366. 11. *Müll.* Thræces gladiatores a similitudine parmularum Thraciarum. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 1. *ante med.* Quamvis staturam habeas Threcis cum Threce compositi. *h. e.* staturam humilem. nam Threces in pugna se demittebant et sub brevi parma se colligebant, ut mirmillonem adversarium, cum quo fere committebantur, subeundo confoderent. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 189. n. 434. DIS INIQVIS QVI RAPVERVNT ANIMVLAM TAM INNOCVAM L. TETTI ALEXANDRI IS V. A. V. D. XI. (*h. e.* vixit annis quinque, diebus undecim) THREPTION CAES. N. DOCTOR THRAECVM FECIT. *Alia* apud *Murat.* 1751. 4. TELEPHVS SAMNES (*lege* Samnis) NATIONE THRAEX. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 43. 99. (245). Studioso Thraci in C. Cæsaris ludo notum est dextram fuisse proceriorem. *Alii leg.* Threci. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 44. Thrax est Gallina Syro par. *Alii leg.* Threx. — Hujusmodi gladiatoris armaturam videsis apud *Gruter.* p. 335. et paullo melius apud *Fabrett. Col. Trajan.* p. 256., ubi M. Antonius Exochus Threx, natione Alexandrinus, dextra cestum, sinistra palmam tenet, ad latus dextrum harpen et spicas, symbolum nempe urbis Alexandrinæ et coronam lemniscatam habet, ad sinistrum vero latus gryphus est pileum, libertatis insigne, ferens. Similis etiam est Trecis figura apud *Maff. Mus. Ver.* p. 444. n. 2., ubi Priscus Threx dextra cestum et harpen, sinistra parmam tenet, ad pedes vero pileum libertatis. Cf. THRECIDICUS.

THRANĬS, is, m. 3. ϑράνις, piscis cetacei generis, quem alii xiphiam vocant. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151).

THRASCĬAS (Thracias), æ, m. 1. ϑρασκιάς et ϑρακίας in marmore apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 177. Θρακίας, Circius, *maestro tramontana,* ventus flans inter septentrionem et occasum solstitialem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (120). et *Vitruv.* 1. 6. *a med.*, ubi *Rose* leg. *thracias.* Caret autem Latino nomine, ut notat *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 16. *in fin.*, ab aliquibus tamen *Circius* vocatur, ut supra vidimus. *V.* CIRCIUS. Adde *Isid. De nat. rer.* 37.

THRAUSTON, i, n. 2. ϑραυστόν, genus quoddam resinæ apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 23. 49. (107). *V.* PHYRAMA.

THRAX. *V.* THRÆX.

THRĔCĬDĬCA, ōrum. *V.* voc. seq.

THRĔCĬDĬCUS *et rectius* Thræcidicus, a, um, adject. (Threx) ad Thraces gladiatores pertinens. *Auson. Cæsar. n.* 18. Threcidico princeps (*Commodus*) bella movens gladio. Alii male leg. *Threicio. Plin.* 33. *Hist. nat.* 9. 45. (129). Parma Thræcidica. — Hinc

*Threcidica, orum,* n. plur. 2. absolute, arma, quibus Thraces gladiatores utebantur. *Cic.* 7. *Phil.* 6. 17. Mirmillo in Asia depugnavit: quum ornasset Threcidicis comitem et familiarem suum illum miserum fugientem jugulavit.

THRĒNĬCUS, a, um, adject. (threnus) ad threnum seu lamentationem pertinens. Hinc *threnicum metrum,* vel *threnicum* absolute, in luctu funebri usitatum. *Serv. De cent. metr.* p. 461. 21. *Keil.* Threnicum constat monometro acatalecto, ut est hoc: *calidum jubar est.*

THRĒNUS, i, m. 2. ϑρῆνος, lamentatio, luctus funebris (It. *lamento, pianto funebre;* Fr. *thrène, chant funèbre, complainte;* Hisp. *lamento ó canto funeral, querella;* Germ. *das Klagelied, Frauerlied;* Angl. *lamentation, wailing, a funeral song*): a ϑρέω, clamo. *Auson. Profess. n.* 7. 3. Annuum functi memora Leonti Nomine threnum. et *n.* 14. 5. Threnus tristis. et *n.* 5. 3. flebilis. et *n.* 21. mœstus. *Isid.* 3. *Orig.* 16. 3. In funeribus threni et lamenta ad tibias canebantur. — *Threni,* inscribitur liber Jeremiæ prophetæ, apud *Vulg. interpr.* V. *Isid.* 6. *Orig.* 1. 8.

THREX. *V.* THRÆX.

THRĪDAX, ăcis, f. 3. ϑρίδαξ, lactuca silvestris. *Seren. Sammon.* 24. 448. thridaci junges ramenta carinæ. Adde *Apul. Herb.* 30., ubi alii *didoxagria* leg.

THRIPS, pis, m. 3. ϑρίψ, vermis cailci similis, arborum ligna perforans et erodens: a τρίβω, tero. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 41. 80. (220)., ubi *thripas* pro *thripes,* acc. plur., Græca positione. — Translate de rebus minimis in quocumque genere: et pro quisquiliis divorum apud *Capell.* 2. p. 40., ubi *Koppius* leg. *thriptes.*

THRŎCUM. *V.* THOCUM.

THRŎNUM. *V.* voc. seq.

THRŎNUS (thronos), i, m. 2. (ϑρόνος) *Thronum,* neutr. gen., usurpavit *Venant.* 4. *Vit. S. Martin.* 213. In sublime thronum procedens æde superba. — Thronus est sella augusta, sedes, solium (It. *soglio, trono;* Fr. *siège élevé, thrône;* Hisp. *solio, trono;* Germ. *e. erhebener Sitz, e. Thron;* Angl. *a throne*): a voce Græca; *thronus* enim, ut ait *Augustinus* in *Ps.* 98., Latine *sedes* dicitur.

I.) Proprie. *Vet. Poeta* apud *Sueton. Aug.* 70. Omnia se a terris tunc numina declinarunt: Fugit et auratos Juppiter ipse thronos. *Alii rectius leg.* toros. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 9. 36. (63). Juppiter in throno, adstantibus diis. - Thronos Bacchi et Cereris marmoreos antiq. illustravit *Viscont.* in *Mus. Pio-Clem. T.* 7. p. 208. et *seqq.* coll. *Tab.* XLIV. et XLV. — Item de thronis seu soliis in monumentis Christianis, sive sculptis sive musivis, V. *De-Rossi* in *Bullett. Crist.* 1872. p. 125. et *seqq.*

II.) Improprie, a similitudine. ¶ 1. *Thronus Cæsaris* dictum sidus Cæsaris in cælum translati. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 70. 71. (178). Item quem sub divo Augusto cognominavere Cæsaris thronum. ¶ 2. *Throni* tertius primæ ac supremæ angelicæ hierarchiæ chorus, de quo V. *Thom. S. Th.* 1. q. 108. a. 5. *Vulgat. interpr. Col.* 1. 16. In ipso condita sunt universa visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates.

III.) Translate. *Prudent. Hamartig. præf.* 10. Vox ecce summo missa persultat throno. *h. e.* summo cælo, ubi thronus Dei est. Adde *Vulg. interpr Matth.* 5. 34. et *Hebr.* 4. 16.

Homonym. Discrimen inter *solium* et *thronum* V. sub SOLIUM.

THRȲALLIS, ĭdis, f. 3. ϑρυαλλίς ¶ 1. Est herba e spicatarum genere, apud *Hard. Pimpinella sanguisorba* (Dodon.) ex *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 61. (101). ¶ 2. Alia, quæ et lychnitis dicitur, habet folia terna aut, quum plurimum, quaterna, crassa et pinguia et ad lucernarum lumina apta. *Id.* 25. *ibid.* 10. 74. (121).

THRYSELĪNUM, i, n. 2. genus herbæ, de qua *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 90. (141). Thryselinum est non dissimile apio: hujus radix commanducata purgat capitis pituitas. *Silligius* in *Adnot.* hæc habet: « Thryselinon aut simile aliquid scribendum, quia non dissimile est apio, quod Græci *selinon* appellant; ϑρύον vero folium fici quidem maxime, sed et aliarum stirpium quandoque. *Barb.* Hæc in universum (subdit *Sillig.*) recte disputata; sed *Harduin.* verum vidisse videtur, quod de ϑρύῳ i. e. junco cogitandum statuit ».

THUNNĀRĬUS. *V.* THYNNARIUS.

THUNNUS. *V.* THYNNUS.

THUS et deriv. *V.* TUS.

THȲA, æ, f. 1. ϑύα, ϑυΐα et ϑύον, ϑύϊον, arbor odorata, radicem habens admodum crispam, multis operibus utilem, in Cyrenaica interiore nascens et circa Ammonis delubrum. Theophrastus magnum huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, quamdamque immortalitatem materiæ in tectis contra vitia omnia incorruptæ. (*V.* CITRUS) *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. (100). Cf. *Macrob.* 3. *Saturn.* 19. Hinc *Propert.* 3. 5. 63. Sed thyæ thalamo aut Oriciæ terebinthi Effultus pluma versicolore caput. Alii tamen aliter leg. *V.* THYUS. — *NB.* De nom. myth. et cogn. R. *V.* ONOM.

THȲĂDES, um. *V.* THYAS.

THȲĂRRHIZA. *V.* THIUS.

THȲAS *et rectius* Thyias, ădis, f. 3. (ϑυιάς) *Vel. Long.* in *Orthogr.* p. 2220. *Putsch.* et *Pierius* in loco *Virgilii* reperit *Thyias* disyllabon in Codice Mediceo. Sic *Hesych.* Θυιάς, Βαχχίς. *Georges op. cit.* p. 687. « Die forme, inquit, Θυάς et Thyas wird von *Blomfield* zu *Æschyl. Sept.* 494. und von *Bentley* zu *Horat.* 2. *Od.* 19. 9. verworfen, und ist daher auch aus den neuesten Texten entfernt worden ». — Thyas et sæpius in plur. num. Thyades sunt mulieres Bacchi sacrificulæ, Bacchæ, Mænades, Bassarides: a ϑύω, sacrifico: unde et Bacchus Thyoneus dictus est, *Baccanti.* Quidam rationem nominis referunt ad Thyam Cephisi filiam, quæ prima omnium Bacchi sacris initiata, Orgia ejus cele-

braverit. *Virg.* 4. *Æn.* 301. qualis commotis excita sacris Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia. *Stat.* 5. *Theb.* 92. insano veluti Theumesia Thyias Rapta deo, dum sacra vocant. — In plur. num. *Horat.* 2. *Od.* 19. 9. Fas pervicaces sit mihi Thyiadas Cantare. *Ovid.* 6. *Fast.* 513. complent ululatibus auras Thyiades, effusis per sua colla comis. *Stat.* 12. *Theb.* 791. quales Bacchea ad bella vocatæ Thyiades amentes, magnum quas poscere credas Aut fecisse nefas. Ubi *Queck* leg. *Thyades.* et *Catull.* 64. 390. Sæpe vagus Liber Parnassi vertice summo Thyiadas effusis euantes crinibus egit. *Seneca Œdip.* 442. Thyiades œstro membra remissæ.

THYĂSUS. *V.* THIASUS.

THYEUM. *V.* THYON.

THYIAS. *V.* THYAS.

THYĪNUS, a, um, adject. ϑύϊνος, qui est ex thya. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 10. 11. Classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ligna thyina multa minis. Adde 2. *Par.* 9. 10. — Sunt qui putant, *thyinum lignum* esse quod Italice *sandalo citrino* dicitur (*Santalum citrinum* Linn.). V. *Cultrera Flor. Bibl.* p. 326. et *seqq.*, qui *ibid.* p. 416. *et seq.* hoc lignum distinguit ab alio apud *Vulg. interpr. Apoc.* 18. 12., quod *thya articulata* vel *citrus atlantica* a rei herbariæ cultoribus appellatur. — De *ligno thyino*, sc. santalino, in *loco. cit.* V. *Lassen Indisch. Alterth. T.* 1. *p.* 651. *et seq.* et *Vigouroux, La Bibl.* etc. *T.* 3. *p.* 380. et *seq.*

THYĬSCA, æ, f. 1. ϑυίσκη, genus vasis pro sacrificiis, turibulum, acerra: a ϑύω, suffio, adoleo, sacrifico. *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 25. 29. Parobsides et thyiscæ et phialæ et libatoria.

THYĬUS, a, um, adject. (thya) idem ac thyinus. *Propert.* 3. 5. 63. Sed thyio thalamo aut Oricia terebintho Et fultus pluma versicolore caput. Ita leg. *Baehrens;* alii *thyæ* et *Oriciæ.* Cf. *Herztberg* ad *h. l.*

THYMALLUS, *i*, m. 2. ϑύμαλλος, genus piscis ita dicti, quod spiret thymi floris odorem: quam vocem *Forcellinus* hybridam putat a ϑύμον, thymum, et *halo;* sed rectius dixeris Græcam omnino. Cf. *Ælian.* apud *Henr. Steph. Thes. Ling. Gr.* ad *h. v. Ambros.* 5. *Hexaem.* 2. Neque te inhonoratum nostra prosecutione, thymalle, dimittam, cui a flore nomen inolevit; seu Ticini unda te fluminis seu amœni Athesis unda nutrierit, flos es. Adde *Isid.* 12. *Orig.* 6. *ante med.*

THYMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *thymo, as,* thymo imbutus. *Plin. Valer.* 1. 22. Ammoniacum thymatum. Alii leg. *thymiamatum;* alii vero perperam *thyminatum.*

THYMBRA, æ, f. 1. ϑύμβρα, herba grati odoris, apibus quæsita et post thymum optima mella reddens, sapore similis satureiæ, ut docet *Colum.* 9. *R. R.* 4. et 10. *ibid.* 233. Græci hoc nomine cunilam appellant, inquit *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 50. (165)., qui, ut ait *P. Bubani Fl. Virg.* p. 110., errasse dicendus est. *Virg.* 4. *G.* 31. graviter spirantis copia thymbræ. *graviter* hoc loco bene et multum significat, ut *Servius* adscripsit. *Petron. Sat.* 135. Et thymbræ veteres et passis uva racemis. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 21. artus Floribus innumeris et olenti spargere thymbra. Adde *Marcell. Empir.* c. 14. *p.* 104. retro. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. *in fin.* Thymbra, quam nos saturejam diximus. Adde *Serem. Sammon.* 23. 22. Cf. *Fée op. cit. v.* 2. *p.* 419. hanc synonymiam præbet: « Θύμβρα, Theoph. *Hist. plant.* VI. 11; Diosc. *III,* 45; Aristoph. *in Nub.* v. 420. – *Thymbra graviter spirans,* Virg. *Georg. IV.* v. 31; *Satureja Thymbra* L. *Spec. pl.* 794. » Recentiores alii appellant *Thym de Crète,* inquit *Paulet Flor. et Faun. Virg.* p. 122.; alii respondere volunt *Saturejæ hortensi,* Ital. *coniella;* alii vero rectius, ut videtur, *Saturejæ montanæ.* V. *Fée* supra *cit.* p. 420. et præsertim *Bubani loc. cit.*, qui de hac re erudite disserit. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

THYMBRÆUM. i, n. 2. ϑυμβραῖον, genus herbæ, quam alii sisymbrion silvestre vocant. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 32. 91. (247).

THYMBRÆUS, a, um, adject. (thymbra) ¶ 1. Est ad thymbram herbam pertinens, ut *thymbræum nectar* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 212. *v.* 89. ¶ 2. Est etiam ad Thymbram oppidum et agrum et montem in agro Trojano pertinens. *V.* ONOM.

THYMĔLA. *V.* THYMELE.

THYMĔLÆA, æ, f. 1. ϑυμελαία, nomen fruticis ita dicti a ϑύμον, thymum, et ἐλαία, olea, quia thymi odorem et folia oleæ similia habet. in quo nascitur granum Gnidium; ab aliis chamelæa, ab aliis cneoron dictus, similis oleastro, foliis angustioribus, gummosis, si mordeatur, myrti magnitudine; semine, colore et specie farris, ad medicinæ tantum usum. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 35. (114). *V.* CASIA.

THYMĔLE, es, *et* thymela, æ, f. 1. ϑυμέλη, proprie altare, ita Græcis dictum a ϑύω, sacrifico: sed ab ejus similitudine est locus editus in orchestra, idest pulpitum illud, in quo musicis instrumentis inserviebatur scænæ a citharœdis et tibicinibus: unde *thymelici;* item ipse ludus seu res scænica. *Euph.* in *Anthol. Lat. n.* 637. *Riese.* Omnia quæ thymele carmina dulcis habet. Adde *Valer.* 1. *Gest. Alex. M.* 10. In *Cod. Theod.* 8. 7. 21. *et* 22. memorantur actuarii thymelæ. *h. e.* rerum scænicarum publicæ voluptati inservientium. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. antiqu.* p. 146. Logista thymelæ. — Quidam putant, hoc sensu dixisse *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *in carm.* 2. 68. Bimari remittat urbe Thymelen Palenque doctas Citharistrias Corinthus. *h. e.* doctas artem pulsandorum instrumentorum, quibus in thymele utuntur. Verum alii volunt, respici ad Thymelen celebrem saltatricem aut tibicinam uxorem Latini histrionis et mimi: de qua *Juvenal.* 1. 36. et a trepido Thymele submissa Latino. *et* 8. 197. zelotypus Thymeles. *et Martial.* 1. 5. Qua Thymelem spectas derisoremque Latinum, Illa fronte, precor, carmina nostra legas. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

THYMĔLĬCUS, a, um, adject. (thymele) ad thymelem vel universim ad scænam pertinens. *Apul. De mag.* Thymelicum choragium, *apparato da scena o scenico.* et *Augustin.* 6. *Civ. D.* 7. obscenitas. *Fest.* p. 326. 26. *Müll.* cadus. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 37. saltator. *Inscript.* apud *Gruter.* 332. 6. ATHENODORVS XYSTICVS PARIDI THYMELICO BENEMERENTI FECIT. — *Thymelicus pes* pentasyllabus constat longa, tribus brevibus et longa, ut *constituerant. Diomed.* 3. *p.* 479. *Putsch.* — Hinc

*Thymelica, æ,* f. 1. et

*Thymelicus, i,* m. 1. citharœdus et tibicen, in thymela canens, *suonatore di teatro. Isid.* 18. *Orig.* 47. Thymelici erant musici scænici, qui in organis et lyris et citharis præcinebant. Et dicti thymelici, quod olim in orchestra stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur. *Ulp. Dig.* 3. 2. 4. Neque thymelici, qui certaminibus sacris deserviunt, ignominiosi habentur. *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 15. *tit.* 7. *qui est* de Scænicis, 5. Quisquis thymelicam ex urbe abduxerit. et *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. ibid.* 12. Nulla femina nec puer thymelici consortio imbuantur.

Homonym. *Thymelici* differunt a *scænicis;* nam hi dicebantur histriones, qui in scæna fabulam agebant; illi vero, qui personam ex fabula non habentes, ante scænam in orchestra musicis instrumentis scænæ subserviebant. *Vitruv.* 5. 8. Itaque ex eo scænici et thymelici Græce separatim nominantur. *Frid.* tamen *Osann.* in *Syllog. Inscr. Græc. et Lat.* p. 204. putat, seriore Romanorum ætate scænicos et thymelicos eosdem fuisse, qui fere pantomimorum ludis exercerentur.

THYMĔLĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

THYMĬĀMA, ătis, n. 3. ϑυμίαμα, suffimentum (It. *profumo;* Fr. *parfum, encens;* Hisp. *perfume;* Germ. *das Räucherwerk;* Angl. *a perfume*). ¶ 1. Generatim. *Pelagon. Veter.* 8. Dicit cooperiri debere eum (*equum*) diligenter ita ut usque ad terram coopertoria dimittantur, ne fumus thymiamatis exeat et sic castoreo carbonibus imposito, omnem ventrem et testes fumigari. *V.* et *Marcell. Empir.* c. 7. *s.* 2. et *Plin. Valer.* c. 11. ¶ 2. Speciatim genus suffimenti odorati ex variis aromatibus compositum, ut stacte, galbano et, ex majore parte, ture, quod incenditur ad suffitus: a ϑυμιάω, odores incendo. *V.* AMMONIACUS.

THYMĬĀMĀTĒRĬUM, ii, n. 2. (thymiama) idem quod thymiaterium. *Vulgat. interpr. Jer.* 52. 19. Hydriæ et thymiamateria et urcei et pelves et candelabra etc. — Translate *Ambros. Ep.* 5. (*al.* 4.) Cum spiritu adoles aureum illud thymiamaterium. Alii leg. *thymiaterium.*

THYMĬĀMĀTIZO, as, are, n. 1. (thymiama) thymiama adoleo. *Vulg. interpr. Ital.* 1. 9. cod. *Sang.*

THYMĬĀMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *thymiamo,* thymiamate imbutus. *Vulg. interpr. Ital. Tob.* 6. 18. Cf. THYMATUS.

THYMĬĀMUS, a, um, adject. (thymum *et* amo) qui thymum amat. Ita translate vocantur duo seneciones Attici, qui conveniebant meretrices, a quibus ideo et oves tensitandæ appellantur. Porro Attici thymo præcipue utebantur in cibis condiendis. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 3. BACCH. Quis has huc oves adegit? NI. Oves nos vocant pessumæ. BACCH. Rerin ter in anno has tonsitari? Vetulæ sunt thymiamæ.

THYMĬĀTĒRĬUM, ii, n. 2. ϑυμιατήριον, vas, ubi thymiama adoletur, acerra. *Vulgat. interpr.* 2. *Par.* 4. 22. Thymiateria et turibula et phialæ. Cf. THYMIAMATERIUM.

THYMĬĀTĪTIS, idis, f. 3. ϑυμιατῖτις, genus herbæ, quæ communiter pentaphyllum appellatur. *Apul. Herb.* 2.

THYMĪNUS, a, um, adject. (thymum) ex thymo factus, ϑυμινός. *Colum.* 6. *R. R.* 33. 2. Omnis dolor oculorum inunctione suci plantaginis cum melle acapno, vel, si id non est, utique thymino celeriter levatur. *Inscr.* in *Giornale degli Scavi di Pomp. a.* 1871. p. 182. Mel thyminum. Adde *Pelagon. Veter.* 30.

THYMĬON. *V.* THYMIUM.

THYMĪTES, æ, m. 1. ϑυμίτης (οἶνος), vinum thymo conditum. *Colum.* 12. *R. R.* 35. Vinum absynthiten et hyssopiten et abrotoniten et thymiten et marathriten et glechoniten sic condire oportet. *V.* ABROTONITES.

THYMĬUM *et* thymion, ii, n. 2. ϑύμιον ¶ 1. Est species verrucæ, de qua *V.* in ACROCHORDON. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 45. (128). Ad thymia crudis mænis utuntur. ¶ 2. Est etiam cancer, canceroma. *Cels.* 5. 28. Cf. *R. Anke* in *Philol.* 32. 593.

THYMŌSUS, a, um, adject. (thymum) thymo abundans vel ex thymo factus, ϑυμώδης. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 15. (39). Thymosum mel non coit et tractu prætenuia fila mittit. Adde *Plin. Valer.* 2. 17. — *Macrob.* 3. *Saturn.* 19. Pirum thymosum. *h. e.* odore plenum, tamquam thymum.

THYMUM, i, n. *et* thymus, i, m. 2. (ϑύμον et ϑύμος) Primam licenter producit *Æmil. Macer c. de satureja extr.* Si desit thymus, pro thymo ponere thymbram etc. — Thymum est frutex humilis, odoratus, apibus gratissimus et optimum mel faciens (It. *timo;* Fr. *thym;* Hisp. *tomillo, timo;* Germ. *Thymian, Quendel;* Angl. *the herb thyme or time*). *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 89. (154). Thymum colligi oportet in flore et in umbra siccari. Duo autem sunt genera ejus: candidum radice lignosa, in collibus nascens, quod et præfertur: alterum nigrius floris que nigri. Hæc *Plin.*, qui deinde recenset ejus in medicina utilitates. Nigrum seu nigricans hodie appellatur *Thymus vulgaris* (Linn.), Ital. *sermolino;* candidum vero *Satureja capitata* (Linn.), Ital. *santoreggia a capolino.* Cf. *Bubani op. cit. p.* 111. Cf. vero *Fée op. cit. v.* 3. *p.* 36. hanc synonimiam habet: « Θύμον, Theophr. VI, 2; Athen.; Θύμος, Diosc. III, 44; Galen. *Antid.* 1, p. 427;

Κονίλη, Nic. de *Ther.* v. 626; Τύμβρη, Cass. Bass. *Géopon.* - *Thymus* Virg. *Georg.* IV; Colum. XII, 57; Plin. *loc. comm.*; *Thymus silvestris*, Veg. III, 27; *Satureja capitata* seu *Thymus vulgaris* seu *Th. Zygis* L. *Spec. plant.* 795. et 826 ».

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 440. redolentque thymo fragrantia mella. *Id.* 7. *Ecl.* 37. Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ. *Id.* 4. *G.* 269. Cecropium thymum. Adde *ibid.* 241. — In plur. nom. *Horat.* 4. *Od.* 2. 27. More apis Matinæ Grata carpentis thyma. *Ovid.* 5. *Fast.* 271. volucres ego mella daturas Ad violam et cytisos et thyma cana voco. *Id.* 1. *Art. am.* 96. apes per flores et thyma summa volant. *Martial.* 11. 42. Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api. *h. e.* quæ amara sunt et venenatum mel creant.

II.) Improprie *thymus* est tuberculus carnosus sive ulcus ita dictum a frutice, cujus florem sua figura repræsentat. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (125).

III.) Metaphorice est lepor verborum. *Terentian.* *De metr.* p. 2437. *Putsch.* Hoc mimiambos Mattius dedit metro; Nam vatem eumdem est Attico thymo tinctum Pari leporo consecutus et metro. *sc.* Hipponactem.

THȲMUS, i. *V.* voc. præced.

THYNNĀRĬUS et thunnarius, a, um, adject. (thynnus) ad thynnum seu thunnum pertinens. *Ulp.* *Dig.* 8. 4. 13. Piscationem thynnariam exercere.

THYNNIS, idis, f. 3. θυννίς, thynnus femina. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). Turdus inter saxatiles nobilis, thynnis, thranis. Alii leg. *thynnus.* et *ibid.* (145). Thynni, thynnides, silari, etc.

THYNNUS (tinnus) et thunnus, i, m. et f. 2. θύννος, ingens piscis marinus ex genere cetario, animal pariens, ut balenæ, pristes etc. (It. *tonno;* Fr. *thon;* Hisp. *atun;* Germ. *der Thunfisch;* Angl. *the tunny fisch*): apud *Linn.* est *Scomber Thynnus.* Intrant thynni e magno mari Pontum verno tempore gregatim ibique fetificant. Capti membranatim cæduntur cerviceque et abdomine commendantur: cetera parte plenis pulpamentis sale asservantur. V. *Plin.* 9. *Hist. nat.* c. 15., ubi plura de his. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 44. Plures adnabunt thunni et cetaria crescent. *Ovid. Halieut.* 98. Et pavidi magno fugientes agmine thunni. *Martial.* 10. 48. Et madidum thynni de sale sumen erit. *h. e.* muria thynni saliti. Adde *Varron.* *Sat. Menipp.* 209. et *Manil.* 5. 664. — In femin. gen. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (47). Thynni fetæ.

THȲON, yi, n. 2. θύον. ¶ 1. Est proprie suffimentum: a θύω, suffio, dictum de sucino apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (40)., quia, ut *idem* ait, eo fortasse utebantur ad suffimenta. *Sillig.* leg. *thieum.* ¶ 2. Est etiam idem ac thya. *V.* hanc voc.

THȲRÆUS, i, m. 2. θυραῖος, h. e. janitor, qui januæ præest: a θύρα, janua: cognomen Apollinis apud *Tertull.* *Cor. mil.* 13. *in fin.* Ostiis diabolus affinxit Janum a janua, Limentinum a limine; et apud Græcos Thyræum Apollinem et Antelios dæmones. *Id. Idolol.* 15. Etiam apud Græcos Apollinem Θυραῖον et Antelios dæmonas ostiorum præsides legimus. Cf. *Macrob.* 1. *Saturn.* 9. 6.

THȲRAMBUS, i, m. 2. idem ac dithyrambus. Universim de quocumque versuum genere usurpat *Ennod.* 1. *Carm.* 7. 65. et 2. *Epigr.* 109.

THȲRŌMA, ătis, n. 3. θύρωμα, *h. e.* ostium, janua: a θύρα, quud idem significat. *Vitruv.* 4. 6. Genera sunt thyromatum hæc Doricum, Ionicum, Atticurges.

THYRSĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* thyrsus, parvus thyrsus. *Apul.* *Herb.* 68. Thyrsiculi purpurei.

THYRSĬCUS, a, um, adject. (thyrsus) ad thyrsum pertinens. *Venant.* *præf. a med.* Quid ibi affabre dictum sit, ubi quis sanus vix creditur, nisi secum pariter insanitur? quo gratulari magis est, si vivere licet, post bibere? de quo convivam thyrsicum, non fatidicum licet exire, sed fatuum. *h. e.* convivam Bacchicum.

THYRSĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (thyrsus et gero) qui thyrsum gerit: Bacchi cognomen. *Seneca* *Hippol.* 753. Et tu thyrsigera Liber ab India. *Id.* *Med.* 110. Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi. *Pallad.* *de Insit.* 87. Thyrsiger Bacchus.

THYRSĬTĔNENS, entis, adject. (thyrsus et teneo) qui thyrsum tenet. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 11. *Burmann.* Lenee, vitisator, Bromie, Semeleie Bacche, Thyrsitenens etc.

THYRSUS (tirsus), i, m. 2. θύρσος Græce significat quidquid sic consurgit, ut in gracilitatem attenuetur, uti arbores coniferæ, coni piceæ etc., *tirso.* *Hesych.* Κῶνοι, οἱ θύρσοι καὶ οἱ στρόμβιλοι καὶ οἱ στρόμβοι. Speciatim vero dicitur de caule, id est de eo in herbis, quod virgulæ in modum vel teli restitudinem consurgit (It. *torso;* Fr. *tige des plantes;* Hisp. *tallo, troncho;* Germ. *Stamm, Strunk e. Gewächses;* Angl. *stalk, stump*). *Serv.* in *Virg.* 12. *Æn.* 413. Caulem autem medium fruticis, qui vulgo thyrsus dicitur.

I.) Proprie. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 39. (129). Inventum omnes tyrsos vel folia lactucarum prorogare urceis conditos, ac recentes in patinis coquere. *Id.* 25. *ibid.* 8. 41. (81). Cynoglossos, quæ tres thyrsos seminis emittit. *Id.* 26. *ibid.* 8. 33. (51). Herba thyrso longo et levi, *Id.* 19. *ibid.* 8. 42. (146). Viret asparagus thyrso primum emicante, qui caulem educens tempore ipso fastigatus in toros striatur. *Colum.* 10. *R. R.* 370. Et Tartessiacos Paphiosque revellere thyrsos. *h. e.* lactucæ. Adde *Sueton.* *Aug.* 77. *Apul.* *Herb.* 4. Thyrsus fruticosus. — In signum lætitiæ olim præferebatur. *Vulg. interpr.* 2. *Mach.* 10. 7. — *Thyrsus* dicta est etiam hasta aculeata, hederis et pampinis obtecta, quam Bacchus gestare solitus fuit et Bacchæ in Orgiis quatiebant. Sane *Macrob.* 1. *Saturn.* 19. ait, Liberum Patrem tenere thyrsum, quod est latens telum, cujus mucro hedera lambente protegitur. *Horat.* 2. *Od.* 19. 8. Liber gravi metuende thyrso. *Stat.* 9. *Theb.* 614. Thyrsi teretes. *Id.* 4. *ibid.* 385. ferratus, *h. e.* acumine ferreo instructus. V. *Mus. Borb.* T. 8. *tav.* 12. *not.* (4). *Seneca* *Herc. Fur.* 904. Thyrsus virens. *Id.* *Œdip.* 628. Thyrsos vibrare. et *Herc. Œt.* 243. quatere. *Auct.* *Priap.* 20. Sutilibus Liber committit prœlia thyrsis.

II.) Translate. ¶ 1. Obsceno sensu est mentula. *Apul.* in Ἀνεχόμ. 17. Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis. ¶ 2. Metonymice sumitur pro furore, ardore, stimulo, instinctu. *Lucret.* 1. 921. Percussit thyrso laudis spes magna meum cor. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 43. Sic ubi mota calent sacro mea pectora thyrso. Plura congessit *Heinzb.* ad *Propert.* 2. 30. 37. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

THYRSŪTUS, a, um, adject. (thyrsus) thyrso præditus, thyrsi formam habens, θυρσωτός. *Colum.* 10. *R. R.* 373. Jam tamni sponte virentes Et scilla thyrsuta seges nunc horrida rusco Prodit. Alii aliter leg. *V.* RUSCUM.

THYSSELĬUM. *V.* THRYSELINUM.

# TI

TĬĀLOS, i, m. 2. τίαλος, ab Ægyptio versa apud *Dioscor.* *App.* p. 457., species lilii sive tithymali. *Apul.* *Herb.* 108., ubi alii aliter leg.

TĬĀRA, æ, f. 1. τιάρα, ἡ, et

TĬĀRAS, æ, m. 1. τιάρας, ὁ, cidaris, ornamentum capitis (It. *mitra, tiara;* Fr. *tiare, mitre;* Hisp. *tiara, mitra;* Germ. *der Turban, die Tiara;* Angl. *tiara, mitre*). *Ovid.* 11. *Met.* 181. *de Mida.* Tempora purpureis tentat velare tiaris! *Val. Flacc.* 6. 699. At viridem gemmis et Eoæ stamine silvæ Subligat extrema patrium cervice tiaram. *Juvenal.* 6. 515. et Phrygia vestitur bucca tiara. *et* 10. 267. Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara. *Sidon.* *carm.* 7. 98. Parthicus ultro Restituit mea signa pavor positoque tiara Funera Crassorum flevit. *Id.* *carm.* 23. 250. Tu fluxis equitata Bactra Parthis Constans intrepidusque sic adires, Ut fastu posito tumentis aulæ, Qui supra satrapas sedet tyrannus, Lunatum tibi flecteres tiaram. — Erat in usu apud Persas: quorum reges soli recta tiera et cum acumine utebantur, ut *Hesych.* in *Les.* et *Seneca* 6. *Benef.* 31. *extr.* tradunt: ceteri sine apice et inclinatam. *Isid.* 19. *Orig.* 30. 3. Persæ tiaras gerunt, sed reges rectas, satrapæ incurvas etc. — Etiam apud Phrygas fuit ejus usus, sed sacerdotibus præcipue et regibus, teste *Servio* ad illud *Virg.* 7. *Æn.* 247. Hoc Priami gestamen erat, quum jura vocatis More daret populis sceptrumque sacerque tiaras. — Item apud Hebræos ea utebantur sacerdotes et summus pontifex, qui pretiosiorem adhibebat. *Vulg. interpr.* *Exod.* 28. 37. *et alibi.* — Vulgarem tiaram ita describit *Hieronym.* *Ep.* 64. *n.* 13. Quartum est genus vestimenti rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa et pars altera ponatur in capite. Hoc Græci et nostri τιάραν, nonnulli galerum vocant. Non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit; atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite. Est autem byssinum et sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia forinsecus appareant. V. *Mus. Borb.* T. 8. *tav.* 36. p. 16.

TĬĀRĀTUS, a, um, adject. (tiara) tiara ornatus. *Sidon.* 8. *Ep.* 3. *ad fin.* Inter satrapas regum tiaratorum.

TĪBĒ et

TĪBEI. *V.* TU.

TĪBĔRĔUS. *V.* TIBERIUS.

TĪBĔRĬĀNUS, a, um, adject. ad Tiberium pertinens: de quo *V.* ONOM. Hinc *Tiberiana pira,* quæ Tiberio huic maxime placuere, apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (55).

TĪBĔRĪNĀLĬA. *V.* voc. seq.

TĪBĔRĪNĀLIS, e, adject. ad Tiberim pertinens: de quo *V.* ONOM. — Hinc absolute *Tiberinalia, ium* et *orum,* n. plur. festa in honorem dei Tiberis. V. *Pontedera* *Antiq. Lat.* *Gr.* *ep.* 46. p. 399. ex *Calend.* *M. Const. temp.*

TĪBĔRĬUS, a, um, adject. idem ac Tiberianus. Hinc *Tiberium marmor* apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (55). Sic et (*marmora*) Augustum ac deinde Tiberium, in Ægypto Augusti ac Tiberii primum principatu reperta: Augustum undatim crispum in vertice, Tiberium sparsa, non convoluta canitie. Alii leg. *Tiberianum,* alii *Tibereum,* ut *Sillig.* Adde *Isid.* 16. *Orig.* 5. 4., ubi *Tiberium* occurrit.

TĪBI. *V.* TU.

TĪBI et tybi, indecl. nomen mensis Januarii apud Ægyptios, Græce quoque τυβί et τιβί, qui respondet ultimis diebus Decembris sed maxime Januario Romanorum; unde facile conciliari possunt veterum testimonia, quæ specie inter se dissentiunt. *Polem.* in *Kalend.* Januarius vocatur apud Hebræos Sebit, apud Ægyptios Tibi. Rectius tamen Januarius *Shebat* ab Hebræis dicitur, ut December *Tebet,* quicum Ægyptia vox conferri potest. Adde *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (106).

TĪBĬA, æ, f. 1. Si *Nonio* credimus, olim masc. gen. usurparunt. *Varro* apud *eumd.* p. 229. 24. *Merc.* Quæro meas lubidines ad tibias bilingos. *Sed lege* bilingues, inquit *Forcellinus.* Verum *Riese* legit *ibid.* (*Varron.* *Sat. reliq.* p. 172.) Quate meas lubidinis ad tibios bilinguos. Sane pro forma *tibius* citatur *Roeper.* *Philol.* XVIII. 464. Ad rem tamen *Oehlerus*: « Masculinum vocabuli *tibiæ* formam, fortasse *tibium,* fuisse antiquis scriptoribus usurpatam, nemo hucusque persuadere conatus est ». — Ratione habita etymi, attendendum non videtur quibusdam quod tradit *Isid.* 11. *Orig.* 1. 119. *tibias* vocatas quasi *tubas* ob similem utrarumque longitudinem et speciem. Recentiores tamen utriusque vocis originem statuunt illam ducendo ab una eademque radice Skr. *tub,* quod tubum significat. — Tibia est os cruris exterius, κνήμη (It. osso

*anteriore della gamba, stinco, caviglia, fucile, tibia;* Fr. *l'os antérieur de la jambe, tibia;* Hisp. *hueso anterior de la pierna;* Germ. *das Schienbein;* Angl. *shin*).

I.) Proprie. *Cels.* 8. 1. Alterum os a priore parte positum, cui tibiæ nomen est. *Id. ibid.* 11. Quum os scapularum ab humero recedit et in brachio radius a cubito et in crure tibia a sura. *Plin.* 1. *Ep.* 20. *a med.* Genu aut tibia aut talus. *Phædr.* 5. 7. concidit casu gravi Nec opinue et sinistram fregit tibiam. In utroque loco *Plin.* et *Phædr.* per synecdochen accipi vult *Forcellinus* pro ipso crure, *gamba.* — Hinc translate *Vulg. interpr. Ps.* 146. 10. et *Prov.* 26. 7. — *NB.* Cl. *Furlanetto* ea etiam videtur brachii pars, quæ est inter humerum et cubitum. *Inscr.* apud *Murat.* 139. 1. IN TIBIIS SMARAGDI DVO CYLINDRI. ubi ex contextu orationis apparet, *tibias* eam esse corporis partem, quæ armillis ornabatur. Cf. tamen PERISCELIS.

II.) Translate, ob similitudinem. ¶ 1. Dicitur instrumentum musicum teres et foraminosum, ex arundine aut buxo aliove ligno, vel ex cruribus gruum, cervorum aut asinorum, interdum ex ebore, ære aliave materia ductili: quod ligula inflatum et foraminibus modo digito obstructis, modo apertis, jucundum edit sonum, αὐλός (It. *clarinetta o chiarina, flauto, piva, piffero;* Fr. *flûte;* Hisp. *flauto, tibia;* Germ. *Flöte, Hautbois;* Angl. *flute, flageolet*). Dicitur a mythologis esse inventum Palladis, quæ quum inflando nimium buccas sibi deformare videretur, abjecit: abjectam sustulit Satyrus et usurpavit. *Ovid.* 6. *Fast.* a v. 696. Hoc idem de Alcibiade narrat *Gell.* 15. 17. Videntur autem Phryges primi adhibuisse in sacris Magnæ deum Matris. Differt a fistula, quæ multis calamis constat singula foramina habentibus: tibia uno calamo et foraminibus pluribus. V. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. et *Horat.* 4. *Od.* 1. 22. — Multus fuit ejus usus in scæna canendis rebus gestis clarorum virorum, in funeribus, in nuptiis et in sacris. — *V. Ovid.* 6. *Fast.* a v. 659. *Plaut. Stich.* 5. 4. 41. Age tibicen, refer ad labia tibias: suffla celeriter tibi buccas. *Horat. Art. P.* 202. Tibia non, ut nunc, orichalcho juncta tubæque Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco Adspirare et adesse choris erat utilis, atque Nondum spissa nimis complere sedilia flatu. *Id.* 3. *Od.* 19. 18. cur Berecynthiæ Cessant flamina tibiæ? *Id. ibid.* 7. 30. Tibiæ cantus. *Lucret.* 4. 586. Tibia - digitis pulsata canentum. *Tibull.* 2. 1. 86. Phrygio tibia curva sono. *et Virg.* 11. *Æn.* 737. ubi curva choros indixit tibia Bacchi. *curva* dicitur, quia affixum gerebat cornu vel potius in cornus formam desinebat seu æreum habebat orificium latius in extremo, ut graviorem sonum ederet. Hinc *Stat.* 6. *Theb.* 120. Quum signum luctus cornu grave mugit adunco Tibia, cui teneros suetum producere Manes Lege Phrygum mœsta. (*teneros Manes* dicit, quia tibiæ cantus primum adhibitus est in funeribus puerorum, postea etiam virorum.) *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 48. Tibia funeribus convenit ista meis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 8. *ad fin.* Tibiæ modulate canentes. *Id. Brut.* 51. *in fin.* Si tibiæ inflatæ non referant sonum. *Nepos Epam.* 2. Cantare carmina tibiis. *Quintil.* 1. 10. 20. Duces maximos et fidibus et tibiis cecinisse, traditum est. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (204). *a med.* Obliquam tibiam Midas in Phrygia (*invenit*): geminas tibias Marsyas in eadem gente. *Obliquam tibiam* Græci πλαγίαυλον dicunt. *V.* PLAGIAULES. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2478. *Putsch.* Tibia longa. *longa,* quæ sc. elatum sonum edebat, in sacris ritibus adhibita. V. *Casali, De urb. ac Rom. imp. splend.* 3. 1. *Capell.* 9. *p.* 307. Rurestris Faunum tibia decuit. — Tibiarum aliæ fuere dextræ, aliæ sinistræ; seu aliæ incentivæ, aliæ succentivæ. Illæ dextra parte oris et manu dextra a tibicine tenebantur, hæ sinistra; et a tibicine modo singulæ, modo ambæ simul inflabantur, si tamen fides habenda est *Diomedi,* qui 3. *p.* 489. *Putsch.* docet, si quando monodio agebatur, unam tibiam inflasse artifices; si quando synodio, utramque. Μονῴδιον est quum solus agit histrio sine choro; συνῴδιον, cum choro aut alia persona. Sed vero similius est, eas dextras fuisse appellatas, quæ, ut ait *Theophrast. Hist. plant. l.* 4. *c.* 12., fiebant ex arundinis parte, quæ πρὸς τοὺς βλαστούς et, ut ait *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (172)., quæ cacumen antecedit: has *Herodot. l.* 1. *c.* 17. αὐλοὺς ἀνδρηΐους vocat et *Apul. Florid. n.* 3. gravi bombo concinere docet: sinistras autem, quæ, ut ait *Theophrast. loc. cit.*, ex ea parte, quæ πρὸς τῇ ῥίζῃ et, ut *Plin. loc. cit.*, radicem antecedit: has vero *Herodot. loc. cit.* αὐλοὺς λυνηκηΐους vocat et *Apul. loc. cit.* acuto tinnitu concinere ait. Ex his patet, inquit *Forcellinus,* tibias dextras fuisse, quæ gravi sono seria; sinistras, quæ acuto festiva argumenta pronuntiabant. *Schneiderus,* qui *loc. cit.* docet, *Plinium* perperam vertisse *Theophrasti loc. cit.*, qui de iisdem tibiis classicus est, verum putat tibias dextras e summa calami parte factas unum foramen habuisse et gravioris soni et incentivas fuisse: sinistras duorum foraminum e crassiore calami materia radici proxima, acutioris soni et succentivas fuisse. Non tamen perspicuum est, quomodo pars arundinis subtilior ad cacumen graviorem edat sonum; crassior vero, quæ ad radicem est, acutiorem. Num *Plinii* τὸ *antecedit radicem* idem quod *est contra radicem*, seu quod radici opponitur, sc. cacumen: et τὸ *antecedit cacumen* idem quod *est contra cacumen,* seu quod cacumini opponitur, sc. radix, caudex? Sic apud *Theophr.* se res habere videtur, ubi τὸ πρ. τ. βλαστούς partem arundinis inferiorem, unde surculi pullulant, et πρ. τ. ῥίζῃ superiorem significet. *Bindi* in *Bibl. class. Lat. Comm.* ad *Ter. v.* 2. *p.* CXXII., qui ex collatis auctorum sententiis putat *dextras* fuisse crassiores, foraminibus paucis sonoque gravi: *sinistras,* subtiliores, foraminibus pluribus sonoque acuto. — Eædem autem et pares et impares dicebantur.: tibicines enim duabus tibiis simul flabant, duabus scilicet dextris aut duabus sinistris, et tunc paribus tibiis canere dicebantur; quum vero una dextra et altera sinistra tibia flabant, imparibus: impares porro vocabantur non solum ob sonum diversum, sed etiam quia imparem foraminum numerum habebant; plura enim in sinistra erant, quam in dextra. Hinc in διδασκαλίᾳ *Ter. Andr.* Modos facit Flaccus Claudii (*servus* vel *libertus*) tibiis paribus dextris et sinistris. *h. e.* primum duabus paribus dextris, deinde duabus paribus sinistris. Et in *Ter. Heaut.* Acta primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris. *V.* plura de tibiarum differentia apud *Schneider.* in *Ind. Scriptor. R. R.* in v. *Tibia.* Sic *Varro* 1. *R. R.* 2. *a med.* Dextera tibia alia, quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncte, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 74. 5. *Müll.* Dextrarum tibiarum genus est, quæ dextra tenentur. *Apul. Florid. n.* 3. Primus Hyagnis manus in canendo discapedinavit, primus duas tibias uno spirito animavit, primus lævis et dextris foraminibus acuto tinnitu et gravi bombo concentum musicum miscuit. — De vario tibiæ sonitu ita pulcre *Prudent. Apothem.* 843. Adde et distinctum, quem musica tibia flatum Concipit: aut ille est presso modulamine parcus: Aut tumidum largo sublimat flamine bombum: Aut raucos frangit modulos: aut lene susurrat: Aut exile trahens sonitus producit acutos: Aut murmur tenerum sublidit voce minuta. — *Sarranæ tibiæ* ita dictæ putantur, quod fuerint Tyriorum inventum, sicut *Phrygiæ* Phrygiorum. In Inscriptione *Adelphor. Terentii:* Modos fecit Flaccus Claudi tibiis Sarranis. *V.* tamen *Bindi op. cit.* 1. *p.* 325. *Servius* ad illud *Virg.* 9. *Æn.* 618. biforem dat tibia cantum: Tibiæ, inquit, aut Sarranæ dicuntur, quæ sunt pares et æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ et impares sunt et inæquales habent cavernas. Ergo *biforem,* dissonum dissimilemque; non enim sunt pari modulatione compositæ. ut enim ait Varro, Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo: quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem. Hæc *Servius,* de quibus fuse disputat *Manut. De quæsit. per epist. class.* 3. *ep.* 4. Sunt qui leg. *serranæ* (quos sequitur etiam *Klotzius*) et a *serra* dictas putant, quasi acuto sono et stridorem serræ, quum acuitur, imitante. Sed hoc minus placet, inquit *Forcellinus.* Cf. *Evanth.* in *Comment. de Trag.* et *Comœd.* et *Bind. loc. cit.*, qui aliam præbet hujus etymi causam aliamque notationem proponit. — *Tibiæ apertæ* dicuntur, quum, nullo occluso foramine, pleniorem sonum emittunt; unde proverb. apud *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Ille vero jam pæne apertis, ut ajunt, tibiis etc. *h. e.* elatiore voce, *ad organo aperto. Solin.* 5. *a med.* tibias memorat præcentorias, vascas, puellatorias, gingrinas, milvinas, Lydias etc., quæ *V.* suis locis. — *Tibiæ bilingues* videntur esse, quæ alias bifores dictæ sunt. *Varro* apud *Non. loc. cit.* Cf. *Oehl. ibid.* — Varias porro tibiarum figuras videsis apud *A. Richium* op. *cit.* sub h. v. ¶ 2. In illo *Horat.* 1. *Od.* 12. 1. Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibia sumis celebrare, Clio? *tibia* pro carmine ad tibiam decantato sumit *Forcellinus.* ¶ 3. In re medica est auliscus. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. 29. *V.* AULISCUS.

Homonym. Quid sit discriminis inter *tibiam* et *fistulam,* V. sub II. 1.

**TĬBĬĀLE,** is. *V.* voc. seq.

**TĬBĬĀLIS,** e, adject. (tibia) ad tibiam, qua est instrumentum musicum, pertinens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (168). *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (168). Arundo tibialis calami, quem auleticon dicebant. *h. e.* faciendis tibiis idonei. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *in carm.* 2. *a med.* Date ravulos choraulas, Quibus antra per palati Crepulis reflanda buccis Gemit aura tibialis. — Hinc

*Tibiale, is,* n. 3. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est id, quod ad tibiam seu crus pertinet: speciatim vero tibiæ seu cruris tegumentum, *calzetta, calza,* περικνημίς. *Sueton. Aug.* 82. Hieme feminalibus et tibialibus muniebatur. ¶ 2. Item dicitur de ocrea militari, *gambiera. Paul. Dig.* 49. 16. 14. *a med.* Si miles tibiale vel humerale alienavit, castigari verberibus debet. Cf. *Gloss. Vatic.* 1469. Ocreas: tibialia.

**TĬBĬĀRĬUS,** ii, m. 2. (tibia) qui tibias facit, αὐλοποιός. *Inscript.* apud *Murat.* 949. 1. (*Orell. n.* 4292.) P. CVRIVS EVFOR. TIBIARIVS DE SACRA VIA. *Gloss. Gr. Lat.* Αὐλοποιός, tibiarius.

**TĬBĬĀTĬM,** adverb. (tibia) ad mediam usque tibiam seu crus. *Titin.* apud *Fest.* in *Mulleos p.* 142. 30. *Müll.* Jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas. Ita corruptum locum *Scalig.* restituit et *Müll.* admisit. *V.* MULLEUS. Alii tamen aliter leg.

**TĪBĪCEN,** ĭnis, m. 3. (tibia *et* cano) *Prob. Cathol. p.* 9. 8. *Keil.* vult esse generis communis, sed nullo exemplo confirmat. — Secundam licenter corripuit *Sedul.* 3. *carm. Pasch.* 134. Funereosque modus cantu lacrimante gemebant Tibicines. — Tibicen est qui tibia canit, *sonatore di flauto,* αὐλητής: ea forma, qua *liticen, fidicen, cornicen, lyricen:* nisi quod pænultimam producit, quia contrahitur per synæresin ex *tibiicen.* V. *Priscian. p.* 112. 17. *Keil.*

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 5. 4. 41. Age, tibicen, refer ad labia tibias. *Cic.* 2. *Orat.* 83. 338. Tibicen sine tibiis canere non potest. *Id. Brut.* 51. 192. Si tibiæ non referunt sonum, abjiciendas sibi tibicen putat. *Ovid.* 6. *Fast.* 657. Temporibus veterum tibicinis usus avorum Magnus et in magno semper honore fuit. *Horat. Art. P.* 225. luxuriem addidit arti Tibicen. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 20. *et* 27. 86. Simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur. *Id.* 2. *Legg.* 24. 62. Honoratorum virorum laudes cantum ad tibicinem prosequi. *Id.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. Immolare hostias majores ad præconem et ad tibicinem. *Liv.* 9. 30. Tibicines abierunt, ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis præcineret. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (11). In precationibus tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur. *Id.* 10. *ibid.* 43. 60. (122). Funus celebrare exsequiis, præcedente tibicine, *Gell.* 1. 11. Tibicines inter

exercitum (*Lacedæmoniorum*) positi canere inceptabant. — Alii erant tibicines Græci, quibus lasciva modulatio; alii Latini, quibus gravitas propria erat. *Seneca Ep.* 76. *ante med.* Habet tibicen quoque Græcus et præco concursum; at in illo loco, in quo vir bonus quæritur. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 17. — In illo autem *Cic. Mur.* 12. 26. Transit idem jureconsultus tibicinis Latini modo: unde tu me, inquit etc., tangitur mos JCtorum, qui tum actori formulas petendi, tum reo exceptionem opponenti dictabant. Nam quemadmodum tibicen in scæna quum modos faceret, modo ad hunc, modo ad illum histrionem se convertebat et cantum tibiæ ad utriusque agendi rationem accommodabat; ita JCtus modo actori verba præibat, quibus peteret; modo ei, unde petebatur, quibus exciperet. — Ex more adhibendi tibicines in exsequiis, factum est proverb. *ad tibicines mittere*, h. e. parare necessaria funeri. *Petron. Sat.* 129. Si idem frigus genua manusque tentaverit tuas, licet ad tibicines mittas. *h. e.* actum est de te: desperata est vita tua. Alii leg. *tubicines:* quia tubæ quoque in funeribus locum habuerunt. *V.* TUBA. — Fuit Romæ tibicinum collegium, ut significat *Val. Max.* 2. 5. *n.* 4. *Inscript.* apud *Gruter.* 175. 10. COLLEGIO TIBICINVM ET FIDICINVM ROMANORVM QVI S. P. P. S. *h. e.* qui sacris publicis præsto sunt. De eorum quondam secessione et reductione lepidam historiam habes apud *Val. Max. loc. cit.*, *Liv.* 9. 30. et *Ovid.* 6. *Fast.* a *v.* 657. — *Plutarch. Quæst. Rom. c.* 53. quærit, cur Romæ idibus Januariis (*corrige* Juniis) tibicines urbem excurrere solerent muliebribus induti vestibus. — In illo *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (130). Antidoti (*pictoris*) est tibicen inter pauca laudatas. *tibicen* est effigies tibicinis.

II.) Improprie *tibicen* dicitur lignum stans, columella, pila rusticorum ædificium sustinens: a similitudine, inquit *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 366. 3. *Müll.*, tibiis canentium, qui ut cantantes sustinent, ita illi ædificiorum tecta, *puntello, sostegno, colonna, pilastro. Catull.* 61. 158. Quo tibicine (*domus*) serviat. *h. e.* viro tuo, qui tamquam columen est. *Ovid.* 4. *Fast.* 695. Hæc modo verrebat stantem tibicine villam. *Juvenal.* 3. 193. Nos urbem colimus tenui tibicine fultam Magna parte sui.

III.) Translate. *Arnob.* 2. *p.* 92. Post Atlantem, gestatorem, bajulum, tibicinem illum ac destinam cæli.

TĪBĬCĪDA. *V.* CIBICIDA.

TĪBĬCĪNA, æ, f. 1. (tibia *et* cano) quæ tibiâ canit, *sonatrice di flauto*, αὐλητρίς. *Martial.* 14. 64., cujus lemma *Tibiæ*. Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis: Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet. *Gell.* 1. 11. Feminas etiam tibicinas in exercitu habuit. — *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (63). Nobilitatur Lysippus et temulenta tibicina. *h. e.* signo seu effigie tibicinæ. — *Tibicina* est titulus comœdiæ *Titinii* apud *Charis.* 2. *p.* 189. *Putsch.*

TĪBĬCĬNANS, antis, particip. *V.* TIBICINO.

TĪBĬCĬNĀRĬA, æ, f. 1. (tibicen) idem quod ars tibicinis seu inflandi tibias. *Boeth. Arist. Top.* 1. 8. Si unam numero grammaticam esse et tibicinariam unam; si autem plures grammaticas et plures tibicinarias, omnia etc.

TĪBĬCĬNĀTOR, ōris, m. 3. (tibicino) qui tibia canit. *Gloss. Labb.* Αὐλητής, flator, tibicinator, tibicen.

TĪBĬCĬNĀTUS, a, um, particip. *V.* TIBICINO.

TĪBĬCĬNĬUM, ĭi, n. 2. (tibicen) ars tibicinis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 8. 22. Si ex olivo modulate canentes tibiæ nascerentur, num dubitares, quin inesset in oliva tibicinii quædam scientia? Adde *Orat.* 58. 198. Utrobique tamen alii aliter leg. *Apul. Florid. n.* 3. Marsyas quum in artificio patrissaret tibicinii. *et n.* 4. Quum esset in tibicinio apprime nobilis. Adde *Gell.* 1. 11. *et* 4. 13. et *Porphyr.* ad *Horat.* 3. *Od.* 7. 29. In illo autem *Varron.* apud *Non. p.* 7. 16. *Merc.* Sæpe totius theatri tibiis crebro flectendo etc. *Madvig* (*Advers. v.* 2. *p.* 654.) putat pro *tibiis crebro* legend. *tibicinio*.

TĪBĬCĪNO, as, ātum, are. 1. (tibia *et* cano) Etiam *tibicinor*, dep. forma, apud *Dosith. Gramm. p.* 432. 17. *Keil.* Tibicinor, συρίζω. — Part. *Tibicinans* 1.; *Tibicinatus* et *Tibicinandus* 2. — Tibicino usurpatur ¶ 1. Neutrorum more et est tibia vel tibiis cano, *sonare il flauto o la clarinetta*, αὐλέω. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 9. Ordo cytharizantium et tibicinantium. Alii leg. *tibizantium.* et *Gloss. Gr. Lat.* Αὐλῶ, ῥῆμα; canto, tibicino. ¶ 2. Transitive est tibicine seu columella fulcio, sustento. *Scholiast.* ad illud *Juvenal.* 3. 193. *urbem tenui tibicine fultam*, tibicinatam, tamquam tibicine; id est materia gracili. *Tertull. Anim.* 38. Desiderabit inquilinus profutura domui, toto inquilinatus sui tempore, non ut ipse substruendus, nec ut ipse loricandus, nec ut ipse tibicinandus, sed tantummodo continendus.

TĪBĬCĬNOR. *V.* voc. præced.

TĪBĪCO, ōnis, m. 3. (tibia *et* cano) idem ac tibicen. *Inscript.* apud *Murat.* 1072. 1. CVTIVS RVSTICVS TIBICO M. D. M. *h. e.* Matris Deum Magnæ. Putat *Muratorius* hic *tibico* perperam a marmorario sculptum pro *tibicen;* quod facile ei assentior.

TĪBIN *et* thibin, indecl. *et* tibis, is, f. 3. Græce θίβη vel θίβις apud *LXX. Interpr.*, ab Hebr. תבה *theba* vel *theva*, arca, navigium. — De cista. *Rufin.* ex *Orig. hom.* 2. in *Exod.* 4. Tibis genus est tegminis ex virgis aut ex papyro contextum vel etiam ex arborum cortice formatum intra quod injectus infans (*Moyses*) videbatur expositus. Adde *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 2. 3., ubi *thibin* leg. *Augustin.* 2. *Heptat. p.* 503. *Migne.*

TĪBĪNUS, a, um, adject. (tibia) Pænultimam habet longam; est enim vox contracta a *tibiinus*, quod non attenderunt *Klotz, De-Vit*, alii et ipse *Forcellinus* noster, qui brevem fecere. — Tibinus est ad tibiam pertinens, ut Tibini modi. *Varro* apud *Non. p.* 49. 22. *Merc.* Alii aliter leg. V. *Riese* in *Varron. Sat. reliq. p.* 132. Locum ita dedit *Oehlerus:* Tibi typana, non inanis sonitus Matris deum Tonimu'! tonimus tibinos nunc semiviri.

TĪBIS. *V.* TIBIN.

TĪBĬUS. *V.* TIBIA.

TĪBIZANS. *V.* TIBICINANS.

TĪBRĬCŎLA, æ, m. *et* f. (Tibris *et* colo) Tibridis accola. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 174.

TĪBŬLUS, i, f. 2. genus pinus gracile, succinctius et enode, liburnicarum ad usus, pæne sine resina (*Pinus Pinaster* Linn.). *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 17. (39).

TĪBURTĪNUS, a, um, adject. ad Tibur pertinens: de quo oppido *V.* ONOM. Hinc *Tiburtinus* (apud *Gromat.* ex *Lachm.* etiam *Tivortinus* vel *Tivurtinus*) *lapis*, vulgo *travertino* dictus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 5. (46). et *ibid.* 22. 48. (167)., quem *Vitruv.* 2. 7. ait, in ædificiis sufferre et ab oneribus et a tempestatibus injurias, sed ab igni non posse esse tutum et ab eo tactum dissilire et dissipari. Ejus multus est Romæ usus. *Pallad.* 1. *R. R.* 10. calcem quoque ex eo structuris utilem coqui, tradit. *Inscript.* apud *Murat.* 1271. 3. LOCO EMPTO QVO TIBVRTINI (*scil.* lapides *vel* cippi) POSITI QVATVOR DEMONSTRANT IN FR. P. VI. IN AGR. P. VIII. *Alia* optimæ notæ apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *p.* 73. *ed. Mediol.* COLVMELLAM SVB HOROLOGIO TIBVRTINAM POSVERVNT. *Alia* apud *Gruter.* 1108. 6. PLACVIT LAPIDE TIBVR. AMBOS (*defunctos*) IN SE CIRCVMDARE ET TITVLVM INSCRIBERE D. C. *h. e.* decurionum consensu.

TĪCHŎBĀTES et tœchobates, æ, m. 1. qui super erectos muros graditur: a τεῖχος, murus, et βαίνω, gradior, quemadmodum *schœnobates* est qui per funem ambulat. *Vopisc. Carin.* 18. Exhibuit tichobaten, qui per parietem eluso urso cucurrit.

TĬGILLUM, i, n. 2. Etiam *tigillus* masc. gen. in *Gloss. Lat. Gr.* Tigillus, ἰκρίδιον. Adde *Augustin. loc.* infra *cit.:* est enim a *tignus* pro *tignum.* — Tigillum, deminut. a *tignum*, ut *sigillum* a *signum*, est parvum tignum, trabecula, *travicello, travetta, perticone*, δοκίς, δοκίδιον.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Catull.* 67. 39. janua suffixa tigillo. *Tibull.* 2. 1. 39. Illi (*ruris dii*) compositis primum docuere tigillis Exiguam viridi fronde operire casam. *Furcas* hoc sensu *Seneca Ep.* 90. *ante med.* dixit. *Liv.* 1. 26. *sub fin.* Transmisso per viam tigillo, velut sub jugum misit juvenem. *Juvenal.* 7. 45. Nemo dabit regum quanti subsellia constent Et quæ conducto pendent anabathra tigillo. *Phædr.* 1. 2. Parvum tigillum. *Apul.* 9. *Met.* Vident, e quodam tigillo constrictum jamque exanimem pendere dominum. *et* 1. *ibid.* Tigillum, quod fenestræ subditum altrinsecus prominebat. — De tigillo sororio *V.* SORORIUS. ¶ 2. Latiore sensu et universim de quovis ligno. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 21. Clamat - Suam rem perisse, - De suo tigillo fumus siqua exit foras.

II.) Translate ¶ 1. De angusto tecto. *Paulin. Nolan. carm.* 28. 432. (*al.* 484.) Christus enim - Pauperis et tuguri magis artu tigilla frequentat. ¶ 2. *Tigillus*, per metaphoram, cognomen Jovis, qui tamquam tigillum mundum continet ac sustinet. Ita *Augustin.* 7. *Civ. D.* 11.

TĬGILLUS. *V.* voc. præced.

TIGNĀRĬUS (tignuarius), a, um, adject. (tignum). *Tignuarius* pro *tignarius* scriptum est in prima allata *Inscript.* itemque 435. 8. et in duab. aliis apud *Fabrett. p.* 700. *n.* 215. *et p.* 707. *n.* 288. et in aliis apud *Don. cl.* 8. *n.* 6. et *cl.* 5. *n.* 60. et in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 4216. (*Orell. n.* 7230.) — Tignarius est ad tignum pertinens, ut *faber tignarius*, qui tigna dolat, in asseres et tabulas secat et domorum tecta et contignationes facit, δοκοτέκτων, δοκοποιός: item universim qui in quocumque crassioris ligni opere artifex est, *falegname di grosso:* quorum fuit usus et in militia variis machinis conficiendis. *Cajus Dig.* 50. 16. 235. Fabros tignarios dicimus non eos dumtaxat, qui tigna dolant, sed omnes, qui ædificant. *Cic. Brut.* 73. *in fin.* Atheniensium plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervæ signum ex ebore pulcherrimum: tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. *Inscript.* apud *Gruter.* 360. 2. COLLEGIVM FABRORVM TIGNVARIORVM OSTIENSIVM. *et* 194. 2. COLLEG. FABR. TIGNARIOR. DENDROPHORVM. Adde 45. 8. et 99. 9. — Hinc

*Tignarius*, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, apud *Isid.* 19. *Orig.* 19. 4. Tignarius (*dictus*), quia tectoria lignis inducit. *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 22. 7. Tignarii et cæmentarii.

TIGNĀRĬUS, ĭi. *V.* voc. præced.

TIGNĀTĬO, ōnis, f. 3. (tignum) idem ac contignatio. *Gloss. Cyrill.* Δόκωσις, tignatio.

TIGNO, as, are, a. 1. (tignum) idem ac contigno. *Gloss. Cyrill.* Δοκῶ (sc. δοκόω), tigno.

TIGNŎSERRĀRĬUS, ĭi, m. 2. (tignum *et* serra) faber tignarius, qui tigna in asseres et tabulas serra secat, *segatore di legnami. Inscript.* prope Florentiam reperta, quam refert *Laur. Cantinius* in *Inscr. dell' Accad. Colombaria T.* 1. *p.* 96. D. M. C. SEVIO DEC. COL. TIGNOS. M. SEVIVS FR. D. *h. e.* decurioni collegii tignoserrariorum. Itaque, si fides habenda erudito viro, hic inauditi hactenus collegii mentio est. Is insuper narrat, in agro Florentino parvum quoddam esse flumen, olim *Sevis*, nunc *Sieve* appellatum, quod fortasse propter fundos gentis Seviæ transiens, eidem nomen dedisse putat. Ita *Furlanetto* in *App.*

TIGNŬĀRĬUS. *V.* TIGNARIUS.

TIGNŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a tignum, parvum tignum. *Boeth.* 2. *Arith.* 4. *sub init.* De solidis, idest de cubicis et sphæricis vel pyramidis (*lege* pyramidalibus) laterculis etiam vel tignulis et cuneis, quæ omnia quidem geometricæ proprie considerationis sunt.

TIGNUM, i, n. 2. Etiam *tignus, i*, masc. gen., sed rarius. *Liv.* 44. 5. Longi duo validi asseres in terra defigebantur, in eo transversi incumbentes tigni ad tricenos longi pedes injungebantur. *Hertz* tamen leg. *transverso tigno.* Ceterum *Gloss. Gr. Lat.* Δοκός, tignus, tignum, trabes.

Cf. TIGILLUS. — Ratione habita etymi, *Ulp. loc. cit.* docet *tigna* a *tegendo* dicta esse: cui suffragatur *Georgesius*. Cf. etiam δοκός. — Tignum est materia ædificando utilis et opportuna (It. *legname da fabbrica;* Fr. *bois de construction;* Hisp. *leño, madera;* Germ. *Baumaterial, Balken;* Angl. *wood for building*). ¶ 1. Universim. *Cajus Dig.* 50. 16. 62. Tigni appellatione in lege XII. Tabularum omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur. *Ulp. ibid.* 47. *tit.* 3., *qui est* De tigno juncto, 1. idem docet: et præterea addit: Quidam ajunt, tegulam quoque et lapidem, cæmenta ceteraque, siqua ædificiis sunt utilia, (tigna enim a tegendo dicta sunt) hoc amplius et calcem et arenam appellatione tignorum contineri: sed et in vineis tigni appellatione omnia vineis necessaria continentur, ut puta perticæ, pedamenta. Hæc *Ulp.*, quæ confirmantur a *Festo p.* 364. 24. *Müll.* ¶ 2. Speciatim ac præcipue dicitur de trabeculis, palis, asseribus, *travicello, palo, murale, pancone, asse, tavola,* δοκός, ἰκρίον. *Plaut. Most.* 1. 2. 31. Perpluunt tigna. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tigna bina sesquipedalia in flumen defigere fistucisque adigere. et *Inscr.* apud *Gruter*. 207. *col.* 2. Tignum pedarium. *V.* PEDARIUS. *Lucret.* 5. 1266. levare et radere tigna Et terebrare etiam ac pertundere, perque forare. *Ovid.* 8. *Met.* 647. furca levat ille bicorni Sordida terga suis nigro pendentia tigno. *Horat. Art. P.* 279. modicis instravit pulpita tignis. *Id.* 2. *Ep.* 2. 73. torquet ingens machina tignum. *Seneca Ep.* 120. Revulsa ingenti ruina tigna sonuerunt. *Propert.* 4. 6. 50. tigna cava. *h. e.* naves. ¶ 3. *Tignum junctum* apud JCtos est immissum in parietem alienam. Lex XII. Tabularum neque solvere permittit tignum furtivum ædibus vel vineis junctum neque vindicare. Quod providenter lex effecit, ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum, qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem. *Ulp. loc. cit.*

Homonym. Differt *tignum* a *trabe*, quæ vel proprie significat duo ligna compacta, ut ait *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 366. 14. *Müll.*, vel dicitur de crassiore arboris trunco dolato. *Lucret.* 2. 191. Et quum subsiliunt ignes ad tecta domorum Et celeri flamma degustant tigna trabesque. *et* 6. 240. Disturbare domos, avellere tigna trabesque. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Supra eum locum duo tigna transversa injecerunt, quibus suspenderent eam contignationem: supraque ea tigna directo transversas trabes injecerunt easque axibus religaverunt.

**TĬGRĬFER**, fĕra, fĕrum, adject. (tigris *et* fero) tigres ferens. *Sidon. carm.* 2. 444. tigriferi pharetrata per arva Niphatis.

**TĬGRĪNUS**, a, um, adject. (tigris) ad tigrem spectans, ut Mensæ tigrinæ, quæ longis macularum notis referunt virgatas, ut poetæ vocant, tigres: quomodo etiam ab intorto macularum discursu dictæ sunt mensæ pantherinæ. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 30. (96). Mensis præcipua dos in venam crispis vel in vortices parvos: illud oblongo evenit discursu ideoque tigrinum appellatur: hoc intorto et ideo tales pantherinæ vocantur.

**TĬGRIS**, gris *vel* grĭdis, m. *et, fere apud poetas,* f. τίγρις ὁ καὶ ἡ, Medorum et Armenorum linguâ sagittam significat, ut *Varro* 5. *L. L.* 100. *Müll.* et *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (127). docent. Hinc factum nomen feræ omnium velocissimæ, sævissimæ et variis maculis pellem distinctam habenti, *tigre:* hujus est multa copia in Armenia, India et Hyrcania.

I.) Proprie. *Varro loc. cit.* Tigris, qui est, ut leo, varius, qui vivus capi adhuc non potuit. *Ovid.* 7. *Met.* 32. Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam *etc.* fatebor. *Id.* 1. *Trist.* 8. 42. Quæque tibi quondam tenero ducenda palato Plena dedit nutrix ubera, tigris erat. Adde 9. *Met.* 613. *Virg.* 4. *Æn.* 367. Hyrcanæque admorunt ubera tigres. *Id.* 5. *Ecl.* 29. Armenias curru subjungere tigres. *Sil. It.* 15. 81. Caucaseæ tigres. *Virg.* 2. *G.* 151. rabidæ. *Alii leg.* rapidæ. *Lucan.* 5. 405. Ocior et cæli flammis et tigride feta. *Virg.* 9. *Æn.* 730. Immanem veluti pecora inter inertia tigrim. *Id.* 3. *G.* 248. pessima tigris. *et* 4. *ibid.* 407. atra. *Horat.* 1. *Od.* 23. 9. aspera. *Seneca Octav.* 86. trux. *Id. Hippol.* 63. varia. *et ibid.* 344. virgata. *Id. Thyest.* 707. jejuna. *Ovid. Heroid.* 10. 86. Quis scit, an hæc sævas tigridas insula habet? *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 25. (65). Augustus tigrim primus omnium Romæ ostendit in cavea mansuefactum. *Manil.* 5. 707. Ille tigrim rabie solvet. *Lucan.* 1. 327. Utque feræ tigres numquam posuere furorem, Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur, Altus cæsorum pavit cruor armentorum etc. — De hac fera verba facit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 25. *V.* dicta in RAPTOR et *Solin.* 17. et *Melam* 3. 5. *a med.*, ubi de ratione eam venandi multa disserunt. — Dicuntur tigres Bacchi currum trahere. *Virg.* 6. *Æn.* 806., *Horat.* 3. *Od.* 3. 13., *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 48. et *Heroid.* 2. 80. et 1. *Art. am.* 559., *Sil. It.* 15. 80. et 17. 647. et *Seneca Med.* 84. — De re, quæ fieri non potest. *Horat. Epid.* 16. 31. tigres subsidere cervis. *et Art. P.* 13. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

II.) Translate et improprie. ¶ 1. Est pellis tigrina. *Stat.* 9. *Theb.* 685. equus, quem discolor ambit Tigris et auratis adverberat unguibus armos. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 17. quem Parthica velat Tigris et auratos in nodum colligit ungues. Cf. *Stat.* 6. *Theb.* 722. Tunc genitus Talao victori tigrin inanem Ire jubet. *Virg.* tigridis exsuvias 11. *Æn.* 577. dixit. ¶ 2. *Tigris* nomen datum est cani venatico, ob celeritatem, ab *Ovid.* 3. *Met.* 217. ¶ 3. Item est navis hoc nomine apud *Virg.* 10. *Æn.* 166. ab insigni ejus feræ in prora; atque etiam in *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 410. D. M. L. VALERII PAPIRIANI MIL. CL. PR. MIS. EX III. TIGRIDE NATIONE ALEX. *etc.* — *NB.* De Tigride fluvio *V.* ONOM.

**TĪLĬA**, æ, f. 1. Falluntur, qui primam syllabam produci posse putant, ex illo *Seren. Sammon.* 12. 167. Fraxinea in flammis quem fundit tilia sucum. *Talea* enim legendum, vel *tilia* pro *talea* est. *V.* TALEA. — Vox a *telo* dicta creditur *Isid.* 17. *Orig.* 7. 46., quod utilis sit «ad usum telorum nitore et levitate jaculandi: est enim genus materiæ levissimæ». Cf. potius Gr. πτελέα, ulmus, vel τιλία, populus. — Tilia, φιλύρα (It. *tiglio;* Fr. *tilleul;* Hisp. *tilo;* Germ. *die Linde;* Angl. *linden, linden-tree*), est arbor, de qua *Plin.* 16. *Hist. nat.* 14. 25. (65). In tilia mas et femina differunt omni modo. Namque et materies mari dura rufiorque ac nodosa et odoratior: cortex quoque crassior ac detractus inflexibilis. Nec semen fert aut florem, ut femina, quæ crassior arbore, materie candida præcellensque est. Mirum in hac arbore, fructum a nullo animalium attingi (*exceptis apibus.* Virg. 3. G. 183.): foliorum corticisque sucum esse dulcem. Inter corticem ac lignum tenues tunicæ multiplici membrana, e quibus vincula, tiliæ vocantur: tenuissimæ earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorum honore. Materies teredinem non sentit, proceritate perquam modica, verum utilis. Hæc *Plin.*, qui 24. *ibid.* 8. 33. prosequitur ejus utilitates in medicina. *Virg.* 1. *G.* 173. Cæditur et tilia ante jugo levis. *h. e.* ad jugum faciendum, ne colla boum lædantur. *et* 2. *ibid.* 449. Tiliæ leves. *et* 4. *ibid.* 183. pingues. *Ovid.* 10. *Met.* 92. molles. — Tiliarum etiam philyris usi sunt veteres ad scribendum. *V.* PHILYRA. *Inscr.* apud *Gruter.* 209. 1. RVFVS DECRETVM EX TILIA RECITAVIT. *h. e.* ex libello tiliaceo seu ex tabella. V. *Zirardini Leg. Nov. p.* 30. — Tropice pro tabula ex tilia. *Dict. prol. p.* 2. 11. et 18. *Meister.* — Apud *Tertull. Pall.* 5. *tilia* videtur esse idem ac plica seu ruga togæ. Alii tamen leg. *talia*.

**TĬLĬĀCĔUS** *et* tiliacius, a, um, adject. (tilia) qui est ex tilia, *di tiglio*, φιλύρινος. *Capitolin. Antonin. P.* 13. Quum esset longus et senex incurvareturque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet. Alii leg. *tiliaciis.*

**TĬLĬĀCĬUS.** *V.* voc. præced.

**TĬLĬĀGĬNĔUS**, a, um, adject. (tilia) tiliaceus. *Colum.* 12. *R. R.* 45. *a med.* Arculæ fagineæ vel etiam tiliagineæ, quales sunt, in quibus vestimenta forensia conduntur.

**TĬLĬĀRIS**, e, adject. (tilia) tiliaceus. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *a med.* Tabula tiliaris.

**TIMBRIS.** *V.* TYMBRIS.

**TĬMĔFĂCĬO**, făcis, factum, făcere, a. 3. (timeo *et* facio) Part. *Timefactus.* — Timefacio est timere facio. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 4. 126. *Exanimat* autem non «occidit» significat, sed «conturbat ac timefacit». *Lucret.* 2. 43. His tibi tum rebus timefactæ religiones Effugiunt animo. *Cic.* 2. *Off.* 7. 24. Timefacta libertas. Alii leg. *tremefacta.*

**TĬMĔFACTUS**, a, um, particip. *V.* voc. præced.

**TĬMENS**, entis, particip. *V.* voc. seq.

**TĬMĔO**, times, tĭmŭi, tĭmere, a. 2. *Timĕ* in imperativo, ultimâ correptâ, usus est *Auct. lib. in Genes.* 456. Cf. *cavĕ* apud *Catull.* 50. 18. et alia hujusmodi disyllaba, præsertim quum prior est brevis: sic et *pută*. *V.* PUTO in fin. — Ratione habita etymi, sunt qui a Gr. δεῖμα, metus, derivent: sed rectius duces a rad. Skr. *tam*, spiritum amittere, suffocare vel stupere, perturbari. *Döderlein* vero et *Curtius* conjungunt cum τιμάω. — Part. *Timens* 1. 1.° *a* et in fin.; *Timendus* 1. 1.° *a* et *b.* — Timeo est vereor, formido, horreo, metuo, φοβοῦμαι (It. *aver paura, paventare, temere, dubitare;* Fr. *craindre, redouter;* Hisp. *temer;* Germ. *fürchten;* Angl. *to fear, dread*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) De animantibus. — *a*) Cum Accusativo tantum. *Plaut. Truc.* 5. 63. ST. quid times? STR. Tu peregrinus: hic habito; timeo meos. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Quos aliquando inermes timuissent. *Id.* 1. *B. C.* 61. Timere nomen atque imperium. *Id.* 6. *ibid.* 4. portus omnes. *Auct. B. G.* 8. 27. Respicere ac timere oppidanos. *Lucret.* 3. 980. impendens magnum timet aere saxum. *Cic.* 1. *Fam.* 5. Quamquam omnia sunt metuenda, nihil magis quam perfidiam timemus. *Horat.* 4. *Od.* 9. 50. Timere flagitium pejus leto. *Ovid.* 6. *Met.* 314. iram numinis. *Id.* 7. *ibid.* 719. cuncta. *Virg.* 2. *Æn.* 49. timeo Danaos et dona ferentes. *Seneca Agam.* 799. AG. Victor timere quid potest? CA. quod non timet. — *Ovid.* 14. *Met.* 215. Mortem timens. *timoroso, pauroso.* — In illo *Tac. Germ.* 8. Quam (*captivitatem*) impatientius timent. *timere* improprie pro *ferre*, sc. ipsam rei cogitationem impatientius ferunt, *h. e.* minus etiam ferre possunt. Cf. *Kritz* in *h. l.* — Passive. *Lucret.* 3. 41. morbos magis esse timendos. *Ovid. Heroid.* 4. 104. dente timendus aper. *Id.* 14. *Met.* 256. ursa timenda. *Horat. Epod.* 6. 9. Voce timenda complere nemus. *Id.* 3. *Od.* 1. 5. Reges timendi. *Lucan.* 8. 300. pila timentur Parthis. *Martial.* 3. 41. Mentoris manu ducta Lacerta vivit et timetur argentum. *et* 11. 18. Fines mus populatur et colono Tamquam sus Calydonius timetur. *Quintil.* 8. 3. 5. Si non etiam ipse fulgor timeretur. — *Lucret.* 1. 111. æternas pœnas in morte timendum. — *b*) Cum addito Dat. vel Abl. et præp. *pro*, timere aliquid alicui vel pro aliquo, *temere per alcuno*, ne quid alicui noceat. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (100). Timent ægris vini noxiam. *Juvenal.* 6. 17. Furem timere caulibus aut pomis. *Quintil.* 4. 1. 9. Judex religiosus libentissime patronum audit, quem justitiæ suæ minime timet, *h. e.* ne suæ justitiæ insidietur. *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. 2. Quid pro quoque timendum sit. — *c*) Cum Conjunctivo et partic. *ut* vel *ne non*, de iis, quæ fieri cupimus: et *ne*, de iis, quæ nollemus. *Cic.* 14. *Fam.* 2. *ad fin.* Omnes labores te excipere video, timeo, ut sustineas. *Id.* 9. *Att.* 6. *a med.* Timeo, ne non impetrem. *temo di non impetrare.* et *Plaut. Truc.* 4. 2. 61. timeo, ne malefacta mea sint inventa omnia. *Ter. Andr.* 1. 5. 34. Hoc timet, ne deseras te. *Cæs.* 2. *B. G.* 26. Timebant, ne circumvenirentur. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 38. Metuo et timeo, ne hoc tandem propalam fiat. — Si negans particula verbo præ-

ponatur, timorem aut dubitationem excludit. Cic. 7. Verr. 67. 171. Timere non debeo, ne non iste illa cruce dignus judicetur. *devo esser certo che.* — d) Cum particula relativa vel interrogativa. Ter. Andr. 1. 5. 29. Misera timeo incertum hoc quorsum accidat. Cic. 12. Att. 24. Neque ei deesse volebam, et quid possem, timebam. et 2. ibid. 20. a med. Hæc quo sint eruptura, timeo. Id. Divin. in Q. Cæcil. 13. 14. Jam nunc timeo, quidnam pro exspectatione omnium et magnitudine rerum dignum eloqui possim. Brut. ad Cic. 11. Fam. 10. ad fin. Hæc quemadmodum explicari possint: aut, a te quum explicabuntur, ne impediantur, timeo. Cic. 3. Att. 8. Istic quid agatur, magnopere timeo. — e) Cum Infinito. Liv. 10. 36. Ni cedenti instaturum (esse) alterum timuissent. — Cæs. 1. B. C. 64. Timere tantæ magnitudinis flumini exercitum objicere. Horat. 1. Ep. 5. 2. Nec modica cenare times olus omne patella. h. e. aversaris, dedignaris. Ovid. 3. Pont. 1. 119. Quid trepidas? quid adire times? Id. Heroid. 15. 172. nec saxo desiluisse time. Tibull. 1. 4. 17. Nec jurare time. Seneca Agam. 73. Metui cupiunt metuique timent. Plin. 17. Hist. nat. 14. 24. (102). Timebant prisci truncum findere. — f) Cum Dativo tantum. Cf. 1. 1.° b. Ter. Andr. 2. 5. 8. Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat. *teme pel fatto nostro.* et Heaut. 3. 2. 20. Syre, tibi timui male. Cæs. 4. B. G. 16. Timere suis rebus. Id. 3. B. C. 27. sibi. Sall. Jug. 43. libertati. Virg. 2. Æn. 729. pariter comitique onerique. Horat. 3. Od. 29. 26. urbi. Id. 2. Sat. 1. 23. sibi quisque. — Impersonaliter. Seneca Med. 885. Avidus furit ignis. jam domus tota occidit: urbi timetur. Adde Lucan. 7. 138. — g) Cum Abl. et præp. de, pro. Cic. 7. Att. 6. De republica valde timeo. Cæs. 5. B. G. 57. De suo ac legionis periculo nihil timebat. Gell. 19. 1. ante med. Timere pro anima alicujus. — h) Vel cum Abl. et præp. ab, timere ab aliquo, *temere ne venga danno da alcuno.* Cic. Sull. 20. ad fin. A quo quidem genere ego numquam timui. — Aut sine præp. Virg. 5. Æn. 505. timuit — exterrita pennis Ales. — i) Absolute. Plaut. Amph. 2. 2. 42. Ne time. Ter. Phorm. 5. 8. 9. Non pol temere est quod tu tam times. Sall. Cat. 58. Est periculum qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Cic. 3. Tusc. 7. 14. Discrepat a timendo confidere. Id. 6. Fam. 10. 5. Fit lenius et liberalius, quam timebamus. Quintil. 9. 2. 26. Et timere et admirari nos fingimus. — Nepos Dion. 4. Ne quum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. h. e. alter alterum timeret. — 2.°) De rebus inanimis. Pallad. 3. R. R. 24. Caules solum pingue diligunt, arenam et glaream timent. Sympos. Ænigm. ed. Wernsd. v. 6. p. 539. Me (tridentem) ventus timet. ¶ 2. Speciatim apud Ecclesiasticos scriptores est revereri, colere, venerari vel timore affici pro dignitate rei: cf. τιμάω. Vulgat. interpr. Ps. 111. 1. Beatus vir qui timet Dominum. et Eccle. 12. 13. Deum time et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo. Luc. 18. 2. Deum non timebat et hominem non reverebatur. — Timere Deum dicuntur ibid., qui proselyti vocabantur. Ps. 113. 11. et 13., Luc. 13. 16., Act. 10. 2. et 22. — Hinc Part. præs.

*Timens, entis,* adjectivorum etiam more usurpatur, et est timidus, *timido, pauroso.* Isid. 1. Diff. 554. Timidus est, qui semper timet; timens, vero qui ad tempus formidat ex causa. — Cum Genet. Lucret. 6. 1237. Vitai nimium cupidi mortisque timentes. Claudian. B. Gild. 17. Exitii jam Roma timens. — Absolute, substantivorum more. Cæs. 7. B. G. 7. Timentes confirmat. Ambros. 1. Abr. 6. init. Sicut visitatio Domini timentibus exhibetur; ita etiam impiis pœna peccati reponatur. —

Homonym. Discrimen inter *timeo* et *metuo* V. sub METUO.

**TĪMESCENS**, entis, particip. V. voc. seq.

**TĪMESCO**, is, ere, a. 3. inchoat. a timeo, sed ejusdem significationis. Ammian. 31. 4. ad fin. Athanarichus paria timescens abscessit. Gardthausen leg. pertimescens. Absolute legitur etiam in Not. Tir. p. 71. Timet, timescit.

**TĪMETUS**, us, m. 4. (timeo) idem ac metus. Vulg. interpr. Ital. Hebr. 2. 15. Timetu mortis. Ubi 12. 28. etiam *metuetus* occurrit. Cave tamen imiteris.

**TIMICTONĪA**, æ, f. 1. gemma apud Plin. 37. Hist. nat. 11. 72. (187). Taos pavoni est similis: item aspidi, quam vocari timictoniam invenio. Ita leg. Sillig.; alii *chelidoniam*. V. ibid. adnot.

**TĪMĪDE**, adverb. (timidus) Comp. *Timidius* et Sup. *Timidissime.* — Timide est pavide, verecunde, minus audacter, *timidamente,* φοβερῶς: cui opponitur aliquando *constanter, fidenter.* Cæs. 3. B. G. 25. Quum constanter ac non timide pugnaretur. Cic. 2. Divinat. 31. a med. Timide fortasse signifer (signum) evellebat, quod fidenter infixerat. Id. 5. Fin. 2. extr. Tum ille timide vel potius verecunde, Facio, inquit, equidem. Id. 2. Tusc. 23. 55. Nequid abjecte, nequid timide, nequid ignave, nequid serviliter muliebriterve faciamus. Id. Quinct. 16. 51. Timide et pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inviti. Cæcin. ad Cic. 6. Fam. 7. Parce et timide de aliquo scribere. Cic. Sull. 29. 80. Timide modiceque dicere de aliquo. Horat. Art. P. 171. de sene. res omnes timide gelideque ministrat. Seneca Hippol. 593. timide qui rogat, Docet negare. Cæs. 1. B. C. 19. Omnia trepidantius timidiusque agere. Quintil. 11. 1. a med. Timidissime dicere.

**TĪMĪDĬTAS**, ātis, f. 3. (timidus) proclivitas ad timorem, angustus et parvus animus, δειλία (It. *timidezza, timidità, viltà;* Fr. *crainte, appréhension;* Hisp. *timidez, aprehencion;* Germ. *die Furchtsamkeit, Scheu, Schüchternheit;* Angl. *timidity, bashfulness*). Pacuv. apud Non. p. 228. 18. (fragm. 292. Ribb.) Ecfare, quæ cor tuom timiditas territat. Cic. 5. Tusc. 18. 52. In quem cadit metus, in eumdem formido, timiditas, pavor, ignavia. Id. Partit. 23. 81. Verecundiam timiditas imitatur. Id. 4. Fin. 19. 53. Ex rebus timiditas, non ex vocabulis nascitur, Id. 2. Orat. 74. 300. Cautio et timiditas in causis. et ibid. 3. 10. Pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti. Id. 3. Tusc. 7. 14. Timiditas et ignavia. Plin. 2. Ep. 10. extr. Cunctatio quum modum excedit, verendum est, ne inertiæ et desidiæ vel etiam timiditatis nomen accipiat. — In plur. num. Cic. Mil. 26. 69. Quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates.

**TĪMĪDŬLE**, adverb. deminut. a timide, aliquantum timide, *con alquanto timore.* Apul. 4. Met. Timidule per balneas reptare.

**TĪMĪDUS**, a, um, adject. (timeo) *Timedus* pro *timidus* aliquando usurpatum ab antiquis. Sic Næv. apud Non. p. 376. 12. Merc. Ubi vidi, exanimabiliter timedus pedibus protinam me dedi. Ita Ribbeck. — Comp. *Timidior* et Sup. *Timidissimus.* — Timidus est meticulosus, pavidus, angusti animi, δειλός, ἐπιδεής (It. *pauroso, timido, di poco animo;* Fr. *timide, craintif;* Hisp. *temeroso, medroso;* Germ. *furchtsam, scheu, schüchtern;* Angl. *timid, fearful*). ¶ 1. Generatim, sive de personis sive de rebus. — a) Absolute. Seneca 4. Benef. 26. sub fin. Timidus dicitur aliquis, quia stultus est: dicitur timidus proprie, natura etiam ad inanes sonos pavidus. Enn. fragm. 24. Ribb. Quin refugiat timido sanguen. et Acc. ib. 300. Me expetens timidam e tecto excies. Cic. Cæcin. 7. 18. Timidus imperitusque. Id. 2. Fam. 18. Moleste ferebat, se a te, quem omnium fortissimum judicaret, timidum atque ignavum judicari. Id. Pis. 50. circa med. Timidus ac tremens. Id. 1. Off. 24. 83. Numquam periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. et 3. ibid. 32. sub fin. Quæ timido animo, humili, demisso fractoque fiunt. Ovid. Heroid. 19. 172. Timidus amor. Id. 1. Met. 525. Timido cursu fugere. Id. 1. Amor. 5. 8. timidus latebras sperat habere pudor. Id. 6. Met. 791. Timida fides. Id. Heroid. 16. 375. spes. Id. 2. Pont. 8. 51. vota. Id. 5. Trist. 8. 28. preces. et 1. Fast. 4. navis. et 2. Trist. 228. manus. Quintil. 11. 3. 97. principium. et 8. 3. 65. verecundia. Horat. 3. Od. 2. 16. tergum. Auct. B. G. 8. 13. Utrum secundis rebus insolentiores, an adversis timidiores essent. Ovid. 5. Met. 224. timidissime Phineu. et 1. Art. am. 117. timidissima turba columbæ. (Varro 3. R. R. 7. Nihil enim timidius columba.) — *Mater timidi flere non solet,* apud Nepot. Thrasyb. 2., proverb., ubi *timidus* videtur esse cautus, providus, qui nihil temere audet. Germani dicunt: *einen geringen Feind soll man nicht verachten.* Cf. illud Homer. Iliad. 5. v. 531. Αἰδομένων τ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι, ἠὲ πέφανται. Similiter Publil. Syr. 542. Qui omnes insidias timet, in nullas incidit. — Substantivorum more. Sall. Cat. 58. Necessitudo etiam timidos fortes facit. Adde Quintil. 6. 2. 17. — b) Cum Genet. Horat. Art. P. 28. Timidus procellæ. Seneca Vit. beat. 21. Nocturna animalia abduntur in aliquas rimas timida lucis. — c) Cum Acc. et præp. ad. Cic. 2. Fin. 20. 63. Ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rempublicam interfectus. — d) Cum Abl. et præp. in. Id. 7. Fam. 17. Timidus in labore militari. Quintil. 12. 1. 17. in providendis periculis. — e) Cum Infinito. Horat. 4. Od. 9. 52. Pro patria timidus perire. et 3. ibid. 19. 2. mori. Adde Sil. It. 16. 575. ¶ 2. Speciatim pro reverente, devoto, pio. Ovid. 5. Met. 100. fuit et grandævus in illis Emathion, æqui cultor timidusque deorum. Cf. TIMEO et TIMOR.

Homonym. De discrimine inter *timidum* et *timentem,* V. *Timens* sub TIMEO.

**TĪMŌCRĂTĒUS** et

**TĪMŌCRĂTĪUS**, a, um, adject. ad Timocratem, poetam, ut videtur, Græcum, pertinens. Hinc *Timocrateum metrum,* de quo Serv. Centim. 7. 1. Timocratium (al. Timocrateum) constat diametro catalectico, ut est hoc: *rosa veris specimen.*

**TĪMOR**, ōris, m. 3. (timeo) Etiam *timos* pro *timor* (ut *vapos, odos, honos, colos* etc. pro *vapor* etc.) apud Næv. Tr. 4. 5. Cf. Non. p. 487. 6. Merc. — Timor est opinio mali impendentis, metus, formido, pavor, φόβος (It. *paura, tema, temenza, timore;* Fr. *crainte, effroi;* Hisp. *temor, miedo;* Germ. *die Furcht, Besorgniss;* Angl. *fear*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. Cic. 4. Tusc. 8. 19. Timor est metus mali appropinquantis. Acc. fragm. 503. Ribb. Numero te expugnat timor. Plaut. Cas. 3. 5. 25. et 59. Timor præpedit linguæ dicta. Id. Rud. 1. 2. 85. Præ timore in genua concidit. Ter. Adelph. 4. 4. 3. Timore obstupescere. Cic. 2. Phil. 36. 90. Bonum te timor faciebat, non diuturnus magister officii. Id. 5. Att. 20. Cassio animus accessit, Parthis timor injectus est. Id. 1. leg. Agr. 8. 23. Spem improbis ostendistis, timorem bonis injecistis. Sall. in orat. Lep. ad pop. R. et Planc. ad Cic. 10. Fam. 18. Timorem facere alicui. Cic. 2. Orat. 51. extr. incutere. Brutus et Cassius ad Anton. 11. Fam. 2. a med. Maximo timore affici. Val. Flacc. 8. 35. icta timore gravi. Cæs. 1. B. G. 22. sub fin. Timore perterritus. Id. ibid. 39. (et Cic. 1. Rep. 16. 25.) Timor exercitum occupavit. Sall. Cat. 32. mihi incessit. Id. ibid. 58. animi auribus officit. Petron. Sat. 128. mentem altus habet. Tac. 12. Ann. 51. Timore æger. Cic. 1. ad Brut. 3. perculsus. Id. 2. Fam. 10. ad fin. Hæc æstas habuit hunc exitum satis felicem: ea, quæ sequitur, magno est in timore. Id. 5. Att. 14. Magno timore esse. h. e. valde timere. Lucan. 3. 82. et 6. 671. Timori esse alicui. h. e. terribilem esse. Plaut. Truc. 4. 3. 50. Timore torpere. Nepos Alcib. 3. Timorem habere. Ovid. 7. Met. 630. pavido mihi membra timore Horruerant. Cic. post red. in Senat. 8. 19. Timorem alicui depellere. Id. 1. Cat. 7. extr. eripere. Id. 11. Fam. 21. ad fin. omnem abjicere. et 6. Rep. 10. extr. omittere. Ovid. Heroid. 18. 57. (et Brut. 11. Fam. 23.) deponere. Virg. 1. Æn. 202. mittere. et ibid. 454. lenire. Auct. B. Alex. 8. minuere. Ovid. 9. Met. 774. Mederi timori.

*Cæs.* 3. *B. C.* 65. Colligere se ex timore. *Ovid.* 14. *Met.* 490. sors actem ubi pessima rerum, Sub pedibus timor est. *h. e.* victus est, nullus. *Isid.* 1. *Differ.* 214. Est autem et bonus timor et malus: bonus quum quanto quis Deum ardentius diligit, tanto eum diligentius offendere pertimescit. — In plur. num. *Catull.* 64. 69. Quantos illa tulit languenti corde timores! *Horat.* 1. *Ep.* 4. 12. timores inter et iras. Adde 1. *Od.* 37. 15. Adde *Cic.* 1. *Rep.* 44. 68. — *b*) Cum Genet. ut ajunt, objectivo. *Lucret.* 5. 1180. Timor mortis. *Cæs.* 6. *P. G.* 23. repentinæ incursionis. *Cic.* 5. *Rep.* 4. 6. vituperationis non injustæ. *Id.* 2. *Fam.* 7. 4. belli magni. — *c*) Cum Abl. et præp. *ab, de, pro. Liv.* 45. 26. Timor a principibus suis. *Brut et Cass. ad Anton.* 11. *Fam.* 2. *a med.* de nobis. *Virg.* 6. *Æn.* 352. pro me. — *d*) Cum Conjunctivo et part. *ne. Id. ibid.* tantum cepisse timorem, Quam tua ne - Deficeret tantis navis surgentibus undis. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *sub fin.* Ubi timor est, ne auctumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur. — *e*) Cum Infinito. *Liv.* 32. 26. Timor obsides ea moliri. ¶ 2. Speciatim est religio. *Cic.* 1. *Rep.* 15. 24. Quod hominibus perturbatis inanem religionem timoremque dejecerat. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 295. Timor deorum. Adde *Lucret.* 5. 1223. *Sil. It.* 3. 30. Sed nulla effigies simulacrave nota deorum Majestate locum et sacro implevere timore. *Petron. in fragm.* et *Stat.* 3. *Theb.* 661. Primus in orbe deos fecit timor. Cf. *Isid. loc. cit.* — Huc pertinent loca *Vulg. interpr. Eccli.* 19. 18. Omnis sapientia timor Dei. et *Ps.* 110. 10. Initium sapientiæ timor Domini.

II.) Translate. ¶ 1. Est, per metonymiam, causa timoris, terror. *Propert.* 3. 5. 40. et audaci tu timor esse potes. *Ovid.* 1. *Fast.* 551. Cacus Aventinæ timor atque infamia silvæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (119). Febrium morbos non sentit hoc animal, quin et medetur huic timori. ¶ 2. De iis, quorum causa timemus. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 78. fugit ecce vagas ratis acta per undas *etc.* tot gracili ligno complexa timores. ¶ 3. *Timor* apud *Vulg. interpr. Gen.* 31. 42. est ipse Deus verus, qui timetur. ¶ 4. Et in fabulis deus est, filius Ætheris et Terræ, ut habet *Hygin. præf.*; aut Erebi et Noctis, ut *Cic.* 3. *Nat. D.* 17. *extr.* — Similiter ut persona sistitur ab *Horat.* 3. *Od.* 1. 37. sed Timor et Minæ Scandunt eodem, quo dominus. Adde *Claudian.* 1. *Eutrop.* 34. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 276.

Homonym. Differunt *formido, pavor, metus, timor* et *terror. Cic.* 4. *Tusc.* 8. 19. Quæ subjecta sunt sub metum, (quem *supra dixerat* ex malis futuris nasci, *coll.* 5. *ibid.* 18. 12.) ea sic definiunt: *terrorem,* metum concutientem, ex quo fit, ut terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur: *timorem,* metum mali appropinquantis: *pavorem,* metum mentem loco moventem: *formidinem,* metum permanentem. *et* 5. *ibid.* 18. 52. Est *metus* futuræ ægritudinis sollicita exspectatio. *Isid.* vero 1. *Differ.* 214. *Formido* objicitur vel oculis vel animo sine adhibita ratione et maxime parvulis: *pavor* autem cum timiditate animi subita est conturbans occasio, quæ tamen solvitur ratione vel tempore, nec stat: item *metus* est motus interior animi subitus sive cordis, factus ex aliqua tristi recordatione: *timor* est accedens dolor mentis extrinsecus ex aliqua accidenti occasione. Cfr. etiam, quæ dicta sunt sub v. METUS. — Item differunt *timor* et *timiditas* in eo quod, ut *id. ibid.* docet, *timiditas* animi vitium est: *timor* pro tempore est: itaque in viro forti est aliquando timor, timiditas numquam. Similiter *Popma p.* 671. *Timor* sumitur physice estque affectus: *timiditas* ethice estque habitus vitiosus. *Cic. post red. in Senat.* 8. 19. Metum bonis, timorem huic ordini depulit. *Id.* 5. *Tusc.* 18. 12. In quem (*cadit*) metus, in eumdem formido, timiditas, pavor, ignavia. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (115). Dextrum hyænæ pelle adalligatum sinistro brachio contra latrocinia terroresque nocturnos pollere, item dextram mamillam contra formidines pavoresque etc. *Cf. Senec.* 1. *Ira* 4. et *Cic. Cœl.* 15. 36. — Plura de his invenies apud *Döderlein v.* 2. *p.* 191. *et seqq.*

TĬMŌRĀTUS, a, um, adject. ex participio, qui timet. — *a*) Speciatim dicitur de eo, qui timet Deum. *Vulgat. interpr. Luc.* 2. 25. Simeon, homo justus et timoratus. — Absolute *Hieronym.* 14. *in Is.* 50. 10. — *b*) Est etiam cautus. *Vulg. interpr. Ital. Lev.* 15. 31. Timoratos facite filios Israel. *Schol.* ms. ad *Juvenal.* 7. 210. Dicit, Achillem nobilissimum solitum fuisse magistro suo canere præ timore. Chiron autem magister fuit Achillis, cui timoratus ipse canebat.

TIMŬLUS. *V.* TIPPULA.

TĪNA, æ, f. 1. *et* tinum, i, n. 2. vas vinarium ex eorum genere, quæ mensæ inferuntur, ex quibus vinum in pocula defunditur: fortasse a δίνη vel δῖνος, quod est vasculi species, a δινόω, in gyrum ago, quia rotundum est: hinc videntur repetenda Italorum *tina* et *tino,* quæ vas vinarium significant. *Varro* apud *Non. p.* 544. 4. *Merc.* Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant. Adde *Venant. Vit. S. Radeg.* 17. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 365. 1. *Müll.* Tinia (*leg.* tina), vasa vinaria. Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 149. Canava, camea (*an* cavea?), tinum.

TINCA, æ, f. 1. piscis palustris et fluviatilis sine squamis (*Cyprinus Tinca* Linn.), *tinca. Auson. Edyll.* 10. 125. Quis non et virides, vulgi solatia, tincas Norit?

TINCTĪLIS, e, adject. (tingo) idem fere ac tinctus, *tinto. Ovid.* 3. *Trist.* 10. 64. Nam volucri ferro tinctile virus inest. Legitur et in *Not. Tir. p.* 82. — Translate apud *Poetam* in *Anthol. Lat. n.* 928. 55. *Riese.* Salve, o Apollo vere, - Sagitta melle tinctilis prophetico.

TINCTĬO, ōnis, f. 3. (tingo) actus tingendi. ¶ 1. Pro baptismo. *Tertull. Cor. Mil.* 13. Semel jam (*causæ*) in Sacramenti tinctione ejeratæ. Alii leg. *testatione.* et *Cyprian. Ep.* 71. Profanam tinctionem vero et unico et legitimo Ecclesiæ Catholicæ baptismo præponere contendunt. Adde *Ep.* 75. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 129. Tinctiones ferri. *h. e.* squamulæ ferri candentis in aqua prætincti (*sc.* exstincti), ut *ibid. n.* 119. exponitur.

TINCTOR, ōris, m. 3. (tingo) infector, *tintore,* βαφεύς. *Vitruv.* 7. 14. Tinctores quum volunt sil imitari, violam aridam cum aqua confervescere faciunt etc. Ita olim; nunc leg. *tectores.* Adde tamen *Inscr.* apud *Marini Pap. dipl. p.* 251. et apud *De-Rossi Inscr. Christ. T.* 1. *n.* 1057. *p.* 481. et *Marcell. Empir. c.* 19.

TINCTŌRĬUS, a, um, adject. (tingo) ad tingendum pertinens. Translate *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (44). Tu, cujus semper tinctoria est mens. h. e. quæ cædes meditatur. — Hinc

*Tinctorium, ii,* n. 2. absolute substantivorum more ¶ 1. Dicitur de loco, ubi vestes tinguntur, usurpatum legitur in *Not. Tir. p.* 82. Tinctilis, tinctorium, *tintoria* Itali dicimus. ¶ 2. Pro baptisterio citatur *Ambros.*, sed locum non vidi. Certe *Euch.* 2. *Instr.* 15. habet. Cf. TINGO. ¶ 3. *Gloss. Isid.* coll. *Mela* 2. 1. *sub fin.* Deo pro simulacris enses et tinctoria dedicant. so. *gladios.* Sed alii rectius *cinctoria* legunt.

TINCTŌRĬUM. *V.* voc. præced.

TINCTŪRA, æ, f. 1. (tingo) infectio, inductio coloris, βαφή (It. *tintura, tinta;* Fr. *teinture;* Hisp. *tintura;* Germ. *das Färben;* Angl. *dye, tint, tincture*). *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 38. (119). Adulteratur maxime tinctura. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (110). Ad inficiendas purpuras tincturasque omnes. Adde *Vulg. interpr. Job* 28. 19 — Tropice *Marcell. Empir. c.* 19. *p.* 113. Tincturæ vel maculæ corporis.

TINCTUS, a, um, particip. *V.* TINGO.

TINCTUS, us, m. 4. (tingo) intinctus, *intingolo.* In sexto casu sing. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 48. 68. (134). Avis croceo tinctu cibis gratissima.

TĬNEA, æ, f. 1. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, est etiam *tinia* in quibusdam MSS. editisque libris: sic in *Gloss. Lat. Gr. p.* 258. *Vulc.* Tinia, σὴς καὶ [illegible]ωστήρ. Hanc tamen scripturam improbat *Prob. App. p.* 198. 19. *Keil.* Porro est animadvertendum, *tiniam* pro *tænia,* quæ lumbricum significat, vitio librariorum fortasse adhiberi, qui utrumque vocabulum permutarint. Cf. *Ackermann* ad *Seren. Sammon.* 30. 564. aliosque. — *b*) De quantitate admonemus, *Seren. Sammon.* primam syllabam produxisse *ibid.* interno quum viscere tinea serpens etc. Sed plerique alii leg. *tænia.* Certe tamen produxit *Sedul.* 4. *carm. Pasch.* 21. — *c*) Ratione habita etymi, est a *tænia, ταινία,* qua voce proprie fascia aut vitta tenuis et oblonga significatur; metaphorice, præter alia, vermiculus tenuis et oblongus, cujusmodi sunt, quos *Plin.* scribit 31. *Hist. nat.* 3. 22. (36). in gelidis fontibus nasci. *Harduin.* in MSS. suis et *Sillig.* leg. *tænias.* Cf. tamen *Vaniçek p.* 284 — Tinea est vermiculus (*Phalæna Tinea* Linn.) in pulvere et situ nascens et erodens chartas, vestes et similia, σής (It. *tignuola, tarma, tarlo;* Fr. *teigne;* Hisp. *polilla;* Germ. *die Motte;* Angl. *moth, tiny*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 98. Vestimenta tineæ ne tangant, amurcam decoquito, ea unguito fundum arcæ etc. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 12. *ad libr. [illegible]um.* tineas pasces taciturnus inertes. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 72. Conditus ut tineæ carpitur ore liber. *Vitruv.* 5. 12. *sub fin.* tineam cum carie et teredine conjungit, quibus ligna exeduntur. Rursum *Horat.* 2. *Sat.* 3. 118. cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca. — De tinea est ænigma apud *Symphos. n.* 16. *v.* 6. *Wernsd.*

II.) Improprie, a similitudine. ¶ 1. *Tineæ* dicuntur ἕλμινθες, qui in hominum visceribus gignuntur et præcipue pueros vexant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 120. (145). et 21. *ibid.* 20. 83. (140). et 23. *ibid.* 8. 77. (148). et 24. *ibid.* 10. 47. (77). etc. Ubiq. *Sillig.* leg. *tænia.* Adde *Marcell. Empir. c.* 28. passim. ¶ 2. Similiter *Ovid.* 14. *Met.* 373. agrestes tineas vocat bombyces, qui solent canis frondes intexere filis. ¶ 3. Et *Nemesian. Cyneg.* 209. vermiculos infestos auribus canum. ¶ 4. Item *Colum.* 9. *R. R.* 14. (et *Virg.* 4. *G.* 246.) vermiculos ex stercore papilionum nascentes et apum alveis inimicos. ¶ 5. Et 5. *ibid.* 10. *ante med.* vermes molestos seminibus ficulneis. ¶ 6. Quin et pediculos, *pidocchi,* hoc nomine appellat *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 113. miserabile turpes Exedere caput tineæ: deserta patebat Intervalla comæ. *et ibid.* 260. Pulvere respersus tineas. *h. e.* caput tineosum. Hinc Italorum *tigna.*

III.) Translate. ¶ 1. Metonymia est in illo *Martial.* 11. 1., ubi libellos suos vocat *nostrarum tineas ineptiarum,* quasi tineis ludibrium debeant earumque toti futuri sint. ¶ 2. Figurate. *Cyprian. De zel. et liv.* 7. Qualis vero est animæ tinea, quæ cogitationum tabes etc. Adde *Vulgat. interpr. Os.* 5. 12.

TĪNEĀRĬA *et* tiniaria, æ, f. 1. (tinea) herba quædam apud *Scribon. Compos.* 83. Prodest et herbæ, quam πόλιον vocant, nos, ut opinor, tiniariam, fasciculus. *Theophrast. Hist. plant. l.* 1. *c.* 16. ait, πόλιον utile esse πρὸς τοὺς σῆτας (*h. e.* tineas) ἐν τοῖς ἱματίοις. *V.* POLION. Adde *Marcell. Empir. c.* 17. *p.* 111. *retro.*

TĪNEĀTĬCA *et* tiniatica, æ, f. 1. (tinea) herba eadem videtur esse ac tinearia: ejus meminit *Marcell. Empir. c.* 17. *ante med.*

TĪNEĀTUS *et* tiniatus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TĪNEO *et* tinio, as, āvi, ātum, are, n. 1. (tinea) Etiam transitivorum more usurpatum fuisse colligitur ex *Gloss. Gr. Lat.* Σητόκοπος, tiniatus. h. e. tineis derosus. — Tineo est tineis scateo, putresco. *Vulgat. interpr. Bar.* 6. 71. A purpura quoque et murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque, quia non sunt dii. *Id. Ital. Jac.* 5. 2. Divitiæ vestræ putrierunt, res vestræ tiniavere. *h. e.* a tineis comestæ sunt. ut *Noster* habet.

TĪNEŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* tinea, parva tinea. *Veget.* 1. *Veterin.* 4. Lumbrici, vermes et tineolæ, quas alii pediculos appellant.

TĬNEŌSUS et tiniosus, a, um, adject. (tinea) ¶ 1. Est plenus tineis, ἑλμινθώδης, ut Alvei tineosi, apud *Colum*. 9. *R. R.* 14. *in fin.* Legitur et in *Not. Tir. p.* 176. Tinea, tineosus. ¶ 2. Est etiam pediculis plenus. *Theod. Prisc.* 4. *p.* 314. Caput tiniosum. *Marcell. Empir. c.* 6. *p.* 91. Locus capitis tineosus — Absolute. *Augustin.* 6. *Op. imperf. contra Julian.* 16. Tineosi, leprosi etc.

TINGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TINGO (tinguo), tingis, tinxi, tinctum, tingere, a. 3. *Tinguo* pro *tingo* recte scribi docent *Manut., Pier., Dausqu., Brockous.* ad *Propert.* etc. ex lib. veterib., unde *distinguo, extinguo.* Cf. *Cap. Orth. p.* 106. 14. *K., Bed. De Orth. p.* 293. 5. et *Albin. Orth. p.* 311. 18. Immo huic illam præferendam esse scripturam putant recentiores. Cf. lib. nuperrime edit., ut *Horat.* ed. *Holder* et *Ovid.* ed. *Merkel.* et *Plin. Hist. nat.* ed. *Detlefsen* et *Justin.* ed. *Ruehl* etc. — Ducunt a rad. Skr. *tang*, madefacio; unde et Græcum τέγγω, ejusdem significationis. — Part. *Tingens* I. 3. et in fin.; *Tinctus* fere in omnib. paragr. et in fin.; *Tincturus* I. 2.; *Tingendus* I. 1. *a.* — Tingo est madefacio, inficio, humore imbuo (It. *bagnare, tingere*; Fr. *tremper, mouiller, baigner*; Hisp. *mojar, bañar*; Germ. *benetzen, anfeuchten*; Angl. *to moisten, wet*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Cic.* 3. *Nat. D.* 28. 70. Tunica sanguine Centauri tincta. *Propert.* 1. 6. 32. Lydia Pactoli tinguit arata liquor. *et* 4. 4. 22. Et sibi tinguendas dixit in amne comas. *Ovid.* 4. *Met.* 342. in undis Summa pedum taloque tenus vestigia tingit. *et* 2. *ibid.* 621. Tingere ora lacrimis. *Justin.* 44. 3. *in fin.* et *Martial.* 14. 33. Ferrum aqua tingere. *temperare.* et *Virg.* 4. *G.* 172. stridentia æra lacu. *Ovid.* 9. *Met.* 190. gelido ceu lamina candens Tincta lacu stridit. *Id. Remed. Amor.* 700. Tingere in amne faces. *ammorzare*, exstinguere. *Id. Heroid.* 19. 44. Pallade membra. *ungere.* et *Martial.* 2. 59. tingi nardo. *et Marcell. Empir. c.* 1. *p.* 88. Tingere tempora medicamine. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (106). Calamus tinctus aqua. *Cels.* 8. 4. *ante med.* Sanguis spongia subinde in aceto tincta cohibendus. *Seneca Œdip.* 42. tenuis Ismenos fluit Et tingit inopi nuda vix unda vada. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 106. spicula mordaci felle tincta. *et ibid.* 1. 26. Tinctaque mortifera tabe sagitta madet. — *b*) *Tingi æquore*, poetice, dicitur de sole et sideribus occidentibus. *Virg.* 1. *G.* 246. Arctos oceani metuentes æquora tingi. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 172. *Id.* 1. *Trist.* 4. 1. Tinguitur oceano custos Erymanthidos ursæ. *Id.* 15. *Met.* 419. in alto Phœbus anhelos Æquore tingit equos. — Et de navi, quum primum in mare demittitur. *Id.* 11. *ibid.* 455. Protinus eductam navalibus æquore tingi Aptarique suis pinum jubet armamentis. — *c*) *Tingere poculis* est inebriare. *Horat.* 4. *Od.* 12. 23. Non ego te meis Immunem meditor tingere poculis. — *d*) *Tingere*, absolute, apud Ecclesiasticos scriptores, est baptismo abluere. *Augustin.* in *Ps.* 73. Tinctus aqua salutis æternæ. Adde *Cyprian. Ep.* 71. *Vulg. interpr. Ital.* apud *Tertull. Bapt.* 11. Et tamen is (*Christus*) non tinguebat. Adde *eumd. Matth.* 28. 19. *ibid.* 13. Cf. *Act.* 1. 5. ¶ 2. Speciatim est colorem induco, inficio, *colorire, tingere. Seneca Hippol.* 376. et *Ovid. Heroid.* 4. 72. Flava verecundus tinxerat ora rubor. *Tibull.* 2. 4. 28. Et niveam Tyrio murice tingit ovem. *et Ovid.* 6. *Met.* 9. Phocaico bibulas tingebat murice lanas. Sic *Horat.* 2. *Od.* 16. 36. Lanæ bis Afro murice tinctæ. *Martial.* 1. 78. Tingit cutem Charinus et tamen pallet. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 22. (70). Tinguntur sole populi. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 2. Tingere comam. *et* 2. *ibid.* 5. 40. ebur. *Id.* 3. *Art. am.* 269. pallidum corpus purpureis virgis. *Id.* 1. *Fast.* 321. (et 7. *Met.* 599.) calido strictos tincturus sanguine cultros. *Horat.* 3. *Od.* 23. 11. Victima pontificum securim Cervice tinguet. *Tibull.* 1. 9. 44. coma cortice tincta nucis. *Horat.* 3. *Od.* 10. 14. tinctus viola pallor amantium. ¶ 3. Item pro imbuere. *Ovid.* 11. *Met.* 142. *de Mida.* Rex jussæ succedit aquæ. vis aurea flumen Tinxit. *et* 4. *ibid.* 388. incerto fontem medicamine tinxit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Tingere tela venenis. *et mox.* sagittas., *ubi tamen recentiores unguere legi volunt.* et 14. *ibid.* 6. 8. (68). Tingentes vinum fumo: utinam non et herbis, ac medicaminibus noxiis. ¶ 4. Item encausto pingere, *lavorare a smalto. Plin.* 33. *Hist. nat.* 9. 46. (131). Tingit et Ægyptus argentum, ut in vasis Anubim suum spectet: pingitque, non cælat argentum. ¶ 5. Ipse etiam color tingi dicitur, h. e. induci. *Id.* 21. *ibid.* 26. 97. (170). Hoc fuco hysginum tingunt. *Id.* 16. *ibid.* 18. 31. (77). et 6. *ibid.* 31. 36. (201). purpuram. *Id.* 33. *ibid.* 13. 57. (161). cæruleum. ¶ 6. *Tingere nummos*, est eos ex ære cusos argento vel auro ita inficere, ut aurei vel argentei videantur. *Ulp. Dig.* 48. 10. 8. Quicumque nummos aureos raserit, tinxerit, finxerit, si quidem liberi sunt, ad bestias dentur; si servi, summo supplicio afficiantur. ¶ 7. *Tingere lumine*, illustrare. *illuminare*, quia lumen colores aperit. *Lucret.* 6. 172. volucri loca lumine tinguunt Nubes. *Id.* 5. 719. globus si forte pilai Dimidia ex parti candenti lumine tinctus.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Orat.* 20. 85. Orator sit mihi tinctus litteris, audierit aliquid, legerit etc. *abbia qualche tintura.* et *Brut.* 58. 211. Auditus est nobis Læliæ C. F. sæpe sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus. *Quintil.* 4. 2. 117. Verba expressa et, ut vult Zeno, sensu tincta esse debebunt. *h. e.* non vana et ad ornatum fusa, sed significantia. *Martial.* 8. 3. Romano lepidos sale tinge libellos. *Seneca Ep.* 66. Virtus quidquid attigit, in similitudinem sui adducit et tingit. Rursum *Martial.* 8. 20. Sales lepore Attico tincti. *Id.* 10. 33. versus viridi ærugine tincti. *h. e.* mordaces et contumeliosi. *Pers.* 3. 36. quum dira libido Moverit ingenium ferventi tincta veneno. Sic *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 34. Verba velut tinctum singula virus habent. — Hinc Part., cujus exempla retulimus, absolute, substantivorum more, ita in sequentibus usurpatur; sc.

*Tinctum, i*, n. 2. vinum quod arte tingitur vel fumo vel colore, ut pinguius, inquit *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (130). coll. *ibid.* 6. 8. (68). fiat. *Inscript.* amphoræ apposita in *Giorn. degli Scavi di Pomp. a.* 1871, *p.* 181. LACCATVM ET TINCTVM VETVS. *laccatum* est vinum laccæ suco conditum. — *Tincta, orum*, plur. neutr., sunt colores non nativi. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Color albus præcipue decorus Deo est tum in ceteris, tum maxime in textili. Tincta vero absint, nisi a bellicis insignibus.

*Tingens, entis*, 3. idem ac tinctor. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (133). et 37. *ibid.* 9. 40. (122). Tingentium officinæ.

TINGŎMĔNE. *V.* TANGOMENAS.

TINGUO. *V.* TINGO.

TĪNĬA et deriv. *V.* TINEA.

TĪNĬO. *V.* TINNIO.

TINNĬBŬLĀTUS. *V.* TINTINNABULATUS.

TINNĬENS, entis, particip. *V.* TINNIO.

TINNĪLIS, e, adject. (tinnio) tinnulus. *Venant.* 4. *Vit. S. Martin.* 39. tinnile plectrum. Alii leg. *lyra tinnula.*

TINNĪMENTUM, i, n. 2. (tinnio) idem quod tinnitus, κωδώνισμα. *Plaut. Rud.* 3. 5. 26. Illud quidem edepol tinnimentum est auribus.

TINNĬO, tinnis, tinnivi et tinnii, tinnire, n. 4. Etiam forma *tinio* per unicam *n* scribitur, cujus primam syllabam corripit *Terentian. De metr.* 232. Validum penitus nescio quid tinire cogit, Quo Littera (*sc.* L) ad aures veniat secunda nostras. Ita *Lachmann*; at *Keil* pro *tinire* leg. *sonare.* — *Tinnibo*, in futuro pro *tinniam*, usurpavit *Vulg. interpr.* 2. *Reg.* 21. 12. apud *Lucif. Car. Reg. ap. p.* 179. Sic *nutribo* apud *Cledon. p.* 57. 12. *K.*; *lenibo* apud *Propert.* 3. 21. 32. etc. — *Tinnisse* pro *tinnivisse* in præter. infin. est *M. Aurel.* apud *Fronton. ad M. Cæs.* 2. 8. *V.* infra. — Vox est ab ipso sono ficta, qui *tin tin* referre videtur (*Dantes Par. c.* 10.): tamen a recentioribus cum Skr. *tan*, resono, conjungitur. *V.* TONO. — Part. *Tinniens* sub *A* I. 1.; *Tinniturus* sub *A* II. 3.; *Tinniendus* sub *B* I. — Tinnio est sonum, plerumque acutum, edo, κωδωνίζω (It. *squillare, tintinnire o tintinnare*; Fr. *rendre un son claire et aigu, tinter, retentir*; Hisp. *tañer, resonar, retumbar*; Germ. *klingen, klimpern, schellen*; Angl. *to tinkle, resound, klang*): et proprie dicitur de metallis, quum pulsata resonant. Occurrit autem *A*) Intransitive; et etiam *B*) Transitivorum more.

*A*) Intransitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Enn. Ann.* 432. tinnit hastilibus umbo. *Plaut. Trin.* 4. 2. 62. Numquam temere tinnit tintinnabulum. *Quintil.* 12. 10. *ante med.* Pleraque nos illa quasi mugiente littera cludimus *m*, qua nullum Græce verbum cadit: at illi *n* jucundam et in fine præcipue quasi tinnientem, illius loco ponunt. *Venant.* 2. *carm.* 20. 60. tinniverunt, quum crepuere feræ (*catenæ*). et *Vulg. interpr.* 1. *Cor.* 13. 1. Cymbalum tinniens ¶ 2. *Tinnire aures* dicuntur, quum aut acutam vocem audiunt aut quippiam intus habent tympanum acute feriens: quod morbi genus est, *cornare o fischiare di orecchi. V.* TINNITUS. *Catull.* 51. 10. sonitu suopte Tinniunt aures. Alii leg. *tintinant. M. Aurel.* ad *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. Longus sermo nobis super te exortus est; itaque nec tibi dubito ibidem in foro diu tinnisse auriculas. V. *Plinii loc. cit. in* TINNITUS. — Hinc translate pro terrore percelli et exhorrescere. *Vulg. interpr.* 1. *Reg.* 3. 11.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de his, qui acuta voce sunt, strident, obstrepunt, moleste garriunt, *garrire. Plaut. Pœn. prol.* 32. Matronæ tacitæ spectent, tacitæ rideant, canora hic voce sua tinnire temperent. *Id. Pseud.* 3. 2. 99. Molestus ne sis. nimium jam tinnis: non places. *Id. Cas.* 2. 3. 32. Ohe, jam satis, uxor, est. comprime te: nimium tinnis. ¶ 2. Item pro canere de avibus. *Calpurn.* 5. *Ecl.* 16. vere novo, quum jam tinnire volucres Incipient. *canterellare.* ¶ 3. Similiter in illo *Sueton. Ner.* 20. *ad fin.* Si paullum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturum promisit. *tinnire* ponitur pro leviter canere: ad evitandam scilicet invidiam, ne videretur Nero se ipse laudare, antequam audiretur.

III.) Translate. *Pers.* 5. 105. veri speciem dignoscere calles, Nequa subærato mendosum tinniat auro. *h. e.* solidum non crepet, sed vana specie et inani sonitu.

*B*) Transitivorum more.

I.) Proprie est tinnire facio. *Varro* 3. *R. R.* 16. *de apib.* Quum evolaturæ sunt, jaciendo in eas pulverem aut circum tinniendo ære perterritas, quo voluerit, perducat. Alii leg. *circumtinniendo.*

II.) Translate. *Cic.* 14. *Att.* 21. *extr.* Exspecto maxime, ecquid Dolabella tinniat. *h. e.* pecuniam mihi debitam solvat, quæ numerando tinnire solet. Ita *Grævius.*

TINNĪPO, as, are, n. 1. verbum exprimens vocem parræ vel pari. *Anthol. Lat.* 733. 9. et 762. 9. Alii aliter leg. V. *Wernsdorf v.* 6. *p.* 388. in adnot.

TINNĪTO, as, are, n. 1. *frequentat.* vel *intens. a* tinnio, frequenter vel multum tinnio. *Auct. carm. de Philom.* 9. (*Anthol. Lat.* 762. 9.) Parus enim quamvis per noctem tinnitat omnem. Alii leg. *tinniat*; alii vero et quidem recentiores *tinnipet.* V. voc. præc. — Transitivorum more. *Commodian.* 64. 17. Nec enim dico, ut te in trivio tinnites, *h. e.* eum tintinnabulo incedas ad captandam plebeculæ gratiam. — *Ludwig* tamen aliter leg.

TINNĪTUS, us, m. 4. (tinnio) sonor metalli tinnientis, κωδωνισμός (It. *tintin, tintino, tintinnio, squillo*; Fr. *tintement, tintouin, sonnerie*; Hisp. *retintin, tintirintin, retumbo, sonido*; Germ. *das Klingeln, Geklingel*; Angl. *tinkle, tinkling, sound*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Diomed.* 2.

*p.* 414. *Putsch.* Tinnitus est fabricatæ materiæ illisio, tenui sono auditionem augens. *Virg.* 4. *G.* 64. Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum. *Id.* 9. *Æn.* 809. strepit assiduo cava tempora circum Tinnitu galea. *Ovid.* 5. *Met.* 204. sonuit tinnitibus ensis acutis. *Id.* 4. *Fast.* 183. Ibunt semimares et inania tympana tundent: Æraque tinnitus ære repulsa dabunt. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (76). Dracones in Gorgone Minervæ ad ictus citharæ tinnitu resonant. *Id.* 19. *ibid.* 1. 2. (9). *de lino.* Nervositas filo æqualior pæne, quam araneis, tinnitusque etc. *Id.* 2. *ibid.* 3. 3. (6). Circumactorum tinnitus siderum. *Sil. It.* 13. 146. Tinnitus lituum. *h. e.* acutus sonitus. — *b) Tinnitus aurium* est sonor quidam exilis et acutus, quasi æris tinnientis, qui præter naturam sentitur in auribus, *tintinnio d'orecchi*, βόμβησις ἀκοῆς. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 15. 57. (162). Cuminum silvestre auribus instillatur ad sonitus atque tinnitus. *Id.* 23. *ibid.* 4. 42. (85). Oleum amygdalinum gravitatem auditus discutit, sonos incertos et tinnitus. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (24). Absentes tinnitu aurium præsentire sermones de se, receptum est. *V.* TINNIO. — Quod *Ausonius* ait, τ. κληδονιστικῆς, h. e. ominandi scientiæ, tres species esse, non dubito, quin hæ fuerint πταρμός, παλμός et *tinnitus auris.* Ita *Scaliger.*

II.) Translate. *Tac. Dial. de orat.* 26. Malim hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem, quum calamistros Mæcenatis aut tinnitus Gallionis. *h. e.* verba et sententias acute sonoras, sed vi et sensu carentes.

TINNŬLUS, a, um, adject. (tinnio) tinniens, acute resonans, λιγυρός, διαβομβῶν (It. *risonante, sonante;* Fr. *sonore, éclatant, retentissant;* Hisp. *sonoro, resonante;* Germ. *klingend, schallend;* Angl. *sonorous, resounding*).

I.) Proprie. *Catull.* 61. 12. Nuptialia concinens Voce carmina tinnulâ. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 38. Jactantem Pharia tinnula sistra manu. *Id.* 4. *Met.* 393. Tinnulaque æra sonant. *Seneca Troad.* 833. Tinnulas plectro feriente chordas. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 74. *Wernsd.* Tinnula fistula. *Sever. Buc.* 31. *ibid.* concentus. *Pompon.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. *a med.* Vocem reddere tenuem et tinnulam. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 71. Illic cymbala tinnulæque Gades, Illic agmina confremunt Syrorum. *h. e.* puellæ Gaditanæ canoro choro prurientes, ut ait *Juvenal.* 11. 162.

II.) Translate. *Quintil.* 2. 3. *a med.* Rhetores tumidos et corruptos et tinnulos et quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare, ut corpora non robore, sed valetudine inflantur. *V.* vocem præced. Adde *Hieronym. Ep.* 143. — Hinc absolute

*Tinnulum, i,* n. 2. idem ac plectrum. *Gloss. Lat. Gr.* Tinnulum, πλῆκτρον.

*Tinnulus, i,* m. 2. sonitus ex ære seu ferro percusso. *Hieronym. prol.* in *Job.* Tinnulus fertur numeris lege solutis. *Gloss. Gr. Lat.* Ἦχος ἐπὶ χαλκοῦ καὶ σιδήρου, tinnulus, tinnitus. — *Tinnulus vocis* est *Sulpic. Sev. Ep. ad soror.* apud *Baluz. Miscell. T.* 1. *p.* 353.

TINNUNCŬLUS et tinunculus, i, m. 2. genus accipitris, quod in ædificiis nidificare solet et libenter cum columbis versatur easque ab aliorum accipitrum injuriis defendit (*Falco Tinnunculus* Linn.), *gheppio,* κεγχρίς. Ferunt, ejus pullos singulos fictilibus ollis condi spirantibusque operculo superponi et gypso lita vasa in angulis columbarii suspendi: quam rem avibus amorem loci sic conciliare, ne umquam deserant. *Colum.* 8. *R. R.* 8. et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 37. 52. (109).

TINNUS. *V.* THYNNUS.

TINTĪNĀCŬLUM, i, n. 2. (tintino) idem ac tintinnabulum. *Prob. Append. p.* 199. 13. *Keil.* Tintinaculum, non tintinabulum. *Gloss. Lat. Gr.* Tintinaculum (*sic*), κώδων. Cf. TINTINNACULUS.

TINTINNABELLUM, i, n. 2. *deminut. a* tintinnabulum, parvum tintinnabulum, *campanellino.* Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 126. Tintinnabulum, tintinnabellum.

TINTINNĀBŬLĀTUS, a, um, adject. ex particip. (tintinnabulum), qui tintinnabulum habet. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Cui concentui licebit adjungas fistulæ septiforis armentalem camenam, quam nostrorum montium Tityri exercent inter greges tintinnabulatos, inter depasta buceta reboantes. Alii leg. *tinnibulatos,* eodem sensu.

TINTINNĀBŬLUM, i, n. 2. (tintinno) Etiam *titinnabulum,* extrita *n,* legitur in *Gloss.* — Forma *Tintinnabulus* masc. gen. in *Cod. Lugdun. Pentat.* 196. 7. — Tintinnabulum est instrumentum, plerumque aeneum, interdum etiam ex stanno, argento, plumbo aut ex omnibus his una admixtis conflatum, quod percussum tinnitum edit, κρόταλον, κώδων (It. *squilla, campanello;* Fr. *sonnette, grelot, clochette;* Hisp. *campanilla, cascabel;* Germ. e. *Klingel, Schelle;* Angl. *squill, small bell*). *Plaut. Trin.* 4. 2. 162. Numquam edepol temere tinniit tintinnabulum. Nisi qui illud tractat aut movet, mutum est, tacet. Adde *Pseud.* 3. 1. 98. *Juvenal.* 6. 440. Tot pariter pelves et tintinnabula dicas pulsari. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (92). Pendeant exapta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longe sonitus referant. *Sueton. Aug.* 91. Tintinnabulis fastigium ædis redimiit, quod ea fere januis dependebant. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 336. ut præsæpia vidit Nuda boum et nullos dare tintinnabula pulsus, Excussa ut cervice boum crepitare solebant; Mollius aut lentis cava linguis æra ferire, Armentum reduces dum gutture ruminat escas. — De tintinnabulo exstat *ænigm.* apud *Sympos. p.* 554. *v.* 6. *Wernsd.* — Tintinnabuli usus fuit apud antiquos in balneis; eo enim lavaturi convocabantur, et qui in balneo essent, evocabantur, ut aliis locum darent. Hinc *Martial.* 14. 163., cujus lemma *Tintinnabulum.* Redde pilam: sonat æs thermarum: ludere pergis? etc. — In domibus tintinnabuli sonitu familia excitabatur, janitores præsertim, ut indicat *Sueton. Aug.* 91. — In sacrificiis quoque adhibebantur tintinnabula. V. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 98. *et seqq.* — Apud Hebræos *tintinnabula* aurea appendebantur vesti מעיל *meil* pontificis maximi. Cf. *Hasselquist Reis. s.* 55, 73. *Vulgat. interpr. Exod.* 28. 33. coll. *Eccli.* 45. 10. — Alios præterea usus tintinnabulorum recensuit *Hieron. Magius* in libello hac de re conscripto, quem *V.* Cf. etiam *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1857. *p.* 125. et *seq.* et *Bruzza ibid. a.* 1875.

TINTINNĀCŬLUS, i, m. 2. (tintinno) flagrator, lorarius, carnifex; ita dictus, quia cædendo loris corpora tinnitus quidam excitabatur. *Plaut. Truc.* 4. 3. 8. Nisi ad tintinnaculos vultis vos educi viros. *Turneb. l.* 11. *Adversar. c.* 21. scribit, tintinnaculos dictos fuisse carnifices, qui tintinnabula habebant, quibus utebantur in summendis suppliciis. nam qui ad supplicium ducebantur, tintinnabula gerebant, teste *Zonara.*

TINTINNĬĀLA, æ, m. 1. (tintinnio et ala) qui alis suis tinnitum edit. *Vet. Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 5. 14. Culices tintinnialas vocant plebeji a sonitu alarum.

TINTINNĬO *vel* titinnio, is, ire, n. 4. *et*

TINTINNO *vel* titinno, as, are, n. 1. (tinnio) tinnitum edo, tinnio, resono instar tintinnabuli. *Nævius* apud *Fest. p.* 364. 6. *Müll.* Tantum ubi molæ crepitum faciebant, tintinnabant compedes. *Afran. ibid.* et apud *Non. p.* 40. 14. *Merc.* Ostiarii impedimenta titinnire audio. *Nigid.* apud *eumd. ibid.* Itaque ex ære in Saliaribus Albanus tintinnat.

TINTINNUS, i, m. 2. (tinnio) idem ac tintinnabulum. *Venant.* 2. *carm.* 20. 49. Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille, Qui jumentorum colla tenere solet. *Forcellinus* censet esse gen. neutr.

TINTĪNO, as, are, n. 1. (tinnio) idem ac tinnio. *V.* loc. *Catull.* in TINNIO.

TĪNUM, i, n. 2. *V.* TINA.

TĪNUNCŬLUS. *V.* TINNUNCULUS.

TĪNUS, i, f. 2. genus lauri silvestris (*Viburnum Tinus* Linn.). *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (128). Tinus: hanc silvestrem laurum aliqui intelligunt: nonnulli sui generis arborem. Differt colore; est enim ei cærulea bacca. Adde 17. *ibid.* 10. 11. (60). et *Ovid.* 10. *Met.* 98. et 3. *Art. am.* 692., ubi alii leg. *pinus*: ut et apud *Colum.* 9. *R. R.* 4. Sunt qui leg. etiam apud *Virg.* 4. *G.* 112. pro *thymo.* Cf. *Ribbeck* ad *h. l.*

TIPHE, es, f. 1. τίφη, genus frumenti Græcis peculiare, ex quo fit in nostro orbe oryza (*Triticum monococcon* Linn. Cf. tamen *Sprengelium*). *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 29. (81). et *ibid.* 10. 20. (93).

TĪPHȲNUM, i, n. 2. collyrium ex floribus liliaceis, τίφυνος enim Græcis est liliaceus, ut lirinus: a τίφυον, tiphyon, herba coronaria, cujus *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 39. (67). meminit. *Inscript.* apud *Tôchon, Cachets des ocul. p.* 6. M. VLPII HERACLETIS TIPINVM. *Visc. Op. var. T.* 3. *p.* 328. putat, scribendum *tiphinum*, quod est pro *tiphynum.*

TĪPHȲON, ii, n. 2. τίφυον et τὸ ἴφυον, genus floris æstivi, nunc incogniti. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 39. (67). *Sillig.* iphyon.

TIPPŬLA *et rectius* tipula, æ, f. 1. *Riese* apud *Varron. loc. cit.* leg. *tipulla*: sane *Oehlerus* secundam syllabam vult esse longam. Cf. *Plaut. loc. cit.*, ubi *tippulla* leg. *Loewe.* — *Tippulai*, ἀρχαϊκῶς pro *tippulæ*, apud *eumd. loc. cit.* — Tippula est genus insecti sex pedes habentis, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desidat. Ita *Fest. p.* 366. 5. *Müll.*: ita dictum fortasse παρὰ τὰ τίφη; τίφεα enim τὰ ἕλη, ubi versari solet. *Varro* apud *Non. p.* 180. 10. *Merc.* Levis tippula linifici (*al.* lymphon vel lymphων) frigidos transit lacus. — In *Gloss. Lat. Gr.* dicitur et *timulus*, si vera est lectio, et exponitur: ἔφυδρις, ἑξάπουν ἐρικηχόμενον τῷ νώτῳ. — Hinc translate de re levissima. *Plaut. Pers.* 2. 2. 62. Neque tippulæ levius pondus est, quam fides lenonia. *V. Bayle-Barelle Saggio* etc. *p.* 102.

TĪRO, ōnis, m. 3. Sunt quibus placet scribi *tyro*, inter quos est *Manut.* in *Orthogr.* ex vet. Inscript. diligenter a se descripta: quam tamen viri docti spuriam esse contendunt. Ita scribitur etiam apud *Trebell. Poll. Claud.* 16. 2. *P.* Contra in *Inscr.* optimæ notæ apud *Gruter.* 358. 3. PRAEF. CHOR. NOVAE TIRONVM. Adde *alias* apud *eumd.* 152. 4. et 335. 5. et *aliam* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 12., in qua octies *tiro* scribitur. Has sequuntur *Cellar., Voss., Dausqu.,* alii. — De notatione nihil certi afferri potest. *Isid.* 9. *Orig.* 3. 36. Tirones dicuntur fortes pueri, qui ad militiam deliguntur atque armis gerendis habiles exsistunt. Ita *Isid.* Nam ita appellati a τείρω, attero, domo, quia multo labore ad militaria exercitia subiguntur? *Döderlein v.* 6. *p.* 370. cum Gr. τέρην, tener, et Germ. *Dirne*, puera, conjungit. — Tiro est miles novus et rudis militiæ, νεοστράτευτος, ἀπειροπόλεμος (It. *soldato novello;* Fr. *recrue, nouveau soldat;* Hisp. *soldado nuevo ó inexperto, tiron;* Germ. *junger Soldat,* e. *Recrut;* Angl. *novice, new or unpractised soldier*): cui opponitur *vetus miles, veteranus.* Usurpatur autem tum absolute, substantivorum more, tum etiam adjective. ¶ 1. Stricto sensu vel proprie. — *a*) Substantivorum more. *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Altera navis ducentes viginti ex legione tironum sustulerat: altera ex veterana paullo minus ducentis. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 38. Ætas tironum plerumque melior: sed ferre laborem, contemnere vulnus, consuetudo docet. Adde *Liv.* 33. 3., *Auct. B. Afr.* 31. et *Sueton. Tib.* 42. et *Ner.* 19. *Veget.* 3. *Milit.* 9. *a med.* Pro tironibus accipiendi sunt, qui pugnare longo tempore desierint. *Hieronym. Ep.* 125. *n.* 8. Ne miles antequam tiro, ne prius magister sis, quam discipulus. — *b*) Adjective. *Cic.* 7. *Fam.* 3. *ante med.* Signa, tirone et collecticio exercitu, cum legionibus robustissimis contulit. *Id.* 11. *Phil.* 15. 39. Non tam veteranos intuendos vobis arbitror, quam tirones milites. *Auct. B. Afr.* 16. Quid tu, miles tiro, tam feroculus es? *Liv.* 21. 43. *a med.* Pugnantes cum exercitu tirone. — *Tiro proficiscens* inscripta et comœdia *Q. Attæ*, de qua *Priscian.* 8. *p.* 828. *Putsch.* ¶ 2.

Latiore sensu vel translate, extra rem militarem, et quidem sæpius adjective. — *a*) Dicitur quicumque in qualibet arte novus et rudis est, *novizio, inesperto:* et occurrit absolute vel addito ablativo cum præp. *in* aut sine præp. *Cic.* 1. *Orat.* 50. *extr.* Fateor, callidum quemdam hunc et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere. *Id.* 4. *Verr.* 6. *a med.* Tametsi non provinciæ rudis erat et tiro. *Id. Rosc. Am.* 6. *in fin.* Qui quum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 47. Video L. Apulejum, hominem non ætate, sed usu forensi atque exercitatione tironem. *Ovid.* 5. *Art. am.* 565. Ille vetus miles sensim et sapienter amabit Multaque tironi non patienda feret. *Quintil.* 2. 10. 9. In scholis exercitati, tirones in foro. — De gladiatoribus arte rudibus. *Sueton. Cæs.* 26. Tirones gladiatorum. et *Auct. B. Afr.* 71. Tirones gladiatores. *Inscr.* apud *Orelli n.* 2566. Retiarii tirones. — De belluis. *Varro* 1. *R. R.* 20. Ut tironem bovem cum veterano adjungant. imitando enim facilius domatur. — *b*) Præcipue *tiro* dicitur adulescens, quo primum tempore, sumpta virili toga, in forum prodit. *V.* TIROCINIUM. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (194). Quum toga pura tirones induuntur. *Ovid.* 3. *Fast.* 788. Ergo ut tironem celebrare frequentia possit, Visa dies dandæ non aliena togæ. *Sueton. Ner.* 7. Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit. — *c*) Et orator, in foro primum verba facturus. *Seneca* 2. *Excerpt. controv. procem. a med.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

TĪRŌCĬNĬUM, ii, n. 2. (tiro) Priorem syllabam licenter corripuit *Petr. Petroc.* 1. 38. — Tirocinium est primum rudimentum seu experimentum militiæ: et etiam ipsa imperitia novi militis, πρωτοπειρία, μάϑησις (It. *noviziato militare, tirocinio;* Fr. *apprentissage de la guerre, premier service militaire;* Hisp. *tirocinio militar, primero servicio militar;* Germ. *der erste Soldatendienst;* Angl. *military novitiate, first military servicio*). ¶ 1. Stricto sensu seu proprie. — *a*) Abstractorum more. *Auct. B. Afr.* 31. Atque hæc propter exercitus sui præsentis paucitatem et tirocinium præparaverat, non hostium vi et metu commotus. *Flor.* 2. 3. Quotidiani et quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant. *servivano d' istruzione all' inesperienza de' soldati novelli.* Sic *Val. Max.* 5. 4. *n.* 2. Neque illum aut ætatis infirmitas aut militiæ tirocinium aut infelicis prœlii exitus interpellare valuit. — *Tirocinium ponere* vel *deponere*, primum experimentum militiæ dare, militiam addiscere, stipendia mereri incipere, *fare il noviziato militare. Justin.* 12. 4. 6. Constantiores futuri, si non solum tirocinia, verum et incunabula in ipsis castris posuissent. *Id.* 9. 1. 9. Ut sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret. Sic *Cod. Theod.* 7. 20. 12. Tirociniis castrensibus imbui. *et ibid. c.* 11. In tirocinium militiæ offerre. — Hinc translate. *Liv.* 39. 47. Quum senatus simul et tirocinio et perturbatione juvenis moveretur. *Manil.* 1. 188. Lunaque per totidem luces mutatur et orbes, Nec tirocinio peccat. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu et collective, *tirocinium* pro ipsis tironibus, ut *servitium* pro ipsis servis. *Liv.* 40. 35. *ad fin.* Quum contemptum tirocinium etiam mitiores barbaros excitare ad rebellandum possit. ¶ 2. Latiore sensu seu translate, extra rem militarem. — *a*) Universim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (158). Galeria Copiola reducta est in scænam ludis pro salute divi Augusti votivis, annum centesimum quartum agens: quæ producta fuerat tirocinio a M. Pomponio ædili plebis, ante annos nonaginta unum. *per la prima volta.* et *Seneca* 3. *Controv.* 20. Potest tirocinium esse homicidium, parricidium non potest. — *b*) *Tirocinium fori* dicebatur, quum primum in forum adulescentes, sumpta virili toga, deducebantur, ut publice versari et agere cum populo inciperent: et *tirocinium eloquentiæ*, quum oratores futuri oratoriæ arti et agendis causis initiabantur. *Sueton. Aug.* 26. Ut Cajum et Lucium filios, amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. *Id. Tib.* 54. Neronem et Drusum patribus commendavit diemque utriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit. *Id. Cal.* 10. Uno eodemque die togam sumpsit barbamque posuit, sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus. *Liv.* 45. 37. Si in L. Paulo accusando tirocinium ponere et documentum eloquentiæ dare voluit. — *c*) *Tirocinium navium*, quum primum mari committuntur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 7. 26. (41). Zopissam eradi navibus, diximus, cera marino sale macerata. optima hæc a tirocinio navium.

TĪRŌNĀTUS, us, m. 4. (tiro) ¶ 1. Est tirocinium. *Impp. Honor. et Teodos. Cod. Theod.* 7. 13. 21. Tempore tironatus eorum procuratores, qui refugas occultandos putaverint, in judicio præsententur. ¶ 2. Et rudimentum. *Gloss. Isid.* et *Gloss. Paris. p.* 284. *n.* 80.

TĪRŌNĪCO et tironizo, as, are, n. 1. (tiro) tironem ago. *Gloss. Isid.* Tironicare, militare. *Gloss. Pith.* Tironizare, militare.

TĪRŌNIZO. *V.* voc. præced.

TIRSOS. *V.* THYRSUS.

TĪRŎTĀRĪCUS. *V.* TYROTARICHUS.

TĪRUNCŬLA, æ, f. 1. (tirunculus) quæ in arte aliqua adhuc rudis est, nova, adulescens. *Hieronym. Ep.* 31. *n.* 14. Saluta Blæsillam et Eustochium, tirunculas nostras. — Hinc translate. *Colum.* 7. *R. R.* 12. *ad fin. de cane.* Quoniam tiruncula nec recte nutrit, et educatio totius habitus aufert incrementum. *h. e.* quæ primum peperit.

TĪRUNCŬLUS, i, m. 2. deminut. a *tiro*, juvenculus rudis in militia. Cum substantivis aut absolute adhibetur. ¶ 1. Stricto sensu seu proprie. *Sueton. Ner.* 21. *in fin.* Tirunculus miles. Cf. *Hieronym. Vit. Hilarion. n.* 5. Tirunculus Christi. ¶ 2. Latiore sensu seu translate, est rudis in alia re quapiam. *Seneca Ep.* 108. *a med.* Ut probarem tibi, quam vehementes haberent tirunculi impetus primos ad optima quæque. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *sub init.* Villicum familiæ præponi convenit ætatis nec primæ nec ultimæ. nam servitia sic tirunculum contemnunt, ut senem. *Plin.* 3. *Ep.* 6. Quod me, quamquam tirunculum, sollicitavit ad emendum. *h. e.* rudem in cognitione signorum. *Juvenal.* 11. 142. Nec frustum capreæ subducere nec latus Afræ Novit avis noster tirunculus. *h. e.* rudis servulus.

TIS pro Tui. *V.* TU.

TĪSĀNA. *V.* PTISANA.

TĪSĀNĀRĬUM. *V.* PTISANARIUM.

TISRI. *V.* THISRI.

TĪTĀNŎMĂCHĬA, æ, f. 1. τιτανομαχία, pugna Titanum adversus Jovem, de quibus *V.* ONOM. *Hygin. fab.* 150. in *lemmate.*

TĪTHȲMĂLIS, ĭdis, f. 3. *et*

TĪTHȲMĂLON, i, n. 2. *et*

TĪTHYMĂLOS vel

TĪTHȲMĂLUS, i, m. *et* f. 2. (τιϑύμαλος vel τιϑύμαλλος et τιϑυμαλίς) ¶ 1. Est genus quoddam plantæ, quam Latini herbam lactariam appellant, alii lactucam caprinam (marinam dicunt *Cels.* 5. 7. et *Apul. Herb.* 108.) narrantque, lacte ejus inscripto corpore, quum inaruerit, si cinis inspergatur, apparere litteras: *titimaglio* (*Euphorbia* Linn.). Genera ejus multa, quæ enumerat ac describit *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 39. et *seqq.* simulque singulorum vires et utilitates in medicina. Eorum unum appellatione feminina *tithymalis, idis,* τιϑυμαλίς, dicitur. *Id. ibid.* 41. *Seren. Sammon.* 46. 841. Aut tithymallus atrox vulnus contrita perungit. *et* 64. 1106. Et tithymallus item tali satis apta medelæ. ¶ 2. Est etiam genus papaveris. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 19. 80. (209). Tertium (*papaverum*) genus est tithymalon. – merona vocant, alii paralion. ¶ 3. Et pityusam in tithymali genere quidam numerant, ut ait *id.* 24. *ibid.* 6. 21. (31). *V.* PITYUSA.

TĪTĪENSIS clangor, idest sonitus cum tumultu, ut exponit *Gloss. Isid.*, fortasse dictus a Titiis avibus, quarum tumultuosum sonitum augures ita appellasse videntur. *V.* TITIUS et TITIENSIS in ONOM.

TĪTILLĀMENTUM, i, n. 2. (titillo) idem ac titillatio. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 18. Tantalus, cui fallax aqua gulosis labia titillamentis attingit.

TĪTILLANS, antis, particip. *V.* TITILLO.

TĪTILLĀTĬO (titillacio), ōnis, f. 3. (titillo) actus titillandi, γαργαλισμός (It. *solletico, titillamento;* Fr. *chatouillement;* Hisp. *cosquilla;* Germ. *das Kitzeln;* Angl. *a tickling*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. *a med.* At has leviores ducis voluptates, quibus quasi titillatio (Epicuri enim hoc verbum) sensibus adhibetur. *Id. Senect.* 14. 47. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. *Hieronym. Ep.* 52. *n.* 3. Adulescentia inter incentiva vitiorum et carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus, suffocatur.

TĪTILLĀTUS, a, um, particip. *V.* TITILLO.

TĪTILLĀTUS, us, m. 4. (titillo) titillatio. In sexto casu sing. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 77. (198). de *membrana præcordiorum, h. e. sæpto transverso.* In eadem præcipua hilaritatis sedes: quod titillatu maxime intelligitur alarum. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 6. 26. et 2. *Tard.* 7. 29. et *signif. diæt. pass.* 75. et 92.

TĪTILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Est a Gr. τίλλω, vello seu vellico, priore syllaba nam ex levi vellicatione sive tractatione nit titillatio. — Part. *Titillans* II.; *Titi* et II. — Titillo est levi attrectatione alarum aliarumque mollium corporis partium risum cuipiam movere, γαργαλίζω (It. *solleticare, dileticare, titillare;* Fr. *chatouiller;* Hisp. *cosquillar;* Germ. *kitzeln;* Angl. *to tickle*).

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 429. quæ Titillare magis sensus, quam lædere possunt. *h. e.* quæ nec omnino lævia sunt nec omnino aspera, sed angellis paullum prostantibus. *Auson. Epigr.* 108. 16. Titillata brevi quum jam sub fine voluptas Fervet et ingesto peragit ludibria morsu. *Tertull. Pudic.* 22. *a med.* Mulier titillatam prosternens carnem. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. *med. Veget.* 3. *Veter.* 38. Nares quoque titillabis, ut frequentius sternutet, quo facto statim exhilaratur.

II.) Translate accipitur pro commovere, provocare, blandiri. *Cic.* 1. *Fin.* 11. *ad fin.* Nam si ea sola voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate afflueret. *Id.* 2. *Off.* 18. *a med.* Multitudinis levitatem voluptate quasi titillantes. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 179. Præterea ne vos titillet gloria. *Hieronym. in Eccl. c.* 10. Si titillaverit mentem tuam diabolus et ad libidinem concitaverit, ne sequaris cogitationem pessimam. *Capell.* 2. *p.* 42. Femina nulla prorsus invidia titillata.

TĪTILLŌSUS, a, um, adject. (titillus) titillationem habens. *Gloss. Labb.* Γάργαλον ἔχων, titillosus.

TĪTILLUS, i, m. 2. (titillo) idem ac titillatio. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 8. 5. 2. Flagrum, cujus in cuspide infixus brevis aculeus pigrescentes artus (*animalis publici*) innoxio titillo poterit admonere.

TITINNĀBŬLUM. *V.* TINTINNABULUM.

TITINNĪO, is, *et*

TITINNO, as. *V.* TINTINNIO.

TĪTĬO, ōnis, m. 3. Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Skr. *titha*, ignis, a *tith*, urere; unde fortasse et *Titan*. V. ONOM. — Titio est lignum adustum, quod ab igne extrahitur, δαλός (It. *tizzone, tizzo;* Fr. *tison, brandon;* Hisp. *tizon;* Germ. *e. Feuerbrand;* Angl. *a fire-brand*).

I.) Proprie. *Lactant.* 4. 14. *a med.* Titionem vulgus appellat extractum foco torrem semiustum et extinctum. *exstinctum* intellige sine flamma. nam sive ignem habeat sive non, titio est. Sic *Hieronym.* in *Zach.* 3. apud *Isid.* 17. *Orig.* 6. 27. *Varro* apud *Non. p.* 182. 21. *et p.* 302. 7. *Merc.* A novo marito quum item e foco in titione ex felici arbore ignis et in aquali aqua allata esset. *Cels.* 2. 17. Exstincti titiones involutique panniculis. *Apul.* 7. *Met. in fin.* Ardentem titionem gerens. Adde *Hygin. fab.* 171.

II.) Translate. *Vulg. interpr. Is.* 7. 4. Cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum, *sc.* regum Israelis et Syriæ. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

TĪTĬO, as, are, n. 1. garrio, *garrire, cinguettare. Sueton. fragm.* 161. *p.* 254. *Reiff.* et *Anthol. Lat.* 762. 30. *Riese.*

TĪTĬUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* titius, parvus titius seu species avis ex genere accipitrum. *Gloss. Cyrill.* Κεγχρίς, εἶδος ἱέρακος μικροῦ, titiunculus. — Non eadem est quæ *miliaria volucris* apud *Varron.* 5. *L. L.* 76. *Müll.* Cf. *Quicherat* ad *h. v.* et *Du Cange* in v. *Pipiones.*

TĪTĬUS, a, um, adject. *et*

TĪTĬUS, ii, m. 2. ¶ 1. Est nomen avis ex iis, quas *titos* vocat *Isid.* 12. *Orig.* 7. 62., ex genere columbarum silvestrium. *Varro* 5. *L. L.* 85. *Müll.* Sodales Titii dicti a titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent. *Isid. loc. cit.* Palumbes eo quod sint partæ pabulo, quas vulgo titos vocant, avis casta etc. At *Serv.*, ex quo hæc sumpsit *Isid.*, ad *Virg.* 1. *Ecl.* 58. *tetas* vulgo appellari dicit. ¶ 2. Est etiam nomen cujusdam incompositæ saltationis et gesticulationis. *Cic. Brut.* 62. *ad fin.* Sex. Titius homo - tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. — *V.* plura in ONOM. ad *h. v.*

TĪTĪVILLĪTĬUM (titivillicium), ii, n. 2. Vox est nullius significationis, inquit *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 366. 13. *Müll.*, ut apud Græcos βλίτυρι et σκινδαψός. At *Fulgent. De prisco serm. n.* 20. Titivillitium dici voluerunt fila putride, quæ de telis cadunt, *le filaccia:* quasi textivillitium, a *texo* et *villus. Döderlein* vero putat esse vocem hybridam, a τιτθός, parvus, et *villus. Plaut. Cas.* 2. 5. 39. Non ego istuc verbum emissim (*empsitem* habet *Fest.*) titivillitio. *M. Cornutus* apud *Fulgent. ibid.* Titivilles, Flacce, do tibi. *Gronovius* compositam vocem putat ex *Titi*, nomine proprio pastoris vel caprarii, qui ex ovibus vel capris male curatis *villitium*, h. e. villos, pro lana colligere solitus esset: mox apud *M. Cornutum* legit *Titi villos* pro *Titivilles.*

TITLUS et

TĪTŎLUS. *V.* TITULUS.

TITOTHOS, nomen cyclaminis apud *Apul. Herb.* 17. Alii leg. *circularis.*

TĪTŬBANS, antis, particip. *V.* TITUBO.

TĪTŬBANTER, adverb. (titubo) titubando, titubantis more, *vacillando, titubando,* παραφόρως, δολερῶς.

I.) Proprie. *Ammian.* 24. 4. 28. Lapis, quem artifex titubanter aptaverat fundæ.

II.) Translate est inconstanter, incerte. *Cic. Cœl.* 7. 15. Posuistis enim, atque id tamen titubanter et strictim, conjurationis hunc propter amicitiam Catilinæ participem fuisse. *Id.* 4. *Herenn.* 41. 53. Titubanter et inconstanter de aliqua re loqui. Adde *Augustin. Ep.* 117. *n.* 17.

TĪTŬBANTĬA, æ, f. 1. (titubo) idem ac titubatio.

I.) Proprie. *Sueton. Vitell.* 6. De hac tulit marem titubantia oris prope mutum et elinguem. *Id. Claud.* 30. Titubantia linguæ. *balbuzie.*

II.) Translate. *Ambros.* 1. *De Cain et Ab.* 5. *n.* 19. Sed hæc ebrietas sobrios facit-lætitiam generat, non titubantiam. Adde *Jul. Val.* 1. 20.

TĪTŬBĀTĬO, ōnis, f. 3. (titubo) actus titubandi (It. *titubazione, vacillamento;* Fr. *balancement;* Hisp. *bamboleo, vacilacion;* Germ. *das Wanken;* Angl. *a stumbling*).

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 95. In ipsa ebrietate titubatio. *Macrob.* 7. *Saturn.* 6. *circa med.* Titubatio linguæ.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Herenn.* 8. *in fin.* Ut ne parvula quidem titubatione aut offensione impediremur. et 2. *Invent.* 2. 41. Ut metus, lætitia, titubatio. Adde *Augustin. serm.* 43. *n.* 3. et *Cassiod.* 3. *Hist. Eccl.* 7. *ad fin.*

TĪTŬBĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TĪTŬBO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Etymon vocis incertum est. Cf. tamen *Döderlein Lat. Syn. v.* 3. *p.* 60. et *v.* 6. *p.* 370. — Part. *Titubans* I. *a* et II. 1.; *Titubatus* I. *b* et II. 2. *b.* — Titubo est instabilis sum, insistere nequeo, trepido, subinde hæreo, vacillo: et proprie de pedibus et lingua dicitur, παραφέρομαι, πταίω, σφάλλομαι (It. *vacillare, titubare;* Fr. *chanceler;* Hisp. *bambolear, vacilar;* Germ. *wanken, taumeln;* Angl. *to stumble, stagger*): usurpatur autem fere intransitive; aliquando etiam transitivorum more.

I.) Proprie. — *a*) Intransitive. *Cic.* 2. *Herenn.* 5. 8. Erubuisse, expalluisse, titubasse adversarium. *Ovid.* 3. *Met.* 608. Ille mero somnoque gravis titubare videtur Vixque sequi. *Id.* 4. *ibid.* 26. titubantes ebrius artus Sustinet. *Id.* 11. *ibid.* 90. titubantem annisque meroque Ruricolæ cepere. *Id.* 6. *Fast.* 677. valido titubantia vino Membra movent: dubii stantque labantque pedes. *Phædr.* 4. 14. irrigatus multo venas nectare, Sero domum est reversus titubanti pede. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 2. Solida contignatio fiat, ne gradus ambulantium tremorem fabricæ titubantis excutiat. *Mamertin. Pan. Julian.* 6. Titubantes senes. *Cassiod.* 10. *Variar.* 30. Comperimus elephantes aeneos, in via sacra, vicina omnimodis ruina titubare. *Seneca Herc. Œt.* 1599. lassus an pondus titubavit Atlas? *h. e.* quod attinet ád pondus. ἀλγησμός. — De lingua. *Ovid.* 1. *art. am.* 597. Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit. Fac, titubet blæso subdola lingua sono. *Cic. Flacc.* 10. 22. Testes, si verbo titubarint, quo revertantur, non habebunt. *Id. Cœl.* 28. 66. Quæro, cur Licinium titubantem, hæsitantem, cedentem, fugere conantem mulieraria manus ista de manibus emiserit? — *b*) Transitivorum more et passive. *Virg.* 5. *Æn.* 331. Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso Haud tenuit titubata solo. φέλλισμα.

II.) Translate. ¶ 1. Est animo hærere, incertum esse, trepidare, dubitare, *esitare, dubitare, vacillare. Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 43. Lacrumans titubanti animo, corde et pectore. *Id. Pseud.* 4. 1. 32. Vide ne titubes. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 13. 19. cave, ne titubes mandataque frangas. *Nepos Eumen.* 9. Hic omnibus titubantibus et de rebus summis desperantibus, Eumenes ait etc. — *Seneca Med.* 937. Quid, anime, titubas? *che dubiti?* ¶ 2. Est etiam labi, errare, *inciampare, fallare, errare.* — *a*) Cum Acc. communi. *Ter. Heaut.* 2. 3. 120. Verum illa ne quid titubet. — *b*) Passive. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 70. Ne quid, ubi miles venerit, titubetur. *Cic.* 12. *Fam.* 10. 2. Si quid forte titubatum est. — Impersonaliter. *Id.* 3. *Orat.* 50. 192. Versus æque prima et media et extrema pars attenditur: qui debilitatur, in quacumque sit parte titubatum.

Homonym. Differunt *titubare, nutare* et *vacillare;* etenim *titubat*, qui pedibus non potest insistere, quales sunt ebrii, infirmi, grandes nato vulnerati: *nutat* male solidata moles, quæ ruinam minatur: *vacillat*, qui alterno motu inconstans est. Ita *Popma.* Promiscue tamen quoque usurpantur. *Apul.* 5. *Met.* Ab isto titubante et sæpius vacillante vestigio. Cf. *Cic. Brut.* 60. 216. Quum ex eo (*Curione*) in utramque partem toto corpore vacillante quæsivit. Translate *Seneca Ep.* 114. Rex noster est animus: hoc incolumi, cetera manent in officio: quum ille paullum vacillaverit, simul nutant. Cf. et *Döderlein op. cit. v.* 3. *p.* 59. et *seqq.*

TĪTŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (titulo) actus titulandi seu titulum indendi, *intitolazione. Oros. De arb. lib.* 11. In libro tuo, quem testimoniorum titulatione signasti etc.

TĪTŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TĪTŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (titulus) Part. *Titulatus.* — Titulo est titulum seu nomen indere, titulo insignire (It. *intitolare, denominare, chiamare;* Fr. *nommer, intituler;* Hisp. *nombrar, intitular;* Germ. *tituliren, benennen;* Angl. *to entitle, call*). ¶ 1. Generatim. *Pompon.* apud *Non. p.* 19. 16. *Merc.* Mulier ubi aspexit tam mirifice titulatam truam. *V.* TRUA. *Tertull. advers. Jud.* 9. *circa med.* Magos quoque Samaritanorum appellatione titulavit. *Alii* tutulavit. *Id. Anim.* 13. Animæ nomine totius hominis mentio titulata est. *Id. carm. de Judic. Dom.* 2. Et vernas roseis titulabit floribus auras. *h. e.* ornabit et quasi titulo insignes faciet. *Capell.* 1. *p.* 15. *ad fin.* Licet per zodiacum tractum nonnulli (*dii*) singulas vel binas domos animalibus titularint. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 459. Magnarum gemmarum elencho, quos et titulatos appellant. *V.* ELENCHUS. ¶ 2. Speciatim est titulum sepulcro inscribere. *Inscript.* apud *Rénier n.* 1753. D. M. S. OCTAVIA DATIVA CONIVX VIXIT ANNIS LXXX. IVLIVS VICTOR FILIVS COLLOCAVIT ET TITVLAVIT.

TĪTŬLUM. *V.* voc. seq.

TĪTŬLUS, i, m. 2. — *a*) Scribitur satis varie, ut *titelus* in *Inscr.* apud *Perret Catac. de Rome p.* 170. *n.* 41.; *tetulus* apud *De-Rossi Inscr. Chr.* 491. et *Bruzza Iscr. Vercell. p.* 272.; *titolus* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 914. et apud *Le Blant Inscr. Chrét. de la Gaule n.* 480. — *Titlus* syncop. habet *Orelli Inscr. n.* 4409. Cf. τίτλος apud *Joh.* 19. 19. et 20., *sc.* inscriptio dominicæ cruci affixa. — *b*) *Titulum* neutr. gen. occurrit apud *Fabretti Inscr. p.* 8. *n.* XLVII. AMPHIO MI FRATER HOC TITVLVM POSVIT. Adde *Orelli Inscr. n.* 2754. et *Henzen Inscr. n.* 6293. Cf. etiam *Gloss. Paris. p.* 284. *n.* 85. — *c*) Ratione habita etymi, factum putant a τίω, honoro, unde τιτός, honoratus, quia honor et pretium suum rebus a titulo accedit. Ita *Corssen* et *Vaniček* cum *Forcellino;* aliter vero *Döderlein.* — Titulus

*A*) Est inscriptio, nota, index, elogium, quo res dignoscitur, et quid valeat, contineat, cujus sit, cur facta sit, monstratur, ut titulus sepulcri, ædium, libri, statuæ, picturæ et hujusmodi, ἐπιγραφή, χαρακτήρ (It. *iscrizione, soprascrizione, titolo;* Fr. *inscription, écriteau, titre;* Hisp. *inscripcion, titulo;* Germ. *der Titel, die Ueberschrift;* Angl. *an inscription, title*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — 1.°) Generatim. *Propert.* 4. 5. 51. Aut quorum titulus per barbara colla pependit. *h. e.* servi venales, qui præferebant tabellam indicantem, quid valerent, quo vitio laborarent et hujusmodi, ut cautum fuit edicto ædilicio, quod *Gell.* 4. 2. recitat. Sic *Reposian. Concub.* 11. Gestet amans Mavors titulos et vincula portet. *Ovid.* 9. *Met.* 791. dant munera templis: Addunt et titulum: titulus breve carmen habebat. *Id.* 4. *Trist.* 2. 20. Ergo omnis poterit populus spectare triumphos: Cumque ducum titulis oppida capta leget. *Id. Remed. am.* 1. Legerat hujus Amor titulum nomenque libelli. *Id.* 5. *Trist.* 9. 32. Ire per titulum vetiti nominis. *Liv.* 6. 4. Cum titulo nominis. *Id.* 23. 19. Titulum inscribere lamnæ. *Id.* 28. 46. *in fin.* Aram condidit dedicavitque cum ingenti rerum a se gestarum titulo. *Colum.* 9. *præf.* 2. Tituli, quem scripsimus huic disputationi, ratio reddita est. *Quintil.* 2. 14. 4. Ipsis librorum titulis. *Plin.* 5. *Ep.* 13. Materiam ex titulo cognosces, cetera liber explicabit. *Sueton. Domit.* 5. Plurima et amplissima opera incendio absumpta restituit: sed omnia sub titulo tantum suo ac sine ulla pristini auctoris memoria. *Id. ibid.* 10. Patremfamilias detractum e spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: Impie locutus parmularius. *h. e.* elogio. *Martial.* 13. 3. Addita per titulos sua nomina rebus habebis. *h. e.* lemmata. *Juvenal.* 5. 34. (*vinum*) cujus patriam titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testæ. *h. e.* pittacium. *Tertull. Apolog.* 48. Titulus Pythiæ. *h. e.* inscriptio Delphis ad fores Apollinis: γνῶθι σεαυτόν. *Turn. fragm.* apud *Wernsd. v.* 3. *p.* 79. pudor exstinctus doctæque infamia turbæ Sub titulo prostant. *sc.* quasi meretrices et prostibulæ, in quarum cellis præscriptus erat nomen et stupri pretium. *Id.* 6. 123. titulum mentita Lyciscæ. *h. e.* proscribens in foribus fornicis, illic prostare Lyciscam, quum esset Messalina. — 2.°) Speciatim dicitur de ædibus conducticiis aut venalibus, *l'appigionasi od affisso di locazione od avviso di vendita,* et *Plin.* 7. *Ep.* 27. *ante med.* Domus proscribebatur, seu quis emere seu quis conducere vellet. Venit Athenodorus, legit titulum au-

ditoque pretio etc. *l' appigionasi.* et *Ovid. Remed. am.* 301. nec ea contenta rapina, Sub titulum nostros misit avara lares. *h. e.* coegit me ædes venales proscribere proposito titulo, *scil.* tabella, qua pretium indicabatur. Sic *Tibull.* 2. 2. 4. 53. Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas, Ite sub imperium sub titulumque lares. — Hinc translate. *Ovid.* 2. *Art. am.* 625. At nos nocturnis titulos imponimus actis. *h. e.* quasi adjecto titulo omnibus noscenda proponimus. *gli facciamo sapere a tutti.* — 3.°) Item de epigraphe sepulcrali, *epitafio. Plin.* 6. *Ep.* 10. Post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine jacere. *Id.* 9. *Ep.* 19. Victuri nominis famam supremis etiam titulis prorogare. *Juvenal.* 6. 239. titulo res digna sepulcri. Adde *Stat.* 3. *Theb.* 156. *Inscript.* apud *Murat.* 863. 1. D. VALER. PASTOR EQ. PVBL. HERES TITVLVM FECIT. (in hac et in sequentib. potest significare etiam ipsum sepulcrum cum titulo: quod et in aliis lapidib. non paucis observavi.) *Alia* apud *eumd.* 856. 2. EGO FILIIS TITVLVM POSVI QVOD MEI MIHI FILII DEBVERVNT. *Alia ibid.* 913. 4. FLAVIA NICE CONIVNX B. M. TITVLVM CVM VALVIS AENEIS D. S. P. — Huc pertinet formula *titulo usus*, quæ legitur in aliquot vetustis lapidibus, quæque idem significat atque illæ *titulo honoris usus* (*Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 145. 1.) vel *honore usus impensam remisit* (*Alia* apud *eumd.* 422. 1.) vel *honore decreti usus impendium remisit et statuam de suo posuit* (*Alia* apud *Gruter.* 445. 6.) vel *honore contentus sumptibus publicis pepercit* (*Alia* apud *eumd.* 417. 6. et *Orelli n.* 4039.). Hisce vero formulis indicatur is, qui inscriptionem lapidi apposuit, usus quidem fuisse causa et facultate statuæ in sui alteriusve honorem erigendæ, remisso tamen civitati vel collegio, cujus jussu ea posita est, impendio sibique tantum reservato. *Inscript.* apud *Gruter.* 458. 8. L. POSTVMIO P. F. FAB. FVSCINO EQ. PVBL. PONTIFICI ORDO PIISSIMVS FVNVS PVBLICVM ET STATVAM EQVESTREM AVRATAM DECREVIT P. POSTVMIVS MARIANVS CVRATOR REIPVBL. AVGVSTAN. TAVR. PATER TITVLO VSVS. *Alia* apud *eumd.* 1091. 11. BEDVSIAE Q. F. IVSTAE COLLEGIA FABR. ET CENTONARIOR. Q. LVCRETIVS AMIANVS MARITVS TITVLO VSVS. *et* 322. 1. AEMILIAE C. F. AEQVAE SACERD. DIVAE PLOTINAE COLL. CENT. TITVLO VSA. *et* 390. 7. C. CLAVDIO C. F. FAB. SABINIANO EQVO PVBLICO COLLEGIA FABR. ET CENT. TITVLO VSVS. *et* 419. 7. PIETATI HOSTILIAE HOSTILIANAE VI. VIR. AVG. SOCII PRIMAE BENEMERENTI T. V. *h. e.* titulo usæ. *Alia* apud *Don. cl.* 9. *n.* 10. L. ANTESTIO L. F. FAB. SABINO EQVO PVBLICO VI. VIR. QVINQ. PATRONO COLLEG. FABR. TITVLO VSVS. Rem porro conficiunt binæ *Inscript.* apud *Gruter.* 471. 1. et 2., in quarum quidem prima *P. Statio P. F. Fab. Paullo Postumio juniori* etc. mox additur *titulo usus D. D.;* in altera eidem *P. Statio P. F. Fab. Paullo* etc. additur *P. Cominius Aufilenus Minicianus optimo ac rarissimæ fidei amico.* Ex his evincitur, priorem quidem statuam cum inscriptione positam fuisse P. Statio ex decreto decurionum, cujus tamen impensam ipse P. Statius decurionibus remisit ac de suo solvit; alteram vero eidem P. Statio a P. Cominio et ipsius Cominii impensis, statutam fuisse. V. *Labus Ant. mon. Bresc. p.* 45. — Hinc per synecdochen ponitur pro ipso sepulcro. *Inscr.* apud *Orelli n.* 5048. SI QVIS EIVS TITVLVM ADVLTERAVERIT (*sic*) ALIENIGENVM CORPVS AVT OSSA AVT CINERES IN HOC MONVM. INFERRE VOLENS - DARE DEBEAT etc. Adde *aliam* apud *Le Blant loc.* supra *cit.* — 4.°) Est etiam index, summarium ejus, quod singulo uberioris scripturæ capite continetur. *Cod. Theod.* 1. 1. 5. Si, capitulis diversis expressis, ad plures titulos constitutio una pertineat. Cf. *Tertull. Pudic.* 5. Nullum aliud in talibus titulis firmandis monendisque substruxit præceptum. *h. e.* legis divinæ capitibus. ¶ 2. Latiore sensu. — 1.°) Dicitur de brevi scriptura aut voce indicante honores, magistratus, res gestas, quibus homo clarus habetur et nobilis: hinc etiam translate de ipsis honoribus, *titoli, dignità, imprese. Cic. Pis.* 9. 19. Qui tamquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. *Horat.* 4. *Od.* 14. 1. Quæ cura patrum quæve Quiritium Plenis honorum muneribus tuas, Auguste, virtutes in ævum Per titulos memoresque fastos Æternet? *Tibull.* 4. 1. 33. At tua non titulus capiet sub nomine facta: Æterno sed erunt tibi magna volumina versu. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 17. Qui stupet in titulis et imaginibus. *Propert.* 4. 11. 32. Et domus est titulis utraque fulta suis. *Lucan.* 8. 73. Femina tantorum titulis insignis avorum. *Ovid.* 2. *Fast.* 15. At tua prosequimur studioso pectore, Cæsar, Nomina, per titulos ingredimurque tuos. *et* 1. *ibid.* 601. quidam celebres aut torquis ademptæ Aut corvi titulos auxiliaris habent. h. e. *Torquati* aut *Corvini* cognomen habent. *Id.* 7. *Met.* 56. Magna sequar: titulum servatæ puppis Achivæ etc. *Juvenal.* 11. 86. Cognatorum aliquis titulo, ter consulis atque Castrorum imperiis et dictatoris honore Functus. *Id.* 8. 240. Tantum igitur muros intra toga contulit illi Nominis et tituli. De *Cicerone* loquitur, quem Roma *patrem patriæ* dixit. *Auct. Carm.* ad *Pison.* 33. *Wernsd.* majorum, juvenis facunde, tuorum Scande super titulos. *Ovid.* 4. *Met.* 643. Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro Arbor: et hunc prædæ titulum Jove natus habebit. *avrà l' onore o 'l vanto.* et *Liv.* 28. 40. Et sicut penes C. Lutatium Punici perpetrati belli titulus fuit, *ita* penes te hujus fuerit. *Ovid. Heroid.* 7. 75. Nec mihi parcatur: puero parcatur Iulo. Te satis est titulum mortis habere meæ. *Id.* 1. *Trist.* 1. 53. tituli tangebar amore. Sic *Maximian. Eleg.* 1. 12. Et veros titulos res mihi ficta dabat. *h. e.* laudem, honorem, famam. *Inscr.* apud *Gruter.* 417. 6. et *Orelli n.* 4039. ET DIGNITATIS TVAE TOT TANTIQVE TITVLI IVDICIIS PRINCIPALIBVS PVLCHRI etc. — Ironia est in illo *Ovid.* 6. *Fast.* 190. *de T. Manlio.* Vixit, ut occideret damnatus crimine regni: Hunc illi titulum longa senecta dabat. — 2.°) Similiter de nobilitate, claro sanguine, dignitate, *nobiltà. Stat.* 2. *Silv.* 7. 62. Tu castæ titulum decusque Pollæ Jucunda dabis allocutione. — 3.°) Est etiam nomen, appellatio. *Cic.* 5. *Tusc.* 10. 30. Dicant, semper beatum esse sapientem. Quod si titulus hic delectat, insignis et pulcher, Pythagora, Socrate, Platone dignissimus, inducant animum etc. *Ovid. Heroid.* 6. 100. titulo conjugis uxor obest. *Justin.* 12. 11. 2. Insignis hæc munificentia non summa tantum, verum etiam titulo muneris fuit. — 4.°) Hinc apud Ecclesiasticos scriptores, *tituli* sunt oratoria vel ædes sacræ, quibus presbyter aliquis assignatur ad sacra peragenda, quæque præcipue a nomine possessorum seu fundatorum: vel Sancti, cui sunt dicatæ: vel denique a signo fiscali ita appellantur, quod in ædibus non sacris fisco addicendis erat velum et in sacris crux. (V. *Macri Hierolex.* ad *h. v.*) *Symmach.* 10. *Ep.* 74. — 5.°) Denique tabella, ubi scripta erat causa, ob quam quis capite damnabatur. *Vulg. interpr. Joh.* 19. 19. Cf. *Euseb. l.* 5. *c.* 1.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est index, signum, monumentum. *Petron. Sat.* 55. Ciconia, avis exsul hiemis, titulus tepidi temporis. *Vulg. interpr. Gen.* 28. 18. Jacob tulit lapidem et erexit in titulum. *h. e.* memoriam, monumentum. Adde 2. *Reg.* 18. 18. ¶ 2. Speciatim est causa, prætextus, species, *cagione, titolo, specie, pretesto, colore:* occurrit autem tum in bonam tum in malam partem. *Liv.* 36. 17. *ad fin.* Illud proponere animo vestro debetis, non vos pro Græciæ libertate tantum dimicare: quamquam is quoque egregius titulus esset etc. *Id.* 37. 54. Licet vobis meminisse, quem titulum prætenderitis adversus Philippum belli. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 212. prudens scelus ob titulos admitti inanes. *Vellej.* 2. 45. 4. Clodius sub honorificentissimo ministerii titulo M. Catonem a republica relegavit. *Plin.* 2. *Ep.* 11. *sub fin.* Ipse probabitur accepisse sestertium decem milia, fœdissimo quidem titulo, nomine unguentarii. qui titulus a vita hominis compti semper et pumicati non abhorrebat. *Justin.* 5. 1. 8. Et erat hic quidem titulus cum Græcis coeundi, re autem timebat, ne etc. *Id.* 9. 7. *a med.* Olympias, audita regis nece, quum titulo officii ad exsequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniæ capiti coronam auream imposuit. *Id.* 3. 3. Statim, titulo ferendi sociis auxilii, bellum adversus Philippum decernitur. — Hinc apud JCtos est causa, jus, puta adquirendi. *Cod. Theod.* 8. 19. 1. Quocumque titulo vel jure conferre. *et* 9. 9. 5. *de præscr.* Cui error causam possessionis, sine vero titulo, præstitit. ¶ 3. Item, sequiore præsertim ætate, est brevis fossa, brevitate tituli sic dicta, ut exponit *Hygin. Grom. p.* 16. *col.* 2. Egressu pedibus exterius sexaginta per latitudinem portarum similiter fossa fiet, quæ propter brevitatem titulus cognominata est. ¶ 4. Item terminus. *Auct. var. de term. p.* 364. 3. *Lachm.-Rud.* Aliosque finales titulos sine nostris signis in agris posuimus. ¶ 5. *Titulus fiscalis* est vectigal, tributum fisco debitum. *Edict. Theod. reg.* 144. Susceptores fiscalium titulorum. *Cassiod.* 4. *Variar.* 25. Titulus siliquatici. *Inscr.* apud *Gruter.* 647. 7. Titulus canonicus vinarius. Cf. *Cod. Theod.* 4. 12. 7. Personalia debita - generales tituli. — *Titulus largitionalis*, sc. ad largitiones seu fiscum principis pertinens. *Impp. Valentinian.* et *Valens Cod. Theod.* 1. 15. 9. atque hinc *Comites largitionalium titulorum, ibid.* 1. 5. 12., qui et simplicius *Comites titulorum* vocantur, *ibid.* 1. 10. 8., videntur esse, qui, alibi *Comites largitionum*, per omnes provincias mittebantur. V. *Interpr.* ad *Cod. Theod.* et *Dirksen* ad *h. v.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

*B) Tituli* ¶ 1. Milites appellantur, quasi tutuli, quod patriam tueantur: unde et Titi prænomen ortum est. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 366. 9. *Müll.* ¶ 2. Sunt etiam pilei sacerdotales. *Tertull. Pall.* 4. Superque omnes apices et titulos sacerdos etc. Alii leg. *tutulos;* unde apud *Varron.* 7. *L. L.* 44. *Müll.* sacerdotes tutulati. *Turneb. Adv.* 26. 10. Tutulus pallium erat, quo sacerdotes ad sacra accessuri caput tegebant tutabanturque. *V.* TUTULUS.

TITUMEN n. indecl. nomen herbæ artemisiæ apud Gallos, ut docet *Apul. Herb.* 11.

TĪTUS, i, m. 2. nomen avis, quæ et *tela* et *titius* dicitur. *V.* TITIUS. Cf. *Scholiast.* ad illud *Pers.* 1. 20. *Ingentes trepidare Titos.* Item: συνεκδοχικῶς autem *Titos*, Scholasticos (*vocat*), quod sint vagi neque uno magistro contenti et ad libidinem proni, sicut aves, quibus comparantur: nam *titi* columbæ sunt agrestes, quibus rustici auditores designantur. — *NB.* De nom. R. *V.* ONOM.

TĪTȲRUS, i, m. 2. τίτυρος, animal ex ove et hirco genitum, ut *musimo* est ex capra et ariete. Aliis est aries major, Laconum lingua: aliis hircus lingua Afrorum: aliis satyrus: item cercopithecus: item calamus, avena: item otiosus, quæ notiones Græcorum sunt. *Eugen. Toletan. carm.* 22. in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 453. *Burmann.* Tityrus ex ovibus oritur hircoque parente. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

TĪUS. *V.* THIUS.

TĪVI pro Tibi. *V.* TU.

TĪVURTĪNUS. *V.* TIBURTINUS.

## TL

TLĀMŌNES. *V.* TELAMONES.

## TM

TMĒSIS, is, f. 3. τμῆσις, species hyperbati, qua aliqua vox, præsertim composita, dividitur et inter utramque partem alia interponitur. *Virg.* 1. *G.* 381. (*Ovid.* 1. *Met.* 64.) septem subjecta trioni. *pro* septentrioni. *Id.* 1. *Æn.* 416. Et multo nebulæ circum dea fudit amictu. *pro* circumfudit. Ubi *Servius:* Figura tmesis est, quæ fit, quum secto uno sermone aliquid interponimus. Sed hoc

tolerabile est in sermone composito: ceterum in simplici nimis est asperum, quod tamen faciebat antiquitas, ut (*Ennius*) Saxo cere comminuit brum. Cf. tamen *Müllerum De re metr. p.* 366. *et seqq. V.* CEREBRUM. *Lucret.* 4. 28. ordia prima. *pro* primordia. *et* 6. 962. facit are. *pro* arefacit. *Commodian.* ed. *Oehl. p.* 150. Obstupe jam factus jura te credere Christo etc. *pro* obstupefactus. — Oratores etiam hac figura utuntur. *Cic. Sext.* 31. *a med.* Quod judicium cumque subierat, damnabatur. *pro* quodcumque.

# TO

TOCHA. *V.* TOXA.

TŎCĪTES, æ, m. 1. ita appellatur herba aristolochia apud *Apul. Herb.* 19. Videtur esse a τοκίτης, quod a τίκτω, pario.

TŎCULĬO et toculio, ōnis, m. 3. τοκογλύφος, parvus fenerator: deminut. a τόκος, usura. *Cic.* 2. *Att.* 1. *extr.* Neque enim ista tua negotia provincialia esse putabam, neque te in toculionibus habebam. *h. e.* non putabam, te esse in iis, qui usuram exercent, pecuniam cum fenore exigentes a provincialibus. Utitur autem *Cic.* verbo a Græca lingua derivato, quia ad Atticum scribit Græcæ linguæ studiosissimum. In quibusd. libris legitur *decurionibus* quod sane mendosum videtur.

TŎCULLIO. *V.* voc. præc.

TODILLUS vel

TODĪNUS, a, um, adject. (todus) ad todum seu todillum pertinens, parvam quamdam avem, de quo ita *Festus* in *Todi p.* 352. 19. *Müll.* Aves parvæ, quarum meminit *Plautus* in *Syro:* Cum extritis (*al.* extortis) talis, cum todillis crusculis. Hæc eadem fere habet *id.* in *Succrotilla p.* 301. 26. *Müll.* Hinc *B. Borghesius* in *Giorn. Arcad. T.* 15. *p.* 306. seu *Dec. numism.* 7. *oss.* 2., hujusmodi avem deprehendere sibi visus est in nummo apud *Morell. Thes. fam. R. tab.* 1. *incert. n.* 1., cui subscriptum est TOD., quibus litteris cognomen *Todillus* indicari videtur, iis proprium, qui brevibus cruribus præditi sunt. Illa eadem *Plauti* verba habentur apud *Priscian.* 3. *p.* 611. *Putsch.*, sed *Aug. Krehlius* in sua *Prisciani* editione pro *todillis* legit ex MS. *todinis* et hanc refert notam interlinearem ibidem repertam: Todus genus parvissimæ avis tibias habens perexiguas. Cf. *Gloss. Lat. Gr.* Tudus, tudeculus, ἐπίθακος. et *Keil.* in adn. ad *h. l.* et etiam *P. H. Visconti* in *Bullett. Municip.* II. *p.* 20. *V.* SCHŒNICULAS. Cf. præterea *Annal. dell'Istit. archeol. T.* 14. *p.* 133., ubi alius nummus affertur cum littera T, cui insistit avis.

TODUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

TŒCHARCHUS, i, m. 2. τοίχαρχος, *aguzzino,* qui in navi præest remigibus. τοῖχος enim dicitur de lateribus navis, ubi sunt remiges. *Hygin. fab.* 14. *ad fin. de Argonaut.* Tœcharchi autem fuerunt Zetes et Calais Aquilonis filii. *Scheffer. sub fin. l.* 4. *de milit. nav.* legit *tucharchi,* quod oι aliquando in u Latinum transeat.

TŌFĀCEUS *vel* tophaceus, *et*

TŌFĀCĬUS *vel* tophacius, a, um, adject. (tofus) qui ex tofo est, πώρινος. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (43). Est argilla alba, rufa, columbina, argillacea, tofacea, arenacea. *Pallad.* 9. *R. R.* 9. Structus lapide tofacio.

TŌFĪCĬUS *vel* tophicius, a, um, adject. (tofus) qui est ex tofo, *di tufo,* πώρινος. *Capitolin. Maxim.* 6. Lapides toficios friare.

TŌFĪNEUS (tufineus) *vel* tophineus, a, um, adject. (tofus) idem ac toficius. *Gromat. vet. p.* 347. 14. *Lachm.* et alibi.

TŌFĪNUS *vel* tophinus, a, um, adject. (tofus), idem ac toficius. *Sueton. Claud.* 21. Circo marmoreis carceribus auratisque metis, quæ utraque et tofina ac lignea ante fuerant, exculto.

TŌFŌSUS *vel* tophosus, a, um, adject. (tofus) idem quod tofaceus. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Verruca humore tofosa.

TŌFUS *vel* tophus, i, m. 2. Scribitur etiam *tophus* cum aspiratione, quasi sit a Gr. τόφος, quæ tamen vox nulla scriptorum auctoritate firmatur. — Tofus est lapis cavernosus et scaber, qui facile in arenam resolvitur, πῶρος (It. *tufo o tufa;* Fr. *terre tufière, tuf;* Hisp. *toba;* Germ. *der Tofstein, Tuf;* Angl. *rotten stone, gravel-stone, toph*). *Virg.* 2. *G.* 214. Et tofus scaber et nigris exesa chelydris Creta. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (29). Nam tofus scaber natura friabilis. *Id.* 36. *ibid.* 22. 48. (166). Tofus ædificiis inutilis est mortalitate materiæ. *Vitruv.* 2. 7. in Campania ruber et niger tofus in Umbria et Piceno et Venetia albus, qui etiam serra dentata, uti lignum, secatur. *Ovid.* 8. *Met.* 561. Pumice multicavo, nec lævibus atria tophis Structa subit. *et* 3. *ibid.* 159. *de antro.* nam pumice vivo Et levibus tophis nativum duxerat arcum. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 52. *de via Domitiana.* Illi saxa ligant opusque texunt Cocto pulvere sordidoque topho. *Frontin. Aquæd.* 122. Pilæ topho exstructæ.

H o m o n y m. Discrimen inter *tofum* et *arenam* apud *De-Rossi Rom. Sott. T.* 1. *App. p.* 20. et *seqq.*, ubi distinguitur duplex tophi genus, quorum unum Italice *tufo granulare semilitoide,* alterum *tufo granulare friabile* vel *terroso* dicitur.

TŎGA, æ, f. 1. (tego) *Thoca* corrupte pro *toga* scribitur in *Gloss. Isid.* — Toga duo præcipue significat.

*A) Toga* est tectum. *Titinius* apud *Non. p.* 406. 21. *Merc.* Toga dicitur et tectum. Titinius Gemina: si rus cum scorto constituit ire, claves illico Abscondi jubeo: rusticæ togæ ne sit copia: id est tecti. Hæc tamen notio jam obsolevit.

*B) Toga*

I.) Generatim, et primitus, dicta est vestis omnium Romanorum communis, qua interdiu se tegebant et noctu lectum sternebant aut se decumbentes involvebant, *toga, veste da letto, copertura.* ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* apud *Non. p.* 541. 2. *Merc.* Præterea quod in lecto togas ante habebant; ante enim olim fuit commune vestimentum et diurnum et nocturnum, et muliebre et virile. *Afran.* apud *eumd. p.* 560. 33. *ibid.* Et quidem prandere stantem nobiscum, incinctam togam. ¶ 2. Latiore sensu de quocumque involucro. *Martial.* 13. 1. Ne toga cordylis et pænula desit olivis. *Id.* 10. 93. Carmina, purpurea sed modo culta toga. *h. e.* pelle purpurea.

II.) Speciatim usurpari postea cœpit tantum pro veste exteriore, communi omnium Romanorum, ut *pallium* Græcorum, et quidem tam nobilium quam ignobilium, sive locupletum sive inopum, *toga,* τήβεννος, τήβεννα. Unde *togatam gentem* pro Romanis posuit *Virg.* 1. *Æn.* 286.: hinc carebant togæ jure, quibus aqua et igni interdictum erat, ut docet *Plin.* 4. *Ep.* 11. ¶ 1. Proprie. — *a*) Et quidem de togæ forma deque togæ gerendæ ratione. Toga fuit vestis rotunda et usque ad pedes demissa, clausa et sine manicis, quæ uno conjectu totum corpus et utrumque brachium operiebat. Ea in superiore parte, qua ad cervices sedebat, ita laxe aperiebatur, ut dextrum brachium commode exseri, immo et totus humerus ostendi posset: brachium vero sinistrum non per eumdem hiatum exserebatur, sed ex inferiore parte sub ipsa toga extensum extremam oram in rugas plicaturasque contractam colligebat subducebatque ad sinistrum latus, læva manu exstante. Rugas eas et plicaturas, tam quæ superne a dextra cervicis parte cadentes exserto brachio colligebantur ad pectus atque oblique ad sinistrum humerum instar baltei decurrebant, quam quæ ex ima ora sinistro brachio collecta subductæ contrahebantur, *sinum togæ* appellabant. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior, ille, qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur, velut balteus, nec strangulet nec fluat. *Sueton. Cæs.* 82. Sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. *Gell.* 4. 17. *sub fin.* Prolato e sinu togæ libro. — Neque tamen semper neque omnibus idem mos fuit togæ gestandæ, nam antiquissimis temporibus nulli sinus fuere, tum quia brachium sub toga tunc tenere solebant (oratores in principiis dicendi), quod præter ceteros diserte notat *Quintil. loc. cit.*, tum quia ipsa toga angustior illis fuit et magis corpori adstricta. Itaque gestu alio, quam postea, eos necesse est usos esse, quorum brachium (inquit *id. ibid.*), sicut Græcorum, veste continebatur. Postea fusior laxiorque adhiberi cœpta est, maxime vero ab iis, qui molli vestitu gauderent, ex qua majores sinus fiebant, adeo ut interdum a dextera parte totum humerum usque ad lumbos detegerent, ad ostendendam pretiosam tunicam vel latum clavum in ea intextum; a sinistra vero laciniam in humerum usque rejicerent. Præterea adulescentes quum primum virilem togam sumebant, solebant priore illo anno brachium (dextrum intellige; nam sinistrum semper collectam togæ laciniam sustinendo quodammodo impeditum erat) non exserere, præsertim si forensia stipendia auspicarentur, ut loquitur *Seneca* 5. *Excerpt. controv.* 6., qui tamen mos etiam temporibus Ciceronis exoleverat, ut ex ipsius oratione *Cœl.* 5. colligitur. Candidati quoque in honorum petitionibus brachium continebant et tunc solum exserebant, quum prensandi causa manus porrigenda esset: quod est *trans pondera dextram porrigere* apud *Horat.* 1. *Ep.* 6. 49., h. e. dexteram togæ pondere cohibitam exserere et extendere. *V.* PONDUS sub II. 1. *b* ad *ejusd. loc. cit.*, quem alii aliter interpretantur. — Quum Romanis mos esset aperto semper capite, præsertim in Urbe, incedere, (extra Urbem enim in itinere pileos, petasos aut aliud tegumenti genus contra aeris injurias adhibebant) facile tamen erat, si opus esset, caput toga operire, quod fiebat partem superiorem togæ sub dextrum humerum dejectæ revocando et supra caput adducendo: atque ea positione toga super utrumque humerum æqualiter sedebat et nihilominus satis adhuc patebat ante pectus ad brachium exserendum: hac ratione caput obvolvebant sacra facturi, quod videre est in icone lapidis apud *Ferrar. De re vestiar. l.* 1. *c.* 10. Cæsar quoque a conjuratis impetitus eodem modo caput obnupsit, ut est apud *Sueton. Cæs.* 82. Verum tamen est, aliquando non superiorem oram, sed inferiorem laciniam ad caput tegendum fuisse adhibitam, quod *Lipsius* apud *eumd. Ferrar. l. c.* multis ostendit. — An toga cingeretur, quæstio est. Affirmat *Macrobius,* quem satis refellit *Ferrar. loc. cit. c.* 12. At *Manut. De quæsit. per epist.* de tunica *Macrobium* non de toga locutum fuisse putat. Sane in omnibus togatorum hominum imaginibus, quas affert *Ferrar.*, nullus cinctus apparet, sed toga partim sinistro humero, partim sinistro brachio fulta sustinetur. — De forma et dispositione togæ V. *Mus. Borb.* I. 7. *tav.* 43. *p.* 1. — *b*) De materia, textura, colore variisque togæ generibus. Fuit togæ materia lana coacta, quæ si longiore pilo esset, *toga pexa* dicebatur, scilicet ob villorum densitatem: hinc tritam togam *pexæ* opponit *Martial.* 2. 44. et 3. 36. — *Toga rasa* dicebatur, quæ ex lana minime villosa confecta erat eratque apta æstivo tempori, sicut *pexa* hiemali, *id.* 2. 85. — A texturæ etiam et lanæ genere togæ dicebantur *rallæ, densæ* etc. *V.* has voc. — *Toga vitrea* apud *Varron. Sat. Menipp.* 56. *p.* 162. est pertenuis et perlucida. — Color togæ albus fuit, h. e. nativus albæ lanæ, qui nonnihil ad fuscum accedit; propterea ut non alba solum, sed etiam candida esset, amplius adhuc dealbabatur, creta adhibita ad id apta; quam ob rem *cretatam ambitionem* dixit *Pers.* 5. 177. candidatos intelligens. — Toga vero *atrata* seu *pulla* adhibebatur in privato luctu. *V.* PULLUS (Cf. etiam PERVERSUS.). Nam in luctu publico, togis depositis, saga sumebant. *Cic. Phil.* 12. *et* 14. — Toga *palmata* dicebatur, quæ palmas intextas habebat. *V.* PALMATUS. — Toga *picta,* h. e. acu elaborata. *V.* PICTUS. — Toga *purpurea* fuit inter regum insignia, ut patet ex *Liv.* 31. 11. — Alia præterea fuere togarum genera, sc. *prætexta,*

de qua *V.* suo loco; *pura*, quæ *prætextæ* opponitur, quia nullo purpuræ prætextu distincta, quam sumebant adulescentes, quum prætextam deponebant. *Cic.* 9. *Att.* 6. Ciceroni meo togam puram quum dare Arpini vellem. — Eadem dicebatur *virilis*, quia virilitatis initium indicabat: *libera*, quia initium quoddam erat libertatis, ut ait *Ovid.* 3. *Fast.* 771. — c) De sexu et qualitate toga utentium dicimus, certum esse ex testimonio *Varron.* apud *Non. p.* 540. 31. *Merc.* eam virorum æque ac mulierum communem fuisse: postea vero *stolis* uti matronæ cœpere et togas reliquere meretricibus, quod præter alia satis ostendit illud *Horat.* 1. *Sat.* 2. 62. quid inter-Est, in matrona, ancilla, peccesve togata? Adde *Martial.* 2. 39. — Hinc de meretrice plebeja *Tibull.* 4. 10. 3. Si tibi cura toga est potior pressumque quasillo Scortum. *h. e.* si tibi curæ est togata mulier. — Viri vero omnium ordinum promiscue togis usi sunt, tenuiores etiam: modo sumptus ad eam coemendam suppeteret, præcipue clientes, qui patronorum et potentiorum limina frequentabant, togati huc illuc cursitabant salutaturi sportulasque accepturi; qua de re sæpissime *Martialis*, qui propterea 10. 47. inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, *togam raram* enumerat, h. e. rara officia salutationum; *et ibid.* 18. togas ipsas usurpat pro clientibus salutationum officia obeuntibus. *V.* etiam TOGATUS. — d) De ætate, qua varia togæ genera sumebantur. Primum, puerili scilicet ætate, gerebatur *prætexta*, purpureum limbum in ora intextum vel assutum habens (*V.* PRÆTEXTA); hac enim utebantur pueri puellæque nobiliores honestioresque (ut est apud *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 44., nam viliores simplici toga induebantur) usque dum *togam virilem* sumerent. Qua tamen ætate id fieret, non convenit inter eruditos viros; sunt namque qui putent, temporibus reipublicæ liberæ fuisse annum XVII. expletum, ut arguunt ex *Gell.* 10. 28. coll. *Liv.* 22. 57. et 25. 5.; imperatorum vero, annum XIV. absolutum, ut ex *Tac.* 12. *Ann.* 41. et 13. *ibid.* 15. Cf. *Cardinali Dipl. imper. p.* 203. *Inscr.* apud *Furlanetto Lap. Pat. p.* 380. *n.* 486. T. LIVIVS T. F. OPTATVS AN. XV. coll. *Tab. XVIII.*, in qua visitur effigies hujus pueri cum toga virili. Cf. etiam *Marquardt* apud *Henzen* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1871. *p.* 113. Puellæ *prætextam* gestabant usque ad nuptias. — Quo autem die sumebatur, is dies celebrabatur magna propinquorum amicorumque frequentia; ascendebantque in Capitolium, religionis et boni ominis causa, teste *Val. Max.* 5. 4. Atque hoc est quod *Plin.* 1. *Ep.* 9. vocat officium togæ virilis et *Tertull. Idolol.* 16. solemnitates togæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 463. 2. L. RAGONIO L. F. POP. VRINATIO DOMINO OB HONOREM TOGAE VIRILIS OFELLIVS SER. ARCARIVS. V. *alias* duas apud *Orell. n.* 2701. *Dionys. Halic. l.* 4. *p.* 164. narrat, Servium Tullium jussisse, εἰς τὸν τῆς Νεότητος θησαυρὸν ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων νόμισμα συντελεῖν. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6211. HIC TOGAE VIRILIS DIE CRVSTVLAM ET MVLSVM POPVLO DEDIT. — Hinc translate pro adulescente vel adulescentia. *Prudent. Cathem. præf.* 7. Ætas prima crepantibus Flevit sub ferulis: mox docuit toga Infectum vitiis falsa loqui. — Et prægnanti, ut ajunt, sensu, pro ipsa togæ sumptione. *Tac. Germ.* 13. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos. *sc.* hoc apud illos idem est, quod apud nos togam virilem sumere. — e) De loco, præterquam in Urbe, quod in castris quoque usus togæ fuerit, apparet ex *Liv.* 44. 16., ubi narrat, sex millia togarum missa Roma ad exercitum in Macedonia hibernantem: sed arcendo frigori, non ad prœlia ineunda missa esse, arbitrari licet. — Toga insuper extra Urbem et in provinciis non semper nec ab omnibus civibus Romanis (postquam Italiæ toti civitas est data circa an. U. C. 707. aliisve locis alio tempore) sumebatur. Hinc *Juvenal.* 3. 171. Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua Nemo togam sumit nisi mortuus. *h. e.* ut ei supra lectum mittant, dum mortuus effertur, ut ait *Schol.* ad *h. l.*, quasi testem civitatis habitæ. Hinc togam *pallentem* vocat *Martial.* 9. 58. Nec pallens toga mortui tribulis. — Togæ autem loco *tunica* in provinciis adhibebatur, teste *Juvenal.* 3. 179. clari velamen honoris Sufficiunt tunicæ summis ædilibus albæ. Hinc sæpe *toga* sumitur, tamquam symbolum curarum, quibus abundant *togati*, h. e. in urbe degentes; contra vero *tunicati*, curarum expertes. Cf. *Martial.* 10. 47. *et* 51. — Porro usum togæ præscriptum erat Senatoribus, quum in senatum ingrederentur et judiciis interessent: quem quidem usum revocavit Theodosius a. post Chr. 382., ut patet ex *Cod. Theod.* 14. 10. 1. Quare *toga* sæpe senatum significat aut forum remque judiciariam. *V.* infra. — Plura de toga dicenda essent, de quibus ex professo et luculenter *Ferrar. De re vestiar.* et *Rich. op. cit.*, ubi togæ etiam multiplices figuræ ex vetustis monumentis exhibentur; neque enim nobis omnia complecti in animo fuit. ¶ 2. Translate, præter exposita, varium usum habet. — 1.°) Generatim. *Tac. Dial. de orat.* 26. Adeo melius est orationem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. — 2.°) Speciatim. — a) Pro populo vel re publica R. *Sever. fragm.* 15. ed. *Wernsd.* ille senatus Vindex, ille fori, legum ritusque togæque Publica vox. — b) Pro pace. *Cic.* 3. *Orat.* 42. 167. Gravis est modus in ornatu orationis et sæpe sumendus. ex quo genere hæc sunt, Liberum appellare pro vino, campum pro comitiis, togam pro pace etc. Hinc notum illud *ejusd.* carmen in *Pis.* 30. 73. Cedant arma togæ. *h. e.* pacis artibus. *Vellej.* 2. 12. 3. Vir omnibus belli ac togæ dotibus eminentissimus. *Sil. It.* 6. 617. par ingenium castrisque togæque. *Tertull. Pall.* 5. Plus læsere rempublicam togæ, quam loricæ. — c) Pro senatu aut foro reque judiciaria. *Lucan.* 1. 364. Et dum pila valent fortes torquere lacerti, Degenerem patiere togam regnumque senatus. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 330. Decretum togæ. *et* 4. *cons. Honor.* 598. Victoria-Romanæ tutela togæ. Adde *Stat.* 1. *Silv.* 4. 23. et *Auson. Prof.* 17. 7. *Rutil.* 1. 468. de *Albini præfectura.* jura meæ continuata togæ. *Cod. Paris.* in *Haupt. opusc.* 3. 153. Tota forensis cura et toga. *h. e.* patroni, procuratores aliique id genus.

TŌGĀTA, æ, f. 1. *V.* TOGATUS in fin.

TŌGĀTĀRĬUS, ii, m. 2. (togatus) qui fabulas agit, quæ togatæ appellantur. *Sueton. Aug.* 45. Histrionum licentiam adeo compescuit, ut Stephanionem togatarium per trina theatra virgis cæsum relegaverit. Alii leg. *togatarum*, nempe comœdiarum togatarum actorem. *V.* TOGATUS.

TŌGĀTENSIS, is, m. 3. (toga) idem ac togatus. *Inscr.* in *Ephem. Epigr.* I. *p.* 217. et apud *Orelli n.* 4109.

TŌGĀTŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a togatus, dicitur de tenuioribus, qui principes civitatis officii gratia in forum deducebant ac deinde domum reducebant et sportulam captandam. *Martial.* 10. 74. quamdiu salutator Anteambulones et togatulos inter Centum merebor plumbeos die toto? *sc.* pauperculos.

TŌGĀTUS, a, um, adject. ex particip. ab inusit. *togo* vel *togor* (quod legitur apud *Priscian.* 8. *p.* 442. 13. si vera est lectio. V. *Keil*), toga indutus, quæ erat, ut diximus, vestis Romanorum propria; unde togati Romani appellabantur, sicut, quod pallio uterentur, Græci *palliati* dicti sunt. ¶ 1. Proprie. — a) Generatim. *Virg.* 1. *Æn.* 286. Romanos rerum dominos gentemque togatam. *Cic.* 5. *Phil.* 5. 14. Græculus judex modo palliatus, modo togatus. *Capell.* 5. *p.* 138. Togata agmina. — b) Speciatim *togati* dicti sunt homines tenuiores, qui principes civitatis officii gratia in forum ducebant ac deinde domum reducebant. Togis enim amicti erant, non tunicis tantum, ut turba forensis. *Juvenal.* 1. 96. sportula primo Limine parva sedet turbæ rapienda togatæ. *Id.* 7. 142. an tibi servi Octo, decem comites post te, an sit sella, togati Ante pedes. Adde 3. 127. *Martial.* 3. 46. Exigis a nobis operam sine fine togatam. *h. e.* officium salutatoris et anteambulonis vel clientis. *Bass. carm. ad Pis.* 27. ed. *Wernsd.* exercere togatæ munera militiæ. *militia togata* dicitur de quavis opera, præsertim vero de ministeriis Palatinis et aulicis. *M. Aurel.* inter oper. *Fronton.* ad *Antonin. imp.* 2. 3. Rusticatio nostra μετὰ πολιτείας propius negotium illud est vitæ togatæ. *h. e.* ruri sumus tamquam Romæ essemus. — c) Apud *Horat.* 1. *Sat.* 2. 63. *et* 82 *togata* est meretrix: quia *stolata* est matrona. *V.* STOLA et STOLATUS. et apud *Martial.* 6. 64. mater togata est adultera: quod colligitur etiam ex *eod.* 2. 39. et ex *Juvenal.* 2. 70. — d) *Togata* etiam dicta est ea Galliæ pars, quæ togis Romano more utebatur, nempe Cisalpina. *Cic.* 8. *Phil.* 9. 27., *Plin.* 3. *Hist. nat.* 14. 19. (112)., *Mela* 2. 4. et *Auct. B. G.* 8. 24. *V.* ONOM — Hinc *togatæ urbes* apud *Stat.* 1. *Silv.* 4. 11. sunt urbes Galliæ Cisalpinæ. ¶ 2. Translate. — a) Interdum *togatus* accipitur pro urbano, cui *sagatus*, id est militaris, opponitur; nam toga pacis, sagum belli insigne fuit. *Cic. Sull.* 30. *a med.* Cui uni togato senatus supplicationem decrevit. *h. e.* civilem magistratum gerenti. Cf. *eumd.* 2. *Cat.* 13. 28. Me uno togato duce et imperatore. — b) *Togatæ fabulæ* vel absolute *togatæ* dupliciter intelliguntur. Vel sumuntur universim de omnibus fabulis Romani argumenti: in quibus comprehenduntur prætextatæ, tabernariæ, atellanæ, planipediæ. His opponuntur palliatæ, h. e. Græcæ. Vel peculiari ratione de iis Romanis fabulis dicuntur, in quibus res levioris argumenti agebantur et viliores personæ Romano more inducebantur: quibus opponuntur prætextatæ, quæ regum et magistratuum res, mores et personas continebant. *Seneca Ep.* 8. *ad fin.* Non attingam tragicos aut togatas nostras, habent enim hæ quoque aliquid severitatis et sunt inter comœdias et tragœdias mediæ. *Vellej.* 2. 9. 2. Clara etiam fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragœdiis Pacuvii etc. *Horat. Art. P.* 287. Vel qui prætextas vel qui docuere togatas. *Cic. Sext.* 55. 118. Quum ageretur togata, Simulans, ut opinor. Adde *Fest.* in *Togatarum p.* 352. 8. *Müll.* et *Diomed.* 3. *p.* 487. *Putsch.* Cf. *Neukirch De fab. tog. Rom.* — Hinc absolute, substantivorum more

*Togata, æ*, f. 1. fabula togata. *V.* supra 2. *b.*

*Togati, orum*, m. plur. 2. — a) Sunt toga induti, *sc.* Romani. *Sall. Jug.* 21. Multitudo togatorum. *h. e.* Romanorum civium, non militum. Sic *Tac. Agric.* 9. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile justeque agebat. *h. e.* cives qui milites non sint. *sc.* Agricola jurisdictionem civilem seu inter cives exercebat, a castrensi valde diversam. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Togatorum diligentissimus. — Etiam Latini, quod aut civitate post bellum Latinum donati aut certe socii pop. R. essent et R. legibus uterentur. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 43. Nostri minus student litteris, quam Latini. — Litteratissimus togatorum omnium Q. Valerius Soranus. — b) Pro urbanis. *Id.* 1. *ibid.* 24. 111. Quasi unus e togatorum numero atque ex forensi usu homo mediocris. — c) *Togati* dicti sunt etiam, ætate imperatoria procedente, qui advocati seu patroni causarum ex genere agentium in rebus magistratui in officio assistebant et ad certa munera deputabantur. *Cod. Theod.* 6. 2. 21. Togati præturianæ atque etiam urbicariæ præfecturæ. *Inscr.* apud *Murat.* 2003. 3. emendata apud *Reines. Cl.* 20. *n.* 367. HIC REQVIESCIT IN PACE B. M. PETILIVS PROCESSVS V. S. (*h. e.* vir spectabilis) TOGATVS INLL. P. P. (*h. e.* inlustris Præfecti Prætorio) QVI VIXIT PL. M. ANN. XXXVIII. DEPOSIT. SVB DIE VIII. KAL. IVN. PROBO IVN. V. C. CONS. (*h. e.* an. a Chr. n. DXXV. V. *aliam* apud *Gruter.* 1167. 5. et in BISCENARIUS. Cf. *Apul.* 10. *Met.* et *Juvenal.* 8. 49. — In illo *Gromat. vet. p.* 347. *Lachm.* coll. *p.* 309. *togatus* videtur dici de finitionum et limitum mensore.

TŌGILLA, æ, f. 1. (toga) togula seu mantile. *Gloss. Isid.*, ubi alii leg. *tegilla.*

TŌGĬPŪRĬUM, ii, n. 2. (toga *et* purus) tempus, quo toga pura sumebatur, ut exponit *Græv.* illud *Gloss. Isid.* Togipurium, toga pura.

TŌGO *et* togor. *V.* TOGATUS init.

TŌGŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a toga, parva to-

ga, τήβεννιον. *Cic. Pis.* 23. 55. Togulæ lictoribus ad portam præsto fuerunt. *Martial.* 9. 101. Trita quidem nobis togula est vilisque putrisque.

TŎGŪLĀRĬUS, a, um, adject. (togula) ad togulam pertinens. Hinc absolute *Togularia*, titulus comœdiæ *Novii* ex genere togatarum, cujus fragmentum apud *Fest. p.* 257. 16. *Müll.*

TOLÆ, ārum. *V.* TOLES.

TŎLĔRĀBĬLIS, e, adject. (tolero) Comp. *Tolerabilior* et Sup. *Tolerabilissimus* 1. — Tolerabilis occurrit tum passive, tum etiam active. ¶ 1. Passive est qui facile ferri et tolerari potest, probabilis, non contemnendus, εὐφόρητος (It. *sopportabile, tollerabile, mediocre;* Fr. *supportable, tolérable;* Hisp. *tolerable;* Germ. *erträglich, leidlich;* Angl. *supportable, tolerable*). *Cic.* 4. *Cat.* 8. 16. Servus est nemo, qui modo tolerabili condicione sit servitutis. *Id.* 1. *Orat.* 2. *a med.* Quum boni perdiu nulli, vix autem singulis ætatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. *Id.* 1. *Rep.* 26. 42. Non perfectum neque optimum sed tolerabile. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. Rei familiaris jactura tolerabilis. *Id. Senect.* 3. 8. Tibi propter opes et copias et dignitatem tuam tolerabiliorem senectutem videri. *Virg.* 5. *Æn.* 767. quibus aspera quondam Visa maris facies et non tolerabile numen. *Liv.* 22. 27. Minucius quum jam ante vix tolerabilis fuisset secundis rebus: tum utique immodice immodesteque gloriari. *Juvenal.* 7. 69. Tolerabile hospitium. *Plin.* 5. *Ep.* 5. Sed hoc utcumque tolerabile: gravius illud, quod *etc. Val. Max.* 4. 1. *n.* 1. Tolerabilis habitus. *Paul. Dig.* 28. 5. 18. Hanc esse tolerabilissimam sententiam puto. — Cum infinito. *Cic.* 1. *Orat.* 50. 218. Tolerabilius est, sic dicere etc. ¶ 2. Active, qui tolerare potest. *Ter. Heaut.* 1. 2. 30. Nam parentum injuriæ uniusmodi sunt ferme: paullo qui est homo tolerabilis. *Alii interpretantur:* qui est paullo tractabilior. *V.* tamen *Madvig Adv. crit. v.* 2. *p.* 15. *Colum.* 7. *R. R.* 3. Sæpe hiemis sævitia pastorem decipit et eas oves interimit, quas ille tempore auctumni ratus adhuc esse tolerabiles, non submoverat. *h. e.* posse hiemem ferre et superstites esse. Alii exponunt, adhuc posse tolerari, h. e. ali in annum sequentem.

TŎLĔRĀBĬLĬTER, adverb. ab adject. *tolerabilis*, unde Comp. *Tolerabilius*. — Tolerabiliter ¶ 1. Est toleranter, mediocriter, *tollerabilmente, mediocremente. Colum.* 2. *R. R.* 2. 3. Quas Græci συζυγίας ἐναντιοτήτων, nos discordantium comparationes tolerabiliter dixerimus. *Cels.* 2. 13. *a med.* Veratrum datur optime vere, tolerabiliter auctumno. Rursum *Colum.* 11. *R. R.* 2. His diebus quæ superiore mense facere non potueris, adhuc tolerabiliter efficies. ¶ 2. Et patienter, facile. *Cic.* 15. *Fam.* 20. Quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato. *Id.* 3. *Fin.* 13. 42. Tolerabilius pati.

TŎLĔRANS, antis, particip. *V.* TOLERO.

TŎLĔRANTER, adverb. ab adject. ex particip. *tolerans*, unde Comp. *Tolerantius*. — Toleranter ¶ 1. Est tolerabiliter, patienter, *pazientemente*, καρτερικῶς. *Cic.* 4. *Fam.* 6. *a med.* Et quum frangerem jam ipse me cogeremque illa ferre toleranter. *Id.* 2. *Tusc.* 18. 43. Toleranter dolorem pati. ¶ 2. Est etiam mediocriter, probabiliter. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (176). At nunc anniculæ fecunditatem poscuntur, tolerantius tamen bimæ.

TŎLĔRANTĬA, æ, f. 1. (tolero) patientia, καρτερία, ἀνοχή, ὑπομονή, τλῆσις (It. *tolleranza, pazienza;* Fr. *constance à supportar, patience;* Hisp. *tolerancia, paciencia;* Germ. *die Ertragung, Erduldung;* Angl. *a bearing, patience*). — a) Cum genet. *Cic. Parad.* 4. 1. Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus, sæptus, vincetur et expugnabitur? *Quintil.* 2. 20. *extr.* Tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. et 5. 10. 33. malorum. *Tac. Agric.* 20. Pax vel incuria vel tolerantia priorum, haud minus quam bellum, timebatur. Adde *Senec.* 67. 5. — *Cod. Theod.* 6. 35. 4. Tolerantia munerum sordidorum etc. *h. e.* necessitas. — b) Absolute. *Seneca Ep.* 66. 13. et 67. 10.

TŎLĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (tolero) actus tolerandi, *soffrimento*, ἀνάσχεσις. *Cic.* 2. *Fin.* 29. 94. Toleratio doloris.

TŎLĔRĀTOR, ōris, m. 3. (tolero) qui tolerat. *Augustin. in Ps.* 99. 11. Bonos ministros, fideles dispensatores, omnium toleratores

TŎLĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* TOLERO.

TŎLĔRĀTUS, us, m. 4. (tolero) idem ac tolerantia. In sexto casu *Salvian.* 3. *Gubern D.* 7. *a med.* Ut quæ ipsi toleratu humano indigna credimus, Deum a nobis digne hæc tolerare credamus.

TŎLĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Tulerare* pro *tolerare* legitur in MSS. *Frontonis;* radix namque est *tol* vel *tul*. Cf. tamen *Prob. p.* 199. 8. *Keil* et *V* etiam *Brambach p.* 83. — *Tollero* cum duplici *l* V. infra. — *Toleror, aris*, deponentium forma, dixisse veteres docet *Priscian.* 8. *p.* 800. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato. — Origo vocis videtur esse eadem ac Gr. τλάω vel Lat. *tollo*, ejusdem significationis; unde et *tollero*, cum duplici *l*, aliquando licenter usurpatum fuit. Cf. *tuli* in FERO. — Part. *Tolerans* I. *a* et II. 1. 1.° *a* et in fin.; *Toleratus* I. et II. 1. 1.° *a* et in fin.; *Toleraturus* II. 1. 1.° *a* et 2.; *Tolerandus* II. 1. 1. et 2. et in fin. — Tolero est fero, sustineo, teneo, φέρω, βαστάζω (It. *portare, sostenere, tenere;* Fr. *porter, supporter, tenir;* Hisp. *llevar, sostener;* Germ. *halten, tragen;* Angl. *to hold up, sustain, bring, bear*).

I.) Proprie. — a) De animantibus. *Apul.* 3. *Met.* Tolerare aliquem sinu. *Id.* 4. *ibid.* gremio suo. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (10). Aquilæ ipsæ non tolerantes pondus apprehensum una merguntur. *non potendo portare*, virium satis non habentes ferendo. — b) De inanimis. *Id.* 35. *ibid.* 14. 49. (173). Sesquipedalis paries non plus quam unam contignationem tolerat. *non regge, non porta, non istà saldo.* — In illo *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. 124. Quum nullus vehementiam passionis sustinere valeat, nisi nutrimento toleratus. *toleratus* videtur esse *altus, nutritus;* sed puto ibi legend. *tolerato*, sc. nutrimento.

II.) Translate est patienter fero, perfero, patior, καρτερέω, ἀνέχομαι (It. *soffrire, sopportare, tollerare;* Fr. *supporter, souffrir;* Hisp. *soportar, tolerar, sufrir;* Germ. *ertragen, erdulden;* Angl. *to support, suffer, bear*).

¶ 1 Generatim. — 1.°) De animantibus. — a) Cum Acc. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 28. Tolerari alicujus mores sua modestia. *Sall. Cat.* 10. facile labores, pericula, dubias atque asperas res. *Id. Jug.* 34. æquo animo servitutem. *Cic.* 7. *Fam.* 18. Forti animo istam tolera militiam *Id.* 2. *Cat.* 10. *sub fin.* Se facilius hiemem toleraturos putant. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. *sub fin* Sumptus et tributa civitatum ab omnibus tolerari æquabiliter. *Id.* 1. *Att.* 17. *ante med.* Nobis inter nos nostra sive incommoda sive vitia sive injurias esse tolerandas. *Tac.* 1. *Hist.* 21. Othoni luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda. *Stat.* 1. *Theb.* 195. tolerandaque nullis Aspera sors populis. *Claudian. Epigr.* 39. Paupertas me sæva domat dirusque Cupido: Sed toleranda fames, non tolerandus amor. *Auct. B. G.* 8. 5 Tolerare hiemem. *Tac.* 14. *Ann.* 42. Æmulum non tolerans. *Id.* 4. *ibid.* 44. Lentulo gloriæ fuerat bene tolerata paupertas. *Id.* 1. *Hist.* 3. Ipsa necessitas fortiter tolerata. *h. e.* mors. *Id. Germ.* 4. Tolerare sitim æstumque *Id.* 2. *Hist.* 56. *extr.* ægre damna et injurias. *Id.* 6. *Ann.* 11. Egregie toleravit potestatem. *h. e.* usque ad finem præfuit ei. *et* 4. *Hist.* 68. Summam belli parum toleravit. *et Agric.* 15. Graviora ex facili tolerantes. — *Tolerare inopiam, famem*, utcumque sustinere. *Plaut. Trin.* 2. 2. 57. *et* 77. Tolerare egestatem ejus volo. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Domi nihil erat, quo famem tolerarent. *Sall. Cat.* 38. Juventus, quæ in agris manuum mercede inopiam toleraverat. — *Tolerare sumptus*, utcumque sufficere sumptibus. *Ter. Heaut.* 3. 2. 33. Quum tolerare hujus sumptus non queat. *Sall. Cat.* 25. Mulieres, quæ ingentes sumptus stupro corporis toleraverant. — b) Cum Infinito. *Enn.* apud *Fest. p.* 356. 3. *Müll.* Ferro se cædi, quam dictis his, tolerarat. Adde *Sall. Cat.* 24. *V.* PATIOR et SINO. *Tac.* 3. *Ann.* 3. Magnitudinem mali perferre visu non toleravit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 3. (3). Qui perpeti medicinam toleraverant. — c) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 71. Paullo etiam longius tolerare parcendo. *Tac.* 4. *Ann.* 40. Posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet. *h. e.* vitam tolerandam, *tolerare* enim ita usurpatum est idem ac vivere, degere, sed addita patientiæ constantiæque notione. — 2.°) De inanimis, quæ adversus externam injuriam durant, nec deficiunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (69). Tasconium tolerat flatum ignemque et ardentem materiam. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (30). Vitis æstus austrosque tolerat. et *ibid.* (35). Tolerat et annos mœrica (*vitis*) contra omne sidus firmissima. *et ibid.* (21). Germana imbres tempestatesque tolerat. *Id.* 36. *ibid.* 22. 48. (167). *de tophis.* Hi tractabiles in opere, laborem quoque tolerant, sub tecto dumtaxat: aspergine et gelu pruinisque rumpuntur in testas. ¶ 2. Speciatim est sustentare, alere, *sostentare, alimentare, mantenere. Cæs.* 3. *B. C.* 58. *ad fin.* Pabulo et hordeo equitatum tolerare. *et ibid.* 49. Ex perfugis cognoscebant, equos eorum vix tolerari, reliqua vero jumenta interisse. *Virg.* 8. *Æn.* 409. tolerare colo vitam tenuique Minerva. *Tac.* 15. *Ann.* 45. *extr.* Persimplici victu et agrestibus pomis vitam tolerare. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10, 47. (136). Octona milia equitum sua pecunia tolerare. *Tac.* 2. *Ann.* 24. Miles fame absumptus, nisi quos corpora equorum toleraverant. *Colum.* 6. *R. R.* 24. *in fin.* Faba fresa et vinum recte tolerat vaccam fetam. *Id.* 8. *ibid.* 17. *sub fin.* Pisces, etiam diu clausi, semetipsos tolerare possunt. *Ulp. Dig.* 50. 16. 203. *a med.* Agri, ex quibus paterfamilias fructus caperet, quibus se toleraret. *Martial.* 7. 64. Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos? *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (135). Juventam inopem in caliga militari tolerare. *Cæs.* 7. *B. G.* 71. Frumentum se exigue dierum triginta habere: sed paullo etiam longius tolerare posse parcendo. *et* 5. *ibid.* 45. Frumentum, quod eo tolerandæ hiemis causa devexerat. — Hinc adjectivorum etiam more usurpatur Part.

*Tolerandus, a, um*, qui tolerari potest, ferendus, tolerabilis, *sopportabile, tollerabile*, ἀνεκτός. Absolute *Seneca Octav.* 100. Toleranda pati. Cf. II. 1.

*Tolerans, antis*, unde Comp. *Tolerantior* et Sup. *Tolerantissimus;* est autem idem ac patiens. — a) Cum genetivo. *Tac.* 4. *Ann.* 1. *ad fin.* Corpus laborum tolerans. *Colum.* 8. *R. R.* 16. Piscium genera dulcis undæ tolerantia. *Id.* 6. *ibid.* 22. Externi frigoris tolerantior equino genere vacca est. *Id.* 7. *ibid.* 1. Asellus plagarum et penuriæ tolerantissimus. — b) Absolute. *Aurel. Vict. Cæsar.* 11. Iners domi, bello tolerantior. Cf. *Tac.* 12. *Ann.* 11.

*Toleratus, a, um*, unde Comp. *Toleratior*, est idem ac tolerabilis. *Tac.* 12. *Ann.* 11. cod. *M.* Clementiam ac justitiam, quanto ignara Barbaris, tanto toleratiora capesseret. Alii *tolerantiora*, alii vero *lætiora* leg.: « *Alle neuern Herausgeber* lætiora *nach* Ursinus' *Vermuthung* » inquit *Georges.*

Homonym. Differunt *tolero* et *patior;* in eo namque qui *tolerat*, vis seu firmitas physica; in eo vero qui *patitur*, vis potius seu firmitas inest moralis, ita ut τῷ *tolerare* opponatur *succumbere;* τῷ *pati* vero *indignari. Seneca Tranquill.* 10. Hinc cruciatus acerbos viri fortis animus diutius *pati*, quam corpus *tolerare*, potest. V. *Ernesti n.* 1853. Cf. *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 18 Dolor tristis res est - ad patiendum tolerandumque difficilis. *Isid.* tamen 1. *Diff.* 420. *patientiam* dicit referri ad corpus, *tolerantiam* ad animum. Non est igitur ita res urgenda, ut unum pro altero promiscue adhiberi non posse existimetur.

TŎLĔROR, ĕris. V. voc. præc. init.

TOLES, ium, m. et f. plur. 3. Scribitur et tolles, cum duplici l. Alia forma tolæ vel tollæ, arum, f. pl. 1. in Gloss. Philox. Tolæ, παρίσθμια. Item tolia, orum, n. pl. 2. ibid. Tolia, tonsillæ, παρίσθμια. — Vox est Celtica. Isid. 11. Orig. 1. 57. Tolles Gallica lingua dicuntur, quas vulgo per deminutionem tusillas (al. tosillas) vocant. — Toles sunt tumor in faucibus. Fest. p. 356. 14. Müll. Toles, tumor in faucibus, quæ per deminutionem tonsillæ dicuntur. Sic Isid. loc. cit. Tolles – quæ in faucibus turgescere solent. Veget. 1. Veterin. 38. A tolibus et glandulis et arteriis humor erit candidus et viscosus. Id. 3. ibid. 64. Tussis a tolibus si fuerit, bis signis agnoscitur. Seren. Sammon. 16. 289. Quos autem vocitant tolles, attingere dextra Debebis, qua gryllus erit pressante peremptus. Marcell. Empir. 15. ante med. Has tolles, has tonsillas evoco, educo, excanto de istis membris, medullis. Plin. Valer. 2. 43. Lupini ex aceto cocti fomentum optimum est, et tollis et parothetis (lege parotisin Græca positione pro parotidibus) utile est.

TOLĬA et

TOLLÆ. V. TOLES.

TOLLĒNO, ōnis, m. 3. (tollo) genus machinæ, quo trahitur aqua, alteram partem prægravante pondere, altaleno, mazzacavallo, κηλώνειον. Ita describit Festus p. 356. 8. Müll., ex cujus verbis non obscure colligitur, tollenonem esse, quum trabi in terram defixæ superne imponitur et deligatur altera transversa, quæ nunc sustollitur, nunc deorsum agitur, cujus rei exemplum videmus in quibusdam ruralibus puteis. Plaut. fragm. apud Fest. in Reciprocare p. 274. 30. Müll. Quasi tolleno aut pilum Græcum reciproces plana via. Plin. 19. Hist. nat. 4. 20. (60). Hortos e puteo rota organisve pneumaticis vel tollenonum haustu rigandos. — Ejusdem machinæ usus fuit etiam in urbium propugnationibus, qua Archimedes in obsidione Syracusarum Romanas naves ferrea manu in proram injecta extollebat et in puppim statuebat, gravi ex altera parte plumbi libramento ad solum recellente, ut legere est apud Liv. 24. 34., qui similis tollenonis meminit etiam 38. 5. Eumdem graphice describit Veget. 4. Milit. 21. et poetice Sil. It. 14. 320. et seqq., quos consule. — In quibusdam editionib. legitur apud Senec. 2. Quæst. nat. 9. Atqui vero nec tolleno magis nec ullum aliud tormentum etc. Ubi tamen optimæ editiones pro tolleno habent manus. Cf. etiam Polyb. 8. 7., Athen. 5. p. 208. et Oribas. De machin. 6. 24.

TOLLENS, entis, particip. V. TOLLO.

TOLLES. V. TOLES.

TOLLO, tollis (sustŭli, sublātum), tollere, a. 3. — a) Præteritum sustuli et participium sublatus V. in SUSTOLLO. — Etiam præteritum tetuli vel tuli a quibusdam huic verbo adjudicatum est; sed ea forma verbo fero datur. Diomed. 1. p. 376. Putsch. et Priscian. 10. p. 896. Cf. tamen Comment. Eins. in Donat. p. 258. Hag. — Est etiam qui præterit. tolli, sed sine idoneo auctore; dubia est enim lectio in illo Ulp. Dig. 46. 4. 13. ante med. Tollisse totam obligationem: nam tulisse alii leg. Ita Forcellinus; sed Mommsen in textu tollisse retinuit. Sic tollerunt in Gloss. Isid.; tollisset apud Salvian. 4. Gubern. D. 15. et tollisse in Cod. loc. infra cit. — b) Etiam tollor, ĕris, deponentium more, vulgo usurpatum fuisse, conjici potest ex illo Vulg. interpr. Ital. Marc. 15. 21. cod. Rehd. Ut tolleretur crucem. — c) Ratione habita etymi, ducendum videtur a Skr. tal, ejusdem significationis; unde et Gr. τλάω. V. etiam FERO. — Part. Tollens sub A II. 1.; Tollendus sub A I. 1.-3. et 6. — Tollo duo præcipue significat.

A) Tollo est sursum erigo, elevo, extollo, αἴρω, ἀναιρέω (It. levare, alzare; Fr. lever, élever; Hisp. alzar, elevar; Germ. heben, aufheben; Angl. to raise, lift or take up).

I) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. Plaut. Truc. 2. 6. 45. Nequeo caput tollere. ita nunc doleo. Id. Most. 1. 4. 17. Tollere aliquem jacentem. Varro apud Plin. 7. Hist. nat. 20. 19. (83). Mulum suum tollebat Fusius. Cic. Harusp. resp. 15. extr. Tollam altius tectum. Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (80). Protogenes manum de tabula non sciebat tollere. Cic. 6. Verr. 43. a med. Clamor a vigilibus tollitur. Horat. Art. P. 381. Ne spissæ risum tollant impune coronæ. Cic. 5. Tusc. 13. 37. Se tollere a terra altius possunt. Id. Cæcin. 21. a med. Qui saxa jacerent, quæ de terra ipsi tollerent. Plaut. Merc. prol. 75. Parare navim, metretas quæ trecentas tolleret. levasse e portasse. — b) Cum addito Acc. et præp. ad, in, vel Abl. Plaut. Bacch. 3. 6. 42. Tollam ego te in collum atque intro hinc auferam. Id. fragm. apud Non. p. 220. 15. Merc. Pileum quem habuit, deripuit eumque ad cælum tollit. Cic. 11. Phil. 10. a med. Vos in cælum, si fieri poterit, humeris nostris tollemus. Virg. 2. Æn. 222. Clamorem tollere ad sidera. et 11. ibid. 745. in cælum. Id. 11. ibid. 455. clamor magnus se tollit in auras. — Sic tollere in navim apud Liv. 45. 6. et tollere, absolute, eodem sensu, apud Virg. 3. Æn. 601., Ovid. 11. Met. 441. et Sil. It. 6. 500. — Sic etiam tollere aliquem in currum apud Ovid. 3. Art. am. 157. — Et tollere rheda apud Horat. 2. Sat. 6. 42. — Tolli, mediorum apud Græcos more, se tollere. Horat. 3. Od. 4. 21. in arduos tollor Sabinos. Cf. ἀναίρομαι apud Homer. Il. 21. 563. ¶ 2. Speciatim tollere liberos, de terra tollere et nutrire atque educare. Mos namque olim fuit filios recens natos per obstetricem in terram communem omnium parentem deponere et, quos nollent alere, expositos ibi relinquere: si contra, de terra levare et matri aut nutrici tradere: unde et nostrum allevare: et Levanam deam commenti sunt, quæ adesset et faveret levantibus. Plaut. Truc. 2. 4. 45. Si quod peperissem, id educarem ac tollerem: Ter. Heaut. 4. 1. 15. Meministin – mihi te maximo opere dicere, Si puellam parerem, nolle tolli? CHRE. scio quid feceris. Sustulisti. Id. Andr. 1. 3. 14. Quidquid peperisset, decreverunt tollere. Adde Amph. 1. 3. 3. et vet. Poeta apud Cic. 1. Divinat. 21. 42. — Hinc tollere liberos universim, procreare, gignere. V. SUSTOLLO. ¶ 3. Tollere gradum, ambulare. Plaut. Bacch. 3. 6. 6. Is est. adibo contra et tollam gradum. ¶ 4. Tollere manum, pedem. V. MANUS et PES. ¶ 5. Tollere signum in re militari est levare et alio transferre sive abire. Cæs. 3. B. C. 20. et Auct. B. Alex. 57. Cf. SIGNUM. ¶ 6. Tollere ancoras, vela dare. Cæs. 4. B. G. 23. — Joculariter pro abire, apud Varron. 3. R. R. 17. 1. V. ANCORA et SUSTOLLO.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Lucil. apud Non. p. 286. 6. Merc. Re in secunda tollere animos et in mala demittere. Sic Liv. 3. 7. Tollere animos alicui, inspirar coraggio. et Cic. 3. Orat. 26. extr. Dicendo augere aliquid et tollere altius. Id. fragm. apud Non. p. 407. 5. Merc. Nihil esse, in quo se animus excellens tollat. Id. 15. Fam. 9. Ad cælum aliquem tollere verissimis et justissimis laudibus. Virg. 5. Ecl. 51. Daphninque tuum tollemus ad astra. Horat. 1. Od. 1. 8. Tollere aliquem honoribus. Virg. 3. G. 421. de angue. Tollentemque minas et sibila colla tumentem. Id. 6. Æn. 876. Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos. — Apud Vulg. interpr. Joh. 10. 24. Quousque animam nostram tollis? tollis est suspensam tenes, tamquam sit in altum sublatam tenes. Cf. Luc. 12. 29. V. SUSTOLLO. ¶ 2. Speciatim pro evulgare, edere. Plaut. Mil. glor. 2. 3. 23. istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam. ¶ 3. Item pro solari, erigere, excitare. Horat. 2. Sat. 8. 59. quis esset Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum Tolleret?

B) Tollo est etiam aufero, removeo, ἀποφέρω, ἀφαιρέω (It. togliere, portare e levar via; Fr. enlever, emporter; Hisp. quitar, llevar, hurtar; Germ. wegbringen, wegführen; Angl. to take away, remove).

I.) Proprie construitur cum Acc., addito aliquando Abl. loci, unde quid tollitur, per præp. de, e. ¶ 1. Generatim. Varro Sat. Men. 19. p. 108. Oehl. Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est. Ad h. l. ita Gell. 1. 17. Hæc verba Varronis tollere et ferre lepide quidem composita sunt: sed tollere apparet dictum pro corrigere. et Virg. 8. Æn. 439. Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores. Phædr. 2. 7. tollere hæc aranea, Quantum est laboris! et ibid. 1. Et quæ debetur pars tuæ modestiæ, Audacter tolle. piglia e porta via. et Auct. De hort. 20. ed. Wernsd. v. 6. p. 189. Salaces de nocte tollat erucas. h. e. feratur. Cic. Amic. 13. 47. Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. Id. 5. Verr. 14. 36. Ne quis frumentum de area tolleret, antequam cum decumano pactus esset. — Sic absolute Martial. 5. 30. sume, tolle: dono. ¶ 2. Speciatim est vita privare. Cic. Rosc. Am. 7. 20. Perfacile hunc hominem incautum et rusticum de medio tolli posse. et Liv. 24. 6. Aliquem e medio tollere. h. e. evertere, exterminare, occidere. et Lucil. apud Non. p. 400. 25. Merc. Audivi, quem febris una, vini cyathus unus potuit tollere. Pers. 4. 2. sorbitio tollit quem dira cicutæ. Brutus ad Cic. 11. Fam. 20. Adulescens laudandus, tollendus. h. e. occidendus. ¶ 3. Contra in re medica est morbum removendo sanare. Cels. 2. 14. et 4. 18. Morbus facile tollitur. Plin. 26. Hist. nat. 12. 75. (122). Dolores et tumores tollunt folia plantaginis. Id. 33. ibid. 6. 35. (110). Ad cicatricum fœditates tollendas maculasque. ¶ 4. Item pro demoliri, diruere. Ulp. Dig. 43. 8. 2. ante med. Si quis in publico ædificaverit, non esse eum cogendum tollere, ne ruinis urbs deformetur. Adde ibid. 8. 2. 16. et 6. 1. 27. et 37. ¶ 5. Item pro destruere. V. SUSTOLLO. ¶ 6. Item pro inducere, delere, emendare quod scriptum est, cancellare, levare. Cæcin. ad Cic. 6. Fam. 7. Quum mendum scripturæ litura tollatur. Cic. 13. Att. 44. extr. Ut id nomen ex omnibus libris tollatur. Horat. 1. Sat. 10. 51. de Lucilio. dixi fluere hunc lutulentum, sæpe ferentem Plura quidem tollenda relinquendis. Id. 2. Ep. 2. 122. Luxuriantia compescet, nimis aspera sano Levabit cultu, virtute carentia tollet. ¶ 7. Item pro effectu privare. Ulp. Dig. loc. cit. Acceptilationem aliquid egisse tollisseque totam obligationem. et 2. 1. Utraque actione obligatur et altera alterum non tollet. ¶ 8. Tollere aulæa est removere, demittere. V. AULÆUM.

II.) Translate. Cic. Quinct. 21. extr. Cujus rei memoriam omnem tolli funditus ac deleri arbitror oportere. Id. 12. Att. 6. in fin. Ut mihi dubitationem omnem tolleret. Id. Rosc. Am. 2. a med. Delere ex animo alicujus suspicionem omnem metumque tollere. Id. Orat. 62. 209. Genus hoc orationis detrahit actionis dolorem, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem et fidem. Id. 2. Legg. 12. sub fin. Legem, si non jure rogata est, tollere. — Tollere diem est adimere tempus agendi cum populo aut judicii finiendi ferendæque sententiæ. Id. 3. ibid. 18. 40. Peccante senatu, quod fit ambitione sæpissime, nullo magistratu adjuvante, tolli diem utile est. Liv. 25. 3. ad fin. concilio diem eximere, dixit. — Tollere reges apud Nepot. Lysand. 3. est abrogare regum potestatem.

Homonym. Discrimen inter sumere, accipere, tollere, auferre, assumere et eripere hoc statuit Isid. 1. Differ. 512. « Sumimus per nos, accipimus a volentibus, tollimus a non volentibus, auferimus jure quidquid dedimus, assumimus jussu, eripimus vi. Cf. ACCIPIO et SUMO. — Item tollere est levare et erigere: auferre est levatum transferre. Virg. 8. Æn. 440. V. Popm. p. 415.

TOLLO, ōnis, m. 3. idem quod tolleno. Fuere, qui fulcirent auctoritate Plauti Rud. 2. 5. 24. et Colum. 10. R. R. 26., sed frustra: nam priore loco pro tolloni gratia legendum Ptolemocratia, in posteriore pro tollonibus rectius tendentibus.

TOLLOR, ĕris. V. TOLLO init.

TŌLŌSĀNUS, a, um, adject. ad Tolosam, urbem Galliæ, pertinens, de qua V. ONOM. Hinc

*Tolosanum aurum* proverbio dictum est de re exitiosa et habenti funesta: eadem ratione, qua *equus Sejanus*. Narrat *Justin*. 32. 3. Gallos Tectosagos, quum in Asia grandem vim auri sacrilega præda collegissent, reversos in antiquam patriam Tolosam, pestifera lue fuisse comprehensos nec ante solutos, quam illud aurum, monitu haruspicum, in Tolosensem lacum mergerent. Id postea Q. Servilius Cæpio consul R. expiscari jussit excidiumque sui atque exercitus sibi ipse molitus est. Romanos vero insecutus est Cimbricus tumultus, velut ultor illius pecuniæ. Fuere argenti pondo centum decem milia, auri quinquies decies centum milia. Adde *Gell*. 3. 9. Meminit et *Cic*. 3. *Nat. D*. 30. 74.

TŎLŪTĀRIS, e, adject. (tolutim) idem ac tolutilis vel tolutarius. Translate utitur *Fronto*, cujus locum *V*. in QUADRUPEDUS.

TŎLŪTĀRĬUS, a, um, adject. (tolutim) dicitur de equo, a *tolutim*, quia tollit alterno glomeratu pedes; ambo enim ejusdem lateris crura simul movet: aliqui vero volunt, dictum esse a pedum volubilitate, quasi *volutarium*, Italice *cavallo che va di portante o traino, ambiante, chinea*, *ἱπποφορεύς*, *εὔδρομος*. Hujus generis equi etiam *gradarii* appellantur, quia gradu non vulgari incedant, sed alternis crura molliter explicantes, commodam sessori præbeant vectationem, citra ullam succussationis molestiam. quod *Virg*. dixit 3. *G*. 117. Insultare solo et gressus glomerare superbos. *et Martial*. 14. 199. ad numerum rapidos qui colligit ungues. *et Sil. It*. 3. 336. Aut inconcusso glomerat (*equus*) vestigia dorso Aut molli pacata celer rapit esseda collo. *Seneca Ep*. 87. *ante med*. Ita non omnibus obesis mannis et asturconibus et tolutariis præferres unicum illum equum a Catone defrictum? — Absolute de cursore in *Gloss. Lat. Gr*. Tolutarius, *βαδιστής*. Cf. *Comment. Soc. philol. Lips. T*. 4. *part*. I. *p*. 48.

TŎLŪTĀTUS, a, um, particip. *V*. TOLUTOR.

TŎLŪTĪLIS, e, adject. (tolutim) tolutarius. *Varro* apud *Non. p*. 17. 26. *Merc*. Tolutili gradu vectus.

TŎLŪTĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. (tolutim *et* loquor) linguæ volubilitas. *Nævius* apud *Non. p*. 4. 7. *Merc*. O pestifera trux tolutiloquentia.

TŎLŪTIM, adverb. (tollo) pedes molliter tollendo, quod proprie ad equorum gradariorum incessum attinet, qui alternis crura molliter explicantes, commodissimam sessori præbent vectationem, quique a *Polluc. Onom. l*. 1. § 193. *εὔδρομοι* appellantur, *di portante*, *ἐπιτροχάδην*, *εὐδρόμως*. *Varro* apud *Non. p*. 4. 20. *Merc*. Ut equus, qui ad vehendum est natus, tamen traditur magistro, ut equiso doceat tolutim incedere. Sic *Plin*. 8. *Hist. nat*. 42. 67. (166). In eadem Hispania Callaica gens est et Asturica: equini generis (hi sunt, quos thieldones vocamus, minori forma appellatos asturcones) gignunt, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equis tolutim carpere incursus traditur arte. *Lucil*. apud *Non. p*. 11. 12. *Merc*. Si omne iter evadit stadiumque acclive tolutim. *Novius ibid. p*. 4. 9. Edixi iturum hominem in Tuscos tolutim. *Plaut. Asin*. 3. 3. 116. Demam hercle jam hordeo, tolutim ni badizas. *Varro* apud *Non. p*. 4. 20. *Merc. de equitante*. Hæc postquam dixit, cedit citu', celsu' tolutim.

TŎLŪTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (tolutim). Part. *Tolutatus*. — Tolutor est tolutim incedo (It. *andare di portante*; Fr. *aller au trot, au pas de course*; Hisp. *andar el portante*; Germ. *gehen im Trab, im Trott*; Angl. *to go with an ambling pace*). *Dosith. Gramm. p*. 61. *Keil*. Tolutor, *παίζω*; *ὑποσκιρτῶ*, tolutatus sum.

TŎMĀCĪNA, æ, f. 1. idem ac tomaculum: nempe a *τομή*, quia est segmentum carnis et in primis porcinæ. *Varro* 2. *R. R*. 4. *ante med*. Quotannis e Gallia apportantur Romam pernæ, tomacinæ et taniacæ et petasones. *V*. TANIACÆ.

TŎMACLUM. *V*. TOMACULUM.

TŎMACULARIUS, ii, m. 2. (tomaculum) qui facit aut vendit tomacula. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p*. 167. Tomaculum, tomacularius. Perperam hic legitur *tumatulum, tumatularius*.

TŎMĀCŬLUM, i, n. 2. *Tomaclum* per syncopem pro *tomaculum*, apud *Martial. loc. cit*. — Vox est a *τέμνω*, seco, concido, unde *τομή*, sectio, et *τέμαχος*, succidia, et deminut. *τεμάχιον*. — Tomaculum est genus edulii, quod fere fit ex jecore, abdomine, testiculis et vulvis suum minutim concisis et jam semicoctis, infusis ovis crudis et caseo optimo et liquamine, pipere, aniso, gingibere tegiturque omento suillo, *ἀλλᾶς*, *τεμάχιον* (It. *mortadella, salsicciotto*; Fr. *saucisson, mortadelle*; Hisp. *salchichon*; Germ. *Würste, Bratwürste*; Angl. *sausage, short thick-sausage, pudding*). *Juvenal*. 10. 355. Exta et candiduli divina tomacula porci. *Martial*. 1. 42. fumantia qui tomacla raucus Circumfert tepidis cocus popinis. *Petron. Sat*. 31. *extr*. Tomacula ferventia supra craticulam argenteam posita. Adde *ibid*. 49. *extr*. *Theod. Priscian*. 2. 10. Cibis congruis digestibilibus nutrio; ut sunt ova, tomacula, bucellæ candidæ in aqua calida maceratæ.

TŎMĒ, es, f. 1. *τομή*, sectio, incisio — *a*) Universim dicitur de sectione et divisione cujusque versus. Hinc primam, secundam, tertiam tomen versus hendecasyllabi pluribus exponit *Terentian. p*. 2440. *Putsch*. — *b*) Speciatim de cæsura, *cesura*, quæ fit statim post arsin aut in thesi: vel etiam de diæresi usurpatur. *Auson. Epist*. 4. 90. Tum quod bucolice tome relinquit. *sc*. cæsura, quæ in bucolicis versibus adhibetur. h. e. quum versus hexametri pes quartus est dactylus dictionem finiens, ut in illo *Virg*. 1. *Ecl*. 8. Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

TŎMENTUM, i, n. 2. *Isid*. 19. *Orig*. 27., appellatum dicit, quod aut in filo aut in tela tumeat nec subtilitatem habeat. quasi sit *tumentum*. Sed rectius cum *Furlanetto* duxeris a *τομάω* vel *τομέω*, pro *τέμνω*, seco, ut *fomentum* a *foveo*. — Tomentum proprie sunt flocci ex texta lana derasi a fullonibus et in culcitas farti: inventum Galliarum; quare varia tomentorum genera Gallicis nominibus discernuntur, ut *Plin*. ait 8. *Hist. nat*. 48. 73. (192). et 19. *ibid*. 1. 2. (13). Eodem vocabulo appellari possunt etiam acus, palea, pluma, qua farciuntur culcitæ. Græce *κνάφαλον* et *γνάφαλον* (It. *cimatura, borra, lana o altro, di che si riempiono i materassi*; Fr. *bourre*; Hisp. *borra*; Germ. *die Stopfwerk, Polsterung*; Angl. *stuff, cow-hair, down*). ¶ 1. Generatim. *Varro* 5. *L. L*. 167. *Müll*. In culcitas tomentum aliudve quid calcare. *Sueton. Tib*. 54. Adeo alimenta Druso subducta, ut tomentum ex culcita tentaverit mandere. Adde *Tac*. 6. *Ann*. 23. ¶ 2. Speciatim *tomentum Lingonicum* erat e lanæ rasæ floccis et differebat a *Leuconico*, quod proprium erat Leucorum, quos populos *Ptolemæus* vicinos Lingonibus facit. *Plin*. enim *loc. cit*. ait, suo tempore tomenta Gallicis discerni nominibus. *Martial*. 14. 159., cujus lemma *Tomentum Lingonicum*: Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ. Vellera Lingonicis accipe rasa sagis. *et ibid*. 160., cujus lemma *Tomentum Circense*: Tomentum concisa palus Circense vocatur. Hæc pro Lingonico stramina pauper emit. *V*. CIRCENSIS. ¶ 3. De tomento ex pluma et fœno est *epigr*. 161. *et* 162. *ibid*. Fiebat et ex foliis albis et mollibus herbæ, quæ *gnaphalion* ob id appellata est. *Plin*. 27. *Hist. nat*. 10. 61. (88). *Apul. De mag*. Capillus stuppeo tomento assimilis. Alii perperam legunt *tormento*.

TŎMICLA pro tomicula. *V*. TUMICLA.

TŎMIX. *V*. THOMIX.

TŎMUM. *V*. voc. seq.

TŎMUS, i, m. 2. Etiam *tomum* neutr. gen. *Osbern. Gloss*. 365. — Tomus duo diversa significat.

I.) *Tomus*, a Gr. *τόμος*, est sectio. ¶ 1. Dicitur de parte libri. *Martial*. 1. 67. Erras, meorum fur avare librorum, Fieri poetam posse qui putas tanti, Scriptura quanti constat et tomus vilis. ¶ 2. Item de parte quadam operis longioris in partes secti. *M. Aurel*. ad *Fronton*. 2. *ad Cæs*. (edente iterum *A. Maio*) *ep*. 13. Feci tamen mihi per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis. ¶ 3. Item, in universim, de libro quocumque. *Hieronym. Ep*. 22. *n*. 38. Accipe tibi tomum magnum novum et scribe in eo. *un gran tomo o libro*. Adde *Ep*. 82. *n*. 7. et *Rufin*. 2. *Apolog*. 13. V. DECLIVITER.

II.) *Tomus* est etiam genus piscis. *Plin*. 32. *Hist. nat*. 11. 53. (152). Turdus inter saxatiles nobilis, tomus, thranis etc. *Sillig*. tamen aliter. *V*. adnot. — *NB*. De nom. pr. *V*. ONOM.

TŎNÆUS, a, um, adject. *τοναῖος*, intentus: dicitur autem de sono. *Boeth*. 5. *Music*. 15. *p*. 1478. Chromatici mollis et chromatici hemiolii et chromatici tonæi. *Alii leg*. toniæi.

TŎNANS, antis, particip. *V*. TONO.

TŎNANTER, adverb. (tono) cum tonitru, inter tonitrua. *Dracont*. 3. *Hexaem*. 223. Temporibus nostris Christo regnante tonanter.

TŎNĀTĬO, ōnis, f. 3. (tono) tonandi actus. *Seneca* 2. *Quæst. nat*. 12. Illa comminatio est et tonatio sine ictu. *Alii rectius leg*. conatio. *V*. tamen hanc voc. sequiore ævo usurpatam apud *Eustath*. 7. *Hexaem*. 2.

TONDENS, entis, particip. *V*. voc. seq.

TONDĔO, tondes, tŏtondi, tonsum, tondere, a. 2. Etiam *tondo, is*, in 3. conj. *Vet. Kalend*. apud *Gruter. Inscr*. 138. *mense Majo*. Oves tonduntur. Sic *tundunt* pro *tondunt* in *Fast. rust*. in *Corp. Inscr. Lat*. 1. *p*. 358. col. 4. 10. et 5. 14.; et *tondent* pro *tondebunt* apud *Vulg. interpr. Ital. Ez*. 44. 20. — *Tosus*, extrita *n*, pro *tonsus* plerumque scripsisse antiquos, monet *Cassiod. De orthogr. p*. 160. 15. *Keil*. — Ratione habita etymi, a rad. Skr. *tund*, ejusdem significationis, ducunt recentiores. Cf. tamen *τένδω* seu *τένθω*, rodo, vel *ταμῶ*, *τέμνω*, seco, scindo. — Part. *Tondens* I. 1. *d* et 4. et II.; *Tonsus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Tondendus* I. 1. *a*. — Tondeo est cædo, seco, et dicitur speciatim de lana, capillis, barba et hujusmodi, *κείρω* (It. *tagliare, tondere, tosare*; Fr. *couper, tondre*; Hisp. *cortar, esquilar*; Germ. *scheeren, abscheeren, rasiren*; Angl. *to clip, shear*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto seu peculiari sensu. — *a*) Universim. *Plaut. Merc*. 3. 1. 28. (et *Plin*. 18. *Hist. nat*. 27. 67. (257). Tondere oves. Sic *Virg*. 3. *G*. 443. Tonsis (*ovibus*) adhæsit sudor. et *Vulg. interpr. Gen*. 31. 19. Ierat ad tondendas oves. *Horat*. 3. *Od*. 15. 14. Tonsæ lanæ. *Id*. 1. *Ep*. 18. 7. Tondere cutem. *Catull*. 61. 138. nunc tuum cinerarius tondet os. *h. e*. capillum et barbam. *Cic*. 5. *Tusc*. 20. 58. Ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. ita regiæ virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam et capillum patris. *Ovid*. 8. *Met*. 151. Tondere capillum. *Martial*. 11. 39. Tonsa barba. *Plin*. 8. *Hist. nat*. 42. 66. (164). equarum juba. *Martial*. 6. 64. vir ad speculum. — *Cic. Pis*. 8. *in fin*. Tu ex popina consul extractus cum illa saltatrice tonsa. *h. e*. cum Gabinio consule, quem ut saltatorem reprehendit *ibid*. 10. *et* 11.: *tonsam* vero dicit, non quod nullam haberet comam: quum *c*. 11. tribuat ei comptos capillos et madentes cincinnorum fimbrias; sed quia breviore coma utebatur lasciviæ causa; pueri enim meritorii ita tondebantur. Hinc *Sueton. Aug*. 45. Matrona in puerilem habitum circumtonsa. *et Ner*. 44. Concubinas tondere ad virilem modum. *Propert*. 4. 11. 38. Sub quorum titulis Africa tonsa jaces. *h. e*. captiva. *V*. infra. Allegorice omni decore spoliata. — Hinc *tonsus puer, minister*, idem est ac simplex, purus, rudis; nam quos habebant delicatos, comatos habebant et comptos. *Martial*. 10. 98. Suspectus tibi ne tamen recumbam, Præsta de grege sordidaque villa Tonsos, horridulos, rudes, pusillos Hircosi mihi filios bubulci. *et* 11. 12. pocula trade tonso pura ministro. — *Tonsus reus*, idem est qui absolutus: quia, durante judicio, rei sordidati capillum et barbam submittebant ad capiandam misericordiam: absoluti tondebant. *Id*. 2. 74. Ad alta tonsum templa quum reum mi

sit. — b) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. Tondere filias suas docuit. *Cels.* 6. 6. *n.* 8. Sed ante tonderi ad cutem convenit. — c) Mediorum apud Græcos more. *Quintil.* 1. 6. 44. Lavamur et tondemur et convivimus ex consuetudine. *ci tosiamo.* Alii leg. *lavamus et tondemus* eodem sensu. — d) *Tondere* pro tonderi vel se tondere. *Varro* 1. *R. R.* 37. Ne decrescente luna tondens calvefiam (*al.* calvus fiam). *Virg.* 1. *Ecl.* 29. Candidior postquam tondenti barba cadebat. *Sueton. Aug.* 79. In capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret ac modo tonderet, modo raderet barbam. — *Strictim tondere, attondere*, tondere ad cutem, ἐν χρῷ κείρειν: et *per pectinem tondere*, paullo longius a cute interposito pectine tondere. Sic Græcis duo tondendi genera sunt σκάφιον et κῆπος, illud strictim, hoc secus. Cf. *Plaut. Capt.* 2. 2. 18. — Mos tondendi barbam ab Augusto videtur perdurasse, saltem generatim, usque ad Trajanum, cujus successor Hadrianus antiquam consuetudinem barbæ demittendæ revocavit, quem plures ex sequentibus imitati sunt. V. *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1839. *p.* 240. Hinc barbam promittere vel submittere erat luctus signum. *Sueton. Cæs.* 67.; quod et de capillis dicendum est. *Seneca Troad.* 84. Cf. *Burmann.* ad *Petron. Sat.* 103. et *Munker.* ad *Hygin. fab.* 192. — Aliæ vero gentes, quibus barba ornamentum erat, eam tondebant seu ponebant in luctu. V. *Kirkmann. De funer. Rom.* 2. 13. et 14. Sic de Hebræis apud *Vulgat. interpr.* 1. *Esdr.* 9. 3. Evelli capillos capitis mei et barbæ et sedi mœrens. *et Jer.* 7. 29. Tonde capillum tuum et projice et sume planctum. — Mos etiam fuit, bello subactos tondere comam et victori crinem porrigere (ut est apud *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 45. et 1. *Fast.* 695.). Hinc *Propert.* 4. 11. 38. Sub quorum titulis Africa tonsa jaces. — Tondendi capitis peculiaris forma, clericis seu monachis usitata, apud Ecclesiasticos scriptores. Cf. TONSURA. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 1. *a med.* Julianus tonsus monachicam simulabat vitam. ¶ 2. Latiore sensu de aliis dicitur et est in universum cædere, resecare, putare. *Virg.* 4. *G.* 137. Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi. (*Alii leg.* jam tondebat hyacinthi.) *Tibull.* 3. 1. 9. Lutea sed niveum involvat membrana libellum: Pumex et canas tondeat ante comas. *h. e.* abradat pilos membranæ et læviget. *Horat.* 4. *Od.* 4. 57. duris ilex tonsa bipennibus. *Quintil.* 8. 3. 8. Sterilem platanum tonsasque myrtos, quam maritam ulmum et uberes oleas præoptaverim. *h. e.* ad speciem putatas, ut in hortis ornatui sint. Sic *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Ambulatio pressis varieque tonsis viridibus inclusa. *Virg.* 5. *Æn.* 774. et 3. *G.* 21. caput tonsæ foliis ornatus olivæ. Ubi *Servius:* minutis foliis compositæ, ut 1. *Æn.* 706. tonsisque ferunt mantilia villis. Ubi *id.* vel minutis vel compositis, ut 5. *ibid.* 556. Omnibus in morem tonsa coma pressa corona. *h. e.* ex minutis aut apte compositis foliis conserta. *Heyne:* cui decerptæ sunt frondes, *liscia.* (Fallitur hic *Servius* τὸ *tonsa* cum *coma* componens.) *Ovid. Remed. am.* 191. Tonsa humus. *h. e.* fœnisecia facta. *Virg.* 1. *G.* 71. alternis tonsas cessare novales. *h. e.* messura facta. *et* 4. *ibid.* 277. Tonsæ valles. *h. e.* non silvosæ, sed cultæ, resectis superfluis fruticibus et arboribus silvescentibus. *Colum.* 4. *R. R.* 21. Vitis in pollicem tondeatur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Oleæ tondentur quum et vites. *Id.* 12. *ibid.* 25. 54. (112). Tondetur balsamum fruticans. *Id.* 28. *ibid.* 4. 6. (34). Tondere nævos in facie, religiosum habent etiam nunc multi. — Hinc metaphorice *Cledon. præf. p.* 9. 14. *Keil.* Luxuriosos tonde sermones. ¶ 3. Item pro metere, secare, *mistere. Tibull.* 4. 1. 172. Tondeturque seges maturos annua partus. ἑλληνισμός. *Virg.* 1. *G.* 289. Nocte leves melius stipulæ, nocte arida prata Tondentur. *Seneca Phœniss.* 130. Colonus agros uberis tondet soli. ¶ 4. Item pro rodere, carpere, pasci. *Virg. Cul.* 50. Tondentur tenero viridantia gramina morsu. *Lucret.* 2. 659. tondentes gramina lanigeræ pecudes. *Virg.* 3. *Æn.* 537. equos in gramine vidi Tondentes campum late. *Id.* 1. *G.* 15. tondent dumeta juvenci. *Sil. It.* 13. 839. Illa autem, quæ tondentur præcordia rostro Alitis. *h. e.* laceratur et carpitur. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 597. rostroque immanis vultur obunco Immortale jecur tondens. Alii leg. *tundens.* et *Seneca Agam.* 18. Ubi tondet ales avida fecundum jecur. ¶ 5. Similiter decerpere, legere, *cogliere, raccogliere. Propert.* 3. 11. 29. Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre Lilia virgineos lucida per calathos. ¶ 6. Item pro radere vel sulcare. *Minuc. Fel.* 3. 6. Tondere summos fluctus. ¶ 7. *Auct. Comment. Eins.* in *Donat. p.* 222. 4. *Hag.* Sunt et tonsæ (*litteræ*), quas Scotti in usu habent. ubi *tonsæ litteræ* quid sint, non plane constat.

II.) Translate est spoliare, privare. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 8. Hunc tondebo auro usque ad cutem. *Propert.* 3. 17. 22. *de Scylla.* Tondens purpurea regna paterna coma. — Hinc

*Tonsa, æ,* f. 1, absolute, substantivorum more ¶ 1. Est capra. *Vulg. interpr. Ital. Cant.* 4. 2. Dentes tui sunt grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Adde *Ambros. De myst.* 7. *n.* 38. ¶ 2. Alia significatione et fortasse alia origine. *V.* TONSA.

TONDO, is. *V.* voc. præced.

TŎNESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* tono, sed significatione idem ac tono. *Varro* apud *Non. p.* 180. 15. *Merc.* Tunc repente cælitum altum tonitribus templum tonescit.

TONGĔO, es, ere, n. 2. *et* Tongo, is, ere, 3. Origo vocis petenda, ut videtur, a Skr. *tang,* ejusdem significationis; quicum conferri potest Germ. *denken,* cogitare. *Galvani* in *Saggio di un Gloss. Mod. p.* 16. ait, Prænestinos sermone ipsorum rustico dixisse *tongere* quod urbano *tenere;* idcirco *totum tongo* idem esse ac Romanum *totam rem teneo,* sc. omnia intelligo. Unde et *tonsa* pro summa remi parte, quæ manu tenetur, et *tonsilla* pro paxillo, ad quem naviculæ ligantur. — Tongeo ita exponit *Fest. p.* 356. 9. *Müll.* « Ælius Stilo ait, noscere, esse, quod Prænestini tongitionem dicant pro notione. Significat et latius dominari. Ennius: Alii rhetorica tongent. Et, vincere, etiam quandoque videtur significare». *O. Müller* in adnot. hæc habet: Laudatur *glossarium Fornerii:* tongere εἰδεῖν. *Enn.* in XVIII., *Lucil.* in XXIII. Sed vide *L. Müllerum* ad *Lucil. p.* 78. et 244.

TONGILLĀTIM, adverb. pravis verbis, a Tongillo parasito, qui in hoc invenerat risus aucupium aut salutatus convicio responderet et maledicentem salutaret blandissime. Ita *Gloss. Isid.*

TONGĪTĬO et

TONGO, is. *V.* TONGEO.

TŎNĬÆUS, a, um, adject. (τονιαῖος) *Thonicæus* male quidam scribunt. — Toniæus est toni magnitudinem æquans. *Capell.* 9. *p.* 324. Sex sunt notæ: enharmoniæ una; chromatis tres, quarum - tertia quæ est toniæa. *Al. leg.* tonia. *Boeth.* 5. *Music.* 16. Chromatici toniæi. *Al. leg.* thonici vel tonici, *al.* tonæi.

TŎNĬCUS. *V.* voc. præced.

TŎNĪTRĀLIS, e, adject. (tonitru) in quo fit tonitru, βροντεῖος. *Lucret.* 1. 1096. Neve ruant cæli tonitralia templa superne. *Lachm.* penetralia.

TŎNĪTRĀTOR, ōris, m. 3. (tonitru) qui tonitrua immittit, *sc.* Juppiter. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2766., nisi aliter legend.

TŎNĪTRU. *V.* TONITRUS.

TŎNĪTRŬĀBĬLIS (tonitrabilis), e, adject. (tonitru) idem ac tonitrualis. *Gloss. Cyrill.* Βρονταῖος, tonitruabilis.

TŎNĪTRŬĀLIS, e, adject. (tonitru) ¶ 1. Est ad tonitru pertinens. Translate *Cassiod.* in *Ps.* 45. 6. Per apostolos tonitruali virtute per universum mundum omnipotens Doctor insonuit. ¶ 2. Est etiam qui tonitrua immittit. *Apul. De mundo.* Dicitur (*Juppiter*) et fulgurator et tonitrualis et fulminator. Cf. voc. præc. et RITUALIS.

TŎNĪTRUM. *V.* TONITRUS.

TŎNĪTRŬO, as, are, n. 1. (tonitru) idem ac tono, tonitrua immitto. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Od.* 12. 53. Tibi Olympi regnum et tonitruare atque fulminare permittet. *Commodian. Instruct.* 6. 7. Insipiens Jovem tonitruare tu credis. Adde *Hieronym.* in *Ps.* 76.

TŎNĪTRUS, us, m. 4. (tono) — a) Aliæ formæ traduntur: – *Tonitruum* n. 2. in sing. num. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (88)., *Trebell. Gallien.* 5., *Vopisc. Car.* 8. *n.* 3. et 6., *Varro Sat. Men.* 412., *Augustin.* 1. *Conf.* 16., *Venant.* 3. *carm.* 4. 2. etc.; et in plur. *Ovid.* 1. *Met.* 55., *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 56., *Ammian.* 21. 1. 12. etc. Genetivus tamen plur. sumitur sæpius a *tonitrus, us,* quam a *tonitruum. Pacuv.* apud *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 2. Clamor tonitruum et rudentum sibilus. — *Tonitrum* pro *tonitruum* apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 79. 81. (192). *Detl.* Aliter *Sill.* Hinc *tonitra* pro *tonitrua* sunt qui leg. in fragmento *Accii* apud *Priscian.* 6. *p.* 686. *Putsch.* — *Tonitruus*, quoque reperitur in recto casu apud *Hieronym. advers. Jo. Hierosol. n.* 10. Tonitruus Gentium, flumen eloquentiæ Christianæ. Adde *Augustin.* in *Ps.* 140.; item apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 54. 75. (152). leg. *Detlefsen.* Sic genetivus *tonitruus* est *Sedul. carm. Putsch.* 5. 1. — *Tonitru* denique neutr. 4. affertur a *Charis.* 1. *p.* 23. *Putsch*, sed hujus positionis nullum adhuc exemplum vidimus, inquit *Forcellinus.* Cf. tamen *eumd. p.* 49. 31. et in *Excerpt. p.* 554. 31. *Keil.* et *Prob. App. p.* 198. *ibid. Gloss. Lat. Gr.* Tonitru, βροντή. — b) In dat. et abl. plur. *tonitribus* fere usurpatur; sed *tonitrubus* quoque legitur apud *Auct. De or. gent. Rom.* 14. 2. et 20. 1. et fortasse apud *Phædr.* 5. 7. — Tonitrus est sonus vel fragor, qui fit inter nubes ob explosam electri vim, βροντή, βρῶμος (It. *tuono;* Fr. *tonnerre;* Hisp. *trueno;* Germ. *der Donner;* Angl. *thunder*).

I.) Proprie. *Accius fragm.* 223. *Ribb.* Tonitru torvo. *Pacuv. fragm.* 413. *ibid.* Cælum tonitru contremit. *Plaut. Amph.* 5. 1. 10. Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus. *Lucret.* 6. 164. tonitrum auribus accipiamus. *Virg.* 4. *Æn.* 122. tonitru cælum omne ciebo. *Cic.* 2. *Divinat.* 18. 42. Nonne perspicuum est ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactusque fulminum extimuissent, credidisse ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem? Adde *Ovid.* 14. *Met.* 496. *Liv.* 1. 16. Subito coorta tempestas, cum magno fragore tonitribusque, tam denso regem operuit nimbo etc. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (188). Tonitrua solitariis ovibus abortus inferunt. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 56. Hæc antiqui *fulgetra* dicebant, *tonitrua* nos pluraliter dicimus: antiqui aut *tonitruum* dixerunt aut *tonum. Stat.* 1. *Theb.* 258. tonitrus agis et mea fulmina torques. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (88). Tonitruum terribile exsistit. *Gell.* 10. 12. Tonitrus et imbres fieri derepente. *Trebell. Gallien.* 5. Auditum præterea tonitruum, terra mugiente, non Jove tonante. — Poetice *Juvenal.* 5. 117. facient optata tonitrua cenas. *h. e.* optatas propter tubera, quæ erant in deliciis ciborum, et dicebantur crescere præcipue tempore crebrorum tonitruum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim de ingenti sonitu et fragore. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 57. 10. *Müll. Claudiana tonitrua* appellabantur, quia Claudius Pulcher instituit, ut ludis post scænam collectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrus similitudinem imitarentur. Nam antea leves admodum et parvi sonitus fiebant, quum clavi et lapides in labrum aeneum conjicerentur. *Sil. It.* 9. 423. Tonitru clipei. et 13. 10. armorum. *Augustin.* in *Ps.* 140. *n.* 19. Populorum pectora tundentium tonitruus non quiescit. ¶ 2. Item de oratione. *Capell.* 5. *p.* 137. Diceres crepitare tonitrua. Cf. *ibid. p.* 139. *Sil. It.* 13. 16. tonitrus fugio. ¶ 3. De magno sono vocis humanæ nonnulli exponunt illud *Vulg. interpr. Marc.* 3. 17. Imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui. Cf. *Isid. De nat. rer.* 29. ¶ 4. Tropice pro fulgure. *Virg.* 8. *Æn.* 391. Non secus atque olim tonitru quum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

**TŎNĬTRŬUM** et

**TŎNĬTRŬUS.** V. voc. præced.

**TŎNĬUS.** V. TONIÆUS.

**TONMĔSON,** τὸν μέσον, apud Auct. Gramm. De fig. Græc. ed. Hag. in calce ad Schol. Bern. in Virg. Buc. et Georg. p. 984. et seqq. Tonmeson est figura quando quid ad multos attinet etc.

**TŎNO,** tŏnas, tŏnŭi, tŏnare, n. 1. Tono, is, in tertia conjug. est Varron. apud Non. p. 49. 20. Merc. Tibi tympana non inani sonitu Matris deum tonimus. V. Burmann Anthol. Lat. T. 1. p. 30. — Ratione habita etymi, recentiores deducunt a rad. Skr. tan, resono. Cf. etiam Gr. τόνος, a τείνω, tendo, sonus intentus et vehemens, et Germ. donnern. — Part. Tonans in omn. paragr. et in fin. — Tono est strepo, vehementer sono, resono, reboo, ἠχέω, κτυπέω (It. risonare, strepitare, tonare; Fr. tonner; Hisp. tronar; Germ. donnern, ertönen; Angl. to thunder). Porro usurpatur plerumque intransitive; aliquando vero etiam transitivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Lucret. 2. 618. Tympana tenta tonant. Virg. 9. Æn. 540. pondere turris Procubuit subito et cælum tonat omne fragore. et 12. ibid. 757. Exoritur clamor: cælum tonat omne tumultu. Seneca Troad. 173. excelsum nemus Fragore vasto tonuit. Martial. 9. 69. Murmure jam sævo verberibusque tonas. Val. Flacc. 4. 612. Et tonat afflicta semper domus ignea massa. risuona, rimbomba. Avien. Perieg. 186. salis Ægæi tractus tonat. et 1374. toto tonuerunt classica cælo — Tonare aridum, h. e. sonum edere horrendum, acutum, nimium. V. ARIDUS. Varro Sat. Menipp. 52. p. 150. Oehl. Et cum corrigia disrupta tonat aridum. ¶ 2. Speciatim et sæpius dicitur de nubibus ex ictu fulminis resonantibus, tonare, far sentire o rumoreggiare il tuono, βροντάω. Enn. Ann. 517. Quum tonuit lævum bene tempestate serena. Id. apud Senec. Ep. 118. et Virg. 3. G. 260. quem super ingens Porta tonat cæli. Horat. 1. Od. 34. 7. Diespiter per purum tonantes Egit equos. Propert. 4. 1. 7. Juppiter tonabat. In Comment. aug. apud Cic. 2. Divinat. 18. 43. et 5. Phil. 3. 7. Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Plin. 15. Hist. nat. 30. 40. (135). Tonante cælo, coronari lauro contra fulminum metus. Seneca Med. 531. Nunc summe toto Juppiter cælo tona. Id. Hippol. 682. Divum rector, in me tona. Fronto ad Verum Imp. (edente iterum A. Maio) ep. 1. a med. Ea ipsa tonandi potestas non Diti patri neque Neptuno neque diis ceteris, sed imperatori summo Jovi tradita est, ut fragoribus nubium et sonoribus procellarum, velut quibusdam cælestibus vocibus, altissimum imperium a contemptu vindicaret. — Impersonaliter. Plaut. Amph. 5. 1. 10. et 78. Ut subito, ut propere, ut valide tonuit! Cic. 2. Divinat 72. 149. Si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de cælo. Sic Apul. De mund. ante med. Ordine tonare prius oportet, postea coruscare.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de vi et sono verborum vel vocis; hinc tonare dicuntur grandia loquentes et eloquio insignes; nam, ut ait Plin. 1. Ep. 21. a med., oratio lata et magnifica et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet, Itali dicunt fa strepito e impressione negli animi. — a) Intransitive. Cic. Orat. 9. 29. Pericles ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Græciam dictus est. Colum. 1. R. R. præf. ad fin. Neque ille ipse Cicero territus. cesserat tonantibus Demostheni Platonique. Propert. 3. 15. 40. Qualis Pindarico spiritus ore tonat. Virg. 11. Æn. 383. Proinde tona eloquio, solitum tibi. Capell. 5. p. 139. de Tullio. Rostris grandiloquæ facultatis majestate tonuerit. — b) Transitivorum more, cum accusativo. Virg. 4. Æn. 510. Tercentum tonat ore deos. h. e. magna voce inclamat. Propert. 4. 1. 134. Et vetat insano verba tonare foro. Martial. 8. 3. Aspera vel paribus verba tonare modis. Claudian. 1. Rapt. Pros. 83. tunc talia celso Ore tonat. Id. epist. 3. 4. Carmina seu fundis seu Cicerona tonas. Id. Cons. Prob. et Olybr. 218. gratamque facem per inane rotantes Prospera vibrati tonuerunt omina nimbi. ¶ 2. Metaphorice. Auson. Sapient. sent. in Periand. Si fortuna tonat, caveto mergi. Adde Vulgat. interpr. 1. Reg. 2. 10. et 1. Par 16. 32. Justin. 32. 4. 10. Hannibalem Romano tonantem bello Italia contremuit. — Hinc Part. præs.

Tonans, antis, adjectivorum more cum substantivo aut absolute. ¶ 1. Adjectivorum more, et est qui tonat, unde Sup. Tonantissimus. — a) Proprie. Virg. 5. Æn. 820. sub axe tonanti. Cf. Ovid. Heroid 19. 81. tonantes venti. — b) Translate. Apul. 6. Met. Canis tonantibus oblatrans faucibus. Cassiod. in Ps. 26. 12. Cor desiderium tacitum prodit, quod plus audit Divinitas, quam populorum tonantissimas voces. ¶ 2. Absolute, substantivorum ritu, dicitur — a) De Jove. Ovid. Heroid. 9. 7. velit hoc germana Tonantis. Id. 2. Fast. 69. Tonans Capitolinus. h. e. Juppiter tonans, cui Augustus ædem exstruxerat in clivo Capitolino, cujus meminit Sueton. Aug. 29. et 91. Ovid. 1. Met. 170. Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis. Adde Lucan., Val. Flacc., Martial., Senec. tr., Claudian. etc., quibus conjungenda Inscr. n. 1272. apud Orellium. — Falcifer Tonans apud Martial. 5. 16., h. e. Saturnus. — Scæptriferi Tonantes apud Senec. Med. 59., h. e. Juppiter et Juno. — b) De vero Deo. Augustin. in Ps. 66. n. 8. Time tonantem et excipe pluentem. sc. Deum. Juvenc. 6. Hist. euang. 787. de Christo. Proles veneranda Tonantis. Adde Alcim. 2. 245.

**TŎNO,** is. V. voc. præc. init.

**TŎNOR,** ŏris, m. 3. (tonus) Ita dictus est ab antiquis tenor, hoc est accentus, teste Quintil. 1. 5. 22. V. TENOR.

**TŎNOS.** V. TONUS.

**TŎNŎTĬCUS,** a, um, adject. τονωτικός, vim habens intendendi, seu roborandi et firmandi. Theod. Priscian. de diæt. 9. Mastix foris tonotica.

**TONSA,** æ, f. 1. duo diversa significat. ¶ 1. Tonsa est remus, remo, κώπη, et hoc sensu vocem alii ducunt a tondeo, quia, ut ait Fest. p. 356. 1. Müll., quasi tondetur ferro; alii a tundo, quia tundit aquam: Serv. ad Virg. 7. Æn. 28. Tonsæ a decutiendis fluctibus, sicut tonsores a decutiendis capillis; alii a tendo vel a teneo. V. TONGEO. Enn. apud Fest. loc. cit. Alius in mari vult magno tenere tonsam. — a) Proprie. Val. Flacc. 1. 369. Tum valida Clymenus percusso pectore tonsa Frater et Iphiclus puppim trahit. Adde Enn. loc. cit. — Sæpius tamen in plur. num. adhibetur. Id. ibid. Pone recumbite vestraque pectora pellite tonsis. Id. ibid. exin referunt ad pectora tonsas. Virg. 7. Æn. 28. in lento luctantur marmore tonsæ. et 10. ibid. 299. socii consurgere tonsis. Lucan. 3. 527. impulsæ tonsis tremuere carinæ. Adde 5. 448., Sil. It. 11. 491. et 14. 358. Senec. Agam. 443. et Lucret. 2. 554. — b) Tropice pro remi parte, quæ palmula dicitur, pala: immo sunt qui docent, hanc esse primam vocis significationem et per synecdochen de toto remo usurpari. Manil. hac ratione usus videtur 4. 284. Aut remos agitare et lentas flectere tonsas. ¶ 2. Alia significatione V. in TONSUS, a, um.

**TONSĬCŬLA,** æ, f. 1. deminut. a tonsa, parva tonsa: ita appellatur genus quoddam piscis apud Cassiod 12. Variar. 4.

**TONSĪLIS,** e, adject. (tondeo) ¶ 1. Est qui tonderi potest. Plin. 8. Hist. nat. 50. 76. (203). Capræ in Cilicia circaque Syrtes villo tonsili vestiuntur. h. e. oblongo et ad texendum apto. Ex eo enim fit pannus, qui dicitur camelotto. Rursus id. 16. ibid. 10. 18. (40). Picea jam in domos recepta, tonsili facilitate. ¶ 2. Item tonsus, tosato: ut rasilis, rasus. Plaut. Stich. 2. 2. 54. Tonsilia tapetia. Alii tamen aliter leg. V. TAPETE et Schoell etc. Anal. Plaut. p. 162. Martial. 3. 58. de villa. Non otiosis ordinata myrtetis Viduaque platano tonsilique buxeto. Plin. 12. Hist. nat. 2. 6. (13). Primus C. Matius nemora tonsilia invenit. Cn. Mattius apud Gell. 20. 9. Tonsiles tapetes ebrii fuco. h. e. villo brevi admodum aut nullo. Fronto Laud. etc. p. 329. Tonsilia arbusta.

**TONSILLA,** æ, f. 1. Scribitur etiam tosilla, tusilla vel tussilla. Cf. W. Schmitz Beitrag. p. 36. et seqq. — Tonsilla tria diversa significat. ¶ 1. Tonsilla, deminut. a tonsa, parva tonsa seu proprie palus, ad quem naves ligantur. Fest. p. 356. 28. Müll. Tonsillam ait esse Verrius palum dolatum in acumen et cuspide præferratum, ut existimat, quem configi in litore navis religandæ causa. Pacuvius in Medo: Accessi ad eam et tonsillam pegi lævo in litore. Accius: Tacite tonsillas litora in lecta indite. Hæc Festus. Locum Pacuvii descripsit etiam Priscian. 10. p. 894. Putsch. Adde Lucil. Sat. 10. 3. Perperam Isid. 19. Orig. 2. 14. Tonsilla uncinus ferreus vel ligneus, ad quem in littore defixum funes navium illigantur, de quo Ennius: Tonsillas rapiunt, configunt littus, ad uncos. V. PRYMNESIUS. ¶ 2. Tonsilla est etiam nomen avis apud Schol. Bern. in Virg. 6. Ecl. 74. et 1. G. 104. ¶ 3. Tonsilla, seu potius tonsillæ, nam in plur. num. usurpatur, sunt glandulæ in summis faucibus, quæ interdum inflammantur et intumescunt, deglutiendi facultatem impediunt et nonnumquam exulcerantur, παρίσθμια, ἀντιάδες (It. gavigne, strangughioni, tonsille; Fr. amygdales, tonsilles; Hisp. agallas; Germ. die Mandelgeschwulst; Angl. the almonds, tonsils). Earum curationem Cels. 6. 10. et 7. 12. n. 2. tradit, Plin. 11. Hist. nat. 37. 66. (175). Tonsillæ in homine, in sue glandulæ, quod inter eas uvæ nomine ultimo dependet palato, homini tantum est. Cic. 2. Nat. D. 54. 135. Linguam, ad radices ejus hærens, excipit stomachus: oris utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur. Adde Isid. 11. Orig. 1. 57., ubi vulgo tusillæ, sed Otto leg. toxillæ. Etiam Gloss. Labb. Tusillæ, παρίσθμια.

**TONSILLÆ,** ārum. V. voc. præced.

**TONSĬO,** ōnis, f. 3. (tondeo) actus tondendi (It. tonsura, tosatura; Fr. tonte; Hisp. tunda, tundidura; Germ. das Scheeren, Schur; Angl. a clipping).

I.) Proprie. Cato R. R. 2. ad. fin. Pecus consideret, tonsionem uti faciat. Aliis rectius leg. auctionem. Vulgat. interpr. Deut. 18. 4. Lanarum pars ex ovium tonsione.

II.) Translate. Id. Am. 7. 1. Est ecce serotinus (imber) post tonsionem regis. devastazione.

**TONSĪTO,** as, are, a. 1. frequentat. a tondeo, sæpe tondeo, tosare spesso. Plaut. 5. 2. 9. Rerin, ter in anno tu has (oves) tonsitari?

**TONSOR,** ōris, m. 3. Etiam tosor pro tonsor in Inscr. apud Fabretti p. 214. n. 546. — Tonsor est qui lanam, capillum et barbam radit, κουρεύς (It. tosatore; Fr. tondeur; Hisp. tundidor; Germ. e. Scheer; Angl. clipper). ¶ 1. Stricto sensu. — De eo qui lanam tondet, tosatore. Edict. Diocl. 7. 32. Tonsor pecorum. Vulgat. interpr. Gen. 38. 12. ovium suarum. Adde 1. Reg. 25. 11. — De eo qui capillum et barbam aut forfice tondet aut cultro radit, barbiere. Cic. 5. Tusc. 20. 58. Dionysius ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Horat. 1. Ep. 1. 94. Si curatus inæquali tonsore capillos Occurro, rides. Martial. 6. 57. Tonsorem capiti adhibere. Sueton. Aug. 79. Tonsori operam dare. h. e. tonsorem adhibere. — Non solum barbam aut capillum, sed etiam ungues curabant. Plaut. Aulul. 2. 4. 33. Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat: collegit, omnia abstulit præsegmina. V. Val. Max. loc. cit. in TONSORIUS. — Lepidum epigramma in tonsorem imperitum habes apud Martial. 11. 84. — Res nota lippis et tonsoribus, inquit Horat. 1. Sat. 7. 3., significans aliquid pervulgatum et in ore omnium esse: nos Itali dicimus: esser noto persino ai pesciolini, star scritto su pei boccali etc. V. LIPPUS. — Romani prioribus annis sine tonsoribus fuere (ut narrat Plin. 7. Hist. nat. 59. 59. [211]), intonsi enim vivebant: quod adsignificant (inquit Varro 2. R. R. 11. a med.) antiquorum statuæ, pleræque capillum et barbam magnam habentes.

Inducti sunt Romam primum ex Sicilia a P. Ticinio Mena an. U. C. CCCCLIV. Prius vero apud Romanos barbam tonsores forfice tondebant, unde eis nomen factum; deinde cultro seu novacula radebant; tandem volsellis vellebant. Hinc *Martial.* 8. 47. Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est, Pars vulsa est: unum quis putet esse caput? Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens: Augustus cultris semper usus est, ut *Varro* 2. *R. R.* 11. et *Plin. loc. cit.* narrant. — Inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Murat.* 897. 8. DONATVS TI. GERMANICI TONSOR. ¶ 2. Latiore sensu pro putatore. *Arnob.* 6. *p.* 197. Saturnus cum obunca falce ramorum luxuriantium tonsor.

TONSŌRĬUM. *V.* voc. seq. in fin.

TONSŌRĬUS, a, um, adject. (tonsor) ad tonsorem et ad tondendum pertinens, *da tosatore o da barbiere*, κουρικός. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Castratoria ferramenta atque tonsoria. *h. e.* tondendis ovibus. — *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. et *Petron. Sat.* 108. *a med.* Cultros metuens tonsorios. *i* rasoi, novaculas. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 15. Cultellum tonsorium, quasi unguium resecandorum causa, poposcit. *Martial.* 14. 36., cujus lemma *Ferramenta tonsoria:* Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis: Unguibus hæc longis, utilis illa genis. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *a med.* Sella tonsoria, obliquis anconibus fabricata. — Hinc

*Tonsorium, ii,* n. 2. absolute, idem ac tonstrina. *Gloss. Cyrill.* Κούριον, tonstrina, tonstrinum, tonsorium.

TONSRIX. *V.* TONSTRIX.

TONSTRĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* tonstrix, ut ait *Priscian.* 3. *p.* 371. 14. *Keil,* quomodo a *nutrix* fit *nutricula*, et est fere ejusdem significationis, κουρευτρίδιον. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. Regiæ virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam et capillum patris.

TONSTRĪNA, æ, f. 1. (tondeo) officina tonsoris, κουρεῖον (It. *barbieria;* Fr. *echoppe de barbier;* Hisp. *tienda de barbero, barberie;* Germ. *d. Barbierbude;* Angl. *a barber's shop*). *Plaut. Epid.* 2. 2. 13. Per omnem urbem quem sum defessus quærere, per medicinas, per tonstrinas, in gymnasiis atque in foro. (Adde *Amph.* 4. 1. 5.) *Id. Asin.* 2. 2. 76. in tonstrina ut sedebam, me infit percontarier. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 47. (165). Cotes saliva hominis proficientes in tonstrinarum officinis. *Id.* 29. *ibid.* 6. 36. (114). Aranei tela vulneribus tonstrinarum sanguinem sistit. *h. e.* novacula factis in radendo. *Id.* 35. *ibid.* 10. 37. (112). Tonstrinas pingere. Adde *Gloss. Gr. Lat.* in voc. seq.

TONSTRĪNUM, i, n. 2. ¶ 1. Est idem ac tonstrina. *Gloss. Cyrill.* Κούριον, tonstrina, tonstrinum. ¶ 2. In illo *Auson. Sat.* 64. Cantando pæne phthisicus factus sum. Quid saltare? quid diverbia? quid tonstrinum? *tonstrinum* pro arte ipsa tonsoris accipit cl. *De-Vit;* sed, *coll.* etiam *ejusd. Auson. Sat.* 46., videtur esse idem quod ars melica vel cantus in scæna, a τόνος seu τονίζω dictum. *Heinsius* leg. *toni histrionum*, quod glossema potius dixeris. Cf. voc. seq.

TONSTRĪNUS (tonstreinus), i, m. 2. melicus seu cantor, *cantore o musico di professione. Auson. Sat.* 46. Quod si resilierit, destinavi illum artificii docere aut tonstrinum aut præconem aut certe causidicum. Cf. *ibid.* 64. *Scheffer* et *De-Vit* putant esse *tonsorem*, sed *Bücheler* rectius *scœnicum artificem* interpretatur.

TONSTRIX, tricis, f. 3. (tondeo) *Tonsrix* pro *tonstrix*, extrita *t*, vellet *Charis.* 1. *p.* 30. *Putsch.*, sed improbat *Priscian. part. XII. vers. Æn.* 1. *p.* 463. 16. *K.* et usum rejicit. Cf. *Ribbeck* in *Coroll.* ad *Com. fragm. p.* LXXII. 204. — In plur. neutr. adjective adhiberi posse monet *Probus p.* 91. 23. *Keil,* ita ut, quomodo *victricia arma*, sic *tonstricia mancipia*, recte dicatur; nullum tamen affert auctoris locum. Num potius admittendæ formæ *victricius, tonstricius?* Viderint eruditi. — Tonstrix est quæ tondet, mulier tonsoris officio fungens, *barbiera*, κουρεύτρια. *Plaut. Truc.* 2. 4. 51. Tonstricem Syram nostram. Adde *ibid.* 4. 2. 59. et 4. 4. 3. et *Martial.* 2. 17. *Inscript.* apud *Gruter.* 594. 3. SEXTIAE L. TERTIAE TONSTRICI SEXTIA XANTA SCR. (*Fabretti p.* 214. *n.* 547. legit *Ser.*) LIBRARIA EM. OLL. II. *V.* TOSTRIX. Adde *aliam* apud *Borghesi Œuvr. T.* 2. *p.* 56., quam sublestæ fidei putat *Jahn* ad *h. l.*, sinceram *Henzen* in *Suppl. Orell. n.* 6286.

TONSŪRA, æ, f. 1. (tondeo) actus tondendi, *tosatura, tonditura*, κουρά, κάρσις. ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 2. *R. R.* 11. Quidam in anno bis tondent (*oves*) ac semestres faciunt tonsuras. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (114). Nigra lana primæ tonsuræ (*V.* APTATURA). *Ovid.* 1. *Art. am.* 517. Nec male deformet rigidos tonsura capillos. Adde *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 10. *extr.* — Speciatim apud Ecclesiasticos scriptores de certa quadam ex ritu tonsione capillorum in capite, quod est clericorum vel monachorum insigne, *tonsura. Julian. Antecess. Constit.* 4. 2. et *Isid.* 2. *Off. Eccl.* 4. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de putatione, *potagione, potamento. Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 45. (257). Vitis tantum tonsuram annuam quærit, alternam myrtus, punicæ, oleæ. Adde 16. *ibid.* 37. 68. (175).

TONSUS, a, um, particip. *V.* TONDEO.

TONSUS, us, m. 4. (tondeo) idem ac tonsura. *Plaut. Amph.* 1. 1. 288. Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasus vel labra. *Accius* apud *Non. p.* 179. 20. *Merc.* Sed quænam hæc est mulier, funesta veste, tonsu lugubri?

TŎNUM. *V.* voc. seq.

TŎNUS et tonos, i, m. 2. (τόνος) Etiam *tonum* neutr. gen. tribuebatur olim *Vitruv.* 9. 9. Calculi aut tona projiciuntur. Sed pro *tona* legend. *ova.* — Tonus est tensio, intentio (It. *tensione, stiramento;* Fr. *tension, tiraillement;* Hisp. *tension, estiron;* Germ. *die Spannung;* Angl. *tension, stretching*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 10. *de capitulis balistarum.* Quo mollior est tonus propter altitudinem capituli.

II.) Tropice. ¶ 1. Est in re musica soni intentio, tenor, *tuono di voce, tono. Id.* 5. 4. vocat *sonitum. Id. ibid.* Harmonia tetrachordorum et tonos et dieses habet binas: diesis autem est toni pars quarta. Adde *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 1. *a med.* et *Capell.* 9. *p.* 315., ubi de tonis plura. ¶ 2. Hinc tonitrus, *tuono. Seneca* 2. *Quæst. nat.* 56. Tonitrua nos pluraliter dicimus: antiqui aut tonitruum dixerunt aut tonum. Hoc apud Cæcinam invenio, facundum virum, qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset. ¶ 3. In re grammatica est accentus, προσῳδία. *Nigid.* apud *Gell.* 13. 25. Secunda syllaba superiore tono est, quam prima. deinde novissima dejicitur, at in casu vocandi summo tono est prima. Ipse *Gell. ibid.* Summum tonum προσῳδίαν acutam dicit. *V.* ACCENTUS. ¶ 4. In picturis splendor intermedius inter lumen et umbram tonus dicitur, *riflesso della luce.* V. *Winckelmann, Stor. dell'arte l.* 7. *c.* 4. § 6. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 11. (29). Deinde adjectus est splendor, alius hic quam lumen, quem, quia inter hoc et umbram esset, appellaverunt Græci tonon: commissuras vero colorum et transitus harmogen. ¶ 5. In re astronomica dicitur *tonus* distantia sive spatium, quod intercedit inter sidus et sidus. *Hygin.* 4. *Astron.* 4. *post med.* Hunc autem, quia certum spatium non potuerunt dicere, tonum dixerunt: igitur abest Luna a Terra tono uno. Adde *Grom. vet. p.* 185. 1. *et seqq. Lachm.-Rud.*

TOPANTA. *V.* TAPANTA.

TŎPARCHA (toparches), æ, m. 1. τοπάρχης, regionis præfectus: est a τόπος, locus, regio, et ἀρχή, principatus. *Spartian. Hadrian.* 13. *a med.* Toparchas et reges ad amicitiam invitavit.

TŎPARCHĬA, æ, f. 1. τοπαρχία, regionis præfectura. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 14. 15. (70). Reliqua Judæa dividitur in toparchias decem. Adde *Vulg. interpr.* 1. *Mach.* 11. 28.

TŎPAZĬĂCUS, a, um, adject. (topazios) ad topazion pertinens. *Venant.* 8. *carm.* 6. 273. Pulcra topaziacis oneratur zona lapillis.

TŎPAZIN et
TŎPAZĬON vel
TŎPAZĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

TŎPAZĬUS, a, um, adject. τοπάζιος, fere absolute usurpatur. Hinc

*Topazium* vel *topazion, ii,* n. et

*Topazius, ii,* m. 2. gemma seu lapis pretiosus sic appellatus, ut videtur, ab insula quadam in mari Rubro, ubi primum repertus perhibetur, quam tradit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 32. ita dictam Troglodytis, quia valde nebulosa sit ideoque sæpe quæsita a navigantibus. nam topazin (τοπάζειν) illorum lingua significationem habere quærendi. Hinc etiam Græcis τοπάζω est quæro. Est autem *topazios* gemma virens et perlucida, vitro similis aurique colore renidens, Italice *topazio:* cujus duo genera faciunt, prasoiden et chrysopteron, similem chrysopraso. Ejus enim tota similitudo ad porri sucum dirigitur. Porro est amplissima gemmarum: et sola nobilium limam sentit et usu atteritur. Hæc ex *Plin. loc. cit.* Cf. etiam *Cultrera, Miner. Bibl. p.* 34. et *seqq.* et *p.* 47. et *seqq.* — *Topazius* masc. apud *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 10. et *Vulg. interpr. Exod.* 39. 10. etc. — *Topazion* neutr. apud *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 16. *n.* 41. et 42. et *Isid.* 16. *Orig.* 7. 9., qui tamen videtur feminino gen. vocem usurpare. — Adjective vel appositive ritu. *Vulg. interpr. Exod.* 28. 17. Lapis sardius et topazius. — Apud veteres magno in pretio erat, ita ut dicatur de re qualibet pretiosissima. *Id. Ps.* 118. 127. Dilexi mandata tua super aurum et topazion. Cf. *Ezech.* 28. 13.

TŎPAZĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

TŎPAZON, τοπάζων, m. idem ac topazius. *Prudent. Psychom.* 861. Sardoum juxta appositum pulcherque topazon.

TŎPAZOS et
TŎPAZUM. *V.* voc. seq.

TŎPAZUS, a, um, et topazos, on, adject. idem ac topaziacus seu topaziis ornatus. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin. ad fin.* Hos chlamys, ast illos armilla topaza decorat. — Hinc

*Topazos, i,* 2. absolute, topazius. Fem. gen. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 32. (107). *et ibid.* (114). — Masc., translate, apud *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 136. Pectore belligerans, adamantinus arte topazos.

TOPER et topper, adverb. Si notationem spectas, inquit *Forcellinus*, quæ a *toto opere* deducunt etymologiæ studiosi, unico *p* scribi debet: si libros veteres sequeris, duplici. Rectius tamen duxeris a pron. Skr. *ta*, is, hic, et syllaba enclit. *per* ad vim augend., ita ut sit *eo ipso momento.* V. NUPER et SEMPER. — Toper est prisca et obsoleta vox, et, ut ait *Quintil.* 1. 6. *ad fin.*, ab ultimis et jam oblitteratis petita temporibus, quæ et cito et fortasse significare dicitur a *Festo p.* 352. 5. *Müll.* qui utramque significationem adstruit ex *Nævio, Cœlio, Accio, Ennio, Pacuvio.* Quod enim ibi temere additur, *mature* correxit *Ursin.* — Pro cito est *Nel. carm.* et *Næv. B. Pun. fr. inc.* 10. *Vahlen.* Cf. *Fest. loc. cit.* et voc. seq. — Pro fortasse *Pacuv. Tr.* 427., *Acc. Tr.* 387. et *Enn. inc. lib. fr.* XI. Cf. *Quintil. loc. cit.* et *Müller.* in *supplem.* ad *Fest.*

TOPĔTILLUS, i, m. 2. *Thes. Latinit.* ab *A. Maio* ed. in *Class. auct. T.* 8. *p.* 182. Trochus aliter hic topetillus dicitur ab hoc adverbio, quod est toper, id est cito, quia cito se volvit.

TŎPHUS cum deriv. *V.* TOFUS.

TŎPĬA, ōrum, n. plur. 2. (τόπος) subaud. *opera.* ¶ 1. Sunt fere picturæ, in quibus regiones, nemora, portus, litora, flumina et alia id genus repræsentantur, *paesi dipinti, paesetti, paesaggi. Vitruv.* 7. 5. agens de ratione pingendi in ædificiis, quum dixisset, antiquos primum tectorio opere et coloribus crustarum marmorearum varietates imitatos fuisse; postea, inquit, ingressi sunt, ut etiam ædificiorum figuras columnarumque et fastigiorum eminentes projecturas imitarentur; patentibus autem locis, ut exhedris, propter amplitudinem parietum, scænarum frontes tragico more aut comico aut satyrico designarent; ambulationibus vero, pro-

pter spatia longitudinis, varietatibus topiorum ornarent, ab certis locorum proprietatibus imagines exprimentes. Pinguntur enim portus, promontoria, litora, flumina, fontes, euripi, fana, luci, montes, pecora, pastores: nonnullis locis item signorum megalographiam, habentem deorum simulacra seu fabularum expositas explicationes, non minus Trojanas pugnas seu Ulyssis errationes per topia ceteraque, quæ sunt eorum similibus rationibus ab rerum natura procreata. Hactenus *Vitruv.*, cujus verba longiora transtulimus, tum ut facile intelligi posset, de pictura hic sermonem esse, non de topiario opere (de quo *V.* TOPIARIUS), quod nonnulli putarunt; tum ut quid *topiorum* nomine veniat, claro ex ipsius *Vitruvii* verbis explicaretur. V. *Schneid.* ad *Vitruv. comment.* 1. 54.-55. — Topiorum exempla in Domo Tiberiana nuper detexit cl. *Rosa* in monte Palatino. ¶ 2. Est tamen ubi *topia* sunt topiario opere ex arborum frondibus loca contecta: ut apud *Spartian. Hadrian.* 10. *circa med.* Triclinia de castris et porticus et cryptas et topia diruit. *trabacche di frondi.* V. TOPIARIUS.

**TŎPĬĀNUS**, i, m. 2. (topia) idem ac topiarius. *Aldin.* in *Marm. Com.* p. 183. n. 126.; at *Gruter.* 651. 9. leg. *topiarius*, quod rectius videtur.

**TŎPĬĀRĬA**, æ, f. 1. *et*

**TŎPĬĀRĬUM**, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

**TŎPĬĀRĬUS**, a, um, adject. (topia). Ad notationem quod attinet, quidam topiarium dici ex eo volunt, quia funiculos Græci τόπια et τοπεῖα appellant. Ratio appellationis est, quod in opere topiario frutices et arbusculæ tonsiles, quæ varie torquentur et flectuntur, usque dum animalium vel aliarum rerum similitudinem repræsentent, topiis sive funiculis soleant religari. Id magis placet, quam ut dicantur ita, quia arbusculæ illæ flexiles et sequaces sint instar funiculorum: quod quibusdam aliis videtur. Hæc *Voss.* in *Etymol.* Alii tamen ita dici censent a τόπος, locus, eo quod varia in eo loca constituuntur: sive per excellentiam, quod loca ejusmodi ad voluptatem mire faciunt. *V.* TOPIA. — Topiarius est ad topia pertinens. Hinc *topiarium opus*, h. e. opus ex arbore aut frutice aut herba aut vitandi æstus causa factum, ut sunt testitudines, cameræ, naves, aviculæ et hujusmodi, quæ ex buxo vel hedera et aliis, quorum natura sequax est et flexibilis, fieri consueverunt, *lavoro fatto di frondi o rami d'alberi, erbe intessute e simili.* *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (130). Accedit in topiario opere lauri genus, quæ taxa dicitur. *Id.* 21. *ibid.* 11. 39. (68). Vinca pervinca semper virens, topiaria herba. *erba da spalliera.* et 22. *ibid.* 22. 34. (76). Acanthos topiaria et urbana herba, elato longoque folio, crepidines marginum assurgentiumque pulvinorum toros vestiens. — Hinc absolute, substantivorum more

*Topiaria, æ*, f. 1. ars topiaria, quæ versatur circa topiaria opera. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. *ad fin.* Ut denique illi palliati topiariam facere videantur et hederam vendere.

*Topiarium, ii*, n. 2. opus topiarium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 65. (265). Arbores urbanæ et quæ topiario tantum coluntur. Adde *eumd.* 18. *ibid.* 26. 65. (242).

*Topiarius, ii*, m. 2. qui topiaria opera facit: ut sunt, inquit *Firmic.* 8. *Mathes.* 10. *ad fin.*, qui buxeas arbores tondentes, in belluas fingunt, aut virides porticus in circulum flexis vitibus faciunt. *Cic. loc.* supra *cit.* Topiarium laudavi: ita omnia convestivit hedera, qua basim villæ, qua intercolumnia ambulationis. *Id. Parad.* 5. 2. Servi, atrienses ac topiarii. *Plin.* 3. *Ep.* 19. *V.* QUARTILLA in ONOM.

**TOPĬAS** ficus *Colum.* 5. *R. R.* 10. *circa med.* recenset inter varia ejus arboris genera, quæ præcipua bonitate commendantur. Ubi vel ficus significat, quæ topiario operi inservire possunt, vel legendum est *Chias*, ut mallet *Pontedera.*

**TŎPĬCA**, ōrum, *et*

**TŎPĬCE.** *V.* voc. seq.

**TŎPĬCUS**, a, um, adject. τοπικός, ad locum pertinens. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 44. Topica historia (τοπικὴ ἱστορία). *Id.* ad *eumd.* 7. *ibid.* 47. Dii topici, id est locales, ad alias regiones numquam transeunt. *V.* MUNICEPS. — Hinc translate, substantivorum more

*Topica, orum*, n. plur. 2. τοπικά, libri, in quibus de inventione argumentorum disseritur: a τόπος, locus, quod in iis doceatur, quemadmodum ex certis locis argumenta eruantur. Ita inscripti sunt libri Aristotelis et Ciceronis. *Cic.* 7. *Fam.* 19. Institui topica Aristotelea conscribere.

*Topice, es*, f. 1. τοπική, ars inveniendorum argumentorum. *Cic. Top.* 2. 6. Inveniendi vero artem, quæ topice dicitur, quæ ad usum potior erat et ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. *Orelli* Græce dedit. Adde *Boeth.* passim.

**TŎPŎGRĂPHĬA**, æ, f. 1. τοπογραφία ¶ 1. Est descriptio veri loci, alicujus terræ vel regionis: a τόπος, locus, et γράφω, scribo, pingo. *Hieronym. præf. Onom.* Topographia terræ Judææ. *Alii leg.* Cosmographia, *alii* orthographia. *Empor. Demonstr. nat. præc.* p. 311. *Capper.* Demonstrationes urbium locorumque, quæ jam non demonstrationes sed topographiæ a pluribus existimantur. *Schol.* ad *Lucan.* 1. 1. Quia in topographiis, h. e. in descriptionibus locorum, fingit, inde vocatus est poeta. *V.* etiam PICTOR, ubi τοπογράφος quid sit, exponitur. ¶ 2. Apud rhetores sumitur pro descriptione loci veri, cui opponitur *topothesia*, quæ est descriptio loci ficti: utraque inter figuras rhetoricas recensetur. *Lactant.* ad *Stat.* 2. *Theb.* 32. Cf. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 159. *V.* TOPOTHESIA.

**TŎPOS.** *V.* TOPUS.

**TŎPŎTHĔSĬA**, æ, f. 1. τοποθεσία, descriptio loci ficti: a τόπος, locus, et τίθημι, pono. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 159. Est topothesia, id est fictus secundum poeticam licentiam locus. Quippe inter duo hæc distinguit *id. ibid.* v. 163: Topographia utuntur oratores, ut *Cic.* 6. *Verr.* 52. *et* 53. et 7. *ibid.* 37. et *Liv.* 44. 6.; topothesia poetæ, ut *Virg. loc. cit.* et *Stat.* 2. *Theb.* 32. — Græce vox usurpatur a *Cic.* 1. *Att.* 13. Τοποθεσίαν, quam postulas, Miseni et Puteolorum, includam orationi meæ. *et ibid.* 16. *in fin.* Velim ad me scribas, cujusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ.

**TOPPER.** *V.* TOPER.

**TOPREPON**, vox conflata a Gr. τὸ et πρέπον, h. e. decorum: est autem figura rhetorica apud *Grammat. De fig. Græc.* in *Schol. Bern.* ed. *Hag.* p. 986.

**TŎPUS** *vel* topos, i, m. 2. τόπος, locus. ¶ 1. Est stellarum sedes apud *Manil.* 2. 969. ¶ 2. Item *topos platyphyllos*, nomen herbæ leontopodii. *Apul.* 7.

**TŎRAL**, ālis, n. 3. (torus) Etiam *torale* apud *Consent.* p. 349. 2. *Keil* et *Varron. loc. cit.*, ubi tamen *Müller* leg. *toral.* — Item *toralis* apud *Marini Act. Fr. Arv. tab.* XL. 19. — Toral ¶ 1. Est stragulum, quod circa torum apponitur ornatus gratia, *tappeto*, περίκλινον. *Varro* 5. *L. L.* 167. *Müll.* Quibus operiebantur, operimenta et pallia et opercula dixerunt. In his multa peregrina, ut sagum *etc.* Contra Latinum torale, quod ante torum. *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.* Advenerunt ministri ac toralia proposuerunt toris, in quibus retia erant picta subsessoresque cum venabulis et totus venationis apparatus. ¶ 2. Est alius *Varronis* locus, quo significatur stragulum toro superpositum: apud *Non.* p. 11. 14. *Merc.* Quod frontem lecticæ struebant, ex ea herba torta torum appellatum: hoc quod injicitur, etiamnum toral dicitur. *Lamprid. Elagab.* 19. Primus omnium, privatorum toros aureis toralibus texit. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 22. ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares. *Id.* 2. *Sat.* 4. 84. Et Tyrias dare circum illota toralia vestes. *Inscript.* apud *Murat.* 341. *lin.* 31. Discumbentes toralibus segmentatis etc.

**TŎRĀLE**, is, n. *et*

**TŎRĀLIS**, is, m. 3. *V.* voc. præced.

**TŎRĀRĬA**, æ, f. 1. (torus) mulier toro custodiendo vel toralibus instruendis addicta. *Plaut. Mil. glor.* 5. 1. 102. Jam pridem, quia nihil abstulerit, suscenset toraria. Ita leg. *Ritschelius* et *Fleckeisenus.*

**TŎRĀRĬUS**, ii, m. 2. (torus) qui torum custodit vel toralia instruit. *Gloss. Labb.* Torarius, ὠλένος τρόφος. Perperam alii leg. *toranus*

**TŎRAX.** *V.* THORAX.

**TORCŬLA**, æ, f. 1. *V.* TORCULUS.

**TORCŬLAR**, āris, n. 3. *vel* torcularium, ii, n. 2. (torqueo) Quidam posuerunt in recto *torculare*, a quo sit *torcularis* in patrio, pænult. producta: *torcular* autem dici per ἀποκοπήν. *Prob. Inst.* p. 124. 29. et *Charis.* p. 145. 27. *Keil.* Adde *eumd.* p. 554. 30., *Auct. De idiom. gen.* p. 584. 51. et *Gloss. Labb.* 185. — Etiam *torcularium, ii*, occurrit apud *Caton. loc. cit.* et *Gloss. Labb.* 185.; hinc genet. plur. *torculariorum* apud *Vitruv.* 10. 1. et *Colum.* 12. *R. R.* 52. 3. — Lis est, inquit *Forcellinus*, de quantitate pænultimæ. Produci ajunt *Charis.* 1. p. 14. *Putsch.* et *Priscian.*, ut in *lacunar.* Et produxisse videtur *Venant.* 8. *carm.* 5. 169. Calcaturus erat qui torcularia solus. Sed in MSS. legitur: Calcaturus erat qui solus torcular altum. *Voss. l.* 2. *de Grammat.* c. 23. et *Scalig.* corripi volunt. Ita *Forcellinus.* Alia tamen ratio esse mihi videtur, *lacūnar* enim fit a *lacūna* et *torcŭlar* a *torcŭlus.* — Torcular est tota illa machina, qua prelum constat, ut videre est apud *Caton. R. R.* 13. *et* 18., ubi torcularii ædificandi rationem tradens, omnia vasa et ligna, quæ ad illud construendum requiruntur, recenset.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 13. Clava torcularii. *Id. ibid.* 18. Torcularium si ædificare voles etc. — Torcularis antiqui ad mustum exprimendum effigiem videsis apud *Eckhel D. N. V. T.* 3. p. 502. et *Rich* sub *Torcular* et *Torcularium.* — De torculari apud Hebræos vide sis *Ackermann op. cit.* § 69.

II.) Tropice. ¶ 1. Sumitur pro lacu, in quo reponuntur uvæ aut oleæ prelo elidendæ, ληνός. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 62. (230). Torcular lavare et recondere. *Id. ibid.* 31. 74. (318). Inventum parvis prelis et minori torculari, ædificio breviore etc. *V.* integr. loc. in PRELUM. ¶ 2. Sæpius pro loco in villa, ubi prelo uva aut olea premitur. *Vitruv.* 6. 9. Torcular proximum sit culinæ. *Colum.* 1. *R. R.* 6. *a med.* Torcularia præcipue cellæque oleariæ calidæ esse debent, quia commodius omnis liquor vapore solvitur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (6). Distat, an maturitas illa (*oleæ*) in torcularibus fiat, an ramis. *Id.* 15. *ibid.* 3. 3. (11). Omnino est olei causa calor: quare et in torcularibus et jam in cellis multo igne quæritur. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ante med.* Oleam diligenter mundatam protinus in torcular deferri et integram in fiscinis novis includi prelisque subjici, ut quantum possit, paullisper exprimatur. *Id. ibid. circa med.* Ut neque fumus neque fuligo in torcular admittatur. *et mox.* Ad eum statum cæli et torcular et cella olearia constituenda est, qui maxime a frigidis ventis aversus est. *M. Aurel.* ad *Fronton.* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. Loti igitur in torculari cenavimus; non loti in torculari, sed loti cenavimus. ¶ 3. Metaphorice. *Vulgat. interpr. Is.* 63. 3. Torcular calcavi solus. Adde *Apoc.* 19. 15. Torcularis calcatio, ut etiam vindemia et racematio prœlia et ingentes clades significat apud *Is. loc. cit.*, *Jer.* 49. 9. etc. ¶ 4. *In finem pro torcularibus* inscribuntur *Psalmi* apud *eumd.* 8., 80. et 83., quo vel musici instrumenti genus vel gratiarum actio pro ubere vindemia significari docet *Weitenauer.*

**TORCŬLĀRE**, is, n. 3. *V.* voc. præced.

**TORCŬLĀRIS**, e, adject. (torcular) ad torcular pertinens. *Vitruv.* 10. 1. Prelorum et vectium torcularis præparatio.

**TORCŬLĀRĬUM**, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

**TORCŬLĀRĬUS**, a, um, adject. (torcular) ad torcular pertinens. *Varro* 1. *R. R.* 22. Vasa torcularia trina. *Colum.* 1. *R. R.* 6. *ante med.* Cella olearia, torcularia, vinaria, defrutaria. *Id.* 12. *ibid.* 18. Lacus vinarii et torcularii. — Hinc absolute, substantivorum more

*Torcularium*, ii, n. 2. idem ac torcular. Cato loc. cit. in TORCULAR. Adde Gloss. Gr. Lat. Ληνός, torcularium, torcular.

*Torcularius*, ii, m. 2. qui in torculari uvas aut oleas premit. Colum. 12. R. R. 50. Immodica multitudo baccæ torculariorum vincit laborem.

TORCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. V. voc. præced.

TORCŬLĀTOR, ōris, m. 3. (torculo) idem ac torcularius. Gloss. Gr. Lat. Ληνοβάτης, calcator, torculator.

TORCŬLĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

TORCŬLO, as, ātum, are, a. 1. (torculum) Part. Torculatus. — Torculo est in torculari exprimo. Translate. Venant. epist. præf. carm. 6. l. 5. Quod ille torcularet in fletu, iste apothecaret in fructu. Id. Vit. S. Marcell. 6. Floruit vindemia et torculata sunt vina.

TORCŬLUM, i, n. 2. V. voc. seq.

TORCŬLUS, a, um, adject. (torqueo) ad torcular et prelum pertinens. Cato R. R. 1. et 11. et 14. Vasa torcula instructa tria. Id. ibid. 68. et 135. Funem torculum siquis faciet, eo indere oportet coria bona octo etc. et ibid. 63. Funem torculum esse extentum pedes quinquaginta quinque. — Hinc

*Torculum*, i, n. 2. absolute, substantivorum more, idem ac torcular, qua locus, ubi prelum est, et qua prelum ipsum. Varro 1. R. R. 55. Amurcam e torculis oleariis fluere in agros. Plin. 18. Hist. nat. 31. 74. (317). Viginti jugeribus unum sufficit torculum. Plin. alter 9. Ep. 20. Decerpere uvam, torculum invisere. — Videtur his locis significare locum, in quo prelum est, ut de torcular diximus. Non item in illo Varron. apud Non. p. 47. 23. Merc. Vineis ubi ampla cella torculum reponant.

TORDȲLĬON, ii, et

TORDȲLON, i, n. 2. τορδύλιον et τόρδυλον, semen silis seu seselis. Alii dicunt, esse herbam per se, quam et syreon vocaverunt, in montibus nascentem (Tordylium officinale vel maximum Linn.). Plin. 20. Hist. nat. 22. 87. (238). et 24. ibid. 19. 117. (177).

TŎRĔO. V. TORREO.

TORES pro Torques. V. TORQUIS.

TŎREUMA, ătis, n. 3. (τόρευμα) In genet. plur. etiam toreumatorum apud Charis. p. 42. 32. et seq. et p. 52. 23. et Donatian. fragm. p. 276. 28. K. — In dat. et abl. plur. etiam toreumatis apud Apul. loc. cit., Priscian. 6. p. 680. Putsch. et Donatian. fragm. loc. cit. V. EMBLEMA. — Toreuma est vas vel aliud quippiam cælatum insculptumque, ita ut figuræ parum exstent, opera, lavoro di basso rilievo o d'intaglio o sul torno: sive scalpro aut torno id fiat, d'intaglio; sive fuso metallo in formis, di getto; sive opere figulino ex argilla vel gypso: a τορέω, perforo, trajicio, penetro atque adeo cælo, sculpo. V. CÆLATURA. Sall. Cat. 21. Tabulas, signa, toreumata emunt. Cic. Pis. 27. a med. Nihil apud hunc lautum, nihil elegans: toreuma nullum, maximi calices etc. Id. 6. Verr. 18. 38. Habere eum perbona toreumata: in his pocula duo Mentoris manu, summo artificio, facta. et 4. ibid. 52. 128. Toreumata sane nota ac pretiosa auferuntur. Martial. 4. 46. Hispanæ luteum rotæ toreuma. Id. 14. 102. Accipe non vili calices de pulvere natos, Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ. Id. 4. 39. et 10. 87. Phidiaci toreuma cæli. Adde alia Martial. loca, in quibus fere semper de poculis sermo est. Apul. Florid. n. 7. Eo igitur factum, solus Alexander ut ubique imaginum suus esset, utque omnibus statuis et tabulis et toreumatis idem rigor acerrimi bellatoris cerneretur. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

TOREUMATUS, a, um, particip. ab inusit. toreumo: toreumate cælatus, scolpito a basso rilievo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in Not. Tir. p. 157. Toreuma, toreumatus.

TŎREUTES, æ, m. 1. τορευτής, qui toreumata facit, cælator, intagliatore, scultore di bassi rilievi. Plin. 35. Hist. nat. 8. 34. (54). Celebrando pictores, statuarios, toreutas.

TŎREUTĬCE, es, f. 1. (τορευτική) Vox proprie adjectiva: et est ad toreuma pertinens. Plin. 34. Hist. nat. 8. 19. (54). de Phidia. Primus artem toreuticem aperuisse atque demonstrasse merito judicatur. — Absolute, substantivorum more, est ars faciendi toreumata, arte di lavorare a basso rilievo. Id. 35. ibid. 10. 36. (77). Neque in pictura, neque in toreutice ullius, qui servierit, opera celebrantur. Adde 34. ibid. 8. 19. (56).

TORMEN. V. TORMINA.

TORMENTUM, i, n. 2. (torqueo) intentus funis aut vinculum, vel quia intorquendo fit vel quia intorquendo inservit (It. corda o legame teso, strumento da legare; Fr. lien, corde, cable, chaine; Hisp. cuerda, cadena, liga; Germ. e. Strick, Seil; Angl. a rope, cord, bond). Hanc primo posuimus significationem, quia hæc est primitiva vis v. torqueo, unde vox derivatur. Ita etiam Scaliger ad Auct. Priap. 6. At Forcellinus ante alia instrumentum seu machinam ad aliquid torquendum, h. e. jaciendum, significare voluit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto vel primitivo sensu. Plaut. Curc. 2. 1. 12. Tormento non retineri potuit ferreo, quin reciperet se huc esum ad præsepim suam. h. e. vinculo aut catena, qua, in catapultis adducta, magna pondera jaciuntur. Cæs. 7. B. G. 22. Falces tormentis introrsus reducebant. Adde eumd. 3. B. C. 9. ex Klotzii aliorumque sententia. Quintil. Declam. 19. 15. Non tamen tormenta laxavi etc. Auct. Priap. 6. Tormento citharaque tensiorem. Grat. Cyneg. 26. quadruplici tormento adstringere limbos. scil. retis. Petron. Sat. 102. a med. Præsto tibi erimus sine tormentorum injuria. h. e. sine vinculorum loreorum incommodo. Apul. De mag. Capillus horrore impexus atque impeditus, stuppeo tormento assimilis. Isid. 19. Orig. 4. 4. Tormentum, funis in navibus longus, quo prora ad puppim extenditur, quo magis constringuntur. Cf. Guglielmotti op. cit. p. 45. ¶ 2. Latiore vel secundario sensu instrumentum seu machina, qua quid vertitur seu volvitur, flectitur, torquetur, h. e. jacitur; plerumque machina, qua tela, saxa aliave missilia nervo aut fune contento torquentur et jaciuntur; hujusmodi sunt quæ in bello et obsidionibus, ad longius feriendum et muros deruendos adhibuere, ballistæ, catapultæ etc., strumento da lanciare, artiglieria, στρεβλωτήριον. Cæs. 3. B. C. 9. Præsectis omnium mulierum crinibus, tormenta effecerunt. balestre. Sic Veget. 4. Milit. 9. et Flor. 11. 15. 10. Alii aliter interpretantur. Cf. I. 1. Cæs. 1. B. C. 17. Tormenta in muris disponere. Id. 2. B. G. 8. Ad extremas fossas castella constituit ibique tormenta collocavit. Id. 5. ibid. 25. Fundis, tormentis, sagittis hostes propellere. Auct. B. G. 8. 14. extr. Tormento missa tela in hostium cuneos conjicere. Cic. 2. Tusc. 24. 57. Ballistæ lapidum et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta et adducta vehementius. Id. 8. Phil. 7. 20. Tormentis verberare urbem. Liv. 24. 34. Archimedes inventor et machinator bellicorum tormentorum. Id. 44. 10. Temere appropinquantes saxis tormento emicantibus percutiebantur. Ovid. 9. Met. 217. hunc Corripit Alcides et terque quaterque rotatum Mittit in Euboicas tormento fortius undas. Virg. 11. Æn. 616. Fulminis in morem aut tormento ponderis acti, Præcipitat longe. Id. 12. ibid. 921. Murali tormento concita saxa fremunt. Sil. It. 6. 279. Donec tormentis stridens magnoque fragore Discussit trabs acta caput. Id. ibid. 214. Tormenta muralia. Plin. 8. Hist. nat. 53. 79. (214). Tormento rotare aliquid. Id. 34. ibid. 14. 39. (138). Tormentis ferrum excutere. Tac. 2. Ann. 81. Tormentis hastas, saxa et faces ingerere. Id. 4. Hist. 23. ad fin. Adactæ tormentis ardentes hastæ. et 3. ibid. 20. in fin. Tormenta et machinas advehere. Plin. 8. Hist. nat. 14. 14. (36). Ballistis tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnata serpens. Adde Curt. 4. 14. 43. — De bellicis hisce tormentis cf. Rochas L'artill. chez les anc. (Bull. de la Soc. d'étud. des Haut.-Alp. 2. an. p. 106. et seqq.) et Fröhlich Das Kriegsw. Cäsars 1889. p. 76-82. ¶ 3. Item est tortio. Veget. 3. eter. 46. 1. Genu vel basim si moverit (jumentum), ad tormentum rotæ vel machinæ locis suis ejecta restitues. ¶ 4. Item machina aut instrumentum, quo torquentur homines. Plin. 34. Hist. nat. 8. 19. (89). de tauro Perilli. Ideone tot conditores artis statuariæ elaboraverant, ut ex ea tormenta fierent? Curt. 6. 11. a med. Admovere tormenta. ¶ 5. Item tibiam tormentum vocat Plin., quia per ejus foramina quodammodo torquetur aer, ut varios sonos edat: 10. Hist. nat. 29. 43. (82). de cantu lusciniæ. Omnia tam parvulis in faucibus, quæ exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. ¶ 6. Item pro antlia, tromba. Seneca 2. Quæst. nat. 9. et Tertull. Anim. 14.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice dici putant de ipso telo, quod tormento jacitur. Cæs. 2. B. C. 9. a med. Quod unum genus tegumenti nullo telo neque tormento transjici potest. et ibid. Fenestræ ad tormenta mittenda. et 3. ibid. 51. extr. et ibid. 56. Tantum a vallo prima acies aberat, uti ne in eam telum tormentumve adjici posset. Plin. 8. Hist. nat. 23. 35. (86). Nec pedibus tantum pavendas serpentes, sed missili volare tormento. Stat. 9. Theb. 145. non illum impacta moverent Tormenta oppositum. Adde Auct. B. Alex. 19. et Curt. 4. 8. 9. ¶ 2. Item transfertur ad significandos cruciatus, qui alicui adhibetur eliciendæ veritatis gratia aut puniendi aut sæviendi igne, eculeo, fidiculis, fune et hujusmodi, tormento, tortura, βάσανος. V. TORQUEO. — 1.°) De rebus physicis. — a) Stricto sensu. Cæs. 6. B. G. 18. Igni atque omnibus tormentis cruciatum aliquem interficere. Cic. Dejot. 1. sub fin. More majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri licet. Id. 11. Phil. 2. 5. Verberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ. Plin. 10. Ep. 97. Per tormenta quærere, quid veri sit. Justin. 2. 9. 3. Per tormenta conscios cædis nominare cogi. Sueton. Tib. 19. extr. Tormentis exprimere confessionem cogitati facinoris. Cic. Cluent. 63. 176. Tormentis omnibus vehementissimis quærere. et mox. Vi tormentorum adducti in veritate manserunt. Id. Partit. 14. in fin. Metu mortis vim tormentorum perferre. Id. Mil. 21. sub fin. Tormentis cogi confiteri. et ibid. 22. Dedere aliquem tormentis. Id. 5. Tusc. 28. 50. Dare se in tormenta. Sueton. Cal. 16. ad fin. Excruciare aliquem gravissimis tormentis. Id. Tib. 62. Veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distendere. Seneca Ep. 67. ante med. Tormenta patienter ferre. Justin. 44. 2. 3. Inter tormenta risu exsultare. Sueton. Tib. 62. Longa et exquisita tormenta. Tertull. 2. Uxor. 9. de utroq. coniuge christ. Eleemosynæ sine tormento. sc. servorum, qui ab hero ethnico cruciabantur ob eleemosynas ab uxore christiana in christianos erogatas. — b) Latiore sensu, ad significandos cruciatus acres ex morbo. Plin. 1. Ep. 12. Cruciatus et indignissima tormenta pati (ex podagra). Plin. alter 22. Hist. nat. 22. 37. (79). Inflationes discutere et coli tormenta. Id. 20. ibid. 4. 13. (27). Napos super umbilicum imponi contra tormenta vulvæ. Id. 19. ibid. 8. 44. (155). Nasturtium nomen accepit a narium tormento. Adde Cels. 7. 11. et Colum. 6. R. R. 7. Cæl. Aurel. 3. Acut. 17. 1. de ileo. Tormentum dictum est quod existiment ægrotantes convolvi atque torqueri suorum intestinorum ventriculis. — 2.°) De curis et doloribus animi. — a) Universim. Horat. 1. Ep. 2. 58. Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentum. Ovid. 5. Trist. 13. 3. Æger enim traxi contagia corpore mentis: Libera tormento pars mihi nequa foret. Cic. 5. Tusc. 1. 1. Varia et multa tormenta fortunæ. Juvenal. 2. 137. tormentum ingens nubentibus hæret, Quod nequeunt parere et partu retinere maritos. Id. 9. 18. Deprendas animi tormenta latentis in ægro Corpore, deprendas et gaudia. Plin. 8. Ep. 23. extr. In tantis tormentis eram, quum scriberem hæc. Id. Paneg. 86. Operæ pretium est referre, quod tormentum tibi injunxeris, nequid amico negares. h. e. quantam tibi

vim feceris, quam te ipse torseris. *Horat.* 3. *Od.* 21. 13. Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro. Cf. *Sil. It.* 11. 287. — Cum infinito. *Seneca* 1. *Controv.* 6. Est tormentum carere divitiis. — b) De amore. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 15. *de Cerere.* Hanc quisquam lacrimis lætari credit amantum? Et bene tormentis secubituque coli? *Martial.* 7. 29. Testile, Victoris tormentum dulce Voconi. *Juvenal.* 6. 208. Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amatis.

TORMENTŬŌSUS, a, um, adject. (tormentum) tormentum et cruciatum afferens. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 6. *a med.*

TORMĪNA, um, n. plur. 3. (torqueo) In sing. num. non est in usu: nisi quod *Alcim.* pro quovis tormento posuit illo carmine: Carnis delicias immenso tormine pendit. Ita *Letiol.* in *Prosod. Bonon.* designans *Carmen ad Fuscin.* soror. In ejus tamen editionib. castigatiorib. nihil hujusmodi invenitur. Hoc ait *Forcellinus:* sed recentiores negant: Est quidem in *Gloss. Lat. Gr.* Tormen, κολούνιον. — *Tormines* m. in recto plur. posuit *Non. p.* 32. 11. *Merc.* non imitandus. — Tormina sunt acria intestinorum tormenta. ¶ 1. Stricto sensu vel proprie. *Cels.* 4. 11. Si vero tormina sunt. — *Id. ibid.* 15. Proximа his, inter intestinorum mala, tormina esse consueverunt: δυσεντερία Græce vocatur. Intus intestina exulcerantur: ex his cruor manat: isque modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur: interdum simul quædam carnosa descendunt. Frequens dejiciendi cupiditas dolorque in ano est. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur atque eo quoque tormentum intenditur etc. *dissenteria.* Sic *Colum.* 6. *R. R.* 7. Sequitur torminum vitium, quorum signum est cruenta et mucosa ventris proluvies. *Cato R. R.* 156. *et* 157. Quibus tormina molesta erunt. *Cic.* 2. *Tusc.* 19. *ad fin.* Quamvis idem forticulum se in torminibus et in stranguria sua præbeat. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 33. (103). Inflationibus et torminibus affici. *Id.* 22. *ibid.* 25. 72. (148). Inflationes et tormina contrahere. *et ibid.* 8. 9. (21). Torminibus auxiliari. *Id.* 26. *ibid.* 8. 47. (74). Tormina discutere. *Id. ibid.* 28. (45). Aizoum torminibus resistit. Cf. *Daremberg præf.* ad *Cels. p.* 26. ¶ 2. Latiore sensu vel translate, de acri dolore ex alio morbo. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 30. (74). Cichorium urinæ tormina discutit.

TORMĪNĀLIS, e, adject. (tamen) ad tormina pertinens, ut Sorba torminalia, quæ medentur torminibus. *Cels.* 2. 30. *a med.* Sorba, quæ torminalia vocantur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 21. 23. (85). Quartum genus (*sorborum*) torminale appellant, remedio tantum probabile, assiduum provento, minimum pomo, arbore dissimile, foliis pæne platani. *Celsus* quoque 4. 30. *et* 19. inter remedia contra fluxum ventris ponit et sorba torminalia. — *Torminalis herba,* satyrion dicta ab Italis, ut ait *Apul. Herb.* 15., ubi alii *horminalis* vel *orminalis.*

TORMĪNES. *V.* TORMINA init.

TORMĪNŌSUS, a, um, adject. (tormen) ad tormina pertinens: qui tormina patitur, dysentericus. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. Itaque dicimus gravedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia semper sint sed quia sæpe sint. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. 143. Torminosa igitur ab ista passione, quam specialiter tormentum diximus, magnitudine differre monstramus. Hi enim ob hoc ventriculosi sive torminosi vocantur. — Absolute. *Sex. Placit. De med.* 1. § 21. et *Marcell. Empir. c.* 27. *p.* 127. *retro.*

TORNĀTĪLIS, e, adject. (torno), qui torno vel instar torni est factus, *torniato, fatto al tornio.* V. TOREUTUS. *Gromat. vet. p.* 361. 4. *Lachm.* Termini factura tornatiles, hoc est rotundi, subtilissimi. Adde *ibid. p.* 362. 19. et *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 17. *Vulg. interpr. Cant.* 7. 2. Crater tornatilis. — Translate. *Id. ibid.* 5. 14. Manus illius tornatiles.

TORNĀTIM, adverb. (torno) cum torno. *Asper p.* 1732. *Putsch.* At *Keil p.* 552. 15. leg. *cornelintim.*

TORNĀTOR, ōris, m. 3. (torno) qui tornat, τορνευτής (It. *torniaio, torniero;* Fr. *tourneur;* Hisp. *tornero;* Germ. e. *Drechsler;* Angl. *turner*). *Firmic.* 4. *Mathes.* 7. *in fin.* Facit quoque tornatores aut simulacrorum sculptores.

TORNĀTŪRA, æ, f. 1. (torno) idem ac toreuma. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 6. 18. Domus habens tornaturas et juncturas suas fabrefactas.

TORNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TORNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tornus). Part. *Tornatus* in omn. paragr. et in fin. — Torno est torno polio, rotundo, τορνεύω (It. *lavorare al tornio, ritondare;* Fr. *tourner, arrondir;* Hisp. *tornear, redondear;* Germ. *drechseln;* Angl. *throw, round*).

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 6. Idque ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius. *Id.* 1. *Rep.* (edente *A. Maio*) 14. 22. Dicebat enim Gallus, sphæram a Thalete Milesio primum esse tornatam. *Id.* in *Arat.* 553. tornare cate contortos possiet orbes. *Lucret.* 4. 361. Fit, quasi tornata ut saxorum structa tuantur. *Lachmannus aliique leg.* Fit, ut ad tornum etc. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (90). Columnarum in officina turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. *Id.* 11. *ibid.* 39. 93. (227). Hippopotami corii crassitudo talis, ut inde tornentur hastæ. *Seren. Sammon.* 23. 408. Mollibus ex hederæ tornentur pocula lignis. — Cum addito Acc. et præp. *in. Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 44. (159). Lapis cavatur tornaturque in vasa coquendis cibis utilia. *Pallad. De insit.* 153. In modicam tornat (*amygdalus*), siliqua tendente figuram. *h. e.* amygdalus stirpi siliquæ innixa rotundat fructum suum in teretem figuram.

II.) Translate est ita affabre aliquid fingere, ut torno videatur politum. *Horat. Art. P.* 440. delere jubebat Et male tornatos incudi reddere versus. *h. e.* elaboratos. *Bentlej.* leg. *ter natos* et acriter defendit. Sed cum bona pace tanti viri prior lectio tenenda. V. *Fea, Ritter, Keller* aliosque recentiores. Sunt etiam qui *formatos* leg. *Hieronym. Ep.* 50. *n.* 2. Nam si applosisset pedem, intendisset oculos, rugasset frontem, jactasset manum, barbam tornasset, tenebras illico ob oculos offudisset judicibus. *h. e.* barbam manibus palpasset; qui gestus proprius est orientalium, quum locuturi sunt. — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus

*Tornatus, a, um,* etiam adjective usurpatur; unde Comp. *Tornatior.* — Tornatus est rotundus, politus. Translate *Calpurn. Ecl.* 6. 55. *de equo.* Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix Et tornata brevi substringitur ungula cornu. *h. e.* rotunda. *Augustin. De catechiz. rudib.* 48. *n.* 12. Stilus sonantioris et quasi tornatioris eloquii.

TORNUS, i, m. 2. (τόρνος) instrumentum fabrile, quo ligna, ebur et hujusmodi circumagendo rotundantur ac poliuntur (It. *tornio;* Fr. *tour;* Hisp. *torno;* Germ. e. *Drechseleisen, Meissel;* Angl. *a turn*).

I.) Proprie. *Lucret.* 4. 361. *Lachm.* Fit quasi ut ad tornum saxorum structa tuamur. *V.* tamen voc. præc. *Vitruv.* 10. 19. *a med.* Perficere aliquid in torno. *Virg.* 2. *G.* 449. torno rasile buxum. *Id.* 5. *Ecl.* 38. pocula fagina, Lenta quibus torno facili superaddita vitis. *h. e.* postquam pocula torno polita sunt, superaddita est iis vitis per scalpturam. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (198). Normam et libellam et tornum et clavem Theodorus Samius invenit. *Id.* 16. *ibid.* 40. 76. (205). Calices ex terebintho facere torno. *Id.* 36. *ibid.* 26. 66. (193). Vitrum torno teritur. — *Seb.* vero *Ciampius* in *Diss. dell' ant. toreut. p.* 43. putat, veteres etiam, ut recentiores, tornandi artem ita calluisse, ut unius ope torni pocula anaglypticis cujusque generis distinguerent figuris.

II.) Figurate. *Propert.* 2. 25. 43. Incipe jam angusto versus includere torno. *mettere sul tornio e lavorare.* et *Auct. Paneg. ad Pis.* 83. hinc exornata figuris Advolat excusso velox sententia torno. *h. e.* sententia periodo circumscripta et quodam verborum ambitu veluti rotundata.

TŎRŌSŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* torosus, aliquantum torosus, *carnosetto. Hieronym.* 2. *in Jovinian. n.* 14. *sub fin.* Formosuli nostri et torosuli et vix summis pedibus adumbrantes vestigia. *Id. Ep.* 117. *n.* 8. Dolet sibi prælatum juvenem torosulum et in sordibus delicatum.

TŎRŌSUS, a, um, adject. (torus) Comp. *Torosior.* — Torosus est qui toros in corpore exstantes habet, musculosus, lacertosus, ἐπίσωμος (It. *muscoloso, carnoso, nerboruto;* Fr. *musculeux, charnu;* Hisp. *musculoso, carnoso, nervudo;* Germ. *musculös, kernigvoll;* Angl. *brawny, muscular, musculous*).

I.) Proprie. *Ovid.* 7. *Met.* 428. feriuntque secures Colla torosa boum. *Pers.* 3. 86. multumque torosa juventus. *Colum.* 6. *R. R.* 1. Parandi sunt boves cervice longa et torosa. *et ibid.* 20. Tauris torosior cervix.

II.) Translate refertur ad alias res. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 53. (90). Herba hirsutior, torosiore caule. *h. e.* carnosiore. Adde 19. *ibid.* 5. 29. (91). *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 7. Virgula vitrea, striata vel pluribus angulis in modum clavæ torosa. *Alii rectius leg.* tortuosa. *Albinov.* 2. 79. *de Hercule.* Clava torosa tibi pariter cum pelle jacebat.

TORPĒDO, ĭnis, f. 3. (torpeo) torpor, stupor, pigritia, tarditas, segnities, *intirizzamento, stupidezza, torpore, pigrezza,* νάρκησις.

I.) Proprie. *Cato* apud *Gell.* 11. 2. *extr.* Si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitio. *Sall.* in *orat. Philippi contra Lepid. ad fin.* Si tanta torpedo animos oppressit (*al.* obrepsit), ut obliti scelerum Cinnæ, nihilo minus vos Lepido permissuri sitis. *et in orat. Licinii ad pleb. ad fin.* Occupavit vos nescio quæ torpedo, quia neque gloria movemini neque flagitio. *Tac.* 3. *Hist.* 63. *extr.* Tanta torpedo invaserat Vitellii animum, ut si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.

II.) Translate hoc nomine est piscis ex genere eorum, qui cartilaginem pro spina habent: ita dicta, quod torpedinem accedentibus infert, Italis *torpedine* vocatur (*Raja Torpedo* Linn.) *Varro* 5. *L. L.* 77. *Müll.* Vocabula piscium pleraque a terrestribus: alia a colore, ut asellus: alia a vi quadam, ut lupus, canicula, torpedo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 42. 67. (143). Novit torpedo vim suam, ipsa non torpens: mersaque in limo se occultat, piscium qui securi supernatantes obstupuere, corripiens. *Id.* 32. *ibid.* 1. 2. (7). *de ead.* Torpedo etiam procul et e longinquo, vel si hasta virgave attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. *extr.* Bestiæ aliæ fuga se, aliæ occultatione tutantur: atramenti effusione sepiæ, torpore torpedines. Adde *Apic.* 9. 2. — Exstat *Claudiani* de hoc pisce carmen.

TORPĔFĂCĬO, făcis, fēci, făcere, a. 1. (torpeo et facio) torporem induco, torpidum reddo. *Non. p.* 182. 5. *Merc.* Torporavit pro torpefecit.

TORPENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TORPĔO, torpes, torpŭi, torpere, n. 2. Ratione habita etymi, est a rad. Skr. *tarp,* rigesco. — Part. *Torpens* in omnib. paragr. — Torpeo est sensum aut motum amitto, stupore et tarditate corripior, langueo, obtorpesco, ναρκέω, ἀναισθήτως ἔχω (It. *essere intormentito, intorpidire, perdere il senso o il moto;* Fr. *s'engourdir, être engourdi, immobil, inactif;* Hisp. *entorpecerse, ser torpecido;* Germ. *sein taub, erstarrt, gelähmt;* Angl. *to be numb, torpid*).

I.) Proprie dicitur de animantibus. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 35. Quid vetat et nervos magicas torpere per artes? *Id. Heroid.* 10. 43. tum denique flevi: Torpuerant molles ante dolore genæ. *et ibid.* 11. 82. Torpuerat gelido lingua retenta metu. *Liv.* 21. 55. *et* 56. *ad fin.* Torpentes gelu. *et ibid.* 58. *ad fin.* Torpentes rigore nervi. *Seren. Sammon. c.* 16. Torpentia colla. *Seneca Herc. Fur.* 652. Torpet acies luminum Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (168). Hebescunt sensus, membra torpent, præ-

moritur visus. *Id.* 24. *ibid.* 4. 7. (13). Torpentes membrorum partes corroborat decoctum glandis. *et ibid.* 16. 92. (148). Radix ari aspidas fugat aut inebriat, ita ut torpentes inveniantur. *Sueton. Aug.* 80. *de eodem.* Dextræ manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, ut torpentem contractumque frigore, vix cornei circuli supplemento scripturæ admoveret. *Sil. It.* 4. 68. Torpentia membra trahere. *Juvenal.* 10. 203. torpente palato.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad res inanimas. *Stat.* 9. *Theb.* 452. torpentesque lacus pigræque paludes. *et* 4. *ibid.* 172. et *Claudian.* 2. *Rapt. pros. præf.* 18. Torpens amnis. *h. e.* nullo aut lentissimo cursu. *Colum.* 1. *R. R.* 4. *extr.* Locus depressus hieme pruinis torpet. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 169. Hiems frigore torpens. *Id.* 1. *Rapt. Pros.* 262. Plagæ torpentes. *h. e.* zonæ frigidæ cæli. *et* 2. *ibid. præf. in fin.* Antraque Musarum longo torpentia somno. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 13. Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum. *h. e.* tardus, obtusus. *Seneca Med.* 348. Orpheus tacuit torpente lyra. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 513. et adductus sub verbera torpuit ensis. *h. e.* hebes fuit. ¶ 2. Metaphorice de animo vel de iis, quæ ad animum pertinent. *Plaut. Amph.* 1. 1. 179. timeo: totus torpeo: Non edepol nunc, ubi terrarum sim, scio. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 102. Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut etc. *Virg.* 1. *G.* 124. Nec torpere gravi passus sua regna veterno. *h. e.* pigritia, otio, desidia languere. *Id.* 9. *Æn.* 499. torpent infractæ ad prœlia vires. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 95. Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella. *sei fuor di te per lo stupore.* et *Liv.* 28. 29. *ad fin.* Adeo torpentibus metu qui aderant, ut ne gemitus quidem exaudiretur. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 58. At nos indecores longo torpebimus ævo. *h. e.* cessabimus, otio marcebimus. *Liv.* 1. 41. Si tua re subitâ consilia torpent. et 6. 23. Frigere ac torpere senis consilia. *Stat.* 10. *Theb.* 90. Et numquam vigili torpens Ignavia vultu. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 156. in nostro jam milite robur Torpuit.

TORPESCĒNS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TORPESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* torpeo) Part. *Torpescens* I. — Torpesco est torpere incipio, torpeo, languesco, stupore et tarditate corripior, hebesco, *instupidire, illanguidire,* ναρκάω.

I.) Proprie de animantibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 89. (220). Arteriæ carent sensu: præcisisque torpescit tantum pars ea corporis. *Id.* 23. *ibid.* 4. 50. (96). Elæomeli qui bibere, torpescunt. *Id.* 21. *ibid.* 26. 98. (171). Scorpiones visa lychnide torpescunt. *Seneca Med.* 926. Cor pepulit horror: membra torpescunt gelu. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (54). *de leonib.* Vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injecto operto capite.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad inanima. *Seneca Herc. Fur.* 763. *de Styge.* Stupent undæ, segne torpescit fretum. *Plin.* de margaritis, 9. *Hist. nat.* 35. 54. (109). Flavescunt tamen et illæ senecta rugisque torpescunt. ¶ 2. Metaphorice de animo vel de iis, quæ ad animum pertinent. *Sall. Cat.* 16. Ne per otium torpescerent manus aut animus. *Id. Jug.* 2. Ingenium incultu atque socordia torpescere sinunt. *Tac.* 1. *Hist.* 71. Deliciis et desidia torpescere. *Sil. It.* 16. 14. vigor cogitur senio torpescere rerum.

TORPĬDUS, a, um, adject. (torpeo) qui non sentit, torpens, stupidus, tardus, languens, ναρκώδης (It. *intorpidito, intormentito*; Fr. *engourdi, étourdi*; Hisp. *entorpecido*; Germ. *betäubt, erstarrt*; Angl. *torpid, benumbed*). ¶ 1. De personis. *Liv.* 7. 36. et 25. 38. *a med.* Torpidi somno paventesque ad necopinatum tumultum. *Id.* 22. 53. Quod malum cum stupore ac miraculo torpidos defixisset etc. ¶ 2. De brutis et inanimis. *Auson. Edyll.* 10. 264. *de pisce moribundo.* Torpida supremos patitur jam cauda (*piscis*) tremores. *Lactant.* 2. 8. *circa med.* Quod insensibile est, iners et torpidum semper jacet. Adde *Fulgent.* 5. *Mythol.* 4. *extr.* V. VETERNOSITAS.

TORPITUDŌ, inis, f. 3. (torpeo) idem ac torpedo. Vox a Lexico expungenda, occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 94. Torpidus, torpitudo.

TORPOR, ōris, m. 3. (torpeo) stupor ex defectu sensus, tarditas, languor, νάρκη, νάρκωσις (It. *intormentimento, stupidezza, torpore*; Fr. *torpeur, engourdissement*; Hisp. *entorpecimiento*; Germ. *die Erstarrung, Betäubung*; Angl. *numbness, stupor, torpor*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. *extr.* Tutantur se atramenti effusione sepiæ, torpore torpedines. *Virg.* 12. *Æn.* 867. Illi membra novus solvit formidine torpor. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 29. Fine carent lacrimæ, nisi quum stupor obstitit illis Et similis morti pectora torpor habet. *Id.* 1. *Met.* 548. torpor gravis alligat artus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 18. (65). Aspidas percussos torpore et somno necant. *Id.* 20. *ibid.* 21. 84. (223). Torporem afferre. *Id.* 22. *ibid.* 25. 71. (146). obducere. *Id.* 2. *ibid.* 101. 104. (223). contrahere. *Id.* 30. *ibid.* 10. 27. (89). exuere. *Id.* 28. *ibid.* 4. 7. (38). sedare. *Id.* 19. *ibid.* 8. 44. (155). excitare. *Val. Max.* 3. 8. *n.* 6. Torpore hebetati artus. *Cels.* 2. 8. *a med.* In coxæ doloribus si vehemens torpor est frigescitque crus et coxa etc.

II.) Translate refertur ad animum. *Tac.* 2. *Hist.* 99. Accedebat huc Cæcinæ ambitio vetus, torpor recens nimia fortunæ indulgentia soluti in luxum. *Id. Germ.* 46. Sordes omnium ac torpor procerum. Adde *Lucan.* 3. 432.

TORPŌRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TORPŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (torpor) Part. *Torporatus.* — Torporo est torporem induco, torpefacio. *Turpil.* apud *Non. p.* 182. 7. *Merc.* Stupidus asta::: ita ejus aspectus repente cor torporavit homini amore. Adde *ibid.* 5. *Lactant.* 2. 8. *ad fin.* Humida nimis rigoribus torporata concrescunt.

TORQUA, æ, f. 1. idem ac torquis. *Varro Sat. Men.* 170. Cf. *Gloss. vet.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 826. apud *A. Mai. Gloss. nov. Lat. p.* 71.

TORQUĀTUS, a, um, adject. (torquis) torque ornatus, *ornato di collana,* στρεπτοφόρος.

I.) Proprie. Dicitur de milite, qui torque ob virtutem ab imperatore donatus est. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 10. (37). docet, olim auxilia et externos aureis torquibus donatos fuisse, at cives non nisi argenteis. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 3844. Miles torquatus et duplarius. — Fuere namque milites *torquati simplares* et *duplares*: ... Postquam torquem meruerant, simplicem annonam consequebantur: hi duplicem. *Veget.* 2. *Milit.* 7. *sub fin.* Adde *sesquiplares*, qui ob virtutem annonam unam cum dimidio accipiebant. *V.* TORQUIS. — Præter milites etiam integra militum corpora sive militaria eorum insignia torque decorabantur. *Inscr.* apud *Murat.* 686. 6. (*Orelli* p. 516.) et apud *Henzen n.* 6856.

II.) Translate. *Ovid. Heroid.* 2. 119. Adfuit Alecto brevibus torquata colubris. — *Torquatus palumbus*, cujus collum circulo quodam pennarum alterius coloris, quasi torque cingitur, φάσσα vel φάττα. *Martial.* 13. 77. Inguina torquati tardant hebetantque palumbi. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

TORQUENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TORQUĔO, torques, torsi, tortum *et* torsum, torquere, a. 2. — *a*) *Torceo* pro *torqueo* scribitur in quibusd. MSS. Codd. et editis libris. Cf. *torcular.* Item *torces* pro *torques.* V. TORQUIS. — *Torquerier* paragoge pro *torqueri* est *Varron. Atac.* apud *Mar. Victorin. p.* 60. 21. *K.*, *Horat.* 2. *Sat.* 8. 67. et *Propert.* 3. 6. 39. — Alterum supinum *torsum* agnoscit *Priscian.* 9. *p.* 871. *Putsch.* et confirmat particip. *detorsus* et nom. *torsor.* — *b*) Origo vocis est a rad. Skr. *tark*, volvo. Cf. etiam Gr. τρέπω, ejusdem significationis, cui *torqueo* affine videtur, quippe τ per *qu* Latine aliquando redditur. — Part. *Torquens* I. 1. *a*, 2., 3. *a* et 4.; *Tortus* fere in omnib. paragr. et in fin.; *Torquendus* I. 5. — Torqueo est cum quadam vi flecto, inflecto, verto, κάμπτω (It. *voltare, piegare, torcere*; Fr. *tourner, courber, fléchir, tordre*; Hisp. *corvar, doblar, combar, volver, torcer*; Germ. *drehen, wenden, winden*; Angl. *to turn, bend*).

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Cum Acc. *Cic.* 2. *Legg.* 15. *ad fin.* Cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquere. *Id.* 1. *Off.* 36. *ad fin.* Cavendum, ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates: quæ quum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur. *h. e.* deformiter flectuntur, distorquentur. *Virg.* 3. *Æn.* 208. nautæ Adnixi torquent spumas et cærula verrunt. *h. e.* vi versant, frangunt, miscent. Sic *Ovid.* 5. *Fast.* 644. Ille meas remis advena torsit aquas. *h. e.* adverso flumine navigavit. *Id.* 3. *Met.* 42. *de serpente.* volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet. *Id. Heroid.* 4. 46. Torquentem frenis ora sequacis equi. *Virg.* 1. *G.* 174. Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos. *Id.* 9. *Æn.* 724. Portam vi multa converso cardine torquet, Obnixus latis humeris. *Liv.* 4. 54. Torquere collum alicui. *h. e.* injectis in collum manibus constringere et obtorquere. *V.* OBTORQUEO. *Stat.* 11. *Theb.* 312. paullum ei devius hostis Torsit iter. *voltò strada.* et *Seneca Brevit. vit.* 12. Vocem inflexu modulationis inertissimæ torquere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (218). Quercus supra terram rimosa facit opera, torquendo sese. *Ovid.* 1. *Art. am.* 505. ferro torquere capillos. *h. e.* crispare. *Ulp. Dig.* 21. 1. 23. Torquere laqueum. *h. e.* circa gulam adstringere. — Part. *tortus* sæpe occurrit, adjectivorum etiam more adhibitum, et est intortus, inflexus, implexus, tortilis, flexus, *intorto, ritorto, intorticciato, bistorto, torto.* *Virg.* 4. *Æn.* 575. tortos incidere funes. Sic *Cels.* 7. 4. *n.* 4. Linum duplex triplexque, sic tortum, ut unitas in eo facta sit. *Ovid. Heroid.* 19. 37. Tortaque versato ducentes stamina fuso. *Calpurn. Ecl.* 3. 71. Tortum vimen. et *Ecl.* 7. 53. Retia auro torta. *Virg.* 1. *G.* 349. torta redimitus tempora quercu. et 3. *ibid.* 38. Tortus anguis. et 4. *ibid.* 121. tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis. et 3. *ibid.* 106. illi instant verbere torto Et proni dant lora. *Id.* 7. *Æn.* 567. Dat sonitum saxis et torto vortice torrens. *Tac.* 5. *Hist.* 22. Circum brachia torta veste. *avvolta.* et *Propert.* 4. 4. 40. Quum patuit lecto stamine torta via. *tortuosa.* h. e. labyrinthi. Sic *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 48. et crebro vortice tortus Halis. *et Lucan.* 5. 378. Torta Apuliæ ora. et *Lucret.* 4. 545. Et cycni tortis convallibus. Ita ex conject. *Lachm.* V. adn. ad *eumd. p.* 241. *Propert.* 4. 3. 65. Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ. *et ibid.* 7. 41. Torti capilli. *arricciati.* Sic *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 25. *de capillis.* Quam se præbuerunt ferro patienter et igni, Ut fieret torto flexilis orbe sinus! *Seneca Med.* 718. Tortæ radices. *Id. Herc. Fur.* 787. Longus torta cauda draco. *Nemesian. Ecl.* 4. 40. torto non squamea tractu Signat humum serpens. *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Torta periscelis. — *b*) Cum addito Acc. et præp. *in*, *ad*. *Virg.* 2. *G.* 448. Ityræos taxi torquentur in arcus. *Id.* 4. *Æn.* 220. oculosque ad mœnia torsit. Cf. 3. *ibid.* 669. Sensit et ad sonitum vocis vestigia torsit. — *c*) Cum addito Abl. et præp. *ab*. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 127. Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem. ¶ 2. Latiore sensu est circumflectere, circumagere, versare, *volgere, torcere, girare.* *Ovid.* 12. *Met.* 475. Torquere stamina pollice. *Pers.* 3. 51. buxum flagello. et *Juvenal.* 2. 55. et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (28). fusum. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (137). Piger torquens spartum. *Petron. Sat.* 29. Parcæ aurea pensa torquentes. *Virg.* 9. *Æn.* 93. torquet qui sidera mundi. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. *a med.* Terra circum axem se summa celeritate convertit et torquet. *Id. Tim.* 7. *a med.* Torquere aliquid in orbem. *Seneca Med.* 744. Rota resistat membra torquens: tangat Ixion humum. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 7. torto concita rhombo Licia. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 43. Cumano patinas in orbe tortas. *h. e.* Cumis rota figuli currente fabrefactas. *Martial.* 13. 28., cujus lemma *Cotana.* Hæc tibi quæ torta ve-

nerunt condita meta. *h. e.* vase fictili in modum metæ facto. Alii aliter expon. Alii pro *meta* leg. *menta.* — *Varro* apud *Non. p.* 179. 4. *Merc.* Aqua torta. *h. e.* pluvia agitata vento et transversim defluens. Adde *Terentian. v.* 2147. tortis errans qui flexibus effugit amnis. — Flumina dicuntur *torquere undas, saxa* etc., quum torrente cursu volvunt et secum abripiunt. *Virg.* 6. *Æn.* 550. Tartareus Phlegethon torquet sonantia saxa. Sic *Lucan.* 4. 767. Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis. et *Horat.* 2. *Ep.* 2. 73. Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum. *h. e.* volvit, trahit aut tollit. — De cæli siderumque conversionibus. *Virg.* 5. *Æn.* 738. torquet medios nox humida cursus. *h. e.* ad occasum accedens ad auroram. *Ovid.* 2. *Met.* 70. assidua rapitur vertigine cælum Sideraque alta trahit celerique volumine torquet. ¶ 3. Item, vel prægnanti, ut ajunt, sensu, sæpe est jaculari, jacere: ductum a funda, quæ antequam jaciat, circumagitur, *lanciare, gettare.* — *a)* Absolute. *Virg.* 1. *G.* 309. Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ. *Id.* 4. *Æn.* 208. Juppiter torquet fulmina. *et* 9. *ibid.* 670. quum Juppiter humidus austris Torquet aquosam hiemem. *Ovid.* 11. *Met.* 19. Torquere glæbas, ramos, silices. *Id.* 2. *Fast.* 11. valido pila lacerto. *Id. Heroid.* 4. 158. proavi fulmina torta manu. *Id.* 4. *Met.* 708. quantum Balearica torto Funda potest plumbo medii transmittere cæli. Adde *Martial. Spectac.* 11. — *b)* Cum addito Acc. et præp. *in, ad, per.* *Lucan.* 4. 62. *de Euro.* Ille suo nubes, quascumque invenit in axe, Torsit in occiduum Nabathæis flatibus orbem. *spinse, cacciò.* et *Virg.* 10. *Æn.* 585. jaculum torquet in hostem. *et* 12. *ibid.* 536. telumque ad tempora torquet. Cf. *Sil. It.* 11. 419. non ulla per auras Lancea nudatos exercet torta lacertos. — *c)* Cum addito Dat. *Val. Flacc.* 3. 193. Torquere hastam alicui. *h. e.* in aliquem. ¶ 4. Et sustinere, gestare, sed cum versatione aliqua. *Virg.* 7. *Æn.* 666. tegumen torquens immane leonis. *et* 4. *ibid.* 482. Axem humero torquet stellis candentibus aptum. ¶ 5. Frequentissime est cruciatu afficere adhibitis tormentis fidicularum, eculei, ignis, rotæ, verberum et hujusmodi, vel eliciendæ veritatis vel puniendi vel sæviendi causa: *dare la tortura, martoriare, tormentare,* βασανίζω: ductum ex eo, quod reorum membra præter naturam flectuntur et curvantur. *Plaut. Curc.* 5. 3. 12. Ita te nervo torquebo, itidem uti catapultæ solent. *Cic.* 3. *Fin.* 13. 42. Non posse sapientem beatum esse, quum eculeo torqueatur. *Sueton. Aug.* 27. Q. Gallium prætorem, per centuriones et milites raptum de tribunali, servilem in modum torsit ac fatentem nihil jussit occidi. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Epicharim tormentis dilacerari jubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin objecta denegaret. *Ulp. Dig.* 2. 1. 7. In servos autem et eos, qui inopia laborant, corpus torquendum est. *Id. ibid.* 48. 18. 1. Torquere servum in caput domini. *h. e.* contra dominum. *Sueton. Aug.* 40. *sub fin.* Cavit, ne vinctus umquam tortusve quis, ullo libertatis genere civitatem adipisceretur. *Justin.* 22. 1. *in fin.* Socii capti tortique, de illo negaverunt.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. *Cic. Orat.* 16. 52. Oratio ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas. *Id. Cæl.* 6. 13. Versare suam naturam et regere ad tempus atque huc et illuc torquere et flectere. *Alii leg.* flectere et torquere. *Id.* 1. *Legg.* 10. 29. Opinionum vanitas imbecillitatem animorum torquet et flectit, quocumque cœpit. *Id. Cæcin.* 27. 77. Juris retineri sententiam, an verbo et littera jus omne torqueri, statuite, utrum utilius esse videatur. *h. e.* detorqueri, perverti, corrumpi. — *Plaut. Men.* 4. 2. 25. Condiciones tetuli tortas, confragosas. *h. e.* obscuras, perplexas. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. *Virg.* 12. *Æn.* 179. tuque, inclite Mavors, Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques. *giri e reggi a tuo modo.* et 4. *ibid.* 269. Regnator, cælum et terras qui numine torquet. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 3. *Propert.* 4. 8. 8. draco ex ima sibila torquet humo. *h. e.* instar teli acuta emittit. Sic *Val. Flacc.* 7. 525. anguis stetit et trepidantia torsit Sibila. Adde *Sil. It.* 7. 424. Cf. 4. 278. Cryscus sub pectore murmur torsit. ¶ 4. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 5. est cruciare, molestiam afferre, angere, vexare, *cruciare, affliggere, travagliare.* — *a)* De animantibus. *Cic.* 7. *Att.* 9. *extr.* Equidem dies noctesque torqueor. *Ovid. Heroid.* 9. 36. Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 67. torquerier omni Sollicitudine districtum, ne panis adustus, Ne male conditum jus apponatur. *Id.* 1. *Ep.* 2. 37. Torqueri invidia vel amore. *Ovid. Heroid.* 20. 123. Torqueor ex æquo, vel te nubente vel ægra. *Id.* 11. *Met.* 130. *de Mida.* et inviso meritus torquetur ab auro. *Id.* 1. *Pont.* 1. 60. Pœnitet et facto torqueor ipse meo. *Quintil.* 12. 1. 7. Sceleris compos sollicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium exspectatione torquetur. *Plin.* 9. *Ep.* 21. Ne torseris illum, ne torseris etiam te. torqueris enim, quum tam lenis irasceris. *Id.* 7. *Ep.* 30. Torqueor, quod discipulum optimæ spei amisisti. *Cic.* 3. *Orat.* 9. 33. Aliquanto me major in verbis et in sententiis eligendis, quam eum, labor et cura torquet. *Id. Parad.* 2. *ad fin.* Tuæ libidines te torquent. *Id.* 1. *Orat.* 11. 47. Verbi controversia jamdiu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis. *Phædr.* 3. 14. ille se torquet diu Nec quæstionis positæ causam intelligit. *Ovid.* 1. *Art. am.* 176. Eheu, quam multos advena torquet amor. *Id.* 1. *Pont.* 5. 21. torquet me Fortuna. *Id.* 2. *Art. am.* 124. Ulysses æquoreas torsit amore deas. *Horat. Art. P.* 435. Torquere aliquem mero. *h. e.* ebrium facere, ut verum dicat. *Phædr.* 1. 26. convivam fame. — *b)* De rebus inanimis. *Virg.* 2. *G.* 247. ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror. *disgusterà.* et *Val. Flacc.* 4. 508. *de Vesuvio.* vix dum ignea montem Torsit hiems. *h. e.* vexavit, laceravit. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 38. Commissumque teges et vino tortus et ira. — Hinc absolute, substantivorum more, ex Part. præt., cujus exempla retulimus

*Torta, æ,* f. 1. genus pulmenti, in usu apud pistores, *torta.* *Vulgat. interpr.* 1. *Par.* 16. 3. Divisit tortam panis. *Text. Græc.* habet ἄρτον ἀρτοκοπικόν. *h. e.* panem pistorium. Adde *Jer.* 37. 20. etc.

*Tortum, i,* n. 2. tormentum vel funis tortus, quo utuntur torquentes, vel ipsa tortura. *Pacuv.* apud *Non. p.* 179. 16. *Merc.* Nam te in tenebris sæpe lacerabo fame Clausum et fatigans artus torto distraham.

TORQUES. *V.* TORQUIS.

TORQUILLA, æ, f. 1. *deminut. a* torquis, parva torquis vel trochlea vel, ut alii exponunt, avis, quæ crebro collum torquet. *Gloss. Gr. Lat.* τροχιλία, torquilla.

TORQUIS et torques, is, m. *et* f. 3. (torqueo) *Torques* in recto sing. ponit *Charis. loc. cit., Prob. De nom. p.* 211. 19. *et Beda de Orth. p.* 292. 19. *Keil.* Sic *Val. Flacc.* 2. 111. it barbara vestis Et torques insigne loci. Sunt qui leg. *torquis,* ut producatur vi cæsuræ, velut *sanguis;* sed minus recte. Adde *Stat.* 10. *Theb.* 517. *Queck* et *Gloss. Labb. p.* 185. — *Tores* pro *torques* dictum a *Servil.* apud *Charis.* 1. *p.* 118. *Putsch.* — Alia scriptio est *torcues* vel *torcuis* apud *Varron. loc. infra cit.* — Torquis est circulus, στρεπτός. ¶ 1. Generatim est circulus vel anulus, corona. *Virg.* 4. *G.* 276. Sæpe deum nexis ornatæ torquibus aræ. — Hinc translate *Manil.* 5. 584. *de ceto natanti.* vastis urgent immensi torquibus orbes. *h. e.* sinuosis fluctibus in morem torquis cetum circumagentem se cingentibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 58. (117). Avis viridis toto corpore, torque tantum miniato in cervice distincta. ¶ 2. Speciatim dicitur de circulo, quo boves aliave animalia ligatur, *collare.* *Virg.* 3. *G.* 166. Ac primum laxos tenui de vimine circlos Cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos Junge pares. Adde *Vulg. interpr. Judic.* 8. 26. ¶ 3. Item sæpius circulus aureus vel argenteus, aliquando gemmis ornatus, qui ex pluribus filis in se retortis in collo et ante pectus pro ornamento gestatur, *collana, collare.* *Isid.* 19. *Orig.* 31. 11. Torques sunt circuli aurei a collo ad pectus usque pendentes. Hinc *Claudian. Cons. Prob.* et *Olybr.* 86. Colla nec ornatu patitur mollire retorto. *h. e.* torque. *Nævius* apud *Charis.* 1. *p.* 118. *Putsch.* Collum marmoreum torques gemmata coronat. *Quadrigar.* apud *Gell.* 9. 13. et *Non. p.* 228. 11. *Merc.* Torquem detraxit eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. *Cic.* 3. *Off.* 21. *sub fin.* T. Manlius, Galli torque detracto, cognomen invenit. *Ovid.* 1. *Fast.* 601. aut torquis ademptæ Aut corvi titulos auxiliaris habent. *Propert.* 4. 10. 44. Torquis ab incisa decidit unca gula. *h. e.* ex auro curvato et obtorto facta. *Apul. Florid.* 12. Cervicula ejus circulo mineo velut aurea torqui cingitur. *Stat.* 10. *Theb.* 517. colloque decorus Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 240. tum flava repexo Gallia crine ferox evinctaque torque decoro. *Calpurn. Ecl.* 6. 43. rutiloque monilia torque Extrema cervice natant. *Quintil.* 6. 3. *a med.* Quum Augusto Galli torquem aureum centum pondo dedissent. *Varro Sat. Men.* 170. *B.* Torcues aureæ et scuta cælata argento. *Lucil.* apud *Non. p.* 228. 2. *Merc.* Torques magni. *Cic.* 5. *Verr.* 80. 185. Corona et phaleris et torque donare aliquem. *Inscr.* apud *Murat.* 799. 6. M. BLOSSIO PVDENTI DONIS MILITARIBVS DONATO AB IMP. VESPASIANO AVG. TORQVIBVS ARMILLIS PHALERIS CORONA AVREA *etc.* — Persarum moribus erat inter insignia regia. *Nepos Datam.* 3. Ornavitque etiam torque et armillis aureis ceteroque regio cultu. — *Torquis major* videtur fuisse aureus quique duplas annonas militibus eodem donatis tribuebat. *Inscr.* Salonitana, nunc exstans in Mus. Atestino, apud *Gruter.* 96. 1. C. IVLIVS C. F. SER. AETOR (*sic in lapide pro* Altor) DONATVS AB TI. CAES. AVG. F. AVGVSTO TORQVE MAIORE BELLO DELMATICO. *Veget.* 2. *Milit.* 7. Torquati duplares, torquati sesquiplares, quibus aureus solidus virtutis præmium fuit, quem qui meruissent, præter laudem interdum duplas consequebantur annonas: duplares duas, sesquiplares unam semis consequebantur annonas. Hinc *Inscr.* apud *Gruter.* 357. 1. C. ANTONIO C. F. FLAVIANO VI. VIRO IVN. HAST. LEG. II. AVG. TORQ. AVR. ET ANN. DVPL. OB VIRT. DONATO etc. Hinc et *torquis minor* fuisse censendus est. Cf. *Annali dell' Istit. arch. a.* 1860. *p.* 178. *et seqq.* — Mos donandi aliquem torquibus in ejus honorem obtinuit etiam apud alias gentes. *Vulgat. interpr. Dan.* 5. 16. Adde *Prov.* 1. 9. etc. — Etiam inter donaria recensetur in *Inscr.* apud *Orelli n.* 1572.

Homonym. *Torquem* inter et *monile* differentiam statuit *Isid.* 19. *Diff.* 31. «*Torquis,* inquit, et bullæ a viris geruntur, a feminis *monilia* et catellæ». Cf. *Fest. p.* 138. 31. *Müll.* *Monile* dictum est ornatus mulierum. *Scheffer* tamen ex *Ovid.* 5. *Met.* 51., *Th. Barthol.*, alii defendunt, *monile* fuisse ornamentum colli puellarum juvenumque ingenuorum. *V.* MONILE.

TORRĔFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (torreo *et* facio) Part. *Torrefactus.* — Torrefacio est torridum reddo, arefacio, torreo, ad ignem solemve sicco, *disseccare, arrostire,* φρύγω, ξηραίνω. *Colum.* 6. *R. R.* 7. *a med.* Quidam vinaceorum duas libras torrefaciunt et ita conterunt. *Id.* 2. *ibid.* 21. Et subinde opportunis solibus (*seges*) torrefacta proteritur. *Id.* 12. *ibid.* 15. Torrefacta sesama. *et ibid.* 57. Nuces avellanæ torrefactæ. Adde *Pelagon. Veter.* 14., *Pallad.* 11. *R. R.* 14. et *Veget.* 5. *Veter.* 44. 4.

TORRĔFACTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

TORRENS, entis, particip. *V.* TORREO.

TORRENTER, adverb. ab adject. *torrens,* torrentis modo, *precipitosamente, a guisa di torrente.* Occurrit tantum Comp. apud *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 198. torrentius amne Hiberno tortaque ruunt pernicius hasta.

TORRĔO, torres, torrŭi, tostum, torrere, 2.

*Torèo*, per simplex *r*, antiqua scriptura est, unde *tores* pro *torres* apud *Apic.* 4. 122. — *Torro, is*, videtur olim usurpatum fuisse. *Lucret.* 3. 917. Quod sitis exurat miseros atque arida torrat. *V.* tamen *Lachm.* ad *eumd. p.* 192. — Ratione habita etymi, ab antiquo *torrus* vel, ut prisci scribebant, *torus*, aridus, torridus, derivari posse docet *Festus p.* 355. 11. *Müll.*; at recentiores ducunt a rad. Skr. *tars*, siccum sum, unde et Gr. τέρσω, sicco. — Part. *Torrens* sub *B* et in fin.; *Tostus* sub *A* I. 3. et 4.; *Torrendus* sub *A* I. 2. — Torreo proprie significat siccare, arefacere, ξηραίνω (It. *seccare*; Fr. *sécher, dessécher*; Hisp. *secar, desecar*; Germ. *dörren, sengen*; Angl. *to dry, parch*). Adhibetur *A)* Transitive; et etiam *B)* Neutrorum more.

*A)* Transitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Virg.* 7. *Æn.* 720. cum sole novo densæ torrentur aristæ. *et* 1. *ibid.* 183. frugesque receptas Et torrere parant flammis et frangere saxo. *Horat.* 3. *Od.* 1. 31. Sidera torrentia agros. *Ovid.* 4. *Fast.* 939. Est Canis (Icarium dicunt) quo sidere moto, Tosta sitit tellus. *Catull.* 45. 6. in Libya Indiave tosta. *Justin.* 44. 1. 4. Africa violento sole torretur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (30). Pisces unguibus dissectos sole torrere. *Id.* 23. *ibid.* 7. 71. (139). Torrere succum pomi expressum ad solem. *Id.* 14. *ibid.* 9. 11. uvam in tegulis. *Id.* 11. *ibid.* 20. 22. (69). sole verno apes mortuas. ¶ 2. Latiore sensu est igne urere, ita tamen ut ne in cinerem redigas, sed uti coquendo fit, *abbrustolire, arrostire, cuocere, friggere*, φρύγω. *Plaut. Cas.* 2. 5. 1. In furnum calidum condito Atque ibi torreto me pro pane rubido. *Cic.* 6. *Rep.* 20. 21. Terram quasi quibusdam circumdatam cingulis: e quibus medium illum et maximum solis ardore torreri. *Id. Pis.* 18. 42. In Phalaridis tauro inclusum succensis ignibus torreri. *Virg.* 2. *G.* 396. Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis. *Ovid.* 2. *Fast.* 578. Torrere aliquid in igne. *Id.* 6. *ibid.* 313. furnis torrebant farra coloni. *Liv.* 35. 5. Sol ingenti ardore torrebat minime patientia æstus corpora Gallorum. *scottava.* et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 27. (83). Delphini jecur in fictili torrent, donec pinguitudo similis oleo fluat. *Id.* 30. *ibid.* 6. 15. (44). Cochleas in pruna torrere. *Id.* 15. *ibid.* 23. 25. (92). Torrere castaneas. *Id.* 33. *ibid.* 4. 25. (84). aurum. *h. e.* candefacere, liquare, excoquere. *Id.* 26. *ibid.* 3. 8. (16). ad ignes corpora. *h. e.* vehementer calefacere. *Marcell. Empir. c.* 27. *p.* 127. *retro.* Tostus panis. *Id. ibid.* ovum. — Absolute. *Vulg. interpr.* 1. *Par.* 23. 29. Ad similæ sacrificium et ad torrendum. — Tribuitur et frigori, ut *uro. Varro* apud *Non. p.* 452. 8. *Merc.* Capite aperto esse jubet, ante lucem suscitat, frigore torret, venatum ejicit. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 78. montes torret Atabulus. *Acron* exponit *incendit*, quia, inquit, nimio calore flans ventus illam regionem exsiccat. Sed *V.* ATABULUS. ¶ 3. Item *torrere* dicuntur sitis, febris, rubigo et hujusmodi. *Tibull.* 1. 4. 36. Et Canis arenti torreat arva siti. *Propert.* 4. 9. 21. sicco torret sitis ora palato. *Ovid. Heroid.* 21. 169. At mihi (væ miseræ!) torrentur febribus artus. Adde *Juvenal.* 9. 17. *Colum. De cult. hort.* 342. Rubigo ne torreat herbas. *Id.* 12. *R. R.* 5. Tostum hordeum. *Ovid.* 12. *Met.* 155. caro. *arrostita.* et 6. *Fast.* 482. liba. ¶ 4. Item pro comburere, *abbruciare. Enn.* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Aræ fractæ et disjectæ jacent, Fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes. *Tibull.* 1. 10. 49. Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma Torreat et liquida deleat amnis aqua. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 44. Quique repertorem torruit arte sua. *h. e.* Phalaris Perillum. *Ovid.* 2. *Met.* 283. tostos en aspice crines Inque oculis tantum, tantum super ora favillæ. *Inscr.* apud *Henzen n.* 7413. VIATOR - SI QVAERIS QVAE SIM CINIS EN ET TOSTA FAVILLA etc.

II.) Translate, apud Poetas, de amoris æstu. *Horat.* 4. *Od.* 1. 12. Venus torret jecur. *Id.* 3. *ibid.* 9. 13. Me torret face mutua Thurini Calais filius Ornyti. *et ibid.* 19. 28. Me lentus Glyceræ torret amor. *Propert.* 3. 23. 13. Correptus sævo Veneris torrebar aheno. Adde *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 40. et *Senec. Hippol.* 641.

*B)* Neutrorum more, est torridus sum, torreor, uror. *Liv.* 44. 38. *ad fin.* Militem itinere fatigatum, onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti objicere recenti, quieto. *Alii* leg. *torrente.* et *Colum.* 1. *R. R.* 4. *in fin.* Collis medius neque hieme pruinis torpet aut torret æstate vaporibus. *Alii leg.* torretur. *Id.* 4. *ibid.* 19. Exilis terra et acclivis torrensque æstu, humilius jugum poscit. — Hinc Part. præs., cujus exempl. retulimus

*Torrens, entis*, adjectivorum et etiam substantivorum more usurpatur.

I.) *Torrens* adjectivorum more, unde Comp. *Torrentior*; Sup. *Torrentissimus.* — Torrens ¶ 1. Proprie est urens, *che abbrucia o abbrustolisce. Pacuv.* apud *Fest. p.* 352. 28. *Müll.* Flammeo vapore torrens terræ fetum exusserit. *Virg.* 4. *G.* 425. Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat. *Id.* 6. *Æn.* 550. Torrentes flammæ. *Id.* 9. *ibid.* 105. et 10. *ibid.* 113. Per pice torrentes atraque voragine ripas. *Claudian. Fescenn.* 19. gelido specu torrentiorem fallere Sirium. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 52. cæli quum torrentissimus axis Incumbit terris. ¶ 2. Translate est redundans, exæstuans et defluens cum impetu, concitatus, rapidus, ut amnes imbribus aucti et de montibus decurrentes, *rapido, impetuoso, ridondante.* — *a)* Universim. *Virg.* 10. *Æn.* 603. torrentis aquæ vel turbinis atri More furens. *Id.* 2. *G.* 451. Torrens unda. *Id.* 7. *Ecl.* 52. torrentia flumina. χαραδραῖοι ποταμοί. et *Varro* 1. *R. R.* 12. *extr.* fluvii. *Justin.* 44. 1. 7. Cursus amnium torrentes rapidique. *Val. Flacc.* 4. 409. Nilus toto gurgite torrens. *Curt.* 7. 10. 2. Amnis fertur torrens. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (177). *de Pado.* Augetur ad Canis ortus liquatis nivibus, agris, quamvis torrentior, nihil tamen ex rapto sibi vindicans. *Id.* 2. *ibid.* 103. 106. (229). Fluvius Novanus omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur. *Id.* 3. *ibid.* 4. 5. (33). Rhodanus deferens Ararim, nec minus se ipso torrentes Isaram et Druentiam. *Seneca Ep.* 23. Eorum, quæ fluminibus innatant, alia lenior unda detinuit, alia vehementior rapuit: alia proxime ripam, cursu languescente, deposuit, alia torrens impetus ejecit in mare. *Stat.* 7. *Theb.* 316. abruptis quum torrentissimus exit Pontibus. *Quintil. Declam.* 17. 18. *sub fin.* Nihil est improvisorum dolore torrentius. *h. e.* concitatius. *Lucan.* 6. 500. *de Fortuna.* Abstulit ingentes, fato torrente, ruinas. *h. e.* ruente, impetu se ferente præcipiti. *Priscian.* 8. *p.* 804. *Putsch.* hunc ipsum recitans versum, interpretatur, vertente, volvente. *Val. Flacc.* 4. 262. vix ora virum, vix tollere passus Brachia torrenti præceps agit undique nimbo. *con una tempesta impetuosa di colpi.* — *Torrens aura, spiritus*, cum impetu ruens, rapidus. *Auct. Ætn.* 289. et *ibid.* 340. — *Torrentia arma*, eod. sensu. *Sil. It.* 16. 213. — Hyperbole est poetica, in magna cæde *torrens cruor* apud *Lucan.* 7. 637. Sic apud *eumd.* 2. 220. Sanguine cæruleum torrenti dividit æquor. *Juvenal.* 6. 318. quantus ille meri veteris per crura madentia torrens! — *b)* Refertur ad copiam verborum et abundantiam orationis. *Id.* 10. 9. torrens dicendi copia. *et ibid.* 126. sævus et illum Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ Torrentem et pleni moderantem frena theatri. *h. e.* Demosthenem. *Id.* 3. 74. sermo promptus et Isæo torrentior. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 7. (12). Torrenti et meditata oratione blandiens.

II.) *Torrens, entis*, m. 3., substantivorum more. ¶ 1. Proprie est fluvius subitis imbribus concitatus, qui alioquin siccitatibus exarescit, χαράδρα, χείμαῤῥος, ξηροπόταμος, vel ab æstu, quo fertur, vel quia cito torrescit et siccatur (It. *torrente*; Fr. *torrent*; Hisp. *torrente*; Germ. *Sturzbach, Giessbach*; Angl. *a torrent, flood*). *Ovid. Remed. am.* 651. Flumine perpetuo torrens solet acrius ire: Sed tamen hæc brevis est, illa perennis aqua. *Id.* 1. *Amor.* 7. 43. tumidi ritu torrentis agebar. *Virg.* 2. *Æn.* 305. rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata læta boumque labores. *Id.* 7. *ibid.* 567. fragosus Dat sonitum saxis et toto vertice torrens. *Seneca Phœniss.* 71. Torrens rapax. *Curt.* 6. 4. 5. præceps. ¶ 2. Translate. — *a)* Universim. *Sil. It.* 12. 189. Torrens armorum et virorum. *un torrente d' armi e d' armati.* et 13. 760. abundans Umbrarum huc agitur torrens. — *b)* Proverbium est illud *Juvenal.* 4. 89. dirigere brachia contra torrentem. *V.* BRACHIUM. — *c)* Commode refertur ad copiam verborum et abundantiam orationis. *Cic.* 2. *Fin.* 1. *ad fin.* Quum fertur, quasi torrens, oratio, multa cujusquemodi rapit. *Quintil.* 3. 8. *a med.* Inanis verborum torrens.

**Homonym.** Discrimen inter *flumen* et *torrentem* V. sub II. 1. et sub FLUMEN.

TORRES. *V.* TORRIS init.

TORRESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* torreo, torridus fio, *abbrustolirsi, arrostirsi. Lucret.* 3. 904. Ignibus impositum calidis torrescere flammis. Adde *Isid.* 13. *Orig.* 21. 2.

TORRĬDĀTUS, a, um, particip. *V.* TORRIDO.

TORRĬDĬTAS, ātis, f. 3. (torridus) ustio, combustio. *Schol. Bern.* ad *Lucan.* 4. 109.

TORRĬDO, as, ātum, are, a. 1. (torridus) Part. *Torridatus.* — Torrido est comburo, aduro. *Non. p.* 15. 27. *Merc.* Torris dicitur fax, unde et torridare dicimus comburere. *Capell.* 6. *p.* 196. Media zona anhelis ardoribus torridatus.

TORRĬDUS, a, um, adject. (torreo) siccus, aridus ex nimio calore, ξηρός (It. *secco, seccato, arido*; Fr. *desséché, aride*; Hisp. *desecado, arido*; Germ. *dörrend, dürr, gedörrt*; Angl. *dry, parched*): usurpatur autem tum active, tum passive

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — 1.°) Stricto sensu. *Liv.* 4. 30. Siccitate eo anno laboratum est. defectus aquarum circa torridos fontes rivosque stragem siti pecorum morientium dedit. *Id.* 22. 43. *sub fin.* Campi siccitate torridi. *Colum.* 7. *R. R.* 5. *et* 8. Torridus sal. *h. e.* sole aut igne siccatus, ut facilius teri possit. *Sil. It.* 12. 372. tellus saxoso torrida dorso. *Seneca Herc. Œt.* 135. saxa rigentia Et dumeta jugis horrida torridis. *Lucan.* 4. 239. Torrida ora. *h. e.* siti arida. Sic *vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 365. *Burmann. de mense Augusto.* Fontanos latices et lucida pocula vitro Cerne ut demerso torridus ore bibat. *Lucan.* 9. 718. Torrida dipsas. *et ibid.* 790. prester. — 2.°) Latiore sensu. — *a)* Passive est igne accensus, ustus, *acceso, abbruciato. Lucret.* 5. 1219. fulminis plaga torrida tellus. *Ovid.* 2. *Fast.* 24. Torrida farra. *h. e.* tosta. Sic et *Seren. Sammon. c.* 15. *Propert.* 3. 11. 51. Torrida sacrilegum testantur limina Brennum. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 41. Libya torrida semper solibus. *Calpurn. Ecl.* 1. 7. Torrida cur solo defendimus ora galero? *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. 94. Squilla igne torrida. *h. e.* subassata, ut *id. ibid.* exponit. — *b)* Active est torrens, urens. *Propert.* 2. 21. 5. torridus æstuat aer, Incipit et sicco fervere terra Cane. *Virg.* 1. *G.* 234. zona corusco Semper sole rubens et torrida semper ab igni. *Id.* 7. *Ecl.* 48. Torrida æstas. ¶ 2. Tribuitur et frigori. — *a)* Passive. *Liv.* 21. 32. Pecora jumentaque torrida frigore. — *b)* Active. *Calpurn. Ecl.* 5. 107. ne torrida nimbis Instet hiems.

II.) Translate refertur ad ea, quæ usta videntur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 34. *a med.* Homo vegrandi macie torridus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 20. 43. (98). Torridus sole color. — Figurate. *Calpurn. Ecl.* 3. 59. Torrida vox. *h. e.* sicca, anhela et exilis. Sic *Ecl.* 6. 23. qui vix stillantes, aride, voces Rumpis et expellis male singultantia verba.

TORRIS, e, adject. (torreo) idem ac torrus vel torridus, *arso, abbrustolito. Gromat. vet. p.* 361. 19. *Lachm.* Limitem torrem, hoc est torum, sine dubio invenies.

TORRIS, is, m. 3. (torreo) *Torres* pro *torris* in recto. *Gloss. Gr. Lat.* Ἀπόκαυμα, ustilacio, torres. — Torris est lignum semiustum, titio,

*tizzone*, δαλός: sive ardens adhuc sit, sive exstinctus. — *a*) De ardenti. *Val. Flacc.* 3. 115. Vivus torris. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. *ante med.* Cadaver sidente strue torrium devolutum reddere pyræ jam fastidiosus pollinctor exhorret. *Ovid.* 8. *Met.* 456. flagrantem mater ab igne Eripuit torrem sparsitque liquentibus undis. *Virg.* 12. *Æn.* 298. ambustum torrem Corynæus ab ara Corripit et venienti Ebuso plagamque ferenti Occupat os flammis: olli ingens barba reluxit etc. — Hinc translate usurpat *Vulgat. interpr. Zach.* 3. 2. — *b*) De exstincto. *Ovid.* 8. *Met.* 512. Funereum torrem medios conjecit in ignes. — De hac voc. V. *Lachm.* ad *Lucr.* 3. 917. et *Archiv d. Lat. Lex.* etc. *Wölphlin* an. 1893. *p.* 587.

TORROR, ōris, m. 3. (torreo) qualitas rei torridæ, siccitas. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. *a med.* Solis torror aut arena ignita. *et* 3. *ibid.* 6. *sub fin.* Ἡλίωσις, quam nos corporis torrorem dicimus.

TORRUS *vel* torus, a, um, adject. (torreo) idem ac torridus. *Fest. p.* 355. 1. *Müll.*, ubi *torrus* pro *torus* legend. videtur. — Hinc

*Torus* vel *torrus*, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, torris. *Serv.* ad *Virg.* 12. *Æn.* 298. Erit nominativus *hic torris* et ita nunc dicimus. Nam illud Ennii et Pacuvii penitus de usu recessit, ut *hic torrus, hujus torri* dicamus. Cf. *Apic.* 4. 129. *Kohl.*

TORSĬO, ōnis, f. 3. (torqueo) actus torquendi, tormentum, *torcimento*, στρέφος. *Hieronym.* 6. in *Is.* 13. 8. Tunc strophomata, quæ nos torsiones ventris interpretati sumus, tenebunt eos. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 67. (175). Privatim ejus usus contra torsiones stomachi in tepida aqua et cruditates. *h. e.* tormina ab humoribus acribus provenientia. *Harduin.* et *Sillig.* habent *rosiones*. ut et 28. *ibid.* 7. 21. (72). Adde *Plin. Val.* 2. 20, *et* 22., *Veget.* 2. *Veterin.* 11. 2. et 3. *ibid.* 56. et *Marcell. Empir. ep. Hippocr.* 85. 19. *retro.*

TORSOR, ōris. *V.* TORTOR.

TORSUM pro tortum. *V.* TORQUEO.

TORTA, æ, f. 1. *V.* TORTUS, a, um.

TORTANS, antis, particip. *V.* TORTO.

TORTĒ, adverb. (tortus) oblique, transverse, *obliquamente, tortamente*, ἐστραμμένως, καρσίως. *Lucret.* 4. 303. Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago. Nam quæcumque retro parte interiore latebunt, Inde tamen, quamvis torte penitusque remota, Omnia per flexos aditus educta licebit Pluribus hæc speculis videantur in ædibus esse. Adde *ibid.* 92. V. *Lachm.* ad *eumd. p.* 219.

TORTĪCĬUS. *V.* TORTIVUS.

TORTĪCORDĬUS. *V.* PRAVICORDIUS.

TORTĬLIS, e, adject. (torqueo) proprie qui torqueri potest, flexilis vel tortus, ἑλικός, εὐστρεφής, στρεπτός (It. *torto, piegato, ritorto*; Fr. *tortillé*; Hisp. *torcido*; Germ. *gedreht*; Angl. *flexible, writhen*). *Virg.* 7. *Æn.* 351. fit tortile collo Aurum ingens coluber. *h. e.* monile, torquis aurea. *Ovid. Heroid.* 16. 252. Tortilis e digitis excidit ansa meis. *Lucan.* 6. 198. tortilibus vibrata falarica nervis. *Ovid.* 1. *Met.* 335. Bucina tortilis. *et* 13. *ibid.* 915. piscis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (163). Polypi pariunt ova tortili vibrata pampino.

TORTĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. (tortus *et* loquor) torta seu perversa locutio. *Gloss. Cyrill.* Διάλεκτος συνεστραμμένη, tortiloquium. *Id.* Συνεστραμμένη ὁμιλία, tortiloquium.

TORTĬO, ōnis, f. 3. (torqueo) actus torquendi. ¶ 1. Est inflexio, torsio. *Augustin. De mor. Manich.* 16. *de nervis cithar.* Mortuorum carnium sordibus—tortione distentis. *Alii leg.* torsione. ¶ 2. Est etiam tormentum, plaga. *Firmic.* 6. *Mathes.* 15. Publicis tormentis lacerati aut ignibus exusti seu tortione legitima peribunt. *Veget.* 1. *Veterin.* 46. *extr.* Ex corruptione vesicæ tortione moriuntur. Adde *Theod. Priscian. p.* 312. *Ald. Plin. Val.* 2. 22. Tortio ventris. Addunt quidam locum *Senecæ* 1. *Controv.* 4. *circa med.*, sed ibi *leg. torpor*: neque *tortio* locum habere potest.

TORTĬŌNO, as, are, a. 1. (tortio) tormentis vel plagis afficio. *Pelagon. Veter.* 7. *p.* 40. et *alibi.*

TORTĬTŪDO, ĭnis, f. 3. (tortus) tortio. Translate *Ambros.* in *Ps.* 39. *n.* 11. *in fin.* Tortitudo peccati. *h. e.* deformitas.

TORTĪVUS, a, um, adject. (torqueo) qui tortus est. Hinc *tortivum mustum*, quod appellat *Cato R. R.* 23., vocatur etiam *circumcisicium* et *circumcidaneum*: et est illud, quod novissime pressum est. Fiebat autem hoc modo: Quum desierat sub prelo fluere, circumcidebant pedes vinaceorum et rursus premebant, ut *Varro* 1. *R. R.* 34. et *Colum.* 12. *R. R.* 36. docent. Apud *Colum. loc. cit.* et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (130). quidam leg. *torticium. Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. 217. Vinum ultimæ pressionis ὑδατῶδης Greci vocant, nos abusive tortivum. *torchiato.*

TORTO, as, are, a. 1. (*intens. a* torqueo) Part. *Tortans.* — Torto est valde torqueo, crucio, tormentis afficio, *torturare, contorcere. Pompon.* apud *Non. p.* 105. 15. et 182. 5. *Merc.* Ubi insilui in cochleatum eculeum, ibi tolutim tortor. *Lucret.* 3. 661. Omnia jam seorsum cernas ancisa recenti Vulnere tortari. *h. e.* partes anguis membratim discissi torqueri et sensum doloris ostendere. *Arnob.* 3. *p.* 106. Avet animus videre deas gravidas dolorum acuminibus fixas ejulare, tortari. *Id.* 1. *p.* 30. Sub eorum (*dæmonum*) tortantes et illi se casibus jussione non alia sanitati et constantiæ restituerunt. *h. e.* Apostoli dæmoniacos, a dæmone tortos, sanitati restituerunt. *Alii leg.* portantes.

TORTOR, ōris, m. 3. (torqueo). Etiam *torsor* apud *Priscian.* 9. 51., nullo tamen exemplo. — Tortor ¶ 1. Est qui telum torquet seu mittit. *Lucan.* 3. 710. tortor Balearis habenæ. ¶ 2. Item qui torquet et cruciat sive ad eliciendam veritatem, sive ad puniendum, sive ad sæviendum, *carnefice, tormentatore, giustiziere*, βασανιστής. *Cic. Cluent.* 63. *a med.* Quum jam tortor atque essent tormenta ipsa defessa. *Id.* 11. *Phil.* 3. 7. Ponite ante oculos verbera, eculeum, tortorem carnificemque Samiarium. *Seneca Ep.* 14. *ante med.* Plus agit tortor, quo plura instrumenta doloris exposuit. *Juvenal.* 14. 21. quoties aliquis tortore vocato, Uritur ardenti propter duo lintea ferro. *Horat.* 3. *Od.* 3. 49. *de Regulo.* Atqui sciebat, quæ sibi barbarus Tortor pararet. *Vulg. interpr. Matth.* 18. 34. Tradidit eum tortoribus. Alii interpr. *custodibus carceris.* Cf. *Fischer Prol. de Vit. Lex.* 458. — Apollo cognomine *tortor* colebatur Romæ in quadam parte urbis, teste *Sueton. Aug.* 70., fortasse in primis faucibus Suburæ, cruenta pendebant ubi flagella tortorum, ut est apud *Martial.* 2. 17., vel potius ita cognominatus, quia Marsyan sua manu excorians visebatur. — Hinc translate *Juvenal.* 13. 195. Occultum quatiente animo tortore flagellum.

TORTRIX, trīcis, f. 3. (tortor) quæ torquet vel cruciat, *tormentatrice.* Translate apud *Venant. Vit. S. Radeg.* 26.

TORTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* torta, parva torta.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Vulg. interpr. Num.* 11. 8. Populus colligens illud (*man*) frangebat mola *etc.* faciens ex eo tortulas. ¶ 2. Speciatim pastillos. *Marcell. Empir. c.* 7. Aphroniti floris tortulas numero XXX.

II.) Translate est trochiea, orbiculus. *Gloss. Philox.* Tortula, τροχιλία.

TORTUM. *V.* TORTUS, a, um.

TORTŬŌSĒ, adverb. (tortuosus) oblique, *tortuosamente.*

I.) Proprie. *Tertull. advers. Valentin.* 3. Serpens per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat.

II.) Translate. *Augustin.* 2. *contra Acad.* 2. *ad fin.* Tortuose ac deformiter inter scabra vitiorum dumeta frondescit.

TORTŬŌSĬTAS, ātis, f. 3. (tortuosus) obliquitas, *tortuosità, inviluppo.* Translate *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 42. *ad fin.* Et quæ ratio tortuositatis istius? Quum simpliciter pronunciare potuisset *etc.* Adde *Carn. Chr.* 20.

TORTŬŌSUS, a, um, adject. (tortus) Comp. *Tortuosior* I.; Sup. *Tortuosissimus* II. — Tortuosus est multis flexibus sinuosus, anfractuosus, obliquus, flexuosus, σιλιγματώδης (It. *bistorto, tortiglioso, torto, tortuoso*; Fr. *tortueux, sinueux*; Hisp. *tortuoso, sinuoso*; Germ. *voll Windungen, gewunden*; Angl. *winding, tortuous*).

I.) Proprie. ¶ 1 Passive est, ut diximus, obliquus, flexuosus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. *ad fin.* Est autem alvus multiplex et tortuosa. *et ibid.* 57. *ad fin.* Soni ex tortuosis locis et inclusis referuntur ampliores. *Id. Cluent.* 64. 180. Serrula adunca et tortuosa. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 46. 106. (255). Lynx simile quiddam talo habet, leo etiam tortuosius. ¶ 2. Active est qui torquet vel cruciat. *Id.* 21. *ibid.* 27. 100. (173). Rusci radix bibitur in calculorum valetudine et tortuosiore urina. *h. e.* turbidiore atque adeo hominem torquente, dum quasi tortuosa exit.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 98. Ut omne istos aculeos et tortuosum genus disputandi relinquamus. *h. e.* longe petitum, implicatum, difficile. *Id.* 2. *Divinat.* 63. 129. Visa quædam tortuosa et obscura. *Id. Amic.* 18. 65. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum. *doppio, simulato.* et *Gell.* 13. 11. Res anxiæ aut tortuosæ. *Augustin.* 2. *Confess.* 10. Quis aperit tortuosissimam istam et implicatissimam nodositatem?

TORTŪRA, æ, f. 1. (torqueo) tortio, torsio, *torcimento.* ¶ 1. Generatim. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. Caput sarmenti quum deponitur, torquendum non est, nec aliquo modo vexandum *etc.* quoniam ipsa tortura vexatio est etc. *Veget.* 3. *Veterin.* 55. Ex tortura quoque, si in aspero vel lapidoso itinere jumenta coguntur ad cursum, indignationes oriuntur. *slogatura.* ¶ 2. Speciatim tormentum, cruciatus. *Id.* 1. *ibid.* 40. *extr.* Hinc tortura et extensio ventris dolorque generatur. Adde *Vulg. interpr. Eccli.* 31. 23. ¶ 3. Item quæstio per tormentum, *tortura. Id. ibid.* 33. 28. Servo malevolo tortura et compedes. *Ammian.* ad *Pauli Sentent.* 5. 14. Si reus in criminibus suis mentiri voluerit, adhibita tortura, de sociis et admissis suis fateri cogitur.

TORTUS, us, m. 4. (torqueo) ¶ 1. Est idem ac torsio, *torcimento, ripiegamento. Cic.* vertens carmina *Sophocl.* 2. *Tusc.* 9. 22. Tortu multiplicabili draco. *spira.* Sic *Virg.* 5. *Æn.* 276. serpens Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus. Adde *Isid.* 19. *Orig.* 4. 4. — *Arnob.* 6. *p.* 196. Buccinarum tortus animare. *h. e.* tortuosas buccinas inflare. ¶ 2. Est etiam actus jaciendi. *Stat.* 2. *Achill.* 419. flexæ Balearicus actor habenæ Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu. *h. e.* circumactione fundæ.

TŎRŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* torus, qua proprie funem significat, parvus funis, funiculus, *cordoncino*, σχοινίον. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Amph. prol.* 144. Tum meo patri autem torulus inerit aureus sub petaso. *Ammian.* 16. 12. 24. Cujus vertici torulus flammeus aptabatur. *Id.* 29. 1. *a med.* Torulo capiti circumflexo. Sunt, qui his locis torulum interpretantur vittæ genus, alii vero parvum conum in capite ex capillis contortis factum, quod ornamentum præcipue mulierum est, ut legitur apud *Varron.* 5. *L. L.* 167. *Müll.* Torulus in mulieris capite ornatus. Et ad *Plautum* quidem quod attinet, putant respexisse eum ad morem Atheniensium, qui ut se αὐτόχθονας, h. e. antiquissimæ originis et terræ filios declararent, capillos torquebant in conum aureasque cicadas innectebant: nam cicadæ e terra procreari credebantur. Non desunt tamen qui *Plauti* et *Varronis* loca aliter omnino legunt. V. *Taubmann* ad *Plaut. loc. cit.* ¶ 2. Speciatim *toruli* in animalibus sunt parvi tori, hoc est partes carnosæ seu pulposæ. *Apul.* 7. *Met.* Terga pulposis torulis obesa. Alii leg. *toris.* — Hinc figurate apud *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* torulus accipitur pro ea ligni parte, quæ medulla etiam appellatur, quæ magis albescit,

senerior quoque est et teredinibus et putredini magis obnoxia, quæ idcirco rejici jubetur, quum ad aliquod intestinum opus lignum secatur. Verba *Vitruvii* sunt: Ima autem (*pars arboris*) quum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto torulo ex eadem arbore, ad intestina opera comparatur. Similia horum ante dixerat, *post init. ejusd. cap.*

TŎRUM. *V.* voc. seq.

TŎRUS, i, m. 2. — *a*) Scribitur a quibusdam etiam *thorus* cum aspiratione, sed recentiores plerique omnes omittunt. Cf. etym. infra allat. — *b*) Alia forma *torum* neutr. gen. *Varro De vit. pop. R.* 1. *fr.* 53. (apud *Non.* p. 11. 14. *Merc.*), *Lactant.* 6. 23. et *Anthol. Lat.* 1472. 2. *M. Inscr.*, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CLXXVII. ad CXC. apud *Gruter.* 589. 1. et *Murat.* 905. 9. IVLIA FIRMA SITA TVMVLO QVAE COMMVNE TORVM SERVAVIT CASTA MARITI–MQCIMVS SABINAE AVG. SORORIS LIB. *h. e.* Augusti (*scil.* Commodi) sororis libertus. — *c*) Ratione habita etymi, *Varro loc. cit.* videtur deducere a *tortus;* ex herba enim torta frontem lecticæ struebant. Sic *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 708. et 2. *ibid.* 2. «Dictus a *tortis* herbis *torus* est.» Adde *Isid.* 20. *Orig.* 1. 2. Alii a *tortis* funibus; *Furlanetto* potius a τόρος, viriculum, unde τορέω et τορνεύω, torno; propriè enim *torus* significat rotundum quid, nulla habita ratione materiæ, ex qua idem fit. Recentiores alii a *tero*, alii a rad. Skr. *star*, sterno, Gr. στορέω, extrito *s*, deducunt. — Quidquid sit de etymo, torus est funiculus tortus, qui duplicatus aut triplicatus funem facit, σχοινίον (It. *fune, cordicella, cordoncino;* Fr. *nœud, renflement;* Hisp. *nudo, nudillo;* Germ. *der Wulst;* Angl. *a rope or cord*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 135. Funem exordiri oportet longum pedes LXXII. toros tres habeat, lora in toros singulos novem, lata digitos duos. Quum tortus erit, longus pedes XLIX. (nos vulgo dicimus *tre cordoli.*) *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ab init.* Semina spinarum, quæ inhærent toris funiculorum. ¶ 2. Latiore sensu de vitium vinculo. *Id. Arbor.* 16. Vitis diutius perennat, quæ firmis toris et idoneis locis religata est. *Id.* 5. *R. R.* 6. *a med.* Vitis novella tribus toris ad arborem religetur, uno, qui est in crure arboris, a terra quattuor pedibus distans: altero, qui summa parte vitem capit: tertio, qui mediam vitem complectitur. ¶ 3. Item de arboribus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211). Alias utile, toros futuri draconis pasci. *h. e.* nutriri et crescere crassitudinem et robur draconis futuri in vite. *Id.* 19. *ibid.* 8. 42. (146). Asparagus viret thyrso primum emicante, qui caulem educens, tempore ipso fastigatus in toros striatur. *h. e.* in ramulos teretes et oblongos instar funiculorum. Adde *Apul. Florid.* 4. ¶ 4. Item, in architectura, est membrum turgens, rotundum et oblongum instar funis, Italice *bastone* et *bastoncino*, ut videre est in basi Tuscanica, in qua unus, et in Dorica ac reliquis, in quibus duo tori sunt. *Vitruv.* 3. 3. *ante med.* Dempta plintho, reliquum dividatur in partes quattuor fiatque superior torus quartæ: reliquæ tres æqualiter dividantur et una sit inferior torus etc. ¶ 5. Item, in animalibus, est pars carnosa exstans sive pulpa carnis musculosæ, bonam habitudinem et vires ac robur indicans, ut in lacertis brachiorum. *Cic.* vertens carmen *Sophocl.*, 2. *Tusc.* 8. *ad fin.* O pectora, o terga, o lacertorum tori! *Val. Flacc.* 4. 244. Ingentes humeros spatiosaque pectoris ossa Protulit horrendosque toris informibus artus. *Ovid. Heroid.* 9. 59. Non puduit fortes auro cohibere lacertos Et solidis gemmas apposuisse toris. *Id.* 15. *Met.* 229. flet Milo, quum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, fluidos pendere lacertos. *Id.* 14. *ibid.* 283. *de sue.* Colla tument toris. *Seneca Hippol.* 1042. *de tauro.* Opima cervix arduos tollit toros. *Virg.* 12. *Æn.* 7. movet arma leo gaudetque comantes Excutiens cervice toros. *Id.* 3. *G.* 81. *de equo.* Luxuriatque toris animosum pectus. Adde *Stat.* 6. *Theb.* 872. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 18. (78). — Hinc translate de oratione, ut *nervus*, apud *Cic. Orat.* 6. *ad fin. de stilo mediocri.* Uno tenore in dicendo fuit, nihil afferens præter facilitatem et æquabilitatem: aut addit aliquos, ut in corona, toros omnemque orationem ornamentis modicis distinguit. ¶ 6. Item dicitur de venis tumentibus. *Cels.* 7. 18. *ad fin.* Et tumoris aliquid est ac per ipsos venarum toros inæquale est. ¶ 7. In illo *Maximian. Eleg.* 1. 26. Implicui validis lubrica membra toris. *tori* sunt lacerti, qui nervorum ligamentis et nodis valent. Cf. *Ovid.* 2. *Amor.* 18. 9.

II.) Translate. ¶ 1. Est culcita, quæ lecto imponitur sive discubitorio sive funebri sive cenatorio, *materasso:* «quod, inquit *Furlanetto*, putant alii esse a *tortus*, quia, ut ait *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 712. et 2. *ibid.* 2., veteres discumbebant super herbam tortam (V. *Varron. loc. cit.* apud *Non.* in TORAL.): alii a tortis funibus dici volunt, quia lecti super extentos funibus ponebantur: sed alii rectius a rotunditate pulvinorum, quibus discumbentes incumbebant». *V.* init. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (193). Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. *Virg.* 5. *Æn.* 388. viridante toro consederat herbæ. *et. Juvenal.* 6. 5. Silvestrem montana torum quum sterneret uxor Frondibus et culmis vicinarumque ferarum Pellibus. *Ovid. Heroid.* 5. 14. Mixtaque cum foliis præbuit herba torum. *Id.* 10. *Met.* 556. Datque torum cæspes. *Id.* 1. *Fast.* 401. Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti, Gramine vestitis accubuere toris. *Virg.* 2. *Æn.* 2. Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto. *Ovid.* 6. *Met.* 431. Torum sternere! *Id.* 2. *Fast.* 795. premere. *Id. Heroid.* 3. 118. Toro jacere. *Id.* 5. *Fast.* 520. discumbere. *Id.* 11. *Met.* 472. ponere se. *Id.* 2. *Art. am.* 370. In toro cubare. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 37. *ad Hercul.* Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho Texitur et signis crescit torus asper eburnis. *h. e.* lectus collocandis signis deorum in lectisternio. *Virg.* 6. *Æn.* 603. lucent genialibus altis Aurea fulcra toris epulæque ante ora paratæ. *Ovid.* 12. *Met.* 578. repetito munere Bacchi, Surrexere toris. *et* 9. *ibid.* 502. peream, precor, ante toroque Mortua componar. *Hieronym. in Helvid. n.* 20. Nunciatur interim vir venisse cum sociis. Illa (*uxor*) ad hirundinis modum lustrat universa penetralia, si torus rigeat, si pavimenta verrerint (*servi*), si ornata sint pocula, si prandium præparatum. *Inscr. Neap.* apud *Mommsen n.* 6903. Dispensator ab toris. Cf. *Orelli Inscr. n.* 2917., ubi falso *ab tobis.* ¶ 2. Hinc sæpe refertur ad conjugium, *letto conjugale* vel *matrimonio*, ut thalamus. *Ovid.* 1. *Met.* 318. Hic ubi Deucalion *etc.* Cum consorte tori, parva rate vectus adhæsit. *Id.* 3. *Pont.* 3. 50. legitimos sollicitare toros. *affrettare le nozze.* et *Heroid.* 2. 41. Junonemque toris quæ præsidet alma maritis. *Sabin.* 2. 9. Prima meis tu pacta toris. *Ovid.* 3. *Fast.* 511. Tu mihi juncta toro. *Id.* 2. *Pont.* 8. 29. Tori socia. *moglie.* et *Heroid.* 20. 140. polliciti debita jura tori. *Id.* 3. *Amor.* 6. 82. Socii tori jura dare alicui. *Id.* 5. *Fast.* 206. Inque meo non est ulla querela toro. *Plin.* 34. *Hist.* 3. 6. (12). Receptus in torum. *tolto per marito.* et *Lactant. De ver. cult.* 6. 23. Nec tantum alienis toris (*abstinendum*), quæ attingere non licet. Sic *Cod. Theod.* 9. 38. 6. Genialis tori ac lectuli invasor alieni. ¶ 3. Contra de consuetudine turpi. *Seneca Hippol.* 97. Quærere stupra et illicitos toros. *Ovid.* 2. *Trist.* 278. Obscenus torus. ¶ 4. Metonymice ipsa illa, quæ conjugio aut consuetudine alicujus gaudet. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (87). Alexander se vicit: nec torum tantum, sed etiam affectum donavit artifici. *h. e.* Apelli Campaspen donavit, quum intellexisset, ejus illum amore captum, dum nudam pingeret. ¶ 5. *Tori riparum* sunt elatiores riparum partes herbis vestitæ, quæ lecti vicem sedenti præbere possunt. *Virg.* 6. *Æn.* 673. lucis habitamus opacis Riparumque toros et prata recentia rivis Incolimus. *Stat.* 4. *Theb.* 819. inde toros riparum et proruta turbant Gramina. Sic *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 20. (60). Fimum tres pedes alte cum terra misceri, areis distingui: easque resupinis pulvinorum toris ambiri singulas tramitum sulcis. *h. e.* partibus humi elatioribus et lecti speciem præbentibus, ut hodieque in hortis videre est. Adde *Sidon.* 1. *Ep.* 5.

TŎRUS *vel* torrus, i, m. 2. *V.* TORRUS, a, um.

TORVĬDUS, a, um, adject. (torvus) idem ac torvus. *Arnob.* 6. *p.* 196. Leo fremebundus hiatibus torvidis.

TORVĬTAS, ătis, f. 3. (torvus) asperitas, severitas, rusticitas, ferocia. ¶ 1. De corpore, speciatim de ore, et est torvus aspectus et severitatis aut iræ indicium, *guardatura fiera, brusca, bieca, aspetto severo, cipiglio. Tac.* 2. *Hist.* 9. Corpus insigne oculis comaque et torvitate vultus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 23. (62). *de pantheris.* Ferunt, odore earum mire sollicitari quadrupedes cunctas, sed capitis torvitate terreri. *Ammian.* 31. 2. *a med.* Alani oculorum temperata torvitate terribiles. ¶ 2. Item de animo. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 9. (26). M. Agrippa, vir rusticitati propior, quam deliciis *etc.* Verum eadem illa torvitas tabulas duas mercata est, etc. *Id.* 7. *ibid.* 19. 18. (79). Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quemdam torvitatemque naturæ duram et inflexibilem.

TORVĬTER, adverb. (torvus) rigide, severe, rustice, *torvamente, severamente,* ταυρηδόν. *Enn.* apud *Non. p.* 516. 14. Quem nunc tu tam torviter increpuisti. Adde *Pompon. ibid.*

TORVUS, a, um, adject. Ad etymon quod attinet, *Festus p.* 355. 23. *Müll.* ait, torvitatem a taurorum ferocia dictam esse; unde ταυρηδὸν torviter. Rectius *Isid.* 10. *Orig.* 269. derivat a *torqueo*, quum *torvus* terribilis eo quod sit *torto vultu.* Alii ducunt a Gr. τορός, penetrans, acutus, inserto digammate; alii vero a *terreo* vel a Skr. *targ*, extrito *g*, quod est minari, terrere. (V. *Böhtling* et *Roth Skr.-Wört.* III. 275.) — Comp. *Torvior* et Sup. *Torvissimus* I. 1. — Torvus est terribilis, ferox, asper, rusticus, trux, truculentus (It. *fiero, truce, terribile;* Fr. *sauvage, farouche, sombre, menaçant;* Hisp. *feroz, torvo, terrible;* Germ. *wild, finster, graus, grimmig;* Angl. *fierce, grim, sterne, savage*).

I.) Proprie. ¶ 1. In malam partem et quidem sæpius — *a*) De animantibus: fere autem dicitur de aspectu, *di aspetto terribile, di brutta o bieca guardatura, cipiglioso, torvo. Acc. fragm.* 80. *Ribb.* O vim torvam aspecti atque terribilem. *Virg.* 3. *G.* 51. optima torvæ Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix. *Id.* 2. *Ecl.* 63. torva leæna. *Id.* 3. *Æn.* 636. *de Polyphemo.* lumen ingens, quod torva solum sub fronte latebat. *et ibid.* 677. adstantes lumine torvo Ætnæos fratres. *Propert.* 2. 2. 8. Torvus aper. *Virg.* 6. *Æn.* 571. Torvi angues. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 42. 106. torvu' draco serpit. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 12. Torvo vultu ferus. *Ovid.* 5. *Met.* 92. Ille tuens oculis immitem Phinea torvis. *con occhi biechi.* et *Heroid.* 17. 15. Si non est ficto vultus mihi tristis in ore, Nec sedeo duris torva superciliis. *Id.* 2. *Pont.* 8. 22. Torvaque nescio quid forma minantis habet. *Propert.* 3. 16. 24. torvi publica cymba senis. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 387. torva Megæra. *Ovid.* 2. *Art. am.* 309. Medusa. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (154). adspectus. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 299. ursa. *Curt.* 3. 5. 13. Macedonum acies torva sane et inculta. *Arnob.* 6. *p.* 196. Leonis torvissima facies. — Et omisso substantivo. *Ovid* 6. *Met.* 34. Aspicit hanc torvis. *sc.* oculis. Cf. 5. *ibid.* 92. — *b*) De rebus inanimis. *Acc. fragm.* 80. *Ribb.* Tonitru turbida torvo concussa repente. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (91). (et *Tac.* 2. *Ann.* 14.) Cometes visu torvo. *brutto a vedere.* et 16. *ibid.* 33. 60. (139). Cupressus natu morosa, fructu supervacua, bacis torva. — *Torvi* dicuntur fluvii, quia, ut inquit *Forcellinus*, finguntur taurino capite et cornibus. *Val. Flacc.* 8. 218. Torvus Ister. — Item montes abrupti et acuti. *Priscian. Perieg.* 633. Vertice quem torvo perhibent cognomine Taurum. Cf. *Solin.* 38. — *Torva vox*, aspera, terribilis. *Apul. Florid. n.* 17.

Vox humana et tuba rudore torvior et lyra concentu variatior. *Virg.* 7. *Æn.* 399. torvumque repente Clamat. ¶ 2. In bonam partem. *Claudian. IV. cons. Honor.* 517. Quantus in ore pater radiat! quam torva voluptas Frontis et augusti majestas grata pudoris! *h. e.* mascula, bellicosa, gravis. Adde *III. ibid.* 24. — Hac ratione videtur *Statius* torvum Maronem dixisse, 5. *Silv.* 3. 62. h. e. venerandum vel grandiloquum ac terribilem imitari conantibus.

II.) Translate. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (212). Cultura quoque torva fiunt vina. *h. e.* aspera, immitia, austera. *Catull.* 66. 20. Invisente novo prœlia torva viro. *Pacuv.* apud *Fest. p.* 355. 25. *Müll.* Quum recordor ejus ferocem et torvam confidentiam. *Id. ibid.* Feroci ingenio torvus. — Hinc

*Torvum* sing. et

*Torva* plur. n. 2. absolute, adverbii ritu, pro torviter. *Stat.* 12. *Theb.* 127. magni memor illa mariti It torvum lacrimans. *Sil. It.* 13. 375. Torvum et furiale renidens. *Virg.* 6. *Æn.* 467. ardentem et torva tuentem Lenibat. Adde *Val. Flacc.* 2. 555. Cf. *multa* pro multum et hujusmodi alia apud poetas, Græcorum more.

TŎRYNĒTON, i, n. 2. τορυνητόν, genus cibi ex panis præcipue pulticula confectum, *panata:* a τορυνάω, tudicula agito. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *ante med.* Ægrotans accipiat succum parvum, succulentum, mollem, lenem, calidum, digestibilem; ut est panis vel alica ex aqua confecta aut pulticula ex pane, quam torsiniton (*corrige* torynaton) vocant, ex oleo, aqua, sale vel melle condita. — Græcis litteris *ibid.* 1. *ante med.*

TŌSILLA. *V.* TONSILLA.

TOSSIS, is, m. 3. idem ac cossus seu vermis, qui in ligno nascitur. *Plin. Valer.* 3. 22., dummodo *cosses* pro *tosses* legend. non sit. *V.* COSSUS.

TOSTĀRĬUS, a, um, adject. (tosto) ad tostationem pertinens. *Oribas. fragm. Bern.* 1. 35. *p.* 2. 19. *Hag.*

TOSTĀTĬO *et* tostacio, ōnis, f. 3. (tosto) actus tostandi. *Gloss. Gr. Lat.* Ὄπτησις, tostacio.

TOSTO, as, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* torreo, valde torreo vel idem ac torreo. *Plin. Valer.* 2. 28. *ante med.* Corticem agrifolii interiorem et exteriorem rades et mittes in cacabum novum et pones super carbones, non ut comburatur, sed ut tostetur. — *Gloss. Gr. Lat.* Κάτοπτον, τὸ πολυέψητον, tostatum. Adde *Gloss.* apud *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 549. *et* 7. *p.* 584.

TOSTRIX, trīcis, f. 3. quæ edulia torret, cum iis muliereulis comparanda, quas cernimus in viis et nundinis allata seu oblata edulia in sartagine pretio frigere et in veru vel craticula torrere: nos vulgo *friggitrici* dicimus. *Inscr.* Romana, nunc *Cusercoli* translata, in ædibus march. *Del Bagno,* quam vidit, exscripsit et ad nos misit *B. Borghesius.* GALLONIAE Ↄ. L. PASCHVSAE TOSTRICI. Aliquis fortasse malit *tostrici* pro *tonstrici* scriptum fuisse. Hæc *Furlanetto* in *App.*

TOSTUS, a, um, particip. *V.* TORREO.

TŌSUS. *V.* TONSUS.

TOT, nomen numerale indecl. Conferendum est cum Gr. τόσος et rad. Skr. *ta* vel *tan.* V. TAM et TANTUS. — Tot ¶ 1 Fere est tam multi, τοσοῦτοι (It. *tanti;* Fr. *autant de, tant de;* Hisp. *tantos;* Germ. *so viele, so viel;* Angl. *so many*). Occurrit autem — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 82. Eu excetra tu, quæ tibi amicos tot habes. *Id. Most.* 4. 1. 18. Tot pessimi vivunt. *Ter. Andr.* 1. 5. 24. Quid primum exsequar? tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse trahunt. *Cæs.* 3. *B. G.* 10. Tot civitatum conjuratio. *Cic. Amic.* 24. 88. Tot signis eadem natura declarat. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 624. *Curt.* 3. 34. 10. Cultus tot nobilium virorum, tot illustrium feminarum. — Et substantivorum more. *Ovid.* 2. *Amor.* 12. 10. Ex tot in Atrida pars quota laudis erat. Adde *Cic. Cœl. loc. cit.* — *b*) Cum relativo *quot,* sive ante sive post. *Id.* 2. *Orat.* 32. *a med.* Quot homines, tot causæ. *Id. Harusp. resp.* 8. 16. Nego, de ullo opere publico tot senatus exstare consulta, quot de mea domo. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 47. Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent. Adde 14. *Met.* 138. — Et *quoties, quantum. Cic. Balb.* 20. *ad fin.* Si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset. *Cato R. R.* 114. Ubi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei satis esse, tot vites ablaqueato. — *c*) Cum *tantus, talis. Cic. pro leg. Manil.* 16. *ad fin.* Neminem umquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt. *Id. Quinct.* 2. 10. Tot tantæque difficultates. *et* 5. *Tusc.* 10. 29. In his tot et tantis malis. *Id. Par.* 2. 16. Tot virtutum præsidio tantoque comitatu. *Id. Cœl.* 28. 67. Tot viri ac tales. — *d*) Cum partic. *tam. Id.* 6. *Verr.* 5. 14. Reliquæ tot et tantæ et tam graves civitates. *Liv.* 24. 26. *ad fin.* Tot ac tam validæ manus. *Id.* 5. 54. *a med.* Tot tam valida oppida. *Id.* 25. 24. Tot tam opulenti tyranni. *Id. ibid.* 37. Tot tam nec opinata. — *e*) Cum addito *omnis. Minuc. Fel.* 5. 4. Tot omnibus sæculis. — *f*) Cum opposito *unus. Cic. Cœl.* 28. 66. An timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent? — *g*) Sequente part. *ut* et conjunctivo. *Id.* 5. *Fam.* 20. *a med.* Quæ quum viderem tot vestigiis impressa, ut in his errari non posset, non adscripsi etc. ¶ 2. Aliquando est tam pauci, *tanto pochi, sì poco di. Albinov.* 1. 339. Vix credent, tantum rerum cepisse tot annos. ¶ 3. Et indefinite. *Cajus Dig.* 34. 5. 8. Volo dari ei, qui id egerit, a ceteris heredibus aureos tot. Cf. *eumd. Inst.* 3. 174.

TOTĀLĬTER, adverb. (totus) ex toto, omnino. *Lactant. Epit.* 63. 1. ed. *Ald.* quod perperam emendasse videtur *Bünemann.* Legitur etiam apud *Cassian.* 10. *Instit.* 9. Ne tam facile imiteris.

TŎTĒ, adverb. (totus) omnino. *Itin. Alex.* 52. ed. *Paris.,* ubi *A. Maius* 20. leg. *toto* et *Volkmann* 21. *totum.*

TOTFĀRĬAM *et divisim* tot fariam, adverb. tot, *tanti. Varro:* In totfariam locis. Ita *Scalig.* ad *Fest.* in *Multifariam p.* 142. 32. *Müll.* apud *Forcellinum.* Recentiores tamen vocem hanc rejiciunt.

TŎTĬDEM, nomen numerale indecl. (tot *et* itidem) æque multi, ἴσοι. ¶ 1. Generatim — *a*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Equitum milia erant sex, totidem numero pedites. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 10. 60. siquis amet scripsisse ducentos Ante cibum versus, totidem cenatus. *Id.* 1. *Ep.* 6. 34. Mille talenta rotundentur, totidem altera. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 91. Proclus et Eurysthenes gemini fratres fuerunt, nec totidem annos vixerunt, anno enim Procli vita brevior fuit. *tanti anni per uno.* et 6. *Att.* 2. *ante med.* Istum ego locum totidem verbis a Dicæarcho transtuli. *a parola per parola.* — Substantivorum more. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 298. Dixerit insanum qui me, totidem audiet. *altrettanto,* totidem audiet verba et idem significantia. Adde *Ovid.* 3. *Art. am.* 46. — *b*) Cum relativo *quot. Plaut. Most.* 3. 1. 114. Talentis totidem, quot ego et tu sumus. *Cic. Brut.* 96. 328. Totidem, quot dixit, scripta verbis oratio. *Juvenal.* 13. 26. Rari quippe boni. numero vix sunt totidem, quot Thebarum portæ. — *c*) Sequente *atque. Nepos Miltiad.* 7. Cum totidem navibus atque erat profectus. ¶ 2. Speciatim, apud sequioris ætatis scriptores, est itidem, etiam, *altrettanto, altresì. Commodian.* 25. 6. Matura jam messis, tempus totidemque paratum. *Id.* 41. *init.* Hic homo, qui commovet orbem et reges totidem.

TŎTĬENS vel

TŎTĬES, adverb. (tot). In plurimis auctorum MSS. scribitur *totiens,* ut etiam *quotiens, aliquotiens:* et in multis opt. libr. editum est: quod sane reprehendi non potest: quin grammaticorum aliqui ita scribi jubent, ut est apud *Pier.* ad *Virg.* 3 *Ecl.* 72.; recentiores vero plerique non aliter scribendum censent. Cf. *Brambach p.* 269. Nihilominus *Manutio, Dausqu., Cellar.* magis placet n omitti. *V.* MILIES et QUOTIES. — Toties est tot vicibus, *tante volte,* τοσάκις. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 7. *Att.* 12. Velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 193. cur Ajax, heros ab Achille secundus, Putrescit, toties servatis clarus Achivis? *Virg.* 4. *Æn.* 536. Quos ego sum toties jam dedignata maritos. Adde *Senec.* 6. *Quest. nat.* 1., *Quintil.* 11. 1. 40. et *Tac.* 12. *Ann.* 60. — *Cic.* 4. *Verr.* 60, 146. Tot prætores in Sicilia fuerunt, totiens apud majores nostros Siculi senatum adierunt, totiens hac memoria. — *b*) Præcedente *quotiescumque. Cic. Cluent.* 18. 51. Quotiescumque dico, toties mihi videor in judicium venire ingenii. *altrettante volte.* — *c*) Sequente *quoties, quot. Id.* 7. *Fam.* 7. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas litteras, quoties a Quinto mihi fratre afferantur. *Liv.* 2. 13. Moverat eum subeunda dimicatio toties, quot conjurati superessent. ¶ 2. Speciatim est æque tot vicibus. *Horat. Carm. sæc.* 23. referatque ludos Ter die claro totiensque grata Nocte frequentes. *tre dì ed altrettante notti.*

TOTJŬGIS, e, *et*

TOTJŬGUS, a, um, adject. (tot *et* jugum) tam multiplex, tam varius, tantus, tot. *Apul. De deo Socrat.* Totjuga sidera sursum in æthere comparent. *Id.* 2. *Met.* In qua domo totjugis jam diebus ne fumus quidem visus est ullus. *Id. Florid. n.* 18. Hæc tanta et totjuga invitamenta. *et n.* 9. Homo tam numerosa arte multiscius, totjugi scientia magnificus.

TOTMŎDUS, a, um, adject. (tot *et* modus) tam multus, tantus. — Absolute *Catull.* 115. 3. *Lachm.* Cur non divitiis Crœsum superari potis sit, Uno qui in saltu totmoda possideat? Est qui leg. *tot bona.* Cf. *Koch* in *Symb. Phil. Bonn. p.* 320. et *Lachm.* ad *Lucret. p.* 187.

TOTONĀRĬUS *vel* tottonarius, a, um, adject. idem ac trepidarius. *Veget.* 1. *Veterin.* 54. 4. et 6. *V.* TREPIDARIUS.

TOTTO, interjectio seu vocula nullius significationis adhiberi solita quum pueri prohibentur aliquid facere. *Julian. Excerpt. p.* 320. *Keil.* Cf. *Anecd. Helv. p.* CCVIII. *Hag.*

TŎTUS, a, um, adject. (tot) tantus, τοσοῦτος: cui respondet *quotus. Manil.* 3. 447. Detrahitur summæ tota pars, quota sumitur inde. *Colum.* 6. *R. R.* 3. *ante med.* Denique quotcumque pedum spatia facienda censueris, totam partem longitudinis et latitudinis duces. *h. e.* tantam. *Inscr.* apud *Visc. Monum. Gab. p.* 82. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. T. C. *h. e.* quod de ea re fieri placeret de ea re ita toti censuerunt. Aliter tamen interpretatur *Orelli n.* 642. V. *Ind. p.* 469. — *Julian. Tolet. gramm. p.* CCXIV. 21. *Hag.* Totus et ad ordinem pertinet et ad numerum. — Puta si dicat aliquis: quintus est Vincila in ordine suo: dico ego consensu animi mei t o t u s, idest s i c  e s t.

TŌTUS, a, um, adject. — *a*) In sing. Genet. habet *totius* et Dat. *toti* in omnibus generibus. Tamen pro *totius* dixere etiam *toti* et *totæ. Afran.* apud *Priscian.* 6. *p.* 694. *Putsch.* Adeo ut te satias caperet toti familiæ. Sic *uni, soli, nulli,* ut *neutri* etc., quæ *V.* suis loc. *Sedul. carm. Pasch.* 4. 11. *et* 5. 34. Totæ noctis. — Item *totæ* et *toto* pro *toti. Plaut. fragm.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 103. *Müll.* Gannit odiosus omni totæ familiæ. *Cic. ad Herenn.* apud *Priscian.* 6. *p.* 678. *Putsch.* Res totæ rei similis. *Propert.* 3. 9. 57., toto quæ præsidet orbi. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 89. Toto exercitui. Adde *Curt.* 6. 5. 27., *Hygin. Fab.* 5. et *Apul.* 10. *Met.* — *b*) Pænultimam genetivi, quum commodum est, Poetæ corripiunt. *Lucret.* 1. 82. spatium summai totius omne. *Id.* 4. 1022. Totius humorem saccatum ut corpori' fundant. Adde *Catull.* 17. 10. et *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 22. — *c*) Ad etymon quod attinet, recentiores vocem conferunt cum rad. Skr. *tu,* magnum, validum, potentem esse. Apud Oscos autem *touto* aliquid commune significat. — Totus est universus, integer, solidus, ὅλος (It. *tutto intiero, tutto;* Fr. *tout entier, tout;* Hisp. *todo;* Germ. *ganz,* Angl. *all toge-*

ther, whole, entire): itaque totus ad quantitatem continuam refertur et partium designat universitatem: sicut omnis pertinet ad numerum ejusque plenitudinem exprimit. Cf. Capell. 4. p. 101. ¶ 1. Stricto sensu, ad quantitatem, ut diximus, continuam refertur. — a) Universim. Plaut. Amph. 5. 1. 44. ædes totæ confulgebant. Id. Aulul. 1. 1. 33. pervigilat noctes totas. le notti intere. Sic Sall. Jug. 91. Noctem totam itinere facto. di tutta notte. et Most. prol. 66. Tota cavea. et ibid. 1. 2. 67. non videor mihi Sarcire posse ædes meas, quin totæ Perpetuæ ruant. Sall. Cat. 31. in fin. Ut Romæ per totam urbem vigiliæ haberentur. Cæs. 1. B. C. 26. a med. Eaque tota nocte continenter ierunt: nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingonum pervenerunt. et 3. ibid. 13. Naves totæ factæ ex robore. et 1. ibid. 30. Toti Galliæ bellum inferre. et 5. ibid. 11. extr. Hunc toti bello imperioque præfecerant. Cic. Mil. 23. 61. Cui senatus totam rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi R. arma commiserat. Id. 2. Fin. 34. 112. Omne cælum totamque cum universo mari terram mente complexus. Id. Tim. 5. in fin. Ut unum opus, totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolveretur. Id. 1. Orat. 26. ad fin. Tota mente atque omnibus artubus contremisco. Id. 4. Fin. 1. ad fin. Universa re et tota sententia dissentire. Id. 1. Rep. 2. 2. Virtus in usu sui tota posita est. Lucret. 2. 274. Nam tum materiam totius corporis omnem Perspicuum est ire. Propert. 3. 11. in fin. Cæsaris in toto sis memor Jonio. Liv. 1. 12. Curtius effusos egerat Romanos toto, quantum foro spatium est. Phædr. 5. 7. Homo se in pulpito totum prosternit. et 4. 14. Toto die. Cajus 3. 148. 151. Totorum bonorum (societas). — b) Refertur ad animum. Cæs. 6. B. G. 5. Totus et mente et animo in bellum insistit. Cic. 14. Att. 11. in fin. Modo venit Octavius mihi totus deditus. Justin. 12. 13. a med. Totus in lætitiam effusus. Cic. Cluent. 26. sub fin. Homo totus ex fraude et mendacio factus. Nepos Dion. 2. Quem Dion adeo adamavit, ut se totum ei traderet. — Totum esse in aliqua re, omnino intentum esse, essere tutto, essere tutto intento, assorto, immerso. Ter. Adelph. 4. 2. 50. Ctesipho in amore est totus. Adde Plaut. Cist. 2. 1. 59. Sic Horat. 1. Sat. 9. 2. Nescio quid meditans nugarum et totus in illis. Cf. eumd. 1. Ep. 1. 11. Omnis in hoc sum. Similiter Polyb. III. 94. Πρὸς τὸ διακινδυνεύειν ὅλος καὶ πᾶς ἦν. — Totus alicujus esse dicitur, qui ab eo stat illique favet. Ter. Eun. 5. 9. 10. Fratris igitur Thais tota est. CHÆ. scilicet. Cic. 15. Fam. 7. Et sum totus vester et esse debeo. Id. 2. ad Q. fr. 1. extr. Plancius totus noster est. Liv. 23. 14. Senatus in societate Romana cum fide perstare, plebs novarum, ut solet, rerum et Hannibalis tota esse. Id. 37. 49. Totos adhuc Antiochi Ætolos esse. — Alio sensu Val. Flacc. 1. 207. Ecce sacer totusque dei per litora Mopsus, Immanis visu vittamque comamque per auras Surgentem laurusque rotat. h. e. deo plenus, invasato. — c) Refertur etiam ad tempus aliquando, ita ut verum cum majore vi exprimat, et est totus omnino, totus ipse. Ter. Eun. 2. 2. 46. Sex te totos hos menses quietum reddam. sei mesi belli ed interi. — Aliquando verum excedit. Sueton. Tib. 51. Toto triennio. più di due anni. ¶ 2. Latiore sensu totus usurpatur pro omnis, h. e. eo loco, quo omnis bene se haberet: hinc etiam tutto Italorum. Cf. Capell. 4. p. 101. Plaut. Mil. 2. 2. 57. Cui bini custodes semper totis horis accubant. Sic Propert. 2. 29. 13. totus exspectat in horas. Cæs. 2. B. C. 26. Tota auxilia perturbata. Id. 3. ibid. 44. Totis copiis. Auct. B. Alex. 5. Quum totus convenisset equitatus. Liv. 26. 43. Oppugnare totis viribus. Sic Phædr. 1. 11. Clamorem subito totis tollit viribus. — De rebus, quæ numero constant. Virg. 1. Æn. 185. hos tota armenta sequuntur. Stat. 1. Theb. 81. totos in pœnam ordire nepotes. Apul. 6. Met. Accumbebat cum sua Junone Juppiter ac deinde per ordinem toti dei. Sidon. 9. Ep. 14. sub fin. Plerique laudabant facundiam tuam, plurimi ingenium, toti pudorem. — Hinc

Totum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, res tota sive cum omnibus suis partibus, il tutto, l'intero: cui opponitur dividuum vel pars. Ter. Adelph. 2. 2. 33. Servesne an perdas totum: dividuum face. taglia per mezzo. et Cic. Top. 18. 68. Comparantur perfecta inchoatis, tota partibus etc. Adde Macrob. Somn. Scip. 2. 14. et Arnob. 2. p. 49. Capell. 4. p. 97. Quid totum, quid pars, quis in dividendo modus. Cic. 3. ad Q. fr. 1. 1. Totum in eo est, tectorium ut concinnum sit. qui sta il tutto. et Colum. 12. R. R. 4. Totum in eo est, ne contrectentur pocula vel cibi, nisi ab impube. Manil. 4. 294. Sed nihil in semet totum valet. h. e. nihil plane suum est, aliunde pendet. — De rerum universitate Græce τὸ πᾶν, apud eumd. 1. 64. Et totum æterna mundi ratione moveri. Adde Lucret. 2. 89. — A toto dicitur argumenti species quædam apud dialecticos. Capell. 5. p. 184. — Ex toto vel toto, omnino, prorsus, affatto, totalmente, del tutto, ὅλως. Ovid. 4. Pont. 8. 72. Nec tamen ex toto deserere illa potes. Cels. 7. 4. n. 3. Sostratus fistulas ventris insanabiles esse credidit. id non ex toto ita se habere, usus ostendit. et ibid. 9. Lineæ, quæ citeriorem partem ab ulteriore ex toto diducant. Id. 8. 20. ante med. Femur luxatum quidam semper iterum excidere contendunt: sed clari admodum auctores, ex toto se restituisse, memoriæ prodiderunt. Plin. 11. Hist. nat. 17. 17. (54). de apib. Fessum regem humeris sublevant; validius fatigatum ex toto portant. di peso. et Colum. 5. R. R. 8. sub fin. Creta ex toto repudianda est. et 2. ibid. 21. Antequam ex toto grana indurescant, messis facienda est. Gloss. Gr. Lat. Ὅλως, toto, omnino. — In totum, ex toto. Id. 12. ibid. 1. circa med. Munia, quæ domi capessenda, non in totum muliebri officio relinquenda sunt. et mox. Ea porro persuasissimum habere debebit, aut in totum aut certe plurimum domi se morari oportere. Plin. 2. Hist. nat. 90. 92. (205). Natura in totum abstulit terras, ubi Atlanticum mare est, immenso spatio. Id. 31. ibid. 7. 42. (90). Res in totum diversa. Id. 35. ibid. 2. 2. Quod in totum exolevit. Id. 25. ibid. 4. 17. (4). In totum temeraria medicina. et 10. ibid. 4. 5. (36). Marius in totum ea abdicavit. Vellej. 2. 126. 2. Revocata in totum fides. — In toto vel in totum, generatim, in universum, generalmente, universalmente. Cic. 13. Att. 20. Quidquamne me putas curare in toto, nisi ut cui ne desim? Colum. 11. R. R. 2. a med. Itaque in totum præcipimus: ut quisque natura locus frigidus erit, is primus conseratur. Adde 3. ibid. 2. sub fin.

Homonym. Quomodo differant omnis, totus et cunctus, V. in CUNCTUS et OMNIS.

TOVUS. V. TUUS.

TOXA, æ, f. 1. Gromat. vet. p. 308. 7. Lachm. Super toxam monticellum constituimus. Voss. De vit. serm. II. 18. leg. tocham et explicat calculum. Cf. Ducange in Gloss. med. et inf. Lat. ad v. Toca. Gloss. Isid. Tocuis (sic), calculus.

TOXĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. toxico, toxico imbutus, attossicato. Hygin. fab. 58. ed. A. Mai in Gloss. Auct. T. 3. p. 20. Fervens ira (Hercules), emissa sagitta toxicata, vulneravit eum (Nessum). Adde Ambros. De Tob. 7. § 26. et Cyprian. De sing. cler. ante med.

TOXĬCON et

TOXĬCUM, i, n. 2. τοξικόν, duo diversa significat. ¶ 1. Est venenum, quo imbuuntur sagittæ, ut letale vulnus inferant, veleno, tossico: a τόξον, quod tum arcum tum sagittam aliquando significat, ut apud Homer. Iliad. 8. v. 296. (V. Fest. et Ovid. loc. cit.): alii aliunde notationem duxere: vel quia, instar sagittæ, cito perimat; vel a taxus, ut prius taxicum dictum sit. Conjungit utrumque Plin. 16. Hist. nat. 10. 20. (51). de taxo arbore. Sunt qui et taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguantur. — a) Stricto sensu. Fest. p. 355. 18. Müll. Toxicum dicitur servarium venenum, quo quidam perungere sagittas soliti sunt. Cæcilius in Gamo: Ut hominem amoris toxico transegerit. Ovid. 4. Pont. 7. 11. Aspicis et mitti sub adunco toxica ferro: Et telum causas mortis habere duas. — Hinc translate Fest. loc. cit. Hominem amoris toxico transigere. Alii tamen pro amoris leg. miserum. — b) Latiore sensu pro quovis veneno. Afran. apud Fest. 355. 22. Müll. Uxorium istud toxicum mittite. Ovid. 2. Amor. 2. 63. non ad miscenda coimus Toxica. Colum. 10. R. R. 18. terra Nec patitur taxos nec strenua toxica sudat. h. e. herbas mortiferas. Lucan. 9. 820. Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi. Horat. Epod. 17. 61. Toxicum velox. Martial. 1. 19. Toxica sæva. Propert. 1. 5. 6. Et bibere e tota toxica Thessalia. Adde Sueton. Claud. 44. et Ner. 35. ¶ 2. Est etiam genus ladani, Græce item τοξικόν, quod colligitur et trahitur, nervis in arcu circumdatis, adhærescente roscida lanugine: a τόξον, arcus. Plin. 26. Hist. nat. 8. 30. (47).

TOXĬCUS, a, um, adject. (toxicum) qui ex toxico est, veneno imbutus. — Translate Fulgent. 1. Mythol. 27. Conjux aut morum dulcedine mellea aut felle malitiæ toxica.

TOXILLÆ. V. TONSILLÆ.

TOXITESĬA, æ, f. 1. nomen herbæ artemisiæ. Apul. 10. Cf. voc. seq.

TOXŎBŎLOS, i, f. 2. τοξοβόλος, h. e. sagittas jaculans, sagittaria: a τόξον, arcus, et βάλλω, jacio. Ita vocatur artemisia herba. Apul. Herb. 10. Artemisia a Græcis dicitur toxotis: Pythagoras (dixit) toxobolon.

TOXŎTIS, idis, f. 3. τοξότις, h. e. sagittaria, arcitenens: nomen herbæ artemisiæ. V. voc. præced.

## TR

TRĂBĀLIS, e, adject. (trabs) Primam licenter produxit Paulin. Nolan. carm. 27. 435. — Trabalis est ad trabem pertinens, da trave, δοκώδης. I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Horat. 1. Od. 35. 18. Clavos trabales et cuneos manu Gestans. h. e. clavos, quibus trabes figuntur, chiodi, da travi, ben grossi o spannali. et Paulin. Nolan. loc. cit. Corpora transfixos trabalibus inclita clavis. — Hinc proverb. locutio apud Cic. 7. Verr 21. circa med. Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret. h. e. fixum firmumque faceret. Adde Petron. Sat. 75., ubi tamen alii pro trabalis leg. tabularis. ¶ 2. Speciatim est trabis magnitudinem æquans: et adhibetur a poetis per hyperbolen. Virg. 12. Æn. 294. et Val. Flacc. 8. 301. Telo trabali graviter ferire. Stat. 4. Theb. 6. dextraque trabalem Hastam intorsit. Claudian. 2. Rapt. Pros. 172. Pluto trabali sceptro saxa ferit. Id. cons. Mall. Theod. 318. Trabalis vectis.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. Theod. Nov. 3. § 8. Trabali jussione decernere. h. e. fixa, immota. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. Julian. apud Augustin. Op. imperf. contra Julian. 2. 90. Manifestum est, nimis esse imbecillam Christi gratiam in suis muneribus, quæ nihil, quod his tot trabalibus malis mederetur, invenit etc.

TRĂBĀRĬUS, a, um, adject. (trabs) qui ex trabe est. Isid. 19. Orig. 1. ad fin. Trabariæ amnicæ, naves, quæ ex singulis trabibus cavantur, quæ alio nomine litorariæ dicuntur. Hæ et caudicæ ex uno ligno cavato factæ, et inde caudicæ, quia a quattuor usque ad decem homines capiant. V. CAUDEX.

TRĂBĔA (travea), æ, f. 1. Ratione habita etymi, Forcellinus ducere videtur a trabs, eo quod esset intextis pannis virgata seu fascias haberet intextas instar trabium. Cf. Isid. 19. Orig. 24. 8. Recentiores conferunt cum Skr. tarpya, quod vestem significat ex vegetali quodam panno contextam. — Trabea est toga Romanorum, ornatu et colore a vulgari toga differens; erat enim can-

dide purpureis pannis virgata. Sueton. fragm. apud Serv. ad Virg. 7. Æn. 612. tria ejus genera fuisse docet: unum quod diis sacratum et fuit totum purpureum: alterum item purpureum, sed habebat aliquid albi: tertium augurum proprium, purpura et cocco mixtum. Lyd. De magistr. p. R. 1. 7. vocat τραβαῖαν. — a) De regibus. Serv. ad Virg. 11. Æn. 334. Romanorum imperatorum insigne fuit sella curulis et trabea. Plin. 8. Hist. nat. 48. 74. (195). Trabeis usos accipio reges. Id. 9. ibid. 39. 63. (136). Purpuræ usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea. Virg. 7. Æn. 187. Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea Picus. Id. 11. ibid. 334. Et sellam regni trabeamque insignia nostri. Latini regis verba sunt. Cf. 2. G. 495. V. Lersch op. cit. p. 11. et seq. Ovid. 2. Fast. 504. trabeaque decorus Romulus. Adde Liv. 1. 41. — b) De consulibus. Regium trabeæ genus, quod in albo purpureas fascias habebat intextas instar trabium, induebatur etiam e consulibus, quibusdam magis solemnibus diebus: quia sicut jura regum, ita et insignia iis data sunt. Virg. 7. Æn. 612. Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino Insignis reserat stridentia limina consul. — Hinc trabea pro consulatu usurpatur. Claudian. 1. in Rufin. 249. Post trabeas exsul. h. e. post consulatum. Sic 2. in Eutrop. prol. 10. Annus, qui trabeas, hic dedit exilium. Id. 2. Laud. Stilich. 3. Trabeas induere. h. e. consulatum inire. Adde Symmach. Ep. 9. 112. — c) De senatoribus. Ita Gloss. nom. ed. Loewe p. 153., ubi trabea vestis senatoria sive purpura dicitur. — d) De equitibus in transvectione, ut Val. Max. 2. 2. sub fin. docet: et alias quoque, quum solemnitas posceret: ut factum in pompa funebri Germanici Cæsaris, narrante Tac. 3. Ann. 2. Cf. TRABEATUS. — Hinc trabea equestrem ordinem significat, ut fasces consulatum. Stat. 5. Silv. 2. 17. non sanguine cretus Turmali trabeaque Remi nec paupere clavo. Adde Martial. 5. 41. — NB. Falsi sunt, qui putarunt, trabeam militarem vestem fuisse. Aperte Claudianus a militari ornatu distinguit, cons. Prob. et Olybr. 178. et III. cons. Honor. 5. et IV. ibid. 12. et cons. Mall. Theod. 14. etc. Frustra etiam alii locum Livii afferunt ex 32. 6., ubi non consul trabeatus, sed trajectus omnino legendum est. — Sunt qui equestrem purpuratam et flavam faciunt; imperatoriam vero totam purpuream esse docent. V. Bonghi Man. Ant. R. n. 42. — De cogn. R. V. ONOM.

TRĂBĔĀLIS, e, adject. (trabea) ad trabeam pertinens. Sidon. carm. 2. 2. Effulgens trabealis mole metalli Annum pande novum consul vetus. Trabeale metallum vocat aurum, quod posterioribus imperatorum temporibus assui trabeis mos fuit. Hinc Claudian. 2. laud. Stilich. 340. graves auro trabeæ. Ennod. 1. Ep. 5. Trabealis cothurni pompa.

TRĂBĔĀTA, æ, f. 1. V. voc. seq.

TRĂBĔĀTUS, a, um, adject. ex inusit. trabeo, trabea indutus.

I.) Proprie. Ovid. 1. Fast. 37. et 14. Met. 823. Trabeatus Quirinus. Tac. 3. Ann. 2., Sueton. Domit. 14. et Val. Max. 2. 2. sub fin Trabeati equites. Stat. 4. Silv. 2. 32. Hic quum Romuleos proceres trabeataque Cæsar Agmina mille simul jussit discumbere mensis. h. e. equestrem ordinem. Sic Capell. 5. p. 137. Unus (Demosthenes) pallio circumactus, alter (Cicero) trabeatus. Claudian. IV. cons. Honor. 417. Et sulcata diu trabeato rura colono. h. e. consule vel consulari.

II.) Translate. Id. cons. Mall. Theod. 338. Trabeata domus. h. e. in qua est consulatus. Impp. Theodos. et Valentinian. Cod. Theod. 10. 10. 33. Trabeata quies. h. e. consulum. — Hinc

Trabeata, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, novum fabularum genus, quas C. Melissus grammaticus ita inscripsit ac docuit, uti narrat Sueton. Gramm. 21. extr., fortasse quia equestris ordinis personas induxit. V. Neukirch Fab. Tog. p. 34. et seq.

TRĂBĔCŬLA et trabicula, æ, f. 1. deminut. a trabs, parva trabs, travetta, δοκίδιον. Cato R. R. 18. Trabeculam pedum XXIII. semis imponito sesquipedalem. Vitruv. 10. 21. circa med. Habuerat mediam contabulationem supra trabeculas. Vet. Inscr. optimæ notæ, exarata ann. U. C. DCXLIX., apud Gruter. 207. col. 1. INSVPER MVTVLOS TRABICVLAS ABIEGINEAS DVAS CRASSAS IMPONITO. Adde Itin. Alex. 33. (77).

TRABĒNA, æ, f. 1. idem ac taberna. Donat. in Ter. Adelph. 3. 3. 5. V. TABERNA.

TRĂBES. V. TRABS.

TRĂBĪCA. V. TRABICUS.

TRĂBĪCŬLA. V. TRABECULA.

TRĂBĪCUS, a, um, adject. (trabs) qui ex trabe est, ut trabica navis, quæ et trabica absolute dicitur. Fest. apud Paul. Diac. p. 367. 2. Müll. Trabica navis, quod sit trabibus confixa. Pacuvius: Labitur trabica in alveos.

TRĂBĪLACŬLA, æ, f. 1. parva trabs. Itin. Alex. 33. ed. Rom. Superjectu trabilacularum calcatu tabulandarum.

TRĂBIS. V. voc. seq.

TRABS, trăbis, f. 3. — a) Pro trabs dixere trabes in recto, ut plebes, pedes, pro plebs, pes. Enn. apud Cic. 3. Nat. D. 30. 75. et Fat. 15. 35. Utinam ne in nemore Pelio Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes. et apud Varron. 7. L. L. 33. Müll. Trabes remis rostrata per altum. Adde Veget. 4. Milit. 21., Augustin. Serm. 387. 2. et Tertull. Pall. 1. — Item trabis, ut canes et canis. Ita enim in quodam MS. legitur apud Jul. Obsequ. 122. Trabis ardens ab occasu ad cælum extenta. Sic Ars anonym. Bern. p. 121. 15. Hag. Hieronymus trabis nominativo pronunciavit. — b) Etymon vocis petunt recentiores a Skr. trabh, ejusdem significationis, unde et Gr. τράφηξ vel τράπηξ et τράπεζα. — Trabs est tignum aut crassum tignum; quamquam proprie significare duo ligna compacta, ex Festo docet Paul. Diac. p. 366. 14. Müll.: quia lignum simplex tignum dicitur. Trabes compactiles opinor vocari a Vitruv. 4. 7., qui 5. 1. ad fin. memorat trabes ex duobus, item ex tribus tignis bipedalibus compactas. Hinc non semel Lucret. junxit tigna trabesque, ut 2. 192. et 196. et 6. 240. Hoc sensu Plin. 3. Hist. nat. 5. 9. ab init. Tiberis propter aspera et confragosa, ne sic quidem (navigabilis) præterquam trabibus verius, quam ratibus. h. e. pluribus tignis compactis et in modum ratis compositis. Græce est δοκός (It. trave; Fr. poutre; Hisp. viga; Germ. der Balken; Angl. a beam or rafter). Sæpius tamen de simplici tigno usurpatur, sive ex arbore sit sive ex alia materia.

I.) Proprie. Lucret. 2. 196. ignes celeri flamma degustant tigna trabesque. Cæs. 3. B. G. 13. Naves totæ factæ ex robore: transtra ex pedalibus in latitudinem trabibus. Ovid. 3. Met. 77. de angue. Ipse modo immensum spiris facientibus orbem Cingitur, interdum longa trabe rectior exit. Gell. 1. 13. ad fin. Firma et procera trabe quum opus esset, qui arietem faceret. Plin. 6. Hist. nat. 38. 73. (184). Aure ad caput trabis quamlibet prælongæ admota, ictus ab altero capite vel graphii sentitur. Claudian. 1. Rapt. Pros. 242. trabibus solidatur ahenis Culmen. Id. Nupt. Honor. et Mar. 88. trabibusque smaragdis Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas. h. e. trabibus, quæ sunt smaragdi. (Simile est illud Pers. 1. 69. heroas sensus. et Stat. 11. Theb. 22. hostes turmæ.) Plin. 33. Hist. nat. 3. 15. (52). Trabes argenteæ. Id. 6. ibid. 11. 12. (30). Fores obditæ ferratis trabibus. Id. 36. ibid. 8. 14. (64). Trabes ex lapide Syenite fecere reges, obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. Id. 16. ibid. 40. 76. (200). Trabs larice, longa pedes CCXX., bipedali crassitudine æqualis. Cæs. 4. B. G. 17. Trabs bipedalis. Id. 2. ibid. 29. præacuta. Id. 2. B. C. 9. transversa. et ibid. longior atque eminentior. — Pendere ad trabem quid sit, V. in PENDEO.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe trabem dicunt poetæ de arbore excelsa. Virg. 6. Æn. 181. Fraxineæ trabes. h. e. fraxini. et 9. ibid. 87. lucus Nigranti picea trabibusque obscurus acernis. Ovid. 14. Met. 360. Densum trabibus nemus. et 8. ibid. 329. Silva frequens trabibus. et 10. ibid. 372. securi Saucia trabs ingens etc. Quo cadat, in dubio est. Adde Propert. 3. 21. 38., Val. Flacc. 5. 640., Varron. apud Non. p. 178. 31. Merc., Stat. 2. Achill. 430. et Senec. Œdip. 537. ¶ 2. Per synecdochen dicitur — a) De navi. Horat. 1. Od. 1. 13. ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare. Sic Virg. 4. Æn. 566. Jam mare turbari trabibus. Ovid. 1. Pont. 3. 76. Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas. h. e. navis Argo: de qua ut Seneca Agam. 120. Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe. — b) De tecto seu domo. Horat. 3. Od. 2. 26. vetabo, sub isdem sit trabibus. — c) De machinis bellicis, h. e. arietibus, balistis et hujusmodi. Val. Flacc. 6. 383. ut machina muri, Quæ scopulis trabibusque diu confectaque flammis, Procubuit tandem. — d) De mensis. Martial. 14. 91. Libycæ trabes. h. e. mensæ citreæ, quas 2. 43. Libycos orbes dixit. ¶ 3. Per synecdochen et hyperbolen simul — a) De ingenti hasta. Stat. 5. Theb. 566. Et trabe fraxinea Capaneus subit obvius. Sic 9. ibid. 124. Lernæam jacit ipse trabem. — b) De magnis validisque fustibus, bastonacci. Id. 1. ibid. 621. trabibus duris proterere exanimes artus. — c) De ingenti face. Seneca Herc. Fur. 103. et Med. 962. Vastam rogo flagrante corripiat trabem. ¶ 4. Metaphorice de re magni ponderis. Vulgat. interpr. Matth. 7. 3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: et trabem in oculo tuo non vides?

III.) Improprie. ¶ 1. Trabs dicitur meteori genus vel fulgoris cælestis seu cometæ, quod et docis et docus dicitur, Græce δόκος, nempe longa fax trabis specie in cælo apparens. Seneca 1. Quæst. nat. 15. Cometarum genera sunt pogoniæ, lampades et cyparissæ et alia omnia: quorum ignis in exitu sparsus est. Dubium, an inter hos ponantur trabes et pithitæ: raro sunt visi. Adde 7. ibid. 4., Plin. 2. Hist nat. 26. 26. (96). et Jul. Obsequ. loc. cit. ¶ 2. Est etiam τὸ αἰδοῖον ἀρρενικόν. Catull. 29. 10. O Memmi, bene me ac diu supinum Tota ista trabe lentus irrumasti.

TRĂCHĀLA, æ, m. 1. τραχαλᾶς, ita per contumeliam cognominatus est Constantinus M. Aug. quia obesa fuit cervice: a τράχαλος Dorice pro τράχηλος, cervix, collum. Aurel. Vict. Epit. 41. Constantinus proverbio vulgari Trachala, decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis pupillus ob profusiones immodicas nominatus. V. voc. seq.

TRĂCHĀLUS et

TRĂCHĒLUS, i, m. 2. τράχαλος, Dorice pro τράχηλος, cervix, collum. ¶ 1. Ita Vitruv. 10. 15. a med. partem quamdam catapultæ appellat, a colli similitudine. Alii tamen pro tracheli leg. carchebi, alii melius carchesia. V. Bald. et Nohl in Lex. Vitruv. ¶ 2. Ita etiam vocatur pars superior, quemadmodum media μήκων, ima πυθμήν. Festus apud Paul. Diac. p. 367. 3. Müll. Trachali appellantur muricum et purpuræ superiores partes. Unde Ariminenses, maritimi homines, cognomen traxere Trachali. V. voc præc. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

TRĂCHĪA, æ, f. 1. τραχεῖα, appositum arteriæ, per quam spiritus ore in pulmonem trahitur, trachea: a τραχύς, asper. Semel Latinis litteris scribitur apud Macrob. 7. Saturn. 15. Jam tamen dedit Græce.

TRĂCHĪNĬUS (Trachynius), a, um, adject. ad Trachinis oppidum pertinens, de quo V. ONOM. Hinc Trachinia rosa apud Plin. 21. Hist. nat. 5. 10. (16). Proximam ei (Milesiæ) Trachiniam minus rubentem. — Trachinia herba apud eumd. 27. ibid. 13. 114. (141).

TRĂCHŌMĂTĬCUS, a, um, adject. τραχωματικός, ad asperitatem tollendam idoneus. Marcell. Empir. 8. § 7. a med. Descriptio trachomatici collyrii etc. Ejus etiam meminit Alex. Trallian. De medic. l. 2. c. 6. Κολλούριον τραχωματικὸν πρὸς τραχέα βλέφαρα. h. e. collyrium trachomaticum ad asperas palpebras.

TRĂCHYS, ya, y, adject. Græca positione, τρα-

χύς, (ῖα, ύ) *h. e.* asper, quo significatur genus arborum; de quo *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (114).

TRĂCO, ōnis, m. 3. *Isid.* 1. *Diff.* 165. Inter draconem et traconem hoc interest. Draco est immanis bellua, tracones vero sunt hiatus terræ. Adde *Bed. Mund. const. t.* 1. *p.* 377., quem citat *Quicherat* in *Add. p.* 296.

TRACTA, æ, f. 1. et

TRACTA, ōrum, n. plur. 2. *V.* TRACTUS, a, um.

TRACTĂBĬLIS, e, adject. (tracto) Comp. *Tractabilior.* — Tractabilis est qui sub tactum cadit, qui tractari facile potest, ἁπτός, εὐμεταχείριστος (It. *che si può toccare o maneggiare;* Fr. *palpable, maniable;* Hisp. *palpable, manejable;* Germ. *betastbar, angreifbar;* Angl. *touched or felt*).

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 4. *a med.* Corporeum autem et adspectabile itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. *Ovid. Heroid.* 19. 71. Est mare (confiteor) nondum tractabile nanti. *h. e.* tentandum, adeundum. *Virg.* 4. *Æn.* 53. non tractabile cælum. *h. e.* non pacatum, non quietum, non placidum. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 131. 39. (117). Ulcera tractabiliora fieri ac sanari celerius. *Vitruv.* 2. 9. *sub fin.* Materies laricis prolixa, tractabilis ad intestinum opus, non minus quam sapinea. *facile da lavorare.* Sic *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 48. (167). Tophi tractabiles in opere. *Id.* 18. *ibid.* 28. 67. (261). Falcium genus brevius ac vel inter vepres tractabile. *Id.* 21. *ibid.* 17. 68. (108). Scilla folium habet latum et tractabile. *pastoso.* et *Stat.* 5. *Silv.* 1. 83. ille subactis Molem immensam humeris et vix tractabile pondus Imposuit. *h. e.* portabile. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Vox tractabilis. *h. e.* facilis, flexibilis.

II.) Translate refertur ad animum. *Cic. Amic.* 13. *ad fin.* Neque audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream esse volunt: quæ est quum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis. *Id.* 10. *Att.* 11. *a med.* Ego meum (*filium*) facile teneo. nihil est enim eo tractabilius. *più trattabile.* et *Virg.* 4. *Æn.* 438. sed nullis ille movetur Fletibus aut voces ullas tractabilis audit. *h. e.* mitis, placidus, flexibilis, exorabilis, *pieghevole.* et *Ovid. Remed. am.* 123. Impatiens animus nec adhuc tractabilis arte. *Plin.* 9. *Ep.* 24. Te tam tractabilem video, ut in ira regi possis. *Curt.* 3. 2. *ad fin.* Erat Dario mite ac tractabile ingenium. *Sueton. Aug.* 65. *sub fin.* Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in insulam transportavit. *Nov. maj.* 4. 3. 1. Moderatio tractabilis. *tollerabile.*

TRACTĂBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (tractabilis) qualitas, qua aliquid tractari potest. *Vitruv.* 2. 9. Populus, salix, tilia in sculpturis commodam præstant tractabilitatem. *sono facili da lavorarsi.*

TRACTĂBĬLĬTER, adverb. ab adject. *tractabilis,* unde Comp. *Tractabilius.* — Tractabiliter est modo seu ratione tractabili.

I.) Proprie. *Augustin.* 13. *Civ. D.* 22. Angeli quoque visibiliter et tractabiliter apparentes.

II.) Translate est faciliter. *Gell.* 6. 2. *circa med.* Omnem illam vim, quæ de fato extrinsecus ingruit, inoffensius tractabiliusque transmittunt.

TRACTĀTĪCĬUS. *V.* TRACTICIUS.

TRACTANS, antis, particip. *V.* TRACTO.

TRACTĀTĬO, ōnis, f. 3. (tracto) actus tractandi et versandi inter manus, μεταχείρισις (It. *il maneggiare;* Fr. *maniement;* Hisp. *manoseo, tocamiento, manejo;* Germ. *die Behandlung, Betastung, Bearbeitung;* Angl. *a handling, touching*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Off.* 5. 17. Quæ in rebus inanimis, quæque in usu et tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam. *Id.* 3. *Orat.* 52. 200. Qui in armorum tractatione versantur. *Id.* 2. *Divinat.* 3. *a med.* Nec vero qui fidibus aut tibiis uti volunt, ab haruspicibus accipiunt earum tractationem, sed a musicis. *Id. Orat.* 18. 59. Vocis bonitas non est in nobis: sed tractatio atque usus in nobis.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad ea, quæ studio aut oratione aut scriptione aut administratione tractantur. *Cic. Orat.* 59. *in fin.* Est in utroque (*in poesi et in oratione soluta*) et materia et tractatio. materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. *Id. Brut.* 4. 15. Quæ quum studiose tractare cœpissem, ipsa mihi tractatio litterarum salutaris fuit. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. *a med.* Philosophiæ tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est. *Id. Orat.* 23. *ad fin.* Quæ observata sunt in usu et tractatione dicendi. *Gell.* 5. 21. Assidua veterum scriptorum tractatio. *Seneca Tranquill.* 3. Actione rerum et reipublicæ tractatione et officiis civilibus se detinere. ¶ 2. Item, apud Rhetores, stilus aut methodus, qua quæstio vel controversia aliqua agitatur. *Cic.* 2. *Orat.* 41. *a med.* Nequaquam satis est reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. — Huc pertinet illud *Senec.* 1. *Controv.* 1. *circa med.* Adjecit quæstionem Gallio alteram, An abdicari possit jam adoptatus. Hoc autem ex æquitatis parte pendet: et tractatio magis est, quam quæstio. et *Controv.* 3. *a med.* Latro hac usus est divisione: An licuerit filio, An vindicare oportuerit. An oportuerit, tractationis quidem est, quam, ut quisque vult, variat. *Tractatio* est extensio et amplificatio quæstionis principalis, de qua in Controversia agitur, et veluti appendix ejus: atque adeo non novam quæstionem constituens, sed cum illa simul tractanda. ¶ 3. Item vocabuli acceptatio sive usus. *Cic. Partit.* 5. 17. Atque etiam est hæc distinctio in verbis: altera natura, tractatione altera: - tractatione quum aut propria sumuntur rerum vocabula aut addita ad nomen aut nova aut prisca etc. ¶ 4. Est etiam ratio et modus agendi cum aliquo, *trattamento.* Unde *mala tractatio,* quum quis alterum injuria afficit, ut filium pater injuste abdicans aut maritus uxorem aliquo modo vexans. Hinc illa in lemmatis Controversiarum et Declamationum *Senecæ* et *Quintiliani.* v. gr. apud *Senec.* 3. *Excerpt. controv.* 7. Filio furenti et sua membra lanianti pater venenum dedit. Accusatur ab uxore malæ tractationis. V. *Quintil. Declam.* 8. 10. et 18. Similiter *malam tractationem* dicit *Arnob.* 4. *p.* 142., qua Gentes obscenis fabulis deos suos libidinosos et adulteros faciunt. *Quintil.* 7. 4. 10. Accusare aliquem malæ tractationis. *et ibid.* 3. 2. Actiones dementiæ, malæ tractationis, reipubl. læsæ. *Id. Declam.* 383. Malæ tractationis damnatus. — *Tertull. Pœnit. in fin.* appellat *malam tractationem,* qua Nebuchodonosor, pœnitens superbiæ suæ, in se ipsum sævit, ferinam vitam in silvis tolerando.

TRACTĀTOR, ōris, m. 3. (tracto) proprie est qui trahit seu tractat, transvector, ut in *Gloss. Lat. Gr.* Tractatores, παραχομισταί; sed fere de eo usurpatur, qui manu tangit et tractat.

I.) Proprie et peculiari sensu *tractatores* erant, qui delicatis dominis membra singula vel in balneo vel in lectulo artifici manu leniter tractabant et fricabant, tum valetudinis, tum voluptatis causa. *Seneca Ep.* 66. *extr.* An potius optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula aut aliquis, in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mucium, qui sic tractavit ignem, quasi illam manum tractatori præstitisset? — Alio sensu apud *Julian. Antec. Const.* c. 3. § 1. et c. 10. § 1. *V.* TRACTEUTA.

II.) Translate est qui de aliqua re tractat commentando, disserendo aut concionem habendo. *Gloss. Philox.* Tractātor, ὁμιλητικός. *Spartian. Get.* 4. Fuit a natura decorus, tractator, gulosus, cupidus ciborum et vini varie conditi. *h. e.* cavillator. *V.* RETRACTATOR. *Sidon.* 4. *Ep.* 11. *in carm.* Orator, dialecticus, poeta, Tractator, geometra musicusque. *h. e.* qui Scripturas interpretatur. Sic 2. *Ep.* 9. *circa med.* Origenes scævus cavendusque tractator. *Sulpic. Sever. dial.* 1. 6. Origenes tractator sacrarum Scripturarum peritissimum. Adde *Hieronym. in Helvid. n.* 6., et *advers. Johann. Hierosol. n.* 10. et *Augustin.* ad *Hieronym. post hujus epist.* 97. 116. *n.* 34.

TRACTĀTŌRĬUM, ĭi. *V.* voc. seq.

TRACTĀTŌRĬUS, a, um, adject. (tracto) ad tractandum seu tractationem pertinens. *Tractatorias* Sirenas dixit *Fulgent.* 2. *Myth.* 11., quia ad se tractant seu trahunt illecebris amantes. *V.* TRACTORIUS. — Hinc

*Tractatorium, ii,* absolute, substantivorum more, locus, in quo causæ et aliæ res aguntur. *Sidon.* 1. *Ep.* 7. It in tractatorium frequens senatus.

TRACTĀTRIX, trīcis, f. 3. (tractator) mulier, quæ eodem officio, quo tractator, fungitur. *V.* TRACTATOR sub I. *Martial.* 3. 82. Percurrit agili corpus arte tractatrix Manumque doctam spargit omnibus membris. Cf. *Charis. p.* 44. 7. *Keil.*

TRACTĀTUS, a, um, particip. *V.* TRACTO.

TRACTĀTUS, us, m. 4. (tracto) tractatio, contrectatio, *toccamento,* ψηλάφησις, διαχείρισις.

I.) Proprie. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (87). Nucum tractatu infectæ manus. *et* 17. *ibid.* 10. 12. (66). Plantæ tractatu mansuescunt, ceu feræ.

II.) Translate refertur ad studium, actionem, operam, cultum, occupationem. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Orat.* 23. 86. Artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt: aliter ab iis, qui, ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. *Liv.* 25. 32. Consilia tractatu dura. *Quintil.* 8. *pr.* 2. Ingenia tractatu asperiorum rerum atteruntur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (43). Tofacea terra tractatu aspera. *lavoro, coltura.* et *ibid.* 20. 34. (147). Omnibus præfertur facilitate tractatus. *Plin. junior* 10. *Ep.* 97. Ipso tractatu plures species inciderunt. *Vellej.* 2. 94. 4. Præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractatu editis. ¶ 2. Speciatim est tractatio, commentatio. *Quintil.* 3. 7. *ante med.* Ante hominem patria ac parentes majoresque erunt: quorum duplex tractatus est. Aut enim etc. *Id.* 7. 3. 16. Nec uno modo definitur res eadem, sed latiore varioque tractatu. *et ibid.* 6. *extr.* Tractatus omnes sunt qualitatis aut conjecturæ. *Id.* 1. 8. 16. Tractatus troporum. *et* 7. 11. 8. locorum (*communium*). et 12. 1. 8. æqui bonique. *Gell.* 14. 2. *a med.* De his judicialis officii tractatibus posthac dicere conabimur. *Cod. Theod.* 1. 1. 5. Prudentium tractatus et responsa. *h. e.* expositio quæstionis. ¶ 3. Item examen, inquisitio, deliberatio. *Veget.* 3. *Milit.* 3. De copiis expensisque solers debet esse tractatus. *Dig.* 19. 5. 5. In hac quæstione totius ob rem dati tractatus. *et ibid.* 36. 1. 13. Si cognitio prolixiorem tractatum habeat. *et* 17. 2. 32. Quum, tractatu habito, societas coita est. *Cyprian. Ep.* 3. Diu multumque tractatu inter nos habito. ¶ 4. Item dissertatio, scriptum, *scritto, dissertazione.* *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (45). Separatim toto tractatu sententia ejus indicanda est. *con un intiero trattato.* ¶ 5. Item apud Eccles. scriptores *tractatus* aliquando est concio de rebus sacris, et præsertim de sensu S. Scripturæ. *Augustin. Ep.* 4. *ad Quodvultd. præfixa libro de hæresib.* Tractatus populares, quos Græce homilias vocant. *V.* TRACTATOR. ¶ 6. Item productio, prolatio. *Coripp.* 3. *Johann.* 7. Tractatu vario noctem sermone trahentes. *V.* TRAHO. Id sumptum videtur ex *Virg.* 1. *Æn.* 752. vario noctem sermone trahebat.

TRACTEUTA (tracteuta), æ, m. 1. τρακτευτής, qui annonarios titulos retractat vel annonas publicas computat et tractat, exactor. *Schol. Julian. Antecess. Constit.* c. 22. § 83. Tracteutæ, quos dicimus apud Latinos tractatores, maxime in Africa sic dicuntur, id est scriniarii, qui annonas publicas computant et tractant. *Justinian. Nov.* 30. 2. Tutorum et tracteutarum nomen neque esse penitus volumus. Cf. voc. seq.

TRACTEUTĬCA, ōrum, n. plur. 2. (tracteuta) ea, quæ a tracteutis præter consuetum tributum exigebantur. *Justinian. Nov.* 30. 3. Inferre damna expositicorum census aut tracteuticorum.

**TRACTICIUS** et tractitius, a, um, adject. (traho) qui trahitur. *Aurel. Vict. Epit.* 23. *in fin.* scribit, Elagabalum, quia post mortem tractus per vias et in Tiberim projectus fuit, *tracticium* et *Tiberinum* per contemptum fuisse appellatum. Adde et *Lamprid. Elagab.* 17., ubi alii leg. *tractaticius*.

**TRACTILIS**, e, adject (traho) qui facile trahitur. *Gloss. Gr. Lat.* Ἑλκυστός, tractilis.

**TRACTIM**, adverb. (traho: cf. *Diomed. p.* 407. 5. *K.*) trahendo, longo tractu, leniter, *tirando in lungo, lenemente*, ἑλκηδόν, σύρδην. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 157. Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat? Ludit *Plaut.* in verbo; nam *tractim tangere* est sensim et leniter tangere, manum trahendo, non infligendo: quod faciunt nutrices, blande et tracta manu palpantes infantulos, ut somnum capiant. Unde *Sisenna* apud *Charis.* 2. *p.* 196. *Putsch.* recte exponit, lente. Sed apud *Plaut. loc. cit.* Mercurius ironice significat, velle se Sosiam adeo valide pugno percutere, ut ad terram trahat et sopiat. Supra dixerat *v.* 146. Agite pugni. - Jampridem videtur factum, heri quod homines quattuor in soporem collocastis nudos. ¶ 2. Hinc speciatim est lente. *Seneca Ep.* 40. *a med.* postquam reprehendit eos, qui nimis festinanter dicunt: Recte, inquit, facies, si non videris istos, qui quantum dicant, non quemadmodum, quærunt: et ipse malueris aliquando vel juxta Vinicium dicere, qui quum quæreretur, quomodo diceret, Asellius ait, tractim. ¶ 3. Et paullatim, sensim. *Lucret.* 3. 530. In pedibus primum digitos livescere et ungues: Inde pedes et crura mori: post inde per artus Ire alios tractim gelidi vestigia leti. *Id.* 6. 118. radentes corpora tractim. ¶ 4. Item producte, diu, protelo et sine intermissione, jugiter, *a lungo, continuamente*. *Virg.* 4. *G.* 260. *de apib.* Tum sonus auditur gravior tractimque susurrant. *Gell.* 7. 20. ad illud *Virg.* 2. *G.* 224. et vicina Vesevo Ora jugo. Vocalis, inquit, in priore versu extrema eademque in sequenti prima canoro simul atque jucundo hiatu tractim sonat. *Id.* 4. 6. et 7. 10. Succidaneæ hostiæ nominatæ, littera *i* tractim pronuntiata. *h. e.* producte.

**TRACTIO**, ōnis, *f.* 3. (traho) actus trahendi. *Quintil.* 1. 4. 20. *Halm. Gloss. Gr. Lat.* Σύρσις, tractus, tractio.

**TRACTITATUS**, a, um, particip. ab inusit. frequentat. *tractito*, ut *dictito, factito*, tractatus sæpe, actus, expositus. *Plaut. Truc. prol.* 10. Athenas tractitatum hoc it proscænium. Ita ex MS. edidit *Bothius*, quum alii legerent et legant: *Athenæ istæ sunto, ita ut hoc* etc.

**TRACTITIUS**. *V.* TRACTICIUS.

**TRACTO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat. a* traho) Part. *Tractans* I. 2. *a* et *b*; *Tractatus* fere in omn. paragr.; *Tractaturus* et *Tractandus* II. 4. 1.° — Tracto proprie ac primitus est sæpe lubensque traho vel vi traho, rapio, vi duco, ἕλκω, σύρω (It. *tirare, strascinare*; Fr. *traîner avec violence*; Hisp. *arrastrar*; Germ. *schleppen, herumziehen, zerren*; Angl. *to drag forcibly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. O lux Trojæ, germane Hector! quid ita cum tuo lacerato corpore miser? Aut qui te sic respectantibus tractavere nobis? *Id.* apud *Grammat. ignot.*, ut referunt *Columna* et *P. Merula*. tractatu' per æquora campi. *Lucret.* 3. 902. malis morsuque ferarum tractari. *h. e.* distrahi et dilaniari. *Ovid.* 13. *Met.* 410. tractata comis antistita Phœbi. Alii aliter leg. Cf. *Calpurn. Ecl.* 8. 78. æstas tractabit olivas. ¶ 2. Latiore vel prægnanti, ut ajunt, sensu est frequenter tangere, manu versare, attrectare, contrectare, ψηλαφάω, χειρίζω (It. *toccare, maneggiare, palpare, avere per mano, brancicare*; Fr. *toucher, manier, traiter*; Hisp. *tocar, manosear, tratar*; Germ. *betasten, behandeln*; Angl. *to touch, handle, feel, stroke*). — a) Universim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 30. Tractavisti hospitam ante ædes meas. et *ibid.* 8. Eamne hic in via hospitam - Tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam? Adde *Pœn.* 1. 2. 103. et *Trin.* 4. 2. 163. *Cic.* 5. *Tusc.* 38. Ea, quæ gustamus, olfacimus, tractamus, audimus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versantur. Adde 12. *Att.* 22. *Id. Par.* 5. 2. Matellionem cupidissime tractans. *Lucret.* 4. 624. suaviter omnia tractant Humida linguai circum sudantia templa: At contra pungunt sensum etc. *Virg.* 3. *Æn.* 501. aret Pellis et ad tactum tractantis dura resistit. Sic *Colum.* 6. *R. R.* 2. Vitulos oportet, quum adhuc teneri sunt, consuescere manu tractari. *Grat. Cyneg.* 64. Semidei matres ansi tractare deorum. *h. e.* vexare. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 79. puer unctis Tractavit manibus calicem, dum furta ligurit. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 60. Tractat inauratæ consona fila lyræ. *h. e.* pulsat, sonat. Similiter *Calpurn. Ecl.* 10. 7. calamos tractare deorum. et *Liv.* 7. 32. Tractare tela. *maneggiare, adoperare, usar l'armi*. Rursum *Horat.* 2. *Ep.* 1. 235. tractata notam labemque remittunt Atramenta. *Ovid.* 10. *Met.* 285. cera tractata pollice multas Vertitur in facies. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 19. (42). Tractata iris pusulas ambusti modo facit. — b) *Tractare prœlia*, prœliari, *combattere*. *Sil. It.* 15. 466. furtiva tractantem prœlia luce Dejecit. — c) *Tractare igni*, domare, coquere. *Lucret.* 5. 951. Nec dum res igni scibant tractare, neque uti Pellibus et corpus spoliis vestire ferarum. — d) *Tractare terram*, vertere, colere, *coltivare, lavorare*. *Id. ibid.* 1288. Ære solum terræ tractabant æreque belli Miscebant fluctus. *Colum.* 2. *R. R.* 4. Quando arabitur, observabimus, ne lutosus ager tractetur. — e) *Tractare gubernaculum*, navem regere, *governare*. *Cic. Sext.* 9. 20. — f) *Tractare lanam*, carminare, pectere, nere. *Justin.* 1. 3. 3. Tractantes lanam, ferrum et arma habentes parere. Ita *Forcell.* ex *Gronov.*; sed *Ieep* leg. solum *tractantes ferrum* etc. — g) *Tractare pecuniam, rem* alicujus, administrare, procurare, *maneggiare*. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 10. 32. Eras enim tu quæstor: pecuniam publicam tu tractabas. *Id.* 13. *Fam.* 77. *ad fin.* Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit. *Plin.* 10. *Ep.* 28. *extr.* Tractare rationes Prusensium. *rivedere l'entrate ed i conti.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. — a) Generatim. *Cic. Arch.* 2. *a med.* In ejusmodi persona, quæ propter otium ac studium, minime in judiciis periculisque tractata est. — b) Speciatim est agere, transigere. *Lucret.* 5. 930. Volvigavo vitam tractabant more ferarum. *h. e.* ducebant, trahebant, agebant. Est qui leg. *tolerabant*. et *Cic.* 4. *Herenn.* 24. 33. Vita alicubi honeste tractata. *Tac.* 1. *Ann.* 9. *extr.* Pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. — a) Universim. *Ter. Phorm. prol.* 17. in medio omnibus Palmam esse positam, qui artem tractant musicam. *h. e.* exercent. Sic *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. *extr.* Quid est, quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit? — b) *Tractare aliquem* est agere cum aliquo, accipere, suscipere, *trattare*, ὑποδέχεσθαι. *Id.* 1. *Fam.* 3. *extr.* Omnibus rebus eum ita tractes, ut intelligat, meam commendationem non vulgarem fuisse. *Id.* 2. *Phil.* 5. 10. Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem. *Id.* 13. *Fam.* 27. Neq liberalius, nec honorificentius potuisse tractari, nec se præsentem nec rem familiarem absentis patroni sui. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. *a med.* Me summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit. et 2. *ibid.* 6. *a med.* Nimis aspere tractare aliquem. *Sall. Cat.* 40. Placidius tractare plebem. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 11. Benignius se ipsum tractare. *trattarsi lautamente.* et *Liv.* 3. 14. *extr.* Paullatim permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem. *accarezzando.* ductâ metaphorâ ab iis, qui blandiendi causa, tractim ac leniter ducendo manum, tangunt et fricant. *Cic. Cæl.* 2. 3. Pater parum pie tractatus a filio. *Id. pro leg. Manil.* 5. 11. Mercatores ac naviculatores injuriosius tractati. — c) *Tractare se*, se gerere. *Id.* 13. *Fam.* 12. Quo in munere ita se tractavit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse. *si diportò.* et 3. *Cat.* 12. 29. Ita me in republica tractabo, ut meminerim etc. — d) *Tractare personam, partes* alicujus, agere, *far da*. *Id. Rosc. Com.* 7. 20. Cujus personam præclare Roscius in scæna tractare consuevit. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 14. partes mimum tractare secundas. — e) *Tractare animos*, versare, commovere. *Cic. Orat.* 28. 97. Hujus eloquentiæ est tractare animos: hujus omni modo permovere. — f) *Tractare causam* et hujusmodi, gerere, administrare, curare. *Id.* 1. *Orat.* 37. 170. Causas amicorum tractare atque agere. *et* 3. *Fam.* 12. *a med.* Numquam mihi videor tractasse causam difficiliorem. Similiter *Plaut. Trin.* 2. 2. 46. Minus caute et cogitate rem suam tractavit. *Liv.* 23. 28. et *Tac.* 1. *Ann.* 59. Tractare bellum. (Alii minus recte sumunt pro *trahere, ducere*.) et *Sall. Cat.* 51. rempublicam. — g) *Tractare verba*, adhibere, in illo *Quintil.* 11. 1. 6. Neque vetera aut translata aut ficta verba in incipiendo, narrando, argumentando tractabimus. ¶ 3. Item sæpissime refertur ad animum et significat mente agitare, commentari, disserere, dicendo aut scribendo explicare, *trattare*. — 1.°) Transitive. *Cic.* 3. *Orat.* 8. 30. Res tragicas pæne comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scænica propa venustate tractare. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 8. 30. Philosophiæ pars, quæ erat in disserendo, sic tractabatur ab utrisque. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 116. tractant fabrilia fabri. *Liv.* 33. 31. *a med.* Ibi consilia decem legatorum tractabantur. *Quintil.* 1. 2. 1. Hoc loco tractanda quæstio est, utilius ne sit etc. *Id.* 1. *procem. a med.* Tractare prima rhetoricæ elementa. *Id.* 5. 10. 15. Debent esse nota recte argumenta tractaturo. *Id. Declam.* 5. 15. Aliena cogitationibus, nostra dolore tractantur. *Tac.* 2. *Ann.* 5. Ille celebrandæ victoriæ intentus tractare prœliorum vias et quæ sibi sæva vel prospera evenissent. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 46. 45. (118). Scrupulosius tractabo ventos. *h. e.* de ventis disseram. *Juvenal.* 11. 27. e cælo descendit γνῶθι σεαυτόν, Figendum et memori tractandum pectore. *Seneca Troad.* 1066. gaudet magnus ærumnas dolor Tractare totas. *h. e.* recensere, commemorare. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 14. *ad fin.* Quæ omnia oratori quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. *Id. Orat.* 33. *ad fin.* Nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiæ notos et tractatos locos. *Horat. Art. P.* 150. et quæ Desperat tractata nitescere posse, relinquit. Huc pertinent *declamationes tractatæ* apud *Quintil.* a *Declam. n.* 351. ad 388. *V.* COLORATUS, a, um. — *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Tractare condiciones. *h. e.* agitare. Sic *Liv.* 44. 13. *a med.* Tractatæ inter Eumenem et Persea condiciones amicitiæ. *Tac.* 4. *Ann.* 43. Tunc tractatæ Massiliensium preces. *h. e.* in senatu de his actum. *prese per mano le istanze* etc. et *ibid.* 16. Tractatæ religiones. — 2.°) Neutrorum more. — a) Cum Abl. et præp. *de, super*. *Nepos Eumen.* 5. *extr.* Simulata deditione, tractare de condicionibus. *Sueton. Aug.* 35. *sub fin.* De negotiis ad senatum referendis tractare. *Dig. Justin. fr.* 9. § 2. Convenire ad tractandum de adulterio. *sc.* privatim colloquendum. *Gell.* 1. 23. Placuit, hanc rem, super qua tractavissent, ne quis enunciaret. — b) Cum partic. relativa vel interrogativa. *Tac.* 1. *Ann.* 13. Augustus supremis sermonibus quem tractaret, quinam adipisci principem locum abnuerent aut vellent. *Quintil.* 12. 1. 34. Tractari, quomodo dicatur. *et* 7. 7. 8. utra sit antiquior (*lex*). *Ammian.* 14. 6. 14. Anxia deliberatione tractatur, an peregrinum invitari conveniet. ¶ 4. Item apud Eccles. scriptores, prægnanti, ut ajunt, sensu, est interdum interpretari Sacras Litteras, *interpretare, commentare*. Absolute *Prudent.* 13. περὶ στεφ. 101. Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat. *V.* TRACTATOR et TRACTATUS, us.

**TRACTOGALATUS**, a, um, adject. (tractum *et* γάλα, qui tracta et lacte conditur. *Apic.* 2. 1. *et alibi.* Tractogalatus pullus. *et* 5. 1. pultes. *V.* TRACTUM.

**TRACTOMELINUS**, a, um, et

**TRACTŎMĔLĪTUS**, a, um, adject. (tractum *et* μέλι) qui tracta et melle conditur. *Apic.* 8. 7. Porcellus tractomelitus. Cf. tamen *Schuch*, qui hanc interpretationem minus probat et e libris leg. *tractomelinus*. V. TRACTUM.

**TRACTŌRĪA**, æ, *et*

**TRACTŌRĪÆ**, ārum. *V.* voc. seq.

**TRACTŌRĪUS**, a, um, adject. (traho) ad trahendum pertinens, *da tirare*, ἑλκτικός, ut *tractoriæ machinæ*, ἑλκτικὰ ὄργανα, quibus gravia onera trahuntur. *Vitruv.* 10. 1. Tractorium genus machinarum est, quum onera machinis pertrahuntur aut ad altitudinem sublata collocantur. Adde *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. 133., ubi alii leg. *raptorius*. — Hinc absolute

*Tractoria, æ*, f. 1. *sc.* epistola, qua quis ad apparendum invitatur, invitatoria. *Augustin. Ep.* 59. *n.* 1. — *Tractoriæ, arum*, f. plur. 1. *sc.* litteræ, sequiore Latinæ linguæ ætate, dicta sunt diplomata, quæ dabantur a principe legatis aliisque ab eo missis aliquo, ut eis necessaria itineri publice præberentur, adscriptis locis, per quæ transituri erant, et evectione ac viatico, quod suppeditari oporteret. Est in *Cod. Justin.* 12. *tit.* 52. qui *De tractoriis et stativis* inscribitur sub *Imppp. Theod., Arcad. et Honor.*, earumque alibi in *eod. Cod.* fit mentio tit 12. 51. 22. Sicubi autem *tractatoriæ* editum est, mendum esse critici putant.

**TRACTUM**, i, n. 2. *V.* TRACTUS. a, um.

**TRACTŪŌSUS**, a, um, adject. (tractus, us) glutinosus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. 167. Sudor crassus et tractuosus atque viscosus. *Theod. Prisciam.* 4. 2. *ante med.* Semen est grave, tractuosum, glutinosum.

**TRACTŪRA**, æ, f. 1. (traho) actus trahendi, *trattura*. *Veget.* 2. *Veterin.* 59. Hinc enim collisiones, suppurationes apostemataque nascuntur, quum nimis locis inæqualibus premitur vel discentes tracturam mercurius aut spina deteritur. *Gesnerus* legend. putat *vel indecente stratura*, quod unice rectum, probante *Schneidero*.

**TRACTUS**, a, um, particip. *V.* TRAHO.

**TRACTUS**, us, m. 4. (traho) actus trahendi, ἕλκυσις (It. *il tirare, tratto*; Fr. *action de traîner, trait*; Hisp. *el arrastrar, tirar, tiro*; Germ. *das Ziehen*; Angl. *a drawing or dragging*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Lucret.* 2. 207. longos flammarum ducere tractus. (Adde *Virg.* 1. *G.* 367. et *Lucan.* 2. 270.) *striscie di fuoco.* et *Virg.* 3. *G.* 182. Primus equi labor est lituosque pati tractuque gementem Ferre rotam. *Val. Flacc.* 6. 358. Ut bovis exuvias multo qui frangere olivo Dat famulis: tendunt illi tractuque vicissim Taurea terga domant. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 46. 70. (152). de *venatu canicularum*. Funem illi religatum ab humeris ejus trahunt, hunc dimicans læva quatit, modicus alias tractus. — *b*) *Tractus calami*, ductus, *tratto di penna*. *Propert.* 4. 3. 5. Aut si qua incerto fallet te littera tractu, Signa meæ dextræ jam morientis erunt. — *c*) *Tractus corporis*, motus, quo corpus aliquo modo trahitur et movetur. *Quintil.* 6. 3. 7. Risus non solum facto aliquo dictove, sed interdum quodam etiam corporis tractu lacessitur. *tratto di vita.* Sed alii rectius *tactu*. — *d*) *Tractus aquæ*, haustus, potus: eo modo, quo *trahere, ducere pocula* dicimus. *Lucan.* 4. 368. Continuus multis subitarum tractus aquarum, Aera non passus vacuis discurrere venis, Artavit clausitque animam. *V.* LYMPHIGER. — *e*) De serpentibus et humi corpus trahentibus, *striscio*, συρμός. *Virg.* 2. *G.* 154. Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Ovid.* 15. *Met.* 725. Litoream tractu squamæ crepitantis arenam Sulcat. *Claudian. B. Get.* 22. Insopitisque refusum Tractibus aurati custodem velleris anguem. *Id. II. cons. Stilich.* 172. draco reptavit placido tractu. — *f*) Sæpe de rebus in longum productis. *Ovid.* 6. *Met.* 20. repetitaque longo Vellera mollibat nebulas æquantia tractu. *lungo e sottilissimo filo.* — Sic de longo aquarum cursu. *Lucan.* 5. 565. longo per multa volumina tractu Æstuat unda minax. *Id.* 10. 257. Æquoreosque sales longo mitescere tractu. *h. e.* cursu fluminis Nili. Cf. *eumd.* 3. 551. puppes Sulcato varios duxerunt gurgite tractus. — De cursu et flatu ventorum. *Val. Flacc.* 1. 614. venti Induxere hiemem raucoque ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 2. *Met.* 320. Phaethon Volvitur in præceps longoque per aera tractu Fertur. *Cic.* 2. *Orat.* 50. 202. Quod tuum principium, dii immortales, fuit! qui timor! quæ dubitatio! quanta hæsitatio tractusque verborum! *h. e.* lenta et in longum ducta pronuntiatio. *et ibid.* 13. 54. Neque verborum collocatione et tractu orationis leni et æquabili perpolivit illud opus. *Quintil.* 4. 2. *ad fin.* Figuræ sint, quæ varietate tædium effugiant et mutationibus animum levent, ne in eumdem casum, similem compositionem pares elocutionum tractus incidamus. *lunghe tirate.* et *Tac.* 15. *Ann.* 64. Durante tractu et lentitudine mortis. *et ibid.* 10. Eludere hostem tractu belli. *col tirare in lungo.* et *Val. Flacc.* 2. 664. has inter variis nox plurima dictis Rapta vices, nec non simili lux postera tractu. *h. e.* simili longo sermone. *Plin.* 5. *Ep.* 8. *a med.* Historia maxime di, amaritudine, instantia; oratio tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet. *amplificazione.* ¶ 2. Speciatim sæpe dicitur de parte cæli vel terræ, plaga, regione, *tratto, paese, clima*: et de quocumque spatio. *Cæs.* 3. *B. C.* 112. Hoc tractu oppidi pars erat regionis exigua. *Cic. Planc.* 9. 22. Totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Allifanus, tota illa aspera et montuosa regio. *Virg.* 3. *Æn.* 138. lues tabida membris, Corrupto cæli tractu, miserandaque venit. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 22. Tractus uter plures lepores, uter educat apros. *Id.* 4. *Od.* 2. 26. tendere in altos nubium tractus. *Liv.* 3. 28. Contemplatus, qui tractus castrorum, quæque forma esset, *estensione, spazio.* et *Lucan.* 2. 629. Nec licet ad duros Martem convertere Iberos, Quum mediæ jaceant immensis tractibus Alpes. *Claudian.* 1. *in Rufin. præf.* 7. spatiosis tractibus orni Securas ventis explicuere comas. *Id.* 3. *Rapt. Pros.* 9. Cælitibus ordine sedes Prima datur: tractum proceres tenuere secundum Æquorei. *la seconda panca, la seconda fila di scranne.* et *Virg.* 2. *G.* 182. tractu surgens oleaster eodem. Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (187). Genera vitium separari ac singula censeri tractibus, utilissimum. ¶ 3. Item de cursu et spatio temporis. *Lucret.* 1. 1002. Quod neque clara suo percurrere flumina cursu Perpetuo possint ævi labentia tractu. Adde 5. 1215. *Vellej.* 2. 9. 1. Eodem tractu temporum nituerunt oratores etc. *Val. Max.* 8. 13. *n.* 2. *extern. de senectute.* Quid isto tractu ætatis aut longius aut beatius. — *Tractum habere*, temporis spatium habere. *Ulp. Dig.* 32. 1. 11. *ante med.* Hoc legatum, *Quum voluerit*, tractum habet, quamdiu vivat is, a quo etc. ¶ 4. Apud Grammaticos est inflexio, declinatio. *Quintil.* 8. 3. *ante med.* In tractu et declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem beatitas et beatitudo. *sc.* inflexione, qua verbum aliquod in varias positiones trahitur, ducitur et mutatur.

**TRĀDENS**, entis, particip. *V.* TRADO.

**TRĀDĬTĬO**, ōnis, f. 3. (trado) actus tradendi, datio, παράδοσις (It. *il dare o consegnare*, Fr. *transmission, livraison, remise*; Hisp. *transmision, entrega*; Germ. *die Uebergebung, Auslieferung*; Angl. *a delivering or givingup*).

I.) Proprie. — 1.°) In bonam partem. — *a*) Cum Genet. rei vel personæ, quæ traditur. *Liv.* 32. 14, 33. 31. et 34. 30. Traditio urbis. *consegna della piazza dopo la resa.* et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 4. (9). Sulla dictator traditione Jugurthæ semper signavit. *h. e.*, ut ait *Val. Max.* 8. 14. *n.* 4., annulo, quo signatorio utebatur, insculptam habuit traditionem Jugurthæ sibi a Boccho rege factam: de qua V. *Sall. Jug. sub fin.* — *b*) Cum Dat. personæ, cui quid traditur. *Cic. Top.* 5. *extr.* Abalienatio est rei traditio alteri nexu etc. — 2.°) In malam partem, datio rei contra fidem, *tradimento*. *Augustin.* 7. *Bapt.* 2. et in *Ps.* 93. *n.* 28. Traditio Christi.

II.) Translate. ¶ 1. Est institutio, doctrina. *Quintil.* 12. 11. *ante med.* Quælibet ex iis artibus in paucos libros contrahi solet. adeo infinito spatio ac traditione opus non est. *Id.* 3. 1. *sub init.* Ne jejuna atque arida (*præceptorum*) traditio averteret animos. Adde *Gell.* 3. 19. *in lemmate.* *Lactant.* 7. 8. Veritatem divina traditione cognovisse. *Vulg. interpr. Marc.* 7. 3. Traditio seniorum. — In plur. num. *Id. Act.* 6. 14. et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 1. 7. ¶ 2. Item relatio, narratio, *relazione, ragguaglio, racconto.* *Tac.* 16. *Ann.* 16. *extr.* Datur hoc illustrium virorum posteritati, ut, quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam. *h. e.* in tradenda posteris eorum morte per historiam. ¶ 3. De opinione veteri et per manus veluti tradita, cui vulgo assentimur, *tradizione.* *Gell.* 13. 22. *a med.* Apparet non id poetice a Plauto dictum, sed eam quoque traditionem fuisse, ut Nerio a quibusdam uxor esse Martis diceretur. *Id.* 16. 5. Incompertam et vulgariam traditionem rei non exploratæ secuti. *Id.* 8. 1. in *lemmate.* Traditio grammatica. *Cod. Theod.* 16. 6. 2. Quod euangeliorum et apostolorum fides et traditio incorrupta servavit. *sc.* præceptum doctrinæ tractu temporis propagatum.

**TRĀDĬTOR**, ōris, m. 3. (trado) qui dat, qui tradit, *che dà o consegna*, δότης.

I.) Proprie sumitur in malam partem, et est qui contra fidem dat, *traditore*, προδότης. *Tac.* 4. *Hist.* 24. Quin potius interfecto traditore etc. *Ursin.* et *Acidal.* suspicantur, corruptam vocem esse et *proditore* legendum. *Sedul.* ad Judam, 5. 61. Traditor immitis, fere proditor, impie latro. Adde *Vulg. interpr. Marc.* 14. 44. et *Cyprian. De bon. patient.* 6. et alibi. — *Traditores* speciatim dicti sunt, qui ex Christianis, tempore persecutionis, libros sacros ethnicis tradebant. *Augustin.* 7. *Bapt.* 2.

II.) Translate. *Arnob.* 3. *p.* 113. Neque traditor alicujus esse scientiæ potis est, ut non ejus quod tradit, rationem teneat. *h. e.* doctor, *insegnatore.* Adde *Tertull. Cor. Mil.* 4. *sub fin.*

**TRĀDĪTUS** *et* transditus, a, um, particip. *V.* TRADO.

**TRĀDĪTUS**, us, m. 4. (trado) idem ac traditio. In sexto casu. *Jul. Valer.* 1. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 31. Accepisse tamen traditu veteri, Jovis ac Junonis templum illud fuisse.

**TRĀDO** *et* transdo, trādis, trādĭdi, trādĭtum, trādere, a. 3. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, « frequenter, inquit *Forcellinus*, legere est in libris *transditus*, retenta scilicet integra præpositione componente: sic *transdo* pro *trado*, *transno* pro *trano*, *transjicio* pro *trajicio* et alia multa: quæ scriptio antiquitatem sapere videtur: nec tamen est improbanda. Admittitur enim a grammaticis et habetur in optim. MSS. *Cæs.* non unis. Contra *trafero* et *tralatus* et *tramitto* et *traveho* et *traverto* et *travolo*, in probatis Codicib. etiam *Ciceronis* legi multi testantur. *Donat.* ad illud *Ter. Phorm. prol.* 2. transdere hominem in otium: Veteres, inquit, *transdere* sonantius, quod nos lenius dicimus *tradere*: ut *tralatum*, non *translatum*, e contrario. *Cic.* 16. *Att.* 3. Ἀρχέτυπον tralatum in macrocolum. *et Inscr.* apud *Gruter.* 662. 8. Isdem corporibus tralatis. Sic *Cic.* 1. *Fam.* 4. Qui a te causam regiam alio traferebant. Alii plerique leg. *transferebant.* (*V.* TRANSFERO) *Cæs.* 7. *B. G.* 12. Parte jam obsidum transdita. *Id.* 3. *B. C.* 57. Transditus et commendatus. In legibus XII. Tab. apud *Fest.* in *Sub vos p.* 309. 34. *Müll.* Transque dato endoque plorato. *h. e.* transdito ». — *b*) Præter *tradedit* pro *tradidit* in *Inscr.* apud *Le Blant. Inscr. Chrét. de la Gaul. T.* 1. *p.* 9. — Formam *traditu iri* pro *traditum iri* V. in PRÆSTO, as. — Item *tradier* paragoge pro *tradi* apud *Plaut. Most.* 1. 1. 16. et *Ter. Adelph.* 2. 1. 46. — Part. *Tradens* I. 1. 1.°; *Traditus* fere in omn. paragr.; *Traditurus* I. 1. 2.° et 2.; *Tradendus* II. 5. — Trado proprie est de manu in manum transfero, do, porrigo, παραδίδωμι (*It. dare, consegnare, dare in mano*; Fr. *mettre dans la main d'un autre, transmettre, remettre, li-*

vrer; Hisp. *transmitir, remeter, entregar*; Germ. *übergeben, überliefern, abgeben, hingeben*, Angl. *to give, consign, deliver*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Acc. tantum. *Liv.* 34. 29. Miserat ad legatum Romanum, traditurum se urbem. — Passive. *Cæs.* 1. *B. G.* 27. Ne, armis traditis, supplicio afficerentur. *et ibid.* 28. Obsides, arma, perfugæ traditi. *Ovid.* 3. *Fast.* 280. Cœptaque sunt pure tradita sacra coli. — *b*) Addito Dat. personæ aut rei, cui quis vel quid traditur. *Plaut. Asin.* 3. 3. 99. mi patrone, mihi trade istuc. magis decorum est, Libertum potius, quam patronum, onus in via portare. *Id. Curc. a.* 3. *v.* 15. Ego hoc effectum lepide tibi tradam. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 34. custodem me illi miles tradidit. Adde *Enn. fr.* 228. *Ribb. Cæs.* 7. *B. G.* 77. *a med.* Transdere se hostibus. *Id.* 1. *B. C.* 68. Saxa prærupta iter impediebant, ut arma per manus necessario transderentur militesque inermes magnam partem itineris conficerent. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 51. Qui testamentum tradet tibi cumque legendum. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. *a med.* Poculum alicui tradere. *Ovid.* 14. *Met.* 335. Hæc ubi nubilibus primum maturuit annis, Præposito cunctis Laurenti tradita Pico est. *fu data in isposa.* et *Nepos Alcib.* 7. Alcibiadi tota respublica domi bellique tradita. *h. e.* commissa. *Ovid.* 4. *Fast.* 52. post illum tradita regna Procæ. *Sueton. Vitell.* 14. Tradere aliquem supplicio. *Seneca Med.* 477. neci. *mettere a morte.* et *Thyest.* 1091. igni. *et Troad.* 1110. artus tumulo. *Id. Œdip.* 489. virginem thalamis. *maritare.* Sic *Tac.* 4. *Ann.* 40. filiam suam alicui. *Phædr.* 1. 28. aquila Incolumes natos supplex vulpi tradidit. *h. e.* reddidit. — *c*) Addito Acc. personæ aut rei, cui quis vel quid traditur, et præp. *ad, in. Plaut. Rud.* 3. 6. 19. Tradere aliquem ad carnificem. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 4. *ad fin.* in custodiam vel in pistrinum. Sic *Sall. Cat.* 40. *ad fin.* in custodiam. *consegnare in prigione.* et *Nepos Phoc.* 4. ad supplicium. *Liv.* 5. 27. Tradere aliquid cuipiam in potestatem. *Id.* 37. 9. *a med.* Legationes tradentes in fidem civitates suas benigne audivit. *Id.* 24. 4. Ea, quæ in Insula erat, Achradinam tradita est. — *Tradere in manum*, dare utendum aliquid vel possidendum, vel aliquem puniendum, *consegnare, dare in mano od in potere. Plaut. Merc.* 2. 2. 6. Istos rastros villico ipsi facito coram ut tradas in manum. *Liv.* 26. 12. Tradere urbem in manum hostium. Alii leg. *in manu.* Sic *Flor.* 3. 1. *sub fin.* Jugurtha traditus Sullæ in manu. *Vulg. interpr. Ps.* 9. 36. Ut tradas eos in manus tuas. (Cf. *Hieronym.* 6. in *Is.* 14. 6.) — *Tradere in animam* vel *animas*, permittere libidini, subjicere potestati, apud *eumd. Ps.* 26. 12. — *Tradere in fugam*, fugæ committere, dare. *Accius fr.* 630. *Ribb.* Remisque nixi properiter navem in fugam transdant. — *Tradere venum*, sc. *ad venum*, venumdare. *Lucan.* 4. 206. seque et sua tradita venum Castra videt. — *d*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 26. 1. tristitiam et metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis. *Vulg. interpr. Act.* 7. 42. Tradidit eos servire militiæ cæli. *lasciò.* ¶ 2. Speciatim contra fas et fidem quippiam dare. *Cic. Dom.* 23. *a med.* Integerrimas pacatissimasque gentes alicui ad diripiendum tradere. *Id. Prov. cons.* 5. 10. Publicanos miseros tradidit in servitutem Judæis. *Id. Rosc. Am.* 22. 61. Quem dedi putabas, defendi intelligis: quos tradituros sperabas, vides judicare. *Ovid.* 8. *Met.* 91. tibi trado patriosque meosque Penates. ¶ 3. Hinc est prodere, *tradire. Claudian.* 2. *in Rufin.* 261. Tradimur, heu! tantumque sequi pro bibemur amorem. *Sedul. hymn.* 2. 73. Tunc ille Judas carnifex Ausus magistrum tradere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Lucret.* 4. 302. Fit quoque de speculo in speculum ut tradatur imago. *h. e.* transferatur, transmittatur (*ibid.* 308. e speculo in speculum traluceat imago). *Id.* 6. 789. Multa modis multis multarum semina rerum Quod permixta gerit tellus discretaque tradit. *Sall. Jug.* 34. Leges, majestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. *date in potere, in balia, tradite.* Similiter *Ter. Phorm.* 2. 1. 7. Tradere causam adversariis. *Justin.* 6. 6. *extr.* Per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. hoc est enim signum apud Græcos victoriæ traditæ. *della vittoria ceduta.* — *b*) *Tradere memoriæ*, mandare, *mettersi a mente. Cic. Somn. Scip.* 1. *extr.* Ades animo et omitte timorem et, quæ dicam, trade memoriæ. — Alio sensu *V.* infra. — *c*) *Tradere se alicui rei* vel *in aliquid*, se adjicere, dedere, *applicarsi, darsi. Luccej.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 14. Lacrimis ac tristitiæ se tradere. Sic *Nepos Dion.* 2. Se totum ei (*Platoni*) traderet. *Plin.* 1. *Ep.* 9. *sub fin.* Tradere se studiis aut otio. *Cic. Amic.* 23. 86. se totum voluptatibus. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 61. se quieti. *porsi a dormire.* et 2. *Phil.* 2. 3. se in disciplinam alicujus. *Id.* 1. *Invent.* 3. *ad fin.* Ex seditiosa et tumultuosa vita tradere se in studium aliquod quietum. — *d*) *Tradere palmam*, et absolute *tradere*, est victoriam alteri cedere. *Seneca* 5. *Benef.* 3. Luctator ter abjectus perdidit palmam, non tradidit. *et mox.* Victorem facit non judex, sed vox cedentis et tradere jubentis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (51). Ut non puderet inviso alias et ostentatuto tradere palmam. *Sueton. Ner.* 45. Cum inscriptione Græca: Nunc demum agona esse et traderet tandem. *V.* CIRRUS. — *e*) Tradere pueros magistris. *Ovid.* 1. *Amor.* 13. 17. et *Cic.* 3. *Tusc.* 1. 2., scilicet erudiendos. ¶ 2. Speciatim est permittere, concedere. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Si decessisset et liberam possessionem sibi tradidisset. ¶ 3. Item afferre. *Nepos fr. ep. Corn.* 12. *Stav.* Neminem inimicum tantum molestiæ tantumque laboris, quantum te ob has res, mihi tradidisse. ¶ 4. Item est offerre aliquid alicui tuendum, ornandum. *Plaut. Most.* 2. 1. 59. In tuam custodiam meque et meas spes trado. *Cæs.* 3. *B. C.* 57. Tradere et commendare aliquem alicui. *Cic.* 7. *Fam.* 17. *a med.* Commendare et tradere alicui quempiam. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 3. rogat, ut tibi se laudare et tradere coner. *Cic.* 7. *Fam.* 6. *sub fin.* Totum denique hominem tibi ita trado de manu, ut ajunt, in manum tuam istam, victoria et fide præstantem. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 9. 47. ¶ 5. Item pro transmittere, relinquere, *tramandare, far passare. Plaut. Trin.* 3. 2. 16. Itane majores famam tradiderunt tibi tui, ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes? *Id. Men.* 2. 3. 59. qui in morte regnum Hieroni tradidit. *Cæs.* 7. *B. G.* 57. Summa imperii transditur Camulogeno. *et ibid.* 8. Cingetorigi principatus atque imperium transditum est. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Tenero pueri animo persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Plerumque morbi quoque per successiones quasdam, ut alia, traduntur. *Sil. It.* 4. 32. traduntque metus. *fanno passare, comunicano la paura l'uno all' altro.* et *Cæs.* 4. *B. G.* 7. Germanorum consuetudo hæc est, a majoribus tradita, quicumque bellum inferant, resistere. *tramandata.* Sic *Horat.* 1. *Sat.* 4. 117. Traditum ab antiquis morem servare. *Tibull.* 2. 1. 2. Ritus ut a prisco traditus exstat avo. ¶ 6. Hinc *tradere* dicuntur quicumque rerum gestarum memoriam scribendo pervenire ad posteros faciunt. — 1.°) Cum Acc., sequente sæpe Dat. *Cic.* 1 *Divinat.* 53. 121. Signa ejus generis, qualia permulta historia tradidit. *Id.* 2. *Invent.* 1. *ad fin.* Quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt. *Id.* 3. *Orat.* 16. *a med.* Cujus ingenium immortalitati scriptis suis Plato tradidit. *Liv.* 8. 10. Ejus pugnæ memoriam posteris tradiderunt. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. *Val. Flacc.* 2. 166. Obvia quæque eadem traditque auditque: neque ulli Vana fides. *Liv.* 2. 8. *ad fin.* Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum nec interpretatio est facilis. *si dà come o per certo.* — 2.°) Cum Infinito. — *a*) Personaliter. *Id.* 3. 67. Hoc posteris memoriæ traditum iri, Æquos et Volscos ad mœnia urbis Romæ impune armatos venisse. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 24. 34. (71). Tradit Fabius Pictor in Annalibus suis, hirundinem a pullis adlatam etc. — *b*) Impersonaliter *tradunt*, narrant, dicunt; et *traditur* vel *traditum est* etc., dicitur vel dictum est etc., *si dice, si racconta o fu detto, raccontato ecc. Liv.* 1. 31. *ad fin.* Ipsum regem tradunt operatum his sacris se abdidisse. Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 36. (115). *Cic. Sext.* 67. *a med.* Traditur Aristides unus omnium justissimus fuisse. *Frontin. loc.* infra *cit.* non esse aquam Marciam sed Anionem in Capitolium perducendum. — 3.°) Cum partic. interrogativa. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Unguenta quis primus invenerit, non traditur. *Curt.* 9. 4. 20. *Foss.* Haud traditur, metune an oborta seditione inter ipsos. — 4.°) Cum Abl. et præp. *de. Frontin. Aquæd.* 7. De hoc enim traditur. ¶ 7. Pro docere, *insegnare. Cic.* 4. *Fin.* 4. 9. Quæ dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis inventa sunt? *et mox.* Via et artificio aliquid tradere. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. *sub fin.* Tradere elementa loquendi. *Id.* 1. *Orat.* 18. *sub fin.* Rhetores qui dicendi præcepta tradunt. *Id.* 2. *Divinat.* 1. 1. Optimarum artium vias tradere suis civibus. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 17. — Præcipue dicitur de iis, qui sacra et religiones docent. Loca scriptorum congessit *Broukus.* ad illud *Tibull.* supra *cit.* Ritus ut a prisco traditus exstat avo. Sunt autem *Cæs.* 6. *B. G.* 14., *Cic.* 1. *Divinat.* 41. 92. et 2. *Legg.* 11. 27. et *Ovid.* 11. *Met.* 90. ¶ 8. Item sacrum facere. *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1868. *p.* 93. TRADIDERVNT PERSICA TRADIDERVNT HELIACA. Adde *ibid. p.* 94.

TRĀDŬCĬĀNUS, a, um, adject. (tradux) qui per traducem venit. *Julian.* apud *Mar. Mercat. Subnot.* 7. 2. Male et stulte traducianum ex Adam creditur esse peccatum. — Hinc

*Traducianus*, i, m. 2. absolute, substantivorum more, qui peccatum originarium per traducem ex Adam provenisse credit. *Augustin. contra Julian.* 1. *Op. imperf.* 6. Contumelioso ore traducianos vocas Cyprianum, Ambrosium, Gregorium ceterosque socios eorum confitentes originale peccatum. Sed non est mirum, quod novi hæretici catbolicis, a quibus exeunt, novum nomen imponunt: hoc et alii fecerunt, quando similiter exierunt. Adde 6. *ibid.* 14. *Mar. Mercat.* 11. Quomodo et tu traducianus es? neque enim mors ipsa nisi per transitum seu traducem venit.

TRĀDŬCĬĀNUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

TRĀDŪCĬBĬLIS, e, adject. (traduco) qui tradaci seu transmitti potest, *trasmissibile. Chalcid. Tim. p.* 12. Alterum nulla persuasione traducibile. ἀκίνητον πειθοῖ.

TRADŪCO et transduco, dūcis, duxi, ductum, dūcere, a. 3. De scriptione *transduco* V. dicta in TRADO init. — *Traduxti* pro *traduxisti* est *Plaut. Cas.* 3. 3. 16. — *Traduce* imperat., pro traduc, apud *Ter. Heaut. loc. cit.* Cf. et *Adelph. loc. cit.* Sic *transduc* apocop. est *Val. Max.* 4. 1. 10. *p.* 168. 7. *H.* — Part. *Traductus* fere in omn. paragr.; *Traducturus* II. 3.; *Traducendus* II. 6. — Traduco est de loco in locum duco, transveho, trajicio, transfero, per locum aliquem duco, διάγω (It. *condurre di là, far passare, trasferire, trasportare*; Fr. *conduire au delà, faire passer, amener*; Hisp. *transportar, menear, conducir mas allá*; Germ. *hinüberführen, hinbringen*; Angl. *to bring or carry over or past, transport, transfer*).

I.) Proprie. — *a*) Cum uno Acc. tantum. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Pontem faciendum curat atque ita exercitum transducit. *Cic.* 2. *Invent.* 31. 97. Flumen subito accrevit et ea re traduci non potuerunt. *Liv.* 45. 39. Traducere victimas in triumpho. *condurre, portare.* et *Sueton. Cal.* 15. Carpento traduci in pompa. — *Cic. Cluent.* 48. 134. Traducere equum. *passar banda al cavallo*, in transvectione; quum nempe equites censores non adempto equo transeunt. — *b*) Cum duplici Acc., sc. personæ vel rei, quæ traducitur, et loci, ultra quem traducitur. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Cæsar certior factus, tres copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse. *Id.* 2. *ibid.* 5. Flumen Axonam exercitum transducere maturavit. *et ibid.* 10. Omnem equitatum pontem transducit. *et ibid.*

*is*. Germanos Rhenum antiquitus transductos. *Auct. B. G.* 8. 13. Quos Cæsar transduxerat Rhenum. *Liv.* 9. 39. Exercitus traductus silvam Ciminiam. *Id.* 21. 23. duodecim milia equitum Iberum traduxit. *Id.* 9. 39. Liguribus traductis Padum ager est assignatus. Adde 22. 45. *et* 44. 27. — *c*) Vel cum altero Acc. per præp. *trans, præter, per*. *Cæs.* 1. *B. G.* 35. Transducere multitudinem hominum trans Rhenum. *Id. ibid.* 48. copias præter castra. *et ibid.* 11. Helvetii per angustias et fines Sequanorum suas copias transduxerant. *Ulp. Dig.* 6. 2. 11. Aquæductum per domum alicujus transducere. *Paul. ibid.* 11. 1. 29. Linea in directum per insulam traducta. *tirata*. — *d*) Vel cum altero Acc. termini, ad quem, per præp. *ad, in*. *Plaut. Cas.* 3. 3. 16. Jamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam, quæ te adjutaret? *Ter. Adelph.* 5. 7. 12. Traduce et matrem et familiam omnem ad nos. *Alii leg.* traduc. *Varro* 1. *R. R.* 8. Ex arboribus in arbores traductis vitibus, vinea fit. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. (*et ibid.* 42.) Traducere cohortes in castra ad se. *Id.* 1. *B. G.* 35. multitudinem hominum in Galliam. *Liv.* 36. 3. regem Antiochum in Europam. *Id.* 40. 25. exercitum ex Gallia in Ligures. *Cæs* 6. *B. G.* 39. *ad fin.* Centuriones causa virtutis in superiores ordines hujus legionis transducti. — *e*) Cum adverb. motus ad loc. *Virg.* 8. *Ecl.* 99. Atque satas alio vidi traducere messes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Att.* 18. *a med.* C. Herennius trib. pl. ad plebem P. Clodium traducit. *h. e.* ex patricio plebejum facit. *Sueton. Cal.* 12. Augur destinatus, priusquam inauguraretur, ad pontificatum traductus est. *Cic. Orat.* 57. 192. Orationem vult plenam esse gravitatis, ut eos, qui audient, ad majorem admirationem possit traducere. ¶ 2. Speciatim pro convertere. — *a*) Cum Acc., cui additur terminus, ad quem, per Acc. et præp. *ad, in*. *Id. Cluent.* 52. *ad fin.* Traduxit me ad suam sententiam. *mi tirò nel suo parere.* et *Ovid.* 15. *Met.* 483. *de Numa.* gentemque feroci Assuetam bello pacis traduxit ad artes. *Varro* 9. *L. L.* 11. *Müll.* Traducere aliquem e mala consuetudine in meliorem. *Cic.* 1. *Fam.* 2. *a med.* Ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. *et* 2. *Orat.* 48. *ad fin.* Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Cæpionis fugam. *Id. Brut.* 93. *ad fin.* Animos judicum a severitate paullisper ad hilaritatem risumque traducere. *Virg.* 3. *G.* 157. Post partum cura in vitulos traducitur omnis. *Seneca* 2. *Ira* 13. *extr.* Sine ira facilius scelera tollentur, mali punientur et traducentur in melius. *Justin.* 44. 5. 8. Traducere populum barbarum ac ferum legibus ad cultiorem usum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 75. (197). Inventum est ex veris gemmis in alterius generis falsas traducere. — *b*) Vel per Dat. *Tibull.* 1. 1. 9. Me mea paupertas vitæ traducat inerti. *h. e.* transferat me a vita contentionis et negotii plena ad otiosam et desidem. ¶ 3. Item *traducere aliquem* est ostentui habere, spectandum proponere, derisui exponere, diffamare: quasi ducere per ora hominum. *Liv.* 2. 38. Vestras conjuges, vestros liberos traductos per ora hominum. *Petron. Sat.* 132. Hoc de te merui, ut traduceres annos primo florentes vigore? *Seneca* 4. *Benef.* 32. *a med.* Hic corpore deformis est, adspectu fœdus et ornamenta sua traducturus. *Juvenal.* 8. 16. Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum Squalentes traducit avos. *svergogna*, dedecorat. *Martial.* 6. 77. Rideris multoque magis traduceris, Afer, Quam nudus medio si spatiere foro. *sei mostrato a dito.* et 3. 74. Desine, si pudor, est, miseram traducere calvam. *Seneca Ep.* 100. *ad fin.* Luxuriam objurgare, libidinem traducere, impotentiam frangere. *Justin.* 36. 1. 5. Traductus per ora civitatium, populis in ludibrium favoris ostenditur. *Sueton. Tit.* 8. *ad fin.* Delatores flagellis cæsi ac traducti per amphitheatri arenam. *scil.* ludibrii causa. *Petron. Sat.* 87. Despectum se et derisum traductumque inter discipulos. Adde *Vulg. interpr. Matth.* 1. 19. et *Col.* 2. 15. — *Traducere collusorem* dicitur a *Seneca* 2. *Benef.* 17. *a med.* malignus lusor, qui eum fallit et ludibrio exponit, ita mittendo pilam, ut non possit recte excipere et remittere. ¶ 4. Hinc *traducere se*, se ostendere, se spectandum præbere, *farsi vedere*. *Juvenal.* 11. 30. nec enim loricam poscit Achillis Thersites: in qua se traducebat Ulysses Ancipitem. *h. e.* quamvis loricam Achillis judicio militari obtinuisset, tamen ea se indutum anceps animi conspiciendum dabat, veritus, ne sibi parum conveniret et ludibrii causa esset. ¶ 5. Et *traducere aliquid* est palam facere, vulgare, diffamare. *Petron. Sat.* 17. *extr.* Peto et oro, ne traducere velitis tot annorum secreta. *Id. fragm. Tragur.* 41. *Burmann.* Poemata domini sui acutissima voce traduxit. *h. e.* cantando ostentavit et nota fecit. *Martial.* 1. 54. Quæ tua traducit manifesto carmina furto. ¶ 6. Item *traducere tempus, vitam*, agere, transigere, *passare, menare*. *Cic.* 4. *Fam.* 6. *sub fin.* Ut commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus. *Id.* 3. *Tusc.* 11. 25. Vitam tranquille placideque traducere. *Sil. It.* 9. 4. consul traducere noctem Exsomnis. *Petron. Sat.* 14. Ipsi qui Cynica traducunt tempora cena. *Cic. Senect.* 23. 82. Otiosam ætatem et quietam, sine ullo labore et contentione traducere. *Id. Planc.* 12. *ad fin.* O adulescentiam traductam eleganter! *August.* apud *Gell.* 15. 7. Traducere quantumcumque superest temporis. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 97. leniter ævum. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 67. — Huc pertinet illud *Cic.* 5. *Att.* 9. Faciam denique, ut summa modestia et summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. *h. e.* hanc provinciæ administrationem. ¶ 7. Apud Grammaticos *traducere verbum* — *a*) Est ab uno in alium sensum transferre, μεταφέρειν. *Gell.* 17. 2. *circa med.* Græci ἐφόδιον a sumptu viæ ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt. — *b*) Et ab una in aliam linguam. *Id.* 1. 18. M. Varro L. Ælium errasse ostendit, quod vocabulum Græcum vetus traductum in linguam Romanam, proinde atque si primitus Latine fictum esset, resolverit in voces Latinas, ratione etymologica falsa. *h. e.* vocem *lepus* dici putarit, quasi *levipes:* quum sit vocabulum antiquum Græcum. — *c*) Et ab una voce aliam declinatione deducere. *Id.* 2. 6. *Jactare* multo fusius largiusque est, quam *jacere*, unde id verbum traductum est. *Id.* 17. 2. *circa med.* *Apprime* crebrius est, *cumprime* rarius: traductumque ex eo est, quod *cumprimis* dicebant pro eo, quod est *in primis*.

TRĀDUCTĬCĬUS *et* traductitius, a, um, adject. (traduco) idem ac traductivus. *Cassiod. De orthogr.* 6. Composita vel appellativa vel traducticia sive facticia; id est quæ ex aliis facta sunt, notare debemus, ut sequantur prototypa, id est primas positiones, ut novus novalis.

TRĀDUCTĬO *et* transductio, ōnis, f. 3. (traduco) actus traducendi et ex uno in alium locum transferendi, transvectio, *il far passare, traslazione, trasportamento*, διαγωγή, διακομιδή.

I.) Proprie. *Jul. Hyg.* apud *Charis. p.* 134. 19. *Keil.* Transductio Leucadiensis. *h. e.* apud Leucadiam. *Auson. Grat. act.* 4. Possem vocare Germanicum deditione gentilium; Alemannicum traductione captorum. Adde *Cod. Theod.* 5. 4. 3.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Sext.* 7. 15. Traductio ad plebem furibundi hominis ac perditi. *h. e.* translatio Clodii ex patricio ordine ad plebem. ¶ 2. Speciatim est ludibrium seu circumductio ante ora hominum ostensionis vel ludibrii causa. *Seneca* 1. *Ira* 6. Hic (*præses legum*) damnatum, cum dedecore et traductione vita exigit. *Id. Ep.* 85. *init.* Interrogationes ad traductionem nostram excogitatæ. *per isvergognarci e confonderci*. — Huc fortasse pertinet illud *Tertull. advers. Jud.* 9. Minantes traductionem uniuscujusque cordis. *Rigault.* exponit de vi gratiæ spiritalis, quæ divinorum præceptorum quasi sagittis conscientiam transadigit. ¶ 3. In re grammatica est translatio verbi ab uno sensu ad alium: quæ et metonymia dicitur. *Cic.* 3. *Orat.* 42. 167. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quamdam fabricationem habet, sed in oratione: Africa terribili tremit horrida terra tumultu. Pro Afris est sumpta Africa. ¶ 4. Est etiam hoc nomine alia figura rhetorica, qua idem verbum sæpius repetitur et quasi per aures audientium traducitur. *Cic.* 4. *Herenn.* 14. 20. Traductio est, quæ facit, ut quum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: Qui nihil habuit in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Item: Eum tu hominem appelles, qui si fuisset homo, numquam tam crudeliter vitam hominis petiisset. Item: Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. ¶ 5. Item alia, quæ idem verbum sæpius repetitur, sed alio sensu: quæ et paranomasia dicitur. *Id.* sic describit *Orat.* 39. 135. Quum continenter idem verbum in eadem sententia ponitur. *et Herenn. loc. cit.* Quum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re. *et ibid.* 21. 29. Quum ad res dissimiles similia verba accommodantur. *et Quintil.* 9. 3. *a med.* Translationem ejusdem verbi ab uno intellectu ad alium, ut si dicas cum *Ovidio*, Cur ego non dicam, Furia, te furiam? Aut, avium dulcedo ad avium ducit. Aut, cur eam rem tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas? ¶ 6. *Traductio temporis*, fluxus, cursus. *Cic.* 1. *Divinat.* 56. 127. Est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis et primum quidque replicantis. ¶ 7. In illo *Vulg. interpr. Sap.* 17. 14. Aliquando animæ deficiebant traductione. *traductio* videtur esse desperatio vel animi defectio.

TRĀDUCTĪTĬUS. *V.* TRADUCTICIUS.

TRĀDUCTĪVUS, a, um, adject, (traduco) qui aliunde trahitur, derivativus. *Mar. Victorin.* 3. *p.* 2552. *Putsch.* Hæc sola duo metra (dactylicum et iambicum) quamvis et iambicum heroi sit traductivum, utpote quum trimeter de hexametro manasse noscatur, hæc sola possunt prototyporum prototypa dici et omnium metrorum elementa.

TRĀDUCTOR, ōris, m. 3. (traduco) qui traducit seu transfert. *Cic.* 2. *Att.* 9. Sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem. *h. e.* Pompejus Hierosolymorum expugnator, qui Clodium a patricio ordine ad plebejum transtulerat.

TRĀDUCTUS *et* transductus, a. um, particip. *V.* TRADUCO.

TRĀDUCTUS, us, m. 4. (traduco) locus, per quem aliquid traduci potest, *transito*. *Ammian.* 18. 8. 2. Præsidium per eos traductus agentes. Alii leg. *tractus*. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 8. *extr.*

TRĀDUX, dŭcis, m. 3. (traduco) palmes vitis, unus vel plures, non terra mersus, sed alte et longe productus ac toro seu vinculo alteri arbori vel alterius vitis palmiti similiter extento connexus: quem nostrates rustici *tirella*, quidam *trasferito* dicunt, *tralcio di vite teso e legato ad altro albero*.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 8. *circa med.* Quartum est pedamentum nativum ejus generis, ubi, ex arboribus in arbores traductis vitibus, vinea fit: quos traduces quidam rumpos appellant. *Colum.* 5. *R. R.* 7. *ad fin.* Ut novi traduces omnibus annis inter se ex arboribus proximis connectantur et veteres decidantur. Si tradux traducem non contingit, media virga inter eos deligetur. quum deinde fructus pondere urgebit, subjectis adminiculis sustineatur. *Id.* 4. *ibid.* 29. *a med.* In insitione, quæ fit per terebrationem, primum de vicino fructuosissimam oportet considerare vitem, ex qua (velut traducem inhærentem matri) palmitem attrahas et per foramen transmittas. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211). Traduces Gallica cultura bini utrinque lateribus, si pars quadrageno distet spatio; quaterni, si viceno, inter se obvii misceantur alligenturque una conciliati, virgultorum comitatu obiter rigorati, qua deficiant: aut si brevitas non patiatur ipsorum, adalligato protendantur in viduam arborem unco. Traducem bimum præcidere

solebant etc. *Tac.* 2. *Hist.* 25. *a med.* In vineas nexu traducum impeditas refugere.

II.) Translate. *Rufin.* ex *Orig.* 1. περὶ ἀρχ. *præf.* 5. De anima vero, utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut etc. Cf. TRADUCIANUS. *Tertull. Præscript.* 20. A quibus (*Ecclesiis*) traducem fidei et semina doctrinæ ceteræ mutuatæ sunt. *Prudent. Apoth.* 983. Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis Transfundi in subolem credatur fons animarum. *h. e.* per carnem, quæ ab uno in alium quasi tradux propagatur. *Auct. Ætn.* 566. visere sacra marmora resve vetustas Traduce materia. *h. e.* adeo firma, ut opera ex illa facta ad posteros usque traduxerit: ductâ metaphorâ a vitibus, quæ traducum ope conservantur. *Jacob* tamen et *Haupt* leg. *traducti maria.* Porro hic *tradux*, adjectivi vel appositivi ritu, cum nomine feminini generis jungitur, ut *dux, advena, auctor* etc. *V.* in UMBILICARIS.

TRĀĔO. *V.* TRANSEO.

TRĀFĔRO. *V.* TRANSFERO.

TRĀFĪGO. *V.* TRANSFIGO.

TRĂGĂCANTHA, æ, f. 1. τραγακάνθα, herba in Creta nascens, spinæ albæ radice, ex qua lacrima manat varios habens in medicina usus. (*Astragalus Tragacantha* Linn.) Est ita appellata a τράγος, hircus, et ἄκανθα, spina. *Cels.* 5. 2. et *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 36. (115). *et* 26. *ibid.* 14. 87. (140). *et* 30. *ibid.* 9. 23. (78).

TRĂGĂCANTHUM, i, n. 2. Scribitur et *tragantum* vel *tracantum* apud *Pelagon. Veter.* 6., *Veget.* 2. *Veterin.* 4. et *Theod. Prisc. De diœt.* 9.; item *dragantum* apud *Plin. Valer.* 1. 47. *et* 50. et *Theod. Prisc.* 2. *Tard.* 9. *et* 16. — Tragacanthum est tragacanthæ herbæ sive arboris gummi, Italice *dragante* et *adraganti*, apud *Cels.* 4. 4. et 5. 13. et *Scribon. Compos.* 78. *et* 108. etc.

TRĂGĂCANTHĔUS, a, um, adject. (tragacanthum) ad tragacanthum pertinens. *Pelagon. Veter.* 6. 13.

TRĂGANTHES, is, f. 3. genus quoddam herbæ artemisiæ: a τράγος, hircus, et ἄνθος, flos. *Apul. Herb.* 11. Artemisiæ traganthis radicem ex melle dabis manducare.

TRĂGANTUM. *V.* TRAGACANTHUM.

TRĂGĀNUS, i, m. 2. porcellus hircum pilo et habitu corporis quodammodo referens.: a τράγος, hircus. *Apic.* 8. 7. *sub fin.*, ubi alii aliter leg.

TRĂGĔLĂPHUS, i, m. 2. τραγέλαφος, *irco-cervo*, animal juxta Phasin amnem nascens, barba et armorum promisso villo hirco simile, cetera cervo: unde et nomen sortitus est; nam τράγος hircum, ἔλαφος cervum significat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 50. (120)., ubi tamen recentiores Græcis litteris scriptum legunt. Adde *Solin.* 19. et *Boeth. Arist. anal. post.* 2. 7. V. HIRCOCERVUS.

TRĀGĒMA, ătis, n. 3. τράγημα, τρωκτά, τρωγάλια, cibus, qui crudus comedi solet et secundis mensis apponi, bellaria (It. *cibo da pospasto, treggéa*; Fr. *dessert, friandises*; Hisp. *postres, ramillete*; Germ. *der Nachtisch, das Naschwerk*; Angl. *junkets, sweetmeast*): a τρώγω, rodo, comedo. Græce adhibetur a *Gell.* 13. 11. et ab ejus exscriptore *Macrob.* 2. *Saturn.* 8. Latine *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (48). Palmulas plebejas Syri et Juba tragemata appellant. *et Plin. Valer.* 5. 7. *ad fin.* Tragemata etiam fugienda sunt, qualia sunt nuces, dactyli.

TRĀGĒMĂTĬUM, ĭi, n. 2. τραγημάτιον, deminut. tragematis. *Hieronym. Reg. S. Pachom. n.* 52. Si vero sint tragematia vel poma, dabit ei janitor ex his comedere.

TRĂGĬCĒ, adverb. τραγικῶς, more tragico, ritu tragicorum, *tragicamente.* — Translate adhibetur et est graviter, sublimiter, stilo gravi, verbis grandibus, quibus tragici utuntur. *Cic. Brut.* 11. 43. Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt. *Seneca Ep.* 100. *ad fin.* Volo luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi: sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile. *Cic.* 3. *Orat.* 8. 30. Res comicas tragice tractare. At recentiores hic leg. *tragicas comice.* Cf. *Non.* in v. *Remissum p.* 383. 16. *Merc.* et in v. *Hilare p.* 513. 32. *ibid.* Adde *Chalcid. Tim. p.* 143.

TRĂGĬCŌCŌMŒDĬA et per syncop.

TRĂGĬCŌMŒDĬA, æ, f. 1. genus fabulæ ex tragœdia et comœdia mixtæ, qualis est *Amphitruo Plauti*, eod. teste *ibid. prol.* 59. *et* 63.; ibi enim et dii, tragicæ personæ sunt, et servi, qui comicæ, inducuntur. Cf. *Lactant.* ad *Stat.* 4. *Theb.* 147.

TRĂGĬCUS, a, um, adject. τραγικός, ad tragœdiam pertinens, *tragico.*

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Cic. opt. gen. orat.* 1. 2. Pacuvius tragicus poeta. *Vitruv.* 5. 8. Genera scænarum tria, tragicum, comicum, satyricum. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 64. Tragici cothurni. *Id.* 1. *Ep.* 3. 14. Tragica ars. *Id. Art. P.* 220. carmen. *et ibid.* 275. Camena. *Juvenal.* 12. 120. cerva. *h. e.* quæ in tragœdia Iphigeniæ pro ea supposita dicitur. *Cic. Pis.* 20. 47. Tragico illo Oreste Athamante dementior. *h. e.* qui in tragœdiis inducitur ac describitur. — *b*) Latiore sensu refertur sæpe ad rationem loquendi in tragœdiis usurpatam, grandia verba, sublimem et gravem stilum. *Horat. Art. P.* 236. Tragicus color. *Cic. Brut.* 55. *a med.* Fuit Sulpicius vel maxime omnium grandis et, ut ita dicam, tragicus orator. *Id.* 2. *Orat.* 56. 227. Sunt hæc tragica atque divina: faceta autem et urbana etc. *Gell.* 2. 23. *sub fin.* Consarcinare verba tragici tumoris. *Martial.* 8. 18. Quum posset tragico fortius ore loqui. *Sueton. Cal.* 25. Tragicum illud subinde jactabat: Oderint, dum metuant. *Maximian. Eleg.* 1. 28. Tragicus cantus. *h. e.* maximo clamore et sono editus. — Absolute. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 166. Nam spirat tragicum satis et feliciter audet. *Capell.* 8. *p.* 273. Ni tragicum corrugaris.

II.) Translate dicitur de re atroci, crudeli, impia, funesta et ejusmodi, ut tragœdiæ argumentum esse possit, cum *Alfieri* pænedixerim Italice *tragediabile. Liv.* 1. 46. Tulit enim et Romana regia sceleris tragici exemplum. *Ovid.* 2. *Trist.* 407. Tempore deficiat, tragicos si persequar ignes. *h. e.* amores qui funestum exitum habuerunt et tragœdiis materiam præbent. *Juvenal.* 2. 29. tragico pollutus adulter Concubitu. *h. e.* scelerato, nefando. *Val. Max.* 5. 8. Patres tragicæ asperitatis. *Propert.* 2. 16. 29. Tum me vel tragicæ vexetis Erynnes. *h. e.* diræ, crudeles, cujusmodi inducuntur in tragœdiis Orestis, Penthei et similium. — Hinc

*Tragicus, i*, m. 2. absolute, substantivorum more, scriptor tragœdiarum aut actor. *Plaut. Pers.* 4. 2. 4. Satin estis meditati ? SAG. Tragici et comici numquam æque sunt meditati. Adde *Cic. opt. gen. orat.* 1. 2., *Quintil.* 8. 6. 26. et *Petron. Sat.* 132. *a med. Varro Sat. Men.* 31. *p.* 119. *Oehl.* Item tragici prodeunt cum capite gibbero. — *Tragicus*, κατ' ἐξοχήν, est Euripides, apud *Boeth.* 3. *Cons. phil. pr.* 6.

TRĀGĬON, ĭi, n. 2. τράγιον, genus fruticis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 36. (115). Tragion fruticem sola Creta insula gignit, terebintho similem et semine, quod contra sagittarum ictus efficacissimum tradunt. *Id.* 27. *ibid.* 13. 115. (141). Tragonis sive tragion nascitur in Cretæ tantum insulæ maritimis, junipero similis et semine et folio et ramis. Sucus ejus lacteus in gummi spissatus vel semen impositione spicula e corpore ejicit.

TRĀGLŪTĬO. *V.* TRANSGLUTIO.

TRĂGŌDŪMĔNA, ōrum, n. plur. 2. τραγῳδούμενα, τά, titulus libri Asclepiadis cujusdam, apud *Prob.* ad *Virg.* 3. *G.* 267., quo res significantur, quæ argumentum præbent tragœdiis conscribendis. Græce tamen legitur. *V.* ASCLEPIADES in ONOM.

TRĂGŒDĬA, æ, f. 1. (τραγῳδία) Dicta est a τράγος, hircus, et ᾠδή, cantus; quia præmium ejus, qui tragœdia vicisset, olim hircus erat, quem ille Dionyso sacrificabat. *Horat. Art. P.* 220. et 275. Cf. *Schneider Att. Theat. p.* 30. et *Schoemann Ant. Gr.* 17. *p.* 392. *tr. Pichl.* — Ad illud *Horat. loc. cit.* Ignotum tragicæ genus invenisse Camenæ Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis, Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora. hæc habet *Porphyr.* Ex hoc etiam putant quidam, tragœdiam appellatam quasi trygœdiam, quia fæcem τρύγα appellant, scilicet τρύξ, γός, Dorice τράξ, γός. — De ejus origine alii alia tradunt, quæ olim a comœdia non ita differebat. Apud Græcos tragœdiæ pater dici potest Æschylus; quam, dein etiam *prætextam* seu *prætextatam fabulam* dictam, apud Latinos primus coluit L. Andronicus. V. *Bernhardy Grundr.* etc. § 67. *p.* 405. et *seqq.* et *Mommsen St. Röm. v.* 2. *c.* 13. *tr. Sandr.* — Tragœdia est poematis gravissimi genus, quo regum principumve aut eorum, qui in aulis regum versantur, calamitates depinguntur, tristissimum fere habens exitum, *tragedia.* — Differt proprie a comœdia, quod in hac humiles et privatæ personæ introducantur; insuper comœdia, a turbulentioribus fere rebus initium sumens, tranquillum lætumque sortitur exitum: tragœdia vero totum quidem argumentum exitumque habet luctuosum.

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 7. 13. Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit. *h. e.* scripsit, docuit. *Id.* 11. *Phil.* 6. 13. Tragœdiam agere. *et Sueton. Cal.* 57. Pantomimus tragœdiam saltavit. *Horat* 2. *Od.* 1. 9. severæ Musa tragœdiæ. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 11. Venit et ingenti violenta Tragœdia passu: Fronte comæ torva, palla jacebat humi. *Id.* 2. *Trist.* 381. Omne genus scripti gravitate tragœdia vincit.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro magnificentia, magniloquentia, re ingenti, vel pro eo quod Græci dicunt πάθος. *Cic.* 1. *Orat.* 51. 219. Neque vero istis tragœdiis tuis, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor. — Hinc *tragœdias agere, movere, excitare*, est gravi dicendi genere uti, amplificare, exaggerare: interdum etiam tragicam seu luctuosam scænam excitare, tumultum commovere, seditionem concitare. *Id.* 2. *ibid.* 51. 205. Ne aut irrisione aut odio digni putemur, si aut tragœdias agamus in nugis etc. *Id. Mil.* 7. 18. Quantas tragœdias excitat! *Quintil.* 6. 1. *a med.* Nam in parvis litibus has tragœdias movere tale est, quasi si personam Herculis et cothurnos aptare infantibus velis. ¶ 2. Pro casu ærumnoso. *Lactant. De mort. persec.* 40. 3. Agebatur hæc tragœdia Nicææ. ¶ 3. De signo seu tabula usurpat *Plin.* 35. *Hist. nat.* 36. (78). Echionis sunt nobiles picturæ — Tragœdia et Comœdia. ¶ 4. *Tragœdia* etiam dicitur a *Plin. jun.* 9. *Ep.* 7. quædam villa. *V.* COMŒDIA.

TRĂGŒDĬŎGRĂPHUS, i, m. 2. τραγῳδιογράφος, tragœdiarum scriptor. *Mar. Victorin. p.* 2532. *Putsch.* Quod genus si hexametrum sit, Phrynichium (*lege* Philiscium) de auctoris tragœdiographi nomine nuncupabitur, aptum canendis laudibus Cereris et Bacchi. *Hieronym. Chron. Euseb. ad ann. MDLX. ab Abraham.* Aristarchus tragœdiographus agnoscitur. Adde *Mar. Victorin. Rhet.* 1. 19. et *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Ep.* 1. 52. *Schol. Cruq.* ad *eumd.* 1. *Sat.* 10. 42. Asinius Pollio optimus tragœdiographus. *Philargyr.* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 10. eumdem *tragœdiarum scriptorem* vocat.

TRĂGŒDUS, i, m. 2. τραγῳδός, actor tragœdiæ, *colui che recita tragedie. Cic.* 1. *Orat.* 28. 128. Vox tragœdorum, gestus pæne summorum actorum est requirendus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 129. Qui se credebat miros audire tragœdos. Adde *Quintil.* 1. 8. 6., ubi tamen hodie pro *tragœdi* leg. *tragœdiæ.* At *Klotz* leg. exponitque poetam tragicum. — Fuit hoc nomine Romæ vicus in regione Esquilina, apud *Sex. Ruf.*, in quo quia Jovis statua ab Augusto dedicata fuit, ut est apud *Sueton. Aug.* 57., is Juppiter Tragœdus appellatus est. Alii putant sic dictum Jovem, quod apud *Plaut. Amph.* inducatur histrionicam faciens: nam ea fabula mixta est ex tragœdia et comœdia. Fortasse etiam sic dictus est, quia tragœdi habitu indutus erat. Hæc *Forcellinus*; at recentiores hunc vicum *Sex. Rufi* auctoritate

fretum non agnoscunt, quamquam *Klotz* admittit.

TRĂGŎNIS, is, f. 3. herba eadem ac tragion. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 115. (141).

TRĂGŎPAN, ănis, f. 3. τραγόπαν, avis aquilâ major, cornua curva in temporibus habens, colore ferrugineo, capite puniceo. (*Vultur barbatus* Linn.) *Plin.* 10. *Hist. nat.* 49. 70. (136)., qui tamen inter fabulosas recenset. Adde *Melam* 3. 9. et *Solin.* 30.

TRĂGŎPHĂCOPTĪSĂNA, æ, f. 1. τραγοφακοπτισάνη, pultis genus ex lenticula, quæ Græce φακός dicitur: hæc autem vox ex tribus constat, id est ex τράγος, pultis genus e zeæ semine, φακός, lenticula, et πτισάνη, potio seu sorbitio ex quolibet semine vesco, ut est oryza, hordeum, zea etc. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 33. V. TRAGOPTISANA.

TRĂGŎPŌGON, ōnis, f. 3. τραγοπώγων, herba hircinæ barbæ similis, *barba di becco*: a τράγος, hircus, et πώγων, barba. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 117. (142). Est et tragopogon, quam alii comen vocant, caule parvo, foliis croci, radice longa, dulci, super caulem calyce lato, nigro. nascitur in asperis, sine usu. Cf. etiam 21. *ibid.* 15. 52. (89).

TRĂGOPTĪSĂNA, æ, f. 1. τραγοπτισάνη, pultis genus, quod sic exponit *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 33. Dabimus pultem ex pane vel tragoptisana atque posca et oleo et sale parvo confectam et anetho vel porro capitato, vel tragophacoptisana, quæ ex lenticula atque alica conficitur, sed erit assanda lenticula.

TRĂGŎRĪGĂNUM, i, n. et

TRĂGŎRĪGĂNUS, i, m. 2. τραγορίγανον et τραγορίγανος, herba serpyllo silvestri similis. (*Thymus tragoriganum* Linn.) *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 68. (176)., ubi et recenset ejus utilitates in medicina. Dicta est a τράγος, hircus, et *origanum*, quia hircis grata esse dicitur: et species origani est. — Mascul. gen. *tragoriganus* est apud *Cels.* 5. 11. et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. 158.

TRĂGOS, i, m. 2. (τράγος) ¶ 1. Est genus vepris. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 37. (116). Tragon et Asia fert, sive scorpionem, veprem sine foliis, racemis rubentibus ad medicinæ usum. *Id.* 27. *ibid.* 13. 166. (142). Est et alia herba tragos, quam aliqui scorpion vocant, semipedem alta, fruticosa, sine foliis, pusillis racemis rubentibus, grano tritici, acuto cacumine, in maritimis nascens. ¶ 2. Item genus pultis. *V.* TRAGUM. ¶ 3. Item genus spongiarum spissum ac prædurum et asperum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 69. (148). et 31. *ibid.* 11. 41. (133).

TRĂGŬLA, æ, f. 1. (traho) duo præcipue significat.

*A*) *Tragula*, quam vocem *Varro* 5. *L. L.* 115. *Müll.* a trajiciendo; at rectius a trahendo ducit *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 367. 16. *Müll.* « Tragula, genus teli, dicta, quod scuto infixa trahatur »: est genus teli missilis ceu hasta, *sorta d' arme da lanciare. Klotz* ex *Fabri* ad *Liv.* 21. 7. et *Herzog* ad *Cæs.* 1. *B. G.* 26. *et* 5. *ibid.* 48. exponit: « Ein Wurfspiess, der Gallier und Hispanier, mit einem Schwungriemen versehen, womit er wieder zurückgezogen werden konnte ». *V.* etiam *Gronov.* ad *Plaut. Cas.* 2. 4. 18.

I.) Proprie. *Lucil.* apud *Fest.* in *Spara p.* 330. 19. *Müll.* Tunc spara, tum rumices portantur, tragula porro. *Varro* apud *Non. p.* 553. 31. et 555. 22. *Merc.* Cervum sparo tragulave trajicere. *Sall. ibid. p.* 553. 29. *Merc.* (*Kritz.* 2. 25. p. 137.) Ictu tragulæ sauciari. *Cæs.* 5. *B. G.* 35. *a med.* T. Balventio utrumque femur tragula transjicitur. *Id. ibid.* 46. Tragulam mittere. *et* 1. *ibid.* 26. Inter carros rotasque mataras ac tragulas subjiciebant. *Auct. B. Hisp.* 32. Tragulis jaculisque pugnare. *Liv.* 24. 42. Scipionis femur tragula confixum erat. *Sil. It.* 3. 318. cui tragula semper Fulmineam armabat, celebratum missile, dextram. Adde *Gell.* 10. 25.

II.) Translate. *Plaut. Epid.* 5. 2. 25. Tragulam in te injicere adornat: nescio, quam fabricam facit. *h. e.* molitur insidias, fallaciam struit, dolum machinatur. Sic *Pseud.* 1. 4. 14. Volui injicere tragulam in nostrum senem: verum is, nescio quo pacto, præsensit prius. *Id. Cas.* 2. 4. 18. Ego pol istam jam aliquovorsum tragulam decidero. *h. e.* istas uxoris machinas dissolvam ac dejiciam. Ex hoc loco et ex verbis *Festi* allatis quidam suspicantur, tragulam hamatum telum fuisse, quod infixum corpori non evelli oporteret, sed recidi.

*B*) *Tragula*, quod *Scalig.* putat esse deminut. a *traha* vel *trahea* et scribend. *trahula* (V. infra.) ¶ 1. Est rete piscatorium subere instructum, quod et statarium dicitur, quodque per aquam trahitur, *sorta di rete da pescare, tramaglio*, verriculum, ἀμφίβληστρον. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 13. (34). Usus suberis ancoralibus maxime navium piscantiumque tragulis et cadorum obturamentis. ¶ 2. Pro traba. *Varro* 5. *L. L.* 139. *Müll.* De his, quæ jumenta ducunt; tragula ab eo quod trahitur per terram: sirpea, quæ virgis sirpatur etc. Adde *Jornand. De reb. Get.* 55. Plaustra et tragulæ. Alii leg. *trahulæ* vel *traculæ*. V. TRAHA.

TRĂGŬLĀRĬUS, ii, m. 2. (tragula) qui tragulas jacit. *Veget.* 2. *Milit.* 15. *ad fin.* Erant tragularii, qui ad manubalistas vel arcubalistas dirigebant sagittas.

TRĂGUM, i, n. et tragus, i, m. 2. ¶ 1. Est genus pultis ex tritici semine, hoc est zea, factum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 16. (76). Ex tritici semine tragum fit, in Campania dumtaxat et Ægypto. — *Tragos* etiam dicitur ab *eod.* 18. *ibid.* 10. 20. (93). Adjiciuntur his (*panum generibus*) bromos, siligo excepta et tragos, externa omnia, ab Oriente invecta, oryzæ similia. ¶ 2. Item genus herbæ. *Cels.* 2. 20. Boni suci sunt siligo, alica, oryza, amylum, tragum, ptisana. — Inter legumina habet *Gloss. Isid.*

TRĂGUM, i, n. 2. (traho) genus retis. *Isid.* 19. *Orig.* 5. 3. *Tragum* genus retis ab eo quod *trahitur*, nuncupatum: ipsum et *everriculum*, *verrere* enim trahere est. Adde *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 142.

TRĂGUS et tragos, i, m. 2. (τράγος) ¶ 1. Est genus herbæ. *V.* TRAGOS et TRAGUM. ¶ 2. Item genus piscis in cœno maris degens. *Ovid. Halieut.* 112. rapidique lupi percæque tragique. Adde *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. (152). A *Festo* apud *Paul. Diac. p.* 367. 1. *Müll.* dicitur genus conchæ mali saporis. ¶ 3. Item fœtor alarum in homine, qui Latine *hircus*; nam τράγος Græce idem sonat. *Martial.* 11. 22. Inde tragus celeresque pili mirandaque matri Barba.

TRĂHA et trahea, æ, f. 1. (traho) Scribitur etiam per epenthesin *trahea*, ut *navita* pro *nauta*. *Virg.* 1. *G.* 164. Tribulaque traheæque et iniquo pondere rastri. — Traha ¶ 1. Est genus vehiculi sine rotis, quo rustici utuntur, ἑλκηθρον (It. *treggia*; Fr. *herse, traîneau*; Hisp. *narria, rastra*; Germ. *die Schleife*; Angl. *a dray*): a *trahendo* dictum; non enim volvitur, sed trahitur. In *Gloss. Philox.* exponitur τυκάνη τὰς βώλους ἀφανίζουσα, machina glæbas dissolvens et evanescere faciens. *Colum.* 2. *R. R.* 21. *circa med.* Si in area teratur frumentum, equis melius, quam bubus ea res conficitur: et si pauca juga sunt, adjicere tribulam et trabam possis. ¶ 2. Est etiam instrumentum, quo veteres super glaciem utebantur (It. *slitta*; Fr. *traineau*; Hisp. *rastra*; Germ. *der Schlitten*; Angl. *a sled or sledge*). *Jornand. De reb. Get.* 55. Ita rigescit (*Danubius*), ut in silicis modum vehat exercitum pedestrem, plaustraque et traculas (*lege* trahulas *vel* tragulas). *Pompon. Sabin.* ad *Virg. loc. cit.* Traha agricolarum instrumentum a trahendo. Scythæ appellaverunt sangi, sed est pulcrioris formæ et supra glaciem utuntur. rotas non habet, sed trahitur. ¶ 3. Item machina, qua navis in siccum pertrahitur. *Gloss. Gr. Lat.* Χαμουλκός, traha.

TRĂHĀRĬUS, ii, m. 2. (trabo) qui trabam ducit, vel trabâ vehit. — Translate de infimæ conditionis hominibus, qui milites comitantur, usurpat *Sidon.* 6. *Ep.* 1. *ad episcopum.* Tu hastatorum antesignanorumque paulisper contubernio sequestratus, ultimos calones tuos lixasque non despicis, et ad extimos trahariorum, qui per insipientiam suam adhuc ad carnis sarcinas sedent. crucis diu portatæ vexilla circumfers.

TRĂHAX, ācis, omn. gen. adject. (traho) qui omnia ad se trahit, rapax, avidus, *rapace*, ἑλκτικός. *Plaut. Pers.* 3. 3. 6. Procax, rapax, trahax: trecentis versibus Tuas impuritias traloqui nemo potest.

TRĂHEA, æ, f. 1. *V.* TRAHA.

TRĂHENS, entis, particip. *V.* TRAHO.

TRĂHĬTŌRĬUS, a, um, adject. (traho) qui trahit, tractorius. *Lactant. Placid.* seu *Mythogr. Lat.* 2. 101. Σειρῆνες Græce, Latine trahitoriæ dicuntur.

TRĂHO, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, monet *Apul. De Not. aspir.* 13. ex M. Varrone Romanos ex Sabinorum lingua habuisse *trahere* pro *trafere*. Cf. *Mommsen Die unterit. dial. n.* 358. *n.* 7. — *Traxe* syncop. pro *traxisse* est *Virg.* 5. *Æn.* 786.; item *traxem* pro *traxissem* apud *Alcim.* 2. 409. — *Trahier* paragoge pro *trahi* tribuunt *Lucret. loc.* infra *cit.*; sed alii aliter leg. V. *Lachm.* ad *eund. p.* 420. — *b*) Ratione habita etymi, *Forcellinus* ducit a *traveho* pro *transveho* per syncop.; recentiores vero a rad. Skr. *dragh*, extendo, vel *targh*, moveo, agito. — Part. *Trahens* fere in omn. paragr.; *Tractus* I. 1. *b* et 2., II. 1. *b* et 2. et V.; *Tracturus* III. 2.; *Trahendus* V. — Trabo est aliqua vi duco, rapio, ἕλκω, σείρω (It. *tirare, strascinare*; Fr. *tirer, traîner, entraîner*; Hisp. *tirar, rastrar, arrastrar*; Germ. *ziehen, schleppen*; Angl. *to draw, drag*). Construitur cum Acc. rei aut personæ tantum, vel etiam addito Dat., sæpius Acc. termini, ad quem, et præp. *ad, in*, vel Abl. termini, e quo, et præp. *ab, de, ex*, aut ea omissa.

I.) Universim. ¶ 1. Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 3. 2. 72. Amphitruonem collo hinc obstricto traham. *Id. Pœn.* 3. 5. 45. Trahere aliquem ad prætorem. *Id. Pseud.* 1. 5. 19. præcipitem in pistrinum. *Lucret.* 3. 234. vapor trahit aera secum. *si tira dietro.* et *Sall. Jug.* 80 Limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt. *Id. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 425. Charybdis naves ad litora trahit. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. *a med.* Quum a custodibus in fuga trinis catenis vinctus traheretur. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. *a med.* Magnes ferrum ad se allicit et trahit. Alii leg. *attrahit.* Sic *Plin.* 36. *Hist. nat.* 20. 38. (146). Hæmatites trahit in se argentum, æs, ferrum. Adde *Solin.* 52. *Virg.* 2. *Æn.* 403. trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo adytisque Minervæ. Adde 6. *ibid.* 351. *Seneca Octav.* 810. Cupido captum Jovem cælo traxit. *tirò giù.* — *b*) Speciatim ponitur pro contrahere. *Lucret.* 6. 966. ignis liquidum facit æs aurumque resolvit: At coria et carnem trahit et conducit in unum. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 33. Quum bene vir traxit vultum rugasque coegit. *Lucret.* 6. 1188. in manibus trahier nervi et tremere artus. *ritirarsi, rattrarsi.* Alii aliter leg. *V.* init. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 1. 5. Trahere vultum. *sc.* contrahere, obstringere. *V.* VULTUS. — *c*) Et pro raptare, id est ita ducere, ut tamen humo non sustollatur, *tirar per terra, strascinare. Plaut. Cist.* 1. 1. 117. Amiculum hoc sustolle saltem. *sil.* sine trahi, quum egomet trahor. *Horat. Art. P.* 215. traxitque vagus per pulpita vestem. *Id.* 1. *Od.* 4. 2. Trahuntque siccas machinæ carinas. *Virg.* 3. *G.* 535. montesque per altos Contenta cervice trahunt stridentia plaustra. *Id.* 4. *ibid.* 94. latamque trahens inglorius alvum. *Id.* 5. *Æn.* 468. genua ægra trahens. *Id.* 1. *ibid.* 481. et *Varro* 5. *L. L.* 139. *Müll.* Trahere aliquid per terram. *Cic.* 7. *Fam.* 32. aliquem pedibus. *Seneca Ep.* 44. *in fin.* Per insidiosum iter non tantum ferunt sarcinas, sed trahunt. *Sil. It.* 13. 644. Ingenti traxit curvata volumina gyro. *Juvenal.* 10. 99. Hujus, qui trahitur, prætextam sumere mavis, An etc.? *h. e.* unco impacto raptatur. *Cic.* 11. *Phil.* 2. *ad fin.* Corpus tractum et laceratum abjecit in mare. *Ovid.* 12. *Met.* 591. Hectora circum sua Pergama tractus. *Id.* 4. *Fast.* 38. Longaque in immundo pulvere tracta coma.

*Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (145). Tractus per mediam urbem in Capitolium. *Ovid.* 7. *Met.* 218. Currus tractus volucrum cervice draconum. *Seneca Agam.* 859. Tractus ad cælum canis Inferorum Triplici catena. *Id. Hippol.* 730. hanc mœstam prius Recreate. crinis tractus et laceræ comæ, Ut sunt, remaneant. *Id. Med.* 684. tracta magicis cantibus Squamifera turba. *Seneca alter* 2. *Ira* 25. *extr.* Cujus aurea tracti subsellii stridor offendit. — *d*) *Trahere, rapere,* simile est atque *agere et ferre, ἄγειν καὶ φέρειν. Sall. Jug.* 45. Populus libertatem in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. *Id. Cat.* 11. Rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere. *Plaut. Trin.* 2. 2. 12. Cetera rape, trahe, fuge, late. *Sall. Orat.* 2. *ad Cæs.* 3. Quod commodum est, trahunt, rapiunt. ¶ 2. Translate. *Sall. Cat.* 7. *extr.* Ea res nos longe ab incepto traheret. *h. e.* abduceret. *Cic. pro leg. Manil.* 7. *a med.* Non possunt in una civitate multi fortunas amittere, ut non plures secum in eamdem calamitatem trahant. *Id. Arch.* 11. 26. Trahimur omnes studio laudis et optimus quisque maxime gloria ducitur. *Nepos Milt.* 8. Trahi ad cupiditatem imperii. *Tac. Agric.* 12. Per principes factionibus et studiis trahuntur, *sc.* in diversas partes. Cf. *eumd. Germ.* 36. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi. *sc.* implicati et correpti. *Cic.* 1. *Off.* 6. 18. Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiæ cupiditatem. *Virg.* 2. *Ecl.* 65. trahit sua quemque voluptas. *Id.* 5. *ibid.* 709. quo fata trahunt retrahuntque, sequamur. *Ovid.* 13. *Met.* 84. *de Hectore.* tantum trahit ille timoris. *h. e.* secum trahit vel affert. — *Liv.* 25. 36. Partem doloris trahebat publica clades. *h. e.* tollebat, auferebat.

II.) Ratione habita loci, unde quid trahitur, est educere, haurire, *cavare.* ¶ 1. Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. *sub fin.* Ex puteis jugibus aquam calidam trahi. *Virg.* 1. *Æn.* 511. operumque labores Partibus æquabat justis aut sorte trahebat. *cavava, tirava a sorte.* et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 22. (54). Ellehorum trahit alvum et bilem pituitasque. *Veget.* 3. *Veterin.* 43. Sanguinem jumento de cervice trahere. *Cels.* 4. 7. Malagmata, quæ materiam trahunt. *h. e.* evocant, extrahunt. Cf. II. 1. c. — De bibentibus. *Horat. Epod.* 14. 3. pocula arente fauce trahere. *Ovid.* 15. *Met.* 330. aquam moderato gutture. *Lucan.* 7. 822. Has trahe, Cæsar, aquas: hoc, si potes, utere cælo. *Id.* 9. 934. Trahere ore venena. *Id.* 3. 351. ubera. *Seneca Agam.* 878. Merumque in auro trahunt. Cf. *Phædr.* 3. 1. Trahere odorem naribus. *Seneca* 2. *Ira* 10. *ad fin.* Navigium aquam trahit. *fa acqua,* per rimas admittit. *Martial.* 8. 51. Si dubia est (*Telethusa*), septunce trahar. *h. e.* septem tantum cyathos bibam. *V.* SEPTUNX. — *b*) Speciatim est deducere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. *extr.* Venæ et arteriæ, a corde tractæ et profectæ, in corpus omne ducuntur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (52). Est quibusdam malis sanguineus color origine ex mori insitu tracta. *Id.* 21. *ibid.* 14. 48. (82). Lanæ tractæ. *h. e.* carminatæ, pexæ. — *c*) Item evellere, extrahere, *tirar fuori. Ovid.* 6. *Met.* 290. trahens hægentia viscere tela. *Id.* 5. *Fast.* 399. traxitque e corpore ferrum. *Id.* 2. *Met.* 606. tractum a vulnere ferrum. *Id.* 5. *ibid.* 95. de vulnere telum. *Id.* 1. *Fast.* 431. a pedibus velamen. *Martial.* 1. 14. gladius de visceribus. — *d*) *Trahere lanam* significat *filare, lavorare,* nere, tractare, facere. *Varro* apud *Non. p.* 543. 12. *Merc.* Simul manibus trahere lanam, nec non simul oculis observare ollam pultis, ne aduratur. *Lucret.* 4. 376. quasi carmine lana trahatur. *Horat.* 2. *Od.* 18. 7. Nec Laconicas mihi Trahunt honestæ purpuras clientæ. *Ovid.* 14. *Met.* 265. Trahere vellera digitis. *Id. Heroid.* 3. 75. Nos humiles famulæque tuæ data pensa trahemus. *Juvenal.* 2. 54. Vos lanam trahitis etc. — *e*) Pro eripere, efferre secum. *Cic. Balb.* 23. *sub fin.* Trahere spolia de hostibus. *Liv.* 25. 14. *ad fin.* prædam ex agris hostium. ¶ 2. Translate — *a*) Metaphorâ sumptâ a notione educendi. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. *a med.* Animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos. *Id. Brut.* 6. 21. Scio ab isto initio tractum esse sermonem. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 62. laudem ab aliqua re. *Id.* 4. *Met.* 291. nomen quoque traxit ab illis. *Id.* 1. *Fast.* 596. Ille Numantina traxit ab urbe notam. *Cic.* 3. *Phil.* 6. *a med.* Cognomen ex contumelia traxit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (51). Mala cetera e causis traxere nomen, germanitatis gemella, numquam singula in fetu; cognationis malapia; mustea a celeritate nascendi etc. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (28). Consuetudo tracta ab eo tempore, quo etc. *Id.* 15. *ibid.* 29. 35. (118). Generosi obsonii nomine inde tracto. *et ibid.* 15. 16. (54). Ex eo tractum, quod etc. *Sall. Jug.* 103. Trahere consilium ex re aliqua. *Cic.* 4. *Fam.* 3. molestiam ex pernicie reipublicæ. *Juvenal.* 11. 23. a censu famam. *Sil. It.* 13. 31. semina ab Ænea stirpe. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 21. (86). et 6. *ibid.* 28. 32. (157). originem ab aliquo. *Tac. Germ.* 46. multum ex moribus. *Grat. Cyneg.* 195. traxere animos de patre Gelonæ Hircano. — *b*) Metaphorâ sumptâ a notione extrahendi. *Ovid.* 2. *Met.* 230. Trahere auras ore. *respirare, tirare il fiato.* et eodem sensu *Plin.* 11. *Hist. nat.* 3. 2. (6). animam. Sic *Liv.* 3. 6. Mortuus Æbutius erat Romanus consul, collega exigua in spe trahebat animam. *Ovid.* 2. *Met.* 752. Et tanto penitus traxit suspiria motu, Ut etc. *Virg.* 1. *Æn.* 375. imoque trahens a pectore vocem. *Phædr.* 1. 21. Leo quum jaceret spiritum extremum trahens. *spirando gli ultimi fiati.*

III.) Ratione habita termini, in quem quis trahitur, est etiam pertrahere, adducere. ¶ 1. Proprie. — *a*) Generatim. *Ovid. Halieut.* 51. Trahere in præceps. *Virg.* 3. *Æn.* 425. Scylla naves in saxa trahens. *Petron. Sat.* 89. Trahere aliquem ad terram. *h. e.* sternere. — *Trahere aliquem ad supplicium,* ducere ad supplicium, *menare al patibolo, alla morte. Tac.* 11. *Ann.* 35. *ad fin.* et *trahere* absolute, sensu persimili, apud *Liv.* 2. 11. *a med.* Quum a lictoribus jam traheretur, provocavit. — *b*) Speciatim diripere, vexare, distrahere, *saccheggiare. Sall. epist. Mithrid. ad Arsac. ad fin.* Quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, inopes potentesque trahant, excidant. *Tac.* 15. *Ann.* 1. Jam de Armenia concessum: proxima trahi. — *Trahere pecuniam,* per luxum distrahere, indignis modis insumere, *spendere malamente. Sall. Cat.* 21. Quum tabulas, signa, toreumata emunt; nova diruunt, alia ædificant; postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant. *divexare* et *lacerare* eod. sensu dixerunt *id:* et *Plaut.* — *c*) Item in se ducere, concipere, contrahere, *contrarre, ricevere. Ovid.* 11. *Met.* 305. Videre hanc pariter, pariter traxere calorem. *et* 2. *ibid.* 306. Trahere nigrum colorem. *Id.* 5. *Trist.* 13. 3. contagia. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 27. (47). situm. *Id.* 32. *ibid.* 10. 42. (121). vitium. *Colum.* 12. *R. R.* 15. humorem. *et ibid.* 50. *sub fin.* saporem. *Juvenal.* 14. 325. rugam. Cf. *Colum.* 1. *R. R.* 6. *a med.* Vina maturitatem trahunt. ¶ 2. Translate. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 4. Quid est, quod me in aliam partem trahere possit? *tirarmi ad altro sentimento.* et *Liv.* 33. 9. Ratus, partem profligatam cetera tracturam. *Id.* 25. 16. Trahere ad defectionem Lucanos. *Id.* 42. 44. Aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos. *Id.* 5. 25. Partem tribunorum plebis patres in suam sententiam traxerant. *Tac.* 4. *Ann.* 60. *a med.* Fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes. *tirò dalla sua.* et 1. *Ann.* 55. *a med.* Segestes consensu gentis in bellum tractus. Sic *Ovid.* 1. *Amor.* 4. 8. Atracis ambiguos traxit in arma viros.

IV.) Pertinet sæpe, translato sensu, ad cogitationem, deliberationem, consilium: et significat ¶ 1. Agitare animo, reputare, considerare. *Ter. Andr.* 1. 5. 25. Tot curæ, quæ meum animum divorse trahunt. *Sall. Jug.* 99. Marius anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum an fortunam opperiretur. *et ibid.* 102. Dubius belli atque pacis rationes trahere. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. *sub fin.* Tanta erat summa rerum exspectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo traheretur. *Liv.* 38. 56. Multa alia, in Scipionis exitu maxime vitæ, in diversum trahunt, ut quibus scriptis adsentiar, non habeam. *Tac.* 15. *Ann.* 1. Vologeses in diversas curas trahebatur. *Sall. Jug.* 88. *sub fin.* Sese quisque præda locupletem, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi animis trahebant. ¶ 2. Item vertere, in aliquam partem accipere, interpretari. *Id. ibid.* 97. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur. *Liv.* 5. 23. Jovis Solisque equis æquiparari dictatorem, in religionem etiam trahebant. *Tac.* 4. *Ann.* 64. Fortuita ad culpam trahentes. *et* 12. *ibid.* 52. Idque ad clementiam Cæsar trahebat, quod stirpem hostilem iterum conservaret. *et* 1. *ibid.* 62. Cuncta Germanici in deterius trahens. *Id.* 2. *Hist.* 20. Ornatum ducis coloniæ in superbiam trahebant. *et* 3. *Ann.* 37. in laudem. *Id.* 1. *ibid.* 76. *ad fin.* Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii tædio cœtus, quidam tristitie ingenii. ¶ 3. Item expromere, eloqui, dicendo exsequi. *Pers.* 5. 26. His ego centenas ausim deposcere voces, Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi, Voce traham pura totumque hoc verba resignent, Quod latet arcana non enarrabile fibra.

V.) Pertinet etiam, item sensu translato, ad tempus, et est in longum ducere, *tirare innanzi, portare in lungo.* — *a*) Universim. *Sall. Jug.* 25. *ad fin.* (et *Vellej.* 2. 142.) *Id. ibid.* 40. Jugurtha trahere omnia et alias, deinde alias moræ causas facere. *Id. ibid.* 29. Sæpe gratia, interdum jurgiis trahere tempus. *Id. ibid.* 40. *extr.* Tractum bellum. Sic *Ovid.* 12. *Met.* 584. tractum duo per quinquennia bellum. *et Cic.* 10. *Att.* 8. *ante med.* Si trahitur bellum etc. *Id. Mil.* 9. 24. Tracta comitia. *Stat.* 2. *Theb.* 145. at Inachio tenuis sub pectore regi Tracta quies. *h. e.* protractus somnus. *Cels.* 3. 9. *ad fin.* Ægros medici diu tractos non expedierunt. *Val. Max.* 4. 4. *sub init.* Trahere aliquem sermone, quousque etc. *trattenerlo in discorsi, sinchè etc. Sueton. Tib.* 31. *ad fin.* Tanta consulum auctoritas (*erat*), ut legati ex Africa adierint eos, querentes trahi se a Cæsare. *h. e.* protrahi et negligi negotia sua. *Ovid.* 9. *Met.* 766. Ficto languore moram trahere. *Petron. Sat.* 111. Femina quintum jam diem sine alimento trahebat. *Seneca Ep.* 101. Præcipiti abreptus angina, vix compressum artatis faucibus spiritum traxit in lucem. *Quintil.* 1. 10. *sub fin.* Trahere aliquid in longius. *Cels.* 4. 16. Intestinorum lævitas interdum ægros trahit, interdum præcipitat. — Absolute, intransitivorum more. *Flor.* 4. 2. *ante med.* Decem annos traxit ista dominatio. *Cels.* 2. 6. *a med.* Alvus varia potest paullo diutius trahere: in præcipiti vero jam esse denuntiat, quæ liquida etc. *Id.* 2. 8. *a med.* Si quis etiam in eo morbo diutius traxit, ubi capilli fluunt etc. — *b*) Hinc *trahere vitam,* agere. *menare, passare, trarre la vita:* et sæpe de iis dicitur, qui misere vivunt et quasi inviti. *Virg.* 2. *Æn.* 92. Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (9). Vitam non adeo expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit. *Phædr.* 4. 5. Vitam luxu trahere. *Id.* 3. 7. in silvis asperam vitam trahens. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 259. Sola domi luctu senium tractura relinquor. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 65. Sic animum tempusque traho: meque ipse reducò A contemplatu submoveoque mali. — *c*) Huc et illa pertinent. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 55. per nulla traham suspiria somnos. *Virg.* 3. *G.* 97. frustraque laborem Ingratum trahit. *Id.* 1. *Æn.* 752. vario noctem sermone trahebat. *Stat.* 2. *Theb.* 145. at Inachio tenuis sub pectore regi Tracta quies, dum mente deos inceptaque versat Hospitia. *dormì poco.* Sic *Propert.* 1. 14. 9. optatam mecum trahit illa quietem. *Martial.* 11. 104. tractæ per pocula noctes. *Tac.* 4. *Hist.* 70. Classicus segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur. — *d*) *Tracta oratio,* continuata, fusa et extensa æquabili cursu. *Cic. Orat.* 20. *de historia.* In contionibus et hortationibus tracta quædam et fluens expetitur, non hæc contorta et acris oratio. *Id.* 2. *Orat.* 15. 64. In historia

verborum ratio et genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam æquabili profluens, sine hac judiciali asperitate et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Sic *Aquil. De fig.* etc. 18. Tractum et fusum genus eloquendi, non conversum et circumscriptum. — *e) Trahere verba,* difficulter loqui, singultu aut fletu aliave re impediente. *Sil. It.* 8. 79. Cui sic, verba trahens largis cum fletibus, Anna Incipit. — *f) Trahere stipendia,* agere, mereri et æs militare accipere, *tirar la paga. Justin.* 12. 4. *a med.* Siquorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia patrum trahebant, quorum pueritia inter varias expeditiones militia erat.

H o m o n y m. Differt *traho* a *duco,* nam trahimur inviti, ducimur volentes. *Seneca Ep.* 107. *sub fin.* D u c u n t volentem fata, nolentem t r a h u n t.

TRAHŬLA, æ, f. 1. *V.* TRAGULA.

TRAĬCĬO. *V.* TRAJICIO.

TRAJECTĪCĬUS *et* trajectitius, a, um, adject. (trajicio) qui alio trajicitur, translaticius. *Modestin. Dig.* 22. 2. 1. Trajecticia pecunia est, quæ trans mare vehitur. ceterum si eodem loco consumatur, non erit trajecticia. *Paul.* 2. *Sent. tit.* 14. Trajecticia pecunia, propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras recipere potest. Adde *Papinian. ibid.* 4., *Ulp. ibid.* 13. 4. 2. *ad fin.* et *African. ibid.* 44. 7. 22. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 32. 26. In trajecticiis autem contractibus vel specierum fœnori dationibus, usque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam excedere jubemus, licet veteribus legibus hoc erat concessum.

TRAJECTĬO *et* transjectio, ōnis, f. 3. (trajicio) actus trajiciendi, transitio, trajectus, *il passare dall' un luogo all' altro.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 1. 2. Assyrii trajectiones motusque stellarum observaverunt. Adde 2. *ibid.* 6. 16. *Vitruv.* 2. 9. *sub fin.* Tabulæ in subgrundiis si essent ex ea (*larice*) collocatæ, ab trajectionibus incendiorum ædificia periculo liberarentur. ¶ 2. Speciatim transitus maris aut fluminis, transvectio, transfretatio, *tragitto. Cic.* 8. *Att.* 15. Cautior certe est mansio: honestior existimatur trajectio. *h. e.* mare trajicere et Pompejum sequi. Adde *Vulg. interpr. Eccli.* 37. 12.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Rhetores *trajectio verborum* est transpositio de suo loco in alienum, ὑπέρβατον. *Cic.* 4. *Herenn.* 32. *ad fin.* Transgressio est, quæ verborum perturbat ordinem perversione aut transjectione. Transjectione hoc modo: Instabilis in istum plurimum fortuna valuit. Item: Omnes invidiose eripuit tibi bene vivendi casus facultates. Hujusmodi transjectio, quæ rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes etc. *Id. Orat.* 69. 230. Uti trajectione verborum. Adde *Quintil.* 8. 2. *circa med.* ¶ 2. De ipso contextu orationis. *Id. ibid.* Plus tamen est obscuritatis in contextu et continuatione sermonis, quare nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio, nec trajectione tam tardus, ut in hyperbaton finis ejus differatur. ¶ 3. De hyperbole, qua ultra id, quod verum est, verba trajicimus. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203. et *Quintil.* 9. 2. *sub init.* Tum augendi minuendive causa, veritatis superlatio atque trajectio.

TRAJECTĪTĬUS. *V.* TRAJECTICIUS.

TRAJECTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* trajicio, ejusdem significationis. *Cels.* 7. 14. *circa med.* Sinus umbilici ad imum acu trajectatur duo lina ducente. *h. e.* transuitur.

TRAJECTOR, ōris, m. 3. (trajicio) qui trajicit, *trapassatore. Prudent. Hamartig.* 882. ignis Trajector nebulæ et vasti penetrator operti.

TRAJECTŌRĬUM, ĭi, n. 2. (trajicio) infundibulum, quod Itali vulgo *pipa* vocant. *Plin. Valer.* 1. 37. Herbam symphoniacam mittes super carbones et per trajectorium totum fumum ore trahes. *et* 58. *a med.* Facies trochiscos in modum olivæ, et mittes in testam cum carbonibus, et pones trajectorium super testam, et cooperies de mappa, et os tenebis in trajectorium et sic fumum trahes.

TRAJECTŪRA, æ, f. 1. (trajicio) projectura, *sporto. Vitruv.* 4. 7. *ante med.* Supra trabes, et supra parietes trajecturæ mutulorum, quarta parte altitudinis columnæ, projiciantur.

TRAJECTUS *et* transjectus, a, um, particip. *V.* TRAJICIO.

TRAJECTUS *et* transjectus, us, m. 4. (trajicio) Etiam *trejectus* pro *trajectus* scribitur in *Inscr.* in *Ephem. epigr. p.* 217. et in *Corp. Inscr. Lat.* 15. 403. et 425. — Trajectus est transitio, transvectio, præsertim maris aut fluminis, διάβασις (It. *passaggio, tragitto;* Fr. *trajet, traversée, passage;* Hisp. *passage, travesia;* Germ. *das Uebersetzen, Ueberfahrt;* Angl. *a passing over, passage*).

I.) Proprie vel abstractorum more. *Cæs.* 4. *B. G.* 21. In Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam trajectus. *et* 5. *ibid.* 2. Omnes ad portum Itium convenire jubet, quo ex portu commodissimum in Britanniam transjectum esse cognoverat. *Liv.* 1. 3. Tiberinus in trajectu Albulæ amnis submersus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (98). Ex quo promontorio in adversa ora ad Macas trajectus distat L. M. pass. *Sueton. Aug.* 17. Tempestate in trajectu bis conflictatus. *Cæs.* 2. *B. C.* 20. Ne itinere aut trajectu intercluderetur.

II.) Metonymice vel concrato, ut ajunt, sensu est locus, unde trajiciendi facultas est: *traghetto* dicunt Veneti. *Auct. B. Alex.* 56. Legiones, quas in Africam ducturus erat, et auxilia mittit ad trajectum. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 731. *n.* 450. CORPVS SCAPHARIOR. ET LENVNCVLARIOR. TRAIECT. LVCVLLI. *h. e.* ubi Lucullus advenas trajicere solet. Adde *aliam* apud *Orelli n.* 4109. Cf. *C. L. Visconti* in *Annali dell' Instit. archeol. a.* 1859. *p.* 230. et seqq. *Inscr.* apud *Gruter.* 473. 8. T. TESTIO LIBERTINO SEVIRO AVG. IDEM QQ. ITEM PATRONO ET QQ. CORPORIS T. REIECTVS MARMORIORVM (*corrige* trajectus marmorum, vel marmorariorum, ut apud *Dessau*) IIII. TESTI (*h. e.* quattuor Testii) HELPIDIANVS PRISCVS PRISCIANVS ET FELIX FILII ET HEREDES PATRI DVLCISSIMO. Sic *trejectus togatensium* in *alia* in *Corp. Inscr.* 15. 403.

TRAJĬCĬENS *et* transjiciens, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRAJĬCĬO *et* transjicio, jĭcis, jēci, jectum, jĭcere, a. 3. (trans *et* jacio) De scriptione *transjicio V.* TRADO. Scribitur et *traicio,* in quo, altero *i* extrito, prima corripitur. *V.* ABJICIO et hujusmodi composita. — Item *treicio.* Cf. TRAJECTUS, us, init. — *Trajecere* pro *trajicere* apud *Lucret.* 3. 513. *Lachm.* V. ejusd. adn. *p.* 128. — Integrum *transjacio* habet *Solin.* 52. Indorum nemora in tam proceram sublimitatem, ut transjaci ne sagittis quidem possint. — Part. *Trajiciens* sub *A* I. 5. *c; Trajectus* sub *A* I. 2.–5. *b* et *c* et 6.; *Trajecturus* sub *B; Trajiciendus* sub *A* I. 5. c. — Trajicio est trans et ultra jacio, jaciendo supero, διαβάλλω (It. *gettare di là, lanciare oltre;* Fr. *jeter ou lancer au delà;* Hisp. *echar ó lanzar mas allá, de la otra parte;* Germ. *hinüber werfen, schiessen, bringen;* Angl. *to throw or cast over, fling beyond*).

*A)* Transitive construitur cum Acc. rei vel personæ, addito sæpe altero Acc. et præp. *ad, in, per, super, trans;* vel etiam cum duobus Acc., quorum alter pendere videtur a præp., quæ in ipso verbo inest.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Neque ullum telum per pactiones colloquentium transjiciebatur. *Propert.* 4. 2. 35. Est etiam aurigæ species Vertumnus et ejus, Trajicit alterno qui leve pondus equo. *h. e.* desultoris. — Cum addito Acc. et præp. *trans, super* vel adverb. motus ad vel in locum. *Liv.* 25. 14. Arreptum vexillum trans vallum hostium trajecit. Sic 41. 4. Trajicere signum trans vallum. *Propert.* 4. 4. 75. super raros fœni flammantis acervos Trajicit immundos ebria turba pedes. *Id.* 2. 9. 18. alio trajice tela tua. ¶ 2. Speciatim traduco, *far passare. Varro* 3. *R. R.* 9. *ante med.* In caveis crebræ perticæ trajectæ sint, ut omnes sustinere possint gallinas. *Auct. B. G.* 8. 9. Pontibus trajectis. *Virg.* 5. *Æn.* 488. trajecto in fune columbam Suspendit. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 3. *ad amnem.* Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu Concava trajecto cymba rudente vehat. *Ulp. Dig.* 9. 2. 29. Per cujus domum trajectus erat aquæductus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 22. (55). Trajectus per aurem surculus. et 26. *ibid.* 7. 21. (38). Radix trajecta in auricula. ¶ 3. Item transfundo, *travasare. Varro* 1. *R. R.* 64. Quod est levissimum ac summum, ut trajiciant in alia vasa. *Scribon. Compos.* 45. Cerussam terere in mortario, deinde in cacabum trajicere. ¶ 4. Item transfero, *trasferire. Lucret.* 4. 425. Et quocumque oculos trajecimus, omnia ferri. *gettiamo lo sguardo.* et *Varro* 2. *R. R.* 4. 11. Sues si quis quo trajicere vult. *Ovid.* 4. *Fast.* 781. Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede. *Liv.* 30. 10. Malos antennasque de nave in navem trajicere. *Petron. Sat.* 74. Trajicere anulum in dextram manum. *Papinian. Dig.* 26. 7. 39. pecuniam in provinciam. Adde *Paul. ibid.* 48. 13. 9. *Tac.* 12. *Ann.* 39. Ut quondam Sugambri excisi et in Gallias trajecti forent. *Inscript.* apud *Gruter.* 523. 6. C. ATILIVS C. F. POM. CRESCENS MILITAVIT IN LEG. IX. ANNIS VIIII. TRAIECTVS IN PRAETORIVM COH. V. PR. MILITAVIT ANN. III. ¶ 5. Item sæpe est transvebo, navibus trans flumen aut mare duco, *trasportare, tragittare.* — *a)* Cum Acc. tantum. *Cæs.* 1. *B. C.* 10. Trajicere legiones. — *b)* Cum addito Acc. et præp. *trans, in,* vel adverb. motus ad locum. *Liv.* 2. 11. Trajicere milites trans flumen. *Id.* 21. 26. omnes suos trans Rhodanum. *Id.* 23. 31. legiones in Siciliam. *Cic. post redit. ad Quirit.* 8. *a med.* Marius parva navicula trajectus in Africam. *Liv.* 21. 56. Exercitus Pado trajectus Cremonam. Adde 21. 26. et 32. 6. *Cæs.* 1. *B. C.* 54. legionem huc. *Nepos Att.* 2. Athenas se contulit; eodem magnam partem fortunarum trajecit suarum. — *c)* Cum duobus Acc., quorum alter pendere videtur a præp., quæ inest in ipso verbo. *Cæs.* 1. *B. C.* 83. *extr.* Cæsar equitum partem flumen trajicit. *sc.* trans flumen. Sic *Planc.* apud *Cic. Fam.* 9. *ad fin.* et *ibid.* 11. Exercitum Rhodanum trajeci. — Hinc translate *Horat.* 2. *Sat.* 2. 39. emovit veterem novus (*morbus*), ut solet, in cor Trajecto lateris miseri capitisve dolore. — *Trajicere se,* flumen aut mare transire. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 13. *ad fin.* Si quo etiam casu Isaram se trajecerint. *Liv.* 28. 18. *ad fin.* et *Val. Max.* 9. 8. *n.* 1. Duabus navibus in Africam trajecisse sese in hostilem terram. — De itinere terrestri. *Varro* 2. *R. R.* 4. *circa med.* Sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi usquam. Itaque eas si quis quo trajicere vult, in plostrum imponit. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 9. Si se Alpes Antonius trajecerit. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 536. roseis Aurora quadrigis Jam medium ætherio cursu trajecerat axem. — *Trajicere flumen,* transire, *passare. Varro* 2. *R. R.* 7. Si flumen trajiciendum est. *Alii leg.* travehundum est. *V.* TRANSVEHO. *Liv.* 21. 30. Rhodanus tantus amnis, domita fluminis vi, trajectus. *et* 56. *ad fin.* Quum ratibus Trebiam trajicerent. *Claudian. VI. cons. Honor.* 486. trajecit clipeo Tiberim. *Sueton. Cæs.* 57. Si flumina morarentur, nando trajiciens. ¶ 6. Præterea est transfodio, transfigo, *passare da banda a banda o da parte a parte, trapassare, trafiggere:* inversa construendi ratione, ita ut *trajicere aliquem aliqua re* idem sit ac *trajicere aliquam rem (trans) aliquem. Cæs.* 5. *B. G.* 43. Pilum in hostes mittit atque unum ex multitudine procurrentem transjicit. *Auct. B. G.* 8. 48. Commius lancea infesta medium femur ejus magnis viribus trajicit. *Cic.* 4. *Fin.* 9. *circa med.* Si Hannibal ad portas venisset murumque jaculo trajecisset. Cf. quæ *Madvig* adnot. ad 4. 4. *p.* 514. *Virg.* 9. *Æn.* 633. sagitta Perque caput Remuli venit et cava tem-

pora ferro Trajicit. *Id.* 10. *ibid.* 399. Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter Trajicit. *Liv.* 41. 11. *a med.* Rex trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur. *Cæs.* 7. *B. G.* 25. Scorpione ab latere dextro transjectus exanimatusque concidit. *et ibid.* 82. Transjecti pilis muralibus interibant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 77. (198). Mortem cum risu trajecta præcordia attulerunt. — Græcorum syntaxi. *Ovid.* 5. *Fast.* 709. Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense. *Sueton. Oth.* 11. Uno se trajecit ictu infra lævam papillam. Adde *Senec.* 3. *Benef.* 23. *in fin. Ovid.* 6. *Met.* 243. tento concita cornu, Sicut erant juncti, trajecit utrumque sagitta. *Cels.* 7. 8. *et* 9. Acu trajicere aliquid.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 46. Quum ex illius invidia deonerare aliquid et in te trajicere cœperit. *Ovid.* 12. *Met.* 628. arbitrium litis trajecit in omnes. *Liv.* 2. 22. *a med.* Ut de fœdere rem ad novos magistratus trajicerent. *Plerique leg.* rejicerent. *Quintil.* 9. 2. *sub init.* Removere a se (*culpam*) et in alium trajicere. ¶ 2. Speciatim transponere. *Cic. Orat.* 66. 229. Ne aut verba trajiciamus aperte, quo melius aut cadat aut volvatur oratio. *Quintil.* 9. 4. 31. Trajicere verba in clausulas.

*B)* Intransitivorum more seu absolute est transire. *Liv.* 20. 22. *in fin.* Senatus censuit primo quoque tempore in Africam trajiciendum. *Id.* 37. 13. Ad Æthaliam insulam trajecit. *et mox.* Romanæ naves vacuo ab hostibus mari Samum trajecerunt. *Id.* 30. 2. Ne qua classis ex Africa trajiceret. *Id. ibid.* 24. *sub fin.* Ut classe quinquaginta navium Hasdrubal Ægimurum trajiceret. *Id.* 7. 30. Quum videremus, ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium esse. *Justin.* 2. 13. *a med.* Quum solutum pontem offendisset, piscatoria scapha trepidus trajecit. *Id.* 23. 1. *extr.* A Sicilia in Italiam trajecit.

TRĀLĀTĪCĬUS. *V.* TRANSLATICIUS.

TRĀLĀTĬO, *V.* TRANSLATIO.

TRĀLĀTUS. *V.* TRANSLATUS.

TRĀLŎQUOR *et* transloquor, quĕris, qui, dep. 3. rem enarro, a principio ad finem eloquor. *Plaut. Pers.* 3. 3. 6. Trecentis versibus Tuas impuritias traloqui nemo potest. *Ritsch.* habet *transloqui.*

TRĀLŪCĔO. *V.* TRANSLUCEO.

TRĀLŪCĬDUS. *V.* TRANSLUCIDUS.

TRĀMA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, *Forcellinus* noster a *trameo* deducit, quod fila staminis ita decussentur, ut subtemen immissum trameare possit. *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.* Trama, quod trameat frigus id genus vestimenti. Ita *Müllerus.* At *Scalig.* legit: quod trameat (*Codd.* tramat) frugionis (*h. e.* phrygionis) vestimentum. Ita ut videatur hic *Varro* loqui de eo opificio, quod Italis *ricamo* dicitur. Cf. et *Isid.* 19. *Orig.* 29. 7. *Döderlein* vult esse a τράω, perforo, unde τρῆμα; rectius tamen ducas a *trahendo,* ut est a *fando fama* et hujusmodi. Sic et *tramen,* ejusdem significatus, a *traho,* ut a *nosco nomen,* a *luceo lumen* etc. — Trama est textura panni aut telæ, quæ ex stamine et subtemine consertis fit, ἦτριον, πλοκή (It. *tessitura, tessuto;* Fr. *châme d'un tissu, trame;* Hisp. *trama;* Germ. *die Eintrag, Einschlag;* Angl. *a web*). Cf. *Schneid.* ad v. *Tela* in *Ind. Scriptt. R. R.* p. 689, ubi etiam *tramam* a *stamine* ita differre putat, ut in trama fila non solum suspensa vel intensa telæ, sed etiam decussata intelligantur: falso autem ex *Pers. loc. cit.* affirmare *Servium* ad *Virg. loc. cit.* «tramam esse filum quod intra stamen currit». Quem errorem, forte ex inepta vocabuli a verbo *trameo* derivati interpretatione ortum, bene demonstravit *Gesnerus* in *Thes. L. L.*

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 90. *ante med.* Quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat: quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrinque comprimentis tramæ remolliat, spatha coire cogatur et jungi. — De panei tela. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (81). Crebratæ peritas telæ et quadam politura arte, ipsa per se tenax ratio tramæ.

II.) Translate. ¶ 1. Tropice de ipso subtemine videtur olim usurpasse Latinorum vulgus, non autem de textura staminis et subteminis, quum etiamnum Itali *trama* hac eadem significatione usurpent et stamini, quod iidem *stame* et *orsoio* dicunt, opponant. Id patet ex loco *Servii* ad illud *Virg.* 3. *Æn.* 483. Fert picturatas auri subtemine vestes: i. e. Filo, quod intra stamen currit, quod Persius tramam dixit: nam male quidam subtemen stamen accipiunt, quum stamen de auro esse non possit. *Venant.* 5. *præf.* ad *carm. acrostich.* 6. *a med.* Littera vero, quæ tingitur in descendenti versiculo et tenetur in uno et currit in altero, ut ita dicatur, stat pro stamine et pro trama currit in tramite, *h. e.* inservit tum complendo versiculo, qui in latus descendit et stamen repræsentat; tum incipiendo alteri, qui, ut trama in tela, transverse trameat in finali versiculo. *Id.* 4. *Vit. S. Martin.* 323. Trama topazus erat rutilans et stamen iaspis. Cf. *Porphyr.* ad *Horat.* 3. *Od.* 12. 5. ¶ 2. Metaphorice. *Plaut. Rud.* 5. 2. 35. GRIP. Quid dare velis? LA. nummos trecentos. GRIP. tricas. LA. Quadrigentos. GRIP. tramas putridas. LA. quingentos. GRIP. cassam glandem fabulare. *h. e.* res nullius pretii. *Pers.* 6. 73. mihi trama figuræ Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter? *h. e.* macer ego sim, ossa ac pellis et veluti sola textura ossium ac nervorum: *io sia uno scheletro:* ille vero bene habitus et ventre promisso ex pinguitudine.

*NB. Schneiderus* censet *loc. cit.* vocabula *stamen, tramam* et *subtemen* eo discrepare, ut *stamen* dicatur, quatenus stanti vel erectæ telæ intenditur; *trama,* quatenus fila staminum invicem decussant se omnia ita, ut inter ea *subtemen* immissum commeare possit.

TRĀMĀRĔ, adverbii ritu (trans et mare) in *Inscr.* apud *Rénier n.* 70. Tramare proficiscuntur. Cf. TRANSALPIBUS.

TRĀMĀRĪNUS, *V.* TRANSMARINUS.

TRĀMEN, minis, n. 3. (traho) idem ac subtemen. *Gloss. Philox.* Tramen, ῥοδάνη. — Pro ipsa trama legitur in *Not. Tir.* p. 160.

TRĀMĔO, as. *V.* TRANSMEO.

TRĀMES, itis, m. 3. (trameo) Etiam *tramis* in recto in *Gloss. Labb.* 186. — Trames est callis, semita transversa et minus frequens et iter compendifaciens, τρίβος (It. *strada stretta e men battuta, sentiero, calle, scorciatoia;* Fr. *chemin de traverse, sentier;* Hisp. *senda, atajo;* Germ. *der Pfad, die kürzeste Weg, Fusssteig;* Angl. *cross-way, cross-road, by-path*).

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 7. *L. L.* 62. *Müll.* Trames a transverso dictus. *Plaut.* apud *eumd. ibid.* Domum ire cœpi tramite recta via. *Sall. Jug.* 52. per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. *Id. Cat.* 59. *a med.* Uti per tramites occulte profugerat in Galliam. *Cic.* 13. *Phil.* 9. 19. Egressus est non viis, sed tramitibus, paludatus. *Id.* 12. *ibid.* 11. 26. Hæc ego in urbe prævideo: facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit: num idem in Apennini tramitibus facere potero? *Liv.* 2. 39. Inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus. *Justin.* 38. 9. 6. Fugientem Phraates equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit. *Id.* 44. 4. 4. Relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueverant, projici jubet. *Sueton. Aug.* 16. *a med.* Per devios tramites refugiens. ¶ 2. Latiore sensu. *Servius* ad illud *Virg.* 1. *G.* 108. supercilio clivosi tramitis undam Elicit: Tramites, inquit, sunt convalles, quæ de lateribus utrinque perviæ limitant montes: quæ solent etiam saltus nuncupari. Sed hic tramitem nunc pro valle aut saltu accipere debemus. *Virg.* 11. *Æn.* 515. Furta paro belli convexo in tramite silvæ, Ut bivias armato obsidam milite fauces. *Propert.* 3. 21. 23. Clitumnus ab Umbro Tramite fluit. *et ibid.* 11. 44. Et si forte meo tramite quæris avem. ¶ 3. Latissimo sensu de quacumque via. *Virg.* 6. *Æn.* 676. Hoc superate jugum, et facili jam tramite sistam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 48. velut silvis, ubi passim Palantes error certo de tramite pellit, Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit. *Ovid.* 3. *Fast.* 13. molli declivis tramite ripa. *Stat.* 2. *Theb.* 48. *de Tænaro.* Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras Trames agit. *Ovid.* de via, qua exitur ab Inferis, 10. *Met.* 53. Carpitur acclivis per muta silentia trames, Arduus, obscurus, caligine densus opaca. *Propert.* 4. 1. 103. Adspicienda via est cæli verusque per astra Trames. *h. e.* zodiacus, quem *Virg.* 1. *G.* 238. viam, *Ovid.* 1. *Met.* 130. limitem appellat. *Poeta* æqualis *Gellii* 19. 11. Dulcemque florem spiritus Duco ex aperto tramite. *h. e.* ex ore. *Manil.* 4. 126. Flexus trames.

II.) Translate. ¶ 1. Videtur sumi pro itione, qua ultro citroque transmeatur. *Propert.* 3. 14. 25. Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti, Qua facit assiduo tramite vulgus iter. *Virg.* 5. *Æn.* 609. *de Iride,* Illa viam celerans per mille coloribus arcum, Nulli visa, cito decurrit tramite virgo. ¶ 2. Metaphorice est ratio, modus, via. *Lucret.* 6. 25. *de Epicuro.* Exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes, Quid foret: atque viam monstravit tramite prono, Qua possemus ad id recto contendere cursu. *Augustin. De nupt. et concup.* 2. § 10. A veritatis tramite exorbitare. Sic *Ammian.* 22. 10. 2. Ab æquitatis recto tramite deviare. *Lactant.* 5. 18. Ut angustissimus trames ad immortalitatis præmium sublime perduceret. ¶ 3. Allegorice. *Varro* 5. *L. L.* 5. *Müll.* Non mediocres tenebræ in silva, ubi hæc captanda: neque eo, quo pervenire volumus, semitæ tritæ: neque non in tramitibus quædam objecta, quæ euntem retinere possent. *Gell.* 13. 9. Videtis, hanc partem familiæ non solum generis ipsius tramitibus, sed temporum quoque spatio differre. *h. e.* propagationibus transversalibus, tamquam diverticulis a via militari deductis.

Homonym. Quomodo differant *trames, callis, semita, limes* et *vicus,* V. sub SEMITA et VIA.

TRĀMĪGRO. *V.* TRANSMIGRO.

TRĀMIS. *V.* TRAMES.

TRĀMITTO. *V.* TRANSMITTO.

TRĀMŎSĒRĬCUS, a, um, adject. (trama et sericus), ut Tramoserica vestimenta apud *Isid.* 19. *Orig.* 22. 14., quæ stamine lineo sunt et tramam ex serico habent.

TRĀNĀTANS *et* transnatans, antis, particip. *V.* voc. seq.

TRĀNĀTO *et* transnato, as, āvi, are, 1. Multa sunt *Livii* loca, in quibus *transnatare* et *tranatare* et *tranare* et *transnare* promiscue legitur in MSS. et editis libris: quæ collegit *Drakenborch.* ad *Liv.* 21. 27. — Part. *Tranatans.* — Tranato est natando transeo. — *a)* Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. Perpauci viribus confisi transnatare contenderunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (81). Reverti ad stagnum et, quum transnataverit, effigiem recipere. *Sillig.* tranaverit. — *b)* Sequente Acc. cum præp. *in. Id.* 6. *ibid.* 27. 31. (127). Nec a Tigri pisces in lacum transnatant. — *c)* Cum Acc., transitivorum more. *Id.* 17. *ibid.* 1. 5.? ex *De-Vit.* Vulturnum transnatans. — *Vulg. interpr.* 1. *Mach.* 9. 48. Et transnataverunt ad eos Jordanem. *sc.* trajecerunt. — Passive *Hygin. fab.* 257. Ita flumen increvit, ut nec transiri nec transnatari posset.

TRĀNANS *et* transnans, antis, *et*

TRĀNĀTUS *et* transnatus, a, um, particip. *V.* TRANO.

TRĀNĀVĬGO. *V.* TRANSNAVIGO.

TRĀNO *et* transno, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. *Tranans* 2. *a; Tranatus* 1. *a; Tranaturus* et *Tranandus* 1. *a.* — Trano est nando trajicio: usurpatur autem proprie et aliquando etiam translate. ¶ 1. Stricto sensu. — *a)* Cum Acc. *Lucret.* 1. 15. feræ pecudes rapidos tranant amnes. *Virg.* 3. *G.* 270. superant montes et flumina tranant. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. *in fin.* Quibus erat proclive transnare flumen. *Auct. B. Alex.* 29. *a med.* Equites demissioribus ripis flumen transnarunt. *Tac.* 2. *Ann.* 17. *ad fin.* Tranare Visurgim conantes. *Curt.* 8. 13. 18. Quasi flumen transnaturus foret. — Passive. *Ovid.* 2.

Art. am. 181. Obsequio tranantur aquæ. Virg. Cul. 259. Elysiam tranandus agor delatus ad undam. Frontin. 1. Strateg. 7. et 3. ibid. 13. Transnato flumine. — b) Absolute vel neutrorum more. Virg. Cul. 214. Lethæas transnare per undas. Liv. 1. 10. ad fin. In Tiberim desiluit et incolumis ad suos transnavit. Stat. 1. Achill. 451. Pelasgas Ut vidit transnare rates. Curt. 8. 13. 14. Transnavere in insulam. ¶ 2. Latiore sensu est quocumque modo transire, transmeare, passare, oltrepassare. — a) Cum Acc. Lucret. 4. 177. Tranare auras. Id. 4. 602. foramina. Virg. 4. Æn. 245. agit ventos et nubila tranat. Stat. 9. Theb. 311. sublimi transnantem flumina curru. Sil. It. 16. 335. ingentia tranat Exsultans spatia. Id. 13. 238. tranavit hasta viri pectus. h. e. transfodit. — Id. 17. 366. Tranare pericula. — b) Absolute vel neutrorum more. Id. 3. 682. per auras In Libyen niveis tranavit concolor alis. Id. 13. 185. sagitta tranat per auras.

**TRANQUILLATUS**, a, um, particip. V. TRANQUILLO.

**TRANQUILLE**, adverb. (tranquillus) Comp. Tranquillius; Sup. Tranquillissime. — Tranquille est leniter, placide, citra motum et perturbationem, tranquillamente, γαληνῶς. Plaut. Cist. 1. 1. 112. Sed amabo, tranquille: ne quid, quod illi doleat, dixeris: dolcemente, con le buone. et Cic. 3. Tusc. 11. ad fin. Si volumus hoc, quod datum est, vitæ tranquille placideque traducere. Id. Orat. 28. ad fin. Qui nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere. Seneca Ep. 71. circa med. Animus tranquillus inter divina mansurus. Sueton. Aug. 2. a med. Tranquillissime senuit.

**TRANQUILLITAS**, ātis, f. 3. (tranquillus) Tranqlitas contractum pro tranquillitas est in Num. apud Cohen, Méd. imp. VI. 124. n. 198. et alibi. — Tranquillitas est quies, γαλήνη, γαληνότης (It. tranquillità, calma; Fr. calme; Hisp. calma, tranquilidad; Germ. die Ruhe, Stille; Angl. stillness, calmness, calm).

I.) Proprie ac speciatim tranquillitas dicitur de quiete maris, quum nulla tempestate turbatur, vel aeris: ut serenitas est status quietus cæli. Cic. 5. Tusc. 6. 16. Maris tranquillitas intelligitur ne minima quidem aura fluctus commovente. Cæs. 3. B. G. 15. Tanta subito malacia ac tranquillitas exstitit, ut se loco naves movere non possent. Adde 5. ibid. 23. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 31. a med. Proficisci probo navigio, bono gubernatore ac tranquillitate. Liv. 26. 11. Ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur, scil. aeris. Adde Petron. Sat. 102., ubi tranquillitati opponitur adversa tempestas. — In plur. num. Cic. 6. Att. 8. a med. Nos longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus.

II.) Translate. ¶ 1. Accipitur pro quavis quiete, ut tranquillitas vitæ et animi, hoc est securitas motuum omnium et perturbationum expers. Cic. 4. Tusc. 5. ad fin. In parte animi participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam. Seneca Tranquill. 2. Magnum et summum est deoque vicinum, non concuti. Hanc stabilem animi sedem Græci εὐθυμίαν vocant: ego tranquillitatem voco. Cic. 1. Orat. 1. 2. Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur etc. Id. 1. Off. 20. ad fin. Ut tranquillitas animi et securitas adsit. Id. Mur. 27. 55. Qui remoti a studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitæ secuti sunt. Tac. Agric. 40. Tranquillitatem et otium penitus auxit. Petron. Sat. 116. Forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tamquam ad portum faciliorem, confugerunt. ¶ 2. De colore. Plin. 37. Hist. nat. 10. 56. (153). Cinædiæ præsagiunt habitum maris, nubilo colore aut tranquillitate. ¶ 3. Tranquillitas tua, sequiore ævo, est compellatio magnorum principum, vostra serenità. Habetur apud Eutrop. præf. et 1. 12.

Homonym. Tranquillitatem a malacia distinguit Seneca Ep. 67. Sed in otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, malacia est. Igitur tranquillitas non est sine omni actione et motu; malacia dicitur quum mare stat sine ventis et fere sine motu. Cæs. tamen 3. B. G. 15. utrumque promiscue usurpat. Sed quis nescit, differentias sæpissime ab ipsis Romanis scriptoribus neglectas esse? Cf. Döderlein v. 1. p. 79. et seqq.

**TRANQUILLO**, adverb. V. TRANQUILLUS in fin.

**TRANQUILLO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tranquillus) Part. Tranquillatus. — Tranquillo est tranquillum facio et speciatim tempestates sedo, γαληνόω (It. tranquillare, rendere tranquillo, abbonacciare, far bonaccia, calmare; Fr. calmer, apaiser; Hisp. calmar, tranquilizar; Germ: stillen, beruhigen; Angl. to calm, appease, still).

I.) Proprie. Plin. 2. Hist. nat. 103. 106. (234). Mare tranquillatur oleo.

II.) Translate sumitur pro sedare, lenire, liberare a perturbationibus: cui perturbare opponitur. Plaut. Capt. 1. 2. 21. Vultum alicujus tranquillare. h. e. exhilarare. Cic. Top. 26. 98. Ut aut perturbentur animi aut tranquillentur. Horat. 1. Ep. 18. 102. Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum. Nepos Att. 4. sub fin. Tranquillatis rebus Romanis, remigravit Romam.

**TRANQUILLUS**, a, um, adject. De vocis etymo hæc habet cl. Furlanetto in App.: «Videtur esse a θράω sedeo et θρᾶνος, sedes, unde τράω, τρανός, τρανικός, dein τραγκός, τραγκιλός, tranquillus; nam dum mare tranquillum est, remiges et nautæ in transtris otiosi sedent (Cf. Senec. 5. Quæst. nat. 1.)»; vel, ut ipse dixerim, mare quodammodo sedet aut sedatum est. Ceterum rectius duci posse videtur a quieo, ita ut sit vox composita a trans et quies. Cf. etiam de hac re Kärcher Das obsol. zeitwort Quio etc. p. 21. et seq. — Comp. Tranquillior et Sup. Tranquillissimus II. — Tranquillus est quietus, sedatus, placidus, γαληνός (It. quieto, in calma, tranquillo; Fr. calme, paisible, tranquille; Hisp. quieto, tranquilo; Germ. ruhig, still; Angl. calm, still, tranquil).

I.) Proprie ac speciatim dicitur de aere vel de mari, quando nulla exagitatur tempestate, ut serenus de cælo. Seneca 5. Quæst. nat. 1. Tranquillum mare dicitur, quum leviter commovetur nec in unam partem inclinatur, quia nec huc nec illo impetum capiat. Cic. Cluent. 49. in fin. Mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur atque turbatur. Liv. 24. 8. circa med. Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare potest. Ovid. 2. Pont. 7. 8. Tranquillus etiam naufragus horret aquas. Val. Flacc. 2. 609. Tranquilla æquora. Plin. 2. Hist. nat. 79. 81. (192). cælum. h. e. sine vento. et ibid. 45. 44. (114). dies. Id. 9. ibid. 27. 43. (82). noctes. Liv. 2. 61. serenitas. Curt. 4. 8. 8. Leni et tranquillo mari.

II.) Translate. ¶ Est pacatus, placidus, quietus, sedatus, expers perturbationum. Plaut. Cist. 3. 3. v. 21. Facere aliquem ex irato tranquillum. Id. Pœn. 5. 4. 66. Hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem. Ter. Andr. 3. 5. 14. Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias. Lucret. 3. 294. Tranquillum pectus et vultus serenus. Sall. Cat. 16. extr. Tutæ tranquillæque res omnes. Cic. 1. Off. 29. 102. Appetitus sint tranquilli atque omni perturbatione animi careant. Id. 1. Fin. 21. 71. Placata, tranquilla, quieta, beata vita. Id. 1. Orat. 8. 30. Pacatæ tranquillæque civitates. Plin. 3. Ep. 20. Omnia disposita, moderata, tranquilla, majestatem loci pudoremque retinebant. Cic. Senect. 20. circa med. Tranquillo animo esse. Id. 7. Att. 7. Cetera videntur esse tranquilla: tranquillissimus autem animus meus, qui totum istuc æqui boni facit. Liv. 2. 63. Consules, educta ex urbe juventute, tranquilliorem ceteram plebem fecerunt. Id. 38. 28. In ceteris provinciis tranquillæ res fuerunt. Cic. 14. Att. 3. Tranquillæ tuæ quidem litteræ: quod utinam diutius. h. e. tranquilla omnia nuntiantes. Id. 3. Tusc. 15. 31. Frons tranquilla et serena. Id. Pis. 15. 33. Meum illud turbulentissimum tempus tuo tranquillissimo præstat. et Horat. 2. Sat. 1. 57. Tranquilla senectus. Lucan. 1. 171. pax. Id. 2. 266. Tranquilla otia sine armis agere. Id. 1. 129. alter (Pompejus) vergentibus annis In senium longoque togæ tranquillior usu. di spiriti più pacifici. Rursus Plaut. Epid. 3. 4. 8. Tranquillus locus. h. e. ubi tranquille vel commode agitur. — Cic. 1. Fin. 18. 58. Nihil quieti videre, nihil tranquilli potest. ¶ 2. Refertur aliquando ad rationem dicendi. Id. Orat. 52. ad fin. Est enim Isocrates, ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. — Hinc

Tranquillum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Proprie est mare pacatum, quietum. Plaut. Cas. prol. 26. Tranquillum est. alcedonia sunt circum forum. Ter. Phorm. 4. 4. 9. ad scopulum e tranquillo inferat. Cic. 1. Off. 24. 83. In tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est. Liv. 31. 23. Primis tenebris movit et tranquillo pervectus Chalcidem etc. scil. mari. Sic 24. 8. Non tranquillo navigamus, sed jam aliquot procellis submersi pæne sumus. Seneca Ep. 85. ad fin. Tranquillo, ut ajunt, quilibet gubernator est. Plin. 9. Hist. nat. 7. 6. (18). Sæpe adnotata piscium æstivo calore quædam anhelatio et alia tranquillo velut oscitatio. — In plur. num. Id. 9. ibid. 10. 12. (35). Testudines eminente dorso per tranquilla fluitantes. Seneca Troad. 200. immoti jacent tranquilla pelagi. ¶ 2. Translate. Plaut. Amph. 1. 2. 16. Seditionem in tranquillum conferre. Ter. Phorm. 4. 4. 8. Qui te ad scopulum e tranquillo inferat. Id. Eun. 5. 9. 8. Meo fratri gaudeo amorem omnem in tranquillo esse. Lucret. 5. 11. Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris In tam tranquillo et tam clara luce locavit. Lucil. apud Non. p. 338. 17. Merc. Quod te in tranquillum ex sævis transfert tempestatibus. Liv. 3. 40. a med. Bellis perfectis, republica in tranquillum redacta. Id. 4. 43. In urbe ex tranquillo nec opinata moles discordiarum exorta est.

Tranquilla, adverbii ritu, ut multa et hujusmodi, more Græcorum, est idem ac tranquille. Val. Flacc. 1. 38. tranquilla tuens nec fronte timendus.

Tranquillo, item, in eumdem sensum. Liv. 3. 14. sub fin. Cetera tribuni tranquillo peregere. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

Homonym. Discrimen inter tranquillum et serenum V. sub v. SERENUS.

**TRANS**, præpositio loci. — a) Etymon petitur a rad. Skr. tiras, ejusdem significationis. Vanicek vult esse particip. præs. obs. v. trare, transire, quod usurpatur in compos. extrare, intrare, penetrare. — b) In compositione. — α) Si sequatur vocalis, integrum manet, ut transabeo: si consonans, modo ns amittit, modo retinet, ut trajicio et transjicio, tralatio et translatio, tramitto, traduco et transmitto, transduco: si vero sequatur s, hæc altera omitti potest, ut transscendo et transcendo, transscribo et transcribo etc. — β) Aliquando tras pro trans reperitur, ut trasis pro transis, trastiberinus pro transtiberinus. — γ) In unam vocem coalescit cum præp. de, ut sit detrans: cf. desub; ceterum et divisim scribitur de trans, ut e trans, ad trans apud Vulg. interpr. Ital. Marc. 3. 8. cod. Veron. et apud eumd. Jud. 11. 19. cod. Augustin. Quæst. in Jud. 49. — Aliquando trans e, ut apud Vitruv. 9. 1. — δ) Conjungitur etiam cum quibusdam nominibus, adverbiorum more, ut transmare, transalpibus etc. — ε) Tra semper producitur, nisi sequatur vocalis; hinc in forma traicio est brevis. Cf. ABJICIO init. — ζ). Sæpe significat transitum ab uno ad aliud, sive locum sive rem sive personam, ut trado: vel transitum per medium alicujus loci vel rei, transfigo: vel ultra eum terminum, ut transmarinus. — Trans est ultra, πέραν (It. di là, oltre od oltra; Fr. au delà de, par delà; Hisp. mas allá, de la otra parte; Germ. jenseits, über, über-hin. hinaus; Angl. beyond over): regit autem fere

accusativum tam cum verbis, quæ motum, quam cum iis, quæ quietem indicant.

I.) Proprie. — *a*) Cum Acc. *Plaut. Merc.* 2. 3. 19. Trans mare hinc illam venum asportet. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. et 5. Qui trans Rhenum incolunt. *Id. ibid.* 35. Ne quem hominum multitudinem trans Rhenum in Galliam transduceret. *Cic.* 12. *Att.* 19. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare. *Id.* 2. *Fam.* 15. *in fin.* Tuæ res gestæ ita notæ sunt, ut trans montem Taurum etiam de Matrinio sit auditum. *Id. Quinct.* 3. 12. Tollitur ab atriis Liciniis Nævius et trans Alpes usque transfertur. *Virg.* 8. *Ecl.* 102. Trans caput jace cineres. *Ovid.* 9. *Met.* 114. curvos trans ripam miserat arcus. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 27. qui trans mare currunt. *Liv.* 5. 33. Tusci trans Apenninum colonias miserunt. *Id.* 25. 14. et 41. 4. Trans vallum. *Cic.* 1. *Invent.* 29. 45. Trans mare fui. *Id. Mil.* 27. 174. Trans ripam domino inspectante. — In illo *Vulg. interpr. Deut.* 1. 1. Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses trans Jordanem. *trans* nonnulli sumunt pro *cis*, ex vi particulæ Hebraicæ, quæ utrumque significat. Verum in textu Hebr. est proprie *in transitu*, h. e prope transitum, *presso il tragitto*. Ceterum alii usitatam vocis significationem tenent rem aliter interpretantes, de quo V. *Ubaldi Intr.* etc. v. 3. p. 502. et seq., *Re Diz. Bibl.* ad v. *Deut.* et *Berta De' cinq. lib. Mos. p.* 67. — *b*) Cum Abl. videntur veteres usurpasse. *Fragm. leg. agr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 200. AGRO QVI TRANS CVRIONE EST., nisi malis litteram *m* finalem, ut alibi, omissam esse. Ceterum rem confirmat vox *transalpibus* apud *Gell.* 15. 30. ex *Val. Probo* sumpta.

II.) Translate. *Quintil. Declam.* 6. 10. *sub fin.* Non nisi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem. *h. e.* ultra et postquam morte homo esse desiit. — Pro contra. *Stat.* 11. *Theb.* 386. Jura ferus populo trans legem ac tempora regni (*habet*).

TRANSĂBĔO, is, ĭi et īvi, ĭtum, ire, anom. ultra habeo, διαπορεύω (It. *andare o passare oltre*; Fr. *aller au delà, passer devant, dépasser*; Hisp. *ir ó pasar mas allá*; Germ. *hinüber gehen, darüber gehen, passiren*; Angl. *to go or pass beyond*); occurrit autem tum intransitive tum transitivorum more. ¶ 1. Intransitive. *Stat.* 6. *Theb.* 507. at hunc putri præter tellure jacentem Tænarei currus et Thessalus axis et heros Lemnius, obliquâ quantum vitare dabatur, Transabiere fuga. *Apul.* 7. *Met.* Per medias acies infesti militis transabivi. ¶ 2. Transitivorum more cum Acc. — *a*) Est prætereo, *oltrepassare*. *Val. Flacc.* 4. 510. *de harpyis fugientibus.* Turbine sic rapido populos atque æquora longe Transabeunt. Adde *Apul.* 8. *Met.* — Hinc translate. *Id. ibid.* Transabire difficultates viæ. — *b*) Item trajicio, transfigo, *passare da parte a parte, trafiggere*. *Virg.* 9. *Æn.* 431. *Ribb.* viribus ensis adactus Transabiit costas et candida pectora rupit. Alii leg. *transadiit*, a *transadeo, is*, eod. sensu: alii *transadigit*. Adde *Stat.* 2. *Theb.* 9. *Id.* 9. *ibid.* 224. Lernæam jacit ipse trabem: volat illa sagittis Æqua fuga mediumque, nihil cunctata, Politen Transabit et juncti clipeum cavat improba Mopsi. *h. e.* transfigit Politen et porro pergens perforat Mopsi clipeum. Adde *Sil. It.* 12. 264.

TRANSACTĬO, ōnis, f. 3. (transigo) ¶ 1. Est actus transigendi, peractio, *consumazione, fine*, περαίωσις. *Tertull. Anim.* 55. *a med.* Cum transactione mundi reserabuntur regna cælorum. *Ennod.* 1. *Ep.* 6. Quædam vitæ sine tota luce transactio. ¶ 2. Item pactio inter litigantes de re dubia et lite incerta neque finita, *aggiustamento, componimento, transazione*, συμβίβασμός. *Scævol.*, *Ulpian.* et *Hermogenian. Dig.* 2. *tit.* 15. *qui* De transactionibus *inscribitur l.* 3. 7. etc. Transactionem facere. *Paul. ibid.* 50. 16. 230. Transactione composita. *V.* TRANSIGO. *Cod. Theod.* 11. 15. 2. Quæ a provincialibus sub transactione comparationis pretio expeti solent. *h. e.* conventione de commutanda præstatione rei debitæ.

TRANSACTOR, ōris, m. 3. (transigo) qui transigit, cujus ministerio ad rei alicujus transactionem utimur, διαπράκτωρ. *Cic.* 4. *Verr.* 28. 69. Qui est rerum hujusmodi omnium transactor et administer.

TRANSACTUS, a, um, particip. *V.* TRANSIGO.

TRANSĂDACTUS, a, um, particip. *V.* TRANSADIGO.

TRANSĂDĔO. *V.* TRANSABEO.

TRANSĂDĬGO, ĭgis, ēgi, actum, ĭgere, a. 3. Part. *Transadactus.* — Transadigo ¶ 1. Est adigo seu inigo aliquid, ut ex altera parte exstet, *cacciare fuor fuora, da banda a banda.* — *a*) Cum Acc. rei seu instrumenti, quod adigitur. *Apul.* 4. *Met.* Sumptum gladium suum per medium pectus ictu fortissimo transadigit. — Passive. *Id.* 8. *ibid.* Ferro sub papillam dexteram transadacto. — *b*) Cum altero Acc. rei, in quam quid adigitur. *Virg.* 12. *Æn.* 507. et qua fata celerrima, crudum Transadigit costas et crates pectoris ensem. ¶ 2. Item est transfigere, trajicere, *passare da banda a banda*, διαπειρᾶν. *Stat.* 5. *Theb.* 125. Quattuor hos una, decus et solatia patris, Transadigam ferro. *Sil. It.* 10. 140. Hæc fatus jaculo Lucam, qui maximus ævi, Transadigit. *Apul.* 9. *Met.* Injecta lancea, duorum alterum per pectus medium transadegit. — Cum duplici Acc. *Virg.* 12. *Æn.* 273. Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo Balteus egregium juvenem et fulgentibus armis, Transadigit costas.

TRANSĂLĬO. *V.* TRANSILIO.

TRANSALPES. *V.* TRANSALPICUS.

TRANSALPĪBUS, adverbii ritu, trans Alpes, *di là dall' Alpi*. *Gell.* 15. 30. *sub fin.* Petoritum enim est non ex Græca dimidiatum, sed totum transalpibus. *Hertz* tamen leg. *trans Alpibus* divisim. *Gronov.* mallet *in* vel *de transalpibus*. Alii ediderunt *transalpibus factum*. Simile est illud *Flori* 2. 3. Sic de subalpibus, id est de sub ipsis Italiæ faucibus. *Alii leg.* desub Alpibus.

TRANSALPĬCUS, a, um, adject. idem ac Transalpinus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 144. Transalpes, Transalpicus, Transalpinus.

TRANSALPĪNUS, a, um, adject. qui trans Alpes est, *chi è di là dall' Alpi*. *Cæs.* 7. *B. G.* 6. et *Cic. Mur.* 41 89. Transalpina Gallia. *Id.* 9. *Fam.* 15. Bracatæ et Transalpinæ nationes. *Id.* 2. *Off.* 8. 28. Transalpina bella. *Id. post redit. in Senat.* 7. 15. Cognatio materna Transalpini sanguinis. — Hinc

*Transalpini, orum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, incolæ regionum trans Alpes, *Transalpini*. *Sueton. Cæs.* 24. Legio una ex Transalpinis conscripta. Adde *Victor. Cæs.* 42. et *Eutrop.* 4. *V.* plura in ONOM.

TRANSĂNĬMĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac metempsychosis. *Gloss. Cyrill.* Μεταψύχωσις (*sic*), transanimatio. Adde *Quæst. gramm. Cod. Bern. p.* C. *Hag.*

TRANSAUSTRĪNUS, a, um, adject. qui est ultra Austrum, *posto di là dall' Austro*. *Capell.* 6. *p.* 197. *de zonis.* Altera regio transaustrini halitus desertione contrahitur.

TRANSAXIM. *V.* TRANSIGO.

TRANSBĔNĔVENTĀNUS, a, um, adject. qui trans Beneventum est, urbem Hirpinorum in Italia, *chi è di là da Benevento*. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 377. quod illum Transbeneventanis finibus advenientem etc.

TRANSBĔO, as, are, a. 1. ultra beo. *Isid.* 19. *Orig.* 24. 8.

TRANSBĬBO, is, ere, a. 3. idem quod bibo, vel potius deglutio, transvoro, ut Dare aliquid transbibendum, apud *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. *sub fin.* et *ibid.* 8. *a med. V.* CATAPOTIUM.

TRANSCENDENS, entis, particip. *V.* TRANSCENDO.

TRANSCENDENTĬA, æ, f. 1. (transcendo) idem ac transcensus. *Aggen. in Frontin. p.* 63. *Goes.* Initialis controversiæ status transcendit in controversiam, quæ est loco tertio: transcendentiam non habet de hoc (*status*) effectivus, sed dum consummatus fuerit, nascitur.

TRANSCENDO (transscendo), scendis, scendi, scensum, scendere, 3. (trans et scando) Part. *Transcendens* sub *A* II.; *Transcensus* sub *A* I. et II.; *Transcensurus* sub *B* II.; *Transcendendus* sub *A* I. — Transcendo est ascendendo transgredior, supero, transeo, ὑπερβαίνω (It. *oltrepassare salendo, traversare*; Fr. *franchir en montant, monter par-dessus, traverser*; Hisp. *sobrepujar, propasar, trascender*; Germ. *hinüber steigen, schreiten*; Angl. *to climb, go over*): usurpatur autem *A*) Transitive; et aliquando *B*) Neutrorum more.

*A*) Transitive est, ut diximus, ascendendo transgredior.

I.) Proprie. *Cæs.* 7. *B. G.* 70. *a med.* Fossam transire et maceriam transcendere conantur. *Cic. Somn. Scip.* 6. *sub fin.* Transcendere Caucasum vel Gangem transnatare. *Liv.* 36. 24. Partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendere. *Propert.* 1. 14. 19. limen. *h. e.* domum ingredi. *Lucan.* 4. 175. audet transcendere vallum Miles. *Paulin. Petrocor.* 1. *Vit. S. Martin.* 241. Nec transcendendi prætenta obstacula muri. *Sex. Ruf. Breviar.* 6. Transcensis Alpibus, feliciter adversus eos pugnavit. *Cæs.* 3. *B. C.* 46. Transcendere fossas. et 1. *ibid.* 67. *a med.* valles maximas ac difficillimas. *Tac.* 4. *Ann.* 44. exercitu flumen.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 59. avarities et honorum cæca cupido Quæ miseros homines cogunt transcendere fines Juris. *Liv.* 40. 9. et 11. Transcendere ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, juris gentium. *h. e.* non servare. *Seneca Troad.* 702. Transcendere aliquem ætate. *h. e.* diutius vivere. *et ibid.* ingenio. *h. e.* superare. *Id Thyest.* 912. Vota transcendi mea. *h. e.* plus, quam optabam, obtinui. *Tac.* 3. *Ann.* 54. Prohibita impune transcendere. *h. e.* violare. Sic *Cod. Theod.* 6. 4. 22. Præcepta transcendere. *Sil. It.* 3. 607. At tu transcendens, Germanice, facta tuorum. *h. e.* superans, transiens. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. 14. Transcenso atque prætermisso initio.

*B*) Neutrorum more est ab una re in aliam vel ab uno loco in alium transire, *passare dall' una cosa o dall' un luogo all' altro*; adhibetur autem cum Acc. et præp. *in*, *ad*, aut absolute.

I.) Proprie. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. *ad fin.* Transcendere in hostium naves. *Liv.* 28. 42. *circa med.* Quum Hasdrubal in Italiam transcendit. *Id.* 3. 8. Nuntiantibus Hernicis, in fines suos transcendisse hostes. *Justin.* 37. 3. 5. Inde in Bithyniam transcendit. *passò.* — *Plaut. Aulul.* 2. 2. 58. est periculum, me ab asinis ad boves transcendere.

II.) Translate. *Quintil.* 7. 1. *ante med.* Nemo tam demens fuerit, ut id, quod firmissimum duxerit se habere, remittat et ad leviora transcendat. *h. e.* dicendo transeat. *Jul. Hygin.* apud *Gell.* 16. 6. *extr.* Ex minore ætate in majorem transcendisse. *Vellej.* 2. 130. 3. Ad majora transcendere. *Apul. de Mag.* Ad testimonium illud Crassi a suspicionibus Æmiliam transcensurus.

TRANSCENSĬO, ōnis, f. 3. (transcendo) idem quod hyperbaton. *Cassiod.* in *Ps.* 44. 14. et *Isid.* 1. *Orig.* 37. 16.

TRANSCENSUS, a, um, particip. *V.* TRANSCENDO.

TRANSCENSUS, us, m. 4. (transcendo) actus transcendendi.

I.) Proprie. *Ammian.* 19. 5. *sub fin.* Occurrere multitudini transcensu scalarum jam propugnacula ipsa prensanti. Adde *Vulg. interpr. Is.* 16. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Augustin. Serm.* 154. *n.* 2. ed. *Mai.* Quum phase, quod est pascha, transitus intelligitur sive transcensus, Christi sanguine nos consecremus etc. ¶ 2. Speciatim est figura rhetorica eadem ac transcensio. *Auct. carm. de fig.* 160. Transcensus porro est, quum intersita pendula claudo.

TRANSCĪDO, scīdis, scīdi, scīsum, scīdere, a-

3. (trans et cædo) Forcellinus noster habet transcindo, quod recentioribus criticis minus placet. — Part. Transcisus. — Transcindo est omnino cædo, lacero, κατακόπτω (It. lacerare; Fr. rouer de coups, déchirer; Hisp. romper, rasgar, destrozar; Germ. durchhauen, durchprügeln; Angl. to cut throught, lacerate). Plaut. Pers. 4. 8. 1. Transcidi loris omneis adveniens domi. Grom. vet. p. 305. 4. Lachm. Terminus si caput de aquila factum habuerit, montem transcisum transit. h. e. utrinque foratum.

TRANSCINDO et

TRANSCĪSUS, a, um, particip. V. voc. præced.

TRANSCŌLĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

TRANSCŌLO, as, ātum, are, a. 1. Part. Transcolatus. — Transcolo est per colum transadigo. Theod. Priscian. 4. p. 311. ed. Ald. Reliquum vinum permiscens cum passo Cretico coque: agitatum transcolas in trullionem. Id. ibid. p. 312. retro. His in cacabúm missis ac resolutis et cum oleo transcolatis, misceri illud oportet.

TRANSCONTRA, adverb. exadversum, dirimpetto. Vitruv. 9. 1. et 2. Nohl trans contra.

TRANSCRĪBENS, entis, particip. V. voc. seq.

TRANSCRĪBO (transscribo), scrībis, scripsi, scriptum, scrībere, a. 3. Part. Transcribens II. 1.; Transcriptus I. 1. et 3. — Transcribo est ab alio describo, exscribo, ἀπογράφω (It. copiare, ricopiare, trascrivere; Fr. transcrire, copier; Hisp. transcribir, copiar; Germ. abschreiben; Angl. to write out or over, copy): usurpatur autem cum Acc., cui aliquando additur alter Acc. per præp. in; aut etiam absolute.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Cic. 3. Nat. D. 30. 74. L. Alenus transcripsit tabulas publicas, quum chirographum sexprimorum imitatus est. Id. 4. Herenn. 4. 6. Si vestra manu fabulas aut orationes totas transcripsissetis. Plin. 14. Hist. nat. 2. 4. (33). Græcinus, qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit. Id. ibid. præf. a med. Transcribere aliquid ad verbum. Plin. alter 4. Ep. 7. Eumdem librum in exemplaria transcriptum mitte. Cic. Cluent. 14. 41. Testamentum in alias tabulas transcriptum signis adulterinis obsignavit. Gell. 2. 2. ad fin. Posuimus verba Quadrigarii, ex annali ejus sexto transcripta. ¶ 2. Latiore sensu interdum significat scribere in coloniam. h. e. transferre ex urbe in aliam urbem. Virg. 5. Æn. 750. Transcribunt urbi matres. Ubi Servius: Romani moris verbum est. Transcripti enim in colonias deducebantur. Cic. et Liv. verbo adscribere hoc sensu usi sunt, ille 2. Phil. 40. 102., hic 31. 49. et 33. 24. Sic Val. Max. 2. 7. n. 9. et 15. Turmas equitum, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit. h. e. ex uno in alium ordinem transtulit. ¶ 3. Item aliquando per scripturam seu instrumentum rem nostram in alterius dominium transferre, vendere, alienare. Hinc Agroet. De orth. p. 2268. Putsch. Transcribere est, quum jus nostrum in alium transit. Proculus Dig. 19. 5. 12. Ut eos fundos eodem pretio mulier viro transcriberet. Scævola ibid. 32. 1. 39. a med. Agri plagam Publio et Cajó transcribi volo, pretio facto viri boni arbitratu. Impp. Arcad. et Honor. Cod. 11. 2. 3. Auctores transcripti prædii teneantur obnoxii. ¶ 4. Apud JCtos transcribere nomina est mutare creditoris nomen et in alium transferre jus exigendi: vel contra, mutare nomen debitoris et in se suscipere obligationem solvendi. Liv. 35. 7. Quum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent. Sic Cajus Dig. 16. 1. 13. Si hereditatem emerit, et æs alienum hereditarium in se transcribat. V. TRANSCRIPTICIUS.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1., dicitur de pingentibus, copiare dal naturale, fare un ritratto: ceterum etiam γράφω et scribere et pingere est. Plin. 25. Hist. nat. 2. 4. (8). Pinxere effigies herbarum atque ita subscripsere effectus. Verum et pictura fallax est, et coloribus tam numerosis, præsertim in æmulatione naturæ, multum degenerat transcribentium sors varia. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. Seneca Ep. 4. Quum puerilem animum deposueris et te in viros philosophia transcripserit. Seneca alter Thyest. 13. In quod malum transcribor! ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 3. Virg. 7. Æn. 421. Turne, patiere, tua Dardaniis transcribi sceptra colonis? h. e. transferri, tradi. Ovid. 7. Met. 172. ergo ego cuiquam Posse tuæ videor spatium transcribere vitæ? h. e. annos tibi demere et parenti tuo addere? ut supra v. 168. dixerat. Id. Ib. 190. tuasque Æacus in pœnas ingeniosus erit: In te transcribet veterum tormenta virorum. Manibus antiquis causa quietis eris. h. e. in te transferet. Sidon. carm. 2. 461. Acquisita meo servit tibi Creta Metello: Transcripsi Cilicas. h. e. cessi, in tuam ditionem transtuli. Quintil. Declam. 12. 18. Spiritus nostros transcribis, salutem nostram exponis. h. e. ea, quæ ad vitam tuendam nobis opus sunt, aliis tradis. V. TRANSCRIPTIO. Auct. fragm. Sat. in Pis. 25. Wernsd. quicquid Olympi est, Transcripsere Erebo. h. e. honorem diis debitum Orci satellitibus impertiere.

TRANSCRIPTĪCĬUS et transcriptitius, a, um, adject. (transcribo) ad transcriptionem pertinens. Cajus 3. Institut. (edente iterum Goeschenio) § 128. Litteris obligatio fit veluti in nominibus transcripticiis; fit autem nomen transcripticium duplici modo. V TRANSCRIBO.

TRANSCRIPTĬO, ōnis, f. 3. (transcribo) actus transcribendi, descriptio, trascrizione.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Mar. Victorin. 1. 4. 22. Qui (libri antiqui) etsi frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem. ¶ 2. Latiore sensu est translatio obligationis in alium, quæ fit transcribendo ejus nomen. V. TRANSCRIBO sub I. 4. Cajus 3. Institut. (edente iterum Goeschenio) § 130. A persona in personam transcriptio fit, veluti si id, quod mihi Titius debet, tibi id expensum tulero, id est, si Titius te delegaverit mihi.

II.) Metaphorice est translatio criminis in alium, excusatio. Quintil. Declam. 13. 11. Jam privati veneni transcriptio est. scil. dives causabatur, se nihil deliquisse, quia in privato suo apes pauperis vicini veneno necasset. — Huc pertinet Eugypp. Thes. 346. Ab illa carne quæ - facta est caro peccati, deinde per successionem transeunte in omnes transcriptione iniquitatis et mortis, caro fit propagata peccati.

TRANSCRIPTĪTĬUS. V. TRANSCRIPTICIUS.

TRANSCRIPTUS, a, um, particip. V. TRANSCRIBO.

TRANSCURRENS, entis, particip. V. voc. seq.

TRANSCURRO, curris, curri et cŭcurri, cursum, currere, 3. Præter. transcucurrit legitur apud Senec. 1. Controv. 2. et 7. ibid. 1. et alibi. et Plin. 2. Hist. nat. 26. 25. (96). et ibid. (100).; unde transcucurrisset apud Sueton. Cal. 24. — Part. Transcurrens sub A I. b; Transcursus sub A I. a et II.; B II. 1.; Transcursurus sub A I. a. — Transcurro est ultra curro, cursu me aliquo confero, μετατρέχω (It. passare correndo, trascorrere; Fr. courir au delà, courir devant, passer en courant; Hisp. correr mas allá, correr delante, pasar corriendo; Germ. hinüber -, hin - laufen, - fahren; Angl. to run over or across, go or pass over quickly): occurrit autem

A) Intransitive et usurpatur absolute vel sæpius cum Acc. termini et præp. ad, in, præter.

I.) Proprie. — a) Universim. Plaut. Mil. glor. 2, 6. 43. cito Transcurre curriculo ad nos: - post, quando exierit a nobis Sceledrus Cito transcurrito ad vos rursum curriculo domum. Ter. Eun. 4. 6. 25. Ego hinc transcurro ad forum. Lucret. 4. 192. Transcurrere per spatium. Virg. 5. Æn. 528. cælo ceu sæpe refixa Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt. Ovid. 14. Met. 358. effigiem, nullo cum corpore, falsi Finxit apri præterque oculos transcurrere regis Jussit. Plin. 2. Hist. nat. 26. 25. (96). Fax præter ora populi meridiano transcucurrit. Curt. 4. 13. a med. Haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret. Sil. It. 12. 414. per geminum transcurrit tempus arundo. Gell. 5. 10. Tempus transcurrit. passa. — Passive impersonaliter. Ter. Hecyr. 3. 4. 17. Transcurso in arcem opus est tibi. h. e. transcurrendum est. Liv. 25. 39. Captis propioribus castris in altera transcursum castra ab Romanis est. — b) De navigantibus. Cæs. 1. B. C. 58. Remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant. Val. Flacc. 4. 614. limite recto Puppis et æquali transcurrat carbasus aura. Id. 8. 176. redeuntibus aura Gratior et notæ Minyis transcurrere terræ.

II.) Translate. Cic. 4. Herenn. 34. 45. Translationem dicunt pudentem esse oportere, ut cum ratione in consimilem rem transeat, ne sine delectu temere et cupide videatur in dissimilem transcurrisse. Horat. 2. Sat. 2. 80. Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam. migliorarsi. et Claudian. 2. Laud. Stilich. 51. in prolem transcurrit gratia patrum. passa. — Passive impersonaliter. Vellej. 2. 1. 1. Præcipiti cursu a virtute descitum est, ad vitia transcursum.

B) Transitivorum more, cum Accusativo.

I.) Proprie. Sueton. Cal. 24. Quum noctu profugisset ab urbe transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit. Alii transcurrisset. Claudian. III. cons. Honor. 208. Bacchi transcurrere metas. oltrepassare. (Adde Petron. Sat. 136.) et Colum. 3. R. R. 10. Reliquas trunci partes humor omnis et alimentum transcurrit, dum ad ultimum perveniat. oltrepassa e lascia da parte. Cf. Seren. Sammon. c. 24.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Cic. Brut. 81. 282. Dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant. h. e. non per gradus, sed quasi saltibus cursum gloriæ confecerant. Ammian. 21. 7. extr. Euphrate navali ponte transcurso. Apul. 9. Met. init. Raptim transcursa prima porticu. Id. Florid. n. 1. Hæc ignorantibus transcursa. h. e. non animadversa. ¶ 2. Speciatim brevi perstringere, toccare brevemente, cursim dicere. Seneca 1. Controv. 2. a med. Cestius timuit se in narrationem demittere, sed illam transcurrit. Quintil. 9. 3. ad fin. Hæc omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt. Plin. 34. Hist. nat. 8. 19. (52). Distinctis celeberrimorum (statuariorum) ætatibus, insignes raptim transcurram. Adde Quintil. 4. 2. init.

TRANSCURSĬO ōnis, f. 3. (transcurro) actus transcurrendi. Ennod. 8. Ep. 30. In viridarii transcursione. — Translate de tempore est decursus, trascorrimento. Imp. Justinian. Cod. 6. 23. 27. sub fin. Testamenta mortuorum per decennii transcursionem evanescere, nullo patimur modo. Adde Claud. Mamertin. De stat. anim. 2. 2.

TRANSCURSŌRĬUS, a, um, adject. (transcurro) qui facile transcurritur. Jul. Valer. 3. res gest. Alex. M. (edente A. Maio) 36. Neque id breve aut transcursorium fuit. In edit. Paris. leg. transitorium.

TRANSCURSUS, a, um, particip. V. TRANSCURRO.

TRANSCURSUS, us, m. 4. (transcurro) actus transcurrendi, transcursio, μεταδρομή (It. trascorrimento; Fr. action de parcourir, passage; Hisp. accion de correr á mas, pasage; Germ. das Durchlaufen; Angl. a running over, passing across).

I.) Proprie. Seneca 2. Quæst. nat. 7. Avibus maximis minimisque per aera transcursus est. Sueton. Aug. 90. Consternatus per nocturnum iter transcursu fulguris. — In plur. num. Seneca 6. Quæst. nat. 3. Subiti transcursus ignium.

II.) Translate. Vellej. 2. 55. 1. Admonet promissæ brevitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint. quanto di passaggio, con quanta brevità. et ibid. 99. a med. Illud etiam in hoc transcursu dicendum est. in questo compendiosa istoria. et ibid. 86. In hoc transcursu tam

ariati operis. — *In transcursu*, obiter, breviter, *di passaggio*. *Plin*. 18. *Hist. nat*. 13. 34. (126). In transcursu ea (*rapa*) attigere nostri: paullo diligentius Græci. *Id*. 3. *ibid*. 5. 6. *sub init*. Breviter atque in transcursu dicere. Adde *eumd*. 19. *ibid*. 8. 44. (154).

TRANSDĀNŪBĬĀNUS *et* Transdanuvianus, a, um, adject. (trans *et* Danubius) qui trans fluvium Danubium habitat vel exstat. *Liv*. 40. 58. *sub fin*. Tran danubiana regio. *Madvig* et *Hertz* leg. *aquilonia*, et *Weissenb*. leg. *Apollonia*. *Vopisc. Aurel*. 39. Dacia Transdanuviana. *Lactant. Mort. pers*. 9. Mater ejus (*Galerii Maximiani*) Transdanuviana, infestantibus Carpis, in Daciam, trajecto amne, confugerat. — Hinc

*Transdanubiani, orum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, eodem sensu. *Inscr*. sub Vespasiano Imp. apud *Gruter*. 453. (*Orelli n*. 750.) PLVRA QVAM CENTVM MILL. EX NVMERO TRANSDANVVIANORVM AD PRAESTANDA TRIBVTA TRANSDVXIT.

TRANSDĀNŪVĬĀNUS. *V*. voc. præced.

TRANSDO et deriv. *V*. TRADO.

TRANSDŪCO et deriv. *V*. TRADUCO.

TRANSENNA, æ, f. 1. — In bonis MSS. *Plauti* pro *transenna* legitur *trasenna* et *trassenna*. V. *Ritschl Plaut. Pers*. 4. 3. 11. — Ratione habita etymi, alii ducunt a *transeo*; ex eo namque, ut ait *Voss*. in *Etymol*., appellatio videtur esse, vel quia aspectus transeat, contra quam fit in corpore solido, vel quia perticæ, unde transenna fit, se transeant mutuo, ut quæ lignis constent transversis. Recentiores vero censent esse pro *transepna* et conflatum a *trans* et inusit. *apo*, conjungo, ita ut sit quod e transverso seu oblique conjungitur. — Quidquid sit de etymo, transenna videtur primum significare opus cancellatum seu reticulatum atque, ut Græci vocant, δικτυωτόν. Hinc ¶ 1. Stricto sensu — *a*) Est rete ex funiculis cancellatis factum ad struendas avibus insidias. *Plaut. Bacch*. 4. 6. 22. Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit: Pendebit hodie pulcre; ita intendi tenu. *h. e*. per transennam hic turdus procedit ad capiendum lumbricum, sed irretitus pendebit. — Translate ponitur pro insidiis, dolo, fallacia. *Id. Rud*. 4. 7. 10. in ætate hominum plurimæ Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis: Atque edepol in eas plerumque esca imponitur, Quam siquis avidus poscit escam avariter, Decipitur in transenna avaritia sua. *Id. Pers*. 4. 3. 11. Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis. — *b*) Etiam crates seu cancelli ferrei vel lignei vel viminei, qui fenestris aut etiam mercibus oppositi visui pervii sunt, *ferrata, rastello, gelosia*, κιγκλίς; unde *per transennam aspicere* proverbialis locutio est, qua significatur non propius neque sigillatim, sed procul, obiter et summatim inspicere, tractaque videtur a mercatoribus, qui mercibus, quas contrectari nolunt, cancellos objiciunt, ut prætereuntibus procul modo contemplari liceat, nec explicant eas nisi licitatori idoneo. *Cic*. 1. *Orat*. 35. *a med*. Similiter nunc petis a Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco, quasi per transennam prætereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat et suo quidque loco collocet. Sunt qui putant, locum hunc *Ciceronis* corruptum esse itaque legi debere, ut verba illa *per transennam* delenda sint, tamquam a librariis per imperitiam intrusa: quorum sententiæ seu potius conjecturæ, quia celeberrimæ quæque *Ciceronis* editiones et *Non*. p. 512. 15. *Merc*. repugnant, acquiescere non possumus. ¶ 2. Latiore sensu significat funem extensum, ducta fortasse similitudine a transenna, qua rete significat, quæ funibus extensis tendebatur. *Gloss. Philox*. Βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τεταμένος, transenna. *Sall. fragm*. apud *Non*. p. 180. 21. *Merc*. Transenna demissum Victoria simulacrum cum machinato strepitu, coronam capiti imponebat. *Non. loc. cit*. hunc locum affert, ut suam probet interpretationem, qua dixit, transennam significare fenestram. Plenius hunc eumd. loc. *Sallustii* recitat *Macrob*. 2. *Saturn*. 9. Præterea quum sedenti in transenna demissum Victoriæ simulacrum, cum machinato strepitu tonitruum, coronam ei imponebat; tum venienti ture, quasi deo supplicabatur. *Nonius* omittit τὸ *in*, quod et *Servius* facit ad *Virg*. 5. *Æn*. 488. Hinc etiam *Isid*. 19. *Orig*. 1. *a med*. Transenna dicitur extentus funis. Hoc modo commode funis extentus intelligitur, per quem signum illud demitteretur; præsertim quum de Metello sedente in ædibus eorum, qui eum ad cenam invitaverant, *Sallustius* loquatur. Si legas *in transenna*, durum videtur de fune intelligere: neque tamen ausim *Nonii* fenestram probare. *Ammian*. 20. 11. *a med*. Afflictabant multo vehementius Persas ictus varii ballistarum, tamquam per transennam a clivis ductilibus decurrentes *Id*. 25. 6. *a med*. Tamquam e transenna simul emissi, spe citius ripas occupavere contrarias. At recentiores loca cit. *Sall*. et *Macrob*. et etiam *Ammian*. non de fune extento simpliciter, sed de rete exponunt. Aliter vero sentit *Rich op. cit*. ad *h. v*., qui *transennam* interpretatur de linea seu fune extento in circo, unde cursus eodem temporis puncto incipiebat: hinc locutio *e transenna*, apud *Ammian. loc. cit*., est simul omnes. De *linea* tamen *V*. plura in ea voce. ¶ 3. Latissimo sensu est id, quod transitum præstat. *Fulgent*. 2. *Mythol*. 8. Auctumnus vitalis suci arborum commerciales transennas interius stringit. *h. e*. mutuos transitus. — Hinc translate *Augustin*. in *Ps*. 91. *n*. 3. Restat ergo, ut sive per transennam sive per cannam longam sive per proximum (*al*. proximam) Deum accuset et quum Deus puniat peccata, Deum faciat auctorem peccatorum. Quamquam hunc *Augustini* locum a prioribus vocis notionibus translatum esse negare non ausim.

TRANSĔO, is, ĭvi *vel* ĭi, ĭtum, ire, anom. — *a*) *Traeo* pro *transeo* veteres protulisse testatur *Apul. De not. aspir*. 45., nullo tamen auctore laudato. — *Transiebamus* pro *transibamus* apud *Senec*. 7. *Controv*. 1, — *Transeam* pro *transibo* dixit *Trebell. Val. jun. in fin*. — Sic *transies, transiet, transietis, transient* pro *transi-bis, -bit, -bitis, -bunt* apud *Gromat. vet*. p. 285. 19. *L*., *Tibull*. 1. 4. 27., *Senec*. 3. *Quæst. nat*. 10., *Apul. Ascl*. 28., *Tertull. Carn*. 37., *Vulg. interpr. Jud*. 6. 4. et *Job* 20. 8., *Hieronym*. in *Is*. 15. ad 55. 12., *Ambros. Abr*. 1. 5. *n*. 36. etc. — *b*) Ratione quantitatis, *transis*, ultimâ correptâ, usurpavit *Sidon. carm*. 23. 404. Tortum tramite transis ipse recto. — *Transit* pro *transiit*, ultimâ productâ, apud *Martial*. 2. 64. Peleos et Priami transit et Nestoris ætas. — Part. *Transiens* sub *A* I. 1. et II. *a* et *g*; *Transitus* sub *A* II. *c* et *B* I. 1.; *Transiturus* sub *A* I. et *B* II. 4.; *Transeundus* sub *B* I. 1. et II. 1. — Transeo est ultra eo, trajicio, transgredior, διαβαίνω (It. *passare, oltrepassare, trasferirsi*; Fr. *passer au delà, passer*; Hisp. *pasar mas allá, pasar*; Germ. *hinüber-, vorüber- verbeigehen, übergehen*; Angl. *to go or pass over or beyond*). Adhibetur *A*) Intransitive; et *B*) Transitivorum more.

*A*) Intransitive usurpatur cum Acc. termini et præp. *ad, in, per*; aut absolute.

I.) Proprie est ab uno loco ad alium vel ab una re ad aliam vel in aliam eo, transmeo, trajicio. ¶ 1. Generatim. *Cæs*. 4. *B. G*. 30. Neminem postea belli inferendi causa in Britanniam transiturum confidebant. *Id*. 1. *ibid*. 28. *a med*. Ne Germani e suis finibus in Helvetiorum fines transirent. *et* 4. *ibid*. 10. Mosa insulam efficit neque longius in Oceanum transit. — *Sall. Jug*. 115. Per media castra palam transire. *Ovid*. 4. *Met*. 69. Voces transeunt per rimas. *Cic*. 9. *Att*. 3. Domitii filius transiit Formias VIII. Id. currens ad matrem Neapolim. *è passato per*. — Absolute. *Cæs*. 1. *B. G*. 9. *extr*. Sequani ne itinere Helvetios prohibeant: Helvetii ut sine maleficio et injuria transeant. *Val. Flacc*. 2. 431. Tunc tenuis Lemnos transitque Electria tellus. *h. e*. videtur transire nobis a littore solventibus. Cf. *Virg*. 3. *Æn*. 72., *Ovid*. 11. *Met*. 466. et *eumd. Val. Flacc*. 4. 655. — *Vulg. interpr. Zach*. 7. *extr*. Terra desolata est ab eis, quod non esset transiens et revertens. *h. e*. incola vel viator. Sic *ingredi et egredi* apud *eumd*. Hebraismus, quo significantur actus humani, facta, vita. Cf. *Act*. 1. 21. — *Transi*, imperat., *va. Test. Porcell*. Transi, puer, affer mihi de cocina cultrum. Adde, quæ congessit *Haupt*. ex *Vulg. interpr*. ad *h. l*. ¶ 2. Speciatim de transfugis est castra vel signa deserere, *disertare*. *Cæs*. 1. *B. C*. 60. Transit etiam cohors Illurgavonensis ad eum. *Cic*. 3. *Verr*. 15. *a med*. Relinquere, deserere, ad adversarios transire. Adde *Cæs*. 3. *B. C*. 60. *extr*. *Nepos Datam*. 6. *a med*. Coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant. — Absolute. *Liv*. 1. 27. Nec manere nec transire aperte ausus, sensim ad montes succedit. Adde *Cod. Theod*. 16. 7. 2. *de apost*. et 5. 5. 1. *de postlim*. ¶ 3. Item est transvehi, prætervehi, *passare in mostra*. *Liv*. 10. 46. Pedites equitesque insignes donis transiere ac transvecti sunt. ¶ 4. *Transire*, concoqui, dicitur de cibo, qui in stomacho concoquitur et egeritur. *Varro* 2. *R. R*. 11. Casei maximi cibi sunt bubuli et qui difficillime transeant sumpti: secundo ovilli: minimi cibi et qui facillime dejiciantur, caprini. *Plin*. 11. *Hist. nat*. 37. 79. (202). Insatiabilia animalium, quibus a ventre protinus recto intestino transeunt cibi. *Id*. 23. *ibid*. 1. 22. (39). Vinum tenue et austerum celerius per urinam transit. ¶ 5. *Transire ad aliquem*, ire, *andare a trovare*. *Planc*. ad *Cic*. 10. *Fam*. 7. Ipsum ad te transire jussi, ex quo omnia cognoscere posses. *Ter. Phorm*. 4. 5. 6. Transi ad uxorem meam. *et* 5. 7. 28. Transi sodes ad forum. *va in piazza*. — Et omissa præposit. *Plaut. Stich*. 3. 1. 33. Ego per hortum amicam transibo meam.

II.) Translate — *a*) Universim. *Cic*. 4. *Acad*. (2. *pr*.) 37. 119. Erit persuasum etiam, solem, lunam, stellas deos esse, quod quædam animalis intelligentia per omnia ea permeet et transeat. *Manil*. 4. 78. transitque per illum, Ex illo fortuna venit. *Seneca* 3. *Ira* 18. Utinam ista sævitia intra peregrina exempla mansisset, nec in Romanos mores cum aliis adventiciis vitiis etiam suppliciorum irarumque barbaria transisset! — Impersonaliter. *Cic*. 2. *Fin*. 14. *sub fin*. A dignitate transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. *Plin*. 12. *Hist. nat*. 3. 7. (15). Odor foliorum transit in vestes, una conditus. — *In transeundo*, in transitu, transiens, *passando*, absolute. *Varro* 10. *L. L*. 29. *Müll*. Flectitur in transeundo vox. — *b*) In re forensi. *Paul. Dig*. 5. 2. 5. Si res ad novum dominum emptione transierit. *h. e*. transmissa vel translata sit. Adde *Caj*. 2. 98. 35. et *Ulp*. 24. 30. etc. *V*. TRANSFERO. — *c*) In re grammatica. *Varro* 9. *L. L*. 76. *Müll*. Ex multitudine transire in singulare. *Id. ibid*. 108. Transire in aliam personam aut in tempus. — *d*) *Transire in affectum cordis*, genio indulgere, cupiditates suas quaslibet explere. *Vulg. interpr. Ps*. 72. 7. — *e*) *Transire* dicitur morbus, qui ab uno in alium transfertur. *Id*. 30. *ibid*. 5. 14. (42). In dolore præcordiorum si catulus lactens admoveatur, transire in eum morbus dicitur. Adde 28. *ibid*. 10. 42. (155). *et* 29. *ibid*. 6. 39. (139). — *f*) Et quæ aliunde veniunt. *Id*. 15. *ibid*. 18. 19. (69). Ficus ad nos ex aliis transire gentibus, Chalcide, Chio. — *g*) et quæ mutantur. *Ovid*. 11. *Met*. 643. ille in humum saxumque undamque trabemque Transit. *Plin*. 9. *Hist. nat*. 41. 65. (139). Et quum confecere conchylia, transire melius in Tyrium putant. *Id*. 25. *ibid*. 9. 57. (103). Initio gustu dulcis, mox in amaritudinem transit. *Id*. 22. *ibid*. 24. 52. (112). Aqua mulsa longa vetustate transit in vinum. *Id*. 11. *ibid*. 37. 55. (151). Oculi hyænæ in mille colores transeunt subinde. *Id*. 37. *ibid*. 6. 23. (87). Transeunte in minium candore. — *h*) Dicitur etiam de tempore. *Cic*. 7. *Att*. 7. Quum legis dies transierit. *Tibull*. 1. 4. 23. transiit ætas Quam cito! *Seneca Thyest*. 398. quum transierint mei Nullo cum strepitu dies, Plebejus moriar senex. *African. Dig*. 7. 1. 37. Quinquennium transiit. *Seneca Thyest*. 309. quidquid irarum fuit, transierit. — *i*) Est

dicendo gradum facere, far passaggio, passare. Ovid. 8. Met. 106. Consumptis precibus, violentam transit in iram. Cic. 1. Invent. 21. extr. Ac de narratione quidem satis dictum videtur. deinceps ad partitionem transeamus. — Impersonaliter. Liv. 45. 37. sub fin. Transeatur ad aliam contionem. Plin. 17. Hist. nat. 10. 13. (68). Seminarii curam ante convenit dici, quam transeatur ad alia genera. — l) Inter deliberandum transire dicuntur, qui sententiam suam alio vertunt. Liv. 34. 24. Simulando se transire in eorum sententiam, omnes in assensum consilii sui traduxit. Cœl. ad Cic. 8. Fam. 13. Transierant illuc, ut ratio ejus esset habenda, qui neque exercitum neque provincias tradere vellet. Auct. B. G. 8. 53. Senatus frequens in alia omnia transiit. — De vi harum notionum V. ALIUS, EO et OMNIS.

B) Transitivorum more cum Accusativo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cato R. R. 76. Caseum per cribrum facito transeat. Cic. 3. Fin. 22. 75. Crassus nisi eguisset, numquam Euphratem transire voluisset. Id. Orat. 42. sub fin. Quum studiorum causa mare transissem. Plin. 27. Hist. nat. 9. 46. (70). In pane devoratur, ne adurat, quum gulam transit. passa per la gola. at Sillig. gulæ transitu. et 8. ibid. 58, 83. (226). Transire viam. attraversare la strada. — Passive. Cæs. 5. B. G. 18. Flumen pedibus ægre transiri potest. et 2. ibid. 10. Ubi de flumine transeundo spem fefellisse intellexerunt. (Sic Auct. B. G. 8. 27. Flumen erat ponte propter magnitudinem transeundum.) Id. 1. ibid. 6. Rhodanus nonnullis locis vado transitur. Auct. B. Alex. 36. Quum locus angustus atque impeditus esset transeundus. Plin. 29. Hist. nat. 4. 27. (89). Ferunt, non transiri ab eo orbitam. Manil. 4. 398. Ut veniant gemmæ, totus transibitur orbis. h. e. transcurretur. Liv. 21. 43. Alpes vix integris vobis ac vigentibus transitæ. Justin. 38. 4. a med. Pæne operosius transitis eorum finibus, quam possessis. Manil. 2. 367. Alterius ductus locus est per transita signa. ¶ 2. Speciatim est anteire, passare davanti. Plaut. Curc. 5. 3. 4. Omnes mensas transiit. ¶ 3. Item pro transfodere, trajicere, passare da banda a banda, trafiggere. Sil. It. 10. 253. Ilia cornipedis subrecta cuspide transit.

II.) Translate. ¶ 1. Est in dicendo aut legendo præterire, lasciare fuori, omettere. Cœl. ad Cic. 8. Fam. 11. ad fin. Quam quisque sententiam dixerit, in commentario est rerum urbanarum: ex quo tu, quæ digna sunt, selige. multa transi, in primis ludorum explosiones et funerum. Plin. 5. Ep. 3. circa med. Neronem enim transeo. Id. 8. Ep. 21. Alii transeunt quædam imputantque quod transeant: ego nihil prætereo. Id. ibid. Ep. 6. Levia hæc et transeunda. Stat. 5. Silv. præf. Ingratus sum, si lacrimas tuas transeo. — Transire silentio, præterire, passare sotto silenzio. Cic. 2. Att. 19. a med. Equidem malueram, quod erat susceptum ab illis, silentio transire. ¶ 2. Item pro celeriter percurrere, scorrere. Cic. Rosc. Am. 32. extr. Sed in animo est leviter transire ac tantummodo perstringere unamquamque rem. Gell. 9. 4. Eos libros omnes duabus proximis noctibus cursim transeo. ¶ 3. Item exire, excedere. Cic. 4. Tusc. 17. ad fin. Rutilius transisse videtur modum: quippe qui ob eam causam a vita recesserit. Id. 5. Verr. 95. 220. Si semel in judicando finem æquitatis et legis transieritis. Id. 5. Fam. 12. ante med. Qui semel verecundiæ fines transierit. Adde 1. Off. 29. 102. ¶ 4. Item non curare aut superare. Id. 9. Fam. 1. sub fin. Videor sperare debere, si te viderim, et ea, quæ premant, et ea, quæ impendeant, me facile transiturum. sorpasserò. et Tac. 2. Hist. 59. Vitellius brevi auditu quamvis magna transibat, impar curis gravioribus. ¶ 5. Item vincere, anteire. Quintil. 12. 11. sub fin. Verum ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi. Lucan. 4. 497. quæcumque per ævum Exhibuit monimenta fides servataque ferro Militiæ pietas, transisset nostra Juventus. Id. 2. 564. Non privata cupit, Romana quisquis in urbe Pompejum transire parat. ¶ 6. Transire vitam, annos et hujusmodi est transigere, agere, ducere, menare, passare. Sall. Cat. 1. Ne vitam silentio transeant. Est qui leg. transigant contra consensum MSS., teste Cortio. Tac. Agric. 6. ad fin. Ipsum tribunatus annum quiete et otio transit. Sic Seneca Ep. 90. Pluviis per devexa labentibus, hiemem transiere securi. — Id. Troad. 438. Partes fere nox alma transierat duas. ¶ 7. Hoc me transit, me præterit, fugit, latet, mi sfugge. Seneca 7. Quæst. nat. 1. Ita compositi sumus, ut nos cotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant. Stat. 2. Theb. 335. nil transit amantes. Sentio: pervigiles acuunt suspiria quæstus.

TRANSĔRO (transsero), sĕris, sertum, sĕrere, a. 3. Part. Transertus. — Transero ¶ 1. Est trajicio, transire facio, frammettere, cacciare attraverso. Cato R. R. 133. Calicem pertusum sumito tibi, per eum ramulum transerito. ¶ 2. Est etiam insitione transmittere, innestare. Stat. 2. Silv. 1. 101. Vidi ego transertos alieno in robore ramos Altius ire suis.

TRANSERTUS, a, um, particip. V. voc. præced.

TRANSĔUNTER, adverb. (transeo) in transitu, obiter, breviter, di passaggio, brevemente, ὑπερβατῶς. Ammian. 28. 1. ante med. Quem, transeunter indiciorum fide discussa, supplicio letali damnavit. Augustin. 15. Civ. D. 23. Quæstio transeunter commemorata.

TRANSFĔRENS, entis, particip. V. voc. seq.

TRANSFĔRO (trafero), fers, tŭli, lātum, ferre, a. anom. Trafero etiam, pro transfero, occurrit apud Lucret. 3. 518., Cic. Orat. 27. etc. De hac scriptione V. Baiter Not. crit. ad Cic. 2. Tusc. 5. p. 252. 22. ed. Turic. — Tranlatus pro translatus in Inscr. apud Orelli n. 6795. — Transferis pro transfers dixit Fulgent. De err. 20. 1. cod. P. — Part. Transferens I. 5.; Translatus (Tralatus) fere in omn. paragr.; Translaturus I. 1. a; Transferendus I. 5. — Transfero est ex uno in alium locum fero, transporto, traduco, trajicio, μεταφέρω (It. trasportare, trasferire; Fr. porter au delà, transporter; Hisp. llevar ó portar á mas, transportar; Germ. hinübertragen, -setzen, -schaffen; Angl. to carry or bring over).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Acc. tantum. Cæs. 1. B. C. 74. Se statim signa translaturos confirmant. — Passive. Ovid. 13. Met. 868. suis videor translatam viribus Ætnam Pectore ferre meo. Inscr. apud Gruter. 662. 8. Iisdem corporibus tralatis. h. e. cadaveribus in alium sepulcrum traductis. — b) Sequente termino motus ad aliquem locum — α) Per Acc. et præp. in, ultra, trans. Plin. 6. Hist. nat. 26. 29. (116). Oppidum translatum ab Dario ad montes. Nepos Arist. 3. Pecunia omnis Athenas translata. Liv. 37. 58. et 39. 42. et 45. 43. Transferre in triumphum militaria signa, coronas, aurum, argentum. h. e. palam ferre in pompa triumphi. Alii leg. in triumpho. Tac. 15. Ann. 26. Legiones in Syriam translatæ. Justin. 2. 14. 3. Transferre copias in Bœotiam. Cæs. 3. B. C. 66. Cæsar paullo ultra eum locum castra transtulit. Cic. Quinct. 3. 12. Trans Alpes usque transfertur. Liv. 42. 60. Ut trans Peneum transferret castra. Adde Ter. Adelph. 4. 7. 13. — Et omissa præpos., quæ inest verbo. Catull. 61. 166. Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes. Auct. B. Alex. 60. in fin. Marcellus castra Bætim transfert. di là dal fiume. — β) Rarius per Abl. Stat. 1. Achill. 329. Ac sua dilecta cervice monilia transfert. h. e. in cervicem dilectam filii. — γ) Et addito termino motus ab aliquo loco per Abl. et præp. ex, de. Cæs. 1. B. C. 60. Signa ex statione transfert. Cic. 3. Phil. 12. 30. Hortos compilavit, ad se ex his omnia ornamenta transtulit. trasportò a casa sua. et Lucret. 4. 314. de speculo in speculum transfertur imago. — δ) Vel addito adverb. motus a loco. Plaut. Stich. 5. 1. 7. Cadum hinc a me hoc cum vino transferam. Ter. Adelph. 4. 7. 13. Illinc huc transferetur virgo. ¶ 2. Speciatim est transserere, traspiantare: occurrit cum Abl. termini, a quo. et præp. e, de, ab, aut absolute. Varro 1. R. R. 39. Semina, quæ transferuntur e terra in terram, viviradices. et ibid. 40. Et quæ de arbore transferas, ea deplantes potius quam defringas. Colum. Arbor. 20. Ab sicciore et exiliore in humidiorem, pinguiorem agrum transferas. — Plin. 19. Hist. nat. 12. 60. (183). Omnia translata meliora grandioraque fiunt, maxime porri. ¶ 3. Item inserere, innestare. Varro 1. R. R. 40. Videndum, qua ex arbore in quam transferatur. Adde ibid. 41.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Cæs. 1. B. C. 61. In Celtiberiam bellum transferre. Sic 7. B. G. 8. in fin. Quum videat omne ad se bellum translatum. Cic. Sext. 38. 82. Transferre crimen in alium. addossare ad altri il delitto. et Nepos Epam. 8. Quibus ille permisit, omnem ut causam in se transferrent suaque opera factum contenderent, ut legi non obedirent. gettassero il negozio sopra di lui. Rursum Cic. Fontej. 4. 8. Transferre culpam. et Sext. 38. 82. invidiam. Sic Tac. 2. Ann. 65. invidiam criminis. Et absolute eod. sensu Quintil. Declam. 1. 15. Omnia tibi composita et simulata sunt, tamquam scelus transferretur ingenio. si addossasse ad altri coll' ingegno. et 6. 2. a med. Animi vitium ad utilitatem transferre. Horat. Epod. 15. 23. translatos alio mœrebis amores. Ovid. 15. Met. 419. Deserat ante dies quam consequar omnia dictis In species translata novas. trasformate. et Nepos Arist. 2. Ut summa imperii a Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses. Tac. 1. Hist. 13. Reipublicæ cura frustra a Nerone translata, si apud Othonem relinqueretur. h. e. Neroni erepta et alii tradita. Plin. 30. Hist. nat. 10. 27. (89). Stellionis nomen in maledictum translatum, passato in parola di maledizione. et Lucan. 10. 110. Nondum translatos Romana in sæcula luxus. Cic. 1. Orat. 29. a med. Sed, si placet, sermonem alio transferamus. h. e. convertamus. Liv. 3. 68. in fin. Nisi a portis nostris mœnibusque ad illorum urbem hunc belli terrorem transtulero. — Apud JCtos dicitur de legatis, hereditatibus, possessionibus, quæ ab uno in alium transmittuntur. Cod. Theod. 11. 22. 1. etc. — Transferre se ad aliquid, intendere, dare vel convertere se, darsi, applicarsi. Cic. Brut. 12. extr. Orationes aliis destitit scribere totumque se ad artes componendas transtulit. et Mur. 22. sub fin. Quum te de curriculo petitionis deflexisses animumque ad accusandum transtulisses. — Transferre se in aliquem locum, ire, recarsi, condursi. Horat. 1. Od. 30. 4. Transferre se in ædem. ¶ 2. Speciatim pro differre, rejicere, differire, trasportare. Cœl. ad Cic. 8. Fam. 9. Causa hæc integra in proximum annum transferetur. Cic. Mil. 9. 24. Subito reliquit annum suum seque in annum proximum transtulit. ¶ 3. Item pro aptare, accommodare, adattare, applicare. Id. 1. Off. 16. a med. Quod ab Ennio positum in una re transferri in multas potest. Id. 4. Acad. (2. pr.) 14. 43. Num illa definitio possit in aliam rem transferri quamlibet. Id. 4. Verr. 51. 126. Hoc uno complector crimine omnia, neminem isto prætore senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniam dedisset. Hoc idem transfero in magistratus, curationes, sacerdotia. lo stesso dico etc. ¶ 4. Item transcribere, copiare, trascrivere. Id. Rosc. Com. 3. 8. Qui tabulas conficiunt, menstruas pæne rationes in tabulas transferunt. Id. 4. Verr. 77. a med. Litteræ lituræque omnes assimulatæ, expressæ, de tabulis in libros transferuntur. Id. 3. Fam. 8. ante med. Ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. Sueton. Ner. 52. Versus translati. ¶ 5. Item ex una in aliam linguam vertere, tradurre. Cic. 6. Att. 2. ante med. Istum ego locum totidem verbis a Dicæarcho transtuli. Plin. 18. Hist. nat. 3. 5. (22). Ejus volumina censeret in linguam Latinam transferenda. Quintil. 1. 6. 22. Analogia, quam proxime ex Græco transferentes, proportionem vocaverunt. Id. 7. 4. Κατ' ἀντίληψιν La-

tine ad verbum translatum non invenio. *Vulg. interpr. Eccli. prol.* Transferre ad aliam linguam. ¶ 6. Metaphora et translatione uti, quum nomen aut verbum, ut ait *Quintil.* 8. 6. 4., transfertur ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est. *Cic.* 3. *Orat.* 37. 149. Utemur verbis aut iis, quæ propria sunt, aut iis, quæ transferuntur et quasi alieno in loco collocantur. *Id. Orat.* 19. *in fin.* Intexunt fabulas, verba apertius transferunt. *et ibid.* 25. Indecorum apparet, quum verbum aliquod altius transfertur idque in oratione humili: quod idem in alia deceret. Adde *ibid.* 27. 93. *Quintil.* 8. 3. 15. Perspicuitatem propriis, ornatum translatis verbis magis egere. *Id. ibid.* 24. Verba propria, ficta, translata. — Hinc *translata verba,* quæ, ut ait *Cic. Orat.* 27. 92. per similitudinem ab alia re, aut suavitatis aut inopiæ causa, transferuntur, *parole metaforiche,* μεταφορικά. *Id. ibid.* Illustrant orationem, quasi stellæ quædam, tralata verba atque immutata. ¶ 7. *Translatum exordium* est quod aliud conficit, quam causæ genus postulat: ut si quis docilem faciat auditorem, quum benevolentiam causa desiderat; aut si principio utatur, quum insinuationem res postulat. Hæc *Cic.* 1. *Invent.* 18. *a med.*

TRANSFICTĬO, ōnis, f. 3. actus transfigurandi seu transformandi: apud rhetores vero figura, quæ metaplasmus, μεταπλασμός. *Diomed. p.* 456. 1. *Keil.*

TRANSFĪGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSFĪGO (trafigo), figis, fixi, fixum, figere, a. 3. Part. *Transfixus* I. 1.° — Transfigo est trajicio, transigo, διαπείρω (It. *passare da parte a parte, trafiggere;* Fr. *transpercer;* Hisp. *traspasar;* Germ. *durchstechen, durchbohren;* Angl. *to run or drive through, transfix*).

I.) Proprie. — 1.°) Transitive. — *a*) Universim. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Transfigitur scutum Pulfioni, et verutum in balteo defigitur. *Cic.* 2. *Fin.* 30. 97. Evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Scuta uno ictu pilorum transfixa. *Nepos Datam.* 11. Aversum ferro transfixit. *Liv.* 21. 8. *sub fin.* Ferrum pedes tres longum, ut cum armis transfigere corpus posset. *Id.* 2. 46. Q. Fabium gladio per pectus transfigit. *Id.* 22. 6. Consulem lancea transfixit. *Id.* 2. 6. *ad fin.* Contrario ictu per parmam uterque transfixus. *Virg.* 1. *Æn.* 48. Transfixum pectus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 47. (98). Siccantur pendentes fungi suilli, junco transfixi. *infilzati.* et *Martial.* 5. 50. Meque petis stricto medium transfigere ferro. — *b*) *Transfixa hasta,* trajecta, *fatta passare da banda a banda. Virg.* 11. *Æn.* 644. latos huic hasta per armos Acta tremit duplicatque virum transfixa dolore. Sic *Lucan.* 9. 138. Ora ducis, quæ transfixo sublimia pilo Vidimus. — *c*) Ἑλληνισμός est in illo *Plaut. Most.* 2. 1. 11. Qui hastis corpus transfigi solent. *et Lucan.* 7. 528. sonipes transfixus pectora ferro. — *d*) In illo *Plaut. Pers.* 1. 1. 28. Vide ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus. *transfigere* est lacerare, laniare. *scil.* vide, ne virgæ cædendo tuum latus dilacerent. — 2.°) Neutrorum more. *Vulg. interpr. Joh.* 19. 37. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt. *Græc. interpr.* habet κατωρχήσαντο, insultaverunt; sed apud *Zach.* 12. 10. est v. *daqáru,* quod *Gesenius* (*Lex.* etc. p. 230.) docet respondere τῷ ἐξεκέντησαν apud *Joh.* (ut *Apoc.* 1. 7.), sc. pupugerunt, transfoderunt. Cf. *Num.* 25., *Jud.* 9. etc.

II.) Figurate. *Plaut. Pers.* 1. 1. 25. in Veneris prœlio Sagitta Cupido cor meum transfixit.

TRANSFĪGŪRĀBĬLIS, e, adject. (transfiguro) qui transfigurari potest. *Tertull. Car. Chr.* 6. *a med.* Angeli in carnem humanam transfigurabiles.

TRANSFĪGŪRANS, antis, particip. *V.* TRANSFIGURO.

TRANSFĪGŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (transfiguro) actus transfigurandi, transformatio, μεταμόρφωσις (It. *trasfigurazione, trasformazione;* Fr. *changement de figure ou de forme;* Hisp. *transformacion;* Germ. *die Umbildung;* Angl. *a transformation*). ¶ 1. Generatim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 55. 56. (188). Alias immortalitatem animæ, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando. *Tertull. advers. Prax.* 27. Transfiguratio interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat. — In plur. num. *Chalcid. Tim.* 134. ¶ 2. Speciatim, apud Grammaticos, mutatio, quam subeunt vocabula. — *a*) In suis derivatis. *Adamant.* apud *Cassiod. Orth.* 6. Horum quædam in transfiguratione corripiuntur, ut *tubicen, tibia, cubile, cubitus.* — *b*) In declinatione verborum. *Diomed.* 1. *p.* 334. *Putsch.* — *c*) In qualitate metri. *Mar. Victorin.* 3. 1. 6. *et* 10. *p.* 101. 9. et 20. *Keil.*

TRANSFĪGŪRĀTOR, ōris, m. 3. (transfiguro) qui transfigurat. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 12. ex 2. *Cor.* 11. 13. Pseudoapostolos dicit operarios dolosos, transfiguratores sui, per hypocrisin scilicet. *Vulgata* habet: Pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.

TRANSFĪGŪRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSFĪGŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Transfigurans* II.; *Transfiguratus* I. 1. et II. — Transfiguro est figuram et formam muto, in aliam figuram verto, transformo, μεταμορφόω (It. *trasformare, trasfigurare;* Fr. *changer la forme ou la figure, transfigurer;* Hisp. *transformar, transfigurar;* Germ. *umbilden, umgestalten;* Angl. *to transform, transfigure*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (81). Transfigurari in lupum. *et* 9. *ibid.* 31. 51. (99). Cancrorum corpus transfigurari in scorpiones. *Id.* 13. *ibid.* 25. 49. (138). Frutices transfigurantur in pumicem. *Sueton. Ner.* 28. Puerum in muliebrem naturam transfigurare. *Id. ibid.* 46. Asturco posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratus. *Stat.* 2. *Silv.* 7. 78. Et qui corpora prima transfigurat. *h. e.* Ovidius, qui Metamorphoses cecinit. *Ulp. Dig.* 7. 4. 10. *a med.* Proinde et ornamentum dissolutum aut transfiguratum, exstinguit usumfructum. *Sueton. Cal.* 22. Æde Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata. *h. e.* conversa, mutata. — *Transfigurari,* mediorum apud Græcos more. *Vulgat. interpr. Matth.* 17. 2. Et transfiguratus est (*Christus*) ante eos. ¶ 2. Latiore sensu est mutare simpliciter. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (237). Amygdalæ ex dulcibus transfigurantur in amaras.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 6. Intelligo, non emendari me tantum, sed transfigurari. *Id. Ep.* 94. *a med.* Qui facienda ac vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi in ea, quæ didicit, animus ejus transfiguratus est. *Quintil.* 6. 2. 1. Movere judicum animos et in eum, quem volumus, habitum formare et velut transfigurare. *Augustin. Ps.* 30. *Enarr.* 2. *n.* 3. *de Christo.* Non est dedignatus transfigurare nos in se. *Vulg. interpr.* 2. *Cor.* 11. 13. Transfigurantes se in apostolos Christi. *V.* TRANSFIGURATOR. — In illo *ejusd. ibid.* 1. *Cor.* 4. 6. (*coll.* 1. 12.) Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos. *transfiguravi* est retuli per quamdam figuram, *riferii in figura o raffigurai.* Cf. Interpr.

TRANSFIXUS, a, um, particip. *V.* TRANSFIGO.

TRANSFLŪMEN, h. e. transfluminalis, absolute usurpavit *Auct. De geneal. Patriarch. p.* 526. *Mign.* Eber qui dicitur transflumen. Vox namque *Eber* est trans, transitus. *sc.* incola regionis, quæ est trans flumen (Euphratem).

TRANSFLŪMĬNĀLIS, e, adject. (trans *et* flumen) qui est trans flumen. *Gloss. Philox.* Transfluminales, περατικοί.

TRANSFLŬO, fluis, fluxi, fluere, n. 3. fluendo transeo, *passare od uscire correndo,* μεταῤῥέω.

I.) Proprie. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 35. 63. (155). Si vas fiat e ligno hederæ, vina transfluere ac remanere aquam, si qua fuerit mixta. *Id.* 11. *ibid.* 38. 91. (224). Sanguinem in metu refugere multisque non transfluere transfossis. *Jan.* et *Detlefs.* profluere. *Frontin. Aquæd.* 9. Præter caput Juliæ transfluit aqua, quæ vocatur Crabra. *h. e.* ante, exadversum fluit.

II.) Translate. *Claudian. Ep.* 4. 5. Transfluxere dies. *trascorsero.* — *Augustin.* 9. *Confess.* 12. 29. *de matre sua.* Premebam oculos ejus (*modo vita functæ*) et confluebat in præcordia mea mœstitudo ingens et transfluebat in lacrimas.

TRANSFLŪVĬĀLIS, e, adject. (trans *et* fluvius) qui est e regione sita trans fluvium. *Augustin. Quæst.* in *Gen.* 29. et alibi.

TRANSFLŪVĬO, as, are, n. 1. (trans *et* fluvius) fluvium transgredior. *Commodian. Instruct.* 50. 10. Transfluviat hostis, te sub latebra conde.

TRANSFLŪVĬUM, ii, n. 2. (trans *et* fluvius) locus sive regio sita ultra fluvium. *Augustin. Serm.* 72. 1. ed. *Mai.*

TRANSFŎDĬO, fodis, fodi, fossum, fodere, a. 3. Part. *Transfossus.* — Transfodio est trajicio, transforo, transfigo, διορύττω, διαπείρω (It. *trafiggere, trapassare;* Fr. *percer, transpercer;* Hisp. *horadar, traspasar;* Germ. *durchstechen, durchbohren;* Angl. *to run or thrust through, stab, pierce*). *Cæs.* 7. *B. G.* 82. Galli in scrobes delapsi transfodiebantur. *h. e.* se ipsi acutissimis vallis induebant, ut *ibid.* 73. dixerat. *Liv.* 39. 42. *in fin.* Deinde fugienti latus transfodisse. *Apul. Florid. n.* 2. *extr. de aquila.* Unde rostro transfodiat, unde unguibus inuncet vel agnum vel leporem. Adde *Justin.* 1. 9. *in fin. Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 11. (31). Cochlea acu transfossa. *Tac.* 3. *Ann.* 20. *extr.* Quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit. *Val. Flacc.* 6. 221. cadit impiger una Inguine transfosso clari Taulantiæ alumnus. — *Virg.* 9. *Æn.* 543. Confixique suis telis et pectora duro Transfossi ligno. ἑλληνισμός.

TRANSFŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. (transforo) actus transforandi. *Cassiod.* in *Ps.* 44. 6. *Acutæ* pertinet ad transforationis celeritatem. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 3. 56. Ista passione possessi quum somno surrexerint, faciem atque transforationis partes uvidas et humectas sentiunt. *h. e.* partes corporis perforatas. sc. aures, nares, labia etc.

TRANSFORMANS, antis, particip. *V.* TRANSFORMO.

TRANSFORMĀTĬO, ōnis, f. 3. (transformo) mutatio formæ, μεταμόρφωσις (It. *trasformazione;* Fr. *changement de forme, transformation;* Hisp. *transformacion;* Germ. *die Umbildung, Verwandlung;* Angl. *a transformation*).

I.) Proprie. *Augustin.* 15. *Trin.* 8. *extr.* Tam optabilis transformationis donum.

II.) Translate. *Cassiod. De gramm.* Schemata sunt transformationes sermonum vel sententiarum.

TRANSFORMĀTUS, a, um, particip. *V.* TRANSFORMO.

TRANSFORMIS, e, adject. (trans *et* forma) qui formam mutat, *chi si trasforma. Ovid.* 1. *Fast.* 373. *De Proteo.* Ille suam faciem transformis adulterat arte. *Id.* 8. *Met.* 871. Transformia corpora habere.

TRANSFORMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Transformans, Transformatus* et *Transformandus* I. — Transformo est formam alicui muto, transfiguro, verto, μεταμορφόω (It. *mutare altrui la forma, trasformare;* Fr. *transformer, changer, transfigurer;* Hisp. *transformar, mudar, transfigurar;* Germ. *umformen, umbilden, umgestalten;* Angl. *to transform, transfigure*).

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 441. *de Proteo.* Omnia transformat sese in miracula rerum. *et* 7. *Æn.* 416. Alecto in vultus sese transformat aniles. *Ovid.* 3. *Fast.* 515. gemmasque novem transformat in ignes. *h. e.* in novem stellas. *Id.* 13. *Met.* 652. nam tactu natarum cuncta mearum In segetem laticemque meri baccamque Minervæ Transformabantur. *Id.* 14. *ibid.* 74. Scylla transformata in scopulum. *Schol.* ad *German. Arat. v.* 247. Juppiter in similitudinem aurei imbris se transformans oppressam delusit Danaen. *Julian. Antec. Constit.* 2. 5. Capitula constitu-

tionis transformata. *Rufin.* ex *Orig. hom.* in *Exod.* 11. 4. Jesus transformandus in gloria.

II.) Translate. *Quintil.* 1. 2. *sub fin.* Maxima pars eloquentiæ constat animo. hunc affici, hunc concipere imagines rerum et transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est.

TRANSFŌRO, as, are, a. 1. perforo, transfigo, trajicio, *traforare, trafiggere,* διατρυπάω. — *a)* Absolute. *Seneca* 2. *Benef.* 6. Gladius idem et stringit et transforat. quam presso venerit articulo, refert. — *b)* Cum Acc. *Sil. It.* 9. 569. Hasta pectus transforat. *Hieronym.* in *Matth.* 1. *c.* 10. *v.* 9. et 10. *extr.* Baculus frangitur et manum transforat incumbentis. *Augustin. Serm.* 151. ed. *Mai.* Tenerum transforat pectus.

TRANSFOSSUS, a, um, particip. *V.* TRANSFODIO.

TRANSFRĒTANS, antis, particip. *V.* TRANSFRETO.

TRANSFRĒTĀNUS, a, um, adject. (trans et fretum) transmarinus, *oltremarino. Tertull. Apolog.* 25. Peregrinos deo non putem patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati sepultique sunt, transfretanis dedisse.

TRANSFRĒTĀTĬO, ōnis, f. 3. (transfreto) actus transfretandi, transitus, *passaggio di uno stretto di mare o del mare, tragitto. Gell.* 10. 26. Negant, apud idoneum scriptorem reperiri posse pro transfretatione transgressum. *Ambros. De Elia* 19. 70. Transfretatio maris. — *Veget.* 3. *Milit.* 22. *extr.* fluviorum. — *Augustin. De nat. bon.* 44. suæ patriæ.

TRANSFRĒTO, as, āvi, ātum, are, 1. (trans et fretum) Part. *Transfretans* sub *B* II.; *Transfretaturus* sub *A* I. — Transfreto proprie est fretum transeo, transmitto, sive etiam mare trajicio, διαπορθμεύω (It. *passare uno stretto di mare od il mare, tragittare;* Fr. *traverser un détroit de mer ou la mer, passer;* Hisp. *travesar un estrecho ó el mar, pasar;* Germ. *über die Meerenge od. Meer setzen, übersetzen;* Angl. *to sail across a strait or pass over the sea*).

*A)* Intransitive.

I.) Proprie. *Sueton. Cæs.* 34. Brundusium consules Pompejusque confugerant, quamprimum transfretaturi. *Gell.* 10. 26. Eos, qui fretum transmiserant, quos transfretasse dici solitum est, Sallustius transgressos dixit. — *Ammian.* 22. 6. 4. Mandatum est navigiorum magistris, ne quis transfretare auderet Ægyptum.

II.) Figurate. *Tertull. Fug. in pers.* 10. A Deo transfretare. *h. e.* recedere.

*B)* Transitivorum more.

I.) Proprie. *Plin. Paneg.* 81. Transfretare obstantia freta. *Ammian.* 31. 4. 5. Transfretabantur in dies noctesque navibus ratibusque et cavatis arborum alveis agminatim impositi. *h. e.* trans Danubium vehebantur. *Vulg. interpr. Deut.* 30. 13. Transfretare mare. *Id.* 1. *Mach.* 3. 37. Euphraten flumen. *et ibid.* 16. 6. torrentem.

II.) Figurate. *Tertull. Pœnit.* 1. Universam vitæ conversationem sine gubernaculo rationis transfretantes. *h. e.* totam vitam agentes, *passando tutta la vita.*

TRANSFŬGA, æ, comm. gen. 1. (transfugio) qui in bello fugit et ad hostes accedit, ἀποστάτης, αὐτόμολος (It. *desertore, fuggitivo;* Fr. *transfuge, déserteur;* Hisp. *transfugo, desertor;* Germ. *der Ueberläufer zum Feinde, Ausreisser;* Angl. *a fugitive, deserter*).

I.) Proprie. *Paul. Dig.* 49. 15. 19. *a med.* Transfuga non is solum accipiendus est, qui aut ad hostes aut in bello transfugit, sed et qui per induciarum tempus ad eos, cum quibus nulla amicitia est, fide suscepta transfugit. *Cic.* 1. *Divinat.* 44. *in fin.* Non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere. *Sall. Jug.* 58. Interim transfugas et alios opportunos, Jugurtha ubi gentium aut quid agitaret, exploratum misit. — Transfugarum pœnas habes in his. *Epit. Liv.* 51. Scipio transfugas et fugitivos bestiis objecit. *Liv.* 30. 43. *extr.* De perfugis gravius, quam de fugitivis, consultum: nominis Latini qui erant, securi percussi; Romani in crucem sublati. *Tac. Germ.* 12. Prodit res et transfugas a boribus suspendunt. *Paul. Dig.* 48. 19. 38. Transfugæ ad hostes vel consiliorum nostrorum renuntiatores, aut vivi exuruntur aut furcæ suspenduntur. *Martian. ibid.* 8. 3. *extr.* Transfugas licet, ubicumque inventi fuerint, quasi hostes interficere. *V.* PERFUGA.

II.) Translate. *Horat.* 3. *Od.* 16. 22. nil cupientium Nudus castra peto et transfuga divitum Partes linquere gestio. *Lucan.* 8. 335. transfuga mundi, Terrarum totos tractus cælumque perosus. *Martial.* 14. 131. Si veneto prasinove faves, quid coccina sumis? Ne fias ista transfuga sorte, vide. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (17). Paucissimi Quiritium medicinam attigere, et ipsi statim ad Græcos transfugæ. *scil.* quia Græce, non Latine, de ea scripsere. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 203. tumidæ sic transfuga Pisæ Amnis in externos longe flammatus amores, Flumina demerso trahit intemerata canali. *h. e.* Arethusa. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *sub fin.* Secuti sunt quasi transfugam, quem ducem sequebantur. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 15. Nilus nostri tentat jam transfuga mundi Se rubro miscere mari. *Tryphonin. Dig.* 49. 15. 12. *sub fin.* Transfuga metalli.

Homonym. Quid *transfuga* a *perfuga* distet, *V.* in PERFUGA. Cf. etiam FUGITIVUS. — Item *transfugam* a *desertore* distinguit *Curt.* 10. 2. 28. Obviam ibunt desertoribus transfugisque. Fortasse quia *transfuga* a suis, cum armis, fugit ad hostium castra; *desertor,* sine commeatu, alio vel domum. V. *Döderlein* ad *h. v.* At *Isid.* 9. *Orig.* 3. 39. Qui deserunt exercitum ad hostes transeuntes, et hi desertores vocantur. Priorem tamen significationem *ibid.* admittit et utramque conjungit *V.* DESERTOR.

TRANSFŬGĬO, fŭgis, fŭgi, fŭgere, n. 3. ab uno in alium locum vel ab una ad aliam personam fugio: et dicitur fere de militibus, qui signa deserunt et ad hostes transeunt, διαφεύγω (It. *fuggire altrove, disertare;* Fr. *passer à l'ennemi, déserter;* Hisp. *desertar, desamparar;* Germ. *übergehen, zum Feinde überlaufen;* Angl. *to fly over to the other side*).

I.) Proprie. ¶ 1. Fere in re militari. *Auct. B. Hisp.* 11. C. Fundanius ex castris adversariorum ad nos transfugit. *Liv.* 34. 25. *extr.* Multi proxima nocte, funibus per murum demissi, ad Romanos transfugerunt. *Nepos Datam.* 6. Transfugere ad hostes. *Id. Ages.* 6. ad Thebanos. — Absolute *Sueton. Ner.* 3. Eum desiderio amicæ transfugisse. — *Cod. Theod.* 8. 4. 18. Ambiendi et transfugiendi in alterius militiæ ordinem facultas. *h. e.* transeundi, fraudis consilio. ¶ 2. Extra rem militarem. *Hieronym.* 4. in *Is.* 11. *ad fin.* Et quomodo temporibus Moysi Rubrum siccatum est mare, ut populus de Ægypto transfugeret.

II.) Translate. *Plaut. Epid.* 1. 1. 28. Ubi arma sunt Stratippocli? TH. Pol illa ad hostes transfugerunt. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 106. Illius oculi atque aures atque opinio transfugere ad nos. *h. e.* inserviunt, favent, sunt pro nobis. *Cic. Quinct.* 30. 93. Ab afflicta amicitia transfugere atque ad florentem devolare. *Auct. Ætn.* 364. Impetus attentos oculorum transfugit ictus. *evita.*

TRANSFŬGĬUM, ĭi, n. 2. (transfugio) defectio ad hostes, transitio, *il disertare,* ἀπόστασις, αὐτομολία.

I.) Proprie. *Liv.* 22. 43. Simul, ut, quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levibus ingeniis essent. *Tac.* 2. *Hist.* 34. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris, ut in civili bello, transfugiis. *Id.* 2. *Ann* 46. Transfugiis nudatus.

II.) Translate. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 503. et creditur istis Numinibus, qui transfugio meruere sacrari? *h. e.* qui alienigenæ quum essent, Romam transmigravere, ut ibi colerentur. *Sidon. Ep.* 8. Facere ad Christum de circumcisione transfugium.

TRANSFULGĔO, es, ere, n. 2. translucendo appareo, *trasparire risplendendo. Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 28. (100). Commendatio summa sandaresi, quod velut in translucido ignis obtentus, celantesque se transfulgent aureæ guttæ. *Sill.* fulget intus aureis guttis.

TRANSFŪMO, as, are, n. 1. fumi modo transeo, exeo, *sfumare, svaporare. Stat.* 6. *Theb.* 399. compressæ transfumat anhelitus iræ. *Sidon. carm.* 23. 331. Equi ad claustra fremunt repagulisque incumbunt simul ac per obseratas transfumant tabulas, *sbuffano, mandano fuori l'anelito.*

TRANSFUNCTŌRĬUS, a, um, adject. (transfungor) qui leviter, remisse et perfunctorie fit. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 27. Transfunctoria præcepta, secura delicta. *Id. advers. Valentinian.* 6. Transfunctoria expugnatio.

TRANSFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. Part. *Transfusus* I. 1. *a* et 2. et II. — Transfundo est defundo, transmitto, de uno in alium locum, puta de vase in vas, fundo, trajicio, diffundo, μεταχέω (It. *trasfondere, travasare;* Fr. *transvaser, verser, répandre;* Hisp. *trasegar, echar, transfundir;* Germ. *hinüber giessen, hingiessen, hinschütten;* Angl. *to pour out of one vessel into another, transfuse*): usurpatur autem cum Acc., cui sæpe additur terminus, in quem, per Acc. et præp. *ad, in,* aut etiam per Abl. et præp. *in* vel absolute.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Stricto sensu de liquidis, quæ de vase in vas funduntur. *Colum.* 12. *R. R.* 12. Quum sæpius aquam in alia vasa transfuderint. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 34. (104). Linteo saccant fæcemque abjiciunt idque, quod defluxit, transfundunt. *Id.* 36. *ibid.* 26. 66. (194). Arena liquata in alias fornaces transfunditur. *Scribon. Compos.* 122. *a med.* Transfunditur cum his, quæ sunt in mortario, calice novo. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 34. (103). Vas, in quo turbida transfusa sunt. *Cels. præf. a med.* Transfuso in arterias sanguine febrem fieri. — Medicorum apud Græcos more. *Id. ibid. ante med.* Sanguis in eas venas transfunditur. — *b)* Latiore sensu de aliis rebus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 47. (131). Asteria inclusam lucem pupillæ modo quamdam continet ac transfundit cum inclinatione. — *c)* Latissimo sensu est transferre. *Augustin.* 3. *Civ. D.* 14. *ad fin.* Sed antequam una civitas fieret. — Poetice. *Lucret.* 8. 770. sed te Cornelia, Magne, Accipiet nostraque manu transfundet in urnam. *h. e.* ex litore, in quo jaces, transferet et condet in urnam sepulcri. ¶ 2. Speciatim pro fundere, conflare. *Cassiod.* 7. *Variar.* 15. Quid dicamus columnarum junceam proceritatem? moles illas sublimissimas fabricarum, quasi quibusdam erectis hastilibus contineri et substantiæ qualitate concavis canalibus excavatas, ut magis ipsas æstimes fuisse transfusas.

II.) Translate. *Cic.* 9. *Fam.* 14. *circa med.* Libentius omnes meas laudes ad te transfuderim. *Alii leg.* transtulerim. *Id.* 2. *Phil.* 31. 77. Omnem se amorem abjecisse illinc atque in hanc transfudisse. *Quintil.* 11. 1. 54. Dolorem suum etiam in audientes transfundere. *Petron. Sat.* 79. Et transfudimus hinc et hinc labellis Errantes animas. *Stat.* 5. *Theb.* 633. hocne ferens onus illætabile matris Transfundam gremio? *Claudian. IV. cons. Honor.* 49. Nam quum barbaries penitus commota etc. suas in nos transfunderet Arctos. *h. e.* Arctoos populos in nos immitteret. *Curt.* 8. 8. *circa med.* Eorum mores in Macedonas transfundo. *Tac.* 4. *Ann.* 52. Non in effigies mutas divinum spiritum transfusum. *Paul. Dig.* 35. 2. 1. *ante med.* Jam enim transfusum legatum esse et decem deberi. — *Transfundere aliquid,* apud JCtos est transmittere, transferre, puta hereditatem et hujusmodi. *Cod. Theod.* 14. 3. 13. etc.

TRANSFUNGOR, gĕris, gi, dep. 3. transeo, consumor, perfungor. *Pompon. Bassulus* in *Titulo* suo apud *Mommsen Inscr. Neap. n* 1127. et iterum in *Révue archéol.* XI. an. p. 744. (*Orelli n.* 5605.) ME MORE PECORIS OTIO TRANSFVNGERER MENANDRI PAVCAS VORTI SCITAS FABVLAS.

TRANSFŪSĬO, ōnis, f. 3. (transfundo) actus transfundendi, *travasamento,* μεταγγισμός.

I.) Proprie. *Cels. præf. a med.* Ut vera sit illa transfusio, *scil.* sanguinis in arterias. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 18. 52. (172). Lavatur in linteis raris aqua cælesti separaturque terrenum transfusione. *Capell.* 7. *p.* 242. Transfusiones elementorum. Cf. *Ovid.* 15. *Met.* 245.

II.) Translate. ¶ 1. Est idem ac transmigratio. *Cic. fragm. orat. pro Scaur.* 13. apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 2. *p.* 314. A Pœnis admixto Afrorum genere Sardi non deducti in Sardiniam atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni. quare quum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? *h. e.* degenerasse, quasi vinum, alio liquido admixto, acorem contraxisse. ¶ 2. Apud JCtos est translatio. *Ulp. Dig.* 46. 2. 1. Novatio est prioris debiti in aliam obligationem transfusio atque translatio. Cf. *Ambros.* in *Luc.* 4. § 19.

TRANSFŪSUS, a, um, particip. *V.* TRANSFUNDO.

TRANSGĔRO, is, ere, a. 3. idem ac transfero, *trasportare. Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (98). Pic**æ** ova transgerunt alio. Ita *Harduin., Jan.* et *Sillig.*; alii *transferunt.* Confirmat *Vet. Schol.* ad *Cic. Mil.* 12. ed. *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 113. Post deinde transgeritur ad defendendum Milonem. *Orelli* tamen putat esse legend. *transgreditur.*

TRANSGLŪTĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSGLŪTĬO (treglutio), is, ivi, itum, ire, a. 4. Part. *Transglutiens* II.; *Transglutitus* et *Transglutiendus* I. — Transglutio est devoro, transvoro (It. *inghiottire*; Fr. *avaler, absorber*; Hisp. *engullir, absorber*; Germ. *verschlucken*; Angl. *to swallow*).

I.) Proprie. *Veget.* 3. *Veterin.* 78. Ut sanguinem suum transglutiat. *Marcell. Empir.* 16. *ante med.* Ita ut sucus transglutiatur. *et mox.* Catapotia devoranda, id est transglutienda dato. Adde *Theod. Prisc.* 2. 6. *Marcell. Empir. c.* 20., *Sext. Placit. De med.* 2. 13. et *Schol.* ad *Pers.* 3. 111. *Emil. Macer* 40. 51. Et transglutitus sic sucus sapiens ejus (*violæ*).

II.) Translate. *Vulg. interpr. Ital. Matth.* 23. 24. apud *Lucif. Calar.* Duces cæci liquantes culicem et camelum transglutientes.

TRANSGLŪTĪTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

TRANSGRĔDĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSGRĔDĬOR, grĕdĕris, gressus sum, grĕdi, dep. 3. Part. *Transgressus*, sensu passivo, apud *Liv.* 10. 27. Transgresso Apennino. At *Madvig* secutus *Gronov.* legit *Apenninum.* Adde tamen *Augustin.* 13. *Civ. D.* 21. et *Capell.* 2. *p.* 196. — Part. *Transgrediens* sub *A* I. *b*; *Transgressus* fere in omnib. paragr.; *Transgrediendus* sub *A* I. *a.* — Transgredior est ultra gradior, transeo, ὑπερβαίνω (It. *passare oltre o di là*; Fr. *passer outre, traverser, franchir*; Hisp. *pasar mas allá, travesar*; Germ. *hinüber od. hingehen, überschreiten, übersetzen*; Angl. *to go or pass over, pass, cross*).

*A)* Transitive.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic.* 3. *Fam.* 8. *ante med.* Postea quam ego Taurum transgressus sum. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 20. Prius ut Alpes transgrederer, quam etc. *Tac.* 3. *Ann.* 2. Ubi coloniæ transgrederentur, atrata plebs etc. *passavano per le colonie.* — Passive. *Liv.* 10. 27. Consules transgresso Apennino in agrum Sentinatem pervenerunt. *V.* init. *Auct. B. Afr.* 50. Quæ (*loca*) erant transgredienda Cæsari, antequam ad eum collem perveniretur. — *b*) Dicitur et de iis, qui fluvium aut mare transeunt: quod quidem olim reprehendebant, sed defendit *Gell.* 10. 26. in illo *Sall. fragm.* Transgressos omnes recipit mons etc. *h. e.* quum transfretassent. *Liv.* 33. 22. Cornelius adjiceret, Bojos adversus se transgredientes Padum. *Tac.* 13. *Ann.* 39. *extr.* Si amnem Araxem ponte transgrederentur. Adde *Flor.* 3. 10. *circa med. Cæs.* 2. *B. G.* 19. Equites nostri flumen transgressi.

II.) Translate. — *a*) Universim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (160). Transgredi mensuram. *h. e.* excedere, *oltrepassare.* et *Val. Max.* 2. 6. *n.* 8. Quæ nonagesimum annum transgressa etc. (Adde *Vellej.* 2. 7. 2.) *Id.* 4. 7. *n.* 2. *extern.* Constantis amicitiæ exempla sine ulla ejus mentione transgressus. *avendo scorso.* et *Vellej.* 2. 108. 2. Nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet. *h. e.* præterire, omittere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 25. (92). Cæsar dictato signis conlatis quinquagies dimicavit, solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicaverat. *avendo superato.* — *b*) Sensu morali apud scriptores Ecclesiasticos. *Vulg. interpr. Deut.* 17. 2. Transgredi pactum. *Id. Eccli.* 19. 21. legem. *Id. Matth.* 15. 2. traditionem seniorum.

*B)* Neutrorum more cum Acc. termini, in quem et præp. *in, ad, ultra,* vel cum Abl.; aut absolute.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Liv.* 39. 45. Galli Transalpini per saltus ignotæ viæ in Italiam transgressi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 83. 85. (109). Prata oleæque in contrarias sedes transgressæ. *Id.* 18. *ibid.* 18. 47. (167). Sol transgressus in Virginem. *Id.* 7. *ibid.* 26. 27. (98). Pompejus transgressus ad solis occasum. *h. e.* ad regiones occidentales. *Sall.* 2. *Hist. fr.* 96. *Dietsch.* Exercitus in Italiam transgredietur. *Liv.* 40. 53. Consul per invios montes vallesque saltus cum exercitu transgressus. — *b*) De iis, qui fluvium vel mare transeunt. *Liv.* 42. 1. In Corsicam transgressus. *Vellej.* 1. 120. 2. Ultra Rhenum cum exercitu transgreditur. — Cum Abl. *Tac.* 12. *Ann.* 27. Ut eam gentem Rheno transgressam Agrippa in fidem acciperet. — Absolute. *Id. Agric.* 18. Hunc Britanniæ statum, media jam æstate transgressus Agricola, invenit. *avendo passato il mare.*

II.) Translate. — *a*) Universim. *Val. Max.* 4. 2. *init.* Transgrediamur ad egregium humani animi deflexum. *passiamo.* Sic 8. 1. *de damnat. n.* 5. Possumus et ad illos brevi diverticulo transgredi, quos etc. *Vellej.* 2. 7. 75. Augustus transgressus ad deos. — Absolute *Sall. fragm.* apud *Gell. loc. cit.* — *b*) Est etiam partes alicujus amplecti. *Tac.* 4. *Hist.* 66. Transgredior ad vos, seu me ducem seu militem mavultis. *et ibid.* 39. et *Agric.* 7. Transgredi in partes alicujus. *Id.* 3. *Ann.* 66. Paullatim ab indecoris ad infesta transgrediebantur. — *c*) Sensu morali apud scriptores Ecclesiasticos. *Vulg. interpr. Eccli.* 26. 27. Quid transgreditur a justitia ad peccatum. — Absolute *ibid.* 31. 10. Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit.

TRANSGRESSĬO, ōnis, f. 3. (transgredior) transitio, transitus, διάβασις (It. *passaggio*; Fr. *action de passer outre, passage*; Hisp. *el pasar de la otra parte, pasage*; Germ. *der Uebergang*; Angl. *a going over or passing*).

I.) Proprie. *Cic. Pis.* 33. 81. Alpium vallum contra ascensum transgressionemque Gallorum. *Mamertin. Paneg. Maxim.* 7. Quid majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione?

II.) Translate. ¶ 1. Est hoc nomine tropus, Græca appellatione hyperbaton, qui verborum perturbat ordinem (ut ait *Cic.* 4. *Herenn.* 32. *ad fin.*) perversione aut transjectione, *trasposizione di parole,* ὑπέρβατον. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. Verborum concinna transgressio. — In plur. num. *Quintil.* 9. 4. 28. Quædam vero transgressiones et longæ sunt nimis, et interim etiam compositione vitiosæ, quæ in hoc ipsum petuntur, ut exsultent atque lasciviant, quales illæ Mæcenatis: Sole et aurora rubent plurima. Inter sacra movit aqua fraxinos. Ne exsequias quidem unus inter miserrimos viderem meas. ¶ 2. Sensu morali, apud scriptores Ecclesiasticos, progressio, quo non oportet, defectio, *trasgressione, defezione. Augustin. Quæst. in Exod. n.* 108. In peccatis transgressio est. Transgressio vero undenario numero significatur, quoniam transgreditur denarium, hoc est legem. *scil.* decalogum. *Hieronym.* 16. in *Is.* 59. 12. Transgressio, quæ significantius Græce dicitur ἀπόστασις, quum aliquis negat Deum et prævaricationis arguitur. Adde *Vulg. interpr. Gal.* 3. 19.

TRANSGRESSĪVUS, a, um, adject. (transgredior) qui transgreditur, ut Transgressiva verba, apud *Diomed.* 1. *p.* 336. *Putsch.*, quæ scilicet formam propriæ declinationis non servant, ut *audeo, - es, ausus sum*: et *gaudeo, - es, gavisus sum.*

TRANSGRĔSSOR, ōris, m. 3. (transgredior) qui transgreditur, *trasgressore. Arnob.* 7. *p.* 215. Ut contempti se vellent de audacibus et transgressoribus vindicare. *Tertull. Resurr. carn.* 39. Quia jam transgressor legis videbatur. — Specialim *Dracont.* 2. *Hexaem.* 352. et *Alcim.* 2. 120. *transgressorem* vocant diabolum, quia Gr. διάβολος idem significat.

TRANSGRESSUS, a, um, particip. *V.* TRANSGREDIOR.

TRANSGRESSUS, us, m. 4. (transgredior) transitus, transfretatio, *passaggio, tragitto,* διάβασις. *Sall. fragm.* apud *Gell.* 10. 26. Nactus obscuram noctem, æstu secundo, furtim aut celeritate vitare prœlium in transgressu conatus est. Cf. *eumd. ibid.* 1. *et seqq.* Adde *Tac.* 6. *Ann.* 37. — Cum Genetivo. *Id.* 11. *ibid.* 10. In transgressu amnis. et 15. *ibid.* 7. Euphratis.

TRANSGŬLO, as, āvi, are, a. 1. (trans et gula) transvoro, transglutio. *Apul.* 9. *Met.* Aries appetitum (*canem*) unico morsu transgulavit. *Alii leg.* strangulavit. — Translate *Augustin. Serm.* 126. *n.* 12. ed. *Mai.* Et putas tu, quia jugum Christi transgulabit te? Noli timere, suscipe, bene est. *Nisi tamen hic quoque sit strangulabit.*

TRANSJĂCĬO. *V.* TRAJICIO.

TRANSJECTĬO. *V.* TRAJECTIO.

TRANSJECTUS. *V.* TRAJECTUS.

TRANSJĬCĬO. *V.* TRAJICIO.

TRANSĪDO, is, ere, n. 3. trans me demitto. *Simplic. p.* 83. *Goes.* Ex non stante positione in restante transidunt controversiæ, quoties loci, de quo agitur, specialia argumenta nulla exsistant. Ita *Furlanetto* in *App.* Sed *Lachmannus p.* 67. 24. ex Codd. dedit *in stantem transcendunt* monetque codicem unum habere *transcidunt.*

TRANSĪENS, euntis, particip. *V.* TRANSEO.

TRANSĬGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSĬGO, igis, ēgi, actum, igere, a. 3. (trans et ago) *Transaxim* pro *transegerim* tribuunt *Müller* et *Georges* loco *Pacuv.* apud *Fest. p.* 217. V. *Ribbeck Trag. Rom. fragm. p.* 202. — Part. *Transigens* II. 1.; *Transactus* fere in omnib. paragr.; *Transacturus* II. 1.; *Transigendus* II. 2. — Transigo est ab uno in alium locum vel rem ago, per medium duco, transadigo, ultra ago, trajicio (It. *cacciar fuori, far passare da parte a parte*; Fr. *faire passer à travers, faire pénetrer, enfoncer dans*; Hisp. *hacer pasar por medio ó mas allá ó penetrar*; Germ. *durchbohren*; Angl. *to drive right through*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Sil. It.* 13. 376. Bellatorem alacer per pectora transigit ensem. *Id.* 2. 648. transacto tremebunda per ubera ferro. Sic *Seneca Œdip.* 857. Ferrum per ambos tenuem transactum pedes Ligabat artus. ¶ 2. Speciatim est trans ago telum, transfigo, trajicio, *passare da banda a banda con arme, trafiggere. Phædr.* 3. 10. Gladio pectus transigit. *Tac.* 14. *Ann.* 37. *extr.* Se ipsum gladio transegit. *Sil. It.* 5. 576. tum librat ab aure Intorquens jaculum et versantem in vulnere sese Transigit. *Val. Flacc.* 6. 246. Œbasus lævum per luminis orbem transigitur. *Lucan.* 4. 545. Viscera non unus jamdudum transigit ensis. *Sil. It.* 5. 473. Transegit juvenem cuspis Sidonia. *Lucan.* 9. 324. et 828. Biliscus cuspide Murri transactus. ¶ 3. Pro digerere, *digerire. Boeth.* 3. *Cons. phil. pros.* 11. Acceptas escas sine cogitatione transigimus.

II.) Translate. ¶ 1. Est ago, duco, ut *transigo vitam, annos* et hujusmodi, *passare, menare. Sall. Cat.* 2. Multi mortales dediti ventri atque somno, vitam sicut peregrinantes transegere. *Sueton. Tib.* 7. Adulescentiam omnem per

hæc fere transegit. *Tac. Germ.* 15. Quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt. *Seneca Ep.* 90. *ad fin.* Placidas transigebant sine suspirio noctes. *Claudian. Epigr.* 2. patriis ævum transegit in arvis. *Tac. Agric.* 18. Transigere tempus per ostentationem aut officiorum ambitum. *Sueton. Claud.* 12. Sponsalia filiæ natalemque geniti nepotis silentio ac tantum domestica religione transegit. *Tertull.* 2. *ad nation.* 19. *ante med.* Pios et insontes amœno in loco dicimus perpetuitatem transacturos. *h. e.* perpetuo victuros. *Nepos Them.* 9. *extr.* Annum mihi temporis des, quo transacto etc. *Tac. Agric.* 18. Transacta ætas. *Sueton Cal.* 59. Nulla nox sine aliquo terrore transacta. *Id. Tib.* 11. *ad fin.* Transacto tribuniciæ potestatis tempore. *Vulg. interpr. Esth.* 13. 2. Vitam silentio transigentes. ¶ 2. Item distraho, vendo, *spacciare, vendere. Pallad.* 12. *R. R.* 13. *extr.* Trimæ educare optime possunt: quod teneriores matres generant, transigendum est. *Id.* 3. *ibid.* 26. Ubi facultas est transigendi, venditis, qui subinde nati sunt etc. ¶ 3. Item perago, perficio, conficio, absolvo, *spedire, finire*, διατελεῖν, διαπράττεσθαι. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 151. Transigere fabulam. *finire la commedia.* Adde *Truc. prol.* 11. *Ter. Andr. in fin.* Intus transigetur, si quid est, quod restet. *Sall. Jug.* 31. *ad fin.* Reliqua cum Bestia et Scauro secreta transegit. *Cic. Rosc. Am.* 51. Quæ domi gerenda sunt, ea per Cæciliam transiguntur, *si fanno, si spediscono.* et 13. *Fam.* 14. Peto a te, ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias, transigas. *Liv.* 32. 28. (et 38. 25.) Prius de prætoribus transacta res, quæ transigi sorte poterat. *Id.* 34. 18. *sub fin.* Nec cogitaret modo imperaretque, quæ in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret. *Sueton. Aug.* 13. Philippense bellum duplici prælio transegit. *Cic. Divin. in Cæcil.* 14. 45. Quid quum cœperit (*Hortensius*) unumquodque transigere, expedire, absolvere? Ubi *Ascon. Transigere* quod manifestum est: *expedire* definiendum: *absolvere* dividendum. An *transigere* est, quod aut confiteri non timeat, aut negatione excludat: *expedire*, quod definitione solvatur: *absolvere*, quod per qualitatem licitum esse monstratur? Adde *Tac. Germ.* 22. Rursum *Plaut. Cas. prol.* 84. Transacta fabula. *Id. Capt.* 2. 2. 95. Hic omne transactum reddet, si illuc venerit. *Ter. Adelph.* 2. 4. *in fin.* Ego jam, transacta re, convertam me domum cum obsonio. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 15. Transactis jam meis partibus, ad Antonium audiendum venistis. *Id.* 4. *Tusc.* 25. 55. Quum jam, rebus transactis et præteritis, orationes scribimus, num irati scribimus? *Tac.* 2. *Hist.* 38. *in fin.* Singulis velut ictibus transacta bella. — Illud *Ter. Andr.* 1. 5. 13. Facta transacta omnia, *Donat.* proverbiale esse ait in id negotii, de quo nihil superest ad agendum. Sic *Cic.* 3. *Cat.* 6. *ad fin.* Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. *Id.* 14. *Fam.* 4. Si est spes nostri reditus, eam confirmes et rem adjuves; sin, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, ad me fac venias. ¶ 4. Item pro controversiam mutuo consensu dirimere, convenire, decidere, pactionem facere, *venire a composizione o a patti, aggiustarsi, accordarsi. Ter. Hecyr.* 3. 5. 61. Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet. *Cic.* 4. *Verr.* 32. *a med.* Qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat. *et* 3. *ibid.* 54. Quod erat vix HS quadraginta millium, transigunt HS ducentis millibus. *Id.* 4. *Att.* 16. *ad fin.* Cum privatis non poterat transigi minore pecunia. *Ulp. Dig.* 38. 17. 1. *in fin.* Quod ait senatus, Quæ judicata, transacta finitave sunt: ita intelligendum, ut transacta debeamus accipere scilicet bona fide, ut valeat transactio. Cf. *Paul. ibid.* 50. 16. 229. ¶ 5. Hinc metaphorice. *Tac. Agric.* 34. *in fin.* Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem. *h. e.* expeditiones militares uno prœlio ac insigni victoria finito. *Apul.* 8. *Met.* Inedia denique misera et incuria squalida, tenebris imis abscondita, cum luce jam transegerat. *h. e.* cum vita jam convenerat, ut eam relinqueret. — Impersonaliter. *Tac. Germ.* 19. Cum spe votoque uxoris semel transigitur. V. *Kritzii* interpr.

Homonym. Discrimen inter *transigere, expedire* et *absolvere* V. sub II. 3. — Item inter *transigere* et *pacisci* hoc interest, quod qui *transigit*, quasi de re dubia et lite incerta neque finita transigit: qui vero *paciscitur*, donationis causa rem certam et indubitatam liberalitate remittit. Ita *Ulp. Dig.* 2. *tit.* 15. *qui De transactionibus est*, 1.

TRANSIĬCIO. *V.* TRAJICIO.

TRANSĬLĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSĬLĬO *et* transsilio, sĭlis, sĭlŭi *vel* sĭlĭi *et* sĭlŭi, sĭltum, sĭlire, 4. Part. *Transiliens* sub *A* I.; *Transilitus* et *Transiliendus* sub *A* II. 2. — Transilio est ultra salio, saltu transeo, ὑπερβάλλομαι, μεταπηδάω (It. *saltare oltre, passare saltando*; Fr. *sauter d'un lieu dans un autre ou par-dessus, franchir*; Hisp. *saltar mas allá ó por sobre, pasar saltando*; Germ. *hinüber springen, überspringen*; Angl. *to leap, bound or jump over*).

*A)* Transitive.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Fast.* 727. transilui positas ter ordine flammas. *Horat.* 1. *Od.* 3. 23. si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada. *h. e.* prætervehuntur, permeant, navigant. *Liv.* 1. 7. Fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros. *Flor.* 3. 3. *ante med.* Rex ipse quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum quum fugeret, ascendit. *h. e.* ex uno in alium equum desultoris modo transultare, ut ait *Liv.* 23. 29. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8 9. (31). Mugilum velocitas retia transilit. *Vulg. interpr. Cant.* 2. 8. Saliens in montibus, transiliens colles.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 75. Per tantum terræ, tot aquas vix credere possim, Indicium studii transiluisse mei. *h. e.* transisse et penetrasse. *Horat.* 1. *Od.* 18. 7. ne quis modici transiliat munera Liberi. *h. e.* transgrediatur, excedat nimis bibendo. *Cic. Parad.* 3. 1. Transilire lineas. *V.* LINEA. ¶ 2. Speciatim pro omittere, præterire, negligere, silentio transire. *Id.* 3. *Orat.* 40. 160. Ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita et alia longe repetita sumere. *sorpassare.* et 2. *Phil.* 33. *extr.* Ne ex multis rebus gestis M. Antonii unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. *Plin. Paneg.* 56. Quid est enim in principatu tuo, quod cujusquam prædicatio vel transilire vel prætervehi debeat? *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 145. Nos quoque præteritos sine labe peregimus annos: Proxima pars vitæ transilienda meæ. — *Cassiod. De anim.* 12. *ad fin.* Restat, ut mole istius mundi transilita, divinæ misericordiæ nosmetipsos salubriter offeramus. Adde *Hieronym.* in *Dan.* ad 11. 21. et *seqq.* et *Cassiod.* in *Ps.* 33. 6.

*B)* Neutrorum more cum Acc. termini, ad quem, et præp. *in, ad.*

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 2. 1. 38. Illac per hortum transilivit ad nos. *Auct. B. Hisp.* 19. Materfamilias de muro se dejecit et ad nos transiliit. *h. e.* transfugit. *Auct. B. Alex.* 46. Transilire in hostium naves. *Liv.* 30. 25. Neque poterant transilire armati ex humilioribus in altiorem navem. Adde *Flor.* 3. 5.

II.) Translate. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (9). Eadem ætas Neronis principatu ad Thessalum transilivit. *h. e.* ejus ætatis homines, qui aliam medicorum sectam probaverant, Thessalo medico favere, quasi transfugæ, cœperunt. *Id.* 33. *ibid.* 2. 8. (33). Ad ornamenta ea (*usum aureorum anulorum*) etiam servitute liberati transiliunt. *Id.* 37. *ibid.* 6. 24. (90). Onyx in gemmam transilit ex lapide Caramaniæ. *h. e.* nomen onychis marmoris transit ad gemmam quoque significandam. *Sillig.* aliter leg.

TRANSĬLIS, e, adject. (transeo) qui transit. Hinc *transilis palmes*, qui ita productus est, ut in vicinam arborem transire et tradux fieri possit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211). Oneratis (*traducibus*) vetustate melius donare tempus, ut transilem faciant. Ita leg. *Sillig.* et *Jan*; at *Detlefsen* rasilem.

TRANSĬLĪTĬO, ōnis, f. 3. (transilio) actus transiliendi. — Translate. *Augustin.* in *Ps.* 38. *n.* 2. Est hæc ascensio et ista transilitio non pedibus etc. Adde *Cassiod.* in *Ps.* 61. *init.*

TRANSĬLĪTOR, ōris, m. 3. (transilio) qui transilit.

I.) Proprie. *Cassiod.* in *Ps.* 38. *init.* Idithum Hebræum nomen est, quod lingua Latina dicitur transilitor.

II.) Translate. *Cassiod.* in *Ps.* 76. 1. Asaph iste mundanorum desideriorum transilitor eximius. Adde *eumd.* in *Ps.* 61. *init.* et *alibi.*

TRANSĬLĪTUS, a, um, particip. *V.* TRANSILIO.

TRANSĬTANS, antis, particip. ab inusit. *transito. Cic.* 5. *Att.* 21. *ante med.* ed. *Orell.* L. Tullius legatus ceteroqui abstinens, sed Julia lege, transitans, semel tantum in diem. *h. e.* per provinciam transiens. *Baiter* Julia lege transita; *Wesenberg* sed Julia lege transitum. *sc.* diem.

TRANSĬTĬO, ōnis, f. 3. (transeo) actus transeundi, transitus, trajectus, *passaggio, transito*, διάβασις.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstractorum more. *Cic.* 1. *Nat. D.* 18. *et* 37. *sub fin. et ibid.* 39. 109. Transitio imaginum. *h. e.* fluxus, quum aliæ aliis transeuntibus succedunt. *Ovid. Remed. am.* 615. Dum spectant oculi læsos, læduntur et ipsi: Multaque corporibus transitione nocent. *Vitruv.* 9. 4, *circa med.* Donicum idem Sol de eo trigono in aliud signum transitionem fecerit. ¶ 2. Sensu, ut ajunt, concreto est locus, per quem transitur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 67. Jani ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviæ Jani nominantur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Brut.* 16. 62. Transitiones ad plebem. *h. e.* a patricio ordine ad plebejum. ¶ 2. Speciatim sæpe est transfugium, defectio, *il desertare, ribellione. Liv.* 28. 15. *ad fin.* Sed transitio sociorum, fuga ut tutior mora videretur, effecit. *et ibid.* 16, Itaque transitiones ad hostem fiebant. *Id.* 27. 20. Exercitus quum transitionibus, tum adverso prœlio imminutus. *Id.* 25. 15. Vocare per colloquia ad transitionem. *Justin.* 1. 5. 9. Medorum transitionem pollicitus. ¶ 3. Item opponitur stabilitati et est mutabilitas, *mutabilità. Augustin.* 1. *Soliloq.* 1. *n.* 4. Unus Deus tu, una æterna vera substantia, ubi nulla discrepantia, nulla confusio, nulla transitio, nulla indigentia, nulla mors. ¶ 4. *Transitio* a Rhetoribus vocatur, quæ, ut ait *Cic.* 4. *Herenn.* 26. 35., ostendit breviter, quid dictum sit; proponit item brevi, quid sequatur, hoc modo. In patriam cujusmodi fuerit, habetis: nunc in parentes qualis exstiterit, considerate. *Id.* 1. *ibid.* 9. 14. Transitionibus nullis uti. ¶ 5. Apud Grammaticos est inclinatio verbi aut nominis per casus aut personas. *Varro* 9. *L. L.* 103. *Müll.* Et in obliquis casibus transitio erit in aliquam formulam, qua assumpta, reliqua facilius possunt videri verba, unde sint declinata. Cf. *Priscian.* 17. p. 1099. *Putsch.*

TRANSĬTĪVĒ, adverb. (transitivus) transeundo, per transitionem, *transitivamente, in senso transitivo. Priscian.* 14. p. 994. *Putsch.* Sine tamen et *absque* et *tenus* non inveni, nisi cum ablativo et semper transitive, ut Virgilius in XII. Æneidos (882.): aut quidquam mihi dulce meorum Te sine frater erit? *Id.* 17. p. 1099. *ibid.* Diversi casus et tempora et personæ non solum transitive et per reciprocationem, sed etiam intransitive copulantur. Adde 18. p. 1161. *ibid.*

TRANSĬTĪVUS, a, um, adject. (transeo) qui transit, μεταβολικός. *Transitiva verba* aut *nomina* dicuntur a grammaticis, quorum significatio et vis in aliam personam transit: et contra intransitiva, quæ non transeunt. *Priscian.* 14. p. 982. *Putsch.*

TRANSĬTOR, ōris, m. 3. (transeo) qui transit, *passeggiere. Ammian.* 15. 2. 4. Ut subterraneus serpens foramen subsidens occultum, assulta subito transitores observans incessit. *Inscr.* in *Revue archéol.* a. 1868. n. 431. RESTA VIA-

TOR ET IEGP HAVETE TRANSITORES DALETE (*leg.* valete) TRANSITORES. Adde *Augustin. Serm.* 93. *n.* 4. ed. *Mai.* Hebræus transitor interpretatur. Adde *Hieronym. Quæst. Hebr.* ex *Gen.* 14. 13.

TRANSĬTŌRĬĒ, adverb. (transitorius) in transitu, obiter, *di passaggio. Itin. Alex. M.* 26. — Translate. *Hieronym. advers. Helvid. n.* 13. Transitorie dicere. *Id. Ep.* 51. *n.* 2. loqui. *Augustin. serm.* 102. *de Temp.* considerare.

TRANSĬTŌRĬUS, a, um, adject. (transeo) transitioni inserviens, pervius (It. *che serve di passaggio;* Fr. *qui serve de passage ou il y a un passage;* Hisp. *que sirve al pasage;* Germ. *durchgängin;* Angl. *that one may pass through, passable*).

I.) Proprie. *Sueton. Ner.* 31. Domum a Palatio Esquilias usque fecit: quam primo transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque, auream nominavit. *scil.* quia per eam transitus erat a Palatio in Esquilias. — De hujus situ V. *Bullett. archeol. Municip.* II. *p.* 167. et *seq.* — Hinc *transitorium forum* in quarta Urbis regione. *Notit.* et *Curios. Urb. p.* 6. et 9. *Fr.*, dictum ex eo, quod per illud facilis erat transitus in alia loca. *Lamprid. Alex. Sev.* 28. Statuas imperatoribus in foro divi Nervæ, quod transitorium dicitur, locavit. (*Aurel. Vict. Cæsar.* 12. de *Nerva.* Dedicato prius foro, quod appellatur Pervium.) Adde *Eutrop.* 7. 23. — A similitudine alibi quoque *transitoria fora* occurrunt. *Inscr.* Lambæsitana apud *Rénier n.* 119.

II.) Translate refertur sæpe ad tempus et est temporalis, temporaneus, labilis. *Boeth.* 5. *Cons. phil. pros.* 6. In bodierna quoque vita non amplius vivitis, quam in illo mobili transitorioque momento. *Cassiod. De amic. p.* 602. Transitoria vita. *Augustin.* 7. *Civ. D. præf.* Mortalis vitæ transitorius vapor. *Id.* 1. *Doctr. Chr.* 35. Non quasi mansoria dilectio atque delectatio sed transitoria potius, tamquam viæ. ubi *τῷ transitoria* opponitur *mansoria. Jul. Val.* 3. *res gest. Alex. M.* 22. Neque id breve et transitorium fuit. — Hinc

*Transitorium, ii,* n. 2. absolute, idem ac forum transitorium. *Inscr.* in *Bullett. archeol. Ital. a.* 1861. *p.* 73. Cf. *Minervini ibid. p.* 75.

TRANSĬTUS, a, um, particip. *V.* TRANSEO.

TRANSĬTUS, us, m. 4. (transeo) — *a*) *Transitu* dat. sing. pro *transitui* est in *Itin. Alex. M.* 9. — *Transitui,* adverbiorum more usurpari tradunt quidam, teste *Diomed.*, qui addit 1. *p.* 403. *Putsch.* Transitui facit, mittit transitui. Cf. TRANSLATUS, us. — *b*) Ultimam in *transitus,* genetivo casu, corripuit licenter *Coripp.* 2. *Laud. Justin.* 55. Cf. *Sedul.* 2. *carm. Pasch,* 120. — Transitus est locus, qua transiri potest, et ipsa transitio, μετάβασις (It. *passaggio, transito, passo;* Fr. *passage;* Hisp. *pasage;* Germ. *der Uebergang;* Angl. *a passage, pass*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 6. *B. G.* 6. Erat inter Labienum atque bostem difficili transitu flumen. *Auct. B. G.* 8. 20. Flumine impeditum transitum videbat. *et ibid.* 13. Prœlia, quæ ad vada transitusque fiebant paludis. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. *a med.* Ejus fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxit. *Liv.* 28. 1. Quum transitu Hasdrubalis levatæ Hispaniæ viderentur. *Id.* 21. 20. Dare transitum Pœno per agros urbesque suas. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (153). Inde in montes septem dierum transitus. *Id.* 3. *ibid.* 11. 16. (100). Qua in Græciam brevissimus transitus. *tragitto.* et *Justin.* 2. 13. 7. Transitum occupare maturata fuga. *Id.* 15. 4. 12. inde in Indiam fecit. *et* 29. 4. 4. prohibere. *et Tac.* 15. *Ann.* 10. alicujus arcere. *et* 4. *Hist.* 19. *a med.* Transitu aliquem arcere. *Justin.* 1. 8. 2. prohibere. *Tac.* 1. *Hist.* 70. Transitum Alpium parans. *et* 3. *ibid.* 59. Fœda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus. *Quintil.* 5. 13. 13. Flumina transitum præbent. *Epit. Liv.* 28. Transitus insidere. *Solin.* 56. Mercantium ibi transitus infestantur ex Arabicis insulis. — *In transitu,* transeundo, *nèl passare, di passaggio. Tac.* 12. *Ann.* 13. Capta in transitu urbs Ninos. ¶ 2. Speciatim de transfugio et transitione ad hostes, *diserzione. Id.* 1. *Hist.* 76. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 4. *Met.* 77. datus est verbis ad amicas transitus aures. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 28. (59). Acetum scillinum transitum auditus aperit. *Id.* 22. *ibid.* 24. 51. (111). Aqua mulsa lenit transitum spiritus. *h. e.* asperam arteriam, per quam meat spiritus. *Id.* 11. *ibid.* 36. 43. (120). Mutationes et in alias figuras transitus. *trasformazioni,* μεταμορφώσεις. *Gell.* 15. 19. Transitus in alienam familiam. *scil.* per arrogationem. — *In transitu, per transitum,* cursim, obiter, breviter, *di passaggio, brevemente. Quintil.* 2. 10. 15. In transitu non omittemus. *Id.* 7. 3. *a med.* Quæ libro quinto leviter in transitu attigeram. *Id.* 6. 2. 2. Affectuum non simplex natura nec in transitu tractanda. *Serv.* in *Virg.* 3. *G.* 526. Per transitum. ¶ 2. Speciatim apud Eccles. scriptores refertur ad tempus. *Augustin.* in *Ps.* 109. *n.* 11. Transitus sæculorum. *Vulg. interpr. Sap.* 2. 5. Umbræ transitus est tempus nostrum. ¶ 3. In pictura *transitus* est, ubi unus color finitur et alius incipit. *Ovid.* 6. *Met.* 65. *de Iride.* In quo diversi niteant quum mille colores, Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit: Usque adeo quod tangit, idem est, tamen ultima distant. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 11. (29). Commissuras colorum et transitus appellaverunt harmogen. *Id.* 37. *ibid.* 2. 8. (21). Circumagentibus se maculis in purpuram candoremque et tertium ex utroque ignescentem, velut per transitum coloris. *V.* HARMOGE. ¶ 4. In dicendo est transitio ab una re perorata ad aliam. *Justin.* 42. 2. 7. Sed quoniam in Armeniam transitum facimus, origo ejus paullo altius repetenda est. *Quintil.* 9. 2. *a med.* Unde etiam venusti transitus fiunt: non quia transitus ipse sit schema etc. *Id.* 7. 6. 5. Hinc erit ad alia transitus et divisio, num quisquis etc. ¶ 5. Transitus verborum et nominum est eorum declinatio a prima persona in reliquas, a recto casu ad obliquos. *Varro* 9. *L. L.* 109. *Müll.* Ut apparet in meo, neo, veho: ab his dissimilia fiunt transitu, meas, nes, vehis. *et ibid.* 91. Sic socer, macer, quod in transitu fiat ab altero trisyllabum soceri, ab altero bisyllabum macri. *Id.* 10. *ibid.* 52. Similitudo, quæ est in transitibus de casu in casum. ¶ 6. *Transitus* est etiam figura, quæ a Græcis *metabasis* vel *metastasis* appellatur. *V.* METABASIS et METASTASIS.

TRANSJĂCĬO. *V.* TRAJICIO.

TRANSJECTĬO. *V.* TRAJECTIO.

TRANSJĬCĬO. *V.* TRAJICIO.

TRANSJŬGĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSJŬGO, as, ātum, are, a. 1. Part *Transjugatus.* — Transjugo est ultra jugum transeo. *Mela* 2. 2. 19. *Tzsch.* Athos mons a Xerxe in Grajos tendente perfossus transjugatusque est. *h. e.* factus freto navigabili pervius. Alii leg. *transnavigatus,* ut *Parthey* et *Frick.*

TRANSJUNGO, is, ere, a. 3. in quadriga locum veterinis mutare, ut mulam temonariam facere, quæ præcedere solita sit, vel dextram, quæ sinistra esse solebat, μεταζεύγνυμι. *Ulp. Dig.* 21. 1. 38. *circa med.* Si mula talis sit, ut transjungi non possit.

TRANSLAPSUS, a, um, particip. ab inusit. *translaber,* ultra lapsus. ¶ 1. Active. — *a*) Proprie. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 376. rapit cœli per inania cursum Diva potens unoque Padum translapsa volatu etc. *h. e.* prætervolans. — *b*) Translate. *Jul. Val.* 3. *res gest. Alex. M.* 15. Quæ secum plurima gentis suæ more Indi ad prœlium vehunt, in suam potestatem sciret esse translapsa. *h. e.* devenisse. ¶ 2. Passive est præteritus. *Cod.* 7. 37. 3. Quo (*quadriennio*) translapso.

TRANSLĀTĪCĬĒ (translatitie) *et* tralaticie, adverb. (translaticius) ¶ 1. Est metaphorice seu per translationem. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2495. *Putsch.* Itaque quia sunt rebus verba pauciora, translatitie a quacumque re simili ac proxima pleraque appellari cœperunt etc. *V.* loc. integr. ¶ 2. Est etiam remisse, leviter, perfunctorie, negligenter: quasi ut vulgo et passim solet, *per modo di fare, superficialmente, alla buona. Ulp. Dig.* 37. 14. 1. Patronorum querelas adversus libertos præsides audire et non translaticie exsequi debent. *Martian. ibid.* 48. 16. 1. *ante med.* Prævaricatorem esse eum ostendimus, qui colludit cum reo et translaticie munere accusandi defungitur. *Papinian. ibid.* 36. 1. 55. *a med.* Sed nec illud translaticie omittendum est. Omnibus his locis sunt qui leg. *translative.* — *NB.* Adverb. *translate,* frequentissime in Lexico usus est *Forcellinus;* nullum tamen, quod sciam, hujus vocis exstat exemplum, ut de paucis aliis dicendum est, quæ Lexicographis facile condonantur.

TRANSLĀTĪCĬUS (translatitius) *et* tralaticius (tralatitius), adject. (translatus) Adnotat *Furlanetto* ad *Phædr. loc. cit.*, antepænultimam in *translaticio* produci, licet ea in vocabulis similiter desinentibus brevis esse soleat, ut in *natalicio, Saturnalicio* etc.; sed quid discriminis inter nomina hujusmodi optime statuat, V. in SUPPOSITICIUS. — Translaticius ¶ 1. Est proprie, apud JCtos, qui crebro ex uno in alium locum transfertur: atque adeo non nuper inventus aut novus, sed aliunde sumptus, ut ait *Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 44. *extr.*, ubi *Cic.* In re tam usitata satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, vetus edictum translaticiumque esse. *Id.* 5. *Att.* 21. *a med.* Quum ego in edicto tralaticio centesimas me observaturum haberem. *Gell.* 3. 18. *sub fin.* Edictum, quo nunc consules, servandæ consuetudinis causa, tralaticio utuntur. *Sueton. Aug.* 10. M. Antonius ne publicum quidem et translaticium jus ulla in re sine pactione gravissimæ mercedis impertiens. — *Tralaticius* cohortis XI. urbanæ dicitur Septimius centurio cohortis primæ Vigilum in *Inscr.* apud *Lup. Epitaph. S. Sev. p.* 159. At V. *Kellermann Vig. Rom. Lat. n.* 51., qui aliter leg. ¶ 2. Hinc ponitur pro usitato, vulgari, recepto, solemni, passim occurrente, vulgo usurpato, consueto, *comune, ordinario, consueto. Petron. Sat.* 110. Intelligebam, me non tralaticia deformitate esse insignitum. *Sueton. Ner.* 33. *in fin.* Efferre aliquem raptim translaticio funere. *Phædr.* 5. 7. Dii sunt locuti more translaticio, *secondo il solito. Petron. Sat.* 113. Nec Giton me aut tralaticia propinatione dignum judicabat, *nè men d'un brindisi ordinario e solito a farsi a tutti.* et *ibid.* 114. Aut prætеriens aliquis tralaticia humanitate lapidabit. *h. e.* tumulum lapidibus operiet. Alii leg. *tumulabit.* et *Sueton. Ner.* 7. *sub fin.* Patronis non translaticias, ut assolet, breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus. *Plin.* 9. *Ep.* 37. Translaticia et quasi publica officia e familiaribus amicis contra ipsorum commodum exigere. *Est qui leg.* translativa. *Gell.* 9. 9. Verba hercle non translaticia, sed cujusdam nativæ dulcedinis. — *Translaticium est,* minime novum, usitatum, consuetum. *Cic.* 3. *Fam.* 8. *ante med.* Hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, translaticium est. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (76). Animalium (*quædam alicubi*) non nasci, translaticium: invecta emori, mirum. *Id.* 7. *ibid.* 5. 4. (38). Tralaticium in Ægypto est et octavo mense gigni. *Est qui leg.* translativum. — Absolute, substantivorum more. *Cœl.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 5. Nosti enim hæc tralaticia. *h. e.* consuetum rerum cursum seu rationem. ¶ 3. Est etiam metaphoricus, per translationem usurpatus. *Boeth. Arist. elench. sophist.* 2. 7. Unumquodque translatitium non similiter est manifestum.

TRANSLĀTĬO et tralatio, ōnis, f. 3. (translatus) actus transferendi, trajectio, μεταφορά (It. *trasporto, traslazione;* Fr. *action de transporter, transport;* Hisp. *transporte, transportamiento;* Germ. *das Uebertragen, die Versetzung;* Angl. *a transferring*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Off.* 14. 43. Translatio pecuniarum a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri. *Sueton. Ner.* 9. Translatio domi-

silii. — De plantis, *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 14. (75). Plantas ex seminario transferre in aliud, operose præcipi arbitror, licet translatione folia latiora fieri spondeant. *traspiantamento.* et *Colum.* 3. *R. R.* 10. Etiam feracissimi palmites translationem sæpe reformidant. — *Varro* 1. *R. R.* 41. In aliis translationibus videndum, ut quod transferatur, habeat gemmam. *h. e.* insitionibus — *Translatio*, de homine, qui vivus alio ab hoc mundo transfertur, apud *Vulg. interpr. Hebr.* 11. 5. *de Henoch.*

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro interpretatione ex una in aliam linguam, *traduzione, versione. Quintil.* 1. 4. 18. Quas conjunctiones a plerisque dici scio: sed hæc (*convinctio*) ex συνδέσμῳ magis propria translatio videtur. Adde *Hieronym. Ep.* 99. *n.* 1. ¶ 2. Item pro actu scribendi, *trascrizione. Sidon.* 8. *Ep.* 3. Apollonii Pythagorici vitam dum parere festino, celeriter ejecit in tumultuariam exemplar turbida et præceps et opica translatio. ¶ 3. Item, apud Rhetores, *translatio*, μετάληψις, est quum ad removendum crimen et declinandum judicium reus aut causam aut factum in alium transfert, ut ait *Cic.* 1. *Invent.* 11. 15. De hac multa *Quintil.* 3. 6. 23. Hodie vocant *exceptionem declinatoriam. V.* PRÆSCRIPTIO. *Cic.* 6. *Verr.* 42. 91. Quod mihi numquam veri simile visum est, adulescentem illo loco natum nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. *il dare, l'addossare ad altri la colpa.* ¶ 4. Item quum verbum in quamdam rem transfertur ex alia, quod propter similitudinem recte videtur posse transferri, ut ait *Cic.* 4. *Herenn.* 34. 45. μεταφορά, *metafora*, ut prata rident, vites gemmant, telum manu fugit. Multa de ea *id. Cic.* 3. *Orat.* 38. *et seqq.*, item *Quintil.* 9. 3. 98. *V.* METAPHORA. *Cic. loc. cit.* 41. 165. Verecunda debet esse translatio. *et ibid.* 38. *in fin.* Translationes audaciores. Adde *Auson. Edyll.* 13. *in fin.* ¶ 5. Apud Grammaticos est figura eadem ac metathesis, qua litterarum ordo mutatur. *Diomed.* 2. *p.* 437. *Putsch.* et *Donat. De schemati. p.* 1773. ¶ 6. Apud JCtos dicitur de onere transvectionis. *Cod. Theod.* 16. 2. 15. Ad universa munia sustinenda translationesque faciendas omnes clerici debent attineri. Adde *ibid.* 2. 40. ¶ 7. *Translatio legis*, a veteri Testamento ad novum relatio, apud *Vulg. interpr. Hebr.* 7. 12.

TRANSLĀTĪTIĒ. *V.* TRANSLATICIE.

TRANSLĀTITIUS. *V.* TRANSLATICIUS.

TRANSLĀTĪVĒ *et* tralative, adverb. (translativus) ¶ 1. Est idem ac translaticie. *V.* TRANSLATICIE et TRANSLATICIUS. ¶ 2. Item metaphorice seu per translationem. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Od.* 22. 8. et alibi, *Isid.* 17. *Orig.* 6. 28., *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. 175. et *Schol.* ad *Juvenal.* 13. 22.

TRANSLĀTĪVUS *et* tralativus, a, um, adject. (translatus) ¶ 1. Est qui transfertur vel transferri potest aut solet, μεταστατικός. Constitutio translativa est illa, in qua causa pendet, quia actio non fit iis circumstantiis, quibus facienda est, ac proinde indiget transactionis et commutationis, e. gr. Utrum populus Romanus, an centumviri de hac re judicare debeant, Utrum cum eo, qui vasa argentea publica de loco privato sustulerit, furti an peculatus agi oporteat. *Cic.* 1. *Invent.* 8. 10. At quum causa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet; translativa dicitur constitutio, quia actio translationis et commutationis indigere videtur. *Id.* 2. *ibid.* 19. 57. Quum autem actio translationis aut commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua pœna, quo crimine, quo tempore oportet; constitutio translativa appellatur. — *Quintil.* 3. 6. 46. Quam nos varie translativam, transumptivam, transpositivam vocamus. Græce est μετάληψις. ¶ 2. *Translativa quæstio* aut *causa* apud *eumd. ibid. n.* 52. et 75. eodem fere pertinent. ¶ 3. Item *translativus status* apud *Fortunatian. Rhet.* 2. 9. ¶ 4. *Translativus* est etiam usitatus, communis, receptus. *V.* TRANSLATICIUS.

TRANSLĀTOR *et* tralator, ōris, m. 3. (translatus) qui transfert. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 58. *a med.* Verres ille, vetus proditor consulis, translator quæsturæ, aversor pecuniæ publicæ. *h. e.* qui quum esset quæstor ærarius Marianarum partium, pecuniam publicam, Carbonis consulis et exercitus ejus nomine ex ærario sumptam, avertit et ad Sullam transfugiens transtulit, ut est apud *Cic.* et *Ascon.* 3. *Verr.* 4. *a med.* ¶ 2. Speciatim interpres, *traduttore. Hieronym. Ep.* 57. *n.* 5. Sufficit mihi ipsius translatoris auctoritas, qui etc. *Id.* in *Dan.* 4. 5. Exceptis Septuaginta translatoribus, qui hæc omnia, nescio qua ratione præterierunt. Adde *præf.* in *Psalt. juxta LXX.*, ubi alii *interpretibus* pro *translatoribus* legunt. et *Ambros.* in *Ps.* 118. *Serm.* 12. *n.* 7. ¶ 3. Est etiam qui exscribit, *copiatore. Sidon. loc. cit.* in COACTIM. *Cassiod.* 12. *Variar.* 21. *ad scribam.* Translator esto, non conditor antiquorum gestorum.

TRANSLĀTUS *et* tralatus, a, um, particip. *V.* TRANSFERO.

TRANSLĀTUS *et* tralatus, us, m. 4. (transfero) idem ac translatio, transvectio. *Seneca Tranquill.* 1. 5. Præstringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius, quam in tralatu, vestita et auro culta mancipia. Ita recte leg. *Gronov.*, alii aliter. *Val. Max.* 2. 4. *n.* 6. Translatum antea Pœniceis indutum tunicis, M. Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit. *h. e.* ludionum turbam, quæ in scæna sæpius ante spectatorum oculos traducitur, velut in pompa fit. — *Translatui*, absolute, adverbii ritu, adhibitum a quibusdam, ut *translatui esse, facere, mittere, sc.* per translationem vel transvectionem, transferendo, docent *Charis.* 2. *p.* 170. et *Diomed.* 1. *p.* 403. *Putsch.*

TRANSLĔGO, as, āvi, are, a. 1. ab uno ad alium transmitto. *Augustin.* 3. *Lib. arb.* 15. *n.* 42. Num et quæ redduntur translegando, ei redduntur, qui translegaverat. *Id.* 5. *Tract. in Joh. in fin.* Nulli servo suo translegavit potestatem baptizandi.

TRANSLĔGO *et* tralego, is, ere, a. 3. cursim lego, legendo transcurro, διαγινώσκω (It. *leggere scorrendo*; Fr. *lire à la hâte, parcourir en lisant*; Hisp. *leer apresuradamente*; Germ. *durchlesen, herlesen*; Angl. *to read over cursorily*). *Plaut. Asin.* 4. 1. 5. Age, quæso, mi hercle (*syngraphum*) translege.

TRANSLĪMĬTĀNUS, a, um, adject. (trans *et* limes) ultra limen vel limitem. *Ambros. Ep.* 24. *n.* 8. Quum tu ministeris imperio Romano turmas translimitanas.

TRANSLŎQUOR. *V.* TRALOQUOR.

TRANSLŪCĀNUS, a, um, adject. (trans *et* lucus) qui trans lucum est. *Inscr.* apud *Gruter.* 201. 7. MVNICIPES ET INCOLAE PAGI TRANSLVCANI ET PAGI SVBVRBANI.

TRANSLŪCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSLŪCĔO *et* traluceo, es, ere, n. 2. Part. *Translucens* I. 1. et 2. — Transluceo, prout sumitur particula trans, est ultra aliquid vel per aliquid luceo, scil.

I.) Proprie. ¶ 1. Est lucem transfero, lucendo transeo (It. *passare rilucendo, riflettersi, riverberarsi*; Fr. *réverbérer, refrapper la lumière*; Hisp. *reverberar, pasar resplandeciendo*; Germ. *hinüber- od. heraufscheinen*; Angl. *to transfer light*). *Lucret.* 4. 308. Usque adeo e speculo in speculum tralucet imago. Supra dixerat *ibid.* 302. Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 43. 68. (169). Per raritatem eorum (*pontium*) translucentibus fluviis. *Id.* 36. *ibid.* 22. 46. (163). Phengites lapis duritia marmoris candidus ac translucens. *h. e.* qui lucem remittit instar speculi, nam mox addit, illum alio, quam speculario, modo splendere, luce non transmissa. ¶ 2. Est etiam lucem transmitto, pelluceo (It. *trasparire, tralucere*; Fr. *laisser passer la lumière, être transparent, diaphane*; Hisp. *ser transparente*; Germ. *durchscheinen, durchsichtig sein*; Angl. *to shine through*). *Ovid.* 4. *Met.* 354. In liquidis translucet, a quis ut eburnea siquis Signa tegat claro vel candida lilia vitro. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (104). Translucens fissura. *Colum.* 4. *R. R.* 29. *circa med.* Nisi cortex cortici sic applicetur, ut nullo loco transluceat, nequit coalescere. *h. e.* rimam habeat, qua lux transeat. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (54). *de serico.* Tam longinquo opere petitur, ut in publico matrona transluceat. *Id.* 37. *ibid.* 10. 67. (181). Selenitis ex candido translucet melleo fulgore. *Id.* 36. *ibid.* 26. 67. (198). Vitris in candido translucentibus. *Id.* 37. *ibid.* 10. 63. (173). Gemma nigerrimo colore translucens.

II.) Translate. *Julian.* apud *Augustin. op. imperf. contra Julian.* 2. 187. Fecit translucere quod senserat.

TRANLŪCĬDUS *et* tralucidus, a, um, adject. qui ita lucet, ut visum transmittat, pellucidus, διάφανος (It. *trasparente, tralucente, diafano*; Fr. *transparent, diaphane*; Hisp. *transparente*; Germ. *durchsichtig*; Angl. *transparent, bright*).

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 46. (129). Translucida crystallus. *Id.* 11. *ibid.* 37. 55. (153). *extr.* Membrana vitri modo translucida. *Id.* 37. *ibid.* 5. 18. (68). Smaragdi densi nec e liquido translucidi. *et ibid.* 4. 15. (56). Translucidus color. *et ibid.* 10. 57. (158). Gemma candore translucido.

II.) Translate. *Quintil.* 8. *proœm. a med.* Cultus muliebris et luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida et versicolor quorumdam elocutio res ipsas effeminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur.

TRANSMĀRĪNUS *et* tramarinus, a, um, adject. Scribitur et *trasmarinus* in *Inscriptt.* apud *Rénier.* V. infra. — Transmarinus est qui trans mare est vel petitur, ὑπερθαλάσσιος (It. *oltre mare, oltremarino*; Fr. *d'outre-mer*; Hisp. *de ultramar*; Germ. *überseeisch*; Angl. *beyond sea*). *Plaut. Most.* 2. 2. 66. Ego transmarinus hospes sum Diapontius. *V.* DIAPONTIUS. *Cæs.* 6. *B. G.* 24. Res transmarinæ. Sic *Cic.* 7. *Verr.* 18. 45. Privatim autem nec proficisci quoquam potes, nec arcessere res transmarinas ex iis locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet. *Id.* 3. *Orat.* 33. 135. Quid enim M. Catoni præter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventiciam defuit? *h. e.* præter jurisprudentiam. Nam Romani petivere leges trans mare per tres legatos a civitatibus Græciæ, ut pater ex historia legum XII. Tabularum. *Quintil.* 7. 2. *ad fin.* Transmarina peregrinatio. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 245. MERCATOR OMNIS GENERIS MERCIVM TRANSMARINARVM. *Val. Max.* 9. 1. *n.* 4. Transmarina stipendia. *Augustin. Ep.* 43. *n.* 18. et 19. Ecclesia. *h. e.* Romana. *Inscr.* apud *Orell. n.* 4253. merces. *et* apud *Henzen n.* 5940. dem matres. — Huc pertinet *alia* apud *Rénier n.* 3434. HIC IACET VICTORIA TRASMARINA. Adde *alias* apud *eumd. n.* 3435. et 3437., ubi tamen *Rénier*, monente *Cavedonio* in *Opusc. di Modena T.* 6. *p.* 344., videtur *trasmarinus* de cognomine accepisse. — Absolute *transmarina* sunt loca transmarina, apud *Augustin.* 22. *Civ. D.* 8.

TRANSMĔĀBĬLIS, e, adject. (transmeo) qui transmeari potest. *Auson. Grat. act.* 35. *extr.* Spatio non transmeabili.

TRANSMĔANS, antis, particip. *V.* TRANSMEO.

TRANSMĔĀTĬO, ōnis, f. 3. (transmeo) actus transmeandi, trajectio, transitus, in *Thes. nov. Latinit. p.* 382. ed. *Mai.*

TRANSMĔĀTŌRĬUS, a, um, adject. (transmeo) ad transmeandum aptus. *Tertull. advers. Valentin.* 27. Christus delatus in Virginem transmeatorio potius, quam generatorio more.

TRANSMĔĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSMĔO *et* trameo, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Transmeans* I.; *Transmeatus* II. a. — Transmeo

I.) Intransitive est trans aut ultra meo, transeo pertranseo, permeo, passare, μεταβαίνω. *Lucret.*

4. 603. Qualia (*foramina*) sunt vitri, species quæ trameat omnis. Sunt tamen qui *h. l.* et 6. 348. pro *trameat* leg. *traviat* eod. sensu. *Tac.* 12. *Ann.* 62. Transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 26. (87). Quidquid non transmeat (*in cribrando*), repetitur in pila. *Id.* 10. *ibid.* 29. 41. (77). Larius lacus, ad quem ciconiæ non transmeant. *Sillig.* permeant.

II.) Transitivorum more est transmitto, prætereo. — *a*) Proprie. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 29. (96). Sola XII. signa transmeante. Adde 29. *ibid.* 3. 11. (48). *Ammian.* 27. 8. *a med.* Transmeato lentius freto. *Apul.* 6. *Met.* Transmeato limite. — *b*) Translate. *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.* Trama, quod trameat frigus id genus vestimenti.

TRANSMĬGRANS, antis, particip. *V.* TRANSMIGRO.

TRANSMĬGRĀTĬO, ōnis, *f.* 3. (transmigro) actus transmigrandi, *cangiamento di paese:* hinc speciatim sumitur ab Eccles. scriptoribus pro exsilio et captivitate, in primis Babylonica, Judæorum.

I.) Proprie. *Prudent. Hamartig.* 448. Hæc illa est Babylon, hæc transmigratio nostræ gentis. Adde *Boeth.* in *Top. Cic.* 2. *p.* 780. et *Vulg. interpr. Matth.* 1. 17. et *Ezech.* 12. 11. et *alibi.*

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen ipsi Judæi Babylonem translati. *Id. Ezech.* 11. 25. Locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini. Adde *ibid.* 3. 11. et *alibi.* ¶ 2. Metaphorice. *Id.* 12. *ibid.* 3. Fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis. Adde *eumd. Jer.* 46. 19.

TRANSMĬGRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSMĬGRO, as, āvi, ātum, are, 1. Etiam *transmigror, aris,* deponentium ritu, pro transferri, apud *Tertull.* 1. *ad Nat.* 12. Præparatio simulacri in marmor *etc.* transmigratur. — Part. *Transmigrans* I. 1.; *Transmigratus* II. — Transmigro est in alium locum migro, domicilii causa alio me transfero, habitationem commuto, μετοικέω (It. *andare ad abitare altrove, mutare paese;* Fr. *émigrer, changer de demeure;* Hisp. *pasar de un pais al otro, transmigrar;* Germ. *nach ein. andern Orte hinüberziehen, übersiedeln;* Angl. *to remove to another habitation, transmigrate*).

I.) Intransitive. ¶ 1. Proprie. *Liv.* 5. 54. Aliam urbem quærere, quo transmigramus. *et ibid.* 53. Transmigrare Vejos. *Sueton. Tib.* 15. E Carinis Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigravit. *Vulg. interpr. Prov.* 27. 8. Avis transmigrans de nido suo. *Id. Jer.* 29. 7. Transmigrare ad aliquem locum. ¶ 2. Translate. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 59. (136). Arbores exorari, ut vivant atque transmigrent.

II.) Transitivorum more est transmigrare facio. *Vulg. interpr. Thr.* 4. 22. Non addet ultra, ut transmigret te. Adde *Vulg. interpr. Ital.* 1. *Par.* 5. 6. — Passive. *Fulgent.* 3. *Myth.* 10. Quæ Inferis transmigratur. *h. e.* traducitur. *Isid.* 9. *Orig.* 2. 54. Qui (*Assyrii*) transmigrati habitaverunt in Samaria.

TRANSMĬGROR. *V.* voc. præc. init.

TRANSMĪNĔO, es, ere, n. 2. trans vel ultra sto, exsto, emineo. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 30. Perque os elephanti transmineret brachium. V. *Studemund Herstellung* in *Hermes* 1. 392. *Fleckeisen* leg. *transtineret.* Cf. *ibid.* 2. 5. 58.

TRANSMISSĬBĬLIS, e, adject. (transmitto) qui transmitti potest. *Thes. nov. Latinit. p.* 592. ed. *Mai.* Transmissilis vel transmissibilis.

TRANSMISSĪLIS. *V.* voc. præced.

TRANSMISSĬO, ōnis, *f.* 3. (transmitto) actus transmittendi. Speciatim ¶ 1. Dicitur de trajectione maris aut fluminis, διάπλοος (It. *passaggio, tragitto;* Fr. *traversée, passage;* Hisp. *travesia, pasage;* Germ. *die Ueberfahrt;* Angl. *a passing over or passage*). *Cic.* 4. *Att.* 17. O navigationem amandam! quam mehercule ego valde timebam, recordans superioris tuæ transmissionis. *Id.* 1. *Phil.* 3. 7. Ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur. Adde *Ambros.* 5. *Hexaem.* 10. ¶ 2. Est etiam præstatio vectigalium. *Cassiod.* 2. *Variar.* 24. Sic primæ transmissionis tempus exemptum, ut nihil aut parum a senatoriis domibus constet illatum. ¶ 3. Item remissio, puta ad certum forum vel officium. *Cod. Theod.* 9. 40. 6. Transmissio eorum ad officium præfecti annonæ (*celebretur*). Adde 11. 30. 31. ¶ 4. Item translatio, puta juris in alium. *Id. ibid. c.* 19.

TRANSMISSOR, ōris, m. 3. (transmitto) qui transmittit. *Ambros. de Tob.* 20. *n.* 76. Transmissor sortem suam ad fœneratores transmittit. Adde *Vulg. interpr. Ital. Lev.* 16. 8. et *Cassiod.* in *Ps.* 21. 20., ubi *transmissor* idem est quod caper emissarius.

TRANSMISSUS et tramissus, a, um, particip. *V.* TRANSMITTO.

TRANSMISSUS *et* tramissus, us, m. 4. (transmitto) transmissio, *tragitto, passaggio;* speciatim vero ¶ 1. Est trajectio, transmissio mari aut flumine, διάπλοος. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Hibernia dimidio minor, quam Britannia: sed pari spatio transmissus, atque ex Gallia, est in Britanniam. *Gell.* 10. 26. Maris transitus transmissusque navibus factus. ¶ 2. Item traditio. *Pacuv.* apud *Non. p.* 181. 32. *Merc.* Nunc regnum potitur transmissu patris.

TRANSMITTENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSMITTO *et* tramitto, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. Monent critici, sæpissime in MSS. *Ciceronis, Livii, Statii, Silii* etc. *tramitto* scriptum esse, et pæne frequentius quam *transmitto.* Cf. *Vel. Long. Orthogr. p.* 2228. *Putsch.* — Part. *Transmittens* I. 6. et II. 5.; *Transmissus* I. 2., 3. et 10. et II. 1., 2. et 5.; *Transmissurus* I. 2., *Transmittendus* II. 3. et 6. — Transmitto est de loco ad locum mitto, ultra mitto, διαπέμπω (It. *mandare di là, mandare oltre, trasmettere;* Fr. *envoyer d' un lieu dans un outre, transporter, faire passer;* Hisp. *transportar, dexar pasar;* Germ. *hinüberschicken, -gehen, -kommen lassen, -bringen;* Angl. *send over, transmit*). Construitur absolute aut sæpius cum Acc., cui frequenter additur Dat. vel Acc. termini, ad quem, et præp. *ad, in,* aut Acc. loci, ultra quem, et præp. *trans,* quæ etiam subauditur. Cf. TRADUCO et TRAJICIO.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Epid.* 1. 2. 52. et 3. 4. 27. Mihi ut illam tramittas: argentum accipias. *Tac.* 13. *Ann.* 55. Transmittere pecora et armenta in campum. *scil.* pascendi causa. *Paul. Dig.* 11. 4. 4. Ad officium proconsulis comprehensos fugitivos transmittere. Cf. *Flor.* 4. 2. *ad fin.* Primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, Rhodanus, Oceanus. ¶ 2. Speciatim transvebo, trajicio, trans mare aut flumen navibus aut ponte transduco, *condurre di là, trasportare. Cæs.* 7. *B. G.* 61 Exercitus celeriter transmittitur. *Virg.* 3. *Æn.* 403. ubi transmissæ steterint trans æquora classes. *Liv.* 28. 5. *sub fin.* Inde classem in Eubœam ad urbem Oreum transmittunt. *Tac. Agric.* 28. Transmissa cohors Usipiorum in Britanniam. *Vellej.* 2. 51. 1. Mare præsidiis classium sæpserat, quo minus Cæsar legiones posset transmittere. *Liv.* 28. 41. *extr.* Magna classis in Siciliam tramissa. *Alii leg.* transmissa. *Val. Flacc.* 1. 463. *de Lynceo.* possit qui rumpere terras, Et Styga transmisso tacitam deprendere visu *penetrando con la vista.* — Hinc *mare* aut *flumen transmittere,* trajicere, *passare,* διαπλεῖν. *Cic.* 16. *Att.* 6. Duo sinus fuerunt, quos tramitti oportet: utrumque pedibus æquis transmisimus. *Id.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Grues, loca calidiora petentes, maria transmittunt. *Id* 8. *Att.* 11. Ante puto transmissurum (*mare*), quam potuerit conveniri. *Liv.* 21. 20. *extr.* Satis constante fama, jam Iberum Pœnos transmisisse. *Stat.* 9. *Theb.* 239. et *Sil. It.* 4. 347. Transmittere fluvium nando. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 313. cursum. πορθμεύειν τὸν πλοῦν. *Tac.* 15. *Ann.* 7. et *Plin.* 8. *Ep.* 8. Euphratem ponte transmittebat. Hinc *Sil. It.* 14. 20. *de freto Siculo.* Sed spatium, quod dissociat consortia terræ, Latratus fama est Et matutinos volucrum tramittere cantus. *Tac.* 12. *Ann.* 13. Transmissus amnis. *Val. Flacc.* 2. 623. Exsuperant Pityamque vadis transmissaque puppi Lampsacus. *h. e.* navis Lampsacum prætervecta est. — Sæpe hoc sensu absolute adhibetur. *Cic.* 8. *Att.* 13. Si nactus hic esses Cnæum nostrum, spes dubia pacis: sin ille ante transmisisset, exitiosi belli metus. *Id.* 16. *ibid.* 7. Quum a Leucopetra (inde enim transmiseram) stadia CCC. processissem, rejectus sum austro vehementi. *Liv.* 25. 31. *ad fin.* Otacilius cum quinqueremibus LXXX. Uticam ab Lilybæo transmisit. *Id.* 42. 7. Ex Corsica subacta Cicerejus in Sardiniam transmisit. *Id.* 21. 51. Hostes jam transmiserant ad vastandam Italiæ oram. *Id.* 30. 24. Centum onerariæ naves in Africam transmiserunt. *Curt.* 4. 5. 27. Transmittere Cyprum. — Passive impersonaliter. *Liv.* 22. 20. In Ebusum insulam transmissum est. Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 25. 31. ¶ 3. Item est ultra eo, transcurro, *scorrere oltre, passare correndo. Lucret.* 2. 326. et *Virg.* 4. *Æn.* 154. cervi transmittunt cursu campos. *Sil. It.* 8. 554. tramittere saltu Murales fossas. *Seneca Herc. Œt.* 1165. Transmissus ensis per latus. ¶ 4. Item trado. *Sil. It.* 7. 383. Alloquitur, cui mos tramittere signa etc. ¶ 5. Item superjacio, jaciendo supero aut transcurro. *Ovid.* 4. *Met.* 708. quantum Balearica torto Funda potest plumbo medii transmittere cæli. *Stat.* 6. *Theb.* 677. transmittere flumina disco. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 6. (33). Quum quis tectum, in quo sit gravida, transmiserit lapide vel missili. ¶ 6. Item transitum do. *Liv.* 21. 24. *extr.* Galli, capti donis, cum bona pace exercitum per fines suos præter Ruscinonem oppidum transmiserunt. *Colum.* 12. *R. R.* 50. Cannas diligenter spisse tectas injicito, ita ut ne baccam transmittere queant. *Id.* 1. *ibid.* 6. *ad fin.* Piscinæ exstructum pavitumque solum habeant, ne humorem transmittant. *Val. Flacc.* 3. 433. ipse recenti Stat tumulo, placida transmittens agmina lauro. *h. e.* ante se ire jubens et transvehi. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (48). Abies folio pinnato densa, ut imbres non transmittat. *Id.* 9. *ibid.* 22. 38. (75). Lacus Benacus Mincium amnem transmittens. *Id.* 13. *ibid.* 12. 24. (79). Charta transmittens litteras lituræ metum affert. *Id.* 18. *ibid.* 11. 29. (115). Cribrum angustissimum et tantum arenas transmittens. *Id.* 11. *ibid.* 37. 78. (199). Intestini laxitas cibum in inferiora transmittit. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Primum venenum transmisit exsoluta alvo. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (108). Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem fœni large onustam transmitteret. *Plin. alter* 8. *Ep.* 8. Flumen navium patiens, quas obvias quoque et contrario nisu in diversa tendentes, transmittit et præfert. *et* 2. *Ep.* 17. Cryptoporticus patentibus fenestris Favonios accipit transmittitque. *Stat.* 9. *Theb.* 802. sed ferri lumine diro Turbatus sonipes sese dominumque retorsit In latus atque avidam transmisit devius hastam. *Seneca Ep.* 99. *ante med.* Acquiescamus his, quæ hausimus: si modo non perforato animo hauriebamus et transmittente quidquid acceperat. *h. e.* obliviscente, non continente. ¶ 7. Item transfero. *Colum.* 7. *R. R.* 8. *a med. de caseo.* Quum transmiserint in formas coactam materiam. ¶ 8. Item trajicio, transfigo, *passare da banda a banda, trapassare. Sil. It.* 5. 521. stetit æris in ora Cuspis et oppositas vetita est tramittere crates. *et* 7. 658. transmittit cuspide pectus. ¶ 9. Item transadigo, *cacciare fuor fuora. Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 29. pol si quidem Connisus esses, per corium, per viscera Perque os elephanto brachium transmitteres. *Seneca Thyest.* 1089. trisulco flammeam telo facem Per pectus hoc transmitte. ¶ 10. Item deglutio. *Marcell. Empir. c.* 26. *p.* 123. *init.* Renes leporis crudos si quis poterit, glutiat; sin minus, coctos transmittat, ita ut dentibus eos non contingat. Adde *c.* 15. *p.* 105. *retro.* Sic *transmissus cibus* apud *eumd. p.* 123. retro *post med.* ¶ 11. *Transmittere ad aliquem,* absolute seu neutrorum more, transfugere. *Vellej* 2. 84. 3. Domitius maximo et præcipiti periculo transmisit ad Cæsarem.

II.) Translate. ¶ 1. Est transferre. *Liv.* 21. 20. Ne in Italiam transmittant Galli bellum. *Tac.* 2. *Ann.* 38. Urgere modestiam senatus:

eamdem vim in me transmittere. Justin. 36. 4. extr. Asia, Romanorum facta, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit. — Venant. 9. carm. 2. 9. Mors venit inde vorax, transmissa nepotibus ipsis Heredesque suos tollit origo nocens. trasmessa, tramandata. et Inscr. apud Orell. n. 3888. OBLATVM SIBI HONOREM STATVAE IN PATRIS SVI NOMEN MEMORIAMQVE TRANSMISIT. ¶ 2. Est præterire, evadere. Lucan. 7. 212. Attonitique omnes veluti venientia fata, Non transmissa, legent. Plin. 8. Ep. 11. Incipit (æger) refici transmissumque discrimen convalescendo metiri. Stat. 1. Silv. 4. 124. nemo modum transmissi computet ævi. Claudian. cons. Mall. Theod. 141. Nec tibi sufficiat transmissæ gloria vitæ. ¶ 3. Item tradere, mandare, committere. Cic. pro leg. Manil. 14. extr. Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit. Sil. It. 7. 383. tramittere - belli summam primasque jubebat habenas. Plin. 8. Ep. 18. Hæc hereditas transmittenda erat filiæ fratris. — Cum Infinito. Stat. 3. Silv. 3. 78. et longo transmittit habere nepoti. Simile est illud Virg. 9. Æn. 362. dat habere nepoti. et 5. ibid. 263. donat habere viro. ¶ 4. Item omittere, negligere, lasciar andare, lasciar correre. Tac. 15. Ann. 31. Apud nos vis imperii valet, inania transmittuntur. Id. 4. Hist. 31. extr. Quum cetera jurisjurandi verba conciperent, Vespasiani nomen hæsitantes aut levi murmure et plerumque silentio transmittebant. Id. 13. Ann. 39. ad fin. Summa dissimulatione transmittere aliquid. Stat. 8. Theb. 595. leo imbelles vitulos mollesque juvencos Transmittit: magno furor est in sanguine mergi. ¶ 5. Item præterire, prætermittere, passare sotto silenzio. Sil. It. 7. 162. Haud fas, Bacche, tuos tacitum transmittere honores. Tac. 4. Hist. 9. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit. et 1. ibid. 13. Ex rumoribus nihil silentio transmittentium. Id. 16. Ann. 12. Junius mensis transmissus, quia duo Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen Junium fecerent. Adde 4. ibid. 55. ¶ 6. Item, ratione temporis, agere, ducere, transigere, menare, passare. Cic. pro leg. Manil. 1. 1. Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Seneca Ep. 19. Vitam per obscurum transmittere. Stat. 4. Silv. 2. 12. steriles transmisimus annos: Hæc ævi mihi prima dies. Plin. 9. Ep. 6. Omne hoc tempus inter pugillares et libellos jucundissima quiete transmisi. Plin. alter 8. Hist. nat. 25. 38. (94). Crocodilus quattuor menses hiemis inedia transmittit in specu. Stat. 8. Theb. 278. vigiles operi transmittere noctes. h. e. in opere transigere. — Huc et illa pertinent Plin. 1. Ep. 22. Incredibilem febrium ardorem immotus opertusque transmittit. et 6. Ep. 4. Ecquid denique secessus, voluptates regionisque abundantiam inoffensa transmitteres. te la passassi nel ritiro, ne' divertimenti etc.

TRANSMONTĀNUS, a, um, adject. qui ultra montes habitat, oltramontano, ὑπερόρειος: cui cismontanus opponitur. Inscript. apud Donat. 298. 2. et Orell. Coll. Inscr. Lat. n. 154. PINTAIVS PEDILICI F. ASTVR TRANSMONTANVS CASTELLO INTERCATIA. — Hinc

Transmontani, orum, m. plur. 2. absolute, eod. sensu. Liv. 39. 2. a med. Subactis cis Apenninum omnibus, tum Transmontanos adortus. Plin. 3. Hist. nat 3. 4. (28). Astures divisi in Augustanos et Transmontanos.

TRANSMŌTĬO, ōnis, f. 3. (transmoveo) actus transmovendi. Capell. 5. p. 172. Metastasis, est transmotio quædam, hoc est quum rem a nobis alio transmovemus. — Aquila R. De fig. sentent. p. 19. Capper. Metastasim, transmotionem quidem inter figuras nominant, quum rem a nobis alio transmovemus. V. EPILOGICUS.

TRANSMŌTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

TRANSMŎVĔO et tramoveo, mōves, mōtum, mōvere, a. 2. Part. Transmotus. — Transmoveo est de loco in alium locum moveo, transfero, μετακινέω.

I.) Proprie. Tac. 13. Ann. 35. Quippe Syria transmotæ legiones. ritirate dalla Siria. et Claud. Mamertin. 1. Stat. anim. 21. Vel transmoveri loco vel senio veterascere vel quoquo pacto moveri queat.

II.) Translate. Ter. Eun. 3. 1. 9. Labore alieno magnam partam gloriam verbis sæpe in se transmovet. h. e. sibi attribuit. Aquila R. De fig. sent. p. 19. Rem a nobis alio transmovemus. Adde Capell. 5. p. 172. V. TRANSMOVEO.

TRANSMUNDĀNUS, a, um, adject. qui trans mundum est. Claud. Mamertin. 2. Stat. anim. 12. Ab hinc ignium ætheriorum spatia usque in extima transmundana, qua σφαιροειδής globo mundus includitur.

TRANSMŪTANS, antis, particip. V. TRANSMUTO.

TRANSMŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (transmuto) actus transmutandi, mutatio. ¶ 1. Generatim. Vulg. interpr. Jac. 1. 17. Apud quem (Deum) non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. ¶ 2. Speciatim est metathesis, transmotio. Quintil. 1. 5. 12. Duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinca Placentinus, preculam pro percula dicens, et immutatione, quum c pro g uteretur, et transmutatione, quum r præponeret e antecedenti. Adde eumd. 9. 4. 89., Mar. Victorin. p. 52. 20. Keil. et Diomed. p. 452. 29. ibid. ¶ 3. Item transmigratio. Vulg. interpr. Ital. Zach. 13. 1. Erit omnis locus habitantibus Jerusalem in transmutationem.

TRANSMŪTĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

TRANSMŪTO et tramuto, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Transmutans et Transmutatus II. — Transmuto est idem ac simplex muto vel transfero, μεταλλάττω (It. tramutare; Fr. transposer, changer; Hisp. transponer, mudar; Germ. verwechseln, vertauschen; Angl. to change, shift, transfer).

I.) Proprie. Cœl. Aurel. 1. Acut. 15. 142. Transmutare ægros ad alium locum.

II.) Translate. Lucret. 2. 487. transmutans dextera lævis. Quidam codices habent tramutans, quemadmodum etiam tramitto pro transmitto legitur. Lachmannus tamen dedit transmutans monens legend. transmutas, extrito n, ut Clemes pro Clemens. et Horat. 3. Od. 29. 51. de Fortuna. Transmutat incertos honores, Nunc mihi nunc alii benigna. Cf. Vel. Long. Orth. p. 2218. Putsch. Loco rursus transmutatus accentus. Priscian. 8. p. 825. Antiqui transmutantes locum vocalium, uti polibam pro poliebam.-V. loc.

TRANSNĀTO. V. TRANATO.

TRANSNĀVĬGĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

TRANSNĀVĬGO et tranavigo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Transnavigatus V. in TRANSJUGATUS. — Transnavigo est ultra navigo, διαπλέω (It. passare navigando, valicare; Fr. traverser sur un vaisseau, naviguer au delà; Hisp. navegar mas allá, pasar con un navio; Germ. hinüberschiffen; Angl. to sail beyond or through). Frontin. 1. Strateg. 4. ad fin. Angustias maris transnavigare. Sulpic. Sever. Dial. 1. 1. Tot maria transnavigavimus. Adde Vulg. interpr. Act. 20. 16.

TRANSNO. V. TRANO.

TRANSNŌMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (transnomino) actus transnominandi: speciatim vero apud Grammaticos est figura metonymia; nam μετωνυμία ad verbum transnominatio est. Beda De trop. S. Script. apud Pithœum p. 348., Diomed. p. 452. Putsch., Donat. De trop. p. 1776. ibid. et Cassiod. in Ps. 2. v. 3. Id. in Ps. 104. v. 38. Per figuram metonymiam, quæ Latine transnominatio dicitur, Ægyptum, non Ægyptios memorat fuisse lætatos. Per id enim quod continet, id, quod continetur, ostensum est. Cf. SYNECDOCHE.

TRANSNŌMĬNO, as, āvi, are, a. 1. nomen commuto, μετονομάζω (It. mutar nome; Fr. changer le nom; Hisp. mudar el nombre; Germ. e. andern Namen belegen, umnennen; Angl. to change one's name, call by another name). Sueton Gramm. 18. L. Crassicius, genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasicles, mox Pansam se transnominavit. Id. Domit. 13. in fin. Septembrem mensem et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit. Tertull. 4. advers. Marcion. 39. Qui prior et Christum suum in homines annuntiaret et Jesum transnominaret.

TRANSNŪBO, is, ere, n. 3. marito repudiato, alii nubo. Jul. Valer. 1. res gest. Alex. M. (edente A. Maio) 10. Quum mulier consentiret, ut, deserto Philippo, (Pausanias) ad sese transnuberet. V. NUBO.

TRANSNŪMĔRO, as, are, a. 1. ultra numero, ὑπεραριθμέω. Cic. 4. Herenn. 50. 63. Tu illo plures mittas oportet, si hodie vis transnumerari. h. e. numerari pecuniam et numeratam transferri.

TRANSŌNO. V. TRANSSONO.

TRANSPĀDĀNUS, a, um, adject. habitans trans Padum, de quo V. ONOM. Cæs. 3. B. C. 87. Transpadani coloni. Alii leg. Transpadanæ coloniæ. V. Meusel Lex. Cæs. ad h. v. Cic. 12. Fam. 5. a med. Tuos clientes Transpadanos etiam mirifice conjunctos cum causa habebamus. Plin. 3. Hist. nat. 17. 21. (123). Transpadana regio. Id. 10. ibid. 29. 41. (77). Italia. — Hinc absolute Transpadani. V. ONOM.

TRANSPECTUS et transspectus, us, m. 4. (transpicio) actus transpiciendi, veduta a traverso, διόρασις. Lucret. 4. 272. Janua quum per se transpectum præbet apertum, Multa facitque foris ex ædibus ut videantur.

TRANSPERTŪSUS, a, um, particip. ab inus. transpertundo, transforatus, traforato. Auct. De limitib. p. 302. Goes. Terminus si transpertusus fuerit, cisternam significat, alveum transit et ipsa aqua viva in arca trifinii est. Adde p. 266.

TRANSPĬCĬO et transspicio, is, ere, a. 3. (trans et specio) ultra aspicio, prospicio, διακύπτω (It. guardare a traverso, oltre; Fr. voir au travers, parcourir des yeux; Hisp. ver, mirar por medio, mas allá; Germ. durchsehen; Angl. to see through or beyond). Lucret. 4. 271. Quod genus illa foris, quæ fere transspiciuntur. Lactant. Opif. D. 8. circa med. Per eas igitur membranas sensus ille, qui dicitur mens, ea, quæ sunt foris, transpicit.

TRANSPLANTĀTĬO, ōnis, f. 3. (transplanto) actus transplantandi. Rufin. ex Orig. select. in Ps. 1. v. 3. Imago, quæ in ipsa transplantatione accipitur.

TRANSPLANTĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

TRANSPLANTO, as, ātum, are, a. 1. Part. Transplantatus. — Transplanto est serendo transfero, μεταφυτεύω (It. trapiantare; Fr. transplanter; Hisp. mudar las plantas, trasplantar; Germ. überpflanzen; Angl. to transplant, remove).

I.) Proprie. Vulg. interpr. Jer. 17. 8. Et erit (vir) quasi lignum, quod transplantatur super aquas. — Mediorum apud Græcos more, apud eumd. Luc. 17. 6.

II.) Translate. Sedul. 2. 258. mollesque per hortos Numina sicca rigant: verique hac arte videntur Transplantatorum cultores esse deorum. Adde Rufin. ex Orig. select. in Ps. 1. v. 1.

TRANSPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. Part. Transpositus I. 3. — Transpono est transfero, transporto, μετατίθημι (It. trasferire, trasportare; Fr. transporter, transferer; Hisp. trasferir, transportar; Germ. übersetzen, hinsetzen; Angl. to remove from one place to another, transfer, transport).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Gell. 4. 5. Illam statuam suaserunt in inferiorem locum transponere. Plin. 10. Ep. 69. Erit facile per illam brevissimam terram advecta fossa onera transponere in flumen. ¶ 2. Speciatim est trans flumen vel mare vehere, trajicere, transmittere, tragittare. Justin. 23. 3. 8. Victorem exercitum transponere in Italiam. Tac. 2. Ann. 8. Classis lævo amne transposuit militem dextras in terras iturum. sbarcò. — Inscr. in Bullett. archeol. dell' Archiv. Stor. di Milano a. 1874. p. 42.

SPECTO [dum] VENIAT ILLA DIES IN QVA STAT ILLE TYRANNVS QVI ME TRANSPONAT AD ILLOS (*sc.* caros meos mortuos). ¶ 3. Item transplanto, transero. *Pallad.* 10. *R. R.* 13. Brassicam Novembri inchoante transponere. *Gell.* 12. 1. Arborem in locum alium transpositam videas. ¶ 4. Item transcribo. *Id.* 6. 9. Locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus.

II.) Translate. *Cassiod.* in *Ps.* 38. *v.* 15. Quando nos misericordia ejus suscipit, de Babylonia ad Jerusalem ipso attrahente transponimur. Adde *eumd.* 118. *v.* 143.

TRANSPORTĀNĔUS, a, um, adject. (transporto) qui transportatur. *Cassiod.* 10. *Variar.* 30. Cutis hujus (*elephantis*) ulcerosis vallibus exaratur, e qua transportaneorum nefanda passio nomen accepit, quæ in tantam duritiam solidatur, ut putes esse osseam cutem. *h. e.* eorum, qui elephantiasi affecti alio transportantur, ne noceant.

TRANSPORTĀTĬO, ōnis, f. 3. (transporto) translatio, transvectio, διακομιδή (It. *trasportamento, trasporto*; Fr. *transport, changement de lieu ou de séjour*; Hisp. *transporte, trasportamiento*; Germ. *die Uebersetzung, Versetzung, Uebersiedelnung*; Angl. *a carrying over*). *Seneca Consol. ad Helv.* 6. *extr.* Omnes istæ populorum transportationes quid aliud, quam publica exsilia sunt? *h. e.* migrationes.

TRANSPORTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSPORTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Transportatus, Transportaturus* et *Transportandus* I. 1. — Transporto est transfero, trajicio, transveho, μετακομίζω (It. *trasportare, tragittare*; Fr. *transporter, passer au delà*; Hisp. *transportar, pasar mas allá*; Germ. *hinüber tragen, schaffen,-bringen*; Angl. *to carry or convey from one place to another, transport*); et de his dicitur, quæ navi trans mare aut flumen transferuntur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 1. *B. G.* 37. Transportare Harudes in Galliam. *Id.* 5. *ibid.* 1. Naves paullo latiores ad onera et ad multitudinem jumentorum transportandam. *Id.* 2. *B. C.* 23. Curio in Africam profectus, duas legiones transportabat. *Cic.* 7. *Att.* 17. De pueris in Græciam transportandis cogitabam. *Id. Pis.* 20. *a med.* Macedonia, in quam tantum exercitum transportasses. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 328. *Liv.* 26. 17. et 45. 41., *Nepot. Milt.* 3. et *Liv.* 27. 9. Transportati milites in Siciliam prope magni motus causa fuere. *Martial.* 13. 72. Argiva primum sum transportata carina. *Curt.* 7. 8. 6. Ille se retibus equitem phalangemque transportaturum esse pronunciat. — Cum duplici Acc. *Cæs.* 4. *B. G.* 16. *a med.* Exercitum Rhenum transportare. *Id.* 1. *B. C.* 54. Milites his navibus flumen transportat. ¶ 2. Speciatim deportare exsilii causa. *Sueton. Aug.* 65. *sub fin.* Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in insulam transportavit.

II.) Figurate. *Plin. Paneg.* 12. *ad fin.* Danubius duratus glacie ingentia tergo bella transportat.

TRANSPŎSĬTĪVUS, a, um, adject. (transpono) qui transponit. *Quintil.* 3. 6. *circa med.* Μετάληψις, quam nos varie translativam, transumptivam, transpositivam vocamus. Sunt qui absolute accipiant. *V.* TRANSLATIVUS.

TRANSPŎSĬTUS, a, um, particip. *V.* TRANSPONO.

TRANSPULSUS, a, um, particip. ab inusit. *transpello*, ultra pulsus. — Translate. *Scholiast. German. Arat. p.* 95. *p.* 389. 1. *Eyss.* Commoti vino præcordiaque transpulsi. *h. e.* valde vexati vel concussi.

TRANSPUNCTĬO, ōnis, f. 3. (transpungo) actus transpungendi. — Translate. *Vulg. interpr. Ital. Is.* 29. 10. Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis. *Noster* habet *compunctionis.*

TRANSPUNCTŌRĬUS, a, um, adject. (transpungo) qui transpungit vel perforat. *Tertull. advers. Valent.* 6. *extr.* Alii aliter leg.

TRANSPUNCTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSPUNGO, pungis, punxi, punctum, pungere, a. 3. Part. *Transpunctus* I. 1. et II.; *Transpungendus* I. 1. — Transpungo est punctim transfodio (It. *trapassare pungendo*; Fr. *percer en piquant*; Hisp. *aguijar, horadar punzando*; Germ. *durchstechen*; Angl. *to prick through*).

I.) Proprie. ¶ 1. Transitive. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. *a med.* Ut etiam ipsum quoque lienem igneo cautere transpungendum probet. *Alcim. Ep.* 3. *a med.* Quam (*carnem*) pulsant verbera, spinæ transpungunt. *Id. ibid.* Medicum vulnus et hiulcus transpuncti lateris aditus. ¶ 2. Neutrorum more. *Vulg. interpr. Ital. Joh.* 19. 37. apud *Vigil. Taps. De trinit.* 3. *p.* 261. *Mign.* Et videbant, in quem transpunxerunt. *Noster* habet *transfixerunt.* V. TRANSFIGO.

II.) Translate. *Augustin. Serm.* 143. *n.* 2. ed. *Mai.* Ad illam terribilem mensam Domini accedere cogitemus nullo invidiæ veneno transpuncti. — Mediorum apud Græcos more. *Vulg. interpr. Ital. Ps.* 45. apud *Cyprian. De orat.* 3. *in fin.* Legimus in Psalmis: dicite in cordibus et in stratis vestris et transpungimini. *Noster* habet *compungimini*, h. e., ex vi vocis Hebraicæ, *tacete, silentio premite, cessate.*

TRANSRHĒNĀNUS, a, um, adject. qui habitat trans Rhenum, de quo *V.* ONOM. *Cæs.* 5. *B. G.* 2. *extr.* Germanosque Transrhenanos sollicitare dicebantur. Adde 4. *ibid.* 16. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Transrhenani hostes. *h. e.* Batavi. *Trebell. Poll. trig. tyr.* 3. et *Vopisc. Tac.* 3. limes. *Claud. Mamertin. genethl. Max.* 7. victoria. et *ibid.* 16. expeditiones. *Ammian.* 20. 4. 4. lares. — Hinc *Transrhenani, orum*, absolute. *V.* ONOM.

TRANSSCENDO cum deriv. *V.* TRANSCENDO.

TRANSSCINDO. *V.* TRANSCINDO.

TRANSSCRĪBO cum deriv. *V.* TRANSCRIBO.

TRANSSĔRO. *V.* TRANSERO.

TRANSSĬLĬO. *V.* TRANSILIO.

TRANSSŎNANS et transonans, antis, particip. ab inusit. *transsono*, ultra vel subter sono. *Gloss. Placid. p.* 498. ed. *Mai.* Dicitur et transonans (*sc.* simplici *s*), qui sub lingua sonat.

TRANSSPĬCĬO cum deriv. *V.* TRANSPICIO.

TRANSSULTO. *V.* TRANSULTO.

TRANSSŪMO cum deriv. *V.* TRANSUMO.

TRANSSŬO. *V.* TRANSUO.

TRANSTHĒBĀĪTĀNUS, a, um, adject. qui habitat ultra Thebaidem, de qua *V.* ONOM. Hinc *Transthebaitani milites*, qui ultra Thebaidem tendebant præsidii causa. *Trebell. Gallien.* 4., ubi alii aliter leg. *Peter* ex MSS. leg. *strangythebitinos*, quod quidem monstrosum videtur.

TRANSTĪBĔRĪNUS, a, um, adject. qui incolit trans Tiberim, de quo *V.* ONOM., *oltre il Tevere, Trasteverino. Martial.* 1. 42. Hoc, quod Transtiberinus ambulator. *Spartian. Sev.* 15. et *Vopisc. Aurel.* 45. Transtiberina regio. — Hinc *Transtiberinus, i*, absolute. *V.* ONOM.

TRANSTĪGRĪTĀNUS, a, um, adject. situs trans Tigrim, Armeniæ fluvium, de quo *V.* ONOM., *di là dal Tigri. Sext. Ruf. Breviar.* 25. Transtigritanæ regiones. *Ammian.* 18. 9. 2. gentes. Adde 21. 6. *ad fin.* — Hinc *Transtigritani, orum*, absolute. *V.* ONOM.

TRANSTILLUM, i, n. 2. *deminut. a* transtrum, parvum transtrum, tigillum. *Vitruv.* 5. 12. Deinde inter eas (*arcas*) ex transtillis inferior pars sub aqua exæquanda et purganda. *h. e.* ex parvis trabibus in imo arcarum positis.

TRANSTĬNĔO, es, ere, n. 2. (trans et teneo) ultra teneo, ab uno ad alium locum pertineo, transitum præbeo, *dare adito, dare il passo a traverso. Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 58. *Fleckeis.* Nimis beat, quod commeatus transtinet trans (*al.* jam) parietem. *h. e.* commeatus seu transitus trans parietem patet: paries nobis pervius est. Adde *ibid. v.* 30., ubi tamen alii pro *transtineret* leg. *transmineret.* V. TRANSMINEO.

TRANSTRUM, i, n. 2. In plur. num. occurrit etiam masc. gen. *transtri* apud *Næv. trag.* 52. ed. *Ribbeck.* — Ratione habita etymi, est a *trans* vel *transeo*, per syncopen, quasi *transitrum*: vel, ut addit *Forcellinus*, ita dicitur quasi *transversim stratum*: sed syllaba *trum* videtur esse mera terminatio vocis, ut in *aratrum, plectrum, theatrum* et hujusmodi. *Döderlein* confert cum Gr. θρᾶνος, sella navis pro remigibus. — Transtrum ¶ 1. Est lignum transversum in ædificiis, quod ex pariete in parietem porrigitur, ut ait *Fest. loc. cit.* Nos hujusmodi ligna Italice dicimus *piane, catene. Vitruv.* in tectis locat, 2. 1. et 4. 2. et 5. 1. *ad fin.*, et significat tigna illa, quæ ad libellam in summitate parietum collocantur eosque vinciunt et continent: his autem impositi canterii fastigium faciunt et tectum sustinent. — Latiore tamen sensu ita etiam appellantur tigna in plano transversim posita. *Id.* 10. 21. *de testudine militari.* Ita supra transtrorum planitiem, quæ supra basim fuerat, postes erant erecti etc. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 32. (123). *de atram. sutor. faciendo.* Decoquitur et in piscinas ligneas funditur. Immobilibus super has transtris dependent restes lapillis extentæ etc. ¶ 2. Est etiam sedile remigum in navibus, ζυγὸς σκάφης, καταζύγωμα πλοίων, σέλμα (It. *sedile de' remiganti, banco, trasto*; Fr. *banc des rameurs*; Hisp. *banco de los remeros*; Germ. *Querbalken, Kehlbalken*; Angl. *a bench or seat for rowers*). *Pers.* 5. 147. Tu mare transilias? tibi torta cannabe fulto Cena sit in transtro? *Epit. Liv.* 89. In se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, incubuit. — Sæpius hoc sensu in plur. num. *Virg.* 5. *Æn.* 663. furit immissis Vulcanus habenis Transtra per et remos et pictas abiete puppes. *Ovid.* 14. *Met.* 534. et incurvæ fumabant transtra carinæ. *Virg.* 4. *Æn.* 573. considite transtris, Solvite vela citi. Adde *Cæs.* 3. *B. G.* 13. et *Lucan.* 3. 543.

TRANSULMĀNUS, a, um, adject. (trans et ulmus) ultra ulmos vel ulmetum situs; hinc *transulmanus pagus* in *Inscr.* apud *Orell. n.* 111.

TRANSULTO et transsulto, as, are, n. 1. (trans et salto) idem fere ac transilio, μεταπηδάω, ὑπεράλλομαι. *Liv.* 23. 29. Sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat.

TRANSŪMENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRANSŪMO et transsumo, sūmis, sumptum, sūmere, a. 3. De ratione scribendi *V.* TRANSCENDO. — Part. *Transumens* et *Transumptus.* — Transumo est ex alio sumo, *pigliare altronde*, μεταλαμβάνω. *Stat.* 3. *Theb.* 292. hastam læva transsumit et alto, Haud mora, desiluit curru. *Id.* 2. *ibid.* 242. mutatosque velint transsumere cultus. *Boeth. Arist. Top.* 1. 6. Quod autem verum sit, quod nunc dictum est, ex transumentibus nuncupationes maxime quis discat etc. Adde *eumd.* 2. *Anal. prior. Arist.* 4. *Id.* 1. *ibid.* 30. In aliis autem syllogismis quicumque sunt ex hypothesi, ut quicumque secundum transumptionem aut secundum qualitatem in subjectis, non in prioribus sed in transumptis erit consideratio. et *ibid.* 21. Transumpta propositio. Adde *ibid.* 36.

TRANSUMPTĬO et transsumptio, ōnis, f. 3. (transumo) ¶ 1. Est actus transumendi. *Boeth. De diff. Top.* 2. *p.* 1192. *Mign.* Sed quoniam non inhæret his, de quibus proponitur terminis, sed extra posita res hoc tantum, quia notior videtur, assumitur; idcirco ex transumptione locus hic convenienti vocabulo nuncupatus est. *V.* etiam voc. præc. ¶ 2. Item figura rhetorica, Græce μετάληψις, quæ ex alio in aliud veluti viam præstat. *Quintil.* 8. 6. 37. *V.* METALEPSIS.

TRANSUMPTĪVUS, a, um, adject. (transumo) qui transumit. *Quintil.* 3. 6. 46. *V.* TRANSPOSITIVUS.

TRANSUMPTUS, a, um, particip. *V.* TRANSUMO.

TRANSŬO et transsuo, sŭis, sŭi, sūtum, sŭere, a. 3. De scriptione *V.* TRANSCENDO. — Part. *Transutus.* — Transuo proprie est suendo transeo, acu perforo, trajicio (It. *trapassare, infilzare*; Fr. *percer, transpercer*; Hisp. *aguijar, tras-*

*pasar;* Germ. *durchstechen;* Angl. *to sew or stitch through, pierce*). *Ovid.* 2. *Fast.* 363. sacerdotes verubus transsuta salignis Exta parant. *Colum.* 6. *R. R.* 4. Media pars subula transuitur. *Cels.* 7. 7. *n.* 8. Acu transui juxta pilos exteriorem partem palpebræ oportere. *et n.* 11. Ad ipsas radices per medium transuere acu duo lina ducente. *V.* TRANSVEHO. *Seneca Phœniss.* 254. *de Œdipo.* Calidoque teneros transuit ferro pedes Et in alta nemora pabulum misit feris.

TRANSŪTUS, a, um, particip. *V.* voc. præc.

TRANSVĂDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSVĂDO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Transvadatus.* — Transvado est vadando transeo.

I.) Proprie. *Vulg. interpr. Ezech.* 47. 5. Torrens, qui non potest transvadari.

II.) Translate. *Hieronym. Ep.* 14. *n.* 10. Expandenda vela sunt ventis et, quæstionum scopulis transvadatis, epilogi celeuma cantandum est.

TRANSVĀDO, is, ere, n. 3. transeo. *Pseudo-Ambros. De mor. Brachm. p,* 556. apud *Quicherat* in *Add. Lex. Lat. p.* 298. Ad quas (*feminas*) mariti earumdem julio et augusto mense transvadere consuescunt.

TRANSVĂRĬCĀTOR *et* travaricator, ōris, m. 3. (transvarico) qui transvaricat. *Vulg. interpr. Ital. Luc.* 6. 16. cod. *Cant.,* ubi *Noster* habet *proditor.*

TRANSVĂRĬCO, as, are, n. 1. ¶ 1. Est divarico, pedes et crura distorqueo. *Veget.* 3. *Veterin.* 60. Jumentum quum ambulare cœperit, prioribus pedibus transvaricat. Legitur et in *Not. Tir. p.* 132. Varicat, prævaricat, transvaricat. ¶ 2. Est etiam transgredior. *Gloss. Lat. Gr.* Transvaricat, ὑπερβαίνει.

TRANSVECTĬO *et* travectio, ōnis, f. 3. (transveho) actus transvehendi, transportatio, διακόμισις (It. *trasporto, tragitto;* Fr. *passage, traversée;* Hisp. *pasaga, travesia;* Germ. *das Hinüberfahren;* Angl. *a passing, passage*): præsertim de iis, qui mari aut flumine transmittuntur. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 10. Dic, quæso, num te illa terrent, triceps apud Inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus — *Plin. Paneg.* 51. Immanium transvectione saxorum Urbis tecta quatiuntur. *trasporto.* Sic *Cod. Theod.* 11. 17. 4. Transvectio specierum. ¶ 2. Speciatim *transvectio* dicebatur recensio seu recognitio, *mostra, rassegna,* quum equites solemniter recensebantur et ante oculos censorum vel principis equis prætervehebantur. Transvectionem equitis habes in nummo gentis Liciniæ apud *Morell. Fam. R. tab.* 1. *n.* 7. et apud *Spanhem. Diss. numism. T.* 2. *p.* 101. — Fiebat autem hoc maxime modo. Idibus Quinctilib. ex instituto Q. Fabii, ut refert *Liv.* 9. 46., *Val. Max.* 2. 2. *sub fin., Plin.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 32., equites trabeati equis insidentes, corona ornati oleaginea, ab Honoris sive Martis templo in Capitolium transvehebantur. Si sine culpa essent, abibant; sin aliter, sistebant et equum vendere jubebantur. *Sueton. Aug.* 38. Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis. *V.* TRANSVEHO. ¶ 3. Est etiam genus præstationum in *Cod. Theod.* 1. 5. 14.

TRANSVECTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* transveho, idem fere ac transveho. Occurrit tantum part. *Transvectandus. Jul. Valer.* 2. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 37. Denique corpori regio transvectando, quum bajulos quosque nobilissimos suorum atque indigenas esse jussisset. Verum in *edit. Paris.* 2. 21. legitur *transvehendo.*

TRANSVECTŪRĀRĬUS, ii, m. 2. (transveho) qui merces aliaque onera transportat, transvehit. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 970. Cf. *Mommsen Ephem. Epigr.* 3. *p.* 83.

TRANSVECTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSVĔHO *et* traveho, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. Part. *Transvectus* fere in omn. paragr.; *Transvehendus* I. 2. — Transveho est ultra veho, transfero, transduco, transmitto: præsertim quum de iis sermo est, qui mari aut flumine transmittuntur, διακομίζω (It. *trasportare, tragittare;* Fr. *transporter au delà ou à travers, faire passer;* Hisp. *transportar mas allá ó por medio, hacer pasar;* Germ. *hinüber-, überführen, überfahren, -tragen, -bringen;* Angl. *to carry, convey or pass over, transport*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. *Cæs.* 3. *B. C.* 29. *extr.* Nuntios ad eum mittit, quid militum transvexisset. *Liv.* 21. 47. *a med.* Ut jam Hispanos omnes inflati transvexerint utres. *Seneca Herc. Œt.* 1964. Non puppis umbras furva transvexit mea. *Sil. It.* 4. 488. Et medio abruptus fluitabat in amne solutis Pons vinclis, qui Dardanium transvexerat agmen. *et ibid.* 494. Fluminеam texit, qua transvehat agmina, classem. *Sueton. Cæs.* 58. Neque exercitum in Britanniam transvexit, nisi etc. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 4. 5. (10). Magnitudo navium plaustris transvehi prohibet. *Id. ibid.* 12. 24. (76). Bosphorus Thracius, qua Darius copias ponte transvexit. *Ulp. Dig.* 47. 12. 3. Qui corpus defuncti in itinere per vicos aut oppidum transvexerunt. — Cum Acc. loci, quæ quis transvehitur. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 18. 22. (128) Navem Argo humeris transvectam Alpes, diligentiores tradunt. *Seneca Herc. Fur.* 889. Transvectus vada Tartari, Pacatis redit Inferis. *Claudian. laud. Seren.* 22. surdoque carina Remige Sirenum cantus transvecta tenaces. *oltrepassa.* Cf. *Apul.* 9. *Met.* Nam telum transvectum atque ex maxima parte pone tergum elapsum soloque nisus violentia defixum rigore librato suspenderat corpus. *h. e.* transmissum, ex una in aliam partem delatum. Nisi sit legend. *transjectum;* sæpe enim hæc duo in MSS. Codd. et editis libris permutantur. — 2.°) De iis, quæ in triumphi pompa transferuntur. *Liv.* 39. 7. Arma spoliaque multa Gallica carpentis transvecta. *Flor.* 2. 12. Primus dies signa tabulasque sequens arma pecuniasque transvexit. — 3.°) Passive, sensu medio, frequentius in hanc significationem usurpatur: et quidem fere in præterito. — *a*) *Cic.* vertens *Homeri* locum 5. *Fin.* 18. 49. Nam nemo hæc umquam est transvectus cærula cursu. *Sall. Jug.* 21. Medi, Persæ navibus in Africam transvecti, proximos nostro mari locos occupavere. *et* 30. *in fin.* Legiones ex Sicilia in Africam transvectæ. *Liv.* 32. 16. Cum duabus quinqueremibus Corcyram transvectus. — *b*) De volante. *Claudian.* 2. *laud. Stilich.* 272. Transvehitur Tuscos Apenninusque volatu Stringitur. — *c*) De iis, qui equo feruntur. *Tac. Agric.* 37. Transvectæ præcepto ducis a fronte pugnantium alæ, aversam hostium aciem invasere. *Id.* 12. *Ann.* 41. Et ludicro Circensium Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt. ¶ 2. Speciatim pro transire, tranare. *Varro* 2. *R. R.* 7. Equi boni futuri signa sunt, si quum flumen travehendum est, gregi in primis prægrediatur etc. *Alii leg.* trajiciendum. ¶ 3. Item transfigere, trajicere, *passare da parte a parte. Cels.* 7. 7. *n.* 8. Acus immittenda est, ut tertiam partem palpebræ transvehat. Alii rectius leg. *transuat.* ¶ 4. *Transvehi* dicebantur equites R., quum solemniter recensebantur, ut in TRANSVECTIO dictum est, *passare la rassegna. Liv.* 9. 46. Ab eodem Q. Fabio Maximo institutum dicitur, ut equites Idib. Quinctilib. transveherentur. *Sueton. Aug.* 38. Neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est. *Ulp. Dig.* 2. 4. 2. § 4. Vocari in jus non potest, qui equo publico in causa publica transvehebatur. Adde *Val. Max.* 2. 2. *sub fin. Inscript.* apud *Gruter.* 1026. 4. D. M. SEX. GAVII SEX. F. PROCVLI VIX. AN. XVI. EQVO PVBLICO TRANSVECTVS EST.

II.) Figurate *transvehi* dicitur de tempore, et est præterire, præterlabi. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Abiit jam et transvectum est tempus, quo etc. *Id. Agric.* 18. Æstas transvecta.

TRANSVĔNA, æ, m. 1. (transvenio) hospes, qui ex longinqua regione transiens ad nos pervenit. *Tertull. Spectac.* 5. Traditur, Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse. *Id. carm. de Sodom.* 31. Transvena Loth aderat, sapiens justique colonus.

TRANSVENDO, is, ere, a. 3. vendendo transfero, *alienare, vendere. Inscr.* apud *Gruter.* 801. 5. (*Orell. n.* 4431). NEQVE VLLI LICEBIT LOCATIONIS CAVSA IN ANNIS CENTVM QVANDOQVE TRANSVENDERE.

TRANSVĔNĬO, vĕnis, vēni, vĕnire, n. 4. ex aliquo loco transveniendo advenio.

I.) Proprie. *Tertull. Apolog.* 19. Quum antiquissimus penes vos Danaus in Argo transvenisset.

II.) Translate. *Id. Anim.* 23. *ad fin.* Anima inde (*h. e.* a Deo) transvenit.

TRANSVERBĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (transverbero) actus transverberandi. — *a*) Cum Genet., ut ajunt, subjectivo. *Augustin.* 17. *Civ. D.* 17. Manibus pedibusque confixis et clavorum transverberatione confossis. — *b*) Cum Genet., ut ajunt, objectivo. *Cassiod.* in *Ps.* 15. *v.* 11. Transverberatio solidi corporis.

TRANSVERBĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSVERBĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Transverberatus* I. — Transverbero est transfigo, trajicio, διελαύνω (It. *trapassare, trafiggere,* Fr. *transpercer, percer;* Hisp. *traspasar;* Germ. *durchstechen, durchbohren;* Angl. *pierce, transfix*).

I.) Proprie. *Cic.* 7. *Fam.* 1. *circa med.* Aut præclara bestia venabulo transverberatur. *Virg.* 11. *Æn.* 667. cujus apertum Adversi longa transverberat abiete pectus. *Id.* 10. *ibid.* 336. hasta volans clipei transverberat æra. *Liv.* 38. 22. *in fin.* Transverberatis scutis quidam intra se consarti hærebant. *Tac.* 1. *Hist.* 42. Transverberatus in utrumque latus. *Bötticher* præp. *in* omittit. *Apul. De deo Socrat.* Aves aera volitando transverberant. *fendono.*

II.) Translate. *Augustin.* 5. *Confess.* 9. Non itaque video, quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transverberasset viscera dilectionis ejus.

TRANSVERSĀRĬA *et* traversaria, ōrum. *V.* voc. seq.

TRANSVERSĀRĬUS *et* traversarius, a, um, adject. (transverto) transverse positus, *posto a traverso, trasversale,* ἐπικάρσιος.

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Pilæ interponuntur, transversaria ligna injiciuntur, quæ firmamento esse possint. *Vitruv.* 10. 11. Transversarius frons. *Id. ibid.* foramen.

II.) Translate. *Ambros.* 2. *De Abr. in fin.* Transversaria cupiditas. Adde *eumd.* 10. in *Luc. n.* 117. et *Apol. David.* 3. *n.* 14. — In illo *Dig. Justin. fr.* 27. *pr. locat.* 19. 2. Si quid transversarium incidisset, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret. *transversarium* est inopinatum. Alii leg. *adversarium.* — Hinc

*Transversaria, orum,* n. plur. 2. absolute. ¶ 1. Sunt ligna transversa, *sbarra, stanga:* quibus *arrectaria* opponuntur. *Vitruv.* 2. 8. Arrectaria et transversaria. *Id.* 10. 11. *ad fin.* Tigna collocantur, in capitibus utraque parte habentia transversaria confixa. Adde 7. 3. et 8. 6. ¶ 2. Item funes seu catenæ, quæ reorum crura transversim devinciunt. *Cyprian. Ep.* 77. (*al.* 76.) *n.* 2. O pedes compedibus et transversariis interim cunctabundi. Alii leg. *traversariis.*

TRANSVERSĒ *et* traverse, adverb. (transversus) oblique, in transversum, *a traverso, trasversalmente. Vitruv.* 9. 9. *circa med.* In columella horæ ex analemmatis transverse describantur. *Cels.* 5. 26. *n.* 24. Fascia transverse comprehendere oras debet. *Daremberg* leg. *transversa.* et *Veget.* 2. *Veterin.* 5. Transverse ambulare.

TRANSVERSIM, adverb. (transversus) idem ac transverse. *Tertull. Baptism.* 8. Manibus ita transversim obliquatis, ut etc. Adde *Claud. Mamertin.* 1. *Stat. anim.* 25. et *Augustin.* 1. *Soliloqu.* 4.

TRANSVERSĬO, ōnis, f. 3. (transverto) aversio, revulsio. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 39. 225. Providens, ne qua sit in corpore cruditas, clysteres

adhibet operantissimos ob transversionem faciendam. — *Transversiones* a *Vet. Auct.* apud *Barth.* ad *Stat.* 1. *Theb.* p. 118. vocantur Ovidii Metamorphoses. V. *Freund* in *Lex.* ed. *Paris.*

TRANSVĚRSO, as, are, a. 1. (transverto) verto vel ago trans vel circum, *volgere, dimenare per traverso o all' intorno. Virg. Mor.* 45. *Haupt.* Transversat durata manu. *h. e.* transversim subigit. Alii leg. *transfert.* V. *Ribbeck* ad *h. l.* Sic *Vet. Auct.* apud *Barth.* ad *Stat. loc. cit.* in voc. præc., ubi alii leg. *transversa.*

TRANSVERSUS (transvorsus) *et* traversus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSVERTO (transvorto), vertis, verti, versum, vertere, a. 3. Part. *Transversus* et *Transvorsus* I. et in fin. Etiam *traversus* occurrit apud *Augustin. loc. cit.* Cf. *Plin.* 28. *Hist. nat.* infra *cit.* ed. *Sillig.* Item *travorsus* apud *Plaut. Pers. v.* 444. — Transverto est ultra vel retro vel circum verto.

I.) Proprie. *Schol.* in *Juvenal.* 6. 480. In transversa charta scriptus, Græci ὀπισθόγραφον vocant.

II.) Translate. ¶ 1. Est transmuto, converto. *Firmic.* 6. *Mathes.* 15. Mentis levitate instabiles faciet istæ conjunctio eorumque consilia hac atque illac varia cogitatione transvertet ne animus eorum aliquando unius consilii ratione utatur. *Apul. De mag.* Quis credat effici potuisse, ut quæ defensio fuerat, eadem, manentibus iisdem litteris, in accusationem transverteretur? *Vulg. interpr. Sap.* 4. 12. Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum. ¶ 2. Item averto. *Arnob.* 7. *p.* 219. Inhonestas famas adjungitis diis vestris, si eos aliter negatis præstare quæ bona sunt, atque inimica transvertere, nisi prius empti capellarum fuerint atque ovium sanguine. *Tertull. Præscript.* 37. Qua licentia, Valentine, fortes meos transvertis? *Vulg. interpr. Eccli.* 4. 1. Oculos tuos ne transvertas a paupere. — Hinc

*Transversus* (*transvorsus*), *a, um,* particip. præt., etiam adjectivorum more usurpatur et est obliquus, *trasversale, posto a traverso, obliquo,* πλάγιος, ἐπικάρσιος.

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Ab utroque latere collis transversam fossam obduxit. *Cic.* 6. *Verr.* 53. 119. Ceteræ urbis partes una via lata perpetua multisque transversis divisæ. *Id.* 3. *Orat.* 33. 133. Transverso foro ambulare. *Horat. Art. P.* 446. versibus incomptis allinet atrum Transverso calamo signum. *Liv.* 2. 39. Inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus Satricum ademit. *Id.* 22. 12. Per agrum Sabinum Tibur venit, inde Præneste ac transversis limitibus in viam Latinam est egressus. *Colum.* 2. *R. R.* 4. *ad fin.* In arando maxime est observandum, semper ut transversus mons sulcetur. *Id.* 7. *ibid.* 10. Febricitantium signa sunt, quum obstipæ sues transversa capita ferunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 21. (54). Mugiles tam præcipuæ velocitatis, ut transversa navigia interim superjacent. *Id.* 17. *ibid.* 18. 29. (126). Taleæ ne plus quattuor digitos transversos emineant. *la grossezza di quattro dita.* et 11. *ibid.* 37. 54. (145). Oculi contuitu multiformes, truces, torvi, graves, transversi, limi etc. *stralunati, guerci. Capell.* 8. *p.* 284. *de siderib.* seu *signis.* Nam quæ transversa oriuntur et recta occidunt, celeriores ortus habent, quam occasus: contra autem, quæ recta oriuntur et transversa conduntur, tardius oriuntur, quam occidunt. Cf. *Gemin. Clem. astr. p.* 28. *Petav.* — *Linea transversa* est, quæ rectam decussat: ut si v. g. recta sit ab Ortu in Occasum, transversa dicatur, quæ a Septentrione in Meridiem protensa eamdem secabit. — *Transversa charta* apud *Sueton. Cæs.* 56., de epistolis scriptis in longitudinem, non in latitudinem, papyri, *scritto per il traverso del foglio:* Italice hujusmodi dixeris *lettere patenti,* aut absolute *patenti,* uti nunc sunt breves litteræ Pontificiæ. V. *Morcelli dello scriv. de' Rom. p.* 60. — *Transversum digitum* aut *unguem discedere,* proverbialis hyperbole, h. e. minimo spatio, *scostarsi un tantino. Plaut. Aulul.* 1. 1. 17. si tu hercle ex istoc loco Digitum transversum aut unguem latum excesseris. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. *circa med.* Ab hac regula mihi non licet transversum, ut ajunt, digitum discedere. *Id.* 13. *Att.* 20. In omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. — *Transversi limites* quinam sint, exponit *Frontin. De limitib.* 2. *p.* 29. 10. *Lachm.* Limites, qui spectabant orientem, dicebant prorsos: qui dirigebant in meridianum, dicebant transversos. *V.* integr. loc. Cf. *eumd. ibid. p.* 167. 16.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 97. 331. Cujus in adulescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna reipublicæ. *h. e.* adversa et quæ cursum laudis intersisteret. *Sall. Jug.* 14. Ne quos amicitia Jugurtæ transversos agat. *Seneca Ep.* 8. Ne resistere quidem licet, quum cœpit transversos agere felicitas. *h e.* animum a recta via virtutis deflectere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 31. (67). Quæ reputatio aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui etc. *h. e.* ab instituta de piscibus disputatione declinare facit. Sic 28. *ibid.* 1. 1. *init.* Dictæ erant omnium rerum naturæ, inter cælum ac terram nascentium, restabantque quæ ex ipsa tellure fodiuntur, si non herbarum ac fruticum tractata remedia auferrent traversos.

*Transversum* (*transvorsum*), *i,* n. 2. absolute, substantivorum more. Hinc illæ locutiones *ex transverso, de transverso, in transversum, per transversum,* adverbialiter pro *transverse,* ponuntur, *a traverso, per traverso,* ἐξεστραμμένως. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 45. Ex transverso cedit, quasi cancer solet. *Cic.* 15. *Att.* 4. *sub fin.* Ecce autem de traverso L. Cæsar, ut veniam ad se, rogat. *Id.* 4. *Herenn.* 10. 14. Ecce ibi iste de transverso, heus, inquit etc. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (83). Pæninsula ad formam gladii in transversum porrecta. *Id.* 16. *ibid.* 42. 81. (222). Pondus sustinere validæ abies, larix, etiam in transversum positæ. *Id.* 18. *ibid.* 20. 49. (180). Aratione per transversum iterata. *Id.* 37. *ibid.* 9. 37. (118). Gemma per transversum linea alba præcingitur. Adde *Grom. vet. p.* 367. 2. *L.* — *Ex transverso* est etiam, apud JCtos, in linea cognationum transversa. *Cajus Dig.* 38. 10. 3. Sexti gradus sunt supra tritavus, tritavia, infra trinepos, trineptis; ex transverso fratris et sororis abnepos, abneptis. — *Ex transverso* præterea est ex inopinato, præter opinionem, casu. *Petron. fragm. Tragur.* 55. *Burmann.* Quod non exspectes, ex transverso fit. *Scribon. Compos.* 231. Hæc calamitas ex transverso accidit.

*Transversum* (*transvorsum*), et plur. *transversa,* neutr., absolute, idem est ac transverse. ¶ 1. Proprie. *Frontin. De limit. p.* 43. *Goes.* Collectus pluvialis aquæ transversum secans. finem alterius fundi influit. *Virg.* 5. *Æn.* 19. Mutati (*venti*) transversa fremunt. *Id.* 3. *Ecl.* 8. transversa tuentibus hircis. *h. e.* transversis oculis aspicientibus et invidentibus. Adde *Val. Flacc.* 2. 154. et *Stat.* 1. *Theb.* 348. *V.* LIMUS, a, um. ¶ 2. Translate. *Cato* 5. *Orig.* 1. Transvorsum trudere a recte consulendo. *h. e.* abstrahere, avertere.

Homonym. Differt *transversus* ab *obliquo,* stricte si loquamur; illa enim, quæ *transversa* sunt, dum secant, angulos rectos faciunt; quæ vero sunt *obliqua,* obliquos. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 9. 45. (129). Plurimum refert, concava sint (*specula*), an elata; transversa, an obliqua; supina, an recta.

TRANSVĬO *et* travio, as, are, n. 1. transeo, transmeo, *passare oltre, attraversare. Lucret.* 6. 349. foraminibus liquidus quia transviat ignis. *Lachmannus* tamen ad *eumd. p.* 368. hanc lectionem rejicit. *V.* TRANSVOLO.

TRANSVIOLATUS, a, um, particip. *V.* TRANSVIOLO.

TRANSVIOLENTUS, a, um, adject. plus quam violentus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 88. Violentus, transviolentus.

TRANSVIOLO, as, are, a. 1. plus quam violo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 88. Violat, transviolat, violatus, transviolatus.

TRANSVŎLANS, antis, particip. *V.* TRANSVOLO.

TRANSVŎLĬTO *et* travolito, as, are, n. 1. *frequentat. a* transvolo, sed ejusdem significationis. *Lucret.* 1. 355. Inter sæpta meant voces et claustra domorum Transvolitant. *Schol.* in *Cæs. German. Arat.* 281. *p.* 405. 10. *Eyss.* Transvolitare in terram Atticam.

TRANSVŎLO *et* travolo as, āvi, ātum, are, n. 1. De scriptione *V.* TRADO. — Part. *Transvolans* sub *B* II.; *Transvolaturus* sub *B* I. — Transvolo est volando transeo, διαπέτομαι (It. *volare oltre, passare volando, oltrepassare di volo;* Fr. *traverser ou passer en volant;* Hisp. *volar mas allá, pasar volando;* Germ. *über -, hinüber fliegen;* Angl. *to fly past, fly over*).

*A*) Intransitive.

I.) Proprie. *Seneca Hippol.* 1233. Vultur relicto transvolet Tityo ferus. *Vulg. interpr. Sap.* 5. 11. Tamquam avis, quæ transvolat in aere. Adde *Prov.* 26. 3.

II.) Translate. *Plaut. Epid.* 1. 1. 33. Arma travolaverunt ad hostes. *h. e.* transfugerunt, ut paullo ante *v.* 28. dixit. *Varro* 5. *L. L.* 118. *Müll.* Trua, quod travolat ea aqua. *h. e.* defluit. *Lucret.* 6. 349. foraminibus liquidus quia transvolat igni. Alii minus recte *transviat.* et *Liv.* 3. 63. Eques se ad equos recipit: transvolat inde in partem alteram, suis victoriæ nuntius. *Augustin.* 11. *Confess.* 2. Ad nutum tuum (*Deus*) momenta transvolant. *Ennod. Paneg. Theod.* 7. Contra nudatos vagina gladios transvolasti.

*B*) Transitivorum more.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (78). Perdices non transvolant Bœotiæ fines in Attica. *et ibid.* 23. 30. (60). Grues Pontum transvolaturæ.

II.) Translate est celeriter transcurro more volantis. *Lucret.* 4. 558. dum transvolat auras. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 31. *circa med.* Si cetera transissent, num etiam Alpes poteram transvolare, quæ præsidio illius tenentur? *Cic.* 4. *Herenn.* 22. 31. Alexandro si vita longior data esset, Oceanum manus Macedonum transvolasset. *h. e.* transcendisset. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 108. Transvolat in medio posita et fugientia captat. *h. e.* præterit, negligit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (53). Nilus insulas ita innumeras spargit quasdamque tam vastæ magnitudinis, ut quamquam rapida celeritate, tamen dierum quinque cursu non breviore transvolet. *Id.* 7. *ibid.* 22. 10. (52). Cogitatio animum subito transvolans. *h. e.* præteriens. *Id.* 9. *ibid.* 8. 7. (21). Delphini tanta vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent. *Sil. It.* 4. 285. propiorem transvolat hostem (*trabs* seu *hasta*). *h. e.* supervolat. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 522. et *Homer. Il.* X. 275. *Quintil.* 4. 2. 25. Illa Sallustiana brevitas audientem transvolat.

TRANSVŎLŪTĬO, ōnis, f. 3. (transvolvo) transversa obvolutio, fornix, *volta.* Morem gerimus cl. *Furlanetto,* qui in *Append.* hanc vocem protulit ex *Gregor. Turon. De glor. Confess.* 35. In basilica sancti Venerandi transvoluta cellula a parte occidentis fuit, in qua multa ex marmore Pario sepulcra scalpta sunt. Eo quoque tempore pars transvolutionis illius, quæ per longinquæ incuriæ negligentiam pluviis erat infusa, super unum eorum sarcophagum ruit operteriumque ejus impulsum in frusta comminuit. Occurrit etiam in *Act. S. Saturn.* 6. et *Gloss. Pap.* V. *Quicherat. p.* 298. Cave tamen imiteris.

TRANSVŎLŪTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSVOLVO, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. Part. *Transvolutus* V. in TRANSVOLUTIO. — Transvolvo est evolvo, revolvo, voluto, decurro.

I.) Proprie. *Veget.* 1. *Veterin.* 1. Continuo animal, quod valetudo tentaverit, nec consueto utitur cibo nec solito se more transvolvit. Adde *eumd. ibid.* 56.

II.) Translate. *Prudent.* 11. *Cathemer.* 29. Donec rotata annalium Transvolverentur millia. V. *Juvenc.* 3. 380.

TRANSVŎRANS, antis, particip. *V.* TRANSVORO.

TRANSVŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. (transvoro) actus transvorandi, deglutitio aut etiam, per metonymiam, locus, per quem transeunt ea, quæ vorantur, puta fauces, œsophagum. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. 135. Aliquando etiam remeantis materiæ causa laxiora transvorationis efficiuntur loca. *Id.* 1. *ibid.* 4. 109. Tunc si medicamentum ad superiora cucurrerit et transvorationis ceperit partes. *Id. ibid.* 13. 176. Terminatur enim hoc (*electario*) asperitas faucium et transvorationis partes leniuntur et tussicula mitigatur. *Id.* 3. *Acut.* 6. 66. Bibendi difficilis transvoratio. Adde 1. *ibid.* 14. 113. et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316.

TRANSVŎRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRANSVŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Transvoratus* I.; *Transvoraturus* II. — Transvoro est vehementer voro, transglutio, *divorare, inghiottire.*

I.) Proprie. *Arnob.* 1. *p.* 40. Beluarum ritu comminutis cum ossibus transvorare. *Id.* 7. *p.* 29. Ne quod in stomachi tramite male transvoratum subsistiterit viscus. *Plin. Valer.* 1. 2. Transvorandi difficultas. Adde *Sext. Placit. De medic.* 2. 16. et *Marcell. Empir.* c. 16. *p.* 109. *retro.*

II.) Translate. *Apul. De mag.* Suasi uxori meæ, cujus jam, ut isti ajunt, universas opes transvoraram. *h. e.* consumpseram. *Augustin.* in *Ps.* 30. *serm.* 2. *n.* 5. Præfigurabat Dominus Ecclesiam, quod omnes gentes erat transvoratura.

TRANSVORSUS et

TRANSVORTO. *V.* TRANSVERTO.

TRĂPES, ētis, m. 3. *et*

TRĂPĒTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĂPĒTUS, i, m. 2. (τραπητός) — *a*) Etiam *trapetum,* τραπητόν, neutr. gen. occurrit apud *Colum.* 12. *R. R.* 50. 6., *Ulp. Dig.* 19. 2. 19. § 2., in *Gloss. Labb.* 187. et *Inscr. Orell. n.* 3289., quam tamen spuriam putat *Henzen* ad *h. n.* — Item *trapes, etis* (τραπής) in plur. num. apud *Varron.* 5. *L. L.* 138. *Müll.* et 1. *R. R.* 55. 5., *Caton. R. R.* 18. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (199). — *b*) Est a τραπέω, calco, quod a τρέπω, verto. *Varro* a *tero* derivatum putat *loc.* supra *cit.* Trapetes a terendo, nisi Græcum. — Trapetus est instrumentum terendis oleis aptum (It. *macinatoio, infrangitoio*; Fr. *mortier pour presser les olives, pressoir*; Hisp' *mortero para las olivas, prensa*; Germ. *der Olivenkelter, Oelpresse*; Angl. *an oilpress*): hujus figuram habes apud *Schneider* ad *Caton. tab.* 11. *n.* 6. — Trapetus fuse describitur a *Caton. R. R.* 20. et *seqq.* Erat autem grande mortarium seu vas amplum rotundum, intus cavatum ex lapide Suessano seu Pompejano, in cujus medio ex eodem lapide relicta quædam quasi columna milliarium dicebatur, bini circa idem orbes ex sphæræ segmento facti, seu duæ molæ, ad perpendiculum erecti, ope cupæ, seu assis faginei, per eosdem transmissæ et ferreæ columellæ, seu *perno di ferro,* in medio milliario firmatæ, ita vertebantur, ut olearum carnes, minime vero earumdem nuclei, frangerentur, quarum deinde massa, seu sampsa, prelo subjecta et expressa, oleum daret. Hanc descriptionem confirmat hujusmodi machina Stabiis nuper detecta. V. *Rich* ad *h. v.* — *Varro* 5. *L. L.* 138. *Müll.* Trapetes molæ oleariæ vocantur. *Id.* 1. *R. R.* 55. Primus quisque acervus demittatur ad trapetas, quæ res molæ oleariæ e duro et aspero lapide. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ante med.* Oleo conficiendo molæ utiliores sunt, quam trapetum: trapetum, quam canalis et solea. *Cato R. R.* 12. Cuneos sex, trapetos quinque. *et ibid.* 22. Trapetus emptus in Suessano. *et mox.* Si orbes in veteres trapetos parabis. *et ibid.* 18. Trapetibus locum dextra sinistra etc. *Virg.* 2. *G.* 519. teritur Sicyonia bacca trapetis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (23). Inventum, ut lavarentur oleæ ferventi aqua, protinus prelo subjicerentur solidæ, ita enim amurca exprimitur, mox trapetis premerentur iterum. *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. *ante med.* Oleum et trapetas invenit Aristæus Atheniensis. *Ulp. Dig.* 19. 2. 19. Dolia colono præstanda et prelum et trapeta instructa funibus.

TRĂPEZĪTA, æ, m. 1. (τραπεζίτης) *Tarpezita* vel *tarpessita* recentiores quidam leg. in *Plauto.* V. *Ritschl Opusc.* 2. *p.* 524. et *seqq.* et *p.* 529. et *seqq.* (Exc. XII. et XIII.) et *Britz* ad *Plaut. Trin.* 2. 4. 23. — Trapezita est mensarius, argentarius, nummularius, apud quem pecunia ponitur vel custodiæ vel fenoris causa, *banchiere:* a τράπεζα, mensa.

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 1. 2. 90. Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. *Id. Curc.* 2. 3. 66. Dedisti tu argentum? inquam. immo apud trapezitam situm est. *Id. Trin.* 2. 4. 23. Trapezitæ mille drachumarum Olympicum, Quas de ratione debuisti, redditæ. *Id. Epid.* 1. 2. 40. quadraginta minas - unde auferre me vis? a quo trapezita peto? *Id. Capt.* 2. 3. 89. Sequere me, viaticum ut dem hinc a trapezita tibi. (Cf. *Pseud.* 1. 3. 62.) Adde *Symmach.* 10. *Ep.* 16.

II.) Translate. *Rufin.* ex *Orig.* in *Lev. Homil.* 3. *ad fin.* Probabiles trapezitæ, probantes omnia, quod bonum est, obtinentes.

TRĂPEZĬUM. *V.* voc. seq.

TRĂPEZĪUS *et* trapizeus (trapideus), a, um, adject. τραπέζιος, mensalis. *Var. Auct. De limitib. p.* 248. *Goes.* Termini majores, qui juxta flumina positi sunt, mensales vocantur: in quibus constat mensura aquæ, trapezii vocantur. Alii aliter leg. *Lachmannus* habet *trapeadi.* et *Balb. Lap. in fin. p.* 249. 6. *Lachm.* Sumbus sive trapizeus. *et p.* 405. 3. Subus sive trapideus. — Hinc absolute, substantivorum more

*Trapezius, ii,* m. 2. terminus trapizeus. *Var. Auct. De limitib. p.* 341. *ibid.* et *Boeth. Geom.* 1. *p.* 1491.

*Trapezium, ii,* n. 2. figura quadrilatera sed angulos rectos non habens. *Cassiod. De Geom.* et *Boeth. Eucl. p.* 379. *Lachm.* et *Geom.* 2. *p.* 1530. (*Friedl. p.* 418.)

TRĂPEZĪUS, ĭi, *V.* voc. præced.

TRĂPEZŎPHŎRON et

TRĂPEZŎPHŎRUM, i, n. 2. τραπεζοφόρον, fulcrum mensam sustinens, *piedestallo, trespolo:* a τράπεζα, mensa, et φέρω, fero: sive illud sit columella sive signum aliquod ita conformatum, ut capiti ejus et manibus elatis imponi mensa et consistere possit. *Cic.* 7. *Fam.* 23. Quod tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis. *Paul. Dig.* 33. 10. 3. Supellectile legata hæc continentur: mensæ, trapezophora, delphica, subsellia etc. — De more dedicandi trapezophora V. *Henzen* in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1873. *p.* 139.

TRĂPĪDEUS et

TRĂPIZĒUS. *V.* TRAPEZIUS.

TRĂPŎNO. *V.* TRANSPONO.

TRAPPUS, i, m. 2. idem qui otis vel tetrax videtur *Gesnero* apud *Wernsd.* ad *fragm. Nemesian. De aucup.* 1. *v.* 1. *p.* 128.

TRASMĀRĪNUS. *V.* TRANSMARINUS.

TRAULIZI, τραυλίζει, leviter balbutit: vox Græca a τραυλός, balbus, blæsus. *Lucret.* 4. 1157. Balba, loqui, non quit, traulizi: muta, pudens est.

TRAUMĂTĪCUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TRAUMĂTĪCUS, a, um, adject. τραυματικός, vulneribus sanandis aptus, *vulnerario:* a τραῦμα, vulnus. *Veget.* 4. *Veterin.* 19. Traumaticum medicamentum curationi vulnerum valde convenit. *Id.* 3. *ibid.* 10. Traumaticum pharmacum. — Hinc

*Traumaticum, i,* n. 2. absolute, medicamentum traumaticum. *Pelagon.* 5. *a med.* Si vulnera fuerint, traumatico curabis. *et mox* Quamdiu vulnus fiat, traumatico curato. *Id. ibid.* 16. *a med.* Si caro excreverit aut styptico aut traumatico uteris. *Veget.* 3. *Veterin.* 13. Si fistula ceciderit, traumatico curabis, quod vulneri semper immittes donec spissa sanies et non multa in eo loco reperiatur.

TRĀVĀRĬCĀTOR. *V.* TRANSVARICATOR.

TRĀVĔHO. *V.* TRANSVEHO.

TRĀVERSĀRĬUS. *V.* TRANSVERSARIUS.

TRĀVERSUS. *V.* TRANSVERSUS.

TRĀVĬO. *V.* TRANSMEO et TRANSVIO.

TRĀVŎLO. *V.* TRANSVOLO.

TRĔA pro tria. *V.* TRES.

TRĔBĀCĬTER, adverb. (trebax) callide. *Sidon.* 9. *Ep.* 11. *ante med.* Malui factum confiteri simpliciter, quam trebaciter diffiteri.

TRĔBAX, ācis, adject. omn. gen. in rebus gerendis exercitatus, rerum peritus atque adeo callidus, astutus, *chi sa il vivere del mondo:* videturque ductum a Græco τριβακός, quod idem significat. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. *a med.* Colligit se trebacissimus senex. *paullo ante dixerat:* homo litium temporumque varietatibus exercitatus. *scil.* veterator. Huc fortasse alludit *Cic.* 7. *Fam.* 16. ad C. Trebatium scribens. Cf. TREBATIA in ONOM.

TRĔBELLĪCUS, a, um, adject. ad Trebellium pertinens, quod est nomen gentilicium Rom., de quo *V.* ONOM. Hinc *Trebellicum vinum,* genus vini generosi in Campania ad quartum a Neapoli lapidem. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (69).

TREBLA, æ, f. 1. instrumentum rusticum, fortasse dictum pro *tribla* per syncop. a *tribula. Cato R. R.* 135. Plostra, treblæ albæ etc. Sed hæc lectio adeo varia est, aliis *trabes,* aliis *trabulæ* aut *trebulæ* legentibus, aliis *Trebulam* urbem intelligentibus, ut nihil certi statui possit. Propius, inquit *Forcellinus,* lectioni *Catonis* accedit *trebola,* quæ sola orthographia differre a *tribula* videtur, quæque fuit cognomen R. *V.* ONOM.

TRĔCĒNĀRĬUS, a, um, adject. (treceni). Etiam *tercenarius* scribitur. *Inscr.* apud *Gruter.* 387. 8. C. CAESIO C. F. STEL. SABINO 7. LEG. VIII. AVG. EX TERCENARIO etc. *Alia* apud *eumd.* 417. 5. Q. HEDIO L. F. POL. RVFO TER. LEG. XX. G. etc. — Item *tricenarius* in *Inscr.* apud *Don. cl.* 5. *n.* 231. et *Murat.* 869. 4. SEX. VIBIO GALLO TRICENARIO (perperam apud *Don.* legitur *ricenario,* apud *Murat.* autem *ricinario*) PRIMOPILARI PRAEF. KASTROR. LEG. XVII. GEM. DONIS DONATO AB IMP. etc. *Alia* apud *Reines. cl.* 8. *n.* 39. M. STABII VIRI CENTVRIONIS COH. II. PR. TRICENARII. — Trecenarius est qui trecena producit, τριακόσιος. ¶ 1. Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 2. *ante med.* In agro Faventino trecenariæ appellantur vites, quod jugerum trecenas amphoras reddat. *h. e.* culeos quindecim, quos paullo supra posuerat; hi autem amphoras faciunt trecentas. Hinc *Colum.* 3. *R. R.* 9. *ante med.* Quemadmodum Terentius Varro affirmat, sexcentenas urnas priscis cultoribus singulas vinearum jugera fudisse. *h. e.* trecentas amphoras, nam amphora duas urnas continet. *Sueton. Gramm.* 23. Quum agros adeo coleret, ut vitem, manu ejus institutam, satis constet, trecenta sexaginta quinque vasa edidisse. Hinc etiam in *Geopon. l.* 5. *c.* 17. Βάῤῥων διισχυρίζεται, ὅτι ἕκαστον πλέθρον τῆς ἀμπέλου τριακοσίας ἀμφορὰς ἤνεγκεν. Adde *Priscian. De fig. num.* § 27. *p.* 415. 12. *Keil.* V. infra. ¶ 2. Speciatim est qui trecentorum militum ductor est, vel potius qui trecenum HS. stipendium habet. *V.* DUCENARIUS. *Inscr.* apud *Gruter.* 365. 6. et *Murat.* 1073. 4. C. ARRIO C. F. COR. CLEMENTI 7. COH. VII. PR. TRECENARIO DONIS DONATO AB IMP. HADRIANO HASTA PVRA CORONA AVREA etc. *Alia* apud *Fabrett. p.* 634. *n.* 293. A. NVMISIENO GALLO TRECENARIO DONIS DONATO PRIMOP. LEG. XIV. GEM. etc. Adde *aliam* apud *Oderici Dissert. p.* 199. et quas initio attulimus. — In militia quod ad gradum trecenarii attinet, qui antea princeps prætorii, postea tricenarius fuit, *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2917.; et qui antea trecenarius, postea primipilaris, *ibid.* 454., 2917. *et* 6224.; et qui antea trecenarius, postea præfectus legionis, *ibid.* 3427.

TRĔCĒNI, æ, a, adject. numer. (tres et centum) Sæpius a librariis peccatum est in *treceni,* commutantibus in *triceni,* quod est triginta. *Agroec,* tamen *De orth. p.* 114. 9. *Keil.* Triceni de tricentis dices, trigeni de triginta. — Dicitur

et tercent. Eumen. Restaur. schol. 11. Terceua illa sestertia, quæ sacræ memoriæ magister acceperam. Adde Sex. Ruf. Breviar. 12., ubi alii leg. tercenta. — Treceni est idem ac trecenteni, a quo fortasse per syncopen factum est, τριακόσιοι. — a) In distributione. Horat. 2. Od. 14. 5. Non si trecenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris. con ecatombi. et Liv. 8. 8. a med. (et 32. 29. et 39. 38. in fin.) Scribebantur quattuor legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis. trecento per una. et 22. 52. In capita Romana trecenis nummis quadrigatis, in socios ducenis. — b) Extra distributionem. Id. 42, 47. extr. P. Lentulo treceni milites Italici generis dati. Alii leg. trecenti. et ibid. 66. Amissis trecenis peditibus. Alii leg. trecentis. Id. 7. 25. Legiones - equitum trecenorum. Plin. 8. Hist. nat. 10. 10. (28). Vivere ducenis annis et quosdam trecenis.

TRĔCENNĬUM. V. TRICENNIUM.

TRĔCENTĒNĀRĬUS, a, um, adject. (trecenteni) idem ac trecentesimus. Priscian. De fig. num. § 27. p. 415. 12. Keil. Trecentenarius et trecenarius.

TRĔCENTĒNI, tercenteni et tricenteni, æ, a, adject. numer. (tres et centum) idem ac trecenti, trecento, τριακόσιοι. Colum. 5. R. R. 2. in fin. Sex latera sunt, quæ consummata efficiunt duo millia trecenteni et quadraginta (pedes). Adde Priscian. De fig. num. § 24. p. 413. 35. Keil. — Martial. 2. 1. Tercentena quidem poteras epigrammata ferre. — Indefinite. Prosp. De ingrat. 88. Et tercentenis procerum sunt edita linguis.

TRĔCENTĒSĬMUS, a, um, adject. (trecenteni) qui trecenta continet, trecentesimo, τριακοσιοστός. Cic. 1. Rep. 16. 25. Anno trecentesimo quinquagesimo fere post Romam conditam. Orell. habet notam numeral. Liv. 4. 7. Anno trecentesimo decimo, quem etc. Val. Max. 8. 13. sub fin. Trecentesimum annum cumulasse.

TRĔCENTI, æ, a, adject. numer. (tres et centum) Dicitur et tercenti. Martial. 4. 37. Tercenta debet Titius, hoc bis Albinus. Alii leg. trecenta; nam et hoc admittit metri ratio. Item tricenti, apud Colum. 5. R. R. 2. ante med., ubi multi leg.: Pedum quoquoversus tricentorum. Ceterum de scriptione V. Mar. Victorin. 1. 4. 29. — Trecentum neutr. sing. indecl. apud Ulp. Dig. 23. 4. 4. et Scævol. Dig. 46. 3. 89. § 1. — Trecenti est ter centum, tercenti, trecento, τριακόσιοι. Cic. 3. Phil. 4. ad fin. Trecentos fortissimos viros trucidavit. Virg. 10. Æn. 172. Sexcentos illi dederat Populonia mater Expertos belli juvenes, ast Ilva trecentos. Catull. 9. 2. Antistians mihi millibus trecentis. Id. 11. 18. Quos (mœchos) simul complexa tenet trecentos. et 48, 3. Usque ad milia basiem trecenta. Martial. 12. 70. postquam nummi venere trecenti.

TRĔCENTĬES (trecentiens) vel tercenties et divisim ter centies, vel tricenties, adverb. ter centies, trecento volte. Catull. 29. 15. Ducenties comesset aut trecenties, subintelligitur centena millia sestertiorum. et Martial. 3. 22. Dederas, Apici, bis tricenties ventri. Capell. 6. p. 198. Stadia quingenta trecenties sexagies complicata. h. e. 500 X 360.

TRĔCENTUM. V. TRECENTI.

TRĔCHĔDIPNUM. V. voc. seq. in fin.

TRĔCHĔDIPNUS, a, um, adject. τρεχέδειπνος, qui ad cenam festinanter accurrit: a τρέχω, curro, et δεῖπνον, cena. Τρεχέδειπνος vero apud Plutarch. Symposiac. l. 8. c. 6. vocatur qui, etsi cenam appeteret, cunctantius tamen et lentius ad convivium veniebat: et apud Alciphr. l. 3. ep. 4. ita nominatur parasitus quidam, qui tarde advenire horam convivii conqueritur. Gloss. Philox. Τρεχέδειπνος, cupidicinus. h. e. cupidicenus, scil. cenæ cupidus. V. LAUDICENUS. — NB. De nom. propr. R. V. ONOM. — Hinc

Trechedipnum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est toga cursoria, qua induti ad cenam seu sportulam accipiendam cives R. cursitabant. Not. Tir. p. 161. Pero, trechedipnum, ligula. Ita legend. pro perio, tragitipinum, licola, quæ ibi perperam leguntur. Juvenal. 3. 67. Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine. Vet. Scholiast. Trechedipna, vestimenta parasitica currentium ad cenam. Sunt qui pro trechedipna leg. rechedipna, nulla tamen significatione.

TRĔDĔCIÆRE. V. voc. seq.

TRĔDĔCIÆS, æris, et tredeciære, n. 3. (tredecim et æs) tredecim asses monetales. Mæcian. Distrib. § 60. Tredeciære hac nota scribas vocesque: Dodrans semuncia sicilicus ⋇S = − Σ Ɔ: dodrantibus semunciis siciliciis eadem ratione multiplicatis tredecim asses efficias.

TRĔDĔCIES (tredeciens), adverb. (tres et decies) ter et decies, tredici volte. Beda De num. 1. p. 100. — Olim legebant etiam apud Cic. 5. Verr. 8. 184.; nunc vero terdecies. V. hanc voc.

TRĔDĔCIM, adject. numer. indecl. (tres et decem) Apud Frontin. Aquæd. 33. legitur tresdecim. Non plus, inquit, erogant, quam tresdecim. Sunt qui negant, tresdecim recte dici: sed hic ita scriptum est pro quam quinarias fistulas tresdecim. Ita Furlanetto; at Dederich et Bücheler leg. tredecim. — Tredecem in Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 14. 1009. — Tredecim est tres et decem, tredici, τρισκαίδεκα. Liv. 36. 45. Tredecim captis navibus, decem mersis. Tac. 5. Hist. 19. ad fin. Centum tredecim senatores. Gell. 5. 2. Equus emptus talentis tredecim. — Tres et decem apud Cic. Rosc. Am. 7. a med. et Arnob. 4. p. 25. — Decem et tres apud Cic. Rosc. Am. 7. 20. et Curt. 6. 4. 6. — Decem tres habent Liv. 37. 30. et 26. 29. et Frontin. Aquæd. 69. — Decem tresque est Manil. 4. 452.

TRĔDĔCĬMUS, terdecimus et tridecimus, a, um, adject. numer. (tres et decimus) decimus tertius, decimoterzo, τρισκαιδέκατος. Mar. Victorin. 4. 3. 50. Tredecima ode libri primi: Quum tu, Lydia Telephi, constat etc. (subaud. Horatii) Inscr. apud Gruter. 708. 8. Terdecimo die. Plin. 1. in Indice librorum. Libro tredecimo continetur de peregrinis arboribus etc. Ita quidam Lexicographi; sed editiones vet. et Harduini ac Sillgii habent vel notas numerales vel decimo tertio; quare tredecimus suspectum esse debet, nec usurpandum. Ita Forcellinus. — In quibusd. tamen edit. apud Vulg. interpr. 2. Par. 24. 15. legeb. etiam tredecimus vel tridecimus, ubi nunc tertiusdecimus.

TRĔDĔCŬPLUS, a, um, adject. (tres et decuplus) terdecies multiplicatus, ex Beda De rat. calc. p. 156. quidam afferunt.

TRĔGĔMĬNUS. V. TERGEMINUS.

TREIS. V. TRES.

TREJECTUS. V. TRAJECTUS, us.

TRĔMĔBUNDUS (tremibundus), a, um, adject. (tremo) Tremibundus legitur apud Lucret. 1. 96. de Iphigenia. V. Lachm. ad h. l. Item apud Virg. 10. Æn. 522. Ribb. aliosque sequioris ævi scriptores, ut Arnob. 6. p. 200. et 7. p. 213. et Dracont. carm. min. § 281. Cf. Vulg. interpr. Hebr. 12. 21. in Codd. MSS. Sic fremibundus et pavibundus apud Arnob. 6. p. 196. et 7 p. 221. — Comp. Tremebundior I. — Tremebundus est valde tremens, περίτρομος (It. tutto tremante, tremoloso; Fr. tremblant; Hisp. tremulo; Germ. zitternd; Angl. trembling much, quivering).

I.) Proprie. Cic. Dom. 52. a med. Si postem tremebunda manu tenuit. Id. 3. Herenn. 14. 25. Leniter tremebunda voce. Ovid. 4. Met. 133. Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum Membra solum. Claudian. 2. in Eutrop. 440. Ipse leo dama cervoque fugacior ibat Sudanti tremebundus equo. Sil. It. 10. 119. currus tremebunda. h. e. hasta tremens, ut ait Ovid. 6. Met. 235. Rursus Sil. It. 5. 628. tremebunda tela. Colum. 10. R. R. 396. de cucumere. Candidus, effetæ tremebundior ubere porcæ. h. e. mobilior aut mollior.

II.) Translate. Nazar. Paneg. ad Constantin. 2. Tremebunda proferatur oratio. Alii tamen proprio sensu accipiunt.

TRĔMĔFĂCIENS, entis, particip. V. voc. seq.

TRĔMĔFĂCĬO, fēcis, fēci, factum, facere, a. 3. et passive Tremefio, fis, factus sum, fieri (tremo et facio). Part. Tremefaciens et Tremefactus. — Tremefacio est tremere facio, tremorem induco, concutio, percello, καταοείω, ἐκπλήττω (It. far tremare, atterrire; Fr. faire trembler, épouvanter; Hisp. hacer temblar, espantar; Germ. erzittern machen, in Zittern setzen; Angl. to make to tremble). Vox poetica. Cic. carm. de suo cons. 1. Divin. 11. sub fin. Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus. h. e. terræ motu contremuit. Cf. 2. Off. 7. 24. Quamvis tremefacta libertas. Sed plerique omnes leg. timefacta. et Virg. 6. Æn. 804. de Alcide. licet etc. Lernam tremefecerit arcu. Id. 10. ibid. 115. de Jove. Annuit et totum nutu tremefecit Olympum. Sic Arnob. 4. p. 140. de eod. Supercilio et nutu totum motans et tremefaciens cælum. Ovid. Heroid. 9. 81. Crederis infelix, scutica tremefactus habenis, Ante pedes dominæ procubuisse tuæ. Propert. 2. 7. 72. Nec folia hiberno tam tremefacta Noto. Claudian. B. Get. 204. Insolito belli tremefecit murmure Thulen. Id. 3. Rapt. Pros. 235. tremefactaque nutat Insula cornipedum strepitu. Seneca Herc. Œt. 1574. Astra tuo vultu tremefacta. Val. Flacc. 6. 526. Barbarica chlamys ardet acu tremefactaque vento Implet equum. Alii leg. tumefacta. Virg. 10. Æn. 101. Jove dicente deum domus alta silescit Et tremefacta solo tellus. Id. 2. ibid. 228. Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis Insinuat pavor. Stat. 1. Achill. 247. Quum pueri tremefacta quies oculique jacentis Infusum sensere diem. Cassiod. in Ps. 45. 6. Necesse fuit tremefieri peccatores.

TRĔMĔFACTĬO, ōnis, f. 3. (tremefacio) tremoris incussio. Cassiod. in Ps. 103. 31. Humilium tremefactio.

TRĔMĔFACTUS, a, um, particip. et

TRĔMĔFĬO. V. TREMEFACIO.

TRĔMENDUM. V. voc. seq. in fin.

TRĔMENDUS, a. um, partic. a tremo, sed plerumque adjectivorum more usurpatum; est autem tremorem et timorem incutiens, terribilis, metuendus, φρικτέος, φοβερός (It. da far tremare, da temersi, terribile, tremendo; Fr. qui fait trembler, redoutable, effrayant; Hisp. que pone miedo ó espanto, formidable, horrendo; Germ. schrecklich, furchtbar; Angl. causing fear or trembling, terrible, dreadful). Vox fere poetica. — a) Absolute. Virg. 4. G. 469. Manesque adiit regemque tremendum. Horat. 4. Od. 2. 15. cecidit tremendæ Flamma Chimæræ. Id. 1. Od. 16. 11. tremendo Juppiter ipse ruens tumultu. Ovid. 5. Fast. 46. sceptra tremenda Jovis. Id. 3. Met. 577. Aspicit hunc oculis Pentheus, quos iræ tremendos Fecerat. Horat. 4. Od. 14. 12. arces Alpibus impositas tremendis. et ibid. 6. 7. Achilles tremenda cuspide pugnax. Virg. 8. Æn. 335. Tremenda monita matris Carmentis. Val. Flacc. 2. 209. Tremendum nefas. Plin. 8. Hist. nat. 18. 25. (66). Tigris animal velocitatis tremendæ. — b) Cum Genet. Claudian. VI. cons. Honor. 176. gladiique tremendum Gurgitis siderei subterluit Orionis. Alii leg. gladio. Cf. tamen Sil. It. 1. 395. — c) Cum Dat. Seneca Med. 46. tremenda cælo pariter ac terris mala. — d) Cum supino pass. Stat. 10. Theb. 164. vates visu auditaque tremendus. — Hinc

Tremendum, adverbii ritu, apud Sil. It. 4. 283. sonat illa tremendum. Cf. HORRENDUS.

TRĔMENS, entis, particip. V. TREMO.

TRĔMENTER, adverb. (tremens) cum tremore. Dracont. Hexaem. 671. Suspexisse Deum satis est corde trementer.

TRĔMĔO, es, ere, n. 2. idem ac tremo. Commodian. 41. 10. tremebit undique Terra.

TRĔMESCENS (tremiscens), entis, particip. V. voc. seq.

TRĔMESCO (tremisco), is, ere, n. 3. (inchoat. a tremo) Pier. in plerisque antiquis libris tremesco invenit, apud Virg. 3. Æn. 648. et 11. ibid. 403. Not. Tir. p. 153. Tremit, tremescit,

intremescit. Similiter *ingemescant* habent quidam MSS. *Liv.* 21. 53. Improbant et rejiciunt *Voss.* et alii. At recentiores *tremisco* respuunt. Cf. *Wagner Orthogr. Verg. p.* 476. et *Georges Lex. d. Lat. Wortf. p.* 698. et *seq.* — Part. *Tremescens.* — Tremesco est tremere incipio aut tremo, contremesco, τρέμω (It. *scuotersi, tremolare, tremare;* Fr. *trembler de frayeur, craindre;* Hisp. *temblar, temer;* Germ. *erzittern;* Angl. *to begin to shake or tremble*): adhibetur etiam transitivorum more. — 1.°) Intransitive. *Varro* apud *Non. p.* 17. 16. *Merc.* Magna ut tremescat Roma et magnæ mandonum gulæ. *Lucret.* 6. 547. plaustris concussa tremescunt Tecta viam propter. *Virg.* 5. *Æn.* 694. tonitruque tremescunt Ardua terrarum. *Ovid.* 14. *Met.* 214. latitans omnemque tremescens Ad strepitum. — 2.°) Transitivorum more est valde timeo, *temere tremando, temere e tremare.* — *a*) Cum Acc. *Virg.* 11. *Æn.* 403. Myrmidonum proceres Phrygia arma tremescunt. *Id.* 3. *ibid.* 648. sonitumque pedum vocemque tremesco. — *b*) Cum Infinito. *Id.* 12. *ibid.* 916. Cunctaturque metu telumque instare tremescit. — *c*) Cum propositione relativa. *Stat.* 9. *Theb.* 535. Quercum nutantem nemus et mons ipse tremiscit, Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.

TRĔMĬBUNDUS. *V.* TREMEBUNDUS.

TRĔMĬDUS, a, um, adject. (tremo) tremens, tremulus. Legitur, in quodam MS., apud *Propert.* 4. 1. 43. Quum pater in gnati tremidus cervice pependit. Sic *intremidus* apud *Stat.* 11. *Theb.* 325. ad lituos hilarem intremidumque tubarum Prospiciebat equum. Sed plerique omnes utroque loco leg. *trepidus.* Quare *tremidus* abstinenda, donec aliquid certius suppetat. Ita *Broukus.* At *Broukusii* dubitationem tollunt loc. *Eutych. p.* 453. 22. *K.* et *Not. Bern.* 100. *b.* Etiam in *Not. Tir. p.* 153. Tremit, tremor, tremidus, tremulus.

TRĔMĬPĔDUS, a, um. *V.* voc. seq.

TRĔMĬPES, ĕdis, adject. omn. gen. (tremo et pes) qui pedibus tremit. *Varro* apud *Non. p.* 460. 8. *Merc.* Nec quassatipennas anates, tremipedes, buxeis rostris pecudes. Alii leg. *tremipedas,* ut sit a recto *tremipedus,* quod minus placet. Alii *remipedas,* quod est longe rectius. *V.* REMIPES et QUASSATIPENNAS. Tamen *Oehlerus* præfert ex Codd. *tremipedas,* ita dictas, quia, quum natant, per aquas tremere earum pedes videantur. Cf. *æquipedus, multipedus, quadrupedus* etc.

TRĔMISSIS, is, m. 3. (tres *et* as) Scribitur et *trimissis* in *Inscr.* apud *De-Rossi Inscr. Christ. T.* 1. *p.* 409. *n.* 923. — Ad etymon quod attinet, recte adnotat *Casaub.* ad *Lamprid.*, vocem esse inepte formatam et sine analogia a *tres* et *assis,* quum *semissis* analogiam servet a *semi* et *assis;* quamquam videtur *m* interpositum ad hiatum tollendum et vocem a *tressis* distinguendam. De ipsa multa *ibid.* disputat *Salmas.* Nec minus inepte *Isid.* 16. *Orig.* 25. 14. Ideo dixerunt *tremissem,* eo quod solidum faciat *ter missus.* — Tremissis est nummus aureus, sexagesimaquarta libræ pars, pondere autem decimasexta unciæ pars, tertio sæculo a Chr. n. in usu ac primum signatus a Severo Alexandro, valens tertiam solidi aurei partem, ut *semissis* dimidiam: idem ac triens. *V.* hanc vocem. *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Vectigalia publica contraxit: tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses: dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset. *Balb. De asse* § 15. Unciæ pars alia semuncia, alia tremissis etc. — In *Tabula Cod. Mut.* apud *Hultsch. Metrolog. p.* 131. 9. Tremissis tribuitur sextulæ pondus. Adde *ibid. p.* 74. 22. et *seqq.* — Postea fuit tertia pars solidi Constantiniani habuitque siliquas octo. *Isid.* 10. *Orig.* 27. 3. H. littera significat siliquas octo; id est tremissem. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 12. 40. 3. Militibus nostris per Illyricum non binos tremisses pro singulis chlamydibus, sed singulos solidos dari præcipimus.

TRĔMO, trĕmis, trĕmŭi, trĕmere, n. 3. — *a*) Forma *tremonti* in Saliari carmine apud *Fest. p.* 205. 18. *Müll.* est doricum τρέμοντι pro τρέμουσι, h. e. prætremunt, ut *ibid.* Sed *Festi* locus mendosus videtur. V. *Müller.* — *b*) Ratione habita etymi, *Varro* 6. *L. L.* 49. *Müll.* Tremo dictum a similitudine vocis, quæ tunc, quum valde timetur, apparet. Vox igitur fortasse, per onomatopœiam ficta, sed quæ duci potest a rad. Skr. *tras* (*tram*), timeo, agito, unde Gr. τρέμω. — Part. *Tremens* 1.° et 2.°; *Tremendus* 2. — Tremo est tremore concutior, commoveor, agitor, τρέω, τρέμω (It. *tremolare, tremare;* Fr. *trembler;* Hisp. *temblar;* Germ. *zittern;* Angl. *to tremble*): usurpatur autem non modo intransitive, sed etiam transitivorum more. — 1.°) Intransitive — *a*) De animantibus. *Næv.* apud *Cic.* 2. *Orat.* 70. *extr.* Sapiens, si algebis, tremes. *Plaut. Asin.* 2. 2. 23. Pro monstro est, quando, qui sudat, tremit. *Id. Mil. glor.* 4. 6. 57. ut tremit atque extimuit. *Fleckeis.* omisit deditque ut *extimuit.* et *Cas.* 3. 5. 1. cor metu mortuum est: Membra miseræ tremunt. *Ter. Eun.* 1. 2. 4. totus Parmeno, Tremo horreoque. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. *ad fin.* Tremere et exalbescere, objecta terribili re extrinsecus. *Id. Pis.* 30. 74. Timidus ac tremens. *et ibid.* 41. 99. Horrens, tremens. *Virg.* 2. *Æn.* 509. Arma diu senior desueta trementibus ævo Circumdat nequidquam humeris. Sic *Seneca Agam.* 366. Libantque manu vina trementi. *et Med.* 258. Senio tremens debili atque ævo gravis. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. 2. Me trementi voce exsulem appellavit. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 54. Exhibuit querulos ore tremente sonos. *Seneca Ep.* 11. Quibusdam tremunt genua dicturis. *Virg.* 1. *Æn.* 216. Pars in frusta secant verubusque trementia figunt. *palpitanti.* Sic 3. *ibid.* 627. et tepidi tremerent sub dentibus artus. *h. e.* palpitarent. *Seneca Thyest.* 755. Erepta vivis exta pectoribus tremunt. — Part. absolute. *Val. Flacc.* 5. 339. mox stare paventes Viderat intenta pueros nece seque trementum Spargere cæde manus. — Cum quarto casu Græcæ syntaxis. *Lucret.* 3. 490. et *Virg.* 3. *G.* 84. micat auribus et tremit artus. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 57. tremis ossa pavore. — *Tremere animo* apud *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. *a med.* est valde timere. Sic *Seneca Agam.* 833. horreo atque animo tremo. Cf. *Cic.* 4. *Tusc.* 22. 49. Tremere toto pectore. et *Horat.* 1. *Od.* 23. 8. corde et genibus. — *b*) De inanimis. *Virg.* 7. *Æn.* 722. pulsuque pedum tremit excita tellus. *Val. Flacc.* 1. 427. Illis Tænario pariter tremit ignea fuco Purpura. *h. e.* vento agitatur. (Sic *Ovid.* 2. *Met.* 875. tremulæ sinuantur flamine vestes.) *Virg.* 11. *Æn.* 644. latos huic hasta per armos Acta tremit. *h. e.* micat hastile et concutitur, quum ferrum infixum corpori est. *Seneca Œdip.* 50. Seges altis flava spicis tremit. *tremola.* et *Agam.* 432. unda vix actu levi Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit. *s'increspa.* et *Horat. Epod.* 10. 7. aquilo altis montibus Frangit trementes ilices. — *Morbus tremens,* qui tremorem inducit, apud *Senec. Herc. Fur.* 694. — 2.°) Transitivorum more. *Virg.* 8. *Æn.* 296. Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci. *Ovid.* 2. *Met.* 519. offensam Junonem tremere. *Liv.* 22. 27. In ea civitate, in qua magistri equitum virgas ac secures dictatoris tremere atque horrere soliti sunt. *Sil. It.* 2. 53. nos jussa virum nutusque tremamus. *Seneca Troad.* 317. clusus atque hostem tremens. *et ibid.* 262. Varios casus tremere. Adde *Auson. Mosell.* 435. Rursus *Seneca Med.* 46. tremenda terris mala. *V.* TREMENDUS. — Eodem modo usurpantur *horreo* et *trepido* et *tremesco.*

TRĔMŌDĬA. *V.* TRIMODIA.

TRĔMONTI. *V.* TREMO init.

TRĔMOR, ōris, m. 3. (tremo) corporis solidi motus, quo in suo loco stans movetur: cujus generis est motus terræ, quum ventis aut ignibus vel vaporibus inclusis concutitur, item motus in hominibus frigentibus, timentibus, febricitantibus, τρόμος, σεισμός (It. *tremore, tremito;* Fr. *tremblement, agitation;* Hisp. *tremor, temblor;* Germ. *das Zittern;* Angl. *any tremulous motion, tremour*). ¶ 1. Passive et proprie. — *a*) De animantibus. *Plaut. Rud.* 2. 6. 42. Omnia corusca præ tremore. *Lucret.* 6. 592. et incutit inde tremorem. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 19. *ad fin.* Ex quo fit, ut pudorem rubor, sic terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur. *Id. Flacc.* 4. *a med.* Tamen id, quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore et pallore dixit! *Virg.* 3. *G.* 250. tota tremor pertentat equorum Corpora. *Id.* 2. *Æn.* 121. gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor. *Id.* 7. *ibid.* 446. juveni subitus tremor occupat artus. *Seneca Herc. Fur.* 414. Gelidus per artus vadit exsangues tremor. *Id. Troad.* 168. artus horridus quassat tremor. *Id. Herc. Œt.* 706. Vagus per artus errat excussos tremor. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 152. imis vibrat tremor ossa medullis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 7. 24. (40). Ad spasmos, tremores, opisthotonos *etc.* pix liquida. *Martial.* 5. 78. Lascivi docili tremore lumbi. — *b*) De inanimis. *Lucret.* 5. 587. flammæ Dum tremor est clarus. — Speciatim de terræ motu, *tremuoto. Id.* 6. 285. tremor terras graviter pertentat. *Virg.* 2. *G.* 479. Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant. *Ovid.* 15. *Met.* 7?8. motamque tremoribus urbem. *Lucan.* 7. 414. Mœniaque in præceps laturos plena tremores. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 27. Bacchatus per operta tremor Chalcedona movit. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (73). et *Senec.* 6. *Quæst. nat.* 21. *a med.* ¶ 2. Active seu metonymice pro terrore, *spavento. Martial.* 5. 24. Hermes turba sui tremorque ludi. *et ibid.* 65. Cacus silvarum tremor. *Petron. Sat.* 123. Tremor Ponti. *Id. ibid.* sævi Hydaspis. — Hinc per prosopopœiam, tamquam persona, apud *Ovid.* 8. *Met.* 790. Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris — Frigus iners illic habitant Pallorque Tremorque.

TRĔMŬLE, adverb. (tremulus) cum tremore, *tremolando. Apul.* 5. *Met.* Extimæ plumulæ tremule resultantes inquiete lasciviunt.

TRĔMŬLO, as, are, n. 1. (tremulus) tremulus sum, tremo. *Gloss. Cyrill.* Τρέμω, tremulo. Adde *Thes. Nov. Latinit. p.* 574. ed. *Mai.*

TRĔMŬLUM. *V.* voc. seq. in fin.

TRĔMŬLUS, a, um, adject. (tremo) tremens, τρομώδης, τρομερός (It. *tremolante, tremolo, tremante;* Fr. *tremblant;* Hisp. *tremulo;* Germ. *zitternd;* Angl. *trembling, shaking*). ¶ 1. Passive. — *a*) De animantibus. *Pompon. fragm.* 107. *Ribb.* Tremulum corpus. *Cæcil. ib.* 193. palpebræ. *Lucret.* 3. 7. artus. *Id.* 2. 367. tenui tremulis cum vocibus hædi. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 8. 14. Tremulum guttur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 32. 28. (142). Tremulæ manus effundentes plena vasa. — Sæpe dicitur de senibus. *Ter. Eun.* 2. 3. 44. Incurvus, tremulus, labiis demissis. *Horat.* 4. *Od.* 13. 5. Anus pota cantu tremulo Cupidinem sollicitat. *Propert.* 4. 1. 73. Tremuli anni. *Ovid.* 10. *Met.* 414. anus tremulasque manus annisque metuque Tendit. *Id.* 15. *ibid.* 212. Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu. *Catull.* 61. 161. tremulum movens Cana tempus anilitas. *Petron. Sat.* 137. tremulo deduxit vertice canos. *Claudian. B. Get.* 483. Et tremulos regit hasta gradus. — *Tremulus equus* est vividus, alacer, vigoris plenus. *Nemesian. Cyneg.* 256. lumina vivida torquent Hinnitusque cient tremuli frenisque repugnant. *Virg.* quoque 3. *G.* 84. et 250. tremorem in equis laudat. — *b*) De inanimis. *Lucret.* 5. 696. tremulum jubar ignis. *Virg.* 8. *Æn.* 22. aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis Sole repercussum etc. *et* 8. *Ecl.* 105. Tremulæ flammæ. *Ovid. Heroid.* 11. 75. Ut mare fit tremulum, tenui quum stringitur aura. *Id.* 6. *Met.* 326. Tremulæ cannæ. *Petron. Sat.* 131. cupressus. *Val. Flacc.* 1. 620. vela super tremulum volitantia malum. *Lucan.* 2. 621. tremulo contentæ fune carinæ. et 4. 444. Tremulum lorum. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 356. tremulos vibrare colores. ¶ 2. Active seu metonymice pro eo, qui tremorem incutit. *Cic.* in *Arat.* 68. Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus. *Propert.* 1. 5. 15. Tremulus horror. — Hinc

*Tremulus, i*, m. 2. absolute, substantivorum more, is, cui ex morbo tremunt membra. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 34. (85). Brassicam paralyticis et tremulis dari jubet. *et ibid.* 18. 75. (197). Sacopenium sanat vertigines, tremulos, opisthotonicos. *Id.* 23. *ibid.* 4. 47. (92). Oleum balsaminum utile tremulis, spasticis, ruptis. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

*Tremulum*, adverbii ritu, idem ac tremule. *Martial.* 14. 203. *de puella Gaditana.* Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut *etc.*

TRĔMŬLUS, i, 2. (tremo) ¶ 1. Masc. gen. est qui tremit, *tremulo, tremante.* V. voc. præc. in fin. ¶ 2. Fem. gen. est genus arboris populeæ, Italice *tremula*, Gallice *tremble*, ita a tremore foliorum appellata. *Plin. Valer.* 2. 12. Corticem de tremula et absynthium viride vel siccum coques in aqua etc.

TRĔPĬDANS, antis, particip. *V.* TREPIDO.

TRĔPĬDANTER, adverb. a *trepidans*, unde Comp. *Trepidantius.* — Trepidanter est cum trepidatione, timide, *con prescia e paura, timorosamente,* περιδεῶς. *Sueton. Ner.* 49. *a med.* Quod ut sensit, trepidanter effatus etc. — *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Quum omnia trepidantius timidiusque ageret, quam superioribus diebus consuesset.

TRĔPĬDĀRĬUS, a, um, adject. *Trepidarii equi* dicuntur, qui brevi, minuto et festino gradu incedunt, crebriter salientibus pedibus ambulant: quasi *tripedarii*, τριποδίζοντες, ter pede terram pulsantes et quodam tripudio subsultantes. Hinc Græce in *Hippiatr.* p. 105. Δρόμῳ τῷ διὰ χάλκης γυμνάζει ἤτοι τῷ λεγομένῳ τριπήδῳ. Vel dicti sunt a *trepidando*, quia pedibus trepidant ac tremunt: unde *trepidiarii* ab aliis vocantur. Ita leg. *Georges.* De his videtur esse illud *Catonis* apud *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 121. Sedere non potest in equo trepidante. Prior tamen notatio et appellatio verior videtur. *Veget.* 2. *Veterin.* 56. *ad fin.* Ipsos equos, quos vulgo trepidarios, militari verbo tottonarios vocant, ita edomant ad levitatem et quædam blandimenta vecturæ, ut asturconibus similes videantur. Cf. *Schneider* ad *Veget.* 6. *Veterin.* 6. 7. *V.* plura apud *Salmas.* ad *Capitolin. Maximin.* 3. et TRIPODO.

TRĔPĬDĀTĬO, ōnis, f. 3. (trepido) festinatio et actus satagendi, σπουδή, ἔπειξις (It. *fretta, prescia, premura*; Fr. *agitation empressée, empressement*; Hisp. *apresuramiento, priesa*; Germ. *das Trippeln*; Angl. *confused hurry, dismay, trepidation*). ¶ 1. Generatim. *Liv.* 3. 50. Tandem ut jam ex trepidatione concurrentium turba constitit ac silentium fuit, ordine cuncta exposuit. Adde 2. 46. ¶ 2. Speciatim et sæpius est festinatio sollicita, turbatio, tumultus, timor, *prescia con qualche confusione, confusione e paura insieme miste, sbigottimento,* θόρυβος: quæ quidem, inspecto etymo, videtur aliis propria vocis significatio. *V.* TREPIDUS. — *a*) De personis. *Cic. Dejot.* 7. 23. Vultus hominum te intuentium atque admirantium recordare. numquæ trepidatio? numqui tumultus? numquid nisi moderate, nisi quiete? *Liv.* 37. 24. Trepidatio et fuga hostium. *Vellej.* 2. 124. 1. Quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus. *Petron. Sat.* 82. Quum vultu atque ipsa trepidatione mendacium prodidissem. *Auct. B. Alex.* 75. Cujus rei subita trepidatio magnum terrorem attulit nostris. *Justin.* 2. 12. *in fin.* Circumspicientes fugam pelluntur Persæ et mox prœlio victi in fugam vertuntur. In qua trepidatione multæ captæ naves, multæ mersæ. *Tac.* 12. *Ann.* 43. Crebris terræ motibus prorutæ domus: ac dum latius metuitur trepidatione vulgi, invalidus quisque obtriti. *et* 11. *ibid.* 38. Ferrum accepit: quod frustra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, ictu tribuni transfigitur. *et* 15. *ibid.* 16. Deformis fugientium trepidatio. *Id.* 1. *Hist.* 41. Trepidatione ferentium Galba projectus e sella ac provolutus est. *Liv.* 2. 53. Consul castra confestim aggreditur tantamque trepidationem injecit, ut etc. *Id.* 3. 3. Necopinata res plus trepidationis fecit, quod etc. *Sueton. Ner* 34. Reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, cœptorum opperiens exitum. — *b*) De rebus. *Seneca* 3. *Ira* 10. Qui comitiali vitio solent corripi, jam adventare valetudinem intelligunt, si calor summa deseruit, et incertum lumen, nervorum trepidatio est. h. e. *tremore*, tremor.

TRĔPĬDĒ, adverb. (trepidus) trepidanter, *con prescia e confusione, timorosamente, sbigottitamente,* περιδεῶς. *Liv.* 22. 31. Ad mille hominum amissum: classis a litoribus hostium plenis trepide soluta. *Id.* 7. 11. Relictis trepide castris. *et* 10. 12. Nam et stativa trepide deserta fuerant. *Sueton. Ner.* 23. Quam trepide anxieque certaverit, vix credi potest. *Phædr.* 2. 5. Est ardelionum quædam Romæ natio, Trepide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens.

TRĔPĬDIĀRĬUS. *V.* TREPIDARIUS.

TRĔPĬDO, as, āvi, ātum, are. n. 1. (trepidus) Part. *Trepidans* 2. *a* et 4.; *Trepidaturus* 3. *a.* — Trepido est festino, satago, commoveor, discurro, ἐπισπεύδω, περιτρέχω, σπουδάζω (It. *affrettarsi, darsi premura*; Fr. *s'empresser, s'agiter*; Hisp. *apresurarse, agitarse*; Germ. *trippeln, eilfertig-, hastig-hin-, herlaufen*; Angl. *to be in a hurry, make haste*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Virg.* 4. *Æn.* 121. Dum trepidant alæ saltusque indagine cingunt. *Liv.* 27. 28. *a med.* Excitant vigiles aperirique portam jubent: consulem adesse. Vigiles, velut ad vocem eorum excitati, tumultuari, trepidare, moliri portam. *Id.* 44. 38. *in fin.* Hostes stabant compositi suis quisque ordinibus: nobis tunc repente trepidandum in acie instruenda erat et incompositis concurrendum. *Virg.* 12. *Æn.* 735. Fama est, præcipitem, patrio mucrone relicto, Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 21. aqua per pronum trepidat cum murmure rivum. — *b*) Cum Infinito. *Id.* 2. *Od.* 4. 23. Cujus octavum trepidavit ætas Claudere lustrum. *Virg.* 9. *Æn.* 114. Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves. *Lucan.* 6. 416. propius jam fata moveri, Degeneres trepidant animi. ¶ 2. Speciatim et sæpius est cum tremore festino, cum tumultu et confusione propero, discurro, huc illuc me verto, *affrettarsi, far presto con paura o confusione,* ταρβέω, τρέω, πτώσσω, σκαίρω: quæ quidem, ratione etymi, videtur aliis prima ac propria vocis potestas. *V.* TREPIDUS. — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 2. 7. 9. Ut ille trepidabat! ut festinabat miser! *Ter. Adelph.* 3. 2. 25. Quid est? quid trepidas? quid festinas, mi Geta? Animam recipe. *Cæs.* 5. *B. G* 33. Tum demum Titurius, uti qui nihil ante providisset, trepidare et concursare cohortesque disponere. *Auct. B. Afr.* 82. Animadvertit, hostes circa vallum trepidare atque ultro citroque pavidos concursare et modo se intra portas recipere, modo inconstanter immoderateque prodire. *Sall. Cat.* 32. Repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satis credere. *Id. Jug.* 42. Alii se abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis. *Auct. B. Alex.* 31. Diverso clamore perterriti Alexandrini, trepidantes in omnes partes discurrere cœperunt. *Ovid.* 13. *Met.* 73. videoque trementem Pallentemque metu ac trepidantem morte futura. *Petron. Sat.* 121. Jam fragor armorum trepidantes personat aures. *Tac.* 3. *Hist.* 58. *a med.* Largus promissis et quæ natura trepidantium est, immodicus. — *b*) Cum casibus motus ad locum. *Sall. Jug.* 71. Romani milites improviso metu incerti ignarique, quid potissimum facerent, trepidare ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant. *Liv.* 23. 16. *a med.* Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa. *Phædr.* 4. 5. Quum victi mures mustelarum exercitu Fugerent et arctos circum trepidarent cavos. *scil.* festinarent ingredi, *s'affollavano.* — *c*) Passive impersonaliter. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 35. Tace. trepidari sentio et cursari sursum prorsum. *Cæs.* 6. *B. G.* 30. Totis trepidatur castris atque alius ex alio causam tumultus quærit. *Sil. It.* 4. 26. Præcipitat timor ac vastis trepidatur in agris. Adde *Juvenal.* 3. 200. ¶ 3. Item tremere ac timere, simpliciter, *tremare, temere, essere sbigottito.* — *a*) Absolute. *Enn.* apud *Cic.* 3. *Orat.* 42. 168. At Romanus homo, tamenetsi res bene gesta est, Corde suo trepidat. *Plaut. Epid.* 1. 1. 58. Nescio edepol, quid tu timidus es. trepidas, Epidice; ita voltum tuum video. videre commeruisse. Adde *Ter. Eun.* 5. 6. 8. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 37. Trepidare metu. *et* 3. 10. 67. formidine. *Justin.* 22. 5. 7. Qui tanta audacia hostium perculsi trepidaturi sint. — *b*) Cum Dat. *Apul.* 2. *Met.* Hæc tibi trepido et cavenda censeo. — *c*) Cum Accus. *Seneca Herc. Œt.* 1058. Nec damæ trepidant lupos. *Juvenal.* 10. 21. Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram. *et* 8. 152. et occursum nusquam trepidabit amici. — *d*) Cum Infinito. *Stat.* 1. *Theb.* 639. non tu pia degener arma Occulis aut certæ trepidas occurrere morti. *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 44. nec trepidas, sacram Spectare formam lumine lubrico. *Augustin. Serm.* 15. *n.* 44. Non trepidat calumniari. Adde 8. *Confess.* 11. — *e*) Cum Conjunctivo et particula *ne. Juvenal.* 14. 64. Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino Atria displiceant. Adde 1. 97. — Hinc translate est periclitari. *Cod. Theod.* 10. 10. 12. Domini trepidavere fortunæ. ¶ 4. Item tremulo motu concuti, agitari, palpitare, subsilire. *Ovid.* 2. *Art. am.* 89. Tabuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos Et trepidat, nec, quo sustineatur, habet. *si dibatte.* et 11. *Met.* 75. avis laqueo capta Plangitur ac trepidans adstringit vincula motu. *dimenandosi.* et *Horat.* 4. *Od.* 11. 11. Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum. *Pers.* 3. 88. Nescio quid trepidat mihi pectus. *Ovid.* 1. *Met.* 554. Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus. *palpitare.* et 14. *ibid.* 196. elisi trepident sub dentibus artus. *Pers.* 1. 20. Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum Intrant et tremulo scalpuntur ubi intima versu. *h. e.* subsilire, exsultare, commoveri et plaudere. Sic *Arnob.* 7. p. 213. Trepidare lætitia. *Liv.* 23. 7. *sub fin.* In foro otiose inambulavit, trepidante tota civitate ad excipiendum Pœnum visendumque. Adde *Virg.* 4. *G.* 69. *V.* TREPIDO. Sic *Cato* apud *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 121. Sedere non potest in equo trepidante. *bizzarro, inquieto, agile.* et *Petron. Sat.* 131. Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus. *Seneca Thyest.* 768. Trepidantes foci. *Ovid.* 15. *Met.* 576. et *Lucan.* 6. 557. exta. *palpitanti.* — *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 121. Dum trepidant alæ etc. adscribit, putare quosdam, *trepidare* dictum esse ab equis crebro ictu terram pulsantibus, ut in TREPIDARIUS dictum est.

TRĔPĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* trepidus, aliquantum trepidus, ὑπότρομος. *Gell.* 2. 29. Atque ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere orareque matrem etc.

TRĔPĬDUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, alii ducunt a τρέω vel τρέμω, tremo. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 296. Trepidum dicit, quia quod bullit, quasi tremere videtur. Alii vero a τρέπω, verto, scilicet fugam trepo (V. *Fest.* in TREPO); vel a Skr. *tarb* (*tarp* et per metathesim *trap*), unde ταρβεῖν, timeo, tremo. Cf. etiam *Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 297. mox infra *cit.* — Trepidus est qui festinat et satagit, sollicitus de re quapiam et moræ impatiens, σπουδαῖος, ἐπιμελής (It. *pieno di fretta, frettoloso, premuroso, sollecito*; Fr. *affairé, agité*; Hisp. *apresurado, agitado, solicito*; Germ. *trippelnd, hastig*; Angl. *hastening, hasty, quick*). ¶ 1. Generatim. *Virg.* 4. *G.* 73. *de apib.* Tum trepidæ inter se coeunt pennisque coruscant Spiculaque exacuunt rostris aptantque lacertos. *Id.* 4. *Æn.* 642. At trepida et cœptis immanibus effera Dido. Ubi *Servius*: festina nam moritura nihil timebat. *Lucan.* 1. 297. satis trepidum, turbæ coeunte, tumultum Composuit. *Schol.* ad *h. l.* Trepidum hic accipit pro festino; nam proprie accipitur pro timido et est compositum ex tremore et pede. *Id.* 7. 297. Spe trepidus. — Poetice cum genet. *Stat.* 11. *Theb.* 325. ad litoos hilarem trepidumque laborum Prospiciebat equum. *h. e.* quod ait *Virg.* 3. *G.*

84. stare loco nescientem, audito tubarum sono, micantem auribus et trementem artus. Sic *Sil. It.* 13. 146. trepido ac lituum tinnitu stare neganti Imperitans violenter equo. Adde *Virg.* 9. *Æn.* 233. et 7. *ibid.* 638. ¶ 2. Speciatim ac sæpius est tremore et timore properans, festinus ex metu, pavidus, anxius, sollicitus, *pieno di paura e di prescia, sollecito per timore, tremante, affannoso, sbigottito, ansio*, ἔντρομος, τρομερός: quæ quidem, ut in TREPIDO diximus, videtur prima ac propria vocis significatio. Cf. *Schol.* ad *Lucan. loc. cit.* — 1.°) De animantibus. *Sall.* ad *Jug.* 102. Qui omnes trepidi improviso metu, attamen virtutis memores aut arma capiebant aut capientes alios ab hostibus defensabant. *Virg.* 3. *Æn.* 616. Hic me dum trepidi crudelia limina linquunt, Immemores socii deseruere. *et* 9. *ibid.* 169. Trepidus formidine. Cf. *Liv.* 2. 24. Curia mœsta ac trepida, ancipiti metu et ab cive et ab hoste. *Justin.* 2. 13. *a med.* Quum solutum pontem offendisset, piscatoria scapha trepidus trajecit. — *Trepidi*, absolute, h. e. rei, apud *Auct. carm. ad Pis.* 41. *v.* 4. *p.* 244. ed. *Wernsd.* — 2.°) De rebus. — *a*) Universim. *Lucret.* 5. 41. Trepidus terror. et 3. 847. tumultus. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 48. certamen. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 54. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (15). metus. *Virg.* 4. *Æn.* 672. exanimis trepidoque exterrita cursu. *Tac.* 4. *Ann.* 70. *in fin.* et 14. *ibid.* 59. Incerta et trepida vita. *h. e.* plena timoris, sollicita et circumspiciens undique, ne quid adversi incidat. *Curt.* 7. 1. *ad fin.* Trepidas alicui litteras mittere. *h. e.* de re trepida. Sic trepidum nuntium *Justin.* 31. 2. *extr.* — *Nemesian. Cyneg.* 151. Trepidum periculum. *h. e.* trepidos faciens. — *b*) *Trepida res*, dubia, anceps, timoris, tumultus, discriminis plena, in qua huc illuc cursitare solent homines, opem ac remedium quærentes. — *α*) In sing. num. *Liv.* 1. 27. *a med.* Tullus in re trepida duodecim vovit Salios fanaque Pallori ac Pavori. *Id.* 26. 5. Romani, ut in re trepida, ita inter se copias partiti sunt. Adde 4. 46. — *β*) In plur. num. *Sall. Jug.* 96. *a med.* Quæ postquam oppidani cognovere, res trepidæ, metus ingens, malum improvisum. Adde *Horat.* 3. *Od.* 2. 5. *Tibull.* 2. 3. 21. Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus. *Liv.* 4. 17. *a med. et* 56. Et senatus, ut in trepidis rebus, dictatorem dici jussit. *Sil. It.* 7. 1. trepidis Fabius spes unica rebus. *Capell.* 1. *p.* 9. trepidis mutat sententia rebus. — *c*) Cum Genetivo. *Virg.* 12. *Æn.* 588. Vestigavit apes fumoque implevit amaro. Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra Discurrunt. *Liv.* 5. 11. et 36. 31. Messenii trepidi rerum suarum. Sic *Sil. It.* 12. 13. trepidique salutis Exspectant ipsis metuentes mœnibus hostem. *Tac.* 6. *Ann.* 21. *a med.* Magis ac magis trepidus admirationis ac metus. *Apul.* 4. *Met.* Trepidi regionis urgemur. *h. e.* ignari, incerti. ¶ 3. Item tremulus, agitatus. *Ovid.* 12. *Met.* 278, ferrum Igne rubens faber lacubus demittit: at illud Stridet et in trepida submersum sibilat unda. *Alii leg.* tepida. *Virg.* 1. *G.* 296. Et foliis undam trepidi despumat aheni. *Seneca Herc. Œt.* 708. cor attonitum salit Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.

TRĔPO, is, ere, a. 3. τρέπω, verto. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 367. 11. *Müll.* Trepit, vertit; unde trepido et trepidatio: quia turbatione mens vertitur. — Huc *Cavedonio* in *Opusc. di Mod. ser.* 2. *t.* 2. *p.* 200. referendum videtur illud TREPI, quod unicum legitur in *glande missili* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 648., perinde ac si imperativum sit verbi *trepo*. Sed probabilius *trepi* est decurtatum pro *trepidate*. V. *Mommsen* ad *h. l.*

TRĔPONDO, n. indecl. (tres *et* pondus) trium librarum pondus, *peso di tre libbre*, τρίλιτρον. *Quintil.* 1. 5. 15. Nam dua et tre et pondo diversorum generum sunt barbarismi. At duapondo et trepondo usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, et recte dici Messala confirmat. *Scribon. Compos.* 165. Ejusdem radicis trepondo, panacis pondo IIII. *et Compos.* 271. Adipis porcinæ trepondo.

TRĔPŬDĬO. *V.* TRIPUDIO.

TRĔPŬDĬUM. *V.* TRIPUDIUM.

TRES (*treis et tris*), trĭa, ĭum, ĭbus, nom. numerale cardinale. — *a*) Ex his formis prima positio Latina est, altera Græcam diphthongum retinet: tertia itidem Græcum sapit, eadem diphthongo vel servata vel contracta. Poetæ modo hac, modo illa utuntur, aurium judicium secuti. — *Treis* usurpat *Plaut. Men.* 1. 4. 1. ecce treis nummos habes. Alii *tris*. Adde *Virg.* 8. *Æn.* 429., *Colum.* 9. *R. R.* 7. 3. et *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 562. — *Tris* apud *Varron.* 5. *L. L.* 1. et 55. *Müll.*, *Cic.* 4. *Verr.* 17. 42. *et* 1. *Fam.* 1. *Bait.* — Immo *treis* et *tris* uno eodemque loco, ut quidem *Gellii* tempore, legebatur, ipso teste 13. 20. *Virg.* 10. *Æn.* 350. Tres quoque Threicio, Boreæ de gente suprema, Et tris, quos Idas pater et patria Ismara mittit. Ubi *Gell.* Tres illic, tris hic. Pensicula utrumque et modulare: reperies suo quodque in loco sonare aptissime. Adde *Caton.*, *Plaut.*, *Liv.* etc. — *Priscian.* 7. *p.* 775. *Putsch.* facit *tres* rectum casum; *treis* vel *tris* quartum. Cf. *Brambach p.* 157. et *Fronton. De diff. voc. p.* 2201. Treis in accusativo casu, tres in nominativo et vocativo. Sed, ut opinor, inquit *Forcellinus*, incerta regula est; nam apud *Virg.* legimus *tris* etiam in recto in opt. libris, ut 5. *Æn.* 560. Tris equitum numero turmæ ternique vagantur Ductores. (*Ribbeck* tamen dedit *tres*) Illud certius, quæ in *ium* in genitivo plur. desinunt, ea in recto et quarto et per *is* aut *eis* et per *es* scribi posse: sed *eis* ad Græcam magis diphthongum accedere, *is* ad Latinam consuetudinem: quæ tamen aliquando, *Quintiliano* teste 1. 7. *ante med.*, supervacua videri cœpit et deponi. Plura in hanc rem habes apud *Noris. Cenotaph. Pis. dissert.* 4. *c.* 3. — Etiam *tre* olim adhibitum. V. *Quintil.* in TREPONDO. Sane in compositis *tre* (*tri*) initio præfigitur. — *Trea* pro *tria* apud Gromaticos vet., ut *Balb. Expos. p.* 99. 7. *Lachm.* et *p.* 246. 3., 296. 1. etc. Adde *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. arch. a.* 1875. *p.* 112. — *b*) Vox est a Skr. *tri* (*tra* vel *tar*), ejusd. significationis, unde et Gr. τρεῖς, τρία. Cf. Germ. *drei*. — *c*) In compositione *tres* vel *tre*, *tris* vel *tri* non solum triplicatum numerum significat, sed etiam indefinitum vel augmentum vel gradum superlativum, ut *tresviri* vel *treviri*, *triplico*, *triportentum*, *triveneficus*. etc. — Tres est duo et unum simul juncta, τρεῖς, τρία (It. *tre*; Fr. *trois*; Hisp. *tres*; Germ. *drei*; Angl. *three*). ¶ 1. Universim. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 7. Qui duas aut tres minas Auferunt heris. *Lucret.* 5. 9. tria corpora, Memmi, Tres species tam dissimiles, tria talia texta Una dies dabit exitio. *Cic.* 1. *Rep.* 26. 42. Horum trium generum quod vis. *Id. ibid.* 28. 44. Loquor de his tribus generibus. *Ovid.* 2. *Fast.* 691. Trium minimus. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 560. *et* 8. *ibid.* 429. *Auson. Griph.* 52. *Wernsd.* Tres coit in partes numerus perfectus. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 25. Milia tum pransi tria repimus. *Auson. Griph.* 48. *Wernsd.* In physicis tria prima, Deus, mundus, data forma. *Ulp. Cod.* 6. 10. Sextæ retinentur ex dote, non plures tamen quam tres sextæ. — *Tria verba dicere*, h. e. prætoris verba do, dico, addico, apud *Senec. Lud.* 11. Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 47. *V.* VERBUM. — Cum aliis numer. *Cic. Rosc. Am.* 7. 20. Fundos decem et tres reliquit. — In veneficiis hic numerus singularem vim habere creditus est. *Virg.* 8. *Ecl.* 77. Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores. *Ovid.* 2. *Fast.* 573. Et digitis tria tura tribus sub limine ponit. *et* 4. *ibid.* 551. Terque manu permulsit eum, tria carmina dixit. Adde 14. *Met.* 387. — Absolute. *Auson. Griph.* 88. *Wernsd.* Tres numerus super omnia. Tres Deus unus. ¶ 2. Interdum adhibetur ad pauca significanda. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 29. et *Trin.* 4. 2. 121. Heus, te tribus verbis volo. *Ter. Phorm.* 4. 3. 33. Ut est ille bonus vir, tria non commutabilis verba hodie inter vos. *Catull.* 1. 5. ausus es unus Italorum Omne ævum tribus explicare chartis. *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 26. Venisset verbis charta notata tribus. *et* 79. 4. Si tria notorum suavia reppererit. *Martial.* 13. 124. Cæretana Nepos ponat, Setina putabis. Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit. ¶ 3. Pro numero indefinito. *Vulg. interpr. Am.* 1. 3. Super tribus sceleribus Damasci etc.

TRESDĔCIM. *V.* TREDECIM.

TRESSIS, is, m. 3. (tres *et* assis) tres asses. I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 169. *Müll.* A tribus assibus tressis: et sic proportione usque ad nonussis. *et* 9. *ibid.* 81. A tressibus virilia multitudinis hi tresse et his tressibus: quum sit singulare hoc tressis. *V.* SEXIS. Adde *Mæcian. Distrib.* § 50. et 72. (*Metrol. Scriptt.* ed. *Hultsch. v.* 2. *p.* 67. 19. et *p.* 70. 6.) — *Tressis semis* apud *eumd. ibid. p.* 70. 11.

II.) Translate est vilis, minimi pretii, *di poco prezzo o valore*. *Pers.* 5. 76. Hic Dama est, non tressis agaso.

TRĔVIR et

TRĔVĬRI. *V.* TRIUMVIRI.

TRĬA. *V.* TRES.

TRĬĂCONTAS, ădis, f. 3. τριακοντάς, numerus tricenarius, *trentina*. *Tertull. advers. Valentinian.* 49. *sub fin.*

TRĬĂDES, æ, f. 1. De quantitate secundæ *V.* infra. — Triades est idem ac trias, trinitas. Ita vitio sequioris ævi declinatur a *Venant.* 5. *carm.* 2. 1. Lumen Apostolicum, quum spargeret una Triades. *h. e.* unus simul et trinus Deus. Ubi *Triades* licenter cum pænultima longa.

TRĬAMBI, ōrum, m. plur. 2. *V.* IAMBUS.

TRĬĀMĪTA, æ, f. (tres *et* amita) tertia amita. *Isid.* 9. *Orig.* 6. in *Arbore juris*, quæ inscribitur de *gradibus generis humani*. (VII. gradu in linea obliqua) Tripatruus, triamita. — Porro hanc *Arborem* confer sis cum iis, quæ de stemmate cognationum leguntur apud *Caj.* et *Ulp. Dig.* 38. 10.

TRĬAN. *V.* TRIENS.

TRĬANGŬLĀRIS, e, adject. (triangulum) *Trinangularis*, inquit *Furlanetto*, pro *triangularis* scriptum videtur apud *Gargil.* ab *A. Mai* editum in *Class. auct. T.* 1. *p.* 404. (3. 1.) Ibi tria amygdala in medio trina angulari lege disponunt. His verbis hæc subnotat cl. *editor*: Quoniam ait *Colum.* 5. *R. R.* 10. 13. et *De arbor.* 22. Ternas nuces in trigonum statuito. Et *Mago* apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (63). Ternas simul serendas triangula ratione, videtur mihi scribendum *trinangulari*, ita ut ait idem quod *triangulari*. — Triangularis est tres angulos habens, triangulus, *triangolare*. *Capell.* 6. *p.* 190. Vel lineares ductus vel circulares flexus vel triangulares abraduntur anfractus. Adde *Boeth.* 2. *Arithm.* 4.

TRĬANGŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (triangulus) qualitas ejus, qui tribus angulis continetur. *Boeth.* in *Arist. categ.* 3. *p.* 181. Triangulum a triangulatione denominatum est, et quadratum a quadratura.

TRĬANGŬLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

TRĬANGŬLUS, a, um, adject. (tres *et* angulus) tres habens angulos, triquetrus, *triangolare*, τρίγωνος. *Quintil.* 1. 10. *a med.* Quadrata amplius spatium complectuntur triangulis: triangula ipsa plus æquis lateribus, quam inæqualibus. *Cels.* 7. 25. *n.* 3. Triangula forma cutis excidenda est, sic ut vertex ejus ad frenum, basis in tergo extremo sit. *Colum.* 5. *R. R.* 2. Esto ager triangulus pedum quoquoversus trecentorum. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 22. (71). Papyrus brachiali radicis crassitudine, triangulis lateribus. *Id.* 3. *ibid.* 8. 14. (86). Sicilia Triquetra (*al.* Trinacria) dicta a triangula specie. *Id.* 15. *ibid.* 23. 25. (94). Triangulæ castaneæ. *Id.* 2. *ibid.* 16. 13. (69). Triangulus solis radius. *Capell.* 6. *sub init.* rapiturque triangulus ignis. *h. e.* qui pyramidis in speciem surgit. — Hinc absolute, substantivorum more

*Triangulum*, n. et *triangulus*, *i*, m. 2. triangula forma, τρίγωνον (It. *triangolo*; Fr. *triangle*; Hisp. *triángulo*; Germ. *das Dreieck*; Angl. *a triangle*). *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. *ad fin.* Grues trianguli formam efficiunt. *et mox.* Basis autem trianguli, quem (*al.* quam) efficiunt grues,

tamquam a puppi, ventis adjuvatur. *Id.* 2. *Divinat.* 42. *a med.* Quum (*sidera errantia*) in eam partem orbis venerint, in qua sit ortus ejus, qui nascitur, aut in eam, quæ conjunctum aliquid habeat; ea triangula ibi et quadrata nominant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 39. (61). Cauliculus duum cubitorum, triangulo similis. *Frontin. Expos. formar.* p. 32., 33., 35. etc. *Goes.* et *Balb. Expos. et rat. mens.* p. 101. 3. *Lachm.* Si triangulus constitutus fuerit. et *mox.* Efficiet triangulum, qui etc.

TRĬĀRĬUS, a, um. *V.* voc. seq.

TRĬĀRĬUS, ii, m. 2. (tres) miles veteranus spectatæ virtutis, qui in tertio aciei loco collocabatur, pilis armatus. Qui sint triarii et unde dicantur, docet hic locus *Varronis* 5. *L. L.* 89. *Müll.* Hastati dicti, qui primi hastis pugnabant: pilani, qui pilis: principes, qui a principio gladiis: et post commutata re militari, minus illustres sumuntur. Pilani, triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. Quod hi subsidebant, ab eo subsidium dictum. A quo Plautus: Agite nunc, subsidite omnes quasi solent triarii. Hæc *Varro.* V. *Niebuhr T.* 2. p. 242. *Liv.* 22. 5. Nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios etc. Ex *eod.* 8. 8. et 10. colligitur, etiam triarios hastis longis pugnasse, mutato scilicet veteri instituto: quemadmodum apud *eumd.* 2. 30. *et* 36. primæ aciei pila tribuuntur V. *Macchiavelli Dec. l.* 2. c. 16. — In sing. num. *Veget.* 2. *Milit.* 8. Triarius prior centum homines gubernabat. — Triarii tertio loco prœlium inibant post profligatos hastatos, qui primo loco et principes, qui secundo loco pugnam capessebant. Hinc proverbium, ut, quum in re aliqua laboratur eoque res adducta est, ut extremo conatu summisque viribus sit enitendum, rem ad triarios rediisse dicamus, ut docet *Liv.* 8. 8., ubi omnem pugnandi apud Romanos ordinem luculenter describit. *Seneca Tranquill.* 4. Quid si militare nobis nisi imperator aut tribunus? etiam si alii primam frontem tenebunt, te sors inter triarios posuerit, inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita. — Hinc

*Triarius, a, um,* adjective, ad triarios pertinens, ut *triarius vicus,* ubi fortasse triariorum statio erat, Romæ in regione XII. *Inscr.* apud *Sueton.* p. 54. et p. 101. n. 31. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

TRĬAS, ădos (ădis), f. 3. τριάς, numerus ternarius, *triade. Capell.* 7. p. 239. Trias vero princeps imparium numerus perfectusque censendus. *Id. ibid.* Triadem idealibus formis aptamus. *Mar. Victorin.* 1. 16. 7. p. 58. 23. *Keil.* Epodos subjectæ triados. Sic *Fortunatian.* p. 295. 15. *ibid.* Epodos, quam triada appellant. — De Trinitate personarum in divinis, apud *Venant. loc. cit.* in TRIADES, ubi alii leg. *triădos* pro *triădes.*

TRĬĀTRUS, uum, f. plur. 4. (tres) tertius dies post Idus. *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 255. 10. *Müll.* Quinquatrus festivus dies dictus, quod post diem quintum Iduum celebraretur, ut triatrus et sexatrus et septimatrus et decimatrus. *Id.* p. 257. 5. *ibid.* Apud Tusculanos triatrus etc. *V.* QUINQUATRUS.

TRĬĀVUNCŬLUS. *V.* TRITAVUNCULUS.

TRĬBACCA (tribaca), æ, f. 1. (tres et bacca) inauris ex tribus baccis seu margaritis contexta, τριγλήνη. *Publil. Syr.* apud *Petron. fragm. Tragur.* 55. *Burmann.* Quo margarita cara tribacca, Indica? Sunt qui aliter leg.

TRĬBAS, ădis, f. 3. τριβάς, Latine fricatrix, fricans, femina turpem libidinem cum pari plerumque exercens: quam *Plaut. Pers.* 2. 2. 45. subigitatricem vocat. *Phædr.* 4. 14.; *Martial.* 1. 91. et 7. 67. et 70. et *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. 132., quamque *Seneca* ita per circuitionem describit *Ep.* 95. n. 21. Dii illas (*feminas*) deæque male perdant: adeo perversum commentæ genus impudicitiæ viros ineunt. Hæc tamen rectius ad *Pædico, as,* revocabis.

TRĬBĪUS. *V.* TRIVIUS.

TRIBLA. *V.* TREBLA.

TRĬBŎLUS. *V.* TRIBULUS.

TRĬBON, ōnis, m. 3. τρίβων, ωνος, pallium tritum aut lacerna, *casacca, mantello logoro:* a τρίβω, tero. *Auson. Epigr.* 53. Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arta supellex Ista fuit Cynici.

TRĬBRĂCHUS, i, m. 2. et

TRĬBRĂCHYS, yos, 3. τρίβραχυς, Latine tribrevis, nomen pedis metrici tres breves syllabas habentis. ut *Helena, dominus, agitur:* a τρεῖς, tres, et βραχύς, brevis. *Quintil.* 9. 4. *circa med.* et *Diomed.* 3. p. 475. *Putsch.* qui *tribrevem* Latine vocat. Adde *Terentian.* v. 2212. et *Serv. De cent. metr.* p. 458. 1. *Keil.* et *Pompej. Comm.* p. 122. 35. et p. 125. 29. *ibid.*, qui *tribrachum* usurpant.

TRĬBRĔVIS. *V.* voc. præced.

TRĬBŪĀRĬUS, a, um, adject. (tribus) ad tribum pertinens. *Cic. Planc.* 19. 47. Itaque hæsitantem te in hoc sodalitiorum tribuario crimine ad communem ambitus causam contulisti. *h. e.* in crimine corrumpendarum tribuum in petitione alicujus honoris. *et* 15. 36. Tribuariæ res.

TRĪBŬLA, æ, f. 1. (tribulum) *Tribla* per syncop. pro *tribula* improbat *Prob. App.* p. 199. *Keil.* — Tribula est idem ac tribulum. *Colum.* 2. *R. R.* 21. *circa med.* Et, si pauca juga sunt, adjicere tribulam et traham possis, quæ res utraque culmos facillime comminuit. *Id.* 1. *ibid.* 6. *ad fin.* Optima est area silice constrata, quod celeriter frumenta deteruntur, non cedente solo pulsibus ungularum tribularumque. Adde 12. *ibid.* 50. *ante med.*

TRĪBŬLANS, antis, particip. *V.* TRIBULO.

TRĪBŬLĀRĬA, ium, n. plur. 3. *V.* TABULARIS.

TRĪBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (tribulo) cura angens et pungens, ægritudo, ærumna, afflictatio, *tribulazione,* θλίψις. Vox est Ecclesiæ scriptoribus familiaris. *Tertull. advers. Jud.* 11., *Augustin.* in *Ps.* 125. n. 2. et alibi sæpe, et *Hieronym. Ep.* 108. n. 18. et alibi.

TRĪBŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* TRIBULO.

TRĬBŪLIS, e, adject. (tribus) qui ex eadem tribu est, φυλέτης, φράτηρ vel φράτωρ.

I.) Proprie. *Ter. Adelph.* 3. 3. 85. Estne hic Hegio tribulis noster? *Cic.* 13. *Fam.* 23. L. Cossinio amico et tribuli tuo valde familiariter utor. *Liv.* 2. 16. Vetus Claudia tribus additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata. *Cic. Planc.* 19. 44. Apud tribules suos gratiosum esse. *et ibid.* 47. Tribules decuriare.

II.) Translate accipitur pro non divite, ut *tribus* pro pauperibus, *h. e.* qui tantum tribum suam citare, non magistratus nec sacerdotia poterant. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 15. Ut cum pileolo soleas conviva tribulis. *Martial.* 9. 50. de *toga trita.* Nunc anus et tremulo vix accipienda tribuli. Adde 58.

TRĪBŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tribulum) Part. *Tribulans* I.; *Tribulatus* I. et II. — Tribulo est tribula aut alio quocumque instrumento comminuo, θλίβω (It. *tritare, sminuzzare, premere;* Fr. *hacher, broyer, presser;* Hisp. *trillar, aprensar;* Germ. *zerreiben, pressen;* Angl. *to beat, press, thresh*).

I.) Proprie. *Gloss. Philox.* Θλίβω, tribulo, presso, premo. *Cato R. R.* 23. Si indideris defrutum aut marmor aut resinam, dies viginti permisceto crebro, tribulato quotidie. Fortasse legendum *rutabulo,* nam *Colum.* 12. *R. R.* 23. docet, easdem res rutabulo ligneo permiscendas. — Alio sensu *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Falciculas brevissimas tribulatas, quibus filicem solemus abscindere. *h. e.* acuminatas in modum tribuli.

II.) Translate est affligere, cruciare, *tribolare.* — *a*) Transitive. *Alcim.* 6. 532. Quousque fremens hostis fallaci tribulat astu. Adde *Sentent.* 1. ad *Cor.* 12. *Vulg. interpr. Ps.* 26. 12. Ne tradideris me in animas tribulantium me. *et* 33. 19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. *et* 105. 42. Et tribulaverunt eos inimici. — Absolute particip. præt. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 11. *ante med.* Philosophia tribulatis remedium consolationis. — *b*) Neutrorum more vel absolute est tribulationem patior, affligor. *Augustin. Serm.* 8. ed. *Mai. de adultera.* Christus mitigat periculum tribulentis. *pro* tribulati. Cf. *Plaut. Capt.* 4. 2. 34. Quadrupedans crucians cauterio. et *Fronton. ad amic.* 1. *Ep.* 18. Membra cruciantia. Utrobique *crucians* pro *cruciatus.* V. CRUCIO.

TRĬBŬLŌSUS, a, um, adject. (tribulus) Sup. *Tribulosissimus.* — Tribulosus est asper, spinosus, tribulis plenus.

I.) Proprie. *Sidon.* 3. *Ep.* 2. *ad fin.* Viarum voragines frigorum siccitate tribulosæ.

II.) Translate. *Sidon. Ep.* ad *Claudian. Mamert. post init.* Propter hamata syllogismorum puncta tribulosum (*opus Claudiani*), vernantis tamen eloquii flore mellitum. *Id.* 1. *Ep.* 8. *ante med.* Tribulosissima dissimulatio. *penosissima.*

TRĪBŬLUM, i, n. 2. (τρίβολον) Etiam *trivolum* apud *Varron.* 5. *L. L.* 21. *Müll.* — Ratione habita etymi, esse a *tero* docet *Varro loc. cit.*, quem secuntur *Serv.* infra *cit.* et *Isid.* 20. *Orig.* 14. 10. — Tribulum est rusticum instrumentum, quo frumenta in area teruntur (It. *trebbia;* Fr. *fléau ou machine à battre le blé;* Hisp. *instrumento para trillar el trigo;* Germ. *die Dreschmaschine;* Angl. *a machine for pressing out the grains of corn*). *Varro* 5. *L. L.* 21. *Müll.* Hinc in messe tritura, quod tum frumentum teritur, et trivolum, quo teritur. *Alii leg.* tribulum. *Id.* 1. *R. R.* 22. Corbes, fiscinæ, tribula, mallei, rastelli. *et* 52. E spicis in aream exeunti grana, quod fit apud alios jumentis junctis ac tribulo. Id fit e tabula lapidibus aut ferro asperata, quæ, imposito auriga aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana; aut ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellum pœnicum. In eo quis sedeat atque agitet, quæ trahant, jumenta. *Th. Reines.* in *Diss. de ling. Pun.* confundit *tribulam* cum *plostello.* Cf. *Schoettg.* in *Ant. trit.* p. 34. *et* 36. et *Rich* ad *h. v. Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. (298). Messis alibi tribulis in area, alibi equarum gressibus exteritur. *Virg.* 1. *G.* 164. Tribulaque trahæque et iniquo pondere rastri. Ubi *Servius:* Genus vehiculi omni parte dentatum, quo teruntur in area fruges: quo maxime in Africa utebantur.

TRĪBŬLUS, i, m. 2. τρίβολος, h. e. tricuspis: a τρι, tres, et βάλλω, jacio: est autem cuspis triangularis, a similitudine enim Græcorum *tribuli* a Latinis dicti sunt stimuli illi ferrei, qui aliter vocantur murices, quos spargere moris erat in bello contra equitatum aut quadrigas falcatas aut oppidanorum eruptionem: nempe a triquetra figura et ob eminentes cuspides.

I.) Proprie. *Veget.* 3. *Milit.* 24. Toto campo Romani tribulos abjecerunt, in quos currentes quadrigæ quum incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est quattuor palis confixum propugnaculum, quod quomodo abjeceris, tribus radiis stat et erecto quarto infestum est. Hæc *Veget. Coripp.* 4. *Johann.* 617. Et tribulos per castra locat furcasque bicornes, Exacuitque sudes et magnas obice cautes.

II.) Translate, a similitudine ¶ 1. Dictum fuit genus spinæ, herba foliis ad portulacæ effigiem accedentibus, tenuioribus viticulis, in terra stratis, spinis secundum folia rigidis et prædurls. Cl. *Fée* synonymiam ita tradit: « Τρίβολος, *Theophr.* IV, 11, τρίβολος χερσαῖος, *Diosc.* IV, 15. — *Tribulus cicerculæ folio* Plin. *loc. cit.*; *Tribulus terrestris,* L., *Spec. plant.,* 554.». Aliis est *Centaurea calcitrapa* vel *sphærocephala.* V. *Bubani Op. cit.* p. 113. et *Du-Molin Flor.* p. 304. et *seqq.* (Cf. *Marcell. Empir.* c. 26. p. 124. *ad fin.*) *Virg.* 1. *G.* 153. Lappæque tribulique interque nitentia culta Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ. *Ovid.* 13. *Met.* 803. Asperior tribulis, feta truculentior ursa. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 54. (91). Aliqua et secundum spinam habent folium, ut tribulus et ononis. ¶ 2. Est et alterum tribuli genus

aquaticum, non nisi in amnibus nascens, coma dumtaxat aquis exstante, folio ulmi effigie. *Id.* 21. *ibid.* 16. 58. (98). Tribulus non nisi in palustribus nascitur: dira res alibi, juxta Nilum et Strymonem amnes excipitur in cibis, inclinatus in vadum, folio ad effigiem ulmi, pediculo longo etc. Cl. *Fée* hanc alterius dat synonymiam: « Τρίβολος, *Theophr.*, IV, 11; τρίβολος ἔνυδρος, Diosc., IV, 15. – *Tribulus palustris,* Plin. *loc. cit.* et 22. 12. *Trapa natans* L., Spec. Plant. 175.». ¶ 3. *Tribulus* apud *Vulg. interpr. Judic.* 8. 7. et 16. censetur a *Cultrera Flor. Bibl.* p. 339. et seqq. *Cratægus oxyacantha* Linn., *biancospino.* ¶ 4. Hinc generatim illud proverbialiter dictum apud *eumd. Matth.* 7. 16. Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus?

TRĬBŪNAL, ālis, n. 3. (tribunus) Etiam *tribunale* in recto et quarto casu. *Quintil.* 1. 6. *ante med.* Inhærent quidam molestissima diligentiæ perversitate, ut *audaciter* potius dicant, quam *audacter,* licet omnes oratores aliud sequantur; et *emicavit,* non *emicuit,* et *conire,* non *coire.* His permittamus et *audivisse* et *scivisse* et *tribunale* et *faciliter* dicere. Legitur etiam apud *Tertull.* 4. *contra Marcion.* 215. et in *vet. Tab. aen.* apud *Murat.* 582. *lin.* 34. V. *Corp. Inscr. Lat.* 1. 206., 34. — Tribunal est locus excelsus arcuatâ figurâ, in quo residebat, qui jus civibus aut peregrinis reddebat: ita proprie dicitur, quia sedes tribuni, hoc est locus sublimior, ubi is jus dicit: sed per synecdochen sumitur pro quovis loco, ubi jus redditur, *tribunale,* δικαστήριον, βῆμα.

I.) Proprie. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Eum de tribunali deturbavit. *Cic.* 1. *Orat.* 3. 168. Nobis in tribunali prætoris sedentibus. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. Nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam. *Quintil.* 11. 3. 134. Dicunt apud tribunalia. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 75. *Inscr.* apud *Orelli* n. 3882. TRIBVNAL IN FORO MARMOREVM FECIT. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 208. — *Pro tribunali* vel *de tribunali* idem est ac in tribunali, quemadmodum *pro rostris* dicimus. *Cic.* 3. *Fam.* 8. Idque pro tribunali quum aliquid ageretur, intelligi potuisse. *Id. Pis.* 5. 11. Pro Aurelio tribunali delectus servorum habebatur. *Id.* 7. *Verr.* 7. 16. Ad se vocari et de tribunali citari jussit. *Liv.* 39. 32. Pro tribunali sedere. Adde *Sueton. Tib.* 33. *Petron. carm. min.* 10. ed. *Wernsd. v.* 4. *p.* 285. Tribunal inclusum. *sc.* cancellis obsessum, munitum, ut putat *Barth. Advers.* 51. 3. et *Epithal.* 23. *p.* 491. *ibid.* Tu fora, tu leges celebras sanctumque tribunal. *Epigr. de ætate* 5. *p.* 416. Triginta (*annorum*) pete litium tribunal. — Hinc figurate *Pervig. Vener.* 49. Jussit Hyblæi tribunal stare Diva (*Venus*) floribus. — *Stare ad* vel *ante tribunal,* adesse tribunali vel pendere ad judicium magistratus jus dicentis. *Vulg. interpr. Act.* 25. 10. et *Rom.* 14. 10. — Apud Romanos fuit suggestus editior, unde conspici magistratus ab omnibus poterat, multorum hominum capax, in quo sella curulis, jurisdictionis insigne, locata erat, ubi sedens prætor cognoscebat et pronuntiabat. Fuisse locum multorum hominum capacem, indicat *Cic. Brut.* 84. 290., dum inquit: Volo hoc oratori contingat, ut quum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal etc. *et* 1. *Orat.* 37. 168. Nobis in tribunali Q. Pompeji prætoris Urbani sedentibus. *et Tac.* 1. *Ann.* 75. Tiberius judiciis assidebat mixtim vel in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret. *Ascon.* in *argum. Milonian.* Populus corpus P. Clodii in curiam intulit cremavitque subselliis et tribunalibus et mensis et codicibus librariorum, quo igne et ipsa quoque curia flagravit et Porcia basilica. — Sellæ curulis meminit *Cic.* 4. *Verr.* 38. 94. Palam, inquit, de sella ac tribunali pronuntiat: si quis etc. Adde *Martial.* 11. 98. et *Tac.* 15. *Ann.* 29. — Forma tribunalis fuit arcuata. *Vitruv.* 5. 1. de basilica Julia, quam ipse architectatus fuerat, *a med.* Item tribunal est in ea æde hemicycli schematis minore curvatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte est intervallum pedum quadraginta sex, introrsus curvatura pedum quindecim: uti eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent. — De tribunali ii tantum magistratus jus dixere, qui sellam curulem habebant, ut consules, prætores, ædiles, præsides in provinciis et proconsules: nam tribuni, quæstores, triumviri et alii in subselliis sedebant, ut scribit *Asconius* in *Divin. Verr.* 15. *Martial.* 11. 98. Sedeas in alto tu licet tribunali Et e curuli jura gentibus reddas. — In castris quoque erat tribunal, ex quo imperator jus dicebat aut milites alloquebatur, quod olim de cæspite exstruebatur. *Tac.* 3. *Hist.* 10. Sensit ludibrium miles disjectisque qui tribunal tuebantur etc. *Id.* 4. *ibid.* 25. Conscendit tribunal Vocula prehensumque militem duci jussit. Cf. *Stat.* 7. *Silv.* 374.

II.) Improprie. ¶ 1. *Tribunal* in theatro erat suggestus editior et ab aliis gradibus separatus, ex quo spectabant prætor et imperator. *Sueton. Aug.* 44. Virginibus Vestalibus locum in theatro separatim et contra prætoris tribunal dedit. Adde *Vitruv.* 5. 7. ¶ 2. *Tribunal* etiam sive suggestus erigebatur in honorem deorum vel virorum illustrium vel ad trophæa excipienda. *Inscr.* apud *Orelli* n. 2062. APOLLINI ET VERINGODAMINO TRIBVNALIA DVA (*sic*) SETVBOGGIVS ESVGGII F. D. S. D. (*h. e.* filius de suo dedit.) Adde *aliam* apud *Gruter.* 1074. 10. et *Diploma* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1848. p. 24. Virorum, qui claruerunt et summo aliquo honore functi sunt, quosque, præter honorem sepulcri, etiam tribunalis seu suggestus exstructione coli post vitam mos fuit, exemplum habes etiam apud *Tac.* 2. *Ann.* 83, ubi de funere Germanici. Quo referri posse videtur *Inscr.* apud *Gruter.* 751. 11. F. AELIVS VENERIANVS HOC VAS DISOMVM SIBI ET FELICITATI SVAE POSVIT ET TRIBVNAL EX PERMISSV PONTIF. PERFECIT. *h. e.* suggestum, in quo vas illud disomum seu sarcophagus bina corpora continens, impositum fuit. *Alia* apud *eumd.* 725. 7. HOS DECVRIONES FVNERE PVBLICO DE FORO E TRIBVNALI EFFERENDOS ET HIC HVMANDOS CENSVERE. ¶ 3. *Plinius* vocat *tribunal* tumulum vel suggestum editiorem instar tribunalis, quod sibi quidam populi Oceanum accolentes exstruebant, contra æstus et effusiones ejus: 16. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Illic misera gens tumulos obtinet altos aut tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi æstus, casis ita impositis. *argini, terrapieni, dighe.*

III.) Translate. ¶ 1. Tropice pro magistratu, qui in tribunali sedet. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 57. Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal. ¶ 2. Significat et eminentiam. *Apul. Florid.* n. 16. *a med.* Quid superest ad honoris mei tribunal et columen, ad laudis meæ cumulum? ¶ 2. *Cassiod.* de cæli sedibus ac beatitate dixit in *Ps.* 123. *præf.* — Sic *tribunalia siderea* legimus in *Act. ss. Saturnin. et socc. mm.*

TRĬBŪNĀLE. *V.* voc. præc. init.

TRĬBŪNĀTUS, us, m. 4. (tribunus) magistratus seu dignitas tribunorum, quæ triplex distingui potest, prout rem civilem spectat vel militarem vel collegium. — *a*) Ad primum quod attinet, animadvertimus, aliud fuisse tribunatum, aliud tribuniciam potestatem. Nam Sulla tribunatum non sustulit, sed tribuniciam potestatem. Rursus Romani imperatores tribunatum non gessere, sed tribuniciam potestatem sumpserunt. Nam quum plebejis fas esset solis tribunatum gerere, religio imperatoribus fuit tribunatum sibi vindicare, quum patricii essent: quum vero tribuni pleb. sacrosancti essent, imperatores sibi potestatem tribuniciam usurpavere, ut et ipsi sacrosancti essent et inviolabiles. Tribunicia vero potestas Augustis jus dabat summum intra pomœrium. *V.* adnot. ad PROCONSULARIS. Porro hæc renovabatur die ab assumpto imperio anniversaria idque ab Augusto ad Antoninum Pium; deinde initio mensis Januarii. V. *Borghesi Dipl. di Decio p.* 17. *Cic. Amic.* 12. 41. De C. Gracchi autem tribunatu quid exspectem, non libet augurari. *Id.* 1. *Orat.* 7. 25. Tribunatum plebis petere. *Id.* 11. *Att.* 9. Inire tribunatum. Adde 1. *Rep.* 19. 31. — In plur. num., apud *Tac. Dial. de orat.* 7. — *b*) De tribunatu militari. *Sall. Jug.* 63. Tribunatum militarem a populo petit. Adde 5. *a med.* *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. *ante med.* M. Curtio tribunatum a Cæsare petivi. *Id.* 7. *Fam.* 8. Sum admiratus, cur tribunatus commoda, dempto præsertim labore militiæ, contempseris. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. *Tac. Agric.* 5. Ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit. *sc.* titulum tribunatus, non tribunatum, quia quum nobiles adulescentes a tribunatu militiam auspicantes rei militaris ignari essent (cf. *Cæs.* 1. *B. G.* 39.), tribunatus plerumque inanis honor erat. — *c*) De tribunatu collegii. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 4038. COLLEGIO MAGNO LARVM ET IMAGINVM DOMINI NOSTRI CAESARIS OB HONOREM TRIBVNATVS.

TRĬBŪNĬCĬUS *et* tribunitius, a, um, adject. (tribunus) ad tribunos pertinens. — *a*) De tribunatu civili. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Tribunicia intercessio. *Sall. orat. Licin. trib. pleb. ante med.* Vis tribunicia, telum a majoribus libertati paratum. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. *sub fin.* Tribunicii candidati compromiserunt. *Id.* 2. *Orat.* 28. *a med.* Quum tribunicia potestas est constituta. *Id.* 2. *leg. Agr.* 8. *a med.* Tribuniciæ leges. *h. e.* a tribunis pleb. latæ. *Id.* 1. *Att.* 1. comitia. *h. e.* quibus tribuni pleb. creantur. *Id.* 3. *Legg.* 9. *a med.* Mucronem tribunicium exacuere in aliquem. *Id. post redit. in senat.* 5. 11. Subsidia reipublicæ contra tribunicios furores. *Liv.* 2. 1. Si plebs agitari cœpta esset tribuniciis procellis. *Cic.* 2. *Fam.* 18. *a med.* Incidere in terrores tribunicios. *Id. Cluent.* 39. 109. Noratis animos ejus ac spiritus tribunicios. *Auct. B. Alex.* 65. Tribuniciæ contentiones. *Sall. Jug.* 41. seditiones. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (119). contiones. *Id. ibid. præf. sub init.* Triumphalis et censorius tu sexiesque consul et tribuniciæ potestatis particeps. *Lucan.* 2. 125. Sæva tribunicio maduerunt robora tabo. — *Tribuniciam legem* vocat *Cic.* 1. *Verr.* 16. 46. eam, quam tulit Pompejus M. de tribunis reficiendis potestate pristina, de qua *V.* ONOM., ubi de *tribuniciis legibus* Aurelia, Cornelia etc. sermo est. — De tribunicia potestate imperatorum *V.* in voc. præced. Hæc autem ab imperatoribus assumebatur simul cum imperio, cujus anni proinde ab ea numerabantur, ut in *Inscr.* apud *Orelli* n. 729. Hinc qui ea donabatur, statim imperii particeps erat, etsi aliquando *Cæsaris* nomine et dignitate præditus. *Vellej.* 2. 99. 1. et *Inscr.* in *Bullett. dell' Ist. archeol. a.* 1852. p. 17., de qua *V.* quid disputet cl. *De-Rossi,* coll. *Mommsen* apud *Henzen* in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1869. *p.* 253. et *seqq.* — *b*) De tribunatu militari. *Cæs.* 1. *B. C.* 77. *extr.* Centuriones in ampliores ordines, equites R. in tribunicium restituit honorem. — *c*) De tribunatu collegii, *V.* infra. — Hinc

*Tribunicius,* ii, m. 2. absolute, *subaud.* vir, dicitur qui tribunus fuit, ut *ædilicius,* qui ædilis, *quæstorius,* qui quæstor etc. *Cic.* 13. *Phil.* 14. *sub fin.* Clarissimi viri, ædilicii, tribunicii, quæstorii. Adde *Liv.* 3. 35. — Sub Augustis *inter tribunicios relati* seu *allecti* dicuntur, qui ex eorumdem privilegio tribunicia dignitate donabantur, licet reapse tribuni pleb. numquam fuissent, ut nempe præturæ capessendæ idonei fierent. *Inscr.* mutila et mendosa apud *Maff. Mus. Ver.* 377. 3., quæ tamen ita nunc legitur Vicetiæ. MARCO SALONIO A TI. CLAVDIO CAESARE AVGVSTO GERMANICO CENSORE ADLECTO IN SENATVM ET INTER TRIBVNICIOS RELATO AB EODEM ADSCITO IN NVMERVM SALIORVM etc. *Alia* Patavina apud *Gruter.* 440. 4. T. MVSTIO C. F. HOSTILIO FABRICIO MEDVLLAE AVGVRINO ALLECTO INTER TRIBVNICIOS AB IMP. NERVA CAESARE AVGVST. PRAET. etc. — *Tribunicius collegii magni* in *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1875. *p.* 5.

TRĬBŪNĬTĬUS. *V.* voc. præced.

TRĬBŪNUS. i, m. 2. (tribus) *Tribunos* pro *tribunus* in Inscr. in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 63.

et 84. — *Tribunûm* syncop. pro *tribunorum* apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 7. (31). — Tribunus (It. *tribuno; Fr. tribun, chef;* Hisp. *tribuno;* Germ. *Tribusvorsteher, Tribun;* Angl. *a tribune*)

*A)* Apud Romanos est magistratus, qui primo tribubus præfuit: ut curio, qui curiis. Romulus populum in tres partes divisit, quæ *tribus* dictæ: singulis suos attribuit duces, qui tribuni appellati, ut *Ascon.* in 3. *Verr.* 5. docet (*V.* TRIBUS).

I.) Proprie. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *ante med.* Dicti tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, et ex singulis singuli creabantur: vel quia tribuum suffragio creabantur. Huc alludit *Auson. Griph.* 79. *De num. III.* Hoc numero tribus et = tribuni. Cf. tamen *Mommsen St. Rom. l.* 1. c. 5.

II.) Improprie et a similitudine *tribunus Celerum*, Italice *capitano del corpo di guardia*, magistratus quidam in monarchia, qui præerat trecentis illis Celeribus equitibus, qui regis corpus custodiebant, et rem militarem cum regibus curabat. Fuit antiquissimus omnium magistratuum; nam ab ipso Romulo institutus est. Cf. de hoc *Mommsen op.* supra *cit. ibid. Pompon. Dig.* 1. 2. 2. Iisdem temporibus et tribunum Celerum fuisse constat. Is autem equitibus præerat et veluti secundum locum a regibus obtinebat: quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit regis ejiciendi. — Diversus erat a ceteris tribunis; nam ceteri, qui tres erant, tribubus præerant, unus Ramnensibus, alter Tatiensibus, tertius Luceribus; sed hic tribus centuriis equitum, qui Celeres vocabantur, imperabat. Dictus est autem a similitudine aliorum tribunorum. Ut enim duces tribuum dicti tribuni, quod præerant tribubus, quæ tres erant; ita tribunus Celerum ita appellatus, quod tribus equitum centuriis præerat. Hoc nomen retentum est usque ad institutionem consulum; nam postea magistratus iste pro tribuno dictus est magister equitum et postremo præfectus prætorio. *Pompon. loc. cit.* — Tribunos Celerum etiam post exactos reges diutius perdurasse, testatur *Kalend. Prænest.* ad d. XIV. Kal. April. de *Saliis.* V. *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 389.

III.) Translate *tribuni* nomine veniunt alia magistratuum seu præfectorum genera in re militari vel civili, de quibus protinus ordine suo; sc.

*Tribuni ærarii* (quos tribunos æris *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 7. [31] appellat) erant, qui acceptam pecuniam publicam a quæstoribus urbanis in stipendium exercitus, ad quæstores provinciarum deferebant, militibus erogandam, ut est apud *Ascon.* in 3. *Verr.* 13. *Tribuni, a tribuendo* dicti, uti *Fest.* docet in *Ærarii* p. 2. 6. *Müll.:* sed ab re *Varro* 5. *L. L.* 181. *Müll.* Quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent, tribuni ærarii dicti: id, quod attributum erat, *æs militare. Cato* apud *Gell.* 7. 10. Æs militare, quod a tribuno ærario miles accipere debebat. — Non erant magistratus, sed ordo: et aliquando una cum senatorio et equestri ordine judicia exercuerunt, ut patet ex *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. *ad fin.*, qui eorum meminit, et 4. *Cat.* 7. *a med.* V. AURELIUS, a, um in ONOM. Sed judicia eis ademit Augustus, ut in ejus vita *Sueton.* 41. narrat.

*Tribuni militares* erant duces legionum, Italice *colonnelli*, qui peditibus legionum, non item equitibus, præerant. Dicti sunt tribuni, auctore *Varrone* 5. *L. L.* 81. *Müll.*, quod ab initio terni essent, tum, quum legio ex tribus millibus conficiebatur ex ternis, quæ tum erant, tribubus, Ramnium, Tatiensium et Lucerum sumpti. *Cic. Cluent.* 36. 99. Qui M. Æmilio legati et præfecti et tribuni militares fuerunt. Adde *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 6. (111). — Initio tres fuerunt, qui singuli mille peditibus præerant. Postea ut numerus peditum in legione auctus est, sic etiam tribunorum militarium: ita ut a tribus ad quattuor atque ab his ad sex pervenerint. Progressu temporis duodecim legi cœperunt, terni in singulas legiones, quæ quattuor erant. Deinde quaterni in singulas legiones creati sunt, ut essent sexdecim. Interjectis inde temporibus, quum legio ex quinque millibus conscribi jam esset cœpta, et postremo quum ex sex millibus, tribuni militum ad quattuor legiones viginti quattuor, in singulas seni, lecti sunt. — Ut eorum numerus, sic electio varia fuit. Modo enim ab imperatore, modo populi suffragio creati sunt: quæ varietas usque ad extrema reipubl. tempora perduravit. — Hi modo *Trib. S. C.*, scil. Senatus consulto, modo *A. P.*, scil. a populo, dicebantur. *Inscr.* apud *Gruter.* 1068. 2. CLODIVS MARCELLINVS S. C. TRIB. MIL. LEG. II. A. P. F. ANT. *h. e.* senatus consulto tribunus militum legionis secundæ Adjutricis Piæ Fidelis Antoninianæ. *Alia* apud *Marat.* 482. 2. T. POMPVLLIVS L. F. LAPPA TRIB. MILIA (*corrige* MIL. A) POPVLO. *Orellius* porro in *Coll. inscr. Lat. sel. n.* 3439. probat, hujusmodi tribunos a populo, honorarios tantummodo etiam sub Augustis perdurasse: quod itidem confirmat *Morcellus De stil. inscr. Lat. T.* 1. *p.* 90. et *Bullett. dell' Instit. archeol. T.* XI. *p.* 66. Ita cl. *Furlanetto* in *App.* — Officium eorum erat in castris milites continere et ad exercitationem producere, vigilias circuire, rei frumentariæ præesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere, denique et dare et observare castrensia omnia. — Dividebantur in *Rufulos* sive *Rutulos* et *Comitiatos*. V. RUFULUS et COMITIATUS. — Huc pertinet *tribunus militans in præfecto dono principis*, h. e. dum præfectus esset (puta cohortis alicujus), beneficio principis tribunus est factus. *Inscr.* apud *Henzen n.* 5663. et in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 759. — Porro de tribunis bis legionariis (per quod munus splendidissima nati senatorium gradum auspicabantur, ut tradit *Seneca Ep.* 47. coll. *Plin.* 6. *Ep.* 31. et *Dion.* 67. 11., ætate ann. XXVII., ut plurimum), qui et *laticlavii* dicti (V. *Willm. Syll. n.* 1894), duce *Mommsenio*, optime disseruit *Henzen* in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1873. *p.* 133. et *seqq.* V. *Stat.* 5. *Silv.* 95. Erant et *angusticlavii*, de quibus *Sueton. Oth.* 10. V. *Turneb. lib.* 1. *advers.* et *Lips.* 2. *de milit. dial.* 9. — Erant etiam *tribuni* auxiliariorum, nempe cohortium, ut plurimi lapides testantur. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 386. Cf. præterea *Vulg. interpr. Joh.* 18. 12. — De his V. *Henzen* in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1858. *p.* 17.-27.

*Tribuni militum consulari potestate*, magistratus Romæ, qui consulare imperium obtinebant et consulum loco rempublicam administrabant. Eorum hæc origo narratur. Crebris seditionibus plebis, quibus consules de suo quoque corpore creari petebat, externis etiam bellis ingruentibus plebeque ipsa delectum pati negante, coacti tandem patres sunt, ut aut civibus aut hostibus de victoria concederent. Ab eorum sententiis, qui tribunos plebis cæde violandos putabant, primores patrum abhorrebant. Per hæc consilia eo res deducta est, ut sex tribuni militum, tres ex patribus et tres ex plebe consulari potestate præditi crearentur, de consulibus nihil immutaretur. Igitur anno U. C. CCCX. tres tribuni militares creati sunt, qui consularem potestatem haberent, et quidem ex patribus, consentiente plebe. Progressu temporis modo tres, modo quattuor, modo sex, modo plures, aliquando ex solis patribus, aliquando ex patribus et plebe fuerunt. *Liv.* 4. c. 6. 7. *etc.* Cf. *eumd.* 5. 2. Quidnam illi (*tribuni militum*) consules dictatoresque facturi essent, qui proconsularem imaginem tam sævam fecerint. *Varro* apud *Gell.* 14. 7. Tribunos, qui pro consulibus fuissent. *Liv.* 5. 1. affirmat ann. U. C. CCCLI. octo tribunos mil. cons. pot., quot numquam antea, creatos fuisse; sed *B. Borghesius* in *N. Framm. de Fast. cons. T.* 2. *p.* 37. historicum Patavinum erroris arguit probatque, duos postremos ab *eod. loc. cit.* memoratos, nempe Furium Camillum et M. Postumium Albinum, non tribunos mil. sed censores eo anno fuisse. Sed cum *Livio* consentit *Claudius Aug.* in oratione in senatu habita de Lugdunensibus apud *Gruter.* 502. *lin.* 34. Tribunosque militum consulari imperio appellatos, qui seni et sæpe octoni crearentur. *Pompon.* vero *Dig.* 1. 2. 2. § 15. Deinde quum post aliquot annos, quam duodecim tabulæ latæ sunt, et plebs contenderet cum patribus et vellet ex suo quoque corpore consules creari, et patres recusarent, factum est, ut tribuni militum crearentur partim ex plebe, partim ex patribus, consulari potestate. Hique constituti sunt vario numero; interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnumquam pauciores. At hic *Pomponius* falli videtur, quia tribuni militum consulari potestate numquam plures quam octo numerantur apud scriptores veteres et in antiquis monumentis. Ita cl. *Furlanetto* in *App.*

*Tribuni plebis* (a *Liv.* 2. 33. et 34. 36. etiam *plebeji* dicti, ut quidam legunt, at repugnantibus MSS. criticisque viris apud *Drakenb.* ad utrumque loc.), δήμαρχοι, magistratus Romæ, ex genere minorum et ordinariorum, non dissimilis iis, qui apud Lacedæmonios Ephori dicebantur, ut ait *Cic.* 3. *Legg.* 7. cujus officium erat injuriam omnem intercessione sua prohibere et commoda plebis adversus patres tueri. — Hic magistratus hanc habuit originem. Plebs ob feneratorum avaritiam ære alieno oppressa sæpe postulavit a patribus, ut contractuum obligationibus liberaretur, et sæpenumero decepta, tandem ann. U. C. CCLXI. conspiravit, ne amplius patricios in bello neque ulla alia in re adjuvaret: itaque secessit in montem sacrum neque reduci inde potuit, priusquam ea obtineret, quæ jamdiu concupierat: inter quæ illud præcipuum fuit, ut magistratus quotannis crearetur, qui plebis jura defenderet, ceteris magistratibus intercederet et ne ipsi quidem supremo consulari imperio parere teneretur. Qui in eum magistratum lecti sunt, *tribuni plebis* appellati. *Liv.* 2. a c. 32. — Probabile, est antiquiore ætate tribunos creatos esse in comitiis centuriatis et curiarum suffragiis constructos. Ita *Crahner* in *Antiq. Rom.* § 57., repugnante *Beckero: cf. Mercklin,* ubi de cooptatione agit *p.* 198. Postea ex lege Publilia tribuni in comitiis tributis creari cœpti sunt. *Liv.* 2. 56. et *seqq.* — Primum, ut ait *Furlanetto* in *App.*, creati sunt tribuni quinque. *Liv. ibid.* 33., quamquam *Cic.* 2. *Rep.* 34. (edente *A. Mai*) duos tantum creatos affirmat, quem recentiores critici secuntur; mox per cooptationem quinque; dein ann. U. C. CCXCVII. decem, ut *Liv.* 3. 30., qui numerus in perpetuum idem mansit, ut constat ex *Cic. Vatin.* 7. Attamen *Val. Max.* 6. 3. *n.* 2. refert, ann. U. C. P. Mucium tr. pl. novem collegas suos vivos cremandos populo persuasisse. At dicendum est, *Val. Max.* numerum, qui suo tempore vigebat, antiquissimis etiam temporibus, ut sæpe alias, tribuisse. V. *Niebuhr T.* 2. *p.* 433. et *Ascon.* in *Cornel. p.* 76. ed. *Orelli.* — Præcipua tribunorum potestas fuit in intercessionibus. Intercedere autem nihil aliud erat, nisi prohibere, ne vis a ceteris magistratibus plebi fieret, vel ne aliqua lex ferretur plebi invisa. Qui negant, eos magistratum fuisse, facile arguuntur multis *Livii* locis 2. 33. et 56., 4. 2., 23. 23., *Sallustii Jug.* 41., *Varronis* apud *Gell.* 13. 12., *Ciceronis* 1. *Orat.* 7. et *Pompon. Dig.* 2. 2. 2., qui omnes tribunatum pleb. *magistratum* vocant. — Inibant magistratum mense Decemb. (V. *Orelli Inscr. Lat. v.* 2. *p.* 410.), fuitque eorum tanta auctoritas, ut quicquid senatus decrevisset, ita demum ratum haberetur, si tribuni approbassent. Stabant ergo positis subselliis in vestibulo curiæ, ubi habebatur senatus, quia templum ingredi non licebat, et quæcumque senatores decrevissent, tribunis animadvertenda perferebantur, ut si pro republica fore viderentur, approbarent, cetera ad arbitrium rejicerent. Si senatusconsultum approbarent, T litteram in tergo subscribebant, qua nota significabatur, ita tribunos quoque censuisse. *Val. Max.* 2. 2. *n.* 7. — Illud etiam observatum est inter tribunos, ut, si ceteri omnes unam rem probassent, unus vero prohibuisset, plus ceteri omnibus polleret eosque impedire posset. *Liv.* 2. 4. — Ne vero umquam eorum potestas minui aut violari a quoquam posset, statutum est, ut sacrosancti haberentur, ita ut qui iis in-

juriam intulisset, sacer esset. *V.* SACROSANCTUS. — Nihilominus hanc potestatem L. Sulla dictator debilitavit, iratus plebi, quod contra se pro C. Mario bello civili stetisset. Tulit enim, ne tribunis pleb. legum ferendarum jus esset, neve iis, qui tribuni pleb. fuissent, alios postea magistratus capere liceret, ut scriptum est in *Appiani* historia. Tribunorum tamen jura post restituta sunt partim a Cotta, partim a Pompejo et Crasso Coss. *Ascon.* in *Divin. Verr.* 3. et *procem. Act. in Verr.* 15. et *Epit. Liv.* 97. — Tribuni ann. U. C. DCXXIII. in Senatum admissi sunt. V. *Le Clerc Des Journ. chez les Rom.* p. 208. et 226. — De legibus *Atinia, Papiria* etc. contra tribunos latis, *V.* ONOM. — Ætas capessendi tribunatus ex lege Villia annali a. U. C. DLXXIII. fuit annorum XXXV. (V. *Borghesi, Decad. num.* 5. *Oss.* 8.), quæ ab Augusto a. U. C. DCCXXVII. redacta est ad ann. XXVII. vel XXVIII., teste *Dione* 52. 20., qui tradit eamdem ætatem statutam fuisse etiam pro ædilitate. Quod autem ex hoc *Dionis* loco arguit *Borghesi* apud *Cavedoni* in *Ripostigli* p. 189., se nullum reperisse huc usque, qui ædilitatem et tribunatum gesserit, sed tantum unum vel alterum horum munerum, nimis confidenter esse dictum demonstravit *Mancini* in *Giorn. degli Scav. d. Pomp. a.* 1872. p. 311., exemplo *Inscr.* apud *Henzen n.* 6450. Putat vero idem *Borghesi* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1852. p. 56., hos tribunos desiisse post tempora Gordiani Pii. Ita cl. *De-Vit.* — *Tribunatus* pleb. symbola sunt subsellium et virga viatoria, ut videre est in nummo G. Caniniæ apud *Morell. Numism. fam. R. n.* 2., de quo consulendus *B. Borghesi Dec. numism.* 13. n. 9. V. SUBSELLIUM. — Tribunis plebis nullum integrum diem abesse Roma licebat. *Gell.* 3. 2. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. — Tempore monarchiæ imperatores tribuniciam potestatem sibi sumpserunt. *V.* TRIBUNATUS. *Sueton. Aug.* 27. Tribuniciam potestatem perpetuam recepit. *Tac.* 3. *Ann.* 56. Tribuni autem remanserunt cum eadem intercedendi auctoritate, *V.* etiam *Tac.* 4. *Hist.* 9. et *Plin.* 1. *Ep.* 23. et 9. *Ep.* 13. *a med.* — Eorum mentionem fieri, ut et tribuniciæ potestatis Augustorum, etiam ann. a Chr. n. DXVI., imperante Anastasio I., ostendit *Zirardinius* in *Leg. Novell.* p. 394. et *seqq.* Perperam igitur *Eckhel D. N. V. T.* 8. p. 449. putat, tribuniciam Augustorum potestatem desiisse, imperatore Gratiano, qui ab ann. CCCLXVII. ad CCCLXXXIII. imperavit. — Tribuni plebis habebantur etiam in municipiis et coloniis. *Inscr. Teani* apud *Henzen n.* 5985. Cf. *eumd.* in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1859. p. 247. — De tribunis plebis videsis etiam *Pighi Annal. Magistr.* ed. *Antuerp., Götting Röm. Staatsverf.* et *Creutzer Abriss d. Röm. Antiqq.*

Imperatoria præsertim ætate procedente, alii erant tribuni inferioris ordinis: ac.

*Tribunus aquarum,* addictus, ut videtur, officio curatoris aquarum Romæ in municipio Tiburtino. *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1849. p. 40. V. *Henzen.*

*Tribunus armaturarum,* armaturis præfectus. *Ammian.* 14. 11. 21., 15. 5. 6. et 27. 2. 6. *V.* ARMATURA.

*Tribunus fabricarum,* apud *eumd.* 14. 7. 18. Quum quæstor tribunos fabricarum insimulasset promittentes etc. Adde *ibid.* 9. 4. Cf. *eumd.* 15. 5. 9. Tribunus fabricæ Cremonensis.

*Tribunus fori suarii* in *Notit. dignit. Imp. Occid.* p. 16. Cf. etiam *Böcking* ad *Notit. Imp. Or.* p. 181. ex *Cod.* 11. 16. 2.

*Tribunus maritimorum,* rei maritimæ addictus, apud *Cassiod.* 12. *Variar.* 24.

*Tribunus rerum nitentium* in *Notit. dignit. Imp. Occid.* p. 16., qui antea *centurio* appellabatur, addictus veteribus monumentis curandis, ne quis signa aliaque hujusmodi in urbe frequentissime læderet. *V.* CENTURIO.

*Tribunus notariorum,* sequioris Latinitatis tempore, qui primicerio notariorum dignitate inferior, etiam *secundicerius notariorum* dicebatur, in *Cod. Theod.* 6. 10. 2. et in *Inscr.* apud *Gruter.* 391. et 464. 8. tribunus ac notarius vocatur. Videntur tamen, inquit cl. *De-Vit,* distinguendi qui *tribuni* ac *notarii* simul dicuntur, a *tribunis notariorum* proprie dictis, qui *Principis notarii* erant et quorum dignitas summa, ut patet ex *Augustin. Ep.* 159. et 160., *Ambros. Ep.* 32. et *Cassiod.* 1. *Variar.* 4. et 6. *ibid.* 2.

*Tribunus ordinis primi,* apud *Lactant. De mort. persecut.* 18.

*Tribunus protectorum,* apud *Ammian.* 18. 3. 5.

*Tribunus scutariorum,* apud *Ammian.* 14. 11. 11., 16. 11. 6. et 19. 11. 16.

*Tribunus stabuli,* apud *Ammian.* 14. 10. 8., 20. 4. 4. et alibi.

*Tribunus turmæ,* apud *Ammian.* 16. 12. 39. videtur esse qui turmæ præerat, decurio.

*Tribunus vacans,* qui honorem tribuni et annonas ac salaria accipit, sed nullum habet certum numerum, quem regat. *Ammian.* 15. 3. 10. Cf. etiam 16. 17. *in fin.*, 18. 2. 2. et 34. 13. 18.

*Tribunus vexillationum,* apud *Ammian.* 25. 1. 19.

*Tribunus voluptatum,* voluptatis urbicæ seu ludorum curam gerens. *Cod. Theod.* 15. 7. 13. Cf. *Firmic.* 3. *Math.* 7. et *Cassiod.* 5. *Variar.* 25. et alibi.

*Tribunus,* collegiis, ut videtur, administrandis addictus. *Inscr.* apud *Orelli n.* 3140. P. MARTIO QVIRINO PHILIPPO — TRIBVNO NAVALIVM PORTENSium. Adde *aliam ibid. n.* 2863.; ex qua videtur *tribunus* fuisse in servorum collegio, qui varias artes exercuerint suosque sibi præfectos habuerint. Cf. *Gori Etr.* 1. p. 361. et *Gruter. Inscr.* 1156. 1.

*Tribunus,* absolute, dictus erat etiam, qui ad officium annonarium pertinebat et præfecto Urbis subditus erat. *Inscr.* apud *Gruter.* 647. 6. COMMODIS OMNIBVS ET PRAEDA DAMNATA QVAM TRIBVNVS OFFICIVM CANCELLARIVS ET SCRIBA DE PECVARIIS CAPERE CONSVEVERANT. Adde *aliam* apud *eumd. ibid.* 7.

Alia videsis apud *Orell. Inscr. Lat.* passim.

*B*) Extra rem Romanam, *tribunus* reperitur etiam apud exteras gentes. Hebræos *tribuni* erant principes mille familiarum, videlicet magistratus ad levamen Moysi ita instituti, ut quisque sub se decem haberet centuriones, centurio duos quinquagenarios, quinquagenarius quinque decanos. *Vulg. interpr. Exod.* 18. 21. Et constituit ex eis tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos. Græce est χιλίαρχος, h. e. qui mille militibus præest. Adde *ibid.* 25. et *alibi* passim. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

TRIBŬO, tribŭis, tribŭi, tribūtum, tribŭere, a. 3. (tribus) Part. *Tribuens* I. 1.; *Tributus* I. 1. et II. 1., 4. et 5. et in fin.; *Tributurus* I. 1; *Tribuendus* I. 1. et II. 1. et 4. — Tribuo est do, præsto, impertior, δίδωμι, ἀπονέμω (It. *dare, assegnare, attribuire;* Fr. *donner, assigner, accorder;* Hisp. *dar, asignar, otorgar, acordar;* Germ. *geben, zutheilen, schenken;* Angl. *to give, assign, impart, attribute*): a *tribus,* quia proprie olim dicebatur de iis, quæ a tribubus in publicum conferebantur; quam quam latius deinde usurpari cœpit.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Acc. fragm.* 98. *Ribb.* Tribuit cuique fortuna ordinem. *Lucret.* 1. 799. demptis paucis paucisque tributis. *Sall. orat. Philippi contra Lepid.* et *Cæs.* 3. *B. C.* 4. Cujus sceleribus tanta præmia tribuistis. Sic 2. *ibid.* 21. Tributa præmia. *Cic. pro leg. Manil.* 17. 52. Tribuenda uni omnia. *Id.* 1. *Off.* 15. 47. Ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur. et 5. 14. In hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique. *Ovid.* 2. *Met.* 45. Tribuere munus. *Id.* 9. *ibid.* 401. quum jurare pararet, Dona tributurum postbac se talia nulli. *Nepos Att.* 11. *sub fin.* Tribuere alicui beneficia. *Tac.* 1. *Ann.* 75. Pretium ædium Aurelio tribuit. *Phædr.* 1. 5. Ego primam (*partem prædæ*) tollo, nominor quia leo: Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi. — Absolute. *Martial.* 11. 5. Aurum Fabricius, te tribuente, volet. *h. e.* donante. ¶ 2. Speciatim est distribuere, *distribuire.* *Tac.* 4. *Ann.* 64. Ni Cæsar obviam isset, tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Adde *Curt.* 5. 1. 45.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Tribuere tantum dignitatis civitati Æduæ. *Id.* 7. *ibid.* 20. sibi magis honorem. *Id.* 1. *B. C.* 35. paribus beneficiis parem quoque voluntatem. *Id.* 3. *ibid.* . Jurat, se eum non deserturum eumdemque .asum subiturum, quemcumque ei fortuna tribuisset. *Cic.* 2. *Orat.* 11. 44. Cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto. *Id. Mil.* 34. 92. Tribuere misericordiam fortissimo viro. *aver compassione.* et *Cæl.* 12. 29. silentium orationi alicujus. *prestare silenzio, dare udienza.* et 4. *Fin.* 5. *extr.* magnam inventoribus gratiam. *saper grado, professarsi obbligato.* et *Cic.* 2. *Divinat.* 71. 147. Nihil prorsus somniis tribuendum est. *Ovid. Heroid.* 16. 1. Hanc tibi Priamides mitto, Ledæa, salutem, Quæ tribui sola te mihi dante potest. *Id.* 14. *Met.* 620. Aventinus quo regnarat, eodem Monte jacet positus tribuitque vocabula monti. *Id.* 3. *Trist.* 1. 44. Tribuere pacem terris. *Propert.* 3. 24. 3. alicui laudes. *Tac.* 12. *Ann.* 40. alicui veniam. *Lucan.* 4. 358. vitam cuipiam. *Callistrat. Dig.* 27. 1. 17. Tributa immunitas. — *Cic.* 1. *Invent.* 5. 7. Demonstrativum (*genus*) est, quod tribuitur in alicujus certæ personæ laudem aut vituperationem. ¶ 2. Specialim est permittere, concedere, condonare. *Cæs.* 6. *B. G.* 1. Quod quum reipublicæ et amicitiæ tribuisset. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. *ad fin.* Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid. cras agamus hæc. *Id.* 1. *Off.* 30. 106. Sin sit quisquam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse ejus fruendæ modum. *Id. Senect.* 18. 63. Tribuere tantum ætati. *Ovid.* 1. *Art. am.* 689. nisi hoc matris precibus tribuisset Achilles. ¶ 3. Similiter imputare, assignare. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *a med.* Quod illi tribuebatur ignaviæ: de nobis id existimari posse, non arbitror. *Nepos Timol.* 4. Neque hoc illi quisquam tribuebat superbiæ. *ascriveva;* putabat, illum hoc facere superbe. *Id. Att.* 6. *extr.* Ejus observantia omnibus erat carior, quum eam officio, non timori neque spei, tribui viderent. *h. e.* eam adhiberi officii causa, non propter timorem aliquem aut spem. *Id. Datam.* 5. Eam esse consuetudinem regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ. *Id. Alcib.* 7. Ut omnia minus prospere gesta ejus culpæ tribuerent. ¶ 4. Et deferre, æstimare. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. *ad fin.* Magnopere tribuere virtuti alicujus. *Cic.* 13. *Fam.* 9. Universo ordini publicanorum semper libentissime tribui: idque magnis ejus ordinis erga me meritis facere debui. *Tac.* 14. *Ann.* 14. *ad fin.* Quos ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto. *Colum.* 2. *R. R.* 17. Prato veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt. *diedero il primo luogo.* et *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. *a med.* Tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi. *ti cedo.* et 4. *Fam.* 1. *in fin.* Ego tantum tibi tribuo, quantum mihi fortasse arrogo. et 13. *ibid.* 22. Gratissimum mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum. *Id. Brut.* 51. 190. Mihi, benevolentia, credo, ductus, tribuebat omnia. *Tac.* 6. *Ann.* 50. Tribuere aliquid honori amici abeuntis. ¶ 5. Item dividere, partiri, distribuere, *dividere, distribuire.* *Cic. Brut.* 41. *a med.* et *Orat.* 4. 16. Rem universam tribuere in partes. Sic 2. *Fin.* 6. 17. Omnem vim loquendi in duas tributam esse partes. — Hinc *tributio* distributio, *tributus* divisus. ¶ 6. Item de tempore est impendere. *Cæs.* 3. *B. C.* 2. His rebus et feriis Latinis comitiisque perficiendis undecim dies tribuit. *Nepos Att.* 4. Reliqua tempora tribuere litteris. Adde *Hannib.* 13. ¶ 7. *Tribuere alicui quippiam,* affirmare de aliquo, quod quippiam in eo sit. *Lucret.* 5. 1171. His igitur sensum tribuebant, propterea quod Membra movere videbantur. — Hinc

*Tributum* n. et *tributus, i,* m. 2. absolute, sub-

stantivorum more, id, quod tribuitur, speciatim pecunia, quæ a privatis reipublicæ penditur, *imposizione, tributo, εἰσφορά, τέλος*. Triplex fuit apud Romanos, secundum capita, secundum censum et extra ordinem seu temerarium. *Festus p.* 364. 9. *Müll.* Tributorum collatio quum sit alia in capita, alia ex censu; dicitur etiam quoddam temerarium, ut post urbem a Gallis captam conlatum est, quia proximis quindecim annis census alius non erat. Item bello Punico secundo, M. Valerio Lævino, M. Claudio Marcello coss., quum et senatus et populus, quod habuit, detulit. Hæc *Festus*. Dicebatur *tributum in capita*, quod a singulis pendebatur, *capitazione*. Id solvebant patres matresque familias pro numero liberorum. *Tributum ex censu* imperabatur singulis familiis pro ratione fortunarum. *Temerarium* dictum, quod extra ordinem, in magno reipublicæ discrimine et temere, *h. e.* non habita ordinis, tribuum aut census ratione, conferebatur. Exempla apud *Liv.* 5. 25. et 26. 36. invenies.

**I.)** Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Neutr. gen. *Varro* 5. *L. L. prope fin.* Tributum dictum a tribubus, quod ea pecunia, quæ populo imperata erat, tributim a singulis pro portione census exigebatur. *Ulp. Dig.* 50. 16. 27. Stipendium a stipe appellatum est, quod per stipes, id est modica æra, colligatur. Idem hoc etiam tributum appellari, Pomponius ait: et sane appellatur ab intributione tributum, vel ex eo, quod militibus tribuatur. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Tributum imponere in capita singula servorum et liberorum. *Cic.* 4. *Verr.* 53. 131. Omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt. *et* 5. *ibid.* 42. Imacharenses tributum ferre miseros ac perditos coegisti. *Alii leg.* facere. *Id.* 3. *Fam.* 7. Intolerabilia tributa exigere a civitatibus. *Liv.* 23. 31. Duplex tributum imperare. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Tributum pendere. *Cic.* 15. *Fam.* 4. Multas civitates acerbissimis tributis liberavi. *Paul. Dig.* 50. 15. 8. Tributum capitis alicui remittere. *Tac.* 2. *Ann.* 47. *sub fin.* Urbes levari tributis in tempus. *Id.* 3. *Hist.* 55. His tributa dimittere. *et* 4. *ibid.* 71. Facilius tributa tolerare. *Id. Germ.* 43. pati. *Justin.* 16. 3. *a med.* Quum Athenienses Græciæ et Asiæ tributum in tutelam classis descripsissent. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 13. 45. (77). Gens ea ceram in tributa Romanis præstat. *Ulp. Dig.* 50. 15. 3. Tributo capitis obligari. *Liv.* 4. 60. Indicere tributum populo. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 4. urbem frenare tributis. *Martial.* 7. 55. mentula damnata tributi. V. *Sueton. Dom.* 12. — *b*) Masc. gen. *Plaut. Epid.* 2. 2. 43. Tributus quum imperatus est, negant pendi potesse: Illis, quibus tributus, major penditur, pendi potest. *Cato* apud *Non.* p. 229. 11. *Merc.* Quum tributus exigeretur. — De hac forma *Gell.* 13. 20. *a med. Hic peccatus* recte Latineque dicitur: sicut *hic incestus* et *hic tributus*, quod *tributum* nos dicimus, a plerisque veteribus dicta sunt. ¶ 2. Latiore sensu dicitur *tributum*, quum plures aliquid conferre tenentur ad sarciendam jacturam rei privatæ, v. gr. mercium jactum in mare ad levandam navim in tempestate: aut quum socius in negotiatione contribuit ceteris in re communi. *Paul. Dig.* 14. 2. 2. *circa med.* Placuit omnes conferre oportere, quia id tributum ob servatas res deberent. *Callistrat. ibid.* 4. Jactus in tributum, nave salva, venit. *è soggetto alla contribuzione*. et *Ulp. ibid.* 4. 5. In tributum vocantur qui in potestate servos habent, a creditoribus mercis.

**II.)** Translate. *Martial.* 10. 17. Saturnalicio Macrum fraudare tributo Frustra, Musa, cupis. *Juvenal.* 3. 188. præstare tributa clientes Cogimur. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 86. gaudet Trasimenus et Alpes Cannensesque animæ; primusque insigne tributum Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.

**Homonym.** Discrimen inter *vectigal* et *tributum* V. sub VECTIGAL. — Item inter *collationem* et *tributum* V. in COLLATIO.

*Tributus, a, um,* adjectivorum more, proprie non a *tribuo* sed a *tribus*, est ad tribum pertinens. Hinc *tributa comitia* fuere, in quibus plebs R. non per centurias et ex censu, sed per tribus suffragium ferebat. Itaque in his locus erat infimo cuique et pauperrimo, non erat patribus. *Lælius Felix* apud *Gell.* 15. 27. Quum ex generibus hominum suffragium fertur, curiata comitia esse: quum ex censu et ætate, centuriata: quum ex regionibus et locis tributa. *Festus* in *Populi p.* 233. 19. *Müll.* Populi commune est in legibus ferendis cum plebe suffragium. nam comitia centuriata ex patribus et plebe constant in centurias divisis: at quum plebes sine patribus tributis comitiis convenit, quod plebes scivit, plebiscitum id ea causa appellatur. *Liv.* 2. 60. *in fin.* Insignem annum maxime comitia tributa efficiunt, res major victoria suscepti certaminis, quam usu. plus enim dignitatis comitiis ipsis detractum est, patribus ex concilio submovendis, quam virium aut plebi additum aut demptum patribus. *et ibid.* 56. Volero rogationem tulit ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent. Haud parva res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur: sed quæ patriciis omnem potestatem, per clientium suffragia creandi, quos vellent, tribunos, auferret. Sunt qui his *Livii* locis *tribunicia* legunt, quod ea comitia per tribunos plebis haberentur: sed saniores critici rejiciunt.

TRĬBUS, us, f. 4. *Trebus* pro *tribus* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 9. 4204. — *Tribum* pro *tribuum* est *Varron.* 5. *L. L.* 65. *Müll.* — In Dat. et Abl. plur. est semper *tribubus*. Cf. *Priscian. p.* 7. 91. *Keil.* et *Diomed. p.* 308. 3. *ibid. Ars Anon. Bern. p.* 125. *Hag.* Duo nomina tribus et specus tribubus et specubus faciunt, non ratione nec differentia, sed consuetudine. — Ratione etymi, videtur vox conflata a Skr. *tri*, tres, et *bhu*, esse (nisi *bus* sit mera terminatio), a tribus scilicet partibus, in quas populus initio divisus fuit, ut mox dicemus; alii tamen derivant a τριττύς, Æolice τριπτύς, ternio, triens, tertia pars: qui quidem sensus a priore non differt. *Forcellinus* vult esse, vel a numero vel, minus recte, a tributo pendendo. Cf. *Varron.* 5. *L. L. prope fin.* — Tribus est una ex partibus majoribus populi R., nam Romulus primum divisit universum populum in tres partes, φυλή (It. *tribù*; Fr. *tribu*; Hisp. *tribu*; Germ. *tribus*; Angl. *a tribe*). Singulas tribus in centurias decem, quæ curiæ appellatæ. Ex singulis tribubus singulas centurias equitum constituit, qui Ramnenses, Tatienses, Luceres nominati sunt. Postea crescente populo, hæ centuriæ ad trecentos crevere, ut omnes simul equites nongenti essent: inde sub Tarquinio ad sexcentos. Itaque tres illæ tribus et pedites et equites continebant: sed procedente tempore id nomen solis centuriis equestribus hæsit; quæ causa est, cur a *Varron.* 5. *L. L.* 55. *Müll.*, *Cic.* 2. *Rep.* 8. 14., *Flor.* 1. 5. et *Ascon.* in 3. *Verr.* 5. non centuriæ, sed tribus dicantur. V. *Grævium ad Flor. loc. cit.* — Crescente civium numero multisque aliis populis in civitatem Romanam allectis, aliæ subinde tribus additæ sunt. Tarquinius enim Priscus, duplicato earum veterum numero, sex fecit (*Liv.* 1. 36. *ad fin.*). Servius Tullius eas omnes divisit in quattuor urbanas, Collinam, Esquilinam, Palatinam et Suburanam seu Sucusanam et septendecim rusticas, illas ita appellando, quod in urbe essent, has quod in agro Romano (*Liv.* 1. 43. et 2. 21. et *Dionys. Halic. l.* 4. *c.* 15.). Postea vero earumdem numerus usque ad triginta quinque auctus est (*Liv.* 1. 43. et *Epit.* 19.), qui deinceps idem semper remansit etiam sub Augustis, ut patet ex hac *Inscr.* apud *Gruter.* 246. 8. IMP. CAESARI TRAIANO AVG. TRIB. XXXV. *etc.* Adde *aliam* apud *Fabretti p.* 395. *n.* 275.; quamquam *A. Mai* in *Class. auct.* T. 2. *p.* 282. not. (a) suspicatur, plures, quam XXXV., fuisse. — Earum nomina fuerunt: Æmilia, Aniensis, Arniensis, Camilia, Claudia, Collina, Cornelia, Crustumina *rectius* Clustumina, Esquilina, Fabia, Falerna, Galeria, Horatia, Lemonia, Mæcia, Menenia, Oufentina *v.* Ouffentina, Palatina, Papiria, Poblilia *v.* Publilia, Pollia, Pomptina, Pupinia, Quirina, Romilia *v.* Romulia, Sabatina, Scaptia, Sergia, Stellatina, Suburana *v.* Sucusana, Terentina, Tromentina, Velina, Veturia *rectius* Voturia, Voltinia. — Præter has fuerunt etiam tribus *honorariæ* dictæ et militares dumtaxat, scil. Ælia, Augusta, Aurelia, Flavia, Julia, Ulpia. Soli namque milites his decorantur in antiquis monumentis; quod ideo factum videtur, quia milites barbaræ plerumque originis vel libertinæ conditionis et nimis remoti a sede et corpore tribuum Romanarum ac propter paupertatem minus idonei impendiis iis sustinendis, quæ in aliquam tribum adscribendis subeundæ erant, imaginariam aliquam tribum a nomine gentilicio illius imperatoris, cujus beneficio civitatem essent adepti, derivatam sibi attribuebant. *Julia* vero a C. Julio Cæsare vel ab Augusto, *Flavia* a Flaviis Vespasiano vel Tito vel Domitiano, *Ulpia* ab Ulpio Trajano, *Ælia* ab Ælio Hadriano, *Aurelia* et *Augusta* a M. Aurelio denominatæ fuisse videntur. Hæc *Furlanetto* ex *Orelli* in *Coll. Inscr. Lat. T.* 2. *p.* 11.-28. et 147.; verum *militares*, inquit *Henzen* in *Suppl. Orell. p.* 267. § 4., ex numero tribuum ab *Orellio* prolato explodendæ sunt, quas ex inscriptionibus male intellectis originem cepisse nunc constat, in quibus cognomen patriæ pro tribu viri docti habuerunt. Cf. *Grotefend d. Röm. Tribus* etc. *Ztschr. f. A.* IV. 1836. *p.* 917. et *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1852. *p.* 167. — His omnibus ex quorumdam sententia addenda tribus *Sappinia* vel *Sapinia*, quæ fuisse videtur solius Umbriæ propria ex *Liv.* 31. 2. et 33. 37.; at perperam, nomine enim hoc pars Umbriæ ibi significatur, non tribus. *V.* SAPPINIA in ONOM., ubi singulæ tribus recensentur ac describuntur. — Tribus porro, vel ex lapidibus corruptis et mutilis vel ex falsis interpretationibus et conjecturis prolatæ, sunt *Appia, Campana, Civica, Cluentia, Cluvia, Dumia, Latina, Minucia, Narniensis, Ocriculana, Papia, Pinaria, Popillia, Septimia, Setina, Staberina, Valerina, Vejentina, Verginia* vel *Vergilia* vel *Verinia* vel *Verria*. — Tribus *rusticæ*, postquam tribus permissæ sunt censoribus, honestiores *urbanis* esse cœperunt; partim quia agrestium vita, quæ laboriosa est, vitæ urbanorum, quæ est plena otii ac desidiæ, anteferebatur, ut ait *Varro* 2. *R. R. init.*, partim quia censores urbanas tribus omni sordidissimorum hominum genere, idest non solum artificibus et turba forensi, sed etiam libertinis inquinaverant. Igitur a nobilibus et ingenuis, non solum qui ruri vitam agebant, sed etiam qui urbem incolebant, in rusticas commigratum est. Eos enim pudebat numerari cum negotiatoribus, cum artificibus, cum turba forensi, cum libertinis. Hinc censores et quum novos homines in tribus referrent et quum aliquem ex veteribus civibus vellent honore afficere, in tribus rusticas transferebant. V. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (13). et *Val. Max.* 2. 3. *n.* 9. — In tribus referre jus censorum fuit, postquam instituti sunt; hi enim poterant novas tribus addere et cives de una in aliam transferre. Atque huc pertinet *tribu movere*, h. e. ex tribu nobiliore in ignobiliorem transmittere ignominiæ causa. *Cic.* 2. *Orat.* 67. 272. Africanus censor tribu movebat eum centurionem, qui in Pauli pugna non affuerat. Adde *Liv.* 4. 24. *ad fin.* et 45. 15., ubi, quid sit *movere tribu*, clare explicat. — *Tribus explere* quid sit, *V.* in EXPLEO. — *In tribus convocare* populum, *Cic.* 3. *Legg.* 19. *a med.*, h. e. per tribus et ad tributa comitia. — *Pro tribu*, actione tribus, in tribu. *Liv.* 9. 46. — Quotiescumque ad nomen civis R. tribus adscribitur, ejus nomen ponitur in ablativo sine præpositione et fere cognomini præponitur; aliquando enim post ponitur, et quid tunc significet, explicat *Cavedoni Not. di un dipl. p.* 24. *not.* 24. *Cic.* 1. *Verr.* 8. *ad fin.* Inventum tamen esse ex eadem familia Q. Verrem Romilia, qui id se perfecturum polliceretur. *Id.* 9. *Phil.* 7. 15. Ser. Sulpicius Q. F Lemonia Rufus. *Lucil.* apud *Non. p.* 462. 28. *Merc.* Calvu' Palatina vir nobilis ac bonu' bello. V. *Cic.* 8. *Fam.* 8., ubi multa habebis hujusce constructionis exempla, quæ passim occurrunt etiam in veteribus Inscriptionibus, ut in *diplomate IX.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 852. Ponitur tamen

etiam in genetivo, sed rarius, ut in *Inscr.* in *Ephem. epigr. II. p.* 240. *n.* 317. et in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 489. et 757. — Mulieres quoque interdum tribui adscribebantur, ut patet ex *Inscr.* apud *Henzen n.* 6425. At idem *Henzen ibid.* et *Mommsen* in *Corp. Inscr.* 3. 2097. hoc quadratarii errori tribuunt, repugnante *Borghesi Œuvr. T.* 7. *p.* 91, apud quem *Rénier* alia plura exempla ex sua Collectione protulit. — Unus aliquando duas tribus habuit, nativitate alteram, alteram adoptione. *Inscr.* apud *Gruter.* 226. 3. C. IVLIO C. F. FAB. SCAPT. CAESARI AVG. (*Sueton. Aug.* 40. Fabianis et Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula milia nummum a se dividebat.) *Alia* apud *eumd.* 435. 1. L. MANLIO A. F. AN. GAL. BOCCHO TRIB. MIL. LEG. XV. Adde *aliam* apud *Murat.* 723. 5. Sed hæc omnia rejicit *Maffeius* in *Mus. Ver. p.* 199. Cf. tamen *Henzen loc. cit.* ad *n.* 3104. *p.* 268., qui hanc quoque affert *ibid. n.* 6426. L. ENNI L. F. POMPTINA OPTATO DERTONA TRIB. SCAPTIA VETERANVS. Adde *aliam* in *Corp. Inscr.* 2. 4249. — Libertinæ conditionis homines alicui ex tribubus urbanis fuisse adscriptos, præsertim Palatinæ, aliquando etiam alicui ex rusticis aut militaribus, constat. *Tertull. Resurr. carn.* 57. *ad fin.* Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris; quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis et compedibus et stigmatibus obnoxiæ retro fuerant, idcirco ne illa eadem pati oportebit? non opinor. Atqui et vestis albæ nitore et aurei anuli honore et patroni nomine ac tribu mensaque honoratur. *Inscr.* apud *Labus Epigr. ant. p.* 20. P. VALERIO P. L. PALAT. TACITO VI. VIRO SENIORI ET AVGVSTALI. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 309. T. SCVTRIVS T. LIB. FAB. SABINIANVS ROMA. Q. SOSIVS Q. LIB. IVL. THEOMNESTVS REGIO. Cf. *Promis Stor. dell' ant. Torin. p.* 263. et *seqq.* et *Henzen* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1871. *p.* 114. — Etiam extra Urbem tribus erant, ut XII. Lilybætanorum, civium videlicet Libybæi, urbis Siciliæ, nunc *Marsala*, in quas dividebatur ejusd. populus. V. *Inscr.* apud *Orelli n.* 3718. et *n.* 3719. — Sic coloniæ suas tribus habuere, ut constat ex *Lege Coloniæ Juliæ* Genetivæ *Urbanorum sive Ursonis* data a. U. C. DCCX, nuper reperta. V. *Mommsen* in *Ephem. epigr. II. p.* 125. et 209. — Aliquando pater alicui tribui adscribebatur, alii vero filius. *Labus De' decurioni p.* 22. et *not.* 180. — Tribus apponi desierunt in antiquis monumentis post Constantini M. filiorumque ejus tempora, ut habet *Murator. Inscr. p.* 1795., quum ipsæ, ut ait *Ammian.* 14. 6. *ante med.*, otiosæ jam fuissent. V. *Labus* in *ep. ms.* ad *Furlanett.* dat. V. id. Mart. a. 1833. Ceterum de tribuum omissione in vet. lapidib. consule *Clem. Cardinali* in *Mem. R. T.* 3. *p.* 36., *Orelli n.* 3099. et *Henzen tab. alim. Bæb. p.* 55. *Carli* in *Ant. It. T.* 2. *p.* 31. *l.* 11. *p.* 34. censuit, milites dumtaxat in suis lapidibus tribus nomen scripsisse; at apud *Murat.* 337. 4. habetur tribus, quamvis lapis pertineat ad an. 173. Adde 346. 2. ad an. 196. Sic apud *Marini Iscr. Alb. p.* 49. ad an. 20. et *Maffei p.* 199. et 200. ad an. 211. V. tamen *Zaccar. Inst. Lap. p.* 135. Denique *Inscr.* apud *Orelli n.* 1065, quam putat pertinere ad tempora Diocletiani; quibus tamen desiisse morem signandæ tribus, auctor est *Borghesi* in *Bullett. an.* 1834. *p.* 73. Novissima omnium videtur esse *Inscr.* apud *Orelli n.* 3866. C. MATRINIO AVRELIO C. F. LEM. ANTONINO etc. V. *Mommsen* apud *Henzen Suppl. Orell.* ad *n.* 6427., qui eam sæculo quarto scriptam esse ex appellatione *Flaviæ Constantis* coloniæ Hispellati indita suo jure collegit contra *Muratori Inscr. p.* 1795. (*Orelli* ad *n.* 2170.) — Mansit tamen usus designandi tribus tamquam tesseræ, ex qua cognosci possit, qui in aliqua tabula esset inscriptus vel collegio, ad aliquid accipiendum, in primis frumentum publicum. *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1859. *p.* 232. M. BAEBIVS ASCLEPIADES IVSTINVS QVI VIXIT ANNOS IIII. MENS. III. DIEB. XIII. TRIBV OFFENTINA E COLLEGIO ARNIATORVM. ubi *tribus* non suo loco posita conspicitur. Adde *aliam ibid. a.* 1845. *p.* 229. — Apud Hebræos *tribus* duodecim fuere, quarum singulis nomen inditum a duodecim filiis Jacob patriarchæ, unde originem habuerunt. Porro his singulis singulæ Palæstinæ partes assignatæ citra ultraque Jordanem. *Vulg. interpr. Exod.* 24. 4, *Num. c.* 1. 10, 13., 26., *Jos. c.* 13. et *Alcim.* 4. 231. Ceterum vox *tribus* dicitur vel (שבט *shevet*) respectu habito ad politicum regimen (*Jos.* 13. 20., 18. 2., 21. 6. cf. *Gen.* 49. 10.): vel (מטה *matteh*) ad varios familiarum ramos (*Jos.* 7. 1., 18.); et latissimo sensu usurpata fuit pro gente vel populo, *ibid. Matth.* 24. 30. et *Apoc.* 5. 9. — De tribubus in universum V. *Labus Mus.* etc. *T.* 2. *p.* 211. et *seqq.* et *Cavedoni Spicil. p.* 284. — Ad usum denique vocis quod spectat, præter ea, quæ attulimus, hæc sunt addenda.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Liv.* 8. 37. Tribum ferre. *h. e.* sinere, ut suffragia ferat, tribus suffragia excipere. *Id.* 5. 18. Tribus jure vocatæ. *Id.* 45. 15. Omnibus V. et XXX tribubus amovere. Sic *Aurel. Vict. Vir. ill.* 32. Libertinos tribubus amovere. ¶ 2. *Tribus* interdum dicitur de pauperioribus, ut *tribulis. Cic. Planc.* 18. 45. Neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne reficere necessariis suis suam tribum possint. Alii leg. *conficere*, quod alio trahit sententiam. *Martial.* 8. 15. Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus: Et ditant Latias tertia dona tribus. (*h. e.* tertium congiarium). *sc.* ditat omnes triginta sex tribus, quibus constabat populus Rom. (Hinc *Stat.* 4. *Silv.* 1. 25. Moribus atque tuis gaudent turmæque tribusque Purpureique patres. *h. e.* equites, plebs et senatores). Alii tamen aliter leg. aut interpretantur. Maxime omnium rem conficit illud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (54). In herbis aliqua sibi nasci tribus negant, caule in tantum saginato, ut pauperis mensa non capiat. ¶ 3. Alio sensu *V.* supra.

II.) Translate. *Colum.* 3. *R. R.* 2. Inerticula tamen nigra, quam quidam Græci amethyston appellant, potest in secunda quasi tribu esse. *h. e.* gradu, ordine, pretio. *Justin.* 13. 3. 1. Satellites ex tribu sua legunt. — *Sine tribu*, proverbialiter pro sine ullo gradu, pretio aut hujusmodi. *Flor.* 3. 13. Homo sine tribu, sine nomine. — In plur. num. jöculariter apud *Horat.* 1. *Ep.* 19. 40. Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. *h. e.* grammaticorum suffragia captare.

TRĬBŪTĀRĬUS, a, um, adject. (tributum) ¶ 1. Est ad tributum pertinens. Hinc *tributaria necessitas*, est necessitas tributi conferendi. *Justin.* 32. 2. 1. Antiochus sub specie tributariæ necessitatis nocte templum Elymæi Jovis aggreditur. — *Tributaria causa*, in qua de tributo agitur. *Hermogenian. Dig.* 49. 14. 46. — *Tributaria pœna*, est ea, quæ loco tributi solvitur. *Hieronym. Chron. Euseb.* ad *ann.* DCCLXXX. *ab Abraham.* Athenienses pueri a Theseo tributaria pœna liberantur. *V.* MINOTAURUS. — *Tributariæ litteræ*, in quibus munera promittuntur et tribuuntur. *Cic.* 6. *Verr.* 86. 148. Ubi intellexi, multum apud illum tabulas non commendaticias, sed tributarias valuisse. *V.* 4. *ibid.* 26., unde huic loco lux. ¶ 2. Est etiam solvendo tributo obnoxius, ὑπόφορος, δασμοφόρος, *tributario. Cajus* 2. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 21. Prædia provincialia alia stipendiaria, alia tributaria vocamus. Stipendiaria sunt ea, quæ in his provinciis sunt, quæ propria populi Romani esse intelliguntur. Tributaria sunt ea, quæ in his provinciis sunt, quæ proprie Cæsaris esse creduntur. *Justin.* 1. 7. 2. Sed civitates, quæ Medorum tributariæ fuerant. Adde *eumd.* 5. 3. 2. et *Curt.* 10. 2. 23. *etc. Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 3. (6). Et jam ad Morinos usque pervecta ac tributarium etiam detinens solum. Adde *Sueton. Aug.* 40. et *Flor.* 3. 4. — De his V. *Savigny Hist. du droit R. T.* 1. *p.* 243.

TRĬBŪTIM, adverb. (tribus) per singulas tribus, κατὰ φυλάς. *Cic.* 4. *Att.* 17. Nummis ante comitia tributim uno loco divisis. *Id. Flacc.* 7. 15. Tributim et centuriatim descriptis ordinibus. *Id. Mur.* 34. *a med.* Spectacula tributim data et ad prandium vulgo vocati. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 69. Primores populi arripuit populumque tributim. *Liv.* 3. 55. Lege centuriatis comitiis tulere, ut quod tributim plebes jussisset, populum teneret. *h. e.* comitiis tributis. *V.* TRIBUTUS, a, um. Sic 7. 16. *ad fin.* Legem, novo exemplo, ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit.

TRĬBŪTĬO, ōnis, f. 3. (tribuo) ¶ 1. Est distributio, divisio, partitio, *distribuzione. Cic.* 1. *Nat. D.* 19. 50. Hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus. hoc est æquabilem tributionem. *Ulp. Dig.* 14. 4. 5. *in fin.* Tributio fit pro rata ejus, quod cuique debetur. *si fa la contribuzione.* ¶ 2. Item tribuendi actus, collatio tributi. *Id. Dig.* 2. 14. 52. Siquas summas, propter tributiones prædii pignori nexi factas, creditor solvisset. *Arcad. ibid.* 50. 4. 18. *a med.* Et eos, qui fenus exercent, tributiones ejusmodi agnoscere debere, rescriptum est. Alii leg. *intributiones.*

TRĬBŪTOR, ōris, m. 3. (tribuo) qui tribuit, *datore. Apul. Trismeg.* (*Ascl.*) *p.* 92. Mundus præstitor est et tributor omnium, quæ mortalibus videntur bona.

TRĬBŪTŌRĬUS, a, um, adject. (tributor) ad tribuendum pertinens. Hinc *tributoria actio* apud JCtos est, quæ datur creditoribus, si quis eorum queratur, quasi minus ei tributum sit, quam oportuerit (ut ait *Justinian.* 4. *Institut. tit.* 7.) in eo casu, in quo servus in merce peculiari, sciente domino, negotiatur: et dicitur tributoria, quia ipsi domino distributionem eorum, quæ in illa negotiatione recepta sunt, prætor permittit. Est in Digestis *tit.* 4. *lib.* 14. qui *De tributoria actione* inscribitur. *V.* plura apud JCtos.

TRĬBŪTUM, i, n. *et*

TRĬBŪTUS, i, m. 2. *et*

TRĬBŪTUS, a, um, particip. *V.* TRIBUO.

TRĪCA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TRĪCÆ, ārum, f. plur. 1. duo diversa significat.

*A) Tricæ* dicuntur impedimenta et implicationes, *intrighi, imbrogli, viluppi:* fortasse a rad. Skr. *tark*, et per metathesin *trak*, volvo, torqueo. *Non. p.* 8. 15. *Merc.* Tricæ dictæ quasi τρίχες, quod pullos gallinaceos involvant et impediant capilli pedibus implicati. Italice dicimus *treccie.* V. TRICULA. ¶ 1. Generatim. *Turpil.* apud *Non. loc. cit.* Judicia, lites, turbas, tricas, ociones maximos. *Varro ibid.* Putas eos non citius tricas Atellanas, quam id extricaturos? *Plaut. Pers.* 5. 2. 18. Quomodo me hodie versavisti? ut me in tricas conjecisti? *Cic.* 10. *Att.* 8. *sub fin.* Tullia quomodo fert publicam cladem! quomodo domesticas tricas! *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 5. *a med.* Ut plus biennium in his tricis moretur. ¶ 2. Hinc speciatim ambages verborum, præsertim quæ a lentis debitoribus aut fraudare volentibus effutiuntur. *Plaut. Pers.* 4. 3. 62. Nihil mihi opus est litibus neque tricis. *Id. Curc.* 5. 2. 15. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? *Id. Most.* 3. 1. 45. Quin tu istas mittis tricas?

*B) Tricæ* dicuntur etiam res futiles, frivolæ, nullius pretii, nugæ, *triche, baie, cose da nulla*, λῆροι: a *Trica*, quod est nomen urbis, quæ quum parva admodum esset ac nullius momenti, proverbii originem dedisse dicitur. *V.* APINÆ. Ita *Forcellinus* ex *Plin.* 3. *Hist. nat.* 11. 16. (104). Diomedes ibi delevit urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertere, Apinam et Tricam. Ipse tamen cum præced. significatione conciliaverim, hac omissa vocis origine: ut sit a τρίχες, pili, quod *Plaut. Pers.* 1. 6. 21. expressit in *nugipiliioquide*. V. NUGIPOLYLOQUIDES. *Id. Rud.* 5. 2. 35. GRI. Quid dare velis, eloquere propere. LA. nummos trecentos. GRI. tricas. LA. quadringentos. GRI. tramas putridas. *Martial.* 14. 1. Sunt apinæ tricæque et siquid vilius istis.

TRĪCĂMĔRĀTUS, a, um, adject. (tres *et* cameratus) tres habens camerationes, contignationes, tabulata, τρίστεγος, τριώροφος. *Augustin.* 15.

*Civ. D.* 26. Tricamerata ecclesia. *Ambros.* 6. *Hexaem.* 9. *n.* 72. Inferiora arcæ bicamerata et tricamerata facies. — Hinc

*Tricameratum, i,* n. 2. absolute. V. *Hieronym. loc. cit.* in BICAMERATUS.

TRĬCĂPĬTĪNUS, a, um, adject. (tres et caput) tria capita habens. *Gloss. Gr. Lat.* Τρικέφαλος, tricapitinus, triceps.

TRĪCĀTUS, a, um, particip. *V.* TRICOR.

TRĪCĒNĀRĬUS, a, um, adject. (triceni) qui triginta continet, *di trenta.* ¶ 1. Generatim. *Augustin.* 6. *Confess.* 11. Tricenaria ætas. *Boeth. Art. geom. p.* 418. *Friedl.* summa. Adde *Cassiod.* in *Ps.* 30. *ad fin.* ¶ 2. Speciatim *tricenarius homo,* triginta annorum, *di trent'anni. Seneca* 3. *Excerpt. controv.* 3. *ad fin.* Nec tricenario quidem filio adoptare licet. ¶ 3. Item *tricenaria fistula* apud *Frontin. Aquæd.* 29. et 48. *h. e.* quæ digitos triginta habet in lumine in rotundum coacto, ut *id. ibid.* explicat. Adde *Vitruv.* 8. 7. *ante med.* et *Pallad.* 9. *R. R.* 12., ubi hæc ratione ponderis exponuntur. ¶ 4. Item *tricenariæ cærimoniæ* dictæ, quibus sacra æditituris triginta continuis diebus certis quibusdam rebus carendum erat. *Paul. Diac.* ex *Festo* in *Denariæ p.* 71. 10. *Müll.* — Hinc

*Tricenarius, ii,* m. 2. absolute. ¶ 1. Est qui triginta continet. *Boeth.* 2. *Arithm.* 50. XL. denarium tricenario superat. *h. e.* numero tricenario. ¶ 2. Item qui est triginta annorum. *Arnob.* 2. *p.* 58. Quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? ¶ 3. Item in militia, qui triginta militibus præficitur. *Inscr.* apud *Reines. cl.* 8. *n.* 3. *V.* TRECENARIUS.

TRĪCĒNI, æ, a, adject. numeral. — *a) Trigeni* pro *triceni* scribendum esse docet *Agroet. Orthogr. p.* 114. 9. *Keil. Triceni* de tricentis dices: *trigeni* de triginta. et *Dosith. p.* 402. 21. *ibid.* Trigena ab hinc. Hinc *trigeni proventus* apud *Augustin. Serm.* 116. *n.* 3. Cf. *Brambach op. cit. p.* 214. — *b)* In genet. plurali est *tricenum,* ut Tricenum annorum, pedum etc. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (164). et 11. *ibid.* 33. 38. (113). et *Frontin. Aquæd.* 49. — *c)* Primam syllabam producit: at *treceni,* quod est trecenti, corripit; sæpe tamen in libris commutantur, incuria aut ignoratione librariorum. — Triceni est triginta: usurpatur autem — *a)* Distributive. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (71). Dentes triceni bini viris attribuuntur. *Colum.* 2. *R. R.* 15. *ad fin.* Minores singulæ pecudes triceni diebus singulas vehes stercoris efficiunt. *ogni trenta dì.* et *Martial.* 10. 27. Et tua tricenos largitur sportula nummos. *trenta per uno.* singulis sportulam accipientibus dantur nummi triginta. — *b)* Pro cardinali *triginta,* extra distributionem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 43. (144). Medica ab uno satu triceniis annis durat. *Martial.* 1. 44. Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati: Et positum est nobis nil here præter aprum. Adde 4. 26.

TRĪCĒNĪQUĪNI *vel divisim* triceni quini, æ, a, adject. numer. tricenos et quinos continens, *trentacinque. Frontin. Aquæd.* 49. Fistula tricenumquinum. *syncop.*

TRĬCENNĀLĬA, ium, n. plur. 3. *V.* voc. seq.

TRĬCENNĀLIS, e, adject. (tricennium) ad tricennium pertinens. *Rufin.* 1. *Invect. in Hieronym.* 11. Nullum dicebam me usum hujuscemodi operis habuisse et ad Latinum sermonem tricennali jam pæne incuria torpuisse. — Hinc

*Tricennalia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more. — In genet. plur. *tricennalium* et *tricennaliorum* apud *Prob. App.* 4. *p.* 196. 10. *K.*, ut in aliis hujusmodi nominibus. — Tricennalia est solemnitas tricesimo quoque anno celebrata. *Oros.* 7. 28. *extr.* Constantinus tricennalibus suis Delmatium Cæsarem legit. *h. e.* anno tricesimo imperii sui. *V.* DECENNALIS.

TRĬCENNĬUM (trecennium), ii, n. 2. (triceni et annus) triginta annorum spatium, *spazio di trent'anni. Imp. Justinian. Cod.* 7. 31. 1. *a med.* Possessio connumeretur in decennium vel viginti annorum spatium vel tricennium. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *ante med.* Per ipsum fere tempus, ut decemviraliter loquar, lex de præscriptione tricennali fuerat proquiritata, cujus peremptoriis abolita rubricis lis omnis in sextùm tracta quinquennium terminabatur. Adde *Cassiod.* 1. *Variar.* 18. et 3. *ibid.* 31.

TRĪCENSĬMĀNI. *V.* TRICESIMANI.

TRĪCENSĬMUS. *V.* TRICESIMUS.

TRĬCENTĒNI. *V.* TRECENTENI.

TRĬCENTI. *V.* TRECENTI.

TRĬCENTĬES. *V.* TRECENTIES.

TRĬCEPS, cĭpĭtis, omn. gen. adject. (tres et caput) In genet. plur. *tricipitum* et *tricipitium.* V. *Priscian. p.* 7. 76. *K.* et *fragm. Bob. p.* 562. 15. et seq. *Hag.* — Triceps est qui habet tria capita, *di tre capi,* τρικέφαλος.

I.) Proprie. *Cic. Orat.* 48. 159. Quid in verbis junctis? quam scite insipientem, non insapientem; iniquum, non inæquum; tricipitem, non tricapitem? *Id.* 1. *Tusc.* 5. 10. Dic, quæso, num te illa terrent, triceps apud Inferos Cerberus? etc. *Ovid.* 7. *Met.* 194. Tuque triceps Hecate. Adde *Fronton. ad M. Cæs.* 4. 3. *p.* 65. 14. *N.* V. HECATE.

II.) Translate est triplex, *triplice. Varro* 5. *L. L.* 148. *Müll.* De eo triceps historia, nam et Procilius non idem prodidit, quod Piso, nec quod is, C. Ælius Stilus secutus.

TRĬCERBĔRUS, i, m. 2. Τρικέρβερος, triplex Cerberus, quasi triceps Cerberus, *Cerbero con tre teste, Tricerbero. Hygin. fab.* 102. *ed.* ab *A. Maio* in *Class. auct. T.* 3. *p.* 38. Quia singuli fratres potentiam in regno habere viderentur, aliquid indicii gerunt, Juppiter trifidum fulmen, Neptunus tridentem, Pluto Tricerberum. Adde *fab.* 108. *p.* 39. *ibid.* et *Fulgent.* 1. *Myth.* 5. V. CERBERUS in ONOM.

TRĪCĒSĬES *et* trigesies, adverb. (triceni) idem ac tricies. *Auct. B. Afr.* 97. — Tribuitur etiam *Vitruv.* 1. 6. *a med.* Quæ fiunt semel et tricies milies mille et quingenties mille: hujus autem octava pars, quam ventus tenere videtur, est ter milies mille et noningenties trigesies septies mille et passus quingenti. At *Schneid.* (cui suffragatur *Ros.*) hic, comparatione facta cum *Plin.* 2. *Hist. nat.* 112. recte probat, hunc *Vitruvii* locum a Romana scribendi ratione abhorrentem, interpolatum a *Jocundo* fuisse atque ita legendum ex *Cod. Sulpician.* Quæ fiunt passus trecenties quindecim centena milia, hujus autem octava pars, quam ventus tenere videtur, est tricies nongenties triginta septem milia et passus quingenti. *h. e.* quæ fiunt passus 21,500,000: hujus autem octava pars est 3,937,500. Vides igitur vocem *noningenties* in *nongenties* mutandam et *trigesies* prorsus evanescere ex tota Latinitate, cujus loco uti nos decet aliis duobus *tricies* et *trigies.* Ita *Furlanetto;* sed perperam, nam illud usurpatum fuisse patet saltem ex certo loco *supra* cit.

TRĪCĒSĬMĀNI (tricensimani), ōrum, m. plur. 2. (tricesimus) absolute, appellantur milites legionis tricesimæ Ulpiæ Victricis. *Ammian.* 18. 9. 3. Tricesimani Decimanique Fortenses. Alii leg. *Fretenses.* V. FRETENSIS.

TRĪCĒSĬMĀRĬUS (trigesimarius), a, um, adject. (tricesimus) ad tricesimum pertinens, qui triginta continet. *Sex. Placit. De med.* 13. 3.

TRĪCĒSĬMUS (tricensimus) *et* trigesimus, a, um, adject. numer. ordinale (triginta). Ad scriptionem quod attinet, *Manut., Dausqu.* et *Cellar.* in *Orthogr.* probant ac præferunt *tricesimus:* quia simile est τοῖς *tricies, triceni* etc. Idem sentiunt de *vicesimus.* — Etiam *tricensimus* apud *Asin. Poll. ep.* ad *Cic.* 10. 31. *Bait.* ex *cod.* M., *Commodian.* 1. *Instr.* 40. 3. *D.* et *Inscr.* in *Bullett. dell' Istitut. archeol. a.* 1848. *p.* 93. — Item *trigesimus* apud *Colum.* 11. *R. R.* 2. 11. et *De arb.* 3. 5. *Schn.* et *Solin.* 26. *M.;* et *trigensimus* in *Inscr.* apud *Gruter.* 303. 2. — Tricesimus est ultimus ex triginta, *trentesimo,* τριακοστός. *Cic.* 2. *Off.* 8. 29. Sexto tricesimo anno post. *Alii leg.* trigesimo. *Id.* 12. *Fam.* 2. Idem tricesimo post die feci. *Id. Senect.* 6. *a med.* Cujus a morte hic tertius et tricesimus est annus. *Alii leg.* trigesimus. *Justin.* 12. 15. 1. Intra tricesimum annum. *Martial.* 1. 16. Bis jam pæne tibi consul tricesimus instat, et 10. 103. quattuor accessit tricesima messibus æstas. *Claudian. B. Get.* 488. tricesima bruma. — *Galba* ad *Cic.* 10. *Fam.* 3. Antonius legiones eduxit duas, secundam et quintamtricesimam. *Alii leg.* tricesimamquintam. — *Horat.* 1. *Sat.* 9. 69. tricesima sabbata. *h. e.* Pascha, solemnis Judæorum dies, tricesima hebdomada recurrens, incboando annum mense Septembri; seu potius neomeniæ vel kalendæ, quæ triginta diebus elapsis vel singulis quibusque mensibus incipientibus recurrebant et a Judæis maxima cærimonia celebrabantur. Hinc *Commodian.* 40. 3. Et sabbata vestra spernit et tricesimas Altus respuit etc. Cf. *Is.* 1. 13.

TRĬCESSIS, is, m. 3. (triceni et as) triginta asses seu tres decusses. *Varro* 5. *L. L.* 170. *Müll.* V. QUADRAGESSIS.

TRĬCHALCON et

TRĬCHALCUM, i, n. 2. τρίχαλκον, quarta pars oboli apud Græcos. *Vitruv.* 3. 1. *a med.* Quadrantes obolorum, quæ alii dichalca, nonnulli trichalca faciunt. *V.* DICHALCON.

TRĬCHAPTUM, i, n. 2. τρίχαπτον, vestis tam tenui et subtili textura, ut capillorum similis esse videatur: a θρίξ, τριχός, capillus et ἅπτω, necto. *Hieronym.* 3. *in Zachar.* 14. 14. et 4. *in Ezech.* 16. 11. Adde *Vulg. interpr. Ital. Ezech. eod. loc.,* ubi *Noster* pro *trichapto* habet *subtilibus.*

TRĬCHĒUS, a, um, adject. τρηχύς, εῖα, ύ, asper: ita Ionice pro τραχύς; tricheus vero scribitur ex vulgi pronunciatione, qua Græcorum η per Latinorum ι effertur. Hinc absolute *trichea, orum,* sunt salebræ, loca salebrosa. *Tertull. in Valentin.* 14. Destituta passioni illi suæ in trichea multiplicia atque perplexa. Alii leg. *trechea.* V. TRACHIA.

TRĬCHĬAS, æ, m. 1. τριχίας, piscis marinus, quem quidam putant esse sardiniam, *sardella,* quod negat *Harduin.,* quia sardiniæ non intrant amnes, quod trichiæ faciunt; vel saltem est ex genere sardiniarum: est ita appellatus a θρίξ, capillus, quia ejus caro frequentibus et subtilissimis spinis capillorum instar repleta est. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 20. (52). Intrantium Pontum soli non remeant trichiæ. Sed hi soli Istrum amnem subeunt. *etc.* et *ibid.* 51. 74. (162). Piscium lupus et trichias bis anno parit.

TRĬCHĬĂSIS, is, f. 3. τριχίασις, a θρίξ, pilus, capillus, morbus est oculorum, quo palpebrarum pili ad oculum conversi, illum irritant et pungunt: de quo verba facit *Cels.* 7. 7. *n.* 8. et *Martial.* 10. 56. Infestos oculis uris, Hygine, pilos. Restituit *Morgagnius* hanc vocem *Vegetio* 2. *Veterin.* 15. Quodcumque jumentum in oculis trichiasin patietur, id est, ut pili aliam palpebram urentes lacrimas moveant visumque conturbent, hac ratione curato. Alii perperam leg. *tritiacem* aut *tyriacem* V. *Cæl. Aurel. loc. cit.* in PALPEBRÆ.

TRĬCHĪLA, æ, f. 1. *et* trichilum, i, n. 2. De varia scriptione *V.* infra. — Trichila est pergula, compluviata ex vitibus, cucurbitis, cucumeribus, pedamentis et jugis firmata implicitisque frondibus concamerata, quæ et hypampelus dicitur, *pergola, pergolato:* videtur *Forcellino* esse a *triclinium,* quod aliquando et *trichilinium* dicitur *V.* tamen TRICHINUS. Eamdem ita describit *Sidon.* 5. *Ep.* 17. Sub umbra palmitis adulti, quam stipibus allatis cancellatimque pendentibus pampinus superducta texuerat, consederamus. et *Propert.* 4. 8. 35. Unus erat tribus in secreta lectulus umbra. *h. e.* in trichila. — *Virg. Cop.* 7. Sunt cupæ, calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ Et trichila umbriferis frigida arundinibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 96. In castris Pompeji videre licuit trichilas stratas, magnum argenti pondus expositum, recentibus cæspitibus tabernacula constrata, L. etiam Lentuli et nonnullorum tabernacula protecta hedera. Alii *triclinia strata* legunt. *Colum.* 10. *R. R.* 378. Tum modo dependens trichila, modo more chelydri Sole sub æstivo gelidas per graminis herbas Intortas cucumis prægnansque cucurbita serpit. et 394. At qui sub

trichilà manantem repit ad undam Candidus, effetæ tremebundior ubere porcæ etc. *h. e.* cucumis, qui sub pergula repit. *Inscr.* apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *p.* 73. ed. *Mediol.* Mensam quadratam in trichila, abacum cum basi, horologium, labrum cum fulmentis marmoreis posuerunt. — Etiam *trichilla* in *Inscr.* apud *Murat.* 1008. 9. vel *triclena* apud *eumd.* 507. 8. et per syncop. *tricla* vel *triclea* vel *triclia* scribitur. *Inscr.* apud *eumd.* 119. 1. TI. CLAVDIVS DIVI CLAVDI LIB. ACTIVS COLLEGIO MAGNO TRIB. (*lege* LLIB. *h. e.* libertorum) DIVAE AVGVSTAE TRICLAM CVM COLVMNIS ET MENSIS S. P. D. D. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 257. 6. et *Murat.* 507. 8. COMMVNE EST PVTEVM ET ITER AD TRICLEAM. *Alia* apud *Fabrett. p.* 156. *n.* 254. D. M. VLPIAE SABINAE CONIVGI P. RVFINIVS EPHESTION LOCVM CONCESSVM ET DONATVM AB HEREDIBVS FLAVI LIBANI QVAE POSITA EST INFRA HANC TRICLIAM IN LONG. P. VII. IN LAT. P. V. *Alia* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 36. HVIC MONVMENTO CEDET HORTVS IN QVO TRICLIAE VINIOLA PVTEVM AEDICVLAE etc. *Alia* apud *eumd. ibid. p.* 210. Q. OCTAVIVS DAPHNICVS TRICLIAM FECIT A SOLO IMPENSA SVA etc. — Ex allatis exemplis apparet, trichilam esse plerumque pergulam temporariam ex vitis, cucumeris vel cucurbitæ germitibus et foliis contextam; aliquando et stabilem fixamque et ex opere latericio fabrefactam, quemadmodum etiam nostris hisce temporibus rusticas solemus calybas, Italice *capanne*, excitare deliciarum causa in villis amœnioribus ad evitandum æstivi temporis fervorem.

TRICHĪLĪNĬUM. *V.* TRICLINIUM.

TRĬCHILLA et

TRĬCHĪLUM. *V.* TRICHILA.

TRĬCHĬNUS, a, um, adject. τρίχινος, pilis densus et quasi impeditus: a τρίχες, quomodo a Græcis pili appellantur. Generatim notat densum sive spissum, quod ex eo conjicere est, quia pergulis indidere nomen trichilarum, quia δασύφυλλοι, id est densæ foliis. *Voss.* in *Trichilæ. Varro* apud *Non. p.* 181. 9. *Merc.* Quod tunc quæstus trichinus erat, nunc est uber. *Nonius* interpretatur tardum et quasi impeditum vel siccum et sine suco, ut sunt capilli. *Bücheler* tamen leg. *tricinus.*

TRĬCHĪTIS, ĭdis, f. 3. τριχῖτις, genus aluminis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 52. (186). Concreti aluminis unum genus schiston appellant Græci, in capillamenta quædam canescentia dehiscens. Unde quidam trichitin potius appellavere. Hoc fit e lapide, ex quo et chalcitin vocant, ut sit sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus.

TRICHLĪNĬUM. *V.* TRICLINIUM.

TRĬCHŎMĂNES, is, n. 3. τριχομανές, herba capillamentis abundans, adianto similis, exilior modo et nigrior, foliis lenticulæ, amaris et adversis inter se. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 111. (138). et 22. *ibid.* 21. 30. (63). Adde *Marcell. Empir.* c. 6. *p.* 91.

TRĬCHŎPHYES, is, n. 3. τριχοφυές, herba eadem ac trichomanes: a θρίξ, capillus, et φύω, gigno. *Apul. Herb.* 47.

TRĬCHORDIS, e, adject. (tres *et* chorda) tres chordas habens. *Sidon.* 5. *Ep.* 5. *a med.* Novus Amphion in citharis trichordibus temperandis.

TRĬCHŌRUM. *V.* voc. seq. in fin.

TRĬCHŌRUS (tricorus), a, um, adject. τρίχορος, tripartitus, tribus loculamentis distributus: a τρίς, ter, et χῶρος, locus. *Paulin. Nolan. Ep.* 32. (*al.* 72.) *n.* 10. Reliquiis apostolorum et martyrum intra absidem trichora sub altaria sacratis. *h. e.* in tribus loculamentis sub altari intra absidem posito: alii leg. *trichoram,* ut ad ipsam absidem referatur, quæ ex tribus absidibus constaret: sed prior sententia magis placet. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Trichorum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, habitatio tribus partibus constans. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 57. quid nunc ingentia mirer Aut quid partitis distantia tecta trichoris. *Spartian. Pescenn.* 12. Domus ejus hodie Romæ visitur, quæ appellatur Pescenniana, in qua simulacrum ejus in trichoro constituit. *h. e.* in uno ex trichoris ejus domus, ut quidem explicat *Casaubon.* At *Salmas.* putat, *trichorum* idem esse ac *trigonum,* h. e. triangulari forma factum, quia deorum et principum virorum ædes, honoris causa, fastigiatæ erant; sed a *Casaubono* standum plerisque videtur. *Inscr.* apud *Orell. Coll. inscr. Lat. n.* 1595. NVMINI DOMVS AVGVSTAE IMP. CAES. NERVAE TRAIANI AVG. SER. ZMARAGDIAS SILVANI SIGNVM PORTICVS ITEM TRICORVM DEDICAVIT etc. *Alia* apud *Fabrett. p.* 740. *n.* 505. SEPTIMIA SEVERINA SARCOFAGVM ET PANTEVM CVM TRICORO DISPOSVIT ET PERFECIT. In utroque lapide vitio sæculi deest aspiratio in vocibus *tricorum, sarcofagum, panteum* et *tricoro.*

TRĬCHRŎNUS, a, um, adject. τρίχρονος, qui trium temporum est. *Mar. Victorin.* 1. 11. 19. Cf. DICHRONOS.

TRĬCHRUS, i, f. 2. τρίχρους, h. e. tres habens colores: a τρίς, et χρόα, color: nomen est lapidis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 68. (183). Trichrus ex Africa nigra est, sed tres sucos reddit: a radice nitrum, medio sanguinem, summo ochram. Ita *Harduin.* ex MSS. *Alii leg.* a radice nigrum, medio sanguineum, summo candidum.

TRĬCĬENS et

TRĬCĬES, adverb. (triceni) Apud *Cic.* 3. *Rep.* 10. 17. (edente *A. Maio*) et in *Fragm. orat. pro Fontejo* (edente *Niebhurio*) 3. et *Plin. loc. cit.* scribitur *triciens.* V. MILIES. — Etiam *trigies* apud *Capell.* 7. *p.* 241. *Kopp.* Septies septuagies dipondius facit quadringentos trigies dipondius. *h. e.* 6 × 70 = 430. — Tricies est trigesies, triginta vicibus. *Colum.* 5. *R. R.* 2. *sub fin.* Pedes tricies triceni fiunt nongenti. *Auct. B. Afr.* 97. Tricies centenis millibus pondo olei eos multat. *Liv.* 28. 9. Tricies octoginta milia. *Martial.* 5. 39. Supremas tibi tricies in anno Signanti tabulas, Charine, misi Hyblæis madidas thymis placentas. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (46). Liguribus ager triciens datus. *Id.* 4. *ibid.* 16. 30. (102). Insula patet triciens octies centena vigintiquinque milia P. *h. e.* 3825 miliaria. Alii aliter leg. *Vitruv.* 1. 6. Semel et tricies mille et quingenties. *h. e.* 31500. *V.* TRICESIES. — Quum de pecunia sermo est, post *tricies* subintelligitur *centena milia;* sic etiam post *vicies, centies* etc. *Cic.* 3. *Verr.* 38. 95. Tricies sestertium. et *Martial.* 4. 37. Ex insulis fundisque tricies soldum (*redit*). *h. e.* tricies centena milia sestertium plenà et integra seu ter milies mille, *scil.* 3,000,000. Sic *id.* 1. 100. dixit *vicies* plenum. *Inscr.* in *Annal. dell' Instit. T.* 4. *p.* 151. (*L. Dasumius P. F. Stel. Tullius Tuscus Cos.*) THERMAS MVNICIPALES QVAS P. TVLLIVS PATER EIVS COS. AVG. SESTERTIO TER ET TR. (*h. e.* tricies) TESTAMENTO FECIT ADIECTA PECVNIA AMPLIATOQVE OPERE PERFECIT. Vides itaque hic *sestertio ter et tr.* interpretandum esse: *con la spesa di* 3,300,000 *sesterzi.* V. SESTERTIUS.

TRICĪLĪNĬUM. *V.* TRICLINIUM.

TRĬCĬNĬUM, ĭi, n. 2. (tres *et* cano) cantus trium vocum, *canto di tre voci. Symmach.* 1. *Ep.* 41. (*al.* 47.) Tricinium semivolucrum puellarum. *h. e* trium Sirenum cantus.

TRĬCINTA. *V.* TRIGINTA.

TRĬCĬNUS. *V.* TRICHINUS.

TRĬCLA et

TRĬCLĔA et

TRĬCLĒNA et

TRĬCLĬA, æ, f. 1. *V.* TRICHILA.

TRĬCLĪNĀRIS et

TRĬCLĪNĀRĬUS. *V.* TRICLINIARIS.

TRĬCLĪNĬARCHA et

TRĬCLĪNĬARCHES, æ, m. 1. τρικλινιάρχης, servus convivio præpositus et totius tricliniaris ministerii curator. *Petron. Sat.* 22. Jam tricliniarches experrectus lucernis occidentibus oleum infuderat. *Inscr.* apud *Gruter.* 474. 4. Tricliniarcha. Adde *alias* apud *eumd.* 578. 1. et 579. 7. (V. *Orell. n.* 794. 2952. et *Henzen n.* 6337.)

TRĬCLĪNĬĀRES et

TRĬCLĪNĬĀRĬA, ĭum. *V.* voc. seq. in fin.

TRĬCLĪNĬĀRIS et triclinaris, e, adject. (triclinium) ad triclinium et ad cenandum pertinens, *da tavola. Varro* 8. *L. L.* 32. *Müll.* Tricliniaris gradus. *Id.* 9. *ibid.* 47. mappæ. *Id.* apud *Non. p.* 545. 4. *Merc.* dolia et apothecæ. *Plin.* 37. *Hist nat.* 2. 6. (14). Tertio triumpho transtulit lectos tricliniares tres etc. *Inscr.* apud *Gruter.* 576. 6. SEX. POMPEIO VOLESIO SEX. POMPEI SER. TRICLINIAR. etc. *Alia* apud *Don. cl.* 7. *n.* 35. VOLVSIANVS CARITVS AVG. N. SER. TRICLINIAR. *Labeo Dig.* 33. 5. 20. Vestimenta tricliniaria sumere. *vesti da camera,* cenatoria, cubitoria. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tricliniares, ium,* m. plur. 3. videntur *Viscontio* in *Op. var. T.* 2. *p.* 59. ed. *Mediol.* fuisse sodales collegiorum omnium, qui Trebulæ Mutuscæ in tricliniis publicis epulandi causa convenire solebant. Horum meminit *Inscr.* Trebulana apud *Fabrett. p.* 699. *n.* 210. AVRELIAE CRESCENTIAE (*lege* Crescentinæ) PATRONAE CONIVGI AVRELII FELICISSIMI PATRONI MVNICIPII TREBVLANI MVT. STATVAM PONENDAM TRICLINIARES DECREVERVNT: DEDICATA NATALI DIE XVI. KAL. FEB. ARRIANO ET PAPO COS. *h. e.* ann. a Chr. n. CCXLIII.

*Tricliniaria, ium,* n. plur. 3. ¶ 1. Sunt stragula ornandis lectis in triclinio. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (196). Metellus Scipio, triclinaria Babylonica sestertium octingentis millibus venisse jam tunc, posuit in Catonis criminibus. *Id.* 9. *ibid.* 39. 63. (137). Qua purpura quis non jam, inquit, tricliniaria facit? ¶ 2. Item ipse locus triclinii in ædibus. *Varro* 1. *R. R.* 13. *sub fin.* Ut spectent sua æstiva tricliniaria ad frigus orientis, hiberna ad solem occidentem. *tinello da state e da inverno.* ¶ 3. Item ipsi lecti tricliniares ad epulandum appositi. *Acta Arval.* a. post Chr. 218. apud *Henzen p.* 12. In tricliniaribus discubuerunt et epulati sunt. Cf. *Marini Fr. Arv. p.* 535.

Homonym. *Tricliniaris* a *tricliniario* differt, uti docet *Charis.* 1. *p.* 76. 21. *Keil.* « Cubicularius est custos cubiculi, cubicularis vero lectus cubiculo aptus - et balnearius fur, balnearis autem urceus et solea balnearis: unde perspicuum est, Calvum ad amicos non recte dixisse: *ne triclinarius,* quum *triclinaris* dicere maluisset ».

TRĬCLĪNĬĀRĬUS et triclinarius, ĭi, m. 2. (triclinium) absolute dicitur de servo tricliniari. *Inscr.* apud *Zacchar. Excurs. litt. p.* 362. et apud *Marin. Frat. Arv. p.* 535. DIS MANIBVS T. FLAVII AVG. L. FORTVNATI CAES. N. TRICLINIARII EX DEC. III. Cf. voc. præc. in fin.

TRICLINIASTES, æ, m. 1. (triclinium) idem ac tricliniarius. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 162. Triclinium, tricliniastes. *Alii* tricliniensis.

TRICLINIENSIS. *V.* voc. præced.

TRĬCLĪNĬUM, ĭi, n. 2. *Triclinum* et *triclinus* in *Gloss. Labb.* 187. (d) Cf. *Prob. App. p.* 198. 27. *Keil.* — *Tricilinum* habet *Varro* 3. *R. R.* 13. 2. Etiam *trichlinium* scribitur cum aspiratione in *Inscr.* apud *Orelli n.* 3882. et *trichilinium* in *Inscr.* apud *Guasc. Mus. Capitol. T.* 2. *p.* 191. IS MONVMENTVM EX PECVNIA COLLATA SOCIORVM AEDIFICAVIT ARBITRATV SVO IDEMQVE TECTORIA PERFECIT ET TRICHILINIVM SOCIORVM EX SVA PECVNIA OPERE TECTORIO PERPOLIIT. V. *Orelli Inscr. n.* 4517. (et *Anthol. Lat.* 898. *M.*) et *Henzen Inscr. n.* 7372. — *Triclinia* in sing. num. videtur esse apud *Petron.* 71. Faciatur, si tibi videtur, et triclinia. *Nisi malis,* faciatur *more Græcorum de neutr. plur. esse pro* faciantur. — Triclinium est lectus trium capax, in quo mensæ accumbebatur, τρικλίνιον: a τρεῖς tres, vel τρίς, ter, et κλίνη, lectus; quamquam quum Græci raro ea voce utantur et vix aliter quam si de rebus Rom. loquuntur, contra frequenter pro loco, quo *tres clinare* se possent, vocabulum quasi postliminio ad Græcos rediit, quia jam dudum adject. τρίκλινος, ἑξάκλινος, sc. οἶκος, utebantur. V. *Rost.* — Fuerunt quidem et minores, in quibus duo accumbebant, *biclinia* dicti, aut unus tantum, *scimpodia;* et latiores, in quibus quattuor aut quinque (*Horat.* 1. *Sat.* 4. 86. Sæpe tribus lectis videas cenare quaternos); sed fere tres simul hi lecti capiebant

qui qua ratione atque ordine discumberent, in ACCUMBO dictum est; ubi schema quoque triclinii est appositum. Hinc *Juvenal.* 5. 17. Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto. — Postquam vero mensæ citreæ, quæ rotundæ erant, in honore magno apud omnes esse cœperunt, pro lectis usi stibadio sunt seu sigmate. *V.* SIGMA et STIBADIUM. — Sunt quidam ex recentioribus, qui *triclinium* velint proprie significare tres lectos tricliniares: quæ tamen ab iis afferuntur loca, rem non videntur probare, ubi commode *triclinium* vel pro lecto tricliniari vel pro cenatione seu triclinii loco sumitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Varro* 3. *R. R.* 13. Erat locus celsus, ubi triclinio posito cenabamus. *Cic.* 4. *Verr.* 74. *sub fin.* Non quæro, unde habueris quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra. *letti da pranzare.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 52. (146). Triclinia argentea, testudinea, lignea etc. ¶ 2. *Triclinium sternere* — *a*) Est componere ad discumbendum et stragula veste ornare: quæ in luxu a ditioribus Babylonica aut e purpura dibapha adhibebatur. *Vitruv.* 6. 10. Œci quadrati tam ampla magnitudine, uti faciliter in eis, tricliniis quattuor stratis, ministrationum ludorumque operis locus possit esse spatiosus. *Cic.* 5. *Verr.* 25. 61. Quum Apronius e palæstra redisset et in triclinio, quod in foro straverat, decubuisset. *Martial.* 10. 13. Strataque non unas cingunt triclinia Bajas. — *b*) Est etiam lectos tricliniares in triclinio ponere. *Varro* 9. *L. L.* 9. *Müll.* Qui triclinium constrarunt, si quem lectum de tribus unum imparem posuerunt etc. *Cic. Mur.* 36. 75. Rogatus, ut triclinium sterneret, stravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Triclinia lectis eburneis strata fuerunt. Duobus tricliniis pontifices cubuerunt: in tertio triclinio Popilia etc.

II.) Metonymice. ¶ 1. Est cenatio, *h. e.* locus, ubi sternuntur lecti ad cenandum, *refettorio, tinello.* *Varro* 8. *L. L.* 29. *Müll.* Triclinia hiberna et æstiva. *Cic.* 13. *Att.* 52. Villa ita completa militibus est, ut vix triclinium, ubi cenaturus ipse Cæsar esset, vocaret. *et mox.* Præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiose. *Id.* 2. *Orat.* 65. *in fin.* Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Quum tu, inquit, de cubiculo alieno. *Quintil.* 11. 2. *ante med.* et *Phædr.* 4. 24. Triclinium illud supra convivas corruit. *Lamprid. Helagab.* 21. Triclinia versatilia, *h. e.* instructa tegminibus seu velis, quæ versari circumagive poterant. *Manil.* 5. 507. triclinia templis Concertant: tectique auro jam vescimur auro. ¶ 2. In illo *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 51. (144). Lectos mulierum totos operiri argento et triclinia quædam. et 34. *ibid.* 3. 8. (14). Triclinia ærata abacosque et monopodia etc. *Harduin.* intelligit mensas in tricliniis: additque auctoritatem *Vitruvii* 6. 10. Quæ omnia tamen non videntur esse satis, ut rem conficiant. — De triclinio V. *Ciacconium.*

Homonym. Discrimen inter *triclinium* et *cenationem* V. in CENATIO.

TRĪCO, *as. V.* TRICOR.

TRĪCO, ōnis, m. 3. (tricor) contentiosus, litium amans, rixator: et præcipue qui, ne solvat æs alienum, tricas comminiscitur et impedimenta: et, universim, nequam, nebulo, male feriatus, ἐριστής (It. *litigioso, contenzioso, imbroglione, barone, briccone;* Fr. *qui cherche des querelles, un chicanier, un trigaud;* Hisp. *un litigioso, tramposo, engañador;* Germ. *der Räukeschmied;* Angl. *litigious or quarrelsome person, a shuffler, cheat*). *Lucil.* apud *Non.* p. 8. 24. *Merc.* Nec mihi amatore hoc opu' nec tricone vadato. *Id. ibid.* p. 22. 30. Luciu' Cotta senex, Crassi pater huju' Panœti Magnus trico fuit nummariu', solvere nulli Lentus (in voce *Panœti* videtur latere mendum: fortasse legend. *panœthi,* a Gr. πάναιθος, totus lucidus, splendidus. Cf. *Müll.* ad *h. l.* *Capitolin. Ver.* 4. Ut vagaretur nocte et comissaretur cum triconibus et committeret rixas. *Alii leg.* commisceretur cum triconibus. *V.* STRIGO, onis.

TRĬCOCCUM, i, n. 2. τρίκοκκον, genus heliotropii, ubique nascentis, foliis minoribus, quam helioscopii, et in terram vergentibus, semine scorpionis caudæ simili: unde et scorpiuron vocatur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 11. 29. (57).

TRĬCŌLON. *V.* TRICOLOS.

TRĬCŌLOR, ōris, omn. gen. adject. (tres *et* color) qui tres colores habet. *Priscian. p.* 1358. *Putsch.* Cf. tamen ed. *Hertz v.* 2. *p.* 416. 31. et *Keil v.* 3. *p.* 416.

TRĬCŌLOS, on, *et* tricolus, a, um, adject. τρίκωλος, tria membra habens: a τρεῖς, tres, et κῶλον, membrum; dicitur autem de carminibus. (V. *Gramm. Gaisf. p.* 352.) *Mar. Victorin.* 4. *p.* 2609. *Putsch.* Prima ejusdem (*Horatii*) Ode monocolos inducitur; id est unius membri qualitate compositam, dicoloe autem duorum; similiter tricoloe vel tetracoloe trium seu quattuor generum diversitate subsistunt. Alii Græcis litteris scribunt. Adde *Serv. De cent. metr. p.* 469. 25. *Keil. Fortunatian.* 2. 28. 5. *p.* 294. 28. *ibid.* Colon, a quo tricola vel tetracola carmina. — Hinc

*Tricolon* vel *tricolum, i,* n. 2. absolute ¶ 1. Est periodus, sententia tribus membris constans. *Seneca* 4. *Controv.* 25. *sub fin.* In tricolis et in omnibus hujus generis sententiis curamus, ut numerus constet; non curamus, ut sensus. *et* 2. *Controv.* 12. *ad fin.* Dixit quasi tricolum tale, qualia sunt, quæ basilicam infestant. *h. e.* molesta sunt audientibus in basilica oratorem. ¶ 2. Est etiam figura rhetorica. V. *Auct. carm. de figur.* in TERJUGUS.

TRĬCONGĬUS, ii, m. 2. (tres *et* congius) qui tres congios habet. Hinc voce *Tricongius* nuncupatus Novellius Torquatus Mediolanensis, tribus congiis vini epotis uno impetu, spectante Tiberio principe. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (144). — Hujus *inscr. sepulcr.* legitur mutila apud *Murat.* 750. 9. et suppleta a *Borghesio* in *Annal. dell' Istit. arch. a.* 1846. *p.* 317.

TRĪCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (tricæ) Etiam *trico, as,* act. 1. *Not. Tir. p.* 150. Tricat, intricat, extricat, retricat, protricat. Adde *Vulg. interpr.* et *Apic. loc.* infra *cit.* — Part. *Tricatus.* — Tricor est tricas loquor, involute et perplexe dico, nugor. — 1.°) *Tricor,* forma passiva. *Cic.* 14. *Att.* 19. *a med.* Publilius tecum tricatus est. *et* 15. *ibid.* 13. *a med.* Vectenum accusat: tricatur scilicet, ut homo talis. *h. e.* moras nectit, tergiversatur, futiles excusationes affert, ne solvat. *V.* TRICÆ. — 2.°) *Trico,* forma activa. — *a*) Eodem sensu ac tricor, legitur in *Not. Tir. p.* 150. V. supra. — *b*) Item passive impers. *Phædr.* 3. 6. Namque et ubi tricandum et ubi currendum sit, scio. *Alii leg.* strigandum. *V.* STRIGO, as. — *c*) Alio sensu, transitivorum more, est molestia afficio, vexo, mora impedio, tardo. *Vulg. interpr. Eccli.* 32. 15. Hora surgendi (*e convivio*) non te trices. *h. e.* noli moram producere. — Absolute. *Apic.* 8. 7. § 384. *Sch.* Liquamen piperatum, ova mittantur, trica et consultur. *h. e.* inculca, imple eam impensam, ut exponit *Schuch,* qui ita legit pro vulg. *tria.*

TRĬCORNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (tres *et* corniger) tria cornua gerens. *Auson. Edyll.* 14. *de litt. monosyll. in fin.* Furca tricornigera specie pæne ultima sum Ι.

TRĬCORNIS, e, adject. (tres *et* cornu) tria habens cornua, *di tre corna,* τρίκερως. *Plin* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (73). Indicos boves unicornes tricornesque. Adde *Solin.* 52.

TRĬCORPOR (tricorpus), ŏris, omn. gen. adject. (tres *et* corpus) *Tricorpus* pro *tricorpor* in *Gloss. Labb.* 187. In recto *tricorpor* apud *Priscian. Inst.* 6. 48. et 87. *De fig num.* § 31. *p.* 416. 31. *H.* et *Osbern. Thes.* 109. — Tricorpor est tria habens corpora, τρίσωμος. *Virg.* 6. *Æn.* 289. et forma tricorporis umbræ. *idest* Geryonis *Sil. It.* 3. 422. Geryonis peteret quum longa tricorporis arva. *Id.* 13. 201. Monstrum Geryones immane tricorporis iræ.

TRĬCORPUS. *V.* voc. præced.

TRICORUM, i, n. *et*

TRĬCŌRUS, a, um. *V.* TRICHORUS.

TRĬCŌSUS, a, um, adject. (tricæ) fallax tergiversator, qui tricatur. *Lucil.* apud *Non. p.* 79. 26. *Merc.* Hic tricosu' bovinatorque, ore improbu' duro. Alii *strigosu'* et quidem rectius; *Müll.* vero *stricosu'*. V. STRIGOSUS. *Inscr.* apud *Gruter.* 50. 1. de *Hercule.* ALCMENES IOVIS ET MAGNI FORTISSIMA PROLES TRICOSVS SVBITO POST MEA FATA (al. *facta*) VOCOR. *Gloss. Labb.* Tricosus, ἀργεῖος, ἔκλυτος.

TRĬCŪBĬTUS, a, um, adject. (tres *et* cubitus) qui trium cubitorum est. *Boeth. Arist. prædic.* 1. *p.* 214. dicitur enim tricubitam magnitudinem habere. — Absolute. *Id. ibid. p.* 127. Quantitas, ut bicubitum, tricubitum. *Id. Elench. Soph.* 2. 5. *p.* 753. Putasne quadricubitum tricubito majus?

TRĬCŬLA, æ, f. 1. Scribere velint alii *trichula,* cum aspiratione, a θρίξ, τριχός, capillus. — Tricula est proprie deminut. a *tricæ,* qua pilos significant, et est quæ pilos vellit vel resina calente aut dropace pilos suburit et lævigat. *Gloss. Cyrill.* Παρατίλτρια, tricula.

TRĬCŪRĬUM, ii, n. 2. (tres *et* cura) magna sollicitudo vel cura, quasi triplex cura. *Priscian. Part. XII. vers. Æn. p.* 1242. *Putsch.,* ubi *Keil* leg. *triscurrium;* at prior lectio præferenda.

TRĬCUSPIS, ĭdis, omn. gen. adject. (tres *et* cuspis) tres habens cuspides, tridens, *di tre punte,* τριγλώχιν. *Ovid.* 1. *Met.* 330. positoque tricuspide telo Mulcet aquas rector pelagi.

TRĬDACNUS, a, um, adject. trino morsu exedendus: a τρίς, ter, et δάκνω, mordeo. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (63). Necnon inter nos nepotis cujusdam nomenclator tridacna (*ostrea*) appellavit; tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent.

TRĪDENS, entis, omn. gen. adject. (tres *et* dens) Abl. sing., absolute, est *tridente* apud *Propert.* 2. 20. 48., *Ovid.* 1. *Met.* 283., *Senec. Agam.* 557. etc.; et *tridenti* apud *Virg.* 1. *G.* 12. et 1. *Æn.* 145. et alibi. *Sil. It.* 3. 53. et *Val. Flacc.* 1. 688. — Genet. plur. *tridentum* apud *Vulg. interpr.* 1. *Reg.* 13. 21. — Tridens est tres habens dentes seu cuspides, tricuspis, trifidus, *di tre denti o punte,* τριόδους. *Virg.* 5. *Æn.* 143. et 8. *ibid.* 690. Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor. Alii, retento aut omisso *que,* leg. *stridentibus;* de quo multa grammatici, præcipue *Pierius.* V. STRIDEO. Sic *Val. Flacc.* 1. 688. volat immissis cava pinus habenis Infinditque salum et spumas vomit ære tridenti. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). Ruminales hostias, donec tridentes fierent, puras negavit. *Alii leg.* bidentes. Adde *Arnob.* 3. 81. *Hild.* — Hinc

*Tridens, entis,* m. 3. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est ferrum piscatorium, hastæ præfixum, quo majores pisces transfiguntur, fuscina, *fascina, forcone, forcina, tridente,* τρίαινα. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (92). Polypus ægre multis tridentibus confici potuit. *et ibid.* 15. 20. (51). Thynni ne tridente quidem in eos sæpius jacto territi. *et ibid.* 29. 45. (84). Sæpiæ percussæ tridente. ¶ 2. Fuit telum gladiatoris retiarii. *Juvenal.* 8. 203. movet ecce tridentem, Postquam librata pendentia retia dextra Nequidquam effudit. *V.* FUSCINA. ¶ 3. Poetæ sic vocant sceptrum Neptuni. *Virg.* 1. *G.* 12. tuque o, cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridenti, Neptune. *Id.* 2. *Æn.* 610. Neptunus muros magnoque emota tridenti Fundamenta quatit. et 418. sævitque tridenti Spumeus atque imo Nereus ciet æquora fundo. *Propert.* 2. 20. 48. Lernæ pulsa tridente palus. Adde *Sympos. ænigm.* 63. in *lemm. p.* 538. *Wernsd.* ¶ 4. Est etiam symbolum crucis in monumentis christianis. V. *De-Rossi Rom. sott. T.* 2. *p.* 317.

TRĬDENTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (tridens *et* fero) qui fert tridentem: appositum Neptuni. *Ovid.* 8. *Met.* 595. o proxima cælo Regna vagæ, dixi, sortite, tridentifer, undæ.

TRĬDENTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (tridens *et* gero) tridentifer: appositum Neptuni. *Ovid.* 11. *Met.* 203. Cuique tridentigero tumidi genitore profundi.

TRĬDENTĬPŎTENS, entis, omn. gen. adject.

(tridens et potens) tridente potens: epitheton Neptuni, ut *ignipotens* Vulcani, *bellipotens* Martis et Palladis, *arcipotens* Apollinis. *Sil. It.* 15. 159. Dive tridentipotens, cujus maria ire per alta Ordimur. Est qui leg. *tridente potens.*

TRĬDĬGĬTUS, a, um, adject. (tres et digitus) tres digitos habens. *Beda De num. T.* 1. p. 103. V. *Quicherat* in *Add. p.* 299.

TRĪDŬĀNUS, a, um, adject. (triduum) trium dierum spatio durans, *di tre giorni*, τριήμερος. *Apul.* 10. *Met.* Munus gladiatorium triduani spectaculi pollicitus. *Hieronym. Ep.* 54. *n.* 10. Venter præfertur, esuriens triduanis jejuniis semper. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 207. Triduanum funus. *Boeth.* 3. *Cons. phil. pros.* 8. febris. Adde *Arat.* 1. *Act. Ap.* 726.

TRĪDUM et

TRĪDŬUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĪDŬUS, a, um, adject. (tres et dies) *Triduom* pro *triduum* passim occurrit apud *Plaut. Bacch.*, *Curc.* et alibi. — Item *tridum* pro *triduum* in *Titulo* apud *Mommsen Inscr. Helv. n.* 149. — Primam corripuit *Sedul. carm. Pasch.* 5. 244. — Triduus est idem ac triduanus. *Inscr.* apud *Murat.* 1111. 6. Epulum triduum. — Hinc

*Triduum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, trium dierum spatium, ut *biduum* duorum, *quatriduum* quattuor, τριημερία (It. *spazio di tre giorni, triduo;* Fr. *espace de trois jours;* Hisp. *espacio de tres dias;* Germ. *die Zeit od. Zeitraum von drei Tagen;* Angl. *the period of three days*). *Plaut. Cist.* 1. 1. 106. Ut hanc hoc triduom solum sinas esse hic. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 144. Ubi triduom solum sinas esse hic. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 144. Ubi triduom continuum fuerit, jam odiosus siet. *Ter. Phorm.* 3. 2. 4. Neque te exorare, ut maneas triduum hoc? *Id. Andr.* 2. 6. 9. Bidui est aut tridui hæc sollicitudo: deinde desinet. *Cæs.* 1. *B. G.* 26. *extr.* Ipse, triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi cœpit. *Cic. Mil.* 9. *in fin.* Clodius respondit, triduo illum, ad summum quatriduo periturum. *dentro tre, al più quattro dì.* et 2. *Legg.* 22. *in fin.* Decrevit habendas triduum ferias. *per tre dì.* et *Martial.* 2. 6. Quid prodest mihi tam macer libellus, Si totus tibi triduo legatur? *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 80. (152). Folia commanducata per triduum terna. *Id.* 2. *ibid.* 97. 100. (219). Æstus idem triduo in mense consistit, septima, octava nonaque Luna. *tre giorni al mese.*

TRĬĔMĬTŎNĬUM. *V.* TRIHEMITONIUM.

TRĬENNĀLIS, e, adject. (triennium) ad triennium pertinens, trietericus, *triennale. Inscr.* sublestæ fidei apud *Murat.* 2019. 5. LIBERO PATRI SAC. LVDIS TRIENNALIBVS DATIS ET POPVLO EPVLIS DISTRIBVTIS etc. *V.* ORGIA. Hanc vero *Mommsen* et *Henzen* omnino spuriam putant. Attamen ejus usum firmat *Gloss. Lat. Gr.* Triennalis, τριετηρικός. Adde *Thes. utr. ling. p.* 818. *Vulc.* Cf. BIENNALIS.

TRĬENNĬA, ium. *V.* voc. seq.

TRĬENNIS, e, adject. (tres et annus) qui tres annos habet, trimus. *Vulg. interpr. Gen.* 15. 9. Sume tibi vaccam triennem. — Hinc

*Triennia, ium*, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt *trieterica sacra* in honorem Bacchi celebrari solita. *Ovid.* 9. *Met.* 641. Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ. *V.* TRIETERICUS. — *Forcellinus* noster derivat a voc. seq.

TRĬENNĬUM, ii, n. 2. (tres et annus) trium annorum spatium, τριετία (It. *spazio di tre anni, triennio;* Fr. *espace, laps de trois ans;* Hisp. *espacio de tres años;* Germ. *ein Dreijahr, drei Jahre als Zeitraum;* Angl. *the space of three years*). *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 70. Nam illic noster est fortasse circiter triennium. Adde *Most.* 2. 2. 10. et *Auct. B. Afr.* 19. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Usipetes agris expulsi et multis locis Germaniæ triennium vagati. *Sall.* 1. *Hist. fr.* 20. Triennio frustra trito. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 2. Præclarum est summo cum imperio fuisse in Asia triennium. *Id.* 15. *Fam.* 16. *a med.* Biennium aut triennium est, quum virtuti nuntium remisisti. *Nepos Hannib.* 3. Proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit. — Inde ab Augusto, auctore Mæcenate, invaluit, ut provinciarum præsides non minus quam triennium provincias obtinerent. *Tac. Agric.* 9. Cf. *Dion.* 52. 23., quamquam id institutum non ubique accurate servabatur. Ita *Kritz* ad *Tac. loc. cit.*

TRĬENS, entis, 3. (tres) *Trian* prave pro *triens* apud *Gromat. vet. p.* 339. 29. *L.* et *Metr. Scriptt.* ed. *Hultsch. p.* 130. *n.* 27. — Triens usurpatur

I.) Substantive, masc. gen., est tertia pars. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 7. *Att.* 8. Quum sciemus, quantum quasi sit in trientis triente. *h. e.* in tertia parte ipsius trientis. *Colum.* 12. *R. R.* 20. *ad fin.* Si humida fuerit vindemia, trientem; si sicca, quadrantem medicaminis in binas amphoras miscere solitus sum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 68. (133). Prunorum baccæ in vino si decoquantur, ita ut triens ex hemina supersit. *Manil.* 3. 563. Bis quinos annos Aries unumque triente Fraudatum dabit. *h. e.* annos undecim, demptis quattuor mensibus, qui sunt triens seu tertia pars anni. Adde 566. *et* 568. ¶ 2. Speciatim tertia pars assis, quæ sunt unciæ quattuor, *quattro oncie*, τριτημόριον. *Varro* 5. *L. L.* 171. *Müll.* Triens, quod tertia pars (*assis*). et *ibid.* 172. Bes, ut olim des, dempto triente. Adde *Horat. Art. P.* 237. ¶ 3. Item tertia pars numeri senarii, h. e. duo, apud mathematicos. *Vitruv.* 3. 1. *circa med.* ¶ 4. Item nummus aureus, tertia pars solidi. *Gallien.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* 17. *in fin.* Misi ad eum aureos Valerianos centum quinquaginta, trientes Saloninianos trecentos. *h. e.* tremisses cum effigie Salonini Aug. filii mei. ¶ 5. Iter nummus æreus tertiam valens partem assis, obolo similis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (45). Nota æris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero et quadrante ratis. *Epit. Liv.* 60. Frumentum semisse et triente plebi dare. (*V.* SEMISSIS) *Juvenal.* 3. 267. nec habet quem porrigat ore trientem. *Messala* apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 38. (137). Serviliorum familia habet trientem sacrum, cui summa cum cura magnificentiaque sacra quotannis faciunt: quem ferunt alias crevisse, alias decrevisse videri et ex eo aut honorem aut deminutionem familiæ significari. *Liv.* 22. 10. *a med.* Ludi magni voti æris trecentis, triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus, triente. ¶ 6. Quum *as* etiam universam hereditatem significet, *triens* est ejus pars tertia. *Sueton. Aug.* 101. Heredes instituit Drusum ex triente et ex partibus reliquis Germanicum liberosque ejus. *Cic.* 7. *Att.* 8. Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus coheredibus esse in triente. ¶ 7. Item tertia pars pedis, in mensuris. *Vitruv.* 10. 6. Quum trientes a bubus ducerentur. *h. e.* scapi trientales seu crassitudinem habentes quattuor pollicum, quæ est quarta pars pedis in duodecim divisi. ¶ 8. Item tertia pars digiti, in iisdem mensuris. *Frontin. Aquæd.* 26. *et* 38. Modulus habet diametri digitum unum et trientem. ¶ 9. Item tertia pars jugeri. Itaque quum jugerum habeat pedes quadratos 28,800, triens ejus est pedum 9,600, ut *Colum.* 5. *R. R.* 1. *a med.* docet. Adde *ibid.* 2. ¶ 10. Quattuor cyathi, qui sunt tertia pars sextarii (nam sextarius duodecim cyathos continet), *trientis* nomine appellantur: et fuit poculum quattuor cyathorum capax, in conviviis et compotationibus adhiberi solitum, *bellicone. Propert.* 3. 8. 29. Quum fuerit multis exacta trientibus hora. *Martial.* 6. 86. Setinum dominæque nives densique trientes, Quando ego vos, medico non prohibente, bibam? et 9. 88. Septem post calices Opimiani Denso quum jaceam triente blæsus. *Id.* 10. 49. Quum potes amethystinos trientes Et nigro madeas Opimiano. *h. e.* calices ex amethysto, quattuor cyathorum capaces. Adde 1. 107. et 4. 83. et 9. 91. et 11. 6. et 39. etc. ¶ 11. *Triens tertius* est duarum librarum pondus cum triente. *Festus p.* 363. 26. *Müll.* Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Jovi donum scripsit Quinctius dictator. (V. *Liv.* 6. 29.) Id significare ait Cincius, duas libras pondo et trientem, qua consuetudine hodieque utimur, quum lignum bes alterum dicimus etc. *V.* BES.

II.) Adjectivorum more, *trientes pensiones* dixit *Lamprid.*, cujus locus in TRIENTARIUS recitabitur. — Sic *usuræ trientes* apud *Paul. Dig.* 35. 2. 3. *extr.*, quum tertia pars centesimæ quotannis penditur. *quattro per cento.*

TRĬENTĀBŬLUM, i, n. 2. Ratione etymi, probabilius est ab inusit. *triento* et syllabica adjectione, ut a *sto stabulum*, a *venor venabulum* et hujusmodi. — Trientabulum est ager, qui pro tertia parte pecuniæ datus est a senatu iis, qui pecuniam mutuam reipublicæ dederunt in Punicum bellum, ut narrat *Liv.* 31. 13. *extr.*, ubi olim non *trientabulum*, sed *trientius tabuliusque* vulgo legebatur; sed perperam, nam ita legend. esse patet ex *fragm. leg. Agr.* ed. in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 200. QVEI (*ager*) IN TRIENTABVLEIS EST etc. *V.* integr. loc. Cf. *Mommsen* in *Bericht. über d. Verhandl. d. Sächs. Ges.* 1850. p. 98. Alii tamen leg. *trientalibus.*

TRĬENTAL, alis, n. 3. (triens) poculum tertiam partem sextarii capiens, id est quattuor cyathorum. *Pers.* 3. 100. Calidumque triental Excutit e manibus. Alii leg. *trientem.* V. voc. præc.

TRĬENTĀLIS, e, adject. (triens) qui trientem continet, τριτημοριαῖος. *Vitruv.* 10. 6. De materia trientali scapos quattuor compegit. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 17. (34). Asplenum sunt qui hemionion vocant, foliis trientalibus multis, radice limosa etc. *sc.* herba, quæ altitudine æquat tertiam pedis partem, h. e. pollices quattuor. *V.* TRIENTABULUM.

TRĬENTĀRĬUS, a, um, adject. (triens) qui trientem continet, ut Trientariæ usuræ, quibus quaterna annua (non duodecim) pro centum penduntur. *interesse di quattro per cento. Capitolin. Antonin. P.* 2. Fenus trientarium, hoc est minimis usuris exercuit, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret. Adde *Lamprid. Alex. Sever.* 21., qui 26. hoc fenus trientarium vocat *pensiones trientes.* Usuras, inquit, feneratorum traxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. *V.* TRIENS.

TRĬENTĬUS et tabulius ager dictus est, qui pro tertia parte pecuniæ datus est a senatu iis, qui pecuniam mutuam reipublicæ dederant in Punicum bellum, ut narrat *Liv.* 21. 13. *extr.*, ubi alii pro *tabulius* leg. *tributus* aut *tributius*, ut significetur ager triente tributus. Alii *tabulius* retinent et ad tabulas publicas referunt, in quibus illius æris alieni summa præscripta erat. Ita *Forcellinus;* sed *V.* TRIENTABULUM.

TRĬĒRARCHA. *V.* voc. seq.

TRĬĒRARCHUS, i, m. 2. et trierarcha, æ, 1. τριηράρχης et τριήραρχος, præfectus triremis, *capitano di nave:* a τριήρης, triremis, et ἀρχός, princeps. *Cic.* 3. *Verr.* 20. 52. Sese, quum esset trierarchus etc. Adde *Sueton. Ner.* 34. *Tac.* 2. *Hist.* 16. Trierarchum Liburnicarum navium interfici jubet. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 448. TRIERARCHIS ET REMIGIBVS QVI MILITAVERVNT IN CLASSE QVAE EST MISENI CIVITATEM DEDIT ET CONVBIVM etc. V. *Orell. Inscr. n.* 2652. — Forma *trierarcha* est in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 4025. et apud *Willm. Syll. n.* 1659., 1663., 1681. etc. — De conditione trierarchorum consule *Cardinali Dipl. imp. p.* 5. et *Labus lett.* 3. *Febr. a.* 1833. § 3.

TRĬĒRIS, e, adject. τριήρης, triremis, *a tre ordini di remi. Auct. B. Afr.* 44. Item altera navis trieris ex eadem classe. Ita leg. *Oudendorpius* et *Oberlinus* ex vet. cod.; at vulgo *triremis.* — Hinc

*Trieris, is*, f. 3. absolute, substantivorum more. In abl. sing. *triere* in *Inscr.* apud *Henzen n.* 6900. et *Willm. n.* 1501.[a] 36. — Trieris est navis triremis. *Liv.* 30. 25. Datæ trieres. *Drakenb.* rectius *triremes.* et *Nepos Alcib.* 4. In trierem ascendit. *Halm* leg. *triremem.* Adde *Isid.* 19. *Orig.* 1. 10. *Vulg. interpr. Is.* 33. 21. Neque trieris magna transgreditur eum. *Inscr.* apud *Gruter.* 1030. 2. L. ANNIO SEVERO MIL. CLASSIS PR. MISENENSIS EX CAPRICORNO TRIERE (*trieris*

insculptum est inscitia lapicidæ). *h. e.* militi classis prætoriæ Miseni constitutæ, in trieri, cui nomen Capricornus. Sunt *aliæ* apud *Reines. cl.* 8. *n.* 46., *Fabrett. p.* 365. *n.* 111. 113. 114. etc., *Donium cl.* 6. *n.* 9. 10. 11. et *Murat.* 293. 6. et 2027, 4., in quibus scriptum est III. Minervæ, III. Salutis, III. Pietatis etc., ubi legunt eruditi *triere Minervæ, triere Salutis, Pietatis* etc., quæ sunt nomina navium, ducta a παρασήμῳ, h. e. insigni in puppi picto. Sæpe autem sermo est de militibus classis Ravennatis aut Misenensis, quas ad tutelam superi et inferi maris collocavit Augustus, ut est apud *Sueton. Aug.* 49. Alias *Inscriptiones* huc pertinentes habet *Fabrett. De columnn. Trajan. p.* 113. — Anaglyptum trieris V. in *Annali dell'Instit. archeol. a.* 1861. *p.* 337. et *seqq.*, coll. *Tab. ibid. M. n.* 2. Cf. etiam *Rich* ad v. *triremis.*

TRĬĔTĔRĬCA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq.

TRĬĔTĔRĬCUS, a, um, adject. (trieteris) qui tertio quoque anno fit, *di tre anni, triennale,* τριετηρικός: a τρίς, ter, et ἔτος, annus, unde τριετία, triennium. Hinc speciatim *trieterica sacra* sive *orgia,* et absolute *trieterica,* fuere sacra Bacchi, quæ tertio quoque anno, sumptuosiora annuis ejus orgiis, agitabantur. Instituta sunt, quum ex India victor Liber Pater rediisset, et appellata a triennio, quo peregrinatus est. *Virg.* 4. *Æn.* 302. qualis commotis excita sacris Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia nocturnusque vocat clamore Cithæron. *Ovid.* 6. *Met.* 587. Tempus erat, quo sacra solent trieterica Bacchi Sithoniæ celebrare nurus. *Id. Remed. am.* 593. Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho Ire solet fusis barbara turba comis. *Stat.* 1. *Achill.* 595. Alternum revocare piæ trieterica matres Consuerant. Adde *Hygin. fab.* 131. — Noctu celebrabantur, unde et *Nyctelia* dicta sunt. *Stat.* 2. *Theb.* 661. non hæc trieterica vobis Nox patrio de more venit. — Hinc *trietericus* dictus est Bacchus. *Vet. Poet.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 11. *Burmann.* Semeleie Bacche, Thyrsitenens, bimater, trieterice, Nisie, Liber.

TRĬĔTĒRIS, idis, f. 3. τριετηρίς, trium annorum spatium, triennium, *spazio di tre anni, triennio:* a τριετία, triennium. Hoc quidem vulgo obtinuit, sed reapse trieteris est spatium duorum annorum et initium tertii. Hinc *Censorin. De die nat.* 18. Idque tempus Græci τριετήριδα appellabant, quod tertio quoque anno intercalabatur, quamvis biennii circuitus et revera διετηρίς esset. Unde mysteria, quæ Libero Patri fiunt alternis annis, trieterica a poetis dicuntur. *V.* LUSTRUM. ¶ 1. Generatim. *Stat.* 2. *Silv.* 6. 72. tribus Eleis unam trieterida lustris. *h. e.* annos tresdecim. *Sidon.* 2. *Ep.* 8. *in carm.* Hinc est quod decimam tuæ saluti Vix actam trieteridem dolemus. *Martial.* 10. 53. raptus trieteride nona. *h. e.* anno ætatis vicesimo septimo, *Id.* 9. 85. bis trieteride juncta. *h. e.* sex annis. *Auson. Cæsar.* 3. Julius, ut perhibent, divus trieteride regnat. ¶ 2. Speciatim sacrum, quod tertio quoque anno fit, ut Trieterida Bacchi, de quibus in voc. præc. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 58. Dionysius quintus Niso natus et Tyone, a quo trieterides constitutæ putantur. *Stat.* 4. *Theb.* 722. et atra sacrum recolit trieteris Opheltem. *et* 7. *ibid.* 93. da, parve, tuum trieteride multa Instaurare diem. Utroque loco *Stat.* Nemeæa certamina significat.

TRĬFĀRĬAM, adverb. (trifarius) ¶ 1. Est tribus partibus aut locis, *in tre parti,* τρίχα, τριχῶς. *Liv.* 3. 22. Ita trifariam adortus castra circumvenit. *Id.* 5. 26. Trifariam Romani muniebant. *Sueton. Vitell.* 13. Sed vel præcipuæ luxuriæ sævitiæque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat. ¶ 2. Item tribus modis, *in tre maniere. Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Destruitur utravis propositio universalis trifariam. Cf. *Dosith. p.* 303. 5. *Keil.*

TRĬFĀRĬE, adverb. (trifarius) idem quod trifariam, usurpatur a *Diomed.* 1. *p.* 279. *Putsch.*, et præterea legitur in libello *de progenie Augusti,* qui *Messalæ Corvino* tribuitur.

TRĬFĀRĬUS, a, um, adject. (ter et for: cf. τριφάσιος) qui triplicis generis est, *di tre sorta o maniere. Solin.* 27. Quorum trifarium genus scinditur. Ita codices quidam, sed alii *trifariam. Cassiod.* 5. *Variar.* 40. *a med.* Instructus trifariis linguis. *h. e.* tribus. Adde *Apul. De mag.* 49. et *Claud. Mamertin.* 2. *Stat. anim.* 3.

TRĬFĀTĬDĬCUS, a, um, adject. (ter et fatidicus) tripliciter fatidicus. *Auson. Edyll.* 11. 85. Atque trifatidicæ Sibyllæ. *Trifatidicas* appellat, quia veteribus tres præcipue cognitæ fuerunt, Cumæa, Erythræa et Cumana. Alii tamen rectius leg. *et tres fatidicæ.*

TRĬFAUX, faucis, omn. gen. adject. (tres et faux) tres fauces habens, τρίγναθος. *Virg.* 6. *Æn.* 417. Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Personat. *Sil. It.* 2. 551. Trifaux forma. *Schol. Bern.* ad *Virg.* 3. *G.* 439. os (*Cerberi*).

TRĬFAX, făcis, omn. gen. adject. (tres *et* facies) proprie est qui tres facies habet, ut figura triangularis. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 367. 6. *Müll.* Sic *bifax* in *Gloss. Philox.* est διπρόσωπος. Dicitur autem de telo apud *eumd. ibid.* Trifax telum longitudinis trium cubitorum, quod catapultâ mittitur. *Ennius:* aut permaceret paries percussu trifaci. *Gell.* 10. 25. Spuri, rumices, trifaces.

TRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (ter *et* fero) De recto singulari masculino idem dic, quod de *bifer,* quam vocem *V.* — Trifer est qui ter in anno fructum fert, ut *bifer* qui bis, *che dà frutti tre volte all'anno,* τριφόρος. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *circa med.* Ficus biferæ et triferæ. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 27. 50. (115). Vites et triferæ sunt, quas ob id insanas vocant, quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. *Id.* 15. *ibid.* 18. 19. (71). Ficus trifero proventu. *Sillig.* trifario.

TRĬFĬDUS, a, um, adject. (ter et findo: cf. *Priscian. De fig. num.* § 32. *p.* 416. 29. *Keil*) qui in tria dividitur aut dividi potest, triplex, *che si divide in tre,* τριφυής. *Ovid.* 2. *Met.* 325. Naides Hesperiæ trifida fumantia flamma Corpora dant tumulo. *h. e.* fulmine trisulco. Sic *Val. Flacc.* 6. 53. Cuncta phalanx insigne Jovis cælataque gestat Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes. *Id.* 1. 641. trifida Neptunus in hasta. *h. e.* tridenti. Sic *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 181. trifida Neptunus cuspide montes Impulit. Adde *Capell.* 5. *p.* 136. *Stat.* 1. *Theb.* 64. trifidæque in Phocidos arto Longævum implicuregem. *h. e.* Trigemina qua se spargit in campos via (ut ait *Seneca Œdip.* 278.), quod est trivium. *Seneca ibid.* 772. Phocæa trifidas regio qua scindit vias. *Id. Med.* 687. Serpens trifidam linguam exsertat. *h. e.* linguis micat ore trisulcis, ut *Virg.* 3. *G.* 439. ait. Sic *Sil. It.* 6. 222. trifido vibrata per auras Lingua micat motu. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 203. Trifida Sicania. *h. e.* triquetra. *Auct. Laud. Herc.* 109. *de apro Erymanthi.* Horrebant trifidis nigrantia corpora setis. *h. e.* tricuspidibus. Sic *Sil. It.* 6. 357. *de rostro in prora navis.* micat æreus alta Fulgor aqua trifidi splendentis in æquore rostri.

TRĬFĪLIS, e, adject. (tres *et* filum) tria fila habens. *Martial.* 6. 74. Medio recumbit imus ille qui lecto, Calvam trifilem semitactus unguento. *h. e.* calvam tria tantum fila seu capillos vel admodum paucos capillos habentem.

TRĬFĪLUS, a, um, adject. idem ac trifilis. *Gloss. Gr. Lat.* Τρίφιλον, trifilum gemmarium. Ita *Quicherat p.* 299.; nisi malis absolute accipere ita ut *trifilum* et *gemmarium* divisim scribenda sint.

TRĬFĪNĬA, æ, f. 1. *et*

TRĬFĪNĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĬFĪNĬUS, a, um, adject. (tres *et* finis) qui ad trifinium pertinet, tres fines habens. *Gromat. vet. p.* 250. 21. *Lachm.* Trifinius terminus. Adde *ibid. p.* 343. 28. et 405. 18. — Hinc absolute, substantivorum more

*Trifinia, æ,* f. 1. locus trifinius. *Gromat. vet. p.* 57. 18. *Lachm.* Nam lucos frequenter in trifinia et quadrifinia invenimus. Adde *ibid. p.* 69. 11. et *p.* 83. 14.

*Trifinium, ii,* n. 2. locus, quem tres possessores attingunt, τριορία, ut apud *Sicul. Flacc. De condit. agr. p.* 6. *Goes.* Adde *Isid.* 15. *Orig.* 14. 5. — *Inscr.* Hispana apud *Gruter.* 201. 5. TRIFINIVM II. VIR SACILERNVSII IDIENSIS SOLIENSIS EX SENTENTIA IVLII PROCVLI IVDICIS IMP. CAESARE IVLIANO AVG. *h. e.* trifinium posuerunt duumviri (*fratres*) Sacilernius Idiensis et Sacilernius Soliensis *etc.* ann. a Chr. n. CXCIII., quo per duos circiter menses imperavit M. Didius Julianus. Ita cl. *Furlanetto* in *App.* sed V. *Hübner* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 2349.

TRĬFISSĬLIS, e, adject. (ter *et* findo) qui tripliciter finditur, trifidus. *Auson. Epigr.* 128. 7. Ψ dicit esse: nam trifissilis forma est.

TRĬFŎLĪNUS, a, um, adject. ad Trifolium pertinens, qui est mons Campaniæ prope Neapolim, unde vino ibi provenienti nomen factum est. *Juvenal.* 9. 56. Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet. *Martial.* 13. 114. Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyæo: Inter vina tamen septima vitis ero. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (69). Campania semper inter plebeja vina et Trifolinis gloriata. Adde *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. 211. — *V.* TRIFOLIUM in ONOM.

TRĬFŎLĬUM, ii, n. 2. (tres *et* folium) herbæ genus, ita dictum a tribus foliis, quibus constat, *trifoglio,* τρίφυλλον. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 9. 30. (54). Folio coronat et trifolium. Tria ejus genera: minyanthes vocant Græci, alii asphaltion, majore folio, quo utuntur coronarii: alterum acuto, oxytriphyllon: tertium ex omnibus minutissimum etc. Adde *ibid.* 21. 88. (152)., ubi ejus vires recenset. Ad priorem *Plin.* loc. adnot. cl. *Fée:* «Pline en reconnait trois espèces; mais il est facile de s'apercevoir, que la première et la seconde sont une seule et même plante. Quant a la troisieme on peut la rapporter au *Medicago polymorpha*». Mox subdit hanc synonymiam: «Τρίφυλλον, ὀξύφυλλον, μινύανθες, ἀσφάλτιον Diosc. Lib. III.; Μινύανθες, Schol. de Nic. in *Theriac.* v. 522. — *Trifolium acutum* seu *asphaltium* et *Trifolium simonianum* Colum. VI. 17.; *Minyanthes, asphaltion, oxytriphyllon* Plin. *loc. cit.*; *Psoralea bituminosa* L., *Spec. plant.* 1075.». — Trifolii semine mulieres utebantur in capite, ut prodit *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 116.

TRĬFŎRIS, e, adject. (tres et fores) qui tres fores seu introitus habet, in *Thes. nov. Latinit. p.* 594. ed. *Mai.*

TRĬFORMIS, e, adject. (tres *et* forma) tres formas seu naturas habens, *di tre forme o nature,* τρίμορφος. *Horat.* 3. *Od.* 22. 2. et *Ovid.* 7. *Met.* 94. *et* 177. Diva triformis. *h. e.* Phœbi soror, quæ in cælo est Luna, in terris Diana, apud Inferos Hecate. Sic *Seneca Med.* 7. Triformis Hecate. *et Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 2660. Delia virgo triformis. *Capell.* 2. *p.* 41. Triformis discolorque vertigo. *Apul.* 11. *Met.* Triformis facies. *Horat.* 1. *Od.* 27. 23. chimæra. *Auson. Edyll.* 11. 40. sphinx. *Seneca Herc. Œt.* 1202. canis, *h. e.* Cerberus. *Id. Agam.* 841. Geryones. *h. e.* tricorpor. — *Ovid.* 15. *Met.* 859. Juppiter arces Temperat ætherias et mundi regna triformis. *h. e.* triplicis seu trini, sc. aeris, maris, Inferorum, quæ Junoni, Neptuno, Plutoni, sed sub Jove, parent.

TRĬFORMĬTAS, ātis, f. 3. (triformis) conditio rei, quæ triformis est. *Claud. Mamertin.* 3. *Stat. anim.* 9. *a med.* Triformitas cerebri.

TRĬFUR, ūris, m. 3. (ter *et* fur) maximus fur, insignis fur, plus quam fur, *tre volte ladro, ladro matricolato,* τρίφωρ: nam τρίς, hoc est ter, in compositione augendi vim habet et accipitur pro valde. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 6. Non fur, sed trifur. *V.* TRIPLEX.

TRĬFURCĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (ter *et* furcifer) maximus furcifer, insignis furcifer, plus quam furcifer, *tre volte briccone, arnese o ceffo da forca. V.* TURCIFER. *Plaut. Rud.* 3. 4. 29. Tun', trifurcifer, mihi audes inclementer dicere? *Id. Aulul.* 2. 4. *in fin.* Fur trifurcifer. Cf. voc. præc.

TRĬFURCĬUM, ii, n. 2. (trifurcus), id quod

in modum trigeminæ furcæ erigitur. *Apul. Herb.* 77. Gramen, quod in se trifurcium habet.

TRĪFURCUS, a, um, adject. (tres et furca) tres habens cuspides seu acumina, ut *bifurcus* duo, *triforcato*, τριγλώχιν. *Colum.* 5. *R. R.* 11. Surculi sint bifurci vel trifurci. *et ibid.* 10. *ante med.* Stirpem trifurcam maxime ponito. Adde *Arbor.* 20.

TRĪGA, æ, f. 1. (tres et jugum) Vox contracta a *trijuga*, hinc longam habet priorem syllabam. *V.* BIGA. — Triga est tres equi sub curru juncti seu currus tribus equis actus, ut *biga* duobus, *quadriga* quattuor, *carro a tre cavalli*, τρίζυγες ἵπποι: proprie autem duobus equis jugo junctis qui tertius addebatur, funalis dictus, quia sine habenis tantummodo loris adjunctus erat, ut tradit *Dionys. Halic. l.* 7. *c.* 73. et videre est in nummis gentis Næviæ et in vase Etrusco, cujus figuram exhibet *A. Rich. Cf. Sueton. Tib.* 6. V. FUNALIS. ¶ 1. Stricto sensu. *Isid.* 18. *Orig.* 36. 1. Quadrigas Soli, bigas Lunæ, trigas Inferis, sejugas Jovi, desultores Lucifero et Hespero consecraverunt. Trigas diis Inferis, quia hi per tres ætates homines ad se rapiunt, id est per infantiam, juventutem et senectutem. *Ulp. Dig.* 21. 1. 38. *sub fin.* Si triga venierit, redhibenda erit tota: sed et si quadriga, redhibeatur: sed si duo paria mularum sint et una mula vitiosa sit vel par, solum par redhibebitur, alterum non. — Sunt qui etiam boum trigas ab antiquis usitatas conjiciunt ex illo *Caton.* apud *Non. p.* 363. 10. *Merc.* Sed protelo trini boves unum aratrum ducent. ¶ 2. Latiore sensu est trium rerum numerus. *Arnob.* 4. *p.* 136. Pinnatorum Cupidinum trigas et quadrigas Apollinarium nominum. *Vet. auct. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 439. *Burmann. de trib. Fratrib.* Triga mihi paucos inter dilecta sodales, Triga sodalicii pars bene magna mei.

TRĪGĂMĪA, æ, f. 1. (trigamus) conditio illius, qui tertio uxorem duxit, qui tertias contrahit nuptias, τριγαμία. *Hieronym.* 1. *in Jovinian. n.* 37. Concedit quidem Deus nuptias, concedit digamiam et, si necesse fuerit, fornicationi et adulterio præfert etiam trigamiam.

TRĪGĂMUS, a, um, adject. τρίγαμος, qui tres conjuges vel simul vel successive duxit. *Hieronym.* 1. *in Jovinian. n.* 24. Quod si Salomonis exempla ei placent, jam non digamus erit et trigamus, sed nisi septingentas habuerit uxores et trecentas concubinas, typum ejus et meritum implere non poterit.

TRĪGĀRĪUM, ii. *V.* voc. seq.

TRĪGĀRĪUS et tricarius, a, um, adject. (triga) ad trigam pertinens; hinc absolute, substantivorum more

*Trigarium*, ii, n. 2. locus, in quo trigæ et universi equi ad cursum exercentur, *cavallerizza* Italis. ¶ 1. Proprie. *Gloss. Philox.* Trigarium, τόπος, ὅπου ἵπποι γυμνάζονται. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (202). Ne equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis (*h. e.* Italicis) animadverto. — Fuit Romæ in regione nona. *Notit. et Curios. Urb. p.* 16. et 17. Hinc *Inscr.* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 102. FECIT MINDIA HELPIS C. IVLIO THALLO MARITO SVO BENE MERENTI QVI EGIT OFFICINAS PLVMBARIAS TRANSTIBERINA (*scil.* regione) ET TRIGARII etc. *h. e.* et in regione trigarii, nempe nona. V. *eumd. ibid.* Ceterum plura videntur fuisse Romæ trigaria. *P. Vict. De urb. Rom.* ¶ 2. Translate *trigarium* est quarumcumque rerum trias. *Capell.* 7. *p.* 239. Monadem fabricatori Deo, dyadem materiæ procreanti, triadem idealibus formis consequenter aptamus: animam vero rationis et iracundiæ cupiditatisque distribuere trigario. (Alii perperam leg. *tricario*: est enim quod ait *Hieronym.* 1. *in Ezech.* 1. 7. Rationale animæ et irascitivum et concupiscitivum). *Id.* 9. *p.* 303. Ipsaque tripus trini cursus præsagia pollicetur, hoc est exstantis, instantis et rapti. Demum trigarium supplicantis semper germanitatis adveniat. Hanc igitur sive trigeminam feminam sive tres in unius nominis vocabulum conspirantes etc., *h. e.* tres Gratiæ, ut interpretatur *Thes. nov. Latinit.* apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 8. *p.* 579.

*Trigarius*, ii, m. 2. trigæ agitator. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 42. (238). Ferunt, Neronem hac potione recreari solitum, quum sic quoque se trigario approbare vellet. *Id.* 29. *ibid.* 1. 5. (9). Nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat.

TRĪGĀRĪUS, ii. *V.* voc. præced.

TRĪGĔMĪNO, as, are, a. 1. (trigeminus) triplico, *triplicare*. *Fronto* 1. *de oration.* (edente iterum *A. Maio*) *a med.* Quæ ratio sit verba geminandi et interdum trigeminandi, nonnumquam quadruplicis, sæpe quinquies aut eo amplius superlata ponendi.

TRĪGĔMĪNUS. *V.* TERGEMINUS.

TRĪGEMMIS, e, adject. (tres et gemma) qui tres habet gemmas, τρίλιθος, τριόφθαλμος. *Colum.* 3. *R. R.* 19. Vallis et uliginosi campi situ serimus etiam trigemmem (*malleolum*), qui est paullo minor dodrante, longior utique semipede isque non ab eo trigemmis dictus est, quod omnino trium oculorum est; quum fere circa plagam qua matri abscissus est, plenus sit gemmarum; sed quod his exceptis, quibus est frequens in ipso capite, tres deinceps articulos totidemque gemmas habet. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (156). Iidem (*malleoli*) quum decisi nec intorti, trigemmes.

TRĪGĒNĀRĪUS. *V.* TRICENARIUS.

TRĪGĔNES, is, omn. gen. adject. τριγενής, qui est triplicis generis. *Charis. p.* 44. 35. *Keil.*

TRĪGĒNI. *V.* TRICENI.

TRĪGĔNUS, indecl. trium generum. *Auson. Edyll.* 11. Trigenus omnigenum, genitor, genetrix, generatum. Ita leg. *Schenkl*; alii *tergenus* vel minus recte *trisgenus*. *V.* TERGENUS.

TRĪGĔRĂNUS, a, um, adject. tribus gruibus comitatus: a τρεῖς, tres, et γέρανος, grus. Est epitheton tauri, qui pro numine colebatur apud veteres Gallos. In antiquo marmore sub *Inscr.* Tiberio Aug. imperante insculpta, quæ sic legitur apud *Murat. p.* 1066. TIB. CAESARE AVG. IOVI OPTVMO MAXSVMO ARAM NAVTAE PARISIACI PVBLICE POSIERVNT. *mox n.* 2. *fig.* 4. TARVOS (*lege* tauros) TRIGARANVS (*lege* trigeranus). Infra taurus apud arborem et tres grues supra eumdem repræsentantur. Porro Taurus hic innuit ipsius animalis constellationem, quod antiquitus primum erat in zodiaco, tres autem grues ejusdem sunt decani. *V.* DECANUS.

TRĪGĒSĪES. *V.* TRICIES.

TRĪGĒSĪMUS. *V.* TRICESIMUS.

TRĪGĪES, adverb. idem ac tricies. *Capell.* 7. *p.* 241. Sexies septuagesies dipondius facit quadringentos trigies dipondius. *h. e.* 6×72=432.

TRĪGINTA, indecl. nomen numer. cardinale. *Tricinta* pro *triginta* scribitur in *Inscr.* apud *Lupi p.* 186. — Ultimam proprie longam, serius ancipitem, corripuit *Juvenc.* 4. 636. Argenti triginta minas posuere profani. *Forcellinus* et *Klotzius* addunt etiam *Manil.* 2. 322. Ter triginta quadrum partes per sidera reddant. Sed est aliter legend. — Triginta est ter decem, *trenta*, τριάκοντα. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc.* 2. 3. 65. Emi virginem triginta minis. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 96. Triginta jussu tyrannorum. *Virg.* 1. *Æn.* 273. Triginta magnos volvendis mensibus orbes. *Martial.* 7. 81. Triginta toto mala sunt epigrammata libro. — *b*) Cum aliis numeralib. *Cic.* 2. *Rep.* 10. 17. Quum septem et triginta regnavisset annos. *Id. Cluent.* 27. 74. Judices triginta et duo. *Liv.* 30. 35. Cum signis militaribus centum triginta tribus. *Id.* 36. 21. Argenti centum et triginta milia. *Curt.* 3. 29. 27. Ex peditibus triginta omnino et duo desiderati sunt.

TRĪGINTASEXVIR, iri, m. 2. qui unus est numero seu collegio virorum triginta sex, ut *vigintivir*, qui unus est ex viris viginti. Videtur ita significari, qui in aliquo municipio est ex primoribus triginta sex, ut *decemprimus*, qui inter primos decem excellit. *Inscr.* Nomentana in *Giorn. Arcad. T.* 3. *p.* 200. T. TITIVS T. F. SER. (*h. e.* Sergia tribu) TAPPO XXXVI. VIR.

TRĪGINTAVĪRĪ, ōrum, m. plur. 2. collegium sive magistratus triginta virorum, qui in municipio parvo Senatum æquabant majorum municipiorum, in quibus centumviri habebantur. *Inscr.* in *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1853. *p.* 131. et apud *Henzen n.* 6999. coll. *Annal.* ejusd. *Instit. a.* 1859. *p.* 205.

TRĪGLĪTIS, idis, f. 3. τριγλῖτις, gemma nomen habens ab effigie aut colore mulli piscis, qui τρίγλα Græcis est. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (187).

TRĪGLȲPHUS, i, m. 2. τρίγλυφος, vox est architectorum, qua significatur pars quædam zophori in ordine Dorico, tribus canaliculis seu cavitatibus in longum ductis ornata, *lavoro fatto a canaletti nel fregio*: a τρίς, ter, et γλύφω, scalpo. Originem et rationem hujus ornamenti ita describit *Vitruv.* 4. 2. *ante med.* Projecturas tignorum, quantum eminebant, ad lineam et perpendiculum parietum præsecuerunt: quæ species quum invenusta iis visa esset, tabellas ita formatas, uti nunc fiunt triglyphi, contra tignorum præcisiones in fronte fixerunt et eas cera cærulea depinxerunt, uti præcisiones tignorum tectæ non offenderent visum. Ita divisiones tignorum tectæ triglyphorum dispositione intertignium et opam habere in Doricis operibus cœperunt.

TRĪGO. *V.* TRIGON.

TRĪGODES. *V.* TRYGODES.

TRĪGON (trigo), ōnis, m. 3. τρίγων, genus pilæ minimæ, duræ et firmo pilo fartæ, qua ludebatur in thermis seu balneis, exercitationis gratia, nomen inde ductum, quod a tribus ludentibus jactabatur, et ita dispositis, ut trigoni seu trianguli figuram efficerent, vel quod locus huic ludo destinatus triangularis formæ fuit.

I.) Proprie. *Martial.* 4. 19. Seu lentum ceroma teris tepidumve trigona, Sive harpasta manu pulverulenta rapis. *Id.* 12. 83. Captabit tepidum dextra lævaque trigonem, Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas. (*tepidum* dicit, quia ludentes agitatione corporis calescebant: vel quia locus ipse tepidus erat; quod significare videtur *Stat.* 1. *Silv.* 5. 58.: vel potius quia ludentium manus ipsius attrectatu tepescebant.) *Id.* 7. 72. Sic palmam tibi de trigone nudo Unctæ det favor arbiter coronæ: Nec laudet Polybi magis sinistras. *nudum* dixit, quia nudi et uncti eo exercebantur. — Plurimus erat in eo usus sinistræ manus. *Martial.* satis indicat loco modo allato; item 14. 46., cujus lemma *Pila trigonalis*. Si me mobilibus scis expulsare sinistris, Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam. — Hunc ludum descripsisse videtur *Propert.* 3. 14. 5. et *seqq.* V. *Hertzberg* ad *h. l.*

II.) Metonymice est ipse ludus apud *Horat.* 1. *Sat.* 6. 126. sol acrior ire lavatum Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem. ubi appositivi more additum est; nisi adjectivum esse malis. Cf. TRIGONUS init. Alii aliter leg.

TRĪGON. *V.* TRYGON.

TRĪGŌNĀLIS, e, adject. (trigon) ad trigonem pertinens, ut *trigonalis pila* apud *Martial.* 14. 46., quæ eadem est ac trigon. *V.* TRIGON et SPARSIVUS.

TRĪGŌNĀRĪUS, a, um, adject. (trigon) trigonalis. *Isid.* 18. *Orig.* 69. 2. Inter species pilarum sunt trigonaria et arenata (*al.* arenaria).

TRĪGŌNĪCUS, a, um, adject. (trigonus) triangularis, trigonus, τρίγωνος. *Firmic.* 2. *Mathes.* 32. *circa med.* Trigonica vel quadrata vel diametra vel hexagona radiatio. Adde 4. *præf. sub fin.* et *ibid.* 1. *a med.* V. TRIGONUS.

TRĪGŌNĪON et

TRĪGŌNĪUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĪGŌNĪUS, a, um, et, *Græca positione*, trigonios, on, adject. (trigonus) idem ac trigonicus. *Gromat. vet. p.* 288. 8. *Lachm.* Termini trigonii. *et p.* 341. 12. *ibid.* Trigonius amoligonius. — Hinc

*Trigonium* (*trigonion*), ii, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est trigonum, triangulus. *Innocent. De casis litter. p.* 224. *Goes.* Via excurrit usque in trigonium constitutum. Adde *Vitruv.* 6. 1. et 10. 15. ¶ 2. Apud Græcos est nomen duarum herbarum. *Apul. Herb.* 3. et 65.

TRĪGŌNOS et

TRĪGŌNUS, a, um, adject. (τρίγωνος) Etiam *trigon, onis*, usurpatum videtur adjectivorum more apud *Boeth. Euclid. p.* 389. *Lachm.* Circulorum portiones sive quadratæ sive trigones. Alii tamen leg. *trigonæ*. Cf. *Horat. loc. cit.* in TRIGON. — Pænultimam male corripuit *Auson. Edyll.* 11. 50. Per trinas species trigonorum regula currit. *et Eclogar. de rat. puerper.* 39. cunctantia matrum Vota levat, trigono vires sociante sequenti. — Trigonus est triangularis, triangulus: a τρίς, ter, et γωνία, angulus. *Gromat. vet. p.* 249. 8. *Lachm.* Solus trigonus (*lapis*) illa jactat. et *p.* 354. 16. Ager trigonus isopleurus. Adde *Claud. Mamertin.* 3. *Stat. anim.* 15. et *Cassiod.* in *Ps.* 96. 4. — *Trigona signa* dicuntur ab astronomis, quæ ita disposita sunt, ut triangulum in zodiaco efficiant, v. gr. Aries, Leo, Arcitenens, quæ quattuor Signis invicem distant. *V.* TRIQUETRUS. *Manil.* 2. 276. dicuntur Signa trigona, In tria partitus quod ter cadit angulus astra. *et* 342. trigoni ductus; trigona pars. — Hinc absolute, substantivorum ritu

*Trigonum, i,* n. 2. ¶ 1. Est triangulus, *triangolo*, τρίγωνον. *Manil.* 2. 523. Namque Aries, Leo et Arcitenens sociata trigono eto. *Colum. Arbor.* 22. et 5. 10. Ternas nuces in trigonum statuito. *Vitruv.* 10. 11. *sub fin.* Quemadmodum Pythagoricum trigonum orthogonium describitur. ¶ 2. Est etiam fragmen triangulum marmoris, tegulæ etc. ad pavimenta sectilia sternenda. *Vitruv.* 7. 1. *V.* PAVIMENTUM. ¶ 3. Item genus instrumenti musici cum fidibus paribus crassitudine sed longitudine disparibus. Cf. *Platon. Rep.* 399. C., *Soph. fragm.* 361. et *Athen.* 4. 77. et 80. Hujus schema exhibet *A. Rich* ex pictura Pompejana; nullus tamen, quod sciam, Latinus scriptor vocem in hunc sensum usurpavit. ¶ 4. Item herba eadem quæ peristereon. *Apul. Herb.* 65.

*Trigonus, i,* m. 2. ¶ 1. Est idem ac triangulus. *Gromat. vet. p.* 300. 10. *Lachm.* Omnem trigonum una ratione podismare. *et p.* 341. 2. *ibid.* Trigonus orthogonius. Adde *Apul. De dogm. Plat.* 1. ed. *Goldbacher. Capell.* 2. *p.* 30. *Kopp.* Mox quid jacente, quid jugata linea Trigonus recurvet circulusque torqueat. *h. e.* nota longa –, circumflexa ⌒, brevis ‿. *V.* quæ *ibid.* adnot. ¶ 2. Est in re medica genus pilulæ trigoniæ. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard* 7. 104. Trochisci medicaminis trigoni appellati. *V.* quæ adnot. *Th. Janss.* ab *Almeloveen.* ¶ 3. Etiam piscis nomen ex genere pelamidum seu thynnorum, ita fortasse appellati ex forma, quia triangula erat ejus sectio, hinc a *Xenocrate c.* 35. vocatur τρίτομος. Hujus piscis salsamento conditi meminit *Athenæus l.* 3. *p.* 116. et *Plaut. Capt.* 4. 2. 71. Pernam atque ophthalmiam, horæum et scombrum et trigonum et cetum et mollem caseum. V. *Schneider* in *Ind. Scriptor. R. R.* in v. *Pelamis.* V. TRIGON.

TRĪGŌNUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

TRIGORICANUM, i, n. 2. nomen origani. *Plin. Val.* 4. 36. Origani Græci tria nomina posuere, quorum unum trigoricanum, aliud eradium, tertium onitem appellavere.

TRIHĒMITŌNION et

TRIHĒMITŌNIUM (triemitonium), ii, n. 2. τριημιτόνιον, tonus cum dimidio, *tre semituoni. Hygin. De limitib. p.* 172. *Goes.* A Marte deinde ad Solem ter tantum esse dicunt, quantum a polo ad Saturnum, hoc est trihemitonion. *Boeth.* 1. *Music.* 23. In chromate vero semitonio ac semitonio incompositoque triemitonio posita divisio est. *V.* integr. loc.

TRĪHŌRĬUM, ii, n. 2. (tres et hora) spatium trium horarum, *tempo di tre ore. Auson. Edyll.* 10. 87. Nec duraturus (*capito*) post bina trihoria mensis. Adde *Epist.* 4. 62.

TRĪĪDĔOS et

TRĪĪDĔUS, a, um, adject. in trivio positus, ut videtur, apud *Auct. l.* 1. *Colon. p.* 250. *Lachm.* Triideus (*lapis*). Adde *Boeth. Demonstr. art. Geom. p.* 406. *ibid.* Cf. TRIODEIUS.

TRĪJŪGIS, e, adject. (tres et jugum) tribus equis junctis tractus. *Auson. Epist.* 8. 6. Vel cisio trijugi, si placet, insilias.

TRĪJŪGUS, a, um, adject. (tres et jugum) idem ac trijugis, τρίζυξ: et translate triplex. *Apul.* 6. *Met. de Cerbero.* Canis prægrandis trijugo et satis amplo capite præditus. *Hildebr.* leg. *terjugo.* et *Paulin. Nolan. carm.* 20. 131. Innectens (*funis*) trijugum supremo stamine ferrum.

TRĪLĀTĔRUS, a, um, adject. (tres et latus) tria habens latera, τρίπλευρος. *Gromat. vet. p.* 105. 16. *Lachm.* Rectarum linearum et circumferentium forma trilatera est trium laterum totidemque angulorum ex duabus rectis lineis et una circumferenti vel ex duabus circumferentibus et una recta. Quadrilatera forma est quattuor laterum totidemque angulorum ex duabus circumferentibus lineis et duabus rectis. Plurilatera forma est, quæ plus quam quattuor lineis comprehensa est. Planarum autem et rectis lineis comprehensarum alia erunt trilatera, alia quadrilatera, alia singulis adjectis super hunc numerum plurilatera in infinitum. et *p.* 378. 6. et 14. *ibid.* Trilatera figura. Adde *Boeth. Geom. p.* 375. et 376. *Friedl.* et *Censorin. fragm.* 7.

TRĪLEX. *V.* TRILIX init.

TRĪLĪBRIS, e, adject. (tres et libra) pondo trium librarum, *di tre libbre*, τρίλιτρος. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 33. mullum laudas, insane, trilibrem. *Gallien. Imp.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* 17. Misi ad eum pateras gemmatas trilibres duas, scyphos aureos gemmatos trilibres duos.

TRĪLĪCIS. *V.* TRILIX init.

TRĪLINGUIS, e, adject. (tres et lingua) tres habens linguas, *di tre lingue*, τρίγλωσσος.

I.) Proprie. *Horat.* de Cerbero tricipiti 3. *Od.* 11. 19. saniesque manet Ore trilingui. *Val. Flacc.* 7. 184. cantuque trilingui Ipsam (*Hecaten*) flammiferos cogam compescere tauros.

II.) Translate. *Varro* apud *Isid.* 15. *Orig.* 1. *ad fin.* vocat *trilingues* Massilienses a Phocensibus oriundos, quia Græce, Latine et Gallice loquebantur: qua ratione *Apul.* 11. *Met. p.* 753. *Oudend.* Siculi trilingues: quia Græce, Punice et Latine loquebantur. *Hieronym.* 3. in *Rufin. n.* 6. Ego Hebræus, Græcus, Latinus; trilinguis. *Prudent. Hamartig.* 588. *de vipera.* moriturum obscena maritum Ore sitit patulo: caput inserit ille trilingue Conjugis in fauces. Alii minus recte leg. *trilinguæ*, ut sit a *trilinguus, a, um.*

TRĪLIS. *V.* voc. seq.

TRĪLIX (trilex), icis, adject. omn. gen. (tres et licium) In recto *trilex* in *Gloss. Labb.* 188. et *trilis* apud *Osbern. Gloss.* 591. Item *trilicis* habet *Isid.* 19. *Orig.* 22. 23. — Trilex est tribus liciis constans, τρίμιτος. ¶ 1. Stricto sensu. *Martial.* 14. 143. Vellera quum sumant Patavinæ multa trilices, Et pingues tunicas serra secare potest. *Arnob.* 3. *p.* 112. Vestis indigent dii tegmine; ut virgo Tritonia curiose iis stamen neat: et qualitate pro temporis aut trilices tunicas aut de serico componat. Hinc *Apul. Florid. n.* 9. Habebat indutui tunicam interulam tenuissimo textu, triplici licio, purpura duplici. ¶ 2. Latiore sensu est triplici textura. *Virg.* 3. *Æn.* 467. Loricam consertam hamis auroque trilicem. *h. e.* trino nexu intextam, inquit *Servius.* Sic *Val. Flacc.* 3. 199. Per clipei cedentis opus cratemque trilicem. Cf. etiam *Rich* ad v. *lorica.* Alii tamen putant, *Virgilium* loqui de lorica contexta ex trinis liciis seu filorum ordinibus. *Heyne* exponit, ut sit lorica iisdem hamis triplicatis et quidem aureis: ductum a textura. *V.* BILIX.

TRĪLONGUS, a, um, adject. (tres et longus) tres habens longas syllabas: ita dicitur pes Molossus tribus longis syllabis constans, ut *Æneas*, apud *Terentian. De pedib. p.* 2413. *Putsch. v.* 1401. — Hunc alii Græco nomine *trimacrum*, τρίμακρον, appellant.

TRĪLŌRIS. *V.* DILORIS.

TRĪMĂCRUS. *V.* TRILONGUS.

TRĪMĀNUS, a, um, adject. (tres et manus) tres habens manus. *Isid.* 11. *Orig.* 3. 7. et *Prisciscian. p.* 1358. *Putsch.* Cf. *Keil ed. v.* 2. *p.* 416. 30.

TRĪMASTĪGĬA, æ, m. 1. (tres et mastigium) *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 6. *p.* 549. Trimastigia, triverbero.

TRĪMĀTERTĔRA, æ, f. 1. (tres et matertera) mater admaterteræ. *Isid.* 9. *Orig.* 6. in *Arbore juris.* Triavunculus, trimatertera.

TRĪMĀTUS, us, m. 4. (trimus) trium annorum ætas, *età di tre anni*, τριετία. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (168). Partus a tricesimo mense ocissimus, sed a trimatu legitimus. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *sub fin.* Summovebimus autem veteres (*gallinas*), id est quæ trimatum excesserunt. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 20. 22. (43). Pavo colores incipit fundere in trimatu. *Inscr.* apud *Gruter.* 1148. 13. PHOSPORVS OBIIT IN TRIMATV.

TRĪMEMBRIS, bre, adject. (tres et membrum) ¶ 1. Est qui tribus membris constat. Hoc autem sensu translate tantum occurrit apud *Augustin.* 4. *Music.* 17. Circuitus ergo minor esse non potest, quam qui duobus membris constat. Licet igitur minimum bimembrem, medium trimembrem et ultimum quadrimembrem vocare. ¶ 2. Est etiam triplicia habens membra, tricorpor. *Hygin. fab.* 30. *de Hercule.* Geryonem Chrysaoris filium trimembrem uno telo interfecit. Adde *Lactant. Placid.* apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 3. *p.* 367. Cf. *Mythogr. II. fab.* 152. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 2440. A. D. XI. K. DEC. GERYONES TRIMEMBRES AERVS SENOS COMPERENDINARVNT. V. *Mommsenii* adnot.

TRĪMENSIS, e, adject. (tres et mensis) qui tribus mensibus provenit. *Isid.* 17. *Orig.* 3. 8. Trimense triticum ideo nuncupatum, quia natum post tres menses colligitur. *Id. ibid.* 3. 10. hordeum. Ita *Lindem.*; at *Areval.* utrobique *trimestre.*

TRĪMENSTRĬA. *V.* TRIMESTRIS.

TRĪMENSTRŬUS, a, um, adject. (tres et menstruus) qui tertio quoque mense occurrit. *Gloss. Gr. Lat.* Τριμηναῖος, trimenstruus.

TRĪMESTRĬA. *V.* voc. seq.

TRĪMESTRIS (trimenstris), e, adject. (tres et mensis) qui est trium mensium, *di tre mesi*, τρίμηνος. *Varro* 2. *R. R.* 3. In nutricatu hædi trimestres quum sunt facti, tum submittuntur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (163). Trimestre spatium. *Id.* 7. *ibid.* 48. 49. (155). Arcadum anni trimestres fuere. *Sueton. Cæs.* 80. Trimestris consul. *Auson. Edyll.* 11. 24. trimestres Annorum cælique vices. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (179). Trimestris vitulus. *Id.* 18. *ibid.* 7. 12. (69). triticum. *h. e.* quod tertio a satu mense metitur. (*V.* ALICASTRUM.) *Id.* 10. *ibid.* 25. 36. (73). Trimestres aves, turdi et turtures. *h. e.* qui tres menses apud nos vivunt, deinde abeunt. *Colum.* 2. *R. R.* 4. Trimestris satio. *h. e.* eorum, quæ tribus mensibus maturescunt: et fit initio veris. — Hinc

*Trimestria, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, semina, quæ trimestri spatio maturescunt. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* et 2. *ibid.* 13. *ad fin.* et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (69)., ubi *Detlefsen* leg. *trimenstria.*

TRĪMĔTER. *V.* TRIMETRUS.

TRĪMĔTRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TRĪMĔTRĬUS, a, um, adject. (trimetrus) trimetrus; hinc *trimetria*, absolute, carmen trimetris seu senariis constans, ut *dimetria* est dimetris constans. *Auson. Epist.* 16. 78. Æsopiam trimetriam, Quam vertit exili stilo. *h. e.* Æsopi fabulas trimetris versibus constantes. *Sidon.* in *carm. epist.* 15. *l.* 9. quaterna tempora Spondens addat, ut moram volucripes Habeat parumper insitam trimetria. *V.* voc. seq.

TRĪMĔTROS et

TRĪMĔTRUS et trimeter, tra, trum, adject. (tres et metrum) tria habens metra seu mensuras, τρίμετρος. *Quintil.* 10. 1. 99. Si intra versus trimetros stetissent. *Isid.* 1. *Orig.* 38. 6. A pedibus metra vocata, ut dactylicum *etc.*; a numero vero hexametrum, pentametrum, trimetrum. — *Quintil.* 9. 4. *circa med.* Trimetrum est, *Pro mistro dicere liceat.* sex enim pedes

tres percussiones habent. *Terentian.* de versu iambico, p. 2432. *Putsch.* Sed ter feritur: hinc trimetrus dicitur, Scandendo binos quod pedes conjungimus. *V.* ICTUS, us. — Hinc

*Trimeter, trimetros* et *trimetrus, i,* m. 2. absolute, versus tribus pedibus constans. *Diomed.* 3. *p.* 506. *Putsch.* Versuum genera præcipua sunt quinque; aut enim dimetri sunt aut trimetri aut tetrametri aut pentametri aut hexametri. Trimetri exemplum ponit: Jam vaga tollere Phœbus Lumina destinat ortu. *Horat. Art. P.* 252. *de iambo.* Pes citus, unde etiam trimetris accrescere jussit Nomen iambeis quum senos redderet ictus Primus ad extremum similis sibi. Adde *Quintil.* 9. 4. 75. et 90. et 108. *Mar. Victorin.* 3. 10. 8. p. 119. 8. *Keil.* Trimetrum epicum mihi a glyconio metro differre etc. — Varia sunt trimetrorum genera, heroum, Archilochium etc., quæ *V.* apud *Diomed.* 3. *p.* 513. et alibi.

TRĪMISSIS. *V.* TREMISSIS.

TRIMITALIS, e, adject. (τρίμιτος) tribus liciis constans. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 156. Horreum, urna, trimitalis.

TRĪMŎDĬA, æ, f. 1. *et*

TRĪMŎDĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĪMŎDĬUS (tremodius), a, um, adject. (tres et modius) tres modios continens. *Tabula De mens.* apud *Hultsch Metrol. p.* 124. Pes quadratus concavus capit amphoram trimodiam. — Hinc absolute, substantivorum more

*Trimodia, æ, f.* 1. vas trium modiorum capax. *Varro* apud *Non. p.* 5. 18. *Merc.* Trimodiam amphoramque eamdem temeti ac farris modium. Alii leg. *tremodiam.* — *Trimodia satoria,* cujus usus præcipue in serendo. Ex eo enim semina in segetem jaciuntur. Inde est Italicum *tramoggia. Colum.* 2. *R. R.* 9. *ante med.* Nonnulli pelle hyænæ satoriam trimodiam vestiunt, atque ita ex ea, quum paulum immorata sunt semina, jaciunt. *Id.* 12. *ibid.* 50. *ante med.* Multa ante olivitatem præparanda sunt, scalæ, corbulæ, decemmodiæ, trimodiæ satoriæ, quibus districta bacca suscipitur etc. Adde *ibid.* 18.

*Trimodium, ii,* n. 2. mensura trium modiorum, τριμέδιμνος, τρίψικτος. *Plaut. Men. prol.* 14. Nunc argumentum vobis demensum dabo, Non modio neque trimodio, verum ipso horreo. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (20). Neque enim aliter potuissent trimodia illa anulorum Carthaginem ab Hannibale mitti. Adde *Inscr.* apud *Henzen n.* 5369.

TRĪMŎDUS, a, um, adject. (tres *et* modus) tres modos habens, triplex. *Isid.* 2. *Orig.* 17. 1. Trimodum genus dicendi: humile, medium, grandiloquum. Adde *eumd. De diff.* 2. 154.

TRĪMŒROS, on, adject. τρίμοιρος, tres partes habens: a τρίς, ter, et μοῖρος, pars. *Mar. Victorin.* 4. 3. 8. *p.* 161. 30. *Keil.* Quidam pentasyllabon epodon dixerunt a numero syllabarum; alii trimœron epicon: est enim pars tertia epici versus.

TRIMPHALITES, æ, m. 1. τριμφαλίτης, genus herbæ, quæ vulgo cyclaminos dicitur. *Apul. Herb.* 18.

TRĪMŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* trimus, idem ac trimus, *di tre anni:* dicitur autem de puero trimo. *Sueton. Ner.* 6. Trimulus patrem amisit. *Fronto ad Verum Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 9. Nepotem trimulum amisi.

TRĪMUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, *Forcellino* videtur esse vox contracta ex *tri* et *annus,* aliis vero ex *tres* et *hiems,* ut *Eutych.* apud *Cassiod. Orthogr.* 9., quod non probaverim. *V.* BIMUS. Hinc prima syllaba longa est. Rectius fortasse ac simpliciter est a *tres* et syllabica adjectione. — Trimus est trium annorum, *di tre anni,* τριετής. *Plaut. Rud.* 3. 4. 39. Filia, trima quæ periit mihi. *Varro* 2. *R. R.* 5. *a med. de vaccis.* Non minores oportet inire bimas, ut trimæ pariant. *et ibid.* 7. *a med.* Post annum et sex menses equulum domari posse, sed melius post trimum. *Horat.* 3. *Od.* 11. 9. Equa trima. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (200). Capræ ante trimas minus utiliter generant. *Id.* 17. *ibid.* 11. 16. (83). Arborem nec minorem bima nec majorem trima transferri. *Id.* 18. *ibid.* 24. 54. (195). Semen optimum anniculum, bimum deterius, trimum pessimum. *Id.* 36. *ibid.* 23. 55. (176). In antiquarum ædium legibus invenitur, ne recentiore trima calce uteretur redemptor. *Pallad.* 4. *R. R.* 11. *a med.* Vaccæ ætatis trimæ. *Inscr.* apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1869. *p.* 26. Puer trimus.

TRĪNANGŬLĀRIS. *V.* TRIANGULARIS.

TRĪNĀRĬUS, a, um, adject. (trinus) idem ac ternarius. *Isid.* 3. *Orig.* 6. 4. et 18. *ibid.* 64. Trinaria linea. Alii utrob. leg. *ternarius.*

TRĪNĔPOS, ōtis, m. 3. (tres *et* nepos) quintus nepos, filius adnepotis mei vel adneptis meæ: et refertur ad tritavum, *figliuolo del mio quarto nipote,* τριτέγγονος. Nepotum enim hic est ordo: nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos; quibus si præmittas filium, sex erunt cognationis gradus a primo patre. Post trinepotem qui sunt, proprio carent vocabulo, et *posteriores* vocantur. *Cajus Dig.* 38. 10. 2. et *Paul. ibid.* 10. *V.* ADNEPOS. *Isid.* 9. *Orig.* 5. 30. Trinepos, adnepotis filius, quia post nepotem quartus in ordine est, quasi *tetranepos.*

TRĪNEPTIS, is, f. 3. (tres *et* neptis) filia adnepotis vel adneptis meæ, τριτεγγόνη. V. *Caj.* et *Paul. loc. cit.* in voc. præced.

TRĪNI, æ, a. *V.* TRINUS.

TRĪNICĬUS, a, um, adject. Apud *Serv.* in *Centimetr. p.* 1821. *Putsch.* est *trinicium* carmen, quod constat monometro acatalectico, ut est hoc: *Calidum jubar est.* Lectio tamen incerta. V. *Gaisford* ad *h. v. Keil* dedit *threnicus.*

TRĪNĬO, ōnis, m. 3. (trinus) idem ac ternio. *Isid.* 18. *Orig.* 65. ex lect. *Lindem.,* sed *Areval.* dedit *trio.*

TRĪNĬTAS, ātis, f. 3. (trinus) Licenter primam, in versus dactylici commodum, corripuit *Venantius* 2. *ad Justin.* 2. et 9. — Trinitas est numerus tria continens, *numero ternario.* ¶ 1. Generatim. *Tertull. advers. Valentin.* 17. Facta exinde trinitas generum est ex trinitate causarum. *Id. Præscript.* 7. Trinitas hominis apud Valentinum. *sc.* hominis *hylici* seu choici, h. e. materialis, terreni; *psychici,* h. e. animalis, et *spiritalis.* et *Prudent. Psycom. præf.* 45. Mox et triformis Angelorum trinitas. ¶ 2. Specialim *Trinitas* dicitur de tribus personis in Deo κατ' ἐξοχήν. *Paulin. Nolan. carm.* 32. 10. Pleno coruscat Trinitas mysterio etc. Adde *Tertull. advers. Prax.* 3. et *alibi.* Sic *Augustin., Prudent., Venant.* multique alii scriptores Eccl. passim. Adde *Inscr.* apud *De-Rossi Inscr. Christ. U. R. v.* 1. *p.* 222. *n.* 523.

TRINNĬO, is, ire, n. 4. Verbum per onomatopœiam fictum ad vocem anseris exprimendam. *Anthol. Lat. n.* 733. *Riese.* Dum miluus ingilat, trinnit tunc improbus anser. Cf. *Reiffersch.* ad *Sueton. fr. p.* 249.

TRĪNOCTĬĀLIS, e, adject. (trinoctium) trium noctium, *di tre notti. Martial.* 12. 77. sed ipse divum Offensus genitor trinoctiali Affecit domicenio clientem.

TRĪNOCTĬUM, ii, n. 2. (tres et nox) trium noctium spatium, *tre notti. Fab. Pictor* apud *Gell.* 10. 15. De eo lecto trinoctium continuum non decubat. Ipse *Gell.* 3. 2. *ad fin.* Non posse impleri trinoctium, quod etc. *Auson. Edyll.* 11. 34. Trina Terentino celebrata trinoctia ludo. *Val. Max.* 2. 4. *n.* 5. Ludis trinoctio factis.

TRĪNŌDIS, e, adject. (tres *et* nodus) tres habens nodos, τρίοζος.

I.) Proprie est appositum clavæ Herculis, apud *Ovid. Heroid.* 4. 115. Ossa mei fratris clava perfracta trinodi. Adde 1. *Fast.* 575.

II.) Translate. *Auson. Epist.* 21. 38. trinodem dactylum Vidi paratum crucianti canterio: Spondeus illi lentipes ibat comes. *h. e.* trisyllabum.

TRĪNŌMĬNIS, e, adject. (tres *et* nomen) tria habens nomina, *di tre nomi,* τριώνυμος. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 9. Ingressa est Hierosolymam urbem trinominem, Jebus, Salem, Jerusalem, quæ ab Ælio postea Hadriano de ruinis et cineribus civitatis in Æliam suscitata est. *Id. advers. Lucifer.* 12. Aut tria nomina audiens, tres Deos credidit et idololatra effectus est: aut in tribus vocabulis trinominem credens Deum, in Sabellii hæresim incurrit.

TRĪNŌMĬUS, a, um, adject. (tres *et* nomen) idem ac trinominis. *Isid.* 7. *Orig.* 6. 33. et 65.

TRINSO. *V.* TRISSO.

TRĪNŪMĔRUS, a, um, adject. (tres *et* numerus) qui tribus constat numeris. Absolute *Hieronym.* in *Job* 33. Propter trinumeri perfectionem.

TRĪNUMMUS *et* trinumus, i, m. 2. (tres *et* nummus) tres nummi, puta sestertii. Joculariter *Plaut. Trin.* 4. 2. 1. Huic ego die nomen Trinummo facio: nam ego operam meam Tribus nummis hodie locavi. — Nomen est igitur Plautinæ comœdiæ, inde ductum, quia sycophanta quidam inducitur operam suam tribus nummis locans ad artes nugatorias. Cf. *ibid. prol.* 20.

TRĪNŪMUS. *V.* voc. præced.

TRĪNUNDĪNO et

TRĪNUNDĪNUM. *V.* voc. seq.

TRĪNUNDĪNUS, a, um, adject. (tres *et* nundinæ) *Trinundinûm* syncop. pro *trinundinarum* apud *Priscian.* 7. *p.* 733. *Putsch.* V. tamen infra. — Trinundinus est ad spatium dierum septendecim pertinens, intra quos nundinæ Romæ ter habebantur, quod absolute *trinundinum* vocatur. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. *a med.* Scita atque consulta trinundino die proposita, a singulis atque universis facile noscebantur. — Hinc

*Trinundinum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, spatium dierum septem et decem, intra quos nundinæ Romæ ter habebantur, quia nono quoque die populus ad mercatum conveniebat, ut in NUNDINÆ dictum est. Ternæ enim nundinæ cum diebus interjectis conficiunt eam, quam posuimus, summam dierum; non, ut quidam existimant, septem et viginti. Per id tempus leges proponebantur, ut, antequam perferrentur, posset eas populus considerare: comitiis creandis magistratibus indicebantur, ne repente suffragium ferrent pro eo, quem creasse mox pœniteret; et ut candidati spatium haberent prensandi. Accusationes quoque et judicia populi trinundino intermisso habebantur, ut et reo defensionis et populo judicii recte ferendi spatium esset. *Cic.* 16. *Fam.* 12. *ante med.* Neque se jam velle, absente se, rationem haberi sui: se præsente, trinundinum petiturum. *Liv.* 3. 35. Comitia decemviris creandis in trinundinum indicta sunt. Alii hoc et superiore loco leg. *trinum nundinum;* unde *Forcellinus* ait esse *trinundinum* sync. ex *trinum nundinum.* Rursus *Cic. fragm.* apud *Priscian.* 7. *p.* 733. *Putsch.* Primo ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasque venisset. *Priscian.* putat *trinundinum* dici pro *trinundinarum,* ut *amphorum* pro *amphorarum:* aliis placet esse ellipsim, quia præpositio *in* omittatur. Sic 5. *Phil.* 3. 8. Ubi lex Cæcilia et Didia? ubi promulgatio trinundinum? *et Dom.* 17. *ad fin.* Sit accusatio trinundinum, prodicta die, qua die judicium sit futurum. — Hæc autem non ita accipienda sunt, ut ipsis tertiis nundinis aut lex ferretur aut comitia haberentur aut de reo judicium a populo fieret; sed ut priusquam hæc fierent et postquam indicta essent, trinæ nundinæ intercederent. *V.* NUNDINÆ.

*Trinundino,* adverbii more, in tribus nundinis. *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. 7. Jubaretur, ut ea (*lex*) tantummodo promulgata, priusquam trinundino confirmaretur etc. Adde *Schol. Bob.* in *Cic. Sext. p.* 300. 23. *B.*

TRĪNUS, a, um, adject. (tres) *Trinum* sync. pro *trinorum* apud *Cic.* 3. *Herenn.* 19. 32. Alii leg. *tricenum.* — *Priscian. De fig. num. p.* 413. 29. *K.* Terni vel trini; sed terni ἀνὰ τρεῖς, trini τριχῶς magis significat vel τρισσοί, trini ludi. ¶ 1. In sing. num. est triplex. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 15. tua dicta, Quæ trino juvenis foro tonabas. *V.* FORUM. *Auson. Edyll.* 11. 63. Interdictorum trinum genus. et 66. Trinum di-

cendi genus est. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 35. 52. (106). Trinus versus. *h. e.* ter repetitus. Cf. *Anthol. Lat.* 485. 2. *Riese. Prudent.* 12. *Cathem.* 67. fides. *Augustin. Serm.* 253. timor. *Chalcid. Tim.* 136. incorporatio. *et* 245. ratio videndi. *Th. Priscian.* 2. 9. vulneratio. *Schol. Bern.* in *Virg.* 8. *Ecl.* 73. numerus. *Venant.* 7. *carm.* 12, 34. Deus. *h. e.* in Deo tres Personæ. ¶ 2. In plur. num. sæpius est numerale distributivum, idem ac *ternus;* quare in libris sæpe unum pro altero ponitur. — *a*) In distributione. *Cæs.* 5. *B. G.* 51. Ipse cum tribus legionibus circum Samarobrivam trinis hibernis hiemare constituit. *h. e.* singulis hibernis castris singulæ legioni positis. *Sueton. Ner.* 56. Icunculam cellarem trinis in die sacrificiis colere perseveravit. — *b*) Extra distributionem. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. Milites celeriter ad munitionem perveniunt eaque, transgressis trinis castris, potiuntur. *Cic.* 11. *Att.* 17. Tullia mea venit ad me litterasque reddit trinas. *Liv.* 9. 43. Trinis castris intra paucos dies exsuti. *Id.* 10. 18. Litteras ad collegam arcessendum missas, in trinis annalibus invenio. *Ovid.* 4. *Fast.* 480. Trina cornua. *et* 6. *ibid.* 216. nomina. *Sueton. Aug.* 45. *sub fin.* theatra. *Seneca Herc. Fur.* 783. Stygius canis trina capita concutiens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 31. 31. (99). Trinos soles antiqui sæpius videre. — Negat *Varro* 10. *L. L.* 67. *Müll.*, recte dici *nuptiæ tres* aut *tres bigæ*, sed *trinæ*. Ex quo fuere qui crederent, *trinus* jungi cum iis tantum, quæ carent singulari numero. Sed contra sunt loca *Livii, Ovidii, Senecæ, Plinii* allata.

TRĪO, ōnis, m. 3. duo diversa significat.

*A) Trio* est bos aratorius: a terendo dictus, ut docet *Varro loc. cit.*, quem sequitur *Isid.* 12. *Orig.* 1. 30. et 3. *ibid.* 71. 7. *V.* plura de vocis etymo apud *Galvani Delle genti e favelle* etc. *p.* 348.-352.

I.) Proprie. *Varro* 7. *L. L.* 74. *Müll.* Triones etiam nunc boves appellantur a bubulcis, maxime quum terram arant: e quibus valentiores dicti glæbarii, quod facile glæbas proscindant. Sic omnes, qui terram arabant, a terra teriones. Unde triones, ut dicerentur a detritu. *et mox.* Possunt triones dici septem, quod ita sitæ stellæ, ut terna trigona faciant. Adde *Gell.* 2. 21.

II.) Translate, a similitudine, *triones* dicuntur duo Arcti seu duæ Ursæ, major et minor, quæ sunt duo signa cælestia prope Aquilonem et Circulum hiemalem sita, quia utriusque signi stellæ plaustrum et boves junctos referunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 41. 105. Altera dicitur esse Helice, cujus quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus. Quas nostri septem soliti vocitare triones. *Virg.* 3. *Æn.* 516. Arcturum pluviasque Hyadas geminosque triones. *Ovid.* 2. *Met.* 171. Triones gelidi. *Martial.* 7. 80. Odrysii. *Id.* 9. 46. Hyperborei. *et* 6. 58. Parrhasii. *Claudian. III. cons. Honor.* 205. pigri. *et IV.* 473. Scythici. *Id. Gigantomach.* 11. inoccidui. — In singulari num. apud *Ovid.* 10. *Met.* 446. interque Trionem Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes. Alii leg. *Triones.* et 1. *ibid.* 64. Scythiam Septemque trionem Horrifer invasit Boreas. Sed hoc loco τμῆσις est vocis *Septentrio,* qua utitur etiam *Virg.* 3. *G.* 381. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

*B) Trio* est etiam idem ac ternio. *Isid.* 18. *Orig.* 65., ubi alii leg. *trinio.* V. hanc voc.

TRĬŎBŎLĀRIS, e, adject. (triobolus) qui triobolo constat. *Beda De num. T.* 1. *p.* 102. V. *Quicherat* in *Add.* etc. *p.* 299.

TRĬŎBŎLOS et

TRĬŎBŎLUM. *V.* voc. seq.

TRĬŎBŎLUS *et* triobolos, i, m. 2. (τριόβολος) Etiam *triobolum* neutr. gen. usurpasse videtur *Plaut. Rud. loc. cit.* ¶ 1. Dicitur de nummo, qui tres obolos valet, h. e. drachmæ dimidium. Senos enim obolos drachma efficit. Trioboli nota ab altera parte effigiem Jovis, ab altera noctuam habebat. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 26. Negare, sese debere tibi triobolum. *Id. Rud.* 5. 2. 43. Postulo talentum magnum. non potest triobolum hinc abesse (*Fleck.* triobulum). — *Homo trioboli,* nequam et nullius pretii. *Id. Pœn.* 1. 2. 168. Non ego homo trioboli sum, nisi illi mastigiæ exturbo oculos. ¶ 2. De pondere dimidiæ drachmæ. *Cato R. R.* 127. Puero dato pro ætate triobolum et vini heminam. *V.* INTRIBULATUS. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. 46.

TRĬŎDĒĬUS, a, um, adject. (τριοδῆϊος) ad Triviam pertinens, nempe Dianam, quæ Græce Τριοδῖτις dicitur: a τρίοδος, trivium. *Inscr.* apud *Gruter.* 28. 6. et *Murat.* 387. 2. (*Orell. n.* 2353.) ET VENERANDA MOVET CYBELES TRIODEIA SIGNA. Hic Cybeles cum Diana confunditur, quæ etiam Hecate appellatur. Hinc *Inscr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 150. HECATES MINISTRAM TRINA SECRETA EDOCES. Cf. TRIIDEUS.

TRĬŌNES. *V.* TRIO.

TRĬŌNȲMUS, a, um, adject. τριώνυμος, tria habens nomina, trinominis. *Priscian.* 2. *p.* 580. *Putsch.* In propriis quoque (*nominibus*) hanc vim habent (*ut diversis nominibus idem significent*) dyonyma vel trionyma vel tetraonyma, ut P. Cornelius Scipio Africanus. *Sulpic. Sev.* 2. *Hist. sacr.* 42. Suspecti habebamur, trionymam solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse. V. *Hieronym. loc. cit.* in TRINOMINIS.

TRĬŎPHTHALMOS et

TRĬŎPHTHALMUS, i, m. 2. τριόφθαλμος. gemmæ genus in Sicyonia, quod trium oculorum effigiem præ se fert. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 71. (186). Triophthalmus cum onyche nascitur, tres hominis oculos simul exprimens.

TRĬORCHĒOS, a, on, adject. idem quod tribrevis; dicitur autem de quodam genere versus apud *Diomed.* 3. *p.* 475. *Putsch.*

TRĬORCHES, æ, m. 1. τριόρχης, avis ex accipitrum genere, a τρεῖς, tres, et ὄρχις, testiculus, quia tres testiculos habet (*Falco Buteo* Linn.) *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 9. (21). Triorchem a numero testium, cui principatum in auguriis Phemonoe dedit: buteonem hunc appellant Romani.

TRĬORCHIS, ĭdis, f. 3. herba ex genere centaurii. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 32. (69). Tertia est centauris, cognomine triorchis. Qui eam secat, rarum est, ut non vulneret sese. Hæc succum sanguineum mittit. Theophrastus defendi eam impugnarique colligentes tradidit a triorche accipitrum genere, a quo et nomen accepit.

TRĬPĀLIS, e, adject. (tres *et* palus) qui tribus palis sustinetur. *Varro* apud *Non. p.* 217. 18. *Merc.* Quid tu? non vides, in vineis, quod tria pala habeant, tripales dici?

TRĬPARCUS, a, um, adject. (ter *et* parcus) nimis parcus, sordidus, tenax, *troppo parco. Plaut. Pers.* 2. 3. 14. Triparcos homines, vetulos, avidos, aridos.

TRĬPARTĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TRĬPARTĬO *et* tripertio, is, ĭvi, ĭtum, ire, a. 4. (tres *et* partio) *Tripartior (tripertior), iris,* deponentium ritu, in *Onom. Lat. Gr.* Tripertior, τριχῶς μερίζω. Adde *Not. Tir.* infra *cit.* — Part. *Tripartiens* et *Tripartitus.* — Tripartio est in tres partes divido, *tripartire. Serv. Expl. in Donat. p.* 526. 5. *Keil.* Nunc ut divisionem tripertivimus, superest ostendere etc. Legitur et in *Not. Tir. p.* 109. Impertit, dispertit, bipertitur, tripertitur, quadripertitur. — Part. *Tripartitus,* τριμερής. *Varro* 5. *L. L.* 10. *Müll.* Tripartita verba. *Cic.* 3. *Off.* 2. *ad fin.* divisio. *Id.* 5. *Verr.* 5. *in fin.* causa. *Id. Sext.* 61. 129. orbis terrarum oræ. Cf. *Schol.* ad *h. l.* ab *A. Maio* ed. in *Class. auct. T.* 2. *p.* 154. Adde *Augustin.* 17. *Civ. D.* 3. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tripartita (tripertita), æ,* f. 1. titulus comœdiæ Novii, apud *Non. p.* 218. 15. et *p.* 517. 22. *Merc.*

*Tripartita (tripertita), orum,* n. plur. 2. titulus operis Sex. Ælii apud *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 38. Exstat ejus (*h. e.* Sex. Ælii) liber, qui inscribitur Tripertita, quoniam lege XII. Tabular. præposita, jungitur interpretatio, dein subtexitur legis actio.

*Tripartito (tripertito),* adverbii ritu, trifariam, *in tre parti,* τριμερῶς. *Cæs.* 6. *B. G.* 1. Adire tripertito. Adde 7. *ibid.* 67. et *Auct. B. G.* 8. 33. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 40. Bona tripertito dividere. *Liv.* 21. 7. Urbem tripartito aggredi.

TRĬPARTĬOR *vel* tripertior, *et*

TRĬPARTĪTA, æ, f. 1. *et* ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. præced.

TRĬPARTĪTĬO (tripertitio), ōnis, f. 3. (tripartio) actus dividendi in tres partes, *tripartizione. Aggen. De controv. agr. p.* 64. 12. *Lachm.* Cujus tripertitionem sex libris, ut puto, satis commode sumus exsecuti. *Augustin.* 8. *Civ. D.* 4. Hæc tripartitio non est contraria illi distinctioni, qua intelligitur, omne studium sapientiæ in actione et contemplatione consistere. Quod *Simplicio* tribuit *Goes. p.* 86.

TRĬPARTĪTO. *V.* voc. seq.

TRĬPARTĪTUS, a, um, particip. *V.* TRIPARTIO.

TRĬPĂTENS, entis, adject. (ter *et* pateo) qui ter patet. *Priscian. De fig. num.* § 32. *p.* 416. 28. *Keil.*

TRĬPĂTĪNA, æ, f. 1. (tres *et* patina) patina tribus rebus parata, ut exponit *Schuch* ad *Apic.* 7. 11. *n.* 306. Cf. voc. seq.

TRĬPĂTĪNĬUM. *V.* voc. seq.

TRĬPĂTĪNUM, i, n. 2. (tres *et* patina) trium ferculorum epulæ, *convito di tre portate. Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (162). Tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa cenarum lautitia: una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis. *Sillig.* leg. *tripatinium.*

TRĬPĂTRŬUS, i, m. 2. (tres *et* patruus) quartus patruus a patruo primo. *Isid.* 9. *Orig.* in *Arbore juris.*

TRĬPECCĬA, æ, f. 1. *V.* TRIPETIA.

TRĬPECTŎRUS, a, um, adject. (tres *et* pectus) tria habens pectora, τρίστερνος, τρίστηθος. *Lucret.* 5. 28. Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?

TRĬPĔDĀLIS, e, adject. (ter *et* pedalis) trium pedum mensuram habens, *di tre piedi,* τριπόδης. *Varro* 3. *R. R.* 9. Fenestræ latitudine tripedali. *Liv.* 38. 21. *ad fin.* Parma tripedalis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (167). Altitudo tripedalis. *Id.* 18. *ibid.* 30. 73. (301). Paries tripedali crassitudine. *Id.* 27. *ibid.* 12. 79. (104). Herba caulem habens tripedalem. — Absolute *Capell.* 4. *p.* 110. Quid enim bipedali tripedalive contrarium?

TRĬPĔDĀNĔUS, a, um, adject. (ter *et* pedaneus) idem ac tripedalis. *Cato R. R.* 45. Taleas oleaginas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito. *Colum.* 3. *R. R.* 2. Tripedaneæ vites. *Id.* 5. *ibid.* 5. Scrobs in longitudinem et altitudinem tripedaneus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 11. (24). Tripedaneæ statuæ.

TRĬPĔDO, as, are, n. 1. (tres *et* pes) tribus pedibus ambulo vel idem ac tripodo. *Gloss. Gr. Lat.* Τριποδίζω, tripedo. *V.* TRIPODO.

TRĬPENTHĒMĬMĔRES, is, adject. τριπενθημιμερής, qui habet tres penthemimeres. *Mar. Victorin.* 3. *p.* 108. 14. *Keil.* Genus versificationis tripenthemimeres. *Alii leg.* trimetrum penthemimeres. Adde *ibid.* 4. *p.* 142. 23. *ibid.*

TRĬPERDĬTUS, a, um, adject. (ter *et* perditus) plane perditus: ea ratione, qua *trifur, triparcus, triveneficus* et alia. *Triperdita* inscribebatur comœdia *Novii,* ex qua fragmentum recitat *Non. p.* 218. 15. *Merc.* Ita *Forcellinus;* sed ibi legend. *Tripertita.* V. hanc voc.

TRĬPERTĬO et deriv. *V.* TRIPARTIO.

TRĬPES, ĕdis, adject. omn. gen. (tres *et* pes) Licenter ultimam corripuit *Auson. Edyll.* 11. 39. *V.* BIPES. — Tripes est qui habet tres pedes, *di tre piedi,* τρίπους. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 13. modo sit mihi mensa tripes. *Liv.* 40. 2. *et* 45. Quod tripedem mulum Reate natum, nunciatum erat. *Martial.* 12. 32. Ibat tripes grabatus et bipes mensa. *Auson. Edyll.* 11. 39. Qui bipes et quadrupes foret et tripes, omnia solus. — De sene, qui scipioni innititur. *Maximian. El.* 1. 219. — Hinc

*Tripes, edis,* f. 3. absolute, substantivorum more, instrumentum cocorum, *treppiede. Isid.* 10. *Orig.* 8. 5. Tripedes appellatæ, quod tribus pedibus constent. Has Græci *tripodas* vocant (*Homer. Il.* 23. 702.). *V.* FRIXURA.

TRĬPĔTĬA, æ, f. (tripes) Ita vocabatur a Gallis rusticis sellula tribus pedibus fulta, *scagno di tre piedi*, teste *Sulpic. Sev. dial.* 2. 1. Sedebat Martinus in sellula rusticana, ut sunt istæ in usibus servulorum, quas nos rustici Galli tripetias, vos scholastici, aut certe tu, qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis. *V.* TRIPUS. *Halm* pro vulg. *tripetia* leg. *tripeccia.*

TRĬPHALLUS, i, m. 2. τρίφαλλος, qui magnum phallum habet; nam *tri* in compositione auget: est cognomen Priapi. *Auct. Priap.* 83. 9. At o, Triphalle, sæpe floribus novis Tuas sine arte deligavimus comas. Alii leg. *Priape.* — *Varro* unam ex suis satyris Menippeis inscripsit *Triphallus*, ἢ περὶ ἀῤῥενότητος, ex qua fragmentum recitat *Non.* p. 131. 30. *Merc.* et *Charis.* 1. p. 61. *Putsch.* — Unam quoque e suis *Nævius* apud *Gell.* 2. 19., ubi alii, ut etiam apud *Varron. loc. cit.*, leg. *Ithyphallo.*

TRĬPICTUS, a, um, particip. ab inusit. *tripingo. Prudent. Apoth.* 381. de *titulo crucis Christi.* Pilatus jubet ignorans: i, scriba, tripictis Digere versiculis, quæ sit suffixa potestas. *h. e.* triplici lingua scriptis.

TRĬPISTA, æ, f. 1. *Pelagon. Veterin.* 6. § 19. Petroselini Macedonici sem., dauci — I., myrrhæ I, spicæ nardi —, costi —, tracanti, tripistæ —, acori — I, piperis —, croci —, guttæ ammoniacæ —, cassiæ — I. *etc.* Hæc eadem exscripsit *Veget.* 3. *Veterin.* 68. *sub init.* Petroselini Macedonici unciam unam semis, dauci unam, myrrhæ, spicæ nardi, costi, tragacanti singulas uncias, acori, piperis, saccari ana unciam unam, guttæ ammoniacæ uncias duas, cassiæ unciam unam *etc.* Ex horum locorum comparatione patet, *tripistæ* esse vocem nihili et positam perperam fuisse pro *singulas*, alias vero discrepantias lector per se facile viderit, et qua ratione componendas, cognoverit.

TRĬPLĀBĬLIS. *V.* TRIPLICABILIS.

TRĬPLĀRIS, e, adject. (triplus) ¶ 1. In re arithmetica *triplaris numerus* est, quum de duobus numeris minor ter in majore numeratur, ut sunt tria ad unum, quindecim ad quinque, viginti septem ad novem. Hæc *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 1. *a med.*, qui hac voce utitur etiam 1. *Saturn.* 6. et *alibi.* ¶ 2. In militia aut in decuriis servorum vel libertorum dicebatur *triplaris* vel *triplicarius*, qui triplicem annonam beneficii loco accipiebat; ut *duplaris* vel *duplicarius*, qui duplicem; et *sesquiplaris* vel *sesquiplicarius*, qui sesquplam. *Inscr.* apud *Murat.* 844. 6. Q. POMPONIO VERO EQ. III. PL. AVREL. A. F. (*h. e.* equiti triplari Aureliani Augusti fecit) ABVCIVS PIVS NAT. VIND. COM. B. B. M. (*h. e.* natione Vindelicus commilitoni suo bene merenti.) *Alia* apud *eumd.* 690. 2. TI. CLAVDIO AVG. L. FELICI IMMVNI TRIPLICARIO BENEMERENTI EX CONSENSV DECVRIAE VNIVERSAE *etc.*

TRĬPLĀSĬUS, a, um, adject. τριπλάσιος, triplaris. *Capell.* 9. p. 322. Atque est in triplasia ratione, ut quattuor ad duodecim. Adde *Cassiod. De music.*

TRĬPLEX, plicis, adject. omn. gen. (ter *et* plico) In ablat. sing. *triplice* pro *triplici* scripsit *Prudent. Apoth.* 383. Fronte crucis, titulus sit triplex triplice lingua. Adde *Venant.* 7. *carm.* 4. 12. — Triplex est tribus rebus constans, τριπλοῦς (It. *triplicato, triplice*; Fr. *triple*; Hisp. *triplice*; Germ. *dreifältig, dreifach*; Angl. *triple, threefold*). ¶ 1. Generatim. *Pacuv. fr.* 513. *Ribb.* Triplex partus. *Id. ibid.* 302. mœror. *Acc. fr* 68. *ibid.* bonum. *Plaut. Pseud.* 2. 1. 5. Paravi triplices dolos. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Triplex acies. Adde *ibid.* 51. et 1. *B. C.* 41. et 83. *Auct. B. Alex.* 2. Triplex vallum obduxerant. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. Plato triplicem finxit animam: cujus principatum, id est rationem, in capite posuit; iram in pectore; cupiditatem subter præcordia locavit. *Id.* 1. *Acad.* 5. 19. (*post.*) Philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus: altera de natura et rebus occultis: tertia de disserendo. *Ovid.* 9. *Met.* 181. nec me pastoris Iberi (*Geryonæ*) Forma triplex tua, Cerbere, movit. *Virg.* 10. *Æn.* 202. Gens triplex. *h. e.* tres populi vel unus populus in tres tribus divisus, ut ait *Servius. Ovid.* 12. *Met.* 594. Triplex cuspis. *h. e.* tridens Neptuni. *Id. Heroid.* 12. 79. Diana. *h. e.* quæ eadem in cælo est Luna, Diana in terris, Hecate apud Inferos. *Id.* 12. *Met.* 40. mundus. *h. e.* cælum, terra, mare. Sic 5. *ibid.* 368. de *Plutone.* Cui triplicis cessit fortuna novissima regni. *Id.* 3. *ibid.* 33. triplici stant ordine dentes. *Horat.* 1. *Od.* 3. 9. et *Virg.* 10. *Æn.* 784. Triplex æs. *h. e.* tribus laminis constans vel crassissimum. *Ovid.* 3. *Fast.* 801. et *Virg.* 6. *Æn.* 549. murus. ¶ 2. Speciatim *triplices,* tres. *Ovid.* 8. *Met.* 453. et 481. triplices sorores et triplices deæ. *h. e.* Parcæ. Sic *Ib.* 76. Quæque ratum triplici pollice netis opus. *Id.* 4. *Met.* 425. triplices Minyeides. *h. e.* tres sorores Minyæ filiæ. *Propert.* 3. 15. 24. triplices greges. *h. e.* tres cœtus bacchantum, quorum duces tres erant feminæ, ut est apud *Ovid.* 3. *Met.* 713. *Auson. Griph.* 65. de *libertinis.* Triplex libertas. *h. e.* census, vindictæ, testamenti. et *ibid.* capitis minutio. *h. e.* libertatis, civitatis, familiæ. Adde 67. et 75. et *alibi.* ¶ 3. Est etiam magnus, multus. Hoc sensu *triplici fluctu* (τρικυμίᾳ) dixit *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 120. ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum. Hinc etiam *trifur, trifurcifer, triphallus* etc. dicitur. Ita *Forcellinus.* Probabilius tamen *triplex fluctus* est unda ter fluens et refluens. Cf. *Isid.* 13. *Orig.* 18. 5. — Hinc absolute, substantivorum more

*Triplex, plicis,* n. 3. res tripla, *il triplo. Liv.* 45. 40. et 43. Pediti in singulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti. *Scribon. Compos.* 218. Emplastrum recipit singulorum pondo libram, olei veteris triplex adjicitur.

*Triplices, um,* m. plur. 3. codicilli, pugillares trium tabellarum, ad scribendum, ut *duplices* duarum. *Martial.* 7. 72. et 10. 87. Nec vani triplices brevesque mappæ. *Id.* 14. 6. Tunc triplices nostros non vilia dona putabis, Quum se venturam scribet amica tibi. *Cic.* 13. *Att.* 8. Nihil erat, quod ad te scriberem; modo enim discesseras et paullo post triplices remiseras.

TRĬPLĬCĀBĬLIS, e, adject. (triplico) qui triplicari potest. Pro *triplici* usurpat *Sedul.* 1. 281. *de SS. Trinitate.* Semper ut una manens Deitatis forma perennis Quod simplex, triplicet, quodque est triplicabile, simplet. *Aldhelm.* apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 5. *p.* 571. hunc versum sic refert: quod simplex triplicet quodque est triplabile, simplex. *corrige* simplet.

TRĬPLĬCĀRĬUS. *V.* TRIPLARIS.

TRĬPLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (triplico) actus, quo quid ter repetitur. ¶ 1. Generatim. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 20. *a med.* Secundum triplicationem cum septimæ partis adjectione. *moltiplicamento per tre.* V. QUADRUPLICATIO. *Firmic.* 2. *Mathes.* 26. *sub fin.* Nulla vel duplicatione vel triplicatione. ¶ 2. Speciatim, apud Arithmeticos, actus ter multiplicandi. *Capell.* 2. p. 25. Numeri triplicatio prima ex imparibus κύβον gignit. *h. e.* $3\times1=3$, $3\times3=9$ et $3\times9=27$. Cf. *Gell.* 1. 10. et *Auson. Edyll.* 11. Sic *Capell.* 7. p. 246. et *alibi.* ¶ 3. Item apud JCtos *triplicatio* est secunda actoris defensio contra rei duplicationem opposita, seu triplicatio est id, quod tertio loco post actionem refertur atque in judicium objicitur. *Cajus Dig.* 27. 10. 7. et *Justinian. Inst.* 4. 14. § 2.

TRĬPLĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* TRIPLICO.

TRĬPLĬCES. *V.* TRIPLEX.

TRĬPLĬCĬTAS, ātis, f. 3. (triplex) conditio ejus, qui triplex est. *Andr.* in *Anthol. Lat. n.* 766. *Riese.* (*Inscr.* metrica apud *Zaccaria Thes. Theol. v.* 1. *p.* 336.) Triplicitas simplex simplicitasque triplex. Adde *Inscr.* apud *Gruter.* 1174. 3.

TRĬPLĬCĬTER, adverb. (triplex) trifariam, tribus modis, *triplicemente,* τριχῶς. *Cic.* 4. *Herenn.* 42. 54. Commutabimus tripliciter: verbis, pronuntiando, traducendo. *Capell.* 3. *p.* 54. L vero littera tripliciter sonat. Adde *Ambros. de Is.* 4. *n.* 27. et *Vulg. interpr. Prov.* 22. 2. — Translate est vehementer, apud eumd. *Eccli.* 43. 4. Tripliciter sol exurens montes.

TRĬPLĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (triplex) Part. *Triplicatus.* — Triplico est triplicem facio, tribus vicibus multiplico, τριπλασιάζω (It. *moltiplicare per tre, triplicare*; Fr. *multiplier par trois, tripler*; Hisp. *triplicar, multiplicar por tres*; Germ. *dreifach machen, verdreifachen*; Angl. *to triple, treble*).

I.) Proprie. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 20. *a med.* Triplicabis septem, et faciunt viginti unum. *Manil.* 3. 573. triplicabit Aquarius annos. *Gell.* 1. 20. Idem ipse numerus triplicatur. *V.* TRIPLICABILIS. Adde *Boeth.* 1. *Arithem.* 28. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (153). Cornici novem nostras tribuit ætates Hesiodus, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Oscines corvi voce triplicata puniceam surgentis auroræ facem consalutantes.

II.) Translate. *Mar. Victorin. Hymn.* 3. *post med.* Sic triplicatur omnis simplex singularitas, o beata Trinitas. Adde *Vulg. interpr. Ezech.* 21. 14.

TRĬPLINTHĬUS. *V.* DIPLINTHIUS.

TRĬPLO, as, are, a. 1. (triplus) idem ac triplico. *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 287.

TRĬPLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĬPLUS, a, um, adject. τριπλοῦς, idem ac triplex. *Cic. Tim.* 7. *ante med.* Deinde tertiam, quæ esset secundæ sesquialtera, primæ tripla. *Boeth.* 4. *Music.* 18. Tripla proportio. — Hinc

*Triplum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, res triplicata, *il triplo. Plaut. Truc.* 1. 1. 50. Quippe qui certo scio, Triplo plus scortorum esse jam quam ponderum. *Boeth.* 1. *Music.* 29. Triplum nihil aliud nisi tertio simplum. *Capell.* 7. p. 254. Major est ratio tripli, quam dupli. *Mythogr. Lat.* 1. 16. Triplo major.

TRĬPŌDA, æ, f. 1. (tripus) idem ac tripus. *Gloss. Lat.* p. 286. *n.* 124. *Hild.* Tripoda, scabellum cum tribus pedibus. *Jul. Val.* 1. *res gest. Alex. M.* 63. Alexander, ni faceret (*sacerdos Apollinis*), interminatur, tripodam quoque se, ad Herculis fabulam, sublaturum. Et cum dicto aufert scilicet tripodam.

TRĬPŌDANS, antis, particip. *V.* TRIPODO.

TRĬPŌDĀTĬO, ōnis, f. 3. (tripodo) actus tripodandi, tripodum, tripudium. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 41. a. *lin.* 38. POST TRIPODATIONEM DEINDE SIGNO DATO PVBLICI INTROIERVNT ET LIBELLOS ACCEPERVNT. Cf. *Gloss. Labb.* Tripudiatio, χορεία ἱερέων περὶ τὸν βωμόν.

TRĬPŌDES. *V.* TRIPUS.

TRĬPŌDĬA. *V.* TRIPODIUS.

TRĬPŌDĬO. *V.* TRIPUDIO.

TRĬPŌDĬUM. *V.* voc. seq.

TRĬPŌDĬUS, a, um, adject. qui tres pedes habet: a τρίς pro τρεῖς, tres, et πούς, pes. Ita appellatur pes trisyllabus prima brevi, duabus reliquis longis, qui et bacchius et periambus dicitur. *Diomed.* 3. *p.* 475. *Putsch.* Alii leg. *tripodians,* V. *Keil.* — Hinc absolute

*Tripodia, æ,* f. 1. τριποδία, versus tres habens pedes. *Diomed.* 3. *p.* 521. 27. *Keil.* Quintadecima ode idem metrum habet et per quaternos versus scanditur, sed tres penthemimeres, unum qui tripodia dactylice appellatur etc.

*Tripodium, ii,* n. 2. ¶ 1. Parvus tripus. *Gloss. Gr. Lat.* Τριπόδιον, tripodium. ¶ 2. *Tripodium* mobilitatis dixit *Diomed.* 3. *p.* 476. 5. *Keil* de pyrrichio, fortasse ob ejus celeritatem, qui duabus constat brevibus.

TRĬPŌDO, as, āvi, are, n. 1. Sunt qui hoc verbum a *ter* et *pedes*, ut *tripudio*, derivant ex illo *Horat.* 3. *Od.* 18. 15. Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram. et *Ovid.* 1. *Art. am.* 111. Dumque, rudem præbente modum tibicine Tusco, Ludius æquatam ter pede pulsat humum. Putant vero nonnulli, vocem ex *tripus, odis,* deductam, et ex iis motibus, quos Pythia ex mensa tripede responsa ferens patiebatur, sive ex iis choreis, quæ circa tripodem ducebantur, sacros illos sacerdotum saltus significatos fuisse; nisi forte a *pes, pedis,* derivare hanc vocem magis placeat, quod nempe sacerdotes ita metricis modis terram pulsarent, ut tribus pedibus saltare viderentur. Solemnis hujus cantus atque saltatus prima veluti vestigia apud *Liv.* 1. 20. Sa-

Hos item duodecim Marti Gradivo legit Numa ne per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu jussit. — Part. *Tripodans.* — Tripodo est salto, pedibus terram pulso, idem ac tripudio. Cf. tamen TRIPEDO. ¶ 1. Universim. — *a*) Intransitive. *Veget.* 2. *Milit.* 23. Saltus quoque et ictus facere pariter assuescant (*juniores milites*), insurgere tripodantes in clipeum rursusque subsidere, nunc gestiendo provolare cum saltu, nunc cedentes in terga resilire. Alii pro *tripodantes* rectius legunt *trepidantes.* — *b*) Etiam transitivorum more. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 41. a. *lin.* 21. IBI SACERDOTES CLVSI SVCCINCTI LIBELLIS ACCEPTIS CARMEN DESCINDENTES (*V.* DISCINDO) TRIPODAVERVNT IN VERBA HAEC: ENOS LASES IVVATE ENOS LASES IVVATE. Porro, quemadmodum *saltare fabulam, Cyclopem, Œdipodem, saltare carmina* significat hæc omnia solo gestu agere et spectatoribus intelligenda exhibere (*V.* SALTO); ita *carmen tripodare in verba hæc* significat carmen cum saltatu pronuntiare, verbumque *tripodo* ad ea refertur, quæ activa dicuntur. ¶ 2. Similiter de equis brevi et festino gradu incedentibus crebriterque salientibus usurpatur, qui etiam *trepidiarii* dicuntur (*V.* hanc et seq. voc.); quam significationem alii primam ponunt. *Pelagon. Veterin.* 11. *circa med.* Hoc autem vitium a labore contrahitur, si aut in duro aut inter lapides equus fortiter tripodaverit, aut burdo majorem sarcinam tulerit, aut mula diu juncta laboraverit. Cf. *Veget. loc. cit.* in voc. seq.

TRĬPŎDUM, i, n. 2. (τρίποδον) idem ac tripodatio et de equis usurpatur. *Pelagon. Veterin.* 17. *circa med.* Post hanc curam cooperimus (*equum*) sagis et in sole calido sedentes exercemus tripodo usque ad sudorem. *Sarchianius* interpres Italus vertit: *sotto la sferza del sole al galoppo.* Inde ita sumpsit *Veget.* 3. *Veterin.* 47. *a med.* Post curam operitur (*equus*) sagis et in sole calido exercetur a sessore trepidans.

TRĬPŎDUS, a, um, adject. tripes. *Isid.* 20. *Orig.* 11. 12.

TRĬPŎLĬON et

TRĬPŎLĬUM, ii, n. 2. τριπόλιον. ¶ 1. Est herba, cujus meminit *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 22. (39). Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi alludit unda, neque in mari neque in sicco, folio isatis crassiore, palmo alto, radice alba, odorata; eadem videtur quibusdam, quæ polium. *V.* POLION. ¶ 2. Est etiam genus mensuræ. *Soran. Isag.* 23. Hemina habet tripolion II. Tripolion unam heminam mediam.

TRĬPONDIS. *V.* TREPONDIS.

TRIPONTIUM, ii, n. 2. (tres et pons) locus, ubi sunt tres pontes. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 179. Pons, tripontium, subpontium. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

TRĬPORTENTUM, i, n. 2. (ter et portentum) magnum portentum. *Pacuv.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 59. *Müll.* Deorum triportenta.

TRĬPORTĬCUS, us, f. 4. (tres et porticus) tres habens porticus. *Augustin.* 2. *Quæst.* in *Heptat.* 177. *n.* 22. *circa fin.*

TRĬPŎTENS, entis, adject. omn. gen. (ter et potens) valde potens, potentissimus. *Mar. Victorin.* 1. *adv. Arium.* 50. Tripotens Deus. *Id. ibid.* 56. Spiritus.

TRIPTES. *V.* THRIPES.

TRIPTĬCE. *V.* voc. seq.

TRIPTĬCOS, e, on, *Græca positione*, adject. qui fricando adhibetur: a τρίβω, tero. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 12. 82. Perungit unctione, quam (*Chrysippus*) appellavit tripticem.

TRIPTŌTUS, a, um, adject. τρίπτωτος, vocabulum trium terminationum vel tres casus habens. *Priscian.* 5. *p.* 672. *Putsch.* Alia (*nomina*) triptota – ut *templum, templi, templo.* Adde *ibid.* 13. *p.* 954., *Consent. in Arte p.* 2034. et *Capell.* 3. *p.* 75. *V.* DIPTOTUS.

TRĬPŪDĬANS, antis, particip. *V.* TRIPUDIO.

TRĬPŪDĬĀTĬO. *V.* TRIPODATIO.

TRĬPŪDĬO (tripodio), as, avi, are, n. 1. (tripudium) Scribitur *tripedio* apud *Diomed.* 3. *p.* 471. *Putsch.* — Licenter prima producitur a *Venant.* 8. *carm.* 4. 4. Creditur et sacro tripudiare gradu. — Part. *Tripudians.* — Tripudio est salto, pedibus terram pavio, χορεύω (It. *ballare, danzare;* Fr. *sauter, danser;* Hisp. *saltar, danzar;* Germ. *springen, tanzen;* Angl. *to jump, dance*).

I.) Proprie. *Petron. Sat.* 36. Ad symphoniam quattuor tripudiantes procurrerunt. *Seneca Tranquill.* 15. *a med.* Scipio triumphale illud et militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, sed ut illi antiqui viri solebant virilem in modum tripudiare. Adde *Venant. loc. cit. Mamertin. Genethl.* 10. *in fin.* Cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare. *et Gratiar. act. ad Julian.* 29. Tripudiabat crebris saltibus multitudo. *Diomed.* 3. *p.* 475. 23. *Keil.* Sed ipse (*Pyrrhus*) a pedum mobilitate, quod tripodiantes ordinaret, Cinesias est cognominatus. Alii aliter leg. *Pacat. Paneg. Theod.* 37. Tripudiantium catervæ.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 41. 88. Sed illum tot jam in funeribus reipublicæ exsultantem ac tripudiantem legum, si posset, laqueis constringeret. *Sidon.* 3. *Ep.* 3. *a med.* Licet multi complexibus tuorum tripudiantes adhærescerent. Adde *Apul.* 7. *Met.*

TRĬPŪDĬUM (tripodium), ii, n. 2. (ter et pes). *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 34. vult esse a *terra* et *pavio*, quasi *terripavium* vel *terripudium* per syncopen. — Tripudium est saltatio, qua pedibus terra pulsatur et pavitur, χορεία (It. *ballo, tripudio;* Fr. *danse, saut;* Hisp. *danza, bayle;* Germ. *der Tanz;* Angl. *dance*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 1. 20. Salios ancilia ferre ac per urbem ire canentes carmina, cum tripudiis solemnique saltatu, jussit. *Id.* 25. 17. Armatum exercitum decucurrisse cum tripudiis Hispanorum motibusque armorum et corporum suæ cuique genti adsuetis. Adde 38. 17. — Hinc *Catull.* 63. 26. Quo nos decet citatis celerare tripudiis. ¶ 2. Speciatim est auguralis vox, qua significatur auspicium ex pullorum pastu, quum pullis vescentibus aliqua offæ particula illis ex ore in terram excidebat. *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 34. Sed quia, quum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere et terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est. Hoc quidem jam tripudium dicitur. Quum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant. Ergo hoc auspicium divini quicquam habere potest, quod tam sit coactum et expressum? Quo antiquissimos augures non esse usos, argumento est, quod decretum collegii vetus habemus, Omnem avem tripudium facere posse. Hæc *Cicero.* Hoc genus auspicii fuit proprium rerum gerendarum, idest imperatoris in bello: eique consules, prætores dictatoresque paruerunt, qui foris rem gesserunt. Hujus hæc fuit consuetudo: singulis magistratibus, qui imperium haberent, pullarii præsto erant: hi jussu eorum, antequam prœlium inciperetur, esurientes pullos e cavea emittebant iisque offam objiciebant et diligenter spectabant, an pascerentur et quomodo pascerentur, atque rei eventum ex eorum pastu conjiciebant. Nam si, offa objecta, aliquid e pullorum pascentium ore in terram cecidisset, auspicium prosperum habebatur, sin minus, infaustum. (*Fest.* in *Puls p.* 245. 33. *Merc.*) Porro maxime faustum erat, si integræ offæ ex pullis caderent, quo significabatur universum hostium exercitum prostratum iri; infaustum, si nihil caderet, maxime vero infaustum, si pulli non pascerentur. *Liv.* 10. 40. Tertia vigilia noctis Papirius silentio surgit et pullarium in auspicium mittit. Quum pulli non pascerentur, auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nuntiavit. Consul lætus auspicium egregium esse ac deis auctoribus rem gesturos pronuntiat signumque pugnæ proponit. Adde *Sueton. Tib.* 2. — Hoc auspicium fuit proprium eorum imperatorum, qui in consulatu, prætura, dictatura provinciam lege curiata obtinuissent: hi non nisi addicentibus pullis rem ullam aggrediebantur: at proconsules et proprætores, qui ex privatis provincias et bella plebiscito et comitiis tributis obtinuerant, tripudium non observabant. *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 77. Quam multi anni sunt, quum bella a proprætoribus et proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicato nec tripudio auspicantur. *Serv.* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 30. Dicitur etiam ideo a novo marito nuces spargi debere, quod projectæ in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad rem gerendam optimum est.

II.) Tropice, sequioris Latinitatis ævo, significat gaudium. Hinc *Borghini Orig. Fir.* hæc habet: *Ora da percuotere liberamente il piè in terra, cioè da saltare e ballare, fu la voce* tripudio e tripudiare *trasportata da' Romani a festa ed allegrezza.* Unde *Hieronym. adv. Lucif. n.* 18. In hoc vero cuncti episcopi et tota simul Ecclesia plausu quodam et tripudio Valentis vocem exceperunt. Ita *Furlanetto* noster in *App.*

TRĬPUS, i, m. 2. *V.* voc. seq.

TRĬPUS, ŏdis, adject. omn. gen. (τρίπους) Sæpius absolute adhibetur; hinc alia forma absoluta *tripodes*, ut nonnullis videtur, apud *Auson. Griph.* 74. et etiam *tripus, i,* masc. gen. apud *Fulgent.* 1. *Myth.* 16. Tripum Apollini adjiciunt. *solœc.* — Tripus est qui tres pedes habet seu fulcra, quibus sustinetur, ut vas, sella et hujusmodi, *chi ha tre piedi o sostegni.* Hinc *tripodes* sellas, *scagni con tre piedi,* qui pauperiorum esse solent, dixit *Sidon.* 4. *Ep.* 24. *ante med.* pro *tripedes.* Adde *Isid.* 20. *Orig.* 11. 22. et *ibid.* 8. 5. *V.* TRIPES. — Hinc

*Tripus* (*tripodes*), *odis,* m. 3. absolute; substantivorum more. In Ablat. *tripodi* apud *Lucret.* 1. 739. Pythia quæ tripodi a Phœbi lauroque profatur. — Tripus est sella vel mensa tripes, *treppiede.* ¶ 1. Generatim. *Virg.* 5. *Æn.* 110. Munera principio ante oculos circoque locantur In medio, sacri tripodes viridesque coronæ Et palmæ pretium victoribus etc. Ubi *Servius:* Sic pulcri, ut sacros putares: vel quales sacrari solent. nec enim sacrilegus erat, ut sacra donaret. et sic dictum est, ut (3. *Æn.* 466.) Dodonæosque lebetas. *h. e.* quales sunt in Dodona. *Horat.* 4. *Od.* 3. Donarem tripodas, præmia fortium Grajorum. *Tripodes* enim apud Græcos dona viris fortibus dari solita. ¶ 2. Speciatim ac præcipue dicitur de sella vel mensa tripede in templo Apollinis Delphici, in qua Pythia seu Phœbas mulier sacerdos sedebat et responsa dabat. *V.* PYTHIA, æ. *Cic.* 3. *Nat. D.* 16. *a med.* Ex Jove et Lysithoe est is Hercules, quem concertavisse cum Apolline de tripode accepimus. *Virg.* 3. *Æn.* 359. interpres divum, qui numina Phœbi, Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 789. Phœbei tripodes. *Id.* 3. *Fast.* 855. Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet, Quam sterili terræ Delphicus edat opem. *Seneca Med.* 86. qui tripodas movet. *h. e.* Apollo, qui oraculum editurus tripodem commovebat: unde *Lucan.* 5. 121. Immotos tripodas vastæque silentia rupis (*Appius*) Sollicitat. *et Claudian.* 1. *in Rufin. præf.* 12. tripodas plenior aura rotat. *Sil. It.* 13. 401. sub nomine Phœbi Autonoe tripodas sacros antrumque tenebat. *Capell.* 9. *p.* 303. Œonistice tertia est, per quam tripus illa ventura denuntiat. — Hinc *tripus* in nummis gentis Cassiæ apud *Morell. Num. fam. tab.* 2. *n.* 6. et *tab.* 3. *n.* 4. et Antestiæ *ibid. n.* 1. et 2. est symbolum sacerdotii XV. vir. *V. Borghesi* in *Dec. Num.* 7. *Oss.* 6. et 7. — Tripodem Apollineum illustrat *Visconti* in *Mus. Pio-Clem. T.* 7. *p.* 193. et *seqq.* Cf. etiam *Rich op.* sæpe *cit.* ad *h. v.* — Hinc metonymice de ipsis oraculis, cujuscumque sint. *Seneca Med.* 885. Sonuistis *ai ai.* tripodas agnosco meos. *Val. Flacc.* 1. 544. Inde meæ quercus tripodesque animæque parentum Hanc pelago misere manum. *Stat.* 1. *Theb.* 509. Salve, prisca fides tripodum. — Et metaphorice. *Auson. Griph.* 74. Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria: terra, aqua, flamma.

TRĬPUXĬNUM *vel* tripyxinum, i, n. 2. collyrium ita forte appellatum, quia in tribus pyxidibus seu capsulis, alia aliam invicem com-

prehendente, servabatur: a τρίς, ter, et πύξινος, buxeus. (*V.* PYXINUM et PYXIS) *Pelagon. Veterin.* 30. *ante med.* Collyrium tripuxinum. Balsami — II., croci — II., myrrhæ — II., salis sani (*lege* Spani) — IIII., lepidos — IIII., os (*lege* ossis) sepiæ — II., feronitri (*lege* afronitri *vel* aphronitri *et adde* —), alcyonii —, mellis Attici — Hæc eadem ita paucis immutatis refert *Veget.* 4. *Veterin.* 27. *ante med.* Pelagonius item alia collyria composuit. Opobalsami, croci, myrrhæ, salis Hispani (*al.* Spani), lepidis, ossis sepiæ, singulas uncias, cadmiæ uncias duas, afronitri unciam unam, mellis Attici libram. Vides itaque, hic *Vegetium* posuisse *opobalsami* pro *balsami*, ut legitur apud *Pelagonium*; item *lepidis* pro *lepidos*, Latina scilicet positione pro Græca, est enim *lepis, idis* vel *idos*; addidisse *cadmiæ uncias duas*; omisisse *alcyonii* —; et *mellis Attici libram* pro *mellis Attici* —, quod prius tamen præstat; nam mel Atticum videtur, ut *Celsi* 6. 6. *n.* 2. verbis utar, esse mixtura, qua temperandum est hujusmodi collyrium; tandem aliquantulum discriminis esse in quantitatibus specierum, quæ ab utroque præscribuntur.

TRĬPYXĬNUM. *V.* voc. præced.

TRĬQUĔTRA, æ, f. 1. *et*

TRĬQUĔTRUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĬQUĔTRUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, recentiores derivant a Skr. *tri*, tres et *ça*, acuo, ut sit *ter acutus*. — Secundam corripiunt *Lucret.* 1. 717. et *Sil. It.* 6. 489.; producunt *Lucret.* 4. 651. et *Horat.* 2. *Sat.* 6. 55. — Triquetrus est tres habens angulos, triangulus, *triangolare*, τρίγωνος. *Lucret.* 4. 651. Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse est. *Cæs.* de Britannia, 5. *B. G.* 13. Insula natura triquetra, cujus unum latus est, contra Galliam etc. *Colum.* 5. *R. R.* 2. Ager quadratus aut longus aut cuneatus aut triquetrus aut rotundus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (93). Triquetra figura vel quadrata. *Id. ibid.* 17. 15. (77). Martis sidus numquam stationem facere Jovis sidere triquetro. *h. e.* quum distat a Jove tertia cæli parte, h. e. gradibus centum viginti: qui trinus aspectus dicitur. — Hinc absolute, substantivorum more

*Triquetra, æ,* f. 1. dicta est Sicilia a tribus promontoriis et triangula specie, de qua *V.* ONOM.

*Triquetrum, i,* n. 2. triangularis figura, triangulus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 12. (59). Errantes tres radiorum solis contactu reguntur et in triquetro a partibus centum viginti stationes matutines faciunt. *et ibid.* 18. 16. (80). Luna in quadrato solis dividua est, in triquetro seminani ambitur orbe.

TRĬRĒMIS, e, adject. (tres *et* remus) Etiam *triresmos* pro *triremos* in *Columna rostr.* V. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 195. *lin.* 12. — Triremis est tres habens remorum ordines, ut navis triremis, *galera*, τριήρης. — *a*) Adjective. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. *a med.* Conspicatæ naves triremes duæ navem Bruti etc. *Nepos Dion.* 9. Navem triremem armatis ornat fratrique suo tradit. *Ascon. in* 3. *Verr.* 20. Trierarchus navi triremi præpositus. *Auct. B. Afr.* 44. Altera navis triremis ex classe errabunda. *Cassiod.* 5. *Variar.* 17. Trireme vehiculum. *V.* CLASSEUS. — *b*) Fere *triremis, is,* f. absolute dicitur, *sc.* navis: eratque trina remorum serie instructa, alia super aliam disposita, quarum ima aquæ, superior foris propior erat: media inter utramque. Remiges imi θαλαμῖται dicti sunt: medii ζυγῖται; summi θρανῖται, ut *Grævius* adnotavit ad *Flor.* 4. 11., et alii ad illud *Virg.* 5. *Æn.* 119. triplici pubes quam Dardana versu Impellunt: terno consurgunt ordine remi. *V.* dicta in DECEMREMIS. *Ascon. loc. cit.* Triremis ternos remorum ordines habet: ita et biremis et quadriremis et deinceps dicuntur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (207). Triremem Thucydides (*scribit primum fecisse*) Aminoclem Corinthium. *Cæs.* 2. *B. C.* 23. Appulsa ad litus trireme constrata. *Cic.* 7. *Verr.* 17. *a med.* Navem Cybeam maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam etc. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* 3. *ad fin.* Pleraque in oratione, ordine immutato vel rata verba fiunt vel supervacanea. Navem triremem rite dixerim; triremem navem supervacaneo addiderim: neque enim periculum est, ne quid lecticulam aut rhedam aut citharam triremem dici arbitretur.

TRĬRĒMIS, is, f. 3. *et*

TRĬRESMOS. *V.* voc. præced.

TRĬRHYTHMUS. *V.* TETRARHYTHMUS.

TRIRODIUM. *V.* DIRODIUM.

TRIS. *V.* TRES.

TRĪSÆCLĪSĔNEX (triseclisenex), ĕnis, adject. omn. gen. (tres, sæclum *et* senex) In genet. *trisæclisenecis* dederunt, nescio qua de causa, *Furlanetto* et *De-Vit.* Cf. SENEX. — Trisæclisenex est qui tria sæcula vixit. Epipheton est Nestoris usurpatum a *Lævio* apud *Gell.* 19. 7. Cf. *Horat.* 2. *Od.* 9. 13. *de eod.* ter ævo functus.

TRISCĔLES, is, adject. omn. gen. τρισκελής, tria habens crura: a τρεῖς, tres, et σκέλος, crus. *Isid.* 20. *Orig.* 4. *ad fin.* V. voc. seq.

TRISCĔLUM, i, n. 2. (τρισκελής) idem ac triquetra figura. *Hygin. fab.* 176. Sicilia in triscelo posita. — Hinc in Siciliæ nummis plerumque videre est triplicia crura divaricata cum capite femineo in eorumdem medio.

TRISCHĒMĂTISTĬCUS *et* trischematistus, a, um, adject. tres habens figuras: a τρεῖς, tres, et σχῆμα, figura. *Plot. Sacerd.* 3. 3. 28. *p.* 506. 24. *K.* Trischematisticus spondeus, *et ibid. p.* 507. 4. Trischematistus dactylicus.

TRISCHĒMĂTISTUS. *V.* voc. præced.

TRISCHŒNUS, a, um, adject. τρίσχοινος, tria habens schœna. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 20. (85). *V.* SCHŒNUM.

TRISCURRĪUM, ĭi, n. 2. (tres *et* scurra) res admodum scurrilis et libero homine indigna, uti fuerunt patriciorum Romanorum exercitationes in arena et in scænis gladiatorum et mimorum vices subeuntium, *grande buffoneria:* particula *tri* hoc loco auget, quemadmodum in *trifurcifer*. — *a*) In sing. num. *Priscian. Part. XII. vers. Æn.* 4. § 42. *p.* 480. 10. *Keil.* — *b*) In plur. num. *Juvenal.* 8. 190. populi frons durior hujus, Qui sedet et spectat triscurria patriciorum, Planipedes audit Fabios, ridere potest qui Mamercorum alapas. *Scaliger* legit *transcurria*, h. e. excursiones in arena. Alii *triscuria*, h. e. indignam patriciorum curam. Alii denique alia hujusmodi multa comminiscuntur.

TRĪSECLĪSĔNEX. *V.* TRISÆCLISĔNEX.

TRĪSĒMOS *et*

TRĪSĒMUS, a, um, adject. τρίσημος, tria tempora habens. *Mar. Victorin.* 1. 18. 2. *p.* 63. 17. *Keil.* Epiplocæ trisemos, tetrasemos, hexasemos, ex eo quod e tribus et quattuor et sex temporibus subsistant. *et p.* 42. 30. *ibid.* Trisemos arsis ad disemon thesin accipitur. Adde *Capell.* 9. *p.* 330. *V.* DISEMUS.

TRĪSEXTĪUM, ĭi, n. 2. (tres *et* sextus) mensura liquidorum et aridorum continens triplex sextarium. *Marcell. Empir.* 16. *sub fin.* Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 147. Sextarium, bissextium, trisextium, quadrisextium.

TRISMĔGISTĬCUS, a, um, adject. (Trismegistus) ad Trismegistum pertinens. *Longin.* apud *Augustin. Ep.* 234. 1. Trismegistica præcepta.

TRISMĔGISTUS, i, m. 2. τρισμέγιστος, ter maximus aut multo maximus. Epitheton Mercurii apud *Lactant.* 1. 6. et 6. 25. *V.* ONOM.

TRĪSŌMUM, i, n. 2. locus seu sepulcrum trium corporum capax: a τρεῖς, tres, et σῶμα, corpus. *Inscr.* apud *Reines. cl.* 20. *n.* 43. et 289. *V.* BISOMUS.

TRISPASTOS, i, f. 2. τρίσπαστος, sc. machina, quæ, ut ait *Vitruv.* 10. 3. *init.*, per tres orbiculos circumvolvitur. *taglia a tre girelle:* a τρίς, ter, et σπάω, traho. *V.* POLYSPASTON.

TRISPĪTHĂMUS, a, um, adject. τρισπίθαμος, tres spithamas longitudinis habens. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (26). Supra hos in extrema parte montium Trispithami Pygmæique narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes. Ita legit *Harduin.* et *Sillig.* Alii *Spithamæi Pygmæi.*

TRISSĀGO. *V.* TRĪXAGO.

TRISSĒMA, ătis, n. 3. crassitudinem exposuit *Placid.* in *Gloss.* apud *A. Mai* in *Class. auct. T.* 6. *p.* 573.: fortasse a τρισσόω, triplico.

TRISSĪTO (trussito), as, are, n. 1. (*frequentat a* trisso) ¶ 1. Est vocem hirundinis exprimo. *Reiff.* ad *Sueton. reliq. p.* 248. Hirundines trussitant. ¶ 2. Item arietis. *Id. ibid.* Arietes trissitant vel blaterant. *V.* voc. seq.

TRISSO, as, are, n. 1. verbum per onomatopœiam fictum a voce hirundinis. *Auct. carm. de Phil.* 96. Trissat hirundo vaga. *Alii leg.* trinsat. *Auct. carm.* in *Anthol. Lat. n.* 733. *Riese.* Garrula versifice tignis mihi trissat hirundo. Adde *Reiff.* ad *Sueton. reliq. p.* 249.

TRISTĂTÆ, ārum, m. plur. 1. τριστάται, nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem (tres primi), quos nos magistratus utriusque militiæ et præfectos annonarii tituli nominamus. Ita *Hieronym.* 7. *in Ezech.* 23. 23.

TRISTE. *V.* TRISTIS.

TRISTĔGA, ōrum, n. plur. 3. τὰ τρίστεγα, trinæ ædium contignationes a τρίς, ter, et στέγος, contignatio; sed et pro tertia contignatione sumitur. *Hieronym.* 12. in *Ezech.* 41. 7. Adde *Alcim.* 4. 244. et *Schol.* in *Juvenal.* 3. 199. Superiora tecta et tristega. *Vulg. interpr. Gen.* 6. 16. Et tristega facies. *h. e.* tertium tabulatum, *il terzo piano.*

TRISTI. *V.* in TERO et TERGEO.

TRISTĬCHUM, i, n. 2. (τρίστιχος) carmen tribus versibus constans: a τρεῖς, tres, et στίχος, versus. *Anthol. Lat. n.* 543. *Riese.* in *lemmate.*

TRISTĬCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* tristis, aliquantulum tristis, subtristis, *alquanto malinconico*, ὑποδύσθυμος. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. 103 Filiolam suam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, animadvertit tristiculam. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 3. *ad Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 17. Nihilo minus adhuc animus meus pavet et tristiculus est, ne quid etc.

TRISTĬFĬCUS, a, um, adject. (tristis *et* facio) ¶ 1. Est qui tristitiam affert, ἀλγύνων. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *a med.* Acetum acore tristificum. *Prudent. Dittoch.* 50. Tristifici latices. ¶ 2. Est etiam, qui se terribilem præbet, terrificus. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. *ex poeta.* Tristificas certant Neptuno reddere voces. *Prudent.* 4. *Cathem.* 76. Tristificus tyrannus. *Auct. carm. buc.* 73. *v.* 2. *p.* 224. *Wernsd.* vulnus.

TRISTĬMŌNĬA, æ, f. 1. (tristis) tristitia. *Auct. B. Afr.* 10. Magno metu ac tristimonia sollicitabantur. Alii leg. *tristitia.* — Addunt quidam Lexicographi locum ex *Nævio* in *Colace* apud *Fest.* (*Nov. fragm.* 102. *Ribb.*) Tristimoniam deturbat ex animo.

TRISTĬMŌNĬUM, ĭi, n. 2. (tristis) idem ac tristimonia. *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann.* Quum nos in tristimonio essemus.

TRISTIS, e, adject. — *a*) Etiam *tristus, a, um*, vulgo usurpatum fuisse videtur. *Prob. App. p.* 198. 3. *Keil.* Hinc *Inscr.* apud *Rossi Inscr. Christ. T.* 1. *p.* 370. *n.* 841. (pertinet ad an. post Chr. 472.) SVME SOROR CARMEN SOLATIA TRISTA FRATRIS etc. Ita recentiores quidam; sed est legend. *tristia* pro *trista*, quum inscriptio, quam totam vidi, sit metrica et dactylum, in hexametro, ibi postulet: fortasse est σφάλμα lapicidæ. — *b*) *Triste* pro *tristi* in ablat apud *Venant.* 4. *carm.* 7. 7. et 5. *ibid.* 5. 51. et 9. *ibid.* 2. 99. — *Tristeis* pro *tristes* in acc. plur num. ἀρχαικῶς in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1220. — *c*) Ratione habita etymi, *Döderlein* confert cum τρίζω, strido (*Homer. Iliad.* 9. 311.) et cum τρηχύς, asper; sed rectius a Gr. τρύω et Lat. *tero* duxeris. — Comp. *Tristior* fere in omn. paragr.; Sup. *Tristissimus* I. 2. — Tristis est mœrens, mœstus, contracta fronte curam animi significans, λυπηρός, σκυθρωπός (It. *mesto, malinconico, attristato, di mala voglia*; Fr. *triste, affligé, chagrin*; Hisp. *triste, afligido*; Germ. *traurig, betrübt, finster*; Angl. *sad, afflicted*): cui opponitur hilaris, lætus, jocosus, lepidus.

I.) Stricto sensu, vel, ut alii volunt, proprie. ¶ 1. Passive usurpatur de iis, qui tristitia affi-

ciuntur. — 1.°) Absolute. *Turpil. fragm.* 167. *Ribb.* Stare tristem turbido vultu. *Plaut. Cas.* 2. 2. 6. Quid tu tristis es? *Id. Cist.* 1. 1. 55. numquam ego te tristiorem Vidi esse. quid, cedo, te, obsecro, tam abhorret hilaritudo? *Ter. Hecyr.* 3. 2. 20. Quid tu igitur lacrimas? aut quid es tam tristis? *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Sequani tristes capite demisso terram intueri. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Visum tibi esse C. Marium cum fascibus laureatis quærere ex te, quid tristis esses etc. *Horat.* 1. *Od.* 7. 24. sic tristes affatus amicos. *Curt.* 6. 43. 27. Tristis erat et me mœstum videbat. — De eo, qui tristem se simulat contrahendo vultum, licet tristis non sit. *Ter. Eun.* 3. 5. 47. Cape flabellum hoc et ventulum huic facito. accipio tristis. *Donatus* exponit, invitus, quasi sit ironia: ut in illo *ibid.* 4. 1. 8. Invitat tristis. mansit. — 2.°) Cum homonymis. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 18. Quid vox mœstos tam tristesque esse conspicor. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Se sane tristem et conturbatum domum revertisse. *Id. Mur.* 21. *sub fin.* Videsne tu illum tristem, demissum? jacet, diffidit, abjecit hastas. *Petron. Sat.* 91. Video Gitona tristem confusumque. — 3.°) Cum oppositis. *Plaut. Cas.* 2. 3. 7. Amor hominem faciet ex tristi lepidum et lenem. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 89. Oderunt hilarem tristes tristemque jocosi. — Hinc elegans illa metaphora apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 40. (95). Non omnes arbores florent: et sunt tristes quædam, quæque non sentiant gaudia annorum. Sic *Seneca Ep.* 12. Apparet has platanos negligi: nullas habent frondes: quam nodosi sunt et retorridi rami! quam tristes et squalidi trunci! Cf. *Martial.* 1. 97. et 14. 158. ¶ 2. Active de iis, qui tristitia afficiunt vel tristitiam faciunt aut indicant aut portendunt. *Plaut. Most.* 3. 2. 124. Vultu tristi est senex. *Cic.* 2. *ad Brut.* 1. Tristes de Bruto nostro litteræ nuntiique afferebantur. *Id.* 2. *Divinat.* 15. *sub fin.* Tristissima sunt exta sine capite. *Id. Pis.* 14. *a med.* Ut tuum lætissimum diem cum tristissimo meo conferam. *Id.* 15. *Fam.* 7. Defensus tristibus temporibus, ornatus secundis. *calamitosi.* et *Horat. Art. P.* 73. Tristia bella. *Virg.* 4. *G.* 252. tristi languebunt corpora morbo. *Id.* 2. *Æn.* 115. isque adytis hæc tristia dicta reportat. *et* 5. *ibid.* 840. Tristia somnia. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 112. fata. *Juvenal.* 2. 62. et *Ovid.* 15. *Met.* 43. sententia. *condanna.* et *Liv.* 5. 51. Tristissimi exsilii solatium. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 87. quum misero tristes venere Calendæ. *Petron. Sat.* 115. Tristissimam exegimus noctem. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 27. *ante med.* Sine ullis solibus triste nubilo cælum est. *Id. Herc. Fur.* 835. Via ad Manes tristis. *et* 1136. iter triste laboris. *Liv.* 42. 40. Quum medici salutis causa tristiora remedia adhibent. *h. e.* acerbiora et acriorem doloris sensum inducentia. *Tac. Germ.* 2. Germania tristis cultu aspectuque. — Et præsertim, quæ ad funus pertinent. *Seneca Octav.* 101. Tristi morte finire mala. *Virg.* 3. *Æn.* 301. dapes et tristia dona Libabat cineri Andromache. *Id.* 4. *G.* 256. tristia funera ducunt. *Martial.* 1. 97. Tristes lacernæ. *h. e.* fuscæ, pullæ, atræ. Sic 14. 158. Tristis lana. *Ovid.* 12. *Met.* 4. officium. *h. e.* exsequiarum. *Virg.* 6. *Æn.* 222. ingenti subiere feretro, Triste ministerium. — Et quæ ad Inferos. *Virg.* 4. *Æn.* 243. Tartara tristia. *Horat.* 2. *Od.* 14. 10. et *Virg.* 6. *Æn.* 438. tristique palus inamabilis unda. *Seneca Herc. Œt.* 1065. tristes Erebi dii. *Sil. It.* 13. 571. tristis Acheron. *mœstum* dicit *Seneca Thyest.* 17.

II.) Latiore sensu, vel, ut alii volunt, translate. ¶ 1. Sumitur pro noxio, *nocivo.* *Lucret.* 6. 347. si tristior incubuisset Causa, darent late cladem magnasque ruinas. *Ovid.* 6. *Met.* 140. tristi medicamine tactæ Defluxere comæ. ¶ 2. Interdum de sapore amaro, quo vultum contrahere solemus et conformare ad tristitiam. *Virg.* 1. *G.* 75. Triste lupinum. *et* 2. *ibid.* 126. suci. *et* 3. *ibid.* 448. amurca. *Sil. It.* 3. 281. epulæ. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 23. absinthia. *Id.* 4. *Trist.* 6. 12. sapor. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (20). glans cerro. *Catull.* 99. 13. Ut mi ex ambrosio mutatum jam foret illud Suaviolum tristi tristius helleboro. *Lucret.* 4. 635. aliis quod triste et amarum est, Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri. *Ovid.* 1. *Art. am.* 521. Nec male odorati sit tristis anhelitus oris. *cattivo fiato.* ¶ 3. Quoniam vero tristitia in fronte hominis iræ, minarum, gravitatis, sævitiæ indicium est; hinc *tristis* accipitur plerumque in malam, aliquando vero in bonam partem, et quidem — 1.°) In malam partem. — *a*) Est iratus, *sdegnato.* *Plaut. Cas.* 2. 3. 14. Eja mea Juno: non decet te esse tam tristem tuo Jovi. *Tibull.* 4. 4. 19. lacrimis erit aptius uti, Siquando fuerit tristior illa tibi. *Propert.* 1. 6. 10. illa minatur, Quæ solet ingrato tristis amica viro. Adde *Afran.* apud *Non. p.* 410. 1. *Merc.* — *b*) Item minax. *Virg.* 10. *Æn.* 611. quid, o pulcherrime conjux, Sollicitas ægram et tua tristia dicta timentem? *Tac.* 4. *Ann.* 71. *a med.* Tristibus dictis atrocia facta conjungere. *Sil. It.* 2. 2. Tristia magnanimi portabat jussa senatus. — *c*) Item sævus, immitis, severus, tetricus, et in utramque partem, *crudele, inesorabile, severo, grave, serio.* *Virg.* 6. *Æn.* 315. Navita sed tristis (*Charon*) nunc hos, nunc accipit illos: Ast alios longe submotos arcet arena. *Id.* 2. *ibid.* 337. tristis Erinnys. *Tibull.* 3. 3. 35. sorores. *h. e.* Parcæ. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 102. dii. *Virg.* 3. *Æn.* 365. Celæno tristes denuntiat iras. *Id.* 3. *ibid.* 548. tristia facta. *Plin. Paneg.* 41. Qui fronte gravi et tristi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent. *con cipiglio.* — 2.°) In bonam partem. *Ter. Andr.* 5. 2. 16. Tristis severitas inest in vultu atque in verbis fides. Ubi *Donatus:* Ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem, tristis. *Cic.* 2. *Orat.* 71. *a med.* Vultus quo severior est et tristior, hoc illa, quæ dicuntur, salsiora videri solent. *ha più di sostenutezza, è più serio,* a risu et amœnitate remotior est. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 11. Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso. *Cic.* 3. *Verr.* 10. 30. P. Sulpicius judex tristis et integer. *Seneca Hippol.* 984. Tristis virtus perversa tulit Præmia recti. *Cic. Brut.* 30. 113. Rutilius in quodam tristi et severo dicendi genere versatus est. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 409. 28. *Merc.* Gravitatis suæ liquit illum tristem et plenum dignitatis sonum. *Id.* 1. *Off.* 30. *circa med.* Erat in Crasso multus lepos, in Scauro singularis severitas, in Lælio multa hilaritas, in Scipione ambitio major, vita tristior. *Tac. Dial. de orat.* 20. Perferre in judiciis tristem et impexam antiquitatem. ¶ 4. Est etiam infelix, infaustus. *Cic. Mur.* 20. 42. Tua sors tristis, atrox. *Liv.* 8. 24. *extr.* Alexandri Epirensis tristis eventus. *Tac.* 1. *Hist.* 3. Præsagia læta, tristia. *Id. ibid.* 27. Exta tristia. *Val. Max.* 5. 10. *extern.* 2. Dolori succumbere, ipsa clade, quæ nuntiata erat, tristius duxit. Cf. *Varron. Sat. Menipp.* 92. *p.* 231. *Oehl.* Non metuam fulmen, non aruspicem tristem. ¶ 5. Item aspectu horridus, *brutto a vedere.* *Stat.* 2. *Achill.* 408. Tristes ursæ. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 40. (120). Arbor cortice non scabro quidem, sed qui circumgelatus videri possit: tam tristis aspectu est. Cf. *Vulg. interpr. Matth.* 6. 16. — Hinc absolute

*Triste, is,* n. 3. res tristis. — *a*) In sing. num. *Virg.* 3. *Ecl.* 80. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, Arboribus venti. *h. e.* res noxia. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 41. Umbræ cum Sagana resonarint triste et acutum. *Auct. carm. Philom.* 30. passer tristia flendo pipit. — *b*) In plur. num. *tristia,* res tristes, ærumnæ, calamitates, curæ. *Ovidius* libros suos de exsilio et ærumnis ita inscripsit. *Id.* 6. *Fast.* 463. interdum miscentur tristia lætis. *Horat.* 1. *Od.* 16. 25. nunc ego mitibus Mutare quæro tristia.

*Triste,* adverbii more, mœste — 1.°) Positiv. gradu. *Stat.* 4. *Theb.* 19. triste salutantes. *Id.* 5. *Silv.* 1. 64. Nec frons triste rigens. *Inscr.* apud *Orelli n.* 4828. TRISTE SVSPIRES QVANTVM DOLORIS TITVLVS ISTE TESTATVR. — 2.°) Comparativ. gradu. — *a*) Stricto sensu. *Propert.* 2. 10. 1. quid fles Anxia captiva tristius Andromacha? — *b*) Latiore sensu, ægre, moleste, graviter, difficile. *Cic. Senect.* 19. 67. Facilius in morbum incidunt adulescentes, gravius ægrotant, tristius curantur. — *c*) Item aspere. *Id.* 4. *Fam.* 13. Quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit.

Homonym. Differt *tristis* a *mœsto,* ut docet *Isid.* 2. *Differ.* 568. V. sub TRISTITIA. — Item *tristis* a *severo* et *austero.* *Tac.* 1. *Hist.* 14. Æstimatione recta severus; deterius interpretantibus tristior habebatur. V. *Westerhov.* ad *Ter. Andr.* 5. 2. 16. Cf. *Cic. Amic.* 18. 66. Tristitia autem et in omni re severitas. *Seneca* 2. *Controv.* 14. Præmatura severitas non est frugalitas sed tristitia. *Id.* 1. *Ira* 26. Ira tantum abest a magnitudine animi, quantum ab austeritate tristitia, a severitate crudelitas. Ex quibus locis patet, tristitiam plus esse quam sit austeritas et severitas.

TRISTĬTAS, ātis, f. 3. (tristis) idem ac tristitia. *Pacuv.* apud *Non. p.* 182. 1. *Merc.* Quid istuc est? vultum quæ caligat tristitas. Ita *Ribbeck* pro vulg. *tristitias* loco τοῦ *tristities.* et *Turpil. ibid.* Ante facta ignosco: mitte tristitatem, Dorcium. Ita *Ribbeck* pro vulg. lectione certo corrupta. In locis ipsius *Non.* recentiores leg. ubique *tristitas* pro *tristitias.* V. *Ribb.* et *Quich.* ad *eumd.*

TRISTĬTER, adverb. (tristis) triste, mœste. *Lactant.* ad *Stat.* 4. *Theb.* 19. (*loc. cit.* in TRISTIS) *Triste* pro *tristiter,* nomen pro adverbio.

TRISTĬTĬA, æ, f. 1. (tristis) *Tristitias* in genetivo, ut *familias, monetas* etc. *Enn.* apud *Calpurn. Pison.* MS. referente *Merula* ad *fragm. Enn. p.* 19. *et* 417. Omnibus endo locis ingens apparet imago Tristitias. V. *Vahlenium Enn. rel. p.* 185. — Tristitia est mœstitia, ægritudo, cura ex malo impendenti aut præsenti, *ἀθυμία, ἀηδία* (It. *malinconia, mala voglia, mestizia;* Fr. *tristesse, affliction;* Hisp. *tristeza, congoxa;* Germ. *die Traurigkeit, Betrübniss;* Angl. *sadness, melancholy, grief*): cui opponitur lætitia, voluptas, hilaritas, lenitas.

I.) Stricto sensu, vel, ut aliis placet, proprie. *Sall. Cat.* 32. Ex summa lætitia atque lascivia repente omnes tristitia invasit. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. In eadem tristitia taciti permanere. *Auct. B. Afr.* 10. Magno motu ac tristitia sollicitari. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 102. Sole recedente, quasi tristitia quædam contrahit terram. *Id.* 2. *Orat.* 17. *ad fin.* Judex tum ad tristitiam tum ad lætitiam est contorquendus. *Id.* 12. *Att.* 40. *a med.* Hilaritate tristitiam temporum condire. *h. e.* tristia tempora, *tempi calamitosi.* et *Inc.* in *app. sent. v.* 2. *p.* 382. *Ribb.* Turpis tristitia in alterius commodo est. *Lucceius* ad *Cic.* 5. *Fam.* 14. Lacrimis ac tristitiæ se tradere. *Ovid.* 9. *Met.* 396. Tristitiam compescere. *Horat.* 1. *Od.* 7. 17. finire. *Tac. Germ.* 27. et *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 10. ponere. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 91. (159). abolere. *Id.* 24. *ibid.* 6. 15. (24). animi resolvere. *Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (38). Vino tristitia et cura hebetatur. *Tac.* 13. *Ann.* 32. Huic Pomponiæ continua tristitia fuit. *h. e.* luctus. *Seneca Tranquill.* 15. Vinum tristitiæ medetur. *Petron. Sat.* 24. Tristitiam ad ultimam perductus. *Val. Max.* 1. 6. *n.* 12. Subita tristitia implicati militum animi. *Id.* 2. 6. *n.* 14. Cum tristitia et mœrore in vita remanent. — In plur. num. *Tac.* 11. *Ann.* 38. Tristitiæ multæ. — Hinc metaphorice. *Plin.* 11. *Hist.* 18. 20. (63). Apes morbos sentiunt: index eorum tristitia torpens. *Id.* 18. *ibid.* 21. 50. (184). Sarculatio induratam hiberno rigore soli tristitiam laxat temporibus vernis. *Id.* 2. *ibid.* 6. 4. (13). Sol cæli tristitiam discutit atque etiam humani nubila animi serenat. *Id.* 9. *ibid.* 9. 11. (34). Delphinorum similitudinem habent tursiones: distant et tristitia aspectus; abest enim illa lascivia.

II.) Latiore sensu, vel, ut aliis placet, translate. ¶ 1. *Tristitia rei* est acerbitas, asperitas. *Cic.* 1. *Off.* 12. 37. Qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. ¶ 2. Item, ut *tristis* iratum aliquando significat, sic *tristitia* iram, *sdegno, ira.* *Ovid. Heroid.* 3. 89. Propter me

mota est, propter me desinat ira: Simque ego tristitiæ causa modusque tuæ. Propert. 1. 18. 9. Quid tantum merui? quæ te mihi crimina mutant? An nova tristitiæ causa puella tuæ? ¶ 3. Item gravitatem, severitatem: et fere de illa dicitur, quæ nimia est et ab omni risu, joco, comitate abhorret, uno tenore morosa, aspera, rigida et dura: qualis dicitur fuisse in Stoicis, asprezza, austerità. Cic. 2. Orat. 58. a med. Tristitiam ac severitatem mitigare ac relaxare. Sueton. Ner. 23. Taciturnitatem pudoremque quorumdam pro tristitia ac malignitate arguens. Tac. Agric 9. Tristitiam, arrogantiam, avaritiam exuerat. sc. nimiam severitatem. Plin. 1. Ep. 10. Nullus horror in cultu (al. vultu), nulla tristitia, multum severitatis. Id. 8. Ep. 21. Severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam excedat. Sil. It. 8. 611. Læta viro gravitas ac mentis amabile pondus Et sine tristitia virtus. ¶ 4. Interdum de vultu ad gravitatem composito, qui auctoritatem ac dignitatem conciliat. Cic. Prov. cons. 5. sub fin. Ille vos tristitia vultuque decepit. Id. Amic. 18. in fin. Tristitia autem et in omni re severitas, habet illa quidem gravitatem: sed amicitia remissior esse debet.

Homonym. Differre tristitiam a mœstitia sic docet Isid. 1. Diff. 568. « Mœstitia cordis est, tristitia vultus. Mœstum ergo vel mœrentem animo dicimus, tristem aspectu. Item mœstitia temporis est et fit aliquando ex aliquo accidenti dolore; tristitia vero vitium naturæ perpetuum est ». — Item quomodo tristitia differat ab austeritate et severitate, V. sub TRISTIS.

TRISTĬTĬAS. V. TRISTITAS.

TRISTĬTĬES, ēi, f. 5. (tristis) idem quod tristitia. Apul. 4. Met. Tristitie animi, languore corporis anxiatus. et 9. ibid. Mira tristitie deformis. et 10. ibid. Senili tristitie striata frons. h. e. rugis, nam in tristitia frons in rugas contrahitur. Gloss. Lat. Gr. Tristities, λύπη. In locc. Pacuv. et Turpil. recentiores leg. tristitas. V. Ribbeck in TRISTITAS. — Apud Apul. 6. Met. in fabula Psyches Tristities et Sollicitudo ancillæ Veneris sunt.

TRISTĬTŪDO, inis, f. 3. (tristis) tristitia. Apul. 3. Met. Omnem de tuo pectore tristitudinem mitte. Id. De mag. Nihil tam lætum dices, quin possit ad tristitudinem intelligi. Sidon. 8. Ep. 11. in fin. Animus tristitudine gravis.

TRISTO, as, are, a. 1. V. voc. seq.

TRISTOR, āris, ari, dep. 1. (tristis) Etiam tristo, as, pro tristem facio, rattristare, contristare. Poeta in Anthol. Lat. n. 481. 36. Mortem ego pater libens adsumo pro natis Et tormenta simul, cava ne pignora tristem. — Tristor est mœrore afficior, tristis sum, attristarsi. Seneca 2. Ira 7. Concitari tristarique ob scelera. Id. Provid. 2. ante med. Numquam flere, numquam tristari. Adde Vulg. interpr. 1. Reg. 20. 3. et Jac. 5. 13.

TRISTUS, a, um. V. TRISTIS.

TRĬSULCUS, a, um, adject. (tres et sulcus) tricuspis, tridens, trifidus, triplex, τριγλώχιν (It. di tre punte; Fr. qui a trois sillons ou trois pointes; Hisp. que tiene tres puntas; Germ. dreispitzig, dreifach; Angl. with three points). Vox fere a poetis usurpata: occurrit autem specialim — a) Trisulcum fulmen ita dictum, quod feriendo tres veluti sulcos facit: vel quia ob celeritatem triplex esse videtur: vel quia triplex est vis ejus, afflare, scindere, cremare, ut ait Fest. p. 352. 6. Müll. Trisulcum fulgur fuit ab antiquis dictum, quia id aut incendit aut afflat aut terebrat. Varro apud Non. p. 448. 20. Merc. Et pater divum trisulcum fulmen igni fervido actutum mittat. Hinc Seneca Thyest. 1089. trisulco flammeam telo facem Per pectus hoc transmitte. Ovid. Ib. 471. Aut Jovis infesti telo feriare trisulco. Id. 2. Met. 848. cui dextra trisulcis Ignibus armata est. Adde Senec. Hippol. 189. Cf. Capell. 9. p. 304. Trisulcæ lucis fulgor. — b) Trisulca lingua serpentis, quæ adeo celeriter vibratur, ut triplex videri possit: vel vere trifida, ut Plin. 11. Hist. nat. 37. 65. (171). affirmare videtur. Virg. 2. Æn. 475. et linguis micat ore trisulcis. Apul. 9. Met. Trisulca vibramina draconum. Val. Flacc. 2. 500. de monstro marino. atque ordine curva trisulco Fulmineus quatit ora fragor. h. e. instructa triplici ordine dentium, ut de serpente ait Ovid. 3. Met. 34. Sic Stat. 5. Theb. 509. ter lingua vibrat, terna agmina adunci Dentis. Id. 11. ibid. 532. de apro. lunataque dentibus uncis Ora sonant. quod fulmineum fragorem illustrat. — c) Trisulca Sicilia, triquetra, tribus promontoriis, quasi cuspidibus, instructa. Claudian. 1. Rapt. Pros. 145. Nunc illam socia raptam tellure trisulcam Opponit natura mari. — d) Trisulcæ fores, valvis tribus obductæ: quæ fere binæ erant: sed pro januæ amplitudine aliquando plures, sic ut complicari et quasi convolvi possent: ceterum ab uno tantum latere cardinibus suspensæ. Varro apud Serv. ad Virg. 1. Æn. 1. 453. Trisulcæ fores pessulis libratæ dehiscunt, graves atque innixæ in cardinum tardos turbines. — e) Trisulcus ramus, trifidus, tria cacumina habens. Pallad. 4. R. R. 10. a med. Si cacumen velis ponere, trisulcum ramum decidas et sic obrues, ut diversa cacumina velut tres surculos reddant. Alii trifurcum. — f) Trisulcum sermonem tribuit Prudent. Hamartig. 203. Lucifero in anguem verso et Euam decipienti. — g) Trisulcum cauterem memorat Cæl. Aurel. 3. Tard. 4. 57. — Absolute trisulcum usurpavit Marcell. Empir. c. 8. s. 2. p. 93. retro.

TRĪSYLLĂBA, ōrum. V. voc. seq.

TRĬSYLLĂBUS, a, um, adject. (tres et syllaba) τρισύλλαβος, tribus constans syllabis, di tre sillabe. Mall. Theod. p. 597. 3. Keil. Bisyllabi et trisyllabi pedes. Varro 9. L. L. 91. Müll. A socer fit trisyllabum soceri. Adde Macr. De diff. 6. § 6. et Consent. p. 391. 17. Keil. — Hinc Trisyllaba, orum, n. plur. 2. absolute, voces trium syllabarum. Capell. 5. p. 170. Trisyllabis clausulam terminantibus lex est, ut trochæo præcedente pænultimam molossus subsequatur.

TRĪSYNTHĔTON, i, n. 2. τρισύνθετον, genus metri e tribus compositum. Mar. Victorin. 4. p. 142. 24. Keil. Idem hoc ex tribus penthemimericis fit et appellatur ab aliis tripenthemimeres, ab aliis trisynthethon. V. integr. loc.

TRIT, indecl. Vox per onomatopœiam ficta, vocem murium exprimens, ut olim apud Charis. 2. p. 213. Putsch.; nunc ita p. 239. 19. Keil. Trit Nævius in Corollaria. Significat autem, ut ait Plautus in quadam, crepitum polentarium; id est peditum (in Curculione 2. 3. 16.). V. Lindemann ad loc. apud Charis. et Ribbeck Scæn. Rom. reliq. p. 14.

TRĬTĀVĬA, æ, f. 1. (tritavus) mater avi aut ataviæ, quintavola. Paul. Dig. 38. 10. 10. § 17. Tritavia similiter numerata faciet personas triginta duo. Cajus ibid. 38. 10. 3. Sexti gradus sunt supra tritavus, tritavia.

TRĬTĀVUNCŬLUS et triavunculus, i, m. 2. (tres et avunculus) pater avunculi et admatertere. Isid. 9. Orig. 6. 28. in Arbore juris.

TRĬTĀVUS, i, m. 2. (tres et avus) pater atavi et ataviæ, quintavolo, τρίπαππος, ut docent Fest. in Stritavum et Cajus Dig. 38. 10. 3. et Paul. ibid. 10. Addit Paul. ibid. Parentes usque ad tritavum apud Romanos proprio vocabulo nominantur: ulteriores, qui non habent speciale nomen, majores appellantur. ¶ 1. Stricto sensu. Plaut. Pers. 1. 2. 5. Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus, quasi mures semper edere alienum cibum. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de quocumque ex majoribus. Varro 3. R. R. 3. Leporaria te accipere volo, non ea, quæ tritavi nostri dicebant.

TRĪTE, es, f. 1. τρίτη, tertia, apud Musicos. Vitruv. 5. 4. usurpat ad significandam tertiam chordam seu tonum. Adde Censorin. fragm. 12. 3. — Plura de ea habet Boeth. 1. Music. 20., ubi distinguuntur trite diezeugmenon (e), trite hyperbolæon (f), trite synnemenon (c).

TRĬTECTUM, i, n. 2. (tres et tectum) tertium tectum seu tertia contignatio. Ambros. in Ps. 36. n. 53. Cf. Vulg. interpr. Act. 20. 9.

TRĪTĔMŎRĬUS, a, um, adject. τριτημόριος, tertia pars. — Absolute tritemorion epicon apud Mar. Victorin. 4. p. 2610. Putsch. h. e. tertia pars epici versus. Sic tritemoria dicitur una ex diesium distantiis tertiam toni partem habens, apud Capell. 9. p. 315. V. PENTASYLLABUS et TERARTEMORION.

TRĪTHĀLES. V. ERITHALES.

TRĪTHĔĪTÆ, ārum, m. plur. 1. τριθεῖται, qui tres esse deos asserunt: genus hæreticorum apud Isid. 8. Orig. 5. 68. Agnoitæ et tritheitæ a Theodosianis exorti sunt. Tritheitæ vero vocati, quod sicut tres personas in Trinitate, ita quoque tres astruunt deos esse.

TRĪTĬĀNUS, a, um, adject. triplo major, ut exponit Gesner. in Thesaur. ling. et erud. R., tamquam a τρίτος, tertius. Plin. 19. Hist. nat. 8. 41. (139). Tritianum hoc genus (brassicæ) vocatur. Hæc videtur esse, quam Itali cappuccio vocant, botanici brassica capitata. — Fortasse nomen accepit a Tritio Hispaniæ Tarraconensis oppido. Ita Furlanetto.

TRĪTĬCĀRĬUS, a, um, adject. (triticum) ad triticum pertinens, triticeus. Kalendar. rust. Farnes. apud Gruter. 138. mense Augusto legitur: Messes frumentar., item triticar. V. TRITICIARIUS. — Hinc

Triticarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, nomen officii et muneris in domo Augusta, simile illi, qui a frumento dicitur in Inscr. apud Fabrett. p. 369. n. 131. T. AELIVS AVG. LIB. AELIANVS A FRVMENTO CVR. CAESAR. N. Hinc alia apud eumd. p. 401. n. 295. P. AELIO AVG. LIB. CALLINICVS TRITIC. V. FRUMENTUM.

TRĪTĪCĔĬUS, a, um, adject. (triticum) Vox ficta joci causa, ut opponatur hordeio, h. e. optimo, pleno, prægnanti, ab horda, quo vocabulo significatur vacca prægnans. Plaut. Cas. 2. 8. 57. Emito sepiolas, lepadas, lolligunculas Hordeias. CH. immo triticeias, si sapis. scil. quum ille imperite hordeias dixisset pro prægnantibus, subdit servus, quasi ille hordeaceas intelligeret, immo triticeias, quia nempe triticum hordeo longe præstat.

TRĪTĬCĔUS, a, um, adject. (triticum) ad triticum pertinens, σιτικός, σιτηρός. Cato R. R. 54. Paleæ triticeæ et hordeaceæ. Varro 2. R. R. 5. Furfures triticei. Virg. 1. G. 219. At si triticeam in messem robustaque farra Exercebis humum solisque instabis aristis. Ovid. 1. Fast. 693. Triticeos fetus passuraque farra bis ignem Hordeaque ingenti fenore reddat ager. Martial. 13. 12., cujus lemma est Frumentum triticeum. Tercentum Libyci modios de messe coloni Sume, suburbanus ne moriatur ager. Colum. 8. R. R. 5. Labrusca cum farre triticeo minuto cocta objicitur (pullis gallinarum) esurientibus. h. e. farina ex tritico, quam Pallad. 11. R. R. 21. videtur farriculum appellare. Far pro farina Latini aliquando dixere.

TRĪTĬCĬĀRĬUS, a, um, adject. (triticum) ad triticum pertinens. Apud JCtos condictio triticiaria dicitur actio personalis, per quam res omnis, excepta pecunia numerata, condicitur, hoc est denunciatur et repetitur, sive mobilis sit sive immobilis sive pondere constet sive mensura, ut docet Ulp. Dig. 13. tit. 3. qui De condictione triticiaria inscribitur, l. 1.

TRĪTĬCĬNUS, a, um, adject. (triticum) triticeus. Plin. Valerian. 5. 31. Triticinum amylum.

TRĪTĬCUM, i, n. 2. Ratione habita etymi, videtur esse a tero, unde tritus, et est proprie frumentum tritum, ut ait Varro 5. L. L. 106. Müll. Triticum quod tritum e spicis. Cf. Isid. 17. Orig. 3., 4. Ita putant et recentiores. — Triticum est nobilissimum frumenti genus, radice in fibras sparsa, foliis ternis aut quaternis aut quinis, oblongis et angustis seque mutuo amplectentibus; culmo quattuor vel quinque nodis discreto, ex quibus singula folia oriuntur: spica in summo aristis munita, vel etiam sine iis, in qua grana sunt glumis involuta, σῖτος, πυρός (It. frumento, grano; Fr. froment, blé-froment, Hisp. trigo; Germ. der Waizen; Angl. wheat).

I.) Propria. Plaut. 4. 4. 30. in tritico facili-

time Vel quingentos Curculiones pro uno faxo reperies. Adde *Pœn.* 1. 2. 113. et *Truc.* 1. 1. 12., *Cæs.* 2. *B. C.* 18. et *Cic.* 5. *Verr.* 73. 170. — *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (63). Tritici genera plura, quæ fecere gentes. Italico nullum equidem comparaverim candore ac pondere, montanis modo comparetur Italiæ agris externum etc. *Colum.* quoque 2. *R. R.* 6. plura tritici genera recenset, robum, siliginem, trimestre etc. *Id. ibid.* 9. *a med.* Omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem vertitur in siliginem. *Cels.* 2. 18. *ante med.* Plus alimenti est in pane, quam in ullo alio. Firmius est triticum, quam milium, id ipsum, quam hordeum: et ex tritico firmissima siligo, deinde simila, cui nihil ademptum est: infirmior est ex polline: infirmissimus cibarius panis. — Triticum a pæninsula Chersoneso Taurica seu Scythica, nunc *la Crimea*, Vespasiano imperante, primum Romam advectum fuisse, constat ex *Inscr.* apud *Gruter.* 453. TI. PLAVTIVS M. F. SILVANVS AELIANVS SCYTHARVM REGE A CHERRONENSI (*pœninsula*) QVAE EST VLTRA BORVSTHENEM OPSIDIONE SVBMOTO PRIMVS EX EA PROVINCIA MAGNO TRITICI MODO ANNONAM R. R. ADLEVAVIT.

II.) Translate. *Vulg. interpr. Matth.* 13. 25. et *Luc.* 3. 17. et *Augustin. ad Donatist. post Collat.* 10. *n.* 13.

TRĪTĪLIS, e, adject. (tero) *Isid.* in *Gloss.* Tritile, quod teri potest. Adde *Gloss.* apud *Mai* in *Class. auct. T.* 6. *p.* 549.

TRITOLIUM, ii, n. 2. Quid significet hæc vox et unde sit derivanda, incompertum adhuc est. *Not. Tir. p.* 158. Mappa, culcita, tritolium, epitolium, pulvinus. Ex his patet, *tritolium* pertinere ad aliquod lecti discubitorii instrumentum; quodnam autem fuerit, æque ignotum videtur ac *epitolium*, quod conjectura tantum dictum est in ea voce significare sellam balnearem: ita, ut puto, *tritolium*, quasi *tritodium* pro *trisodium*, est sedes pro tribus vel triquetra: cf. *solium* pro *sodium* a sedendo. At *Ducang.* in *Glossar.* etc. in v. *Epitolium* interpretatur *balneares ædes*. Fortasse quod, ut ait *Furlanetto*, utraque vox repetenda sit a ϑόλος, cameræ fastigium rotundum, omissa aspiratione, et a τρίς, ter, quippe quod triangulam formam haberet, ut *epitolium* ab ἐπί, super, quia supra positum esset. Viderint eruditi.

TRĪTŎMUS, i, m. 2. τρίτομος, nomen piscis ex genere pelamidum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151).

TRĪTON, ōnis, m. 3. Τρίτων, nomen dei marini proprium, de quo *V.* ONOM. — Est etiam genus marini piscis grandioris, ex genere magno pelamidum, ex quo boræa cybia fiunt, inquit *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (144). — Hinc festive de Hortensio, Lucullo aliisque piscinarum amatoribus *Cic.* 2. *Att.* 9. Ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se jactare. *h. e.* qui ita piscinis delectantur, ut quasi Tritones in aquis vivere videri possint. *V.* PISCINARIUS.

TRĪTOR, ōris, m. 3. (tero) qui terit, *chi pesta o macina*, τρίπτης, τριπτήρ. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 40. (145). Erigonus tritor colorum Nealcæ pictoris, in tantum profecit, ut etc. *Inscr.* apud *Reines. cl.* 11. *n.* 97. P. SILIVS VICTOR TRITOR ARGENTARIVS. *fregatore, pulitore.* Alii exponunt, cælator, *scultore*. Sic in *Gloss. Philox.* Tritor, τορευτής. *h. e.* qui torno polit. *V.* aliquid simile in TERO. — *Compedium* et *stimulorum tritor* apud *Plaut. Pers.* 3. 3. 15. et 5. 2. 17. convicia sunt in malum servum, qui sæpe in compedibus sit et stimulis fodiatur: cui simile est *ulmitriba* apud *eumd. ibid.* 2. 4. 7.

TRĪTŌRĪUM, ii, n. 2. (tero) fortasse aréa, ubi triticum teritur. *Gloss. Gr. Lat.* Τριβαί, tritorium, murarium. Alii aliter leg. et interpr.

TRITTĬLIS, e, adject. stridens: vox a *trittilo* quasi a τρίζω, strideo, propria volucrum, puta hirundinum. *Vet. poeta* apud *Varron.* 7. *L. L.* 104. *Müll.*, ubi alii aliter leg. V. *Müller* ad *h. l.* et *Ribbeck Scœn. Rom. reliq. p.* XXXI., qui *Juventio* tribuit, repugnante *L. Müll. Lucil. coll. p.* 313. *V.* voc. seq.

TRĪTTĪLO, as, are, n. 1. strideo, τρίζω, de volucribus, habet *Poeta vet.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 104. *Müll.* V. voc. præc.

TRĪTUM, i, n. 2. *V.* TERO.

TRĪTŪRA, æ, f. 1. (tero) actus terendi, tritus, τρίψις (It. *tritura;* Fr. *frottement;* Hisp. *flotadura;* Germ. *das Reiben;* Angl. *grinding*). ¶ 1. Generatim. *Apul.* 9. *Met.* Muli pectora copulæ sparteæ tritura continua exulcerati. Adde *Apic.* 8. § 361. — Hinc metonymice est fricatio, fricatura. *Plin. Valerian.* 4. 26. Trituras pedum mitigat, quas calceamenta fecere. ¶ 2. Speciatim est actus terendi frumenta, et tempus ipsum, quo teruntur, ἀλόητός (It. *trebbiatura;* Fr. *battage;* Hisp. *trilladura;* Germ. *das Dreschen;* Angl. *thrashing, trouble*). *Varro* 5. *L. L.* 21. *Müll.* In messe tritura, quod tum frumentum teritur. Adde *eumd.* 1. *R. R.* 13. *Virg.* 1. *G.* 190. Magnaque cum magno veniet tritura calore. *Colum.* 2. *R. R.* 20. Area ut sit ad trituram habilis, radatur etc. *Id.* 1. *ibid.* 6. *sub fin.* Lapilli et glæbulæ, quas per trituram fere terrena remittit area. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 36.

TRĪTŪRANS, antis, particip. *V.* TRITURO.

TRĪTŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (trituro) idem ac tritura. *Augustin. Tract.* 27. *in Joh. ad fin.*

TRĪTŪRĀTOR, ōris, m. 3. (trituro) qui triturat. *Augustin. ad Donatist. post Collat.* 10. *n.* 14.

TRĪTŪRĀTŌRĪUS, a, um, adject. (trituro) triturando inserviens. *Publicol.* apud *August. Ep.* 35. Area trituratoria.

TRĪTŪRO, as, āvi, (atum) are, a. 1. (tritura) Part. *Triturans* et *Triturandus*. — Trituro est frumenta spicis excutio, ἀλοάω (It. *trebbiare;* Fr. *battre le blé;* Hisp. *trillar el trigo;* Germ. *dreschen;* Angl. *to thrash*).

I.) Proprie. *Vulg. interpr. Jos.* 41. 55. Plaustrum triturans novum. *Id.* 1. *Cor.* 9. 9. Non alligabis os bovi trituranti. *Isid.* 15. *Orig.* 13. 16. Alii aream vocatam dicunt, quod pro triturandis frugibus eradatur. Adde *Augustin. Tract. in Joh.* 9. 10.

II.) Translate. *Sidon.* 7. *Ep.* 6. *ante med.* In hac area mundi variis passionum flagellis triturari. *Vulg. interpr. Is.* 25. 10. Triturabitur Moab sub eo. *et Am.* 1. 3. Trituraverint in plaustris ferreis Galaad. *Augustin. Serm.* 42. *n.* 3. Non te trituret ira tua.

TRĪTUS, a, um, particip. *V.* TERO.

TRĪTUS, us, m. 4. (tero) actus terendi, τρίψις. In sexto casu sing. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. *ad fin.* Nam et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus et recenti fossione. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 30. (120). Sory tritu pinguiter nigrescens. *Sillig.* tritum. *Id.* 33. *ibid.* 4. 21. (66). Aurum tritu perpolitum. *Sillig.* attritu. *Lactant.* 6. 4. Via aspera et saxis exstantibus impedita, ut cum summo labore ac pedum tritu sit cuique gradiendum.

TRĪUMFĀLIS. *V.* TRIUMPHALIS

TRĪUMFUS. *V.* TRIUMPHUS.

TRĪUMPĀLIS et

TRĪUMPHĀBĪLIS. *V.* voc. seq.

TRĪUMPHĀLIS, e, adject. (triumphus) Etiam *triumfalis* scribitur in *Inscr.* apud *Oderic. Syll. p.* 131. infra adlata. — Item *triumpalis* sine aspiratione in *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 776. *n.* 267. infra adlata. — Triumphalis est ad triumphum pertinens, ϑριαμβευτικός (It. *trionfale;* Fr. *de triomphe, triomphal;* Hisp. *triunfal;* Germ. *zum Triumph gehörig;* Angl. *triumphal*). — *a*) Universim. *Quintil.* 11. 1. 3. Triumphalis habitus. *Tac.* 1. *Ann.* 72. insignia. *Id. ibid.* 15. vestis. *Id.* 1. *Hist.* 79. statua. *et ibid.* 39. decus. *Inscr.* apud *Orelli n.* 619. fasti. Adde *Cyprian. De laud. martyr.* 10., ubi alii minus recte leg. *triumphabilis*. *Boeth. Cons. Phil.* 2. *prol.* 3. Triumphalis largitio. — *b*) *Triumphalis vir*, et etiam absolute *triumphalis*, qui triumphavit, sicut *consularis*, qui consul fuit, etc. *Vellej.* 2. 6. 4., *Quintil.* 11. 1. 36. et *Ovid.* 9. *Fast.* 364. Consularis ac triumphalis vir. *Sueton. Aug.* 25. Solos triumphales, quamquam et socios expeditionum et participes victoriarum suarum, numquam donis impertiendos putavit. *Id. Cal.* 3. Oravit causas etiam triumphalis. *h. e.* triumphalibus ornamentis insignitus. Alii perperam leg. *triumphales*, h. e. in quibus agitur de triumpho aliquibus decernendo. — *c*) *Triumphalis provincia*, ex qua devicta imperator triumphum reportavit. *Cic. Pis.* 19. *a med.* Ex ea provincia, quae fuerit ex omnibus una maxime triumphalis. — *d*) *Triumphalis currus*, quo vehebantur triumphantes. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 26. 27. (96). Curru triumphali revectus est. — *e*) *Triumphalis corona*, qua imperator in triumpho decorabatur. Hæ coronæ primum ex lauro fieri solebant, postea ex purissimo auro confectae sunt, quod inde aurum coronarium appellabatur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 3. 4. (6). — *f*) *Triumphalis porta*, porta urbis Romæ, per quam triumphi agebantur, hoc est imperatores triumphantes in Urbem deducebantur. Hæc inter Flumentanam et Carmentalem fuit haud longe a Tiberi et ad Martium campum ducebat. *Cic. Pis.* 23. et *Sueton. Aug.* 100. — Etiam Puteolis erat porta triumphalis. *Inscr.* apud *Avellin.* in *Bullett. arch. Nap. a.* 4. *p.* 74. — *g*) *Triumphales vestes* fuere, quibus imperatores induti triumphabant, idest tunica purpurea palmata et toga non solum purpurâ sed cocco etiam auroque distincta. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (195). *Inscr.* apud *Murat.* 2043. 1. M. COCCEIVS AVG. LIB. AMBROSIVS PRAEPOSITVS VESTIS ALBAE TRIVMPHALIS FECIT. — *h*) *Triumphale aurum* est, quod vestibus triumphalibus inseritur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 6. (127). *de purpuræ suco seu colore purpureo.* Diis advocatur placandis omnemque vestem illuminat; in triumphali miscetur auro. — *i*) *Triumphalis cena*, convivium, quod imperator triumphans facto sacrificio in Capitolio celebrabat. *Id.* 9. *ibid.* 55. 81. (171). Cenis triumphalibus Cæsaris dictatoris sex milia numero murænarum mutuo appendit. Narrat *Val. Max.* 2. 8. *n.* 6. moris fuisse, ab imperatore triumphum ducturo consules invitari ad cenam: deinde rogari, ut venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharet, majoris in eodem convivio sit imperii. Simile quid habetur in *Excerpt. Dionis* ab *A. Maio* edit. in *Vatic. collect. script. vet. T.* 2. *p.* 244. L. enim Octavius ad triumphalem cenam invitatus, negavit se convivio interfuturum, nisi honoratiores, ut par erat, partes sibi apponerentur. Ergone (hic quærit cl. *editor*) consul erat L. Octavius? L. porro Octavius consul fuit an. ab U. C. DCLXXIX. — *l*) *Triumphales imagines.* h. e. virorum triumphalium. *Horat. Epod.* 8. 12. — *m*) *Triumphalis statua*, quæ habitu triumphantis facta est. *Plin.* 2. *Ep.* 7. Heri a senatu Vestricio Spurinnæ, principe auctore, triumphalis statua decreta est. — *n*) *Triumphalia ornamenta*, et etiam absolute *triumphalia*, erant insignia, quibus triumphantes olim uti solebant; quæ postea favore principum concedebantur interdum iis quoque, qui non triumphassent. *Sueton. Aug.* 38. Super triginta ducibus justos triumphos et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. Adde *Sueton. Claud.* 24. et *Ner.* 15. *Tac.* 4. *Hist.* 4. Muciano triumphalia de bello civili data. *Vellej.* 2. 116. 3. Triumphalia adipisci. — Hujusmodi ornamenta erant corona aurea, patera aurea, equi albi, toga picta, tunica palmata, sella curulis et scipio eburneus (*Liv.* 10. 7. et 30. 15.). — *o*) *Triumphales belluæ* dicuntur a *Pacat. Paneg. Theod.* 22., quia his quattuor curru junctis triumphabant. — *p*) *Triumphalis* prætor creatus primum circa ann. a Chr. n. CCCXXX. ab Imp. Constantino M., quod munus bellicæ felicitatis causa institutum fuisse legitur in *Cod. Theod.* 6. 4. 5. et 25. *Inscr.* apud *Oderic. Syllog. p.* 131. ALFENIO CEIONIO IVLIANO KAMENIO V. C. PRAETORI TRIVMFALI etc. *Alia* apud *Fabrett. p.* 776. *n.* 267. LOLLIANI V. C. PRAET. TRIVMPALIS. *V.* TRIUMPHUS. — *q*) *Triumphale* aliquid dictum ex titulo Principis. *Cod. Theod.* 3. 10. 1. Lex, triumphalis memoriæ, patris nostri. *et* 14. 17. 14. Triumphalis dextra nostra. *et* 11. 31. 5. scita. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc absolute, substantivorum more

*Triumphalis, is*, m. 3. vir, qui triumphavit. *V.* supra.

*Triumphalia, ium*, n. plur. 3. *sc.* ornamenta, de quibus dictum est. *V.* supra

TRĬUMPHĀLĬTER, adverb. (triumphalis) cum triumpho. *Alcim. Avit. fragm. p.* 196. Admirabiliter et triumphaliter aliquid facere.

TRĬUMPHANS, antis, particip. *V.* TRIUMPHO.

TRĬUMPHĀTOR (triumfator *et* triumpator), ōris, m. 3. (triumpho) qui triumphat, *trionfatore*, ϑριαμβευτής.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Cum addito Abl. et præp. *de*. *Apul. De mag.* Ille vir de Sabinis deque Samnitibus triumphator. — Triumphator ex privatis ultimus fuit Agrippa. *V. Baumgarten* ad *Sueton. Aug.* 38. p. 271. — De triumphatorum ornamentis *V.* TRIUMPHALIS. Cf. etiam *Annal. dell' Istitut. arch. a.* 1839. p. 238. et *seqq.* — *b*) Absolute est titulus. *Inscr.* apud *Orelli n.* 1025. DIVO CLAVDIO GOTHICO MAXIMO PIO FELICI VICTORI AC TRIVMPHAtori SEMPER AVGVSTO etc. Cf. *ibid. n.* 2. et in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 1192. ¶ 2. Est unum ex appositis Jovis, ut Fulminator, Serenator etc. *Apul. De mundo sub fin.* Triumphator, Propagator, Trophæophorus. Adde *carmen Gallo* adscriptum in *Anthol. Lat. n.* 914. *v.* 35. ¶ 3. Tribuitur etiam *Herouli* in *Inscr.* apud *Orelli n.* 1042., quæ spuria videtur *Mommsenio* in *Inscr. R. Neap. n.* 147.

II.) Translate. *Minuc. Fel. Oct.* 37. Triumpator et victor. — Cum genetivo. *Id. ibid.* 40. Ut ille mei victor est, ita ego triumpator erroris.

TRĬUMPHĀTŌRĬUS, a, um, adject. (triumphator) idem quod triumphalis. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 10. *extr.* Verbum triumphatorium et insultatorium.

TRĬUMPHĀTRIX, trīcis, f. 3. (triumphator) quæ triumphat, *trionfatrice*.

I.) Proprie ita est appellata honoris causa legio nona a C. Julio Cæsare, ut videtur, ob victoriam, in Hispania, Mundensi prælio relatam adversus Cn. Pompejum juniorem, Magni filium, quæ postea ab Augusto *Hispaniensis* etiam fuit cognominata, ut constat ex duabus *Inscr.* apud *Murat.* 813. 1. et apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4952., quemadmodum alia *fulminatrix*, alia *adjutrix*, alia *rapax*, alia *victrix* vocatæ fuerunt. *Inscr.* abbinc paucis annis in Histria reperta, nunc in *Mus. lapid. Semin. Venet.*, et a *Jo. Labusio* illustrata in *Gazzett. di Venez. ann.* 1833. *n.* 56. (emendatius in *N. Ricoglitore a.* 1833. *fasc.* CI.) ac præsertim a *B. Borghesio* in *Mem. sull' iscriz. di L. Burbulejo p.* 9.-14. L. VINVSIVS L. F. VETER. LEG. VIIII. TRIVMPH. SEPTVMIAE P. F. SABINAE VXORI VINVSIAE TERTVLLAE F. ANNOR...

II.) Translate. *Cassiod.* in *Ps.* 118. 137. Triumphatrix carnis suæ cohors sanctorum.

TRĬUMPHĀTUS, a, um, particip. *V.* TRIUMPHO.

TRĬUMPHĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (triumphus et gero) ¶ 1. Est qui gerit triumphum. *Dracont. Satisf.* 22. Nominis Asdingui bella triumphigera. ¶ 2. Est etiam qui in triumpho geritur. *Ennod. Epigr.* 50. Fixa triumphigeris cum ramis vita pependit.

TRĬUMPHO, as, āvi, ātum, are, 1. (triumphus) De vocis scriptione *V.* TRIUMPHUS. — Part. *Triumphans* sub *A* I. a et *B* II. 1.; *Triumphatus* sub *A* I. c et *B* I. 1.; *Triumphaturus* sub *A* I. *a*; *Triumphandus* sub *B* I. 1. — Triumpho est triumphum ago, ἐπιπομπεύω, ϑριαμβεύω (It. *trionfare*; Fr. *triompher*; Hisp. *triunfar*; Germ. *triumphiren*: Angl. *to triumph*); usurpatur vero *A*) Intransitive; et etiam *B*) Transitivorum more.

*A*) Intransitive.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Varro* 6. *L. L.* 68. *Müll.* Triumphare appellatum, quod cum imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe: id a ϑριάμβω, Græco Liberi cognomento, potest dictum. *Sall. Jug.* 114. Consul triumphavit. Adde *Cat.* 30. *Cic.* 1. *Off.* 22. 78. Nisi, ubi triumpharet, esset habiturus. Adde *eumd. pro leg. Manil.* 21. 61. *Ovid.* 5. *Fast.* 52. Illa (*Majestas*) coronatis alta triumphat equis. *Id.* 2. *Pont.* 8. 39. Sic fere quamprimum pavido Germania vultu Ante triumphantes serva feratur equos. *h. e.* triumphalem currum trahentes. *Liv.* 5. 28. Camillum triumphantem albi per urbem vexerant equi. *Id.* 36. 39. Proconsulem P. Cornelium triumphaturum esse censebat. Adde 26. 21. et 40. 38. *Vellej.* 2. 96. *extr.* Hujus victoriæ compos Nero, ovans triumphavit. *h. e.* ovationem, non triumphum, egit. *Fortunatian.* 2. 27. 1. Maxime triumphatur in Capitolio tabulas hujusmodi versibus (*Saturniis*) incidebant. — *b*) Cum addito Abl. et præp. *de*, *ex*. *Cic.* 11. *Phil.* 8. 18. Africanus, qui de Numantinis triumphaverat. *Id. Pis.* 23. *extr.* Tu inventus es, qui, consulari imperio præditus, ex Macedonia non triumphares. *Id. Mur.* 7. 15. Quum Murenæ pater amplissime atque honestissime ex prætura triumphasset. *Liv.* 34. 46. Triumphare ex Hispania. *Id.* 45. 43. de rege Gentio. Adde *ibid.* 39. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (135). de Parthis. — *c*) Passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Off.* 8. 28. Portari in triumpho Massiliam vidimus et ex ea urbe triumphari, sine qua numquam imperatores nostri ex Transalpinis bellis triumpharunt. *Flor.* 1. 11. 6. Triumphari de parvis oppidis. *Liv.* 3. 63. *extr.* Tum primum sine auctoritate senatus, populi jussu triumphatum est.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Propert.* 2. 7. 28. Mirum, si de me jure triumphat amor. Adde *Ovid.* 2. *Amor.* 18. 18. et *Curt.* 10. 2. 28. ¶ 2. Speciatim et sæpe est sibi placere, exsultare, gaudio efferri, velut si quis rem magnam adeptus sit. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 48. Ut sit mulsum, qui triumphent milites. *Ter. Heaut.* 4. 2. 5. Triumpho, si licet me latere tecto abscedere. *Cic.* 2. *Cat.* 2. 3. In quo exsultat et triumphat oratio mea. *Id. Cluent.* 5. *ad fin.* Tum vero illa egregia mater palam exsultare lætitia ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, non libidinis. *Id.* 7. *Verr.* 46. 121. Lætaris tu in omnium gemitu et triumphas. — Cum infinito. *Cæs.* ad *Cic. post ep.* 16. 9. *ad Att.* Meum factum probari a te, triumpho et gaudeo. *Alii leg.* triumpho gaudio.

*B*) Transitivorum more est in triumphum duco, debello, pervinco, subdo (It. *condurre in trionfo, vincere, soggiogare*; Fr. *vaincre, soumettre, subjuguer*; Hisp. *vencer, someter, sojuzgar*; Germ. *in Triumphe aufführen, völlig besiegen, erbeuten*; Angl. *to vanquisch, conquer, subjugate*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 24. Aurelianus eum (*Tetricum*), quem triumphaverat, correctorem totius Italiæ fecit. Adde *Aurelian. Imp.* in *epist.* apud *Trebell. ibid.* 30. *Lactant.* 6. 23. *sub fin.* Hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo. — Passive. *Virg.* 3. *G.* 33. Bisque triumphatas utroque ab litore gentes. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 26. Roma triumphati dum caput orbis erit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (36). Omnia armis Romanorum superata et a Cornelio Balbo triumphata. *Virg.* 6. *Æn.* 837. Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho Victor aget currum. *Ovid.* 3. *Fast.* 732. Teque triumphato viscera tosta bove. *h. e.* bello et præda abacto. Sic 2. *Pont.* 1. 45. Deque triumphato, quod sol incenderit, auro Aurea Romani tecta fuisse fori. *Vopisc. Aurelian.* 33. Zenobia cum eo (*Aureliano*) ingressa est, victa et triumphata. *h. e.* in triumphum adducta. *et* 39. Tetricum triumphatum correctorem Lucaniæ fecit, filio ejus in senatu manente. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 61. Achæos bis prælio fudit, triumphandos Mummio tradidit. — *b*) *Triumphare triumphum* usurpavit, more Græcorum, *Gell.* 2. 11. *in fin.* Triumphavit cum imperatoribus suis triumphos duos. *h. e.* celebravit, *celebrò, festeggiò*.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 3. *n.* 34. Christus voluit principem mundo in discipulis suis triumphare. *Vulg. interpr. Col.* 2. 15. Expolians principatus et potestates (*Christus*) traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. ¶ 2. Speciatim est triumphare facio. *Id.* 2. *Cor.* 2. 14. Deo autem gratias, qui super triumphat nos in Christo. Cf. *Cavedoni* in *Opusc. di Mod. T.* 2. *p.* 93.

TRĬUMPHUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TRĬUMPHUS (triumfus) *et* triumpus, i, m. 2. — *a*) Ad scribendi rationem quod attinet, veteres *triumpus* sine aspiratione scripsisse, testantur *Cic. Orat.* 48. 160. et *Quintil.* 1. 5. *ante med.* et apparet in nummo gentis Papiæ apud *Morell. Numism. Fam. R. tab.* 1. *n.* 1., in quo videre est caput dei Triumphi laureatum cum tropæo. Sic sæpe in *Carm. Fratr. Arv.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. *n.* 28. Cf. TRIUMPHALIS init. — Posteriore ævo etiam *triumfus*, quod improbandum. *V. Capell.* 3. *p.* 84. — *b*) *Triumphum*, neutr. gen., apud *Schol. Bern.* ad *Virg.* 1. *G.* 504.; et in plur. num. *triumpha* apud *Optat.* 13. 3. *M.* — *c*) Ratione habita etymi, videtur esse a Gr. ϑρίαμβος, quo pompa seu processio solemnis in honorem Bacchi significatur. *V.* loc. *Varron.* in TRIUMPHO. Cf. *Isid.* 18. *Orig.* 2. 3. Triumphus dictus est ἀπὸ τῆς τριάμβης, idest ab exsultatione. *Döderlein* vero ducit a ϑριάζω, ϑρέω, strepo. Sunt etiam qui a τρίς, ter, et πούς, pes, ducant, quasi sit idem ac *tripudium*: quod probabilius videtur. — Triumphus proprie est genus saltationis, tripudium, quo stricto sensu occurrit in *Carm. fratr. Arv.* apud *Orelli Inscr. n.* 2271. Triumpe triumpe triumpe. Sed latiore sensu fere usurpatur et est genus honoris qui haberi solitus est iis, qui imperium a populo acceptum summa cum virtute ac felicitate administrassent, nimirum ut domum redeuntes magna cum celebritate et pompa in Urbem ingrederentur, ubi saltationes, cantica aliaque lætitiæ signa edebantur, hinc et pro victoria accipitur, ϑρίαμβος (It. *trionfo*; Fr. *triomphe*; Hisp. *triunfo*; Germ. et Angl. *Triumph*). *Plinius* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (191). ejus auctorem facit Liberum Patrem. *V.* etiam *Pompejum* in *Comment. art. Donati p.* 323., qui ex Baccho de Indis triumphante triumphum a Romanis tractum fuisse autumat. Adde *Curt.* 9. 10. 24. At *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 37. Plinius autem secundo Historiæ Naturalis et Pompejus Trogus dicunt, Afros pompam triumphi primos invenisse: quam sibi Romani postea vindicaverunt. Livius autem Andronicus refert, eos de Romanis sæpius triumphasse suasque porticus Romanis spoliis adornasse. Hactenus *Servius*. Fortasse pro Afris intelligendi sunt Ægyptii, ex quibus Romani pompani triumphi mutuati sint; nam *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (52). narrat, Sesostridem junctis ad currum regibus triumphare solitum.

I.) Proprie. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Sall. Jug.* 34. Incedunt per ora vestra magnifice, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes. *Id. epist. Mithrid. ad Arsac. ante med.* (*fragm.* 4. 19. 8. *Kr.*) et *Cic.* 7. *Verr.* 26. 66. (et *Flor.* 2. 18. 17.) Aliquem per triumphum ante currum suum ducere. *Virg.* 2. *Æn.* 578. partoque ibit regina triumpho. *vittoria. Liv.* 41. 13. Tulit in eo triumpho denarium millia. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 45. (139). Lucius Metellus primus elephantos duxit in triumpho. *Id.* 7. *ibid.* 26. 27. (98). Triumphum ducere. *h. e.* agere. *Vatin.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 10. *a med.* Agere res justissimi triumphi. *h. e.* ut ob eas triumphus debeatur. *Cic. Balb.* 4. 9. Pompejus tot habet triumphos, quot oræ sunt partesque terrarum. *Id.* 1. *Off.* 22. *sub fin.* Mihi Pompejus hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rempubl. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. *Id.* 4. *Fin.* 9. *a med.* Quum senatus triumphum Africano decerneret. *Sueton. Cæs.* 80. In triumphum ducere. *Apul. De mag.* Ter triumphum una porta egit. Cf. *Prudent.* 2. *contra Symm.* 618. *Rutil.* 1. *Itin.* 77. Triumphi legiferi. *h. e.* victoriæ victis legem ferentes. — Poetice *Virg.* 2. *G.* 148. albi greges - Romanos ad templa deûm duxere triumphos. — *b*) Cum Genetivo. *Cic.* 14. *Phil.* 8. 23. Triumphus Pharsalicæ pugnæ. *Liv.* 33.

37. Bojorum triumphi spem collegæ reliquit. — c) Cum Abl. et præp. *de, ex. Cic.* 7. *Verr.* 39. *a med.* Agere triumphum de aliquo. *et* 3. *Fam.* 10. ex aliqua re. *Liv.* 6. 7. Triplicem triumphum ex his egistis. *Id.* 7. 16. de Trivernatibus. *et* 41. 14. de Linguribus. *Nepos Cat.* 2. ex ea (*Hispania*) deportare. — 2.°) *Triumphus* tamquam persona inducitur. *Horat.* 4. *Od.* 2. 49. Teque, dum procedit, io triumphe, Non semel dicemus, io triumphe. Sic *Epod.* 9. 21. et 23. Io triumphe! tu moraris aureos Currus et intactas boves: Io triumphe! — 3.°) *Triumphus* est etiam titulus fabulæ palliatæ, *Cæcilio Statio* adscriptæ, cujus duo tantum exstant fragmenta apud *Ribbeck Scæn. Rom. reliq. p.* 72. — Triumphus honorum omnium amplissimus fuit, qui suffragio aut studio civium deferrentur. Ut autem imperium mandatum est consulibus, dictatoribus, prætoribus et privatis hominibus, iisque item omnibus prorogatum est; sic consules, dictatores, prætores primum, deinde etiam reliqui triumpharunt. Igitur si qui de triumpho postulando cogitarent, aliquandiu ad Urbem manebant, lictores fascesque laureatos habebant, senatu in ædem Bellonæ evocato, res a se gestas exponebant: denique triumphum petebant. Decreto inde a senatu triumpho, quoniam sine imperio triumphare nemo poterat, qui sine magistratu Urbem triumphi causa inituri erant, eis legem de imperio ferre necesse erat, id est ut eo die, quo Urbem inirent, cum imperio essent. *V.* Scipionis triumphum descriptum a *Sil. It.* 17. 629.-650. coll. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. — Triumphi nullo bello gesto acti exemplum habes apud *Liv.* 40. 38. — Pompa triumphi, quamquam alia aliis temporibus pro rerum ac victoriarum conditione fuit; tamen in hoc vere fuit semper eadem, ut senatus, qui ad portam obviam prodierat, ante iret: tum spolia de hostibus capta et præda omnis auri atque argenti et oppidorum captorum simulacra et captivorum hostium duces vincti subsequerentur: tum imperator auratis quadrigis, laurea coronatus, dextra lauri ramum tenens, os minio illitus, bulla ornatus, vestibus triumphalibus indutus, id est tunica palmata et toga picta, veheretur: currum vero legati et tribuni militum in equis et pedibus exercitus omnis victor laureatus cum cantu et clamore assectaretur. Erat etiam in curru ei a tergo, qui suggereret: Respice post te: hominem memento te, ut ait *Tertull. Apolog.* 33. Hanc vero pompam imperator per Urbem in Capitolium ducebat ibique taurum immolabat ac splendidum convivium apparabat. Ad vesperam, positis imperii insignibus, domum omnino privatus se referebat, tibiis et fistulis præcinentibus. Cf. *Rich* ad *h. v.* et *Borghesi* in *Annal. dell' Istit. arch. a.* 1839. *p.* 240. — Ex *Plin.* tamen *Paneg.* 22. videtur Trajanus triumphasse pedibus, non curru. *Cic. Pis.* 25. 60. Disseris de triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati et tribuni in equis? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per Urbem? *Liv.* 34. 52. Triduum triumphavit. Die primo arma, tela signaque ærea et marmorea transtulit: secundo aurum argentumque factum infectumque et signatum: tertio die coronæ aureæ, dona civitatum, translatæ CXIV. et hostiæ ductæ et ante currum multi nobiles captivi obsidesque, inter quos Demetrius regis Philippi filius fuit. Ipse deinde Quinctius in Urbem est invectus, milites secuti currum frequentes, ut ex omni provincia exercitu deportato. His duceni quinquageni æris in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti. V. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. et 4. *Trist.* 2., *Liv.* 3. 29. et *Vopisc. Aurel.* 34. — Arcus triumphis insignes etiam erigebantur. *Inscr.* apud *Orelli n.* 1025. et 1075. Cf. *Melchiorri Guida di Roma p.* 741. — De triumpho navali V. *Liv. Epit.* 17. — Fuit et aliud triumphi genus, quod speciali nomine *ovatio* appellabatur, de quo *V.* suo loco.

II.) Translate et improprie. *Cic.* 14. *Phil.* 5. 13. Is demum est justus triumphus ac verus, quum bene de republica meritis testimonium a consensu civitatis datur. *Id. Vatin.* 16. 39. Tribules ita te oderunt, ut repulsam tuam triumphum suum duxerint. *Justin.* 14. 4. *a med.* Triumphum de se ipso ducere. *h. e.* seipsum triumphandum alteri præbere. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (14). Triumphus luxuriæ. *h. e.* quum luxuria maxime viget. *Reposian. Concub.* 7. Pompam ducis Amor, nullo satiate triumpho. — Improprie per antonomasiam nomen dei est etiam factum, cujus imago apparet, ut initio diximus, in nummis gentis Papiæ capite juvenili laureato et prominente pone tropæo, ut describitur ab *Eckhel D. N. V. T.* 5. *p.* 267., qui monet, Triumphi instar dei culti nullam veterum meminisse. Cf. *Cohen Méd. Cons. Tab.* XXX. in *Papia n.* 3.

Homonym. Discrimen inter *triumphum* et *ovationem* V. in OVATIO.

TRĬUMPUS. *V.* voc. præced.

TRĬUMVIR, iri, *et sæpius* triumviri, ōrum, m. 2. (tres *et* vir) — *a*) Alia forma est *trivir* in *Inscr.* apud *Morisan. Inscr. Reg. p.* 266. V. infra. — Item *tresuiri* rectius pro *triumviri*, quam formam *V.* infra. Porro varia hæc nominis forma ex eo repetenda videtur, quod olim *IIIviri* scriptum fuit, ex quo alii *tres*, alii *tris*, alii *trium* scripsere. — *b*) De genetivo plurali locus classicus est apud *Cic. Orat.* 46. 156. « *Fabrûm* et *procûm* audeo dicere, non *fabrorum* et *procorum*. Planeque *duorum virorum judicium* aut *trium virorum capitalium* aut *decem virorum stlitibus judicandis* dico numquam. Atqui dixit Accius: *Video sepulcra duo duorum corporum;* idemque: *mulier una duûm virûm*. Quid verum sit, intelligo; sed alias ita loquor, ut concessum est, ut hoc vel *proh Deûm* dico vel *proh Deorum*, alias ut necesse est, quum *triumvirûm*, non *virorum*, *sestertiûm nummûm*, non *nummorum;* quod in his consuetudo varia non est ». Hinc sequitur, in genetivo plur. usitatiorem formam esse *duumvirûm, triumvirûm, decemvirûm* per syncopen. — Triumvir est unus ex magistratu trium virorum. *Varro* apud *Gell.* 13. 12. Ego triumvir vocatus a P. Porcio tribuno plebis, non ivi. *Prudent.* 2. *contra Symm.* 426. *de M. Antonio.* Ultima sanguineus turbavit sæcla triumvir. — *Pro triumviro*, ut *pro consule* et hujusmodi, in *Inscr.* apud *Renier Inscr. Afr.* 2169. — Romæ triumviri multiplices fuere: Epulones, Capitales, Mensarii seu Monetales, Nocturni, Agrarii seu Coloniæ deducendæ, Reipublicæ constituendæ etc. De his ordine deinceps.

*Triumviri (tresviri) Agrarii* seu *Coloniæ deducendæ*, dicti sunt, qui plebem Romanam in agros hostibus ereptos, quum eo colonias mitti placeret, deducebant. Sed modo triumviri, modo quinqueviri, modo septemviri, modo decemviri, modo vigintiviri agris dandis vel coloniæ deducendæ creati sunt. — Pertinebat ad hujus magistratus officium, ut et agros novis colonis dividerent, et urbes designarent, et ædificare volentibus areas partirentur, et commodis regionibus urbem distinguerent, et legibus magistratibusque civitatem sisterent et ad speciem optimi gubernaculi rempublicam effingerent. *Liv.* 3. 1. Triumviros agro dando creant T. Quinctium, A. Virginium, P. Furium. Adde 4. 11. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati etc. *Id.* 6. 21. Triumviros coloniæ deducendæ creaverunt. *Id.* 8. 16. Triumviros — agro dividundo creaverunt. *Id.* 21. 25. Triumviri, qui ad agrum venerant assignandum etc. *Id.* 31. 49. Triumviri ad supplendum Venusinis colonorum numerum etc. Adde 9. 28., 32. 29. et 39. 44. — In sing. num. *Sall. Jug.* 46. C. Gracchus triumvir coloniis deducendis. — *Triumviri agris dandis attribuendis* instituti sunt. an. U. C. 621.; sed an. 623. omni jurisdictione privati sunt ac tandem an. 636. abrogati. V. *Mommsen* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1850. *p.* 190. et *seq.* Huc pertinet *Inscr.* apud *Orelli n.* 570., rectius apud *Olivieri Mem. di Novilara p.* 92. III. VIR. A. D. A. I. STATVERVNT. h. e. triumviri agris dandis attribuendis judicandis.

*Triumviri (tresviri) Capitales*, erant tres viri magistratu ornati, qui carceris custodiam habebant, ut, quum animadverti oporteret, interventu eorum fieret. Creati sunt post prætorem peregrinum, eo tempore, quo centumviri litibus judicandis, quattuorviri curandarum viarum, triumviri monetales. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. — Tempore Reipublicæ eorum ætas erat XVIII. annorum. — Octo lictores habebant secum triumviri isti capitales, qui eorum jussu in damnatum animadvertebant, ut docet *Hotomann* ad *Plaut. Amph.* 1. 1. 7. — Sunt qui hunc magistratum eumdem esse censeant ac magistratum duumvirûm capitalium, qui a Tullo Hostilio originem habuere. Sed differebant; nam duumviri semper binario numero creati sunt, deinde exercebant judicium de perduellione, denique rarissime creati sunt, idest in causa P. Horatii, in judicio M. Manlii, in judicio C. Rabirii ac postremo vetustate evanuerunt, ut docet *Sigonius l.* 2. *de ant. jure C. R. c.* 18.; at vero triumviri capitales tres semper fuere, nullum judicium exercuere, sed tantum carceri præerant: denique perpetui erant in republica. Ii triumviri *sontibus judicandis* dicuntur in *Inscr. Nolana* apud *Avellino Bull. arch. Nap. T.* 4. *p.* 51. — De his videsis multa apud *Borghesi Memor. sopra l'iscr. di L. Burb. p.* 8. — *a*) In plur num. *Plaut. Amph.* 1. 1. 3. Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint? *Id. Aulul.* 3. 2. 2. Quia ad tresviros jam ego deferam tuum nomen. *Id. Asin.* 1. 2. 5. Ibo ego ad tresviros vestraque ibi nomina Faxo erunt: capitis te perdam ego et filiam. *Id. Pers.* 1. 2. 20. Ut æqua parte prodeant ad trisviros. Adde *Cic. Orat.* 46. 156. et *Liv.* 25. 1. et 39. 14. *Id.* 32. 26. Triumviri carceris lautumiarum. *Seneca* 7. *Controv.* 1. Triumviris opus est, comitio, carnifice. — Cum *Treviri* nomen sit etiam urbis in Gallia Belgica (de qua *V.* ONOM.), ludit in ambiguo vocis, *Treviri* et *Tresviri*, *Cic.* 7. *Fam.* scribens ad Trebatium in Gallia militantem *ep.* 13. *sub fin.* Treviros vites censeo: audio, capitales esse; mallem auro, ære, argento essent. *h. e.* tresviri monetales. *V.* infra. — *b*) In sing. num. *Val. Max.* 6. 4. *n.* 7. Sanguinis ingenui mulierem prætor apud tribunal suum, capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit. *et infra.* Quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad triumvirum, a triumviro ad prætorem, a prætore ad concilium judicum perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit. Adde *Ascon.* in *Cic. Mil.* § 19. et *Inscr.* apud *Bormann Ung. Inschr. p.* 20.

*Triumviri Coloniarum*, qui fere duumviri, interdum quattuorviri, erant magistratus prope consulatui aut præturæ compar, qui colonias regebant. Hi etiam triumviri aut duumviri aut quattuorviri juri dicundo appellabantur. *Inscr.* apud *Gruter.* 491. 4. III. VIR IN COL. AVXIMBIS. *Alia* apud *Gud.* 135. 7. PETRONIVS SATVRNIVS III. VIR I. D. *h. e.* juri dicundo. Adde 141. 1. Hæc *Forcellinus.* Sed hujusmodi *triumviri* ab recentioribus vix agnoscuntur. V. *Henzen Suppl. Orell. p.* 418. § 7., qui tamen *Inscr.* apud *Orelli n.* 3835. et 3836. fide dignissimas censet.

*Triumviri (tresviri) Epulones*, qui postea quinqueviri et ultimo septemviri, fuere sacerdotes, qui Jovi cetérisque diis epulas instruebant. *V.* EPULO. *Liv.* 33. 42. Romæ eo primum anno (id est DLVII.) triumviri Epulones facti, C. Licinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de creandis his tulerat, et L. Porcius Lecca: his triumviris item, ut pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ jus. Cf. *Cic.* 3. *Orat.* 19. *sub fin.* Propter sacrificiorum multitudines tresviros epulones esse voluerunt.

*Triumviri Locorum Publicorum persequendorum*, in provinciis erant iidem ac Romæ *Curatores Locorum Publicorum judicandorum*, ut habetur in *Inscr.* apud *Gruter.* 200. 5. 6. Illorum porro munus erat loca publica a privatis possessa rei publicæ, causa cognita, restituere. *Inscr.* Genevensis apud *Gruter.* 398. 6. T. IVLIO T. F. CORN. VALERIANO PATRONO COLONIAE III. VIR.

LOCOR. PERSEQVENDOR. etc. Adde aliam Viennensem apud eumd. 458. 2. et apud *Renier* in *Rev. arch.* MARTI AVG. PRO SALVTE L. VIBI L. FILI FLAVINI L. VIBIVS VESTINVS PATER. II. VIR. IVR. DIC. III. VIR LOC. P. P. EX VOTO. *h. e.* triumvir locorum publicorum persequendorum. V. *Civiltà Catt. s.* 3. *v.* 3. *p.* 235.

*Triumviri Mensarii*, fuere tres viri magistratu præditi, qui aliquando et Quinqueviri Mensarii fuerunt; utrinque autem creati sunt ad æs alienum plebis Romanæ dissolvendum, quo illa pæne obruta erat improbitate feneratorum, atque ita dicti sunt, quod ad mensas sederent et pecuniam publicam fenori darent. *V.* MENSARIUS. — De triumviris mensariis lata est lex Minicia an. U. C. 537. V. *Liv.* 23. 21., 24. 18. et 26. 36.

*Triumviri Monetales*, fuere tres viri magistratu præditi, qui auri, argenti, æris flatoribus præerant et his notis inscribebantur: A. A. A. F. F. *h. e.* auro argento ære flando feriundo. *Pompon. Dig.* 1. 2. 3. § 30. Eodem tempore et Triumviri monetales (*creati sunt*) æris, argenti, auri flatores. *V.* MONETALIS. et VIGINTIVIRI. — Universim reipublicæ tempore ex lege Villia annali a. U. C. 573. creabantur ætate ann. XVIII.-XX; reperiuntur tamen triumviri etiam ann. XXV. et fortasse etiam XXVIII. vel XXIX., ut Cn. Cornelius Lentulus Clodianus et L. Calpurnius Piso Frugi, ut ex *Borghesi, Dec. Num.* 5. *Oss.* 3. et in *Ragguaglio Stor.* de' *Ripostigli* ecc. *p.* 188. et *seq.*; quamquam, auctore ipso *Borghesi*, hæc non ita certa adhuc sunt, assentiente quoque *Mommsen* loc. cit. apud *Henzen* in *Bullett. dell' Istitut. arch. a.* 1863. *p.* 233., qui statuit ante a. U. C. 661. Triumviralem inter magistratus ordinarios non fuisse neque legi annali subjectum fuisse. Quæ confirmantur *Inscr. in Bullett. cit. p.* 231. — Augusti ætate ad triumviratum monetalem requirebatur annus XX. impletus. Cf. *Mancini* in *Giorn. degli Scavi di Pomp. a.* 1872. *p.* 224. et *seqq.* — Triumviri monetales inter magistratus minores recensentur a *Cic.* 3. *Legg.* 3. eorumque titulus poni cœpit in nummis a. U. C. 680. circiter, ut arguit *Cavedoni in Mem. di Moden. T.* 15. *p.* 56. et *seq.* — Munus eorum annuum fuisse videtur; certe qua tale habuit *Borghesi Œuvr. T.* 1. *p.* 355., quamquam dubitat *Eckhel D. N. V. T.* 5. *p.* 62. coll. *Momms. Hist. de la Monn. Rom. T.* 2. *p.* 51., qui etiam tradit, institutionem eorum regularem factam esse post bellum sociale, quum antea res monetaria aliquando et per quinqueviros et septemviros curata esset. — Julius Cæsar a. U. C. 710. triumviris quartum addidit, qui proinde IIII. Viri A. A. A. F. F. sunt dicti, fortasse ne confunderentur cum *triumviris Reipublicæ constituendæ*, de quibus *V.* infra. Hos magistratum iniisse a. U. C. 711. et permansisse usque ad a. 717. demonstravit *Mancini loc. supra cit.*, eorumque munus biennium durasse; horum vero seriem ab an. 711. ad 716. et nomina V. *ibid. p.* 251. — Postea *IIII.viri monetales* aboliti eo *III.viri* ab Augusto restituti lege *Vispania* lata a. 733., ita ut hi initium ceperint statim ab an. sequenti U. C. 734., ut idem *Mancini ibid. p.* 315. *et seqq.* ostendit. Horum vero seriem ab an. 734. ad 747. et nomina V. *ibid.* — Post hoc tempus si munus III.virûm abolitum non fuit, nam memorantur apud *Henzen Inscr. n.* 6503. et 6512. et *alibi;* abolita tamen facultas annos proprio nomine in iis signandi iisque substituta, ut videtur, imperatorum *tribunicia potestas*, ex qua ætas dignosci possit. V. *Mancini loc. cit. p.* 346. Hactenus cl. *De-Vit.*

*Triumviri Nocturni*, fuere qui Urbis curam nocte gerebant. Non multo tempore post rogationem duumvirum classis restituendæ, quæ facta est eo anno, quo App. Claudius Cæcus censuram gessit, M. Valerio et P. Decio Coss. creati sunt, ut ab iis, difficili bellorum et civilium seditionum tempore, muri custodiæque portarum per milites stationarios munirentur. Id etiam eorum curæ injunctum est, ut et nocturnas seditiones a civibus arcerent, et quies Urbi servaretur, et incendia in Urbe orta exstinguerent. — Hujus magistratus partes in officium præfecti vigilum demum traductæ sunt. *Paul. Dig.* 1. 15. 1., *Liv.* 9. 46. et *Val. Max.* 8. 1. *n.* 6. *damnat.* V. etiam *Kellerm. Vig. Rom. laterc.*

*Triumviri (tresviri)* R. P. C., *sc. Reipublicæ constituendæ*, fuere C. Octavius, M. Antonius et M. Lepidus; hoc enim nomine dominationis suæ consilia tegebant. *Flor.* 4. 6., *Sueton. Aug.* 27., *Vellej.* 2. 88., *Liv. Epit.* 120. *cum supplemento Freinshemii.* — *a*) In plur. num. *Liv. Epit. loc. cit.*, ubi alii leg. *tresviri*, et *Gell.* 3. 9. et *Sueton. Aug.* 36. et *Tib.* 4. etc. — *b*) In sing. num. *Gell.* 3. 9., *Nepos Att.* 12., *Vellej.* 2. 88. 1., *Sueton. Aug.* 9. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 14. (50). — *Triumviri reip. reconstituendæ* V. apud *Niebuhr T.* 5. *p.* 60. et *Gell.* 14. 7.

*Triumviri reficiendis ædibus* Fortunæ matris Matutæ intra portam Carmentalem sed et Spei extra portam, quæ priore anno incendio consumptæ fuerant. *Liv.* 25. 7.

*Triumviri conquirendæ juventuti, conquirendis sacris donisque persignandis*, de quibus *Liv.* 25. 5. et 7. *V.* etiam CONQUIRO et PERSIGNO.

*Triumviri senatui legendo*, memorantur apud *Sueton. Aug.* 37.

*Triumviri* reperiuntur etiam ¶ 1. In Collegiis servorum funeraticiis, qui tamen quinam fuerint, non liquet. *Inscr.* apud *Orelli n.* 2863. V. *ibid.* adnot. ¶ 2. Olim etiam in Municipiis fuisse videntur. *Cic. Cluent.* 13. 38. *Inscr.* apud *Donat.* 76. 3. L. MANLIO L. F. PAL. SEVERO III. VIRO BOVILLENSIVM etc., ubi tamen *Henzen Suppl. Orell.* leg. IIII.VIRO. — Forma *trivir*, in sing. num., in *Inscr. Morisan. Inscr. Reg. p.* 266. T. BRVENVS T. F. SABINVS TRIVIR (*pro* triumvir) AED. POT. II. (*h. e.* ædilicia potestate iterum) TESTAMENTO LEGAVIT MVNICIPIBVS REGINIS IVL. etc. Cf. tamen *Henzen ibid.* ¶ 3. *Triumviri quinquennales* olim quoque astruebantur ex *Inscr.* apud *Orelli n.* 3839., quos explodendos censuit *Henzen loc. cit. p.* 418. ¶ 4. Item dicendum de *Triumviris ædiliciæ potestatis* et de *III.Viris ædilibus*, *Inscr. Morisan.* supra adlat. Cf. *Henzen ibid.* ¶ 5. In quodam nummo gentis Aciliæ apud *Eckhel D. N. V. T.* 5. *p.* 119. legitur III. VIR. VALETV., quod nonnulli interpretantur *Triumviri valetudini tuendæ*, alii rectius *Triumvir. Valetudo.* ¶ 6. Item *Triumviri Augustales* apud *Orelli Inscr. n.* 3961. et 3962., de quibus tamen dubitare videtur *Morcelli ibid.* ¶ 7. *Triumvir mon.* (*h. e.* monetalis) *fidei Concord.* in *Inscr.* apud *eumd. n.* 2436., sed perperam. V. *Henzen* ad *h. n.*

TRĬUMVĬRĀLIS, e, adject. (triumvir) ad triumviros pertinens. ¶ 1. Generatim. *Horat. Epod.* 4. 11. Sectus flagellis triumviralibus. *h. e.* triumvirum capitalium. Sic *Tac.* 5. *Ann.* 9. Triumvirale supplicium. *Seneca* 2. *Benef.* 11. Triumviralis proscriptio. *h. e.* III. Virum R. P. C. ¶ 2. Speciatim ad triumviros agris dandis assignandis pertinens. *Gromat. vet. p.* 247. 10. *Lachm.* Triumviralis ager. *et ibid. p.* 242. 7. lapis. *et ibid. p.* 226. 9. limes. *et ibid. p.* 214. 10. *et alib.* lex. *et ibid. p.* 30. 20. centuria jugerum quinquagenum. ¶ 3. Est ad compromissarium arbitrum pertinens. *Cons. vet. Jcti. c.* 7. Triumvirale judicium.

TRĬUMVĬRĀTUS, us, m. 4. (triumvir) magistratus, quem tres collegæ administrant, ἀρχὴ τῶν τριῶν. *Cic. Brut.* 31. 117. Qui quidem in triumviratu judicaverit contra P. Africani avunculi sui testimonium. *Liv.* 9. 46. Tribunatu ante gesto triumviratibusque, nocturno altero, altero coloniæ deducendæ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 59. (122). Ne triumviratu suo nimis superbiat Antonius. *h. e.* R. P. C. Adde *Flor.* 4. 6. 3. *Sueton. Aug.* 27. Triumviratus rei publicæ constituendæ. *V.* TRIUMVIRI. — *Triumviratus legendi senatus* habetur apud *Sueton. Aug.* 37. et apud *Dionem* 52. 21. V. *Baumgarten* ad *Sueton. loc. cit.*

TRĬUNCIS, e, adject. (tres et uncia) trium unciarum, τεταρτημόριος. *Gallien. Imp.* apud *Trebell. Claud.* 17. Paragaudem triuncem unam. *V.* TERUNCIUS.

TRĬVĔNĔFĬCUS, a, um, adject. (ter et veneficus) valde veneficus: *tri* enim in compositione auget, ut *trifur, triportentum.* *Plaut. Aulul.* 1. 2. 8. Mirum, quin tua me causa faciat Juppiter Philippum regem aut Darium, trivenefica.

TRĬVERBĔRO, ōnis, m. 3. (ter et verbero) verberum patientissimus. *Gloss. Gr. Lat.* Καρτερικός, ἐν πλαγαῖς, triverbero. Adde *Gloss* apud *Mai* in *Class. auct. T.* 6. *p.* 549.

TRĪVĬA. *V.* TRIVIUS.

TRĪVĬĀLIS, e, adject. (trivium) proprie ad trivium pertinens. ¶ 1. Est autem triplex. *Arnob.* 3. *p.* 119. Trivialis germanitas. ¶ 2. Sæpius est vulgaris, plebejus, vilis, communis, ἀγοραῖος, ἐπιτυχών (It. *volgare, dozzinale, da piazza, triviale, ordinario;* Fr. *trivial, commun, banal, vulgaire;* Hisp. *trivial, vulgar, comun;* Germ. *allgemeinzugänglich, gewöhnlich, gemein;* Angl. *trivial, low, vulgar*). *Quintil.* 1. 4. *ad fin.* Litterarii pæne ista sunt ludi et trivialis scientiæ. *h. e.* grammaticæ, quam doceri pueros in triviis, mos fuit Græcorum. *V.* locum *Justini* in TRIVIUM. *Sueton. Rhet.* 6. Declamabat modo splendide atque adornate, tum circumcise ac sordide et tantummodo trivialibus verbis. *Id. Aug.* 74. Triviales ex circo ludii. *Juvenal.* 7. 55. Communi feriat carmen triviale moneta. *Calpurn. Ecl.* 1. 28. non hoc triviali more viator, Sed Deus ipse canit. — Absolute, adverbii ritu. *Nemesian. Ecl.* 4. 2. calamis ac versu doctus uterque, Nec triviale sonans.

TRĪVĬĀLĬTER, adverb. (trivialis) per trivia, passim, de more, communiter: occurrit autem tum proprie, tum translate. *Arnob.* 8. *p.* 242. Infantes parvuli trivialiter et populariter instituti. Adde *Solin.* 5. ex *Donat.* in *Ter. Phorm.* 1. 2. 72. *Schol.* in *Juvenal.* 7. 53. Nihil trivialiter scribat sive male. *bassamente, alla maniera del volgo.*

TRĪVĬĀTIM, adverb. (trivium) per trivia. *Capell.* 1. *p.* 2. Triviatim dissultare. Addunt etiam ex *Thom. thes. prol. p.* 3. Triviatim celebrari.

TRĬVIR. *V.* TRIUMVIR.

TRĪVĬUM. *V.* voc. seq.

TRĪVĬUS (tribius), a, um, adject. (tres et via) qui tres vias habet vel ad tres vias pertinet, τριοδίτης. Dicitur de diis, qui in triviis colebantur: hinc *Trivia dea* apud *Propert.* 2. 23. 40. et *Trivia virgo* apud *Lucret.* 1. 84., sc. Diana, quæ et absolute *Trivia* vocatur (*V.* ONOM.); et *dii Trivii* in *Inscr.* apud *Orelli n.* 2105. (V. BIVIUS) et absolute *Trivii* vel *Tribii* in *Inscr.* apud *eumd. n.* 389., 2104. et 2105. et *Murat.* 98. 5. — Apud *Varron. Sat. Menipp.* 39. *p.* 138. *Oehl.* Candens taurus trivio lumine Lunæ. Sed pro *trivio* fortasse legend. *Triviæ*, ut conjicit *Oehlerus.* — Hinc absolute, substantivorum more

*Trivia, æ*, f. 1. et

*Trivii (Tribii), orum*, m. plur. 2. *V.* supra.

*Trivium, ii*, n. 2. ¶ 1. Est locus, in quem tres viæ conveniunt, ut *bivium*, in quem duæ, *quadrivium*, in quem quattuor: *luogo di tre strade, trivio*, τρίοδος. — *a*) Stricto sensu. *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 123. *a med.* Ut ventum est in trivium, eadem qua ceteri, fugere noluit. — Trivia, ut etiam quadrivia, erant rusticorum sacris attributa; nam ibi oves cædebant et serta appendebant. *Tibull.* 1. 1. 15. Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris Seu vetus in trivio florida serta lapis. — *b*) Latiore sensu sumitur sæpe pro quocumque loco frequenti, quo homines convenire solent. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 3. 7. Ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis aut in compitis, auctionentur. *Virg.* 4. *Æn.* 609. Nocturnis Hecate triviis ululata per urbes. *Justin.* 21. 5. *de Dionysio tyr.* Ludimagistrum professus pueros in trivio docebat. — *Arripere maledictum ex trivio.* proverb. locutio pro verba contumeliosa ex fæce plebis in triviis commorantis. *Cic. Mur.* 6. 13.

TRĬVŎLUM. *V.* TRIBULUM.

TRIVORTĬNUS. *V.* TIBURTINUS.

TRIXĀGO et trissago, īnis, f. 3. ¶ 1. Est herba eadem ac Græco nomine chamædrys (*Teucrium chamædrys* Linn.). *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 80. (130). Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 17. 42. *Gloss. Philox.* Trixago, χαμαίδρυς. *Apul. Herb.* 25. Itali trixaginem appellavere. *Alii leg.* trissaginem. ¶ 2. *Trixago palustris* dicta est a Latinis herba scordion, apud *eumd. ibid.* 70.

TRIXALIS. *V.* TROXALLIS.

TRIXIS, is, f. 3. τρίξις, planta eadem ac cici. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (25). *Sillig.* sili.

TRŎCHÆĪDES, is, adject. omn. gen. τροχαιειδής, h. e. similis trochæo, similitudinem trochæi habens. *Capell.* 9. *p.* 335. Alius vero est numerus, qui trochæides nominatur, id est, qui figuram quamdam speciemque trochæi habere videtur, ex elationibus geminis et longa positione consistens.

TRŎCHÆUS, i, m. 2. τροχαῖος. ¶ 1. Pedis nomen in arte metrica, idem ac choreus, duabus syllabis constans, quarum prima longa est, brevis altera: a τρέχω curro, quia chori, in quibus usitatius est, agilius moventur in morem currentium. *Quintil.* 9. 4. 80. Iambo contrarium e longa et brevi, hunc choreum nos, ut alii trochæum, nominemus. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 182. Nam quum sint numeri plures, iambum et trochæum frequentem segregat ab oratore Aristoteles. *Prudent.* περὶ στεφ. *præf.* 8. nos citos iambicos Sacramus et rotatiles trochæos. ¶ 2. Hoc nomine veteres appellarunt et tribracbyn, id est pedem ex tribus brevibus constantem, ob eamdem rationem. *Quintil. loc. cit. n.* 82. Tres breves trochæum, quem tribrachyn dici volunt, qui trochæi nomen choreo imponunt. *Cic. Orat.* 57. 191. Contraque accidere in spondeo et trochæo, quorum alter longis constaret, alter e brevibus fieret.

TRŎCHĀĬCĒ, adverb. (trochaicus) in morem trochaici. *Auson.* 13. *Edyll. præf.* Diffunditur (*cento*) per cæsuras omnes, quas recipit versus heroicus, convenire ut possit aut penthemimeris cum reliquo anapæsto aut trochaice cum posteriore segmento.

TRŎCHĀĬCUS, a, um, adject. (trochæus) ¶ 1. Est qui trochæis constat, ut Trochaicum metrum, *Diomed.* 3. *p.* 504. *et* 508. *Putsch.* Trochaicus versus, *Terentian. De metr. p.* 2437. Trochaica basis, *Isid.* 1. *Orig.* 38. 6. et trochaicæ bases, *Mar. Victorin.* 2. 3. 6. *p.* 90. 10. *K.* V. ACEPHALUS. ¶. 2. *Trochaicus* item dicitur, qui tribrachis constat. *V.* TROCHÆUS. *Quintil.* 9. 4. 140. At ille comicus (*versus*) æque senarius, quem trochaicum vocant, pluribus choreis qui trochæi ab aliis dicuntur, pyrrhichiisque decurrit.

TRŎCHĪCUS, a, um, adject. (trochæus) idem ac trochaicus. *Cæl. Bass. De metr. p.* 307. 9. *Keil.* Hunc (*tribrachyn*) alii trochicum appellaverunt, alii pygnoma, alii brachysyllabon: Cicero eumdem in Oratore etiam trochæum appellavit. Cf. *Cic. Orat.* 64. 217.

TRŎCHĪLISCUS, i, m. 2. *deminut. a* trochilus. *Lævius* poeta apud *Apul. De mag.* Philtra omnia undique erdunt, Trochilisci, iynges, tæniæ. Alii rectius leg. *trochisci;* alii *trochiscili,* quod præferunt *Hildebr.* et *Müller.;* alii *trochi,* ut *Krüger.*

TRŎCHĪLUS (trochilos), i, m. 2. τρόχιλος. ¶ 1. Est avicula quædam, quæ etiam rex avium et regulus tum a Græcis tum a Latinis appellatur eoque nomine cum aquila pugnare dicitur, *reatino, sciriciolo, luì, forasiepe. Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (203). Dissident aquilæ et trochilus, si credimus, quoniam rex appellatur avium. *V.* REGAVIOLUS. ¶ 2. *Harduin.* alium ab hoc eum esse putat, de quo *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (90). *de crocodilo:* Hunc saturum cibo piscium et semper esculento ore, in litore somno datum, parva avis, quæ trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia, invitat ad hiandum pabuli sui gratia. ¶ 3. In architectura est membrum, quod et *scotia* dicitur, *cavetto. Vitruv.* 3. 3. *ante med.*

TRŎCHIS (trocis), is, f. 3. τροχίς, genus vini ex ficu. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (102)., ubi *Sillig.* aliter leg.

TRŎCHISCĬLUS. *V.* TROCHILISCUS.

TRŎCHISCOS et

TRŎCHISCUS, a, um, adject. τρόχισκος. ¶ 1. Est parvus trochus seu parva rota: speciatim in re nautica, ut docet cl. *Guglielmotti Di due navi R. p.* 58. Sed nullum, quod sciam, exstat Latini scriptoris locus, ubi vox ita usurpata legatur. ¶ 2. *Trochisci* dicuntur compositiones quædam medicorum in formam rotulæ seu globuli, quas Latini *pastillos* vocant, *trocisci. Cels.* 5. 17. Græce usurpat, Latine *Cæl. Aurelian.* 2. *Tard.* 7. 104. et *Veget.* 2. *Veterin.* 9. *in fin.* V. IYNX et TRAJECTORIUM. ¶ 3. *Trochiscos heliacos* a similitudine dicta herba chamæli. *Apul. Herb.* 24., ubi alii leg. conjunctim *trociscoseliacon.*

TRŎCHLĔA (troclea), æ, f. 1. (τροχαλία et τροχιλία) *Troclea* sine aspiratione legunt recentiores apud *Lucret.* et *Vitruv. loc. cit.* Etiam *trogala* pro *trochlea*, seu instrumento ad hauriendam aquam est in *Gloss. Lat. Gr.* Trogala, τροχιλέα, χαλίς. — Trochlea est machina tractoria ad sublevanda et demittenda onera, continens rotulam aeneam ligneamve (cui proprie nomen *trochlea* competit), axiculum per eam rotulam trajectum et funem, qui circa rotulam currit, τροχός, τροχίλιον (It. *taglia, carrucola;* Fr. *poulie, roulette;* Hisp. *polea, garrucha, carrillo, rodaxa;* Germ. *e. Kloben, e. Flasche, Winde;* Angl. *pulley, weathercook*). Exemplum ejus in puteis habemus. Ab aliquibus *rechamus* dicitur.

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 2. Alligatur in summo trochlea, quam etiam nonnulli rechamum dicunt. In trochleam induntur orbiculi duo, per axiculos versationes habentes, per cujus orbiculum summum trajicitur ductarius funis etc. *Cato R. R.* 3. *sub fin.* Trochleas Græcanicas binas, quæ funibus sparteis ducantur. (De trochlea Græcanica V. *Schneid.* in *Indic. Scriptt. R. R.*) *Lucret.* 4. 903. Multaque per trochleas et tympana pondere magno Commovet atque levi sustollit machina nisu. Adde *Veget.* 4. *Milit.* 21. V. *Giamboni p.* 166. — In re nautica sunt quasi littera φ, per quas funes trahuntur, ut ait *Isid.* 19. *Orig* 2. 10. — *Trochlea binaria* in re nautica Italice dicitur *paranco a due occhi.* V. *Guglielmotti Di due navi R. p.* 39.

II.) Translate. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* de *pronuntiatione.* Jam tussire et exspuere crebro et ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, etsi non utique vocis sunt vitia, quia tamen propter vocem accidunt, potissimum huic loco subjiciantur. *h. e.* difficulter et cum strepitu.

TRŎCHLĔĀTIM, adverb. (trochlea) per trochleam. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. *a med.* Linteum villis onustum erecto trochleatim fune nutabat. *un fiocсoso sciugatoio pendeva sospeso alla carrucola.*

TRŎCHUS, i, m. 2. τρόχος, circulus seu rota ferrea, quæ ludi causa a pueris ferreo manubrio, quod clavis dicebatur, impulsa mittebatur; habebat autem circum infixos parvos anulos, qui, dum jaceretur, tinnitum et sonum reddebant (It. *trottola, paléo, fattore;* Fr. *trochus, toupie;* Hisp. *trompo, peonza;* Germ. *der Spielreif, das Spielrad;* Angl. *peg-top, pike-top, whiptop, top*). Differt a turbine, quia turbo erat ligneus vel etiam fortasse ex alia materia, sed non circularis, at in modum metæ factus. Trochus Græcorum inventum fuit; hinc *Horat.* 3. *Od.* 24. 57. Græcum appellat: est autem dictus a τρέχω, curro. ¶ 1. Generatim. *Propert.* 3. 12. 6. Increpat et versi clavis adunca trochi. *Martial.* 14. 168. Inducenda rota est: das nobis utile munus: Iste trochus pueris, at mihi canthus erit. *et ibid.* 169. Garrulus in laxo cur anulus orbe vagatur? Cedat ut argutis obvia turba trochis. Adde 11. 22., *Horat. Art. P.* 380., *Ovid.* 3. *Art. am.* 383. et 2. *Trist.* 486. — Trochi figuram exhibent *Hieronym. Mercurial. l.* 3. *de art. gymn. c.* 8., *Winckelmann. Monum. ant. ined. T.* 2. *tab.* 194. 195. 196. et *Cavedoni Indic. antiq. del Museo del Catajo p.* 122., qui accurate eum describit in marmore sculptum. Cf. *Bullett. dell' Istit. arch. a.* 1842. *p.* 157. ¶ 2. Speciatim circulus aut rota excantata. *Læv. fragm.* apud *Apul. De mag.* 30. *Krüg.*, ubi alii *trochiscus.* V. hanc voc. ¶ 3. Item rota torturæ, qua significatione jlocaliter servo cuidam proprium quasi nomen affinxit *Plaut. Trin.* 4. 3. 13. *Spengel.* At *Fleckeis.* leg. *Chiruchus*, alii *Theruchus.*

TRŎCISCOSELIACOS et

TRŎCISCUS. *V.* TROCHISCOS.

TRŎCLĔA. *V.* TROCHLEA.

TROCTA. *V.* TRUCTA.

TRŎGĂLA. *V.* TROCHLEA.

TRŌGON. *V.* TRYGON.

TRŌJA, æ, f. 1. Τροία vel Τρωία, nomen urbis celeberrimæ, de qua *V.* ONOM. — Hinc *Troja* seu *Trojanus ludus*, dictus est equestris puerorum ludus apud Romanos, in Circo agi solitus. Nomen ex eo sortitus est, quod a Trojanis eum accepissent Romani, ut quem Æneas primus instituerit in Sicilia ad filii Ascanii puerorumque ceterorum exercitationem. Horum puerorum sex erant turmæ, quorum totidem duces seviri equitum Romanorum dicebantur, tres nempe seniorum tresque juniorum, qui et principes juventutis antiquitus sunt appellati. Ubi vero Augustorum filii creati seviri sunt, soli jam ipsi *principes juventutis* appellari cœpti sunt: si quando bini Cæsarum filii essent, major seniorum, minor juniorum turmis, una singuli cum aliis duobus senatorum ex gente patricia filiis præfecti: si unus tantum esset, is vel seniorum vel juniorum turmis dux datus, ut ætas ejus ferebat. *V.* plura huc pertinentia apud *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 377. et SEVIR. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 367. 5. *Müll.* Troja et regio Priami et lusus puerorum equestris dicitur. *Virg.* 5. *Æn.* 596. Hunc morem, hoc cursus atque hæc certamina primus Ascanius, longam muris quum cingeret Albam, Rettulit et priscos docuit celebrare Latinos, Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes. Albani docuere suos: hinc maxima porro Accepit Roma et patrium servavit honorem. Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen. *Sueton. Aug.* 43. Sed et Trojæ ludum edidit frequentissime, majorum minorumque puerorum delectu. *Id. Cæs.* 39. Trojam lusit turma duplex, majorum minorumque puerorum. *Id. Cal.* 18. *ad fin.* Edidit et Circenses, interjecta Trojæ decursione. Adde *Claud.* 21.

TRŌJĀNUS, a, um, adject. (Troja) ¶ 1. Ad Trojam, qua ludus significatur, pertinens. *Sueton. Tib.* 6. *extr.* Troiani ludi. *V.* voc. præc. ¶ 2. *Trojanus equus*, proverbiali locutione pro clandestinis insidiis accipitur et latenti periculo: tractum a fabula equi lignei, cujus fraude Græci Trojæ potiti esse dicuntur. *Cic. Mur.* 37. 78. Intus, intus, inquam, est equus Trojanus, a quo numquam me consule dormientes opprimemini. ¶ 3. *Trojanus porcus*, dicebatur aper, qui integer torrebatur, minutioribus animalculis veluti gravidus, quemadmodum et equus ille armatis hominibus gravidus fuit. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. *ad fin.* Similem habes apud *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.*

TRŌĬCUS, a, um, adject. (Troja) ad Trojam pertinens. — Hinc *Troicus ignis* apud *Stat.* 1. *Silv.* 1. 35., dictus ignis perpetuus, qui Romæ servabatur in templo Vestæ, quia ejus deæ sacra ex Troja Æneas in Italiam advexerat.

TRŎPA, æ, f. 1. ¶ 1. Est genus ludi, τρόπα, quo pueri talos vel nuces in foveam quamdam vel foramen colliceando projiciunt: quasi a τρύπα, foramen. *Martial.* 4. 14., ubi vulg. *rota.* V. *Georg.* ¶ 2. Apud Astronomos *tropæ chimerinæ*, τροπαὶ χειμεριναί, dicitur bruma seu solstitium hiemale, quum nempe sol ex circulo Tropici Capricorni ad circulum Cancri converti incipit: τροπή, conversio, a τρέπω, verto. *Vet. Kalend. Farnes.* apud *Gruter.* 138. *mense Decembr.* (*Orelli Coll. Inscr. v.* 2. *p.* 381. *lin.* 26.) Hiemis initium sive tropæ chimerinæ. ¶ 3. *Tropa*, herba chamæpitys. *Apul. Herb.* 27. Alii leg. *rapa.*

TRŎPÆĀTUS, a, um, adject. (tropæum) tropæo ornatus. *Ammian.* 23. 5. 17. Trajanus et Ve-

rus hinc sunt digressi victores et tropæati. *Augustin. De particip. p.* 2012. *Putsch.* Clipeatus et tropæatus nomina sunt, non participia, quia non a verbo veniunt.

**TRŎPÆI.** *V.* TROPÆUS.

**TRŎPÆŎPHŎRUS** (tropeoforus), a, um, adject. τροπαιοφόρος, tropæum referens. *Apul De mundo sub fin.* Juppiter Triumphator, Propagator et Tropæophorus. — Hinc absolute *tropœoforum* in *Gloss. Lat. Gr. p.* 218. *Vulc.*, ubi videtur esse instrumentum seu ferculum.

**TRŎPÆUM** *et* trophæum, i, n. 2. (τρόπαιον) — *a)* Ad scriptionem quod attinet, multi scribunt *trophœum* addita aspiratione, quæ tamen in Græca origine nulla est: quare a *Cellario* rejicitur et a *Pierio* ad *Virg.* 3. *G.* 32. et 11. *Æn.* 172. scribitur, in melioribus libris nullam esse. Defenditur tamen a *Dausquio*, qui et a Græcis aliquando ait τρόφαιον scribi et alia inde affert exempla, quibus ea scriptio firmatur. Sane Latini *Riphæi*, *Bosphorum* et *triumphum* scribunt, licet in Ῥιπαῖοι, Βόσπορος et Θρίαμβος nulla sit aspiratio. Rectius tamen *tropœum* retinueris, inquit *Forcellinus*; idque confirmant *Inscriptt.*, ut *Inscr.* apud *Henzen* 5088. et 5433. etc. et ed. class. V. *Fleckeisen Vorschr. in d. N. Jahrbb.* 101. 458. — Scriptura autem, quæ est *tropeum* vel *tropheum*, sine diphthongo, ut in *Gloss. Lat. Gr. p.* 218. *Vulc.* et apud *Jul. Val.* 3. 28. p. 141. ed. *Paris.* aliosq. probanda non videtur. De hac re cf. *Georges Lex. d. Lat. Wortf.* ad *h. v.* — *b)* Etymon vocis ita exponit *Isid.* 18. *Orig.* 2. 3. « *Trophæum* dictum ἀπὸ τῆς τροπῆς, id est, *conversione* hostium et fuga ». Est enim a τέτροπα, quod a τρέπω, verto, converto, do in fugam. Sic *Aristoph. Schol.* in *Plut. p.* 48. Ἔστι τρόπαιον, ὃ ἐν τ. νίκαις οἱ παλαιοὶ ἐποίουν, τοῖχον ἢ λίθον μέγαν ἱστάντες καὶ γράφοντες ἐν τούτῳ ἃ κατὰ τ. ἀντιπάλων ἔργα δεδράκασιν. Ἐκαλεῖτο δὲ τρόπαιον διὰ τὸ ἐπὶ τ. τροπῇ τ. ἐχθρῶν γεγενῆσθαι. — Tropæum est monumentum a victore creatum in honorem deorum eo loci, ubi hostes in fugam vertit (It. et Hisp. *trofeo*; Fr. *trophée*; Germ. *e. Tropäe*; Angl. *trophy, trophies*). Prima tropæa ex arboribus confecta sunt, quas, amputatis minoribus ramis, hostium spoliis ornabant. Deinde cœpta sunt fieri ex lapide et in montibus locisque altioribus locari. Et Romæ in arcubus marmoreis figebantur: in nummis etiam insculpebantur. Hinc *Cic.* 2. *Invent.* 23. 69. Quum Thebani Lacedæmonios bello superavissent et fere mos esset Grajis, quum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropæum aliquod in finibus statuerent, victoriæ modo in præsentia declarandæ causa, non ut in perpetuum belli memoria maneret, aeneum statuerunt tropæum. Accusantur apud Amphictyonas. *h. e.* quia aeneum, non ligneum, constituerant tropæum. — Tropæa primi ex Romanis bello Allobrogico Domitius Ænobarbus et Fabius Maximus posuerunt. *Strab.* 4. 128. et *Flor.* 3. 2.

I.) Proprie. *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 6. Pompejus, devictis Hispanis, tropæa in Pireneis jugis constituit. *Cic. Pis.* 38. 92. In Macedonia tropæa posuit, quæ bellicæ laudis victoriæque omnes gentes insignia et monumenta esse voluerunt. *Id.* 2. *Invent.* 23. 69. Tropæum statuere. *Virg.* 11. *Æn.* 6. Ingentem quercum, decisis undique ramis, Constituit tumulo fulgentiaque induit arma, Mezenti ducis exsuvias, tibi, magne, tropæum, Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum Perfossumque locis clipeumque ex ære sinistræ Subligat atque ensem collo suspendit eburnum. *et* 83. Indutosque jubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces inimicaque nomina figi. *h. e.* occisorum nomina inscribi. Adde *Plin.* 3. *Hist. nat.* 20. 24. et 6. *ibid.* 28. 32. *Tac.* 2. *Ann.* 18. In modum tropæorum arma imposuit. *Id.* 15. *ibid.* 18. Tropæum sistere. *Sueton. Cæs.* 11. Tropæa C. Marii de Jugurtha deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disjecta, restituit. *Val. Flacc.* 4. 739. regia tecta Bebryciis præfixa tropæis. *Val. Max.* 6. 1. *ext.* 3. Tropæa incerta. *et* 2. 2. *n.* 3. Numidica et Germanica. *Curt.* 5. 8. 16. Per tropæa regum orare. *Flor.* 5. 2. *in fin.* Ipsis, quibus dimicaverant, locis saxeas erexere turres et desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere: quum hic mos inusitatus fuerit nostris, numquam enim populus R. hostibus domitis victoriam suam exprobravit (*usque ad ea tempora*). *Inscr.*, quæ pertinet ad ann. a Ch. n. LXXXVI., apud *Marin. Frat. Arv. p.* 457. In Capitolio post tropæa.

II). Translate. ¶ 1. Metonymice est victoria et spolia, quæ vincendo parantur. *Nepos Themist.* 5. Hæc est altera victoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropæo. *Horat.* 2. *Od.* 9. 19. nova Cantemus Augusti tropæa Cæsaris. *Ovid. Heroid.* 9. 103. Se quoque Nympha tuis ornavit Iardanis armis Et tulit a capto nota tropæa viro. *et* 17. *ibid.* 241. Cytherea vicit habetque Parta per arbitrium bina tropæa tuum. *Id. Rem. amor.* 157. Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas Et refer ad patrios bina tropæa deos. *Sil. It.* 14. 282. Tropæa Salaminiaca. *et ibid.* Eoa. *et ibid.* 652. Agathoclea. *et ibid.* 32. æquorea. ¶ 2. Metaphorice. *Cic.* 4. *Verr.* 47. 115. Utrum hoc signum cupiditatis tuæ, an tropæum necessitudinis atque hospitii, an amoris indicium esse voluisti? *Ovid. Heroid.* 21. 213. ut miserabile corpus, Ingenii videas bina tropæa tui. *Propert.* 3. 7. 34. Mæcenatis erunt vera tropæa fides.

Homonym. Differre *tropœum* a *triumpho* ita docet *Isid.* 18. *Orig.* 2. 3. Plenæ victoriæ *triumphus* debetur, semiplenæ *tropœum*, quia nondum plenam est victoriam consecutus; non enim obtinuit, sed fugavit exercitum. Hæc tamen nomina scriptores confundunt.

**TRŎPÆUS**, a, um, adject. τροπαῖος, qui retro vertit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 44. (114). Venti tropæi.

**TRŎPĀĬCUS**, a, um, adject. (tropæum) ad tropæum pertinens. *Tropaicus* est victoriatus nummus apud *Calvum* in *Vers. tab. Alex. p.* 144. *Hultsch.* Denarius habet tropaica duo quinariosve duos.

**TRŎPĔŎFŎRUM.** *V.* TROPÆOPHORUS.

**TRŎPĒUM.** *V.* TROPÆUM.

**TRŎPĒTES**, is, m. 3. (τροπέτης) Sic inscribitur liber sextus *Apicii*, ubi alii leg. *trophetes*; qui est de obsoniis et condituris avium: ut sit τροπέτης idem quod ἐρέτης, remex, remigio alarum volans, avis pennis remigans, ut exponit *Schuch.* Vulgo olim legeb. *aeropetes.*

**TRŎPHÆUM.** *V.* TROPÆUM.

**TRŎPHĒMA.** *V.* TROPHIMA.

**TRŎPHĒTES.** *V.* TROPETES.

**TRŎPHĒUM.** *V.* TROPÆUM.

**TRŎPHĬMA** *et* trophema, ătis, n. 3. τρόφημα, alimentum pueris aliquibus præbitum. *Paul. Dig.* 16. 3. 26. Habere me a vobis auri pondo plus minus decem et discos duos, saccum signatum, ex quibus debetis mihi decem, quos apud Titium deposuistis: item quos trophimati decem: item ex ratione patris vestri decem et quod occurrit. Alii *Trophimati* scribunt, ut sit dativus singularis a nomine proprio viri *Trophimas, atis*, quod minus probandum videtur.

**TRŎPĬCA**, ōrum. *V.* TROPICUS.

**TRŎPĬCĒ**, adverb. (tropicus) per tropos, *figuratamente. Augustin.* 4. *Genes. ad litt.* 9. Tropice loqui. Adde *Claud. Mam.* 1. *Stat. an.* 3.

**TRŎPĬCUS**, a, um, adject. τροπικός, duo diversa significat. ¶ 1. *Tropicus*, quasi dicas conversivus; a τρέπω, verto, est vox astronomica. — Hinc *Tropica* signa sunt quattuor: Libra, Capricornus, Aries et Cancer, ita dicta, quod Sol quum ad ea in Zodiaco pervenerit, conversionem cursus sui et anni mutationem facit: nam quum est in signo Cancri, quo tempore dies longissimi sunt, solstitium æstivum facit paullatimque revertitur descenditque usque ad Capricornum, ubi solstitium biemale efficit diesque brevissimos: similiter quum est in signo Arietis, noctes diebus æquales reddit et Ver inducit; quum vero Libram ingressus est, tunc quoque dies æquat noctibus et affert Auctumnum. *Manil.* 3. 614. Sed tamen in primis memori sunt mente notanda, Partibus adversis quæ surgunt condita signa Divisumque tenent æquo discrimine cælum; Quæ Tropica appellant, quod in illis quattuor anni Tempora vertuntur signis nodosque resolvunt Totumque emittunt converso cardine mundum Inducuntque novas operum rerumque figuras. Sequitur inde *Manilius* quattuor horum signorum effecta explicare. *Auson. Edyll.* 16. 7. dies quam longus erit sub sidere Cancri Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno. *Id. Eclogar. de ratione dier. anni.* Nonaginta dies et quattuor ac medium sol Conficit, a tropico in tropicum dum permeat astrum. — Similiter apud Astronomos *Tropici* sunt duo circuli in sphæra, quorum alter Zodiacum in signo Cancri tangit, alter in signo Capricorni, quia nimirum Sol, quum ea signa tetigit, revertitur, ut dictum est. *Hygin.* 1. *Astron.* 6. Græce. Hos *Plinius* 2. *Hist. nat.* 70. 70. (177). solstitialem et brumalem vocat. ¶ 2. *Tropicus* est etiam a tropis rhetoricis. *Gell.* 13. 14. *in fin.* Ut tropica quadam figura mutationem vocabuli fecerint. *Augustin. Contra mendac. c.* 10. Tropicæ locutiones. *parlare figurato.* — Hinc

*Tropica, orum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, mutationes, conversiones. *Petron. Sat.* 88. Cœpi causam desidiæ præsentis excutere, cur pulcherrimæ artes periissent: tum ille, pecuniæ, inquit, cupiditas hæc tropica instituit. *queste mutazioni o stravaganze.* et *Mar. Victorin. p.* 183. 23. *Keil.* Tropica artis musicæ.

**TRŎPIS**, idis, f. 3. τρόπις, Græce sentinam navis significat: translate sumitur pro fundo lagenæ atque hinc pro vino vapido, quod in fundo lagenæ est: hujusmodi vino utebantur veteres in balneis vel ad lavanda corpora vel ad vomitum provocandum. *Martial.* 12. 83. Fumosæ feret ipse tropin de fæce lagenæ. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

**TRŎPŎLŎGĬA**, æ, f. 1. τροπολογία, figuratus seu tropicus sermo. *Hieronym.* in *Joel.* 2. 18. Juxta tropologiam omnis anima terra est Domini.

**TRŎPŎLŎGĬCĒ**, adverb. (tropologicus) figurate, τροπολογικῶς. *Hieronym.* 1. *in Ezech.* 6. 2. Videntur mihi tropologice montes esse, qui ad perfectam scientiam pervenerunt: colles, qui paullo inferiores sunt. *Id. in Sophon.* 1. 8. Tropologice aliquid exponere.

**TRŎPŎLŎGĬCUS**, a, um, adject. τροπολογικός, per tropos expressus, *figurato. Sidon.* 9. *Ep.* 3. *a med.* Tropologicum genus et figuratum. *Hieronym. advers. Johann. Jerosol. n.* 7. Tropologica interpretatione aliquid subvertere.

**TRŎPUS**, i, m. 2. τρόπος, qui tum modum, studium vitæque rationem significat, tum etiam verborum deflexionem a communi ac proprio usu: a τρέπω, verto. ¶ 1. In re grammatica, *tropus*, ut plerique Grammatici definiunt, inquit *Quintil.* 9. 1. 4., est dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est, *figura.* Ipse vero tum *ibid.*, tum 8. 6. 66. ita definit: Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio. *Cic. Brut.* 17. *sub fin.* Latine vocat immutationem verbi. *Quintilianus* vero *loc. cit.* dicit *verbi vel sermonis*, quia sunt tropi, qui uno verbo fiunt, ut metaphora: et qui pluribus, ut allegoria. Tropis utimur vel quia necesse est, ut quum proprium deest; vel quia significantius, vel quia decentius. Ubi nihil horum sit, quod transferetur, improprium erit, inquit *Quintil. loc. cit.* — Differunt tropi a figuris, quæ fiunt in sententia etiam propriis verbis et certo ordine collocatis: tropi vero etiam uno verbo, sed immutato. *Quintil.* 9. 1. *init.* ¶ 2. In re musica. — *a) Boeth.* 4. *Music.* 15. Ex diapason igitur consonantiæ speciebus exsistunt, qui appellantur modi, quos eosdem tropos vel tonos nominant. Sunt autem tropi constitutiones in totis vocum ordinibus vel gravitate vel acumine differentes. — *b)* Hinc *tropus* est cantus, sonus

*Venant.* 10. *carm.* 10. 54. Reddebantque suos pendula saxa tropos. *et ibid.* 60. vox erat una tropis. *et ibid.* 12. 4. Mulceat atque aures fistula blanda tropis. — De tropis V. *Du Marsais* et etiam *Ernesti Lex. techn. Gr. et Lat.*

Homonym. Quomodo differat *tropus* a *figura*, V. apud *Quintil. loc.* supra *cit.*

TROSSŬLI, ōrum. *V.* voc. seq.

TROSSŬLUS (trosulus), i, m. 2. *Trossulus* (etiam *troxulus*, ut scribit *Döderlein v.* 6. *p.* 377., qui vocem conjungit cum τρέχω, curro: cf. *celeres*, κέλητες) dictus est eques apud Romanos, quod Trossulum oppidum Etruriæ equites sine peditibus expugnassent, ut ait *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 367. 20. *Müll.* Idem narrat *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 9. (36). *Vet.* vero *Schol.* ad *Pers.* 1. 82. addit, fuisse illud oppidum non longe a Volscis; at *Plin. loc. cit.* affirmat, fuisse citra Volsinios. Quum autem *Liv.* 9. 41. narret, Decium consulem Volsiniensium castella aliquot vi cepisse, argui posse videtur, Trossulum captum eo anno, h. e. U. C. CCCCXLVI., Numio quodam duce, ut ait *Schol. loc. cit.* — Contra *Nonius p.* 49. 1. *Merc.* scripsit, Trossulos quasi torosulos dictos, hoc est bene habitos et musculorum toris prævalidos. Eum induxit, ut ita scriberet, altera hujus vocis significatio, qua dici cœpit de iis, qui cultu et vitæ delicatioris genere aliis antecellunt, inquit *Forcellinus.* ¶ 1. *Trossulus* igitur vel *Trossuli* dicti sunt equites apud Romanos, qui sub Romulo *Celeres* (V. init.) et postea *Flexumines* (al. *Flexuntes* vel *Flexutes*) appellati sunt. V. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 9. (35). *Lamprid. Commod.* 1. *in fin.* Cooptatus et inter trossulos princeps juventutis, quum togam sumpsit. Olim vulgo *inter tres solos princeps* legebatur, sed locum, *Salmasio* duce, emendavit *Mommsen* in *Mus. Rhen. XVIII.* 601. ¶ 2. Sumitur et in malam partem de iis, qui cultu et vitæ delicatioris genere aliis antecellunt. (*V.* supra.) *Varro* apud *Non. loc. cit.* Nunc emunt Trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum. *Pers. loc. cit.* Unde istud dedecus, in quo Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis. — Quia autem Trossuli vox in malam partem accipi cœperat, hinc factum videtur, ut equites nominis hujus puderet, eos præsertim, qui veram nominis causam ignorarent, ut scribit *Plin. loc. cit.* ex *Junio Gracchano.* — De jactantibus nobilitatem et divitias, Trojugenis, Troiadibus, delicatam, mollem et ignavam vitam agentibus. *Seneca Ep.* 87. *ante med.* Cato canterio vehebatur et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his Trossulis in via divitibus, cursores et Numidas, et multum ante se pulveris agentem! *Id. Ep.* 76. *sub init.* Quid ergo? idem faciam, quod Trossuli et juvenes?

TROTTONĀRĬUS *et* tottonarius, a, um, adject. in re militari vulgo usurpatum de equo, qui et *trepidarius* dicitur (*V.* hanc voc.), Italice *trottante, che trotta*, succussator, qui succussat: hujusmodi equorum incessus Romanis minus probatus videtur, quippe qui sessori incommodus esset. *Veget.* 1. *Veterin.* 56. *ad fin.* Sed Parthi ipsos equos, quos vulgo trepidarios, militari verbo trottonarios (*alii leg.* tottonarios) vocant, ita edomant ad levitatem et quædam blandimenta vecturæ, ut asturconibus similes videantur. *Id.* 4. *ibid.* 6. *ad fin.* Inter colatorios et eos, quos trottonarios (*alii leg.* tottonarios) vulgus appellat, ambulatura eorum (*Persarum*) media est et quum neutris sint similes, habere aliquid creduntur ab utrisque.

TRŎŬLA. *V.* TRUA.

TROXALIS. *V.* voc. seq.

TROXALLIS, idis, f. 3. τρωξαλίς vel potius τρώξαλλις vel τρίξαλις: hinc alii scribunt *troxallis*, alii *troxalis*, alii *trixalis* vel *tryxalis*: rectius apud recentiores *troxallis* vel *trixallis.* — Troxallis est genus animalis, de quo ita *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 16. (49). Esse animal locustæ simile sine pennis, quod troxallis Græce vocetur, Latinum nomen non habeat, aliqui arbitrantur: nec pauci auctores, hoc esse, quod gryllus vocetur. Ita *Harduin.*, alii leg. *trixalis*; at *Sillig.* troxallis; *Jan.* vero et *Detlefs.* leg. *trixallis.*

TROXĪMUS, a, um, adject. τρόξιμος, qui comedi potest vel solet: a τρώγω, comedo. *Plin. Val.* 5. 33. Olera troxima.

TROXŬLUS. *V.* TROSSULUS.

TRŬA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, videtur a *terendo* dicta, quasi *terua* et per sync. *trua.* Ita *Non. loc. cit. Rich* ducit a τρύω, tero, trudo, vel τορέω, perforo, quod duplici usui, cui inservit, apte respondeat. — Trua est igitur vasis genus, quod nos Itali dicimus *mestola, cazza o cucchiaione*, foraminibus instructum ad spumam adimendam vel miscendum extrahendumve aliquid ex aquis. *Fest.* in *Antroare p.* 9. 12. *Müll.* Truant, movent: truam quoque vocant, quo permovent coquentes exta. Cf. *Scalig.* ad *Varron. loc. cit. Titin.* apud *Non. p.* 87. 13. *Merc.* Cocus magnum abenum quando fervit, paulla confutat trua. *Pompon. ibid.* Mulier ubi aspexit tam mirifice tutulatam truam. *h. e.* in summo capuli quasi tutulo quodam ornatam. Alii leg. *titulatam*, pulcris litteris vel notis inscriptam. Hinc in *Mus. Borbon. T.* 3. *tab.* 31. videre est truam in summo capuli inscriptam: *Victor Fec.* — Alio sensu est vasis genus, seu lamina, foraminibus instructa, per quam aqua e culina in lavatrinam funditur. *Varro* 5. *L. L.* 118. *Müll.* Trulla a similitudine truæ, quæ quod magna et hæc pusilla, ut troula (*al.* truula), trulla. Hinc Græci τρυήλην (*al.* τρυβλίον). Trua, qua e culina in lavatrinam aquam fundunt. trua, quod travolat ea aqua. Ab eodem est appellatum truleum. simile enim figura, nisi quod latius est, quo concipiat aquam, et quod manubrium cavum non est, nisi in vinaria trulla. Hæc *Varro*; ad quæ tamen verba *Scaliger* adscribit, rectius Græce dici τορύνην, h. e. τὸ κινητήριον τῆς χύτρας, instrumentum, quo agitantur et miscentur in olla ea, quæ coquuntur. *V.* supra.

TRUBLĬUM. *V.* TRYBLIUM.

TRŬCĪDANS, antis, particip. *V.* TRUCIDO.

TRŬCĪDĀTĬO, ōnis, f. 3. (trucido) actus trucidandi, cædes crudelis, σφαγιασμός (It. *tagliare a pezzi, tagliata, trucidamento, strage*; Fr. *massacre, carnage*; Hisp. *matanza, estrago*: Germ. *das Abschlachten, Niedermetzeln*; Angl. *massacring, butchering, trucidation*).

I.) Proprie. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. *circa med.* Succidias humanas facis. tantas trucidationes facis. decem funera facis. *h. e.* decem homines eodem tempore interficiendo. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 11. Nullus ei ludus videtur esse jucundior, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio civium. *Liv.* 28. 16. Inde non jam pugna, sed trucidatio velut pecorum fieri. *Augustin.* 1. *Civ. D.* 7. Quidquid ergo vastationis, trucidationis, deprædationis in ista recentissima Romana clade commissum est.

II.) Translate. *Cels. præf. circa med.* Interiora (*hominis*) sub gravissimis vulneribus et ipsa trucidatione mutari. ἀνατομῇ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 45. (257). Interlucatio arboribus prodest: sed omnium annorum trucidatio inutilissima.

TRŬCĪDĀTOR, ōris, m. 3. (trucido) qui trucidat, *trucidatore*, σφαγεύς. *Augustin.* 1. *Civ. D.* 1. Hucusque cruentus sæviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor. Adde *ep.* 105. *a med.*

TRŬCĪDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRŬCĪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (trux *et* cædo) Part. *Trucidans* II. 2.; *Trucidatus* I. et II. 1. et 2.; *Trucidaturus* et *Trucidandus* I. — Trucido est crudeliter cædo, pluribus vulneribus concido, ἀρταμέω, ἐπισφάττω (It. *tagliare a pezzi, trucidare*; Fr. *massacrer, égorger*; Hisp. *matar cruelmente, destrozar*; Germ. *abschlachten, niedermetzeln*; Angl. *to massacre, slaughter, slay*).

I.) Proprie. *Sall. Cat.* 58. Ne capti sicut pecora trucidemini. *Auct. B. Afr.* 26. *a med.* Villas exuri, agros vastari, pecus diripi, trucidari. *Cic. Rosc. Am.* 5. 13. Ne hic ibidem ante oculos vestros trucidatur. *Id.* 1. *Cat.* 4. 9. Quos ferro trucidari oportebat. *Id. pro leg. Manil.* 3. 7. Cives Rom. necandos trucidandosque denotavit. *Horat. Art. P.* 185. Ne pueros coram populo Medea trucidet. *Liv.* 29. 18. *a med.* Tribunos militum verberatos servilibusque omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit. *Tac.* 2. *Ann.* 45. Trucidatæ legiones. *Sueton. Cal.* 29. Trucidaturus fratrem. *Justin.* 4. 3. 3. Inter aras et patrios lares trucidati. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (13). Orcæ balænas caveatas angustiis trucidant. *h. e.* lancinant morsu. *Id.* 11. *ibid.* 11. 11. (28). Multæ (*apes*) singulos (*fucos*) aggressæ trucidant. — *Horat.* 1. *Ep.* 12. 21. seu pisces seu porrum et cæpe trucidas. *h. e.* dentibus conficis, mandis, vesceris.

II.) Translate. ¶ 1. Poetice. *Lucret.* 6. 145. nubes multo si forte humore recepit Ignem, continuo magno clamore trucidat. *h. e.* violenter exstinguit. — *Tertull.* 1. *Nation.* 16. de *Œdipo.* Trucidatus oculos. *h. e.* excæcatus. ¶ 2. Metaphorice. *Cic. Harusp. resp.* 1. *ad fin.* Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est a gravissimo viro P. Servilio confectus ac trucidatus. *Liv.* 6. 37. Trucidare plebem fenore. *h. e.* opprimere, et, ut ait *Plaut. Curc.* 4. 2. 22., lacerare. Sic *Liv. ibid.* 26. *sub fin.* Fenore circumventam plebem corpus in nervum ac supplicia dare. *Cic. Cœl.* 18. 42. Juventus ne effundat patrimonium, ne fenore trucidetur. *Auson. Edyll.* 15. 9. velox inopes usura trucidat. *Augustin. Serm.* 9. *n.* 13. Trucidans libidinem.

TRŬCĪLO. *V.* TRUCULO.

TRUCTA *et* trocta, æ, f. 1. τρώκτης, genus piscis, Italice *trutta o trotta. Gloss. Philox.* Τρώκτης, tructa. *Isid.* 12. *Orig.* 6. *ante med.* Varii nuncupati pisces a varietate, quos vulgus tructas vocat. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 3. *init.* Alii (*pisces*) ova generant, ut quos troctas vocant. *Eucher.* 18. Limacem pariter nunc sibi tructa petat.

TRUCTUS, i, m. 2. idem ac tructa. *Plin. Valerian.* 5. 43. Omnem aspratilem piscem, videlicet ut sunt lupi, corvi, pisces de flumine, qui petram habent, ut tructi, squali, comede.

TRŬCŬLENS, entis, adject. omn. gen. idem ac truculentus. *Cassiod.* 1. *Variar.* 13.

TRŬCŬLENTER, adverb. ab adject. *truculens* vel *truculentus*; unde Comp. *Truculentius* et Sup. *Truculentissime.* — Truculenter est vultu severitatem præferente terroris incutiendi gratia, atrociter, superbe, torviter, *biecamente, bruscamente, superbamente*, ἀπηνῶς. *Cassiod.* 1. *Variar.* 30. Nolite truculenter insequi inania verba populorum. Adde 5. *ibid.* 42. *Venant. Vit. S. Martin.* 4. 54. Inque sacerdotem truculenter acerba redundans. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. *a med.* Contio tandem exspectata P. Rulli, quod et princeps erat agrariæ legis et truculentius se gerebat, quam ceteri. *Val. Max.* 3. 8. *n.* 5. Truculentius instare. *Quintil.* 6. 1. 43. Aspicere aliquem truculentissime.

TRŬCŬLENTĬA, æ, f. 1. (truculentus) asperitas, torvitas, superbia, severitas.

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 3. 2. 7. Tuam expecto truculentiam. At MSS. habent osculentiam, *Spengel* osculum tuum. *Apul.* 9. *Met.* Truculentia hominis.

II.) Translate. *Tac.* 2. *Ann.* 24. Truculentia cæli præstat Germania. *h. e.* sævitia, inclementia.

TRŬCŬLENTUS, a, um, adject. (trux) Comp. *Truculentior* I. et II. 3.; Sup. *Truculentissimus* II. 3. — Truculentus est qui vultu sævitiam præfert, trux, atrox, sævus, asper, terribilis: a *trux*, ut a *macer macilentus* etc.

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 2. 3. 21. Oculi truculenti. *brutta guardatura.* et *Bacch.* 4. 5. 3. Truculentus est sævus senex. *Ter. Adelph.* 5. 4. 10. Ille clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus: ego agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax. Ubi *Donatus:* sævus factis, tristis animo, truculentus vultu, et aliter dici potest, ut tristis sit, qui dolet; truculentus et sævus, qui terret. *Cic. Sext.* 8. 19. Quam teter incedebat! quam truculentus! quam terri-

bilis aspectu! *Ovid.* 13. *Met.* 558. spectat truculenta loquentem Falsaque jurantem tumidaque exæstuat ira. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 4. 5. (10). Tigris etiam feris ceteris truculenta. *Val. Max.* 9. 2. *n.* 1. Truculenta species. *Quintil.* 11. 3. 73. Hercules. *Tac.* 4. *Hist.* 22. Quo truculentior visu foret.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorice. *Tac.* 1. *Ann.* 25. Truculentis vocibus strepere. *h. e.* seditiosis et minarum plenis. — Hinc *truculentum æquor* et absolute *truculenta pelagi* dixit *Catull.* 64. 179. (ubi alii tamen leg. *pelage* pro *pelagea* Græca positione.) et 63. 16. ¶ 2. Item de ingenio et moribus est agrestis, rusticus. *Seneca Hippol.* 461. Truculentus et silvester et vitæ inscius tristem juventam, Venere deserta, colis. — Hinc *Truculentus* inscribitur ultima ex iis, quæ restant, *Plauti* comœdiis, quia inducitur quidam sævo ingenio et voluptatum inimico. ¶ 3. Item ferus, crudelis, sævus, *crudele, fiero. Ovid.* 2. *Pont.* 7. 31. Nulla Getis toto gens est truculentior orbe: Sed tamen hi nostris ingemuere malis. *Id.* 13. *Met.* 804. Asperior tribulis, feta truculentior ursa. (Adde *Heroid.* 11. 9.) *Tac.* 12. *Ann.* 50. Truculentior quam antea tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos. *Cic.* 4. *Herenn.* 8. *circa med.* Truculentissimum ac nefarium facinus. *Val. Max.* 4. 6. *n.* 4. bellorum furor. *Id.* 7. 6. *n.* 1. imperia. *Id.* 9. 2. *n.* 4. vesaniæ genus.

Homonym. Differre inter se *tristem, sævum* et *truculentum*, docet *Donat.* ad *Ter. loc.* supra *cit.* Cf. etiam *Quintil.* 11. 3. 73.

TRŬCŪLO et trucilo, as, are, n. 1. Verbum vocem turdorum exprimens, per onomatopœiam fictum. *Auct. carm. de Philom.* 15. Dum turdus truculat, sturnus tunc pusitat ore. Alii leg. *trutilat*, alii rectius *trucilat*. Sic et *Reiffersch.* ad *Sueton. reliq. p.* 253. Turdorum trucilare vel soccitare. Cf. *Loewe Gloss. Nom. p.* 249. et *Anthol. Lat. p.* 733. *Riese*, ubi contra turdus dicitur *faccilare* vel *facilare*.

TRŪDENS, entis, particip. V. TRUDO.

TRŪDIS, is, f. 3. (trudo) contus, pertica, longurius præfixo ferro, quo naves impelluntur, ubi aqua brevis est aut littus proximum (It. *pertica, perticone*; Fr. *perche pointue*; Hisp. *percha puntiaguda*; Germ. *Stange zum Stossen*; Angl. *perch with point*). *Isid.* 18. *Orig.* 7. 3. Trudes hastæ sunt cum lunato ferro: ab eo quod trudunt et detrudunt. *Virg.* 5. *Æn.* 208. Ferratasque sudes et acuta cuspide contos expediunt. Ubi *Pierius*: In Mediceo et antiquis aliquot aliis exemplaribus *trudes* legitur. Neque timendum syllabæ, quum tam multa reperiantur, quæ derivata a longis, brevia tamen ipsa sunt, ut *duces* a *duco*: ita *dicax, lucerna, sopor, fragilis, coma* etc. Hanc lectionem etiam *Isid. loc. cit.* agnoscit. Ita *Forcellinus*. At *Ribbeck* ex Med. leg. *sudes*, quamquam dedit *trudes*; et *Lanfranchi* ad *Virg. loc. cit.* hæc habet: *Trudes* in codd. MSS. Palat. et Rom., in Medic. legitur *sudes*, non autem *trudes*, ut contendit *Quicherat* in suo *Thes. poet. Tac.* 3. *Ann.* 46. Quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere.

TRŪDO, trūdis, trūsi, trūsum, trūdere, a. 3. Ratione habita etymi, *Vossius* in *Etymol.* ducit a τρύω, tero; alii a *truo*, inserto *d* (V. hanc voc.); alii vero a rad. Skr. *tard*, findo: Gothice est *thriutian*. — Part. *Trudens* I. 1. *a*; *Trusus* II. — Trudo est vi impello, propello, ὠθέω (It. *cacciare, spingere, sospingere*; Fr. *pousser avec force*; Hisp. *pujar, empujar*; Germ. *stossen, hinweg-od. fortstossen, drängen*; Angl. *to chase, thrust push with force*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 3. 5. 92. Vis hæc quidem hercle est et trahi et trudi simul. — *b*) Cum Acc. *Lucret.* 6. 1031. Trudit et impellit quasi navim velaque ventus. *Id. ibid.* 433. pugno aliquid aut brachii conjectu trudere. *Virg.* 1. *G.* 310. glaciem quum flumina trudunt. *Id.* 3. *ibid.* 375. Sed frustra oppositum trudentes pectore montem. *Id.* 4. *Æn.* 405. formicæ grandia trudunt Obnixæ frumenta humeris. *Tac.* 2. *Ann.* 11. Hostes undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus. *danno la caccia o respingono.* et *Martial.* 3. 82. Cubitisque trudit hinc et inde convivas. — *c*) Cum addito Acc. et præp. *in, ad. Lucret.* 1. 192. venti Quamlibet in partem trudunt res ante ruuntque Impetibus crebris. *Horat. Epod.* 2. 30. Aut trudit acres hinc et hinc multa cane Apros in obstantes plagas. *Tac.* 1. *Ann.* 63. Cohortes fugientium agmine impulsæ trudebantur in paludem, ni etc. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 17. Trudere ad prœlia inertem. — *d*) Mediorum apud Græcos more. *Claudian. de Apono* 13. quacumque cavernas Perforat, offenso truditur igne latex. *spiccia.* ¶ 2. Speciatim cum Abl. termini, unde quis truditur, sine præp., vel cum adverb. est expello, ejicio, *cacciar via o fuori. Plaut. Asin.* 3. 1. 30. Ne ille ecastor hinc trudetur largus lacrimarum foras. *Lucret.* 3. 1014. adverso nixantem trudere monte Saxum, quod tamen a summo jam vertice rursum Volvitur. *Horat. Epod.* 2. 30. trudit acres hinc et hinc - Apros. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 130. tandem ceu funus acerbum Infaustamque suis trusere penatibus umbram. Adde 2. *Laud. Stilich.* 113. ¶ 3. Item edo, emitto, *mandar fuori, mettere*, quum de plantis sermo est. *Virg.* 2. *G.* 31. Truditur e sicco radix oleagina ligno. *et* 74. se medio trudunt de cortice gemmæ. *et* 335. pampinus trudit gemmas et frondes explicat omnes.

II.) Translate. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. *ante med.* Secundæ res lætitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. *Ter. Andr.* 4. 4. 40. Fallacia alia aliam trudit. proverb. *l'un diavolo scaccia l' altro.* et *Cic.* 1. *Att.* 1. 16. *a med.* Nunc est exspectatio comitiorum, in qua omnibus invitis trudit noster Magnus Auli filium. *spinge innanzi.* (Cf. *Inscr.* apud *Orelli n.* 299.) *Id. Harusp. resp.* 28. 61. Unus est inferior gradus, aut interitus aut servitutis, quo ne trudamur, dii immortales nos admonent. *Id.* 1. *Tusc.* 29. *extr.* Socrates quum pæne in manu mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cælum videretur ascendere. *Id. fragm.* apud *Augustin.* 3. *contra Acad.* 7. Voluptatem Epicuri solis inter se pectoribus esse communem, in quorum societatem et hominem et sapientem trudi, nefas esse. *Horat.* 2. *Od.* 18. 15. Truditur dies die. *l' un giorno segue e caccia l' altro o l' un di incalza l' altro.* Sic *Epod.* 17. 25. Urget diem nox et dies noctem. *et Seneca Ep.* 24. Diem nox premit, dies noctem. *Id. Ep.* 41. *in fin.* In vitia alter alterum trudimus. *Tac.* 5. *Hist.* 25. Atrociore Civilis rabie semet in arma trusos. *h. e.* impulsos ad arma capienda. *Petron. Sat.* 82. Quod hodie non est, cras erit. Sic vita truditur. *Ammian.* 14. 10. 31. Rufinus ad discrimen trusus est ultimum.

TRŬELLA. *V.* TRULLA.

TRUGONUS. *V.* TRYGON.

TRŬLĔUM. *V.* TRULLEUM.

TRULLA, æ, f. 1. (deminut. *a* trua) Scribitur *trylla* apud *Ulp. Dig.* 34. 2. 20. *circa med.* in edit. *Torrentini*; et *truella* apud *Scævol. ibid.* 37. — Trulla proprie est parva trua, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 118. *Müll.* Cf. *Schneid.* in *Ind. Scriptt. R. R. p.* 727. et *Her. Spirit.* 1. p. 101. *Forcellino* videtur idem esse ac rudicula aut cochlear aut concha manubriata, ad aliquid excavandum et in aliud vas transmittendum, πτυίδιον (It. *cazzetta, ramaiuolo*; Fr. *vase à puiser, cuillère*; Hisp. *cucharron*; Germ. *e. Kelle*; Angl. *ladle, spoon*). ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 13. Labra olearia, conchas majores duas et minores duas, trullas aheneas tres, amphoras olearias duas. *Colum.* 9. *R. R.* 12. Custos novum loculamentum guttis mellis respersum admoveat; tum manibus aut etiam trulla congregatas apes recondat. ¶ 2. Speciatim, a similitudine, est vasis potorii genus, *tazza, boccale*, τρυβλίον. *Cic.* 6. *Verr.* 27. *a med.* Erat vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata, manubrio aureo. (*trulla* hic est ipsius vasis pars cava.) *et in fin.* Mittit etiam trullam gemmeam rogatum. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 143. Qui Vejentanum festis potare diebus Campana solitus trulla. *h. e.* fictili. *boccalaccio di terra cotta.* Etiam ligneas trullas *Cato R. R.* 13. *in fin.* memorat. *Martial.* 9. 97. Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro: Deprensus dixit, stulte, quid ergo bibis? *Scævola Dig.* 34. 2. 37. Trullæ, scyphi, modioli, phialæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. (20). T. Petronius moriturus invidia Neronis principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam trecentis talentis emptam fregit. In *Suppos. Amph. Plautini, scœna quæ incipit* Quis tam vasto, *v.* 20. In popinam devortundum est mihi: lances detergam omnes omnesque trullas hauriam. *Casaub.* accipit ἀντὶ τ. πᾶσαν ἀρύταιναν, sive trullarum omne genus, ut sit οἰνήρυσις, ἐτνήρυσις, ζωμήρυσις etc. *Inscr.* optimæ notæ apud *Morisan. Inscr. Reg. p.* 266. T. RRVENVS T. F. SABINVS TESTAMENTO LEGAVIT MVNICIPIBVS REGINIS IVL. TRVLLAM ARGENTEAM ANAGLYPTAM P. II. S. *h. e.* pondo II. semis. ¶ 3. Item vas continendo igni. *Liv.* 37. 11. *ad fin.* Contis binis a prora prominentibus, trullis ferreis multum conceptum ignem præ se portabant. *h. e.* ollis concavis in modum rudiculæ aut cochlearii majoris. ¶ 4. Sunt qui lasanum, scaphium significare putent, *il pitale*, vel matellam, *l'orinale*, in illo *Juvenal.* 3. 107. Si bene ructavit, si rectum minxit amicus, Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo. (Aurea ditioribus et delicatioribus aliquando fuisse scaphia, constat ex *Martial.* 1. 38.) *et Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (7). Vasa Corinthia isti elegantiores modo in esculenta transferunt, modo in lucernas aut trullas (*alii* trulleos) nullo munditiarum respectu. Huc pertinere ajunt et locum *Martial.* modo allatum. Cf. *Tertull. Apolog.* 14. Aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva etc. ¶ 5. Item instrumentum, quo structores calcem inducunt parieti (It. *cazzuola*; Fr. *truelle*; Hisp. *cazoleta, llana*; Germ. *die Maurerkelle*; Angl. *a trowel*). *Isid.* 19. *Orig.* 18. 3. Trullæ nomen factum eo quod trudit; idest includit calce vel luto lapides. *Pallad.* 1. *R. R.* 15. Prima trullis frequentetur inductio, quum siccari cœperit, iterum inducatur. *et ibid.* 13. *ad fin.* Impensa pumicea cannam induemus et trulla æquabimus. — Hinc translate *Vulg. interpr. Am.* 7. 7. et *seq.* — Trullæ cæmentarii figuram exhibent nummi gentis Papiæ apud *Riccio, Papia n.* 96. Porro varias trullæ figuras exhibent *Rich* ad *h. v.* et *Guhl* et *Koner n.* 90.

TRULLĔUM, i, n. 2. (trulla) *Trullium* pro *trulleum* est *Caton. R. R.* 10.; et *truleum*, unico *l*, apud *Varron.* 5. *L. L.* 118. *M.* — Etiam *trulleus, i*, masc. gen. legunt *Harduinus* et *Silligius* apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (7).; *truleus*, simplici *l*, est apud *Lucil. Sat.* 15. 17. *Müll.* et etiam *truilus* ex *Caton. Orat.* 50. apud *Fest. p.* 169. 17. *M.*, ubi alii aliter. — Trulleum est vasis genus ad manus perluendas, *bacino, conca*, χέρνιβον. *Varro* 5. *L. L.* 118. *Müll.* Trua, quod travolat ea aqua. Ab eodem est appellatum truleum. Simile enim figura, nisi quod latius concipit aquam et quod manubrium cavum non est. *Id.* apud *Non. p.* 547. 6. *Merc.* Itaque ea sibi modo ponere ac suspendere, quæ utilitas postularet, trulleum, matellionem, pelvim, nassiternam. Adde *Caton. R. R.* 10.

TRULLĔUS. *V.* voc. præced.

TRULLĬO, ōnis, m. 3. (trullium) idem ac trulleum vel parvum trulleum. *Plin. Valer.* 3. 38. Folia herbæ parietariæ conteres diligenter et exprimes colubisque et mittes in trullionem aut acetabulum, sucum, ut bulliat. *Theod. Priscian.* 4. 1. *sub init.* Vinum cum passo Cretico agitatum transcolas in trullionem, sed immittis simul supra memorata de mortario in ipsum trullionem.

TRULLISSĀTĬO (trullizatio), ōnis, f. 3. (trullisso) tectorii inductio: item ipsum tectorium inductum, *intonacatura, incrostatura, rinzaffatura*, κονίασις. *Vitruv.* 7. 3. *ante med.* Parietes quam asperrime trullissentur, postea autem supra, trullissatione subarescente deformentur directiones arenati, *et ibid.* 4. *circa med.* Calce

ex aqua liquida dealbentur, uti trullissationem testaceam non respuant. *et mox.* Trullissationem inducere.

TRULLISSĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRULLISSO (trulliso), as, are, a. 1. (trulla) trulla tectorium induco, *incrostare, intonacare, un muro o lisciarlo con la cazzuola*, κονιάω, κασαχρίω. *Vitruv.* 7. 3. Coronis explicatis, parietes quam asperrime trullissentur. *et mox.* Inferior pars testa cum calce trullissetur. Adde *ibid.* 4. et 5. 10. *Auct. Comp. Vitruv.* 22. Inductio trullissata.

TRULLĪUM. *V.* TRULLEUM.

TRULLIZĀTĪO. *V.* TRULLISSATIO.

TRULLIZO. *V.* TRULLISSO.

TRUNCANS, antis, particip. *V.* TRUNCO.

TRUNCĀTIM, adverb. (truncatus) abrupte, cæsim, carptim, *troncatamente*, κλοβῶς. *Boeth. Arist. Elench. Soph.* 2. 2. p. 747. Quæ subintelligentes proponimus, ut quæcumque non plane sed truncatim interrogantur, propter id accidit redargutio, ut: Putasne quiquid est Atheniensium, possessio est Atheniensium?

TRUNCĀTĪO, ōnis, f. 3. (trunco) amputatio, ἀποκοπή (It. *troncamento*; Fr. *amputation*; Hisp. *amputacion*; Germ. *das verstümmelnde Abhauen*; Angl. *amputation, mutilation*). *Impp. Valentin. et Valens Cod. Theod.* 7. 13. 5. Si quis ad fugienda sacramenta militiæ fuerit inventus truncatione digitorum damnum corporis expedisse et ipse flammis ultricibus concremetur, et dominus ejus, qui non prohibet, gravi condemnatione feriatur. *V.* MURCUS. *Gloss. Gr. Lat.* Ἀκρωτηριασμός, truncacio, mutilacio.

TRUNCĀTUS, a, um, particip. *V.* TRUNCO.

TRUNCĀTUS, us, m. 4. (trunco) idem ac truncatio. *Gloss. Gr. Lat.* Ἀπότμησις, prosecatio, truncatus.

TRUNCĪTO, as, are, n. 1. verbum vocem palumbium exprimens, per onomatopœiam fictum. *Reifferch.* ad *Sueton. reliq.* p. 249. Palumbes truncitant. Aliæ *Gloss. ibid.* habent *truntitant.*

TRUNCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (truncus) Part. *Truncans* I. 2.; *Truncatus* fere in omn. paragr. — Trunco est truncum reddo, obtrunco, amputo, mutilo, scindo, ἀποκόπτω (It. *mozzare, mutilare, scavezzare, troncare*; Fr. *couper par le bout, tronquer, àmputer, trancher*; Hisp. *troncar, cortar, mutilar*; Germ. *stutzen, verstümmeln, beschneiden*; Angl. *to maim, mangle, mutilate, truncate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ovid.* 8. *Met.* 647. truncat olus foliis. *h. e.* inutilibus foliis spoliat. *Lucan.* 6. 566. Truncare caput. *et* 584. cadavera. *tagliare a pezzi. et Tac.* 3. *Hist.* 33. Dum pecuniam sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabatur. *Justin.* 11. 14. *sub fin.* Qui pœnam captivitatis truncata corporis parte tulerant. *Tac.* 1. *Ann.* 17. Quod tricena aut quadragena stipendia, senes et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent. *Stat.* 4. *Theb.* 500. Truncatusque Pelops. *V.* PELOPS in ONOM. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 411. truncatos alii rapuere lacertos, Amputat ille pedes, humerum uatit ille solutis Nexibus. *Sil. It.* 4. 541. frons truncata. *h. e.* altero oculo spoliata. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* Si cædua silva truncetur. ¶ 2. Latiore sensu est occidere. *Val. Flacc.* 6. 567. jam non per curva volantem Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos. *h. e.* in mari glacie concreto sagittis conficientem.

II.) Translate. *Claudian. B. Get.* 88. desertus ab omni Gente sua manibusque redit truncatus et armis. *h. e.* spoliatus militibus et armis. *Id. Gigantomach.* 70. Truncare aquas. *tagliare il corso all'acque. et Stat.* 2. *Silv.* 3. 98. lascivia vires tenuare Thalia Dulce vel heroum gressu truncare tenores. *hoc.* pedes diminuere et pentametrum de hexametro facere, elegos scribere.

TRUNCŪLUS, i, m. 2. *deminut. a* truncus, parvus truncus, *tronconcello. Cels.* 2. 20. et 22. Trunculi suum. *h. e.* frusta extrema membrorum suillorum et præsertim pedum, secta et parata in cibum, ἀκροκώλια, petioli, *peducci, ginocchielli.* V. TRUNCUS, i. Adde 4. 7. *extr.*

TRUNCUS, a, um, adject. (trunco) is, cui aliquid abscissum est, mutilatus, mutilus, truncatus: v. gr. arbor ramis spoliata, corpus abscisso capite, brachio aliove membro, κολοβός (It. *mozzo, troncato, tronco*; Fr. *coupé, mutilé, tronqué*; Hisp. *troncado, mutilado*; Germ. *verstümmelt, gestutzt, vermutzt*; Angl. *maimed, mangled, mutilated*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Virg.* 3. *Æn.* 659. Trunca manu pinus. *Id.* 6. *ibid.* 496. populataque tempora raptis Auribus et truncas inhonesto vulnere nares. *Ovid.* 3. *Met.* 680. truncorepandus in undas Corpore desiluit. *Id.* 9. *ibid.* 1. *de Acheloo in taurum verso et Stat.* 4. *Theb.* 107. et *Sil. It.* 3. 42. Trunca frons. *h. e.* cornu spoliata. *Liv.* 41. 9. Puer trunci corporis in agro Romano natus. *Seneca Œdip.* 1021. Truncum corpus. *h. e.* oculis carens. Eodem sensu *Sil. It.* 9. 399. Trunca frons. *Martial.* 2. 83. Trunci naribus auribusque vultus. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 52. Pelops truncus. *h. e.* humero minor. *Virg.* 11. *Æn.* 9. Tela trunca. *h. e.* fracta. *Stat.* 2. *Theb.* 711. Trunci enses et fractæ hastæ. *Val. Flacc.* 2. 300. Trunca alnus. *h. e.* navis sine clavo et armamentis. *Id.* 6. 251. lignum. *h. e.* hasta fracta et sine cuspide. *Stat.* 4. *Theb.* 455. nemora. *h. e.* arbores decacuminatæ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 11. 10. (50). Varie ex integris truncos gigni, ex truncis integros. *h. e.* aliquo membro carentes aut debiles. *Justin.* 2. 9. *sub fin.* Non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum, veluti rabida fera, dentibus dimicavit. *Gell.* 17. 9. Litteræ truncæ atque mutilæ. *dimezzate, imperfette. et Auct. Ætn.* 404. truncæque ruinæ Provolvunt. *h. e.* fragmenta ruentium rupium. — *b*) Cum Genetivo. *Virg.* 4. *G.* 310. Animalia trunca pedum. *Sil. It.* 10. 311. Truncus capitis.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum *trunca* dicitur ipsa res, quæ abscissa est. *Seneca* 1. *Controv.* 4. Ridebant adulteri truncas viri fortis manus. *Val. Flacc.* 4. 181. hinc trunca rotatis Brachia rapta viris. ¶ 2. In pumilione membra adeo contracta sunt et brevia, ut *trunca* esse videantur. *Propert.* 4. 8. 41. Nanus et ipse suos breviter concretus in artus Jactabat truncas ad cava buxa manus. ¶ 3. Metaphorice. *Liv.* 31. 29. *a med.* Capua, urbs trunca, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Manus vero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest, quot motus habeant. *Cels. præf.* Rerum quoque naturæ sibi cognitionem vindicaverunt, tamquam sine ea trunca et debilis medicina esset. *Stat.* 12. *Theb.* 478. Geticæ non plura queruntur Hospitibus tectis trunco sermone volucres. *con voci inarticolate.* et 5. *ibid.* 333. It truncum sine honore pecus. *h. e.* armentum, cui taurus vir gregis ademptus est. *Gell.* 2. 23. *ad fin.* Versus sunt hi Cæcilii trunca quædam ex Menandro dicentis. *h. e.* fragmenta et mutilas sententias. ¶ 4. Hinc apud rei metricæ Scriptores *trunci* vel mutili dicuntur versus, qui in principio amputantur et litteram vel syllabam amittunt vel tempore deficiunt. Græce dicuntur ἀκέφαλοι, quale est *Fluviorum rex Eridanus.* Ita *Diomed.* 3. p. 500. 5. *Keil.*

TRUNCUS, i, m. 2. Etiam *troncus* pro *truncus* apud *Lucret.* 1. 354., ubi tamen *Lachmann* leg. *truncus.* — Etymon nominis obscurum est. *Döderlein* vocem confert cum τείρω, tero, et cum τράω, perforo. *V.* etiam *Kuhn Zeitsch.* 7. 66. et *Vanicek Griech. Lat. Etym.* p. 300. — Truncus est pars arboris crassior et rectior a radice ad cacumen, ex qua rami exeunt: sive ramos habeat hærentes sive amputatis truncata sit, στέλεχος (It. *fusto, tronco della pianta*; Fr. *tronc d'arbre, tronc, souche*; Hisp. *tronco, cepa*; Germ. der *Stamm ein. Baumes, der Rumpf*; Angl. *the trunk, stock*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Truncis arborum aut admodum firmis ramis abscissis. Adde 4. *ibid.* 17. *Lucret.* 1. 352. cibus in totas (*arbores*) usque ab radicibus imis per truncos ac per ramos diffunditur. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 179. In arboribus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam. *Virg.* 3. *G.* 233. arboris obnixus trunco. et 2. *ibid.* 78. Trunci enodes. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 1. ficulnus. *Ovid.* 8. *Met.* 346. acernus. *Colum. Arbor.* 17. Melius truncis, quam plantis olivetum constituitur. (*plantæ sunt* viviradices.) *Virg.* 11. *Æn.* 83. Indutosque jubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces inimicaque nomina figi. *h. e.* tropæa. — *b*) In illo *Virg. Mor.* 56. Non illi suspensa focum carnaria juxta, Durati sale terga suis truncique vacabant. *trunci* sunt trunculi. *V.* TRUNCULUS.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 83. Stirpes sunt ægritudinis quam multæ, quæ, ipso trunco everso, omnes elidendæ sunt. ¶ 2. Est convicium in hominem stupidum, ut *stipes, caudex. Id.* 1. *Nat. D.* 30. *a med.* Qui potest esse in ejusmodi trunco sapientia? *Id. Pis.* 9. 19. Qui tamquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. ¶ 3. Per synecdochen ipsa arbor. *Val. Flacc.* 8. 461. quum Chaonio radiantia trunco Vellera vexit ovans. ¶ 4. Sumitur et pro ramo, qui e trunco decidit. *Id.* 8. 287. Illi autem intorquent truncis frondentibus undam. *h. e.* ramis majoribus præ festinatione non spoliatis fronde, vice remorum. ¶ 5. Figurate est corpus hominis, non consideratis brachiis, quæ sunt veluti rami. *Cic. Orat.* 18. 60. Status erectus et celsus: nulla mollitia cervicum: trunco magis toto se ipse moderans et virili laterum flexione. *Id. Rosc. Com.* 10. 28. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. *corporatura, statura.* Sic *Ovid. Heroid.* 9. 93. Inque canes totidem trunco digestus ab uno Cerberos. *Id.* 3. *Amor.* 7. 15. Truncus iners jacuit, species et inutile pondus. ¶ 6. Item cadaver præciso capite. *Virg.* 2. *Æn.* 557. Jacet ingens litore truncus. *Lucret.* 3. 655. Et caput abscissum, calido viventeque trunco. Adde *Claudian. III. cons. Honor.* 76. ¶ 7. *Truncus* columnæ est scapus, *fusto. Vitruv.* 4. 1. *circa med.* Trunco toto strias, uti stolarum rugas, matronali more demiserunt. Sic *id.* 3. 3. truncos in stylobatis vocat medias eorum partes seu media corpora exæquata, *il corpo del piedestallo, dado,* non consideratis spiris, coronis etc. Simile est illud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (201). Quæ obeliscum in Vaticano Circo statutum quattuorque truncos lapidis ejusdem, ad sustinendum eum, adduxit. *quattro corpi di sasso.*

TRUNTĪTO. *V.* TRUNCITO.

TRŪO, as, are, a. 1. Ratione habita etymi, recentiores conferunt cum Skr. *dru*, curro, fugio, vel *dhru*, fixus moveor. *V.* TRUA. — Truo est moveor vel trua moveo, misceo, ut *Forcellinus* exponit. *Fest.* apud *Paul. Diac.* p. 9. 12. *Müll.* Truant, moventur. Truam quoque vocant, quo permovent coquentes exta.

TRŪO, ōnis, m. 3. avis eadem, quæ onocrotalus, *onocrotalo, pellicano. Festus* apud *Paul. Diac.* p. 367. 10. *Müll.* V. ONOCROTALUS. — Jocculariter *Cæcilius* (*ibid.*) irridens magnitudinem nasi: Pro dii immortales! unde prorepsit truo? Dicitur enim *truo* supra rostrum nares habere valde prominentes.

TRŪSANS, antis, particip. a *truso*, cujus tamen verbi, quod sciam, unica hæc vox seu forma occurrit, apud *Catull. carm.* 56. 5. Deprendi modo pupulum puellæ Trusantem. *h. e.* puerum irrito conatu stuprum puellæ inferre allaborantem.

TRŪSĀTĪLIS, e, adject. (trudo) qui truditur. Hinc *mola trusatilis*, quæ manu hominis truditur et circumagitur: unde et *manualis* dicitur, *macina da mano*, χειρομύλη. *Cato R. R.* 10. *et* 11. Molas asinarias unas et trusatiles unas, Hispanienses unas. *Gell.* 3. 3. *ad fin.* Quum (*Plautus*) ob quærendum victum, ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset.

TRŪSĪTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* truso, sæpe truso. *Phædr.* 2. 7. Subito latrones ex insidiis advolant Interque cædem ferro mulum trusitant. *h. e.* verberando et vulnerando impellunt. Alii tamen leg. *trudant*, alii *tonsitant.*

TRŪSO. *V.* TRUSANS.

TRŪSUS, a, um, particip. *V.* TRUDO.

TRŪTĪNA, æ, f. 1. τρυτάνη, foramen, intra quod est ligula sive examen in libra et statera, seu foramen anuli, ex quo pendet scapus seu librile seu jugum in statera: ita vero appellatur a τρύω, tero, quia τρύεται τῷ βάρει τῶν ὄγκων. I.) Proprie. *Vet. Schol.* ad *Persii loc. mox citand.* Trutina est foramen, intra quod est ligula, de qua examinatio fit.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice pro ipsa libra aut statera. *Isid.* 10. *Orig.* 267. Trutina, quæ est genuina ponderum lanx. *Vitruv.* 10. 8. Id autem ex trutinis, quæ stateræ dicuntur, licet considerare; quum enim ansa propius caput, unde lancula pendet, uti ad centrum est collocata, et æquipondium in alteram partem scapi etc. *Varro* 5 *L. L.* 183. *Müll.* Per trutinam solvi solitum, vestigium etiam nunc manet in æde Saturni, quod ea etiam nunc propter pensuram, trutinam habet positam. *Id.* apud *Non. p.* 180. 32. *Merc.* Trutina argentaria. — *V.* stateræ et libræ figuram in *Mus. Borbon. T.* 1. *tab.* 55. ibique adnotata. ¶ 2. Metaphorice. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 159. Quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 29. Romani pensantur eadem Scriptores trutina. *Id.* 1. *Sat.* 3. 72. In trutina ponetur eadem. *Juvenal.* 6. 435. Committit vates et comparat: inde Maronem. Atque alia parte in trutina suspendit Homerum. *Pers.* 1. 6. examenve improbum in illa Castiges trutina. *Inscr.* apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *p.* 73. *edit. Mediol.* TT. COCCEII GAA ET PATIENS QVAESTORES III. PROTECTVM ANTE PORTICVM TRVTINAM ET PONDERA D. D. S. POSVERVNT. ¶ 3. De signo cælesti, quod *libra* dicitur, in *Anthol. Lat. n.* 623. *Riese.*

H o m o n y m. Discrimen inter *trutinam* et *stateram* V. sub STATERA.

TRŪTĪNANS, antis, particip. *V.* TRUTINOR.

TRŪTĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (trutino) actus trutinandi, examinatio. Legitur apud *Cassian.* 12. *Collat.* 8. Arbiter justa trutinatione discernet.

TRŪTĪNĀTOR, ōris, m. 3. (trutino) qui trutinat.

I.) Proprie. *Isid.* 10. *Orig.* 267. Trutinator, examinator ex judicii libra perpendens: translatione a trutina, quæ est genuina ponderum lanx.

II.) Metaphorice. *Augustin.* 11. *Civ. D.* 34. Trutinatores elementorum. *Ennod.* 1. *Ep.* 1. Dum sermonum cymbam inter loquelæ scopulos rector diligens frenas et cursum artificem fabricatus trutinator expendis. Adde 2. *Ep.* 19. *Cassiod.* 6. *Variar.* 23. Ut civilia negotia æquus trutinator examines.

TRŪTĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TRŪTĪNO, as, ātum, are, a. 1. (trutina) Etiam *trutinor, aris,* deponentium forma, *V.* infra. — Part. *Trutinans; Trutinatus* et *Trutinandus.* — Trutino est pondero, examino, σταθμάομαι (It. *pesare, esaminare;* Fr. *peser, examiner;* Hisp. *pesar, examinar;* Germ. *abwägen, erwägen, untersuchen;* Angl. *to weigh, ponder*); usurpatur autem in sensum translatum. — *a*) *Trutino,* activa forma. *Hieronym. Ep.* 36. *n.* 14. Sint alii deserti et inflatis buccis spumantia verba trutinent. *Cod.* 12. § 2. de R. C. 4. 1. Æqua lance trutinare litem. *Paulin. Petroc.* 3. 137. nec livor adussit Invidiæ tanti trutinantem pondera facti. — Passive. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in conc. a med.* Statu satis superque trutinato personæ, temporis, provinciæ, civitatis. *Symmach.* 2. *Laud. in Valentin.* (edente iterum *A. Maio*) 5. Nec urbium tuarum fata trutinata sunt. Adde *Ambros.* 9. *Hexaem.* 3. 12. *Cassiod.* 5. *Variar.* 40. Diu trutinandus est, cui traduntur examina. — *b*) *Trutinor,* deponentium forma. *Pers.* 3. 82. Exporrecto trutinantur verba labello. Adde *Hieronym. Ep.* 40. *n.* 2. et 125. *n.* 16.

TRŪTĪNOR. *V.* voc. præced.

TRUTISSO, as, are, n. 1. verbum, hirundinum vocem exprimens, per onomatopœiam factum. *Gloss.* apud *Reiffersch. Sueton. reliq. p.* 248. et *p.* 252. Hirundines trutissant vel trissant. *V.* TRISSITO.

TRŪŪLA. *V.* TRUA.

TRUX, trŭcis, adject. omn. gen. Abl. sing. *truce* et *truci* V. infra. — Volunt alii esse ab *atrox* per aphæresin.; alii a τρύξ, vinum recens et asperum; *Bopp* a Skr. *druh,* lædere, nocere; *Döderlein* contractum a *taurox,* quasi ταυρηδὸν βλέπων. *V.* ATROX. Num ab eadem radice ac *terreo?* — Comp. *Trucior* et Sup. *Trucissimus* agnoscuntur a *Rhemn. Palæm. p.* 1369. *Putsch.* nullo exemplo allato. *Trucior* tamen apud *Ammian.* 25. 1. *a med.* Ut flagitabat major vis et trucior. Alii leg. *atrocior.* Adde *Capell.* 6. *p.* 224. — Trux est qui vultu sævitiam præfert, aspectu terribilis, torvus, truculentus, ἀπηνής, δεινωπός (It. *torvo, truce, terribile;* Fr. *fier, farouche, menaçant, terrible;* Hisp. *fiero, torvo, espantoso, terrible;* Germ. *unfreundlich, finster, grimmig, trotzig, drohend;* Angl. *fierce, stern, grim, terrible*).

I.) Proprie. *Pacuv.* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. *de testudine.* Capite brevi, cervice anguina, aspectu truci. *Cic.* in *Arat.* 2. *Divin.* 42. *de dracone.* E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant. *Lucan.* 7. 291. faciesque truces oculosque minaces. *Horat. Epod.* 5. 3. Quid iste fert tumultus? et quid omnium Vultus in unum me truces? *Sil. It.* 1. 132. Trux os. Adde *Augustin. in Ps.* 96. *n.* 6.

II.) Translate. ¶ 1. Est asper, sævus, ferox, immitis, ferus. — *a*) De voce, sono, *aspro, ruvido, orrido. Horat. Epod.* 2. 5. Neque excitatur classico miles truci. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (88). Truci sono oris. *Seneca Octav.* 400. Truces fremitus tubæ. *Sil. It.* 2. 67. Expavere trucem per vasta silentia vocem. *Tac.* 2. *Hist.* 22. Trux cantus. *Id.* 4. *Ann.* 47. tumultus armorum et cantuum. — *b*) De qualitate aliarum rerum externa, *orrido, minaccevole, raccapricciante, aspro, veemente. Horat.* 1. *Od.* 3. 10. Trux pelagus. *Ovid.* 15. *Met.* 603. Eurus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 36. 36. (100). venti. *Id.* 22. *ibid.* 6. 7. (17). Herbæ aspectu hispidæ, tactu truces. *pungenti. Pallad. De insit.* 155. Trux castanea. *Claudian.* 1. *laud. Stilich.* 229. lucosque vetusta Religione truces. *h. e.* sacrum horrorem incutientes. — *Næv. fragm.* 38. *Ribb.* Trux tolutiloquentia. *Liv.* 29. 19. sententia. *Id.* 34. 5. orator. *Quintil.* 11. 1. 3. Genus dicendi trux atque violentum adhibere. *Tac.* 6. *Ann.* 48. Trux eloquentia. *Id.* 4. *Hist.* 42. oratio. — *c*) De indole, moribus, *fiero, feroce, crudele. Plaut. Bacch.* 5. 2. 29. Truces arietes. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 1. Ira (*genuit*) truces inimicitias et funebre bellum. *Tibull.* 1. 10. 76. Truces feræ. *Ovid.* 7. *Met.* 111. taurus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. 65. Hujuscemodi me aliquid ab hoc horrido ac truce tribuno plebis exspectasse. *Liv.* 3. 54. Trux ingenium. *Id. ibid.* 33. insectator. *Lucan.* 7. 128. et *Stat.* 11. *Theb.* 574. animi. *Auct. argum. Truc. Plaut.* 5. mores. *Seneca Herc. Fur.* 936. Sævi ac truces tyranni. *Id. ibid.* 735. Magna pars regni trucis est ipse dominus. *Id. Œdip.* 479. Truces puellæ. *h. e.* Amazones. *Id. Troad.* 832. Chiron trucis pueri magister. *h. e.* Achillis. *Martial.* 14. 37. Truces blattæ. *h. e.* crudeles et inimicæ librorum. — Cum infinito. *Sil. It.* 13. 220. Trux audere. *h. e.* ferox et temerarius ausis, ut ait *Ovid.* 2. *Art. am.* 83. ¶ 2. Item agrestis, durus, asper et inimicus voluptatum. *Id. ibid.* 477. Blanda truces animos fertur mollisse voluptas. *Propert.* 2. 25. 50. Trux tamen a nobis ante domandus eris. *Martial.* 11. 86. Mella dari nucleosque jubet dulcesque placentas Et quidquid pueros non sinit esse truces. *h. e.* refractarios, asperos.

TRȲALLIS, idis, f. 3. species herbæ verbasci. *Apul. Herb.* 71. Lychnitis sive tryallis, quæ nocturnis luminibus aptatur.

TRYBLĬUM (trublium), ii, n. 2. τρύβλιον, catinus, paropsis, patina. *Plaut. Stich.* 5. 4. 8. Hoc convivium est pro opibus nostris satis commode nucibus, fabulis, ficulis, olea in tryblio etc. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 120. *Müll.* — Etiam *trublium,* Latina consuetudine, in *Gloss. Lat. p.* 286. *n.* 141. *Hild.*

TRYCHNOS, i, f. 2. τρύχνος, quæ et *strychnos,* herba duorum generum, quorum alterum Latine vesicaria dicitur, acinis coccineis, granosis folliculis etc. V. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (177). *V.* SOLANUM.

TRYCHNUM, i, n. 2. idem ac trychnos. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 52. (89).

TRȲGĒTUS, i, m. 2. τρυγητός, vindemiæ tempus sive ipsa vindemia: a τρυγάω, uvas carpo. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 366. 12. *Müll.* V. TRYX.

TRȲGĬNON, i, n. 2. τρύγινον, sc. χρῶμα, genus atramenti e vinaceis facti: a τρύξ, υγός, vini fæces. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (42). Est autem vox adjectiva, et *atramentum* subauditur.

TRȲGŌDES, is, n. 3. τρυγῶδες, collyrii cujusdam nomen: a τρύξ, υγός, fæx, hinc τρυγώδης, fæculentus. *Cels.* 6. 6. *n.* 8. Euelpides autem, qui ætate nostra maximus fuit ocularius medicus, utebatur eo (*collyrio*), quod ipse composuerat: trygodes nominabat. Alii minus recte *trigodes* legunt.

TRȲGON, ōnis, m. 3. τρυγών, όνος. ¶ 1. Est piscis marinus, alio nomine pastinaca (*Raja Pastinaca* Linn.), ita dictus a stridore, quem edit: τρύζω enim vel τρίζω est strido, cujus radix τριγ, unde τρυγών. *Auson. epist.* 4. 60. letalis trygon mollesque platessæ. *letalis* dicitur, quia letalia vulnera infligit. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 48. 72. (155). *Marcell. Empir c.* 15. *p.* 106. *retro.* Acu ossea, id est spiculo trygonis, quæ pastinaca dicitur, strumam sæpius punge, statim arescit. *V.* PASTINACA. ¶ 2. *Trygon* dicitur etiam avis quædam solo hoc nomine nota, quæ ex turturum genere fuisse videtur. Ejus meminit *Plin.* 10. *Hist. nat.* 16. 18. (38). Is tradit noctuam, bubonem, picum arbores cavantem, trygonem, cornicem, a cauda de ovo exire. Alii perperam leg. *picum, arbores cavantem trogonem,* ita ut *trogonem* sit a τρώγων, arrodens. *Sillig.* et *Jan.* leg. *trygonam.* Cfr. *Trugonus* apud *Plaut. Capt.* 4. 2. 71.

TRȲGŌNA, æ, f. 1. *V.* voc. præc. in fin.

TRYLLA. *V.* TRULLA.

TRYX, ȳgis, f. 3. τρύξ, mustum. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 366. 12. *Müll.* Tryga antiqui vinum appellabant, unde trygetus adhuc dicitur. *V.* TRUX.

TRYXĀLIS. *V.* TROXALLIS.

# TU

TŪ (Græce τυ, Dorice pro συ, Germ. *du*), cujus casus obliqui sunt *tui tĭbi, tē,* et in plur. num. *vos, vestrum* vel *vestri, vobis.* — 1.°) In sing. num. — *a*) *Tis* pro *tui* olim, ut *mis* pro *mei* et *sis* pro *sui. Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 42. Quia tis egeat, quia te careat. Adde *Trin.* 2. 6. 62. (V. *Ritsch.* ad *h. l.* et in *Prol.* ad *Plaut. p.* LXXXVI.) Cf. *Inscr.* apud *Marini Inscr. Alb. p.* 127. et *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 595. et in *Donat. p.* 410. 36. et 436. 5. *K. Charis. p.* 145. et *p.* 161. *ibid.* hanc flexionem exhibet: tu tui vel tis tibi te tu a te. — *Tu* pro *tui,* ut Gr. τοῦ (σοῦ) apud *Cass. Fel.* 42. *p.* 96. 16. — *b*) *Tibe* pro *tibi.* V. SIBE. Hinc *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* Nunc cursu lampada tibe trado. Alii tamen leg. *tibi. Inscr.* P. Scipionis, Africani majoris filii, apud *Visconti Mon. Scip. litt.* G. QVIBVS SEI IN LONGA LICVISSET TIBE VTIER VITA etc. V. *alias* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 33. 5. et 9. 6086. — Item *tibei* pro *tibi* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 542. et 1453. *Vel. Long. Orth. p.* 2235. *Putsch.* Audimus quosdam plena omni syllaba q u o i et t i b e i pro cui et t i b i, quod multo vitiosius est etc. — Item *tivi* pro *tibi,* ex usitata litt. *b* et *v* permutatione, aliquando in antiq. MSS. Codd. V. *Lachm.* ad *Caji Instit. præf. p.* XLII. Sic *voviscum* in *Bullett. dell'Ist. arch. a.* 1861. *p.* 34. — *c*) *Ted* pro *te,* sequente vocali, fere usurpatum esse a veteribus,

monent *Charis.* 1. p. 87. et *Diomed.* 2. p. 436. *Putsch.*, ut apud *Plaut. Curc.* 1. 1. 1. et *Asin.* 2. 2. 33. Cf. litt. D. — d) *Tete*, geminatum in acc. et abl., utraque syllaba producta usurpandum esse docet *Priscian.* 12. p. 947. *Putsch.*, ut apud *Hygin. fab.* 221. Cf. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 63. Sic *meme, sese.* V. — e) *Tequom* pro *tecum*, ut *mequom*, apud *Scaur.* p. 2262. *Putsch.* — *Tecu* pro *tecum* in *Inscr.* apud *Lupi* p. 173. — f) *Tutine* pro *tute ne* apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 19. Alii *tutin* vel *tuten.* — 2.°) In genet. plur. num. *vestrum* (*vostrum*) est syncop. pro *vestrorum* (vostrorum) et *vestrarum* (vostrarum); aliquando tamen formæ longiores usurpantur, ut *vestrorum* pro *vestrum* apud *Plaut. Most.* 1. 3. 123. Sic *vestrarum* pro *vestrum* apud *Ter. Heaut.* 2. 4. 6. — Altera forma *vestri* (*vostri*) proprie est genet. sing. neutr.; quomodo vero ab altera differat, *V.* infra. — 3.°) Ad quantitatem quod attinet, ultima in *tibi* brevis est; sed aliquando producitur, maxime si pronomen repetatur. *Enn. fragm.* 24. v. 362. *Ribb.* Ut tibi Titanis Trivia dederit stirpem liberam. *Ter. Heaut.* 5. 2. 24. Nec tibi nec tibi: nec vos est æquom quod facio nihi. Videtur itaque esse communis, ut in *mihi* (V. EGO) et in *sibi* (V. SUI). — Ceterum *tibi* apud *Plaut.* pluribus locis modo monosyllabon est, modo totum eliditur, modo cum accentu in prima profertur: ut monent ii, qui de prosodia Plautina disserunt. — 4.°) Denique, quod ad etymon spectat, unum idemque est cum Skr. *tu* vel *tva.* Cf. Doricum τυ, cujus τ fit σ in συ et occurrit in terminatione pers. sec. verborum, ut in Skr. *as-si* (*asi*) et Lat. *es, laudas* etc. *V.* EGO. — Tu est igitur pronomen secundæ personæ, utriusque generis, σύ (It. *tu*; Fr. *tu*; Hisp. *tu*; Germ. *du*; Angl. *tou*). Usurpatur autem sine additis, et etiam cum additis.

I.) Sine additis. — 1.°) In sing. numero. — a) Nom. *tu* usurpatur, quoties persona, qua de agitur, præcipue notatur aut ad majorem vim vel emphasim significandam, aut ad personas distinguendas sibique opponendas, aut quoties verbum deest. *Enn. Ann.* 100. *Vahl.* Nec pol homo quisquam faciet hoc nisi tu. (Cf. *Virg.* 9. *Æn.* 422.) *Id. ibid.* 6. Unus erit quem tu tolles in cærula cæli Templa. *Plaut. Stich.* 5. 4. 49. Ego tu sum, tu es ego: uni animi sumus. *Id. Bacch.* 5. 2. 37. Tu tuum facito, ego meum. *Ter. Andr.* 2. 1. 10. Tu si hic sis, aliter sentias. *Id. ibid.* 3. 2. 55. Propera tu, mea Canthara, curre. *Id. Eun.* 4. 3. 22. Tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem. *Cic. Fat.* 2. 3. Non tu quidem, ut spero, reliquisti. *Sall.* 4. *Hist.* 61. *D.* Si tu Armenia, nos Mesopotamia etc. *Virg.* 1. *Ecl.* 4. nos patriam fugimus: tu lentus in umbra. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 6. Tu nidum servas, ego laudo ruris amœni Rivos. *Id.* 1. *Od.* 9. 15. nec dulces amores Sperne puer, neque tu choreas. *Id.* 2. *Sat.* 2. 20. Tu quære-sudando. *Id.* 1. *Ep.* 18. 44. tu cede imperiis. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 25. Tu cave, defendas. *Juvenal.* 2. 61. Tu nube atque tace. *Plin.* 1. *Ep.* 22. 12. Tu scribe. *Vellej.* 2. 66. 4. Rapuisti tu Ciceroni lucem sollicitam. *Plaut. Cas.* 3. 5. 18. Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu. *vipera che tu sei.* Sic *Pers.* 2. 4. 7. Nescio, inquam, ulmitriba tu. — Eleganter bis terve repetitur. *Plaut. Merc.* 4. 2. 98. Tu, tu istic, inquam, vin afferri noctuam, Quæ tu tu usque dicat tibi? nam nos jam defessi sumus. *Cic. Rabir. perd.* 4. 13. Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cujusquam denique hominis popularis mentionem facis? *Catull.* 68. 21. Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater. *Phædr.* 3. 8. *extr.* quotidie speculo vos uti volo: Tu, formam ne corrumpas nequitiæ malis: Tu, faciem ut istam moribus vincas bonis. — b) Genet. *tui.* *Plaut. Bacch.* 3. 1. 12. Neque mei neque tui puditum est. *Id. Pseud.* 1. 1. 3. Duorum labori parsissem lubens: mei te rogandi, tui respondendi mihi. *Ter. Eun.* 4. 7. 32. Miseret tui me. — Cum gerund. *Ovid. Heroid.* 20. 74. Copia placandæ sit modo parva tui. Alii leg. *placandi*, quamvis de femina sermo sit (ut et in illo *Plaut. Truc.* 2. 4. 19.). Quando tui videndi est copia. *Sciopp.* in *Min. Sanct.* l. 3. c. 8. *ad fin.* improbat cum *Heins.* illud *placandæ*: at *Perizon.* probat.) — c) Dat. *tibi.* *Eun. fragm.* 265. Quam tibi orationem dedit. *Plaut. Amph.* 3. 2. 46. Tibi habeas res tuas, reddas meas. *Sil. It.* 15. 185. Evastanda tibi tellus etc. — *Tibi* aliquando est in usum vel commodum tuum. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 8. At illud quod tibi abstuleras, cedo! *Id. Merc.* 1. 1. 71. Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis. — Interdum *tibi*, ut *mihi*, in oratione abundat quidem, sed eleganti ornatu: dativum ethicum recentiores vocant. *Id. Mil. glor.* 1. 1. 61. Hicine Achilles est, inquit, tibi? Adde *Amph.* 3. 2. 26. *Ter. Heaut.* 4. 6. 16. Scin ubi nunc sit tibi tua Bacchis? *Cic.* 2. *Orat.* 22. 94. Ecce tibi exortus est Isocrates. *Id. Sext.* 41. 89. Ecce tibi consul. Adde 2. *Att.* 15. *Id. Rosc. Am.* 46. 233. Alter tibi descendit de palatio et ædibus suis: habet animi relaxandi causa rus amœnum. *Sil. It.* 13. 854. hic Marius veniet tibi origine parva In longum imperium consul. — d) Acc. *te* absolute aut cum præp. *Plaut. Men.* 5. 1. 45. Ego te simitu novi cum Parthaone. *Ter. Phorm.* 4. 3. 34. Quis te istæc jussit loqui? Adde *Cic.* 2. *Fam.* 1. aliosq. passim. *Inscr.* apud *Orelli* n. 4756. MATER TVA ROGAT TE VT ME AD TE RECIPIAS VALE. — *Ted* pro *te* ante vocalem apud antiquiores. *V.* init. *Enn. fragm.* 142. Ted exposco. *Id. ibid.* 293. Ted ipsum. *Pacuv. fragm.* 248. Ut illum ted erga scio. *Plaut. Asin.* 2. 2. 33. Quod pondo ted esse censes nudum? — *Tete* geminatum apud *Catull.* 101. 5. Quando quidem fortuna mihi tete abstulit ipsum. *V.* init. et infra. — *Tecum* pro *te*, ut *mecum* pro *me*, accusandi casu, *V.* infra. — e) Abl. *te* absolute aut cum præp. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 42. Quia tis egeat, quia te careat. *Ter. Heaut.* 1. 1. 31. Quid de te tantum meruisti. *Virg.* 5. *Æn.* 846. pro te tua munera obibo. *Cic. Vatin.* 14. 34. Quæro ex te, Vatini. *V.* alibi aliosq. passim. — *Abs te*, tuus, te auctore, ex te, qui a te mittitur. *Id.* 2. *Att.* 1. Venit mihi obviam tuus puer: is mihi litteras abs te reddidit. Cf. *Plaut. Trin.* 1. 2. 145. A me argentum dedi. *h. e.* de meo. — *Tete* geminatum *V.* init. et infra. — *Tecum* pro *cum te* V. infra. — 2.°) In plur. numero. — a) Nom. et acc. *vos.* *Enn. Ann.* 4. 11. Vos animos geritis muliebres. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. *a med.* Quid vos hanc miseram et tenuem sectamini prædam? *Horat.* 2. *Sat.* 3. 174. Extimui, ne vos ageret vesania discors. *Id.* 3. *Od.* 14. 10. vos, o pueri et puellæ. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 66. Ego reges ejeci: vos tyrannos introducitis etc. — Cum præp. *Plaut. Capt.* 3. 5. 18. nomina Inter vos permutastis. — *Vos* cum collectivis nominibus singularis numeri. *Liv.* 7. 40. *a med.* Vos, Romanus exercitus. *Sil. It.* 3. 287. Vos, Gætulia sueta etc. Alii leg. *Gætule suete.* Simile est illud *Cic. Orat.* 3. 11. Vos vero, inquam, Attice, et præsentem me cura levatis. et 2. *Orat.* 73. 295. Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? An hæc contemnitis? *Virg.* 9. *Æn.* 525. Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti. nam *Calliope* omnes Musas involvit: *h. e.* tu, Calliope, et sorores tuæ. Sic *Sil. It.* 12. 390. Sed vos, Calliope, nostro donate labori. — b) Genet. *vestri.* *Ter. Andr.* 4. 4. 24. DA. Cujum puerum hic apposuisti? MY. Vestri. DA. cujus, vestri? MY. Pamphili. — Ceterum Genetivus plur. duplex est: *vestrum*, quod ponitur fere post adjectiva partitionis aut his similia, aut etiam post substantiva: et *vestri*, quod post verba aut substantiva verborum vicem præstantia, aut adjectiva non partitiva. *Cic.* 3. *Verr. init.* Neminem vestrum ignorare arbitror, judices. *Id.* 5. *Phil.* 1. 1. Unusquisque vestrum. *Plaut. Men.* 5. 9. 58. vestrum patri quot filii eratis? *Sall. Cat.* 33. Majores vestrum. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 21. 55. Frequentia vestrum. *Id.* 5. *Phil.* 1. 2. Consensus vestrum. *Id.* 2. *Cat.* 12. 27. Urbis salutem omniumque vestrum. — In illo *Plaut. Rud.* 4. 4. 100. O mei parentes, huc opesque spesque vostrum cognoscendum condidi. *vostrum* pro *vos.* — Cum nominib. collectivis sing. num. *Cic. Dom.* 31. 83. Sed si patrem tuum, civem-egregium, dissimilem vestri, nemo umquam sanus exsulem appellavit. Adde 2. *Orat.* 73. 295. *V.* adnot. in v. EGO sub *A* 2.° *g.* — *Vestrorum* pro *vestrum* est *Plauti Most.* 1. 3. 123. Maxima pars vestrorum intelligit. — c) Dat. et Abl. *vobis.* *Cic. Mur.* 1. 1. Ut ea res vobis populoque R. pacem afferat. — Cum nominib. collectivis sing. num. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. *a med.* Tabellarii a vobis venerunt. *h. e.* a te, Cæsare et ab aliis, qui istic estis. *Ter. Andr.* 4. 4. 15. Unde est? dic clare, MY. a vobis. *h. e.* a te et hero tuo, a domo vestra. — *Vobiscum* pro *cum vobis* V. infra.

II.) Cum additis. — a) *Tu* jungitur aliis pronominibus. *Val. Flacc.* 2. 485. tuque ille ades auguriis promisse et sorte deorum. *Cic.* 2. *Fam.* 6. Tui unius studio. (Cf. *Marcell.* 7. 22. Ex unius tui vita. Alii leg. *tua.*) — b) *Tu* cum particula *ne*, quæ interrogationi inservit: hinc *tune* vel *tun* per apocop., *tene* vel *ten* etc. *Plaut. Capt.* 3. 4. 39. AR. Tun te Philocratem esse ais? TY. Ajo ego, inquam. AR. Tune huic credis? *Id. Men.* 5. 9. 20. Tun meo patre es prognatus? *Ter. Heaut.* 5. 1. 48. tene istuc loqui? *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. Tune id veritus es, ne ego etc. *e vero che tu.* et *Pers.* 1. 22. Tun, vetule, auriculis alienis colligis escas? *Cic. Rabir. perd.* 4. 11. Tune-an ego? *Ter. Eun.* 1. 2. 6. et *Titin. fragm.* 81. Tibin. *Sall.* 1. *Hist.* 48. *D.* Tibine egestas civium et luctus curæ sunt? — *Mar. Victorin.* 1. 4. 87. p. 22. 8. *Keil.* Eliduntur vocales singulæ, quum duæ concurrerunt, ut: *Ten, inquit, miserande puer.* Non *tene.* — c) Interdum syllabicas adjectiones *te* et *met* admittit, quæ in designando majorem vim addunt. *V.* TE et MET. *Ter. Phorm.* 2. 2. 4. Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum. *h. e.* tu ipse, non alius. *Enn.* apud *Priscian.* 12. p. 947. *Putsch.* O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti? *Sall. Jug.* 102. Tute scis. *Cic.* 4. *Verr.* 55. 137. Hoc tute fatebere. Cf. 2. *Tusc.* 26. 63. Tibi si recta probanti placebis, tum tete viceris. Adde 1. *Fam.* 8. et 1. *Att.* 19. — *Tutemet* dicitur rectius quam *tumet.* (V. *Priscian.* p. 12. 23. *K.*) *Lucret.* 4. 913. (et *Ter. Heaut.* 2. 3. 133.) Tutemet in culpa quum sis, ne cernere possis. *Aliqui leg.* Tutimet; sed *tutemet* est etiam *ibid.* 1. 102. Tamen etiam *tumet* est apud *Jul. Val.* 2. 1. et *Diomed.* p. 332. 11. *K.* — *Met* jungitur et obliquis, ut docet *Priscian.* 12. p. 947. *Putsch.* *Priscian.* p. 11. 23. *K.* Tuimet. *Seneca Hippol.* 122. Tibimet ipse supplicia irroga. *Plaut. Capt.* 3. 5. 18. Ita vosmet ajebatis. — Additur et *ipse* ad majorem vim. *Ter. Andr.* 1. 1. 124. Tute ipse his rebus finem præscripsti. *Cic.* 1. *Rep.* 38. 59. Utere argumento tute ipse sensus tui. *Vulg. interpr. Exod.* 32. 13. Quibus jurasti per temetipsum. — *Plaut. Most.* 1. 2. 13. Vosmet ipsi haud aliter id dicetis. *Liv.* 3. 56. A cujus crudelitate vosmet ipsi armis vindicastis. Adde 34. 17. — d) Aliquando *te* et *vobis* conjunguntur cum præp. *cum*, quæ postponitur, fitque *tecum, vobiscum.* *Plaut. Capt.* 5. 1. 10. Tecum servavi fidem. *Nepos Themist.* 9. *extr.* De quibus tecum loqui volo. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 33. Sum stulta multum, quæ vobiscum fabuler. *V.* EGO sub *B* et CUM præpos. — Cum verbis orandi aliquando *tecum* pro *te* ponitur. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 90. Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum regas. et 3. 6. 25. Tecum orarem, ut faceres etc. *Id. Rud.* 3. 4. 68. Tecum oro, senex, ut illas serves. *Enn.* apud *Fest.* in *Orare* p. 198. 28. *Müll.* Quod tecum precibus pater orat. Alii *te cum* divisim. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 64. Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres. *Titin.* apud *Non.* p. 111. 10. *Merc.* Nunc tecum obsecro, ut mihi subvenias. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Quæso tecum, degrediare paullisper etc. — e) *Et tu*, formula elliptica usitata in titulis sepulcralibus, addito aliquando *viator* et etiam *vale*: prætereuntes enim solebant mortuis dicere *vale*; quibus ipsi finguntur respondere: *et tu*, scil. *viator, vale.* Cf. formulam καὶ σύ eod. sensu apud Græcos, in

*Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 552. et apud *Orelli n.* 4753. plurimisq. aliis apud *Hutman Miscell. epigr. p.* 465. et *seqq.* et *Labus Mon. Bresc. p.* 92. et *seqq.* — Sic *te in pace* vel *pax tecum* in titulis Christianis, apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1973. *p.* 51. et *seqq.* et *a.* 1875. *p.* 63.

Homonym. Genetivi *vestrum* et *vestri* hoc differunt, quod *nostrum* et *nostri*. V. EGO.

TŬĀTIM, adverb. (tuus) tuo more. *Plaut. Amph.* 2. 1. 4. Eccere, jam tuatim Facis, ut tuis nulla apud te sit fides. Adde *Diomed.* 1. *p.* 398. *Putsch., Donat. p.* 385. 15. *Keil., Cledon. p.* 62. 23. *ib.* et *Asp. p.* 552. 15. *ib.* V. NOSTRATIM.

TŬBA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, *Isid.* 18. *Orig.* 4. 3. « Tuba autem dicta, quasi *tofa*, id est *cava*. Item *tuba*, quasi *tibia* ». Recentiores vocem ajunt probabiliter esse a rad. Skr. *tub*, tubus. — Tuba duo præcipue significat.

*A) Tuba* est fistula in machina, quæ in altum extollit aquam. *Vitruv.* 10. 7. Fistula, quæ tuba dicitur.

*B) Tuba* fere est instrumentum musicum ex ære (unde *aeneatores* tubicines dicti) aliove metallo, flatu sonum edens, σάλπιγξ (It. *tromba, trombetta, tuba;* Fr. *trompette, trompe;* Hisp. *trompeta, trompa;* Germ. *die Tuba, Trompete;* Angl. *a trump, trumpet*). Inventum fuisse a Tyrrhenis, et quidem a Pisæo Tyrrheno, filio Herculis, *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201)., *Sil. It.* 5. 12. et *Hygin. fab.* 274. tradunt. Hic enim primus dicitur concha pertusa bucinasse: cujus instar postea aenea tuba facta sit. Unde *Tyrrhenus clangor* apud *Virg.* 8. *Æn.* 526. Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor. *Stat.* 3. *Theb.* 651. Et tua non umquam Tyrrhenus tempora circum Clangor eat. *Sil. It.* 2. 19. strepere omnia, clamat, Tyrrhenæ clangore tubæ. Cf. *Cerda* ad *Virg.* 8. *Æn.* 526. (ubi *Tyrrhenæ* alii aliter interpret.) et *Diodor.* 5. 40. — Docent *Gell.* 5. 8. et ex eo *Macrob.* 6. *Saturn.* 8. curvam fuisse in modum litui. Unde *Lucan.* 1. 431. quos ære recurvo Stridentes acuere tubæ. Veri tamen valde simile est et rectas tubas fuisse, ut hodieque: certe *Vegetii* tempore tuba recta fuit, ut ipse tradit 3. *Milit.* 5. Quare differt a bucina et cornu, quæ semper curva. A tibia vero et magnitudine, quia tibia minor; et materia, quia tibiæ fere ligneæ; et forma, quia tibiæ rectæ et multis foraminibus instructæ ad varietatem sonorum; denique sono ipso, qui in tibia suavis, in tuba asper et fractus, ut sequentia exempla comprobant. Hinc ei *clangor* tribuitur: quæ vox et ipsa asperitatem sonat.

I.) Proprie. *Enn.* apud *Priscian.* 8. *p.* 842. *Putsch.* At tuba terribili sonitu tarantara dixit. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Tubæ sonus. *Virg.* 4. *G.* 72. vox Auditur fractos sonitus imitata tubarum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (269). Tubarum raucitas. *Virg.* 9. *Æn.* 563. At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit. *Petron. Sat.* 124. Intremuere tubæ, *sc.* ob tremulum tubæ sonitum; sed alii aliter leg. *Capell.* 5. *p.* 136. Interea sonuere tubæ raucusque per æthram Cantus etc. *Boeth.* 1. *Music.* 1. In bellum pugnantium animos tubarum carmine accendi. Sic *Capell.* 9. *p.* 313. Tubas non solum sonipedes atque bella sed agonas acuere. *Vulg. interpr. Ps.* 40. 6. Tubæ vox. — Usus tubæ præcipuus fuit in castris ad ciendum militem ad munia sua, ut ait *Tac.* 2. *Hist.*, 29., et præsertim accendendis animis in pugnam: item ad alia, ut ex subjectis exemplis apparet. *Cæs.* 3. *B. C.* 46. Tuba signum dari atque in hostes impetum fieri jussit. *Nepos Chabr.* 1. Suos jam incurrentes tuba revocavit. *Liv.* 29. 27. Exta in mare porricit tubaque signum dedit proficiscendi. *Flor.* 2. 16. *a med.* Civitas direpta primum, deinde tuba præcinente deleta est, *a suon di tromba*. et *Lucan.* 2. 690. tuba præmonitos perducat ad æquora nautas. Hinc *Auct. B. G.* 8. 20. *extr.* Concilio repente cantu tubarum convocato etc. *Sueton. Ner.* 19. Isthmum perfodere aggressus, prætorianos ad incohandum opus cohortatus est, tubaque signo dato, primus rastello humum effodit. *Val. Flacc.* 3. 84. *de Marte.* ingentes animæ clamorque tubæque Sanguineæ juvere deum. *Lucan.* 4. 750. sonipes motus clangore tubarum. *Id.* 6. 130. cecinere tubæ. - pavor confecerat hostes. *Id.* 1. 578. insonuere tubæ - cohortes Miscentur. *Tac.* 1. *Ann.* 68. Datur cohortibus signum cornuaque et tubæ concinuere. *Seneca Octav.* 400. Non bella norat, non tubæ fremitus truces. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 145. inflare moraris Tartaream, Bellona, tubam. — Sunt qui docent, tubam habuisse locum initio prœlii solummodo: aliis temporibus bucinam, lituos, cornu. *Lucan.* 7. 475. tunc stridulus aer Elisus lituis conceptaque classica cornu, Tunc ausæ dare signa tubæ. *h. e.* lituis primum et cornibus vocatus miles in aciem: deinde tuba immissus in hostes. V. *Isid.* 18. *Orig.* 4. 4. Sed hæc vera non sunt: illud verius, lituos, cornua, bucinam, tubam sæpe a scriptoribus, præsertim poetis, promiscue usurpari. — Equitum proprium fuisse lituum, peditum vero tubam, docet *Acron* ad *Horat.* 1. *Od.* 1. 23. Lituus equitum est et incurvus; tuba vero peditum et directa. *Inscr.* apud *Donat.* 273. 6. P. AELIVS AVITVS TVBICEN EQ. SING. AVG. TVRMA AELII LVCANI. At contra *Sall. Jug.* 104. Cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes signa canere jubet Marius. — Adhibebatur tuba et in funeribus atque exsequiis. *Virg.* 11. *Æn.* 191. Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma: It cælo clamorque virum clangorque tubarum. *Ovid. Heroid.* 12. 140. Carmina funerea flebiliora tuba. *Pers.* 3. 103. Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto Compositus lecto etc. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 6. 43. et *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 6. Docet autem *Gell.* 20. 2. ex *Attejo Capitone*, siticines dictos, qui tuba canebant in exsequiis: eosque proprium genus tubæ habuisse a ceteris distinctum. — Item in ludis, etiam scænicis, et in sacris et pompis sacrorum. *Varro* 6. *L. L.* 14. *Müll.* Tubulustrium appellatur, quod ex eo die sacrorum tubæ lustrantur. *Juvenal.* 6. 249. Floralis tuba. *h. e.* in ludis Floralibus adhibita. *Virg.* 5. *Æn.* 113. Et tuba commissos medio canit aggere ludos. *Ovid.* 1. *Fast.* 716. Canteturque fera nil, nisi pompa, tuba. *Calpurn. Ecl.* 1. 67. jussitque silentibus armis, Inter sacra tubas, non inter bella, sonare. Adde *Juvenal.* 10. 214. et *Stat.* 3. *Silv.* 1. 139.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorice. *Cic.* 6. *Fam.* 12. *ante med.* Quem illi appellant tubam belli civilis. *h. e.* auctorem, concitatorem. *Juvenal.* 15. 51. sed jurgia prima sonare Incipiunt animis ardentibus. hæc tuba rixæ. Dein clamore pari concurritur. — *Tuba* tribuitur etiam ventis ad exprimendum eorum flatum simul et sonitum, sicut vicissim tubis et tibiis ventus. *Claudian. Gigantomach.* 60. Jam tuba nimborum sonuit. *h. e.* sonitus tonitruum, procellæ etc. Sic *Auct. De duod. vent.* 22. *Wernsd.* Solis ad occasum flores Zephyri tuba servat. ¶ 2. Metonymice est belli signum et ipsum bellum. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 64. neu fœdera fratrum Civili converte tuba. *Id.* 1. *Laud. Stilich.* 246. Post domitas Arctos alio prorumpit ab axe Tempestas... Australis sonuit tuba. *et* 192. Ante tubam nobis audax Germania servit. *h. e.* ante prœlium: vel antequam bellum indicamus. *Martial. Spectac.* 28. Et freta navali sollicitare tuba. ¶ 3. De carmine epico, gravi, altisono. *Id.* 8. 3. *in fin.* Augusta cantare licet videaris avena, Dum tua multorum vincat avena tubas. *et* 56. Ingenium sacri miraris abesse Maronis, Nec quemquam tanta bella sonare tuba. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 297. Talem nulla refert antiquis pagina libris, Nec Latiæ cecinere tubæ nec Græca vetustas. Adde *Martial.* 10. 64. et 11. 3. ¶ 4. Item de grandiloquentia universim usurparunt *Prudent.* 2. *contra Symmach.* 68. et *Sidon.* 4. *Ep.* 3. *ad fin.* Cf. *Fronton.* ad *M. Cæs.* 3. 16. Oratorum veterum aut pauci aut præter Catonem aut Gracchum, nemo tubam inflat, omnes autem mugiunt vel stridunt potius. *et Capell.* 5. *p.* 187. rhetorum sacrûm tuba, Clangore verso Tulliana percrepans. ¶ 5. Improprie a *Fest.* in *Secespitam p.* 348. 19. *Müll.* dicuntur tubæ foramina, in reticulo aeneo, per quæ manibus sacra tangere licet in sacrariis templorum reposita, ut in templo Bonæ deæ.

Homonym. Discrimen inter *tubam, tibiam, cornu* et *bucinam* V. sub *B* init. et in BUCINA. — Item discrimen inter *tubam* et *lituum* V. sub *B* I. et in LITUUS. — Promiscue tamen sæpe usurpantur. V. *ibid.*

TŬBĀRĬUS, ii, m. 2. (tuba) qui tubas facit, σαλπιγγοποιός. *Aurel. Arcad. Dig.* 50. 6. 6. Tubarii, cornuarii, arcuarii. Legitur et in *Not. Tir. p.* 173.

TŪBER, ĕris, 3. Sunt qui *tubur, uris*, pro *tuber* leg. apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 14. (48). et 17. *ibid.* 10. 14. (75). *Sillig.* tuber. ¶ 1. Masc. et fem. gen., est fructus arboris cognominis, Italice *azzeruola* et *lazzeruola*, ut *Forcellino* videtur: fortasse a *tubus*, quia teres est. Inter malorum genera ita recenset *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 14. (24.). Peregrina sunt zizypha et tuberes, quæ et ipsa non pridem venere in Italiam: hæ ex Africa; illa ex Syria. Sex. Papinius, quem consulem vidimus (*h. e.* ann. a Chr. n. XXXVI.), primus utraque attulit. *et mox.* Tuberum duo genera: candidum et a colore syricum dictum. *Harduinus* esse ait quæ vulgo *nucipersica*, Gallice *pêches-noix*, dicuntur (cui, dubii tamen, suffragantur *Klotz* et *Georges*); contra *Brotier* suspicatur esse persica odorata: *le brugnon musque:* sed uterque falli videtur ex eo quod *Pallad. loc. cit.* primum *nucleos* tuberum, dein *grana pomis decussa* memorat. V. *Schneid. Sueton. Domit.* 16. Pridie quam periret, oblatos tuberes servari jussit in crastinum. Perperam *Del Rosso* vertit *tartuffi*. *Martial.* 13. 42. Non tibi de Libycis tuberes et apyrina ramis: De Nomentanis sed damus arboribus. *et ibid.* 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis Et vernæ tuberes. Quid tibi cum Libycis? ¶ 2. Femin. gen., de ipsa arbore, quam Itali *azzeruolo* vocant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 42. (103). Ex his, quæ hieme aquila exoriente concipiunt, floret prima omnium amygdala: ab ea proxime armeniaca: dein tuberes. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Surculi, qui primi florem afferunt, inserendi sunt, ut cerasorum, tuberum, amygdalarum. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. *ad fin.* Hoc mense (*Jan.*) tuberes inseruntur cydoneo. *Vet.* interpres Italus: *Di questo mese si innestano i tuberi, cioè gli azzeruoli, nel melo cotogno.* Operose tuberum culturam docet *Pallad.* 10. *R. R.* 14. Mense Septembri circa calendas Octobres tuberes seremus sobole vel nucleis, cujus tenera diligenter nutriri debet infantia etc. 3. *ibid.* 25. Etiam nunc tuberes seruntur et inseruntur. *Id.* interpr. Italus: *s'innestano le tubere.* V. HYPOMELIS.

TŪBER, ĕris, n. 3. Ratione habita etymi, *Forcellinus* putat esse ab ὕβος, tuber in dorso cameli; sed vocis radix videtur potius τυ, unde τύλος, callus, vel Skr. *tav*, cresco. V. TUMEO. — Adjective sumitur in *Art. Anon. Bern. p.* 114. 14. *Hag.* Commune trium generum, ut hic et hæc et hoc tuber, idest superbus. Nullo tamen scriptoris exemplo id confirmatur. — Tuber est tumor, callus prominens in corpore animalis sive natura sive ex morbo: ὄγκος (It. *nascenza, tumore, tuberosità, gonfiatura;* Fr. *tumeur, bosse, protubérance;* Hisp. *tumor, excrecencia;* Germ. *die Beule, Geschwulst, Buckel;* Angl. *swelling, tumour*).

I.) Proprie. *Ter. Adelph.* 2. 2. 37. Colaphis tuber est totum caput. *h. e.* factum est tuber: adeo usquequaque tumet. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 26. (67). Cameli bina habent tubera in dorso, sub pectore alterum, cui incumbunt. *Id. ibid.* 45. 70. (179). Boves tubere super armos a cervicibus eminente. *Id.* 30. *ibid.* 12. 33. (107). Tubera et quæcumque molliri opus est, anserino adipe curantur. *Id.* 26. *ibid.* 14. 87. (139). Chironia cum melle trita tubera aperit. *Id.* 22. *ibid* 24. 50. (107). Mel tubera discutit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 73. Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum, Postulat, ignoscet verrucis illius. *h. e.* majoribus vitiis. — *Ubi uber, ibi tuber*, proverb. apud *Apul. Florid. n.* 18., quo significa-

tur, commodum absque incommodo non inveniri. uber enim bonum est, tuber molestum. Nos dicimus: *non si può avere il mele senza le mosche:* et *non si può pigliar pesce senza immollarsi.* ¶ 2. Specialim in arboribus nodi quidam et tumores duri e ligno eminentes *tubera* sunt, *groppi, nocchi. Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 27. (68). Bruscum et molluscum, tuber utrumque aceris. *et ibid.* 43. 84. (231). Dat et alnus tuber sectile, sicut citrum acerque. *Id.* 25. *ibid.* 8. 54. (95). Aristolochia tuberibus radicis rotundis. ¶ 3. *Tubera* item *tartuffi,* οἶδνα et ὕδνα, calli quidam terræ, de quibus hæc *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 11. (33). Maximum miraculum est, aliquid nasci aut vivere sine ulla radice. Tubera hæc vocantur, undique terra circumdata nullisque fibris nixa aut saltem capillamentis, nec utique extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas agente: neque ipsæ terræ cohærent: cortice etiam includuntur: ut plane nec terram esse possimus dicere, nec aliud, quam terræ callum. Siccis hæc fere et sabulosis locis fructetosisque nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei. Duo eorum genera: arenosa dentibus inimica et altera sincera. Laudatissima Africæ *etc.* Ex iis sunt, quæ nascuntur et seri non possunt. Ita *Plin.*, qui hæc addit *ibid.* 3. 13. (37). Quum fuerint imbres auctumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci et maxime e tonitribus nec ultra annum durare: tenerrima autem verno esse. *Id.* 19. *ibid.* 2. 11. (35). Lartio Licinio mordenti tuber accidit, ut deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret. — Probata valde fuere in deliciis mensarum. *Juvenal.* 5. 116. post hæc raduntur tubera, si ver Tunc erit et facient optata tonitrua cenas Majores. tibi habe frumentum, Alledius inquit, O Libye: disjunge boves, dum tubera mittas. *Martial.* 13. 50. Rupimus altricem tenero quæ vertice terram Tubera: boletis poma secunda sumus. ¶ 4. *Terræ tuber* est tumor terræ, quem talpæ faciunt: convicium est in hominem nihili. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Recte: videbo te in publicum (*subaudi* exeuntem), mus (*h. e.* talpa), immo terræ tuber. ¶ 5. *Tuber terræ* est etiam herbæ genus, de quo *V.* CYCLAMINOS.

TŪBĔRANS, antis, particip. *V.* TUBERO.

TŪBĔRASCENS, entis, particip. ab inusit. *tuberasco,* protuberans. *Auct. Itiner. Alex. M.* (*edente A. Maio*) 14. Crebrioribus quippe musculis tuberascens. *V.* EXTUBERASCO.

TŪBĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* TUBERO.

TŪBERCĬNĀTUS, a, um, particip. *et*

TŪBERCĬNOR. *V.* TUBURCINOR.

TŪBERCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* tuber, parvum tuber, *enfiatello, fignolo, bitorzolo, tumoretto, tubèrculo,* φυμάτιον. *Cels.* 6. 13. Solent in gingivis tubercula quædam oriri dolentia: παρουλίδας; Græci appellant. *Id.* 7. 6. In capite multa variaque tubercula oriuntur: γάγγλια, μελικηρίδας et ἀθερώματα nominant. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. 129. Tubercula, quæ Græci condylomata vocant. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 45. (91). Tuberculum fabæ. *Id.* 11. *ibid.* 11. 12. (29). *de apib.* Regias imperatoribus futuris exstruunt amplas, separatas, tuberculo eminentes. *Colum.* hac eadem de re 9. *R. R.* 11. *a med.* Fere in ipso fine cerarum velut papilla uberis apparet eminentior et laxioris fistulæ, quam sint reliqua foramina, quibus popularis notæ pulli detinentur. *et Pallad.* 7. *R. R.* 7. *ad fin.* Est autem hoc futuri regis signum: inter cetera foramina, quæ pullos continent, unum majus ac longius velut uber apparet.

TŪBĔRO, as, ātum, are, 1. (tuber) Part. *Tuberans* et *Tuberatus.* — Tubero est in tubera cresco vel tuber facio aut tubere infestor. *Apul.* 2. *Met.* Rosa soluta in sinu tuberante. *protuberante.* et *Onom. Lat. Gr.* Tubero, φυματόω. — Passive *Paul. Diac.* ex *Fest.* in *Ocrem* p. 181. 4. *Müll.* Ocrem antiqui montem confragosum vocabant: unde fortasse etiam ocreæ sint dictæ, inæqualiter tuberatæ.

TŪBĔRŌSUS, a, um, adject. (tuber) Sup. *Tuberosissimus.* — Tuberosus est tuberibus plenus. *Varro* 1. *R. R.* 49. Falcibus consectanda quæ fœniseces præterierunt ac quasi herba tuberosum reliquerunt campum. *Petron. Sat.* 15. Nescio quis calvus, tuberosissimæ frontis.

TŪBĔRUS, a, um, adject. (tuber) idem ac tuberosus. *Gloss. Lat. Gr.* Tuberus, τυλώδης.

TŪBEX, icis, m. 3. *Isid.* 19. *Orig.* 1. 6. Remex vocatur, quod remum gerit; sic autem remex, quomodo tubex dicitur nominativo casu. Ita *Lindemann.* et vett. edd. An legend. *tumex?*

TŪBĬCEN, inis, m. 3. (tuba et cano) qui tuba canit, sicut *tibicen,* qui tibia, σαλπιγκτής (It. *trombettiere, trombetta;* Fr. *trompette;* Hisp. *trompeta, trompetero;* Germ. *der Trompeter;* Angl. *a trumpeter*). ¶ 1. In militia fuere tubicines, cornicines et bucinatores, qui tuba, cornu, bucina dabant signum militibus ad munia sua exsequenda et præcipue ineundi prœlii. Canebant etiam ubicumque opus esset, in ludis, in sacris etc. *V.* TUBA. *Liv.* 2. 64. *ad fin.* Cornicines tubicinesque in equos impositos canere ante vallum jubet. *Ovid.* 3. *Met.* 705. Ut fremit acer equus, quum bellicus ære canoro Signa dedit tubicen. Adde *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 782. ¶ 2. Extra rem militarem. *Seneca Ep.* 78. *a med.* Evincamus omnia, quorum præmium non corona nec palma est, nec tubicen prædicationi nominis nostri silentium faciens; sed virtus et firmitas animi. *h. e.* tuba signum dans, ut præco audiatur. *Petron. fragm. Tragur.* 64. *et* 69. *Burmann.* Tubicines imitari. *h. e.* ore clauso et inflatis buccis sonum tubæ similem edere. *Inscr.* apud *Orelli n.* 3621. Tubicen cohortis nautarum. ¶ 3. In re sacra. *Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.* Tubicines sacrorum. Sic in *Inscr.* apud *Orelli n.* 3876. Tubicen sacrorum populi Romani. *V.* TUBILUSTRIUM. ¶ 4. In exsequiis. *V.* TUBA. Hinc illud *Petron. Sat.* 129. ad tubicines mittere. *fare apparecchi di morte.* V. TIBICEN. ¶ 5. Tubicines etiam dicti sunt, docente *Festo, p.* 352. 24. *Müll.* qui sacerdotes publice sacra faciebant tubarum lustrandarum causa.

TŪBĬCĬNA, æ, f. 1. (tubicen) quæ tuba canit, in *Art. Anonym. Bern. p.* 113. 4. *Hag.*, nullo tamen allato scriptoris exemplo.

TŪBĬCĬNĀTIO, ōnis, f. 3. (tubicino) actus tuba canendi. *Rufin.* ex *Orig. Hom.* in *Num.* 27. 12. Sephar, quod tubicinatio appellatur.

TŪBĬCĬNĀTOR, ōris, m. 3. (tubicino) idem ac tubicen. *Gloss. Gr. Lat.* Σαλπιγκτής, tubicinator, tubicen, liticen.

TŪBĬCĬNO, as, are, n. 1. (tubicen) tubicinem ago, tuba cano. *Gloss. Gr. Lat.* Σαλπίζω, tubo, tubicino. Adde *Vulg. interpr. Ital. Matth.* 6. 2.

TŪBĬLUSTRĬUM *et* tubulustrium, ii, n. 2. (tuba *et* lustrum) *Tubulustrium* pro *tubilustrium* habet *Varro* 6. *L. L.* 14. *Müll.* — Tubilustrium est festum, quo fiebat agna in atrio sutorio lustratio tubarum, quæ in sacris adhibebantur. Bis in anno fiebat X. kal. April. Minervæ et X. kal. Jun. Vulcano. De priore *Ovid.* 3. *Fast.* 849. Summa dies e quinque tubas lustrare canoras Admonet et forti sacrificare deæ. De altero 5. *ibid.* 725. Proxima Vulcani lux est: Tubilustria dicunt. Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ. Adde *Varron. loc. cit.* et *Fest.* in *Tubilustria p.* 352. 21. *Müll.* V. *Orell. Lat. Inscr. Coll.* v. 2. p. 409. et TUBUS.

TŪBO, as, are, n. 1. (tuba) Part. *Tubans.* — Tubo est tuba cano, *sonare la tromba. Gloss. Gr. Lat.* Σαλπίζω, tubo, tubicino, lituo. *Vulg. interpr. Ital.* apud *interpr. Orig.* in *Matth.* 52. Fac tibi duas tubas et tubabis in iis. *Id. ibid.* Sacerdotes tubantes.

TŪBŌCANTĬUS, ii, m. 2. (tuba *et* cano) idem ac tubicen. *Inscr.* apud *Murat.* 936. 5. ALCIMAS ZMYRNIVS (*h. e.* Smyrneus) TVBOCANTIVS.

TUBRACUS *et* tubrucus, i, m. 2. vestimenti genus apud *Isid.* 19. *Orig.* 22. 50. Tubrucos vocatos dicunt, quod tibias braccasque tegant. Tubraci, quod a braccis ad tibias usque perveniant.

TŪBŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* tuba, parva tuba, *trombetta. Seneca Ep.* 56. *n.* 4. *Haas.* Qui ad Metam sudantem tubulas experitur et tibias, nec cantat sed exclamat. Alii aliter leg.

TŪBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (tubulus) dispositio alicujus rei in modum tubuli, excavatio. *Apul. Florid. n.* 9. Flexa tubulatione ligulæ. *Arnob.* 3. *p.* 108. Nonnullos turgentibus malis aut buccarum tubulatione saccibucces. *Hild.* incumulatione; *Reiff.* cumulatione.

TŪBŬLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *tubulo,* cavatus ad effigiem tubuli. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 61. (130). Alterum purpura vocatur cuniculatim procurrente rostro, et cuniculi latere introrsus tubulato, qua profertur lingua. *Plin. alter* 2. *Ep.* 17. Adhæret dormitorium membrum, transitu interjacente, qui suspensus et tubulatus conceptum vaporem huc illuc digerit et ministrat. *h. e.* tubulis instructus. V. *Senecæ loc. cit.* in TUBUS.

TŪBŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* tubus, idem fere ac tubus. ¶ 1. Est igitur canalis, fistula, per quam aqua aut fumus aut calor ex igne permeat. *Varro* 1. *R. R.* 8. *circa med.* Aliquot arundines colligatas libris dimittunt in tubulos fictiles cum fundo pertuso, qua humor transire possit. *Vitruv.* 8. 7. Ductus aquæ fiunt generibus tribus, rivis per canales structiles aut fistulis plumbeis seu tubulis fictilibus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (159). Ad tecta imbricibus tegulisque, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis. *Procul. Dig.* 8. 2. 12. Non licet tubulos habere admotos ad parietem communem, quia per eos flamma torretur paries. Adde *Gromat. vet. p.* 345. 10. *Lachm.* ¶ 2. *Tubuli* etiam dicuntur massæ metalli igne fusi et excocti, quas hodie *panes* aut *offas* appellant: fortasse quia conformati in laminas et convoluti, foramine remanente, tubos referunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (106). Et plerumque omnes hi colores in iisdem tubulis inveniuntur. *et mox.* Spuma ut sit utilis, iterum coquitur, confractis tubulis ad magnitudinem anulorum. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

TŪBŬLUSTRĬUM. *V.* TUBILUSTRIUM.

TŪBURCHĬNĀBUNDUS. *V.* voc. seq.

TŪBURCĬNĀBUNDUS (tuburchinabundus), a, um, adject. (tuburcinor) — Tuburcinabundus est avide comedens, vorax. *Cato inc. libr. fr.* 40. Hanc vocem, tamquam nimis vetustam, rejicit *Quintil.* 1. 6. 42. Neque enim tuburcinabundum et lurcinabundum jam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor. ubi alii scrib. *tuburchinabundus.* V. LURCABUNDUS.

TŪBURCĬNĀTUS *et* tubercinatus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

TŪBURCĬNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Tuburcinatus.* — Tuburcinor est raptim manduco, λαφύσσω (It. *mangiare in fretta, divorare;* Fr. *manger gloutonnement, avaler;* Hisp. *comer golosamente, devorar;* Germ. *schlucken, fressen, schmausen;* Angl. *to eat greedily, devour*), ut *Non. p.* 179. 21. *Merc.* interpretatur. *Titin. ibid.* Tuburcinari sine me vellis reliquias. *Turpil. ibid.* Melius intus cesset: credo hercle, heluo tuburcinatur. *Plaut. Pers.* 1. 3. 41. Tuburcinari de suo, siquid est domi. — Passive *Apul.* 6. *Met.* Prandio raptim tuburcinato. Alii leg. *tubercinato.*

TŪBUS, i, m. 2. De etymo vocis *V.* TUBA. — Tubus est canalis teres et concavus, fistula major, per quem aqua alludve transmeat, σωλήν, σίφων (It. *cannone, doccione, tubo, sifone;* Fr. *tube, tuyau, syphon;* Hisp. *conducto, tubo;* Germ. *die Röhre;* Angl. *tube, syphon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 1. *R. R.* 5. Aquam fictilibus tubis deducere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 81. (224). Alii ad aquarum ductus in tubos cavantur. *Id.* 5. *ibid.* 31. 34. (128). Tubo coriis facto aquam trahere. Sic in *Inscr.* apud *Orelli n.* 199. Tubo aquas ducere. *Pallad.* 1. *R. R.* 18. Ex lacubus tubi fictiles subjectis doliis manantia vina defundant. *Seneca Ep.* 90 *a med.* Quædam nostra demum prodiisse memoria scimus, ut suspensuras balneo-

rum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret æqualiter. ¶ 2. Speciatim *tubos* dictas esse in fastis et a tubicinibus sacrorum ipsas tubas, quas in sacris adhibebant, docent *Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.* et *Fest.* in *Tubilustrium* p. 352. 21. *Müll.* In *Kalend.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. v.* 2. *p.* 386. Marti hic dies appellatur ita quod in atrio sutorio tubi lustrantur.

II.) Translate de pudendo muliebri. *Martial.* 11. 61. Modo qui per omnes viscerum tubos ibat.

TUCCA, æ, f. Videtur hoc nomen, ut *tuccetum*, vel minus recte *tucetum*, esse originis Celticæ, quod vulgo prius ab Italis et Hispanis usurpatum, mox etiam Romanam civitatem consecutum fuerit; hinc etiam nunc apud Germanos *tauchen* significat intingere, immergere, *immergere, immollare.* — Tucca igitur ¶ 1. Femin. gen. est aspersio juris sive jusculi, vel ipsum jus aspersum, infusum, ut exponitur in *Gloss. Lat. Gr.* Tucca, κατάχυμα (alii divisim κατὰ χῦμα) ζωμοῦ. ¶ 2. Masc. gen. est carnivorus, κρεωβόρος, teste *Laur. Lyd. De magistrat. Rom. l.* 1. *c.* 23. Τούκκας ὁ κρεωβόρος, ὃν οἱ ἰδιῶται Ζικκὰν ἐκάλεσαν καθ' ἡμᾶς. Videtur ζικκάς esse id, quod Itali *ciccia* vocant, hinc *ciccioli* sunt frustula carnis, quæ ex adipe suilla igne soluta remanent. Inde factum cognomen R., ut Plotius Tucca Virgilii amicus, de quo V. *Donat. Vit. Virg. n.* 14. et *Horat.* 1. *Sat.* 5. 40. et *ibid.* 10. 81. — Ad cognominis significationem alludere videtur *Martial.* 12. 41. Non est, Tucca, satis, quod es gulosus, Et dici cupis et cupis videri. Item ad nominis 3. 14. Romam petebat esuritor Tuccius Profectus ex Hispania. *V.* ONOM.

TUCCĒTUM, i, n. 2. (tucca) In locis allatis plerique libri *tuccetum* per dupl. *c* scribunt: quæ quidem scriptio est alteri præferenda (V. *Hildebr.* ad *Apul.* 2. *Met. p.* 90).; quamquam *Forcellinus* aliter sentire videtur. — Tuccetum est genus edulii seu farciminis ex carne bubula vel porcina una cum arvina reconditi in usus mensarum (It. *tocchetto, intingolo, guazzetto;* Fr. *saucisse, saucisson;* Hisp. *salchicha, salchison;* Germ. *Rollfleisch, Roulade, Tunke;* Angl. *a kind of sausage or haggess*). *Pers.* 2. 43. grandes patinæ tuccetaque crassa. *salsiccie.* et *Vet. Scholiast.* ad *h. loc.* Tucceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata: et ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem genere condita servari, aut ad saturarum jura. Hinc Plotius Virgilii amicus in eadem regione Tucca est nominatus (*V.* voc. præc.). *Apul.* 2. *Met.* Parabat, quod naribus jam inde hariolabar, tuccetum perquam sapidissimum. *Id.* 5. *ibid.* Mirisque illis et beatis edulibus atque tuccetis sorores oblectat. *Id.* 7. *ibid.* Tucceta concinnat, apponit scitule. *et* 9. *ibid.* Pulmenta recentia tuccetis temperat. *Arnob.* 2. *p.* 73. Ut spirulas et botulos facerent, isicia, catillamenta, suminatam cum his carnem et glaciali conditione tucceta. *h. e.* condimentis quibusdam et glacie in caveis subterraneis a putredine servata. — *Forcellinus* addit: *Gloss. Philox.* Tucetum, ζωμὸς παχύς. *Fulgent. De prisc. serm. n.* 41. Tuceta dicuntur escæ regiæ. *Callimorphus Pisœis:* Ambrosio redolent tuceta sapore. Sed horum auctoritas recentioribus minus probanda videtur.

TŪCĒTUM. *V.* voc. præced.

TŪCHARCHUS. *V.* TŒCHARCHUS.

TŪCUS, i, m. 2. idem quod cucum seu cuculum. *Isid.* 12. *Orig.* 7. 67. Alii aliter leg.

TŪDES, itis, m. 3. Genet. *tudis* pro *tuditis*, unde *tudibus* legit *Forcellinus* apud *Auct. Ætn.* 559. Fabriles operæ tudibus contundere massas Festinant. Sed *Jacob* et *Haupt* cum MSS. leg. *rudibus.* — Vox est ab antiquo *tudo* pro *tundo*, quomodo et *frago* pro *frango* et *pago* pro *pango* dicebant veteres. V. *Fest. loc. cit.* et TUNDO init. — Tudes est malleus, *martello*, σφῦρα. *Festus p.* 352. 30. *Müll.* Tudites malleos appellabant antiqui a tundendo. Inde Atejus Capito existimat Tuditano cognomen inditum, quod caput malleoli simile habuerit. Adde *Paul. Diac.* ex *eod. p.* 353. 5. *Müll.*

TŪDĬCLA. *V.* voc. seq.

TŪDĬCŬLA *et per syncop.* tudicla, æ, f. 1. (*deminut. a* tudes) *Tudicla* scribitur in *Excerpt.* ex *Vet. Lex. Gr. Lat. p.* 345. *Vulc.* — Tudicula est machina lignea, qua tunduntur oleæ. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ante med.* Est et organum erectæ tribulæ simile, quod tudicula vocatur (alii leg. *rudicula*), idque non incommode opus efficit, nisi quod frequenter vitiatur, et si baccæ plusculum ingesseris, impeditur. In *Gloss. Philox.* tudicula est τορύνη, h. e. trulla, qua quippiam in olla teritur et agitatur. — *Gesnero* videtur ei similis esse, quam nos dicimus *macinella da caffè.* At minus recte; est enim potius spathula, ut monet *Furlanetto* in *App.* ad h. v. *V.* TORYNETON.

TŬDĬCŬLO, as, āvi, are, a. 1. (tudicula) tudicula percutio; hinc etiam commoveo, misceo, agito. *Varro* apud *Non. p.* 178. 30. *Merc.* Hæcine nobis tibive tudiculasse? *Apic.* 5. 2. Quum bene ferbuerit, tudiculabis et in mortario teres. *Schuch* § 191. leg. *turundabis;* sic et *ibid.* 3. § 198. *Gloss. Gr. Lat.* Τορυνῶ, tudiculo, insculpo.

TŬDĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* tudo. Hujus verbi participium *tuditans* tantummodo in usu est. — Tudito est sæpe aut valde tundo, percutio.

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 1142. Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam Corpora conficere. *Id.* 3. 395. Et quantis intervallis tuditantia possint Concursare etc. *h. e.* propellentia, protrudentia.

II.) Translate. *Fest. p.* 352. 4. *Müll.* Tuditantes, tundentes negotium, significare ait Cincius, id est agentes. Ennius libro secundo: hæc inter se tota vi tuditantes. Et Lucretius item lib. 2. (1142). Nec tuditantia rem etc. Hæc *Festus.* Sed V. *Lachmann* ad *Lucret. loc. cit.*

TŬDO. *V.* TUNDO.

TŬENS, entis, particip. *V.* TUEOR.

TŬENTĬO, ōnis, f. 3. (tueor) idem ac tuitio. *Inscr.* apud *Gruter.* 151. 6. QVOD IN AGRO PROPRIO CONSTITVTVM TVENTIONI OMNIVM VOLVERVNT ESSE COMMVNE. Cf. tamen *loc.* in 2.ª ed.

TŬEO, es, ere. *V.* voc. seq.

TŬEOR, tŭēris, tŭĭtus *vel* tūtus sum, tŭēri, dep. 2. — *a*) Formam quoque activam *tueo, es, ere,* aliquando adhibitam fuisse, conjicitur ex loc. *Varron.* aliorumque infra allatis, æque ac formam *tuo, is, ere. Gloss. Gr. Lat.* Ἀτενίζω, contemplor, tuo, contueor, intueor. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. ex XII. *Tab.* Censores vectigalia tuento. Alii leg. *tuentor.* et *Inscr.*, non optimæ tamen notæ, apud *Fabretti p.* 498. *n.* 23. (*Orelli n.* 4788.) ROGO PER SVPEROS QVI ESTIS OSSA MEA TVEATIS. Hinc passive usurpatum *V.* infra. — Item *tuor, tuĕris,* in usu fuisse pro *tueor*, docet *Festus p.* 355. 1. *Müll.*; unde *attuor, contuor, intuor. Lucret.* 4. 450. Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo. *Id.* 4. 362. Fit, quasi tornata ut saxorum structa tuantur. Adde 1. 301. et 6. 931. *Plaut. Trin.* 3. 2. 82. Etiam ob stultitiam tuam te tuĕris. *Catull.* 20. 4. (*Priap.* 85. 5.) Herique villulam hortumque pauperis Tuor. *Stat.* 3. *Theb.* 151. hæc oscula, nati, Vestra tuor? Adde *Albinov.* 1. 137. Hinc particip. *Tutus* V. suo loco. — Perf. *tuitus sum* apud *Plin.* 6. *Ep.* 29., *Quintil. Declam.* 1. 13., *Paul. Dig.* 50. 5. 12., *Vulg. interpr.* 2. *Reg.* 23. 12. et *Cyprian. Ep.* 3. *n.* 2. Cf. *Quintil.* 5. 13. 35. — Item *tutus sum* est *Sall. Jug.* 74., 56. et 90., *Liv.* 10. 37., *Frontin.* 2. *Strateg.* 12., *Apul. De mag.* et *Dosith. p.* 61. 15. *Keil.*, ubi alii leg. *tutatus;* sed in plurimis MSS. inveniri docent *Cort.*, *Gruter.*, alii. Cf. *Dietsch* et *Kritz* ad *Sall. Jug.* 56. et 74., *Sillig.* ad *Plin. l. c.* et *Drakenb.* ad *Liv. l. c.* — *b*) *Tuerier*, paragog. pro *tueri*, apud *Plaut. Curc. loc. cit.* et *Rud.* 1. 4. 34. — *c*) Ratione habita etymi, conjungi potest cum Skr. *tay*, protego, vel Gr. Θεάομαι (Ion. Θηέομαι), aspicio. — Part. *Tuens* sub *A* I. *a* et *B* 1.; *Tuitus* init. et sub *B* 2. *b* et *Tutus* init. et sub *B* 2. *a* et in fin.; *Tuendus* sub *B* 1. 2. *a* et *b* et 3. — Tueor duo præcipue significare docet *Varro* 7. *L. L.* 82.? *Müll.* Tueri duo significat: unum ab aspectu, unde est illud: Tueor te senex, proh Juppiter! et (*Ennius*) Quis pater aut cognatu' volet nos contra tueri? Alterum a curando ac tutela, ut quum dicimus, bellum tueor et tueri villam. Hæc *Varro.* Similiter Italicum verbum *guardare*, quod et aspiciendi et curandi vel custodiendi notionem continet. Itaque

*A*) *Tueor* est aspicio, intueor, video, ὁράω, βλέπω (It. *guardare, mirare, vedere;* Fr. *regarder, voir;* Hisp. *mirar, ver, encarar;* Germ. *schauen, anschauen, ansehen;* Angl. *to see, view, behold*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Acc. *Pacuv.* apud *Non. p.* 407. 32. et *p.* 414. 3. *Merc.* Quam te post multis tueor tempestatibus? Adde *Enn. loc.* supra *cit. Acc. fragm.* 538. Quem neque tueri contra nec fari queas. *Lucret.* 4. 312. Tueri e tenebris, quæ sunt in luce. *Id.* 4. 434. aquam cælumque. *Id.* 6. 1228. cæli templa. *Cic.* 3. *Tusc.* 1. 2. Si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam tueri et perspicere possemus. *Alii* intueri. *Virg.* 8. *Æn.* 265. nequeunt expleri corda tuendo Terribiles oculos, vultum etc. *Propert.* 2. 10. 13. equitem post terga tueri Parthorum. — Cum Acc. neutr. plur., adverbii ritu. *Lucret.* 5. 33. (et *Virg.* 9. *Æn.* 794.). Asper, acerba tuens, immani corpore serpens. *Virg.* 4. *Æn.* 362. Talia dicentem jamdudum aversa tuetur. *Id.* 3. *Ecl.* 8. transversa tuentibus hircis. Adde 6. *ibid.* 467. — *b*) Cum infinito. *Plaut. Curc.* 2. 2. 10. Hac nocte in somnis visus sum tuerier Procul sedere longe a me Æsculapium. *Lucret.* 6. 50. quæ fieri in terris cæloque tuentur Mortales. Adde 1. 152. et alibi. — *c*) Absolute. *Pacuv. fragm.* 410. *Ribb.* Nec tuendi capere satiatas poterat. *Virg.* 8. *Æn.* 713. Expleri mentem nequit ardescitque tuendo.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro sentire. *Lucret.* 6. 1161. Nec nimio cuiquam posses ardore tueri, Corporis in summo summam ferviscere partem. ¶ 2. Et pro considerare, inspicere, *Grat. Cyneg.* 345. vulnera, morbos Causasque affectusque canum tua cura tueri est.

*B*) *Tueor* est etiam servare, custodire, quia quæ asservare volumus, ea jugiter aspicimus, διασώζειν, διατηρεῖν (It. *conservare, mantenere, tenere in buono stato;* Fr. *avoir l'œil à, garder, conserver, maintenir;* Hisp. *guardar, conservar, defender;* Germ. *vertheidigen, schützen, decken;* Angl. *to guard, keep, conserve, maintain*). ¶ 1. Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 11. Tueri tecta. *Cic.* 3. *Verr.* 50. 130. ædem Castoris. *Id.* 3. *Legg.* 3. 7. templa, vias, aquas. Absolute *Plin. Paneg.* 51. Tam parcus in ædificando, quam diligens in tuendo. — Hinc translate, seu, ut plurimum, de abstractis. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Justitia societatem conjunctionis humanæ munifice et æque tuens. *Id.* 1. *Fam.* 9. A quibus tuendus erat, derelictus. *Id. pro leg. Manil.* 5. 12. Videte, ne vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri et conservare non posse. *Id.* 1. *Tusc.* 1. 2. Mores et instituta vitæ resque domesticas ac familiares et melius tuemur et lautius. *Nepos Att.* 21. *a med.* Curam diligentiamque in valetudine tuenda adhibere. *Id. Phoc.* 1. Tueri gloriam paternam. *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 48. dignitatem. *Id.* 13. *Fam.* 49. rem, gratiam et auctoritatem suam. *Id.* 3. *Tusc.* 5. *ad fin.* mediocritatem officiorum et vitæ communem cultum atque unitatem. *Id. Brut.* 20. 80. L. Paulus personam principis civis facile dicendo tuebatur. *Id.* 1. *Att.* 17. *ad fin.* Tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam. *Plin.* 6. *Ep.* 29. Tueri Julium Bassum ut incustoditum nimis et incautum. *Tac.* 3. *Ann.* 27. libertatem. *Id.* 14. *ibid.* 60. sanctitatem dominæ. *Id. Dial. de orat.* 37. honores male. Adde *Flor.* 3. 16. 5. et *Vellej.* 2. 80. 4. ¶ 2. Speciatim est tutari, defendere, *difendere, guardare.* — *a*) Cum Acc. *Sall. Jug.* 74. Numidas magis pedes quam arma tuta sunt. et *ibid.* 56. Plerosque velocitas et regio hostibus ignara tuta sunt. et *ibid.* 90. Quæ ad hoc tempus Jugur-

tibam tuta sunt, omnia removisti. V. *Kritz. Cæs.* 4. *B. G.* 8. Tueri suos fines. *Id.* 5. *ibid.* 8. portus. *Id.* 2. *B. C.* 23. oppidum unius legionis præsidio. *Id.* 3. *ibid.* 94. Tuemini castra et defendite diligenter. *Auct. B. G.* 8. 2. Tueri impedimenta. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 172. Armis prudentiæ causas tueri ac defendere. — Passive. *Virg.* 9. *Æn.* 175. *de legione.* Excubat exercetque vires, quod cuique tuendum est. *Liv.* 3. 70. Legato datur media acies tuenda. *Varro* 7. *L. L.* 11. *Müll.* Ibi mysteria fiunt ac tuentur. *Madvig* ait scribend. *a tuendo* et *Müller* leg. *attuentur. Id.* 3. *R. R.* 1. Majores nostri in pace a rusticis Romanis alebantur et in bello ab his tuebantur. *Madvig* ex conjectura *his se tuebantur. Vitruv.* 8. *præf.* Res omnes non ali sine elementorum potestate neque crescere nec tueri. *Cajus Dig.* 27. 10. 7. Consilio et opera curatoris tueri debet non solum patrimonium, sed et corpus et salus furiosi. Adde *Papinian. ibid.* 28. 3. 17. *Apul. De mag. ad fin.* Procul a culpa tutus sum. — *b*) Cum addito Acc. et præp. *ad, adversus, contra. Cæs.* 3. *B. C.* 39. Turrim militibus complevit tuendamque ad omnes repentinos casus tradidit. *Liv.* 7. 31. Quando quidem nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis, vestra certe defendatis. *Id.* 25. 11. Ut vel sine præsidio tueri se adversus Romanos possent. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 54. (152). Pulegium olfactu capita tueri contra frigorum injuriam traditur. *Quintil.* 5. 13. *a med.* Verres fortiter et industrie tuitus contra piratas Siciliam dicitur. Est qui leg. *tutatus.* — *c*) Cum addito Abl. et præp. *ab. Auct. B. Afr.* 8. Tueri mare ab hostibus. *Cic. Dejot.* 8. 22. fines suos ab excursionibus hostium et latrociniis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 54. (152). Tueri ab siti. *Id.* 24. *ibid.* 19. 118. (179). Ipsa herba tusa tuetur ab inflammationibus plagas. *Phædr.* 3. 7. Tueri domum a furibus. — *d*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 111. *extr.* Quod tam late tueri tam parva manu non poterat. *presidiare.* ¶ 3. Apud JCtos *tueri* lex aut prætor dicitur, quum alicui favet et jus ejus defendit. *Ulp. Dig.* 48. 5. 19. *extr.* Si nupta esse desierit, accusari poterit. neque enim aliam lex tuetur, quam eam quæ nupta est. *Id. ibid.* 37. 8. 1. *a med.* Ubi juste dubitari potest, an *etc.* decreto tuenda est, ne præjudicium partui fiat. Adde *ibid.* 43. 17. 1. ¶ 4. Item fovere, præstare, *proteggere, favorire. Cic. Rabir. Post.* 15. 41. Simulacrum pristinæ dignitatis, quod Cæsar solus tuetur et sustinet. *Id.* 2. *Att.* 20. Cæcilium, quibus rebus possum, tueor diligenter. *Id.* 2. *Fam.* 16. *extr.* Ut nos liberosque nostros ita tueare, ut amicitia nostra et fides tua postulabit. *Planc. ad Cic.* 10. *Fam.* 11. Tuum munus tuere et me defende ac suscipe. ¶ 5. Item alere, *sostentare, mantenere a sue spese. Cic. Dejot.* 8. 22. Antea majores copias alere poterat, nunc exiguas vix tueri potest. *Id. Parad.* 6. 1. *sub fin.* Numquam eris dives, ante quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones et magna equitum ac peditum auxilia possis. *Liv.* 5. 4. Agrum colere, unde domi militiæque se ac suos tueri posset. *Nepos Epam.* 3. *circa med.* Amicorum in se tuendo caruit facultatibus. *Colum.* 6. *R. R.* 3. Tueri armentum paleis. *Id.* 7. *ibid.* 12. Canem in primis mercari tuerique debet agricola. — Hinc Part. præter., cujus exempla retulimus

*Tutus, a, um,* adjectivorum quoque more usurpatur, unde Comp. *Tutior* fere in omnib. paragr.; Sup. *Tutissimus* 1. 1.° *a* et *c* et 2.° — Tutus est tectus, munitus, sæptus, extra pericula positus, incolumis, *sicuro, munito,* ἀκίνδυνος, ἀσφαλής. ¶ 1. Proprie. — 1.°) Passive. — *a*) Universim. — *α*) Absolute. *Lucret.* 5. 874. Præsidio nostro pasci genus esseque tutum. *Id.* 6. 11. per quæ possent vitam consistere tutam. *Cæs.* 2. *B. G.* 28. Cum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur. *Auct. B. G.* 8. 27. Nec se satis tutum fore arbitrabatur. *Cic.* 1. *Rep.* 2. 3. Consiliis et laboribus tutiorem vitam hominum reddere. *Id. Dom.* 42. 109. Quæ majores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt, ea iste labefactavit. *Liv.* 31. 23. *ad fin.* Refractus carcer emissique captivi, quos Philippus tamquam in tutissimam custodiam condiderat. *Ovid. Nux* 44. tutum carpit inanis iter. Sic 2. *Pont.* 2. 31. fortuna miserrima tuta est. *Horat.* 3. *Od.* 16. 7. Tutum iter et patens. *Id.* 1. *ibid.* 17. 5. nemus. *Id. ibid.* 27. 18. aures. *Id.* 2. *ibid.* 2. 21. regnum et diadema. *Id.* 4. *ibid.* 5. 17. rura. *Id.* 1. *Sat.* 2. 47. Tutior merx in classe secunda. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 367. *Virg.* 10. *Æn.* 713. jaculis tutisque procul clamoribus instant. *h. e.* ex tuto loco editis. *Liv.* 31. 23. In tutissimam custodiam condere. *Curt.* 9. 6. 255. Philippus in acie tutior, quam in muris, fuit. *Phædr.* 2. 6. Testudo tuta naturæ munere. *Id.* 4. 16. navis Ferri secundis tuta cœpit flatibus. — *β*) Cum Genet. *Lucan.* 9. 345. Pars ratium major regimen clavumque secuta est, Tuta fugæ. *Alii leg.* fuga. — *γ*) Cum Acc. et præp. *ad, adversus, contra. Liv.* 36. 32. *a med.* Testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse. *Cels.* 5. 23. *n.* 3. Mithridates dicitur adversus venenorum pericula tutum corpus suum reddidisse. *Eutrop.* 1. 13. Per quos contra senatum et consules tutus esse posset. Cf. *Cic.* 7. *Verr.* 15. *a med.* Nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita sæpta, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem et audaciam posset esse. — *δ*) Cum Abl. et præp. *ab* aut sine præp. *Cæs.* 7. *B. G.* 14. Tutus a periculo. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 31. *ante med.* Tutum me ab insidiis inimici sciebam non futurum. *Ovid. Heroid.* 11. 44. infans tecto tutus ab hoste fuit. *et* 16. *ibid.* 344. Et tuta a bello Bistonis ora fuit. *Auct. B. Alex.* 1. Incendio tuta est Alexandria, quod sine contignatione ac materia sunt ædificia. — *b*) De abstractis. *Ovid.* 3. *Met.* 544. in audaces non est audacia tuta. *Quintil.* 10. 1. 39. Fuit brevitas illa tutissima. *Id.* 10. 7. 19. Cogitatio non utique melior sed tutior. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 137. Male tuta mens. *et Ovid.* 2. *Met.* 53. non est tua tuta voluntas. — *c*) Hinc absolute neutr. gen. *Plaut. Most.* 2. 2. 42. Tutum probe est. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 42. tuta et parvula laudo. *Ovid.* 10. *Met.* 714. tuta petentem. *Curt.* 8. 2. 28. Barbari animum ad honestiora, quam tutiora, converterat. — 2.°) Active est qui tutos præstat. *Ter. Heaut.* 2. 3. 86. Consilium quod cepi, rectum esse et tutum scio. *Id. Adelph.* 4. 2. 13. Me jam in cellam aliquam concludam. id tutissimum est. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Commodiorem ac tutiorem nostris receptum dat. *Cic. pro leg. Manil.* 11. *a med.* Quis locus tam firmum habuit præsidium, ut tutus esset? *Tibull.* 4. 1. 83. tutam castris præducere fossam. *Nepos Themist.* 2. Prædones maritimos consectando, mare tutum reddidit. *Phædr.* 2. 4. feles Dolosa tuto condidit sese cavo. *Tac. Germ.* 36. Idque jucundius, quam tutius, fuit. *et Agric.* 30. Ita prœlium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Cf. *Sall. Cat.* 58. et *Jug.* 74. et *Tac.* 1. *Hist.* 52. *D.* Adde *Cic. Flacc.* 13. 31. — Absolute neutr. gen. cum infinito. *Cæs.* 3. *B. G.* 24. Tutius esse arbitrabantur, sine ullo vulnere victoria potiri. *Quintil.* 3. 4. 11. Nobis tutissimum est, auctores plerosque sequi. ¶ 2. Translate, vel prægnanti, ut ajunt, sensu, est cautus, prudens, sanus, *cauto. Ovid.* 3. *Trist.* 12. 36. Non nisi vicinas tutus ararit aquas. *Horat. Art. P.* 28. Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ. *Id.* 2. *Sat.* 3. 137. ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes. *Liv.* 9. 32. Celeriora, quam tutiora, consilia magis placuere ducibus. *Id.* 22. 38. *in fin.* Tuta celeribus consiliis præponere. — Cum infinito. *Propert.* 1. 20. 51. His, o Galle, tuos monitis servabis amores, Formosum Nymphis credere tutus Hylan. *h. e.* cavens credere, εὐλαβούμενος. Alii leg. *visus,* minus recte. — *Tutum est,* prudentis et cauti est. *Id.* 1. 15. 42. O nullis tutum credere blanditiis!

*Tutum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, locus tutus. *Plaut. Most.* 5. 1. 7. Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplares meos. *Ter. Heaut.* 4. 3. 11. et *Cic. Harusp. resp.* 25. 53. Collocare aliquid in tuto. *Cic.* 12. *Fam.* 2. *sub fin.* et *Ter. ibid.* 30. Esse in tuto. *Liv.* 2. 19. Concursu suorum receptus in tutum est. *Nepos Chabr.* 4. Nando in tutum pervenerunt. *Quintil.* 1. 8. 7. Mores in tuto sunt. Cf. etiam *Ovid.* 10. *Met.* 514.

*Tutum,* adverbiorum more, tuto. *Festus p.* 381. 4. *Müll.* Tutum frequenter dicitur maxime. Varro: Tutum sub sede fuissent. *V.* adnot. *Müll.* in *Coroll. Gloss. ibid.*

*Tuto* ¶ 1. Adverbiorum ritu; unde Sup. *Tutissimo.* — *a*) Est idem ac tute, impune, sine periculo, *sicuramente, senza pericolo,* ἀσφαλῶς. *Cæs.* 3. *B. G.* 24. Illi etsi propter multitudinem se tuto dimicaturos existimabant. *et* 7. *ibid.* 36. *extr.* Ut tuto ab repentino hostium incursu commeare possent. *Cic.* 14. *Fam.* 3. Ut tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est. *h. e.* in tuto loco sim: *Nepos Con.* 2. Non quæsivit, ubi tuto viveret. *Id. Themist.* 8. Tuto in aliquo loco versari. *Cic.* 8. *Att.* 1. Non me quærere, ubi tutissimo essem. Alii leg. *tutissime.* Affert *Charis.* 2. *p.* 173. *Putsch.* alium locum *Cic.* ex 7. *Att.* Ubi tutissimo essent. Sed fortasse hunc eumdem designat, qui est *l.* 8. — *b*) Item sine metu, secure. *Seneca Œdip.* 613. *de Niobe apud Inferos.* Interque natos Tantalis tandem suos Tuto superba fert caput fastu gravi. ¶ 2. Est etiam interjectio prohibentis, de qua in *Anecd. Helv. p.* CCXLVI. Probibentis ut t u t o; sic enim infantibus comminatur.

H o m o n y m. Differunt *tutus* et *securus:* ille ab externo periculo procul est: hic etiam interna cura caret. *Seneca Hippol.* 165. Scelus aliqua t u t u m, nulla s e c u r u m tulit. *Id. Ep.* 97. T u t a scelera esse possunt, s e c u r a non possunt. *Id. Ep.* 105. *sub fin.* T u t u m aliqua res in mala conscientia præstat, nulla s e c u r u m. *Justin.* 39. 4. 4. Periculoso regno s e c u r a m ac t u t a m vitam anteponens. *V.* SECURUS. — Item discrimen inter *quietum* et *securum* intelligitur ex illo *Tac. Agric.* 40. Tradiderat Agricola successori suo provinciam q u i e t a m t u t a m q u e. sc. *quietam,* respectu habito ad Britannos, i. e. rebellionem non agitantem ac placide parentem: *tutam,* respectu ad Romanos, i. e. cujus possessio firmata ac sine periculo erat. V. *Kritz.*

TŪFA, æ, f. 1. duo diversa significat. ¶ 1. *Tufa,* vox cadentis Latinitatis, est apex cassidi militum insertus, *criniera,* ex Indicorum boum caudis factus, ut ex *Cosma Indicopleuste* probat *Ducangius* in *Glossar. med. et inf. Græcitatis.* Hinc *Laur. Lyd. De magistrat. R. l.* 1. *c.* 8. Δόρατα ἀκροξιφίδας μὲν οὐκ ἔχοντα, ἠωρημένας δὲ λοφίας, καλοῦσι δὲ αὐτὰς οἱ μὲν Ῥωμαῖοι ἰούβας, οἱ δὲ βάρβαροι τούφας, βραχύ τι παραφθαρείσης τῆς λέξεως. *h. e.* lanceæ spiculis carentes, at longioribus setis ornatæ, quas Romani jubas, barbari tufas appellant, nonnihil corrupta voce. Inde autem ortum videtur Gallorum recentiorum *toupet,* quem Itali *ciuffo* dicunt. *Veget.* 3. *Milit.* 5. Muta signa sunt aquilæ, dracones, vexilla, flammulæ, tufæ, pinnæ. ¶ 2. *Tufa* est etiam idem ac *tufus* seu *tophus* vel *tofus,* h. e. lapidis genus. *Isid.* in *App. Diff. n.* 96.

TŪFĪNEUS. *V.* TOFINEUS.

TŪFUS. *V.* TUFA et TOFUS.

TŬGŬRĬŎLUM *et* tĕguriolum i, n. 2. *deminut. a* tugurium, parvum tugurium, *casuccia, tugurietto,* καλύβιον. *Apul.* 4. *Met.* Dormientis anus perfracto tuguriolo. *Arnob.* 6. *p.* 191. Tuguriola diis dare, conclavia et cellulas fabricari. *Hieronym. Ep.* 112. *n.* 5. Tuguriolum parvum. *Veget.* 4. *Milit.* 26. In ipsis muris ac turribus teguriola collocanda, in quibus vigiles hibernis mensibus ab imbribus vel frigore, æstivis defendantur a sole.

TŬGŬRĬUM *et* tĕgurium, ii, n. 2. Scribitur etiam *tegurium.* V. *Inscr.* in COLLUSTRIUM (*Orelli n.* 1773.) et *Schol. Bern.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 231. Cf. etiam *Isid.* et *Pompon. loc. cit.* et voc. præc. — Vox est a *tego:* hinc *Fest. loc. cit.* Tuguria a tecto appellantur. et *Isid.* 15. *Orig.* 12. 2. *Tugurium* ad tegimen, quasi *tegurium.* Sic *Capell.* 3. *n.* 52. *E* littera vel in *o* refor-

matur, ut a tegendo toga; vel in *u* ut a tego tugurium. — Tugurium est casa rustica, tectum subitarium, καλύβη (It. *capanna, tugurio; Fr. cabane, hutte;* Hisp. *cabaña, casilla rustica;* Germ. *e. Hütte, Schoppen;* Angl. *a cottage, hut*): est autem ex leviore materia excitata, arundine, ulva, carice, filice, junco et hujusmodi, et paleis tecta aut corticibus fagi, tiliæ, abietis, piceæ, ut *Plin.* 16. *Hist. nat.* 9. 14. (35). tradit. ¶ 1. Generatim. *Festus p.* 355. 5. *Müll.* Tuguria domicilia rusticorum sordida. Cæcilius in Hypobolimæo · Habitabat in tugurio sine operculo. *Pompon. Dig.* 50. 16. 180. Tugurii appellatione omne ædificium, quod rusticæ rei magis custodiendæ convenit, quam quod urbanis ædibus, significatur. Ofilius ait, a tecto, tamquam tegularium (*alii leg.* tegurium) esse dictum, ut toga, quod ea tegamur. *Afran. fragm.* 404. Tugurium sordidum et turpe. *Val. Max.* 3. 4. *n.* 1. agreste. *Id* 7. 1. *n.* 2. ridens securitate. *Id.* 5. 3. *ext.* 3. Tuguria dividua pagis. Adde *Dig.* 50. 16. 180. *Varro* 3. *R. R.* 1. Principium, quo agri coli sunt cœpti, atque in casis et tuguriis habitabant, nec murus nec porta quid esset, sciebant. *Virg.* 1. *Ecl.* 69. Pauperis et tuguri congestum cæspite culmen. Adde *Cic. Sext.* 43. 93. *Colum.* 12. *R. R.* 15. Crates erigantur inter se acclives testudineato tecto, more tuguriorum. *Cod. Theod.* 14. 14. 1. In campo Martio casas seu tuguria collocare. ¶ 2. Speciatim. a similitudine. *tugurium* dicta est ædicula seu parvum templum, quattuor plerumque columnis vel pilis lapideis suffultum, quod Itali *capitello* vocant. *Inscr.* apud *Labus Marm. Bresc. p.* 101. TEGVRIVM A SOLO IMPENDIO SVO FECIT etc. *V.* COLLUSTRIUM.

TŬGŬRIUNCŬLUM et teguriunculum, i, n. 2. *deminut. a* tugurium, idem ac tuguriolum. *Hieronym. Vit. Hilarion. n.* 9. Tuguriunculum, quod junco et carice texerat.

TŬĬTĬO, ōnis, f. 3. (tueor) actus tuendi, custodia, διατήρησις (It. *difesa, custodia; Fr. garde, conservation, défense;* Hisp. *guardia, conservacion, defensa;* Germ. *die Beschützung, Inschutznahme;* Angl. *defence, protection*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Ulp. Dig.* 37. 11. 2. Præter filium tueri debebit: quæ tuitio ei, qui emancipatus est, necessaria est. *h. e.* decretum in favorem filii, quo jus ejus defenditur. *Imppp Theodos Valent. et Arcad. Cod.* 1. 46 1. Numquam in negotiis privatorum vel tuitio militaris vel exsecutio tribuatur. *Cod. Theod.* 4 15. 1. Tuitionem pulsatis præstare jubemus enixam. *Inscr.*, quæ Patavii etiamnum exstat, apud *Fabrett. p.* 485. *n* 160. FRONTEM TEMPLI VERVIS ET HERMIS MARMOREIS PECVNIA SVA ORNAVIT ET TVITIONI DEDIT HS. ∞ ∞ N CCXXXII *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 164. 5. ET IN TVITIONEM HS. CCCIƆƆCC. — *b*) Cum genet., uti ajunt, objectivo *Cic. Top.* 23. *ad fin.* Natura partes habet duas, tuitionem sui et ulciscendi jus. *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. *a med.* Si talia vis videri tuitionem pudoris. *Hieronym.* in *Is.* 16. c. 57. Tuitio ædium. *Oros.* 1. 16. Romani imperii. *Firmic.* 8 *Math.* 20. *extr.* regni. *Inscr.* apud *Gruter* 348 1 INLATIS ARCAE SEVIROR. OB LOCVM ET TVITIONEM STATVAE HS. N. IIII. *h. e.* custodiam et conservationem. — *c*) Cum genet., ut ajunt, subjectivo. *Ulp. Dig.* 7. 4. 1. et *ibid.* 9. 9. Parvi refert, utrum jure sit constitutus ususfructus, an vero tuitione prætoris. *Salvian.* 5. *Gub. D.* 8. Tuitio parentum. ¶ 2. Speciatim pro securitate *Cassiod.* 7. *Variar.* 40. Tuitionem tibi nostri nominis, quasi validissimam turrem contra inciviles impetus et conventionalia detrimenta nostra concedit auctoritas.

TŬĬTOR, ōris, m. 3. (tueor) qui tuetur, inspicit, custodit. *Paul. Dig.* 16. 1. 1. Appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores: sicuti æditui, qui ædes tuentur. *Paul. Diac.* ex *Festo* in *Æditus p.* 13. 6. *Müll.* Ædituus sacræ ædis tuitor, id est curam agens. Alii leg. *tutor.*

TŬĬTUS, a, um, particip. *V.* TUEOR.

TULCIS, genus mensuræ apud *Soran. c.* 24. Tulcis capit libram unam.

TULLĬĀNĒ, adverb. (Tullianus) more Tullii. *Diomed.* 1. *p.* 198. *Putsch.* A nomine proprio ducuntur adverbia, ut a Tullio Tulliane. *Augustin.* 2. *contra Pelag.* 10. *n.* 37. Tulliane jocari. *Serg. expl.* in *Donat. p.* 512. 26. *Keil.* Quum dicimus *Tulliane,* non possumus dicere *Tullianius,* quia non dico *Tullianior.*

TULLĬĀNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TULLĬĀNUS, a, um, adject. (Tullius) ad Tulliam gentem vel Tullium aliquem pertinens; unde *Tullianum* absolute, substantivorum more, pars inferior carceris Romæ, uti appellatur a *Livio* 34. 44. *extr.*, ubi sontes necabantur. Appellatum fuisse a tullio, qua silanum denotat, probare nititur *Forchkammer* in *Bullett. arch.* a. 1833. *p.* 29. *Sall. Cat.* 58. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum escenderis ad lævam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus vincta: sed incultu, tenebris, odore fœda atque terribilis ejus facies est. In eum locum postquam demissus Lentulus, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. *Varro* 5. *L. L.* 151. *Müll.* et *Fest. p.* 356. 16. *Müll.* Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quæ sub terra, Tullianum, ideo quod additum a Ser. Tullio rege. Adde *Liv.* 29. 22. *ad fin.* Cf. 34. 44. et *Calpurn. Flacc. Declam.* 4. — Etiam extra urbem Romam carcer Tullianum appellatur, nempe in Thessalia apud *Apul.* 9. *Met.* Statimque vinctos in Tullianum compingunt.

TULLĬUS *vel* tullus, i, m. 2. (tulo) aquarum aliarumve rerum liquidarum seu fluentium projectus. Cf. *Tolleno Fest. p.* 352. 7. *Müll.* Tullios alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii vehementes projectiones sanguinis arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Ajace: Misso sanguine tepido tullii efflantes volant. *spilli di sangue che spiccia.* Θερμαὶ σύριγγες ἄνω φυσῶσι μέλαν μένος. At *Müll.* leg. Animam - tullii efflantes volant. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (120). Arborem vidimus juxta Tiburtes Tullios. fortasse qui nunc dicuntur *le cascatelle di Tivoli.* Ita emendavit locum *Jahn.* Cf. *Bullett. dell' Istit. arch. a.* 1841. *p.* 12. *Isid. De nat. rer.* 44. 5. Tulli aquarum projectus quales sunt in Aniene etc, Alii aliter leg. Cf. *eumd.* 20. *Orig.* 15. 3. — *NB.* De præn. et nom. propr. *V.* ONOM.

TULLUS. *V.* voc. præced.

TŬLO, tŭlis, tĕtŭli, tŭlere, a. anom. Etymon vocis videsis in FERO et TOLLO. — Verbum est antiquum et obsoletum, a veteribus usurpatum, teste *Diomed.* 1. *p.* 369. *et* 376. *Putsch.* et *Priscian.* 8. *p.* 817. et 10. *p.* 896. Præteritum vero *tetuli,* dempta reduplicatione, transit in supplementum verbi FERO. — Tulo est fero vel duco, *portare, condurre,* φέρω.

I.) Proprie. *Trag. inc. fab.* 25. Concitum tetuli gradum. *Plaut. Most.* 2. 2. 40. in hasce ædes Nemo pedem tetulit, semel ut emigravimus. *Com. inc. fab.* 716. Sibi tetulit coronam. *Plaut. Amph.* 2. 2. 84. ausculum tetuli tibi. *Ter. Andr.* 4. 5. 1?. Num pol, si id scissem, numquam huc tetulissem pedem. *V.* FERO.

II.) Translate. *Acc. trag.* 102. Nisi quod tua facultas nobis tulat opem. *Macrob.* (*De diff. verb. p.* 606. *K.*) leg. *operam.* et *ibid.* 116. Auxilium tetulisti mihi. *Cæcil. com.* 75. Ærumnam pariter tetulisti meam. Adde *Enn. ann.* 56.

TUM est adverbium et etiam conjunctio; vel, ut alii volunt, usurpatur proprie, qua est adverbium, et translate, qua conjunctio. — Ratione habita etymi, cl. *Hand Tursell. T.* 2. *p.* 135. hanc particulam ejus stirpis esse tradit, e qua *num* interrogativa exit; etenim « primitivum vocabulum, inquit *ibid. T.* 4. *p.* 327., indicans tempus erat *um,* quod relativam formam induit in *quum* (*cum*), demonstrativam in *tum* ». Sunt tamen ex recentioribus, qui *tum* accusativum neutr. gen. esse volunt a forma pronominis demonstrativi Skr. *ta,* hic, cui respondet Gr. τό. Cf. *Corssen Krit. Beitr. z. lat. Forml.* 1. 289. 293. *n.* 27. Ab hac derivata est particula *tunc:* quæ in antiquis MSS. et editis libris inter se pluries sunt permutatæ. *V.* TUNC. Cf. etiam *Lachm.* ad *Lucret. p.* 25. — De *tuncum* conjunctim scripto pro *tum cum* V. *Müller De re metr. p.* 239. — Tum

*A*) Est adverbium et significat tunc, eo tempore, eo temporis puncto, ἐν τῷδε, τηνικαῦτα (It. *in quel tempo, allora; Fr. alors, dans ce moment;* Hisp. *entonces;* Germ. *dann, alsdann;* Angl. *then, at that time*). ¶ 1. Designat universim tempus seu temporis punctum, quod alterum immediate præcedit vel subsequitur. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Rep.* 43. 66. Tum fit illud, quod apud Platonem est. *Quintil.* 11. 1. 64. Tum tardior decebit oratio. Adde *ibid.* 3. 107. et 12. 7. 11. — *b*) Conjungitur eleganter cum particula *vero. Sall. Cat.* 61. Sed confecto prœlio, tum vero cerneres. *Cic.* 1. *Rep.* 47. 71. Quem statum si habemus, tum vero quis te possit esse florentior? Adde *Liv.* 23. 5. *Virg.* 1. *Æn.* 489. Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo. *Id.* 5. *ibid.* 720. Tum vero in curas animus diducitur omnes. *Ovid.* 4. *Met.* 346. Tum vero obstupuit. — *c*) Cum partic. *ubi, si, postquam* et sæpius *quum,* aut cum abl. absoluto. *Ter. Andr.* 4. 1. 8. ubi tempus est, tum se aperiunt. *Id. Phorm.* 5. 8. 21. Ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes. *Curt.* 5. 12. 18. Quod ubi contemptu sui pergere vident, tum vero saxa devolvunt. *Sall. Cat.* 51. Postquam res publ. adolevit, tum lex Porcia aliæque leges paratæ sunt. *Cic.* 4. *Verr.* 29. 70. Postea quam ad causam dicendam ventum est, tum vero sine metu erant. *Andronic. fragm.* 1. *Ribb.* Si invitabo, tum etc. *Plaut. Amph.* 3. 2. 52. Id ego si fallo, tum te quæso ut semper iratus sies. Adde *Aulul.* 4. 10. 46. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 4. Si quæret me, uti tum dicas. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 112. Si quando fit, tum sit. *Id.* 2. *Tusc.* 26. 63. Tibi si placebis, tum tete viceris. *Id.* 1. *Rep.* 40. 62. Tum magis assentiere, si ad majora venero. *Virg.* 2. *Æn.* 190. si vestra manus violasset dona Minervæ, Tum majus exitium. *Liv.* 1. 32. Si ego injuste mihi exposco, tum patriæ compotem me numquam siris esse. Adde 22. 53. *Cic.* 1. *Rep.* 26. 42. Quum summa rerum est penes delectos, tum civitas optimatium arbitrio regi dicitur. *Id. ibid.* 38. 59. Tum, quum tu es iratus. *Quintil.* 8. 6. 76. Tum est hyperbole virtus, quum res ipsa modum excessit. Adde 10. 2. 27. — *Cic.* 4. *Fin.* 13. 32. Quo constituto, tum licebit otiose ista quærere. *Liv.* 22. 11. Ita rebus divinis peractis, tum de bello dictator rettulit. Adde 26. 31. — *d*) Cum partic. *demum, denique, maxime. Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 55. Tum demum scibis, tibi qui bonus sit. *Id. Pœn.* 1. 1. 60. Magis hoc tum demum dices. *Sall. Cat.* 2. Postea vero quam, tum demum etc. *Liv.* 2. 20. *ad fin.* Tum demum impulsi Latini perculsaque inclinavit acies. *allora finalmente: allora fa che* etc. 29. *et ibid.* Utraque re experta, tum demum, consules etc. Adde 24. 44. *Plin.* 8. *Ep.* 20. Tum demum, quum medium tenuere, non contrahunt. *Plaut. Capt.* 1. 2. 39. Tum denique nostra intelligimus bona, quum ea amisimus. Adde *Cic.* 2. *Orat.* 77. 315. et 1. *Rep.* 6. 11. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. Tum denique fore beatas respublicas putavit, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent. *Quintil.* 1. 3. 12. Tum vel maxime formanda, quum simulandi nescia est. ¶ 2. Designat etiam tempus vel temporis punctum, quod præteritum est quodque præsenti vel futuro opponitur, τότε. — *a*) Absolute. *Enn. Ann.* 308. Qui tum vivebant homines. *Cic.* 1. *Rep.* 6. 10. Nisi tum consul fuissem. *Id. ibid.* 15. 23. Et tum factum esse et certis temporibus semper futurum. *Id.* 2. *ibid.* 9. 16. Tum erat res in pecore. *Justin.* 2. 4. 20. Duæ tum sorores regna tractabant. Adde 12. 9. 9. — Cum substantivo. *Apul. De mag.* Omnis tum illa animi fœda mutatio. Sic Gr. ἡ τότε μεταβολή. Cf. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 27. Mea lenitas adhuc. — *b*) Cum particula *quum. Cic. pro leg. Manil.* 7. 19. Tum, quum in Asia res magnas permulti miserant. Adde 9. *Fam.* 16. Tum, quum rem habebas, quæstiuncula te faciebat attentiorem. *Id.* 1. *Rep.* 33. 50. Quo

autem modo assequi poterat Lacedæmon illa tum, quum præstare etc. — *c*) Cum opposito *nunc, hodie*. *Acc. fragm.* 38. *Ribb.* Quæ tum absentem tetinerit, nunc prodat ultorem. *Cic. Cæcin.* 1. 1. Non minus nunc cederet, quam tum cessit. *Id. Rabir. Post.* 12. 34. Non est tum Alexandrinis testibus creditum. Quid postea? Creditur nunc etc. *Id.* 7. *Att.* 6. Nisi forte hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Adde *Quinct.* 29. 87. *Id.* 2. *Rep.* 2. 4. Qui tum eos agros, ubi hodie est hæc urbs, incolebant. — *d*) Cum partic. *jam, primum, maxime*. *Id.* 2. *Rep.* 21. 37. Scintilla ingenii, quæ jam tum lucebat in puero. *Id. ibid.* 7. 12. Ludorum gratia, quos tum primum anniversarios facere instituisset. *Liv.* 43. 7. Deinde quæ tum maxime occidi videretur. *Plin.* 9. *Ep.* 13. Quamquam tum maxime scribere litigatoribus, quæ illi pro se ipsi dicerent, erat moris. *allora appunto*. Adde 6. 1. 32. et *Curt.* 3. 11. 14. et 6. 21. 10. — *e*) Cum genet. *temporis*, πλεοναστικῶς, quasi *id temporis*. *Justin.* 31. 2. 6. Tum temporis consulem in foro exspectabat. Cf. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 1. ¶ 3. Denique rem designat, quæ accidit post certum aliquod tempus vel temporis punctum, et est deinde, postea vel præterea, *di poi, di più, inoltre*, εἶτα, ἔπειτα. — *a*) Absolute. *Enn. Ann.* 3. 13. tum candida lumina lucent. *Cæs.* 5. *B. G.* 26. Tum suo more conclamaverunt, ut aliqui ex nostris ad colloquium prodiret. *Virg.* 6. *Æn.* 249. atri velleris agnam Æneas matri Eumenidum magnæque sorori Ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, vaccam: Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras. *Cels.* 1. 3. *a med.* Qui vomuit, ambulare debet, tum ungi. *Cic.* 1. *Rep.* 9. 14. Quid tu, inquit, tam mane Tubero? Dabant enim hæ feriæ tibi. Tum ille: Mihi vero. *etc.* Tum Scipio: Atqui nactus es *etc.* Tum ille etc. *Quintil.* 10. 1. 39. Tum ita, ut quisque esset simillimus. — *b*) Cum partic. *autem, deinde, postea, post*, ad vim augendam. *Ter. Andr.* 1. 5. 33. Laborat e dolore atque ex hoc misera solicita est; tum autem hoc timet, ne deseras se. *Cic.* 1. *Legg.* 5. 16. Inambulantes, tum autem residentes. *Varro* 6. *L. L.* 62. *Müll.* Primum cogitare debemus, deinde tum dicere ac facere. *Liv.* 2. 8. Tum deinde comitia habuit. *Quintil.* 12. 10. 11. Tum deinde efflorescat oratorum ingens proventus. *Id.* 4. 2. 27. Deinde tum narret. *Colum.* 4. *R. R.* 24. Secundum plagam posita gemma pruinis et frigore, tum deinde æstu laborat. *Ter. Eun.* 2. 3. 78. Quid tum postea? *che sarà poi?* Adde *ibid.* 4. 29. *Adelph.* 4. 5. 15. et *Hecyr.* 4. 1. 36. et *Cic.* 1. *leg. Agr.* 2. 5. etc. — Sic, Tum præterea, *inoltre, di più*. *Id.* 1. *Verr. in fin.* — *e*) Cum partic. *quoque, etiam*. *Liv.* 21. 22. Qua parte belli vicerant, tum quoque rem gesturos Romanos. *Tac.* 1. *Ann.* 49. Truces etiam tum animos cupido involat. *Id, ibid.* 50. Stratis etiam tum per cubilia. Adde 3. *ibid.* 55. — *d*) Cum vero ad majorem vim. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 77. Tum vero exoritur clamor - tum vero conjux Miscuit hæc lacrimis tristia dicta suis. *Curt.* 3. 26. 5. Tum vero multum sanguinis profusum est. *Id. ibid.* 27. 12. Tum vero ceteri dissipantur metu.

*B*) Est conjunctio, et designandæ rerum successioni vel ordini aut illis enumerandis inservit; significat autem dein, deinceps, præterea, ἑξῆς, ἔτι, δέ (It. *poi, inoltre, anche*; Fr. *puis, après, aussi, de plus*; Hisp. *despues, tambien, ademas*; Germ. *hernach, auch, ferner*; Angl. *besides, moreover, next, as, also*). ¶ 1. Universim. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 201. Publica quoque jura, tum monumenta rerum gestarum oratori nota esse debere. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 37. 118. Gigni terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. *Quintil.* 9. 4. 99. Tum anapæstus et creticus, iambus quoque. — *b*) Conjungitur sæpe cum *primum, deinde, postremo* et similibus. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Primum, quod - paucitatem despiciebant, tum etiam quod etc. *Cic.* 4. *Cat.* 3. 5. Primum quod mihi gratias egistis; deinde quod Lentulum, ut se abdicaret prætura, coegistis; tum quod eum et ceteros in custodiam dandos censuistis. *Id.* 2. *Nat. D.* 1. 3. Primum docent esse deos, deinde quales sint, tum mundum ab iis administrari, postremo consulere eos rebus humanis. *Id. Brut.* 88. 301. Excellente tum Crasso et Antonio, deinde Philippo, post Julio. *Cels.* 2. 18. Aqua levissima pluvialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex nive etc. *Quintil.* 3. 9. 6. Ante omnia intueri oportet, quod sit genus causæ? deinde-tum-postremo. — *c*) Subsequitur plerumque conjunctivam *quum* ejusdem fere significationis, nisi quod *tum* majus quiddam in se contineat aut specialius. Nam si membra ambo ejusdem sint ponderis, magis utimur *tum* geminato. *Cæs.* 6. *B. G.* 30. Multum quum in omnibus rebus tum in re militari præstat fortuna. *Cic. Mur.* 27. 56. Quæ quum sint gravia, tum illud acerbissimum est. *Id. Sext.* 1. 2. Quum multa sint indigna, tum nihil minus est ferendum. *Id. Amic.* 7. 23. Quum plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimum præstat omnibus. *Id.* 1. *Nat. D.* 1. *init.* Quum multæ res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sunt, tum perdifficilis et perobscura quæstio est de natura deorum. *Id.* 4. *Tusc.* 1. 1. Quum multis locis nostrorum hominum ingenia virtutesque soleo mirari, tum maxime iis in studiis, quæ in hanc civitatem e Græcia transtulerunt. — Interdum cum *maxime*. *Id. Amic.* 22. 85. Quum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis diligendis et colendis. *V.* QUUM. — *d*) In rebus paribus, ut dixi, *tum* geminatur. *Id.* 4. *Verr.* 43. *sub fin.* Tum semper, tum in his ipsis rebus. *Id.* 9. *Att.* 4. Dissero in utramque partem tum Græce tum Latine. *sì in Greco come in Latino*. et *Sall.* 2. *Hist.* 23. *D.* Tum sedenti imponebat, tum venienti supplicabatur. *Cic. Top.* 7. 31. Quod Græci tum ἔννοιαν tum πρόληψιν dicunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 20. 51. Quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur; tum abeunt, tum recedunt; tum antecedunt, tum subsequuntur; tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, *ora-ora, ora-poi tosto*, modo-modo. — *e*) Sæpe conjungitur cum *autem*, pro *tum etiam*. *Id. ibid.* 59. *ad fin.* Isque tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur. — *f*) Item cum *vero*, etiam sine particula *quum* præcedente, pro *tum etiam*. *Id.* 1. *Orat.* 43. *ad fin.* Ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, tum vero justus atque honestus labor honoribus, præmiis atque splendore decoratur.

**Homonym.** Ita differre *tum* a *tunc* docet *Isid.* 1. *Diff.* 557., ut *tum* temporis sit futuri, *tunc* præteriti; vel etiam, in *App. Diff. n.* 24., ut, quod potius est, *tum* ordinis habeat significationem, *tunc* temporis. *V.* plura apud *Zumpt Gr. Lat.* § 285., *Weber Uebungssch. f. d. Lat. styl.* I. *p.* 93. et *Dietsch* ad *Sall. Jug.* 5.

TUM pro Tuum. *V.* TUUS.

TUMBA, æ, f. 1. τύμβος et τύμβα (ut est in *Gloss. Philox.*), tumulus, sepulcrum, bustum, *sepolcro, tomba*: vox senescentis Latinitatis. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 9. Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas Marmora.

TŬMĔFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (tumeo *et* facio) Part. *Tumefactus*. — Tumefacio est tumidum facio, ἐξογκόω (It. *enfiare*; Fr. *gonfler*; Hisp. *hinchar, llenar*; Germ. *schwellend machen*; Angl. *to make to swell, tumefy*).

I.) Proprie. *Ovid.* 15. *Met.* 303. vis fera ventorum Extentam tumefecit humum. Adde *eumd. Paneg. Theod.* 11. *Firmic.* 8. *Math.* 25. Undecima pars Libræ si in horoscopo fuerit inventa, hydropicos faciet, tumefactos et ex hac morte perituros.

II.) Translate. *Propert.* 3. 4. 3. Non me lætitia tumefactum fallis inani. *et* 4. 1. 63. Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris. *Martial.* 4. 11. Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes.

TŬMĔFACTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

TŬMENS, entis, particip. *V.* TUMEO.

TŬMENTĬA, æ, f. 1. (tumeo) tumiditas, *gonfiezza*. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 10. 74. Tumentia capitis. — Absolute 3. *ibid.* 8. 92.

TŬMĔO, tūmes, tūmŭi, tŭmere, n. 2. Ratione habita etymi, a rad. Skr. *tav*, cresco, oriri videtur. — Part. *Tumens* fere in omn. paragr. — Tumeo est turgeo, inflatus vel tumidus sum, οἰδαίνω, ὀγκόω (It. *essere gonfio*; Fr. *être enflé, gonflé*; Hisp. *ser. hinchado*; Germ. *geschwollen sein*; Angl. *to swell, be swollen*).

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 2. 5. 11. Quid hoc in collo tibi tumet? SAG. vomica est, pressare parce. *Lucret.* 4. 1045. Tumere irritata loca semine. *Virg.* 2. *Æn.* 273. perque pedes trajectus lora tumentes. *et* 381. anguem Attollentem iras et cærula colla tumentem. Ἑλληνισμός. *Ovid.* 3. *Met.* 72. plenis tumuerunt guttura venis. *et* 33. Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno. *Propert.* 4. 2. 14. Et coma lactenti spicea fruge tumet. *Ovid.* 3. *Fast.* 238. Uvidaque e tenero palmite gemma tumet. *et* 2. *ibid.* 776. unda tumet a vento. *Tibull.* 4. 1. 194. tument freta ventis. *Id.* 1. 9. 73. lumina tument fletu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (163). In poculis repletis media maxime tument. *Martial.* 11. 56. Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis. *Id. Spectac.* 26. Vela tument sinu. *Id.* 13. 58. Aspice, quam tumeat magno jecur ansere majus. *et ibid.* 44. vivo lacte papilla tumet. *Juvenal.* 3. 293. cujus aceto. Cujus conche tumes? *h. e.* ventrem habes saturum et distentum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (52). Pulmonea mala stolide tument. *Phædr.* 2. 7. Tumentes sacci multo hordeo. *pieni.* et *Quintil.* 11. 3. 29. nares ac pectus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 16. gemmæ vitis. *Seneca Herc. Œt.* 552. Juppiter fronte subita tumuit. *h. e.* cornua emisit in taurum versus. *Id. ibid.* 775. Euboica tellus vertice immenso tumens. *h. e.* celso monte se attollens. Sic *Claudian. de Apono* 12. Conspicuo clivus molliter orbe tumet. *Calpurn. Ecl.* 10. 36. Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu. *Cornu* namque Bacchi sumitur pro signo vel symbolo fruticantium silvarum et vitium. *V. Gyrald. Synt.* 8. et *Wernsdorf.* ad *Calp. Exc.* 21.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Virg.* 6. *Æn.* 48. pectus anhelum Et rabie fera corda tument. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 36. Laudis amore tumes. *h. e.* plenus es, laboras cupidine laudis. ¶ 2. Usurpatur et de tumentibus præ libidine, ὀργάω, σπαργάω. *Tibull.* 1. 9. 36. *de puero.* Dum tumet et teneros conserit usque sinus. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 116. tument tibi quum inguina. *V.* TUMOR. ¶ 3. Sæpe dicitur de iratis, quia in ira bile tumet jecur, ut *Horat.* 1. *Od.* 13. 4. ait. *Cic.* 3. *Tusc.* 9. 19. Inflatus et tumens animus in vitio est: sapientis autem animus semper vacat vitio, numquam turgescit, numquam tumet, at iratus animus ejusmodi est, numquam igitur sapiens irascitur. (Illa *numquam tumet* absunt in MS. *Verburgii*: sed *Cic.* paullo ante *tumidum ac turgidum* dixerat.) *Liv.* 31. 8. *extr.* et *Seneca Phœniss.* 352. Tumet animus ira. *et Troad.* 1096. Leo tollit minas atque animis tumet. *Val. Flacc.* 6. 2. Mars acri corde tumet. *Seneca Thyest.* 267. Nescio quid animus majus et solito amplius Supraque fines moris humani tumet. *h. e.* plenus iræ concipit et Parat. ¶ 4. *Tumere* etiam dicuntur, qui seditionem bellumve irritati aut præsentis status pertæsi moliuntur. *Cic.* 14. *Att.* 4. Quotidie aliquid novi suspicor, tument negotia. *v' è un certo bolli bolli*. et *Plin. Paneg.* 28. Congiarium quod ante principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis objectabant. *Tac.* 3. *Hist.* 32. Nec multum virium a tergo, quoniam Galliæ tumeant. *Claudian. B. Get.* 381. hinc animo frustra tumuistis inani. et *Ovid. Heroid.* 7. 121. Bella tument. — Cum dativo. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 58. Accensum quis bile feret famulisque tumentem Leniet? *h. e.* irascentem servis. — Cum infinito. *Val. Flacc.* 1. 198. nec nunc mihi jungere montes Mens tumet aut summo deposcere fulmen Olympo. *Schenkl* dedit *tamen*. ¶ 5. Pro superbire, efferri, *insuperbirsi, andar tronfio*. *Virg.* 11. *Æn.* 854. Ut vidit fulgentem

armis ac vana tumentem. *Phædr.* 1. 3. Tumens inani graculus superbia. *Val. Flacc.* 3. 677. parta jam laude tumens. *Martial.* 4. 46. Saturnalia divitem Sabellum Fecerunt, merito tumet Sabellus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 3. (8). Tumere gloria. *Justin.* 39. 2. 1. successu rerum. Adde *Claudian.* 1. *in Rufin.* 165. et *Juvenal.* 8. 40. *Tac.* 1. *Hist.* 16. Nero longa Cæsarum serie tumens. — Cum infinito. *Stat.* 1. *Achill.* 348. sparsumque tumet componere crinem. *Alii* student. *Claudian. cons. Mall.* 3. plausuque tumet clarescere vulgi. *Alii* petit. ¶ 6. *Tumentes anni*, prima adolescentia. *Stat.* 1. *Achill.* 292. Virginitas matura toris annique tumentes. *V.* similem locum in TUMESCO. ¶ 7. Refertur, per metaphoram, ad inflatum ac turgens dicendi genus. *Tac. Dial. de orat.* 18. Neq Ciceroni obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus videretur. *Martial.* 4. 49. A nostris procul est omnis vesica libellis: Musa nec insano syrmate nostra tumet. *h. e.* nihil tragicum canit. Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

*Tumens, entis,* etiam absolute, substantivorum more, usurpatur, et est qui tumore laborat. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (30). Rutam tritam imponunt contusis tumentibusque.

Homonym. Discrimen inter *tumeo* et *turgeo* id esse videtur, quod illud proprie tumiditatem indicet vacuam, hoc plenam vel solidiorem aut potius, quæ rumpatur. Hinc *Isid.* 1. *Diff.* 560. *Tumet* corpus ægroti; *turget* cadaver. Et *Forcellin.* ad *Cic.* 3. *Tusc.* 9. 19. ait, *tumidum* dici a medicis præter naturam inflatum; *turgidum*, quum ex tumore quippiam erumpere paratum est. Promiscue tamen quoque usurpantur.

TŬMESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TŬMESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* tumeo) Part. *Tumescens.* — Tumesco est tumens fio, turgesco, intumesco, ὀγκόομαι (It. *gonfiarsi;* Fr. *se gonfler;* Hisp. *hincharse;* Germ. *schwellen, aufschwellen;* Angl. *to begin to swell, swell*).

I.) Proprie. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divin.* 7. 13. et *Virg.* 2. *G.* 479. et *Ovid.* 1. *Met.* 36. Maria tumescunt. *Id.* 6. *ibid.* 377. inflata - colla tumescunt. *Lucan.* 10. 224. *de fluvio.* ingresso vere tumescit Tabe nivis. *Seneca Herc. Fur.* 936. suco tumescit herba. *Tac.* 2. *Hist.* 77. *ad fin.* Contecta et tumescentia vulnera. *Auct. ep. Did.* 74. *v.* 4. *Wernsd.* Rident prata rosis et floribus arva tumescunt.

II.) Translate. ¶ 1. Est superbire. *Quintil.* 1. 2. *a med.* Mens aut languescit aut contra tumescit inani persuasione. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 176. alteque tumescunt Serviles animi. *Id. II. cons. Stilich.* 61. Lydia Pactoli fonte tumescit. ¶ 2. Item clam moveri, gliscere. *Virg.* 1. *G.* 463. cæcos instare tumultus Sæpe monet fraudemque et operta tumescere bella. *Vellej.* 2. 15. 2. Mors Drusi jam pridem tumescens bellum excitavit Italicum. *V.* TUMEO. ¶ 3. Item irasci. *Ovid. Heroid.* 8. 57. Rumpor et ora mihi pariter cum mente tumescunt. *Claudian. IV. cons. Honor.* 242. rabie succensa tumescit. ¶ 4. *Id. epithal. Pallad. et Celer.* 125. matura tumescit Virginitas. *h. e.* tument papillæ. Cf. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* n. 12. Uteri tumescentes. *V.* TUMEO, TUMIDUS et TUMOR.

TŬMET, tu met. *V.* TU.

TŪMEX, icis, f. 3. vibex, livor, ustula: fortasse a *tumeo. Gloss. Lat. Gr.* Tumex, σμῶδιξ, αἱματώδης τόπος. Cf. *Isid.* 19. *Orig.* 1. 6.

TŪMĬCLA, æ, f. 1. Syncope pro *tomicula,* quod est deminut. a *tomix.* — Tumicla est restis, funiculus. *Apul.* 8. *Met.* Illico me tumicla spartea deligatum tradidit Philebo. *V.* THOMIX.

TŬMĬDĒ, adverb. (tumidus) Sup. *Tumidissime.* — Tumide est inflate.

I.) Proprie. *Orest. trag.* 363. Tumide spumantibus undis.

II.) Translate. *Plaut. Asin.* 3. 3. 115. Ut tumide is! Ita *Meursius.* Alii *ut tu incedis!* et *Seneca Suasor.* 1. *in fin.* Ut sententiam adjectione supervacanea atque tumide perderet. *Alii leg.* tumida. *Id.* 4. *Controv.* 25. *ad fin.* Tumidissime dixit Murrhedius.

TŬMĬDĬTAS, ātis, f. 3. (tumidus) tumor, *gonfiezza,* ὄγκος. *Firmic.* 8. *Mathes.* 29. *circa med.* Qui ventris tumiditate correpti hac ex causa moriantur. Adde *Hieronym. Ep.* 53. *n.* 11.

TŬMĬDO, as, are, 1. (tumidus) ¶ 1. Intransitive est tumidus fio. *Gloss. Gr. Lat.* Οἰδαίνω, tumesco, turgesco, tumido. ¶ 2. Transitivorum more pro tumidum facio, sed translate tantum, tribuitur *Augustin.* seu potius *Auct. Specul.* 30. Vita ærumnosa, quam humores tumidant.

TŬMĬDŌSUS, a, um, adject. (tumidus) tumens, tumidus, ut Tumidosi colles, *Ammian.* 21. 10. 3. *W.* At *Eyss.* et *Gardth.* cum MSS. leg. *tumulosi.*

TŬMĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* tumidus, *tumidetto,* ut Tumidula gingivula, *Apul. De mag.*

TŬMĬDUS, a, um, adject. (tumeo) Comp. *Tumidior* I. et II. 3.; Sup. *Tumidissimus* II. 3. — Tumidus est inflatus, tumens, tumefactus, οἰδαλέος, ὀγκώδης (It. *gonfio, enfiato, tumido;* Fr. *enflé, gonflé;* Hisp. *hinchado;* Germ. *aufgeschwollen, schwellend, strotzend;* Angl. *swollen, swelling, inflated*).

I.) Proprie. *Cic. Vatin.* 2. 4. Tumidis cervicibus. *Id.* 3. *Tusc.* 9. 19. Membrum tumidum ac turgidum vitiose se habet. (*tumidum* medici dicunt præter naturam inflatum: *turgidum,* quum ex tumore quippiam erumpere paratum est. *Id. ibid.* Sapientis animus numquam turgescit, numquam tumet.) *Horat.* 3. *Od.* 3. 48. Qua tumidus rigat arva Nilus. *Id.* 2. *Ep.* 2. 201. (et *Sil. It.* 1. 575.) agimur tumidis velis aquilone secundo. *Virg.* 3. *Æn.* 157. et 8. *ibid.* 671. Tumidum mare. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 13. Euri. *et* 2. *ibid.* 14. 15. venter. *Id.* 1. *Met.* 460. anguis. *pien di veleno.* et 15. *ibid.* 77. uvæ. *gravide di mosto.* et 2. *Amor.* 16. *extr.* montes. *alti.* et *Tac.* 2. *Ann.* 23. terræ Germaniæ. *paesi montuosi.* Alii interpr. *tumentes maris fluctibus,* quibus æstu alluantur. V. *Boetticher* ad *h. l. Ovid. Remed. am.* 337. Tumidæ papillæ. *Stat.* 2. *Theb.* 204. virginitas. *h. e.* papillis tumidis. *V.* similem locum in TUMESCO. *Colum.* 4. *R. R.* 1. Tumidior terra. *sollevata.* et *Cels.* 2. 6. Tumidiores oculi.

II.) Translate. ¶ 1. Est iratus, quia in ira bile tumet jecur, ut *Horat.* 1. *Od.* 13. 4. ait. *Id. Art. P.* 94. Iratusque Chremes tumido delitigat ore. *Virg.* 6 *Æn.* 407. tumida ex ira tum corda residunt. *Stat.* 1. *Achill.* 155. Insidias et bella parant tumidique minantur. ¶ 2. De iis, qui facile ad tumultum et bella moventur. *Justin.* 41. 3. *a med. de Parthis.* Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia. *Flor.* 4. 12. Tumidæ gentium inflatæque cervices. *V.* similia in TUMEO. ¶ 3. Item superbus, elatus, inflatus, *tronfio, superbo. Ovid.* 8. *Met.* 495. Successu tumidus. *Propert.* 2. 19. 15. Tumidus honor. *h. e.* superbos faciens. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 98. Crescentem tumidis infla sermonibus utrem. *con parole da far insuperbire.* et *Lucan.* 5. 233. Tumidis infesta numina. *Stat.* 2. *Theb.* 162. tumidi solio et late dominantibus armis. *Seneca* 2. *Benef.* 16. Alexander tumidissimum animal. *Sil. It.* 11. 25. Eridani tumidissimus accola, Celtæ. — *Apul. De deo Socr.* Pars in superstitione, pars in contemptu, tumidi vel timidi. ubi *tumidus timido* opponitur. ¶ 4. Dicitur per metaphoram de inflato dicendi genere. *Catull.* 72. 95. populus tumido gaudeat Antimacho. Alii accipiunt *tumido* de magnitudine et insigni longitudine carminis Antimachi. V. *Weichert Poet. Lat. etc. p.* 182. *Liv.* 45. 23. *a med.* Non negaverim nostrorum (*Rhodiorum*) tumidiorem sermonem esse. *Plin.* 7. *Ep.* 12. Ut tibi tumidius videretur, quod est sonantius et elatius. *et* 9. *Ep.* 26. Visus es mihi in scriptis meis adnotasse quædam, ut tumida, quæ ego sublimia; ut improba, quæ ego audentia; ut nimia, quæ ego plena arbitrabar. *Quintil.* 12. 10. 12. M. Tullium suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem. *Id.* 8. 3. 18. Quod alibi magnificum, tumidum alibi. *Id.* 10. 2. 16. Fiunt pro grandibus tumidi. *Gell.* 7. 14. Plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus; squalentes et jejuni pro gracilibus.

Homonym. Discrimen inter *tumidum* et *turgidum* V. sub TUMEO.

TŬMOR, ōris, m. 3. (tumeo) inflatio, abscessus, οἴδημα, ὄγκος (It. *gonfiamento, enfiatura, tumore;* Fr. *gonflement, enflure, bouffissure;* Hisp. *hinchazon, tumor;* Germ. *die Geschwulst, Erhöhung;* Angl. *a swelling or tumour*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. *extr.* Citius repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur. *et* 3. *ibid.* 9. 19. Num manus affecta recte est, quum in tumore est? *Id.* 2. *Herenn.* 27. *sub fin.* Deformatum, tumore præditum, decoloratum fuisse constat. ergo veneno necatus est. *Ovid.* 15. *Met.* 305. tumor ille loco permansit et alti Collis habet speciem. *Propert.* 2. 23. 86. Turpia quum faceret Palladis ora tumor. *h. e.* inflatio buccarum in sonanda tibia. *Martial.* 8. 64. tumor excitat papillas. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 72. Tumor pelagi. *Frontin. De colon. p.* 126. *et* 127. *Goes.* Tumores terræ. *alture, collinette,* tumuli, colliculi. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 101. curvata tumore Parvo planities et mollibus edita clivis Creverat in collem. *Martial.* 4. 64. Et planus modico tumore vertex Cælo perfruitur sereniore. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 25. 96. (257). Folia hippomarathi illinuntur tumoribus ardentibus. *sull'enfiagioni infiammate.* et *ibid.* 2. 4. (9). Tumores subitos sanare. *Id.* 24. *ibid.* 4. 6. (11). discutere. *Id.* 20. *ibid.* 16. 61. (169). sedare. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. *in fin.* lenire. *Id.* 22. *ibid.* 65. 69. (141). maturare atque aperire. *Id.* 24. *ibid.* 8. 36. (55). sistere. *et* 35. *ibid.* 17. 57. (195). cohibere. *et* 21. *ibid.* 21. 89. (157). tollere.

II.) Translate. ¶ 1. Est motus hominum ex ira aut rerum novarum cupiditate in seditionem aut bellum spectantium, *un bolli bolli, commozione di popolo, principio o minaccia di tumulto:* ductum a tumoribus, qui in pus erumpere minantur. *Cic.* 14. *Att.* 5. Ne deserere viderer hunc tumorem. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 117. præsens tumor et civilia nuper classica etc. ¶ 2. Item quævis animi perturbatio et ægritudo. *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. Quum tumor animi resedisset. *et ibid.* 31. *sub fin.* Nos omnia in consolationem unam conjecimus. erat enim in tumore animus. *et* 4. *ibid.* 29. *sub fin.* Vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere. ¶ 3. Et præsertim ira, *collera, sdegno:* qua animus velut inflatur. *Seneca* 1. *Ira* 16. *ante med.* Ira habet non solidum robur sed vanum tumorem. *et* 3. *ibid.* 2. *ad fin.* Ira violavit legationes, rupto jure gentium, rabiesque infanda civitatem tulit; nec datum tempus, quo resideret tumor publicus. *Virg.* 8. *Æn.* 40. tumor omnis et iræ Concessere deum. Est qui leg. *timor,* sed invitis libr. melioribus, *Pierio* teste. *Seneca Thyest.* 519. Ponatur omnis ira et ex animo tumor Erasus abeat. *Lactant. Ira D.* 18. *circa med.* Ut residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio. *Arnob.* 1. *p.* 15. Nullus tumor indignationis in diis est. ¶ 4. Item libidinis titillatio. *Auct. Priap.* 83. 42. Et inquietus inguina arrigat tumor. *V.* TUMEO. ¶ 5. Item superbia, elatio, arrogantia, *orgoglio, superbia. Seneca Hippol.* 136. durus et veri insolens Ad recta flecti regius non vult tumor. *Justin.* 11. 11. *sub fin.* Hinc illi aucta insolentia mirusque animo increvit tumor. *Claudian. epist.* 1. 6. Me dolor incautum, me lubrica duxerit ætas, Me tumor impulerit, me devius egerit ardor. *Lucan.* 10. 99. multos tumores Mente gerit famulus Magni cervice revulsa. ¶ 6. Item, per metaphoram, de tumido dicendi genere et vaniloquentia. *Gell.* 2. 23. *sub fin.* Consarcinare verba tragici tumoris. *Quintil.* 9. 4. *ad fin.* Affectamus etiam tumorem, qui spondeis atque iambis maxime continetur. *Petron. Sat.* 1. *de declamatorib.* Hæc ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos.

*Alii leg.* verborum tumore. *Seneca* 2. *Benef.* 11. *in fin.* Quid opus est arrogantia vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit. Adde *Val. Max.* 1. 5. *n.* 8.

**TŬMŬLĀMEN**, inis, n. 3. (tumulo) tumulus, *sepolcro*. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 634. *n.* 290. IPSE MEIS QVOD CONSTITVI TVMVLAMINA MEMBRIS. Adde *Anthol. Lat.* 1412. 11. *M.*

**TŬMŬLĀTUS**, a, um, particip. *V.* voc. seq.

**TŬMŬLO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (tumulus) Part. *Tumulatus* et *Tumulandus*. — Tumulo est sepelio, in tumulo condo, θάπτω (It. *seppellire, sotterrare;* Fr. *enterrer, mettre dans un tombeau;* Hisp. *enterrar, sepultar;* Germ. *mit e. Grabhügel decken, begraben;* Angl. *to bury, inter, entomb*). *Catull.* 64. 153. nec injecta tumulabor mortua terra. *Ovid.* 8. *Met.* 710. neu sim tumulandus ab illa. *Id.* 15. *ibid.* 716. et quam tumulavit alumnus. *Id.* 1. *Pont.* 6. 49. Inque Tomitana jaceam tumulatus arena. *Martial.* 11. 91. Æolidon Canace jacet hoc tumulata sepulcro. *Capell.* 6. *p.* 212. Cynossema dicitur locus Hecubæ sepulcro tumulatus. Num legend. *celebratus?* ibidem enim *p.* 214. Achilis insula ejus sepulcro celebrata. Ad rem *Mela* 2. 2. Est Cynossema tumulus Hecubæ sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna, in quam deciderat, humili nomine accepto. Cf. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (49). et *Solin.* 10. 22. — Hinc *tumulatus*, absolute, apud *Ovid.* 15. *Met.* 57.

**TŬMŬLŌSUS**, a, um, adject. (tumulus) plenus tumulis, *pieno di colline o tumuli*. *Sall. Jug.* 96. Pervenit in locum tumulosum. Adde *Venant. Vit. S. Marcell.* 10. V. TUMIDOSUS.

**TŬMULTŌSUS**. *V.* TUMULTUOSUS.

**TŬMULTŬANS**, antis, particip. *V.* TUMULTUOR.

**TŬMULTŬĀRĬĒ**, adverb. (tumultuarius) cum tumultu, festinanter, *in fretta, tumultuariamente*, ἐκ τοῦ παρατυχόντος. *Ammian.* 24. 2. *a med.* His raptim ac tumultuarie actis. *Spartian. Caracall.* 6. Tumultuarie cum Parthorum satrapis manum contulit. Adde *Aurel. Vict. Cæs.* 40. et *Julian.* apud *Augustin. Op. imp. c. Julian.* 1. 17.

**TŬMULTŬĀRĬO**. *V.* voc. seq.

**TŬMULTŬĀRĬUS**, a, um, adject. (tumultus) in tumultu factus, αὐτοσχέδιος (It. *fatto in fretta, tumultuario;* Fr. *tumultuaire, fait précipitamment;* Hisp. *tumultuario, hecho arrebatadamente;* Germ. *in der grössten Hast od. Eile zusammengebracht;* Angl. *tumultuary, done suddenly or hastily*).

I.) Proprie, in re militari, ut *tumultuarii milites*, qui in tumultu evocabantur, id est speciatim in bello Italico et Gallico. Hi milites fiebant per conjurationem; nam quia singulos interrogare non vacabat propter præsens periculum, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium et exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat: *Qui vult salvam rempublicam, me sequatur*, et qui convenissent, simul jurabant. Unde dicebatur ista militia conjuratio. Hinc illud *Virg.* 8. *Æn.* 4. simul omne tumultu Conjurat trepido Latium. (Adde *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 157. et V. *Sigon. De ant. jure C. R. c.* 15.) *Liv.* 5. 37. Quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto ægre ad undecimum lapidem occursum est. *Id.* 35. 2. *ad fin.* Mens ea senatui fuit, ut in Hispania tumultuarii milites legerentur. *Gell.* 16. 10. *a med.* Proletarii asperis reipubl. temporibus, quum juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur. Adde *Liv.* 35. 23., *Vellej.* 2. 42. 2. et *Fest. p.* 355. 31. *Müll. V.* TUMULTUS. — Etiam in provinciis id fiebat, quoties repentina esset hostium invasio aut rebellio. *Tac.* 4. *Hist.* 20. Tumultuariæ Belgarum cohortes. et 66. manus. *Spartian. Did. Julian.* 1. auxilia. *truppe levate in massa*.

II.) Translate sumitur pro omni eo, quod sine præmeditatione et subito factum est, παρατυχὼν, nam in tumultu omnia præpropere administrari publice privatimque solita fuere, quum bellum urgens et quasi muris imminens solemnes actus non admitteret. *Liv.* 6. 29. Locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt. *Id.* 21. 8. Nihil tumultuariæ pugnæ simile erat, quales in oppugnationibus urbium per occasionem partis alterius conseri solent. (pugnæ *tumultuariæ* opponitur *justa* pugna, *Liv.* 22. 88. vel *rectum* et *justum* prœlium, *Id.* 35. 4.) Adde *Ammian.* 24. 5. 3. *Veget.* 3. *Milit.* 8. Tumultuaria castella. *Apul.* 4. *Met.* lavacrum. *Id.* 1. *ibid.* genus mortis. — De oratione. *Quintil.* 10. 7. *ante med.* Sed nec tumultuarii nec fortuiti sermonis contextum mirabor umquam. *Gell.* 11. 7. Homo celebratus in causis, sed repentina et quasi tumultuaria doctrina præditus. *Id.* 6. 16. Qui tumultuariis et inconditis linguæ exercitationibus ad famam se facundiæ permiserat. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. Tumultuarium carmen inscripsi. h. e. *improvvisato;* etenim *ibid. mox.* Quæ imaginarie tantum et quodammodo umbratiliter effingimus. — Hinc

*Tumultuario*, absolute, idem ac tumultuarie. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 65. Quod per lyræ cantus et musicam tumultuario convenisset.

**TŬMULTŬĀTIM**, adverb. (tumultus) properanter, temere. *Sidon.* 4. *Ep.* 11. Non tumultuatim doctrinæ suæ opes erogaturus.

**TŬMULTŬĀTĬO**, ōnis, f. 3. (tumultuor) actus tumultuandi. *Liv.* 38. 2. Hæc tumultuatio regem cupientem, si se sequerentur, raptim evadere angustias, revocare primos et eadem, qua venerat, via referre coegit signa. Adde *Val. Max.* 7. 4. *n.* 4. et *Hieronym.* in *Mich.* 1. ad 2. 11. et *seq.* — Hinc translate significat militum tumultuariorum conjurationem. *Isid.* 9. *Orig.* 3. *a med.* Conjuratio est, quæ fit tumultu, quando vicinum urbis periculum singulos jurare non patitur: sed repente colligitur multitudo et tumultuosa in ira conflatur. Hæc tumultuatio dicitur. *V.* TUMULTUARIUS.

**TŬMULTŬĀTOR**, ōris, m. 3. (tumultuor) qui tumultuatur, *tumultuante*. *Gloss. Lat. Gr.* Tumultuator, ὀχλοκόπος.

**TŬMULTŬĀTUS**, a, um, particip. *V.* voc. seq.

**TŬMULTŬO**, as, ātum, are, n. 1. *et*

**TŬMULTŬOR**, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (tumultus) *Tumultuo*, forma activa, usurpatum fuisse, docet *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch.* Exempla *V.* infra. — Part. *Tumultuans* I. *a;* et *Tumultuatus* I. *a* et *b*. — Tumultuor est tumultum cieo, turbas facio, inquietus sum, θορυβέομαι (It. *fare tumulto, andare a romore, tumultuare;* Fr. *être en désordre, être agité, faire du bruit, exciter du tumulte, se soulever;* Hisp. *hacer del ruido fuerte, agitarse, excitar algun motin, tumultuar;* Germ. *lärmen, unruhig od. in Unruhe sein;* Angl. *to raise a tumult, make a bustle, tumultuate*).

I.) Proprie. — *a*) *Tumultuor*, forma deponent. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 21. In re populi placida atque interfectis hostibus, Non decet tumultuari. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 37. 101. Ego is consul, qui sæpe et sine causa tumultuer? *Id. Cœl.* 15. *a med.* Quid tumultuaris, soror? quid insanis? *Id. fragm.* apud *Augustin.* 3. *contra Acad.* 7. Clamat Zeno et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil aliud, quam honestatem. *Id.* 4. *Herenn.* 15. 21. In otio tumultuaris, in tumultu solus es otiosus. *Id.* 1. *Off.* 23. 80. Fortis et constantis est, non perturbari in rebus asperis nec tumultuantem de gradu dejici. *Justin.* 12. 15. 2. Tumultuantes milites, insidiis periisse regem suspicantes. *Sueton. Cal.* 55. Equiti R. tumultuanti per centurionem denuntiavit, abiret sine mora. *h. e.* obstrepenti in ludis, *che facea romore*. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 9. 9. (27). Tumultuantem elephantum catenis coercere. *Sueton. Galb.* 9. Tumultuari Gallias comperit. *Quintil. Declam.* 2. 18. Hominis, qui ferro occiditur, tumultuatur exitus et similis est repugnanti. *Petron. Sat.* 79. Non diu tumultuatus stabuli januam effregi. *Auct. Itin. Alex. M.* 16. Thebas Bœotias diruit tumultuatas. Adde *ibid.* 11. — *b*) *Tumultuo*, forma activa. *Acc. fragm.* 236. *Ribb.* Matronæ percitæ tumultuant. *Plaut. Rud.* 3. 2. 15. et 24. Quid sit, mihi expedi, Quid tumultues. Adde *Mil. glor.* 2. 2. 17. — Passive impersonaliter. *Cæs.* 7. *B. G.* 61. Hostibus nuntiatur, in castris Romanorum præter consuetudinem tumultuari. *Liv.* 21. 16. Cum Gallis tumultuatum verius quam belligeratum. (Cf. *Flor.* 4. 12. 40.) *Id.* 25. 21. Quum tumultuatum in castris sciret. *et* 36. 44. Ut demendis armamentis tumultuari primum cœptum est.

II.) Translate *tumultuor* ¶ 1. De oratione usurpatur et est sine ordine, confuse loqui. *Quintil.* 7. *procem.* Oratio carens ordine, tumultuetur necesse est et sine rectore fluitet nec cohæreat sibi. *Id.* 10. 7. 12. Mihi ne dicere quidem videtur, sed tumultuari. Adde 2. 12. 11. ¶ 2. Item est vehementer fluctuare, incertum esse. *Vellej.* 2. 79. 4. Dum Sex. Pompejus inter ducem et supplicem tumultuatur, et nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio jugulatus est.

**TŬMULTŬŌSĒ**, adverb. (tumultuosus) Comp. *Tumultuosius* et Sup. *Tumultuosissime*. — Tumultuose est cum tumultu, *tumultuariamente, tumultuosamente*, θορυβωδῶς. *Afran.* apud *Charis.* 2. *p.* 107. *Putsch.* Tumultuose et cunctis copiis. *Liv.* 2. 28. Rem consulere ordine non licuit, adeo tumultuose excepta est clamoribus undique et indignatione patrum. *et* 29. Senatus tumultuose vocatus, tumultuosius consulitur. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Equitibus imperat, ut paullo tumultuosius omnibus in locis pervagarentur. *Cic.* 4. *Verr.* 14. *extr.* Ut hominem id ætatis, minime litigiosum, quam tumultuosissime adoriantur. *Sueton. Cal.* 45. Jubet sibi post prandium quam tumultuosissime adesse hostem nuntiari.

**TŬMULTŬŌSUS**, a, um, adject. (tumultus) In aliquib. MSS. apud *Sueton.* legitur *tumultosus*, ut *monstrosus, montosus* etc. — Comp. *Tumultuosior* I. *a* et II.; Sup. *Tumultuosissimus* I. *a*. — Tumultuosus est tumultu plenus, tumultuarius, θορυβώδης (It. *pieno di tumulto, tumultuario;* Fr. *plein de trouble, tumultueux, confus;* Hisp. *tumultuoso, lleno de turbacion;* Germ. *voll Unruhe, voll Lärm;* Angl. *full of tumult, tumultuous*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plaut. Trin.* 5. 2. 52. Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subito foras? *Cic.* 2. *Fam.* 12. Tumultuosæ contiones. *Id.* 1. *Invent.* 3. *ad fin.* Ex seditiosa et tumultuosa vita se in studium aliquod quietum tradere. *Horat.* 3. *Od.* 1. 26. Tumultuosum mare. *tempestoso*. et *Liv.* 2. 10. Primam periculi procellam et quod tumultuosissimum pugnæ erat, parumper sustinuit. *et* 24. Latini equites cum tumultuoso advolant nuntio, Volscos infesto exercitu ad urbem oppugnandam venire. *Sueton. Ner.* 40. *ad fin.* Cœnæ tempore interpellatus tumultuosioribus litteris. *Vellej.* 2. 74. 1. Cæsar Italiam longe, quam speraverat, tumultuosiorem reperit. *Cels.* 1. 2. et 8. 4. *a med.* Somnus gravior, tumultuosa somnia. — *b*) De eo, qui tumultum excitat. *Liv.* 4. 28. In otio tumultuosi, in bello segnes. *turbolenti, sediziosi*. Adde *eumd.* 2. 24. et *Curt.* 7. 9. 28.

II.) Translate. *Quintil.* 3. 8. *a med.* Sæpius subsidit in controversiis impetus dicendi *etc.* verum id quoque æqualius erit, non tumultuosius neque turbidius.

**TŬMULTUS**, us, m. 4. (tumeo) Genetivus *tumulti*, ut *senati* etc., antiquorum est. *Sall. Cat.* 62. Cohortes veteranæ, quas tumulti causa conscripserat. Ita legit *Non. p.* 489. 33. *Merc.* et probat *Cortius;* alii *tumultus*. *Plaut. Cas.* 3. 5. 22. et *Pœn.* 1. 1. 79. Quid intus tumulti fuit? *Ter. Andr.* 2. 2. 28. et *Hecyr.* 3. 2. 21. Nihil ornati, nihil tumulti. Adde *Enn., Turpil., Afran., Pompon., Acc.* apud *Non. p.* 483. 33. et 489. 28. *Merc.* Cf. *Serg. Expl.* in *Donat.* 1. *p.* 515. 31. *Keil.* — Tumultus est turba, perturbatio, trepidatio, motus discursantium, trepidantium, strepentium, rumor ob quamlibet causam, θόρυβος, ταραγμός (It. *scombuglio, confusione, scompiglio, tumulto, romore, strepito;* Fr. *désordre tumultueux, bruit, vacarme, tumulte;* Hisp. *confusion, ruido fuerte, alboroto,*

*tumulto*; Germ. *die Gährung, der Tumult, die lärmende Unruhe, Verwirrung, der Lärm*; Angl. *a tumult, broil, bustle, disturbance, commocion*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Enn. fragm.* 143. Quid hoc hic clamoris, quid tumulti est? *Plaut. Bacch.* 5. 2. 1. Quis sonitu ac tumultu tanto nomine nominat me? *Cæs.* 2. *B. G.* 11. Magno cum strepitu ac tumultu castris egressi. *Id.* 7. *ibid.* 47. Repentino tumultu perterriti. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 26. Ut Urbi sine vestro motu ac sine ullo tumultu satis esset præsidii. *Id. Dejot.* 7. 20. Vultus hominum te intuentium recordere. numquæ trepidatio? numqui tumultus? numquid nisi moderate, nisi quiete? *Liv.* 25. 13. *a med.* Per tumultum ac trepidationem omnia agi. *Virg.* 2. *Æn.* 122. Ithacus vatem magno Calchanta tumultu Protrahit in medios. *Liv.* 25. 4. Turbæ ac tumultus concitatiores. *Id. ibid.* 23. Sine strepitu ac tumultu aliquid facere. *Id. ibid.* 25. *a med.* Quum omnia terrore ac tumultu streperent. *Id.* 28. 19. *extr.* Arx inter tumultum capta est. *Tac.* 4. *Ann.* 47. Tumultu armorum et cantuum truces. *Id.* 1. *Hist.* 85. Tumultu armorum sibi ipsi obstrepentes. *Seneca Herc. Fur.* 714. Acheron rapitur tumultu ingenti. *romore e fracasso.* et *Quintil.* 4. 2. 37. Nisi omnia tumultu ac vociferatione concusserint. — In plur. num. *Virg.* 1. *G.* 463. cæcos instare tumultus. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 126. novos moveat fortuna tumultus. *imperversi pure.* et *Ovid.* 5. *Met.* 5. Inque repentinos convivia versa tumultus. *contese, risse.* — *b*) De aeris aut maris tempestate, procella, fragoribus. *Horat.* 1. *Od.* 16. 11. tremendo Juppiter ipse ruens tumultu. *et* 3. *ibid.* 27. 17. vides, quanto trepidet tumultu Pronus Orion? *Ovid.* 3. *Met.* 308. *de Semele.* corpus mortale tumultus Non tulit ætherios. *h. e.* Jovem accedentem cum tonitru ac fulminibus. *Lucan.* 5. 592. pelagi cælique tumultus. *Seneca Herc. Fur.* 1091. Tumultus maris. — *c*) De mixtione et conflictu rerum diversarum et contrariarum, *confusione, contrasto, sconvolgimento. Horat.* 2. *Sat.* 2. 75. simul assis Miscueris elixa, simul conchylia turdis, Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum Lenta feret pituita. *Seneca* de *Thyeste*, qui natos suos comederat, *Thyest.* 999. Quis hic tumultus viscera exagitat mea? Quid tremuit intus? — Hinc translate *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 162. varius vocum generumque tumultus. ¶ 2. Speciatim *tumultus* dicebatur a Romanis bellum aliquod subitum, quod ob periculi magnitudinem hostiumque vicinitatem magnam Urbi trepidationem incutiebat. Proprie autem tumultum dicebant bellum Gallicum aut Italicum. *Cic.* 8. *Phil.* 1. 2. Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant, tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. Potest esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor (*al.* tumor) oriatur, unde etiam nomen ductum est tumultus? Itaque majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. Gravius autem esse tumultum, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent. Hæc *Cic.*, qui 3. *Phil.* 12. 31. Rem, inquit, administrandam arbitror sine ulla mora et confestim gerendam censeo, tumultum decerni, justitium indici, saga sumi dico oportere, delectum haberi sublatis vacationibus in Urbe et in Italia. Hisce verbis *Cicero* omnia tumultus signa expressit, quibus apparet, omnia in tumultu præpropere administrari publice privatimque solita, quum bellum urgens et quasi muris imminens solemnes actus non admitteret. *Liv.* 7. 9. Dictator, quum tumultus Gallici causa justitium edixisset, omnes juniores sacramento adegit. *Id.* 34. 56. Bojorum gentem ad defectionem spectare. Ob eas res tumultum esse decrevit senatus. — Etiam alibi subitum bellum, seditio repentina *tumultus* dicta. *Liv.* 41. 6. Sedato tandem Istrico tumultu. *et paullo* post. In Sardinia magnum tumultum esse, cognitum est. *Virg.* 6. *Æn.* 858. Hic rem Romanam, magno turbante tumultu, Sistet. Adde 8. *ibid.* 4. Huc pertinent *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Servilis tumultus. *Id.* 5. *ibid.* 26. Initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige. *Id.* 3. *B. C.* 106. Sedato tumultu. *Nepos Att.* 2. Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam. *guerra civile di Cinna.* et *Cic.* 3. *Cat.* 3. 7. Tumultum injicere civitati. *Liv.* 36. 19. edere. *Id.* 25. 29. *in fin.* sedare. *Tac.* 4. *Hist.* 16. comprimere. *Lucan.* 1. 297. componere. *Flor.* 3. 19. 2. Tumultus magis fuit, quam bellum. Sic *Curt.* 6. 16. 12. Tumultus magis, quam prœlium, fuit. *Val. Max.* 7. 6. *n.* 6. Subita indicti tumulti denunciatio. *Id.* 6. 9. *n.* 1. Tumultu Latino fessa patria. *Aurel. Vict. epit.* 23. Tumultu militari interfici. *Frontin.* 5. *Strateg.* 2. C. Cæsar seditione in tumultu civilium armorum ac tum maxime tumentibus animis etc.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de perturbatione animi et mentis ex cogitationibus in diversa trahentibus. *Horat.* 2. *Od.* 16. 9. Non enim gazæ neque consularis Summovet lictor miseros tumultus Mentis. *Id.* 2. *Sat.* 3. 208. species veri scelerisque tumultu Permixtæ. *Petron. Sat.* 123. pulsata tumultu Pectora perque duas scinduntur territa causas. *Seneca Herc. Fur.* 1219. Nondum tumultu pectus attonito caret. *Id. Œdip.* 328. quid fari queam Inter tumultus mentis attonitæ vagos? *Lucan.* 7. 183. gaudet monstris mentisque tumultu. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 20. Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum. *Auct. Od.* 2. ed. *Wernsd. v.* 3. 358. quies Lautis nuda tumultibus. *h. e.* curis rerum lautarum. ¶ 2. *Tumultus sermonis*, quum verba confusa et fracta exprimuntur, non articulate et distincte, propter linguæ impedimentum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (55). Suræ proconsulis rictum in loquendo contractionemque linguæ et sermonis tumultum piscator quidam in Sicilia reddidit. ¶ 3. *Tumultus criminum* apud *Quintil. Declam.* 1. 4. est confusa coacervatio criminationum. ¶ 4. Apud *Horat.* 1. *Ep.* 19. 19. O imitatores, servum pecus! ut mihi sæpe Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus! *h. e.* conatus et contentiones, verborum strepitu insignes, assequendi imitando aliorum scripta simulque nimium ac servilem metum, ne longius abeatis. *Cf. Ritter et Bindi.* ¶ 5. Metonymia est in his. *Tibull.* 2. 6. 25. urbique tumultus Portatur validis mille columna jugis. *h. e.* terrorem et tumultum injiciens, ne, vicis intrementibus, ædes ruant. (*V.* similem loc. apud *Senec. Ep.* 90. *ante med.* et *Juvenal.* 3. *a v.* 254.) *Stat.* 1. *Silv.* 2. 234. Omnis plebejo teritur prætexta tumultu. *h. e.* concursu plebis; ubi autem concursus, ibi tumultus. ¶ 6. In illo *ejusd.* 6. *Theb.* 588. variasque per artes Instimulant docto languentia membra tumultu: *tumultus* est creber motus et agitatio crurum a meditantibus cursuram facta, instar eorum, qui in tumultu discursant. ¶ 7. *Tumultus*, nomen personæ ad designandum officium, cui quis destinatur, genus vaticinii nominalis, apud *Vulg. interpr. Jer.* 46. 17. Cf. *eumd. ibid.* 20. 3., *Is.* 7. 3., *Os.* 1. 4. etc.

Homonym. Discrimen inter *tumultum, bellum* et *prœlium* V. sub v. BELLUM. — Item differt *tumultus* a *turba*; ille namque est turbatio repens, quæ ex hostili incursu aut populari seditione oritur; hæc vero turbatio minor. Cf. *Cic.* 8. *Phil.* 1. 2. *Liv.* 25. 4. Qui turba ac tumultus concitatiores fuerunt. — Item *tumultus* a *seditione* in illo *Paul. Dig.* 5. 22. § 1. Auctores seditionis et tumultus. *h. e.* discordiæ civium et concursus in publico facti.

TŬMŬLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

TŬMŬLUS, i, m. 2. (tumeo) *Tumolus* legitur in *Inscr.* apud *Boissieu Inscr. de Lyon* p. 570. n. 29. et p. 580. n. 36.; et *tomolus* pro *tumulus* in *Inscr.* apud *Le Blant Inscr. Chrét. de la Gaule* n. 405. et 461. — *Tumulum* neutr. gen. in *Inscr.* infimæ notæ apud *Reines. Inscr. cl.* 20. n. 197. SIBI POSTERISQVE SVIS HOC TVMVLVM FACIT. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2341. — Tumulus est colliculus e terra nonnihil eminens sive natura sive arte factus, λόφος (It. *monticello, collinetta, altura*; Fr. *élévation de terrain, tertre, éminence, colline*; Hisp. *eminencia, cerro, montecillo*; Germ. *e. Erdhügel, e. kl. Hügel in der Ebene*; Angl. *little hill, hillock*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Fest. p.* 355. 28. *Müll.* Tumulum Stilo Ælius sic definit: Tumulus est cumulus arenæ editus, secundum mare in altum elevatæ. unde similiter et manu factus et naturalis proprie dici potest. *Acc. fragm.* 409. *Ribb.* Pavore pecuda in tumulis deserunt. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divin.* 11. 18. Tumuli nivales in Albano monte. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Planities erat magna et in ea tumulus terreus satis grandis. *Id.* 3. *B. C.* 51. Tumulum occupavit. Adde 2. *ibid.* 27. *Auct. B. Alex.* 72. Tumulus naturali velut manu factus. *Cic.* 14. *Att.* 13. Quæris, utrum magis tumulis prospectuque, an ambulatione ἁλιτενεῖ delecter. *Ovid.* 15. *Met.* 397. tumulus sine ullis arduus arboribus. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 24. Tumuli silvestres. *Ovid.* 4. *Met.* 240. tumulumque super gravis addit arenæ. *Apul.* 6. *Met.* Montis petit extremum tumulum. Alii *cumulum. Curt.* 7. 7. 38. Tumulus editior. *Id.* 9. 9. 18. eminens. ¶ 2. Speciatim et sæpe ponitur pro sepulcro, quia ibi coacervari terra consuevit. *Virg.* 3. *Æn.* 321. Priameia virgo Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis Jussa mori. *Cic. Arch.* 10. 24. Quum Alexander in Sigæo ad Achillis tumulum astitisset. *Ovid.* 4. *Met.* 157. Componere tumulo. *et* 14. *ibid.* 176. condere. *et* 8. *ibid.* 236. ponere. *Albinov.* 1. 161. tumulo ponemur in uno. *Tac.* 2. *Ann.* 7. Tumulum alicui struere. *Lucan.* 8. 713. raptim parare alicui. *Ovid.* 2. *Met.* 326. tumulo dare corpora. *Virg.* 3. *Ecl.* 42. Et tumulum facite et tumulo super addite carmen. *Ovid. Heroid.* 7. 194. et 3. *Fast.* 547. et 3. *Trist.* 3. 72. Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit. *Sil. It.* 16. 292. tumulos celebrare. *h. e.* exsequias seu funus, exstructo tumulo vel cenotaphio. *Inscr.* apud *Orelli n.* 4362. In tumulo inferre. Adde *n.* 4465. ¶ 3. *Tumulus honorarius*, est cenotaphium, hoc est vacuum sepulcrum, quod in mari submerso eique, cujus corpus haberi non poterat, erigi solebat: vel mausoleum. *Virg.* 6. *Æn.* 505. Tumulus inanis. *Liv. Epit.* 140. In Julii tumulo conditum. *Sueton. Claud.* 1. Ceterum exercitus ei honorarium tumulum excitavit, circa quem etc. *Tac.* 3. *Ann.* 3. Reliquiæ tumulo Augusti inferebantur. ¶ 4. *Tumulus belli et vitæ*, est tropæum et simul sepulcrum, apud *Manil.* 2. 877. ¶ 5. Videtur pro culmine esse in *Inscr.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 38. V. infra.

II.) Translate sumitur de rebus diversis atque in unum confusis et cumulatis. *Vulg. interpr. Job* 15. 18. Domus desertæ, quæ in tumulos sunt redactæ. Adde *eumd. Jer.* 49. 2. et 51. 37. *Id. Is.* 25. 2. Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam.

Homonym. Discrimen inter *cumulum* et *tumulum* ita statuit *Hildebr.* ad *Apul.* 2. *Met.*, ut *tumulus* sit quicumque collis natura aut arte humana erectus neque ullo modo disparabilis; *cumulus* vero acervus rerum disparatarum, quæ temere exaltantur. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3. 375. et *Bach.* ad *Ovid.* 12. *Met.* 514. Cf. etiam *Inscr.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 38. Tumulum intra monimentum super sarcophaga earum massa ædificavit usque ad cumulum. ubi tamen rectius *cumulum* pro summitate accipias. Ceterum *cumulus* et *tumulus* inter se confusa occurrunt in antiq. MSS. et editis lib., ut monet cum aliis *Drakenborch* ad *Liv.* 10. 29. — Item discrimen inter *tumulum, bustum, monumentum* et *sepulcrum* V. sub BUSTUM et SEPULCRUM.

TŪMUM. *V.* TYMUM.

TUMUS. *V.* TYMUS.

TUN pro Tunc. *V.* TU.

TUNC. adverb. temporis. Conflata vox est ex *tum* et particula syllabica *ce* demonstrativa, quæ decurtata in unum coaluit, ut in *nunc* et similiter in *hic, sic* etc. *V.* TUM. — In MSS. facile

tunc et cum commutantur. — Tunc est eo tempore, eo momento, tum, τότε (It. *in quel tempo, in quel momento, allora*; Fr. *alors, dans ce moment même*; Hisp. *entonces*; Germ *dann, alsdann, dann eben*; Angl. *then, at that time*): designat igitur tempus sive præteritum sive futurum, sive generatim sive speciatim indicatum, prout adjuncta demonstrant, habetque sibi respondentem ex opposito partic. *nunc*. ¶ 1. Designat igitur tempus: seu, ut alii volunt, proprie usurpatur — *a*) Absolute. *Enn. Ann.* 174. Cives Romani tunc facti sunt Campani. *Id.* apud *Non. p.* 211. 10. Tanto sublatæ sunt agmine tunc lapides. *Plaut. Truc.* 2. 5. 37. Tunc pol ego et donis privatus sum et perii. *Cæs.* 7. *B. G.* 67. Pugnatur una tunc omnibus in partibus. Adde 2. *B. C.* 13. *Propert.* 1. 1. 23. Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes Posse Cytæææis ducere carminibus. *Stat.* 5. *Theb.* 81. nam me tunc libera curis Virginitas annique tegunt. *pro* tegebant: tempus *pro* tempore. Adde *Sueton. Cæs.* 70. et *Aug.* 70. et *Curt.* 7. 1. 7. *Justin.* 36. 4. 4. Hujus testamento heres populus R. tunc instituitur. — In illo *Vulg. interpr. Gen.* 12. 6. Tunc erat Chananæus in terra. *tunc* pro jam tunc vel etiam tunc accipiendum esse videtur. — Apud *Catull.* 64. 205. recentiores pro *quo tunc et tellus* legunt *in quo nutu tellus*. — *b*) Cum opposito *nunc* vel *hodie*. *Sall. Jug.* 3. Partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram. *Cic. Rabir. Post.* 12. 24. Nunc ajunt, quod tunc negabant. *Id.* 7. *Phil.* 5. 14. Sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen justa: nunc nulla est. *Nepos Eumen.* 3. Macedones milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur. Rursus *Cic. Amic.* 4. 13. Nunc quidem (*Magna Græcia*) deleta est, tunc florebat. Adde *ibid.* 11. 39. *Id.* 2. *Rep.* 9. 16. Tunc, id quod retinemus hodie, auspiciis plurimum obsecutus est. *Liv.* 8. 31. Tunc invidia impedire virtutem alienam voluisse et nunc furere. Adde 7. 30. — *c*) Cum genetivo *temporis*, πλεοναστικῶς. Cf. TUM. *Justin.* 1. 4. 4. De gente obscura tunc temporis Persarum Cambysi (*filiam*) in matrimonium tradit. *Apul.* 11. *Met.* Quippe quod tunc temporis videre præsentes plurimi. — *d*) Cum particulis *quum, si*. *Plaut. Capt.* 4. 2. 107. Cujus erat tunc nationis, quum hinc abiit? *Cic.* 2. *Verr.* 18. 55. In illa tunc, quum omnia dicta sunt, testes dantur. Adde *Quintil.* 4. 2. 8. et 6. 1. 52. *Colum.* 9. *R. R.* 15. Si favi transversi inhærent, tunc scalprato ferramento est opus. — *e*) Ad majorem vim additur *demum*. *Plaut. Merc.* 3. 2. 9. Demum igitur, quum senex sis, tunc in otium te colloces. *Colum.* 1. *R. R. præf. in fin.* Quas ordine suo tunc demum persequar, quum præfatus fuero etc. Cf. *Liv.* 42. 3., *Senec. Tranquill.* 15. et *Curt.* 4. 49. 20. *Sueton. Claud.* 5. Tunc demum, abjecta spe dignitatis, ad otium concessit. Adde *Manil.* 2. 787. — *f*) Item ad majorem vim et etiam temporis definitionem cum particulis *primum, adhuc, jam* etc. *Sueton. Ner.* 17. Adversus falsarios tunc primum repertum etc. Adde *Liv.* 5. 13., *Justin.* 6. 3. 2. et *Curt.* 3. 32. 26. *Sueton. Tib.* 14. Ignota scilicet tunc adhuc Cæsarum potestate. *Nepos Timoth.* 3. Philippus jam tunc valens multa moliebatur. *Sueton. Vesp.* 6. Tunc quidem compressa res est. *Id. Aug.* 54. Triumvirum legeret M. Lepidum, hostem olim ejus et tunc exsulantem. *Id. Ner.* 26. Sed ut tunc quoque dubium nemini foret. Adde *Curt.* 7. 1. 7. *Id.* 3. 28. 20. Tunc vero impotentis fortunæ species conspici potuit. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 26. Quia tunc maxime in humorem mutabilis terra est. Adde 2. *Ira* 14. *Curt.* 3. 5. 17. Tunc quum maxime utilia suadentem. — *g*) Sequiore ætate occurrit cum *ex*, etiam conjunctim. *Alcim. Avit. carm.* 5. 315. Ex tunc paullatim retro sublapsa referri Vita prior etc. Adde *Venant.* 9. *carm.* 2. 5., *Vulg. interpr. Matth.* 26. 16. et *Is.* 48. 3. etc. ¶ 2. Interdum designat ordinem rerum ac successionem in ipso tempore et enumerationi inservit: seu translate, ut alii putant, usurpatur. *Plaut. Most.* 3. 2. 54. Tunc tibi chorda tenditur: inde in ferriterium: postea in crucem recta. *Manil.* 2. 757. Ut rudibus pueris monstratur littera primum — Tunc conjuncta suis formatur syllaba nodis; Hinc verbi structura venit per membra legendi, Tunc rerum etc. *Sueton. Ner.* 32. Ante omnia instituit ut — deinde ut — Tunc ut etc. — Cum particula *quum*. *Cæs.* 6. *B. G.* 32. Hunc quum reliquis rebus locum probarat, tunc quod superioris anni munitiones integræ manebant. *Cic.* 1. *Off.* 34. 123. Luxuria vero quum omni ætati turpis, tunc senectuti fœdissima est. *Alii tamen leg.* tum. *V.* hanc voc. *Juvenal.* 9. 118. Vivendum recte est quum propter plurima, tunc est Idcirco ut possis linguam contemnere servi. Cf. *Lachm.* ad *Lucret. p.* 25.

Homonym. Qui differant *tum* et *tunc*, V. sub TUM.

TUNDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

TUNDO, tundis, tŭtŭdi, tunsum *vel* tūsum, tundere, a. 3. — *a*) Præteritum *tunsi* pro *tutudi* agnoscitur a *Diomed. p.* 372. 18. et *Charis. p.* 248. 2. *Keil.* — Item *tutundi* in *Exc.* ex *Charis. p.* 565. 2. *ibid.* — Item *tunsi* apud *Charis. p.* 248. 2. et *Diomed. p.* 372. 18. *ibid.* — Sic *tusi* olim dictum, unde *tusus*, affirmat *Forcellinus* noster laudatque illud *Næv.* apud *P. Merulam* in *collect. fragment. Ennii p.* 42. Qui terrai Latiai hemones tuserunt Vires fraudesque Pœnicas, fabor. At recentiores aliter leg. — *b*) Particip. *tussus* pro *tusus* leg. *Ribbeck* ad *Virg.* 4. *G.* 62. Alii aliter. — *Tundier* paragog. pro *tundi* apud *Lucret.* 4. 932. — *c*) *Tundo* pro *tondeo* in *Fast. rust.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. *p.* 358. supra *col.* 4. *lin.* 10. et infra *col.* 5. *lin.* 14. Cf. *Virg. loc.* infra *cit.* sub I. 1. — *c*) Ad quantitatem quod attinet, *tutudi* pænultima correpta (quæ in *contudit* ab *Ennio* producitur, tamquam a *tudi* disyllabo: ab aliis passim corripitur. *V.* CONTUNDO) agnoscitur a *Varron.* 9. *L. L.* 99. *Müll.*, item a *Charis.* 3. *p.* 217. *Putsch.* et *Priscian.* 10. *p.* 891. *ibid.* — *d*) Ratione habita etymi, *tundo*, ab obsoleto *tudo*, unde *tutudi* et *tudito*, quod ab *Isid.* 19. *Orig.* 7. 1. conjungitur cum *tendo*, a recentioribus cum rad. Skr. *tud*, ejusdem significationis. — Part. *Tundens* I. 1. et II.; *Tunsus* et *Tusus* I. 1. et 2. — Tundo est repetitis ictibus cædo, pulso, verbero, percutio, κόπτω (It. *battere replicatamente, percuotere, ammaccare*; Fr. *battre à coups redoublés, frapper*; Hisp. *batir á golpes redoblados, cascar, herir*; Germ. *stossen, schlagen, hämmern*; Angl. *to beat with repeated strokes, to bruise*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Pompon. fragm.* 197. *Ribb.* Jam non tundunt? *Plaut. Asin.* 2. 1. 14. Quid hoc, quod picus ulmum tundit? *Id. Rud.* 5. 2. 3. Tundere pectus palo. *Lucret.* 4. 265. lapidem digito. *Id. ibid.* 932. Tundier et crebro pulsarier aeris ictu. *Catull.* 11. 4. littus tunditur unda. *Cic.* 7. *Verr.* 54. 142. Cædunt acerrime virgis. denique Sestius, converso bacillo, oculos misero tundere vehementissime cœpit. *et mox.* Quum jacenti latera tunderentur. *Virg.* 3. *G.* 382. Gens effrena virum Riphæo tunditur Euro. *è sbattuta.* et 6. *Æn.* 598. Vultur rostro jecur tundens. *beccando.* (Alii tamen, ut *Ribbeck*, leg. *tondens*, quod firmant *Homer. Od.* λ 578. et *Sil. It.* 13. 839. præter alios, quos videsis apud *Heins.*) *Id.* 4. *G.* 302. Tusa per integram solvuntur viscera pellem. *et* 3. *ibid.* 133. Quum graviter tunsis gemit area frugibus. *Philarg.* tusis. *Id.* 11. *Æn.* 37. Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt Pectoribus. *Horat. Art. P.* 430. tundere pede terram. *Id. Epod.* 17. 55. saxa Neptunus alto tundit hibernus salo. *Tibull.* 1. 5. 44. Et miserum sancto tundere poste caput. *h. e.* caput posti illidere. *Propert.* 3. 15. 35. dea magna Cybele Tundet ad Idæos cymbala rauca choros. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 54. Huc ades (*Borea*) et surdas flamine tunde fores. *et* 2. *ibid.* 9. 10. Pectoraque infesta tundat aperta manu. Adde 4. *Fast.* 183. et 5. *Met.* 293. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Linum textum tunditur clavis semper injuria melius. Adde *ibid.* (17). *Colum.* 2. *R. R.* 21. Spicas fustibus tundere. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 464. pingues nec grandine tundat olivas Scorpios. *Id.* 1. *in Rufin.* 276. carina, geminis quæ lassa procellis Tunditur. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 33. Tundere chelyn digitis errantibus. *Apul.* 7. *Met. sub fin.* Tunsis ac diverberatis vehementer uberibus. — Græcorum more. *Virg.* 1. *Æn.* 485. Suppliciter tristes et tunsæ pectora palmis Iliades. — Absolute. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 15. 43. (149). Ferrum rubens non est habile tundendo. *h. e.* quod tundatur. — *b*) Dicitur interdum de eo, qui unico ictu percutit. *Lucret.* 4. 265. lapidem digito quum tundimus, ipsum Tangimus extremum saxi summumque colorem. *Ovid.* 5. *Met.* 291. seque jacit vecors e summæ culmine turris Et cadit in vultus discussisque ossibus oris Tundit humum moriens. ¶ 2. Specialim est pinsere, in pila comminuere, tundendo terere, *pestare, frangere*, μάσσω, πτίσσω. *Virg.* 4. *G.* 267. tunsum gallæ admiscere saporem. *Colum.* 6. *R. R.* 8. Tunsum allium. *et* 9. *ibid.* 13. *ante med.* Grana mali Punici tunsa. *Id.* 6. *ibid.* 7. Cupressi quindecim coni totidemque gallæ et utrorumque ponderis vetustissimus caseus: quibus in unum tunsis admiscentur vini quattuor sextarii. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (126). et 20. *ibid.* 19. 79. (207). Tundere aliquid in pila. *Id.* 19. *ibid.* 5. 29. (91). in pollinem. *Id.* 33. *ibid.* 7. 40. (119). in farinam. *Apul.* 4. *Met.* Hordeum tunsum minutatim. — *Vitruv.* 2. 5. Tusa testa et succreta. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (186). *Pallad.* 1. *R. R.* 9. *extr.* marmor. *Veget.* 1. *Veterin.* 16. omnia. *Apul. Herb.* 28. herba. ¶ 3. Pro tondeo. *V.* init. sub litt. *b*.

II.) Translate est obtundere sæpius idem repetendo et usque ad fastidium audientium: ductum, inquit *Donat.*, a malleo fabrorum. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 25. Pergin aures tundere? *rompermi il capo con le tue chiacchiere?* et *Virg.* 4. *Æn.* 447. assiduis hinc atque hinc vocibus heros Tunditur. — *Eamdem incudem tundere*, proverbialis dictio, in idem studium incumbere, in una eademque re assidue laborare. *Cic.* 2. *Orat.* 39. 162. Siquem plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis, uno opere eamdem incudem diem noctemque tundentibus. — Cum infinito. *Propert.* 4. 5. 35. Tundat Amycle, Natalem Majis Idibus esse tuum. — Absolute. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 48. Tundendo atque odio denique effecit senex.

TUNDOR, ōris, m. 3. *Hildebr.* leg. apud *Apul.* 4. *Met.* pro tendor. *V.* TENDOR.

TŬNĬCA, æ, f. 1. De notatione V. *Isid.* 19. *Orig.* 22. 6. et *Voss.* in *Etymol.* Cf. χιτών, unde factum videtur per metathesin *tunica*, ut a μορφή, *forma*. — Tunica est vestis interior, corpori adhærens, cui toga superinduitur, viris et mulieribus usurpata, olim sine manicis, deinde manicata seu manuleata et cinctu constricta, χιτών (It. *sottabito, sottana, giubba, tonaca*; Fr. *jupe, cotillon, tunique*; Hisp. *zagalejo, basquiña, túnica*; Germ. *das Unterkleid, die Tunica*; Angl. *petticoat, under waist-coat, tunic*). — *a*) Romani tunica diu caruerunt, sola toga contenti, ut *Gell.* 7. 12. docet. *Ascon. in fin. comment. pro M. Scaur.* Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. In forum quoque sic descenderat jusque dicebat. idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli ætatis statuæ in Capitolio et in Rostris Camilli fuerunt togatæ sine tunicis. Hæc *Ascon.* Non est tamen negandum, antiquissimam fuisse Romæ tunicam, quum *Livius* 1. 2. scribat, Numam Saliis tunicæ pictæ insigne dedisse. Sed hoc non probat, vulgarem omnium tunc ejus fuisse usum, sed Saliorum peculiarem. — Postea substrictam et brevem citra humerum desinentem induere cœperunt, Græce ἐξωμίδα dictam: manicas quoque addiderunt delicati homines ad manus usque operiendas: quod probro dedit P. Scipio Africanus P. Sulpicio Gallo apud *Gell. loc. cit.* *Virg.* quoque reprehendit 9. *Æn.* 616. et *Cic.* 2. *Cat.* 10. 22. — Plebecula et turba forensis tunica sæpe utebatur sine toga: unde *tunicatum popellum* dixit *Horat.* 1. *Ep.* 7. 65. — Qui tu-

nicam simul gestabant ac togam, banc deponebant in exercitationibus, quo expeditiores essent: unde illud *Juvenal.* 2. 143. tunicati fuscina Gracchi. — Mulierum tunicæ laxiores erant et prolixiores, quam virorum; horum vero, quam militum, ut est apud *Gell. loc. cit.*, ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. nam infra mulierum est, supra centurionum. *Ovid.* 1. *Fast.* 407. Illa super suras tunicam collecta ministrat. *Id.* 3. *Art. am.* 301. Hæc movet arte latus tunicisque fluentibus auras Excipit. — *b*) Duas etiam tunicas gestare aut plures mos fuit, frigori arcendo. *Suetòn. Aug.* 82. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis et subucula et thorace laneo muniebatur. *Varro* apud *Non.* p. 108. 31. *Merc.* Mihi puero modica una fuit tunica et sine fasciis calciamenta, equus sine ephippio. *Calpurn. Ecl.* 3. 30. ambas Diduxi tunicas et pectora nuda cecidi. Hinc apud *Vulg. interpr. Joh.* 21. 7. Petrus tunica succinxit se (erat enim nudus). *h. e.* tunica superiore, ἐπενδύτης, qua qui carebat, nudus dicebatur. *et Matth.* 10. 10. Neque duas tunicas habeatis. — Quum plures erant, ea proprie *tunica* dicebatur, quæ sub toga statim: quæ interius, propria interdum nomina habuit, *subucula, indusium, interula.* *Varro* apud *Non.* p. 542. 23. *Merc.* Posteaquam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam et indusium. — Sæpissime tamen communi nomine *tunica* dicta, quæ carni adhæret, et est Italis *camicia. Masur. Sabin.* apud *Gell.* 10. 15. *tunicam intimam* dixit: *tunicam* absolute *Ovid.* 2. *Fast.* 171. et 347. et 1. *Amor.* 5. 9. *et* 13. et *ibid.* 7. 47. et 2. *ibid.* 15. 12. et 3. *ibid.* 7. 40. et *ibid.* 14. 21. et *Propert.* 2. 2. 66., quibus locis *tunica* indusium est, eaque detracta, membra patent. — Quæ sub toga erat tunica, in viris duplex fuit, recta et clavata. *Recta* quid sit, *V.* in RECTA, æ. De *clavata* V. in CLAVUS et CLAVATUS. — His adde tunicam *asemam, angusticlaviam, laticlaviam, palmatam, patagiatam, pictam* etc., quas *V.* suis locis. — De tunica Jovis *V.* in PALMATUS. — Servis verberandis tunica detrahebatur. *Plaut. Pers.* 3. 1. 34. Ubi captum est flagrum, dum tunicas ponit etc. *Juvenal.* 6. 475. periit libraria, ponunt Cosmetæ tunicas. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 49. *Burmann.* — *c*) Videtur etiam *tunica* pro veste qualibet adhiberi. *Dig. fr.* 25. *et* 40. § 1. *de pecul.* 15. 1. V. *Dirksen* ad *h. v.* — Ad usum vocis quod attinet, usurpatur

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Plaut. Epid.* 5. 2. 60. æquissimum oras, soccos, tunicam, pallium Tibi dabo. *Id. Pers.* 2. 1. 75. cape Tunicam atque zonam. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 94. eme lanam, unde tibi pallium - conficiatur tunicæque hibernæ bonæ Ne algeas hac hieme. *Id. Epid.* 2. 2. 46. Tunicam ruliam, tunicam spissam, linteolum cæsicium etc. *Cic.* 2. *Orat.* 47. 195. Tunicam discindere. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 60. ponere. *Petron. Sat.* 126. altius colligere. *Hieronym. Ep.* 22. mutare quotidie. *Virg.* 9. *Æn.* 616. Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 132. Discincta tunica. *Id.* 1. *Ep.* 2. 96. subucula pexæ Trita subest tunicæ. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 48. Tunica manuleata. *Varro* apud *Non.* p. 539. 10. *Merc.* regilla. *V.* REGILLUS. *Cic.* 7. *Verr.* 13. 31. talaris. Sic *Plaut. Pœn.* 5. 6. 24. demissicia. et *Varro Sat. Menipp.* 55. p. 159. *Oehl.* ad talos demissa. *Nepos Epit.* 15. *Halm.* coccina. *Id. Datam.* 3. hirtâ circumdatus. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 29. tunicamque potentem Agnovere humeri. *h. e.* laticlavii purpuream. *Curt.* 3. 3. 18. Tunicæ purpureæ album intexere. *Vopisc. Bonos.* 15. Tunica palliolata. *Petron. Sat.* 27. russea. *et* 14. scissa et sordida. *Justin.* 19. 3. 1. sordida servilisque. *Petron. Sat.* 60. candida. *Hieronym. Ep.* 64. linea. *et Ep.* 123. nuptialis etc. — Varia tunicarum genera videsis apud *Rich op. cit.* ad *h. v.* — Tunica pallio propior: *più stringe la camicia, che la gonnella:* vel *più vicino è il dente che nessun parente;* item Græce γόνυ κνήμης ἔγγιον: proverbium, quo significatur, non omnes æque conjunctos nobis curæ esse, sed esse alios aliis cariores: similiter ex rebus nostris quasdam esse, quæ magis tangunt aut pluris interest curare et servare; quia tunica corpus tangit, pallium non item. *Plaut. Trin.* 5. 2. 30. Hunc priorem æquum est me habere. Tunica propior pallio est. ¶ 2. *Tunica molesta* est supplicii genus, de qua dictum est in MOLESTUS, SUPERVESTIO et TÆDA.

II.) Translate vel improprie est membrana, integumentum, velamentum, cutis cujuspiam rei, *buccia, membrana, tunica. Lucret.* 4. 56. Quum veteres ponunt tunicas æstate cicadæ. *Virg.* 2. *G.* 74. se medio trudunt de cortice gemmæ Et tenues rumpunt tunicas. *Catull.* 95. 7. At Volusi annales laxas scombris sæpe dabunt tunicas. *cartoccio.* Sic *Martial.* 4. 87. *Cels.* 7. 24. Colligendæ venæ vinciendæque, ubi tunicis inhærebunt. *et ibid.* 2. Quidquid abscedit, velamento suo includitur. id antiqui tunicam nominabant. *Id.* 4. 1. Renes tunicis superconteguntur. *Id.* 7. 7. *n.* 14. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (147). Tunicæ oculorum. *Id.* 22. *ibid.* 22. 46. (93). boletorum. *Juvenal.* 14. 153. lupini. *h. e.* siliqua, theca. *Quintil. Declam.* 13. 12. Quum se ruptis jam tunicis in patulum capita (*florum*) fuderunt. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 3. 3. (7). Cortex ligni corticique tunica subjecta. *Id.* 16. *ibid.* 14. 25. (65). *de tilia.* Inter corticem ac lignum tenues tunicæ multiplici membrana. *et ibid.* 36. 66. (166). Arundines longis vestiri tunicis. *h. e.* foliis calamum amplectentibus. *Id.* 11. *ibid.* 35. 41. (117). Genus tinearum tunicas trahentium, quo cochleæ modo. *Isid.* 12. *Orig.* 4. 47. Tunicæ serpentum exuviæ nuncupantur.

Homonym. Discrimen inter *palliam* et *tunicam* tangitur in v. PALLA; quamquam promiscue interdum, præsertim a poetis, usurpantur.

TŬNĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* TUNICA.

TŬNICLA *V.* TUNICULA.

TŬNĬCO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Tunicatus.* — Tunico est tunica aliquem induo, vestio, χιτωνίζω. *Varro Sat. Menipp.* 49. *p.* 148. *Oehl.* Hæc lanigeras detonderi docuit tunicareque hominum. — Passive adhiberi posse censet *Priscian.* 8. *p.* 836. *Putsch.* Hinc *tunicatus*, participium, quod tamen adjectivum vult esse *Cassiod. De orat.* 4. (Cf. *Priscian.* 11. *p.* 923. *Putsch.*) et est qui sola indutus est tunica, hoc est, qui nullam tunicæ superinduit togam: cui opponitur *togatus:* quales fuere pauperiores apud Romanos, præsertim turba forensis, denique etiam divites, quum sese exercebant, *in farsetto*, χιτωνοφόρος. — *a*) Proprie. *Plaut. Pœn.* 5. 3. 2. Novistin tu illunc tunicatum hominem? *Cic. Cœl.* 5. 11. Ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur. Adde 2. *leg. Agr.* 34. 94. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 65. Vilia vendentem tunicato scruta popello. — *b*) Metaleptice sumitur pro indocto, imperito. Sic *Tac. Dial. de orat.* 7. vulgus imperitum appellat populum tunicatum. — *c*) Improprie *tunicatum* cœpe dixit *Pers.* 4. 3. b. e. multa involucra velut tunicas habens. — *d*) Figurate *tunicata quies* est quæ habetur ruri, ubi, togis depositis, tunicati homines liberius vivunt. *Martial.* 10. 51. O soles, o tunicata quies!

TŬNĬCOPALLĬUM. *V.* PALLA.

TŬNĬCŬLA, æ, f. 1. (*deminut. a* tunica) *Tunicla* syncop. pro *tunicula* V. infra. — Tunicula est parva tunica, *giubboncino, farsetto:* aliquando est tunica inferior qualitate, aliquando mensurâ, et pro utroque a Romanis adhibebatur; a Græcis vero χιτωνίσκος de viris (*Demosth.* in *Mid.* p. 370. *Schäff.*) et χιτώνιον de feminis (*Lucian. Lexiph.* 25. et *Eustath. Il.* XVIII. 416.) dicebatur.

I.) Proprie. *Turpil. fragm.* 197. Epistola excidit mihi, inter tuniculam ac strophium quam collocaveram. Adde *Cæcil. fragm.* 99. *Plaut. Rud.* 2. 6. 65. Redactus sum usque ad hanc unam tuniculam et ad hoc misellum pallium. *Cic.* 2. *Legg.* 23. 59. *Müll.* Tunicla purpurea. Alii aliter.

II.) Improprie, a similitudine, parvum integumentum, folliculus, membranula, *buccia, invoglio, invogliuzzo, membrana, tunica. Fest.* apud *Paul. Diac.* in *Gluma p.* 98. 8. *Müll.* Gluma hordei tunicula. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 76. (123). et 29. *ibid.* 6. 38. (124). Tuniculæ oculorum. *Id.* 30. *ibid.* 10. 27. (88). Tunicula stellionis, quam eodem modo, ut anguis, exuit. Adde *Auct. Itin. Alex. M.* 47. *Marcell. Empir. c.* 11. *p.* 101. *retro.* Tunicula allii.

TŪNĬCŬLĀRĬA, æ, f. 1. nomen fabulæ, quam *Nævius* composuit. *Varro* 7. *L. L.* 108. *Müll.* Nævius in Tunicularia: exbolus quassant. Adde *Fest. p.* 230. 17. *Müll.* — Fragmenta hujus fabulæ collegit *Ribbeck* in *Scæn. Rom. reliq.*

TUNSĬO, ōnis, f. 3. (tundo) percussio. *Augustin. Serm.* 136. *n.* 2. Tunsio pectoris. Adde *eumd.* in *Ps.* 97. *n.* 6.

TUNSĪTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* tundo, sæpius percutio, *andar battendo a più percosse. Phædr.* 2. 7. ferro mulum tunsitant. Ita leg. *Meurs.* et *Quicher.*; at *Salmas.* tusitant; *Orell.* et *Müll.* sauciant; *alii multi* trusitant.

TUNSUS, a, um, particip. *V.* TUNDO.

TŬO, is. *V.* TUEOR.

TŬOPTE. *V.* TUUS.

TŬOR, ēris. *V.* TUEOR.

TŬOR, ōris, m. 3. (tueor) visus, *vista. Apul. De deo Socr.* Fila tenuia usque adeo, ut radios omnes nostri tuoris raritate transmittant.

TURA, æ, f. 1. genus herbæ apud *Marcell. Empir. c.* 8. *s.* 5. *p.* 96. *retro.* Itane legendum?

TŪRĀBŬLUM, i, n. 2. (tus) idem ac turibulum vel acerra, λιβανωτόν. *Gloss. Labb.* et fortasse etiam *Orest. trag.* 52., ubi tamen alii leg. *turibulum.* Nescio, cur cl. *De-Vit* interpretatus sit *tus*, quum voces ita desinentes instrumentum vel locum proprie significent, ut *turibulum:* sic et *acetabulum, stabulum* etc.

TŪRĀCŬLUM, i, n. 2. Legitur apud *Varron.* 5. *L. L.* 52. *Müll.*; ubi tamen *Müllerus* dedit *auraculum* ex Codd.; at *auguraculum* leg. *Turneb.* et *Scalig.*; quod non improbat *Bunsen.* V. AUGURACULUM.

TŪRĀLIS, e, adject. (tus) idem ac turarius. *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 745. Acerra, id est, arca turalis, id quod continet, pro eo quod continetur.

TŪRĀRĬUS et thurarius, a, um, adject. (tus) De scriptione *V.* in TUS et in *Bullett. arch. Napolit. T.* 2. *p.* 56. — Turarius est ad tus pertinens. Hinc *Tibiæ turariæ*, quæ et *Lydiæ*, quibus canebant in sacris, dum tus adolebatur, memorantur a *Solin.* 5. *a med.* et fuisse putat *Salmas.*, quas *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (172). *ad fin.* appellat tibias sacrificas Tuscorum, e buxo factas; et quas designat *Virg.* 2. *G.* 193. Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras. V. *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1835. *p.* 186. — *Vicus Turarius* fuit Romæ in regione Urbis VIII., ut est apud *Sex. Rufum* et *P. Victor. de Regionib. Urb. R.* Meminit etiam *Cic.* 3. *Verr.* 59., ubi *Ascon.* tradit, in eo fuisse signum Vertumni. Quod autem hoc signum ponunt alii in vico Tusco, inde quidam putant, Tuscum et Turarium vicum eumdem esse vel saltem Vertumni signum fuisse in extremo Turario, eo loci, ubi Tuscum tangebat: quod ex eo etiam veri fit simile, quia *Ascon.* Vertumnum in extremo Turario locat. Sunt etiam, qui perperam cum Jugario confundunt, quem oppositum Tusco seu Turario fuisse, in altero nempe latere basilicæ Juliæ, probavit *Nibbyus Del foro R. p.* 95. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 20. 1. Vertumnus in vico Turario sacellum habuit. Adde *Acron.* et *Schol. Cruq.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 3. 22. Rursum *Porphyr.* ad *eumd.* 2. *Ep.* 1. 269. adnotat: Turarium (*sc.* vicum) pro charta sola. — Hinc

*Turarius, ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, qui tus tractat aut vendit. *Firmic.* 8. *Mathes.* 25. *sub fin.* Turarios faciet vel pigmentarios seu pharmacopolas. *Tertull. Idolol.* 11. Nisi si quis et de turario dissimulabit. *Inscr.* apud *Murat.* 952. 6. L. FABRIO L. O. L. FAVORI TVRARIO. *Alia* apud *Orelli n.* 6363. TEVRARIVS DE FAMILIA REGE (*lege* regis) MITHRIDATIS. Adde *n.* 4291., 6364., 6365., 7282. et 7284.

TŪRĀTUS et thuratus, a, um, particip. ab

inusit. *turo*, qui tus adolevit, turificatus. — Absolute pro eo, qui Christianus tus idolis tempore persecutionis præ metu adolevit, usurpat *Optat.* 1. *schism. Donat.* 15. V. TURIFICATUS.

TURBA, æ, f. 1. Ad etymon quod attinet, plerique a Græca voce τύρβη, quæ Attice pro σύρβη, tumultus; alii vero volunt esse per syncop. a Θόρυβος idem significante. At recentiores utramque vocem, Latinam et Græcam, ducunt a rad. Skr. *tarb* (*turb*), volvo, confundo. Cf. etiam στρέφω et στροβέω: *Döderl. v.* 6. *p.* 380. — Turba est tumultus, seditio, motus et trepidatio plurium, perturbatio multitudinis, ut *rixa* duorum, τύρβη (It. *turbamento, tumulto, confusione, romore*; Fr. *trouble, tumulte, désordre, confusion*; Hisp. *turbacion, desorden, tumulto, confusion*; Germ. *die Verwirrung, das Getümmel, Gewühl, der Tumult, Lärm*; Angl. *a disturbance, tumult, uproar, confusion, disorder*). Hinc *Ulp. Dig.* 47. 8. 4. Prætor ait: Cujus dolo malo in turba damnum factum esse dicetur *etc.* Turbam ex quo numero admittimus? Si duo rixam commiserint, utique non accipiemus in turba id factum, quia duo turba non proprie dicuntur. Enimvero si plures fuerint, decem puta aut quindecim hominei, turba dicetur. quid ergo, si tres aut quattuor? turba utique non erit: et rectissime Labeo inter turbam et rixam multum interesse ait. nam turbam multitudinis hominum esse turbationem et cœtus, at rixam duorum.

I.) Proprie et quidem — *a*) De pluribus. *Sall. Cat.* 38. Semper in civitate quibus opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt, turba atque seditionibus sine cura aluntur. *Cæs.* 2. *B. C.* 35. Fugientium multitudine ac turba portæ castrorum occupantur. *Cic.* 6. *Fam.* 6. *sub fin.* Quanta in turba quantaque in confusione rerum omnium viveremus. *Id. Rosc. Am.* 32. *a med.* Verum, ut fit, multa sæpe, imprudentibus imperatoribus, vis belli ac turba molitur. — In plur. num. *Sall. orat. Macri Licin. ad pleb. ante med.* Turbas concitare. *Cic.* 7. *Verr.* 12. *ad fin.* Maximas in istius castris effecisse turbas dicitur. *Quintil.* 2. 16. 2. Seditiones turbæque populares excitantur. *Tac.* 4. *Hist.* 1. *sub fin.* In turbas et discordias pessimo cuique plurima vis. — *b*) Item, sed minus proprie, de perturbatione, quæ a paucis fit. *Acc.* apud *Non. p.* 524. 26. *Merc.* Non vides, quantam turbam quantosve fluctus concites? Adde *Cæcil. ibid. Manil.* 2. 599. *de triumviris.* Et sub amicitiæ grassantem nomine turbam? *Plaut. Aulul.* 2. 9. *extr.* Fugiam intro, ne quid hic turbæ fiat. *Ter. Eun.* 4. 3. 11. Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit! *et* 4. 4. *in fin.* Jam tum inceperat turba inter eos. *Id. Heaut.* 5. 2. 17. Quantas turbas concivi insciens! *Id. Eun.* 4. 1. 2. Timeo, nequam ille hodiè turbam faciat aut vim Thaidi. *Id. Heaut.* 1. 2. 16. Propter eam hæc turba atque abitio evenit. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 148. Ecce autem nova turba atque rixa. — *c*) Poetice de duobus tantum. *Ovid.* 2. *Fast.* 716. Oscula quisque suæ matri properata tulerunt, Non intellecto credula turba Deo. *h. e.* Titus et Aruns, filii Tarquinii Superbi.

II.) Metonymice. ¶ 1. Accipitur fere pro incondita multitudine hominum, populo, vulgo, *popolo, gente, moltitudine, turba, volgo, gente del volgo*, ὄχλος. *Acc. fragm.* 191. In turbam te implices. Adde *Turpil. fragm.* 150. *Cic.* 2. *Verr.* 7. 19. Videt ad ipsum Fornicem Fabianum in turba Verrem. *Id.* 3. *ibid.* 52. 137. Domus prætoria turbâ referta. *Id. Senect.* 23. *a med.* Quum ex hac turba et colluvione discedam. *Id.* 1. *Rep.* 17. 28. Qui in foro turbaque quicum colloqui libeat, non habent. *Virg.* 6. *Æn.* 305. Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat: Matres atque viri etc. *Id.* 11. *ibid.* 12. Turba ducum. *Horat.* 1. *Od.* 1. 7. Quiritium. *Id.* 3. *Od.* 1. 13. clientium. *Id. ibid.* 24. 46. faventium. *Propert.* 3. 1. 12. scriptorum. *et ibid.* 48. puellarum. *Ovid.* 2. *Art. am.* 210. Ipse face in turba, qua venit illa, locum. *Liv.* 16. 15. Turba mea. *Nepos Datam.* 6. Si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum. *se si fosse divolgato.* et *Quintil.* 1. 2. 2. Turbam hominum fugere. *Justin.* 11. 13. *sub fin.* Dario majorem turbam hominum esse sibi virorum. *Juvenal.* 6. 195. Ζωὴ καὶ ψυχή modo sub lodice relictis Uteris in turba. *Martial.* 1. 4. Martia turba. *popolo di Marte* (*Romano*). *et* 9. 23. vulgus crassaque turba. *Manil.* 2. 136. nec in turbam nec turbæ carmina dicam. *h. e.* imperitæ multitudini. *Cic. Brut.* 97. 332. Ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. *Id.* 2. *Orat.* 77. 314. Ea, quæ excellunt, serventur ad perorandum; si quæ erunt mediocria, in mediam turbam atque in gregem conjiciantur. *Id.* 7. *Fam.* 1. 13. Admiratio vulgi atque turbæ. *Id.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Chrysippus magnam turbam congregat ignotorum deorum. *Liv.* 9. 46. Consul alter velut unus turbæ militaris erat. Adde 26. 10. et 39. 49. *Seneca Vit. beat.* 2. Argumentum pessimi turba est. *h. e.* quod vulgus et plures sequuntur. *Manil.* 1. 144. minima est quæ turba per orbem. *sc.* poetarum, qui boni pauci sunt. *Vulg. interpr. Eccli.* 18. 32. Ne oblecteris in turbis nec in modicis. ubi τῷ *turbis* opponitur τὸ *modicis*. Alii tamen aliter interpr. — Interdum de majore numero. *Ovid. Heroid.* 16. 181. Quid tibi de turba narrem numeroque virorum? *Liv.* 22. 40. Plebs turbâ, quam dignitate, conspectior. ¶ 2. Item de multitudine vel copia confusa animalium et quarumcumque rerum. *Lucret.* 2. 920. præter vulgum turbamque animantum. Adde 1. 1113. et 2. 127. *Cic. Brut.* 32. 122. Qui istam turbam voluminum effecerit. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 27. Quum tamen a turba rerum requieverit harum. *Id. ibid.* 7. 35. Nec te missa super jaculorum turba moratur. *Id.* 6. *Met.* 219. ubi turba rotarum Duraque mollierant subjectas ungula glæbas. *et* 4. *ibid.* 722. aper quem turba canum circumsona terret. *et* 10. *ibid.* 144. Turba volucrum. *et* 106. arborum. *Sil. It.* 7. 129. luporum. *Quintil.* 4. 2. 82. argumentorum. *et* 8. 2. *a med.* inanium verborum. *Plin.* 9. *Ep.* 25. castrensium negotiorum. *Nemesian. Ecl.* 4. 28. squamea. *Lucan.* 9. 405. malorum. *et* 608. serpentum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (162). Dentes multis piscium in lingua et toto ore, ut turba vulnerum molliant, quæ attritu subigere non queunt. *Quintil. Declam.* 9. 11. *extr.* Ut reum, quem premere atrocitas criminum non potest, turba confundat. *Justin.* 32. 2. 3. Turba querelarum confusus adulescens, repente obticuit.

Homonym. Discrimen inter *turbam* et *rixam* *V. loc. cit.* apud *Ulp.*

TURBĀMENTUM, i, n. 2. (turbo) idem ac turbatio, *sconvolgimento, turbazione*, ταραχή. *Sall. orat. Lepidi ad populum R. sub fin.* Maxima turbamenta reipubl. atque exitia probate. — Active. *Tac.* 1. *Hist.* 23. Inserendo sæpius ambiguos de Galba sermones, quæque alia turbamenta vulgi. *mezzi di tumulto o per suscitare tumulti, sedizioni.*

TURBANS, antis, particip. *V.* TURBO.

TURBANTER, adverb. (turbo) turbide, turbate. *Arnob. jun.* in *Ps.* 44. Quid turbanter, quid festinanter lingua prophetæ proferre vult.

TURBASSO. *V.* TURBO.

TURBĀTĒ, adverb. (turbatus) confuse, turbulente, *con del disordine, confusamente*. *Cæs.* 1. *B. C.* 5. Aguntur omnia raptim atque turbate. *Tertull. Resurr. carn.* 43. Quasi turbate enim per hyperbaton struxit.

TURBĀTĬO, ōnis, f. 3. (turbo) confusio, perturbatio, commotio, *confusione, sconvolgimento, sconcerto, turbamento*, ταραχή. *Ulp. Dig.* 47. 8. 4. § 3. Turbatio multitudinis hominum. *Gell.* 19. 1. Turbatio coloris et vultus. — Hinc translate. *Liv.* 24. 28. In hac turbatione rerum in contionem vocari placuit. *Solin.* 1. Turbatio temporum. *Apul.* 9. *Met.* Raptim tunicam injectus, sed plane præ turbatione pedibus intectis, procurrit cubiculo. *Id.* 11. *ibid.* Non sine magna turbatione. *Id. dogm. Plat.* 1. Nulla turbatione frangi. In illo *Flor.* 4. 6. Divitiarum spes ex turbatione reipublicæ, *Halm* pro *turbatione* dedit *perturbatione*. — Et in plur. num. *Firmic.* 4. *Mathes.* 3.

TURBĀTOR, ōris, m. 3. (turbo) qui turbat, *perturbatore, sturbatore*, ταράκτης. *Liv.* 4. 2. Jam ad consulatum vulgi turbatores accingi. *et ibid.* 48. Turbatores vulgi tribuni plebis. *Seneca* 3. *Controv.* 17. *ad fin.* Turbator otii. *Tac.* 1. *Ann.* 55. Arminius turbator Germaniæ. — *Turbatores belli*, ταράττοντες πόλεμον, qui turbando rem publ. bellum excitare nituntur. *Liv.* 2. 16. — Absolute *Tac.* 1. *Ann.* 30. Turbator præcipuus.

TURBĀTRIX, tricis, f. 3. (turbator) perturbatrix, *turbatrice*. *Prudent. Psychom.* 668. Tempestas placidæ turbatrix invida pacis. — Absolute *Stat.* 4. *Theb.* 369. Accumulat crebros turbatrix fama pavores.

TURBĀTUS, a, um, particip. *V.* TURBO.

TURBĔDO. *V.* TURBIDO, inis.

TURBĔLÆ. *V.* TURBELLÆ.

TURBELIX. *V.* TURDELIX.

TURBELLÆ, ārum, f. plur. 1. (*deminut. a turba*) Sunt qui unico *l* scribunt *turbelæ*, sed improbat *Voss.* in *Etym.*; non enim, inquit, simile est illis *suadela* aut *loquela*, sed *popellus, tenellus, umbella* etc. *V.* tamen *Schoell* in *Anal. Plaut. p.* 157. et *loc.* infra *cit.* — Turbellæ sunt turbæ, turbatio, confusio.

I.) Proprie. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 134. Tantas turbellas facio. *Id. Pseud.* 1. 1. 107. Scis tu, mea si commovi sacra, quo pacto et quantas soleam turbellas dare.

II.) Translate. *Augustin.* 8. *Civ. D.* 17. et 10. *ibid.* 27. Turbellæ (*Dombart.* turbelæ) mentis. *Apul. De deo Socr.* Quæ omnes turbellæ tempestatesque procul a deorum cælestium tranquillitate exsulant. — Metonymice. *Apul.* 7. *Met.* Turbellæ (*Hild.* turbelæ) popularium. *h. e.* multitudo. *folla.* Adde *eumd.* 3. et 4. *ibid.* Alii leg. *turbulæ.*

TURBEN, inis, 3. Videtur esse masc. gen., ut monet *Charis. loc. cit.* Cf. tamen exempla allata. — Turben duo diversa significat. ¶ 1. Est idem ac turbo, *turbine, bufèra*. *Catull.* 64. 107. Indomitum turben contorquens flamine robur. Ita leg. *Müll.* et *Haupt. L. Müll. De re metr. p.* 379. Catullus solus dixit hoc turben. At *Lachmann.* et *Heyse* Indomitus turbo. Cf. *Georges Lex. d. Lat. Wortf. p.* 707. ¶ 2. Est etiam genus instrumenti lusorii, trocus. *tròttola.* *Virg.* 7. *Æn.* 378. torto (*al.* tortus) volitans sub verbere turben. Alii rectius *turbo*. et *Tibull.* 1. 5. 3. agor, ut per plana citus sola verbere turben. Alii *turbo*. Sic et *Forcellinus*, qui ad *h. v.* hæc adnotat: « Quidam leg. apud *Virg.* 7. *Æn.* 378. et *Tibull.* 1. 5. 3., secuti auctoritatem quorumdam apud *Charis.* 1. *p.* 118. *Putsch.*; sed præterquam quod omnes fere libri *turbo* præferunt, ipse *Charis. ibid. p.* 48. stulte facere ait, qui *turben* dicunt. Fallitur etiam *Servius*, qui *ad loc. Virg. cit.* etiam *Catull.* dixisse *turben* affirmat. Ipse tamen *turbo* (V. *Catull. loc. cit.* in TURBO, inis) retinet: neque aliter sane dici debet ».

TURBĬDĀTUS, a, um, particip. *V.* TURBIDO.

TURBĬDĒ, adverb. (turbidus) confuse, turbulente, *torbidamente*, θολερῶς. *Cic.* 4. *Tusc.* 10. 24. Intelligatur igitur, perturbationem, jactantibus se opinionibus inconstanter et turbide, in motu esse semper. *Tac.* 3. *Ann.* 12. Turbide et seditiose tractare exercitus. *Gell.* 5. 9. *in fin.* Oris vinculo solutus, per omne inde vitæ tempus non turbide neque adhæse locutus est. *Nazar. Paneg. Constant.* 33. *a med.* Vota hominum metu interclusa, turbide aliquid egerunt, quum cumulata eruperunt. Adde *Augustin.* 14. *Civ. D.* 19.

TURBĬDO, as, ātum, are, a. 1. (turbidus) Part. *Turbidatus* I. — Turbido est conturbo (It. *intorbidare, turbare*; Fr. *troubler*; Hisp. *turbar, enturbiar*; Germ. *trübe machen, trüben*; Angl. *to trouble, muddle, stir up*).

I.) Proprie. *Solin.* 49. *sub fin.* Cameli procalcatione limum excitant, ut (*aqua*) turbidetur. *Capell.* 2. *p.* 40. Aer ex calore supero madoreque infero turbidatus.

II.) Translate. *Sidon.* 6. *Ep.* 2. Animæ serenitatem sæcularium versutiarum flatibus turbida-

re. *Capell.* 1. *p.* 18. Hæc lætitia commutationum assiduarum nubilo crebrius turbidabatur.

TURBĪDO *et* turbēdo, inis, f. 3. (turbo) idem ac turbo, *turbine.*

I.) Proprie. *Gloss. Paris.* apud *Quicherat. p.* 300. Turbidines, venti vertigines, minæ, perturbationes, tempestates. *Vulg. interpr. Ital. Nah.* 1. 3. In tempestate et turbedine viæ ejus.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice, seu concreto, ut ajunt, sensu. *Venant. Vit. S. Radeg.* 15. Vini puritatem cerevisiæque turbidinem non contigit. *h. e.* cerevisiam turbidam. ¶ 2. Metaphorice. *Augustin. Serm.* 52. *n.* 2. Et quia in hoc sæculo spiritalium nequitiarum turbidines (Cod. *B.* turbidinem) sustinemus. *Rustic. Ep.* 2. 51. Vitæ istius turbedines ac procellæ.

TURBĪDŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* turbidus, aliquantum turbidus, *torbidetto. Prudent. Apotheos.* 276. Turbiduli sensus et litigiosa fragosis Argumenta modis.

TURBĪDUM. *V.* voc. seq. in fin.

TURBĪDUS, a, um, adject. (turba) Comp. *Turbidior* II. 2. et 3.; Sup. *Turbidissimus* II. 1. et 2. — Turbidus est turbatus, cum turbine, ταραχθείς, ταρακτός (It. *turbido, turbinoso, turbato;* Fr. *troublé, agité, confus;* Hisp. *turbado, enturbiado, confuso;* Germ. *trübe, stürmisch, unruhig,* Angl. *troublous, troubled, whirling, turbid*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Rud.* 4. 3. 3. turbida tempestas heri fuit. Adde *Lucret.* 4. 169. et 6. 376. et *Cæs.* 2. *B. C.* 22. *Cic.* 1. *Invent.* 3. 4. Ex turbida tempestate in portum se tradere. *Lucret.* 5. 998. Turbida æquora ponti. *Virg.* 4. *Æn.* 245. nubila. *Id.* 12. *ibid.* 685. imber. *Horat.* 3. *Od.* 3. 4. Auster Dux inquieti turbidus Adriæ. *Ovid. Heroid.* 18. 7. freta ventis turbida. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Immite et turbidum cælum. — Hinc translate. *Virg.* 12. *Æn.* 283. Turbida tempestas telorum. ¶ 2 Speciatim de iis, quæ fluunt, est impurus, sordidus. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 97. Quum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset. *Virg.* 2. *G.* 137. auro turbidus Hermus. *h. e.* arenas aureas trahens. *Id.* 6. *Æn.* 296. Acheron cœno turbidus. *et* 11. *ibid.* 876. Volvitur ad muros caligine turbidus atra Pulvis. *Liv.* 44. 33. Turbidæ scaturigines. *Quintil.* 12. 10. 19. Torrentibus turbidis similis. — Hinc translate. *Ovid. Heroid.* 10. 16. coma turbida a somno. *scarmigliata.* ¶ 3. Item de iis, quæ lucent, et est obscurus, caliginosus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (25). Turbidi dies. *Seneca Hippol.* 790. Turbidum lumen lunæ. *offuscato.* et *Virg.* 6. *Æn.* 534. loca turbida. — Hinc translate. *Seneca Herc. Fur.* 954. Turbida acies oculi. *Id. Hippol.* 432. frons. *turbata.* quæ duo turbati animi indicia sunt.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. — *a*) Active est qui turbas molitur, seditiosus. *Tac.* 1. *Ann.* 38. Reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos. *Id.* 3. *Hist.* 49. Eo suffragio turbidissimus quisque delecti. *Id.* 14. *Ann.* 59. Turbidum ingenium. *Id.* 4. *Hist.* 11. Civitas adhuc turbida et novis sermonibus læta. *et* 39. *extr.* Sic egesto quidquid turbidum, redit urbi sua forma legesque et munia magistratuum. — *b*) Passive est turbarum plenus, confusus, tumultuosus. *Cic.* 6. *Fam.* 14 *ad fin.* Fac animo magno fortique sis, et, si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora læte feras. *Id.* 1. *Tusc* 33. 80. Mens, quæ omni turbido motu semper vacet. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 34. Pectora sunt ipso turbidiora mari. Rursus *Cic.* 2. *Phil.* 16. 39 In turbidis rebus. *Nepos Pelop.* 4. Hoc tam turbido tempore Epaminondas domi quietus fuit. *Quintil.* 1. 10. *a med.* Hæc ei cura inter turbidissimas actiones vel terrenti optimates vel jam timenti fuit. *Tac.* 16. *Ann.* 13. Turbidis casibus. — Cum genetivo. *Id.* 4. *Hist.* 48. C. Cæsar turbidus animi. — *In turbido* absolute, h. e. in turbatione, turbatis rebus. *Liv.* 3. 40. In turbido minus perspicuum fore putant, quid agatur. *Tac.* 1. *Hist.* 21. Cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium. *Seneca Ep.* 3. *in fin.* Quidam adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido esse, quidquid in luce est. ¶ 2. Refertur et ad orationem. *Quintil.* 3. 8. *a med.* Verum id quoque æqualius erit, non tumultuosius atque turbidius. ¶ 3. Item, sæpe est commotus aliquo affectu et præsertim ira, quæ maxime omnium perturbat. *Ovid.* 3. *Art. Am.* 245. Dictus eram cuidam subito venisse puellæ: Turbida perversas induit illa comas. *sorpresa, confusa.* et *Virg.* 10. *Æn.* 648. atque animo spem turbidus hausit inanem. *h. e.* arrogantia elatus, tumens. *Id.* 11. *ibid.* 814. ex oculis se turbidus abstulit Aruns. *h. e.* timore perculsus. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 14. quem (*Ganymedem*) turbida semper Juno videt refugitque manum nectarque recusat. (Similis est locus *Martial.* 9. 26.) *Virg.* 11. *Æn.* 742. et Venulo adversum se turbidus infert. *pieno di mal talento.* Sic 9. *ibid.* 57. huc turbidus atque huc Lustrat equo muros aditumque per avia quærit. (eod. modo *Stat.* 7. *Theb.* 669. et 8. *ibid.* 539. locutus est.) *Stat.* 3. *Silv.* 1. 39. turbidus ira. At *Sil. It.* 12. 417. turbidus iræ. *et* 13. 214. turbidus ausi. *h. e.* temerarius, inconsultus. — Hinc absolute

*Turbidum,* adverbii more, idem ac turbide. *Horat.* 2. *Od.* 2. 5. recenti mens trepidat metu Plenoque Bacchi pectore turbidum Lætatur.

Homonym. Discrimen inter *turbidum* et *turbulentum* ita statuit *Isid.* 1. *Diff.* 1. *n.* 564. « *Turbidus* de natura est: *turbulentum* fit ».

TURBĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (turbino) conformatio in turbinem, στρόμβωσις. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 21. 23. (85). Aliis rotunditas mali, aliis turbinatio piri, aliis ovata species.

TURBĬNĀTUS, a, um, particip. *V.* TURBINO.

TURBĬNĔUS, a, um, adject. (turbo) in modum turbinis. *Ovid.* 8. *Met.* 556. Corpora turbineo juvenilia vortice mersit. *h. e.* aquis in modum turbinis præcipiti cursu inundantibus; de torrente enim loquitur.

TURBĬNO, as, ātum, are, a. 1. (turbo) Part. *Turbinatus.* — Turbino est in modum turbinis volvo, verto. *Onom. Lat. Gr.* Turbino, ἐπιτροχίζω. — Hinc Part. præt. pass.

*Turbinatus, a, um,* adjectivorum more usurpatur; unde Comp. *Turbinatior.* — Turbinatus est in figuram turbinis desinens, *di figura conica,* κωνοειδής. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 69. (181). Cor homini infra lævam papillam turbinato mucrone in priora eminens. *Id.* 15. *ibid.* 15. 17. (15). Turbinatior piris figura. — De lapidibus. *Id.* 37. *ibid.* 4. 15. (56). Adamantes Indici laterum sexangulo levore turbinati in mucronem e duobus contrariis partibus. *Solin.* 52. Lapis (*crystallus*) in mucronem sexangulum utrinque secus leviter turbinatus. *Inscr.* apud *Don. cl.* 2. *n.* 80. et *Murat.* 475. 2. Turbinato lapide viam sternere. *a schiena di cavallo.* Adde *aliam* in *Bullett. dell' Istitut. archeol. a.* 1839. *p.* 135.

TURBĬNŌSUS, a, um, adject. (turbo) turbine plenus. Translate *Virg. Gramm. p.* 117. Turbinosa cordis profunditas.

TURBISCUS, i, m. 2. genus fruticis, fortasse idem quod Græcis thymelea. *Isid.* 17. *Orig.* 7. 56. Turbiscus, quod de uno cæspite ejus multa virgulta surgant, quasi turba.

TURBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (turba) *Turbasso* antique pro *turbavero,* ut *imperasso, levasso, rogasso* etc. *Cic.* 3. *Legg.* 4. 11. Qui turbassit in agendo, fraus actoris est. Alii rectius leg. *turbassitur.* — Part. *Turbans* I. 1. *a* et *b* et I. 2.; *Turbatus* fere in omn. paragr. et in fin. — Turbo est misceo, confundo, perturbo, ταράττω, τυρβάζω (It. *confondere, sturbare, turbare;* Fr. *mettre en désordre, troubler;* Hisp. *enturbiar, turbar, confundir;* Germ. *in Unruhe od. Verwirrung od. Unordnung bringen, verwirren;* Angl. *to disorder, confound, disturb, trouble*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Lucret.* 2. 1. mari magno turbantibus æquora ventis. *Cic. Cluent.* 49. *extr.* Mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari. *Virg.* 3. *G.* 259. abruptis turbata procellis freta. *Horat. Epod.* 15. 8. Turbare hibernum mare. *Ovid.* 3. *Met.* 475. aquas et 14. *ibid.* 544. aera et æquor. *Id.* 8. *ibid.* 859. (et 3. *Amor.* 2. 75.) Turbati capilli. *Seneca Hippol.* 827. Turbare decus capitis. *scomporre, scarmigliare.* et *Ovid.* 3. *Met.* 410. fontem. *Id.* 4. *Fast.* 466. signa reperta. *Quintil.* 12. 8. 13. ceram. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 6. (10). Uvæ recentes alvum turbant. *Seneca Herc. Fur.* 931. tempestas fretum Violenta turbat. *Ovid.* 4. *Met.* 473. canos turbata capillos. — Passive impers. *Lucret.* 6. 377. ancipiti bello turbatur utrinque. — Absolute. *Cic. Harusp. resp.* 22. 46. Ea (*labes*) miscet ac turbat. — *Turbare* pro *turbari* vel *turbare se. Varro* 3. *R. R.* 17. 7. Quum mare turbaret. Ita leg. *Schneid.,* alii *turbaretur.* Sic *Virg.* 6. *Æn.* 800. Et septemgemini turbant ostia Nili. *h. e.* turbantur. sc. Ægyptus. — *b*) In re militari. *Liv.* 30. 18. Hastati elephantos peditum aciem turbantes invadunt. *Id.* 3. 70. *n.* 9. Permissus equitatus turbaverat ordines. *Id. ibid. n.* 4. Priusquam hostis turbatos ordines reficeret. — Similiter *Virg.* 3. *G.* 412. *de apris.* apros Latratu turbabis agens. *mettere in disordinata fuga, inseguire violentemente.* — Absolute. *Id.* 38. 12. Equites eruptione facta modice primo impetu turbavere. *Flor.* 4. 2. 49. Turbantibus invicem copiis. — *c*) De liquidis, quæ turbida fiunt. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 60. limo turbatam haurit aquam. *Ovid.* 3. *Met.* 475. Turbare aquam lacrimis. *Id.* 6. *ibid.* 364. pedibusque manuque lacus. *Id.* 13. *ibid.* 889. flumen imbre. — Similiter *Petron. Sat.* 131. Turbatum sputo pulverem medio sustulit digito. ¶ 2. Speciatim est proturbo, sterno, occido, *atterrare. Stat.* 9. *Theb.* 745. Prima Tanagræum turbavit arundo Chorœbum. Adde *Tac.* 12. *Ann.* 55. ¶ 3. Pro impedire, inhibere videtur esse in illo *Plaut. Bacch.* 2. 3. 59. occeperunt ratem Turbare in portu. *Salmas.* conjicit, *Plautum* scripsisse *urbare in portum,* h. e. circumducere; quod *Gronovio* non placet.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Sall. Orat. Philippi contr. Lepid.* Omnia seditionibus turbata. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. Hostes turris ruina commoti, inopinato malo turbati. *Cic.* 4. *Verr.* 50. 123. Non modo illa permiscuit, sed etiam delectum atque ordinem turbavit. *Id.* 1. *Nat. D.* 73. 33. Aristoteles multa turbat. *Id.* 2. *Legg.* 9. 19. Omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit. *Liv.* 3. 66. Turbare contiones. *Id.* 4. 6. incerta prole auspicia. *Id.* 32. 36. spem pacis. *Val. Flacc.* 7. 132. et tanto turbetur Græcia luctu. *Stat.* 9. *Theb.* 570. Tristibus interea somnum turbata figuris. *Sil. It.* 2. 529. Turbatus ira. *et* 642. malis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 47. (75). Hedera mentem turbat. *Sueton. Cæs.* 40. Fastos turbatos correxit. *Justin.* 18. 2. *sub fin.* Turbata cum Romanis pax. *Petron. Sat.* 106. Turbato vehementius vultu proclamat. ¶ 2. Speciatim et plerumque turbas excitare, tumultuari, seditionem, discordiam moliri: occurrit autem absolute vel cum casu communi. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 5. Magis quam id reputo, tam magis uror, quæ meus filius turbavit. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 12. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint. *Lucret.* 2. 125. Corpora, quæ in solis radiis turbare videntur. *Cic.* 1. *Fin.* 10. 34. Feræ ita ruant itaque turbent. (Ita leg. *Madvig.*) *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. *extr.* Simul, nequid ille turbet, vide. Adde *Liv.* 38. 13. *Tac.* 3. *Ann.* 47. Si una alterave civitas turbet. *et* 4. *ibid.* 1. Nonus Tiberio annus erat compositæ reipublicæ, quum repente turbare Fortuna cœpit. *Id.* 1. *Hist.* 85. Milites nihil in commune turbantes. *Cf. Auct. Ætn.* 166. Angustis (*ventos*) turbare in faucibus. *h. e.* quasi turba oppressos ægre moveri. — *Turbare turbas* hoc sensu dixit *Plaut. Bacch.* 4. 10. 1. — Passive. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. Ad te ne hæc quidem scribo, quæ palam in republica turbantur. — Impersonaliter. *Ter. Eun.* 4. 3. 7. Nescio quid profecto, absente nobis, turbatum est domi. *Cic. Sull.* 20. 57. Quo facilius Romæ ea, quæ conabatur, efficeret, si in Hispania turbatum esset. *Virg.* 1. *Ecl.* 12. totis Usque adeo turbatur agris. ¶ 3. *Turbare rationes, censum,*

et *turbare* absolute, est rem familiarem ita exhaurire, ut sumptibus ferendis et æri alieno dissolvendo non sufficiat, decoquere, conturbare, *spiantarsi, fallire*. V. CONTURBO. *Ulp. Dig.* 11. 3. 1. *extr.* Rationem sibi commissam turbare. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 8. M. Servilius postquam, ut cœperat, omnibus in rebus turbarat, nec quod non venderet, cuiquam reliquerat. *Petron. Sat.* 119. greges servorum ostrumque renidens, Quæ turbant censum. Adde *Juvenal.* 14. 94. — Hinc Part. præter. perf., cujus exempla retulimus

*Turbatus, a, um*, etiam adjectivorum ritu usurpatur; unde Comp. *Turbatior.* — Turbatus est perturbatus, commotus, confusus, *commosso, confuso, sconcertato, turbato.* ¶ 1. Proprie. *Sueton. Tib.* 69. Turbatiore cælo numquam non coronam lauream capite gestavit. *Id. Cal.* 23. *a med.* Turbatius mare ingressus. ¶ 2. Translate. *Cic. Planc.* 4. 11. Turbatas populi voluntates placare. *Liv.* 7. 26. Oculis simul ac mente turbatus. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *ante med.* Omnia soluta, turbata atque etiam in contrarium versa. *Id.* 9. *Ep.* 5. *extr.* Quæ si confusa, turbata, permixta sunt etc. — Cum genetivo. *Sil. It.* 14. 678. *de Archimede*, meditantem in pulvere formas Nec turbatum animi, tanta feriente ruina.

TURBO, ĭnis, m. 3. (turba) Ad genus quod attinet, *Probus* in *Excerpt. de nom. p.* 210. 34. *Keil.* vult esse femin. gen., qua procellam significat: at nullum affert exemplum. — Turbo dicitur quidquid in gyrum vertitur, circumagitur; et quidem

I.) Est speciatim ventus vorticosus et validissimus, qui obvia quæque prosternit: et ipse vortex, quem ventus efficit, λαῖλαψ, τυφῶν (It. *aggiramento di venti, bufèra, turbine;* Fr. *tourbillon, tourbillon de vent;* Hisp. *turbonada;* Germ. *der Wirbelwind, Sturmwind;* Angl. *whirlwind*). ¶ 1. Proprie. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 13. Ventus circumactus et eumdem ambiens locum et se ipsa vertigine concitans, turbo est. Qui si pugnacior est ac diutius volutatur, inflammatur et efficit, quem πρηστῆρα Græci vocant. Hic est igneus turbo. *et* 7. *ibid.* 5. Turbo circa terram concipitur ac fertur. Ideoque arbusta radicitus vellit et, quacumque incubuit, solum nudat: silvas interim et tecta corripiens, inferior fere nubibus, utique numquam altior. *et mox.* Turbo omni nube velocior rapitur et in orbem vertitur. *et ibid.* 8. Turbinum motus vagus est et disjectus et, ut Sallustii (Cf. 4. *Hist.* 22.) utar verbis, verticosus etc. Eadem fere *Plin.* 2. *Hist. nat.* 48. 50. habet. *Poeta* apud *Cic.* 3. *Orat.* 39. 157. Sævi existunt turbines. *Plaut. Curc.* 5. 2. 47. Exoritur ventus turbo: spectacula ibi ruunt. Adde *Trin.* 4. 1. 16. *Lucret.* 1. 273. Venti vis rapido percurrens turbine campos. *et* 293. venti interdum vortice torto (*res*) Corripiunt rapidique rotanti turbine torquent. *Catull.* 64. 107. Indomitus turbo contorquens flamine robur. *Schwab, Heussner, alii* turben. *V.* TURBEN. *Id.* 68. 63. in nigro jactati turbine nautæ. *Cic. Cœl.* 32. 79. Tamquam turbine aliquo pervertere. *Id.* 3. *Nat. D.* 20. 51. Procellæ, turbines dii putandi. *Id.* 12. *Fam.* 25. Ut Minerva, quam turbo dejecerat, restitueretur. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 31. pulvis collectus turbine. *Virg.* 2. *Æn.* 416. Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt. *et* 1. *ibid.* 87. venti ruunt et terras turbine perflant. *vortice.* et *Seneca Agam.* 478. turbo convolvit mare. *Lucan.* 4. 767. Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis. *et Val. Flacc.* 4. 452. niger intorto turbine nimbus. *Lucan.* 5. 594. Avulsit laceros, percussa puppe, rudentes Turbo rapax. *Virg.* 10. *Æn.* 603. torrentis aquæ vel turbinis atri More furens. *Seneca Troad.* 230. Turbinis vasti modo. *Lucan.* 5. 611. Violentus turbo. *Virg.* 6. *Æn.* 592. At pater omnipotens densa inter nubila telum Contorsit præcipitemque immani turbine adegit. *h. e.* vi et impetu fulminis ruentis instar turbinis. *Id.* 3. *ibid.* 572. Ætna atram prorumpit ad æthera nubem Turbine fumantem piceo et candente favilla. *Id.* 1. *G.* 320. turbine nigro ferret hiems. *vortice.* — *Turbo clemens* apud *Val. Flacc.* 6. 747. est placidus et sine impetu rapiens. ¶ 2. Translate. *Cic. Dom.* 53. *a med.* Tu procella patriæ, turbo ac tempestas pacis atque otii. *Id. Pis.* 9. *a med.* In maximis turbinibus ac fluctibus reipublicæ navem gubernare salvamque in portu collocare. *Catull.* 64. 149. ego te in medio versantem turbine leti Eripui. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 28. Nescio quo miseræ turbine mentis agor. *Sil. It.* 11. 101. O confuse nimis Gradivi turbine Varro. *h. e.* Marte adverso et pugna infelici, quæ velut turbo cuncta disjicit. *Ovid.* 7. *Met.* 614. Attonitus tanto miserarum turbine rerum. *h. e.* tanta turbatione rerum ex pestilentia. Sic *Seneca Agam.* 196. horum te mala Ventura moveant, turbo queis rerum imminet. *Lucan.* 2. 243. Virtutis jam sola fides, quam turbine nullo Excutiet Fortuna tibi.

II.) Est etiam genus instrumenti lusorii, nempe lignum forma metæ inversæ, ima sui parte in acutum desinens, in summo latius, quod a pueris scutica circumagitur, βέμβηξ, στρόβιλος (It. *tròttola, palèo, fattore;* Fr. *toupie, sabot;* Hisp. *peonza;* Germ. *der Kreisel;* Angl. *a top*). ¶ 1. Proprie. *Cic. Fat.* 18. *sub fin.* Revertitur ad cylindrum et ad turbinem suum, quæ moveri incipere, nisi pulsa, non possunt. *Virg.* 7. *Æn.* 378. Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo, Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum, Intenti ludo exercent: ille actus habena Curvatis fertur spatiis. stupet inscia supra Impubesque manus mirata volubile buxum. Dant animos plagæ. *Tibull.* 1. 5. 3. Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo, Quem celer assueta versat ab arte puer. *Alii* turben. *V.* TURBEN. ¶ 2. Improprie. — *a*) Est quidquid instar lusorii turbinis factum est: ut cardinis ima pars et similia. *Varro* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 449. Fores graves atque innixæ in cardinum tardos turbines. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (56). Si duo turbines latissimis partibus jungantur. *Ovid.* 1. *Met.* 335. cava buccina sumitur illi Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 61. (130). Turbo conchæ. *h. e.* concha turbinata. *Id.* 2. *ibid.* 10. 7. (47) Figura umbræ similis metæ ac turbini inverso. *Id.* 27. *ibid.* 4. 5. (14). In turbinibus cadorum eam (*herbam*) serunt, ut aizoum majus. *h. e.* in cadis turbinatis. — *b*) De re, quæ circumagitur. *Id.* 36. *ibid.* 13. 19. (90). Columnarum in officina turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. — *c*) Quemadmodum in ludo puerili turbo erat conus inversus seu meta, ita instrumentum nendi, quod *fuso* dicunt Itali, est compositum ex duplici cono inverse posito, quo quidem utebantur in re magica et incantationibus. *V.* RHOMBUS. *Horat. Epod.* 17. 6. Canidia parce vocibus tandem sacris Citumque retro solve, solve turbinem. *Vaspo. Albinov.* 1. 164. Hanc lucem celeri turbine parca neat. *Catull.* 64. 313. tum prono in pollice torquens Libratum tereti versabat turbine fusum.

III.) Est universim cujusque rei cursus in gyrum, revolutio, circumactio, *corso in giro.* ¶ 1. Proprie. *Lucret.* 5. 623. cum cæli turbine ferri. *et* 631. *de luna.* Succidiore turbine fertur Inferior, quam sol. *Id.* 6. 640. per fauces montis ut Ætnæ Exspirent ignes interdum turbine tanto. Sic *Sil. It.* 14. 65. *de Ætna.* largo flammarum exæstuat intus Turbine. *Virg.* 12. *Æn.* 531. Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi Excutit. *Ovid.* 3. *Amor.* 15. 5. usque a proavis vetus ordinis heres, Non modo militiæ turbine factus eques. *h. e.* per varios militiæ gradus et quadam veluti circuitione. *Id.* 4. *Trist.* 10. 7. hos duos versus repetens habet *Fortunæ munere.* et *Seneca Hippol.* 1236. incitatis membra turbinibus ferat Nusquam resistens orbe revoluto rota. (Adde *Herc. Œt.* 945. et 1069.) *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 287. Ægæus turbo. *h. e.* mare procellosum et ventis circumactum. *Stat.* 4. *Theb.* 813. hos turbo rapax, hos lubrica fallunt Saxa. *h. e.* torrentes aquarum vortices. *Sil. It.* 3. 191. Ater letifero stridebat turbine serpens. *h. e.* spiris se circumvolvens. *Seneca Thyest.* 621. Res Deus nostras celeri citatas Turbine versat. *Pers.* 5. 78. Verterit hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama. *V.* CIRCUMAGO et VERTIGO. ¶ 2. Translate. — *a*) Est vis, impetus. *Virg.* 11. *Æn.* 284. quantus In clipeum assurgat, quo turbine torqueat hastam. *Val. Flacc.* 3. 78. hasta volant immani turbine transtris Insonuit. *Lucan.* 3. 465. lancea denso balistæ turbine rapta, Haud unum contenta latus transire. *Sil. It.* 4. 542. intorquens directo turbine robur. *Val. Flacc.* 3. 243. Talia magnanimi diverso turbine fundunt Tela viri. *et* 6. 279. magnoque doloris Turbine Gesandrum Mavors rapit. — *b*) Item turba, confusio, seditio, tumultus, in illo *Val. Flacc.* 2. 262. et insomni lassatas turbine tandem Conticuisse domos. — *c*) *Turbo vulgi*, multitudo, *folla, calca. Claudian. II. cons. Stilich.* 200. Sic *Sil. It.* 15. 627. Turbo acer equitum.

Homonym. Quomodo *turbo* a *trocho* differat, *V.* in hac voce.

TURBO, ōnis, m. 3. (turba) ¶ 1. Est idem ac *turbo, inis*, qua tempestatem significat, ut, si credimus *Charis.* 1. *p.* 117. *Putsch.*, docuit *Cæsar* 2. *de Analog.* ¶ 2. Est etiam instrumentum lusorium. *Boeth.* 1. *Music.* 3. *p.* 1067. Veluti si unum, quem turbonem vocant, quis diligenter exornet, eique unam virgulam coloris rubri vel alterius ducat et eum, qua potest, celeritate convertat; tunc totus conus rubro colore videtur infectus, non quo totus ita sit, sed quod partes puras rubræ virgæ velocitas comprehendat et apparere non sinat. *V.* voc præc. — *NB.* De nom. propr. et de cogn. R. *V.* ONOM.

TURBOR, ōris, m. 3. (turbo) ¶ 1. Est turba, perturbatio. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 15. 150. Novo turbore corpus afficiunt. *et* 2. *ibid.* 1. *a med.* Phreneticis alienationem cum turbore efficl. Adde *Theod. Prisc.* 2. 21. ¶ 2. Pro dissensu, discordia. *Vulg. interpr. Eccl.* 12. 36. ex cod. *Amiat.*

TURBŬLA, æ, f. 1. (*deminut. a* turba) ¶ 1. Est perturbatio, strepitus, *strepito, chiasso, baccano. Apul. De deo Socr.* Omnes turbulæ tempestatesque. Alii leg. *turbelæ* vel *turbellæ.* ¶ 2. Est etiam parva hominum turba. *Id.* 10. *Met. in fin.* Vitatis turbulis et electo secreto litore. *et* 11. *ibid.* Turbulæ complent totas plateas.

TURBŬLENS, entis, adject. (turba) turbulentus. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 28. In quibusdam civitatibus turbulentibus. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.*; at rectius *Haloand.* turbulentis.

TURBŬLENTĒ, adverb. (turbulentus) Comp. *Turbulentius* et Sup. *Turbulentissime.* — Turbulente est confuse, turbate, *confusamente, con disordine, con agitazione,* ταραχωδῶς. *Cic.* 4. *Tusc.* 28. 60. Nou turbulente. *Id. Dom.* 26. 68. Omnia contra leges moresque majorum temere, turbulente, per vim, per furorem esse gesta. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 28. § 3. Seditiose et turbulente se gerere. *Cic. Partit.* 30. 105. Turbulentius agere. *Sidon.* 2. *Ep.* 13. *circa med.* Turbulentissime regere.

TURBŬLENTER, adverb. (turbulentus) idem ac turbulente. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *in fin.* Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temere faciemus.

TURBŬLENTĬA, æ, f. 1. (turbulens) confusio, turba, perturbatio. *Tertull. advers. Hermog.* 41. Hæc inquies non est, hæc turbulentia et passivitas non est.

TURBŬLENTO, as, are, a. 1. (turbulentus) perturbo, διαθορυβέω. *Apul.* 9. *Met.* Me strepitu turbulentant. *et* 2. *ibid.* Hospes totam civitatem turbulentat.

TURBŬLENTUS, a, um, adject. (turba) Comp. *Turbulentior* II. 1.; Sup. *Turbulentissimus* II. 1. et 2. — Turbulentus est valde turbatus, turbidus, θολερός (It. *torbido, intorbidato, turbato;* Fr. *troublé, remué;* Hisp. *enturbiado, turbado;* Germ. *unruhig bewegt, beunruhigt;* Angl. *troubled*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 3. Loca Neptunia turbulenta. *Cic.* 7. *Verr.* 10. *a med.* Nullus dies tam magna turbulentaque tempestate fuit, quin aliquo tempore ejus diei solem homines viderent. *Phædr.* 1. 1. Cur turbulentam fe-

cisti mihi Aquam bibenti? Cic. 1. Fin. 6. a med. Turbulenta atomorum concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit. confusa.

II.) Translate. ¶ 1. Passive est turbarum plenus, valde turbatus, confusus, confuso, imbrogliato, turbulento, θορυβώδης. Plaut. Epid. 1. 1. 68. Heu edepol res turbulentas! deh che matassa scarmigliata! et Rud. 4. 4. 142. Credebam edepol, turbulentam prædam eventuram mihi. Varro apud Gell. 13. 11. Multos (convivas) esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta. Cic. Pis. 15. 33. Illud meum turbulentissimum tempus profectionis tuo tranquillissimo præstat. Id. 12. Fam. 10. ad fin. Illa ex turbulenta republica, hic ex pace et victoria bellum excitavit. Id. Cæcin. 12. 34. Feci quæ dicis omnia: et ea sunt et turbulenta et temeraria et periculosa. Id. 2. Nat. D. 28. 70. Falsæ opiniones, errores turbulenti et superstitiones pæne aniles. Liv. 2. 61. Turbulentior inde annus excepit, L. Valerio, Ti. Æmilio consulibus. Cic. 4. Tusc. 5. 59. Mederi animi nec eos turbulentos esse pati. h. e. ægritudinibus turbatos. ¶ 2. Active est turbarum amans, seditiones et discordias excitans, turbolento, sedizioso, ὀχλώδης. Cæs. 1. B. C. 5. Turbulentissimi tribuni plebis. Sic Tac. 2. Hist. 38. Turbulenti tribuni. Cic. Brut. 28. a med. Civis ut vita, sic oratione turbulentus. Id. 2. Orat. 11. ad fin. Sex. Titius seditiosus civis et turbulentus. et 31. a med. Turbulenti et mali cives. Id. 4. Att. 3. a med. Contiones turbulentæ Metelli, temerariæ Appii, furiosissimæ Publii. Id. 15. Att. 4. Antonii turbulenta consilia. Quintil. 2. 20. 8. Turbulentæ minæ populi. Sueton. Cæs. 16. Turbulentissimæ leges.

Homonym. Discrimen inter turbulentum et turbidum V. sub TURBIDUS.

TURBUS, a, um, adject. (turbo), qui turbat. Priscian. 4. p. 635. Putsch. A verbis derivantur, ut probo probus, turbo turbus etc. Keil putat turbo turbus insititia. V. tamen Hertz Prisc. v. 1. p. 136. 16. not. crit.

TURBYSTUM (turbistum), i, n. 2. id, cujus ope colores celerius imbibuntur: vox pictorum propria. Plin. 33. Hist. nat. 5. 26. (88). Chrysocolla nisi rapuit colorem, adduntur et scytanum atque turbystum: ita vocant medicamenta sorbere (h. e. colorem bibere) cogentia. Sillig. turbistum.

TURDA, æ. V. TURDUS.

TURDĀRĬUM, ii, n. 2. (turdus) locus, in quo inclusi turdi, merulæ aliæque hujusmodi altiles aves saginantur, tordaio, (qui locus a Varron. 3. R. R. 5. et Colum. 8. R. R. 10. describitur.) Et

TURDĀRĬUS, ii, m. 2. turdos alens et saginans. Alterutra harum vocum vel utraque significari potest in illo Varron. 6. L. L. 2. Müll. Ut verba litteras alia assumant, alia amittant, alia commutent, ut fit in turdo, in turdario, in turdelice. Ita Forcellinus; at recentiores turdarius masc. gen. rejiciunt.

TURDĒLA (turdella), æ, f. 1. (turdus) idem ac turdus Isid. 12. Orig. 7. a med. Turdella quasi major turdus. — Pro parvo turdo leg. nonnulli apud Varron. V. voc. seq.

TURDĒLIX, icis, f. 3. (turdus) parvus turdus. Varro 6. L. L. 2. Müll. In turdo, in turdario, in turdelice. Alii leg. turdelis; alii aliter. — Gloss. Lat. Gr. Turbelix (lege Turdelix), δίχηλος, ὀρνέου εἶδος.

TURDETĀNI, ōrum, m. plur. 2. nomen populi in Hispania ulteriore, de quibus V. ONOM. — Hinc jlocalariter Plaut. Capt. 1. 2. 60. quum dixisset, multis militibus opus esse, inter eos enumerat paniceos, placentinos, turdetanos, ficedulenses, ludens nimirum in ambiguo; nam Turdetani et populi sunt et significare possunt eos, qui turdos saginant et vendunt, et qui turdorum avidi sunt: qui jocus in aliis quoque nominibus, qui ibidem leguntur, latet.

TURDILLUS, i, m. 2. deminut. a turdus, parvus turdus. Legitur e quibusdam apud Senec. Ep. 96. in fin., ubi alii aliter. V. TURTURILLA.

TURDUS, i, m. 2. Turda, æ, fem. gen. an Latine dicatur, lis est. Negare videtur Varro 9. L. L. 55. Müll., immo negat 3. R. R. 5. Cf. tamen Sat. Menipp. 77. p. 200. Contra turdas audes dicere. Ita leg. Oehl.; sed alii aliter. V. Non. p. 229. 15. Merc. Ceterum Casaubon. ex libr. MSS. et editis et Vet. Scholiast. ita leg. illud Pers. 6. 24. Nec tenuem solers turdarum nosse salivam. ubi idem Schol. adnotat, esse subtilis palati turdum a turda discernere. Cf. etiam Serg. expl. in Donat. p. 494. 22. Keil. — Etymon vocis Isid. 12. Orig. 7. 71. petit a tarditate: turdi enim, inquit, hiemis confinio se referunt. V. tamen Vanicek op. cit. p. 1153. et Curt. op. cit. p. 689. — Turdus ¶ 1. Est genus avis præstanti sapore in cibis, κίχλη (It. tordo; Fr. grive; Hisp. griva, tordo; Germ. die Drossel; Angl. a thrush). Horat. 1. Ep 15 41. Nil melius turdo, nil vulva pulcrius ampla. Adde 2. Sat. 2. 74. et ibid. 5. 10. Martial. 13. 92. Inter aves turdus, si quis me judice certet. Adde ibid. 51. et Plin. 10. Hist. nat. 25. 35. (73). — De ratione alendorum turdorum multa Varro 3. R. R. 5. et Colum. 8. R. R. 10. ¶ 2. Est etiam piscis hoc nomine, quem et ipsum κίχλην vocant Græci, a colore turdi avis dictus, ut Varro 5. L. L. 77. Müll. docet. Quintil. quoque 8. 2. 8. inter ea, quæ a similitudine nomen habent, turdum ponit. Plin. 32. Hist. nat. 11. 53. (151). Turdus inter saxatiles nobilis. Adde 9. ibid. 15. 20. (52). et Colum. 8. R. R. 16. ad fin. et 17. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

TŪRĔUS et thureus, a, um, adject. (tus) De scriptione V. in TUS. — Tureus est ad tus pertinens, d'incenso, λιβανώδης, λιβανικός. Virg. 2. G. 117. solis est turea virga Sabæis. Id. 6. Æn. 225. congesta cremantur Turea dona focis. Ovid. 4. Fast. 410. Detis et in veteres turea grana focos. Stat. 4. Theb. 412. Turea altaria. h. e. in quibus tus adoletur. Colum. 3. R. R. 8. Turea planta.

TURGENS, entis, particip. V. voc. seq.

TURGĔO, turges, tursi, turgere, n. 2. In Gloss. Philox. et turgit et turgo legitur. Ex quo discimus, etiam in tertia conjugat. usurpari posse, ut ferveo, fulgeo et similia. — Scribitur et turgueo, ut urgueo, unguo pro urgeo, ungo. V. litt. U. — Origo vocis latet; recentiores tamen conferunt cum σπαργάω, tumeo, distentus sum. — Part. Turgens I. — Turgeo est tumeo, inflatus sum, οἰδέω (It. essere gonfio; Fr. être enflé, gonflé; Hisp. ser hinchado, llenado; Germ. strotzen, pausen, aufgeschwollen sein; Angl. to swell, grow turgid or big, to inflated).

I.) Proprie. Enn. apud Priscian. 9. p. 870. Putsch. Cyclopis venter velut olim turserat alti, Carnibus humanis distentus. Pompon. fragm. 56. Turgens verminatur. Pacuv. fragm. 382. vultus. Cato R. R. 157. Si lienes turgent et si cor dolet. Virg. 7. Ecl. 48. læto turgent in palmite gemmæ. Id. 1. G. 315. Frumenta in viridi stipula lactentia turgent. Ovid. 15. Met. 202. Turgens herba. Propert. 4. 4. 27. rana. Id. 1. 21. 3. turgentia lumina fletu. Plin. 12. Hist. nat. 17. 37. (73). Caules prædulci liquore turgentes. Martial. 13. 47. accepta spongia turget aqua. et ibid. 68. uva mero. et 14. 45. pila plumâ. Juvenal. 14. 136. pleno turget sacculus ore. Ovid. 3. Fast. 357. Turgentia ora. h. e. vultus tumens ex ictu. Plin. 20. Hist. nat. 13. 5. (142). Rutam decoctam imponunt mammis turgentibus.

II.) Translate. Claudian. 1. in Eutrop. 350. si talibus, inquit, Creditur et nimis turgent mendacia monstris. h. e. plena sunt. — De oratione inflata. Cic. 4. Herenn. 10. a med. Ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpe; ita gravis oratio sæpe imperitis videtur ea, quæ turget et inflata est. Horat. Art. P. 27. professus grandia turget: Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ. — De iratis. Plaut. Cas. 2. 5. 17. et Most. 3. 2. 10. Uxor in fermento tota est: ita turget mihi. Cf. TUMEO.

TURGESCENS, entis, particip. V. voc. seq.

TURGESCO, is, ere, 3. (inchoat. a turgeo) Part. Turgescens sub A I. — Turgesco usurpatur A) intransitive; et etiam B) Transitivorum more.

A) Intransitive est turgere incipio, tumesco, gonfiarsi, ὀγκόομαι.

I.) Proprie. Varro 3. R. R. 9. a med. Ne aqua in eorum corpore turgescet. Ovid. 9. Amor. 10. 11. turgescere semen in agris. Colum. 10. R. R. 325. valide turgescit lurida caule Brassica. Quintil. 11. 3. 38. Turgescit (humore) ætas illa (puerilis). Plin. 8. Hist. nat. 50. 76. (200). Turgescentibus virgultis. Pers. 5. 56. Hic satur irriguo mavult turgescere somno. h. e. crassus et pinguis fieri.

II.) Translate. Pers. 5. 18. Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat. h. e. plena sit, crescat. — De affectibus. Cic. 3. Tusc. 9. 19. Sapientis animus semper vacat vitio, numquam turgescit, numquam tumet. Id. ibid. vertens carmina Homeri. Corque meum penitus turgescit tristibus iris. Pers. 3. 8. turgescit vitrea bilis. — De oratione. Quintil. 12. 10. 73. genus dicendi, quod immodico tumore turgescit.

B) Transitivorum more est turgescere facio, tumidum reddo, gonfiare, ingrossare. Avien. Descr. orb. 85. hic prolapsus aquæ Terga procelloso turgescit Caspia fluctu.

TURGĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. a turgidus, aliquantum turgidus. Catull. 3. 18. Flendo turgiduli rubent ocelli. Paulin. Petroc. 5. 450. Sæpe gemens jugis post annua vota laboris De jam turgidulis numerabat damna racemis.

TURGĬDUS, a, um, adject. (turgeo) inflatus, tumens, tumidus, ὀγκώδης (It. gonfio; Fr. enflé, gonflé; Hisp. hinchado, llenado; Germ. strotzend, geschwollen; Angl. swollen, inflated, turgid).

I.) Proprie. Plaut. Mil. glor. 4. 3. 15. Mulier lippa atque oculis turgidis. Lucret. 4. 1034. Turgida (loca) semine. Nov. fragm. 60. Ribb. talis. Cic. 3. Tusc. 9. 19. Membrum tumidum ac turgidum. Ovid. 2. Art. am. 661. Dic habilem quæcumque brevis; quæ turgida, plenam. Horat. 3. Od. 13. 4. hædus, Cui frons turgida cornibus. Id. 4. ibid. 12. 4. fluvii Hiberna nive turgidi. Id. 2. ibid. 10. 24. et Ovid. 2. Amor. 11. 42. Turgida vela vento. Horat. 1. Od. 3. 19. Mare turgidum. Martial. 6. 39. At ille (puer) sima nare, turgidis labris. Plin. 7. Hist. nat. 45. 46. (148). Aqua subter cutem fusa turgidus. Apul. 6. Met. Turgidus venter. gravido.

II.) Translate. — a) Dicitur de iratis. Apul. 9. Met. Vultu turgido subductisque superciliis incessit iratus. et 2. ibid. Feminæ vesania turgidæ. — b) Item de oratione. Horat. 1. Sat. 10. 36. Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona etc. h. e. inflato stilo scribens. Claudian. 2. Laud. Stilich. 158. nec quos promoveris, alto Turgidus alloqueris fastu. Petron. Sat. 2. Grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulcritudine exsurgit.

Homonym. Discrimen inter turgidum et tumidum V. in TUMIDUS.

TURGĬO, ōnis, m. 3. idem ac turio, vettuccia: fortasse a turgeo, unde turio, extrita littera g, derivatum. Plin. Valer. 1. 55. Rutæ turgiones ad denarios duos dolorem statim tollunt.

TURGO. V. TURGEO init.

TURGOR, ōris, m. 3. (turgeo) inflatio, gonfiamento. Capell. 2. p. 35. Distentus magno cum turgore. Adde 5. sub fin. et Lactant. Placid. apud A. Mai in Class. auct. T. 3. p. 127. fab. 115. Minerva ad Tritoniam paludem venit ibique labiorum suorum turgorem intuita, tibias abjecit. Gloss. Gr. Lat. Οἴδημα, tumor, turgor.

TURGUĔO. V. TURGEO init.

TŪRĬĀNUS, a, um, adject. ad Turiam gentem vel ad Turium aliquem pertinens, de quo V. ONOM. — Hinc Turiana cassia memoratur a Marciano Dig. 39. 4. 16. § 7. inter species ad vectigal pertinentes; ubi tamen alii leg. thymiama, cassia.

TŪRĬBŬLUM et thuribulum, i, n. 2. (tus) duo diversa significat. ¶ 1. Turibulum est vas, in quo tus adoletur, θυματήριον (It. profumiera, incensiere, turibile, turibolo; Fr. encensoir;

Hisp. incensario; Germ. die Weihrauchpfanne, Räucherpfanne; Angl. a censer, thurible). Cic. 6. Verr. 21. 46. De L. Papirio turibulum emisti. Liv. 29. 14. ad fin. Turibulis ante januas positis atque accenso ture precantes, ut etc. Curt. 8. 9. 23. Quum rex Indiæ se in publico conspici patitur, turibula argentea ministri ferunt totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. Adde Auson. Edyll. 12. 104., Val. Max. 3. 3. ext. 1. et Prudent. Apoth. 470. — In illo Vulg. interpr. Hebr. 9. 4. Tabernaculum aureum habens turibulum. turibulum alii intelligunt de altari thymiamatis vel incensi, quod erat in Sancto proxime velum adyti; alii vero de vase turario, quo utebatur summus Sacerdos die Expiationis festo. (Cf. Lev. 16. 12.) V. Interpretes. ¶ 2, Turibulum est etiam sidus in cælo, quod, a similitudine, et Ara dicitur: quare vocem in hac significatione Klotzius translatam censuit. Germanic. in Arat. 390. Scorpius erecta torquet qua spicula cauda, Turibulum vicinum Austris sacro igne videbis Arcturum contra. V. ARA. Adde Vitruv. 9. 7.

TŪRĬCRĔMUS et thuricremus, a, um, adject. (tus et cremo) ad turis cremationem pertinens: dicitur autem de loco, ubi tus crematur: hinc turicremæ aræ apud Lucret. 2. 353. et Virg. 4. Æn. 453., in quibus tus in honorem deorum crematur. Sic Ovid. Heroid. 2. 18. Turicremi foci. et Lucan. 9. 989. ignes.

TŪRĬFER et thurifer, fĕra, fĕrum, adject. (tus et fero) ¶ 1. Est qui tus fert. Ovid. 3. Fast. 720. Et domitas gentes, turifer Inde, tuas. Plin. 6. Hist. nat. 23. 26. (104). Turifera regio. Val. Flacc. 6. 138. turiferos, felicia regna, Sabæos. Claudian. III. cons. Honor. 71. Turiferi Arabes. Id. 2. Rapt. Pros. 81. Quidquid turiferis spirat Panchaia silvis. ¶ 2. Apud Prudent. Apoth. est qui tus diis adolet, 359. Catholica non es de plebe, sed unus De grege turifero. idolatra. Ubi perperam Quicherat: « Eccl. thuriféraire ». V. Barth. Adv. XLI. c. 24.

TŪRĬFĬCANS, antis, particip. V. TURIFICO.

TŪRĬFĬCĀTĬO et thurificatio, ōnis, f. 3. (turifico) actus turificandi: dicitur de Christianis, qui ad tus diis adolendum vi compellebantur. V. TURIFICO. Optat. 2. schism. Donat. 25. et Inscr. apud De-Rossi in Bullett. Crist. a. 1875. p. 163.

TŪRĬFĬCĀTOR et thurificator, ōris, m. 3. (turifico) qui tus diis offert. Augustin. 2. contra litter. Petil. c. 103. Nolo mihi dicas: Non sum traditor, non turificator, non sum persecutor. — In numo, quem vocant contorniatum, habebatur a quibusdam tamquam nomen equi Circensis, apud Cohen Médaill. Imp. T. 6. p. 575. n. 56. Eutime nica turificator astutus. Sed Cavedoni in Notiz. intorno alla Vita etc. p. 572. improbat hanc lectionem et legendum proponit Tyriei Castor Astutus, quasi fuerint nomina duorum equorum Castor et Astutus generis Tyrii.

TŪRĬFĬCĀTUS et thurificatus, a, um, particip. V. voc. seq.

TŪRĬFĬCO et thurifico, as, āvi, ātum, are, n. 1. (tus et facio) Part. Turificans et Turificatus. — Particip. turificatus tum passive tum deponentis more usurpatum fuisse, V. infra. — Turifico est tura incendo, bruciare incenso: dicitur autem de diis seu idolis; quibus Christiani metu adacti tura adolebant. Anthelm. Laud. Virg. 694. Cui (pino) proceres stolidi tunc turificare solebant. Cod. Theod. 16. 10. 12. Quæ (loca) constiterit vapore fumasse, si tamen ea in jure fuisse turificantium probabantur. Adde Optat. 1. schism. Donat. 13. — Hinc Part. turificatus — a) Deponentis more. Cyprian. Ep. 55. sub init. Desiderasti, ut rescriberem tibi, qua ratione Cornelius Trophimo et turificatis communicet. — b) Passive. Gloss. apud A. Maium in Class. auct. T. 6. p. 549. Turificatus, purificatus.

TŪRĬLĔGUS et thurilegus, a, um, adject. (tus et lego) qui tus legit seu colligit. Ovid. 4. Fast. 569. modo turilegos Arabas, modo despicit Indos.

TŪRĪNUS et thurinus, a, um, adject. (tus) idem ac tureus. Gloss. Cyrill. Λιβάνιος, turinus.

TŪRĬO, ōnis, m. 3. tener arborum arbustorumque summus ramusculus, turgio, vettuccia. Colum. 12. R. R. 48. extr. Lauri turiones in hoc usu mittito, ut olivas deprimant. Apic. 8. 1. Elixatur perna aprina in aqua marina cum lauri turionibus et anetho. V. TURGIO.

TURMA, æ, f. 1. De origine vocis ita Varro loc. cit. Turma terima (E in U abiit), quod terdeni equites ex tribus tribubus Titiensium, Ramnium, Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni. Forcellinus habet terna pro terima, ut leg. Müll.; quod et apud Fest. p. 355. 6. Müll. Turmam equitum dictam esse ait Curiatius quasi terimam, quod terdeni etc. Cf. Serv. ad Virg. 9. Æn. 368. et 370. et Isid. 9. Orig. 3. 51. Recentiores conferunt cum Skr. tvar (stvar), celer, et cum Lat. turba fortasse ab eadem radice. Cf. etiam Germ. Sturm. Ceterum etiam Græce occurrit τύρμα in Inscr. in Corp. Inscr. Gr. n. 5047. — Quidquid sit de etymo, turma est agmen et quidem triginta equitum, sive, cum tribus decurionibus, triginta trium. Nam Varro 5. L. L. 91. Müll. disertim scribit, suo etiam tempore tres fuisse in turma decuriones; Festus autem apud Paul. Diac. p. 71. 19. Müll. ita de decurionibus: Decuriones appellantur, qui denis equitibus præsunt. Postea res mutata: nam turma facta est triginta duorum equitum, et unus toti turmæ est præpositus, qui, quamvis triginta duobus equitibus præesset, tamen, pristino retento nomine, et ipse decurio vocabatur. Clare id ita ostendit Veget. 2. Milit. 14. Quemadmodum inter pedites centuria vel manipulus appellatur, ita inter equites turma dicitur. Et habet una turma equites XXXII. Huic qui præest, decurio nominatur. Ut enim centum et decem pedites ab uno centurione sub uno vexillo gubernantur, similiter XXXII. equites ab uno decurione sub uno vexillo reguntur. — Appellabatur suis quæque turma nominibus, ut Lucaniana, Ulpiana etc. V. Inscr. apud Orelli n. 3415. et 3416. — Turma dictum de peditibus V. apud Oudend. in Apul. 9. Met. p. 610. — Ad usum vocis quod attinet, adhibetur

I.) Proprie. Cæs. 7. B. G. 88. Ejus adventu cognito turmisque equitum et cohortibus visis. Id. 6. ibid. 8. Turmas mittere. et 7. ibid. 80. confercire. Adde Auct. B. G. 8. 19. et Cic. 5. Att. 21. et 15. Fam. 4. Horat. 2. Od. 16. 22. Cura nec turmas equitum relinquit. Virg. 3. G. 179. Sin ad bella magis studium turmasque feroces etc. Cic. Marcell. 2. ad fin. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Adde Val. Max. 2. 7. n. 9.

II.) Translate usurpatur pro quacumque multitudine. Cic. 6. Att. 1. a med. In turma statuarum equestrium. Ovid. 4. Pont. 10. 51. Turma feminea. et 2. Amor. 13. 18. Gallica. Horat. 3. Od. 4. 44. ut impios Titanas immanemque turmam Fulmine sustulerit corusco. Claudian. 2. in Rufin. 343. Ipse salutatum reduces post prœlia turmas Ibat. h. e. exercitum omnem pedestrem et equestrem. et III. cons. Honor. 133. Floret cristatis exercitus undique turmis. Plin. 34. Hist. nat. 8. 19. (64). Turma Satyrorum.

TURMĀLE. V. voc. seq. in fin.

TURMĀLIS, e, adject. (turma) ad turmam pertinens. Stat. 5. Silv. 2. 17. non sanguine cretus Turmali trabeaque Remi. h. e. equestri ordine. Claudian. B. Gild. 347. Excitet incestos turmalis buccina somnos. — Jocus est in illo Cic. 2. Orat. 65. 262. Scipio Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, turmales dixit displicere. h. e. equestres: sed intelligit etiam gregales et in turba collocatas. — Hinc

Turmalis, is, m. 3. absolute, substantivorum more, qui est ejusdem turmæ. Liv. 8. 7. T. Manlius super castra hostium cum suis turmalibus evasit. Id. 25. 18. a med. Diu cunctantem Crispinum perpulere turmales, ne impune insultare Campanum pateretur.

Turmale, adverbii ritu, est instar turmæ. Stat. 4. Theb. 10. Bellona mixta viris turmale fremit.

TURMĀRĬUS, ĭi, m. 2. (turma) turmalis: speciatim qui turmas tironum exigit. Imp. Constantin. Cod. Theod. 6. 35. 3. Ne exactorum vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam subeant. Adde Prob. p. 1536. Putsch.

TURMĀTIM, adverb. (turma) per turmas, a schiere, ἰλαδόν.

I.) Proprie. Cæs. 3. B. C. 93. Equites hoc acrius instare et se turmatim explicare cœperunt. Liv. 5. 39. Vagantibus circa mœnia turmatim barbaris. Adde eumd. 28. 13. et Auct. B. G. 8. 18.

II.) Translate. Lucret. 2. 113. quum solis lumina - fundunt radios per opaca domorum, Corpora multa minuta per inane videbis misceri et prœlia pugnasque Edere turmatim certantia. — Inscript. sublestæ admodum fidei apud Gruter. 329. VIATORES CIVES OPTIMI VEL ADVENAE SIVE BINI SIVE SINGVLI INCEDITIS SIVE TVRMATIM.

TURNUS, i, m. 2. piscis palustris et fluvius, ut docet Priscian. in XII. vers. Æn. l. 9. p. 1264. Putsch. — NB. De nom. pr. V. ONOM.

TURPANS, antis, particip. V. TURPO.

TURPĀTOR, ōris. V. TURPIFACTOR.

TURPĀTUS, a, um, particip. V. TURPO.

TURPE. V. TURPIS in fin.

TURPĒDO. V. TURPIDO.

TURPĬCŬLUS, a, um, adject. deminut. a turpis, subturpis, ὑπαισχρός.

I.) Proprie. Catull. 41. 3. Ista turpiculo puella naso. Varro 7. L. L. 97. Müll. Pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bonæ scævæ causa. h. e. fascinum, veretrum.

II.) Translate. Cic. 2. Orat. 61. 248. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, jocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur.

TURPĪDO et turpēdo, inis, f. 3. (turpis) turpitudo, res turpis vel obscena. Tertull. Cor. mil. 14. Turpido et dedecoratio. At in multis melioris notæ editionibus legitur turpitudo, licet hanc vocem nuper detexerit A. Maius in suo Cic. 1. Rep. 2., quam tamen Fr. Oriolius in torpedinem commutari mallet. Sic Marcell. Empir. p. 396. retro. Pueri continentur in lecto, donec omnis turpedo reprimatur. Adde Augustin. Serm. 120. n. 13. ed. Mai., ubi turpido.

TURPĬFĂCĬO, făcis, făcere, a. 3. (turpis et facio) turpe aliquid ago, far cose turpi. Gloss. Cyrill. Αἰσχροποιῶ, turpifacio.

TURPĬFACTOR, ōris, m. 3. (turpis et facio) qui turpia facit. Gloss. Cyrill. Αἰσχροποιός, turpifactor, turpator. Alii turpificator.

TURPĬFĬCĀTOR. V. voc. præced.

TURPĬFĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. turpifico (turpis et facio), turpis factus, reso deforme, laido, turpe. Cic. 3. Off. 29. 105. Quanta fœditas turpificati animi debet videri.

TURPĬLŎQUĬUM, ĭi, n. 2. (turpis et loquor) locutio vel sermo de rebus turpibus, αἰσχρολογία. Tertull. Pudic. 17. sub fin., Hieronym. in Eccl. 8. et Cassiod. 1. Hist. Eccl. 11.

TURPĬLŎQUUS, a, um, adject. (turpis et loquor) qui turpia vel de rebus turpibus loquitur. Isid. Reg. mon. 17. 2.

TURPĬLŬCRĬCŬPĬDUS, a, um, adject. idem ac turpis lucri cupidus, turpe lucrum sectans, chi brama guadagno turpe e disonesto, αἰσχροκερδής. Jculariter fictum pro suo more, usurpavit Plaut. Trin. 1. 2. 63. Turpilucricupidum te vocant cives tui. Adde Vulg. interpr. Ital. Tit. 1. 7., ubi Noster turpis lucris cupidus.

TURPĬLŬCRIS, e. V. TURPILUCRUS.

TURPĬLŬCRĬUM, ĭi, n. 2. (turpis et lucrum) turpe lucrum, guadagno disonesto. Vulg. interpr. Ital. Tit. 3. 8. Non turpilucrium spectantes. Noster turpe lucrum; MS. Clar. turpilucros.

TURPĬLŬCRUS (turpilucris, e), a, um, adject. (turpis et lucrum) qui turpe lucrum sequitur. Augustin. De opere monachor. c. 13. Unum

scio, quod nec furtum faciebat (Apostolus Paulus) nec effractor aut latro erat, nec auriga aut venator aut histrio nec turpilucrus. V. voc. præc. Gloss. Gr. Lat. Αἰσχροκερδής, turpilucris.

TURPIS, e, adject. Ratione habita etymi, Isid. 10. Orig. 275. derivat a torpeo, quod sit informis et torpeat; sed verius recentiores a rad. Skr. trap, pudere. — Comp. Turpior II. 1.; Sup. Turpissimus I. 1. et II. 1. — Turpis est deformis, fœdus, ἀσχήμων, αἰσχρός, δυσειδής (It. brutto, deforme, sconcio; Fr. laid, difforme, vilain; Hisp. feo, disforme, sucio; Germ. hässlich, garstig, ungestaltet; Angl. ugly, deformed, unseemly, filthy): cui pulcher, formosus opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Afran. fragm. 404. Turpe tugurium. Acc. fragm. 193. mors. Enn. Ann. 11. 15. Simius est similis turpissima bestia nobis. Plaut. Pœn. 1. 2. 125. Qui lubet spectare turpes, pulcram spectandam dare? Id. ibid. 94. Turpis ornatus. Ter. Phorm. 1. 2. 56. vestitus. Lucret. 2. 421. colores fœda specie. Cic. 1. Off. 35. 126. Natura, quæ partes corporis aspectum essent deformem habituræ atque turpem, eas contexit atque abdidit. Virg. 3. G. 299. Turpes podagræ. h. e. quæ artus turpes reddunt. et ibid. 441. Turpis scabies. et 557. turpi dilapsa cadavera tabo. schifoso. Sic Martial. 14. 67. Turpes muscæ. et 10. 37. ranæ. Id. 7. 37. Turpis ab inviso pendebat stiria naso. Virg. 5. Æn. 357. faciem ostentabat et udo Turpia membra fimo. lordate. et Horat. 1. Ep. 5. 22. ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares. sudicio vel lacero. et 1. Sat. 2. 102. crure malo et pede turpi esse. Ovid. 3. Art. am. 290. et Seneca Œdip. 429. Turpis asellus. Martial. 8. 79. Omnes aut vetulas habens amicas Aut turpes vetulisque fœdiores. et 12. 32. sub fin. plena turpi olla resina. fetida. In illo Virg. 3. G. 51. optima torvæ Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix: Non. p. 411. 11. Merc. et Servius exponunt, magnum. h. e. enorme atque adeo deforme. Eodem sensu accipiendum ajunt illud ejusd. 4. G. 395. turpes sub gurgite phocas. Sed non est necesse a communi significatione discedere; nam et Ovid. 1. Met. 300. phocas deformes dixit. Idem dic de illo Martial. 11. 12. Turpe Ravennatis guttur onocrotali. et 1. 105. Turpes esseda quod trahunt bisontes. ¶ 2. Speciatim est turpiter vel male sonans, in illo Cic. Orat. 47. 158. Si abfugit turpe visum est. Cf. Priscian. 8. p. 372. 1. K. Inconcinna vero vel turpia vel aspera (vocabula) videntur esse metuturus etc.

II.) Translate et quidem in ethicum seu moralem sensum. ¶ 1. Generatim, sæpissime est indecens, inhonestus, flagitiosus, indignus, infamis, vergognoso, vituperoso, infame, indecente, disonesto, turpe, indegno: cui pulcher, honestus opponitur. Acc. fragm. 459. Turpis fama. Plaut. Most. 1. 3. 133. mores. Publil. Syr. 488. jactura. Cæs. 3. B. C. 20. causa. Cic. 2. Phil. 34. 86. O præclaram illam eloquentiam tuam, quum es nudus contionatus! Quid hoc turpius? quid fœdius? Id. 3 Tusc. IV. 36 Quid est autem nequius aut turpius effeminato viro? Id. Rosc. Am. 18. 50. Homo turpissimus atque inhonestissimus. Id. 9. Att. 9. circa med. Iste omnium turpissimus et sordidissimus. Id. 2. Fin. 30 circa med. Quum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors. Virg. 2. Æn. 400. pars ingentem formidine turpi Scandunt rursus equum. et 6. ibid. 276. turpis egestas. Horat. 1. Ep. 1. 43. repulsa. Stat. 8. Theb. 59. turpes Eumenidum lacrimæ. scil. quia non decet eas misericordia flecti. Crassus apud Cic. 2. Orat. 55. sub fin. Quidquid est vocis ac linguæ, omne in istum turpissimum calumniæ quæstum contulisti. Cic. Quinct. 15 a med. Mors honesta sæpe vitam quoque turpem exornat. Juvenal. 6. 298. turpi fregerunt sæcula luxu Divitiæ molles. Cic. 1. Herenn. 6. 9. Quum turpem causam habemus, hoc est quum ipsa res animum auditoris a nobis alienat. Juvenal. 8. 18. At vos, Trojugenæ, vobis ignoscitis, et quæ Turpia cerdoni, Volesos Brutosque decebunt. Cic. 2. Tusc. 4. ad fin. Hoc mihi videtur turpissimum. Id. 1. Off. 34. 123. Luxuria quum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Auct. Vict. Vir. ill. 34. Turpissimas condiciones magnifica oratione discussit. Rutil. 1. Itin. 522. turpem latebram credulus exsul amat. h. e. vitam latebrosam et indignam. Paul. Dig. 5. 4. 15. Turpes actiones veluti injuriarum etc. — Turpe est, cum infinito. Cic. 2. Off. 22. 77. Habere quæstui rempubl. non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. Id. Amic. 17. 61. Benevolentiam assentando colligere turpe est. Ovid. 1. Amor. 10. 26. Turpe erit, ingenium mitius esse feris. — Quintil. 1. 2. a med. Turpe ducet cedere pari. ¶ 2. Speciatim est libidinosus, obscenus, osceno. Ter. Heaut. 5. 4. 19. Pudet dicere hac præsente verbum turpe. Cic. 9. Fam. 22. Nihil esse obscenum, nihil turpe dictu. Id. Fontej. 11. 24. Homo turpi adulescentia, vita infami. Propert. 2. 13. 36. Turpis amor surdis auribus esse solet. Horat. 1. Od. 33. 9. turpis adulter. Id. 1. Sat. 4 111. A turpi meretricis amore deterrere aliquem. Quintil. 1. 2. 2. Turpia facta. Adde Juvenal. 2. 9. et 7. 239. Cf. Capell. 5. p. 180. de exordio. Materia honesta, turpis, dubia, humilis, obscura. — Hinc

Turpe, is, n. 3. absolute, substantivorum more, res turpis, probrosa, indigna. Ovid. 1. Amor. 9. 4. Turpe senex miles, turpe senilis amor. Seneca Ep. 31. Honesta et turpia virtutis ac malitiæ societas efficit. Cic. 4. Fin. 27. 75. Nec honesto quidquam honestius nec turpi turpius.

Turpe, adverbii ritu, est turpiter. Catull. 42. 7. illa, quam videtis Turpe incedere, mimice ac moleste. Stat. 3. Theb. 334. vacua jacet hostis arena Turpe gemens. Adde Claudian. 2. in Eutrop. 446.

Homonym. Quomodo differant inter se turpis, deformis, fœdus, V. sub FŒDUS, a, um.

TURPĬTER, adverb. ab adject. turpis, unde Comp. Turpius et Sup. Turpissime II. 3. — Turpiter est deformiter, fœde, bruttamente, deformemente, αἰσχρῶς.

I.) Proprie. Horat. Art. P. 3. ut turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne. Ovid. 2. Amor. 17. 20. Vulcanus turpiter obliquo pede claudicat.

II.) Translate. ¶ 1. Est indecore, indecentemente. Ter. Eun. 2. 1. 24. papæ, Facie honesta, mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo. h. e. exponam me ludibrio, farò triste comparsa o brutta figura. et Ovid. 1. Amor. 7. 47. tunicam summa deducere turpiter ora Ad mediam. ¶ 2. Item obscene, nequiter. Cic. 3. Tusc. 17. 36. Aderit temperantia, quæ te turpiter et nequiter facere nihil patiatur. Ovid. 4. Met. 187. Turpiter jacere. ¶ 3. Item cum probro et infamia, vergognosamente. Cæs 7. B. G 20. circa med. Dimicare non ausi, turpiter se in castra receperunt. et 80. a med. Neque recte aut turpiter factum celari poterat. Id. 3. B. C. 24. ad fin. Reliquas naves turpiter fugere coegerunt. Cic. 6. Att. 3. Hortensius filius fuit Laodiceæ, gladiatoribus, flagitiose et turpiter. Id. 1. Nat. D. 12 29. Empedocles in deorum opinione turpissime labitur. Ovid. 5. Trist. 6. 13. Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. Justin. 16. 2. 6. Turpiter se dedere Seleuco maluit Phædr. 1. 25. derideri. Val. Max. 2. 7. n. 15. capi.

TURPĬTŪDO, inis, f. 3. (turpis) deformitas, αἰσχρότης (It. deformità, bruttezza; Fr. laideur, difformité; Hisp. fealdad, disformidad; Germ. die Hässlichkeit, hässliche Gestalt; Angl. deformity, ugliness).

I.) Proprie. Cic. 3. Off. 29. circa med. Turpitudo in deformitate corporis habet aliquid offensionis. Apul. De mag. Qui minus se commendabilem forma putaret, virtutis laude turpitudinem tegeret.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractorum more est probrum, dedecus, infamia, labes, macula, vitium, obscenitas, disonore, infamia, turpitudine. Publil. Syr. 71. Turpitudo bona, quæ periclum vindicat. Id. 507. honesta. Sall. Cat. 13. Quas divitias honeste habere licebat, per turpitudinem abuti properabant. et 61. Cum summa turpitudine in exsilio ætatem agere. Cæs. 2. B. G. 27. Equites, ut turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnabant. Cic. Fontej. 12. in fin. Ecquis umquam reus sic accusatus est, ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quæ a libidine aut a petulantia aut ab audacia nata esset, ab accusatore objiceretur? Id. 7. Phil. 5. 15. Quanta erit reipublicæ turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium consulari loco? Id. 2. Tusc. sub fin. Omnia fugiendæ turpitudinis adipiscendæque honestatis causa facere. Id. 2. Verr. 16. 49. Conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere. et ibid. 15. 43. Turpitudine ordinem liberare. Sueton. Aug. 42. Populo non promissum congiarium flagitanti turpitudinem et impudentiam exprobravit edicto. Cic. 1. Herenn. 6. 9. Si causa turpitudinem habebit. Id. 2. Orat. 58. 236. Locus et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur. Id. 3. Fin. 11. a med. Homines nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se fœditate sua turpitudo ipsa deterreat. Nepos præf. a med. In scænam prodire et populo esse spectaculo, nemini fuit turpitudini. Cic. Pis. 26. sub fin. Ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudinem inflixerint. Gell. 18. 3. Homo turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus. Cic. 2. Orat. 59. extr. Verborum turpitudinem et rerum obscenitatem vitare. Id. Harusp. resp. 15. 32. Sanctissima sacella suffossa, incensa, inædificata, oppressa, summa denique turpitudine fœdata. Quintil. 3. 7. a med. Turpitudo generis. h. e. natalium dedecus, viltà di nascita. et Cod. Theod. 16. 8. 6. In ipsis rebus Veneris, in ipsa turpitudine deprehendere. — In plur. num. Cic. 5. Verr. 9. 23. Gurges vitiorum turpitudinumque omnium. ¶ 2. Apud Medicos est locus turpis, fœdus. Marcell. Empir. c. 31. Ebuli suco turpitudinem circumline. Adde Plin. Val. 1. 38. — Et pudenda virilia aut muliebria apud Vulg. interpr. Lev. 18. 6. et alibi.

TURPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (turpis) Turpassis pro turpaveris apud Pacuv. loc. cit. — Part. Turpans et Turpatus I. — Turpo est turpem facio, inquino, fœdo, αἰσχύνω, μιαίνω (It. imbrattare, bruttare, macchiare; Fr. rendre laid, enlaidir, défigurer; Hisp. afear, desfigurar; Germ. hässlich od. garstig machen, besudeln, verunstalten; Angl. to defile, pollute).

I.) Proprie. Enn. apud Cic. 1. Tusc. 35. 85. et 3. ibid. 19. 45. Jovis aram sanguine turpari. Virg. 10. Æn. 832. Sanguine turpantem comptos de more capillos. Id. 12. ibid. 611. Canitiem immundo perfusam pulvere turpans. Horat. 4. Od. 13. 11. te rugæ Turpant et capitis nives. Id. 1. Sat. 5. 60. at illi fœda cicatrix Setosam lævi frontem turpaverat oris. Tac. 5. Hist. 4. Sue abstinent memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat. Sil. It. 7. 631. turpatque decora juventa Ora novus pallor. Stat. 4. Theb. 106. Herculea turpatus gymnade vultus Amnis.

II.) Translate. Pacuv. tr. 123. Ni turpassis vanitate ætatem suam. Cic. fragm. apud Hieronym. Ep. 66. n. 7. Cæsar quum quosdam ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. Liv. 5. 12. Haud procul erat quin castra quoque urbanæ seditionis contagione turparentur. Stat. 8. Theb. 432. Hic et mente Lacon, crudi torrentis alumnus, Nec turpāvit avos. h. e. non degeneravit. et 10. ibid. 436. summumne hoc cladibus, inquit, Deerat, ut afflictos turparem ego proditor Argos? Adde Inscr. apud Orelli n. 4360. et Cod. Theod. 8. 4. 8.

TŬRANNUS. V. TYRANNUS.

TURRĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. a turris (Cf. Consent. p. 355. 12. K.), parva turris, torricella, τυρρίδιον, πυργίον.

I.) Proprie. Vitruv. 10. 19. a med. Supra medium tecti fastigium turricula. — De columbario. Pallad. 1. R. R. 24. 1.

II.) Translate vel improprie, a similitudine. ¶ 1. Accipitur pro pyrgo seu vase illo in modum turris facto, per quod tali in alveolum

mitti solent, et alio nomine *pyrgus* dicitur. *Martial.* 14. 16., cujus titulus est *Turricula.* Quærit compositos manus improba mittere talos: Si per me misit, nil nisi vota facit. — Quomodo differat a fritillo, *V.* in FRITILLUS et apud *Rich* in TURRICULA. ¶ 2. Item dicitur de armario in modum turris facto. *Gloss. Gr. Lat.* Πυργισκάριον, turricula, armarium.

TURRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (turris et fero) idem ac turriger. *Ovid.* 4. *Fast.* 219. At cur turrifera caput est ornata corona? Alii leg. *turrita.* Sed vocem confirmat *Gloss. Gr. Lat.* Πυργοφόρος, turrifer.

TURRĬGĔNA, æ, comm. gen. (turris et gigno) in turri genitus. Ita vocantur Tyrrheni, quod omnium primi turres exstruxerint et in iisdem habitarint. *V.* TYRRHENI *Rutil.* 1. *Itiner.* 595. Famam Lachanii venerator, numinis instar, Inter Turrigenas Lydia tota suos. *h. e.* Etruria tota. Alii minus recte leg. *terrigenas.* Ita *Forcellinus.* Sed recentiores vocem rejiciunt; ex quibus *Zumpt* leg. *Tyrrhigenas*, quasi genitos a Tyrrho gentis ejusdem auctore; *Müller* vero *Tybrigenas.*

TURRĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (turris et gero) turres gerens, turritus. *Virg.* 10. *Æn.* 253. Turrigeræ urbes. *et* 7. *ibid.* 631. antemnæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (4). Turrigeros elephantorum miramur humeros. Sic *Sil. It.* 9. 560. Turrigeræ feræ moles. *Lucan.* 3. 514. et 4. 226. carinæ. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 229. Ardua turrigeræ surgunt in culmina ripæ. — *Turrigera* est epitheton Matris deum, cujus caput turribus ornatum pingitur, quia terra urbes sustinet. *Ovid.* 4. *Fast.* 224. Attis Turrigeram casto vinxit amore deam. *et* 6. *ibid.* 321. Turrigera frontem Cybele redimita corona. *Id.* 2. *Trist.* 24. Turrigera Opis. — Item effigiei Urbium, ut ex *Virg. loc. cit.*, cui adde *Lucan.* 1. 188. et *Rutil.* 1. *Itiner.* 117.

TURRIS, is, f. 3. — *a*) Ad positionem quod attinet, duplicem habet exitum in *e* et in *i*, in quarto et sexto casu; sed frequentius in *i*, ut *puppis, sitis, securis* et hujusmodi. V. *Georges* in *Lex. d. Lat. Wortf.* p. 707. et *seq.* — Sic prisca orthographia *turreis* et *turris* in acc. plur. in *Inscr.* apud *Orelli Inscr. n.* 566. 605. 1187. 1224. 1225. 1230. etc. — *b*) Masc. gen. occurrit in *Inscr.* apud *Orelli n.* 3579. Cave tamen imiteris. — *c*) Ratione habita etymi, conjungenda est vox cum Hebr. צור *tzor* (*tzur*), rupes, fortitudo, et cum Gr. τύῤῥις et τύρσις, locus munitus. Cf. etiam Τύρος et Σύρα et Germ. *Thurm.* — Turris est ædificium in magnam altitudinem protensum, celsa moles, τύῤῥις, πύργος (It. *torre*; Fr. *tour*; Hisp. *torre*; Germ. *Thurm*, Angl. *a tower or turret*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Acc.* apud *Priscian.* p. 761. (*fr.* 408. *Ribb.*) Apud vetustam turrem. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 59. ea ballista si pervortam turrim et propugnacula. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. *a med.* Contionari ex alta turri solebat. *Tibull.* 1. 3. 19. vocat *turres* præaltas Tyriorum domos. quem loc. luculenter illustrat *Broukus.* et *Ovid.* 3. *Art. am.* 415. Quis Danaen nosset, si semper clausa fuisset Inque sua turri perlatuisset anus? *Id.* 2. *Amor.* 19. 27. Turris aenea. *Id.* 3. *Met.* 64. celsa. *Id.* 8. *ibid.* 14. regia. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 460., *Liv.* 33. 38., *Sueton. Ner.* 38. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 71. 73. (181). In Africa et in Hispania turrium Hannibalis. *Val. Flacc.* 1. 14. Spargentemque faces et in omni turre furentem. ¶ 2. Speciatim *turris æqua cum muro* videtur esse urbis propugnaculum, quod nos *baluardo, bastione* dicimus. *Inscr.* Æclanensis apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 566. IIII. VIR. D. S. S. (*h. e.* Quattuorviri de senatus sententia) PORTAS TVRREIS MOIROS TVRREISQVE AEQVAS QVM MOIRO FACIVNDVM COIRAVERVNT. Ἀρχαισμοί vocum *turreis* pro *turres* (*V.* Init.), tum *moiros* et *moiro* pro *muros* et *muro* (*V.* MURUS), tum *qum* pro *quum*, tandem *coiraverunt* pro *curaverunt*, hujus monumenti vetustatem arguunt. *V.* INTERTURRIUM.

II.) Improprie et translate, a similitudine. ¶ 1. *Turres* sunt machinæ bellicæ, videlicet ædificia plerumque lignea, in magnam altitudinem erecta subjectisque rotis huc illuc mobilia; in imo instructa ariete ad subruendum murum obsessæ urbis; in medio aut summo pontem habentia immittendum in mœnia, cum propugnatoribus qui hostem missilibus a mœnibus defendendis arceant. V. *Cæs.* 2. *B. C.* 8., *Liv.* 21. 11., *Vitruv.* 10. 13. *Veget.* 4. *Milit.* 17. etc. His etiam vallum castrorum et oppidorum mœnia muniri mos fuit. — Naves etiam turribus instructas aliquando fuisse legimus. V. *Cæs.* 5. *B. G.* 39. et 2. *B. C.* 8., *Lucan.* 3. 514. et 4. 226. et *Sil. It.* 14. 300. etc. — *Cic. Prov. cons.* 2. 4. Macedonia, quæ erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, sed tropæis. *Id.* 15. *Fam.* 4. *a med.* Oppidum vallo et fossa circumdedi, sex castellis castrisque maximis sæpsi, aggere, vineis, turribus oppugnavi. Adde *Liv.* 32. 17. et 37. 40. ¶ 2. Dicitur etiam *turris* de columbario. *V.* TURRICULA. *Varro* 3. *R. R.* 7. et *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 51. ¶ 3. Item de genere aciei in quadrum dispositæ. *Cato* apud *Fest.* p. 344. 12. *Müll.* et *Gell.* 10. 9. *V.* SERRA. ¶ 4. Poetice *Claudian.* 1. *rapt. Pros.* 215. adytis gavisa Cybebe Exsilit et pronas intendit ad oscula turres. *h. e.* caput turrigerum. *V.* voc. præc.

TURRĪTUS, a, um, adject. (turris) turribus instructus et munitus, πυργωθείς, πυργωτός (It. *fortificato con torri, turrito*; Fr. *muni de tours*; Hisp. *municionado de torres*; Germ. *mit Thürmen versehen od. besetz*; Angl. *furnished or fortified with towers*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est turribus instructus et munitus. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 48. Quo tibi turritis incingere mœnibus urbes? *Id.* 3. *Pont.* 4. 105. Turriti muri. *Virg.* 8. *Æn.* 693. Tanta mole viri turritis puppibus instant. Ubi *Servius:* Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in prœlium, turres hostibus improvisæ; in navigando essent occultæ. *Lucan.* 6. 40. Castella turrita. ¶ 2. Sumitur etiam pro turrigero, πυργοφόρος. *Lucret.* 5. 1302. boves Lucas turrito corpore tætros. *Auct. B. Afr.* 30. et 41. Elephantis turritis triginta ante aciem instructis. Sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (22). Viginti elephanti turriti cum sexagenis propugnatoribus. *Sil. It.* 9. 239. hos *turritas moles* appellat. *Id.* 13. 366. Tempora murali cinctus turrita corona. *h. e.* ornata corona murali, quæ referebat muros urbis captæ cum pinnis et turribus, ut *Gell.* docet 5. 6. — *Turrita* est Mater deum et Urbium effigies, ut in TURRIGER dictum est. *Propert.* 4. 11. 51. Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybeben, Claudia, turritæ cara ministra deæ. *Virg.* 6. *Æn.* 785. Berecynthia mater Invehitur curru Phrygias turrita per urbes. *Sidon. carm.* 5. 13. Sederat exserto bellatrix pectore Roma, Cristatum turrita caput.

II.) Translate est celsus, sublimis, eminens instar turris. *Virg.* 3. *Æn.* 535. gemino demittunt brachia muro Turriti scopuli. *Lucan.* 2. 358. Turritâque premens frontem matrona coronâ. *h. e.* capillorum alte ædificato capite, ut ait *Juvenal.* 6. 502. Sic *Hieronym. Ep.* 130. *n.* 7. Cerussa ora depingere, ornare crinem et alienis capillis turritum verticem struere. *et Prudent. Psychom.* 183. Turritum tortis caput accumularat in altum Crinibus.

TURSĬO (thursio), ōnis, m. 3. genus piscis delphino similis (*Delphinus Phocœna* Linn.). *Plin.* 9. *Hist. nat.* 9. 11. (34). Delphinorum similitudinem habent, qui vocantur tursiones. Distant et tristitia quidem aspectus, abest enim illa lascivia: maxime tamen rostris canicularum maleficentiæ assimulati. Alii leg. *thursiones* cum aspiratione.

TURTUR, ŭris, m. 3. Cave tibi a *Servio*, qui ad *loc. Virg. cit.*, feminino genere usurpari docet, neque enim *aeria* ad *turtur* refertur, sed ad *ulmo.* Ceterum *turtura* fuit nomen proprium feminæ. (*V.* ONOM.) Quin sequiore ætate etiam in fem. gen. usurpatum fuisse, patet ex *Plin. Val.* et *Dict. Cret. loc.* infra *cit.*, ubi turtur est genus piscis. — Turtur est avis ex genere columbarum (*Columba Turtur* Linn.), τρυγών (It. *tortora, tortorella*; Fr. *tourterelle*; Hisp. *tortola*; Germ. *Turteltaube*; Angl. *a turtle*). Porro ita dicta esse videtur a sono, quem edit: sic Græce τρυγών ἀπὸ τοῦ τρύζειν.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Plaut. Pœn.* 2. 40. eum necabam illico Per cerebrum pinna sua sibi, quasi turturem. *Virg.* 1. *Ecl.* 59. nec gemere aeriâ cessabit turtur ab ulmo. *Ovid. Heroid.* 15. 38. Et niger a viridi turtur amatur ave. (Adde 2. *Amor.* 6. 12.) Sunt enim turtures amici psittacis et merulis, ut docet *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 96. (207). Vivunt octo annis, *ibid.* 35. 52. (106). quum bibunt, colla non resupinant. *ibid.* 34. 52. (105). bis anno pariunt, *ibid.* 53. 74. (147). ova plurimum terna, *ibid.* 58. 79. (158). occultantur hieme et pennas amittunt, *ibid.* 24. 35. (72). — De turturibus in villa alendis agunt *Varro* 3. *R. R.* 8., *Colum.* 8. *R. R.* 9. et *Pallad.* 1. *R. R.* 25. — Est in deliciis ciborum. *Plaut. Most.* 1. 1. 44. Tibi istos habeas turtures, pisces, aves. *Juvenal.* 6. 38. tollere dulcem Cogitat heredem, cariturus turture magno Mullorumque jubis etc. *h. e.* muneribus, quæ ab heredipetis mittebantur his, qui filios non habebant. Adde *Martial.* 3. 60. *et* 82. et 13. 53. ¶ 2. *Turtur* obscene pro mentula usurpatur in illo *Plauti Bacch.* 1. 1. 35. Ubi ego capiam pro machæra turturem etc. *V.* voc. seq.

II.) Improprie, a similitudine, *turtur*, fem. gen., dictus est piscis marinus, idem ac trygon (*Raja pastinaca* Linn.). *Plin. Valerian.* 1. 3. Turturis marinæ sanguis. *Dict. Cret.* 6. 15. Turturis marinæ os.

TURTŬRILLA, æ, f. 1. *deminut. a* turtur, parvus turtur. Quia turtures molles sunt et lascivi, præsertim feminæ; ideo *Seneca Ep.* 96. *extr.* Hi, inquit, qui expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt primoresque castrorum: isti, quos publica quies, aliis laborantibus, molliter habet, turturillæ sunt, tuti contumeliæ causa. *h. e.* imbecilles homines, delicati, effeminati. — *Isid.* in *Gloss.* eumque secutus *Lipsius* turturillam ajunt dici locum, in quo corruptelæ fiebant, ducta itidem a turturibus denominatione. Alii in *Senecæ* loco perperam aliter leg.

TŪRUNDA, æ, f. 1. *Torunda* pro *turunda* legitur in *Gloss. Lat.* Torunda, κολλύρια, ἐγκόλλουρα. — *Forcellinus* ait esse ab inusit. *turo, as*, pro quo compositum *obturo* in usu est, quod verbum vide suo loco; *turunda* autem appellata videtur, quia Italorum *turácciolo* similis est. At melius ducas a *tero*, aut etiam a forma rotunda, ut sit *turunda* vel *torunda* pro *rotunda*, per metathesin, ut a μορφή *forma*, vel a Gr. τορέω, τορεύω et Lat. *torno*, rotundo. — Torunda ¶ 1. Est proprie offa vel quid simile, cujusmodi sunt, quibus farciuntur altilia ad saginum, *boccone*, μᾶζα, ψωμός. *Cato R. R.* 89. Anseres sic farcito. Polline vel farina hordeacea conspersa turundas faciat; eas in aquam intingat, in os indat. *Varro* 3. *R. R.* 9. *ad fin.* Gallinas farciunt turundis hordeaceis, partim admixtis ex farina loliacea aut semine lini ex aqua dulci. ¶ 2. Hinc etiam appellatur libum sacrum, quod sæpe in veteribus anaglyptis videre est a sacrificantibus manu prolata diis oblatum. *Non.* p. 552. 3. *Merc.* Turunda, ut libum sacrum quoddam ex farre, genus panificii. *Varro fragm. ibid.* Alii afferunt libum ac turundam. ¶ 3. Item, a similitudine, linamentum ex filis, quod immitti in ulcus a medico seu chirurgo solet: Italis *tasta* dicitur. *Cato R. R.* 157. *ad fin.* Si fistula erit, turundam intro trudito: si turundam non recipiet, diluito, indito in vesicam; ita premito, in fistulam introeat. *Scribon. Compos.* 201. Emplastrum manibus subigetur et redactum in turundas ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur. Alii pro *turundas* perperam leg. *rotundas.*

TŪRUNDO, as, are, a. 1. (turunda) in modum turundæ efformo: vel turundam immitto et simul commisceo. *Apic.* 5. 2. § 191. Facies, ut ferveat: quum bene ferbuerit, turundabis. Adde *ibid.* § 198. Alii utrobique leg. *tudiculabis.*

TŪRUNDŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* turunda,

parva turunda. Ita pro *rotundula* reponendum profecto est in loco *Apuleji* in hac voce allato, inquit cl. *Furlanetto*. At recentiores *rotundulam* leg.

TŪRUNDUS, i, m. 2. idem ac turunda. *Marcell. Empir. c.* 30.

TUS *et* thus, ūris, n. 3. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, occurrit etiam *thus* cum aspiratione: porro qui ita scribunt, ducunt ἀπὸ τοῦ θύειν: habentque adstipulantes aliquot Lapides, quos refert *Dausqu.* Contra opponunt *Manut.* et *Cellar.* libros veteres, *Virgilii* præsertim, et auctoritatem *Charisii* 1. *p.* 58. *Putsch.* et *Servii* ad *Virg.* 1. *G.* 57., qui a *tundendo* dictum putant: quia glæbæ turis, antequam in ignem conjiciantur, tundi solent. Sed ut hæc notatio improbetur et a θύειν sumatur origo, multa sunt Græca vocabula, quæ, longa consuetudine Latine facta, Latinis etiam litteris scribuntur, ut *silva* ab ὕλη, *fama* a φήμη, *frigo* a φρύγω et alia non pauca. *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 4. Thus et Orchus veteres dicebant: quibus sequens ætas detraxit aspirationem. *Marin. Frat. Arv. p.* 338., adductis pluribus veterum locis, probat quod item *Servius* hic asserit, antiquitus *thus*, deinde *tus* scriptum fuisse. Cf. *Jahn Specim. epigr. p.* 61., *Fea* ad *Horat.* 1. *Od.* 19. 14. et *Drakenb* ad *Liv.* 10. 23. — *b*) Ratione habita etymi, recentiores derivant a rad. Skr. *dhu*, fumo, unde et Gr. θύω, suffio, et θύος, suffimentum: cf. etiam τύφος, fumus. Probabilior tamen videtur eorum opinio, qui *tus* vel *thus*, cujus radix *thur*, deducunt a *Thor*, urbe et portu maris Rubri in Arabia, in cujus viciniis colligitur hæc gutta, et quidem præstantissima, ex planta, quam Arabes *sand* appellant. V. *Dalfi Viagg. bibl. T.* 3. *p.* 132. — Tus est lacrima exiguæ arboris in Arabia, quæ siccata adoletur in sacris, λίβανος (It. *incenso, olibano;* Fr. *encens;* Hisp. *incienso;* Germ. *der Weihrauch;* Angl. *incense*). Est *Amyris Kataf* apud *Forsk.* vel *Balsamo Dendron, Kafat, Kunt* apud *Cultrer. Flor. bibl. p.* 368.

I.) Proprie. *Arnob.* 7. *p.* 233. Tus viscum est ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraso, lacrimabili destillatione coalescens. *Id. ibid. p.* 232. morem ejus incendendi in honorem deorum non admodum antiquum esse ait, quum neque heroicis temporibus usurpatum sit, neque Etruria mater superstitionis noverit, neque Albani reges aut Numa adhibuerit. *Plin.* 12. *Hist. nat. c.* 14. de natura ejus ac variis generibus multa disserit, et de loco, ubi nascitur, et de modo colligendi. *Cicero, Tibull., Horat.* et *Plin. jun.* conjungunt *tus* et *odores*, ut in ODOR observatum est. *Plaut. Pœn.* 2. 3. ullam Veneri umquam immolavit hostiam Quive ullum turis granum sacrificaverit. Adde *Trin.* 4. 2. 89. et *Truc.* 2. 5. 27. et *Lucret.* 3. 327. *Cic.* 6. *Verr.* 35. 77. Tus accendere. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 23. Angulus iste feret piper et tus ocius uva. *Virg.* 1. *G.* 57. India mittit ebur, molles sua tura Sabæi. *Id.* 11. *Æn.* 481. Succedunt matres et templum ture vaporant. *Propert.* 3. 8. 19. coronatas ubi ture piaveris aras. *Tibull.* 1. 8. 53. et 4. 6. 1. dare turis honores. *Ovid.* 7. *Met.* 589. Ferre tura altaribus. *et* 1. *ibid.* 248. in aras. *et* 11. *ibid.* 577. pia Superis. *Id.* 3. *Pont.* 1. 162. ad deos. *et* 4. *ibid.* 8. 29. flammis. *Id.* 2. *ibid.* 1. 32. imponere focis. *Id.* 4. *Fast.* 935. dare focis. *Id.* 1. *Trist.* 2. 104. et 2. *ibid.* 59. pro Cæsare. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 1. (2). et 22. *ibid.* 24. 56. (113). Ture supplicare. *Tibull.* 1. 3. 34. reddere menstrua tura Lari. *Horat.* 3. *Od.* 8. 2. Acerra turis plena. *Pers.* 5. 120. nullo ture litabis. *Id.* 1. 43. nec scombros metuentia carmina, nec tus. *h. e.* ne eant involutum scombros, tus et quidquid chartis amicitur ineptis, ut ait *Horat.* 2. *Ep.* 1. 270. — Tria tura ponere sub limine, *Ovid.* 2. *Fast.* 573. *h. e.* tria turis grana. — *Tus masculum* vocabant veteres optimum et præstantissimum, idem *stagonias* appellatum, in guttæ speciem rotundum, ut ex *Diosc.* ac *Plin. l.* 12. 14. colligitur. *V.* MASCULUS. — Turis usus in funeribus probatur *Inscr.* apud *Henzen n.* 7004. 7177. et 7178.

II.) Improprie *tus terræ*, herba. *V.* CHAMÆPITYS.

TUS pro Tuus. *V.* TUUS.

TUSCĀNĬCUS *et* Thuscanicus, a, um, adject. (Tuscanus) ad Tuscos pertinens, de quibus *V.* ONOM. Præsertim de architecturæ rationibus adhibetur; refertur autem ad modum construendi ædificia apud Tuscos, et est in Tuscorum morem, *di maniera Toscana, alla Toscana, Toscano.* *Varro* 5. *L. L.* 45. *Müll.* Tuscanicum dictum (*impluvium*) a Tuscis, posteaquam illorum cavum ædium simulare cœperunt. *Vitruv.* 3. 2. Ornantque signis fictilibus earum fastigia Tuscanico more. *Id.* 4. 7. *ad fin.* De Tuscanicis generibus sumentes columnarum dispositiones. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 13. 45. (154). Ante hanc ædem Tuscanica omnia in ædibus fuisse, auctor est M. Varro. *Id.* 36. *ibid.* 23. 56. (178). Quæ sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Doricæ (*columnæ*) vocantur; quæ nonam, Ionicæ; quæ septimam, Tuscanicæ. — De signis. *Id.* 34. *ibid.* 7. 16. (33). Signa Tuscanica per terras dispersa, quæ in Etruria factitata, non est dubium. *et ibid.* 18. (43). Videmus Tuscanicum Apollinem in bibliotheca templi Augusti. *Quintil.* 12. 10. 1. Tuscanicæ statuæ. — Hinc

*Tuscanicæ, arum,* f. plur. 1. absolute, substantivorum more, videntur esse ollæ Etruscæ elegantioris formæ in sacris Arvalium adhibitæ, ut putat *Henzen* in *Act. Arv. p.* 44. coll. ejusd. *Relazione sugli scavi al sacro bosco degli Arvali p.* 47. Memorantur autem in *Act. Arv. a.* 87. *ibid. p.* 43. — *Marini Frat. Arv. p.* 396. hanc vocem, quæ mutila *canicas* pro *Tuscanicas* legebatur, *canipas* est interpretatus, sc. canistra. *V.* CANIPA, ubi locus affertur, sed, ut videtur, emendandus.

TUSCĀNUS *et* Thuscanus, a, um, adject. (Tuscus) ad Tuscos pertinens, *V.* ONOM. Hinc *Tuscanæ dispositiones* apud *Vitruv.* 4. 6. *in fin.* sunt opera architectonica ad rationem a Tuscis inventam effecta: quæ quidem ratio erat omnium simplicissima, ut videre est in figuris, quæ a *Philandro* et aliis exhibentur. De ea agit *Vitruv. ibid.* 7.

TUSCĒ *et* Thusce, adverb. (Tuscus) Tusco more aut sermone, *Toscanamente.* *Varro* apud *Gell.* 2. 25. Quum dicamus ab Osco, Tusco, Græco, Osce, Tusce, Græce. *Gell.* 11. 7 Quasi nescio quid Tusce aut Gallice dixisset.

TUSCŬLUM *et* thusculum, i, n. 2. *deminut.* a tus, exiguum turis. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 15. Nunc tusculum emi et hasce coronas florea: hæc imponentur in foco nostro Lari. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

TUSCUS, a, um, adject. ad Tuscos pertinens, qui sunt Italiæ populi in Tuscia. *V.* ONOM. Hinc *Tuscum semen* apud *Ovid. Medic. fac.* 65. h. e. zea, quæ per antonomasiam *semen* dicitur, ut *Plin.* docet 18. *Hist. nat.* 8. 19. (82). *et ibid.* 11. 29. (112). et farinam candidissimam facit. Tuscum dicitur, quia optimum in Campania provenit (*Id. ibid.*), quæ est Tusciæ vicina. — *Tusco modo dotem quærere,* h. e. meretriciis artibus victitare: quia Tuscorum quidam filias suas exponere solebant, ut corpore quæstum facerent. *Plaut. Cist.* 2. 3. 20. Non enim hic, ubi es, Tusco modo tute tibi indigne dotem quæras corpore. Alii τὸ *modo* referunt ad modos musicos tibicinum et fidicinum, ad quos lascivis numeris puellæ saltarent, ut viros illicerent.

TŪSILLÆ *et* tussillæ, ārum, f. plur. 1. eædem ac tonsillæ. *Isid.* 11. *Orig.* 1. *ante med.* Toles Gallica lingua dicuntur, quas vulgo per deminutionem tusillas vocant, quæ in faucibus turgescere solent. *Gloss. Lat. Gr. p.* 243. *Vulc.* Tussillæ, παρίσθμια. *V.* TOLES et TONSILLA.

TUSSĒDO, inis, f. 3. (tussis) idem ac tussis. *Apul.* 9. *Met.* Muli nares languidas assiduo pulsu tussedinis hiulci.

TUSSĬCŬLA, æ, f. 1. (*deminut.* a tussis) *Capell.* 3. *p.* 79. antepænultimam producendam esse monet. Similiter *Cæs. German. Arat.* 195. in *Cassiop.* clavicula dentes Succutit. *Kopp* tamen *Capell. loc.* aliter interpretari videtur. — Tussicula est parva tussis, *tossetta.* *Cels.* 3. 22. *a med.* Tussicula suis remediis finienda. *Plin.* 5. *Ep.* 19. *a med.* Veteris infirmitatis tussicula admonitus, rursus sanguinem reddidit. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. *a med.* Pullo nostro tussiculam sedaverit et dies clementior, et nutrix ejus, si cibis aptioribus vescantur. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. 3. Tussicula nunc arida nunc uvida.

TUSSĬCŬLĀRIS, e, adject. (tussicula) utilis ad tussim, ut Tussicularia medicamenta. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *a med.* Tussicularis herba, apud *eumd.* 2. *ibid.* 7. *ad fin.* eadem est ac tussilago.

TUSSĬCŬLŌSUS, a, um, adject. (tussicula) tussi laborans. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 13. *ad fin.* Tussiculosa et frigida senilis est ætas.

TUSSĬCUS, a, um, adject. (tussis) qui multum tussit. *Firmic.* 5. *Mathes.* 16. Luna alios tussicos, alios splenicos efficiet. Adde *Marcell. Empir.* 20. — De equis. *Veget.* 3. *Veterin.* 65. *sub init.* Equi tussici. *bolsi.* V. VULSUS.

TUSSĬENS, entis, particip. *V.* TUSSIO.

TUSSĬLĀGO, inis, f. 3. genus herbæ, Italice *unghia cavallina,* βήχιον. Ejus duo sunt genera. Silvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt: et hoc habent signum aquileges. Folia sunt majuscula, quam hederæ, quinque aut septem, subalbida a terra, superne pallida, sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. Altera a quibusdam appellatur, similis verbasco. Nomen habet a tussi sananda. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 6. 16. (30). Adde *Apul. Herb.* 101.

TUSSILLÆ. *V.* TUSILLÆ.

TUSSĪO, is, ire, 4. (tussis) Part. *Tussiens* et *Tussitus.* — Tussio ¶ 1. Fere intransitive adhibetur et est tussim edo, tussi laboro, βήττω (It. *tossire, essere travagliato da tosse;* Fr. *tousser;* Hisp. *toser;* Germ. *husten;* Angl. *to cough*). *Plaut. Asin.* 4. 1. 49. Forte si tussire occœpsit, ne sic tussiat, Ut cuiquam linguam in tussiendo proferat. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 106. siquis Forte coheredum male tussiet. *Martial.* 1. 20. fuerant tibi quattuor, Ælia, dentes: Expulit una duos tussis et una duos. Jam secura potes totis tussire diebus. *Id.* 2. 26. Quod querulum spirat, quod acerbum Nævia tussit. *Quintil.* 11. 5. 56. Tussire crebro. *Petron. Sat.* 117. plurimum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 77. (140). Irim circumligari infantibus dentientibus et tussientibus. *h. e.* tussi laborantibus. — Absolute Part. *tussiens,* tussi laborans, *travagliato da tosse.* *Id.* 23. *ibid.* 8. 77. (147). Nuces tussientibus inimicæ. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (47). Ova cocta et trita cum melle dantur tussientibus. ¶ 2. Transitivorum more est tussi expello. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 12. 98. Et tussita iidem sputa per pulmonem feruntur. Sic *tussire sanguinem* apud *Marcell. Empir.* c. 20. p. 115. *retro.*

TUSSIS, is, f. 3. In Acc. sing. habet *tussim;* aliquando etiam *tussem* in usu est, ut apud *Gargil. Med. de pom.* 16. 18. 26. *M.* et *Cass. Fel.* 33. et 34. in *lemm.* — Vox conjungi potest cum *tunsus* vel *tusus* a tundo, sed recentiores confugiunt ad rad. Skr. *tus,* resonare; non enim attendendus *Isid.* 4. *Orig.* 7. 18., qui a Gr. βήξ, quasi βυθός, fundum, profunditas, videtur derivare, ut adnotat *Areval.* — Tussis est vehementissima quædam afflatio, qua plurimus simul celerrimeque foras spiritus agitur propellitque una secum suo impetu ea, quæ vias suas obstruunt, βήξ (It. *tosse;* Fr. *toux;* Hisp. *tos;* Germ. *der Husten;* Angl. *to cough*). *Ter. Heaut.* 2. 3. 132. Gemitus, screatus, tussis, risus abstine. *Catull.* 44. 7. Malamque pectore exspui tussim. *et ibid.* 19. frigus gravedinem et tussim fert. *Virg.* 3. *G.* 496. et quatit ægros Tussis anhela sues. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 9. 32. *Sil. It.* 14. 601. Aspera pulmonem tussis quatit. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 51. (97). Tussim exasperare. *Id.* 28. *ibid.* 6. 17. (60). concitare. *Martial.* 11. 86. Fauces aspera vexat tussis. *Cels.* 4. 6. Sicca tussis, quæ nihil emollitur. *et ibid.* 4. n. 4. Tussis vehementissime

arget. et 8. 9. infestat. *Id.* 4. 6. Tussim levare. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 15. (46). lenire. *Id.* 23. *ibid.* 1. 27. (56). inhibere. *Colum.* 6. *R. R.* 10. (et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 8. 29. [91]). sanare. *Id. ibid.* et 31. veterem discutere. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 6. 16. (30). sedare. *et ibid.* 15. (29). Radix tussi et faucibus prodest. *Id.* 23. *ibid.* 8. 80. (152). Folia lauri liberant a tussi. *et* 32. *ibid.* 8. 29. (92). Tussi liberari. *et* 25. *ibid.* 5. 24. (60). veteri mederi. — In plur. num. *Id.* 20. *ibid.* 13. 51. (136).

TUSSĪTUS, a, um, particip. *V.* TUSSIO.

TŪSUS, a, um, particip. *V.* TUNDO.

TŪTĀCŬLUM, i, n. 2. (tutor) idem quod tutamentum, munimentum. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 387. fida ut tutacula nudis Invalidisque paret.

TŪTĀMEN, ĭnis, n. 3. (tutor) munimentum, defensio, defensaculum, *difesa*, ἀσφάλισμα, ὄχύρωμα: occurrit autem tum proprie tum translate. *Virg.* 5. *Æn.* 262. Donat habere viro decus et tutamen in armis. *Vet. Poeta* apud *Charis.* 4. *p.* 252. *Putsch.* Qui te tutamen fore speraret familiæ. *Arnob.* 2. *p.* 71. Domorum aut vestium tutamina sibi conquirere. *et* 1. *p.* 15. A Deo deposcimus rebus fessis tutamina. Adde *Ambros.* 2. *Off.* 7. 38., *Hieronym. Ep.* 73. *n.* 8. et *Schol. Bern.* ad *Virg.* 4. *G.* 165.

TŪTĀMENTUM, i, n. 2. (tutor) idem ac tutamen. *Liv.* 21. 61. *in fin.* Nis sola ignibus aliquoties conjectis ab hoste, etiam tutamentum fuerit. Adde *Vulg. interpr.* 1. *Mach.* 14. 37. Hinc translate. *Cyprian. Ep.* 58. *n.* 9. His nos tutamentis spiritalibus et cælestibus muniamus. — *Apul.* 1. *Met.* Circumspiciens tutamenta sermonis. *h. e.* an tutum esset loqui.

TŪTANS, antis, particip. *V.* TUTOR, aris.

TŪTARCHUS. *V.* TOECHARCUS.

TŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (tutor) tuitio, defensio, *difesa, custodia. Firmic.* 4. *Mathes.* 7. Qui regias opes thesaurosque fidei tutatione custodiant.

TŪTĀTOR, ōris, m. 3. (tutor) tutor, *difensore, Apul. De deo Socrat.* Dubiis præmunitor, periculosis tutator, egenis opitulator. Adde *Arnob.* 3. 24. *Auct. Epit. Iliad.* 916. At Venus et Phrygiæ gentis tutator Apollo. — Est etiam epitheton deorum. *Inscr.* apud *De-Vita Antiquit. Benev. cl.* 1. *n.* 3. Jovi Tutatori. *Nummus Diocletiani* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 8. *p.* 9. Jovi tutatori Augustorum.

TŪTĀTUS, a, um, particip. *V.* TUTOR.

TŪTAX. *V.* TAX.

TŪTĔ. *V.* TU.

TŪTĒ, adverb. (tutus) Comp. *Tutius*; Sup. *Tutissime.* — Tute est secure, sine periculo, *tuto. Plaut. Trin.* 1. 2. 102. Crede huic tute. *Cic.* 3. *Herenn.* 5. *a med.* Eum tute vivere, qui honeste vivat. *et ibid.* 7. Tute cauteque agere aliquid. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *in fin.* Sive transferre voles sive inserere, satis tute utrumque facere poteris. *Sall. Jug.* 15. *extr.* Ut ubivis tutius, quam in meo regno essem. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Ut in vadis constiterat tutius. *Id.* 2. *B. C.* 30. Tutius et facilius receptus daretur. Adde *Quintil.* 1. 5. 71. *Pomp.* ad *Cic. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Nam te hic tutissime fore puto. *Cic.* 8. *Att.* 1. Tutissime esse. Alii *tutissimo*. (*V.* TUTO) Cf. *Charis.* 2. *p.* 173. *Putsch.*

TŪTĒLA, æ, f. 1. (tueor) *Tutella* cum duplici *l* apud *Grat. Cyneg.* 48. et 306. *H.* et *B.*; quamquam hanc scriptionem improbet *Mar. Victorin.* 1. 4. 57. *p.* 17. 11. *Keil.* — Etiam *tutila.* V. in voc. seq. init. — Tutela est defensio, præsidium, patrocinium, ἐπιτροπή (It. *protezione, patrocinio*; Fr. *soins vigilants, conservation, garde, défense*; Hisp. *proteccion, defensa*; Germ. *die Fürsorge, der Schutz, die Hut, Aufsicht*; Angl. *a safeguard, safety, defence, protection*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Abstractorum more, est, ut diximus, defensio, tuitio. *Cæcil. fragm.* 164. Pauperii tutelam geram. *Plaut. Trin.* 4. 2. 28. et *Truc.* 2. 1. 43. Ecquis huic tutelam januæ gerit? *Id. Trin.* 4. 3. 51. Mec tergo tutelam geram. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 66. Salutem hominum in Jovis esse tutela. *Id.* 4. *ibid.* 14. 36. Quum de hominis summo bono quærerent, nullam in eo neque animi neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt. *Id. Mur.* 10. 22. Omnia hæc nostra studia latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. *Id. Prov. cons.* 14. 35. Sit in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata est. *Id.* 3. *Nat. D.* 22. 55. Apollo, cujus in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. *Id.* 1. *Orat.* 53. 228. Duos filios suos parvos tutelæ populi commendavit. *Propert.* 3. 11. 41. Diique deæque omnes quibus est tutela per agros. *h. e.* qui habent agros in tutela. *Horat.* 2. *Od.* 17. 23. te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit. *Ovid.* 2. *Met.* 563. ut dicar tutela pulsa Minervæ. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (24). Surculi curalii infantiæ alligati tutelam habere creduntur. *h. e.* vim amuleti et arcendi veneficii. *Sueton. Aug.* 49. Classem Miseni et alteram Ravennæ ad tutelam superi et inferi maris collocavit. *di presidio, in guardia, per difesa.* — Hinc *Deus tutelæ*, qui præsidio est alicui. *Inscr.* apud *Orell. n.* 2622. DEO TVTELAE AEMILIVS SEVERIANVS MINOGRAPHVS POSVIT. Adde *aliam* apud *eumd. n.* 1698. — *b*) Sensu, ut ajunt, concreto, res, qua quis munitur, munimentum, tutamen, *riparo, difesa, oggetto di difesa*, πρόβλημα. *Varro* 1. *R. R.* 14. Nunc de sæptis, quæ tutandi causa fundi fiant, dicam. Earum tutelarum genera quattuor, unum naturale, alterum agreste, tertium militare, quartum fabrile. Primum *Varro* docet esse sæpem vivam; secundum sæpem mortuam ex palis statutis et longuriis aut arborum truncis; tertium ex fossa aut aggere; quartum ex maceria. Cf. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (30). Lanæ tutelam præstant contra frigora. *Id.* 21. *ibid.* 14. 49. (85). Cera varios in colores pigmentis traditur ad innumeros mortalium usus parietumque et armorum tutelam. *h. e.* ad tectoria picta parietum illinenda et arma ab robigine defendenda.

¶ 2. Speciatim *tutela animalium* est non solum cura, ut defendantur ab injuriis aut aeris aut ferarum, sed etiam ut alantur, *mantenimento. Colum.* 6. *R. R.* 2. *in fin.* Quoniam quæ sequenda sunt in emendis domandisque bubus, tradidimus, tutelam eorum præcipiamus. *Id.* 9. *init.* Venio nunc ad tutelam pecudum silvestrium eapium educationem. *Id.* 7. *ibid.* 1. *sub init.* At sellus exiguæ tutelæ est. *è di poca spesa.* Sic *Justin.* 16. 3. 9. Tributum in tutelam classis describere. *pel mantenimento dell' armata.* Et *Sueton. Cæs.* 68. Quum tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent. *Seneca Consol. ad Helv.* 9. Est hæc terra vix ad tutelam incolentium fertilis. ¶ 3. Similiter *tutela ædificiorum* est cura, qua sarta tecta præstantur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (31). Ut villarum tutela non sit oneri. *Id.* 35. *ibid.* 3. 4. (14). M. Aufidius tutelæ Capitolii redemptor. *Cels. Dig.* 31. 1. 30. Legare pecuniam in tutelam viæ. *Inscr.* apud *Gruter.* 471. 5. et 175. 7. DARE CERTAM SVMMAM PECVNIAE IN TVTELAM SEPVLCRI. *Alia* apud *Wilmanns Inscr. Lat. n.* 773. IN TVTELAM AQVAEDVCTVS. et apud *Orelli n.* 1172. CCC. DEDIT IN TVTELAM BIBLIOTHECAE. ¶ 4. Apud JCtos, est tuitio pupilli, scil. vis ac potestas in capite libero constituta ad tuendum eum, qui per ætatem sua sponte se defendere nequit, jure civili data ac permissa, ut *Servius* apud *Paul Dig.* 26. 1. 1. definit: daturque pupillo impuberi, sicut curatio puberi: et etiam ipsum legitimæ tutelæ jus. *Pacuv.* apud *Cic.* 2. *Orat.* 46. *ad fin.* Gnati ejus parvi, qui tibi in tutelam est traditus. *Varro* 3. *R. R.* 2. *a med.* M. Cato nuper Luculli accepit tutelam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 218. ad sanos abeat tutela propinquos. *Liv.* 39. 9. Tutelam ita gesserat, ut rationem ejus gerere non posset. *Justin.* 4. 2. 5. Filiorum tutelam alicui committere. *Caj.* 1. 175. Legitimam tutelam nactus est. *h. e.* tutelæ jus. — Dicimus *tutelam suscipere, recipere, administrare, gerere, dare, mandare, deponere* et similia. V. *Digest.* toto fere *l.* 26. *et* 27., ubi hæc passim habentur. — *Tutelam reddere, exigere, reposcere*, est tutelæ rationes reddere, exigere. *Papinian. ibid.* 27. 3. 21. et *Ulp. ibid.* 13. et *Marcell. ibid.* 26. 7. 28. — Præterea *tutelæ damnari* apud *Ulp. Dig.* 50. 16. 42. *de verb. signif.* est tutorem suspectum a tutela submoveri. — *Venire in tutelam suam, pervenire in tutelam, tutelæ suæ fieri*, dicitur pupillus, quum annos pubertatis ingressus sub tutore esse desinit. *Cic.* 1. *Orat.* 39. *ad fin.* Nisi postumus, antequam in tutelam veniret, mortuus esset. *Id. ibid.* Si filius non esset, qui in tutelam veniret, M. Curius esset heres. *Id. Rosc. Com.* 6. 16. Fraudare pupillum, qui in tutelam pervenit. *Seneca Ep.* 33. *ad fin.* Isti, qui numquam tutelæ suæ fiunt. *Sueton. Claud.* 2. Diu atque etiam post tutelam receptam, alieni arbitrii et sub pædagogo fuit.

II.) Metonymice. ¶ 1. Dicitur de personis, et quidem — 1.°) Active, h. e. de iis, qui tutelam habent. — *a*) Universim. *Horat.* 4. *Od.* 14. 43. *de Augusto.* o tutela præsens Italiæ dominæque Romæ. *Id.* 1. *Ep.* 1. 103. rerum tutela mearum Quum sis. *Ovid.* 12. *Met.* 612. *de Achille.* decus et tutela Pelasgi. — *b*) Hinc *tutela navis* est alicujus numinis signum in puppi, non in prora (Cf. *Rich.* ad *h. v.*), ut quidam falso putarunt; unde præsidium navigantibus sperabatur. *V.* NAVIS. *Sil. It.* 14. 410. Numen erat celsæ puppis vicina Dione. *et ibid.* 542. Scuta virum cristæque et inerti spicula ferro Tutelæque deum fluitant. Adde *Horat.* 1. *Od.* 14. 14. et *Val. Flacc.* 8. 302. coll. 1. 301. *Seneca Ep.* 76. Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cujus tutela ebore cælata est etc. *Virg.* 10. *Æn.* 171. aurato fulgebat Apolline puppis. *Heyne* tamen putat hic *puppis* esse pro *navis*. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 109. puppique recurvæ Insilit et pictos verberat unda deos. *Pers.* 6. 30. jacet ipse in littore et una Ingentes de puppe dei. Adde *Petron. Sat.* 105. *et* 108. et *Virg.* 5. *Æn.* 663. — In prora autem insigne navis erat, quod eidem nomen dabat. *V.* NAVIS. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 1. Est mihi sitque, precor, flavæ tutela Minervæ Navis, et a picta casside nomen habet. *h. e.* tutela est Minerva, nomen autem navis est *galea* seu *cassis* in prora. Adde *Propert.* 4. 6. 50. — Quandoque tamen, præcipue apud Phœnices et Græcos, idem simulacrum in puppi positum et navis tutela erat, eidemque nomen dabat. Itasentiunt cl. *Furlanetto* et *De-Vit*; at *Corradini*, secutus *Ruhnkenium*, censet hoc, non in puppi, sed in prora factum fuisse. *V.* NAVIS. Illud tamen obstare videtur, quod eadem navis Hammonis simulacrum in puppi habebat eademque Hammon nominabatur, apud *Sil. It.* 14. 436. ferus inde citatum Missile adorata contorquet Sabrata puppe. Hammon numen erat Libycæ gentile carinæ Cornigeraque sedens spectabat cærula fronte. *et mox* 572. Uritur undivagus Python et corniger Hammon. *scil.* naves, quibus nomen erat Python et Hammon. — *c*) *Tutela proræ* apud *Ovid.* 3. *Met.* 617. est proreta. *V.* PRORETA. — *d*) *Tutela loci*, Genius, loci præses. *Petron. fragm. Tragur.* 57. *Burmann.* et *Inscr.* apud *Gruter.* 104. *et* 105., ubi et Genius custos hominis *tutela* dicitur. — *Tutela* Lemni est Vulcanus, *Auct. Priap.* 37. Tutela Lemni dispares movet gressus. Hinc *Hieronym.* 16. *in Is.* 57. 7. Ipsa Roma orbis domina in singulis insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine, ut tam intrantes quam exeuntes domos suas inoliti semper commoneantur erroris. In duab. *Inscr.* apud *Murat.* 103. 9. et 10. dicitur *Tutela Aug.* — *e*) Apud Astrologos *tutela* est sidus sive felix sive infelix in hominum genitura. *Manil.* 4. 697. Deus in partes per singula dividit astra (*orbem*) Ac sua cuique dedit tutelæ regna per orbem. Adde 2. 434. Cf. *Horat.* 2. *Od.* 17. 22. — 2.°) Passive de iis, qui sub tutela sunt. — *a*) Generatim. *Horat.* 4. *Od.* 6. 31. Virginum primæ puerique claris Patribus orti, Deliæ tutela deæ. *h. e.* qui in tutela Dianæ estis. *Propert.* 4. 8. 3. Lanuvium annosi vetus tutela draconis. — *b*) Speciatim de ipsis pupillis. *Massur.* apud *Gell.* 5. 13. *a med.* In officiis apud majores ita observatum est: primum

tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. ¶ 2. Item de rebus, quæ sub tutela sunt, et speciatim, apud JCtos, de patrimonio pupilli. *Ulp. Dig.* 26. 7. 5. Si tam exiguam esse tutelam probabitur, ut ex nummo refecto prædium puero comparari non possit. *Cic.* 1. *Att.* 5. *a med.* Mirabamur, te ignorare, de tutela legitima, in que dicitur esse puella, nihil usucapi posse. *Id. Flacc.* 34. 84. Nihil potest de tutela legitima sine omnium tuorum auctoritate deminui.

TŪTĒLĀRIS, e, adject. (tutela) Etiam *tutilaris* pro *tutelaris* in *Inscr.* in *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1857. *p.* 37., quasi a *tutila* pro *tutela*, ut in *Gloss. Lat. Gr.* Tutila, ἔρκος. Cf. TUTILINA pro TUTELINA in *Inscr.* apud *Gruter.* 99. 6. *V.* ONOM. — Tutelaris est ad tutelam pertinens. ¶ 1. Generatim. *Arnob.* 3. *p.* 114. Tutelaribus diis supplicare. *Tutelares dii* dicuntur, in quorum tutela urbes et loca sunt. Hi in oppugnatione urbium certo carminis genere evocari solebant, ne cum ipsis etiam diis bellum susceptum videretur, et ut urbes eorum ope destitutæ facilius caperentur, ut docet *Macrob.* 3. *Saturn.* 9., ubi et ejus evocationis carmen recitat. ¶ 2. Speciatim est ad tutelam pupillorum pertinens. *Ulp. Dig.* 12. 3. 4. Tutelaris causa. *Paul. ibid.* 27. 7. 8. Tutelaria instrumenta. *Sidon.* 4. *Ep.* 24. *sub fin.* Frater et soror sub annis adhuc tutelaribus agunt. — Hinc *tutelaris prætor*, de quo *Capitolin. M. Aurel.* 19. *ad fin.* Prætorem tutelarem primus fecit, quum antea tutores a consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur. Sed falsus heic est *Capitolinus*, nam hæc habet *Paulus JCtus* in *Jus civ. antejustin.* ab *A. Maio* ed. *p.* 59. Mediocritas et rusticitas et domesticæ lites interdum excusationes merentes, ex epistula virorum Hadriani et Antonini et Fratrum ad Cærellium Priscum prætorem tutelarem. Ex his igitur patet, vivo adhuc Hadriano, qui obiit VI. Id. Jul. ann. a Chr. n. CXXXVIII., exstitisse Rom. prætorem tutelarem, quum M. Aurelius ann. CLXI. successerit Antonino Pio, quem, ut ait *Spartian. Hadr.* 24., Hadrianus adoptavit ea lege, ut ille sibi duos adoptaret Annium Verum et M. Antoninum. Hæc porro adoptio facta est V. K. Mart. ann. CXXXVIII. Id primus animadvertit *B. Borghesi* in *Giorn. Arcad. T.* 22. *p.* 83. Adde *Ulp.* apud *Modestin. Dig.* 27. 1. 6. *a med.* et *Inscr.* apud *Orelli n.* 3672. Primum prætores consulares a M. Aurelio constituti sunt, ut ex *Inscr.* Concordiæ reperta demonstravit *B. Borghesi* in *Annali dell'Istit. archeol. a.* 1853. *p.* 190. et *seqq.*

TŪTĒLĀRĬUS, a, um, adject. (tutela) ¶ 1. Est qui cujuspiam rei tutelam et munus sartæ tectæ præstandæ suscipit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 17. (38). Capite tutelarios cavere pro ea (*cane ex ære*) institutum publice fuit. ¶ 2. Dicitur de tutela pupillorum, ut Prætor tutelarius, idem ac tutelaris, in *Inscr.* apud *Gruter.* 363. 2. et 465. 5. Adde *Schol.* ad *Pers.* 2. 19. ed. princ. (*Iahn* tamen leg. *prætor tutelarum*).

TŪTĒLĀTOR, ōris, m. 3. (tutela) qui tutelam gerit. *Capell.* 2 *p.* 39. *de Genio.* Hic tutelator fidissimusque germanus animos omnium mentesque custodit. Adde *Arnob.* 3. *p.* 114.

TŪTĒLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *tutelo*, in alicujus rei tutelam assignatus. *Aggen. De limit. agror. p.* 58. *Goes.* In tutelam rei urbanæ assignatæ sunt silvæ, de quibus ligna in reparationem publicorum mœnium traherentur. Hoc genus agri tutelatum dicitur.

TŪTELLA. *V.* TUTELA.

TŪTĔMET. *V.* TU.

TŪTĬCUS, a, um, adject. Vox Oscæ originis, quæ magnum, summum significat, ut probat *Lanzi Sagg. di lingua Etr. T.* 2. *p.* 619. et *Rosin. Dissert. isag. p.* 38. Cf. etiam *O. Müller Etrusc. rer. T.* 1. *p.* 27. et *seqq.* Hinc *Medixtuticus* (quam vocem *V.*) et *Equustuticus*, oppidum Apuliæ in Hirpinis, memoratum a *Cic.* 6. *Att.* 1., quod in *Itiner. Hierosol.* dicitur *Equus Magnus* (V. EQUUSTUTICUS et TUTICANUS in ONOM.).

TŪTĪLA et

TŪTĪLĀRIS. *V.* TUTELARIS.

TŪTIMET et

TŪTIN. *V.* TU. Cf. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 261.

TŪTO, adverb. *V.* TUTUS, a, um.

TŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *et*

TŪTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (*frequentat. a* tueor) *Tutarier* parag. pro *tutari* apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 41. — Part. *Tutans* I. 1. *b*; *Tutatus* I. 1. et II.; *Tutandus* I. 1. et 2. — Tutor est tueor, defendo, conservo, protego, ἀσφαλίζω (It. *difendere, proteggere, guardare*; Fr. *garder, défendre, protéger, sauvegarder*; Hisp. *guardar, proteger, defender, amparar*; Germ. *schützen, verwahren, behaupten*; Angl. *to defend, protect, guard*).

I.) Forma deponentium. ¶ 1. Proprie. — *a*) Cum Acc. *Acc. fragm.* 168. Utinam unicam mi antistitam tutetur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 196. Quia nos eramus peregre, tutatus est domum. *Id. Men.* 5. 6. 3. *de bono servo.* Cogitat, ut rem heri diligenter tutetur. Adde *Merc.* 5. 1. 6. *Sall. Jug.* 77. *extr.* Numidas in omnibus prœliis magis pedes, quam arma tutata sunt. *Alii leg.* tuta. *et ibid.* 110. Se ob regnum tutandum arma cepisse. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 143. Genæ ab inferiore parte tutantur (*oculos*) subjectæ leviterque eminentes. *Virg.* 2. *Æn.* 676. Sin aliquam expertus sumptis spem sumis in armis, Hanc primum tutare domum. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 15. Nil nisi me solum primo tutatus. *Phædr.* 1. 31. Qui se committit homini tutandum improbo. *Tac.* 1. *Ann.* 30. Hiems imbribus adeo sævis, ut non egredi tentoria, vix tutari signa possent, quæ turbine atque unda raptabantur. — *b*) Cum addito Abl. rei, qua quis aliquem tutatur. *Cic.* 4. *Phil.* 1. 2. Cæsar rempubl. patrimonio suo tutatus est et tutatur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 2. Res Italas armis tutaris. *Liv.* 3. 22. Volsci tutabantur se vallo. *et* 5. 2. Egregiis muris situque naturali urbem tutantes. — *c*) Cum addito Acc. et præp. *ad, versus, contra. Id.* 21. 25. Tutari se munimento ad tempus adversus crescentem in dies multitudinem hostium. Adde 42. 23. *Tac.* 6. *Ann.* 41. Locorum ingenio tutari se contra copias regis. — *d*) Cum addito Abl. et præp. *ab. Liv.* 6. 26. Arma, quibus ab ira Romanorum vestra tutaremini. *mettere al coperto contro.* et *Plin.* 7. *pr.* 2. Naturas arbore cortice a frigoribus et calore tutata est. ¶ 2. Translate. — *a*) Generatim. *Sall. Jug.* 87. Mihi spes omnes in memet, quas necesse est et virtute et innocentia tutari. *Cic.* 2. *Orat.* 23. 94. Omnes in eodem veritatis tutandæ genere versati. *Alii* imitandæ. *Virg.* 5. *Æn.* 343. Tutatur favor Euryalum lacrimæque decoræ. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 170. aspice, Plautus Quo pacto partes tutetur amantis ephebi, Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi. *h. e.* scite agat et servet. Adde 1. *Ep.* 18. 81. et *Val. Max.* 4. 2. *n.* 4. *Tac.* 1. *Ann.* 39. Signa et aquilam amplexus, religione se tutabatur. *et* 4. *ibid.* 52. *extr.* Capessendis accusationibus aut reos tutando, prosperiore eloquentiæ, quam morum fama fuit. — *b*) Speciatim est propulsare, arcere. *Sall. orat. Lepid. contra Sull.* Ne in tutandis periculis magis, quam in ulciscendo teneamini. — *c*) *Tutari inopiam* est quod dixerunt *Cæs., Cic., Plin.* sustentare egestatem, paupertatem, parsimoniam, famem. *Cæs.* 1. *B. C.* 52. *extr.* Ipse præsentem inopiam, quibus poterat, subsidiis tutabatur.

II.) Forma activa. *Næv. fragm.* 21. Tuos qui terminos tutant. *Pacuv. fragm.* 298. Tu mulier tege te et tuta templa Liberi. *Pompon. fragm.* 107. Non erat quod corpus tremulum famula tutaret toga. *Plaut. Merc.* 5. 2. 25. Invoco vos, Lares viales, ut me bene tutetis. *Halm* juvetis. Cf. *Hygin. fab.* 100. *V.* TUTULUS. — Hinc passive. *Plaut. Amph.* 2. 2. 20. Patria et prognati tutantur, servantur. *Cic. Sall.* 21. 61. Hunc per vos tutari conservarique (*alii leg.* conservareque) cupiunt. *Symmach.* 9. *Ep.* 11. Ut auxilio tuo tutata possessio a molestiis vindicetur. Adde *Fronton. Laud. negl. p.* 215. 5. *N.*

TŪTOR, ōris, m. 3. (tueor) qui tuetur, defensor, *difensore, protettore*, ἐπίτροπος. ¶ 1. Generatim. *Cic. Harusp. resp.* 6. *a med.* Castus tutor religionum. *Id.* 6. *Phil.* 5. 12. Quis umquam tantis opibus fuit, qui se populi R. tutorem dicere auderet? *Horat. Epod.* 2. 22. et te, pater Silvane, tutor finium. *Sueton. Tib.* 6. Neque ex eo destitit participem atque etiam tutorem imperii agere. *Petron. Sat.* 133. Tutor Bacchi. *h. e.* Priapus, qui una cum Sileno dicitur esse comes et custos Bacchi: quia vinum sequitur ebrietas et turpis libido. *Inscr.* apud *Daniel. Numism. Cap. p.* 92. HERCVLI TVTORI DOMVS NOVELLIANA. *Inscr.* apud *Orelli n.* 3771. PATRONVS ET TVTOR MVNICIPIIS CIVILIS. *V.* adnot. — *Schol. Bern.* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 96. Mœris pastor quoque et tutor. *guardiano della greggia.* ¶ 2. Speciatim et præcipue *tutor* est, qui pupilli pueritiæ usque ad pubertatem regendæ præponitur, ut in TUTELA dictum est: et differt a curatore, qui post pubertatem et furiosis quoque et mente captis datur, ὀρφανιστής, qua de re JCti toto *l.* 26. *Digestor.* — 1.°) Proprie. — *a*) Stricto sensu. — α) De viris. *Cic.* 12. *Att.* 28. *a med.* Amo illum mortuum: tutor sum liberis: totam domum diligo. *Id. Cæcin.* 25. 72. Quod mulier sine tutore auctore promiserit. *Plin.* 9. *Ep.* 13. *a med.* Datum se a consulibus tutorem Helvidii filiæ, petentibus matre ejus et vitrico. *Id.* 2. *Ep.* 1. *a med.* Ille tutor mihi relictus affectum parentis exhibuit. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 228. Tutorem instituere filiorum orbitati. *Justin.* 13. 2. *extr.* constituere. *Id.* 7. 5. *ad fin.* Agere tutorem pupilli. Adde *Isid.* 10. *Orig.* 264. et *Inscr.* apud *Orelli n.* 2830. — *Tutor prætorius* dicebatur, qui a prætore urbano dabatur. Ita *Cajus Instit.* 1. (edente iterum *Goeschenio*) § 184. — Quis vero *tutor dativus* et *optivus* et *legitimus* sit *V.* in DATIVUS. — Quis tutor *cessicius*, V. in CESSICIUS. — De formula *tutore auctore* apud *Cic. Cæcin. loc. cit.* vel *tutor auctor* apud *Apul. De mag.* V. AUCTOR sub IV. 2.; et quomodo differat ab altera *per tutorem auctorem* vel *per auctorem tutorem* V. *Rudorff* in *Ephem. Epigr. I.* 228. — β) De feminis. *Nerat. Dig.* 26. 1. 18. Feminæ tutores dari non possunt, quia id munus est masculorum. *V.* AUCTOR. Cf. tamen TUTORIA et TUTRIX. — *b*) Latiore significatione pro curatore ponitur, præsertim quum de mulieribus sermo est. *Cic. Mur.* 12. *a med.* Mulieres propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt. *Liv.* 39. 9. *extr.* Tutore a tribunis et prætore petito, quum testamentum faceret, unum Æbutium instituit heredem. — 2.°) Translate. *Cic. Brut.* 96. *a med.* Post Hortensii mortem orbæ eloquentiæ quasi tutores relicti sumus. *Id. post redit. in Senat.* 2. 4. Quum respublica non solum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis esset orbata. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 13. Hanc (*progeniem carminum meor.*) tibi commendo; quæ quo magis orba parente, Hoc tibi tutori sarcina major erit. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Homonym. Quomodo differat *tutor* a *curatore*, V. in super. paragr. 2.

TŪTŌRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

TŪTŌRĬUS, a, um, adject. (tutor) ad tutorem pertinens, *di tutore*. *Justin.* 30. 3. 4. Mittitur qui tutorio nomine regnum administret. Sic *Caj. Dig.* 4. 82. Tutorio nomine agere. et *ibid.* Alieno (*nomine agere*) veluti cognitorio, procuratorio, tutorio, curatorio. — Hinc absolute, substantivorum more

*Tutoria*, æ, f. 1. videtur esse eadem ac tutrix. *Inscr.* apud *Gruter.* 637. 7. VLPIAE ATHENAIDI T. FLAVIVS GENETHLIVS NVMMVLARIVS TVTORIAE BENEMERENTI.

*Tutorius*, ii, m. 2. qui tuetur. *Inscr.* apud *Fea Relaz. d'un viagg. ad Ostia p.* 14. IOVI TVTORIO Q. VETVRIVS SECVNDVS etc.

TŪTRIX, trīcis, f. 3. (tutor) quæ tuetur. ¶ 1. Generatim. *Virg. Cul.* 33. *Haupt.* Te tutrice. *Fulgent. Mythol. præf. ad fin.* His te, inquit, tutricibus spoponderam largiturum. *h. e.* Musis. ¶ 2. Speciatim quæ pupilli tutelam gerit, tutrice. *Justinian. Imp. Cod.* 5. 35. 3. Et ita fi-

liorum suorum vel filiarum suarum tutricem eam exsistere sancimus.

TUTTAX. *V.* TAX.

TŪTŬBO, as, are, n. 1. verbum vocem noctuæ, quæ apud *Hesych.* τυτώ appellatur, per onomatopœiam fictum, Græce τυΐζω. *Auct. carm. Philom.* 40. Noctua lucifuga tutubat in tenebris. Alii leg. *cucubat.* V. CUCUBO. Lectionem tamen firmare videtur vox Græca allata et illud *Plaut. Men.* 4. 2. 90. Egon dedi? Tu tu istic, inquam: vin afferri noctuam, Quæ tu tu usque dicat tibi? nam nos jam defessi sumus.

TŪTŬLĀTUS, a, um, adject. (tutulus) tutulum habens. *Varro* 7. *L. L.* 44. *Müll.* Tutulati dicti hi, qui sacris in capitibus habere solent ut metam; id tutulus appellatur: ab eo quod matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt tutulos: sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant: sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est, ea res tutissima, tutulus vocatur. *Enn. ibid.* et apud *Fest.* in *Tutulum p.* 355. 29. *Müll.* de Numa. Mensas constituit idemque ancilia primus Libaque, fictores, Argeos et Tutulatos. *h. e.* flamines lanato pileo, ut dicetur in TUTULUS. *Pompon.* apud *Non. p.* 19. 16. *Merc.* Mulier ubi aspexit tam mirifice tutulatam truam. *V.* TRUA.

TŪTŬLO, as, are, a. 1. (tutulus) tutulum imponere, coronare, *mettere un ciuffo, coronare. Tertull. Carm. de Jud. Dom.* 2., ubi tamen vulgo *titulabit.* V. TITULO. — Hinc *tutulatus, a, um,* quam voc. *V.*

TŪTŬLUS, i, m. 2. De notatione hæc subjicimus. *Varro* 7. *L. L.* 44. *Müll.* scribit, tutulum dici etiam altissimam urbis partem, quia tutissima est. Hoc si probas, inquit *Forcellinus,* primam syllabam, contra atque fecit *Ennius loc. cit.* in TUTULATUS, producere poteris: nempe a *tutus* vel a *tutor, aris.* Huc pertinet etiam illud *Fulgent. Expos. Serm. ant.* 14. Varro in Pontificalibus ait, tutulos sacerdotes dici bravium sacerdotum. Numa vero Pompilius et ipse, de Pontificalibus scribens, tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tutabant, quum ad sacrificium accessissent, sicut et *Virgilius* ait: Et capita ante aras Phrygio velamur amictu (3. *Æn.* 545.). Sed auctoritas hujus libri ab recentioribus parvipenditur. (Cf. tamen *Serv. loc.* infra *cit.*) Videtur potius vox conjungenda cum radice, fortasse reduplicata, verbi *tumeo.* V. hanc voc. — Quidquid sit de vocis origine, tutulus ¶ 1. Est capillorum in conum congeries in vertice capitis nobilium feminarum, *ciuffo in cima del capo, cucuzzolo,* Gallice *toupet,* Græce πύργος πλοκάμου, κορυφή, κόρυμβος (V. *Böttiger Sabina* 1. 133. et 151.) quem *Lucan.* 2. 358. vocat turritam frontis coronam, *Stat.* 1. *Silv.* 2. 114. suggestum comæ: et *Juvenal.* 6. 502. ait, illo feminas alte ædificare caput. *Inscr.* apud *Gruter.* 579. 5. APONIAE SVCCESSAE A TVTVL. ORNATR. C. BATONIVS EPIGONVS ATRIENSIS. — Hujusmodi ornatum præcipue gestabant flaminicæ, vitta purpurea innexa crinibus et exstructa in altitudinem, ut *Festus p.* 355. 29. *Müll.* docet, qui addit, sic vocari etiam pileum lanatum, forma metali figuratum, quo flamines et pontifices utuntur. Idem habes etiam in verbis *Varron.* in TUTULATUS. *V.* APEX. *Tertull. Pall.* 4. *in fin.* Super omnes apices et tutulos sacer suggestus deducit oculos. ¶ 2. Item pileus ex lana in coni formam sine apice, quibusdam sacerdotum ordinibus usurpatus. *Fest. loc. cit.* et *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 683. Cf. *Rich op. cit.* ad *h. v.* ¶ 3. De alia tutuli significatione V. *Varron loc.* supra *cit.*

TŪTUS, a, um, particip. *V.* TUEOR.

TŬUS, a, um, pronom. possess. — 1.°) Apud poetas, præcipue comicos, vox monosyllaba est. Cf. *Bed. De art. metr. p.* 252. 32. *Keil.* — 2.°) Ad scriptionem et formam quod attinet, veteres usurpabant — *a*) *Tovus,* ut in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1290. — *b*) *Tuos* pro *tuus* recentiores leg. apud *Plaut. Amph. v.* 375. *et* 612. et *Aulul. v.* 416. et *alibi.* Sic in *Inscr.* apud *Orelli n.* 4859. — *c*) Item *tus* (V. *Virg. gram. Excerpt. p.* 196. 18. *Hag.*) in *Inscr.* apud *Murat.* 1833. 6. et in *alia* apud *Perret Catac. de Rom. tab.* XXXVI. *n.* 117. — *d*) *Tuom* vel *tuûm,* in genet. plur. num., syncop. pro *tuorum,* apud *Plaut. Pœn.* 4. 2. 102. — *e*) *Tueis* in dat. plur. apud *eumd. Merc.* 2. 4. 11. et *tis* syncop. in *Inscr.* apud *Orelli n.* 4847. V. TU. — *f*) *Tuomet, tuopte* etc., præcipue apud Comicos. *V.* infra. — 3.°) Vox est a *tu* vel a τεός Dorice pro σός, quod a Skr. *tva.* — Ceterum *tuus* est qui ad te pertinet, σός (It. *tuo;* Fr. *ton, tien;* Hisp. *tu, tuyo;* Germ. *dein;* Angl. *thine, thine own*). ¶ 1. Universim est qui ad te pertinet. — 1.°) Sine additis. — *a*) Generatim. — α) Cum substant. *Plaut. Amph.* 2. 1. 63. Iste qui sit Sosia, hoc dici volo. SO. Tuus est servus. *Id. ibid.* 2. 3. 132. Ego quidem ex te audivi et ex tua accepi manu Pateram. *Id. ibid.* 1. 1. 119. Quoius nunc es? SO. Tuus, nam pugnis usu fecisti tuum. *Id. Pers.* 4. 4. 37. Indica, fac pretium. DOR. tua merx est, tua indicatio est. *Ter. Andr.* 2. 2. 16. Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare sese hodie. *Cic.* 4. *Att.* 15. Numquam tu sine causa a tuis et hominibus et rebus abesse voluisses. *Stat.* 4. *Theb.* amnem alloquens 833. neque enim tibi cana repostas Bruma nives raptasque alio de fonte refundit Arcus aquas *etc.* Sed tuus et nulli ruis expugnabilis astro. *h. e.* ipse tui dominus, tui juris, neque ulli debens aquas. — β) Absolute *tuum,* quod ad te pertinet vel tu possides. *Plaut. Trin.* 2. 2. 47. LYS. Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. PHIL. nempe de tuo. LYS. de meo. nam quod tuum est, meum est: omne meum est autem tuum. *Ter. Heaut.* 4. 5. 35. Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas. *h. e.* tua commenta, dolosa consilia, fraudes. *Id. Adelph.* 2. 1. 24. Tetigine tui quidquam? *Id. Hecyr.* 4. 3. 12. Id tua nihil refert, utrum etc. *h. e.* tua causa. — *b*) Speciatim *tuus* est tibi addictus, obsequens: vel qui in potestate tua est vel ad pertinet: in primis autem dicitur de amantibus. *Plaut. Amph.* 2. 1. 7. tuus sum: Proinde ut commodum est et lubet quidquid facias. *et mox.* Istuc tibi est in manu. nam tuus sum. *Ter. Andr.* 5. 6. 11. age, me in tuis secundis respice. Tuus est nunc Chremes: facturum quæ voles scio esse omnia. *h. e.* tibi addictus, obsequens, obnoxius. *Ovid. Heroid.* 1. 83. Tua sum, tua dicar oportet: Penelope conjux semper Ulixis ero. *Apul.* 5. *Met.* Mi mellite, mi marite, tuæ Psiches dulcis anima. — Hinc absolute. *Horat.* 1. *Od.* 12. 33. *de Paride.* Non hoc pollicitus tuæ. *Cic.* 13. *Fam.* 16. Qui in bello tecum fuisset et de tuis unus esset. *h. e.* de tuis fautoribus. *Virg.* 5. *Ecl.* 34. Tu decus omne tuis. *h. e.* iis, qui ad te pertinent. Sic 1. *Æn.* 261. Manent immota tuorum Fata tibi. — *c*) Item, prægnanti, ut ajunt, sensu, est accommodatus, opportunus, utilis. *Liv.* 38. 45. Tempore tuo pugnasti. *Martial.* 10. 19. Sed ne tempore non tuo disertam Pulses ebria januam, videto. *et mox.* Seras tutior ibis ad lucernas. Hæc ora est tua, dum furit Lyæus. — *d*) *Tuum est,* absolute, tui officii est, tua interest, ad te spectat, *a te si addice o conviene, è tuo costume:* construitur autem cum infinito. *Plaut. Stich.* 5. 4. 36. Haud tuum istuc est te vereri. *non è tuo costume, non sei solito.* — 2.°) Cum additis *met, pte,* in casu obliquo, ad discretionem vel ad majorem vim. *Apul. De mag.* Tuismet litteris. *Id. ibid.* Te tuomet testimonio condictum iri. *Plaut. Capt.* 2. 3. 11. Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 11. Tuopte tibi consilio occludunt linguam. *V.* MEUS, a, um, init. et MET, PTE. ¶ 2. *Tuus* usurpatur etiam loco genetivi object. *Ter. Heaut.* 2. 3. 66. Desiderio id fieri tuo. *h. e.* tui. Sic *Phorm.* 5. 8. 27. neque negligentia tua neque id odio tuo fecit. *et Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 24. 3. Omnes amicitias in tua observantia, indulgentia vincam. *Plin. Paneg.* 14. Rhenum et Euphratem admirationis tuæ societate (*al.* fama) conjungeres. Cf. *Schwarz Observ.* ad *Plin. Paneg. p.* 150. *b.*

TUXTAX *vel divisim* tux tax. *V.* TAX.

# TY

TYBI, indecl. *V.* TIBI.

TȲBRĬGĔNA, æ, m. 1. (Tybris *et* gigno) prope Tybrim natus. *Rutil. Namat.* 1. 596. *Müll.*

TYLOS (tylus), i, m. 2. τύλος, vermis multipes. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (136). V. *loc.* in MILLEPEDA. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

TYMBRIS, is, m. 3. idem ac tympanum: hinc Gallicum *timbre,* tintinnabulum, quod extra percutitur ad sonum eliciendum, ut in horologiis publicis factitatum videmus. *Cassiod.* 5. *Variar.* 1. Piceis tymbribus et pueros geniali candore lucentes nobis vestra fraternitas destinavit. Ita cl. *Furlanetto.* At *Quicherat* leg. *pictis timbribus* et interpretatur *pelles* (Gall. *fourrures*) provocans ad *Du-Cange* in v. *Timbrium* ejusdem significationis. Cf. tamen *Du-Cange* in v. *Tymbris.*

TYMPĂNETĬCUS et

TYMPĂNĬCUS. *V.* TYMPANITICUS.

TYMPĂNĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* tympanum, parvum tympanum. *Arnob.* 6. *sub fin.* Tympaniola, tibiæ, psalteria.

TYMPĂNISSO. *V.* TYMPANIZO.

TYMPĂNISTA, æ, m. 1. τυμπανιστής, qui tympanum pulsat, *tamburino. Apul. De deo Socrat.* Barbara numina gaudent strepitu tympanistarum et choraularum.

TYMPĂNISTRĬA, æ, f. 1. τυμπανίστρια, quæ tympanum pulsat. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *sub fin.* Nullus ibi lyristes, choraules, mesochorus, tympanistria, psaltria canit. *Inscr.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 1. AELIAE RECEPTAE TYMPANISTRIAE M. D. M. I. Adde *Vulg. interpr. Ps.* 67. 26. — Hinc translate *Augustin.* ad *Ps. eumd. n.* 35. Ecclesiæ tympanistriæ castigata carne spiritualiter sonoræ.

TYMPĂNISTRĬO, as, are, n. 1. (tympanistria) idem ac tympanisso. *Gloss. nom. p.* 109. apud *Loewe.* Tympanistriabant, cantabant, conlaudabant.

TYMPĂNĪTES, æ, m. 1. τυμπανίτης. ¶ 1. Est species hydropis, in qua, ventre vehementer intento, creber intus, ex motu spiritus, sonus est, ut *Cels.* 3. 21. describit. *Veget.* 1. *Veterin.* 43., *Plin. Valer.* 3. 12. et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 101. Nam *Cels.* Græce usurpat. Cf. etiam *Æmil. Macr.* c. 73. ¶ 2. Est etiam qui tympanite laborat. *Veget.* 2. *Veterin.* 15. et 5. *ibid.* 26.

TYMPĂNITĬCUS (tympaneticus) *vel* tympanicus, a, um, adject. (tympanites) tympanite laborans, τυμπανικός. Absolute. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 24. (60). Medetur podagricis, hydropicis incipientibusque tympaniticis. *Sillig.* tympanicis. Adde *Veget.* 5. *Veterin.* 27. et *Pelagon. Veterin.* 13., ubi tamen recentiores leg. *tympaneticus.* et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *ante med.* In tympanicis vero specialia ordinanda et decoctio centaureæ herbæ et absyntii adhibenda.

TYMPĂNĬUM, ii, n. 2. τυμπάνιον, *deminut. a* tympano, genus margaritæ superne rotundæ, ab inferiore parte planæ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (109). Quibus (*margaritis*) una tantum est facies et ab ea rotunditas, aversis planities, ob id tympania nominantur. Cf. *Paul. Dig.* 34. 2. 32. § 9. in TYMPANUM.

TYMPĂNIZANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

TYMPĂNIZO *et* tympanisso, as, are, n. 1. (τυμπανίζω) Part. *Tympanizans.* — Tympanizo est tympana pulso. *Macrob.* in *Excerpt. Paris. p.* 626. *Keil.* Sunt quædam hujus formæ sine substantia principalis, cyathissare, tympanissare, crotalissare. *Sueton. Aug.* 68. *extr.* Versus in scæna pronuntiatus de Gallo Matris deum tympanizante. *V.* TYMPANISTRIA. *Vulg. interpr. Ital.* apud *Augustin.* in *Ps.* 33. *serm.* 2. *n.* 2. *de Davide.* Mutavit vultum suum et affectabat et tympanizabat. Adde *Augustin. ibid.* et *n.* 16. et alibi.

TYMPĂNŎTRĪBA, æ, m. 1. τυμπανοτρίβης, qui tympanum terit, h. e. pulsat, *tamburino. Plaut. Truc.* 2. 7. 48. Tun tantilli doni causa mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam,

tympanotribam amas? h. e. mollem et effeminatum, quales erant Cybeles sacerdotes tympana pulsantes.

TYMPĂNUM, i, n. 2. (τύμπανον) *Typanum* pro *tympanum*, priore correpta, a Gr. τύπανον, quidam legunt apud *Catull.* 63. 8. *Scaliger* emend. *tympanum*; sed *Lachm.* dedit *typanum*. V. *loc.* infra. Sic *Oehlerus* legit apud *Varron. Sat. Menipp.* 132. Tibi typana; non inanis sonitus Matris deûm Tonimu'! — Tympanum est instrumentum vocale, quod digitis palmaque pulsando sonum edit: a τύπτω, pulso (It. *tamburo, timballo, timpano;* Fr. *tambour;* Hisp. *tambor;* Germ. *die Handpauke, Handtrommel;* Angl. *a timbrel, tambour*). Fuit rotunda figura, (ut indicat versiculus apud *Sueton. Aug.* 68. de Gallo tympanizante: Videsne, ut cinædus orbem digito temperet?) superne quidem in orbem conformatum, at inferiore parte planum: unde margaritæ quædam tali figura *tympana* dicuntur a *Paul. Dig.* 34. 2. 32. § 8. et *tympania* deminutivâ formâ a *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (109). usurpantur. Tegebatur corio, præsertim bubulo, confecto et extento. Unde *Ovid.* 4. *Fast.* 342. Et feriunt molles taurea terga manus. *Stat.* 2. *Theb.* 78. Æraque taurinos sonitu vincentia pulsus. *Id.* 8. *ibid.* 221. gemina æra sonant Idæaque terga.

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 618. Tympana tenta tonant palmis et cymbala circum Concava. Adde *Plaut. Pœn.* 5. 6. 38. et *Cæs.* 3. *B. C.* 105. *Virg.* 9. *Æn.* 619. Tympana vos buxusque vocant Berecynthia Matris Idææ. *Catull.* 63. 8. Niveis citata cepit manibus leve tympanum, Tympanum, tubam, Cybelle, tua, Mater, initia. Alii habent *breve crotalum*, teste *Mureto*, sed perperam. *et ibid.* 20. Cybelles Phrygia ad nemora deæ Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant. *Catull.* 64. 261. Plangebant aliæ proceris tympana palmis. *Capell.* 2. *p.* 41. Tympana Cybeleia. *Id. ibid. p.* 34. Tympani crepitus crotalorumque tinnitus. *Curt.* 8. 11. 21. strepitus. *Id. ibid. n.* 20. Tympana pulsare. — Usus ejus plurimus in sacris Matris deûm Idææ, ut ex *locc.* modo allatis patet. — Narrat *Justin.* 41. 2. *a med.* Parthos signum in prœlio non tuba, sed tympano dare consuevisse, quod hodieque in acie apud nos usuvenit. — Tympani figuram in manu Bacchantium videsis apud *Visconti Mus. Chiaram. tab.* XXXIX. et XLII. Porro varias tympanorum species exhibet *A. Rich* in *op. cit.* ad *h. v.*

II.) Improprie, a similitudine. ¶ 1. *Tympana* dictæ sunt margaritæ. *V.* TYMPANION. *Paul. loc. cit.* Quum quædam ornamentum mamillarum ex cylindris XXXIV. et tympanis margaritis XXXIV. legasset etc. *Alii* tympaniis. ¶ 2. Item *tympana* esse tecta vehiculorum, scribit *Servius* ad illud *Virg.* 2. *G.* 444. Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris. Sed *Philargyr. ibid.* ait, esse rotas ex solidis tabulis factas; quod magis placet. *V.* etiam *Rich*, qui huic interpretationi suffragatur. (Hinc *Pompon. Sabin.* in *Virg.* 1. *G.* 163. Sunt enim vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed tympana cohærentia axi et juncta cantho ferreo. Axis autem cum rota volvitur.) ¶ 3. Hujusmodi sunt enim etiam rotæ, quæ, calcando ab hominibus vel alio modo versatæ, fune se circumvolvente subvehunt pondera vel demittunt: quales in portubus esse solent exonerandis navibus. *Lucret.* 4. 903. Multaque per trochleas et tympana pondere magno Commovet atque levi sustollit machina nisu. Adde *Vitruv.* 10. 4. et *Ulp. Dig.* 19. 2. 19., ubi tympanum et trochleas ponit ad relevandum prelum olearium. Apud *Plin.* quoque 18. *Hist. nat.* 34. 77. (332). tympanum circinatum est tabula solida rotæ figura. ¶ 4. Præterea rotæ interiores molendini solidæ, dentatæ et ad perpendiculum in cultrum collocatæ *tympana* dicuntur a *Vitruv.* 10. 10., qui *ibid.* 9. tribuit etiam organo hydraulico, *et ibid.* 14. aliis machinis. ¶ 5. Præter hæc est membrum in architectura, h. e. spatium triangulare planum, fastigii coronis circumclusum, habens summitatem in medio. Ita *Barbarus* ad *Vitruv.* 3. 3. *a med.* ¶ 6. Item stateræ et lances, apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 52. 11. (146). *V.* MAGIS, idis. ¶ 7. Item in valvis januarum tympana sunt quadratæ tabulæ affixæ ad ornatum, *pianetti* et *quadri* a nonnullis dictæ, *riquadrati* ab aliis. *Vitruv.* 4. 6. *a med.* ¶ 8. In illo *Auct. Queroli* 2. 4. 50. Ipsum etiam pauxillum argenti, levibus tensum tympanis etc. *tympanis* de tenui lamina interpretatur *Klinkhamer*. ¶ 9. Item in illo *Afran.* apud *Non.* 149. 26. *Merc.* In inguine plenam papulam, panum, tympanum. *tympanum* pro tuberis genere positum videtur. Cf. *Neukirch De fab. tog.* ad *h. l.* ¶ 10. Denique fuisse videtur supplicii genus, sc. instrumentum, rotæ formam referens, in quo damnatorum corpora pellium instar distendebantur et fustibus aut loris miserrime cædebantur. Huc pertinet illud *Vulg. interpr. Hebr.* 11. 35. coll. cum Gr. ἐτυμπανίσθησαν. Nescio tamen, an in hunc sensum Latinus aliquis usurpaverit.

III.) Translate seu metaphorice. *Quintil.* 5. 12. *ad fin.* Nos, qui oratorem studemus effingere, non arma, sed tympana eloquentiæ demus? *h. e.* genus dicendi molle, nervis carens et ad solam voluptatem compositum. *Seneca Vit. beat.* 13. *a med.* Nulli corpus tuum patientiæ vacat, sed in manu tympanum est. *h. e.* non es mollis, sed mollia et effeminatorum propria tractas.

TYMUM. *V.* THYMUM.

TŸPĂNUM. *V.* TYMPANUM.

TYPHE, es, f. 1. τύφη, eadem est atque ulva, planta aquatica seu palustris, farciendis pulvinaribus adhiberi solita, quemadmodum tomentum Circense. *Isid.* 17. *Orig.* 9. *a med.* Typhe vero, quæ se ab aqua inflat. Unde etiam ambitiosorum et sibi placentium hominum tumor typhus dicitur. *V.* TYPHUS.

TŸPHĒRĬON, ii, n. 2. τυφήριον, genus morbi, apud *Veget.* 3. *Veterin.* 37. 1. Alii aliter leg. *V.* CUFERION.

TYPHLON enteron Græce, Latine jejunum (colum), dicitur a *Veget.* 2. *Veterin.* 12. 2. Itali *intestino cieco* vocant.

TŸPHO et

TŸPHON, ōnis, m. 3. (τυφών) *Typhonas* in acc. plur., Græca positione, leg. quidam apud *Lucan.* 7. 156. Et trabibus mixtis avidos typhonas aquarum. Alii tamen leg. *siphonas* et quidem rectius. — Prima longa est, sed, de nomine proprio apud Ægyptios, corripuit *Capella* 2. *p.* 43. Ditemque ferumque Typhonem. — Typhon ¶ 1. Est ventus vorticosus mira velocitate, sed sine igne e nube erumpens, *scionata, remolino, turbine, sifone:* a τύφω, fumigo, ut *Forcellinus* docet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 48. 49. (131). Sin vero depresso sinu arctius rotati effregerint (*nubem venti*) sine igne, hoc est sine fulmine, vorticem faciunt, qui typhon vocatur, id est vibratus ecnephias. Defert hic secum aliquid abruptum e nube gelida, convolvens versansque et ruinam suam illo pondere aggravans et locum ex loco mutans rapida vertigine: præcipua navigantium pestis, non antennas modo, verum ipsa navigia contorta frangens: tenui remedio aceti in advenientem effusi, cui frigidissima est natura. Idem illisu ipse repercussus, correpta secum in cælum refert sorbetque in excelsum. Hæc *Plinius. Apul. De mundo.* Aeris inferioris qualitas turbine, flatibus typhonisque conflictu fit procellosa. Adde *Gell.* 19. 1., ubi Græce usurpat. ¶ 2. Poetæ etiam ignitum turbinem *typhona* vocant. *Val. Flacc.* 3. 130. Quantus ubi immenso prospexit ab æthere typhon, Igne simul ventisque rubens: quem Juppiter alte Crine tenet: trepidant diro sub lumine puppes. ¶ 3. Est etiam genus cometæ apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (91). ¶ 4. Item nomen gigantis, de quo *V.* ONOM. Hinc *ophthalmos Typhonis*, h. e. oculus Typhonis, dicta est herba quædam, quæ ab aliis bulbus scillaticus vel scyliticus vocatur. *Apul. Herb.* 42.

TŸPHŌNĬCUS, a, um, adject. τυφωνικός, turbulentus, vorticosus. *Vulg. interpr. Act.* 27. 14. Ventus typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.

TŸPHŌNĬOS, ii, m. 2. (τυφώνιος) ¶ 1. Est genus quoddam herbæ, quæ aliter hyoscyamus, apud *Apul. Herb.* 4. ¶ 2. Item alia, quæ et bulbus scylliticus, apud *eumd. ibid.* 42. ¶ 3. Item dracontea *ibid.* 15.

TŸPHUS, i, m. 2. τῦφος, proprie fumum significat, sed pro tumore apud Latinos usurpatur, *gonfiatura, enfiagione.*

I.) Proprie. *Seren. Sammon.* 13. *in fin.* Si tumor insolitus typho se tollat inani. Cl. *Furlanetto* interpretatur: subita inflammatione. Cf. *Akerm.* ad *h. l.*

II.) Translate. ¶ 1. Est elatio, superbia, fastus, jactantia. *Arnob.* 2. *p.* 43. Si non mentis elatio et typhus, qui appellatur a Græcis, obstaret. *et p.* 53. Typhum superciliumque deponere. *et p.* 56. Typho et arrogantia sublevati. *et p.* 63. Typhum et arrogantiam frangere. *et p.* 88. Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis. *Augustin.* 7. *Confess.* 9. Homo immanissimo typho turgidus. Adde 3. *ibid.* 3. *Capell.* 5. *p.* 187. Sin sanna typhi naris imum torserit. V. *Isid. loc.* mox *cit.* ¶ 2. Singulare est illud *ejusd.* 4. *Orig.* 7. 10. Typhi sunt frigidæ febres, quæ abusive typhi appellantur ab herba etc. At *Areval.* leg. apud *eumd. ibid.* Typi sunt frigidæ febres, quia τύπος Latine forma atque status dicitur. Ceterum 17. *ibid.* 9. *a med.* Ulva et typhus herbæ circa fontes - typhus vero, quæ se aquis inflet, unde et sibi placentium hominum tumor typhus appellatur. Sed pro *typhus* legend. *typhe.* *V.* TYPHE.

TŸPĬCĒ, adverb. (typicus) figurate, symbolice. *Augustin. Serm.* 133. *n.* 2. ed. *Mai.* Alia ex aliis loca addit *Quicherat p.* 302.

TŸPĬCUS, a, um, adject. (τυπικός) ¶ 1. Est symbolicus, *figurativo. Sedul.* 1. 192. typicique cruoris Auxilio ventura docet, quod sanguine fuso Humana pro gente pius succumberet Agnus. *Id.* 3. 208. Quumque dehinc populum sese in deserta secutum (Ut typicus Moses verusque propheta) videret (*Christus*) Antiquam sentire famem etc. *Arator* 2. 74. typicæ documenta figuræ. ¶ 2. *Typicus modus* apud Grammaticos est figuratus, quia figurate portat sub litteratura activi sensum passivum, ut in *Comm. Eins.* in *Donat. p.* 210. 10. *Hag.* ¶ 3. Apud Medicos est qui statuto tempore recurrit. *V.* voc. seq. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 15. 95. Tremor typicus et inordinatus. *Id.* 3. *Tard.* 8. 118. Typicæ accessiones. — Hinc

*Typici, orum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, qui febribus per intervalla recurrentibus laborant. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. 110.

TŸPOS et

TŸPUS, i, m. 2. τύπος, nota, signum, forma percutiendo seu pulsando impressa, ut vibex in corpore exsistens ex verbere aut vestigium humi pede impressum: a τύπτω, percutio. Sed a Græcis Latinisque scriptoribus sumitur pro figura, imagine, forma, effigie cujuscumque rei, ex qua similia multa facile est efficere, et proprie significat id, quod Italice nunc *bassorilievo* dicitur, Latine ectypum. V. *Visc.* in *præf. T.* 4. *Mus. Pio-Clem.*, ubi hæc de re multa habentur.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Att.* 10. Præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere. *figure a bassorilievo. Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151). Umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit; quibus pater ejus, impressa argilla, typum fecit. *il ritratto a bassorilievo fittile.* et *Lamprid. Elagab.* 3. Studens et Matris typum et Vestæ ignem et Palladium et ancilia et omnia Romanis veneranda in illud transferre templum. *et* 7. Matris etiam deûm sacra accepit et tauroboliatus est, ut typum eriperet. *h. e.* effigiem ejus deæ, quæ parva theca inclusa cultoribus ejus osculanda præbebatur a pastophoro. *V.* hanc vocem suo loco. Ita cl. *Furlanetto;* at *C. L. Visconti* in *Annali dell' Istit. arch. a.* 1868. *p.* 395. putat, apud *Lamprid.* vocabulo *typi* significari ipsum Matris deûm idolum, videlicet petram illam nigram a Pessinunte Romam allatam et summa cum diligentia, tamquam imperii columen ac præsidium, in templo suo Palatino adservatam. — Hinc *typus Matris deûm* ad similitudinem idoli hujus confectus inter do-

naria recensendus videtur eidem *C. L. Viscont.* in *Inscr.*, quam affert *ibid. p.* 392. — De imagine aliorum numinum usurpatur in *Inscr.* in *Revue arch. a.* 1862. *p.* 416.

II) Translate. ¶ 1. Apud scriptores Ecclesiasticos, *typi* dicuntur figuræ rerum seu personarum, quæ in novo Testamento futuræ erant. *Ambros.* 3. *de David* 11. *n.* 89. Ille (*Melchisedech*) in typo, hic (*Christus*) in veritate: typus autem est umbra veritatis. *Venant. Vit. S. Martin.* 3. 204. Ecclesiæque typum campus generosior explet. Cf. voc. præc. ¶ 2. Speciatim, apud Gromaticos, *typus* est forma sive delineatio territorii ære expressa. *Nipsus De limitib. p.* 294. 1. *Lachm.* Primum in re præsenti typos regionis quærendus est. Adde *Hygin. De limitib. p.* 202. 15. et alibi. ¶ 3. Item apud Medicos dicitur forma, ordo et modus febrium recurrentium, ut tertianæ, quartanæ etc., ex quo ipsius morbi vis et ratio dignoscitur. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. 108. et 114. Typum quotidianum majorum corpusculorum statione fieri; tertianum minorum, quartanum minutissimorum. *Apul. Herb.* 102. Ad frigora et omnes febrium typos. — *Typus febris* est tremor apud *Æmil. Macr. c.* 74. *p.* 246. Cf. *Isid.* 4. *Orig.* 7. 10. *V.* TYPHUS. ¶ 4. *Typus laterum* fuit genus supplicii. *Vulg. interpr.* 2. *Reg.* 12. *in fin.* Populum quoque ejus (*urbis Rabbath*) adducens (*David*) serravit et circumegit super eos ferrata divisitque cultris et traduxit in typo laterum. sc. eo modo, quo lateres scinduntur. Cf. *eumd.* 1. *Par.* 20. 3. ¶ 5. *Typi* sunt etiam edicta principum sive leges et constitutiones. *Justinian. Novell.* 165. et *seqq.* V. *Ducange* in *Gloss. med.* et *inf. Latin.* ad *h. v.* et etiam *Cassian.* 2. *Instit.* 2.

TŸRANNA, æ, f. 1. (tyrannus) mulier, quæ tyrannidem occupat, *tiranna. Trebell. in XXX. Tyrann.* 31. *sub fin.* Nemo dicturus est, me feminas inter tyrannos cum risu et joco, tyrannas videlicet et tyrannides, ut ipsi de me solent jactare, posuisse.

TŸRANNĬCĒ, adverb. (tyrannicus) tyrannorum more, crudeliter, violenter, *tirannicamente*; τυραννικῶς. *Cic.* 5. *Verr.* 48. *ad fin.* Ut hoc tempore ea, quæ regie seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, prætermittam. *Vulcat. Cass.* 7. Urbem tyrannice diripere. *Augustin.* 10. *Civ. D.* 21. Inimicitias adversus Dei civitatem tyrannice exercere.

TŸRANNĬCĪDA, æ, m. *et* f. 1. (tyrannus *et* cædo) qui tyrannum occidit, *uccisore del tiranno*, τυραννοκτόνος. *Seneca* 2. *Ira* 23. Tyrannicida tortus, ut conscios indicaret, amicos tyranni nominavit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 23 23. (87). Quæ femina torta non indicavit tyrannicidas. *Sueton. Tib.* 4. De præmiis tyrannicidarum referendum censuit. *h. e.* C. Julii Cæsaris interfectorum. Adde *Quintil.* 7. 2. 7. et *Capell.* 5. *p.* 150. — *Uxor tyrannicida*, inscribitur *Declamatio I. Calpurnii Flacci*, cujus exstat fragmentum. — *Consent. Art. p.* 398. 3. *Keil.* Plerique ex imperitia sic locuntur, ut tyrannicidas dicant pro tyrannis. — Circumlocutione utitur *Cic. Mil.* 29. *a med.* Græci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. *Id.* 14. *Att.* 15. Græcam vocem *tyrannoctonus* adhibere maluit. *V.* TYRANNOCTONUS.

TŸRANNĬCĪDĬUM, ĭi, n. 2. (tyrannus *et* cædo) occisio tyranni, *uccisione del tiranno*, τυραννοκτονία. *Seneca* 1. *Controv.* 7. *ante med.* Ne fratrem occideret, tyrannicidium inquinaret. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (72). Consilia eorum de tyrannicidio non prodidit. Adde *Quintil.* 7. 3. 10.

TŸRANNĬCUS, a, um, adject. (tyrannus) ad tyrannum pertinens, impotens, superbus, violentus, τυραννικός (*It. tirannesco, violento, tirannico;* Fr. *tyrannique;* Hisp. *tiranico;* Germ. *tyrannisch, despotisch;* Angl. *tyrannous*). *Cic.* 2. *Herenn.* 30. 49. Facinus tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum. *Id.* 1. *Legg.* 15. 42. Tyrannicis legibus delectari. *Seneca* 1. *Benef.* 11. Tyrannicæ iræ eripere aliquem. *Justin.* 16. 4. *a med.* Nefandissima quæque tyrannicæ crudelitatis exercuit. *et mox.* Tyrannica dominatio. *et* 21. 5. *ad fin.* Tyrannica vitia. *Eutrop.* 6. 25. Quum alia regia et prope tyrannica faceret. Adde *Prudent.* 5. *Cathem.* 80. — *Apul.* 10. *Met.* Ad instar barbaricæ feritatis et tyrannicæ impotentiæ. Cf. de hac dictione *Barth. Advers.* XXXIII. 5. *p.* 1512. et *D'Orv.* ad *Charit.* IV. 4. *p.* 437.

TŸRANNIS, ĭdis, f. 3. (tyrannus) Quarti casus sing. duplex est positio in *em* et *ă*, ut in subjectis exemplis videre est. — Tyrannis

I.) De re est imperium tyranni, summa potestas, *tirannide, signoria assoluta, regno*, τυραννίς. ¶ 1. Generatim. *Nepos Reg.* 2. Hic quum virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate. *Val. Max.* 6. 5. *extern. n.* 1. Cujus aut meritis tantum cives debuerunt aut moribus crediderunt, ut suis in suffragiis tyrannidem deferrent. *V.* TYRANNUS. ¶ 2. Speciatim, et quidem in malam partem, est dominatio tyrannica, impotentia tyranni, *tirannia*. — *a*) Proprie. *Cic.* 14. *Att.* 9. O dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit. *et ibid.* 14. Sublato tyranno, tyrannida manere video. *Id.* 3. *Off.* 23. *circa med.* Tyrannidem occupare. *Id.* 2. *Tusc.* 22. 52. delere. *Quintil.* 7. 2. *ad fin.* affectare. *Nepos Alcib.* 7. concupiscere. *Id. Dion.* 3. *in fin.* Tyrannidis finem facere. *Ovid.* 15. *Met.* 60. fugerat una Et Samon et dominos odioque tyrannidis exsul Sponte erat. *Juvenal.* 8. 223. Quid Nero tam sæva crudaque tyrannide fecit? — *b*) Translate est territorium alicui tyranno obnoxium. *Liv.* 38. 14. Quinque et viginti talenta tyrannidem tuam exhaurient? — *c*) Item imperii usurpatio vel affectatio. *Spartian. Hadr.* 15. Conscius tyrannidis. Adde *Vulcat. Cass.* 12.

II.) De persona, est femina tyrannidem exercens vel uxor tyranni. *V.* loc. *Trebell.* in TYRANNA.

TŸRANNOCTŎNUS, i, m. 2. τυραννοκτόνος, idem ac tyrannicida: a τύραννος, tyrannus, et κτείνω, interficio. *Cic.* 14. *Att.* 15. Verebar, ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. *et* 16. *ibid.* 15. *ante med.* Non modo non inimicum tyrannoctonis, verum etiam amicum fore.

TŸRANNŎPŎLĪTA, æ, m. 1. τυραννοπολίτης, civis ejus urbis, in qua tyrannus imperat. *Sidon.* 5. *Ep.* 8. Vitia nostrorum tyrannopolitarum.

TŸRANNUS, i, m. 2. (τύραννος) — *a*) *Tyrannus* pro *tyrannus*, Latina consuetudine, qua Gr. υ in Lat. u mutatur, præsertim apud *Plaut.* in ed. *Ritschelii*. Cf. etiam *Inscr.* apud *Wilmanns Inscr. Lat. n.* 366. — *b*) Ad genus quod attinet, quamvis Græce τύραννος sit ὁ καὶ ἡ, Latine non item. — *c*) *Tyrannûm* pro *tyrannorum* usurpavit *Pacuv. fragm.* 149. Tyrannûm novi temeritudinem. — *d*) Ratione habita etymi, derivatur a voce Græca, quæ Dorice est pro κοίρανος, dominus. — Tyrannus itaque est dominus, rex, monarcha, princeps, qui plenam perpetuamque in subjectos potestatem et imperium habet (It. *signore, re, monarca;* Fr. *roi absolu, monarque;* Hisp. *monarca, rey absoluto;* Germ. *unbeschränkter Herr, Regent, Fürst, Herrscher;* Angl. *a monarch, king*). ¶ 1. Generatim. *Nepos Milt.* 8. scribit, Miltiadem, qui Chersoneso potitus diu ibi dominationem obtinuerat, tyrannum dictum fuisse, qui non vi, sed incolentium voluntate eam obtinuerat et bonitate retinuerat; omnes enim et haberi et dici tyrannos, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quæ libertate usa est. *Cic.* 3. *Rep.* 14. 23. Sunt omnes qui in populum vitæ necisque potestatem habent, tyranni: sed se Jovis optimi nomine malunt reges vocari. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 12. Te te te, tyranne te rogo, qui imperitas Pseudolo. *et Curc.* 2. 3. 6. Nec strategus nec tyrannus quisquam nec agoranomus Nec demarchus nec comarchus. *Virg.* 4. *Æn.* 320. Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni Odere. *et* 7. *ibid.* 166. Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. *h. e.* Æneæ. Adde *ibid.* 342. *Ovid.* 1. *Met.* 276. *de Neptuno.* Convocat hic amnes, qui postquam tecta tyranni Intravere sui etc. Adde *Liv.* 35. 12. *Val. Flacc.* 5. 388. *et* 548. Qui ferat Æeæi socii responsa tyranni. *Lucan.* 7. 226. sicci sed plurima campi Tetrarchæ regesque tenent magnique tyranni. Adde *Senec. Herc. Œt.* 1685. — *Letæus tyrannus*, de Plutone, apud *Colum. De cult. hort.* 271. — In hunc sensum, qui vocis est primitivus, occurrit apud *Aristoph.* in *Nub.* de *Jove.* Ὑψιμέδοντα μὲν θεῶν τύραννον. Cf. *Aristot. Polit.* 3. 3. et *Salmas. d. reg. c.* 7. ¶ 2. Speciatim, aut in malam partem, sæpius Latine dicitur, qui per vim occupavit imperium, quique illud per insolentiam et libidinem, non jure et æquis legibus, exercet, *tiranno*. Quo sensu occurrit etiam apud Græcos. Sic *Plutarch. de Cecrope.* Ἐκ χρηστοῦ βασιλέως ἄγριον καὶ δρακοντώδη γενόμενον τύραννον. Cf. *Xenoph.* 4. *Mem.* 6. 12. V. *Fuller Misc.* 4. 11. *Seneca* 1. *Clem.* 12. Tyrannus a rege distat factis, non nomine. nam et Dionysius major jure meritoque præferri multis regibus potest: et L. Sullam appellari tyrannum quid prohibet? cui occidendi finem fecit inopia hostium. *Cic. Amic.* 15. 52. Hæc est tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia: omnia suspecta atque sollicita, nullus locus amicitiæ. Rursus *Seneca* 1. *Clem.* 11. Tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est. Adde *Liv.* 29. 17. *Cic. Vatin.* 9. 23. Tyrannus intolerandus. *et* 13. *Phil.* 8. 18. teter et crudelis. *Ovid. Ib.* 371. sævus. *Virg.* 4. *G.* 492. immitis. *Seneca Herc. Fur.* 739. impotens. *Id. Octav.* 959. ferus. *Cic.* 7. *Verr.* 40. 103. importunus et amens. *Val. Flacc.* 7. 78. trux. *et ibid.* 87. infandus. *Id.* 5. 660. Jussa dira tyranni. *Cic.* 13. *Phil.* 8. 17. Esse tyrannum in aliquem. *et ibid.* Dominum et tyrannum comparare in liberos nostros. Adde *Virg.* 8. *Æn.* 483. et 12. *ibid.* 75. *Seneca Herc. Fur.* 511. Qui morte cunctos luere supplicium jubet, Nescit tyrannus esse. diversa irroga: Miserum veta perire, felicem jube. *Flor.* 1. 7. 3. Tyranni bonis infensi. *Capell.* 5. *p.* 150. Qui jussit tyranno deponere dominatum, præmium petit. — Absolute de Charonte, *Inscr.* in *Bullett. arch. dell' Archiv. Stor. di Milano a.* 1874. *p.* 42. SPECTO (*dum*) VENIT ILLA DIES IN QVA STAT ILLE TYRANNVS QVI etc. ¶ 3. Prægnanti, ut ajunt, sensu complectitur personam tyranni cum ejus rebus ac fautoribus. *Nepos Pelop.* 5. Tyrannos Thessaliæ expellerent. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

TYREELĔPHAS et

TYRELĔPHAS, antis, m. 3. genus elephantis, ut videtur, monstrosum. *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* 31. Tunc Tyreelephantes et cum his homines senis manibus portentuosi.

TŸRĬANTHĬNUS, a, um, adject. τυριάνθινος, qui est colore facto ex ianthino, hoc est violaceo, rursus Tyria purpura inebriato, ut vestes Tyrianthinæ, quæ colore hujusmodi sunt infectæ. *Martial.* 1. 54. Sic interpositus villo contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus. *Vopisc. Carin.* 19. Pallium Tyrianthinum. — De luxu miscendi colores in tingendis purpuris V. *Plin.* 9. *c.* 40. *et* 41.

TŸRĪNON, i, n. 2. τύρινον, genus herbæ. *Apul. Herb.* 73. Græce chelidonion appellatur, Latine hirundinina. Ejus species duæ, alia major, alia minor, quæ etiam appellatur tyrinon agrion. *Alii aliter leg.*

TŸRĬUM, ĭi, n. 2. *V.* voc. seq.

TŸRĬUS, a, um, adject. (Tyros) ad Tyrum pertinens, quod est nomen proprium urbis, de quo *V.* ONOM. Hinc *Tyrius color*, h. e. purpureus, et quidem optimus, quod circa Tyrum laudatissimæ purpuræ capiebantur. *Propert.* 4. 5. 22. Et quæ sub Tyria concha superbit aqua. *Ovid.* 3. *Art. am.* 170. Nec quæ bis Tyrio murice lana rubes. *Id.* 6. *Met.* 222. Tyrioque rubentia fuco Terga premunt. *et* 10. *ibid.* 211. Tyrioque nitentior ostro Flos oritur. *et* 6. *ibid.* 61. *et Stat.* 1. *Silv.* 2. 151. Tyrium quæ purpura sensit abenum. *Tibull.* 1. 1. 63. Tyrius torus. *h. e.* stragulo Tyrio ornatus. *et ibid.* 10. 70. et Tyrio prodeat apta sinu. *h. e.* veste Tyria. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 79. radiis auri Tyriaque superbit Majestate torus. *h. e.* Tyrii straguli ornatu. *Id. Edyll.* 1. 20. Tyrium venenum. *h. e.* color purpuræ. — *Tyrium mare*, inquit *Festus*

p. 355. 18. *Müll.* in proverbium deductum est: quod Tyro oriundi Pœni adeo potentes maris fuerunt, ut omnibus mortalibus navigatio esset periculosa. Hinc *maria Tyria concire,* rem periculosam aggredi. — Hinc

*Tyrium, ii,* n. 2. absolute, est Tyria purpura. *Tertull. Pœnit.* 11. Num in coccino et Tyrio pro delictis supplicare nos convenit?

TYRO. *V.* TIRO.

TȲRŎPĂTĪNA, æ, f. 1. placenta in modum casei confecta ex lacte, ovis et melle: vox hybrida a τυρός, caseus, et *patina. Apic.* 7. 11. *in fin.* Sed *V.* TRIPATINA.

TȲRŎTĂRĪCHUS, a, um, adject. *V.* in voc. sec.

TȲRŎTĂRĪCHUS (tyrotaricus), i, m. 2. (τυροτάριχος) Adjectivorum more usurpat *Apic. loc. infra cit.* — Tyrotarichus est genus obsonii vilioris, ex caseo et salsamentis confecti: a τυρός, caseus, et τάριχος, salsamentum. Quidam volunt esse jus ex caseo salito expressum, quo in condimentis usi sint veteres. *Cic.* 4. *Att.* 8. Multa me in epistola tua delectarunt: sed nihil magis, quam patina tyrotarichi. *Id.* 9. *Fam.* 16. *a med.* Quam tu mihi narras tyrotarichi patinam? *et sub fin.* Tu vero (volo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. Adde 14. *Att.* 16. — Ejus confectio ita describitur ab *Apicio,* auctore culinario (si modo quidquam ad *Ciceronis* tyrotarichum pertinet), 4. 2. *circa med.* Patella tyrotaricha ex quocumque pisce salso volueris. Coques ex oleo, exossabis et cerebella cocta, pulpas piscium, jecuscula pullorum, ova dura, caseum mollem excaldatum: hæc omnia calefacies in patella: teres piper, ligusticum, origanum, rutæ baccam, vinum, mulsum, oleum: patellam ad lentum ignem, ut coquatur, ovis crudis, obligabis, adordinabis: cuminum minutum asperges et inferes. *Schuch* leg. *tirotarica.*

TȲROS et

TȲRUS, i, f. 2. Τύρος, nomen urbis, de qua *V.* ONOM. Metonymice, quia omnis ejus nobilitas, inquit *Plin.* 5. *Hist. nat.* 19. 17. (76)., conchylio atque purpura constat, ponitur pro ipsa purpura. *Martial.* 2. 29. Quæque Tyron toties epotavere lacernæ. *et* 6. 11. Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit.

TYSILOGRAMMUS, a, um, adject. Legitur apud *Gromat. vet. p.* 214. 8. *Lachm.-Rud.* Si scriptus tysilogrammus fuerit terminus. At vox videtur corrupta: fortasse *hypselogrammus* legend.; alii aliter conjiciunt.

## TZ

TZADE *vel* sade, indecl. littera decima octava alphabeti Hebraici, quæ repræsentatur per signum צ et in numeris significat XC; si tamen finalis est, formam aliquantulum in ץ mutat et interdum adhibetur pro numero DCCCC: olim vero in ea efferenda jam *s* prævalebat, jam *t*. Ejus nomen ita interpretatur *Hieronym. Ep.* 30. *n.* 11. Sexta connexio habet Ain, Phe, Sade, *fons* sive *oculus, os, justitia.* At *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 18. *init.* Sequitur *Sade* littera decima octava, quæ Latina interpretatione dicitur consolatio. At recentiores aliter interpretantur. — Græci, inquit *J. Jahn,* quorum lingua hoc sono caret, conservarunt tamen characterem, quem σαμπι vocant, ad numerum DCCCC. designandum. Cf. *Vulg. interpr. Ps.* 118. 137., qui est alphabeticus, itemque *Jer. Thr.* 1. 18., 2. 18. etc.

TZANCHA et

TZANGA. *V.* ZANGA.

TZANUCHI, indecl. idem ac herba buglossa. *Apul. Herb.* 42. Buglossa Græci, Osthanes tzanuchi, Romani linguam bubulam, Lucani corraginem dicunt.

# DE LITTERA U

U (u) est ultima vocalium et vicesima littera alphabeti Latini.

I.) Universim, qua littera est — *a*) U scribitur etiam V; immo hæc fuit unica forma apud Oscos, Umbros, Romanos etc. (V. *Mommsen Die unterit. dial. Leipz.* 1850. *p.* 3.-40. et *Brambach p.* 318.), ut in *Inscriptionibus* et *Nummis* passim videre est. Cf. tamen *Cavedoni* monet in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1856. *p.* 79., in nummo L. Cornelii Lentuli, qui fuit consul an. DCCV. ab U. C., Ephesi cuso, formam U apparere. Hanc porro habuit ab Υ Græcorum, recisa virgula juxta, ut ait *Mar. Victorin. p.* 12. 15. *Keil.,* unde orta hujus litteræ pronunciatio (de qua *V.* infra), ut a φυγή *fuga,* κύμινον *cuminum,* ὑπέρ *super* etc.; vicissim a *Romulus* Ῥωμύλος, a *Sulla* Σύλλας, a *Capua* Καπύη. (Cf. etiam *Kirchhoff Stud. z. Gesch. d. griech. Alphab. Berl.* 1863. *p.* 216.-242.) — *b*) Sub unica hac forma non solum vocalis sed etiam consonantis officio fungitur, teste *Charis.* 1. *p.* 57. *Putsch.* «Servus, cervus, vulgus per duo v scribi debent, quia et sic sonant et ambiguitas casuum tollitur et unum v loco consonantis accipitur». Adde *Vel. Long. Orthogr. p.* 2215., *Diomed. p.* 446. etc. — Tanta vero est soni affinitas, ut quæ est consonans, poetæ sæpe in vocalem dissolvant: sic *evoluisse* pro *evolvisse,* quod *Ovid. Heroid.* 12. 4. quinque syllabarum facit: *silua* pro *silva,* quod *Horat. Epod.* 13. 2. trium, aliaque hujusmodi; vicissim quæ est vocalis, in consonantem vertant: sic *gĕnva, tĕnvia,* etc. passim occurrunt pro *gĕnŭa, tĕnŭia,* etc. Item littera Vau apud Hebræos et Phœnicios, unde fortasse nostra originem duxit, utroque modo usurpatur. — *c*) Duplex igitur est hujus litteræ vis ac potestas, una figura: quam tamen in duas distinximus, posteriore ævo vulgo adhibitas, prout designatur vocalis aut consonans, sejunctis quamque vocum ab alterutra incipientium ordinibus, quo facilius universæ et singulæ voces, sub uno ordine collectæ nec interruptæ, invenirentur. — *d*) Aliquando media est, ut tradit *Isid.* 1. *Orig.* 4. 5. et 6., quia in quibusdam dictionibus expressum sonum non habet: cf. *Diomed. p.* 415. *Putsch.;* aliquando vero nihil est, ut ait idem *Isid. loc. cit. n.* 8., quia alicubi nec consonans est, ut in *quis,* præter alia hujusmodi, nam *q* præcedit; nec vocalis, nam sequitur *i:* cf. *Diomed. p.* 416. et *Priscian.* 1. *p.* 555. *Putsch.* Sic est aliquando supervacua post litteram *g,* ut quum scribimus et pronunciamus *unguere, urguere. Vel. Long. p.* 67. 15. *Keil.* et *Brambach op. cit. p.* 127. et seq. *V.* litt. V, qua est consonans.

II.) Speciatim, qua est vocalis. ¶ 1. Universim. — *a*) Ad pronunciationem quod attinet, productis et coeuntibus labris, *Mar. Victorin. p.* 33. 11. *K.* seu ore constricto labrisque prominulis effertur, *Capell.* 3. *p.* 58. *Auson. Edyll.* 12. *de litt.* Cecropiis ignota notis ferale sonans V. h. e. *u.* Respondet igitur sono Græcorum ου, ut patet ex Latinis vocibus, Græce expressis, Βροῦτος, Νουμᾶς, φεβρουάριος etc., *Brutus, Numas, februarius* etc. *Terentian.* 154. Subjecimus illam, cui nomen U dederunt. Adde *Mar. Victorin. p.* 13. 8. et 33. 18. *Keil.* — Olim tamen medius erat inter *i* et *u,* ut docet *Quintil.* 1. 4. 8. Hinc *maxumus* et *maximus, optumus* et *optimus, lubido* et *libido, carnufex* et *carnifex,* ita tamen ut apud antiquiores sonus *u* prævalere dicendus sit ex *Inscriptt.* ad reipubl. tempora pertinentibus et ex *Plaut.* mss. codd. Quod quidem apparet etiam in Græcorum littera υ, quæ aliquando in *u* vertitur, ut in *murrhinus, Ludius, mus, tus, Suria* etc.; aliquando vero in *i,* ut in *lacrima, silva, stilus* etc. — Ætate imper. variæ hujus pronunciationis testimonium præbet Claudius imp., qui ad hunc sonum medium exprimendum invexit litteræ seu signi Ⱶ usum. *Tac.* 11. *Ann.* 14. et *Sueton. Claud.* 41. V. plura de utriusque soni affinitate apud *Vel. Long. Orthogr. p.* 2235. *Putsch.* — *b*) Quod spectat ad locum, tam est initio quam in medio et fine vocum, ut in *uber, populus, cornu,* et quidem tum sola, tum conjuncta cum alia vocali, quacum diphthongos efficit *au, eu, ou,* ut *auspicium, eunuchus, joudex.* Cf. *Terentian. p.* 2393. *Putsch.* — Hinc quod secundo loco in diphthongis reperiatur, dicitur a Grammaticis *vocalis subdita,* ut *Nigid.* apud *Gell.* 19. 14. coll. *Terentian. loc. cit.* — *c*) Ponitur aliquando — *α*) pro *a, au,* ut *conculco* a *calco, accuso* a *causa, includo* a *claudo.* — *β*) pro *e,* ut in *legundi, capiundus.* — *γ*) pro *e* et *i,* vi declinationis, ut *sideris* a *sidus, leporis* a *lepus.* — *δ*) pro *o,* ut *cumes* pro *comes;* sic *frundifer, furtuna* etc. V. *Vel. Long. p.* 49. 16. *Keil.* et *Lachm.* ad *Lucr. p.* 19. — *ε*) pro *y,* ut *clupeus, Æguptus.* V. *Inscr.* apud *Orelli n.* 36. — *ζ*) pro *oe,* ut *unus* pro *oenus.* — *η*) pro *ou,* ut *publicus* pro *poublicus, plurimus* pro *plourimus, induco* pro *indouco:* Gracchorum ætate simul *jousit* et *jusit, joudex* et *judex* scriptum occurrit. — *ϑ*) Aliquando mutatur in *e,* ut *pejero* pro *perjuro.* — *ι*) et sæpius in *o:* olim enim dixere *Hecoba, notrix,* ut ait *Quintil.* 1. 4. et passim apud *Plaut., Lucret., Sallust., Virgil.* hodieque legimus *dederont, poblicus, polcher* — Sic quoties concurrit *v* consona cum *v* vocali aut contra, alterutra supprimitur vel mutatur in *o,* præsertim apud veteres, ut *vius, primitius* pro *vivus, primitivus,* et *volnus, volgus, voltus, servos, divos* etc. pro *vulnus, vulgus, vultus, servus, divus* etc. V. *Quintil.* 1. 7. 26. et *Mar. Victorin.* 4. 14. 23. *K.* Cf. *Borghesi Dec.* 2. *oss.* 3. 11. — *κ*) Quin multis Italiæ populis ignotam olim fuisse, scribit *Priscian.* 1. *p.* 554. *Putsch.* — *d*) Ad quantitatem quod pertinet, modo brevis, modo longa naturâ vel positione, modo communis esse potest, ut in *pŏpŭlus, salūber, lŭ̄crum.* ¶ 2. In notis U (V) valet *Ulpia, urbs, uti* etc. V. *Orelli, Henzen, Wilmanns.* — Alia de usu hujus litteræ in re agraria, arithmetica etc. videsis in V, qua est consonans.

## UB

ŬBA. *V.* UVA.

UBBA. *V.* OBBA.

ŬBE et

ŬBEI. *V.* UBI

ŪBER, ĕris, omn. gen. adject. — *a*) Sunt qui scrib. *huber,* ab ὕω vel *humeo* ducentes; sed notatio videtur nimis longe petita, inquit *Forcellinus:* ceterum in *Onom. Lat. Gr.* Hubero, πιαίνω. Cf. tamen *Isid. loc. cit.* — *b*) Ablat. sing. in *i* desinit, ut memori: sed substantivum in *e,* ut docet *Forcellinus.* Verum aliquando etiam adject. habet *ubere* pro *uberi,* ut apud *Colum.* 6. *R. R.* 27. 1., *Sil. It.* 3. 404., *Apul.* 6. *Met. p.* 384. *Oud., Senec. Med.* 388. et *Ammian.* 23. 3. 5. — *c*) Etymon, quod idem est ac substantivi *uber,* qua mammam significat, varie exponitur; nonnulli enim vocem ducunt ab εὔπορος, copiosus; alii vero, ut *Isid.* 11. *Orig.* 1. 76., ab *uvidus* vel *humor;* at recentiores ab rad. Skr. *udhan, udhar,* Græce οὖθαρ, *mamma,* quia, ut idem *Isid. loc. cit.* ait *ubera* vel lacte uberta vel uvida, humore scilicet lactis in morem uvarum plena. — Comp. *Uberior* et Sup. *Uberrimus* fere in omnib. paragr. — Uber est copiosus, abundans, *copioso, abbondante,* et etiam fecundus, frugifer, fructuosus, fertilis, ferax, si de solo, agris dicitur, *ubertoso, fecondo, fertile, fruttifero,* ἄφθονος, δαψιλής, εὔφορος, εὐθαλής.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De frugibus et agris. — *α*) Universim. *Cato* apud *Priscian.* 5. *p.* 647. *Putsch.* Itaque res uber fuit,

antequam vastassent regiones. *Plaut. Rud.* 3. 2. 33. tibi esse eventuram hoc anno uberem messem. *Cic.* 5. *Fin.* 30. 91. Seges spicis uberibus et crebris. *Id.* 2. *Nat. D.* 62. *ad fin.* Vitium et olivetorum uberrimi lætissimique fructus. *Horat.* 4. *Od.* 15. 5. Fruges et agris retulit uberes. — *Propert.* 1. 22. 10. Umbria Me genuit terris fertilis uberibus. *Liv.* 29. 25. *sub fin.* Et imbelles (quod plerumque in uberi agro evenit) barbari sunt. *Seneca Herc. Fur.* 333. quidquid uberi cingit solo Phocis. *Tac.* 5. *Hist.* 6. Rari imbres, uber solum. — β) Cum Genet. *Acc. trag.* 49. (*Non. p.* 498. 6. *Merc.*) Locrorum late viridia et frugum ubera. — γ) Cum Dat. gerundiv. *Curt.* 6. 4. 13. Uberrimum gignendis uvis solum est. — δ) Cum Acc. et præp. *ad. Vulg. interpr. Num.* 32. 4. Regio uberrima ad pastum animalium. — ε) Cum Abl. *Ovid.* 4. *Met.* 89. arbor niveis uberrima pomis. — ζ) Absolute, neutr. gen. *Val. Flacc.* 1. 510. Non mediæ telluris opes, non improba legi Divitis arva plagæ. teneant uberrima Teucer Et Libys etc. — *b*) De aquis aliisque rebus, *copioso, abbondante.* — α) Universim. *Lucret.* 1. 348. In saxis et speluncis permanat aquarum Liquidus humor et uberibus flent omnia guttis. *Id.* 6. 289. sequitur gravis imber et uber. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Vidi permultis locis aquam profluentem et eam uberem. *Albinov.* 1. 116. lacrimæ Erumpunt gravidis uberibusque genis. *et ibid.* 225. Uberibusque oculis lacrimarum flumina misit. *Seneca Med.* 388. oculos uberi fletu rigat. *Plaut. Rud.* 4. 2. 6. Neptunus piscatu me uberi compotivit. *Id. Pseud.* 1. 2. 64. Carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi. *h. e.* magno pondere. *Sueton. Cæs.* 27. Uberrimo congiario prosequi aliquem. Sic *Justin.* 21. 5. *extr.* Uberius præmium. — β) Cum Genet. *Horat.* 2. *Od.* 19. 10. vini fontem, lactis et uberes Cantare rivos. *Justin.* 44. 3. *circa med.* Regio æris ac plumbi uberrima. — γ) Cum Abl. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 3. Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis. *Justin. loc. cit.* Regio uberrima minio. ¶ 2. Speciatim est crassus, plenus. *Plaut. Merc.* 3. 1. 21. Si tenue scis, scio, te uberius posse nere. *Masur. Sabin.* apud *Gell.* 4. 29. Equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem ejus uberrimum et habitissimum viderunt.

II.) Translate. — *a*) Sæpe refertur ad copiam rerum verborumque in dicendo. *Cic. Orat.* 4. 15. Periclem Anaxagoræ fuisse auditorem, a quo uberem et fecundum fuisse. *Ovid.* 2. *Trist.* 74. tuasque Ingenio laudes uberiore canunt. *Tac. Dial. de orat.* 18. Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior est. *Id.* 3. *Ann.* 31. *ad fin.* Oratorum uberrimus. — *Cic.* 1. *Orat.* 25. 113. Motus animi ad excogitandum acuti et ad explicandum ornandumque sint uberes. *Id. Brut.* 31. *ad fin.* Quis uberior in dicendo Platone? — *b*) Dicitur et de aliis rebus. *Ter. Eun.* 2. 2. 21. Imperavi mihi omnia assentari. is quæstus nunc est multo uberrimus. *Cic.* 3. *Off.* 2. 5. Quum tota philosophia frugifera et fructuosa, tum nullus feracior in ea locus est nec uberior, quam de officiis. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 16. Uberior corporis tremor. *Cic. Brut.* 97. 332. Nec decet te ornatum uberrimis artibus. *Justin.* 38. 7. *a med.* Bello dubium facili magis, an uberi. *h. e.* prædæ uberioris, ut *id.* 22. 5. *ad fin.* ait, *più lucroso.* et 31. 5. 3. Neque sedem belli Græciam sibi placere, quum Italia uberior materia sit. *Tac.* 2. *Hist.* 12. Uberioribus probris, quam laudibus, stimulabantur. — Cum Acc. et præp. *ad,* vel cum Abl. *Plin. Paneg.* 43. Sitne feracius et uberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam principi etc. *Cic. Pis.* 40. 97. Illa uberrima supplicationibus triumphisque provincia. — Absolute neutr. gen. *Cæs.* 1. *B. C.* 53. Pleniora etiam atque uberiora Romam ad suos perscribebant.

ŪBER, ĕris, n. 2. In Abl. sing. habet *ubere.* — Notationem *V.* in voc. præced. init. — Uber est mamma tam in homine quam, sæpius tamen, in bestia, μαζός, οὖθαρ (It. *mammella, poppa;* Fr. *mamelle, poitrine, teton;* Hisp. *mamila, teta;* Germ. *die Brust, bes. die Mutterbrust;* Angl. *a breast, pap, teat; dug*): sunt tamen qui docent, *uber* proprie esse mammæ caput seu apicem, papillam, ex *Lucret.* 5. 883. et *Gell.* 12. 1. *V.* infra.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 887. lanigeræ quales sunt ubere lactis (*guttæ*). *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divin.* 12. 20. natos Uberibus gravidos vitali rore rigabat. *Virg.* 2. *Ecl.* 42. Bina die siccant ovis ubera. *et* 3. *ibid.* 30. vitula binos alit ubere fetus. *et ibid.* 99. Pressare ubera palmis. *mugnere il latte dalle mammelle.* et *Tibull.* 1. 3. 46. *ubera lactis* dixit pro *ubera lactea,* quod *Virg.* 2. *G.* 524. habet. *Horat. Epod.* 16. 50. Refertque tenta grex amicus ubera. *Ovid.* 13. *Met.* 826. Oves vix sustinent distentum cruribus uber. *Id.* 2. *Art. am.* 375. Nec lea cum catulis lactentibus ubera præbet. *Virg.* 4. *Æn.* 367. Hyrcanæque admorunt ubera tigres. *Ovid.* 4. *Met.* 324. fortunata profecto, Siqua tibi soror est, et quæ dedit ubera nutrix. *allattò.* et 6. *ibid.* 342. Uberaque ebiberant avidi lactantia nati. *Id.* 2. *Fast.* 419. Ubera ducere. *Alii leg.* sugere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 44. (114). haurire. *Lucan.* 6. 351. trahere. *Virg.* 5. *Æn.* 285. gemini sub ubere nati. *poppanti,* ὑπομάζιοι. Adde *Sil. It.* 3. 33. Sic *Calpurn. Ecl.* 9. 31. Siccaque fetarum lambentes ubera matrum. *Auct. Confl. ver. et hiem.* 50. *Wernsd.* Uberibus plenis veniantque ad mulctra capellæ. *Horat.* 4. *Od.* 4. 14. fulvæ matris ab ubere Jam lacte depulsum leonem. *Ovid.* 4. *Fast.* 459. raptus ab ubere. *slattato, tenero.* et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (250). Lac suis potum deficientia ubera puerperarum replet. *Id.* 7. *ibid.* 36. 36. (121). Puerpera carcere inclusam matrem deprehensa est uberibus suis alens. *Id.* 8. *ibid.* 42. 66. (165). Equa partum ad ubera admittit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 3. *R. R.* 21. Alma tellus vitibus annua vice, velut æterno quodam puerperio læta, mortalibus distenta musto demittit ubera. *Id.* 10. *ibid.* 89. fracti dente ligonis Putria maturi solvantur ut ubera campi. ¶ 2. Speciatim dicitur de uva, quam faciunt apes, quum alio migrantes arbore pendent. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. *a med.* Quum agmina se in ramo suspenderint, si unius uberis eductione pendebunt, noris, unum regem esse universis: si duo vel plura ubera suspendens se populus imitatur, et discordes sunt et tot reges esse, quot velut ubera videris, confitentur. ¶ 3. Interdum est ubertas, fertilitas, fecunditas soli aut arboris, *fertilità, fecondità,* εὐθηνία. *Virg.* 2. *G.* 275. Quique frequens herbis et fertilis ubere campus. *Id.* 7. *Æn.* 262. Divitis uber agri. *Id.* 1. *ibid.* 585. terra potens armis atque ubere glæbæ. *Claudian. B. Get.* 504. palmitis uber Etrusci. *Colum.* 4. *R. R.* 27. *a med.* Rusticus debet interdum partem aliquam fetus decutere, ut ubere suo gravatam vitem levet. *Virg.* 1. *G.* 275. in denso non segnior ubere Bacchus. *Capell.* 1. *p.* 11. Thalia in ipso florentis campi ubere residebat. — *Ubi uber, ibi tuber,* proverb. apud *Apul. Florid. n.* 18., de quo *V.* TŪBER. ¶ 4. A similitudine ita etiam vocatur fistula mammæ formam habens, de qua *Cassiod. loc. cit.* in MAMILLA.

H o m o n y m. Sunt qui *mammam* ab *ubere* ita distinguunt, ut *mamma* sit, quæ exterius apparet, *uber* interior officina lactis; alii rectius, ut *uber* proprie sit papilla seu mammæ caput, *capezzolo, zizzolo,* quod infans sugens comprehendere solet. *Lucret.* 5. 883. puer U b e r a mammarum insomnis lactantia quærit. *V.* PAPILLA. *Gell.* 12. 1. An putas, naturam feminis mammarum u b e r a, quasi quosdam nævulos venustiores etc.? Alii *mammas* esse ajunt hominis tantum, *ubera* bestiarum. *Horat. Epod.* 8. 7. et m a m m æ putres, Equina quales u b e r a. — Sed hæc discrimina auctores non servant. *Inscr.* apud *Gruter.* 617. 8. GRAXIAE ALEXANDRIAE INSIGNIS EXEMPLI AC PVDICITIAE QVAE ETIAM FILIOS SVOS PROPRIIS VBERIBVS EDVCAVIT.

ŪBĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* UBERO.

ŪBĔRE, adverb. (uber) Comp. *Uberius* et Sup. *Uberrime.* — Ubere est copiose, fuse, *copiosamente,* εὐπόρως.

I.) Proprie. *Gloss. Gr. Lat.* Ἄφθονον, τὸ πολύ, abunde, ubere. Cf. *H. Steph.* in *Thes. L. Gr.* sub v. Ἄφθονος. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Quum mulier fleret uberius. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 12. Uberius nulli provenit ista seges. — *Plaut. Trin.* 1. 1. 9. Mores mali, quasi herba irrigua, succreverunt uberrime.

II.) Translate refertur ad elocutionem. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. *a med.* Hæc uberius disputantur et fusius. *Id.* 3. *Fam.* 11. Planius loquebantur et uberius. *Plin.* 4. *Ep.* 17. *extr.* Dicere latius et uberius, quam epistolarum angustiæ sinunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 1. *a med.* Magnus locus a tota Peripateticorum familia tractatus uberrime.

ŪBĔRĬTAS, ātis, f. 3. *V.* UBERTAS.

ŪBĔRO (hubero), as, ātum, are, 1. (uber) Part. *Uberatus.* — Ubero usurpatur

I.) Transitive et est uberem facio, fecundo, lætifico, πιαίνω (It. *far fertile e fecondo;* Fr. *rendre fécond, fertiliser;* Hisp. *fecundar, fertilizar;* Germ. *fruchtbar machen;* Angl. *to make fruitful, fertilize*). ¶ 1. Proprie. *Plin. Paneg.* 32. Et cælo quidem numquam benignitas tanta, ut simul omnes terras uberet foveatque. *Alii rectius leg.* ubertet. *Pallad.* 11. *R. R.* 8. *in fin.* Hoc velut coitu steriles arbores uberantur. *Id.* 3. *ibid.* 17. *ante med.* Surculi, qui inserendi sunt, sint novelli, fertiles, nodosi, gemmis pluribus uberati. *h. e.* quasi uberibus ornati. ¶ 2. Translate. *Symmach.* 1. *Ep.* 43. Nam mihi summa curatio est, ut amicitiam tuam boni uberent.

II.) Neutrorum more seu absolute est fecundus vel abundans sum, abundo (It. *esser fecondo, abbondare;* Fr. *être fécond, abondant;* Hisp. *ser fecundo, abondante;* Germ. *fruchtbar, häufig sein;* Angl. *to be fruitful, to abound with*). *Colum.* 5. *R. R.* 9. *a med.* Olivetum in duas partes dividere, quæ alternis annis fructu induantur. neque enim olea continuo biennio uberat.

ŪBĔRŌSUS, a, um, adject. (uber) abundans, uber. *Gloss. Philox.* Uberosum, γόνιμον.

ŪBERTAS, ātis, f. 3. (uber) *Uberitas* pro *ubertas* legitur in nummo Trajani Decii, Etruscillæ, Herennii, Hostiliani, Treboniani aliorumque. Cf. *Rasch. Lex. rei num. T.* 5. *P.* 2. *p.* 759. V. infra. — Ubertas est fertilitas, abundantia, copia, εὐπορία (It. *fertilità, abbondanza, dovizia, ubertà;* Fr. *fécondité, abondance, fertilité;* Hisp. *fecundidad, abundancia, fertilidad;* Germ. *die Fruchtbarkeit, der Reichthum, die Fülle;* Angl. *fertility, fruitfulness, abundance*). Animadvertas oportet, aliquando subjective, ut ajunt, adhiberi, aliquando vero objective; ita ut v. c. aliud sit ubertas agrorum (sc. feracitas), aliud frugum (sc. copia): sic aliud ubertas ingenii, aliud verborum. Cf. UBER.

I.) Proprie et quidem — *a*) Sæpius de frugibus et agris. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. Ramos baccarum ubertate incurvescere. *Id. pro leg. Manil.* 6. 14. Asia tam opima est et fertilis, ut ubertate agrorum et varietate fructuum facile omnibus terris antecellat. *Id.* 5. *Verr.* 98. 227. Si ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis. *Id. post redit. ad Quirit.* 8. 18. Frugum ubertas, copia, vilitas. *Sueton. Domit.* 7. Summa ubertas vini, frumenti vero inopia. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (201). Soli fertilitas, pabuli ubertas. *Id.* 18. *ibid.* 17. 45. (162). Solum diutissime aquari gaudent, ut præpinguis et densa ubertas diluatur. — *b*) De aliis rebus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. Animalia mammarum ubertate saturantur. Sic *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 39. (82). Iasione mulieribus lactis ubertatem præstat. *Id.* 3. *ibid.* 5. 6. (41). Amnium fontiumque ubertas. *Sil. It.* 15. 412. Nec pube æquandam nec opum ubertate Saguntum. *Justin.* 18. 3. 4. Ubertas piscium. *Id.* 25. 1. 5. prædæ. — *Ubertas* quasi dea symbolice repræsentatur in Nummis sub effigie mulieris stantis, modo racemum uvæ et cornu copiæ tenuentis, modo sinistra tridentem ac dexteram jungentis cum imperatore paludato adstante. V. *Cohen* et *Eckhel.*

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 44. 195. Bibliothecas omnium philosophorum unus mihi vide-

tur XII. Tabularum libellus et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare. *Id. Dom.* 26. *a med.* Ne quis oriretur, in tanta ubertate improborum, qui etc. — In plur. num. *Id.* 2. *Nat. D.* 65. 166. Satis a Socrate dictum est de ubertatibus virtutis et copiis. — De copia dicendi. *Id.* 1. *Orat.* 12. 50. Qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam, ab eorum exilitate qui etc.? *Plin.* 2. *Ep.* 3. Magna Isæum fama præcesserat, major inventus est. Summa est facultas, copia, ubertas. *Quintil.* 10. 1. *a med. de Cicer.* Omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. *Id. ibid. ab init.* Verborum ubertatem ac divitias dabit lectio. *Venant.* 8. *Carm.* 5. 247. Virgo intacta manens fidei ubertate marita. — In plur. num. *Gell.* 12. 1. *extr.* Amœnitates et copiæ ubertatesque verborum.

ŪBERTIM, adverb. (uber) copiose, affluenter, *abbondevolmente, copiosamente,* ἀφθόνως. *Ammian.* 22. 15. *ante med.* Nubes incrementa ubertim suggerere Nilo creduntur. — Præcipue locum habet in luctu et lacrimis. *Catull.* 66. 17. Ubertim lacrimulas fundere. *Petron. Sat.* 134. Lacrimis ubertim manantibus. *Sueton. Tit.* 10. Populo coram ubertim fleverat. Adde *Cæs.* 81., *Senec.* 4. *Controv.* 25., *Claudian. Laud. Seren.* 214. et *Apul.* 3. 5. 8. *et* 10. *Met.*

ŪBERTO (huberto), as, are, 1. (ubertus) ¶ 1. Transitive est ubertum facio, ubero, *fecondare. Plin. Paneg.* 32. Simul omnes terras ubertet. *Alii leg.* uberet. *V.* UBERO. *Eumen. Grat. act. ad Constantin.* 9. *ad fin.* Agros diuturno ardore sitientes expetitus votis imber ubertat. ¶ 2. Neutrorum more est abundo, exubero. *Gloss. Paris.* ed. *Hild. p.* 289. *n.* 51.

ŪBERTUS (hubertus), a, um, adject. (uber) *Hubertus* cum aspiratione in *Gloss. Labb.* Hubertus, γόνιμος. Cf. UBER. — Ubertus est fertilis, copiosus, affluens, *fertile, copioso,* εὔπορος. *Solin.* 21. Pannonia solo plano ubertoque. At *Salmas.* et alii *uberique.* — Translate. *Gell.* 7. 14. Sed ea ipsa genera dicendi, jam antiquitus tradita ab Homero, sunt tria in tribus, magnificum in Ulysse et ubertum; subtile in Menelao et cohibitum; mistum moderatumque in Nestore. Alii rectius leg. *uber est.* At *Madvig* legendum putat *et uber, tum subtile* etc.

ŬBI, adverb. relat. loci. — *a*) *Ube* pro *ubi* scribitur in *Inscr.* apud *Gori Inscr. Etr. T.* 3. p. 173. et *Donat.* 131. 1. et in *alia* apud *Marini Iscr. Alb. p.* 93. in not. (3). et apud *Oderic. Syllog. p.* 165. — Plenius vero *ubei* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 196. 5. et 28., 1. 198. 21., 31. etc. (Cf. *Ritschl Opusc.* 2. 640.). — Etiam *cubi*, quæ videtur forma primitiva (*V.* infra), apud *Andronic. tr.* 18. et *Plaut. Trin.* 4. 2. 89. (*Brix* ubi); et *cube* apud *Prob. App. p.* 190. 16. *K.* Cf. *Ritschl* in *Rhein. Mus.* 25. 306. et *Brix* ad *Plaut. Trin. v.* 158. — *b*) Ultima syllaba ambigua est: producitur ab *Enn. fragm. p.* 16. *Hess.* Eudo tuetur ubī lupu' femina conspicit ambo. Plerumque tamen corripitur. Utrumque fecit eodem versu *Stat.* 7. *Theb.* 213. 4. ubī fletus, ubĭ tunc ars tanta precandi. Sic *Tibull. loc. cit.* — *c*) Ratione habita etymi, veteres ab ὅπου idem significante, recentiores vero ducunt a Skr. *ka*, qui, unde *kva* et *kvi*, quare etiam *cubi* (*cube*) pro *quo - bi*, sc. cum addita terminatione *bi*, quam locativam dicunt, a Skr. *bhjam*: est antiqua ablativi forma. (*V.* IBI.) Hinc *Plaut. loc.* supra *cit. Ritsch.* Est: non illa, cubi tua gignitur, sed etc. — Ubi est in quo loco, ὅπου, οὗ, ἔνθα (It. *dove, nel (in) qual luogo;* Fr. *où;* Hisp. *adonde, donde;* Germ. *wo;* Angl. *where, in what or which place*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — 1.°) Sine additis. — *a*) Extra interrogationem. — *α*) Cum verbis, ut ajunt, quietis. *Plaut. Aulul.* 3. 2. 25. ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses, Non fissile haberes caput. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Ibi futuros Helvetios, ubi Cæsar constituisset. *et in fin.* Ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi R. nomen caperet. *Cic.* 1. *Fam.* 10. Velim, ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. *Id.* 7. *Verr.* 12. 30. In ipso ore portus, ubi primum ex alto sinus ad urbem ab litore inflectitur. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Ne quid emineret, ubi ignis hostium adhæresceret. *Id.* 3. *B. G.* 9. In Venetiam, ubi Cæsarem primum bellum gesturum constabat. *Id.* 2. *B. C.* 9. Ut esset, ubi tegimenta præpendere possent. Adde *Liv.* 45. 23. *Phædr.* 3. 6. Ubi strigandum est et ubi currendum, scio. *Quintil.* 3. 6. 24. Ubi amici, ibi opes. — *β*) Cum verbis motus ad locum. *Tac.* 1. *Ann.* 22. Responde, Blæse, ubi cadaver abjeceris. Adde *Vulcat. Avid. Cass.* 9. et *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 32. et 8. *ibid.* 4. *Apul.* 9. *Met.* Ubi ducis asinum tuum? — *b*) Interrogando inservit: *dove?* ποῦ? *Plaut. Curc.* 1. 3. 5. Ubi tu es, qui etc.? *Ter. Andr.* 2. 2. 1. *et* 6. Ubi inveniam Pamphilum? ubi quæram? *Tibull.* 2. 3. 27. Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho? *Liv.* 7. 15. Ubi illi clamores sunt? — In oratione obliqua. *Cæs.* 2. *B. C.* 20. V. UBIQUE. — 2.°) Cum additis genetivis *loci, terrarum, gentium,* ornatus gratiâ. *Plaut. Capt.* 5. 2. 5. Ubi loci fortunæ tuæ sint, facile intelligis. *h. e.* quo statu. (Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 24. 24. (90). Ut inanis mens quærat: ubi sit loci.) *Id. Amph.* 1. 1. 180. Ubi terrarum sim. *Sall. Jug.* 54. Ubi gentium aut quid ageret explicatum misit. *Cic.* 5. *Att.* 10. *a med.* Quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem. *Plaut. Epid.* 5. 2. 13. Ubi illum quæram gentium? — 3.°) Item geminatur, vel divisim *ubi ubi,* vel conjuncte *ubiubi,* et est ubicumque, *dovunque. Ter. Eun.* 5. 9. 12. Ubi ubi est, fac, quamprimum hæc audiat. Sunt qui scrib. *ubiubi* conjuncte. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 70. Ubi ubi sit animus, certe quidem in te est. *Liv.* 42. 57. *extr.* Facile, ubiubi essent, se conversuros aciem. — Cum addito *gentium. Plaut. Asin.* 2. 2. 21. Perii, nisi Libanum invenio, ubi ubi est gentium. ¶ 2. Absolute, substantivorum more. — *a*) Apud Dialecticos, est prædicamentum Aristotelis locum designans. *Boeth.* 3. *in Categ. Arist. p.* 262. *Mign.* Dicendum de prædicatione quæ est ubi. — *b*) Item apud Rhetores adjunctum loci. *Augustin. Rhet.* 7. et 8.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe refertur ad tempus et valet quum, quando, postquam, si, *quando, come, dopochè, se.* — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 284. Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia. *Ter. Eun.* 3. 3. 11. Ubi friget, huc evasit. *Id. Andr.* 5. 2. 7. Ubi voles, arcesse. *Varro* 6. *L. L.* 75. *Müll.* Ubi lucet, magistratus unguentis unguntur. Ubi prætores venerunt, censores inter se sortiuntur. *Cæs.* 7. *B. G.* 3. Ubi ea dies venit, Carnutes concurrunt. *Id.* 1. *ibid.* 7. Ubi de ejus adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt. *Id.* 2. *B. C.* 16. Quod ubi hostes viderunt - eodemque exemplo sentiunt etc. *Id.* 4. *B. G.* 10. Rhenus ubi Oceano adpropinquet, in plures diffluit partes. *Id. ibid.* 26. Ubi conspexerunt, adoriebantur. Sic *Liv.* 3. 26. Quod ubi senserant hostes, crevit audacia. (Cf. tamen *Madvig Emend. Liv. p.* 44. not.) *Sall. Cat.* 2. Ubi pro labore desidia, pro continentia lubido invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. *Cic. Pis.* 27. *extr.* Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat. *Id. Rabir. Post.* 13. 36. Ubi semel qui pejeravit, ei credi postea non oportet. *Virg.* 4. *Æn.* 143. Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta Deserit ac Delum maternam invisit Apollo. *Nepos Epam.* 7. *a med.* Animadvertebat, ubi id fecisset, totum exercitum periturum. *se mai.* et *Liv.* 3. 61. Hæc ubi inter signa peditum dicta dedit, avolat deinde ad equites. *Ter. Adelph.* 4. 1. 10. Ubi me non videbit, *se.* Sic *Liv.* 8. 34. — *b*) Sequent. *primum, exinde. Cic.* 4. *Verr.* 20. 48. Ubi quis primum potuit, istum reliquit. *tosto che.* Cf. *Pis.* 27. 67. *Quintil.* 7. 1. 6. Ubi primum cœperat non convenire, quæstio oriebatur. *Plaut. Curc.* 2. 3. 84. Ostium ubi conspexi, exinde me ilico protinam dedi. — *c*) Cum conjunctivo etiam aliquid sæpius factum indicat. *Liv.* 8. 8. Ubi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati pugnam inibant. Adde 42. 65. *Tac.* 1. *Ann.* 44. Ubi avaritiam - objectavissent, solvebatur militia. ¶ 2. Sæpe etiam refert res aut personas pro relativo *qui, quæ, quod. Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 40. Capiunt navem illam, ubi vectus fui. *Ter. Heaut.* 4. 6. 8. Hujusmodi res semper comminiscere, ubi me excarnifices. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 243. Quum multa colligeres ex legibus et ex senatusconsultis, ubi si verba sequeremur, confici nihil posset. *Id.* 5. *Tusc.* 8. *a med.* Est, ubi id isto modo valeat. *Plaut. Truc.* 1. 2. 38. Si rem servassem, fuit, ubi negotiosus essem. *Cic. Quinct.* 9. *in fin.* Neque nobis adhuc præter te quisquam fuit, ubi nostrum jus contra illos obtineremus. *h. e.* apud quem. Sic *Ovid.* 9. *Met.* 276. Alcmene, quæstus ubi ponat aniles, Iolen habet. et *Tac. Agric.* 7. Legioni præposuit, ubi decessor etc. *h. e.* apud quam. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 2. Adde *Sall. Cat.* 20. et *Cic. Flacc.* 20. 46.

ŬBĬCUMQUE et ubicunque, adverb. (ubi et cumque pro quomque) Etiam *ubi cumque* per tmesin divisum apud *Plaut. Bacch.* 2. 3. 17. legit *Ritsch.* V. UBIQUAQUE. — Antepænultimam habet longam apud *Ovid.* 7. *Met.* 735. *V.* infra. — Ubicumque ¶ 1. Relative est quocumque, in omni loco, quo vel ubi, *in qualunque luogo in cui, dovunque.* — Definite seu relative. — 1.°) Fere cum indicativo. — *a*) Sine additis. *Plaut. Cas.* 2. 3. 10. Myropolas omnes sollicito: ubicumque est lepidum unguentum, ungor. Cf. *Asin.* 1. 1. 97. *Cic.* 3. *Att.* 25. Ut te ante calendas Januarias, ubicumque erimus, sistas. *Id.* 7. *Verr.* 67. 172. Omnes hoc loco cives Romani, et qui adsunt et ubicumque sunt, vestram severitatem desiderant. *Ovid.* 7. *Met.* 736. uni Servor, ubicumque est, uni mea gaudia servo. *Horat.* 3. *Od.* 27. 13. Sis licet felix, ubicumque mavis. Adde *Quintil.* 9. 3. 102. — *Dig. fr.* 1. § 2. *de aleat.* 11. 5. Susceptorem ubicumque non vindicat prætor etc. *sc.* in omni re vel causa. — Pro quotiescumque. *Apul. De dogm. Plat. p.* 281. *Oud.* Nihil enim concludi potest, ubicumque aut duæ particulares sunt etc. — *b*) Cum additis genet. *gentium, terrarum, locorum. Cic.* 1. *Nat. D.* 44. 121. Ubicumque erit gentium, a nobis diligetur. *Id.* 2. *Phil.* 44. 113. Qui ubicumque terrarum sunt, ibi est omne reipublicæ præsidium. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 34. at vos ubicumque locorum Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus. Adde *Capell.* 1. *p.* 58. — 2.°) Cum conjunctivo rarius adhibetur. *Ter. Hecyr.* 4. 3. 2. Istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere. Sic *Heaupt.* 3. 3. 17. Nostrum est intelligere, utcumque atque ubicumque opus sit obsequi. Adde *Vulg. interpr. Judic.* 17. 8. ¶ 2. Indefinite seu absolute, est in omni loco, ubique, *in ogni luogo, da per tutto,* πανταχῇ. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 5. Te, dea, munificam gentes ubicumque locuntur. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 62. Rem patris oblimare, malum est ubicumque. *Quintil.* 7. 4. 18. Apud principem et ubicumque habet locum deprecatio. Adde 10. 7. 28.

ŪBĬDĬUS, adverb. comparat. idem ac uberius. *Symmach. orat.* in *Gratian.* (edente iterum *A. Mai*) 6. Virentibus ramis artifex rusticandi alienum germen includit, ut novella præsegmina coagulo libri ubidius inolescant. Alii tamen malunt legere *avidius.*

ŪBĬDUS. *V.* UVIDUS.

ŬBĬLĬBET, adverb. quocumque loco, ubivis, *dovunque piace,* ὁπουπερ ἄν.

I.) Proprie. *Seneca Tranquill.* 1. *ante med.* Cibus parabilis facilisque, ubilibet non defuturus.

II.) Translate. *Augustin.* 3. *Confess.* 7. *n.* 14. Et cantabam carmina et non mihi licebat ponere pedem quemlibet ubilibet, sed in alio atque alio metro aliter atque aliter. Adde *Locut.* in *Hept.* 7. ad *Jud.* 1. 13.

ŬBĬNAM, adverb. in quonam loco, *in qual luogo, dove,* ποῦ κῆχος, ποῦ γῆς. — 1.°) Extra interrogationem seu in oratione obliqua. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. In qua non video, ubinam mens constans possit insistere. — 2.°) Sæpius interrogationi inservit. — *a*) Sine additis. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 41. O ubi ingenui crines mollisque decoræ Margo comæ? blandis ubinam

ora arguta querelis? — *b*) Cum genet. *gentium* eleganter conjungitur. *Plaut. Merc.* 2. 3. 97. Ubinam est hic homo gentium? *Cic.* 1. *Cat.* 4. 9. O dii immortales ubinam gentium sumus?

ŬBĪQUĀQUĔ, adverb. (ubi *et* quaque, *sc.* parte) idem quod ubicumque: sed lectionis parum certæ. *Liv.* 22. 4. *a med.* Signum omnibus dat invadendi: qui ubiquaque proximum fuit, decurrere. *Alii leg.* ubi qua quique. *Apul. De mundo.* Omnia, ubiquaque gererentur, atacustarum delatione discebat. *Alii leg.* omnia quæcumque ibi. *Goldbacher* ubi quæque. Sic apud *Virg.* 7. *Æn.* 401. alii *ubiquaque,* alii plerique *ubi quæque* leg. — Dividitur per tmesin, apud *Plaut. Bacch.* 2. 3. 17. Cor meum et cerebrum finditur, istius hominis ubi fit quæque mentio. *Fleckeisen* et *Ritschl* leg. *ubi fit quomque:* hoc autem *ubiquomque* est pro *ubicumque.* V. UBICUMQUE init.

ŬBĪQUĔ, adverb. in omni loco, ubicumque, ubilibet, πανταχοῦ (It. *da per tutto, in ogni luogo;* Fr. *partout;* Hisp. *par todo ó en todo lugar;* Germ. *überall,* Angl. *every where*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 1. Quicumque ubique sunt, qui fuere quique futuri sunt posthac Stulti etc. Adde *Merc.* 5. 1. 11. et *Rud.* 2. 3. 58. *Cæs.* 2. *B. C.* 20. *extr.* Et quod ubique habeat frumenti, ostendit. *Cic.* 6. *Verr.* 4. 7. Verres quod ubique erit pulcherrimum, auferet? *Id.* 2. *Divinat.* 44. *in fin.* Volunt, omnes eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem conditione nasci *Virg.* 2. *Æn.* 368. crudelis ubique Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 63. captet ubique Testamenta sonum. Adde *Catull.* 63. 46., *Ovid.* 1. *Met.* 214. et *Martial.* 7 72. *Quintil.* 10. 7. 26. Studendum est semper et ubique. — *Dig. fr.* 1. 24. 3. Semper et ubique præcipua est. *sc.* in omni causa. — *Omnes qui ubique sunt* formula est apud *Cic.* frequens, ut 2. *leg. Agr.* 21. *in fin.* Ceteri agri omnes qui ubique sunt, decemviris addicentur. *tutti, nessuno eccettuato.* Adde 1. *Tusc.* 15. 35., 2. *Divinat.* 44. *in fin.* etc. *Omnes* aliquando omittitur. *Id. Balb.* 22. 51. Utinam qui ubique sunt, propugnatores hujus imperii, possent etc. — *b*) Cum Genet. *Apul.* 1. *Met.* Nihil rerum istarum, quæ itineris ubique rite nos comitantur, indigemus. — *c*) Cum additis genet. *gentium, orbis,* ornatus gratiâ. *Id. Florid. n.* 16. Laudes benefacti tui ubique gentium, semper annorum repræsentet. *Tertull. Pall.* 2. *a med.* Ut inde velut ex surculis et propaginibus populi de populis, urbes de urbibus per ubique orbis pangerentur. — *d*) *Ubique versus* usurpat *Lactant.* 5. *Opif.* 11. ¶ 2. Speciatim pro ubicumque, qua est relativum seu conjunctum, *in ogni luogo dove, ovunque. Liv.* 45. 29. Litteras omnes, quæ ubique depositæ essent, et pecuniam regiam conferri. et *Jabolen. Dig.* 18. 1. 77. In lege fundi vendundi lapidicinæ in eo fundo, ubique essent, exceptæ erant. *Haloand.* habet *ubicumque.* — *NB.* Aliquando *ubique* et *ubicumque* junguntur, ut apud *Claud. Mamert.* 2. *St. anim.* 4. — Ne qua confusio oriatur ex eadem scriptione, animadvertendum est, *ubique* aliquando usurpari pro *et ubi,* ut *itaque* pro *et ita.* De loco. *Plaut. Rud.* 2. 3. 58. Leno ademit ei cistulam, quam habebat, ubique habebat, qui suos parentes noscere posset. Adde *Bacch.* 1. 1. 36., *Merc.* 5. 1. 11. et *Cæs.* 2. *B. C.* 20. *Liv.* 36. 2. Quisquis magistratus eos ludos, quando ubique faxit, hi ludi recte facti sunto. *Catull.* 63. 46. Simul vidit, sine queis ubique foret. — Item de tempore, h. e. et quando. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 84. ubique Accedent anni et tractari mollius ætas Imbecilla volet. *Bentlej.* mallet *ubive,* h. e. vel quando. — De usu utriusque particulæ ita compositæ, cf. *Dietsch* ad *Sall. Cat.* 21. et alibi, et *Lachm.* ad *Lucr. p.* 251. *init.*

ŬBĬQUOMQUĔ. *V.* UBICUMQUE.

ŬBĬŬBI. *V.* UBI.

ŬBĪVIS, adverb. quolibet in loco, *in qual si voglia luogo,* ὁποσονοῦν, πανταχοῦ, quasi *ubi tu vis. Ter. Andr.* 1. 2. 32. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 74. Non ubivis coramve quibuslibet; in medio qui etc. *Cic.* 6. *Fam.* 1. Nemo est, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit. *Id.* 14. *Att.* 22. *extr.* Qui mihi videntur ubivis tutius, quam in senatu fore. — Conjungitur cum genet. *gentium,* ut ubinam. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 4. Quanto fuerat præstabilius, ubivis gentium agere ætatem!

## UD

ŪDA, æ, f. 1. *V.* UDUS.

ŪDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq

ŪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (udus) Part. *Udatus* et *Udandus.* — Udo est udum reddo, madefacio, ὑγραίνω (It. *bagnare, umettare;* Fr. *humecter, mouiller;* Hisp. *humedecer, mojar;* Germ. *nass, feucht machen;* Angl. *to wet, moisten*): cui *sicco* opponitur. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. Quæ udanda sunt corporis, vino foventur; quæ siccanda sunt, melle detergentur. *Augustin.* 2. *Mor. Manich.* 13. *ad fin.* Si frusto pernæ labra unxerit et vappa udaverit. *Pelagon. Veterin. fragm. palimps.* in *Antolog. di Firenze n.* 93. *ann.* 1828. *Settemb.* Quum fervet, peniculum in fusta ligato et sic udas totum corpus. Adde *Veget.* 3. *Milit.* 7. *Dracont. Carm. min.* 6. 48. Morsibus alternis ut lambens lingua palatum Tergat et udentur suspensis dentibus ora. *Optat.* 3. *Schism. Donat.* 10. Udatus est paries sed non maduit.

ŪDO, ōnis, m. 3. genus calceamenti ex pilis hircinis: fortasse ab οὐδός, limen, pavimentum: cf. *solea* a *solo. Martial.* 14. 140., cujus lemma *Udones Cilicii.* Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti: Cinyphio poterit planta latere sinu. Adde *Ulp. Dig.* 34. 2. 25. § 94., ubi *Torrentin.* habet *odones.* Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 311. *retro. V.* BRACARIUS. *Auct. De gen. idiom. p.* 579. 50. *Keil.* Hic udo, udonis, τὸ ἐμπίλιον, τὸ οὐδωνάριον.

ŪDONAULĬON, ii, n. 2. genus herbæ, quæ communius pastinaca dicitur. *Apul. Herb.* 81. *de pastinaca.* Ubi *Ackerm.* leg. *daucion.*

ŪDOR, ōris, m. 3. (udus) humor, mador, *umore, umidità. Varro* 5. *L. L.* 24. *Müll.* Hinc udus uvidus; hinc udor, quivis deorsum in terram imber. At *Müllerus* leg *sudor, quod fluit deorsum in terram.*

ŪDUS, a, um, adject. Ad scriptionem et etymon quod attinet, hæc habet *Apul. De not. aspir.* 41. Ante *d* aspiratum in *hudus,* quoniam ab Græco *hyo,* quod est pluo, vel, ut quibusdam videtur, quoniam per syncopem ab eo, quod est *humidus.* Alii vero ab *uvidus* per contractionem factum putant. Ceterum conjungi potest cum Græco ὗδος et ὕδωρ, aqua. *V.* UVIDUS. — Udus est plusquam humidus, madefactus, ὑγρός (It. *umido, bagnato, molle;* Fr. *humide, mouillé;* Hisp. *humedo, mojado;* Germ. *nass, feucht;* Angl. *moist, wet*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 25. Dicis, inquit, nubes attritas edere ignem, quum sint humidæ, imo udæ. *Horat.* 1. *Od.* 32. 7. Udum littus. *Id. Epod.* 10. 19. Notus. *Id.* 1. *Od.* 7. 22. Lyæo tempora. *Id.* 1. *Sat.* 5. 81. rami. *verdi.* et *Ovid.* 2. *Fast.* 597. adnuerunt omnes Tiberinides udæ. *Id.* 6. *ibid.* 401. Udæ paludes. *Id.* 3. *Trist.* 10. 23. Uda vina. (*humida* dixit *Virg.* 3. *G.* 364. Loquitur autem uterque de vino glacie concreto. *V.* HUMIDUS) *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 89. (140). Udum linteolum. *Seneca Herc. Œt.* 373. Udum stamen intorquere. *h. e.* saliva tinctum, dum netur. *Virg.* 3. *G.* 388. Udum palatum. et *ibid.* 446. udisque aries in gurgite villis Mersatur. *et* 429. Vere madent udo terræ. *Pallad. De insit.* 44. Uda gemma (*arboris*). *Ovid. Heroid.* 12. 55. oculi. *lacrimosi.* Sic 1. *Amor.* 8. 84. genæ. et *Propert.* 2. 6. 10. lumina. *Horat.* 1. *Od.* 7. 13. mobilibus pomaria rivis. *h. e.* irrigua. *Martial.* 5. 84. Udus aleator. *h. e.* vino madens. *Id.* 8. 44. Et mane sudas Urbis osculis udus. *Id.* 10. 78. Udum gaudium. *h. e.* fletu mixtum. *Rutil.* 1. *Itiner.* 633. Hyades udæ. *piovose.* — Turpi sensu *Martial.* 11. 17. Uda puella leges, sis Patavina licet. et *Juvenal.* 10. 322. quid enim ulla negaverit udis inguinibus? *V.* SICCUS. — *b*) Hypallage est in illo *Virg.* 7. *Æn.* 534. Udæ vocis iter. *h. e.* iter udum vocis. — *c*) *Udos ignes* vocat *Apul.* 11. *Met.* lucem Lunæ, quæ humorem noctu fulgens demittit.

II.) Translate. ¶ 1. Est mollis, tener, flexilis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 8. argilla quidvis imitaberis uda. *Id.* 2. *Od.* 7. 23. udo Deproperare apio coronas. Cfr Græc. ὑγρός. ¶ 2. *Terentian. De syllab. p.* 2402. *Putsch.* et alibi *udas* vocat litteras, quas vulgo grammatici liquidas appellant. *V.* LIQUIDUS. — Hinc absolute, substantivorum more

*Uda, æ,* f. 1. aqua. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 29. (60). Si terram surculo heliotropii circumscribat aliquis, negant scorpionem egredi: imposita vero herba aut uda omnino respersum, protinus mori.

*Udum, i,* n. 2. res uda. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 31. (49). Udo colores illinere. *dipingere a fresco,* ζωγραφεῖν ἐφ' ὑγροῖς. Cf. *Vitruv,* 7. 3. Colores inducere udo tectorio. Huic dictioni opponitur *colores inducere in arido,* quod nos Itali *tempera al secco* dicimus. — *In udo esse* (subaudi *linguæ*) proverbium de iis, quæ in palato manent nec deglutiuntur. *Pers.* 1. 104. Hoc natat in labris: et in udo est Mænas et Attys. V. *Schol.* ad *h. l.*

## UG

ŪGE, interjectio variis inserviens affectibus, idem quod euge, cujus *e* prior extrita. *Anecd.* ex *Cod. Bern.* XLV. ed. *Hag.* Aphæresis est ablatio de principio dictionis contraria prosthesi sicut uge pro euge etc.

## UI

UI diphthongus, sed Græca potius quam Latina est, in Græcis sumenda dictionibus, ut ait *Diomed.* 2. *p.* 427. 16. *Keil.* Cf. *Müller De re metr. p.* 269. et seq., ubi de quantitate disserit pronominis *cui,* prout est monosyllabum longum aut disyllabum pyrrhichium vel choreum.

## UL

ŪLUS. *V.* ULLUS.

ULCĔRĀRĬA (hulceraria), æ, f. 1. (ulcus) herba eadem quæ marrubium apud *Apul. Herb.* 45. Fortasse ita est appellata, quia, ut ait *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 89. (244)., ejus succus illitis etiam vulneribus a cane factis medetur.

ULCĔRĀTĬO (hulceratio), ōnis, f. 3. (ulcero). actus ulcerandi, *l'impiagare:* et metonymice ipsum ulcus, *piaga. Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 27. (115). Oris gingivarumque ulcerationem emendare. Recentiores tamen leg. *exulcerationes.* Adde *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. 147. et 4. *ibid.* 3. 27. et *Theod. Priscian.* 1. 15. et 16. 5. *Cœl. Aurel. ibid.* 1. *extr.* Ulceratio cutis. — In plur. num. *Seneca Const. Sap.* 6. Dolores, damna, ulcerationes, vulnera.

ULCĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

ULCĔRO (hulcero), as, āvi, ātum, are, a. 1. (ulcus) Part. *Ulceratus.* — Ulcero est ulcerosum facio, ulceribus afficio, ἑλκόω (It. *impiagare;* Fr. *ulcérer, faire une plaie;* Hisp. *ulcerar;*

Germ. *schwärend machen;* Angl. *to gall, exulcerate*).

I.) Proprie. *Cic. Fat.* 16. 36. Nondum ulcerato serpentis morsu Philocteta. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 106. nunc mihi curto Ire licet mulo etc. Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *extr.* Ulceratæ partes. *et* 4. *ibid.* 3. 25. intestina.

II.) Figurate. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 72. Non ancilla tuum jecur ulceret ulla puerve. *h. e.* amore sauciet. *V.* voc. seq.

ULCĔRŌSUS (hulcerosus), a, um, adject. (ulcus) ulceribus plenus, ἑλκώδης (It. *pieno di piaghe, ulceroso;* Fr. *couvert d'ulcères, ulcéreux;* Hisp. *ulceroso;* Germ. *voll Geschwüre, schwärend;* Angl. *full of ulcers*).

I.) Proprie. *Tac.* 4. *Ann.* 57. Ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta. Adde *Marcell. Empir. c.* 19. *p.* 113. *Prudent.* 9. *Cathem.* 31. Ulcerosa membra. *Augustin. Serm.* 102. *n.* 4. Constituite illum jacentem in terra ulcerosum. Adde *eumd.* in *Ps.* 33. *serm.* 2. § 25. et in *Ps.* 36. *serm.* 2. § 7.

II.) Translate. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (106). Ante omnia gemmantes nitere conveniet, nihil usquam ulcerosum esse aut retorridum. — Metaphorice. *Horat.* 1. *Od.* 25. 13. Quum tibi flagrans amor et libido, Quæ solet matres furiare equorum, Sæviet circa jecur ulcerosum Non sine questu. *h. e.* libidine, turpi prurigine, tamquam ulcere ardens. *V.* ULCUS.

ULCISCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

ULCISCO, is, ere, a. 3. *et*

ULCISCOR, ulciscĕris, ultus sum, ulcisci, dep. 3. *Ullo* seu *ulso* pro *ultus fuero,* perdidero, futurum antiquum subjunctivi ab *ulcisco*. *Acc.* apud *Non. p.* 185. 20. *Merc.* Qui nisi genitorem ullo, nullum meis dat finem miseriis. Fortasse *ullo* est præsens, inquit *Döderlein. loc.* infra *cit.* Alii leg. *ulto,* quod majorem sane habet analogiam ad particip. *ultus* (*fuero*); alii vero *ulso*. *Both.* conjicit legend. *genitore ulto* pro *genitore ullo*. — Ratione habita etymi, recentiores conferunt cum rad. Skr. *vark* (*valk*), evello, arceo, unde et ἄλκω, arceo. Cf. *Döderl. op. cit. v.* 6. *p.* 382. et *Fick Die chem. Sprach.* 94. 300. — Part. *Ulciscens* sub *B* I. 3.° et 5.°; *Ultus* fere in omn. paragr.; *Ulciscendus* sub *B* I. 2.° et 3.° — Ulciscor est punio aliquem ob illatam injuriam, pœnas repeto, injuriam persequor, τίω, τιμωρέω (It. *castigare, punire, vendicarsi per ingiuria ricevuta;* Fr. *punir en se vengeant, venger, punir;* Hisp. *punir, vengar, vengarse;* Germ. *Rache nehmen, sich rächen, etwas rächen, bestrafen;* Angl. *to punish, be revenged or take revenge on, revenge*).

*A*) *Ulcisco,* forma activa. *Enn.* apud *Non. p.* 292. 17. *Merc.* Nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem. — Hinc passive. *Sall. Jug.* 34. Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit. *Ovid. Heroid.* 8. 120. Ulta ossa patris. *Liv.* 2. 17. *extr.* Ob iras graviter ultas. *Id.* 5. 49. Quæ defendi repetique et ulcisci fas est. *Val. Flacc.* 4. 753. lege quod occidit ultus ipse sua.

*B*) *Ulciscor,* deponentium forma.

I.) Proprie construitur cum Accusativo personæ, quæ ob illatam injuriam punitur, vel rei, ob quam quis punitur: aut personæ, quæ injuriam accepit. — 1.°) Cum Acc. personæ, quæ injuriam intulit, et est punire, vindictam sumere. — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 4. 5. 9. Ego pol ulciscar hodie Thessalum veneficum, Qui perverse perturbavit familiæ mentem meæ. *Id. Cas.* 2. 1. 10. Ego illum fame, ego illum siti, maledictis, malefactis, amatorem Ulciscar. *Id. Trin.* 3. 1. 18. Ulcisci inimicos. *Ter. Andr.* 2. 5. 18. adversarios. *Sall. Jug.* 46. *sub fin.* Dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt. *Cic.* 1. *ad Brut.* 3. *a med.* Eos cives, qui contra patriam arma ceperunt, omnibus sententiis ulciscor et persequor. *Id. Mil.* 33. 88. Aliter perire pestis illa non potuit: numquam illum respublica suo jure esset ulta. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 6. 22. Quos intelligis, non, ut per te alium, sed ut per aliquem te ipsum ulciscantur, laborare. Ubi *Ascon.* Ulciscor et *punio* significat et *vindico;* nunc ergo *puniant* intelligemus. *Id.* 9. *Att.* 12. Odi hominem et odero: utinam ulcisci possem! sed ulciscentur illum mores sui. *Id.* 2. *Cat.* 8. 17. Quos ego, si ullo modo fieri posset, non tam ulcisci studeo, quam sanare. *Horat. Epod.* 5. 63. superbam fugit ulta pellicem. — *b*) Cum addito Abl. rei vel personæ, ob quam quis punitur. *Ter. Eun.* 5. 4. *in fin.* Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar, ut ne impune nos illuseris. *Propert.* 1. 15. 15. Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Consuevisse deos, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res concedere. — 2.°) Cum Acc. rei, ob quam quis punitur, ut *ulcisci injuriam, scelus* etc., vindicare, persequi, puniendo eos, qui admiserunt: vel velle ac jure posse punire. *Ter. Phorm.* 1. 4. 12. Absque eo esset, recte ego mihi vidissem et senis essem ultus iracundiam. *Sall. Cat.* 34. *extr.* Ulti sanguinem nostrum. *Cic.* 12. *Fam.* 23. Neque enim hæc a te non ulciscenda sunt, etiamsi non sunt dolenda. *Id.* 3. *Verr.* 28. *ad fin.* Non oportet esse cuiquam, ne in ulciscenda quidem injuria, hominis occidendi potestatem. *Id.* 4. *ibid.* 3. *sub fin.* Statuerunt istius injurias per vos ulcisci et persequi. *et* 3. *ibid.* 27. Si istius nefarium scelus ulti vi manuque essent. *Id. Rabir. perduell.* 5. 14. Similis viri tu ulcisceris patrui mortem, atque ille persequeretur fratris sui. *Ovid.* 7. *Met.* 458. Androgeique necem justis ulciscitur armis. *Id.* 2. *Trist.* 134. Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 841. *Horat.* 4. *Od.* 12. 7. quod male barbaras Regum est ulta libidines. *Phædr.* 5. 3. punctum volucris parvulæ Voluisti morte ulcisci. *Tac.* 3. *Ann.* 66. Scipio et Cato talia ulciscebantur. *h. e.* parati erant ulcisci. Cf. 2. *ibid.* 85. *Justin.* 2. 15. *a med.* Spartani, ut illatum a Persis Græciæ bellum ulciscerentur, ultro fines eorum depopulantur. — *Ultum ire,* procedere ad ulciscendum. *Sall. Jug.* 71. Cum maxima cura injurias ultum ire festinat. *Quintil.* 11. 1. 42. Ultum ire scelera et injurias. *Tac.* 4. *Ann.* 73. *ad fin.* Recipiunt cohortes alasque fessas vulneribus: neque dux Romanus ultum iit. — 3.°) Cum Acc. personæ, quæ injuriam accepit, ut *ulcisci se, patrem* etc. et est punire aliquem ob injuriam sibi, patri etc. illatam. *Cic. Rosc. Am.* 24. 66. Qui patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpserunt. *Id.* 1. *Orat.* 8. 32. Tenere arma, quibus possis te ulcisci lacessitus. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 20. Se nimis ulciscens, exstitit ipse nocens. *Id.* 3. *Fast.* 709. hæc pietas Cæsaris, ulcisci justa per arma patrem. *Id.* 12. *Met.* 603. Vertere in Æaciden cæsosque ulciscere fratres. *Id.* 5. *Fast.* 574. ulcisci numen utrumque paro. *Virg.* 2. *Æn.* 575. subit ira cadentem Ulcisci patriam et sceleratas sumere pœnas. *Id. ibid.* 841. Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ. Adde 4. *ibid.* 656. *Curt.* 5. 7. 4. Ulciscimur Græciam. — 4.°) Cum Acc. personæ et rei simul. *Plaut. Men.* 3. 2. 27. nisi hanc injuriam Meque ultus pulcre fuero. — 5°) Absolute, subaudito *me, se, te:* et etiam cum addito Acc. et præp. *in* vel Abl. et præp. *de*. *Cato Orig.* 4. Si quis membrum rupit *etc.* proximus cognatus ulciscitur. Adde *Cic. ad Quirit. post redit.* 9. 23. — *Vulg. interpr. Ps.* 98. 8. Ulciscens in omnes adinventiones eorum. *Id.* 1. *Reg.* 14. 24. Donec ulciscar de inimicis meis.

II.) Translate. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (146). A ferro sanguis humanus se ulciscitur. Contactum namque eo celerius subinde rubiginem trahit. *si vendica del ferro.*

Homonym. Differre *vindico* ab *ulciscor* ita docet *Isid.* 1. *Diff.* 580. « *Ulciscimur* injuriam factam, *vindicamus,* ne fiat ». Sic *Popma De diff. p.* 428. *Vindicta* factum futurum prohibet atque propulsat; *ultio* persequitur injuriam factam: et *vindicta* etiam legitima est et pertinet ad animadversionem magistratus in reos. *Cato Orig.* 4. Si quis membrum rupit aut os fregit, talione vindicta proximus cognatus ulciscitur. Cf. *Döderlein. op. cit. v.* 5. *p.* 247.

ULCUS (hulcus), ĕris, n. 3. Ad scriptionem et etymon quod attinet, *hulcus* cum aspiratione multis scribi placet; sed multis item placet Latino more scribi. Prioribus tamen favet origo vocis, quæ videtur esse a Græco ἕλκος (Cf. etiam ULCISCOR init.) aspirationem præferenti. *Harduin.* in *Plinio* semper *h* retinuit: aliorum auctorum MSS. pro utraque scriptione sunt. — Ulcus est solutio ex pure collecto in corpore animalis cum tumore cutis aut ruptione, ἕλκος (It. *piaga, ulcera;* Fr. *ulcère, plaie;* Hisp. *ulcera, llaga honda;* Germ. *das Geschwür;* Angl. *a sore, ulcer*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 24. Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. Adde *Virg.* 3. *G.* 453. et *Pers.* 3. 113. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 124. Ulcera tardantia et sordida. *et ibid.* 125. limpida. *Plin. Val.* 4. 5. cancerata. *Apul. Herb.* 8. Chironia. — Hinc proverb. *ulcus tangere,* rei, quæ dolorem facit, mentionem facere et vulnus refricare, *toccare un tasto che spiace. Ter. Phorm.* 4. 4. 10. Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere aut nominare uxorem? Cf. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 63. *Cic.* alio sensu 1. *Nat. D.* 37. *ad fin.* V. infra. — *b*) Lato sensu dicitur de quocumque abscessu, sive lateat sub cute sive apertum sit. *Lucret.* 6. 1164. Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere Corpus. *Cels.* 5. 9. Crustas ulceribus inducere. *et ibid.* 14. Carnem alere et ulcus implere. *et ibid.* 26. *n.* 31. Interdum vetustas ulcus occupat induciturque ei callus et circum oræ crassæ livent. (Sæpe toto illo cap. *ulcus* et *vulnus* promiscue usurpat.) *et ibid.* 28. *n.* 6. Fiunt ex frigore ulcera, maxime in pueris et præcipue in pedibus. *Plin.* 6. *Ep.* 24. Ulceribus putrescere ex diutino morbo. *Plin. alter* 23. *Hist. nat.* 6. 60. (112). Ulcera quæcumque in parte manantia. *et ibid.* 9. 81. (159). Ulcera difficilia sanare. *et ibid.* (163). tetra purgare. *Id.* 22. *ibid.* 23. 49. (103). Ulceribus non maturescentibus laser prodest. *Id.* 10. *ibid.* 74. 95. (204). Avis ulcera asini rostro excavat. *Curt.* 6. 11. 17. Corpus intumescens ulceribus flagellorum ictus ferre non poterat. *h. e.* vulneribus. *Apul.* 7. *Met.* Ulceris latissimi foramen.

II.) Translate. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (125). Marmora in lapidicinis crescere, auctor est Papirius Fabianus: exemptores quoque affirmant, compleri sponte illa montium ulcera. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (227). *de arboribus.* Difficilius tolerant frigora aut æstus, quoniam in ulcus penetrat omnis a foris injuria. *Grat. Cyneg.* 145. His, si quis vitium non sufficit humor, Ulceribus fluet. *h. e.* ex incisuris ferro factis. — *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. *ad fin.* Horum quidquid attigeris, ulcus est. ita male instituta ratio exitum reperire non potest. *h. e.* absonum, absurdum, a veritate alienum et quasi mendacio laborans. *Id. Dom.* 5. 12. Quid, si utrumque fuit, ut et fames stimularet homines, et tu in hoc ulcere tamquam unguis exsisteres? *h. e.* in hoc malo esses id, quod est molestius et gravius: esses huic rei caput, ut ait *Lucret.* 4. 1061. *de amore.* Ulcus enim vivescit et inveterascit alendo. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 63. rescindere vulnera noli Deque gravi duras ulcere tolle manus. *Martial.* 11. 60. Pulcrior est Chione, sed Phlogis ulcus habet. *h. e.* latentem pruriginem, urticam, obscenum Veneris sensum. *pizzicore, prurito.* V. ULCERO.

Homonym. Differt *ulcus* a *vulnere,* quod illud sponte nascitur, hoc ictu infligitur. *Non. p.* 434. 33. *Merc.* *ulcus* ait esse tectam et clausam malignitatem, *vulnus* patentem. Qua ratione *Pers.* 3. 113. tenero latet ulcus in ore Putre. *Virg.* 3. *G.* 543. ferro rescindere summum Ulceris os. alitur vitium vivitque tegendo, Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor Abnegat. *vulnera* hic dicit ipsa ulcera. Ita *Forcellinus.* — Aliter *Isid.* 1. *Diff.* 577. *Vulnus* corporis recens plaga: *ulcus* vero inveteratum vulnus. — Ceterum *ulcus* pro *vulnere* usurpatur; quamquam hæc duo a librariis sæpissime confunduntur.

ULCUSCŬLUM (hulcusculum), i, n. 2. *demi-*

nut. *ao* ulcus, ulcus exiguum, *piaguccia, ulceretta*, ἑλκύδιον. *Cels.* 5. 28. *n.* 15. Ex pustulis nonnumquam ulcuscula fiunt. *Seneca Ep.* 72. *circa med.* In corpore interdum robusto solidoque eruptiones quædam pustularum et ulcuscula. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 78. (259). Ulcuscula oris sanare.

ULEX, Ĭcis, m. 3. frutex rosmarino similis, sed asperior, qui retinendi auri gratia sterni solet in fossis canalibusque ad id fieri solitis, ut ait *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (77)., qui *ibid.* subdit: Ulex siccatus uritur, et cinis ejus lavatur substrato cæspite herboso, ut sidat aurum. Vicena milia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam atque Gallæciam et Lusitaniam præstare, quidam tradiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot sæculis hæc fertilitas. Hæc *Plinius.* Adde *ibid.* 40. (121).

ULĬĀNUS, a, um, adject. fortasse ab *Ulia*, quæ est urbs in Hispania Bætica, de qua *V.* O-NOM. Hinc *uliana mala* apud *Theod. Priscian. De diæt.* 14.

ŪLĪGĬNŌSUS, a, um, adject. (uligo) uligine plenus, humidus, ἰκμαδώδης (It. *acquoso, uliginoso, umido;* Fr. *plein d' humidité, humide;* Hisp. *lleno de humedad, humedo;* Germ. *voll Feuchtigkeit, feucht;* Angl. *oozy, moist*). *Varro* 1. *R. R.* 6. *extr.* Campester locus, qui est ad libellam æquus, quum aquæ non habeat delapsum, fieri solet uliginosus. *Id.* 2. *ibid.* 3. Lapide aut testa substerni oportet caprile, quo minus sit uliginosum ac lutulentum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (33). Uliginosa terra. *Colum.* 2. *R. R.* 4. Uliginosos campos proscindere. *Arnob.* 1. *p.* 30. Uliginosa et turgentia viscera. *h. e.* aqua intercute laborantia. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 46. (166). et 36. *ibid.* 23. 55. (176).

Homonym. Differt *uliginosus* ab *humido*. *Serv.* ad *Virg.* 2. *G.* 184. scribit, agrum *uliginosum* dici eum, qui semper humidus est; *humidum* autem, qui siccari aliquando possit.

ŪLĪGO, Ĭnis, f. 3. Videtur usurpatum esse *uligo* pro *udiligo* ab *udus*, vel potius pro *uviligo* ab *uveo*, ut *fuligo* pro *fumiligo*. — Uligo ¶ 1. Est terræ humor naturalis, ex ea numquam recedens, ut ait *Serv.* ad *Virg.* 2. *G.* 184., ἰκμάς (It. *uligine, umore, umidore;* Fr. *humidité du sol;* Hisp. *humedad de un terreno;* Germ. *die Feuchtigkeit d. Bodens;* Angl. *the natural moisture of the earth*). *Varro* 2. *R. R.* 2. *ante med.* Solum (*stabuli*) oportet esse eruderatum et proclivum, ut everri facile possit ac fieri purum. Non enim solum ea uligo lanam corrumpit ovium, sed etiam ungulas ac scabras fieri cogit. *Virg. loc. cit.* At quæ pinguis humus dulcique uligine læta. *Sil. It.* 8. 381. Et quos pestifera Pomptini uligine campi etc. *Colum.* 1. *R. R.* 6. In nostris regionibus, quæ uligine redundant, magis illam positionem pensilis horrei probamus. ¶ 2. Alio sensu pro *urigo*. V. URIGO.

ULLAGĔRIS, e, adject. vulgo pro *ollaris* vel *orcularis*, ut videtur. *Gromat. vet. p.* 306. 21. *Lachm.* Terminus coctus testatius ullageris dicitur.

ULLĀTĔNUS, adverb. (ullus et tenus) ullo aliquo modo, *in alcuna maniera*, ut *nullatenus*, nullo modo. *Anecd. Bern. p.* 295. *Hag.* Nullatenus, ullatenus, aliquatenus correptam penultimam habent et sub uno accentu pronunciantur. Adde *Claud. Mamert.* 1. *St. anim.* 21. et *Cassiod. Complex.* v.

ULLO. *V.* ULCISCO.

ULLUS, a, um, adject. — *a*) Scribitur *ula* per simplex *l*, pro *ulla* cum duplici, in *Inscr.* apud *Fiorelli Notiz. degli Scavi di antich. a.* 1876. *p.* 142. et apud *Fabretti* in *Gloss. Ital. p.* 1984. — *b*) Genet. *ulli* pro *ullius* habet *Plaut. Truc.* 2. 2. 38. Quasi vero corpori reliqueris Tuo potestatem coloris ulli capiendi. Cf. *Priscian.* 13. *p.* 7. *Keil.* Adde *Auct. Ætn.* 207., ubi alii aliter leg. et *Commodian. Apol.* 908. — Sic dativ. masc. *ullo* pro *ulli* in *Inscr. Neap.* 207.; itemque fem. *ullæ* pro *ulli* apud *Lucret.* 1. 687. neque sunt igni simulata neque ullæ Præterea rei, quæ etc. Adde *Tibull.* 4. 6. 9. — *c*) Ad quantitatem quod attinet, *ullius* in genetivo penultimam apud Poetas habet communem. *Virg.* 11. *Æn.* 354. nec te ullĭus violentia vincat. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 37. Arcanum neque tu scrutaberis ullĭus umquam. Adde *Catull.* 4. 3. et *Ovid.* 2. *Trist.* 6. 34. — *d*) Denique vox est deminut. et contract. ab *unulus*, quod est ab *unus*, ut docet *Boeth.* V. *loc.* in NULLUS init. — Ceterum ullus est aliquis, τίς (It. *alcuno;* Fr. *quelqu' un;* Hisp. *algun;* Germ. *irgend einer, irgend jemand;* Angl. *any, any one*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) Sæpius præcedente aut sequente negatione. — *a*) Cum partic. *non, nec, neque, sine.* *Plaut. Merc.* 3. 4. 41. sciunt, culpam meam istanc non esse ullam. *Virg.* 6. *Æn.* 147. non viribus ullis. *h. e.* nullis. *et ibid.* 103. non ulla laborum facies. *Plaut. Curc.* 4. 2. 12. Nec vobis auctor ullus est nec vosmet estis ulli. *Apul.* 2. *Met.* Hæc enim, nec ullus alius, miserum adulescentem exstinxit veneno. *Plaut. Capt.* 3. 4. 58. Neque præter te in Aside ullus servus. Adde *Catull.* 4. 22. *Cic.* 6. *Verr.* 3. *in fin.* Nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum pervetus ligneum. *et Liv.* 21. 57. Neque ulla prætermissa clades est. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Sine ullo maleficio iter per provinciam facere. *Id.* 5. *ibid.* 45. Sine ulla suspicione. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 18. *sub fin.* Non potes eum sine ulla vituperatione accusare. *Id.* 7. *Verr.* 3. 6. Sine ulla facultate navium. *Id.* 3. *Tusc.* 3. 5. Sine ulla dubitatione. *Id.* 3. *Off.* 4. 19. Sine ullo errore dijudicare. *Id.* 3. *Cat.* 2. 5. Sine ulla mora. *Nepos Hannib.* 5. Sine ullo detrimento. — *b*) Cum pron. negativo *nemo*. *Cic.* 4. *Verr.* 24. 60. Debebat ullum nummum nemini. *Id.* 2. *Phil.* 38. 97. Omnino ullius rei nemo fuit emptor, cui defuerit hic venditor. *Id. Flacc.* 20. 47. Neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. — *c*) Cum verbo negandi vim habenti, sed post negationem. (Cf. *Madvig* ad *Liv.* 4. 21. *n.* 6.) *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Rotundum (*mundum*) esse velint, quod ea forma neget ullam esse pulcriorem Plato. *Orelli* leg. *ullam neget;* sed perperam, ut *Madvigio* videtur. *Id.* 1. *Rep.* 17. 27. Lex, quæ vetat ullam rem esse cujusquam. *Id.* 1. *Orat.* 59. 250. Non possum negare prodesse ullam scientiam. Cf. *Quintil. Declam.* 5. 13. Objicit mihi, quod ullum de liberis potuerim facere discrimen. — 2.°) Extra negationem. — *a*) Universim. *Plaut. Aulul.* 3. 2. 8. Ita fustibus sum mollior miser magis, quam ullus cinædus. Adde *Rud.* 3. 4. 49. *Virg.* 3. *G.* 428. *de angue Calabro.* Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus et dum Vere madent udo terræ ac pluvialibus Austris, Stagna colit ripisque habitat etc. *Liv.* 21. 59. Pugna raro magis ulla sæva. *Quintil.* 8. 2. 17. Ultra quam ullus spiritus durare possit. *Juvenal.* 13. 209. Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum etc. — *b*) In conditionibus exponendis. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 20. Hunc si ullus deus amaret. *Id. Capt.* 1. 2. 28. Si ullo pacto ille huc conciliari potest. *et Mil. glor.* 4. 5. 8. Si ullo modo etc. Sic *Ter. Hecyr.* 4. 4. 102. Si ullo modo est, ut possit. Adde *Sall. Jug.* 24. *Cic. Mil.* 4. 9. Si tempus est ullum. *Id.* 13. *Fam.* 40. Si ulla mea apud te commendatio valet. — *c*) In dubiis. *Nepos Timol.* 1. Huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut etc. *Quintil.* 9. 4. 1. Cui nescio, an ulla pars operis hujus sit elaborata. Adde *Cic.* 2. *Fam.* 16. — *d*) In interrogationibus. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 12. An deus est ullus suavis Suaviatio? *Cic.* 3. *Off.* 20. 82. Est ergo ulla res tanti aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni nomen amittas? ¶ 2. Speciatim ponitur interdum pro alteruter. *Id.* 7. *Verr.* 3. *sub fin.* Durum hoc fortasse videatur; neque ego ullam in partem disputo. ¶ 3. Item pro qualicumque vel quocumque. *Ovid.* 13. *Met.* 460. Scilicet aut ulli servire Polyxena vellem? Aut per tale sacrum numen placabitur ullum? *Apul.* 5. *Met.* Quoniam nos originis nexus pro tua incolumitate periculum quidem ullum ante oculos habere compellit etc. ¶ 4. Pro uno videtur usurpari in illo *Cic.* 3. *Fin.* 22. 74. Ut, si ullam litteram moveris, labent omnia. Cf. *Madvig* in h. l. (*M. T. Cic. De Fin. p.* 473.). — Hinc absolute, substantivorum more

*Ulla, ullius,* f. aliqua aut quævis mulier. *Ovid. Heroid.* 10. 79. Nunc ego non tantum, quæ sum passura, recordor, Sed quæcumque potest ulla relicta pati. *Propert.* 2. 18. 11. non altera nostro Limine formosos intulit ulla pedes. *nessun' altra.*

*Ullum, ullius,* n. aliquid. *Liv.* 2. 59. Nemo ullius nisi fugæ memor. Cf. *Haupt. Opusc.* 3. 464.

*Ullus, ullius,* m. aliquis aut quivis homo. *Plaut. Rud.* 2. 3. 10. Neque pol est neque ullus quidem huc venit. *Id. Asin.* 4. 5. 55. Nec ulli verbo male dicat. *Id. Rud.* 5. 2. 49. Numquam ulli supplicabo. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Negat, se more et exemplo populi R. posse iter ulli per provinciam dare. *Liv.* 5. 40. Nec prohibente ullo. *Id.* 34. 35. Ne quam societatem cum ullo Cretensium aut quoquam alio institueret. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. 94. Reor non ullis, si vita longior daretur, posset esse jucundior. Adde 3. *Tac. Dial. de orat.* 12. *Ovid.* 12. *Met.* 181 a quo sit victus, si victus ab ullo est.

Homonym. *Ullus* et *aliquis* usu differunt; non enim eo utimur affirmative vel ita ut dicamus *Sunt ulli, qui studia amplectantur,* sicut *Sunt aliqui;* sed, ut exposuimus, vel negative, ut *Non est ullus, qui publica commoda privatis rationibus præferat:* vel interrogative, ut *Estne ullus, qui legum metu solutus ab injuria temperet?* vel infinite, ut *Nescio, an ullus sit, qui non majorem opibus, quam virtuti honorem deferat;* vel subjunctive seu conditionaliter, ut *Si ullus me vocabit, statim veniam.* *V.* NULLUS.

ULMĀNUS, a, um, adject. (ulmus) qui ulmis consitus est. Ita appellatus est pagus septem ab Urbe millib., qui fortasse prope ulmorum nemus esset positus, quemadmodum et transulmanus vocatus est alter, quia trans idem nemus fuerat. *Inscript.*, reperta abhinc paucis annis septem ab Urbe millib., apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 111. CLIVOM MEDIVM FREGI ET DEPRESSI IMPENSA MEA REGIONI FICVLENSI PAGO VLMANO ET TRANSVLMANO PELECIANO VSQVE AD MARTIS ET VLTRA.

ULMĀRĬUM, ĭi, n. 2. (ulmus) ulmorum seminarium, locus ulmis consitus, ulmetum, πτελεών. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 15. (76). Deferendæ ex arearum venis post annum in ulmaria, intervallo pedali in quamque partem.

ULMĒTUM, i, n. 2. (ulmus) idem atque ulmarium, *olmeto*. *Gloss. Philox.* Πτελεών, ὁ τόπος, ulmetum.

ULMĔUS, a, um, adject. (ulmus) qui ex ulmo est, *di olmo*, πτελεϊνός. *Plaut. Epid.* 5. 1. 20. Quem Apelles ac Zeuxis duo pigmentis pingent ulmeis. *h. e.* virgis ex ulmo cædent. *Id. Asin.* 2. 2. 96. Interminatus est, nos futuros ulmeos nisi etc. *h. e.* ulmeis virgis excipiendos vel cædendos. *Id. Rud.* 3. 2. 22. Si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam. *Id. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 482. Corpus tuum virgis ulmeis inscribam. *Colum.* 6. *R. R.* 3. *ad fin.* Probaturque maxime ulmea frons. *Juvenal.* 11. 141. ulmea cena. *h. e.* ciborum simulacra ex ulmo. *Marcell. Empir. c.* 3. *p.* 89. *retro.* Ulmea planta.

ULMĬNĔUS, a, um, adject. (ulmus) idem quod ulmeus. *Benedict. Medicin.* 25. apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 5. *p.* 401. Arboris ulmineæ discas perquirere librum.

ULMĬTRĪBA, æ, comm. gen. 1. qui assidue ulmeis virgis cæditur, quasi ulmi tritor, πτελεοτρίβης, μαστιγίας: est enim ab *ulmus* et τρίβω, tero. *Plaut. Pers.* 2. 4. 7. Nescio, inquam, ulmitriba tu. Cf. *Rost. Com. Plaut. p.* 211.

ULMUS, i, m. et f. 2. *Isid.* 17. *Orig.* 7. 43. Ulmus nomen accepit, quod uliginosis locis et humidis melius proficit. Cf. ULVA. — Ulmus est genus arboris, quæ propter raritatem foliorum maritandis vitibus maxime idonea est, πτελέα (It. *olmo;* Fr. *orme;* Hisp. *olmo;* Germ. *Ulme,*

*Ulmbaum;* Angl. *an elm*) Cl. *Fée op. cit. v.* 1. p. 335. hanc exhibet synonymiam: « Πτελέα, Hom. *Iliad.* Φ 350 et ailleurs; Hesiod. *Op.* et *Dies* 434; Theoph. 3. 14.; Diosc. 1. 111. — *Ulmus, Catull.* 28. etc.; *Ulmus marita* quorumd. *Ulmus campestris* Linn. *Spec.* 327. — Deux les espèces Grecques: Ὀρεοπτελέα Theoph. 3. 14. « *Ulmus montosa (montana) et amplior (major)* Plin. *loc. cit.* — Πτελέα Theoph. *loc. cit.* — *Ulmus campestris Plin. loc. cit.* — *Ulmus Gallica, Italica, silvestris* ejusd. sont variétés ». — *a*) Fere est feminini gen. *Virg* 2. *G.* 440. Viminibus salices fecundæ, frondibus ulmi. *Id. ibid.* 221. lætis intexit vitibus ulmos. et 1. *ibid.* 2. ulmisque adjungere vites. *Ovid.* 10. *Met.* 100. amictæ vitibus ulmi. Adde *Horat.* 1. *Od.* 2. 9. et 1. *Ep.* 16. 3. *Id.* 1. *Od.* 15. 5. platanusque cælebs Evincet ulmos. *ubi* platanus cælebs opponitur ulmo, quæ vitibus facile maritatur. *Auct. De laud. hort.* 15. *Wernsd.* Fecunda vitis conjuges ulmos gravat. *Calpurn. Ecl.* 2. 59. Ulmi pampineæ. *Juvenal.* 8. 78. Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos. *h. e.* vite carentes, quas fulciat. *Quintil.* 8. 3. 8. Ulmus marita. *h. e.* vitem adjunctam habens. *Virg.* 2. *G.* 83. Ulmi fortes. *Pers.* 3. 6. patule pecus omne sub ulmo est. *Juvenal.* 6. 149. ulmi Falernæ. *h. e.* Falernæ vites ulmis fultæ. — Ex ulmo fere erant virgæ, quibus servi cædebantur. *Varro Sat. Menipp.* 31. *p.* 119. *Oehl.* Nunc corius ulmum tuus depavit. *h. e.* ulmi cortex in tuo corio (*sc.* cute) solutus est. *Plaut. Amph.* 4. 2. 9. Verbero, etiam quis ego sim, me rogitas? ulmorum Acheruns! *h. e.* in cujus tergo ulmeæ virgæ quasi moriuntur; vel cujus tergum ulmeas virga vorat, ut Acheron animas. His adde et illa ejusdem *Plauti* passim, *ulmeus, ulmitriba, ulmei stili, ulmea pigmenta, ulmea virgidemia,* quæ omnia ostendunt, ulmeis bacillis servos cædi, morem fuisse. — De ratione serendi et colendi ulmos multa *Colum.* 5. *R. R.* 6., *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 15., qui eorum genera enumerat 16. *ibid.* 17. 9., ubi medicinæ ex ea sumendæ indicantur. — *b*) Etiam masc. gen. apud *Gargil. De cur. boum* 10. Ulmi vernaculi radices.

ULNA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, vox est conjungenda cum Gr. ὠλένη, quæ idem significat, unde per syncopen facta esse videtur. *Isid.* 11. *Orig.* 1. 64. — Ulna est cubitus seu os illud brachii, quod inferius est longiusque quam radius (It. *cubito, avambraccio;* Fr. *l'avant-bras, coude;* Hisp. *codo;* Germ. *der Ellenbogen;* Angl. *the arm*).

I.) Proprie. *Isid. loc. supra cit.* Ulnus secundum quosdam utriusque manus extensio est, secundum alios, cubitus, quod magis verum est, quia Græce ὠλένη cubitus dicitur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 43. 98. (243). Terrestrium uni homini juguli, humeri; ceteris armi; uni ulnæ.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpius per metonymiam est ipsum brachium ex duobus ossibus ulna et radio constans, *braccio,* ἀγκάλη. *Catull.* 17. 13. pueri instar Bimuli, tremula patris dormientis in ulna. *Ovid.* 7. *Met.* 847. Ulnis attollere aliquem. *recarselo in braccio.* et 9. *ibid.* 651. Nymphæ teneris Lelegeides ulnis Tollere conantur. *Propert.* 2. 14. 11. Fovere aliquem ulnis. *Lucan.* 3. 664. Ulnis prensare aliquid. *Sil. It.* 3. 457. validis gurges frangitur ulnis. *h. e.* jactando brachia natatu. Sic 10. 497. de *Clœlia.* interrita Tibrim Tranavit, frangens undam puerilibus ulnis. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 266. Circumdare aliquem ulnis. *abbracciare.* et *Ovid.* 11. *Met* 63. Cupidis ulnis amplecti. *Stat.* 1. *Achill.* 172. avidis circumligare. *Claudian. Laud. Seren.* 219. Excipere in ulnas. *Id.* 2. *in Eutrop.* 187. niveis reducem complectitur ulnis. *Nemesian. Ecl.* 3. 27. Silenus parvum veneratus alumnum Aut gremio fovet aut resupinis sustinet ulnis. *Calpurn. Ecl.* 1. 45. maternis qui causam lusit in ulnis. *h. e.* pæne puer et in gremio matris causas egit et eloquentiæ specimen dedit. ¶ 2. Est etiam mensuræ genus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (202). Arboris crassitudo quattuor hominum ulnas complectentium implebat. *quanto potevano abbracciare quattr'uomini.* Sic *ibid. paullo post.* Arbor crassitudinis ad trium hominum complexum. Ὀργυιά Græce dicitur hoc spatium a *Polluce* et *Hesych.*, scilicet quantum extenditur utrumque brachium una cum latitudine pectoris. ¶ 3. Est etiam alterum mensuræ genus, nempe ab initio cubiti ad extremum medium digitum extensum, *cubito,* πῆχυς. Ita *Forcellinus;* alii tamen aliter accipiunt. *Horat. Epod* 4. 7. sacram metiente te viam Cum bis trium ulnarum toga. *Virg.* 3. *Ecl.* 105. Dic quibus in terris *etc.* Tres pateat cæli spatium, non amplius, ulnas. *Id.* 3. *G.* 355. septemque assurgit in ulnas Semper hiems. *Capell.* 6. *p.* 190. Quot stadia e terra in cælum, quotque ulnas, quos denique digitos permensa sit (*Geometria*). ¶ 4. In illo *Avieni Perieg.* 346. Nilus et immensos ulnam dispergit in agros: aut *ulnam* significat abundantiam vel incrementum aquarum ad justam mensuram ascendentium, quæ per ulnas seu cubitos indicari solebat, quæque fecunditatem Ægypto inferebat; alii tamen pro *ulnam* leg. *vitam,* alii *limum,* alii alia: aut *ulnas* legendum videtur, quia velut brachia effundit aquas suas super utramque ripam: aut potius *ulvam,* quæ herba fluminea est.

Homonym. Discrimen inter *brachium, cubitum, ulnam* et *lacertum,* V. in BRACHIUM.

ŬLŎPHŎNUM (ulophonon), i, n. 2. οὐλοφόνον, genus herbæ, quæ est species chamæleonis nigri, cujus sucus juvencos necat anginæ modo. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. (47).

ULPĪCUM, i, n. 2. genus allii grandius, præcipue in Africa, inter pulmentaria ruris; unde et Punicum allium a quibusdam appellatur, et etiam Cyprium, *ulpico, upiglio,* ἀφροσκόροδον. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ante med.* Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci ἀφροσκόροδον appellant, longe majoris est incrementi, quam allium. *Cato R. R.* 71. Caput ulpici conterito. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 35. Plenior allii ulpicique, quam Romani remiges. Adde *Isid.* 17. *Orig.* 10. 14. — In plur. num. *Colum.* 10. *R. R.* 113. Alliaque infractis spicis et olentia late Ulpica.

ULS. *V.* ULTRA.

ULSO. *V.* ULCISCOR init.

ULTER, tra, trum, adject. Proprie est forma comparativa ab *uls,* ut *exter* ab *ex* aliaque id genus. *V.* ULTRA. — Comp. *Ulterior* et Sup. *Ultimus,* de quibus *V.* suo loco. — Ulter significat qui est uls: hinc *ultra,* subaud. *parte,* quod adverbii et præpositionis more usurpatur. *Salmas.* in *Exercit. Plin. p.* 721. conatur hanc vocem intrudere in *Plin.* et *Apulej.*, sed utroque loco alii rectius aliter leg.

ULTĔRĬOR, m. et f. et ulterius, n., *genet.* ulterioris, adject. comparat. ab obsoleto *ulter,* cujus superl. est *ultimus,* significat qui est ultra, *ulteriore, chi è di là,* προσώτερος, ὁ πέραν: cui *citerior* opponitur.

I.) Proprie. *Ter. Phorm.* 4. 2. 10. Sed accum ipsum: quis est ulterior? *Cæs.* 4. *B. G.* 23. Ulterior portus. *Virg.* 6. *Æn.* 314. et *Vellej.* 2. 107. 1. ripa. *Liv.* 34. 20. pars urbis. *Id.* 3. 60. (*Milites*) ulteriores non inventi. *Ovid.* 2. *Met.* 417. Ulterius medio spatium sol altus habebat. — De provinciis. *Cic. Prov cons.* 15. 36. Quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. *h. e.* Transalpinam. et *Sueton. Cæs.* 7. 18. et 56. Ulterior Hispania.

II.) Translate. *Liv.* 4. 26. Quo quid ulterius privato timendum foret? *h. e.* pejus. *Sabin.* 2. 97. Sic tamen, ah! potius sic pereas, quam mihi te te Ulterior tangat pectora, Phylli, dolor. *h. e.* novus aut major vel longior. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 4654. Ulterius nihil est morte neque utilius. — Hinc

*Ulteriora, orum,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, loca ulteriora. ¶ 1. Proprie. *Tac.* 4. *Hist.* 77. Mosellæ pons, qui ulteriora coloniæ annectit. *la parte di là.* ¶ 2. Translate. *Ovid.* 3. *Art. am.* 769. (et 5. *Fast.* 532.) Ulteriora pudet docuisse. *h. e.* quæ fieri solent post ea, quæ hactenus dicta sunt. *Id.* 2. *Amor.* 9. 10. Semper et inventis ulteriora petit. *h. e.* plura. *Tac.* 4. *Hist.* 8. Ulteriora mirari, præsentia sequi. *le cose passate.* et *Quintil.* 10. 7. *ante med.* Opus est naturali quadam nobilitate animi, ut, dum proxima dicimus, struere ulteriora possimus.

*Ulteriores, orum,* m. plur. 3. absolute, substantivorum more, qui ultra sunt vel habitant. *Cæs.* 6. *B. C.* 2. Quum ab proximis impetrare non possent, ulteriores tentant. *i più lontani, quelli che abitano più in là.* Sic *Tac. Germ.* 17. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius.

*Ulterius,* adverbiorum ritu. *V.* ULTRA.

ULTĪMĒ, adverb. (ultimus) ad extremum, *estremamente. Apul.* 1. *Met.* Tandem evado et utpote ultime affectus, ad quamdam cauponam devorto. *ridotto all'estrema miseria.* et 10. *ibid.* Nudam flagris ultime verberat. *h. e.* ad extremum pæne supplicium. ἐσχάτως μαστιγοῖ.

ULTĪMO. *V.* ULTIMUS.

ULTĪMO, as, are, n. 1. (ultimus). in ultima parte sum, ad extremum perveni. *Tertull. Pall.* 1. *sub fin.* Quum ultimarent tempora patriæ.

ULTĪMUM. *V.* voc. seq. in fin.

ULTĪMUS, a, um, adject. superl. ab obsoleto *ulter.* — *Ultumus* pro *ultimus* in *Inscr.* optimæ notæ apud *Marini Iscriz. Alb. p.* 139. VLTVMVM HVIVS ORATIONIS ERIT OMNI MERVISSE TE NEQVE OMNIA CONTIGISSE MIHI. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2722. et *Plaut. Curc* 2. 2. 28., *Mil. glor.* 3. 1. 14., *Rud.* 4. 3. 95. et alibi. *V.* litt. U. — Ultimus est postremus, extremus, summus, novissimus, quasi ultra omnes sive retro sive ante respicias, *finale, ultimo,* ὕστατος: cui *citimus, proximus, primus* opponitur; refertur autem proprie ad locum, translate ad tempus et ordinem.

*A*) Proprie. *Plaut. Most.* 4. 3. 3. in terras solas orasque ultumas Sum circumvectus. Adde *Horat.* 3. *Od.* 3. 45. *Plaut. Rud.* 4. 3. 95. Ultumi campi. *Horat.* 2. *Od.* 18. 4. Africa. et 1. *ibid.* 36. 4. Hesperia. *Cic. Somn. Scip.* 3. *sub fin.* Luna, quæ ultima a cælo, citima terris luce lucebat aliena. *Liv.* 35. 48. Ab ultimis Orientis terminis. Sic 37. 59. Ab ultimis Orientis partibus. *Nepos Att.* 20. Ultimæ terræ. *Phædr.* 4. 19. Pervenit ad draconis speluncam ultimam. *h. e.* profundissimam et a terræ superficie maxime recedentem. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Ultima cauda. *Curt.* 4. 10. 3. In ultimas terras trahi. *a' confini del mondo.* et *Liv* 21. 10 *sub fin.* Devehendum in ultimas maris terrarumque oras. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 79. mors ultima linea rerum est. *Propert.* 1. 17. 20. Ultimus lapis. *h. e.* sepulcri. *Vulg. interpr. Ezech.* 31. 14. et 32. 18. Terra ultima. *h. e.* sepulcrum. — Partitive *ultimus* pro ultima parte alicujus loci. *Ter. Phorm.* 1. 4. 38. Quis hic est senex, quem video in ultima platea? *h. e.* in ultima parte plateæ. *in fondo della via* Sic *Heaut.* 5. 1. 29. Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro. *h. e.* in intima ædium parte. *Cic.* 5. *Att.* 16. *ad fin.* In ultimam provinciam se recepit.

*B*) Translate.

I.) Usurpatur de tempore. — *a*) Universim. *Virg.* 4. *Ecl.* 4. Ultima Cumæi venit jam carminis ætas. *Ovid.* 3. *Met.* 135. ultima semper Exspectanda dies. *Id. ibid.* 449. Ultima vox. *Cæs.* 1. *B. C.* 5. Extremum atque ultimum senatus consultum. *Id.* 1. *ibid.* 84. *extr.* Ultimum supplicium. *h. e.* mortis. Sic *Liv.* 3. 58. *sub fin.* et *Plin.* 2. *Ep.* 11. Remittere alicui ultimam pœnam. *Tac.* 15. *Ann.* 51. Denuntiare alicui necessitatem ultimam. *Ovid.* 4. *Fast.* 856. Ultima sublato subdita flamma rogo. *Martial.* 4. 70. Ultimæ ceræ. *h. e.* testamentum. *Liv.* 3. 17. Ultima spes. *Quintil.* 12. 4. 2. ætas. *Id.* 11. 1. 10. senectus. *Liv.* 4. 28. Necessitas, quæ ultimum et maximum telum est. — *b*) Si retro respicias, *ultimus* dicitur qui est primus. *Cic. Prov. Cons.* 18. 43. Nonne vobis videor et ultimi temporis recordatione et proximi memoriæ, medium illud tristissimum tempus debere ex animo excidere? *Id.* 2. *Invent.* 2. *circa med.* Ab ultimo principio. *Id.* 1. *Fin.* 20. 65. Tam mul-

tis ab ultima antiquitate repetitis. *Id. Arch.* 1. *init.* Pueritiæ memoriam recordari ultimam. *Nepos Att.* 1. Ab origine ultima stirpis Romanæ. *Virg.* 7. *Æn.* 49. tu sanguinis ultimus auctor. *Justin.* 12. 16. 3. Ab ultima sæculorum memoria. *Id.* 2. 1. *sub fin.* Hominum vetustas ultima. *Auct. Ætn.* 17. Ultima certamina. — Partitive. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* Ultimo mense Junio. *h. e.* in fine Junii, extremo Junio. Sic *Pallad.* 4. *R. R.* 19. Mense Martio ultimo. *et ibid. a med.* Ultimo Aprili.

II.) De ordine et gradu. ¶ 1. Est infimus. *Liv.* 30. 30. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit. *Albinov.* 1. 44. Ultima sit laudes inter ut illa tuas. *Liv.* 34. 18. Consul parsimonia et vigiliis et labore cum ultimis militum certare. *Vellej.* 1. 11. 1. Qui se Philippum regiæque stirpis ferebat, quum esset ultimæ. ¶ 2. Item summus. — *a*) In malam partem. *Brut.* ad *Att.* inter *Ep. Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *circa med.* Nimium timemus mortem et exsilium et paupertatem. hæc videntur Ciceroni ultima esse in malis. *Liv.* 37. 53. Discrimen ultimum vitæ et regni. *estremo rischio di perdere* etc. *Quintil.* 2. 2. *sub fin.* Ut absit ab ultimis vitiis ipse præceptor ac schola, ne præcipiendum quidem credo. *Curt.* 5. 12. *ad fin.* Onusti præda per ultimum scelus parta. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (240). Nitrum et alumen et marina aqua calida, ultima venena (*vitibus*) sunt. *Justin.* 24. 2. *a med.* Inauditis ultimisque exsecrationibus adjurat. *Quintil. Declam.* 12. 24. *in fin.* Ultimum omnis memoriæ reum una vox innocentem facit? *h. e.* pessimum, deterrimum. Sic *Apul.* 9. *Met.* Ultima pistoris illa uxor. *Petron. Sat.* 141. *a med.* Saguntini oppressi ab Hannibale humanas edere carnes: Petelini idem fecerunt in ultima fame. *estrema.* et *ibid.* 24. Ad ultimam perductus tristitiam. — *b*) Etiam in bonam partem. *Cic.* 3. *Fin.* 9. 30. Summum bonum, quod ultimum appello. *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 33. Ultimæ perfectæque naturæ. — Hinc

*Ultimus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, tum proprie tum metaphorice, qui extremo loco est. *Cæs.* 5. *B. G.* 42. *a med.* Se sub ipso vallo constipaverant recessumque primis ultimi non dabant. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Ultimi hominum existimati Morini. *Vulg. interpr.* 3. *Reg.* 21. 21. Interficiam de Achab - ultimum in Israel.

*Ultimum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, tum proprie tum translate, res ultima. — *a*) In sing. num. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. *sub fin.* Cælum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. *Vellej.* 2. 125. 2. Pæne in ultimum gladiorum erupit impunitas. *Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 10. Matrem ultimo ætatis affectam. *dall'estrema vecchiaia.* et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (107). Ultimo caudæ reflexo. Adde *Vulg. interpr. Act.* 1. 8. — *Ad ultimum,* usque in finem, ad extremum. *Liv.* 45. 19. Fidem ad ultimum fratri præstitit. *sino all'ultimo di sua vita.* Sic *Inscr.* in *Bullett. dell'Istit. archeol.* a. 1874. *p.* 31. *n.* 26. SABBATIA MATER AD VLTIMVM VITAE DEFLENS EXITVM FILII ET SIBI FECIT. *et* 28. 28. Consilium sceleratum sed non ad ultimum demens. *all'eccesso.* — Item postremo, *finalmente. Liv.* 1. 53. *sub fin.* Vetant mirari, si qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset. *Id.* 5. 10. *a med.* Ne ulla umquam quies miseræ plebi sit, quæ nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit. *Id.* 26. 27. *a med.* Siqua misericordia tandem flecti possent, ne se ad ultimum perditum irent. — *Ultimum,* adverb. *V.* infra. — *b*) In plur. num. sæpius. *Virg.* 5. *Æn.* 317. simul ultima signant. *e guardano all'ultimo spazio, alla meta.* et *Ovid. Heroid.* 14. 108. Ultima quid referam? *h. e.* antiqua. *Id.* 4. *Met.* 300. stagni ultima vivo Cæspite cinguntur. *l'estremità, l'orlo.* et *Liv.* 2. 28. *sub fin.* Priusquam ultima experirentur. *Aurel. Vict. Cæsar.* 40. Constantium patrem ultima vitæ agebant. *h. e.* extremus morbus urgebat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 18. (91). Non fastidienda hæc quoque scientia atque non in ultimis ponenda. *Calpurn. Ecl.* 3. 91. Lycidas habet ultima rerum. *h. e.* mortuus est. *Vulg. interpr. Eccli.* 48. 27. Spiritu magno vidit ultima. *h. e.* tempora Messiæ. Cf. *Is.* 2. 2. Alii aliter interpr. — *Ultima pati,* mala gravissima, quibus pejora nulla sint. *Ovid.* 14. *Met.* 483. Ultima jam passi comites belloque fretoque Deficiunt. Adde 3. *Trist.* 2. 11. et *Curt.* 3. 1. 6. Sic *id.* 9. 9. *a med.* Famem et ultima sibimet ominabantur.

*Ultimo,* adverbii ritu, est postremo, ad extremum, denique, *ultimamente,* ἐσχάτως. *Sueton. Ner.* 32. *in fin.* Ultimo templis compluribus dona detraxit simulataque ex auro vel argento fabricata conflavit. *Petron. Sat.* 20. *in fin.* Ac ne Giton quidem ultimo risum tenuit. *et ibid.* 139. Quum diu mecum esset locuta, ultimo cœpit dicere, te etc.

*Ultimum,* adverbii more, postremum, *l'ultima volta,* τὸ ἔσχατον. *Liv.* 1. 29. Nunc errabundi domos suas, ultimum illas visuri, pervagantur. *per l'ultima volta.* Alii aliter leg. Sic *Curt.* 5. 12. 8. Darius Artabazum ultimum illum visurus amplectitur. *Apul.* 2. *Met.* Ecce jam ultimum defletus atque conclamatus processerat mortuus.

Homonym. In eo differunt *extremus* et *ultimus,* quod ille ad superficiem refertur, cujus finalem partem significat; hic ad lineam, cujus fini exprimendo inservit, et aliquando perfectionem rei exprimit. Ceterum promiscue sæpius usurpantur. Cf. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. *sub fin.* Cælum quod extremum atque ultimum mundi est. *Id.* 1. *Fin.* 12. 42. Quoniam autem id (*cum voluptate vivere*) est vel summum bonum vel ultimum vel extremum, quod Græci τέλος vocant. *Id.* 7. *Verr.* 64. 166. Homines in extremis atque ultimis gentibus positi. — *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 33. Ultimæ perfectæque naturæ. et 1. *Off.* 17. 56. Efficiturque id, quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus. Cf. *Döderl. Lat. Syn. v.* 4. *p.* 371. et *seqq.*

ULTĬO, ōnis, f. 3. (ulciscor) injuriæ aut sceleris punitio, vindicta, τιμωρία, ἐκδίκησις (It. *vendetta, punizione;* Fr. *punition, vengeance;* Hisp. *punicion, venganza;* Germ. *die Rache, rächende Bestrafung;* Angl. *a revenging, punishment*). ¶ 1. Universim. — *a*) Absolute. *Seneca* 2. *Ira* 32. Inhumanum verbum est, et quidem pro justo receptum, ultio. *et* 3. *ibid.* 5. *sub fin.* Ultio doloris confessio est. *Juvenal.* 13. 2. prima est hæc ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur. *et ibid.* 190. Semper et infirmi est animi exiguique voluptas, Ultio. continuo sic collige, quod vindicta Nemo magis gaudet, quam femina. *Tac.* 2. *Ann.* 13. Perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriæ mactandos. *Petron. Sat.* 132. Matrona, contumeliis verberata, tandem ad ultionem decurrit. *et* 3. *ibid.* 106. *in fin.* Negat se interpellare supplicium, immo accedere etiam justissimæ ultioni. *Justin.* 12. 9. 6. Ultionem alicui dare. *h. e.* ulcisci aliquem puniendo qui eum læserant. *Tac.* 3. *Ann.* 7. Petere ultionem ex aliquo, *h. e.* eum punire. *Id.* 13. *ibid.* 21. *extr.* Obtinere ultionem in delatores. *et* 4. *ibid.* 25. *sub fin.* Explere se ultione et sanguine. *et* 12. *ibid.* 38. Acrius ad ultionem exarsere. *Flor.* 2. 18. In ultionem excanduit. *Quintil.* 5. 13. 6. Ut laudem humanitatis potius quam voluptatem ultionis concupiscat. *Vulg. interpr.* 1. *Reg.* 18. 25. Fiat ultio de inimicis regis. *Id. Act.* 7. 24. Fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat. — In plur. num. *Id. Ps.* 93. 1. *et* 2. *Mach.* 6. 13. et *Hieronym.* in *Is.* 1. 1. *v.* 23. — *b*) Cum Genet., ut ajunt, subjectivo. *Id. Is.* 34. 8. Dies ultionis Domini. Adde *Num.* 31. 3. — Et objectivo. *Justin.* 1. 4. 7. Exigere ab aliquo ultionem necati infantis. *et ibid.* 5. *a med.* In ultionem servati nepotis filium ejus interfecit. *Id.* 2. 4. 9. Ultionem cæsorum conjugum excidio finitimorum consecuntur. — *Vulg. interpr. Is.* 35. 4. Deus ultionem adducet retributionis. *h. e.* vindicabit et retribuet. ¶ 2. In fabulis *Ultio* dea est habita ex Æthere et Terra genita, ut apud *Hygin.* in *præf. fab.* Hinc *Tac.* 3. *Ann.* 18. Quum Valerius Messalinus signum aureum in æde Martis Ultoris, Cæcina Severus aram Ultioni statuendam censuissent, Tiberius prohibuit. Cf. *Vulg. interpr. Act.* 28. 4. Ultio non sinit eum vivere. Δίκη, *la Giustizia,* sc. Deus justus judex.

ULTIS. *V.* ULTRA.

ULTO. *V.* ULCISCOR init.

ULTOR, ōris, m. 3. (ulciscor) qui injuriam illatam ulciscitur, τιμωρός, ἔνδικος (It. *vendicatore;* Fr. *vengeur;* Hisp. *vengador;* Germ. *der Rächer, Bestrafer;* Angl. *a revenger*). ¶ 1. Universim. — *a*) Absolute. *Cic. Pis.* 10. 23. Quum ab ultore templum armis teneretur. *Virg.* 4. *Æn.* 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor. — *Sil. It.* 2. 495. Statque dies ausis olim tam tristibus ultor. — *b*) Cum Genetivo. *Cic. Sull.* 30. *ad fin.* Ego ille conjurationis investigator atque ultor certe non defenderem Sullam, si conjurasse arbitrarer. *Id. Brut.* 77. 268. Publius nostrarum injuriarum ultor, salutis auctor. — *Ultor sanguinis,* apud Hebræos olim erat, qui aliquem ex consanguineis occisum de jure ulciscebatur. *Vulg. interpr. Jos.* 20. 3. ¶ 2. Adjectivorum more seu per appositionem. *Tac.* 4. *Hist.* 47. Dii ultores. Adde *Ovid.* 14. *Met.* 750., *Propert.* 4. 1. 115. et *Justin.* 4. 18. 5. ¶ 3. Est appositum Martis, qui ædem Romæ hoc nomine habuit, in Foro ab Augusto exstructam et dedicatam an. U. C. 752., quam ipse bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat, ut ait *Sueton. Aug.* 29. Adde *eumd. ibid.* 21. et *Cal.* 24. *extr., Ovid.* 5. *Fast.* a *v.* 567., *Tac.* 3. *Ann.* 18. et *Inscr.* apud *Gruter.* 121. *l.* 9., 232. *a med.* et 317. 8. *V.* MARS in ONOM.

ULTŌRĬUS, a, um, adject. (ultor) ad ultorem vel ad ulciscendum pertinens. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 24. Deus immittit mala non peccatoria, sed ultoria.

ULTRA, adverb. et præpositio — *a*) Ratione habita etymi, est ab *ulter,* quod a voce pæne obsoleta *uls* et plenius *ouls,* conjungenda cum *olim, ollus, ille,* ita ut quomodo *cis* et *citra* est in hac parte, *uls* et *ultra* sit in illa parte. *Gell.* 12. 13. Tres istæ voces *intra, citra, ultra,* quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur *in, cis, uls.* Hæ deinde particulæ, quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba: et quod dicebatur *cis Tiberim* et *uls Tiberim,* dici cœptum est *citra* et *ultra Tiberim.* Sic *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 379. 3. *Müll.* Uls Cato pro ultra posuit. Cf. *ibid. p.* 42. *Varro* 5. *L. L.* 83. *Müll.* Ideo sacra et uls et cis Tiberim non mediocri ritu fiant. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *circa med.* Quinqueviri constituti sunt cis Tiberim et uls Tiberim. Alii minus recte leg. *ultis.* Cf. *Thielmann* in *Wölfflin's Archiv.* 4. 249. Ceterum *Forcellinus* ait, prius fuisse *ultis,* unde *ultra,* ut *cis* a *citis,* unde *citra.* Sed terminatio *ter, tra,* ut in *exter, extra* ab *ex,* est mera additio, ut Gr. -τερος, quod in comparativis adhibetur, nec a vocis radice petenda. V. *Gell. loc. cit.* — *b*) Alia scriptio *ouls,* de qua modo diximus, est in formula sacra Argeorum apud *Varron.* 5. *L. L.* 50. *Müll.* Oppius mons, princeps Exquilis ouls lucum Facutalem etc. — *c*) Ad quantitatem quod spectat, sunt qui putant, ultimam corripi posse cum *Seren. Sammon.* 63. 1087. Curaque nil prodest nec dicitur ultra cicatrix. Sed meliores libri habent *ulla.* — Comp. *Ulterius.* — Ultra est *A*) Adverbium, et *B*) Præpositio; et etiam *C*) Adjectivi more usurpatur.

*A*) Adverbium *ultra* proprie est ablativus singularis numeri et generis feminini ab *ulter;* hinc proprie *ultra,* subaudi *parte,* est in illa parte, quæ uls est, πέρα, πόῤῥω (It. *di là, oltre, oltra;* Fr. *au delà, par delà, plus loin, en avant;* Hisp. *mas allá;* Germ. *drüber hinaus, weiter hinaus;* Angl. *beyond*): cui *citra* opponitur.

1.) Proprie. *Ovid.* 5. *Met.* 186. Dextera - nec citra mota nec ultra. — Hinc comp. *ulterius,* longius, *più in là, più innanzi, più oltre,* περαιτέρω. *Id.* 2. *ibid.* 871. Falsa pedum primis vestigia ponit in undis, Inde abit ulterius. *Id.* 3. *Trist.* 4. 51. Ulterius nihil est, nisi non ha-

bitabile frigus. *Propert.* 1. 6. 3. Cum quo Riphæos possim conscendere montes Ulteriusque domos vadere Memnonias. *Petron. Sat.* 120. Ecquid Romano sentis te pondere victam Nec posse ulterius perituram extollere molem? *più alto.*

II.) Translate. ¶ 1. De loco vel gradu, est amplius, præterea, insuper, *oltre a ciò, di più, di vantaggio.* ⊥ *a*) Absolute. *Cic. Tim.* 3. Si probabilia dicentur, nil ultra requiratis. *Id.* 7. *Verr.* 45. *a med.* Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? *Id.* 15. *Att.* 1. *a med.* Oratio scripta elegantissime sententiis, verbis, ut nihil possit ultra? *Sall. Jug.* 50. Mortem cuncta mortalium mala dissolvere: ultra neque curæ neque gaudio locum esse. *h. e.* post mortem. *Id. orat. Lepid. contra Sull. ante med.* Hac tempestate serviundum aut imperitandum. nam quid ultra? *Virg.* 3. *Æn.* 480. quid ultra Provehor et fando surgentes demoror Austros? *et* 9. *ibid.* 782. Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis? — Vim addit adjectivis. *Tac. Germ.* 2. Immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus etc. *h. e.* longe immensus, maxime longinquus. — Hinc comp. *ulterius. Virg.* 12. *Æn.* 938. Ulterius ne tende odiis. *Ovid.* 12. *Met.* 343. Occupat Ægides cubitique ingentia frangit Ossa nec ulterius dare corpus inutile leto Aut vacat aut curat. *h. e.* amplius feriendo. *Id. Heroid.* 17. 28. ulterius nil habet ille mei. *nulla di più.* et *Propert.* 2. 12. 19. si me ulterius provexerit ira. *Seneca Ep.* 102. Epistola tua revocavit me cogitationi aptæ traditum et iturum, si licuisset, ulterius. — Cum ablativo. *Ovid.* 6. *Met.* 470. Rogare quidquam ulterius justo. — *b*) Sequente, ex vi comparationis, particula *quam. Cic.* 1. *Tusc.* 9. 17. Ultra enim quo progrediar, quam ut veri videam similia, non habeo. *Id.* 1. *Invent.* 18. *a med. et ibid.* 49. Exordium longum est, quod pluribus verbis aut sententiis, ultra quam satis est, producitur. *Cels.* 3. 6. *ad fin.* Potio esse debet magis liberalis et ultra quam sitis coget. *Quintil.* 6. *procœm.* 10. Ultra quam homini datum est, provehi. *Id.* 12. 7. 12. Ultra quam satis est. *Id.* 2. 4. 7. Ultra quam oporteat. Adde 8. 2. 17. ¶ 2. De tempore. — *a*) Absolute. *Liv.* 2. 19. Nec ultra bellum Latinum dilatum est. *più a lungo.* et *Quintil.* 3. 1. 9. Gorgias et illorum fuit æmulus et ultra, Socratem usque, duravit. Rursum *Liv.* 2. 40. Æqui Accium Tullium haud ultra tulere ducem. et *Quintil.* 1. 7. 14. Semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris atque e contrario usque ad Accium et ultra, porrectas syllabas geminis vocalibus scripserunt. — In illo *Vulg. interpr. Mich.* 4. 5. Ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum et ultra. *ultra* videtur ad auxesim dictum; Hebraica tamen vox significat etiam *sæculum* vel *æternum:* est igitur formula, quæ idem sonat ac per omnia sæcula, in totam æternitatem. — Hinc comp. *ulterius. Val. Max.* 1. 1. *n.* 15. Cælestibus injectus est rubor ulterius adversus eam sæviendi gentem. *Pacat. Paneg. Theodos.* 30. *a med.* Ulterius se negare supplicio non poterat. *h. e.* diutius, *più a lungo.* et *Ovid.* 3. *Met.* 487. Non tulit ulterius. *et Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 114. Jam non ulterius Phrygia tellure morabor. *h. e.* non amplius. — *b*) Sequente *quam. Liv.* 40. 30. Per dies aliquot nihil ultra motum, quam ut hæ duæ turmæ ostenderentur. *Tac.* 6. *Ann.* 44. Nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret.

*B*) *Ultra* est etiam præpositio et significat trans, præter, *di là, oltre:* cui *cis, citra* opponitur.

I.) Proprie. — 1.°) Fere cum Accusativo. — *a*) Ante suum casum. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Millibus passuum II. ultra eum castra fecit. *Cic.* 12. *Att.* 27. Ultra Silianam villam est villula sordida et valde pusilla. *Horat.* 1. *Od.* 12. 10. Ultra terminum vagari. *Liv.* 5. 35. Quum audirent, sæpe ab iis cis Padum ultraque (*eum*), legiones Etruscorum fusas. *Id.* 38. 15. Ultra Tauri juga. Adde *Quintil.* 11. 3. 159. — Præcedente adverbio quantitatis in forma ablativi, ut cum comparativis sæpius fit. *Cæs.* 3. *B. C.* 66. Cæsar paullo ultra eum locum castra transtulit. — Sequiore ætate cum præpositione *ab, de, in,* in adverbium transeunti. *Inscr.* apud *Gruter.* 579. 8. ALIA TABERNA AB VLTRA VICUM TRIARII. *h. e.* a loco qui est ultra. *Vulg. interpr. Ital. Soph.* 3. 10. De ultra flumina Æthiopiæ. — *In ultra,* absolute, adverbii ritu. *Id. Lev.* 13. 57. — *b*) Casui suo postponitur. *Propert.* 4. 7. 29. Si piguit portas ultra procedere. *Tac.* 15. *Ann.* 17. Quæ Euphratem ultra communierat. — 2.°) Etiam cum Ablativo. *Aggen. Urb. ad Frontin. de controv. p.* 22. 4. *Lachm.* Quæ ultra limites et ultra finitima linea est. Ubi tamen, quum præcedat *ultra* cum Accus., *finitimam lineam* pro *finitima linea* legend.; sequiore namque ævo littera *m* finalis sæpe prætermittebatur. *Zachmann* tamen legit *intra finitimam lineam.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Suo casui anteposit. *Cic.* 1. *Phil.* 5. *in fin.* Quis umquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus aut multam? *Horat.* 3. *Od.* 29. 32. Trepidare ultra fas. *più del dovere.* et *Sall. orat. Licin. ad pleb. a med.* Animi ignavi, non ultra contionis locum memores libertatis. *Id. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Quum eum ad cenam invitaverant, ultra Romanorum et mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus etc. *h. e.* præter aut supra. *Virg.* 7. *Ecl.* 27. si ultra placitum laudarit. *h. e.* plus quam placet. *Id.* 6. *Æn.* 114. ultra vires sortemque senectæ. *Flor.* 2. 7. Quum ille ultra jus victoriæ, in templa, aras et sepulcra ipsa sæviret. *più di quel che la vittoria permette.* et *mox.* Vulnera ultra mortem patebant. *più di quello che bastava per dar morte.* et *Vellej.* 2. 118. 2. Juvenis ultra barbarum promptus ingenio. *h. e.* supra barbarorum indolem. *et ibid.* 68. 3. Ultra fortem temerarius. sc. plus quam. Sic *ibid.* 88. 2. Mæcenas otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluens. Alii leg. *ultra famam,* h. e. plusquam fama prædicaret aut homines crederent. — *b*) Suo casui postposit. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. *a med.* Sed adhibent modum quemdam, quem ultra progredi non oporteat. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 106. sunt certi denique fines. Quos ultra citraque nequit consistere rectum. ¶ 2. Speciatim de tempore. *Quintil.* 9. 2. 88. Non durat ultra pœnam abdicationis. *Id.* 1. 11. 19. A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur. Adde *ibid.* 1. 20. ¶ 3. Item de numero. *Auct. B. Alex.* 21. *a med.* Hoc prœlio desiderati sunt circiter CCCC. et paullo ultra eum numerum classiarii et remiges. ¶ 4. Item de mensura. *Cels.* 4. 2. *n.* 4. *ad fin.* Si res coegerit, non ultra heminam aquæ assumere.

*C*) *Ultra,* adjectivi ritu. *Tac. Agric.* 25. Motus universarum ultra gentium. *h. e.* gentium, quæ ultra agebant. Similiter *ibid.* 9. Statim ad spem consulatus revocatus est. *h. e.* ad proximam spem. Adde *Germ.* 8. *n.* 1. et 28. *n.* 5. Cf. *Roth* ad *Agric.* 3. *Excurs.* XXIV. *p.* 215. et *seqq.* et *Kritz* ad *Tac. loc. cit.* Sic *Virg.* 1. *Æn.* 198. neque enim ignari sumus ante malorum. *h. e.* anteriorum, præteritorum.

ULTRĀMUNDĀNUS, a, um, adject. qui ultra mundum est, ὑπερκόσμιος. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Deus ille summus, ultramundanus. *Capell.* 2. *p.* 43. *in carm.* Ultramundanum fas est cui cernere patrem.

ULTRĀTUS, a, um, adject. (ultra) ultra positus: vox lapsæ Latinitatis, quemadmodum et *citratus. Gromat. vet. p.* 247. 7. *Lachm.* Si in agrum assignatum veneris, ut scias, in qua parte agri sis, an in ultrato et dextrato, an in citrato et dextrato, an in sinistrato et ultrato, an in sinistrato et citrato, sic deprehendis.

ULTRIX, trīcis, f. 3. (ultor) Abl. sing. in *e* et *i* esse docet *Priscian. p.* 347. 23. *Keil.* — Genet. plur. *ultricium* apud *Ennod. Pro synod. p.* 303. 15. *H.;* et *ultricum* apud *Ps. Quintil. Decl.* 4. 16. — Adjectivorum more sæpe usurpatur; hinc *ultricia* in neutr. plur., ut *victricia.* V. infra. — Ultrix est quæ ulciscitur, *vendicatrice,* ἀμύντειρα, τιμωρητική.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 274. ultrices posuere cubilia Curæ. *Id.* 4. *ibid.* 473. ultricesque sedent in limine Diræ. *h. e.* Furiæ, quas vocat *Seneca Med.* 967. ultrices deas. *et Claudian. epist.* 1. 14. ultrices Furias. *Id. III. cons. Honor.* 104. ultrices in se converterat iras. *Id. epigr.* 19. 5. Ultrices pharetras tandem depone, Cupido. *Id.* 1. *Laud. Stilich.* 98. tractusque rotis ultricibus Hector. *Seneca Herc. Fur.* 895. ultrice dextra fusus Lycus. — In neutro plur. *Sil. It.* 2. 423. Mandabat Tyriis ultricia bella futuris. *Stat.* 10. *Theb.* 911. et tela ultricia poscit. — Cum genetivo. *Cic. Dom.* 43. 112. Hæc, ultrix afflictæ civitatis, reipublicæ spoliis ornabitur? *Halm* tamen leg. *victrix* pro *ultrix. Ammian.* 14. 11. 25. Ultrix facinorum impiorum bonorumque præmiatrix Arastia. ubi τῷ *ultrix* opponitur *præmiatrix.*

II.) Translate. *Ambros.* in *Ps.* 35. *n.* 8. Offunditur enim nobis ultrix nostri imago peccati.

ULTRŌ, adverb. (ulter) Proprie est ablativus singularis numeri ab *ulter,* scil. *ultro,* subaudi *loco;* sed absolute, neutrorum more, occurrit. Porro *ultro* est idem quod *ultra;* reperitur autem cum *citro* junctum in formulis *ultro et citro, ultro citroque;* et significat ultra et citra, huc et illuc, sursum et deorsum, atque usurpatur de rerum motu, qui ab hac in alteram partem ac deinde ab altera in hanc fit, δεῦρο κἀκεῖσε, πρόσω καὶ ὀπίσω, ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν (It. *di qua e di là;* Fr. *çà et là, de part et d'autre;* Hisp. *acá allá, de acá de allá;* Germ. *hinüber und herüber, hin und her;* Angl. *up and down, this way and that*).

*A*) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 5. 16. Ultro et citro commeant. *Sisenn. fragm.* Ultro citroque integrant in oppido cædem. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Quum sæpe ultro citroque legati inter eos mitterentur. *Cic. Rosc. Am.* 22. 60. Postea homines cursare ultro et citro non destiterunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 33. *circa med.* Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citroque commeantibus, mundi partium conjunctio continetur. *Liv.* 40. 40. Bis ultro citroque cum magna strage hostium transcurrerunt. *Sueton. Cal.* 19. Per hunc pontem ultro citro commeavit. Alii leg. *citroque.* At nihil mutandum; nam in *Inscr.,* abhinc paucis annis reperta Lanuvii, edita vero in *Atti dell'Accad. Rom. di Arch. T.* 2. *p.* 462. *l.* 30. HOC AMPLIVS DABITVR VIATICI NOMINE VLTRO CITRO SINGVLIS HS. XX. N. h. e. *per l'andata e pel ritorno.* — Cum genetivo. *Gromat. vet. p.* 150. 10. *Lachm.* Ultro citroque rivorum aliquas partes agrorum possideri.

*B*) Translate.

1.) Cum *citro* junctum usurpatur de iis, quæ ab altero erga alterum invicem aguntur, ideoque significat mutuo, vicissim, hinc inde, ab utraque parte. *Cic.* 6. *Rep.* 9. 9. Multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. *Id.* 1. *Off.* 17. 56. Magna etiam illa communitas est, quæ conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis. *Id. Amic.* 22. *in fin.* Nam implicati ultro et citro vel usu diuturno vel etiam officiis, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, disrumpimus. *h. e.* hinc inde, modo hac, modo illa re.

II.) Sine *citro.* ¶ 1. Est quod ultra nos est et remotionem significat idemque sonat ac procul. *Plaut. Amph.* 1. 1. 164. Ultro istunc, qui exossat homines. *Id. Capt.* 3. 4. 19. Ultro istum a me. *lungi da me.* Adde *Cas.* 2. 8. 23. ¶ 2. Item additionem significat et est insuper, præterea, ultra. *Plaut. Pers.* 3. 2. 26. TO. Jam omnes sycophantias instruxi et comparavi, Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SO. Tanto melior. TO. Et mulier ut sit libera atque ipse ultro det argentum. *Ter. Eun.* 5. 2. 21. Etiam ultro derisum advenit. *Cic. Flacc.* 19. *ad fin.* Quum pro frumento pecuniam accepisset, celavit cives suos ultroque iis sumptum intulit. *Virg.* 2. *Æn.* 145. His lacrimis vitam damus et miserescimus ultro. Ita *Serv.* exponit. ¶ 3. Interdum est adeo, immo vel e contrario. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 55. Ubi disputata est ratio cum ar-

gentario, etiam plus ipsus ultro debet argentario. *Cic. Quinct.* 23. 74. Sextus Nævius, qui, quum ipse ultro deberet, cupidissime contenderet etc. *Liv.* 3. 65. Cavendo, ne metuant homines, metuendos ultro se offerunt. Adde *Quintil.* 5. 10. 107. *Tac. Agric.* 19. Emere ultro frumenta ac ludere pretio cogebantur. *h. e.* adeo. Adde *Germ.* 28. *Id. Agric.* 42. Qui iturusne esset in provinciam, ultro Agricolam interrogarent. *direttamente, a dirittura.* ¶ 4. Aliquando significat etiam prius. *Ter. Adelph.* 4. 3. 3. Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant, Sibi fieri injuriam ultro, si, quam fecere ipsi, expostules, Et ultro accusant. *h. e.* ipsi priores accusant, non exspectata querela eorum, qui injuria sunt affecti. Aliqui explicant, perverse, vice versa *Id. Phorm.* 2. 3. 13. O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit. Adde *Liv.* 40. 12. ¶ 5. Sæpe notat quod aliunde venit et significat sponte, nemine rogante aut cogente, *spontaneamente,* ἑκοντί, ἐκ προαιρέσεως. *Acc.* apud *Non. p.* 385. 11. *Merc.* Facere ultro in regem. Adde *Enn. ibid. p.* 355 16. *Ter. Eun.* 4 7. 42. Quum id, quod antea petenti denegasset, ultro polliceretur. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 42 *Cic. Planc.* 10. 26. Ultro offerre. *Id.* 2. *Fin.* 18. 58. venire. *Id.* 4. *Fam.* 13. Nec mihi quicquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Cæsar detulerit. *Virg.* 5. *Æn.* 446. Entellus vires in ventum effudit et ultro Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto Concidit. *h. e.* nullo impellente, ut *Donatus* interpretatur. *Sall. Jug.* 15. Ultro bellum inferre. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 12. 22. et *Liv.* 1. 17. *Quintil.* 11. 1. 64. Miserabiliem fieri ultro. *da sè stesso.* et 5. 10. 111. Ultro donare. *Seneca Brev. vit.* 20. Turranius exactæ diligentiæ senex post annum nonagesimum quum vacationem procurationis a C. Cæsare ultro accepisset, componi se in lecto et velut exanimem a circumstante familia plangi jussit. *avendo ricevuta la sua giubilazione senza chiederla.* et *Tac.* 11. *Ann.* 36. Ne Trauli (*h. e.* Traulii) quidem Montani defensio recepta est. Is modesta juventa sed corpore insigni, accitus ultro noctemque intra unam a Messalina proturbatus, paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. *Nepos fragm.* 5. 4. *Stav.* Ultro appetitur qui habet. *h. e.* ditioribus non diu quærendi sunt amici, sed sponte se offerunt.

Homonym. Discrimen inter *sponte* et *ultro* V. sub SPONTE.

**ULTRŌNĔĒ**, adverb. (ultroneus) sponte. *Cod.* 4. 40. 13. Ultronee a nostra liberalitate. Alii tamen leg. *ultronea;* alii vero *ultro in eum.* V. *Dirksen.*

**ULTRŌNĔĬTAS**, ātis, f. 3. (ultroneus) facultas sponte aliquid faciendi, *libero arbitrio. Fulgent.* 3. *Myth.* 6. *ad fin.* Quibus tres filias addunt, id est carnem, ultroneitatem, quam libertatem arbitrii dicimus, et animam.

**ULTRŌNĔUS** (ultronius), a, um, adject. (ultro) *Ultronius* pro *ultroneus* est in *Gloss. Gr. Lat.* Αὐτοπροαίρετος, ultronius, voluntarius. — Ultroneus est spontaneus, *spontaneo,* ἐθελτής, ἑκών: dicitur tum de personis tum de rebus. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 59. *a med.* Quid interest ad mortem, utrum jussi eamus, an ultronei? Ita *Forcellinus;* at recentiores pro *an ultronei* leg. *an nati. Apul.* 1. *Met.* Ultroneum exsilium amplexus. *Id.* 8. *ibid.* victima. *Cyprian. ad Donat.* 7. funus. et *ep.* 63. *n.* 1. voluntas. *Pacat. Paneg.* 32. Ultroneam alicui operam dare. Adde *Apul.* 6. *Met.* et *Florid.* 14. *p.* 16. 3. *Kr.* — *Ultroneæ merces putent,* proverb. apud *Hieronym. Ep.* 137. *extr.*

**ULTRORSUM**, adverb. (ultro versum) ultra, *oltre. Sulpic. Sever.* 2. *Hist. sacr.* 26. *a med.* Ultrorsum pergere et vicina quæque R. imperio adjungere cupiens. *Halm* leg. *introrsum.* Usum tamen vocis confirmat *Auct. Itin Alex. M.* 69. Flumen, quod ultrorsum est.

**ULTRŌTRĬBŪTUM** *et rectius divisim* ultro tributum, i, n. 2. sumptus operum publicorum, *impresa per appalto,* ἐργολαβία: ita autem appellatur, quia qui opera publica facienda vel reficienda redimebant, de pecunia sua impensas omnes faciebant, ut, re confecta, id ipsis ex ærario solveretur, in quod locatione convenerant.

I.) Proprie. *Varro* 6. *L. L.* 11. *Müll.* Quinto quoque anno vectigalia et ultro tributa per censores persolvebantur. *Liv.* 39. 44. *a med.* Censores vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt. *Id.* 43. 16. Publica vectigalia aut ultro tributa conducere. *et mox.* locare. *h. e.* ipsa opera publica, in quæ impensa facienda erat, conducere et locare. *Tab. Heracl.* apud *Mazoch. p.* 378. Quibus locis ex lege locationis, quam censor aliusve quis magistratus publicis vectigalibus ultrove tributis fruendis tuendisve dixit, dixerit, eis, qui ea fruenda tuendave conducta habebunt, ut uti, frui liceat, ut ea ab iis custodiantur, cautum est. — Ex *Inscr.* apud *Gruter.* 207. *col.* 3. constat, dimidiam partem pecuniæ, quæ ultro tributorum conductoribus ex ærario solvenda erat, tum solutam iisdem fuisse, quum prædia satisdationibus obnoxia subsignata essent; alteram vero partem dimidiam, postquam opus effectum probatumque fuisset. V. *Asconii loc. cit.* in PRÆDIUM.

II.) Translate. *Seneca* 4. *Benef.* 1. Virtus sæpius in ultro tributis est. *h. e.* quum duo sint actus virtutis, v. gr. liberalitatis, impendere et accipere, sæpius est in impendendo, quam in accipiendo; ideoque similior est ultro tributis, quam vectigalibus.

Homonym. Differt *ultrotributum* a *vectigali,* quia qui vectigal conducebat, pecuniam prius colligebat, deinde vero inferebat ærario; qui vero ultrotributa, prius pecuniam ultro erogabat, deinde ex ærario, quod sibi debebatur, accipiebat· vel quia ultro ex ærario pecunia erogabatur redimentibus opera publica; quum in vectigalibus, qui conducebant, pecuniam in ærarium inferrent. V. *locc.* supra *citt.*

ULTŬMUS. *V.* ULTIMUS.

ULTUS, a, um, particip. *V.* ULCISCOR.

ULŪCUS. *V.* ALUCUS.

ŬLŬLA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, videtur esse ab *ululando.* uti Græce est ὀλολυγή vel ὀλολυγών ab ὀλολύζειν. Sic *Varro* 5. *L. L.* 75. *Müll. de alitib. et volucrib.* De his pleræque ab suis vocibus, ut hæc: upupa, cuculus, ulula, bubo. Hinc *Anthol. Lat.* 762. 41. (233. 41.) Ululant ululæ. — Ulula est avis nocturna ex genere noctuarum, ὀλολυγών, αἰγωλιός (It. *allocco;* Fr. *hibou;* Hisp. *buho;* Germ. *Kanz;* Angl. *owl*). *Virg.* 8. *Ecl.* 55. Certent et cygnis ululæ, sit Tityrus Orpheus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 39. (118) Ulula avis. *et* 10. *ibid.* 12. 16. (32). Uncos ungues et nocturnæ aves habent, ut noctuæ, bubo, ululæ. *Apul. Florid.* 13. *p.* 15. 15. *Kr.* Natura cantum commodavit noctuis serum, ululis vespertinum, bubonibus nocturnum. — Proverb. est illud *Varron.* apud *Non. p.* 4. 22. *Merc.* Homines eum pejus formidant, quam fullo ululam. *fullo* genus quoddam scarabæi hoc loco significat: eo ulula libentissime vescitur. Ita *Forcellinus.* Ad hunc vero loc. hæc adnotat *Oehlerus:* Quum fullones maculas albarum vestium eluere solerent, nec eorum interesset atris vestibus uti; inde *Varro* eleganter dixit, fullones ululas formidare, quod scilicet luctus eos ad inopiam adigeret; ulula enim, inauspicata avis, funera portendit.

ŬLŬLĀBĬLIS, e, adject. (ululo) ululans, ululatu plenus. *Apul.* 4. *Met.* Ululabilis plangor. *Id.* 5. *ibid.* vox. *Ammian.* 19. 5. 5. clamor. *Id.* 29. 5. 12. fletus.

ŬLŬLĀMEN, mĭnis, n. 3. (ululo) idem quod ululatus. *Prudent.* 10. *Cathemer* 122. Turba clangens ululamina miscet.

ŬLŬLANS, antis, particip. *V.* ULULO.

ŬLŬLĀTIO, ōnis, f. 3. (ululo) ululamen, ululatus. *Inscr.* apud *Gruter.* 705. 11. et 12. PARENTES INFELICISSIMI AMISSIONE EIVS PERPETVIS TENEBRIS ET QVOTIDIANA MISERABILI VLVLATIONE DAMNATI.

ŬLŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* ULULO.

ŬLŬLĀTUS, us, m. 4. (ululo) actus ululandi, clamor clarus sed inconditus, ὀλολυγμός, ὀλολυγή (It. *ululato, urlo;* Fr. *hurlement;* Hisp. *aullo;* Germ. *das Heulen;* Angl. *a howling*). *Cæs.* 5. *B. G.* 36. *a med.* Tum vero suo more victoriam conclamant atque ululatum tollunt. *grido di vittoria.* et 7. *ibid.* 80. Clamore et ululatu suorum animos confirmabant. *Virg.* 4. *Æn.* 667. Lamentis gemituque et femineo ululatu Tecta fremunt. *Ovid.* 3. *Met.* 528. Liber adest festisque fremunt ululatibus agri. *Catull.* 63. 24. Mænades sacra acutis ululatibus agitant. *Stat.* 9. *Theb.* 177. Jam gaudia magnæ Testantur voces victorque ululatus aderrat Auribus.

ŬLŬLO, as, āvi, ātum, āre, 1. Part. *Ululans* sub *A* I. et II. et *B* 3.; *Ululatus* sub *B* 1. et 2.; *Ululaturus* sub *A* II. *a; Ululandus* sub *B* 1. — Ululo est flebilem mœstumque sonum edo, gannio: proprium canum et luporum, ὀλολύζω (It. *urlare;* Fr. *hurler;* Hisp. *aullar;* Germ. *heulen;* Angl. *to howl*): a voce Græca allata, quæ et ipsa per onomatopœiam ficta est. Occurrit autem *A)* Intransitive; et etiam *B)* Transitivorum more.

*A)* Intransitive.

I.) Proprie. *Enn.* apud *Fest.* in *Nictare p.* 177. 20. *Müll.* Canis ululat acute. *Virg.* 6. *Æn.* 257. visæque canes ululare per umbram. *et* 7. *ibid.* 18. formæ magnorum ululare luporum. *et* 1. *G.* 486. Ululantes lupi. *Ovid.* 4. *Met.* 404. Falsaque sævarum simulacra ululare ferarum. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 8. 25. et 1. *Od.* 16. 5. *Cic. Orat.* 8. 27. Voce ululanti canere.

II.) Translate refertur ad quamvis vociferationem et clamorem ululatui similem. — *a)* De animantibus. *Cic. Orat.* 8. 27. Quum vero inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere cœpisset, quis eum ferret? *Virg.* 4. *Æn.* 168. summoque ulularunt vertice Nymphæ. *Ovid.* 2. *Fast.* 553. Perque vias urbis Latiosque ululasse per agros Deformes animas, vulgus inane, ferunt. *Id. Heroid.* 2. 117. Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis. *Catull.* 63. 28. Thiasus repente linguis trepidantibus ululat. *Lucan.* 6. 261. lætis ululare triumphis. *Sil. It.* 6. 563. jacent portis ululante dolore Dispersum vulgus. *h. e.* vulgus ululans ob dolorem *Hieronym.* 5. *in Is.* 16. 6. Propter hanc superbiam ululaturus sit Moab. — *b)* De inanimis *ululare* est ululatibus resonare. *Virg.* 2. *Æn* 487. penitusque cavæ plangoribus ædes Femineis ululant: ferit aurea sidera clamor. *Sil. It* 6. 285. et lucus et antrum Et resonæ silvis ulularunt flebile ripæ. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 269. Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis Incolis. — *c)* Item clangere, sed sonitu inciso et confracto. *Vulg. interpr. Num.* 10. 9. Ululantibus tubis

*B)* Transitivorum more. ¶ 1. Est ululatibus conclamare. *Virg.* 4. *Æn.* 609. Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbem. *h. e.* ululatibus invocata. Sic *Stat.* 3. *Theb.* 158 Queis steriles thalami nulloque ululata dolore Respexit Lucina domum. *Id.* 9. *Theb.* 724. Tu dulces lituos ululataque prœlia gaudes. Alii leg. *ululanda,* h. e. luctuosa. *Martial.* 5. 41. Et concubino mollior Celænæo, Quem sectus ululat matris Entheæ Gallus. *h. e.* ululando inclamat· nam et in sacris *ululare* dicebant, et Græca consuetudine, ut ait *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 168. ¶ 2. Est etiam ululatibus complere. *Val. Flacc.* 4. 608. ululataque tellus intremit. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 85. juga Circes Dulichiis ululata lupis. *Id.* 1. *Theb.* 328. Ogygiis ululata furoribus antra. *Claudian. IV. cons. Honor.* 139. ululata verendis Aula puerperiis. ¶ 3. Alio sensu. *Prudent. Hamartig.* 452 Orbatam propriis ululavit civibus urbem. *h. e.* ululando questus est. *Lucan.* 1. 567. Sanguinei populis ulularunt tristia Galli. *h. e.* ululantes prædixerunt. *Sil. It.* 3. 346. Barbara nunc patriis ululantem (*pubem*) carmina linguis. *h. e.* ululando recitare vel canere.

ŬLUS pro Ullus. *V.* ULLUS

ULVA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, ab *uligine* deducit *Isid.* 17. *Orig.* 9. 100. Ulva et typus (*al* typhus) herba, quæ circa fontes et paludes stagnaque nascuntur. Ex quibus *ulva,* id est *alga mollis* et quodammodo *fungus,* dicta ab *uligine.* Cf. ULMUS. — Ulva est igitur herba

palustris, eadem ac buda (*Typha latifolia* Linn.), *ulva, scarda, sala,* τύφη. *V.* TYPHA. Hæc ad ripas fluviorum stagnantium et in paludibus nascitur; ut alga, quæ in mari. Cf. *Mich. Ang. Macrì* in *Atti della Soc. Fontan. T.* 4., qui de ulva et ampelodesmo docte disserit atque postremam hanc plantam longe differre ab ulva statuit. *V.* AMPELODESMOS. *Cato R. R.* 37. Circa salicta herbam altam ulvamque (*vellito*): eam substernito ovibus bubusque. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 42. Laurens aper ulvis et arundine pinguis. *Virg.* 2. *Æn.* 135. Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva Delitui. *Id.* 6. *ibid.* 415. trans fluvium incolumes vatemque virumque Informi limo glaucaque exponit in ulva. *Id.* 8. *Ecl.* 87. Ulva viridis. *Id.* 3. *G.* 175. (et *Vitruv.* 2. 1. *ante med.* et 5. 1. *a med.* et *Pallad.* 12. *R. R.* 7. *ad fin.*) palustris. (De *ulva* apud *Virg.* V. *Bubani Flor. Virg.* p. 115. et seq.) *Ovid.* 4. *Met.* 299. sterilis. *Id.* 6. *ibid.* 344. legebant Vimina cum juncis gratamque paludibus ulvam. *et* 8. *ibid.* 335. tenet ima lacunæ Lenta salix ulvæque leves juncique palustres. *et* 14. *ibid.* 103. loca feta palustribus ulvis. *Id.* 1. *Fast.* 200. Et dabat exiguum fluminis ulva torum. *et* 5. *ibid.* 519. flumineam limo celantibus ulvam, Sic quoque non altis incubuere toris. *Id.* 4. *Trist.* 2. 41. Rhenus viridi male tectus ab ulva. *Lucan.* 2. 70. Exsul limosa Marius caput abdidit ulva. *Auson. Edyll.* 10. 122. Lucius obscuras ulva cœnoque lacunas Obsidet. *Colum.* 4. *R. R.* 13. Optima est (*liganóis vitibus*) genista vel paludibus desectus juncus aut ulva. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ad fin.* Hunc (*lacum*) circa lubrici scirporum cirri plicantur simulque pingues ulvarum paginæ natant. Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 1. 1. (4). et 17. *ibid.* 23. 35. (209). et 21. *ibid.* 17. 68. (111). *V.* voc. seq.

ULVŌSUS, a, um, adject. (ulva) ulvâ abundans. *Sidon. carm.* 7. 324. ulvosa quem vel Nicer abluit unda, Prorumpit Francus. *Id.* 1. *Ep.* 5. *ante med.* Ulvosum Lambrum subvectus.

# UM

UMBELLA, æ, f. 1. *deminut. ab* umbra, proprie est parva umbra: metonymice vero umbraculum, h. e. instrumentum, quod supra caput expanditur, soli et pluviæ arcendæ, *parasole, ombrella,* σκιάδιον. *Martial.* 14. 28. cujus lemma *Umbella:* Accipe, quæ nimios vincant umbracula soles: Sit licet et ventus, te tua vela tegent. *Id.* 11. 73. Umbellam luscæ, Lygde, feras dominæ. *Juvenal.* 9. 50. En, cui tu viridem umbellam, cui sucina mittas. — De umbellæ gestatione V. *Peciendi Miscell.* 16.

UMBER, bra, brum, adject. Ὄμβριος, qui est ex Umbria, de qua *V.* ONOM. Hinc ¶ 1. Absolute *Umbri* vel *Umbræ* dictæ sunt canes, in venatione maxime laudatæ. *Virg.* 12. *Æn.* 752. insidiis et ripa territus alta (*cervus*) Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber Hæret hians jamjamque tenet. *Seneca Thyest.* 497. quum feras vestigat et longo sagax Loro tenetur Umber ac presso vias Scrutatur ore etc. *Val. Flacc.* 6. 420. petit cervos Umbro venator edaci. *Sil. It.* 3. 295. exigit Umber Nare sagax e calle feras. *Sidon. carm.* 7. 191. suem latratibus improbus Umber Terruit. Adde *Nemesian. Cyneg.* a v. 231., ubi Tuscos canes (Umbri olim et in Tuscia fuere, teste *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 8. et Umbriam partem esse Tusciæ, tradit *Serv.* ad *Virg. loc. cit.*), laudat a sagacitate, villosos tamen esse dicit ac deformes. *Grat.* quoque *Cyneg.* 171. Umbros canes commendat quidem a fide et solertia, sed animis dicit et virtute destitutos et fugere adversam feram, postquam indagaverint. ¶ 2. Musmones (animal caprino vellere) ex capra et ove natos, prisci *umbros* vocarunt, ut tradit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 49. 75., nempe e Græco ὀμβρίας, hybrida, spurius. Huc spectat, quod habetur in *Gloss. Philox.* Imbrum, ἡμίονον, πρόβατον. h. e. mulum, ovem.

UMBĬLĬCĀRIS, e, adject. (umbilicus) ad umbilicum pertinens, ut Umbilicaris nervus. apud *Tertull. Car. Chr.* 20. *a med.* Si non adhæsit utero, quomodo avulsus est? si adhæsit, qui avulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex utero per illum nervum umbilicarem, quasi folliculi sui traducem, adnexus origini vulvæ?

UMBĬLĬCĀTUS, a, um, adject. participiorum more effictum ab *umbilico:* est autem ad umbilici similitudinem factus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (32). *de semine palmæ.* Et in alvo media plerisque umbilicatum.

UMBĬLĪCUS, i, m. 2. *Umblicus* per syncopen pro *umbilicus* quidam leg., non sine auctoritate Codd., apud *Catull.* 64. 18. Nymphæ Umblicum tenus exstantes e gurgite vasto. *Lachmann* tamen aliique *Nutricum* pro *Umblicum* habent. — *Isid.* 11. *Orig.* 1. *a med.* ita dictum censet, quod sit *umbo iliorum;* at est vox ab Gr. ὀμφαλός, ejusd. significationis, producta. — Umbilicus est regio media alvi et abdominis, cavitate quadam prædita, vestigia servans vasorum, per quæ fetus, dum est in utero matris, nutritur, ὀμφαλός (It. *bellico, ombellico;* Fr. *ombilic, nombril;* Hisp. *ombligo;* Germ. *der Nabel;* Angl. *the navel*).

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 89. (220). Venarum in umbilico nodus ac coitus. *Cels.* 7. 14. Sunt etiam circa umbilicum plura vitia etc. *et* 6. 17. Ad umbilicos prominentes, ne manu ferroque utendum sit etc. *Liv.* 26. 45. *sub fin.* Ventus adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. *Auct. B. Afr.* 85. Per mare umbilici fine ingressi, terram petebant.

II.) Improprie. ¶ 1. *Umbilici* dicuntur marinæ cochleæ, quarum testa rotunda et contorta similitudinem quamdam habet cum umbilico hominis. *Cic.* 2. *Orat.* 6. *de Scipione Æmiliano* et *C. Lælio.* Solet narrare Scævola, conchas eos et umbilicos ad Cajetam et Laurentum legere consuesse. *Val. Max.* 8. 8. *n.* 1. Constat namque, eos Cajetæ et Laurenti vagas litoribus conchulas et umbilicos lectitasse. Alii leg. *calculos* et *umbilicos* parvos rotundosque lapillos interpretantur. Sed *Aurel. Vict. Cæsar.* 3., quum narrasset, jussas a Caligula legiones, conchas et umbilicos in ora maris legere, subdit deinde: hujusmodi pisces Græce *Nympharum lumina* seu *ocellos* appellari; ex quo intelligimus, pisces esse aut certe marinas conchulas aut cochleas, quæ a maris fluctibus subinde ejectantur. *V.* OCELLATUS. ¶ 2. *Umbilicus Veneris,* κοτυληδών, herba est in officinis nomen retinens, folio in acetabuli formam tornato, brevi in medio cauliculo, in quo semen inest, radice olivæ modo rotunda. Est et alterum ejusdem genus, cymbalion aliqui vocant, pinguibus foliis, latioribus, ligularum modo densis, circa radicem medium oculi ambitum describentibus, ut in majore sempervivo, astringentis gustus, cauliculo tenui, in quo flores et semina hyperici, radice majuscula. *Apul. Herb.* 43.

III.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen, est nervus umbilicaris apud *Cels.* 7. 29. *sub fin.* Medicus manu leniter trahere umbilicum debet ita ne abrumpat. — Hinc allegorice. *Vulg. interpr. Ezech.* 16. 4. *de Jerusalem.* In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus. *Id. Cant.* 7. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis. Adde *Prov.* 3. 7. ¶ 2. A similitudine *umbilicus* dicitur media pars cujusque rei. *Plaut. Men.* 1. 2. 45. Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 106. Qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliæ nominatur. *Liv.* 35. 18. Ætoli, qui umbilicum Græciæ incolunt. *Capell.* 6. p. 205. Umbilicus Italiæ in agro Reatino. Adde *Plin.* 3. *Hist. nat.* 12. 17. (109). et *Acc.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 17. *Müll.* et apud *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 115., ubi Delphi *umbilicus terrarum* dicuntur, et ab *Auct. Priap.* 77. *umbilicus orbis,* et a *Liv.* 34. 48. *umbilicus orbis terrarum.* V. DELPHI in ONOM. — In eadem medii loci significatione sunt illa *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (89). Ponticis nucibus umbilicus intus in ventre medio. *Id.* 18. *ibid.* 14. 36. (136). In humido vermiculi umbilicum lupini in sterilitatem castrant. *Id.* 10. *ibid.* 52. 74. (145). Umbilicus ovis a cacumine inest, ceu gutta eminens in putamine. *Id.* 16. *ibid.* 7. 10. (29). *de robore.* Gignunt et alæ ramorum ejus pilulas, corpore, non pediculo adhærentes, candicantes umbilicis. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. *ante med.* Item bene servantur (*persica*), si umbilicum pomi gutta picis calentis oppleveris. *Gargil. De re hortens.* 4. 11. ed. *Scott.* Ex veteribus multi Suessatibus ollulis impicato singula poma clausere umbilico. *V.* PEDICULUS et SURCULUS. — *Umbilicum allii,* quo grana continentur, *V.* apud *Marcell. Empir. c.* 14. *p.* 104. *retro.* — *Umbilicum soli* V. apud *Gromat. vet. p.* 285. 16. et 287. 5. *Lachm.* ¶ 3. In libris vel potius voluminibus erat bacillus teres e cedro vel buxo vel ebore vel osse aliave materia, circa quem volvebantur chartæ et volumen fiebat: ita dictus, quod, volumine complicato, medium locum teneret. Vel (quod pæne eodem recidit) *umbilici* dictæ sunt ejus bacilli partes extremæ, quæ hinc inde depressæ cernebantur, convoluto volumine: quibus ad ornatum præfigi solebant, quæ, ex materia vel ex forma, dicebantur cornua, modo picta, modo ex ære aut ebore etc. V. *Mus. Borbon. T.* 1. p. 12. et *A. Rich* ad h. v. *Martial.* 2. 6. Quid prodest mihi tam macer libellus Nullo crassior ut sit umbilico, Si totus tibi triduo legatur? *Id.* 3. 2. *ad libr. suum:* Cedro nunc licet ambules perunctus Et frontis gemino nitens honore Pictis luxurieris umbilicis. *et* 5. 6. Quæ credo decorata purpuraque Nigris pagina crevit umbilicis. *Id.* 8. 61. Liber umbilicis decorus et cedro. Adde *eumd.* 1. 67. et *Catull.* 22. 7. ¶ 4. Et quia hic ornatus non affigitur libris, nisi quum absoluti sunt, hinc *umbilicus* interdum pro fine ponitur. *Martial.* 4. 91. Ohe, jam satis est, ohe libelle: Jam pervenimus usque ad umbilicos. *Horat. Epod.* 14. 8. Deus me vetat Inceptos, olim promissum carmen, iambos Ad umbilicum adducere. *Capell.* 5. p. 185. Tandem loquacis terminata paginæ Asserta cursim, quæ tamen voluminis Vix umbilicum multa opertum fascia Turgore pinguis insuit rubellulum. — Sunt tamen qui putant, umbilicum aliud quidpiam fuisse, sed *Winckelmannus oper. suor. T.* 7. *p.* 11. et 24. ac præcipue 203. et *seqq. edit. Pratens.* veterum hac super re opinionem pluribus confirmare conatur, fretus nempe illis papyris, quæ abhinc paucis annis repertæ sunt Herculani. *V.* CORNU et FRONS, tis. Ex his constat, *umbilicos* esse bullas, quas Itali nunc vocant *borchie,* quasque mediis operculis librorum affigere mos fuit. Hinc *Lucian. adv. indoct.* 7. Τὸ βιβλίον ἔχεις πάγκαλον, πορφυρᾶν μὲν ἔχον τὰν διφθέραν, χρυσοῦν δὲ τὸν ὀμφαλόν. Distinguendus, hic inquit cl. *Furlanetto,* umbilicus in volumine et in libro; in volumine enim est bacillus, in libro est bulla, *borchia.* ¶ 5. Dicitur etiam de parvo circulo. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (78). Non oportere perforari beryllos, quorum sit absoluta bonitas, umbilicis tantum ex auro capita comprehendentibus. *Id.* 18. *ibid.* 33. 76. (237). Duci sarculo sulcum vel cinere lineam pedum viginti conveniet: mediamque mensuram, hoc est in decimo pede, circumscribi circulo parvo, qui vocetur umbilicus. ¶ 6. Item de gnomone. *Id.* 6. *ibid.* 34. 39. (212). In hoc cæli circumflexu, æquinoctii die media, umbilicus, quem gnomonem vocant, septem pedes longus, umbram non amplius quattuor pedes longam reddit. Adde *ibid. sub fin.* et 2. *ibid.* 72. 74. (182).

UMBO, ōnis, m. 3. *Umbonis* in recto plur. num. habet *Varro* 5. *L. L.* 115. *Müll.,* ubi *Müllerus* leg. *umboneis.* — Umbo est quidquid in plano rotundâ aut coni figurâ exstat ac prominet; speciatim vero sic dicitur media pars clipei eminentior: est a voce Græca ἄμβων, quæ idem significat.

*A)* Proprie. *Virg.* 2. *Æn.* 544. telum imbelle sine ictu Conjecit, rauco quod protinus ære repulsum Et summo clipei nequidquam umbone pependit.

*B)* Translate.

I.) Stricta seu speciali notione vocis servata. ¶ 1. Per synecdochen est ipse clipeus, *scudo*. *Virg.* 7. *Æn.* 632. Tegmina tuta cavant capitum flectuntque salignas Umbonum crates. *et* 9. *ibid.* 810. nec sufficit umbo Ictibus. *et* 10. *ibid.* 884. sed sustinet aureus umbo. *Liv.* 4. 19. Adsurgentem regem umbone resupinat. *Id.* 30. 34. Hostium aciem Romani ala et umbonibus pulsantes etc. *Justin.* 33. 2. 4. Umbone se protegere. *Sil. It.* 4. 354. teritur junctis umbonibus umbo Pesque pedem premit. Adde *Lucan.* 6. 192., *Petron. Sat.* 124., *Stat.* 1. *Theb.* 377. et 9. *ibid.* 147. et *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 387. et 2. *Rapt. Pros.* 224. — Simile est illud *Prudentii Psychom.* 255. Hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini Sternere. *con l' urto del cavallo.* — In illo *Juvenal.* 2. 46. illos Defendit numerus junctæque umbone phalanges. eadem est sententia, quæ apud *Val. Flacc.* 3. 90. sic contextis umbonibus urgent. Utrobique enim respicitur mos militaris, quum artis ordinibus milites densantur junctisque scutis alter alterum protegit. ¶ 2. Hinc etiam dicitur de cubito, quia ibi clipeus tenetur. *Martial.* 3. 46. In turbam incideris, cunctos umbone repellet. *Stat.* 2. *Theb.* 670. manus cassos defertur in ictus Turbatique gradus, clipeum nec sustinet umbo. ¶ 3. Metaphorice. *Boeth. Arithm. præf.* Hic spicula sagittis exacuit: illi validus torax nigra gemit incude; est alius crudi umbonis tegmina proprii laboris orbi infigenda mercatur.

II.) Latiore sensu, a similitudine, quidquid prominet et protenditur, ut diximus, *umbo* est: idem enim et ἄμβων et ἄμβη significat. ¶ 1. Generatim. *Stat.* 1. *Achill.* 408. undisonæ quos circuit umbo Maleæ. *h. e.* promontorium. *Id.* 7. *Theb.* 15. Isthmius umbo. *h. e.* ipse Isthmus. *Id.* 3. *Silv.* 1. 110. solidus contra riget umbo maligni Montis. *et* 6. *ibid.* 257. Stant juga et objectus geminis umbonibus agger Campum exire vetat. *et* 4. *ibid.* 3. 47. Tunc umbonibus hinc et hinc coactis Et crebris iter alligare gomphis. *h. e.* crepidinibus, quibus via marginatur. *Id.* 6. *Theb.* 352. saxeus umbo Arbiter agricolis. *h. e.* lapis terminalis in modum clipei rotundatus et exstans. ¶ 2. Speciatim *umbo togæ* est sinus et rugæ collectæ ad sinistrum brachium, præsertim in vestitu ditiorum, quibus toga magis laxa et fluxa erat, quam pauperibus. *Tertull. Pall.* 5. *sub init.* — De palla *Apul.* 11. *Met.* usurpat. — *Persius* vero 5. 33. *candidum umbonem*, per synecdochen, dicit ipsam togam virilem. ¶ 3. In gemmis quoque *umbo* est earum pars prominentior. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (88). Arabice sardonyches excellunt candore circuli prælucido atque non gracili neque in recessu gemmæ aut in dejectu renidente, sed in ipsis umbonibus nitente. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Homonym. Differt *umbo* a *sinu* in toga ita ut, ubi inciperet sinus, ibi umbo desineret et ipsum veluti umbonem ambiret. Ea mens *Tertulliani loc.* supra *cit.* est: Nec artifice opus est, qui pridie rugas ab exordio formet et inde deducat in tilias totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet. Mox: Recognito rursus umbone, et si quid exorbitavit, reformato, partem quidem de lævo promittat, ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis retrahat a scapulis et exclusa dextera in lævam adhuc congerat, cum alio pariter tabulato in tergo devoto. *Umbo* iste *Tertulliani* haud dubie a *sinu* distinctus, centrum nempe et modus artifex coeuntium plicarum. Ceterum non semper umbonem arcte coactum fuisse, docet *Persius v.* 33. Ita *Popma.*

UMBRA, æ, f. 1. In MSS. Codd. et editis aliquando libris *humbra* cum aspiratione scribitur. — De notatione nihil afferri potest, quum nominis origo lateat. *Vanicek* proponit rad. *amb*, circum tegere vel claudere vel volvere; *Döderlein* vero vocem conjungit cum Gr. ἀμαυρός, obscurus. — Umbra proprie est aer sole seu luce carens ex objectu alicujus corporis, ut parietis, arboris, nubium, montium etc., *oscurità* (It. *uggia, rezzo, ombra*; Fr. *ombre, ombrage*; Hisp. *sombra*; Germ. *das Schatten*; Angl. *a shadow or shade*).

*A)* Primo ac stricto sensu.

I.) Proprie. *Augustin.* in *Ps.* 67. Constat umbra lumine et corpore. *Plaut. Most.* 3. 2. 79. quum usquequaque umbra est, tamen Sol semper hic est usque a mani ad vesperum. *Lucret.* 4. 341. lucidus aer Qui quasi purgat eos ac nigras discutit umbras. *Cic.* 1. *Orat.* 7. *ad fin.* Platani umbram sequi. *Id.* 2. *Divinat.* 6. *ad fin.* Quando luna incurrit in umbram terræ, quæ est meta noctis. *Virg.* 1. *Ecl.* 84. Majoresque cadunt altis de montibus umbræ. Contra *Ovid.* 3. *Met.* 58. Fecerat exiguas jam sol altissimus umbras. *Virg.* 2. *G.* 58. Arbor umbram facit. *Id.* 5. *Ecl.* 70. Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra. *all' ombra.* et 6. *Æn.* 257. visæque canes ululare per umbram. *fra l' ombre, nel bujo.* et *Horat.* 1. *Od.* 17. 22. sub umbra ducere pocula. *Id.* 2. *Ep.* 2. 185. ad umbram lucis ab ortu. *sino alla notte.* et *Cels.* 1. 2. *circa med.* Melior est ambulatio in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quæ tecto subest. *Liv.* 33. 48. Vela cum antennis corrogari, ut umbra (etenim media æstas forte erat) cenantibus in littore fieret. *Alii* umbræ fierent; *Madvigius* mallet *umbraclum*: nam umbraculum fit et exstruitur. *Petron. Sat.* 131. Nobilis æstivas platanus diffuderat umbras. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 34. (171). Regio, in qua XLV. diebus ante solstitium totidemque postea, hora sexta consumuntur umbræ et in meridiem reliquis horis cadunt. *Id.* 2. *ibid.* 73. 73. (184). Mons, juxta quem umbræ æstate in Austrum jaciuntur. *Id.* 4. *ibid.* 12. 23. (73). In cujus forum solstitio Athos ejaculatur umbram. *Virg.* 3. *Æn.* 589. Humentemque aurora polo dimoverat umbram. *h. e.* noctem. Sic *Val. Flacc.* 5. 607. prius humentem nox solverit umbram. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 9. jam nox inducere terris Umbras *etc.* parabat. *Virg.* 2. *Æn.* 251. nox Involvens umbrâ magnâ terramque polumque. *Id.* 6. *ibid.* 452. agnovitque per umbram Obscuram. *Horat.* 1. *Od.* 7. 21. densa Tiburis umbra. *Virg.* 2. *Æn.* 621. spissis noctis se condidit umbris. *et* 9. *ibid.* 373. sublustri noctis in umbra. *Tac. Germ.* 43. Umbra terrorem infert. *h. e.* obscuritas noctis. *Quintil.* 12. 10. 4. Luminum umbrarumque ratio. *Sil. It.* 13. 22. Umbræ nigrantes. *et ibid.* frondentes. *Virg.* 5. *Ecl.* 5. incertæ. *Colum. De cult. hort.* 296. odoratæ amaraci. *et ibid.* 379. gelidæ graminis. *Virg.* 7. *Ecl.* 46. Umbra rara (*arbuti*). *Id.* 2. *G.* 489. ingens ramorum. *Curt.* 9. 1. 11. Umbræ solis vim levant. *Seneca Œdip.* 713. nemus umbram præbet. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (67). Quibusdam smaragdis intercurrit umbra surdusque fit color. *Capell.* 8. *p.* 289. Umbra Lunæ. *et* 6. *p.* 190. telluris. — *Umbra mortis* apud *Vulg. interpr. Job* 3. 5. et *alibi* est umbra densissima.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorice. *Virg.* 12. *Æn.* 669. Ut primum discussæ tenebræ et lux reddita menti. *buio della mente o le vane passioni che gli ottenebravano la mente.* — *Facere umbram alicui*, ejus decora obscurare et gloriam minuere, *far ombra*. *Sil. It.* 14. 282. *de Syracusis.* Et Salaminiacis quantam Eoisque tropæis Ingenio portus urbs invia fecerit umbram. ¶ 2. Metonymice *umbra* est quidquid umbram facit, v. gr. arbores frondosæ, tentoria, ædificia: hinc per metaphoram barba, capilli, vestes etc. *Ovid.* 12. *Met.* 512. nudus Arboris Othrys erat nec habebat Pelion umbras. *Virg.* 1. *G.* 156. ruris opaci Falce premes umbras. *Id.* 9. *Ecl.* 20. viridi fontes induceret umbra. *h. e.* circumsitis viridibus umbrosos facere. *et* 5. *ibid.* 5. sub incertas, Zephyris motantibus, umbras. *h. e.* frondes. Sic *Calpurn. Ecl.* 5. 101. tremulas non excutit Africus umbras. *Sil. It.* 14. 301. turris tabulata decem cui crescere Grajus Fecerat et multas nemorum consumpserat umbras. *h. e.* arbores. *Id.* 4. 681. ignis Nutritas fluvio populatur fervidus umbras. *h. e.* arbores in ripa fluminis sitas. *Id.* 12. 354. Virgulta tegitur valle ac frondentibus umbris. *h. e.* frondibus umbrosis. *Val. Flacc.* 7. 55. cæsa descendet Caucasus umbra. — De tentoriis et ædificiis. *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 377. 4. *Müll.* Umbræ vocabantur Neptunalibus casæ frondeæ pro tabernaculis. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 50. vacua tonsoris in umbra. *h. e.* taberna. *Ovid.* 1. *Art. am.* 67. (et 3. *ibid.* 387., *Propert.* 4. 8. 75. et *Martial.* 11. 49.) Pompeja lentus spatiare sub umbra. *h. e.* porticu Pompeji. *Juvenal.* 7. 173. Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra. *h. e.* a declamationibus, quæ habentur in scholis, ad veras causas in foro agendas. *Tac.* 14. *Ann.* 53. Studia in umbra educata. *h. e.* in privata domo. — De aliis rebus. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 29. sed non erat illi Arcus et ex humeris nullæ fulgentibus umbræ. *h. e.* pharetra. *Id.* 4. *Theb.* 336. Dum roseis venit umbra genis. *h. e.* lanugo, barba. *Claudian. Nupt. Pallad. et Celer.* 42. dubiam lanuginis umbram Cæsaries intonsa tegit. *Petron. Sat.* 109. Nunc umbra nudata sua jam tempora mœrent. *h. e.* capillis. *Stat.* 6. *Theb.* 226. summæ cassidis umbra. *h. e.* crista. ¶ 3. In pictura *umbra* est color obscurior, quo qui clarior est, magis eminet: cui *lumen* opponitur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. *ante med.* Quam multa vident pictores in umbris et in eminentia, quæ nos non videmus! *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 11. (29). Tandem se ars ipsa distinxit et invenit lumen atque umbras, differentia colorum alterna vice sese excitante. *Id.* 33. *ibid.* 3. 57. (163). Ratio in pictura ad incisuras, hoc est umbras dividendas ab lumine. *Id.* 35. *ibid.* 11, 40. (131). Nicias lumen et umbras custodivit atque, ut eminerent e tabulis picturæ, maxime curavit. — In illo *Tertull. adv. Hermog.* 2. Hanc primam umbram plane sine lumine pessimus pictor illis argumentationibus coloravit. *prima umbra* est umbra seu imago hominis lineis tantum circumducta sine colore, quæ pictura linearis dicta est. Metaphorice apud *Tertull.* exponitur de sermonis, argumenti, rei demonstratæ obscuritate. ¶ 4. Dicitur etiam *umbra*, qui invocatus venit ad cenam cum eo, qui vocatus fuit: quia illum sequitur, tamquam umbra corpus. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 21. cum Servilio Balatrone Vibidius, quos Mæcenas adduxerat umbras. *et* 1. *Ep.* 5. 28. locus est et pluribus umbris. ¶ 5. Item tenuis species, signum, vestigium alicujus rei, *apparenza, ombra*. *Varro Sat. Menipp.* 64. *p.* 181. *Oehl.* Quum hic rapo umbram quoque spei devorasset. *Cic.* 3. *Off.* 17. 69. Veri juris germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus, umbra et imaginibus utimur. *Id.* 7. *Att.* 11. O hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem umquam τοῦ καλοῦ viderit! *Id. Mur.* 6. *a med.* In quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas? *Id. Pis.* 24. 57. Inanem aucupari rumorem et omnes umbras falsæ gloriæ consectari. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 31. Nihil amas: umbra es amantum magis quam amator. *Sil. It.* 15. 316. Belli per Grajas umbram circumtulit oras. *Lucan.* 3. 140. Umbram libertatis servare. *Ovid.* 9. *Met.* 459. Mendax umbra pietatis. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Habere quasdam veritatis umbras. *Vellej.* 2. 68. 1. Neque persona (*M. Cœlii*) umbram rei capit. *h. e.* non ea est persona Cœlius, ut taceri ejus acta possint. — Hinc *timere umbras*, nimis meticulosum esse, ex vana causa timere: proverb. *Cic.* 15. *Att.* 20. *sub fin.* Videtur mihi iste, qui umbras timet, ad cædem spectare. *Propert.* 2. 25. 19. Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras, Stultus, quod stulto sæpe timore tremo. *Q. Cic. Petit. cons.* 2. *ad fin.* Quamobrem, quod inanius, umbram suam timet. ¶ 6. Item, apud Ecclesiasticos scriptores, imago, figura, typus. *Vulg. interpr. Col.* 2. 17. Quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi. *h. e.* imago, figura adumbrata. Sic *Augustin.* in *Ps.* 67. Umbra significative futuri. *et* 17. *Civ. D.* 8. Salomon per umbram futuri prænunciabat Christum. ¶ 7. Ponitur et pro colore, prætexto, causa. *Liv.* 8. 4. Si sub umbra fœderis æqui servitutem pati possumus. *Claudian.* 1. *Laud. Sti-*

*lich.* 272. scelerique profano Fallax legitimam regni prætexerat umbram. ¶ 8. Et pro tutela ac præsidio. *Liv.* 7. 30. *a med.* Umbra auxilii vestri tegi possumus. *Id.* 32. 21. *a med.* Sub umbra auxilii vestri latere volunt. et 34. 9. *a med.* Sub umbra Romanæ amicitiæ latebant. *Justin.* 5. 2. 7. Morum vitia sub umbra eloquentiæ primo latebant. *sotto la coperta.* ¶ 9. Et pro otio et pace. *Ovid.* 2. *Amor.* 18. 3. Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra. *Albinov.* 2. 93. victor amet: victor potiatur in umbra. *Cic. Mur.* 14. *ante med.* Cedat forum castris, otium militiæ, stilus gladio, umbra soli. ¶ 10. Item *umbra* est spectrum, imago, εἴδωλον, φάσμα: sæpius vero dicitur speciatim de Manibus defunctorum *ombra, spettro, fantasima,* simulacra, imagines. Fingunt enim ethnici poetæ, defuncto corpore, ejus imaginem aut simulacrum expers corporis et aeri simile ad Inferos descendere, et siquando revisat ad superos, obscuri aeris pallente colore videri (V. *Lucret.* 1. a *v.* 120. et *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 654., cujus verba in SIMULACRUM recitata sunt); quod si contrectes, par levibus ventis volucrique somno simillimum experiare: vel ipsum animum aere vestiri retentaque defuncti corporis figura, oculis quidem percipi posse, tactu non posse. *Liv.* 21. 40. Umbræ hominum. *Virg.* 10. *Æn.* 636. Umbra tenuis. *Id. ibid.* 593. Umbræ ex hostibus. *Horat.* 4. *Od.* 7. 14. Nos ubi decidimus, quo Tullus, dives et Ancus, Pulvis et umbra sumus. *pulvis* ex resoluto corpore, *umbra* effigie et simulacro. *Tibull.* 3. 2. 9. quum tenuem fuero mutatus in umbram Candidaque ossa super nigra favilla teget. *Virg.* 5. *Æn.* 734. non me Tartara habent, tristes umbræ. *Ovid.* 7. *Met.* 249. Umbrarum rex. *h. e.* Pluto, qui a *Petron. Sat.* 112. *pater umbrarum* dicitur. *Id. ibid.* Umbrarum facies diro stridore minantur. *Plin.* 30 *Hist. nat.* 2. 6. (18). Se evocasse umbras ad percontandum Homerum. *Tibull.* 4. 1. 67. ut inferno Plutonis subdita regno Magna deûm proles levibus discurreret umbris. *Ovid.* 9. *Met.* 410. Vultibus Eumenidum matrisque agitabitur umbris. *Sueton. Cal.* 59. Hortorum custodes umbris inquietati. *Sil. It.* 11. 348. Et Pauli stare ingentem miraberis umbram. *Seneca Troad.* 181. Emicuit ingens umbra Thessalici ducis. *h. e.* Achillis. — *Id. Herc. Œt.* 1477. emensus freta: Terrasque et umbras. *h. e.* mare, terras, Inferos, *luoghi infernali.* — Hinc *demittere umbris, ad umbras,* demittere Orco, *h. e.* dare leto, neci. *Sil. It.* 1. 439. et 15. 467. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 398. ¶ 11. *Umbra vera* est homo vivus apud *eumd.* 6. *ibid.* 894. veris facilis datur exitus umbris.

*B)* Improprie, per similitudinem, *umbra* est piscis genus, sic a colore nigrescenti appellatum, ut auctor est *Varro* 5. *L. L.* 77. *Müll.* his verbis: Vocabula piscium pleraque translata a terrestribus ex aliqua parte similibus rebus, ut anguilla, lingulaca, sudis: alia a coloribus, ut hæc, asellus, umbra, turdus: alia a vi quadam, ut hæc, lupus, canicula, torpedo. Hæc *Varro.* Umbra quoque hic piscis appellatus videri potest ob lineas quasdam obliquas a dorso descendentes, aureas et obscuras, quæ aliarum videntur umbræ. Una enim manifesta est, sequens obscura et sic deinceps a capite ad caudam usque, quemadmodum tradit *Rondeletius l.* 5. *de piscibus, c.* 9., ubi plura hoc de pisce legere potes. Græcis similiter piscis hic σκίαινα appellatur a σκιά (*V.* SCIADEUS); Italis *ombrina* dicitur. *Ovid. Halieut.* 111. et auri Chrysophrys imitata decus, tum corporis umbræ Liventis rapidique lupi. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 16. et *Auson. Edyll.* 10. 90.

UMBRĀBĬLIS, e, adject. (umbro) qui umbrat. Translate *Boeth.* 3. *Cons. Phil.* 4. Atque ut agnoscas veram illam reverentiam per has umbrabiles dignitates non posse contingere, sic etc. Ita *Peiper;* at *Obbarius* leg. *umbratiles.* V. *Paucker* in *Add. p.* 102.

UMBRĀCŬLUM, i, n. 2. (umbra) *Umbraclum* sync. pro *umbraculum* V. in UMBRA. — Umbraculum est locus, in quo est umbra, locus compositus et tectus frondibus aut alia re quacumque ad umbram præbendam, tabernaculum velumve umbræ causa erectum, σκηνή, σκέπασμα (It. *ombracolo;* Fr. *ombrage ou lieu ombragé;* Hisp. *umbrio, sombrio;* Germ. *der schattengebende Gegenstand, Beschattung;* Angl. *a shady place, a bower*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 51. Ubi ea (*area*) retecta et loca arida, prope aream faciundum umbracula, quo succedant homines in æstu, tempore meridiano. *Cic. fragm.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Visne, ea quæ restant, in illis alnorum umbraculis prosequamur? *Virg.* 9. *Ecl.* 42. et lentæ texunt umbracula vites. *Tac.* 3. *Hist.* 36. Umbraculis hortorum abditus. *Apul.* 9. *Met.* Frondoso casulæ contectus umbraculo. — In illo *Cod. Theod.* 6. 22. 6. Secretæ quietis umbracula. *umbracula* idem ac secessus.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur quoque, a similitudine, pro schola, ducta appellatione a philosophorum veterum ambulationibus, quæ arborum umbraculis erant opacæ, ut Academia et Lyceum. *Cic. Brut.* 9. *a med.* Processerat enim in solem et pulverem: non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti doctissimi hominis umbraculis. *Id.* 3. *Legg.* 6. 14. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque, non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. ¶ 2. Item pro umbella, qua tegitur facies ad solis calores arcendos, *ombrella. Ovid.* 2. *Fast.* 311. Aurea pellebant tepidos umbracula soles. *Id.* 2. *Art. am.* 209. Ipse tene distenta suis umbracula virgis. *Martial.* 14. 28. Accipe quæ nimios vincant umbracula soles. *Tibull.* 2. 5. 97. Aut e veste sua tendat umbracula sertis Vincta. *Ammian.* 28. 4. *a med.* Si per foramen umbraculi pensilis radiolus irruperit solis, queruntur, quod non sunt apud Cimmerios nati. ¶ 3. Hinc est tegmen, defensio, præsidium. *Apul. De mag.* Crispatus capillus sub imo pilei umbraculo. Adde *Vulg. interpr. Is.* 25. 4. Cf. *Cod. Theod.* 8. 1. 18. Ne dignitas fraudibus faciat umbraculum.

UMBRĀLĬTER, adverb. (umbra) per umbram et imaginem. *Augustin. Ep.* 37. *ad fin.* Deus in templo manufacto non corporaliter, sed umbraliter habitavit.

UMBRANS, antis, particip. *V.* UMBRO.

UMBRĀTĬCĒ, adverb. (umbraticus) specie, sub umbra. *Ps. Cassiod. De amic.* 34. Diligere aliquem non umbratice, non simulatorie.

UMBRĀTĬCŎLA, æ, adject. comm. gen. (umbra *et* colo) qui umbra delectatur, homo delicatus et mollis, ignavus, qui solem pulveremque ferre non potest. *Plaut. Truc.* 2. 7. 49. Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam amas. — Eodem sensu etiam *umbraticus* dicitur. *V.* voc. seq.

UMBRĀTĬCUS, a, um, adject. (umbra) umbratilis.

I.) Proprie. *Chalcid. Tim.* 37. Exsanguium simulacrorum umbraticas formas sumunt. — Apud *Venant. Suppl.* 1. 87. est idem quod umbratus, *ombreggiato.*

II.) Translate. ¶ 1. Est qui umbra seu latebris delectatur; atque hinc dicitur de homine ignavo, molli. *Plaut. Curc.* 4. 3. 23. Quid refert, me fecisse regibus, ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit? *Seneca* 4. *Benef.* 2. Epicureorum delicata et umbratica turba. ¶ 2. *Umbraticæ litteræ* dicuntur, quæ domi exercitii causa aut in scholis exarantur. *Plin.* 9. *Ep.* 2. Nisi forte volumus scholasticas tibi atque, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere. — *Umbraticus doctor,* ludi magister, qui domi et in otio pueros docet. *Petron. Sat.* 2. — *Umbraticum negotium* est, quod domi agitur et sine multo labore. *Gell.* 3. 1. *a med.* Negotiis se plerumque umbraticis et sellulariis quæstibus intentos habent.

UMBRĀTĪLIS, e, adject. (umbra) ad umbram pertinens, umbraticus, *da ombra,* σκιαρός. *Cassiod.* in *Ps.* 79. *n.* 8. Turbæ umbratiles. — Translate. *Cic.* 2. *Tusc.* 11. 27. Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam quum accesserunt etiam poetæ, nervos omnes virtutis elidunt. *Colum.* 1. *R. R.* 2. Nec sit mora segnis et umbratilis. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 34. 157. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque aciem forensem. *h. e.* quæ in loco operto atque adeo in otio fit. — De oratione. *Id. Orat.* 19. 64. Mollis est oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus. *h. e.* oratio philosophorum, ita dicta ad differentiam orationis oratorum, quia philosophi in umbraculis versabantur, oratores in foro sub sole.

UMBRĀTĪLĬTER, adverb. (umbratilis) ¶ 1. Est leviter, rudi descriptione et quasi per umbras. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. Quæ imaginarie tantum et quodammodo umbratiliter effingimus. ¶ 2. Est etiam ficte. *Augustin. Ep.* 149. *n.* 25. Ideo *corporaliter* dixit, quia illi *umbratiliter* seducebant.

UMBRĀTIM, adverb. (umbra) per umbram, cum umbra. *Beda De rat. temp. T.* 2. *p.* 60. apud *Quicherat p.* 302. Horis umbratim suas per lineas currentibus.

UMBRĀTĬO, ōnis, f. 3. (umbro) actus umbrandi. *Ambros. De sacram.* 1. 6. § 22. Sequebatur columna nubis quasi umbratio Spiritus Sancti.

UMBRĀTUS, a, um, particip. *V.* UMBRO.

UMBRESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. ab* umbro) umbra fio. *Cassiod. Complex. Apoc.* 3. Facies ejus splendebat ut sol, quoniam quidquid non intendit, umbrescit.

UMBRĬCŎLA, æ, adject. comm. gen. qui colit umbram. *Strabo Gallus* 2. 26. umbricolis habitata cubilia talpis Diruo, lumbricos revocans in luminis oras.

UMBRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (umbra *et* fero) ¶ 1. Est ferens umbram, umbrosus, *ombroso,* σκιώδης. *Varro* 2. *R. R.* 2. *circa med.* Circiter meridianos æstus, dum defervescant, sub umbriferas rupes et arbores patulas subjiciunt oves. *Virg.* 6. *Æn.* 473. Nemus umbriferum. *Cic.* vertens *Homeri* carmina 2. *Divin.* 30. 63. Umbrifera platanus. *Propert.* 1. 14. 5. Et nemus umbriferas intendat vertice silvas. Ita leg. *Kock* in *Symb. Phil. Bonn. p.* 321.; at *Baehrens* cum plerisq. *omne satas.* ¶ 2. Item ferens umbras defunctorum. *Albinov.* 1. 427. Supprime jam lacrimas, non est revocabilis istis, Quem semel umbrifera navita lintre tulit. *Stat.* 8. *Theb.* 18. Umbriferæque fremit sulcator pallidus undæ. et 1. *ibid.* 57. tuque umbrifero Styx livida fundo.

UMBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (umbra) Part. *Umbrans* fere in omn. paragr.; *Umbratus* et *Umbraturus* I. 2. — Umbro est umbram induco, adumbro, inumbro, obumbro, opaco, σκιάζω (It. *inombrare, aduggiare;* Fr. *couvrir de son ombre, ombrager;* Hisp. *sombrear, hacer sombra;* Germ. *Schatten bedecken, beschatten;* Angl. *to shade, shadow*): et adhibetur etiam intransitive vel absolute.

I.) Transitive. ¶ 1. Proprie. *Sil. It.* 5. 488. *de quercu.* Umbrabatque coma summi fastigia montis. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 121. *de Xerxe.* Narratur rapuisse vagos exercitus amnes Et telis umbrasse diem. *h. e.* obscurasse. ¶ 2. Translate pro tegere vel umbra tegere, claudere, cingere. *Varro* apud *Non. p.* 172. 4. *Merc.* Umbrantur somno pupulæ. *h. e.* clauduntur et lucem non admittunt. *Lucret.* 2. 628. Umbrare terram rosarum floribus. *Virg.* 6. *Æn.* 772. Atque umbrata gerunt civili tempora quercu. *h. e.* circumdata quercu, quodammodo umbram facientе. *Stat.* 6. *Theb.* 554. Olympiacis umbratus tempora ramis. *Id.* 4. *Silv.* 2. 36. vitifero sub palmite nudos Umbravit colles et sobria rura Lyæus. *h. e.* consevit et umbrosa reddidit. Sic *Sil. It.* 14. 24. Montes umbrare olea. *h. e.* conserere. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 79. Umbratus genas. *h. e.* barbatus. *Val. Flacc.* 4. 137. tempora umbrata galero. *h. e.* intecta. *Claudian. B. Gild.* 444. Umbratus dux ipse rosis et marcidus ibit Unguentis. *Id. B. Get.* 575. Alpheas umbrantia Mu-

nala ripas. *Seneca Hippol.* 836. Polus vasto carcere umbrans manes. *h. e.* tenebris coercens. *Sil. It.* 1. 403. frontem intonsam umbrante capillo Sæptus et horrentes effingens crine galeros. Alii leg. *vibrante.* et *Claudian. VI. cons. Honor.* 163. rami caput umbravere virentes Heliadum. *h. e.* corona populea caput cinxit. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 149. *de Tritone.* Umbratura deam retro sinuatur in arcum Bellua.

II.) Intransitive vel absolute. ¶ 1. Proprie. *Colum.* 5. *R. R.* 7. Omnes pæna virgæ, ne umbrent, abraduntur. *Seneca Herc. Fur.* 717. ingens domus Umbrante luco tegitur. ¶ 2. Translate. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (95). Carchedonios umbrante tecto purpureos videri. *h. e.* sub tecto et in umbra. *Sillig.* obumbrante.

UMBRŌSUS, a, um, adject. (umbra) Comp. *Umbrosior* et Sup. *Umbrosissimus.* — Umbrosus ¶ 1. Passive est umbram habens, opacus, σκιώδης (It. *opaco, ombroso;* Fr. *ombreux, ombragé;* Hisp. *sombreado;* Germ. *schattenreich, schattig;* Germ. *full of shade, shady*). — *a*) Proprie. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. 1. Ego locum æstate umbrosiorem vidi numquam. *Virg.* 3. *G.* 331. Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem. *Id.* 8. *Æn.* 242. Umbrosæ cavernæ. *Tibull.* 1. 4. 1. tecta. *Horat.* 3. *Od.* 1. 23. ripa. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 11. *circa med.* Fere aquosissima sunt quæcumque umbrosissima. — *b*) Translate. *Augustin.* 2. *Confess.* 1. Umbrosi amores. ¶ 2. Active est umbram inducens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 49. (113). Fico folium maximum umbrosissimumque. *Virg.* 2. *Ecl.* 3. inter densas, umbrosa cacumina, fagos. *Id.* 8. *Æn.* 34. crines umbrosa tegebat arundo. *Propert.* 1. 20. 7. Umbrosa silva. *Ovid.* 3. *Fast.* 17. salices. — Hinc

*Umbrosa, orum,* n. plur. 2. absolute, substantivorum more, loca umbrosa: quod est medium inter tenebras et claram lucem. Cf. *Senec. loc. cit. Ambros.* 3. *Hexaem.* 15. *n.* 62. Rigorem quoque pari ratione commutat, ut inter vaporantia ferveat, inter umbrosa frigescat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 67. (115). Nascitur (*cyclamini herba*) in umbrosis. Adde 18. *ibid.* 15. 37. (138). et *Senec. Ep.* 94.

ŪMERUS. *V.* HUMERUS.

ŪMĔO et deriv. *V.* HUMEO.

UMQUAM et unquam, adverb. Ad scribendi rationem quod attinet, *umquam* per *m* sæpe reperitur scriptum in antiq. Codd. MSS. et *Inscriptt.* Cf. *Du Rieu Sched. Vatic.* p. 57., 66. et 94. Utraque ratio proba est; verum recentiores *umquam* et *numquam* libentius scribunt. *V.* NUMQUAM. — Videtur esse contractum ab *unum* et *quam*, vel stat pro *cumquam.* V. *Curt. Grundz.* p. 319. *n.* 441. — Umquam est aliqua vice, aliquo tempore, ullo tempore, ποτέ (It. *alcuna volta, mai;* Fr. *un jour, quelque fois;* Hisp. *alguna vez, una vez;* Germ. *irgend einmal, jemals;* Angl. *at any time, ever*).

I.) Fere adhibetur præcedente negativa. — 1.°) Extra interrogationem. — *a*) Cum vocibus, quæ negationem continent. *Ter. Heaut.* 5. 4. 8. Et cave posthac, si me amas, umquam istuc verbum ex te audiam. *Quintil.* 4. 1. 4. In foro quoque contingere istud principiorum genus secundis actionibus potest, primis quidem raro umquam, nisi forte apud eum etc. Adde *eumd.* 5. 7. 22. — *b*) Cum aliis vocibus negativis. *Enn.* apud *Non.* p. 297. 20. *Merc.* Utinam ne umquam Medea Colchis cupido corde pedem extulisset. *Plaut. Aulul.* 3. 3. 2. Neque istuc in tantis periclis umquam committam, ut siet. *Cic. Harusp. resp.* 17. *ad fin.* Quod quidem sacrificium nemo umquam adiit. *Virg.* 1. *Ecl.* 36. Non umquam gravis ære domum mihi dextra redibat. *h. e.* numquam. Sic *Propert.* 1. 6. 2. Nam tua non ætas umquam cessavit amori. *Cic.* 3. *Att.* 12. Quum ita sim afflictus, ut nemo umquam. *h. e.* ut nemo umquam magis: vel quam qui maxime. *Plaut. Amph.* 2. 1. 16. quod nemo umquam homo ante hac vidit. Adde *ibid.* v. 41., *Cic.* 6. *Rep.* 25. 27. et *Quintil.* 6. 3. 14. — 2.°) In interrogationibus, quæ negationem exprimunt. *Plaut. Cist.* 1. 1. 88. sed tu, en umquam quum quiquam viro Consuevisti? *sc.* nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine. Adde *Pseud.* 1. 3. 8. *Ter. Phorm.* 2. 2. 15. en umquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam? *hai tu mai sentito a dire?* *Id. Heaut.* 5. 3. 4. ullamne (*al.* nullamne) ego rem umquam in vita mea Volui, quin etc.? — Cum addito *gentium* vim auget. *Acc.* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 77. Quis homo te exsuperavit Umquam gentium impudentia? *Alii leg.* usquam. — 3.°) In propositionibus conditionalibus. *Plaut. Cist.* 2. 1. 22. Di me perdant - Si illam uxorem duxero mihi umquam. Adde *Casin.* 4. 4. 11. *Ter. Heaut.* 2. 1. 5. Mihi si umquam filius erit, næ ille facili me utetur patre. et 5. 4. 1. Si umquam ullum fuit tempus, mater, quum etc. *Cic.* 4. *Att.* 2. Si umquam in dicendo fuimus aliquid aut etiam si umquam alias fuimus, tum profecto etc. *se mai.* et *Liv.* 10. 14. *circa med.* Si quando umquam equestri ope adjutam rempublicam meminerint, illo die adnitantur, ut etc. Adde *Liv.* 10. 24. *circa med.*

II.) Rarius adhibetur in sententiis affirmativis. — 1.°) Extra interrogationem. *Plaut. Epid.* 1. 1. 63. Plus amat quam te umquam amavit. Adde *Bacch.* 3. 4. 14. *Cic. Orat.* 13. 41. Ut minime mirum futurum sit, si (*Isocrates*) reliquis præstet omnibus, qui umquam orationes attigerunt. Adde *Quintil.* 12. *præf.* 2. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 25. Excute: sic umquam longa relevere catena, Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua. *quando che sia, una volta,* aliquando. — *Quam qui umquam,* excellentiæ significandæ causa. *Liv.* 34. 32. Tyrannus, quam qui umquam, sævissimus et violentissimus in suos. Cf. *Cic.* 3. *Att.* 12. — *Semel umquam,* una tantum vice in omni tempore. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 35. 35. (100). Scintillam e stella cadere et augeri terræ appropinquantem, etc. semel umquam proditur, Cn. Octavio, C. Scribonio Coss. — 2.°) In interrogatione. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 71.

UMVERSUS. *V.* UNIVERSUS.

# UN

ŪNĀ, adverb. *V.* UNUS.

ŪNĀDĒVĪCENSĬMUS. *V.* UNDEVICESIMUS.

ŪNĀETVĪCĒSĬMĀNI. *V.* UNETVICESIMANI.

ŪNĀETVĪCĒSĬMUS. *V.* UNETVICESIMUS.

ŪNĀLIS, e, adject. (unus) unitate constans. *Unalis Trinitas* apud *Mar. Victorin.* 1. *advers. Arium* 64. — *Unalis numerus,* idem ac singularis, apud Grammaticos. *Gloss. Lat.* p. 297. *Vulc.*

ŪNĀLĬTAS, ātis, f. 3. (unalis) proprietas ejus, qui unus est. *Mar. Victorin.* 1. *advers. Ar.* 27. Unalitas Λόγος et Deus. Adde *ibid.* 50. et 62.

ŪNĂNĬMANS, antis, adject. (unus et animo) idem quod unanimis. *Plaut. Truc.* 2. 4. 80. Non amantis mulieris, Sed sociæ unanimantis, fidentis fuit Officium.

ŪNĂNĬMIS et unianimis, e, adject. (unus et animus) *Unianimis* legitur apud *Schol. Juvenal.* 5. 134. et *Anecd. Helv.* p. L. *Hag.* — Unanimis est qui unius animi et unius sententiæ est cum altero, *concorde, dello stesso animo,* ὁμόψυχος. *Virg.* 4. *Æn.* 8. Quum sic unanimem alloquitur male sana sororem. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 231. Unanimes fratres. *Id. epigr.* 37. 3. paribusque lupatis Unanimes frenantur equi. *Vulg. interpr. Ps.* 54. 14. Homo unanimis. Adde *Jud.* 5. 134. *V.* UNANIMUS.

ŪNĂNĬMĬTAS, ātis, f. 3. (unanimis) concordia, consensus, *concordia,* ὁμοψυχία, ὁμόνοια. *Pacuv.* apud *Non.* p. 201. 26. *et p.* 142. 32. *Merc.* Per nostram egregiam unanimitatem. *Liv.* 40. 8. *a med.* Mihi, Antiocho, et cuilibet regum hujus ætatis nulli re magis, quam fraterna unanimitate regnum æquasse. Adde *Cyprian. De unit. Eccl.* 20. — Est etiam titulus, quo quis compellatur. *Symmach.* 1. *Ep.* 16. et *Paul. Nolan. ep. ad Rufin. init.*

ŪNĂNĬMĬTER et unianimiter, adverb. (unanimis) uno animo, concorditer, *concordemente,* ὁμοψύχως. *Vopisc. Tacit.* 4. *in fin.* Me unanimiter delegistis. *Tertull. Patient.* 1. *sub fin.* Philosophi quum inter se variis sectarum libidinibus discordent, patientiæ unanimiter student. *Arnob.* 1. p. 33. Unanimiter vivere. Cf. *Ronsch Itala* p. 230.

ŪNĂNĬMUS (unianimus), a, um, adject. (unus et animus) idem quod unanimis et eo etiam usitatius. — *a*) De personis. *Plaut. Stich.* 5. 4. 49. Ego tu sum, tu es ego; unanimi sumus. Plures vett. Codd. *unianimi* habent. *Virg.* 12. 664. unanimi densate catervae. *Id.* 7. *ibid.* 335. (et *Stat.* 8. *Theb.* 669.) Unanimi fratres. et 4. *ibid.* 8. soror. *Catull.* 30. 1. Alphene immemor atque unanimis false sodalibus. *Val. Flacc.* 4. 161. nomenque secutus Oireos unanimi. — Absolute. *Liv.* 7. 21. Quæ distinere unanimos videbatur. Ita *Codd.* et *Hertzius;* at *Weissenbornius* et *Madvigius* ex conjectura *Jenikei* leg. *una animos. Auson. Edyll.* 8. Nulla fuit res parva umquam æquanimis: adde etiam unanimis. *Sever.* apud *Capit. Albin.* 7. Mi unanime! — *b*) De rebus. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 368. unanimi consortia discite somni. *Val. Flacc.* 1. 614. venti Induxere hiemem raucoque ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt. *unanimi* proprie, quia ἄνεμος et *animus* est flatus, ventus.

ŪNĀRĬUS, a, um, adject. (unus) qui unam tantum formam habet. *Prob. Cathol.* p. 1478. *Putsch.* Prima forma unaria nuncupatur, quæ sola nomina regit in utroque numero uno modo omnes casus terminans, *nequam, nugas, nihili.* Adde *Claud. Sacerd.* 1. *Gramm.* 92.

ŪNĂRŌTA, æ, f. 1. (unus et rota) parvus currus unam habens rotam: idem videtur quod chiramaxium, *carriuola. Hygin. Poet. astron.* 2. 14. *sub init.* Ceres Triptolemum in curru draconum collocatum (qui primus hominum unarota dicitur usus, ne cursu moraretur) jussit omnium nationum agros circumeuntem, semina partiri.

ŪNĀSYLLĂBUS, a, um, adject. (unus et syllaba) idem ac monosyllabus, μονοσύλλαβος. *Priscian.* 14. p. 984. *Putsch.* Et primo de his, quas accusativus sequitur, unasyllabæ (*præpositiones*), ut plerisque Italorum videtur, sunt *hæ, ad, ob, per, post, cis, trans.*

UNCĀRĬUS, ii, m. 2. (uncus) uncorum custos, qui in incendiis exstinguendis erant pernecessarii. *Vigil. Rom. latero.* p. 20. Ita ex *Kellermanni* conjectura legend. et interpretand.

UNCĀTĬO, ōnis, f. 3. (unco) curvatura. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. *circa med.* Unguium uncatio, quam γρύπωσιν vocant.

UNCĀTUS, a, um, particip. *V.* UNCO.

UNCES. *V.* UNX.

UNCĬA, æ, f. 1. Etiam *untia* scribitur apud *Metrol. Script.* p. 131. 12. *Hultsch.* et *seqq.* — Ratione habita etymi, *Isid.* 16. *Orig.* 25. 19. ab eo derivat, quod *uncia* universitatem minorum ponderum sua *unitate vinciat:* id est complectatur. Fortasse, ut *Hultsch Metrol. Lat.* p. XVIII. monet, *unciat* scripsit *Isid.* pro *vinciat* etymi voc. *unciæ* explicandi causa. Similiter *Varro* 5. *L. L.* 171. *Müll.* «Uncia ab uno dicta». *Forcellinus* ait, esse vocem Siculam, οὐγκία (Cf. ὄγκος, pondus), et *Müller* (*Die Etrusq.* 1. p 309.) Hetruscam, Romana civitate donatam. — Quidquid sit de etymo, uncia duodecimam partem integræ alicujus rei designat; speciatim et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Est duodecima pars assis seu libræ (It. *oncia;* Fr. *once;* Hisp. *onza;* Germ. *Unze;* Angl. *an ounce*). *Rhemn. Fann.* seu *Priscian. De pond. et mens.* 28. Unciaque in libra pars est, quæ mensis in anno. *Plaut. Men.* 3. 3. 3. Huic ut addas auri pondo unciam. *Mæcian. Distrib.* § 15. In asse sunt unciæ XII. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (142). Fasciculum rutæ in rosaceo decoctum, addita uncia aloes. *Martial.* 1. 107. Diluti bibis unciam Falerni. — *Unciæ* partes sunt *semuncia,* unciæ dimidium: *drachma,* octava pars: *sextula,* sexta: *duella,* tertia: *sicilicus,* quarta etc. ¶ 2. Apud *Cels.* 5. 17. in uncia est pondus septem denariorum: denarii autem pondus in sex partes dividitur, id est sextantes, qui Græcorum obolis respondent. ¶ 3.

Sæpe dicitur de duodecima parte totius alicujus rei, sive pondere sive mensura constantis: quemadmodum *as* totum aliquod significat. *Colum.* 5. *R. R.* 1. *a med.* Pars duodecima jugeri pedes efficit duo millia et quadringentos: hoc est uncia. *Seneca* 4. *Controv.* 28. *a med.* Ex uncia heres erat patris sui Galla. *Frontin. Aquæd.* 24. Digitus est sextadecima pars pedis; uncia duodecima. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (214). Gnomonis centum unciæ umbram septuaginta septem unciarum faciunt. *Martial.* 9. 4. non erit uncia tota, Decidat tecum qua pater ipse deum. *h. e.* duodecima pars æris alieni, quod Juppiter tibi debet. — *Uncia bonorum* est pars duodecima eorum, quæ quis possidet. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 5. 27. 2. Matre vel legitimis filiis vel nepotibus aut pronepotibus cujuscumque sexus, uno pluribusque existentibus; bonorum suorum unam tantum unciam pater naturalibus filiis seu filiabus eorumque genitrici; vel si sola sit concubina, semiunciam largiendi vel relinquendi habeat potestatem. Hinc *Cic.* 13. *Att.* 48. Lepta me rogat, ut, si quid sibi opus sit, accurram. mortuus enim Babullius. Cæsar, opinor, ex uncia; etsi nihil adhuc: sed Lepta ex triente. veretur autem, ne non liceat tenere hereditatem. — *Uncia usura*, quæ sæpius *unciaria* dicitur, est, inquit *Forcellinus*, pars duodecima usuræ centesimæ. Centesima autem erat, quum centesima pars sortis singulis mensibus solvebatur, h. e. duodecim pro centum in annos singulos. Dicitur etiam *unciaria*, quia sicut uncia est assis pars duodecima, ita hæc usura est pars duodecima centesimæ, quæ est velut as et maxima usurarum, *dodici per cento. Semunciaria* autem *sei per cento.* Itaque usura, quæ duodecim solvit pro centum assibus, duo habet nomina: quum *centesima* dicitur, refertur ad sortem, quæ est centum; quum *uncia* et *unciaria*, ad *as*, quatenus ipsam sortem significat. Hoc vero in aliis minoribus usuris locum non habet, quæ una appellatione efferuntur, *triens, quadrans, semis* etc., quæ solum ab *as* descendunt. Ita *Forcellinus*. (Cf. etiam *Marquardt Handb. d. Röm. Alt.* v. 3. t. 2. p. 48. et *Mommsen St. R.* v. 1. 2. c. 2. et *alibi*.) At cl. *Furlanetto* aliique rectius docent, unciariam usuram esse omnium levissimam et centesimæ oppositam, qua unam pro centum non singulis mensibus, sed singulis annis solveretur, *uno per cento.* Verum, si hæc, ut ait *Forcellinus*, aliquando in usu fuisset, non erat, cur in XII. Tab. caveretur, ne quis unciario fenore plus exerceret; quod refert *Tac. loc. cit.* in UNCIARIUS. Sed vide, quæ dicta sunt in USURA. Cf. etiam *Salmas. De usur.* p. 289. et *Gronov.* in Ἀντεξηγήσει *De usur.*, ubi hac de re multa. — *Scævola Dig.* 26. 7. 47. § 4. *a med.* Quæro, uncias usuras, an vero eas, quas stipulati sunt, præsta debeant. ¶ 4. *Uncia* fuit etiam dea veterum Gallorum. *Inscr.* apud *Orelli n.* 1070. *V.* ONOM.

II.) Translate dicitur de minima quantitate cujusque rei. *Plaut. Rud.* 4. 2. 8. Neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi. *Martial.* 9. 49. De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla De nostro nobis uncia venit apro. *Juvenal.* 11. 131. adeo nulla uncia nobis Est eboris, nec tessellæ nec calculus ex hac Materia.

UNCIĀLIS, e, adject. (uncia) unciam ponderis aut mensuræ habens, unciarius, *di oncia. Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (45). Unciales asses. *h. e.* unciæ pondo. Sic 14. *ibid.* 3. 4. (42). uva. (*V.* voc. seq.) *Id.* 18. *ibid.* 16. 43. (146). altitudo. *Gromat. vet.* p. 216. 6. *Lachm.* numerus. — *Hieronym. prolog. in Job extr.* Habeant, qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis auro, argento descriptos vel uncialibus, ut vulgo ajunt, litteris, onera magis exarata, quam codices. *lettere unciali*, h. e. genus scripturæ, qua litteræ formam habent majusculam sed rotundiorem: fortasse ab uncia, qua est duodecima pars pedis, dictæ. Etiam *Georges* interpretatur *zollange*, a mensura litterarum. Sed *Anecd. Helv.* p. 221. 37. *Hag.* Quædam (*litteræ*) enim unciales dicuntur, quæ et maximæ sunt et in initiis librorum scribuntur. Dictæ autem unciales, eo quod olim uncia auri a divitibus appenderentur.

UNCĬĀRĬUS, a, um, adject. (uncia) unciam continens, *di oncia. Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 11. (21). Unciaria stipe collata. *h. e.* nummulis, qui dimidium assis valebant, eo tempore, quo asses sextantales facti sunt, sc. duarum unciarum pondere. *Ulp. Dig.* 30. 1. 34. *ad fin.* Unciarius heres. *h. e.* ex uncia seu duodecima parte hereditatis. *Liv.* 7. 16. Unciarium fenus. *h. e.* usura uncia, de qua *V.* in UNCIA et *Gronov. De sestert.* 3. 13. *p.* 484. — Hujus dimidium erat semunciarium. *Liv. ibid.* 27 Semunciarium ex unciario fenus factum. — Hinc *unciaria lex* de fenore unciario lata a L. Sulla et Q. Pompejo Rufo, ut *Fest. p.* 375 7. *Müll.* docet. *V.* etiam *Niebhur p.* 81. *Tac.* 6. *Ann.* 16. Duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret: dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta. — *Unciariæ uvæ* dictæ sunt a magnitudine et pondere acinorum, quas *Plin.* vocat unciales. *V.* voc. præc. et *Isid.* 17. *Orig.* 5. *circa med.* — *Unciariæ vites* apud *Colum.* 3. *R. R.* 2. *V.* VITIS.

UNCĬĀTIM, adverb. (uncia) per singulas uncias, *a oncia a oncia*, κατ' οὐγκίας. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (139). Datur et phthisicis unciatim cum vini veteris hemina decocta, donec tres unciæ e toto residant. — Translate est paullatim, *a poco a poco, a spizzico, a stento. Ter. Phorm.* 1. 1. 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, Suum defraudans genium, comparsit.

UNCĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

UNCĪNO, as, ātum, are, a. 1. (uncinus) Part. *Uncinatus.* — Uncino est uncino caplo, hamo, adhamo. *Gloss. Labb.* Uncino, ἀγκιστρεύω. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 38. *ad fin.* Qui asperis et lævibus et hamatis uncinatisque corpusculis concreta hæc esse dicat, interjecto inani.

UNCĪNŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* uncinus, arvus uncinus, *uncinetto. Isid.* 17. *Orig.* 5. *ante med.* Capreoli dicti, quod capiant arbores; sunt enim cincinni sive uncinuli, quibus se innéciere vites et suspendere solent arboribus.

UNCĪNUS, i, m. 2. (uncus) uncus, hamus, *uncino, rampino:* sic ὄγκινος, ὄγκος, ὄγκη, in ea acceptione dicunt Græci, qua Latini uncum vel hamum. *Apul.* 3. *Met.* Pessulis injectis et uncino firmiter immisso. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *a med.* Uncinis æreis tollendi sunt vermes ex fico. *Vitruv.* 5. 10. Uncinus ferreus. et *Isid.* 19. *Orig.* 2. 14. ferreus vel ligneus. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 2787. Perticæ XII. uncinorum. *Vulg. interpr. Am.* 8. 1. Uncinus pomorum. *h. e.* quo rami et poma demittuntur. — Adjectivi vel appositivi more usurpavit *Paulin. Nolan. carm.* 20. 270. Staminis uncinu, quasi piscis, inhæserat hamo.

UNCĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. ab* uncia, parva uncia, *oncetta*, οὐγκιάδιον. *Juvenal.* 1. 40. Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem. — De mensura. *Hieroym. Ep.* 123. *n.* 15. Unius unciolæ decimam partem adjicere ad staturam suam.

UNCĬPES, ĕdis, adject. omn. gen. (unus et pes) uncos pedens habens. *V.* VINCIPES.

UNCO, as, are, 1. duo diversa significat, prout intransitive vel transitive adhibetur.

I.) Intransitive *unco, as*, est verbum per onomatopœiam fictum, exprimens vocem ursi. *Auct. carm. de Philom.* 51. Dum lynces hircando fremunt, ursus ferus uncat. Cf. *Reifferscheid.* ad *Sueton. reliq.* p. 247. et seqq.

II.) Transitive *unco, as, atum*, unde part. *uncatus*, est curvo, flecto. — *a*) Proprie. *Gloss. Lat.* p. 294. *n.* 211. Uncat, curvat. et *Thes. nov. Latinit.* ed. ab *A. Mai* in *Class. auct. T.* 8. p. 623. Uncare, curvare, lunare, camerare. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. *a med.* Adeo ut quidam uncati permaneant. *h. e.* curvati. *Sidon.* 4. *Ep.* 20. *a med.* Uncatæ lanceæ. *h. e.* uncæ. — *b*) Translate. *Id.* 9. *Ep.* 9. *ad fin.* Uncatis syllogismis aliquem inhamare.

UNCTA, æ, f. 1. *V.* UNCTUS, a, um.

UNCTĬO, ōnis, f. 3. (ungo) ungendi actus, ἀλοιφή, ἄλειμμα, χρίσις (It. *unzione;* Fr. *onction, friction;* Hisp. *uncion, friccion;* Germ. *das Salben;* Angl. *an anointing, besmearing*). ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) Universim. *Plaut. Stich.* 2. 1. 74. Unctiones Græcæ sudatoriæ. *Cic.* 2. *Orat.* 5. *ad fin.* Philosophum omnes unctionis causa reliquerunt. *h. e.* causa palæstricæ exercitationis. *Capell.* 2. p. 25. Unctio palæstrica. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. *extr.* Unctio non exserta. h. e. toti corpori non adhibita. *Colum.* 12. *R. R.* 51. *extr.* Oleum secundarium quotidianam unctionem præbere poterit dolore nervorum laborantibus. — *b*) Apud scriptores Ecclesiasticos, est consecratio sacerdotum et regum, quæ per unctionem fit. *Vulg. interpr. Exod.* 40. 13. Unctio eorum in sacerdotium sempiternum. *Id. ibid.* 29. 7. Oleum unctionis fundes super caput ejus. *Id. Lev.* 20. 7. Oleum sanctæ unctionis. — *c*) Item de ea dicitur, quæ fit in Christi sacramentis recipiendis. *Cyprian. Ep.* 70. *n.* 2. Unctio spiritualis. *Vulg. interpr.* 1. *Joh.* 2. 20. Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia. *et mox.* Unctio, quam accepistis, maneat in vobis. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu est id ipsum, quod unctione illinitur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 47. (171). Ita ut unctio rescat. — Pro unguento *Vulg. interpr. Eccli.* 38. 7. *V.* UNGUENTARIUS.

UNCTĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* ungo, sæpe ungo, ἀλείφω. *Plaut. Most.* 1. 3. 117. Nam istæc veteres, quæ se unguentis unctitant etc. *Cato* apud *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 698. Flavo cinere unctitabant (*crinem matronæ*), ut rutilæ essent. Alii *unguitabant;* alii *inungitabant. V. Charis.* p. 101. 15. *K.* et *Lindemann* ad *eumd.* p. 78.

UNCTĬUSCŬLUS, a, um, adject. deminut. a participio *unctus*, ad comparativi formam redacto: cf. *duriusculus* et similia. — Unctiusculus est aliquantum unctus, ὑπόχριστος. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 84. Num ipse ego pulmento utor magis unctiusculo? *h. e.* magis condito.

UNCTOR, ōris, m. 3. (ungo) qui ungit, *ungitore, untore*, ἀλείπτης, χριστής. ¶ 1. Generatim. *Prudent. Apoth.* 203. Devotus cippo, fictulni et stipitis unctor. Cf. *Minuc. Octav.* 3. Nam veteres idola, ex ligno vel lapide confecta, ungere solebant. ¶ 2. Speciatim qui in balneis lavantium membra ungit, quem *Juvenal.* 3. 76. et 6. 421. Græco vocabulo *aliptem* vocat. *Martial.* 12. 70. Atque olei stillam daret enterocelicus unctor. Adde 7. 32. *Augustin.* 6. *Civ. D.* 10. *n.* 2. Alius horas Jovi nunciat, alius lictor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. ¶ 3. De athletarum unctoribus. *Quintil.* 11. 3. 26. Assueta gymnasiis et oleo corpora, quamlibet sint in suis certaminibus robusta, si militare iter imperes, deficiant et quærant unctores suos nudumque sudorem. ¶ 4. *Plaut. Trin.* 2. 1. 22. unctorem enumerat inter servilia domus luxu affluentis. *Inscr.* apud *Brizzio Sepolcr. sull' Esquil.* p. 54. *n.* 120. RVFIO VNCTOR TAVRI FILII. Adde *p.* 74. *n.* 240. et *seqq.* — Fuit etiam in officiis domus Augustæ, lavantibus in balneo Cæsaribus minister, ut constat ex *Inscr.* apud *Gruter.* 578. 5. et 581. 12., apud *Reines. cl.* 9. *n.* 80. et apud *Murat.* 922. 25. ¶ 5. Item in ludo gladiatorio. *Inscr.* apud *Marini Iscr. Alb.* p. 12., ubi præter varia gladiatorum genera nominatur *Pirata unctor.* ¶ 6. Item in militia seu cohortibus vigilum. *Laterc.* apud *Kellerm. Vig. III.* 1. 3. et *VII.* 1. 28. — Et in militia classiaria; naves enim ungi solebant, ut tradit *Veget.* 4. *Milit.* 37.

UNCTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

UNCTŌRĬUS, a, um, adject. (ungo) ad ungendum pertinens. *Inscr.* apud *Renier n.* 4251. Cella unctoria. — Hinc

*Unctorium, ii*, n. 2. absolute, (*subaud.* cubiculum) est locus in balneis, in quo lavantes ungebantur, ἀλειπτήριον. *V.* ELÆOTHESIUM. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* Adjacet unctorium, hypocaustum, adjacet propnigeum balineis. Alii leg. *unctuarium* eod. sensu.

UNCTRĪNUM, i, n. 2. (ungo) locus, in quo ungimur. Vox a Lexico expungenda; occurrit

enim tantum in *Not. Tir. p.* 130. Unctor, unctrinum.

UNCTRIX, tricis, f. 3. (unctor) quæ ungit, v. gr. lavantem in balneo. *Inscr.* apud *Murat.* 891. 3. CALENE (*lege* Galene) LIVIAE VNCTRIX. *Alia* apud *Gruter.* 581. 11. ATHENAIS AVGVST. VNCT.

UNCTŬARĬUM. *V.* UNCTORIUM.

UNCTŬLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

UNCTŬLUS, a, um, adject. deminut. ab *unctus*, aliquantum unctus. *Varro Catus XX. p.* 250. *Ries.* (apud *Non. p.* 179. 8. *Merc.*) Alii sunt circumtonsi et terti atque unctuli, ut mangonis esse videantur servi. — Hinc

*Unctulum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, est exiguum unctum parum unguenti. *Apul.* 3. *Met.* Impertire nobis unctulum indidem.

UNCTUM, i, n. 2. *V.* UNCTUS, a, um.

UNCTŬRA, æ, f. 1. (ungo) idem quod unctio, ea præsertim, quæ mortuorum cadaveribus adhibetur. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 60. Servilis unctura tollitur omnisque circumpotatio.

UNCTUS, a, um, particip. *V.* UNGO.

UNCTUS, us, m. 4. (ungo) idem quod unctura. *Apul.* 1. *Met. sub fin.* Oleum unctui profer. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (90). Cochlearum cinis cum melle, unctu sanat. *Cf.* UNCTUS, a, um.

UNCUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, duci potest a rad. Skr. *ak* (*ank*), se incurvare; unde *ancus, ancora, annus* pro *acnus* et *annulus* pro *acnulus:* sic et Gr. ὄγκος, ἀγκιστρον, uncus, et ἀγκύλος, curvus. — Uncus est curvus, incurvus, ἀγκύλος (It. *adunco, curvo, torto;* Fr. *courbé en crochet, crochu, recourbé;* Hisp. *ganchoso, encorvado;* Germ. *widerhakig, gekrümmt;* Angl. *anointed, smeared, greasy*). *Lucret.* 4. 589. Pan unco labro calamos percurrit hiantes. *h. e.* curvato et in rotundum conformato. *Id.* 5. 1406. Et supra calamos unco percurrere labro. *Virg.* 1. *G.* 19. uncique puer monstrator aratri. *Id.* 2. *ibid.* 423. tellus dente recluditur unco. *h. e.* vomere. *Id. ibid.* 365. uncis Carpendæ manibus frondes. *et* 6. *Æn.* 360. Prensans uncis manibus capita aspera montis. *et* 3. *ibid.* 233. *de harpyiis.* prædam pedibus circumvolat uncis. *et* 1. *ibid.* 173. unco non alligat ancora morsu. *Propert.* 4. 10. 44. Torquis unca. *h. e.* ex auro curvato et obtorto facta. *Id.* 2. 4. 19. taurus ferit uncis cornibus hostem. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 10. Unca æra. *h. e.* hami. *Sil. It.* 6. 355. Unca locant prora curvati pondera ferri. *Colum.* 7. *R. R.* 11. Atque uncis digitis alterum quoque testiculum educito. *h. e.* recurvatis. *Stat.* 3. *Theb.* 307. avis unca Minervæ. *h. e.* noctua uncis pedibus et rostro. *Id.* 12. *ibid.* 212. Uncæ alites. *M. Aurel.* ad *Fronton.* 1. *ad M. Cæs. ep.* 9. Sed me Cæsaris oratio uncis unguibus adtinet. *h. e.* m. valde delectat et allicit. *Sympos. Ænigm.* 18. 1. *de ancora.* Uncum ferrum.

UNCUS, i, m. 2. Notationem videsis in voce præced. — Uncus est baculus vel ferramentum incurvum et in sese retortum, ὄγκος, ἄγκιστρον (It. *uncino, rampino;* Fr. *crochet, crampon, grappin;* Hisp. *garabatillo, harpon, gancho;* Germ. *der Haken, Widerhaken, Klammer;* Angl. *a hook, crook*); cujus varium pro vario usu genus erat.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Od* 35 20. nec se verus Uncus abest. *sc.* ferrum, quo lapides seu lateres simul juncti continentur *Liv* 36. 10. *ad fin.* Postremo asseres ferreo unco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis navibus injici in Romanas cœpti. *Colum* 3 *R R* 18. Et velut uncus infixus solo antequam extrahatur, prærompitur. — Unco Romani usi sunt adversus reos, qui damnati essent. Iis enim uncos in fauces aut mentum infigebant sicque trahebant vel ad scalas Gemonias vel in Tiberim vel in ignem. *Cic. Rabir. perduell.* 5. *a med.* Nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res gestæ neque acta ætas neque nostri honores vindicabunt? *Id.* 1. *Phil.* 2. 5. Uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. *Juvenal.* 10. 66. Sejanus ducitur unco. *Ovid. Ib.* 167. Carnificisque manu, populo plaudente, traheris Infixusque tuis ossibus uncus erit. *Alii leg.* faucibus. *Inscr.* Pompejana in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 2183. PVTHOLANIS FILLICITER (*h. e.* Puteolanis feliciter) OMNIBVS NYCHIIRINIS (*h. e.* Nucerinis) FILICIA (*h. e.* felicia) ET VNCV (*pro uncum*) POMPEIIANIS PETECVSANIS. *Cf. Sueton. Tib.* 73. — Hinc allegorice. *Propert.* 4. 1. 141. Et bene quum fixum mento decusseris uncum, Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo. *h. e.* quum uno te laqueo extricaveris, alio detinebere.

II.) Improprie, a similitudine. ¶ 1. Ponitur pro ancora. *Val. Flacc.* 2. 428. Has inter lacrimas legitur piger uncus arenis. ¶ 2. Est etiam instrumentum chirurgorum ad extrahendum fetum mortuum. *Cels.* 7. 29. *circa med.* Si caput proximum est, demitti debet uncus etc. V. *Tertull. Anim.* 25. ¶ 3. Pro unguibus. *Ammian.* 14. 11. 17. Uncis furialibus objectabant.

UNDA, æ, f. 1. *Isid.* 13. *Orig.* 20. 3. vult esse ab *eo, is,* quasi ab *eundo* et *redeundo;* sed simplicius ac verius vox ducitur ab Gr. ὕδ, unde ὕδος et ὕδωρ, aqua, cum epentbesi litteræ *n,* quod est a Skr. *ud* (*und*), fluere, humectare, et *udan,* aqua. — Unda est eminens liquor, qui semper in motu est, ut definit *Isid. loc. cit.,* vel globus aquæ in unum collectus, quales in mari ventis exagitato excitantur, fluctus maris, κῦμα (It. *onda, flutto;* Fr. *onde, flot, vague;* Hisp. *onda, ola;* Germ. *die Welle, Wasserwelle;* Angl. *wave, billow*).

I.) Proprie. *Cic.* apud *Non. p.* 162. 30. *Merc.* Quid mare? nonne cæruleum? at ejus unda, quum est pulsa remis, purpurascit. *Horat.* 1. *Od.* 12. 30. Concidunt venti et minax ponto unda recumbit. *Id.* 2. *ibid.* 6. 3. Syrtes, ubi Maura semper Æstuat unda. *Id.* 2. *Ep.* 2. 176. velut unda supervenit undam. *Id.* 4. *Od.* 14. 20. Indomitas prope qualis undas Exercet Auster. *Virg.* 1. *G.* 109. Unda cadens. *Id.* 3. *ibid.* 240. ima exæstuat. *Id.* 2. *ibid.* 163. longe sonat. *Id.* 1. *Æn.* 106. dehiscens. *Id.* 10. *ibid.* 291. fracta remurmurat. *Ovid.* 4. *Met.* 529. percussa recanduit. *Id.* 1. *Trist.* 4. 15. dare vela, quo rapit impetus undæ. *Id.* 2. *Amor.* 11. 27. concussas Triton exasperat undas. *Id.* 1. *Met.* 570. amnis spumosis volvitur undis. *Id.* 1. *Trist.* 2. 47. tabulæ laterum (*navis*) feriuntur ab undis. *Id. Ib.* 228. Unda cava. *Martial.* 9. 91. curva. *et Virg.* 4. *G.* 361. in montis faciem curvata. *Id.* 10. *Æn* 212. spumea. *Varro Sat. Menipp.* 53. *p.* 154. *Oehl.* liquens, cærula. *et* 48. *p.* 146. aurea (*Pactoli*). *Ovid.* 14. *Met.* 48. ferventes æstibus undæ. *et* 13. *ibid.* 892. exsultantes. *Id. Heroid.* 19. 161. tumidæ. *et ibid.* 199. ventosæ. *Id.* 9. *Met.* 104. rapidæ. *et* 13. *ibid.* 899. placidæ. *Seneca Herc. Fur.* 1090. Vexata Noto servat longos Unda tumultus et jam vento Cessante tumet. *Id. Agam.* 66. turget ab imis commota vadis unda.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen *unda* pro aqua ponitur. *Cic.* 10. *Phil.* 4. 8. Spectaculum non modo hominibus, sed undis ipsis et litoribus luctuosum. — Præcipue vero ita passim usurpatur a Poetis. *Ovid.* 8. *Met.* 737. undis contrarius ignis. *et Val. Flacc.* 8. 245. ignem Pollux undamque jugalem Prætulit. *jugalem* dicit, quia mos fuit in nuptiis aquam et ignem præferre. Quo pertinet illud *Ovid.* 2. *Art. am.* 598. faciunt justos ignis et unda viros. *Id.* 4. *Met.* 98. Deposituro sitim vicini fontis in unda. *Horat.* 3. *Od.* 4. 28. Unda Sicula. *h. e.* Siculum mare. *Martial.* 14. 118. Nivales undæ. *h. e.* aqua ex nive soluta. — Hinc de aqua bulliente. *Ovid.* 8. *Met.* 650. sectamque (*suis partem*) domat ferventibus undis. Adde *Apic.* 8. 6. ¶ 2. Et pro alio liquore quocumque. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (5). *de oleo.* Prima unda prelí laudatissima ac deinde per diminutiones. *Sil. It.* 10. 245. manans naribus unda Sanguinis. *Martial.* 13. 40 Candida si croceos circumfluit unda vitellos. *et* 8. 33. pallida rubri Unda croci. *Auct. Ætn.* 602. quando ruptis excanduit Ætna cavernis Et velut, eversis penitus fornacibus, ignis Evectis in longum rapidis fervoribus unda est. *h. e.* materia illa liquida et ignita, quæ more undæ fluit. ¶ 3. Metaphorice de rebus, quæ motu suo undam simulant: et quidem — *a*) De turba seu multitudine hominum. *Cic. Planc.* 6. *circa med.* Si campus atque illæ undæ comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi æstu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant etc. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 16. Nunc agilis fio et mersor civilibus undis. *Virg.* 2. *G.* 461. ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit ædibus undam. *una gran folla di gente.* Sic *Sil. It.* 4. 158. spissæque ruunt conferta per arma Undæ Bojorum. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 507. hunc tantis bellorum sidus in undis Sperant. *h. e.* fluctibus et turbis. — *b*) De aliis rebus. *Lucret.* aerias undas dixit 2. 151. ipsum aerem, qui instar maris commovetur et agitur. *Virg.* 8. *Æn.* 257. qua plurimus unda Fumus agit. *Cf. Sil. It.* 2. 631. *Catull.* 64. 62. magnis curarum fluctuat undis. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 22. adversis rerum immersabilis undis. *h. e.* calamitatibus. *Martial.* 8. 55. Aurea lunatæ quum stetit unda jubæ. *h. e.* juba leonis undans in collo instar aquæ agitatæ. *Alii leg.* umbra.

III.) Improprie, in architectura, unda est Latine, quæ Græce κυμάτιον, unde ab Italis *cimasa* dicitur. *Vitruv.* 5. 7. Pluteum insuper cum unda et corona inferioris plutei dimidia parte. *V.* CYMATIUM. Sunt tamen qui dubitent, an verba illa *Vitruvii* sint; sed perperam.

Homonym. Quomodo differant *aqua, lympha, unda* et *fluctus,* V. sub FLUCTUS.

UNDĀBUNDUS, a, um, adject. (unda) idem quod undosus, *ondoso,* κυματώδης. *Gell.* 2. 30. Sed mare est etiam atque etiam undabundum. *Ammian.* 17. 7. *a med.* Impulsu crebriore aquæ undabundæ.

UNDANS, antis, particip. *V.* UNDO.

UNDANTER, adverb. (undo) undantis more. *Apul.* 2. *Met.* Capillus undanter fluens. *Alii leg.* fluenter undans. *Capell.* 2. *p.* 35. Dum talia virgo undanter evomeret.

UNDĀTIM, adverb. (unda) ad undarum similitudinem, *a onde,* κυματοειδῶς. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 30. (96). Mensæ undatim crispæ. *et* 36. *ibid.* 7. 11. (55). Marmor undatim crispum. Adde *Claudian. epith. Pall.* et *Céler.* 5. et *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 857. — Similiter *Ammian.* 26. 3. 2. et *Oros.* 6. 21.

UNDĀTĬO, ōnis, f. 3. (undo) exundatio, id quod exundat. *Theod. Priscian.* 3. 5. Quæ quum molli vapore coqui et bullire cœperint, undatio vel spuma, quæ supernataverit, colligitur.

UNDĀTUS, a, um, particip. *V.* UNDO.

UNDĔ, adverb. — *a*) Scribitur et *cunde* a veteribus, ut *cubi* pro *ubi.* *Plaut. Trin.* 1. 2. 121. *Ritschl.* Hinc composita *sicunde, alicunde, necunde.* — *b*) Ratione habita etymi, putant recentiores factum per syncopen a *qui* et *inde,* ex quo *cunde* et, *c* extrita, *unde.* *V.* UBI. — *c*) Ad quantitatem quod attinet, eruditi viri censent etiam monosyllabon posse haberi itaque usurpatum esse a *Plaut. Capt.* 1. 1. 41., *Cist.* 2. 3. 19. et *alibi.* De priore syllaba, quam *Plautus* corripuisse videtur, disserit *Ritschelius* in *Proleg.* ad *Plaut. p.* 127. — Unde est a quo loco, ex quo loco, ὅθεν, ὁπόθεν (It. *onde, donde;* Fr. *d'où;* Hisp. *de donde;* Germ. *von woher, woher;* Angl. *out of what place, whence*): cui respondet *inde* et *so.*

I.) Proprie. — 1.°) Cum adverb. loci, cui connectitur. *Plaut. Asin.* 1. 2. 13. Ego pol redigam eodem, unde orta es. *Cæs.* 4. *B. G.* 28. Eodem, unde erant profectæ, naves. *Cic. Cæcin.* 30. 87. Si Galli a majoribus nostris postularent, ut eo restituerentur, unde dejecti essent. *Id.* 2. *Rep.* 16. 30. Meliora apud nos esse facta, quam ibi fuissent, unde huc translata sunt. *Id.* 13. *Att.* 39. Nec enim inde venit, unde mallem. *Id.* 1. *Invent.* 20. 28. Narratio brevis erit, si, unde necesse est, inde initium sumatur. *Cf. Ovid.* 1. *Met.* 663. — 2.°) Absolute. — *a*) In interrogationibus directis. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 68. Unde eam (*mulierem*) esse ajunt? *Ter. Eun.* 2. 3. 13. Unde

is? h. e. venis. *Cic. Cæcin.* 30. *circa med.* Unde vi. Hoc verbum, unde, utrumque declarat: et ex quo loco et a quo loco. Unde dejectus est Cinna? ex urbe. unde dejecisti? ab urbe. Unde dejecti Galli? a Capitolio, unde qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. *Virg.* 8. *Æn.* 113. quo tenditis? inquit: Qui genus? unde domo? *di che patria?* — Aliquando post se habet genitivum *gentium*, ad majorem vim vel ornatus gratia. *Plaut. Epid.* 3. 4. 47. Unde hæc igitur gentium est? *et Asin.* 1. 1. 77. Face, id ut paratum sit. LIB. unde gentium? *da chi? Tertull. Pall.* 4. *init.* Unde gentium in provinciis melius exercitis, quas natura agro potius eluctando commodavit, studia palæstræ male senescentia et incassum laborantia? *donde mai?* — *b*) In obliquis. *Ter. loc. cit.* Nescio hercle, neque unde eam neque quorsum eam. *Cic.* 4. *Verr.* 77. 188. Ego instare, ut mihi responderet, quis esset, ubi esset, unde esset. *Id.* 4. *Att.* 16. Non recordor, unde ceciderim sed surrexerim. *Cæs.* 5. *B. G.* 53. Unde initium belli fieret, explorabant. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 53. quære, unde domo. Adde *Senec. Helv.* 6. *Propert.* 1. 22. 1. Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates, Quæris, *di che famiglia.* — Cum Genetivo. *Apul.* 5. *Met.* Sciscitari unde natalium provenerit. — 3.°) Pro undecumque. *Tertull. Anim.* 51. *extr.* Certe unde sunt ista, signis potius et ostentis deputanda. *Id. advers. Hermog.* 22. *circa med.* Quamquam possimus unde illas prolata æstimare, dum ne ex nihilo. *Scioppius* utrobique legit *unde unde.* — Sæpius hoc sensu *unde unde*, vel conjuncte *undeunde*, usurpatur. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 102. Spero, alicunde hodie me Tibi inventurum esse auxilium argentarium. Atque id futurum unde unde dicam, nescio. Alii aliter distinguunt. *Catull.* 67. 27. Quærendumque unde unde foret nervosius illud. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 87. Qui nisi, quum tristes misero venere calendæ, Mercedem aut nummos unde unde extricat etc. *h. e.* undecumque, alicunde. *Tertull. advers. Hermog.* 10. Qui malum etsi ipse non fecit, tamen a quocumque et unde unde passus est fieri. *Apul.* 5. *Met. sub fin.* Nec tamen vindictæ solatium unde unde spernendum est. *V.* UNDECUNDE. — 4.°) Pro ubi. *Sall. fragm.* 2. *Hist.* 70. *Kritz.* Circumventi a dextera, unde ferrum erat, saxa affligebant. Alii tamen aliter leg.

II.) Translate sæpe ponitur pro relativo *qui, quæ, quod.* — 1.°) Generatim. — *a*) Refertur ad locum. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Helvetios in fines suos, unde erant profecti, reverti jussit. *et mox.* Noluit, eum locum, unde erant profecti, vacare. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 203. Fontes, unde hauriretis. *Virg.* 2. *Æn.* 458. Evado ad summi fastigia culminis, unde Tela manu miseri jactabant irrita Teucri. Adde 5. *ibid.* 801. et 6. *ibid.* 204. *Nepos Themist.* 10. Hanc urbem ei rex donarat, quæ panem præberet: Lampsacum, unde vinum sumeret: Myuntem, ex qua obsonium haberet. — *Unde de plano* etc. formula. *V.* PLANUS. — *b*) Refertur ad rem. — *α*) Universim. *Ter. Adelph.* 1. 2. 40. Fores effregit? restituentur. discidit Vestem? resarcietur. est, diis gratia, Unde hæc fiant. *Cic. Brut.* 92. *ad fin.* Non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe absum. *Id.* 2. *Fin.* 17. 55. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam, ne nummum quidem unum attigisset. *Liv.* 5. 4. Quærere (*aliquid*), unde se tueri posset. *Nepos Cim.* 4. Complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. — *β*) Sequente infinito. *Cyprian.* 3. *Testim.* 1. Non habent, unde reddere. — *γ*) Hinc absolute, ut videtur, pro quare, quocirca. *Colum.* 6. *præf.* Nec tamen ulla regio est, in qua modo frumenta gignantur, quæ non ut hominum, ita armentorum adjumento juvetur: unde etiam jumenta nomen a re traxere, quod nostrum laborem juvarent. unde refertur ad τὸ *juventur* et simile est τῷ *quare, quocirca.* Simile est illud *Justini* 2. 14. 6. Castra referta regalis opulentiæ capta. Unde primum Græcos, diviso inter se auro Persico, divitiarum luxuria cepit. *h. e.* quæ ex causa, ex quo. Adde *Ter. Heaut.* 4. 1. 45. et *Ovid.* 4. *Met.* 285. — *δ*) Interrogative pro qua ex causa? cur? quare? *Flor.* 3. 12. *a med.* Unde enim populus R. agros et cibaria flagitaret, nisi per famem, quam luxu fecerat? *et mox.* Unde regnaret judiciariis legibus divulsus a senatu eques, nisi ex avaritia? — *c*) Refertur ad personam. *Ter. Eun.* 1. 2. 34. Mercator hoc addebat: e prædonibus, Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio. *Cic.* 1. *Orat.* 15. *a med.* Ut quamcumque rem a quoque cognorit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde cognorit. *et* 2. *ibid.* 87. Ita audire vel eum, unde dicas, vel eum, cui respondendum sit, ut etc. *h. e.* pro quo dicas: vel a quo causam accepisti. *Virg.* 1. *Æn.* 6. genus unde (*ab Ænea*) Latinum Albanique Patres. *et* 5. *ibid.* 143. genus unde tibi, Romane Cluenti. *Justin.* 5. 4. *a med.* Ut unde stetisset, eo se victoria transferret. *h. e.* a cujus partibus. Adde 14. 1. 7. — 2.°) Speciatim in re forensi, *unde petitur*, est reus, a quo aliquid petitur. *Cato* apud *Gell.* 14. 2. *in fin.* Si quis quid alter ab altero peterent, si ambo pares essent, illi unde petitur, potius credendum esse. *Ter. Eun. prol.* 11. causam dicere Prius unde petitur aurum, quare sit suum, Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi. *Cic.* 7. *Fam.* 11. Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim. *Id.* 1. *Orat.* 37. 168. Ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur.

UNDĒCĒNI, æ, a, adject. distrib. (unus *et* deceni) undecentum, *novantanove:* adhibetur et pro cardinali. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 14. (65). Obeliscum posuit longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quattuor.

UNDĒCENNIS, e, adject. (undecim *et* annus) undecim annorum, in *Thes. nov. Latinit.* ed. ab *A. Maio* in *Class. auct. T.* 8. 14.

UNDĒCENTĒSĬMUS, a, um, adject. num. (undecentum) idem quod nonagesimus nonus. *Val. Max.* 8. 7. *extern. n.* 11. Ad undecentesimum annum.

UNDĒCENTUM, indecl. nom. numerale (unus, de *et* centum), nonaginta novem, centum minus uno, *novantanove*, ἐννενηκονταεννέα. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 69. 60. (214). Paruerunt tamen eis annis undecentum.

UNDĒCIĀRE, is, 3. (undecim *et* æs) undecim asses. *Volus. Mæcian. Distrib.* 58. Undeciære hac nota scribas appellesque: bes sicilicus ⚹ S = Ↄ; nam bes sicilicus totiens ducti undeciære efficiunt. Alii *undeciæs.*

UNDĒCIĀS. *V.* voc. præced.

UNDĒCIENS et

UNDĒCIES, adverb. (undecim) undecim vicibus), *undici volte*, ἑνδεκάκις. *Cic.* 4. *Verr.* 7. 20. Sestertiûm undecies numeratum esse. *Colum.* 5. *R. R.* 2. Hanc summam undecies multiplicato, fiunt etc. *Martial.* 5. 79. Undecies una surrexti, Zoile, cena.

UNDĔCIM, indecl. nom. numerale (unus et decem). *Undeci*, omisso *m*, scribitur; ut sequiore ætate alibi sæpe fit, in *Inscr.* apud *Lupi p.* 112. — Undecim est unus supra decem, *undici*, ἕνδεκα. *Cic.* 6. *Fam.* 18. Undecim legiones. *Martial.* 2. 44. Phœbo quattuor, undecim Phileto. Adde *Vitruv.* 3. 1. *circa med.* — Pro numero indefinito. *Ammian.* 28. 4. 19. — Absolute, de ordine, non de numero. *Vulg. interpr. Luc.* 24. 33. Contra *Joh.* 20. 24.

UNDĔCĬMĀNUS *et* undecumanus, a, um, adject. (undecimus) ad aliquid undecimum pertinens. *Gromat. vet. p.* 248. 21. *Lachm.* Limites undecumani. Alii *undecimani.* — Hinc

*Undecimani* vel *undecumani, orum*, m. plur. 2. absolute, milites legionis undecimæ. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 12. 17. (107).

UNDĔCIMPRĪMUS, i, m. 2. unus ex undecim primis seu proceribus. *Inscr.* apud *Renier Inscr.* 1824. Cf. *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1860. *p.* 96. Cf. DECEMPRIMI.

UNDĔCIMRĒMIS. *V.* UNDECIREMIS.

UNDĔCĬMUS *et* undecumus, a, um, adject. (undecim) ultimus ex undecim, *undecimo*, ἑνδέκατος. *Virg.* 8. *Ecl.* 39. Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 50. *de fluctu decumano.* Posterior nono est undecimoque prior. *V.* DECIMANUS. *Liv.* 30. 18. Undecima legio. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 54. 118. (283). At ultra undecimum diem plerosque certum est mori. — *Undecima*, absolute, *subaud.* hora. *M. Cæs.* apud *Fronton. ad M. Cæs.* 4. 6. *p.* 69. 10. *N.* Ab undecima noctis in tertiam diei.

UNDĔCIMVĬRI *et divisim* undecim viri, ōrum, m. plur. 2. οἱ ἕνδεκα, magistratus apud Athenienses, quos etiam νομοφύλακας atque ἐπάρχους Græci appellabant, triumviris Romanorum capitalibus non absimiles: horum erat officium delinquentes facinorososque homines comprehendere, in carcerem conjicere et capitis damnatos ad supplicium ducere. *Nepos Phoc.* 4. de *Phocione.*

UNDĔCĬRĒMIS *et* undecimremis, is, f. 3. *subaud.* navis, h. e. navis, quæ habet undecim remorum ordines, ἐνδεκήρης. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (203). Maxima ea in Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa, centum triginta pedum longitudinis, crassitudinis vero ad trium hominum complexum. Alii leg. *undecimremem.* V. DECEMREMIS.

UNDĔCŪMĀNUS. *V.* UNDECIMANUS.

UNDĔCUMQUĔ *et* undecunque, adverb. Tmesis est in illo *Lucret.* 5. 1015. cunctas in partes unde vacefit Cumque locus. — Undecumque ¶ 1. De loco. — *a*) Est ex quocumque loco, undique, *da qualunque luogo o parte*, ὁπόθεν ἄν. — *α*) Conjunctum cum alia sententia. *Seneca Vit. beat.* 27. *circa med.* Rupes in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare. *Quintil.* 7. 3. *ad fin.* Nec undecumque causa fluxit, ibi culpa est. Adde *Cod. Theod.* 14. 9. 3. — *β*) Absolute, cum genetivo *gentium*. *Vopisc. Firm. etc.* 14. Siquando legati barbarorum undecumque gentium venissent. — *b*) Pro ubicumque, *da per tutto.* *Plin.* 2. *Hist. nat.* 105. 109. (235). Ignes transiliunt protinus in naphtham undecumque visam. Adde *Trebell. Poll. trig. tyr.* 22. et *Augustin. contr. duas ep. Pelag.* 1. § 2. ¶ 2. Sine loci significatione pro ubique. *Terentian.* 2846. Vir doctissimus undecumque Varro.

UNDĔCŬMUS. *V.* UNDECIMUS.

UNDĔCUNDĔ, adverb. idem quod undeunde: est enim particula geminata *unde*, insertâ litterâ *c*, de qua *V.* UBI et UNDE init. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. an.* 14. 2. Quum se se undecunde clarescentes atque ostentantes proderent causæ etc.

UNDĔCUNQUĔ. *V.* UNDECUMQUE.

UNDĔCŬPLUS, a, um, adject. (unus *et* decuplus) undecies multiplicatus. *Beda Ration. calc. T.* 1. *p.* 155. Decupli, undecupli, duodecupli.

UNDĔLĬBET *et divisim* unde libet, adverb. ex quocumque libet loco, *d'onde piace, da qualunque luogo*, ὅθεν βούλει.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Herenn.* 50. *ad fin.* At istud quidem facile fuit undelibet invenire. *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Epod.* 17. Non unde libet sed ex sepulcris potissimum erutas (*caprificus*) accipe. — Cum genetivo. *Augustin. Locut.* in *Heptat.* 2. ad *Exod.* 30. 12. Tribus autem locis (*conjunctio copulativa*) posita, quorum undelibet detracta, plenam facit esse sententiam.

II.) Translate. ¶ 1. Est ex quacumque parte. *Cels.* 8. 10. Fascia undelibet super fracturam incipere debet. ¶ 2. Item ex quacumque re. *Augustin. Quæst.* in *Heptat.* 3. 26. *a med.* Undelibet jussit offerri (*sacrificia*) sive masculum sive feminam: dum tamen nonnisi de bobus et de ovibus et capris offerrentur. ¶ 3. Item ex quacumque persona. *Id.* in *Ps.* 36. *serm.* 3. *n.* 20. *in fin.* Veritas tibi undelibet loquatur, esuriens accipe.

UNDĒNĀRĬUS, a, um, adject. (undenus) undecim continens, *di undici*, ut Undenarius numerus, *Augustin. Quæst. in Exod. q.* 108. et *Serm.* 51. *ad fin.* et 83. *a med.* Adde *Priscian. De fig. p.* 1355. *Putsch.*

UNDĒNI, æ, a. *V.* UNDENUS.

UNDĒNŌNĀGĒSĬMUS, a, um, adject. (undenonaginta) octogesimus nonus, *ottantesimo no-*

*no.* Ita *Klotz* et *Georges* legunt apud *Sueton. Oth.* 11.; ubi tamen exstare, cum *Roth* negat cl. *De-Vit,* nec ipse reperire potui.

**UNDĒNŌNĀGINTA**, indecl. nom. numerale cardinale (unus, de *et* nonaginta), nonaginta, uno dempto, *ottantanove. Liv.* 37. 30. Classis undenonaginta navium.

**UNDĒNUS**, a, um, adject. numer. (undecim) unus supra decem, undecimus. — *a)* In sing. num. *Manil.* 4. 451. Bisque undena (*pars*) nocens et bis duodena nocens est. *Carm.* in *Anthol. Lat. n.* 736. *Ries.* Aprilis decima est, undeno et fine minatur. — *b)* Sæpius in plur. num. et quidem distributive, sed et pro cardinali ponitur, undecim, *undici,* ἕνδεκα. *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 30. Musa per undenos emodulanda pedes. *h. e.* hexametro et pentametro versu. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 27. Me quater undenos sciat implevisse decembres. *sappia che ho compiuti i quaranta quattro anni. Plin.* 11. *Hist. nat.* 25. 30. (91). Pariuntur autem undeni. *undici alla volta.*

**UNDĒOCTŌGINTA**, indecl. nom. numerale cardinale (unus, de *et* octoginta), septuaginta novem, octoginta minus uno, *settantanove,* ὀγδοηκονταεννέα. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 117. si stramentis incubet unde-Octoginta annos natus, cui stragula vestis Blattarum ac tinearum epulæ putrescat in arca.

**UNDĒQUĀDRĀGĒSĬMUS**, a, um, adject. (undequadraginta) quadragesimus uno minus, *trigesimo nono. Val. Max.* 8. 7. *extern. n.* 10. Undequadragesimum volumen.

**UNDĒQUĀDRĀGĬES** et

**UNDĒQUĀDRĀGĬENS**, adverb. (undequadraginta) novies et tricies, *trentanove volte,* ἐννέα καὶ τριακοντάκις. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 25. (92). Solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicaverat. Cf. *Solin.* 1. 107.

**UNDĒQUĀDRĀGINTA**, indecl. nom. numerale cardinale (unus, de *et* quadraginta), triginta novem, *trentanove,* ἐννέα καὶ τριάκοντα. *Cic.* 2. *Rep.* 14. 27. Sic ille cum undequadraginta annos regnavisset etc. *Liv.* 23. 37. Ad mille quadringentos Carthaginiensium cæsi, undequadraginta vivi capti. Alii leg. *undesexaginta.*

**UNDĒQUĀQUĒ**, adverb. undique. *Sirmond.* ad *Alcim. op. p.* 77. ex *epitaph. S. Leonian.*

**UNDĒQUINQUĀGĒSĬMUS**, a, um, adject. (undequinquaginta) quadragesimus nonus, τεσσαρακοστὸς ἔννατος. *Cic. pro leg. Manil.* 12. *ad fin.* Undequinquagesimo die totam ad imperium populi R. Ciliciam adjunxit. Adde *Vellej.* 2. 17. 3.

**UNDĒQUINQUĀGINTA**, indecl. nom. numerale cardinale (unus, de *et* quinquaginta), quadraginta novem, quinquaginta minus uno, *quarantanove,* ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα. *Liv.* 37. 58. In eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt. Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (40).

**UNDĒSEXĀGĒSĬMUS**, a, um, adject. (undesexaginta) quinquagesimus nonus, *cinquantesimo nono. Censorin. De die nat.* 19. Undesexagesima pars.

**UNDĒSEXĀGINTA**, indecl. nom. numerale cardinale (unus, de *et* sexaginta), quinquaginta novem, *cinquantanove,* ἐννέα καὶ πεντήκοντα. *Liv.* 23. 37. Ceperint amplius tria milia hominum, paullo minus mille equorum, undesexaginta militaria signa. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (122)

**UNDĒTRĪCĒNI**, æ, a, adject. distrib. (undetriginta) *Undetricenûm* pro *undetricenorum* V. infra. — Undetriceni idem est quod undetriginta, undetricesimi, *ventinove. Macrob.* 1. *Saturn.* 13. *ante med.* Menses undetricenum tricenumque (*dierum*) numero alternaverunt.

**UNDĒTRĪCĒSĬMUS** *et* undetrigesimus, a, um, adject. (undetriginta) tricesimus nonus, *ventesimo nono, ventinovesimo,* εἰκοστὸς ἔννατος. *Liv.* 25. 36. *ad fin.* Undetrigesimo die post fratris mortem interfectus est. *Augustin.* 5. *Confess.* 3. Annus undetrigesimus ætatis. Adde *Solin.* 7. 6. — Absolute *Gell.* 10. 5. Nigidius in commentariorum undetricesimo *subaud.* libro.

**UNDĒTRĪGĒSĬMUS**. *V.* voc. præced.

**UNDĒTRĪGINTA**, indecl. nom. numerale cardinale (unus, de *et* triginta). triginta uno minus, *ventinove. Vitruv.* 9. 4. *ante med.* Mensibus undetriginta et amplius. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 15.

**UNDĒUNDĒ**. *V.* UNDE.

**UNDĒVĪCĒNI**, æ, a, adject. distrib. (undeviginti) decem et novem, *diciannove:* ponitur autem etiam pro cardinali. *Quintil.* 1. 10. *sub fin.* Porrecti utrinque undeviceni pedes.

**UNDĒVĪCENSĬMUS** et

**UNDĒVĪCENSŬMUS**. *V.* UNDEVICESIMUS.

**UNDĒVĪCĒSĬMĀNI** *et* undevigesimani, ōrum, m. plur. 2. (undevicesimus) milites, qui sunt ex legione undevicesima. *Auct. B. Alex.* 57. Quum quinque cohortibus undevicesimanorum egreditur. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 37. et 51., ubi alii leg. *unaetvicesimani* vel *unetvicesimani. V.* UNETVICESIMANI.

**UNDĒVĪCĒSĬMUS** *et* undevigesimus, a, um, adject. (undeviginti) Etiam *undevicensimus* vel *undevicensumus* scribitur, ut *quadragensumus. V.* QUADRAGESIMUS. *Inscr.* apud *Murat.* 773. 1. et emendatior apud *Maff. Osserv. letter. T.* 4. *p.* 342. ERIPVIT NOBIS VNDEVICENSVMVS ANNVS INGRESSVM IVVENEM MILITIAM CVPIDE. Item *unadevicensimus* apud *Serv. De cent. metr.* (IV.) 472. 7. — Secunda et tertia syllaba licenter ac male corripiuntur in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 21. *Burmann.* Senserat ire aquilas legio undevigesima, cujus etc. — Undevicesimus est decimus nonus, *decimonono,* ἐννέα καὶ δέκατος. *Cic. Senect.* 5. 14. Anno undevicesimo post ejus mortem. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *circa med.* Die undevigesimo animadvertat, an pulli rostellis ova percuderint. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

**UNDĒVĪCĬES** et

**UNDĒVĪCĬENS**, adverb. (undeviginti) novemdecim vices, *diciannove volte. Hygin.* 4. *Astron.* 15. *de sidere Veneris.* Toto mense non plus undevicies potest videri. Alii minus recte *indeficiens.* Cf. *Capell.* 8. *p.* 298.

**UNDĒVĪGĒSĬMUS**. *V.* UNDEVICESIMUS.

**UNDĒVĪGINTI**, indecl. nom. numerale cardinale (unus, de *et* viginti), novemdecim, viginti minus uno, *diciannove,* δέκα ἐννέα, εἴκοσι ἑνὸς δέοντος. *Cic. Brut.* 64. 229. Undeviginti annos natus erat eo tempore. Adde *Liv.* 23. 46., *Capell.* 8. *p.* 298. et *Sulpic. Sev. Chron.* 2. 10., ubi alii leg. *unus de viginti.* Sic *Liv. Epit.* 119., ubi *Müller* leg. *undeviginti,* alii aliter.

**UNDĬCŎLA**, æ, m. et f. 1. (unda *et* colo) undas colens, in undis habitans. *Varro* apud *Non. p.* 250. 14. *Merc.* Ut Naiades undicolæ. *Avien. Arat.* 808. Undicola pistris.

**UNDĬFLŬUS**, a, um, adject. (unda *et* fluo) qui undatim fluit. *Dracont.* 1. *Hexaem.* 607. Quis neget undifluos procedere fontibus amnes?

**UNDĬFRĀGUS**, a, um, adject. (unda *et* frango) undans frangens. Translate. *Venant.* 3. *prol.* 4. *sub init.* Per undifragos vestri fluctus eloquii me contigit irrorari

**UNDĬQUĔ**, adverb. (unde *et* que) ex omni loco, ex omni parte, passim, πανταχόθεν, πάντοθεν (It. *da per tutto, da ogni banda, in ogni parte;* Fr. *de tous côtés, de toutes parts;* Hisp. *de todas partes;* Germ. *von allen Seiten od. Orten, es sei, woher es wolle;* Angl. *from all parts or places*): usurpatur autem tum proprie de loco, tum translate de alia re quacumque. — 1.°) Generatim. — *a)* Absolute. *Cæs.* 3. *B. G.* 1. *extr.* Vicus altissimis montibus undique continetur. *et ibid.* 6. Undique circumventos interficiunt. *Cic. pro leg. Manil.* 11. 30. Sicilia undique cincta periculis. *Id.* 3. *Orat.* 24. 92. Res exquisitæ undique et collectæ, arcessitæ, comportatæ. *et* 1. *ibid.* 42. *extr.* Passim carpere et colligere undique. *Id.* 4. *Verr.* 53. *circa med.* Concurritur undique ad istum Syracusas. *Id.* 1. *Tusc.* 43. *ad fin.* Undique ad inferos tantundem viæ est. *h. e.* ab omni terrarum parte. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Ut undique uno tempore in hostes impetus fieret. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 69. Honestas undique perfecta et absoluta. *Id.* 5. *Tusc.* 31. 86. Vita undique referta bonis. *Id.* 2. *Phil.* 43. 110. Aut undique religionem tolle aut usquequaque conserva. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 107. delirus et amens Undique dicatur merito. *Quintil.* 10. 3. 28. Undique liber animus. *et* 12. 1. 25. perfectus vir. — *b)* Cum *omnis. Cic. Sext.* 56. 119. Ut omnes undique flosculos carpam atque delibem. Adde *Liv.* 3. 63., *Quintil.* 5. 10. 21. et *Curt.* 3. 2. 10. — *c)* Cum genet. *gentium* ornatus gratiâ. *Aurelian. Imp.* in *edicto* apud *Vopisc. Firm. etc.* 5. Pacato undique gentium toto, qua patet, orbe terrarum. — *d)* Item cum alio genet. *Apul.* 8. *Met.* Canes rabidi et immanes undique laterum circumfusi passim insiliunt. — 2.°) Speciatim pro undecumque usurpari videtur in illo *Tertull. advers. Valentinian.* 5. Nec undique dicemur ipsi nobis effinxisse materias. — 3.°) *Undique secus* et *undique versum* (*vorsum*) vel *versus* (*vorsus*), quæ conjunctim etiam scribuntur, idem quod undique, quaqua versus. *Solin.* 27. *a med.* Non sine miraculo lucus viret, undique secus agris arentibus. *da ogni parte lunghesso.* Adde *Capell.* 6. *p.* 195. et *p.* 234., ubi tamen *undique secum* perperam legitur. *Justin.* 44. 1. *in fin.* Marinæ auræ undique versus assidui flatus. *Gell.* 12. 13. *a med.* Oceanus terras omnifariam et undique versum circumfluit. *Id.* 7. 16. Has undique vorsum indagines cupediarum majore detestatione dignas censebimus. *Solin.* 40. *a med.* Undique versum, quod usquam gentium sit, ad regiam Memnonis convenire. *Apul. De mag.* Quum undique versum tabulis flagitaretur. — 4.°) *Ex undique* vel conjunctim *exundique,* idem quod undique. *Anthol. Lat. n.* 625. *Mayer.* V. FONTIGER.

**UNDĬQUĔSĔCUS** et

**UNDĬQUĔVERSUM** vel

**UNDĬQUĔVERSUS**. *V.* voc. præced.

**UNDĬSĔCUS**, a, um, adject. (unda *et* seco) qui secat undas. *Auct. carm. de Jon.* 56. Hunc simul undisecæ qui cogit munia proræ.

**UNDĬSŎNUS** a, um, adject. (unda *et* sono) undis strepens, fluctibus murmur edens: dicitur de insulis et scopulis, ad quos undæ maris allisæ sonum edunt. *Val. Flacc.* 1. 364. Qui tenet undisonam Psamathen. *et* 4. 44. undisoni crepidine saxi. *Stat.* 1. *Achill.* 198. Undisonæ rupes. — *Propert.* 3. 20. 18. Dei undisoni. *h. e.* maris præsides.

**UNDĬVĂGUS**, a, um, adject. (unda *et* vagus) ¶ 1. Est qui undatim vagatur. *Coripp.* 6. *Johann.* 342. mistum genus omne bibebat Undivagos latices. *Id.* 7. *ibid.* 344. Undivagumque salum. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 303. *Burmann.* Tethyos undivagæ quum prosilit æquore Titan. *Auct. Orest. trag.* 362. Undivagi fluctus. ¶ 2. Item qui super undas errat, qui navigat. *Sil. It.* 3. 199. Uritur undivagus Python et corniger Hammon. *che solca le onde.* ¶ 3. Item qui undat, qui in aquis vagatur. *Venant.* 3. *Vit. S. Martin.* 485. Undivaga arena.

**UNDO**, as, āvi, ātum, are, 1. (unda) Part. *Undans* sub *A* I. et II. 1. et 4.; *Undatus* sub *B* II. — Undo usurpatur *A)* Intransitive; et etiam *B)* Transitivorum more.

*A)* Intransitive est undas facio, undis agor, fluctuo, κυμαίνω (It. *ondeggiare;* Fr. *ondoyer;* Hisp. *ondear;* Germ. *wallen;* Angl. *to rise in waves, swell*): usurpatur autem absolute vel cum ablat. rei, qua quis undat.

I.) Proprie. *Enn. fragm.* 162. *Ribb.* Undantem salum. *Acc.* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 35. 89. Triton fuscina evertens specus, Subter radices penitus undante in freto etc. *Lucret.* 1. 720. Angustoque fretu rapidum mare dividit undans. Alii perperam *undis.* V. *Lachm.* ad *h. l. Virg.* 6. *Æn.* 218. calidos latices et ahena undantia flammis Expediunt. *h. e.* præ calore exundantia. *Id.* 10. *ibid.* 908. Undantique animam diffundit in arma cruore. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 28. *a med.* Solet æstus æquinoctialis omnibus aliis major undare. *Stat.* 1. *Theb.* 449. undantes sanguine vultus. Hinc 2. *ibid.* 124. et *Sil. It.* 10. 240. Undans vulnus. *h. e.* magnam sanguinis copiam emittens. *Claudian.* 1. *Rufin.* 184. fluvius. *Petron. Sat.* 123. flumina montibus altis Undabant modo nata. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 10

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de aliis, quæ more undæ moventur et fluunt. — *a*) Universim. *Virg.* 12. *Æn.* 672. flammis inter tabulata volutus Ad cælum undabat vortex. *Id.* 1. *G.* 472. Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa. *Seneca Troad.* 19. Diripitur ardens Troja, nec cælum patet, Undante fumo. *Sil. It.* 9. 445. summaque in casside largus Undantes volvit flammas ad sidera vertex. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 395. undantem flammarum obstruxit hiatum. *Virg.* 2. *G.* 437. Et juvat undantem buxo spectare Cytorum. *h. e.* buxo multo consitum, quod leni vento impulsum fluctuat instar maris. Simile est illud *ejusd.* 3. *ibid.* 198. tum segetes altæ campique natantes Lenibus horrescunt flabris. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 76. undantes spumis furialibus iræ. *h. e.* spumam in os agentes instar laticum in aheno ex calore exundantium. — *b*) De Iride. *Val. Flacc.* 4. 94. qui nubila contra Balteus undantem variat mortalibus arcum. *h. e.* variis coloribus instar undarum dispositis. — *c*) De Venere nata ex spuma maris. *Pervigil. Vener.* 14. Fecit (*Pontus*) undantem Dionem. — *d*) De vestibus laxis et undarum instar fluentibus. *Plaut. Epid.* 3. 3. 54. hic quis est, quem huc advenientem conspicor, Suam qui undantem chlamydem quassando facit? *Claudian.* 2. *in Rufin.* 176. lateque videres Surgere purpureis undantes anguibus hastas. *h. e.* vexillis e purpura angues depictos habentibus: *bandiere sventolanti.* Eadem ratione *Virg.* 5. *Æn.* 146. immissis aurigæ undantia lora Concussere jugis. *h. e.* habenas laxas, quæ, dum concutiuntur, undas maris imitantur. et 12. *ibid.* 471. manibusque undantes flectit habenas. ¶ 2. Item ponitur pro abundare. *Val. Flacc.* 1. 539. regio Undat equis floretque viris. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 25. Undaret ne silva favis. *Id. cons. Prob. et Olybr.* 46. populis undare penates, Assiduos intrare inopes. *Id. VI. cons. Honor.* 545. undare videres Ima viris, altas effulgere matribus ædes. *Id. cons. Mall. Theod.* 21. Mox undare foro victrix opulentia linguæ Tutarique reos. ¶ 3. Item pro fluctuando moveri. *Apul.* 2. *Met.* Fotis spinam mobilem quatiens placide, decenter undabat. *h. e.* lumborum crispitudine fluctuabat. ¶ 4. Item refertur ad animum. *Val. Flacc.* 5. 303. Præcipue Æsonidem varios incerta per æstus Mens rapit undantem curis ac multa novantem. *ondeggiante fra mille pensieri.* Cf. *Virg.* 8. *Æn.* 19. magno curarum Fluctuat æstu. — Absolute part. *undans*, de re undanti more fluctus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (198). Undantis inclinatio et fluctus more quædam volutatio infesta est: aut quum in unam partem totus se motus impellit.

*B*) Transitivorum more est inundo (It. *inondare*; Fr. *inonder*; Hisp. *inundar*; Germ. *überströmen, überschwemmen*; Angl. *to inundate, overflow*).

I.) Proprie. *Stat.* 1. *Achill.* 86. Quum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros Undabit campos. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 67. puerique cruore Maternos undare sinus.

II.) Translate est undarum in morem facio. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). Concharum genera imbricatim undata, cancellatim reticulata. *h. e.* undulata, *fatta a onde.*

UNDŌSĒ, adverb. (undosus) undas excitando. Occurrit tantum Compar. apud *Ammian.* 27. 4. 7. Freto undosius ab Euxino Ponto labenti.

UNDŌSUS et unduosus, a, um, adject. (unda) Comp. *Undosior* et Sup. *Undosissimus.* — Undosus est undis et fluctibus abundans, undis agitatus, undans, κυματώδης (It. *fluttuoso, ondoso*; Fr. *plein de vagues*; Hisp. *undoso*; Germ. *wellenreich, wallend*; Angl. *full of waves, wavy, billowy*).

I.) Proprie. *Virg.* 4. *Æn.* 313. Undosum æquor. et 3. *ibid.* 693. Plemyrium. *Sil. It.* 5. 21. regna. Adde *Alcim.* 3. 49. *Solin.* 12. *ad fin.* Fluctus undosior. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 11. *a med.* Torrentes violentissimi atque undosissimi. — *Capell.* 1. *p.* 8. Undosa hiems.

II.) Translate. *Augustin. Serm.* 1. ed. *Mai.* Ubi molles rami, pendentes fornices, unduosa inflarat amœnitas.

UNDŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* unda, parva unda, *ondetta, ondicella. Boeth.* 1. *Music.* 14. Tale quiddam fieri consuevit in vocibus, quale quum paludibus vel quietis aquis jactum eminus mergitur saxum. Prius in parvissimum orbem undam colligit, deinde majoribus orbibus undarum globos spargit atque eo usque dum fatigatus motus ab eliciendis fluctibus conquiescat: semperque posterior et major undula pulsu debiliore diffunditur. Quod si quid sit quod crescentes undas possit ostendere, statim motus ille revertitur et quasi ad centrum, unde profectus fuerat, eisdem undulis rotundatur.

UNDŬLĀTUS, a, um, adject. (undula) undæ similis, undas repræsentans, κυματώδης, Gallice *changeant, moiré*, Italice *fatto a marezzo*, ut vestis undulata, κυματώδης ἐσθής, per quam imago undarum discurrit: qua ratione *vestis scutulata* appellatur a scutulis, quales in aranearum telis cernimus. In genere undulatarum vestium sunt, quæ ex hircorum et caprarum pilis (varii quidem, sed nativi coloris) verius, quam lanis, conficiuntur; nam hæ undis quibusdam depictæ sunt. *Varro* apud *Non. p.* 189. 26. *Merc.* A quibusdam dicitur esse Fortunæ virginis simulacrum, ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum, perinde ut reges nostri undulatas et prætextas togas soliti sunt habere. Ubi *Nonius* scribit, *undulatum* nove positum pro *puro*, fortasse quia hujusmodi vestes, nulla tinctura infectæ, purum nativumque colorem habeant. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (195)., ubi eadem fere cum *Varrone* habentur.

UNDŬŌSUS. *V.* UNDOSUS.

ŪNĔDO, ōnis, m. 3. Sequitur ex *Plin. loc. cit.* esse ab *unus* et *edo*, quod plures edi non possint: nempe cibus iste, si unico plus sumas, noxius est. Unde et cognoscimus, corripere pænultimam. Ita *Forcellinus.* Cf. tamen *Döderlein op. cit. v.* 6. *p.* 385. — Unedo ¶ 1. Est fructus arbuti, terrestribus fragis non dissimilis, *corbezzolo. Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 28. (98). Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum unedoni, quod solum pomum simile frutici terræque gignitur. Arbor ipsa fruticosa. Fructus anno maturescit: pariterque floret subnascens et prior coquitur. Mas sit, an femina sterilis, inter auctores non constat. Pomum inhonorum, ut cui nomen ex argumento sit unum tantum edendi. Hæc *Plin.* Adde *Colum.* 8. *R. R.* 17. 13., ubi *Schneid.* leg. *infracta unedo*, alii *infractus*: sane arbor arbutus femin., fructus vero masc. gen. esse videtur. ¶ 2. Ipsa etiam arbutus eodem nomine significatur, *corbezzolo. Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 79. (151). Arbutus sive unedo fructum fert difficilem concoctioni et stomacho inutilem. Adde 16. *ibid.* 31. 55. (126). — *Gloss.* in *Prodr. Gloss.* ed. *Loew. p.* 417. Arbutus, comarus, cui vulgo nomen est unedo.

ŪNEFĔRA, æ, f. 1. nomen Italum herbæ centaureæ majoris. *Apul. Herb.* 35. Itali (*vocant*) fel terræ sive uneferam.

ŪNESCO (unisco), is, ere, n. 3. *inchoat. ab* unus, unus fio, copulor, conjungor. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (161). Unescunt hoc modo recisique palmitem emittunt. *Sillig.* leg. *umescunt.* — Translate. *Claud. Mamertin.* 3. *Stat. an.* 9. Unescere cum aliquo. *V.* DISPARASCO.

ŪNETVĪCĒSĬMĀNI et unaetvicesimani, ōrum, m. plur. 2. (unetvicesimus) milites, qui sunt ex legione vicesima prima. *Tac.* 2. *Hist.* 43. Stratis unetvicesimanorum principiis, aquilam abstulere. *Id.* 1. *Ann.* 51. Sinistrum latus unetvicesimani, dextrum Quintani clausere. Adde *Auct. B. Alex.* 57. *Nipperd.* et *Dint.*, ubi MSS. habent *undevicesimani.*

ŪNETVĪCĒSĬMUS et unaetvicesimus, a, um, adject. (unus et vicesimus) vicesimus primus, ut Unetvicesima legio apud *Tac.* 1. *Ann.* 45. et 2. *Hist.* 43.

UNGELLA et unguella, æ, f. 1. (*deminut. ab* ungula: cf. *Diomed. p.* 326. 29. *K.*) Etiam *unguella* scribitur. V. *Vespæ loc. cit.* in SYCOTUM. — Ungella vocatur ungula cum pede suilla. *Apic.* 4. 5. Ungellæ et avicellæ divisæ cum bulbis ferveant. *Marcell. Empir.* 20. *ante med.* Edulia quoque prosunt hæc, cochleæ bullienti frustella. ungellæ, turdi, perdices etc. *et mox.* Statim dare debes vel ova hapala vel ungellam discoctam vel cochleas elixas etc. *Edict. Dioclet. p.* 14. Ungellæ quattuor et aqualiculum pretio quo caro distrabitur. Adde *Plin. Valer.* 2. 23. et *Anthol. Lat.* 199. 84. *Ries.* Legitur et in *Not. Tir. p.* 167. Ungula, ungella.

UNGELLŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* ungella, exigua ungella. Agnoscitur a *Diomed. p.* 326, 29. *Keil.* Alii leg. *unguellula.*

UNGENS, entis, particip. *V.* UNGO.

UNGENTUM. *V.* UNGUENTUM.

UNGĔO et ungueo. *V.* UNGO.

UNGĬTO. *V.* INUNGITO.

UNGO et unguo, ungis vel unguis, unxi, unctum, ungere vel unguere, a. 3. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, hæc habet *Forcellinus*: « Utrum sit rectius *unguo*, an *ungo*, non facile dixerim. *Cellar.* et *Dausqu.* præferunt *ungo.* Ex *unguo* quidam grammatici apud *Priscian.* 10. *p.* 881. *Putsch.* præteritum *ungui* faciunt. (*V.* et *Brambach p.* 129.) Ex eodem sunt *unguedo, unguen, unguentum*; quamquam *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 773. vult dici *ungentum.* V. UNGUENTARIUS. Ne *Vegetium* quidem imitari ausim, qui 3. *Veterin.* 47. *ungueri* dixit (ut quidam leg.) ab *ungueo*: et *ibid.* 54. *perunguebis.* Tametsi et *Fest.* in *Persillum p.* 217. 15. *Müll.* eadem ratione usurpare videtur ». Ceterum etiam *ungeo* vel *ungueo*, saltem vulgo, usurpatum fuisse conjicitur ex eo quod Grammaticis veteribus improbatur, sane quia apud probos scriptores scriptum non invenere. *Fest.* tamen *loc. cit.* Ex quo unguine Flamen Portunalis arma Quirini unguet, — *b*) Præterit. *ungui* apud *Priscian. loc. cit.* et *Plot. Sacerd. p.* 485. 19. et *p.* 489. 17. *K.*; nullum tamen exstat auctoris exemplum. — *c*) Ratione habita etymi, conjungi potest cum rad. Skr. *ang*, ejusdem significationis. V. *Böhlingk* et *Roth Sansk. Wörtb.* I. 76. — Part. *Ungens* 1.; *Unctus* 1. et 2. et in fin.; *Ungendus* 1. et 2. — Ungo est oleo aliove pingui oblino, ἀλείφω, χρίω (It. *ungere*; Fr. *oindre*; Hisp. *untar*; Germ. *salben*; Angl. *to anoint*). ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Most.* 1. 3. 115. Etiamne unguentis unguendam censes? Sic *Truc.* 2. 2. 34. Fores nostras unguentis uncta ausa es accedere. *Cato R. R.* 79. Globos melle unguito. *Varro* 1. *R. R.* 2. *ad fin.* Ranam luridam conjicere in aquam, usque quo ad tertiam partem decoxeris: eoque unguere corpus. *Cic.* 5. *Verr.* 35. 77. Matronas et virgines, quum Diana exportaretur ex oppido, unxisse unguentis, complesse coronis et floribus. *Id.* 3. *Phil.* 5. 12. Nudus, unctus, ebrius contionatus est. *h. e.* unguentis delibutus. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 78. puer unctis Tractavit calicem manibus. *Id. ibid.* 3. 125. Unguere si caules oleo meliore caputque Cœperis impexa fœdum porrigine. *Id.* 1. *Ep.* 18. 22. Gloria quem supra vires et vestit et ungit. *h. e.* qui ostentationis et vanæ gloriæ causa supra vires rei familiaris sumptus facit in cultu corporis, unguentis et deliciis. *Ovid. Heroid.* 19. 11. uncta palæstra. *h. e.* in qua oleo uncti exercebantur. *Virg.* 4. *Æn.* 398. natat uncta carina. *h. e.* pice delibuta. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 64. Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo. *h. e.* condita. Sic *Pers.* 6. 68. Impensius unge, Unge, puer, caules. *Martial.* 2. 77. Utilis ungendis axibus esse potes. *Cels.* 5. 28. *n.* 15. *extr.* Prius ungi ex cerussa pustulæ debent. — Absolute *Augustin.* 6. *Civ. D.* 10. Unctor, qui vano brachiorum motu imitatur ungentem. *V.* UNCTOR. — Mos ungendi frequens in balneis post lotionem. *Cic.* 13. *Att.* 52. Post horam octavam in balneum: tum audivit de Mamurra, vultum non mutavit; unctus est, accubuit. *Augustus* in *epist.* apud *Sueton. Aug.* 76. In balneo demum duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem. — Et mortuorum cadavera. *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 47. Funera nec potui comitare nec ungere corpus. *Id.* 4. *Fast.* 853. Assuetosque artus unxit. Adde *He-*

roid. 10. 122., Martial. 3. 12., Pers. 3. 104., Val. Max. 4. 6. n. 3., Enn. apud Serv. ad Virg. 6. Æn. 219. et Vulg. interpr. Marc. 16. 1. De loco Joh. (c. 12. v. 7.) V. Curci N. T. esp. in Not. eseg. v. 1. p. 91. — Sæpissime usum babuit in re sacra; nam veteres solebant ungere signa deorum et alia, quæ in cultum deorum sacrabantur. Cic. 6. Verr. 35. De bac re plura congessit Marini Fr. Arv. p. 394. et seq. V. UNGUENTO. Huc trabi potest illud Lucret. 4. 1170. exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit postesque superbos Unguit amaracino et foribus miser oscula figit. — Item apud Ecclesiasticos scriptores in ritu consecrandi sacerdotes et reges aut res quasdam in Dei cultum; vel sacramenti conferendi. Vulg. interpr. Levit. 4. 3. Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit etc. Id. 3. Reg. 1. 39. Sadoc sacerdos unxit Salomonem. Id. Gen. 31. 13. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem. Id. Exod. 29. 36. Unges (altare) in sanctificationem. Id. 2. Par. 1. 21. Unxit nos Deus. Adde Jac. 5. 14. Cyprian. Ep. 70. n. 2. Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut, accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei et babere in se gratiam Christi possit. Adde Prudent. Apoth. 485. Cf. ad rem De-Rossi Bullett. Crist. a. 1869. p. 22. et seqq. ¶ 2. Latiore sensu adhibetur de aliis liquoribus pro tingere, madefacere, bagnare. Virg. 9. Æn. 773. Ungere tela manu ferrumque armare veneno. Horat. 2. Od. 1. 5. arma uncta cruore. Adde Sil. It. 5. 352. Id. ibid. 9. 8. ante omnes invadere bella Mancinus gaudens hostilique unguere primus Tela cruore. Plin. 19. Hist. nat. 6. 34. (115). aqua salsa tepida capita unguenda sunt. — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus

*Unctus, a, um,* adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Unctior* et Sup. *Unctissimus*. — Unctus, sed translato sensu (Cf. LAUTUS) ¶ 1. Est opiparus, lautus, quia ditiores cibis exquisite unctis, h. e. conditis, utuntur. Catull. 10. 9. Respondi id quod erat, mihi neque ipsi Nec prætoribus esse nec cohorti, Cur quisquam caput unctius referret. h. e. inde ditior rediret. Id. 29. 23. Uncta patrimonia. Horat. 1. Ep. 15. 44. ubi quid melius contingit et unctius etc. Sidon. 2. Ep. 9. ad fin. Unctissimæ cenæ. Sic Martial. 5. 44. Captus es unctiore cena. Juvenal. 8. 113. Uncta Corinthus. et Sidon. carm. 5. 430. Tarentus. h. e. in luxu et otio vivens. Seneca Ep. 66. ante med. Magis diliges ex duobus æque bonis viris nitidum et unctum, quam pulverulentum et horrentem. Cic. 4. Verr. 22. a med. Ita palæstritas defendebat, ut ab illis ipse unctior discederet, h. e. ditior factus pecunia a palæstritis sibi erogata, ut eos defenderet. — Hinc unctus sol a Cic. 12. Att. 6. dicitur apricatio, quam cena opipara sequatur: alii tamen aliter interpretantur. V. ASSUS. — Absolute. Horat. 1. Ep. 17. 11. Si prodesse tuis paulloque benignius ipsum Te tractare voles, accedes siccus ad unctum. h. e. tu pauper accedes ad divitem et lautum hominem. ¶ 2. Sumitur et pro nitido, culto, ornato: nam quæ uncta sunt, nitent. Cic. Brut. 20. 78. Jam enim erat unctior quædam splendidiorque consuetudo loquendi. — Hinc etiam

*Unctum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, idem quod unguentum, quo quis ungitur. ¶ 1. Proprie. Apul. 3. Met. Et, haurito pluscule uncto. (h. e. unguento ex pyxide), corporis mei membra perfricui. Pelagon. Veterin. 26. a med. Ranas in aqua coques et colligis unctum ipsarum. Adde Veget. 5. Veterin. 70., ubi alii legunt unctam absolute pro unctum, sed fortasse minus recte. ¶ 2. Translate. Horat. Art. P. 422. Si vero est, unctum qui recte ponere possit etc. h. e. lautam cenam. Pers. 6. 16. cenare sine uncto. h. e. sine cibis delicatis et ullo condimento paratis.

UNGUĔDO, inis, f. 3. (ungo) idem quod unguen seu unguentum. Apul. 3. Met. Pyxides pluscules depromit atque indidem egesta unguedine etc.

UNGUELLA et

UNGUELLŬLA. V. UNGELLA etc.

UNGUEN, inis, n. 3. (unguo) *Ungen* pro *unguen* leg. nonnulli apud Virg. 3. G. 450. pingues ungine ceras. — Unguen est idem quod unguentum vel sucus liquidus et crassus unguento similis.

I.) Proprie. Cato R. R. 79. et 80. In abenum caldum unguen indito. Adde Virg. loc. cit. et Grat. Cyneg. 363. et 410. Pers. 6. 40. Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes. h. e. oleo. V. FŒNISECA. Pallad. 1. R. R. 17. Sumas tantumdem unguinis, quod vocamus axungiam vel sevum. Val. Flacc. 8. 302. ermant alii picis unguine flammas. Id. 6. 360. pingui fluit unguine tellus. Auct. carm. de Phœn. 119. Unguen balsameum. Adde Fest. p. 217. 15. Müll. et Seren. Sammon. 29. 19. et 41. 10.

II.) Translate est benedictio, donum, salus. Venant. Vit. S. Martin. 2. 12. de benedictione. A digitis salit alta salus, fluit unguen ab ungue.

UNGUENTĀRĬA, æ, f. 1. et

UNGUENTĀRĬUM, ii, n. et

UNGUENTĀRĬUS, ii, m. 2. V. voc. seq.

UNGUENTĀRĬUS, a, um, adject. (unguentum) In antiquis Inscript. sæpe legitur *ungentarius* ab *ungo*. V. Fabrett. p. 219. — Unguentarius est ad unguentum pertinens, di unguento, μυρεψικός. Varro 8. L. L. 55. Müll. et Sueton. Aug. 4. a med. Unguentariam tabernam exercere. Sidon. 2. Ep. 2. ante med. Unguentaria cella. Plin. 36. Hist. nat. 8. 12. (60). vasa. Marcell. Empir. c. 9. p. 99. crocus. — *Unguentarius vicus*, ubi unguenta venibant. Notit. Urb. p. 15. Pr. — Hinc absolute, substantivorum more

*Unguentaria, æ,* f. 1. ¶ 1. Est quæ unguenta conficit et vendit, μυρόπωλις. Plin. 8. Hist. nat. 5. 5. (14). Unguentaria quædam dilecta Jubæ. Inscr. apud Don. cl. 8. n. 88. LICINIAE PRIMIGENIAE VNGVENTARIAE etc. ¶ 2. Item ars ipsa unguentorum conficiendorum. Plaut. Pœn. 3. 3. 90. Faciam, ubi tu laveris, ibi ut balneator faciat unguentariam.

*Unguentarium, ii,* n. 2. ¶ 1. Vas unguentarium. Ennod. apud Augustin. Ep. 158. n. 12. ¶ 2. Pecunia, quæ alicui datur ad unguenta. Plin. 2. Ep. 11. sub fin. Accepisse sestertium decem milia, fœdissimo titulo, nomine unguentarii.

*Unguentarius, ii,* m. 2. qui unguenta conficit et vendit, *profumiere*, ἀλείπτης, μυροπώλης. Cic. 1 Off. 42. 150. Minime artes hæ probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum: cetarii, lanii, coqui. adde huc unguentarios, saltatores totumque ludum talarium. Adde Horat. 2. Sat. 3. 228. et Porphyr. in h. l., Plin. 31. Hist. nat. 7. 42. (91). et Inscr. apud Gruter. 636. 9. Vulg. interpr. Eccli. 38. 7. Unguentarius faciet pigmenta suavitatis et unctiones conficiet sanitatis. Marcell. Empir. c. 14. p. 104. Unguentarii rosas duplici vase liquefaciunt. — Quod scribit Seneca 4. Quæst. nat. 13. a med. Unguentarios Lacedæmonii urbe expulerunt et propere cedere finibus suis jusserunt, quia oleum disperderent: Lips. adscribit, aliptas et iatraliptas significari.

UNGUENTĀTUS, a, um, particip. V. UNGUENTO.

UNGUENTĬĀNA, æ, f. 1. herba eadem, quæ Græce acoros appellatur. Apul. Herb. 6.

UNGUENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (unguentum) Part. *Unguentatus*. — Unguento est ungo, unguentis perfusis orno, χρίω (It. *unguentare*; Fr. *frotter de parfums, parfumer*; Hisp. *perfumar, sahumar, aromatizar*; Germ. *salben, mit Salbe bestreichen*; Angl. *rub over or perfume with unguents*). Plaut. Cas. 2. 2. 23. Senecta ætate unguentatus per vias, ignave, incedis. Id. Truc. 2. 2. 32. Cincinni compositi, crispi, unguentati. Catull. 61. 142. Diceris male te a tuis Unguentate glabris marite Abstinere. P. Scipio Afric. apud Gell. 7. 12. Qui quotidie unguentatus adversus speculum ornatur. Seneca fragm. apud eumd. 12. 2. ad fin. Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter bircosos, possint tamen inter unguentatos placere. h. e. bene olentes ex unguentis atque adeo delicatos et molles. Inscr. apud Marin. Frat. Arv. n. XL. lin. 13. TVRE ET VINO FECERVNT ET DEAM VNGVENTAVERVNT ET IN CATHEDRIS CONSEDERVNT. et n. XLI. lin. 31. ET DEAS VNGVENTAVERVNT. Ex Cic. loc. cit. in UNGO constat, id moris fuisse apud veteres, ut honoris cultusque causa deorum dearumque signa unguentis ungerent. Hinc alia Inscr. apud eumd. ibid. n. XXXV. DEINDE CORONIS INLATIS SIGNISQVE VNCTIS C. VICTORIVM MAGISTRVM ANNVVM NOMINAVERVNT. et n. XXXVI. DEINDE CORONIS INLATIS SIGNISQVE VNCTIS C. CATELIVM MODESTINVM MAGISTRVM ANNVVM FECERVNT.

UNGUENTUM, i, n. 2. (unguo) *Ungentum* pro *unguentum* vult scribi Serv. ad Virg. loc. cit. in UNGO. — In genet. plur. *unguentûm* pro *unguentorum* legitur apud Plaut. Curc. 1. 2. 5. Nam omnium unguentûm odor præ tuo, nautea est. Adde Pœn. 3. 3. 88. — Unguentum est omnis sucus pinguis, quo ungimur deliciarum et luxus causa, μύρον, μύρωμα, χρίσμα (It. *unguento*; Fr. *parfum*; Hisp. *perfume*; Germ. *das Salböl, die Salbe*; Angl. *a perfume*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. Plaut. Most. 1. 1. 41. Non possunt omnes olere unguenta exotica. Id. ibid. 3. 115. Etiamne unguentis unguendam censes? et mox. Quæ se unguentis unctitant. Cic. 5. Verr. 25. 62. Quum interea Apronius caput atque os suum unguento perfricaret. Id. 2. Cat. 3. 5. Nitere unguentis, fulgere purpura. Horat. 2. Od. 3. 13. Huc vina et unguenta et nimium breves Flores amœnæ ferre jube rosæ. et ibid. 7. 22. funde capacibus Unguenta de conchis. Id. 3. ibid. 14. 17. I, pete unguentum, puer, et coronas Et cadum Marsi memorem duelli. Ovid. Heroid. 21. 161. Sæpe coronatis stillant unguenta capillis. Petron. Sat. 105. Mero et unguentis perfusi. Claudian. B. Gild. 444. Umbratus dux ipse rosis et marcidus ibit Unguentis crudusque cibo titubansque Lyæo. et ibid. 183. mixtis redolent unguenta coronis. Phædr. 5. 1. Unguento delibutus, vestibus affluens. Cic. Sext. 8. 18. Unguentis affluens, calamistrata coma. Id. in Senat. 5. sub fin. oblitus. Id. 3. Orat. 25. a med. Unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis. — De unguentis multa Plin. 13. init. et seqq. capitib. — Odoris præcipue gratia, adhibebantur ex variis floribus, foliis, sucis, lacrimis, ut ex croco, nardo, ture, amomo, iri, lilio, rosa etc. et varia mixtura ex his: quo liquidiora, eo gratiora: eratque plurimus eorum usus in conviviis, in balneis, in funeribus, in sacris, ut in UNGO dictum est: et præter assignata ibi scriptor. loca, V. de balneis Petron. Sat. 28., de conviviis Cic. 5. Tusc. 21. 62. et Horat. Art. P. 375., de funeribus Propert. 3. 14. 23., Ovid. 3. Fast. 561. et 1. Pont. 9. sub fin., Martial. 11. 54., Pers. 3. 104. et Stat. 2. Silv. 1. a v. 157., de sacris Vulg. interpr. Exod. 30. 23. et 37. 29. et Ps. 132. 2. et alibi. — Perfundebant iis non solum caput et comam, nares, pectus et pedes, sed etiam vestes. Petron. fragm. Tragur. 70. Burmann., Propert. 3. 8. 21., Tibull. 1. 8. 51., Plin. 13. Hist. nat. 3. 4., Martial. 6. 57., 8. 3. et 14. 146. et Vulg. interpr. Luc. 7. 38. et 46. — In muneribus ponuntur vel mittuntur. Nepos Ages. 8. — b) *Ab unguentis* dictus servus vel libertus in domo Augusta, qui unguenta sive conficiebat sive etiam adhibebat principum virorum personis, idem qui unguentarius. Inscr. apud Donat. 310. 3. T. FLAVIVS AVG. LIB. EGLECTVS AB VNGVENTIS. — c) *Ad unguentum*, idem quod *ab unguentis*, de quo diximus. Inscr. apud Orelli n. 2974. ¶ 2. Specietim *unguentum cineris* est fæx aceti cremata et lentiscino oleo mixta, apud Seren. Sammon. 4. 55. Ad rutilam speciem nigros flavescere crines Unguento cineris prædixit Plinius auctor. scil. 23. Hist. nat. 3. 32. (67). Fæx aceti cremata, addito lentiscino oleo illita, una nocte rufat capillum.

II.) Translate est spiritus seu flatus spirans odorem suavem. Venant. 7. carm. 5. 6. Oris ab unguento membra referta gero.

**UNGUEO.** *V.* UNGO.

**UNGUICULARIUM**, ii, n. 2. (unguiculus) instrumentum, quo ungues reciduntur. *Gloss. Gr. Lat.* Ὀνυχιστήριον, unguicularium.

**UNGUICULUS**, i, m. 2. *deminut. ab* unguis, parvus unguis, *unghietta*, ὀνύχιον. *Cic.* 5. *Fin.* 27. 80. Quæ quidem bona dicunt, valetudinem, vires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 2. Unguiculi nos, et ne totius quidem dolor, sed aliqua a latere ejus scissura conficit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 6. 5. (42). Unguiculis carens partus. *Marcell. Empir. c.* 18. *p.* 111. Ad paronychiam et suppurationes unguiculorum etc. — *A teneris unguiculis*, proverbialiter, ab infantia, ab incunabulis, *da fanciullo, dalla fanciullezza*, ἐκ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων. *Cic.* 1. *Fam.* 6. Sed præsta te eum, qui mihi a teneris, ut Græci dicunt, unguiculis es cognitus. Cf. *Unger Valg. p.* 401. et seqq. — *Ex unguiculis*, ab extremitate digitorum, penitus, medullitus, ἐξ ὀνύχων. *Plaut. Stich.* 5. 5. 20. Ut perpruriscamus usque ex unguiculis. — *Ab unguiculo ad capillum*, a planta pedis ad verticem capitis. *Id. Epid.* 5. 1. 17. Usque ab unguiculo ad capillum summum est festivissima. *Götz* ungulo.

**UNGUIFER**, fĕra, fĕrum, adject. (unguis *et* fero), qui unguibus instructus est. *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 497. Unguifer tactus.

**UNGUILLA**, æ, f. 1. (unguo) vas, ex quo inungebant. *Solin.* 27. *sub fin.* Dum avide venantium gestus affectant (*simiæ*), relicta consulto visci unguilla, quod mendacio factum vident, oculos suos oblinunt: ita visu obducto, pronum est, eas corripi. — Alii *unguillam* interpretantur unguen, unguedinem.

**UNGUINOSUS**, a, um, adject. (unguen) Comp. *Unguinosior.* — Unguinosus est pinguis, unguine seu unguento abundans, *untuoso.* *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (17). *de unguento.* Susino unguinosum, Mendesio nigrum, rhodino candidum, myrrha pallidum. *Id.* 23. *ibid.* 8. 77. (147). Sunt autem recentes (*nuces juglandes*) jucundiores, siccæ unguinosiores et stomacho inutiles. Adde *Cels.* 5. 26. *n.* 20.

**UNGUIS**, is, m. 2. — *a*) Ad formam quod attinet, in recto casu etiam *unx* vel *uncx* occurrit in *Gloss. Gr. Lat.* Ὄνυξ, unx, unguis. *et Gloss. Lat. Gr. p.* 347. *Vulc.* Uncx, ὄνυξ: Cf. *ucxor* et similia. — In abl. sing. est *ungue* et apud Poetas etiam *ungui.* *Catull.* 62. 43., *Lic. Calv.* apud *Charis. p.* 147. 8. *K.*, *Horat.* 2. *Od.* 8. 4. etc. — *b*) Ratione habita etymi, recentiores derivant a rad. Skr *ak*, curvare, unde *ankas*, uncus, et *nakkam*, unguis, et Gr. ὄνυξ, υχος. V. *Curt. Grundz. p.* 322. et v. UNCUS. — Unguis est corneum illud, quod in extremis digitis enascitur non solum in manibus, verum etiam in pedibus humanis et ceterorum etiam animalium, quæ pedum digitos habent separatos, ut sunt simiæ et aves, ὄνυξ (It. *unghia, ugna, artiglio;* Fr. *ongle, griffe;* Hisp. *uña, garra;* Germ. *der Nagel, die Klaue;* Angl. *a nail, claw*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 101. (247). Ungues clausulæ nervorum summæ existimantur. Omnibus hi, quibus et digiti. Sed simiæ imbricati, hominibus lati, rapacibus unci, ceteris recti, ut canibus, præter eum, qui a crure plerisque dependet. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 101. Unguibus et pugnis, dein fustibus atque ita porro Pugnabant armis. *Id. Art. P.* 297. Ungues ponere. *h. e.* recidere. *Ovid.* 6. *Fast.* 230. subsecare ferro. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 51. cultello purgare. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 35. 52. (106). recidere. *et* 28. *ibid.* 2. 5. (28). resecare. *et Petron. Sat.* 104. deponere. *Propert.* 4. 8. 57. iratos conjicere alicui in vultum. *Id.* 1. 20. 39. Ungui florem decerpere. *Ovid.* 3. *Art. am.* 708. Ungue sauciare genas. *Id.* 2. *Amor.* 6. 4. rigide notare genas. *et* 1. *ibid.* 7. 64. Unguibus ire in vultus alicujus. *Martial.* 8. 33. Ungue quippiam deradere. *Capell.* 9. *p.* 306. pressi nec viribus (*al.* crinibus, *al.* virginis) ungues. *Curt.* 9. 10. 9. Prominent ungues numquam recisi. *Apul. Florid.* 2. *de aquila.* Unguibus iuncat. — *Ex ungue leonem*, adagium. V. *Lucian. Herm. c.* 54. *t.* 4. *p.* 72. — De usu ungulum magico apud veteres *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (36). — *b*) *Unguis transversus* et *unguis latus*, proverbialiter usurpantur pro quam minimo spatio. *Cic.* 13. *Att.* 20. A recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. *Id.* 7. *Fam.* 25. Urge igitur, nec transversum unguem, quod ajunt, a stilo. *subaudi* recede. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 18. Si hercle tu ex istoc loco digitum transversum aut unguem latum excesseris. Similiter *Apul.* 9. *Met.* Nec ungue latius a se discedere passa est. Adde 2. *ibid.* — *c*) *Medium unguem ostendere*, proverbialiter est summe contemnere: inde sumptum quod medius digitus pro impudico habebatur. *Juvenal.* 10. 52. quum fortunæ ipse minaci Mandaret laqueum mediumque ostenderet unguem. — *d*) *Ungues arrodere*, est illorum, qui cogitabundi sunt, qui rem aliquam secum agitant et in ea hærent aut deliberant, utrum eam amplecti, an mutare debeant. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 70. in versu faciendo Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues. Similiter *Pers.* 1. 106. Nec pluteum cædit nec demorsos sapit ungues. — *e*) *Ungues mordere*, gestus irati aut pœnitentis. *Propert.* 3. 23. 24. Ungue meam morso sæpe querere fidem. Similiter 2. 3. 3. Et sæpe immeritos corrumpas dentibus ungues. — *f*) *Ab unguibus ad verticem*, ab imo ad summum. *Cic. Rosc. Com.* 7. 20. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude et fallaciis constare totus videtur? — *g*) *De tenero ungui*, idem quod *a teneris unguiculis*, id est a pueritia, *fin dall'età prima.* *Horat.* 3. *Od.* 6. 21. Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo: et fingitur artubus Jam nunc et incestos amores De tenero meditatur ungui. — *h*) *Ad unguem* vel *in unguem*, Græce ἐπ' ὄνυχος vel εἰς ὄνυχα, ad perfectionem, perfecte, absolute. *V.* sub II. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen ponitur pro digito vel manu. *Ovid. Heroid.* 4. 29. Est aliquid plenis pomaria carpere ramis Et tenui primam deligere ungue rosam. ¶ 2. Metaphorice. *Virg.* 2. *G.* 277. nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via tramite quadret. Ad hæc *Servius:* Est translatio a marmorariis, qui juncturas unguibus probant. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 32. Capitoque simul Fontejus, ad unguem Factus homo. *h. e.* omni ex parte politus, urbanus, *un uomo fatto a pennello.* Ubi *Acron:* Translatio a marmoribus, quorum juncturæ unguibus explorantur. His similia *Porphyrio* habet. *Cels.* 8. 1. Suturæ capitis in unguem committuntur. *h. e.* perfecte. Sic *Colum.* 11. *R. R.* 2. 13. Materiem dolare ad unguem. *et mox.* Quadrare abietem ad unguem. *Apul. Florid.* 23. Lapis læviter ex optimis oris ad unguem coæquatus. Hinc *Sidon.* 9. *Ep.* 7. Tota denique oratio liquida prorsus et ductilis veluti quum crystallinas crustas aut onychitinas non impacto digitus ungue perlabitur, quippe si nihil cum rimosis obicibus exceptum tenax factura remoraretur. *Horat. Art. P.* 294. carmen Perfectum decies non castigavit ad unguem. — Huc pertinet et illud *Pers.* 1. 64. carmina molli Nunc demum numero fluere, ut per læve severos Effundat junctura ungues. *h. e.* carminum compositionem ita æquabilem et expolitam, nihil ut sit, quod aures offendat quemadmodum duorum marmorum junctura apte commissa ungues nulla asperitate remoratur. — *Maximian. Eleg.* 3. 69. Unguibus et morsibus teneri pascuntur amores. *M. Cæs.* apud *Fronton. ep. Gr.* 6. *p.* 253. 6. *N.* Me Cæsaris oratio uncis unguibus attinet. — Proverbialiter *Petron. fragm. Trag.* 57. *Burmann. sub fin.* Homo, cujus pluris erat unguis, quam tu totus es. *valeva più in un'unghia, che tu intero.*

III.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de plantis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (36). *de bdellio.* Bactriano nidor siccus multique candidi ungues. *h. e.* lucentes ac leves, instar ungulum, maculæ. *Id.* 21. *ibid.* 18. 73. (121). *de rosa.* Capita foliorum partesque candidæ, ungues vocantur. ¶ 2. Item de lapidibus. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (87). Ungue sardonychis minium imitante. ¶ 3. In vite *unguis* extrema pars est hornotinæ materiæ supra gemmam, sicut unguis est extrema pars digiti, *saettolo* Italice. *Colum.* 4. *R. R.* 24. *ante med.* Ungues custodum annotinos resecato. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 12. *a med.* ¶ 4. *Ungues ferrei*, instrumenta ferrea, quibus vindemiatores unguium vice utebantur ad colligendas uvas. *Colum.* 12. *R. R.* 18. Et ungues ferrei quam plurimi parandi et exacuendi sunt, ne vindemiator manu distringat uvas et non minima fructus portio, dispersis acinis, in terram dilabatur. ¶ 5. Item *unguis* instrumentum, quo quid sculpi seu scribi potest. *Vulg. interpr. Ital. Jer.* 17. 1. Scripta est culpa tua graphio ferreo et ungue adamantino. *Noster* habet *stilo ferreo in ungue adamantino*, h. e. in tabella adamantina vel stilo cum cuspide adamantina. ¶ 6. Item tormenti genus. *V.* UNGULA. *Cod. Theod.* 9. 12. 1. *et ibid.* 16. 6. ¶ 7. *Unguis* est etiam vitium oculi, id est nervosa quædam adnatæ membranæ excrescentia, a majore oculi angulo ut plurimum adnascens, ad oculi coronam ita procedens, ut quandoque pupillam operiat, *unghia, ungula.* *Cels.* 7. 7. *n.* 4. Unguis vero, quod πτερύγιον Græci vocant, est membranula nervosa oriens ab angulo, quæ nonnumquam ad pupillam quoque pervenit eique officit. ¶ 8. Denique *unguis* est genus conchylii binis testis velut canaliculis clausum et carne unguis colorem referens, *cappa lunga* Veneti vocant. Meminit *Varro* 5. *L. L.* 12. 77. *Müll.* Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 51. (101). et *Veget.* 1. *Veterin.* 20. 2. *V.* SOLEN et ONYX.

Homonym. *Unguis* et *ungula* differunt in eo, quod *unguis* est in iis animalibus, quæ digitos habent, *ungula* vero in illis, quæ solidos vel bisulcos habent pedes. Illud Græci ὄνυχα, hoc ὁπλήν appellant. *Ovid.* 1. *Met.* de transformatione Ius e bovis effigie in primam formam redeuntis, 742. Ungulaque in quinos delapsa absumitur ungues. *et* de Ocyrhoe filia Chironis in equam mutata, 2. *ibid.* 670. Tum digiti coeunt et quinos adligat ungues Perpetuo cornu levis ungula. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 101. (248). *de elephanto.* Huic informes numero quidem quinque, sed indivisi ac leviter discreti ungulisque, non unguibus similes. — Interdum tamen *ungues* de ungulis bifidis dicuntur. *Colum.* 6. *R. R.* 12. Si sanguis in ungulis est, inter duos ungues cultello leviter aperies. *et mox.* Si sanguis in inferiore parte ungulæ est, extrema pars ipsius unguis ad vivum resecatur. — Et de ungulis solidis. *Martial.* 14. 199. Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues, Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

**UNGUITO.** *V.* UNCTITO.

**UNGŬLA**, æ, f. 1. (unguis) calceus corneus, pedes muniens eorum animalium, quæ digitos non habent, sive etiam ea pars pedis, quæ cornu tegitur, *unghia*, ὁπλή.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Enn. Ann.* 419. plosu cava concutit ungula terram. Sic *Virg.* 8. *Æn.* 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Enn. Sat. rel.* 12. *Vahl.* Sol equis iter repressit ungulis volantibus. *Varro* 2. *R. R.* 7. *sub init.* Ungula indivisa equorum. *Id. Sat. Menipp.* 73. *p.* 195. *Oehl.* Ungulæ bisulcæ. *Cic.* 3. *Nat. D.* 5. 11. Ergo illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum, tamquam vestigium ungulæ Castoris equi credis esse? *Plin.* 11. *Hist. nat.* 46. 106. (255). Ungulæ veterino tantum generi renascuntur. *Veget.* 3. *Veterin.* 58. 1. Animalibus ungulæ attritæ reparantur, si allii capita septem, rutæ manipulos tres *etc.* commisceas ac decoquas et utaris. *Seneca Ep.* 51. *a med.* V. *loc.* in SUBTERO. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de unguibus. *Plaut. Aulul.* 3. 4. 8. Gallus gallinaceus occœpit ibi scalpturire ungulis. *Id. Pseud.* 3. 2. 63. An invenire postulas quemquam cocum, nisi miluinis aut aquilinis ungulis? — *Injicere ungulas* est rapere vel furari. *Id. Pseud.* 2. 2. 48. Nunc scio, febrim tibi esse, quia licet hoc inji-

esse ungulas. — *Omnibus ungulis*, proverbii speciem habet pro eo, quod est omnibus viribus et conatu totius corporis niti, ut etiam ungues, qui sunt in extremitate collocati, intendantur. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 56. Toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis asserviunt. ¶ 3. Item speciatim de extrema parte pedis suilli, *zampino*. *Cato R. R.* 156. Eo addito ungulam de perna; si unguem non habebis, addito de perna frustum. *Cels.* 4. 14. Neque alienum est prioribus cibis adjicere ex oleribus porrum, ex carne ungulam, et summa trunculorum. *Id.* 2. 17. Ex eodem sue ungulæ, rostrum, aures, cerebellum, aliquanto quam cetera membra, leviora sunt. *Marcell. Empir.* 20. *ante med.* Ungula porcina excocta et madida. *V.* UNGELLA.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen dicitur de equis. *Horat. Epod.* 16. 11. urbem Eques sonante verberabit ungula. *coi cavalli.* Sic 1. *Sat.* 1. 114. Ut quum carceribus missos rapit ungula currus. *Martial.* 7. 7. Et ungularum pulsibus calens Ister. Adde 12. 50. ¶ 2. Metaphorice. *Vulg. interpr. Zach.* 11. 16. Suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit – et ungulas (*pinguium*) non dissolvet. Adde *Mich.* 4. 13.

III.) Improprie. ¶ 1. *Ungula* dictum est supplicii genus ungulas ferarum referens, quo latera reorum effodiebant ac sulcabant ad veritatem extorquendam. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 44. Illa virgas et secures et bisulcas ungulas Ultro fortis expetebat. Adde *Tertull. adv. Psych.* 12. *Impp. Constantin. et Julian. Cod.* 9. 18. 7. *extr.* Ungulis sulcantibus latera. *Hieronym. Ep.* 1. *n.* 3. Quum lividas carnes ungula cruenta pulsaret, et sulcatis lateribus dolor quæreret veritatem. ¶ 2. Item vas, quo unguenta continebantur, onyx unguento plenus. *V.* ONYX. *Vulg. interpr. Eccli.* 24. 21. Et quasi storax et galbanus et ungula – vaporavi habitationem meam. ¶ 3. *Equi ungula* dicta est herba eadem quæ a Gallis calliomarcus est appellata. *Marcell. Empir.* 16. *circa fin.* Ad tussem remedium efficax equi ungula.

Homonym. Discrimen inter *ungulam* et *unguem* V. sub UNGUIS.

**UNGŬLĀTER.** *V.* voc. seq.

**UNGŬLĀTUS**, a, um, adject. (ungula) ¶ 1. Est ungulas habens. *Tertull. Apolog.* 16. *sub fin.* Auribus asininis, altero pede ungulatus. *Capell.* 4. *p.* 113. Alicujus ungulati ungula. ¶ 2. Item magnos habens ungues, *unghiuto*. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 379. 8. *Müll.* Ungulatos, qui haberent ungues magnos atque asperos, Cato appellavit. At *Müllerus* leg. *ungulatros* monetque, et quidem recte, alios temere *ungulatos* legere; nam ex *Paulo* intelligitur, ab *ungulo* factum esse *ungulater*, ut arater ab arando, culter a cellendo.

**UNGŬLUS**, i, m. 2. *Ungulum* neutr. gen. occurrit apud *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 374. 11. *Müll.* — Ungulus duo diversa significat. ¶ 1. Est ungula in digito pedis: quasi deminut. ab *unguis*. *Plaut. Epid.* 5. 1. 17. Contempla, Epidice: usque ab ungulo a capillum summum (*mulier*) est festivissima. Alii tamen leg. *unguiculo*. *V.* hanc voc. ¶ 2. Est etiam anulus, Oscorum linguâ, ut docet *Paul. Diac. loc. cit. Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (10). Miror Tarquinii statuam sine anulo esse. Quamquam et de nomine ipso ambigi video. Græci a digitis appellavere: apud nos prisci ungulum vocabant: postea et Græci et nostri symbolum. *Vet. Scriptor* apud *Fest. p.* 375. 1. *Müll.* Ungulus, quem ei detraxit. *Pacuv. ibid.* Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum. *Id. ibid.* Suspensum in lævo brachio ostendo ungulum.

**UNGUO.** *V.* UNGO.

**UNGUSTUS**, i, m. 2. (uncus) *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 379. 9. *Müll.* Ungustus fustis uncus.

**ŪNĬĀNĬMIS.** *V.* UNANIMIS.

**ŪNĬĀNĬMUS.** *V.* UNANIMUS.

**ŪNĬBY̆RĬA.** *V.* UNIVIRA.

**ŪNĬCĂLĂMUS**, a, um, adject. (unus et calamus) unum habens calamum. *Plin.* 18. *Hist nat.* 7. 12. (69). *de frumento.* Unicalamum præterea nec usquam capax, seriturque non nisi tenui terra.

**ŪNĬCAULIS**, e, adject. (unus et caulis) unum habens caulem, *d'un sol gambo*, μονόκαυλος. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 99. (57). Carduorum silvestrium genera duo: unum fructuosius a terra statim, alterum unicaule crassius. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (57). Leguminum unicaulis faba sola. Adde *Dynam.* 2. 35.

**ŪNĬCĒ**, adverb. (unicus) singulariter, valde, admodum, *singolarmente, unicamente*, μόνως. — *a*) Cum verbis. *Cic. Orat.* 1. 1. Negare ei, quem unice diligebam, durum admodum mihi videbatur. *Plin.* 7. *Ep.* 32. Quod scribis plurimos manumissos, unice lætor. *Id.* 9. *Ep.* 9. Unice probo, quod etc. *Gell.* 11. 13. Hoc eximie nos et unice delectabat. *Quintil.* 8. 3. *ante med.* Eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unice est usus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. (37). *a med.* Fel testudinum unice purulentis auribus prodest. *Id.* 26. *ibid.* 15. 92. (163). Mammarum vitiis aizoum unice medetur. — *b*) Cum adjectivis. *Horat.* 1. *Od.* 26. 5. Quid Tiridaten terreat, unice Securus. (*h. e.* ego singulariter et e multis unus sum, qui nihil curo, quid Tiridaten terreat. *Gell.* 19. 5. Unice studiosissimus. — Fere jungitur cum *unus* apud *Plaut. Asin.* 1. 3. 56. Me unice unum ex omnibus te atque illam amare, ajebas mihi. *et Bacch.* 2. 2. 28. Quidnam meminit Mnesilochi? PIST. rogas? immo unice unum plurimi pendit. *et Stich.* 1. 1. 12. Unice qui unus civibus ex omnibus probus perhibetur. Adde *Truc.* 1. 2. 90.

**ŪNĬCEPS**, ipĭtis, adject. omn. gen. (unus et caput) qui unum habet caput. *Julian.* apud *Augustin.* 5. *Op. imperf. contra Julian.* 15. Quia potuit Deus bicipites facere mortales, ideo unicipites et qui pedibus insisterent etc.

**ŪNĬCŎLOR**, ōris, adject. comm. gen. (unus et color) qui unius coloris est, *d'un sol colore*, μονόχρωμος. *Varro* 2. *R. R.* 4. Sues unicolores potius, quam varias, eligere oportet. *Ovid.* 11. *Met.* 610. *de lecto Somni.* In medio torus est hebeno sublimis in atra, Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (145). Oculus unicolor nullis: cum candore omnibus medius color differens.

**ŪNĬCŎLŌRUS**, a, um, adject. (unus et color) unicolor, μονοχρώματος. *Fronto loc. cit.* — Translate est similis, æqualis. *Prudent. Hamartig.* 821. Sic animas cœli de fontibus unicoloras Infundit natura solo. — Absolute, neutr. gen. *Fronto ad Verum* (edente iterum *A. Maio*) 1. *sub init.* Quid, si quis Parrhasium versicolora pingere juberet aut Apellem unicolora. *h. e.* picturas monochromatas.

**ŪNĬCORNIS**, e, adject. (unus et cornu) unicum habens cornu, *d'un sol corno, unicornuto*, μονοκέρατος. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (73). Indici boves, unicornes tricornesque. *Id.* 11. *ibid.* 46. 106. (255). Unicorne (*animal*) asinus tantum Indicus. — Hinc

*Unicornis, is,* m. 3. absolute, substantivorum more, est qui unum habet cornu. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 18. Unicornis. *sc.* rhinoceros. Adde *eumd. ibid.* 10. *Vulg. interpr. Ps.* 28. 6. Dilectus, quemadmodum filius unicornium. Adde *Ps.* 77. 69. V. *Malte-Brun T.* 5. *p.* 72. — Translate. *Id. Is.* 39. 7. Descendent unicornes cum eis. *h. e.* impii ditissimi, potentissimi. *Augustin.* in *Ps.* 21. *n.* 22. Unicornes non diceret nisi superbos.

**ŪNĬCORNUS** et

**ŪNĬCORNŬUS**, a, um, adject. (unus et cornu) idem quod unicornis: tum proprie tum translate et etiam absolute. *Gloss. Gr. Lat.* Μονόκερως, unicornus. *Ambros. De bened. Patr.* 11. *n.* 56. Sancti unicornui dicti sunt. Adde *eumd. De off. ministr.* 2. 16. et in *Ps.* 43. *n.* 17. et *Cassiod.* in *Ps.* 21. 23.

**ŪNĬCORPŎRĔUS**, a, um, adject. (unus et corpus) integrum corpus habens. *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. *ante med.* Taurus est signum in cœlo femininum, septentrionale, unicorporeum.

**ŪNĬCŪBA**, æ, f. 1. (unus et cumbo) quæ uni tantum viro nupsit eique soli succubuit. *Gloss. Isid.* Unicuba, unius viri uxor. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 49. *ad fin.* Legant ergo nuptæ, antequam religio nostra fulgeret in mundo, Claudias atque Cornelias unicubas semper habuisse decus. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 3572. Unicuba unijuga.

**ŪNĬCŪBUS**, i, m. 2. (unus et cumbo) qui unam duxit uxorem, in *Thes. nov. Latinit. p.* 622. ed. *A. Mai.* V. *Quicherat* in *Add. p.* 303.

**ŪNĬCULTOR**, ōris, m. 3. (unus et cultor) qui unum Deum colit. *Prudent.* 13. περὶ στεφ. 90. unicultor, inquit, Servo salutiferi mysteria consecrata Christi.

**ŪNĬCUS**, a, um, adject. (unus) unus, singularis, μόνος (It. *solo, unico, singolare*; Fr. *unique, singulier*; Hisp. *unico, singular*; Germ. *der einzige, alleinige*; Angl. *only, single*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plaut. Asin.* 1. 1. 1. Unicus gnatus. *et Cas.* 2. 3. 45. filius. Adde *Ter. Heaut.* 1. 1. 41. et *Acc. fragm.* 209. Sic *Cic. Rosc. Am.* 14. *ad fin.* Quæramus quæ tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. *Id. post redit. in Senat.* 4. *a med.* Si Metellus illo tempore consul fuisset unicus. *Horat.* 3. *Od.* 14. 5. Unico gaudens mulier marito. *Liv.* 3. 26. Unica spes imperii. *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 2. Unica fortunis ara reperta meis. *Seneca Troad.* 703. Unicum afflictæ mihi solamen hoc est. *Id. Phœniss.* 89. Unica Œdipodæ est salus non esse salvum. *Apul.* 4. *Met.* Manus unica. *h. e.* unius hominis opera. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 685. et 13. *ibid.* 853. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 43. (147). Remedium unicum in aratro etc. *Plin. alter* 8. *Ep.* 19. Unicum doloris levamentum studia. *Cels.* 7. 33. Satis tutum præsidium, quod unicum est. — *b*) Cum Genetivo. *Sil. It.* 10. 278. unice rerum Fessarum. *h. e.* qui præ ceteris dignus es, ut ex clade communi serveris. — *c*) Cum addito *solus*: ubi pleonasmum *Forcellinus* notat. *Lucret.* 2. 541. quamlubet esto Unica res quædam nativo corpore sola, Cui similis toto terrarum non sit in orbe. *et ibid.* 1075. ut in summa res nulla sit una, Unica quæ gignatur, et unica solaque crescat. — Et cum addito *unus* V. infra sub II. 1. — *e*) Absolute. *Seneca* 2. *Ira* 21. *a med.* Unicis quo plus indulgetur, corruptior animus est.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum, quia quæ bona unica sunt, maxime amantur, v. gr. unicus filius, est idem ac summe dilectus, ἀγαπητός. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 8. Quæ tuum perdidit tibi filium uni unicum. *Catull.* 73. 6. qui me unum atque unicum amicum habuit. *Virg. Cir.* 333. Quod si non alia poteris ratione parentem Flectere: sed poteris. quid enim non unica possis? — Cum particula *magis*, ad formam comparativi. *Plaut. Capt.* 1. 2. 47. Tibi ille unicus est, mihi etiam unico magis unicus. ¶ 2. Item aliquando est maxime aptus et idoneus: construitur cum Acc. et præp. *ad*. *Id. Asin.* 4. 1. 3. Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus. ¶ 3. Item singularis, præcipuus, excellens, insignis. — *a*) Sæpius in bonam partem. *Turpil.* apud *Non. p.* 491. 2. *Merc.* Homo unica est natura et singularia. *Afran.* apud *Fest.* in *Sagaces p.* 321. 33. *Müll.* Quis tam sagaci corde atque ingenio unico? *Liv.* 6. 6. *ad fin.* Unicus imperator. *Id.* 7. 12. *a med.* Eximius imperator, unicus dux. *Id.* 24. 34. Archimedes unicus spectator cæli et siderum. *Id.* 33. 21. Unicam fidem sociis præstitit. *Id.* 9. 15. *a med.* Ultor unicus Romanæ ignominiæ. *Cic. Quinct.* 12. *sub fin.* Unica liberalitas. *Fest.* in *Talassion p.* 351. 32. *Müll.* Virgo unicæ pulcritudinis. *Cic. Senect.* 17. *a med.* Elogium unicum. *Lucan.* 4. 509. quo plus habeat mors unica famæ. — *b*) Raro in malam partem. *Vellej.* 2. 7. 2. Huic atrocitati adjectum scelus unicum. *Paul.* ex *Festo* in *Sardanapal. p.* 322. 18. *Müll.* Sardanapalus rex Assyriorum fuit unicæ luxuriæ. *Cic.* 3. *Herenn.* 6. *a med.* Utile est, ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognosci.

Homonym. Differre *unum* ab *unico* ita docet *Isid.* 1. *Diff.* 585. « *Unus* ex multis; *unicus* solus est. Solus itaque unus numeratur;

unicus intra numerum finitur». Alia *V.* sub SOLUS.

ŪNĬENS, entis, particip. *V.* UNIO, is.

ŪNĬFĬCANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

ŪNĬFĬCO, as, are, a. 1. (unus *et* facio) Part. *Unificans.* — Unifico est unum facio. *Paulin. Nolan. ep. ad Sever.* Et unificantis gratiæ æternum fœdus agnovit. Adde *Thes. nov. Latinit. p.* 622. ed. *Mai.*, ubi est etiam adject. *unificus, a, um.*

ŪNĬFĬCUS, a, um, adject. (unus *et* facio). *V.* voc. præced.

ŪNĬFĪNIS, e, adject. (unus *et* finis) qui unum finem habet. *Cassiod.* in *Ps.* 117. *init.* Psalmi unifines. Adde *ibid. v.* 12. et *alibi.*

ŪNĬFORMIS, e, adject. (unus *et* forma) unam habens formam, similis, simplex, *uniforme,* μονοειδής. *Macrob.* 7. *Saturn.* 5. *ante med.* Ut horrore uniformis alimoniæ edendi desiderium languesceret. *Apul.* 11. *Met.* Deorum dearumque facies uniformis. *Tac. Dial. de orat.* 32. Simplex quiddam et uniforme doceri. *Mamertin. Genethl. Maxim.* 9. Hieme sævissima quum agros glacies, glacies nivem premerent, cælo pariter ac terris uniformibus. *h. e.* unicoloribus. *Aurel. Epit.* 9. *a med.* Institutum uniforme omni imperio tenuit. — In illo *Tertull. De anim.* 10. Substantia uniformis. *uniformis* est unius formæ essentialis, quod *Plato* in *Timæo* docet. Hanc mox *substantiam naturalem* vocat. — Apud Grammaticos *uniformis* est indeclinabilis. *Priscian.* 9. *p.* 843. *Putsch.*

ŪNĬFORMĬTAS, ātis, f. 3. (uniformis) unitas in forma, similitudo, simplicitas, *uniformità. Macrob.* 7. *Saturn.* 5. *a med.* Cur illis providere varietatem laboras, isti squalorem uniformitatis adjicis? Adde *Arnob.* 7. *p.* 212., *Tertull. Anim.* 17. *ante med.* et *Mar. Victorin.* 2. 3. 28. *p.* 78. 5. *Keil.*

ŪNĬFORMĬTER, adverb. (uniformis) similiter, simpliciter, *uniformemente. Apul. Trismeg.* (*Ascl.* 2.) Omnis humana immortalis est anima, sed non uniformiter cunctæ. *Arnob.* 2. *p.* 88. Christus sublimibus, infimis uniformiter potestatem veniendi ad se facit. Adde *Diomed. p.* 340. 12. *Keil.*

ŪNĬGĔNA, æ, comm. gen. 1. (unus *et* gigno) ¶ 1. Est unus, unicus, unigenitus, *unico, unigenito,* μονογενής. *Cic. Tim.* 4. *a med.* Idcirco singularem Deus hunc mundum atque unigenam procreavit. — Christiani poetæ *unigenam* intelligunt Filium Dei unigenitum. *Paulin. Nolan. carm.* 5. 46. si te Dominique Deique Unigenæ cognosco Patrem. *V.* voc. seq. ¶ 2. Est etiam uno eodemque partu genitus, *gemello,* συγγενής. *Catull.* 64. 300. te solum, Phœbe, relinquens Unigenamque simul cultricem montibus Idri. *h. e.* Dianam una cum Phœbo ab Latona genitam. *Id.* 66. 52. quum se Memnonis Æthiopis Unigena impellens nutantibus aera pennis Obtulit Arsinoes Locridos ales equus. *h. e.* Zephyrus simul cum Memnone ex Aurora genitus. De hoc videsis *Monti Del cavallo alato di Arsinoe.*

ŪNĬGĔNĬTOR, ōris, m. 3. (unus *et* genitor) qui unum genuit. *Alcim.* 81. 13.

ŪNĬGĔNĬTUS, a, um, adject. (unus *et* genitus) unicus ex suis parentibus natus, unigena, *unigenito,* μονογενής.

I.) Proprie. *Hieronym. advers. Helvid. n.* 9. Unigenitus ille vocatur, qui parentibus solus sit. Omnis autem unigenitus est primogenitus, non omnis primogenitus est unigenitus. Cf. *Matth.* 1. 25. *Tertull. advers. Gnost.* 7. *a med.* Filius primogenitus et unigenitus. *Augustin.* 11. *Civ. D.* 24. Pater genuit Verbum, unigenitum Filium.

II.) Translate est summe dilectus. *Vulg. interpr. Prov.* 4. 3. *de Salomone.* Filius fui unigenitus coram matre mea. — Hinc *luctus unigeniti* in illo *ejusd. Jer.* 6. 26. est luctus acerbissimus, qualem unici filii mors excitare solet.

ŪNĬGĔNUS, a, um, adject. (unus *et* gigno) idem quod unigena, sed minus usitatum. *Vict. Gen. præf.* 91.

ŪNĬJŬGUS, a, um, adject. (unus *et* jugum) unum jugum habens, μονόζυγος.

I.) Proprie. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (183). Vinea unijuga. *h. e.* quæ simplici nititur jugo.

II.) Translate est qui semel tantum matrimonium iniit. *Tertull. Monog.* 6. *sub fin.* Joseph unijugus. Adde *Inscr.* in *Corp. Inscr.* 3. 3572. *V.* UNICUBA.

ŪNĬMAMMA, æ, f. 1. (unus *et* mamma) *Oinumama* ἀρχαϊκῶς in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1862. *p.* 6. — Unimamma est quæ unam habet mammam. *Isid.* 9. *Orig.* 2. 64. Has (*Amazones*) Titianus unimammas dixit. Adde *Auct. Itin. Alex. M.* 96. *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* 82. Propter Thermodonta genus Amazonum colit, mulieres magnitudine corporis pariter ac pulcritudine cetera hominum genera supervectæ, amictæ vero, ut in picturis est visere unimammas. *V.* voc. seq.

ŪNĬMAMMĬA, æ, f. 1. vox ficta ad significandam regionem Amazonum, quæ alteram, ut fabulantur, secabant mammam, quo expeditiores essent ad tela jacienda. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 75. Centauromachiam et Classiam Unimammia Subegit solus intra viginti dies. Alii leg. *Unomammia.*

ŪNĬMĀNUS, a, um, adject. (unus *et* manus) unam tantum habens manum, *di una mano. Liv.* 35. 21. Nuntiatum est, Aretii puerum natum unimanum. Adde 41. 21. *ad fin.* et *Jul. Obs.* 7. et 112. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

ŪNĬMĀRĪTA, æ, f. 1. (unus *et* marita) quæ unius tantum fuit marita. *Inscr.* edit. in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1869. *p.* 71.

ŪNĬMEMBRIS, e, adject. (unus *et* membrum) unum habens membrum. *Ulp. Dig.* 12. 2. 13. § 2. Et quasi μονομερής, id est unimembris, condictio ei dari debet adversus furis heredem. At verba *id est unimembris* omittit *Mommsen.*

ŪNĬMŎDUS, a, um, adject. (unus *et* modus) unius modi seu formæ. *Prudent. Psychom.* 768. unimodis compagibus unus. *Apul. Dogm. Plat.* 2. Unimodam esse virtutem. *Capell.* 8. *p.* 288. *de mundo.* Rotatione unimoda torquetur.

ŪNĬNŌMĬNIS, e, adject. (unus *et* nomen) qui unius est nominis. *Isid.* 1. *Orig.* 7. 15. Homonyma, hoc est uninomina, eo quod sit uno nomine significatio plurima. *Lindem.* dedit *uninomia;* at vocem confirmat *Ars Bonif.* apud *A. Mai.* in *Class. auct. T.* 7. *p.* 476. Cf. BINOMINIS et PLURINOMINIS.

ŪNĬNŌMĬUS, a, um. *V.* voc. præced.

ŪNĬO, is, itum, ire, a. 4. (unus) Part. *Uniens* et *Unitus.* — Unio est unum facio, in unum redigo, conjungo, copulo, ἑνόω (It. *unire, congiungere;* Fr. *unir, réunir;* Hisp. *unir;* Germ. *vereinigen;* Angl. *to unite*): construitur etiam cum acc., cui dativus adnectitur. *Tertull. Anim.* 17. *ante med.* Sic et cælum mari unitur, ubi visio absumitur. *Sulpic. Sever.* 2. *Hist. sacr.* 43. Legatos concilii compellit imperator uniri hæreticorum communioni. *Cassiod.* 11. *Hist. Eccl.* 3. Tunc uniens populos. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 2. *ad fin.* Expedire me poteram, si philosophorum lingua uti voluissem, ut dicerem unita corpora. *Gell.* 17. 7. *in fin.* Unita patiendi declinatione. *Apul. De mag.* Radii nostri lumini extrario mixti atque ei uniti. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 24. Imis mentis sedibus alligatus animus et vitæ immixtus et unitus. *Arnob.* 3. *sub init.* Si linguæ omnes ad fidem illius abrogandam consensionis unitæ animositate conspirent.

ŪNĬO, ōnis, 3. (unus) tria præcipue, diversa, significat. ¶ 1. Abstractorum more et feminino genere. — *a*) Est unitas, *unità,* ἑνότης. *Hieronym.* 2. *in Amos* 5. 3. Decas decima unione completur. *Tertull. Monog.* 4. Perseveravit unio conjugii in auctoribus generis ad finem usque. *h. e.* monogamia. *Id. Resurr. carn.* 2. *ad fin.* Et hoc latere unio divinitatis defendetur. *h. e.* unicus Deus. — *b*) Hinc jactus quidam in re lusoria, *Isid.* 18. *Orig.* 65. Jactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, binio, trinio etc. — *c*) Item duarum aut plurium rerum copulatio, unione. *Hieronym. Ep.* 18. *n.* 14: Hac forcipe, quæ unionis retinetur virtute. *Id. Ep.* 22. *n.* 19. Maria Dei unione fecunda. Adde *Vulg. interpr. Ez.* 37. 17. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, tam masc. quam femin. gen., *unio,* apud veteres, est margarita grandior, quæ numquam alteri simili reperitur, *perla,* μαργαρίτης. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (112). Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus: in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ. Nam id apud Græcos non est, ne apud Barbaros quidem inventores ejus aliud, quam margaritæ. *Id. ibid.* 59. (123). Ælius Stilo Jugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodit. *Solin.* 53. *ad fin.*, *Ammian.* 23. 6. *ad fin.* et *Isid.* 16. *Orig.* 10. 1. scribunt, ideo *uniones* dictos, quia numquam duo simul reperiantur. Sed a *Plinio* stat dum est. *Martial.* 8. 81. Non per mystica sacra Dindymenes Jurat Gellia, sed per uniones. Hos fratres vocat et vocat sorores: Hos natis amat acrius duobus. Adde 12. 49. *Seneca* 7. *Benef.* 9. *a med.* Video uniones non singulos singulis auribus comparatos. jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt. Junguntur inter se et insuper alii binis superponuntur. *Inscr.* apud *Murat.* 139. 1. IN BASILIO VNIO ET MARGARITA N. VI. *h. e.* margaritum grandius unum in summo basilio et alia sex minora deinceps. *V.* UNIUNCULUS. — *Trebell.* in *XXX. Tyrann.* 32. *ad fin.* Hæc uniones Cleopatranas habuisse perhibetur. — Optimi uniones de mari Indico extrahebantur. V. *Relandi Dissert. De mari rubro* § 5. Cf. *Martial.* 5. 37. et *Sil. It.* 12. 231. ¶ 3. Denique improprie, femin. gen., species cæpæ unicaulis *unio* dicitur a rusticis. *Colum.* 12. *R. R.* 10. Pompejanam cæpam vel etiam Marsicam simplicem, quam vocant unionem rustici, eligito. ea est autem, quæ non fruticavit nec habuit soboles adhærentes. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

ŪNĬŎCŬLUS. *V.* UNOCULUS.

ŪNĬŎLA, æ, f. 1. genus herbæ, quæ et gramen dicitur. *Apul. Herb.* 77.

ŪNĬŎNĪTÆ, ārum, m. plur. 1. (unio). Ita appellati sunt hæretici, Trinitatem divinam negantes, Deum unum sine Filio affirmantes, quos contra scripsit *Prudent. Apotheos.* a *v.* 246. et pro titulo banc ipsam vocem posuit, quæ sane cadentis Latinitatis est.

ŪNĬPĔTĬUS, a, um, adject. (unus *et* pes) uno tantum pede seu caule præditus. *Marcell. Empir.* 15. *circa med.* Manipulus urticæ unipetiæ. Adde *Plin. Valerian.* 1. 8.

ŪNĬSŎNUS, a, um, adject. (unus *et* sono) qui ejusdem est soni cum alio, *unisono. Boeth.* 5. *Music.* 4. *p.* 1164. Vocum aliæ sunt unisonæ, aliæ minimæ. Unisonæ sunt, quarum unus sonus est vel in gravi vel in acuto: non unisonæ vero, quando alia est gravior, alia acutior. *Id. ibid.* 10. *p.* 1167. Voces inter se vel unisonæ sunt vel non unisonæ. Non unisonarum autem vocum aliæ quidem sunt æquisonæ, aliæ emmeles, aliæ dissonæ, aliæ ecmeles. Unisonæ quidem sunt, quæ unum atque eumdem sigillatim pulsæ reddunt sonum etc. *V.* integr. loc.

ŪNISCO. *V.* UNESCO.

ŪNĬSTIRPIS, e, adject. (unus *et* stirps) a radice caudicem unicum habens assurgentem, *d'una stirpe,* μονοστέλεχος. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 54. (125). In longitudinem excrescunt abies, larix, palma, cupressus, ulmus et siqua unistirpia.

ŪNĬSYLLĂBUS, a, um, adject. (unus *et* syllaba) qui est unius syllabæ. *Priscian. p.* 14. 23. *Keil.* Præpositiones unisyllabæ.

ŪNĬTAS, atis, f. 1. (unus) unio, h. e. unus numerus, ἑνότης (It. *unità;* Fr. *le nombre un, l'unité;* Hisp. *unidad;* Germ. *die Einheit;* Angl. *unity, oneness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de eo, qui unus est unitate physica. *Tertull. advers. Valentinian.* 37. Monotes et Henotes, id est solitas et unitas. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 9. (48). Mensura Nili ab unitate alvei, unde se primum findit in latera, ad Canopicum ostium CXLVI. M. P.

*Justin.* 2. 1. *circa med.* Si mundi quæ nunc partes sunt, aliquando unitas fuit. *h. e.* una re tantum constitit, v. gr. igne aut aqua, ut veteres physici docuere. *Gell.* 19. 8. *a med.* Singularis numeri unitas. V. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6, ubi unitatis laudes persequitur. *Augustin.* 1. *Trinit.* 4. Unitas Trinitatis. *Cod. Theod.* 16. 1. 2. Una Deitas: Divinitatis unitas. ¶ 2. Latiore sensu de eo, qui unus est unitate morali, et est conjunctio et copulatio duorum aut plurium, quæ in unum coalescunt, *unione, composto di più cose. Seneca* 2. *Quæst. nat.* 2. Aliquid est continuum, aliquid commissum. Continuatio est partium inter se non intermissa conjunctio. Unitas est sine commissura continuatio et duorum inter se conjunctorum corporum tactus. *Frontin. Aquæd.* 123. Ut ex humore commode structura combibat et in unitate corroboretur. *Colum.* 12. *R. R.* 22. Spatha lignea permisceto, usque eo dum ea, quæ addideris, in pice colliquescant et unitas fiat. *et ibid.* 24. *sub fin.* Ubi toti duo sextarii cum pice coierint et quasi unitatem fecerint. *Cels.* 4. 19. *a med.* Coquendum id, donec omnia, quæ indita sunt, liquata in unitatem quamdam coeant. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (118). *de insitione.* Exempta scutula corticis, imprimatur ex alia cortex par, sic compage densata, ut cicatrici locus non sit, et statim fiat unitas nec humorem nec afflatum recipiens. *Cels.* 7. 4. *n.* 4. Linum duplex triplexve, sic tortum, ut unitas in eo facta sit. Adde 6. 6. *n.* 1. *ad fin.*

II.) Translate. ¶ 1. Est congruentia, indiscreta species, similitudo. *Varro* 8. *L. L.* 104. *Müll.* Si alterum horum diceretur Priapus, alterum Hecuba, nullam unitatem adsignificaret, quæ apparet in lego et legi et in Priamus Priami. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (55). Eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos vendidit: tanta unitas erat. *Id.* 16. *ibid.* 22. 35. (85). Foliorum unitas in suo cuique genere permanet, præterquam populo, hederæ etc. *h. e.* unus et idem color et forma. *Id.* 35. *ibid.* 1. 1. (3). Maculas, quæ non essent (*in marmore*), crustis inserendo, unitatem variare. *h. e.* unum colorem multis distinguere. *Id.* 33. *ibid.* 2. 8. (32). In unitatem venit equester ordo. *h. e.* una appellatione equites vocari cœpit, quum antea varii nominibus distingueretur. ¶ 2. Est, per metaphoram, concordia, *unione, concordia. Seneca Vit. beat.* 8. *extr.* Virtutes ibi esse debebunt, ubi consensus atque unitas erit: dissident vitia.

**UNITE**, adverb. (unitus) conjuncte. *Non.* p. 542. 13. *Merc.*

**UNITER**, adverb. ab *unus*, unde Sup. *Unissime.* — Uniter est in unum, conjuncte, concorditer, *unitamente, di concordia. Lucret.* 3. 850. quum corporis atque animai Dissidium fuerit, quibus e sumus uniter apti. Adde 5. 538. et 556. *Sever.* apud *Augustin. Ep.* 109. Tecum artius conjunctus et, ut dicam, unissime, quantum potest, adhærens. — Non igitur audiendus *Charis.* 2. p. 197. *Putsch.*, qui negat *uniter* recte usurpari.

**UNITIO**, ōnis, f. 3. (unio, is) unitas, unio, copulatio. *Boeth. De unit. et uno* p. 965. Destructio rei non est aliud, quam separatio formæ a materia, sed separatio et unitio contraria sunt. — Unitio autem non fit, nisi ab unitate qua est, ab unitione, quod erat unum, dissolvitur. Soluta autem unione, destruitur essentia ejus, quod ex earum unitione provenerat, et fit non unum.

**UNITOR**, ōris, m. 3. (unio, is), qui unit. *Mar. Victorin. Hymn. de Trinit.* p. 1144. *Mign.* et *Gloss.* in *Prodr. Gloss.* p. 410. ed. *Loewe.*

**UNITUS**, adverb. (unus) une, uniter. *Diomed.* 1. p. 403. *Putsch.* Quæ in *e* exeunt, interdum adverbia in *tus* mittunt, ut ab unitate unitus, ab stirpe stirpitus, a fundatione (*corrige* fundo) funditus. At *Keil* leg. *ab imitate imitus.*

**UNITUS**, a, um, particip. *V.* UNIO, is.

**UNIUNCULUS**, i, m. 2. *deminut. ab* unio, qua margaritæ genus significat, parva unio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 161. Margarita, unio, uniunculus.

**UNIUSMŎDI** *et rectius divisim* unius modi, adverb. unius formæ seu rationis, uniformis, non varius. *Ter. Heaut.* 1. 2. 31. Nam parentum injuriæ uniusmodi sunt ferme. *Cic.* 9. *Att.* 7. *a med.* Noli enim putare tolerabiles horum insanias nec uniusmodi fore. *Id. Tim.* 7. Materia uniusmodi et sui similis. *Auson. Ephem.* in *parecb.* 16. Ac Filius summi Dei Majestas uniusmodi.

**UNIVĒRA.** *V.* UNIVIRA.

**UNIVERSALIS**, e, adject. (universus) Comp. *Universalior.* — Universalis est ad universos pertinens, *universale,* καϑολικός. *Cic.* 2. *Herenn.* 24. 37. Nam in hujusmodi rationibus non universali atque absoluta, sed extenuata ratione expositio confirmatur. *Plerique alii rectius leg.* universa. *Quintil.* 2. 13. *ad fin.* Præcepta, quæ καϑολικά vocant, id est (ut dicamus quomodo possumus) universalia vel perpetualia. *Id.* 3. 5. 5. Universales quæstiones. *Id.* 8. 5. 3. vox. *Plin.* 10. *Ep.* 71. Auditis constitutionibus principum, nihil inveniebam aut proprium aut universale, quod ad Bithynos ferretur. Adde *Boeth.* in *Porphyr. Comment.* 5. p. 137. *Mign.* Genus ac differentia universalioris sunt prædicationis.

**UNIVERSALITAS**, ātis, f. 3. (universalis) universarum rerum congeries sive rei universalis proprietas, *universalità. Boeth.* in *Arist. De interpr. ed. pr.* p. 936. Quam sit universalis homo, huic universali universalitatem consignificat, id quod additur *omnis* et res universalis universaliter prædicatur. Adde *ibid. ed. sec.* p. 341. *Priscian.* 17. p. 1058. *Putsch.* Tam nomina infinita quam adverbia, si generalem habent pronunciationem, colligentem universalitatem numerorum, geminantur apud Latinos vel assumunt *cumque,* ut *quisquis quicumque.* Ubi tamen *universitatem* pro *universalitatem* legit *Keil.*

**UNIVERSALITER**, adverb. (universalis) universe, *universalmente. Cajus Dig.* 18. 1. 35. *ad fin.* Si grex universaliter venierit. *h. e.* totus una venditione. Adde *Boeth. loc. cit.* in voc. præc. et *Augustin.* in *Ps.* 8. 10.

**UNIVERSATIM**, adverb. (universus) universe, *universalmente. Sidon.* 8. *Ep.* 2. Universatim ferventibus votis aliquem consecrare.

**UNIVERSE**, adverb. (universus) generaliter, generatim, *universalmente, generalmente,* καϑόλου, ὅλως: cui *singillatim* et *proprie* opponitur. *Cic.* 7. *Verr.* 55. 143. Quid ego de ceteris civium R. suppliciis singillatim potius, quam generatim atque universe loquar? *Id.* 8. *Att.* 11. *a med.* Nec tam sectio pertimescenda est, quam universe interitus. *Id.* 5. *ibid.* 2. Venit ad me noster Hortensius, cui deposcenti mea mandata, cetera universe mandavi: illud proprie, ne pateretur prorogari nobis provincias.

**UNIVERSIM**, adverb. (universus) idem quod universe. *Gell.* 1. 3. *a med.* Sed generibus rerum summatim universimque utitur. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 118. *de prognosi universali.* Communiter autem sive universim dicendo quod Græci catholicon vocant.

**UNIVERSITAS**, ātis, f. 3. (universus) In genet. plur. *universitatum* et *universitatium.* Cf. CIVITAS et similia. — Universitas est rerum tota multitudo, τὸ πᾶν (It. *università;* Fr. *universalité, totalité;* Hisp. *universalidad;* Germ. *die Gesammtheit, das Ganze;* Angl. *the entire or complete number of things, generality*). ¶ 1. Sensu, uti ajunt, abstracto. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 43. 120. Tum enim censet imagines divinitate præditas inesse universitati rerum. *Id. ibid.* 65. *in fin.* Licet enim contrahere universitatem generis humani eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. *Colum.* 1. *R. R. præf. in fin.* De rusticationis universitate nihil attinet nunc plura dicere. *dell'agricoltura in generale.* — *b*) Speciatim universitas alicujus rei est tota ipsa res. *Plin.* 1. *Ep.* 8. Non tantum universitati ejus attendas, verum etiam particulas persequaris. *Id.* 2. *Ep.* 5. *circa med.* Ac sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua (*orationis*) secundum suam cujusque naturam. non probetur; ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet. *et* 3. *Ep.* 15. *extr.* Non temere jam nunc de universitate pronuntio: de partibus experiar legendo. *Plin. alter* 2. *Hist. nat.* 22. 20. (84). Ita septem tonos effici, quam diapasôn harmoniam vocant, hoc est universitatem concentus. *Id.* 27. *ibid.* 13. 109. (134). Radix prodest et contra phalangia, in vino pota, sed particulatim, quoniam universitate vomitionem movet. — *c*) Hoc sensu sæpe adhibetur a JCtis. *Ulp. Dig.* 43. 2. 1. Hoc interdictum ad universitatem bonorum, non ad singulas res pertinet. *Paul. ibid.* 48. 20. 7. Ut qui ad universitatem venturi erant jure successionis, ex ea portiones concessas haberent. *h. e.* qui heredes ex asse esse debebant. *Cajus ibid.* 41. 1. 7. *ad fin.* Universitas ædificii. *Jabolen. ibid.* 3. 23. medium. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu. — *a*) Sæpe ponitur pro mundo. *Cic. Tim.* 5. Quod si universitatis corpus planum et æquabile explicaretur. *Id. ibid.* 12. Singulos adjunxit ad singula atque ita quasi in currum universitatis imposuit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Terram solam immobilem, circa eam volubili universitate. — *b*) Item est collectio omnium hominum, universi, populus. *Nov. Val.* 2. 32. *c.* 1. *pr. de confirm.* Universitatis jus et commodum solis militantibus denegare. — *c*) *Universitates* etiam dicuntur collegia, corpora, curiæ: quibus permissum est, ad exemplum reipublicæ, arcam habere communem et actorem sive syndicum. Hujusmodi sunt societates pistorum, naviculariorum, publicanorum etc., de quibus est in *Dig.* 3. *tit.* 4., qui inscribitur *Quod cujuscumque universitatis nomine vel contra eam agetur* et alibi. — *d*) Item civitates ipsæ et respublica. *Martian. ibid.* 1. 8. 6. Universitatis sunt, non singulorum, quæ in civitatibus sunt theatra, stadia et si quæ alia sunt communia civitatum. Adde *ibid.* 38. *tit.* 3., cujus lemma est *De libertis universitatium.* — *NB.* Hinc non improbaverim, qui quas publicas scholas dicunt Itali *Università,* Latine *Universitates* appellant: sane ita primi eas vocarunt Innocentius III. et Honorius III., Rom. Pont., qui suas epistolas, ad scholam Parisiensem datas, hisce verbis incipiebant: *noverit Universitas vestra* vel *Universitas magistrorum et scholarum.* Antea enim magistri in cœnobiis aliisve locis separatim docebant, quibus dein Ecclesia, omnis humanitatis cultusque parens ac patrona, magna hæc gymnasia instituit. Alii tamen elegantiores malunt hujusmodi scholas Academiæ vel Athenei vel Archigymnasii vel etiam magni Lycei nomine Latine reddere.

**UNIVERSUM**, i, n. 2. *V.* voc seq.

**UNIVERSUS**, a, um, adject. (unus et versus) *Univorsus* pro *universus* apud veteres; item ἀρχαϊκῶς *unibersus,* permutata, uti solet, littera *v* in *b,* in *Inscr.* apud *Gruter.* 361. 1. Cf. *vibus* et *bibus* pro *vivus* et similia. — Item *oinversus* scribitur in *SCto* de *Bacchanalib.* in *Corp. Inscr. Lat.* 196. *lin.* 19. — Hinc etiam, ut locum habeat in heroico versu, *i* extritum est in illo *Lucret.* 4. 260. non privam quamque solemus Particulam venti sentire et frigoris ejus, Sed magis unvorsum. Alii tamen retinent, ut sit pes creticus pro dactylo. Hæc *Forcellinus.* Sed *Lachm.* et *Bern.* ibi *unorsum* scribunt; quamquam *unversum* confirmare videtur *Inscr.* apud *Zell n.* 629. Cf. *Lachm.* ad *Lucr.* p. 230. — Universus est ad unum reductus; hinc totus, integer, generalis, σύμπας (It. *tutto, generale;* Fr. *tout entier, tout, général;* Hisp. *todo entero, todo, universal;* Germ. *in Eins gekehrt, Einem zugewandt, ganz, sämmtlich;* Angl. *whole, universal*). ¶ 1. Universim. *Ter. Eun.* 2. 1. 18. Universum triduum. *tre dì interi.* et *Auct. B. G.* 8. 39. Gallia. *Cic. Cæcin.* 20. *ad fin.* Tam restitues, si unus servulus, quam si familia dejecerit universa. *Id.* 1. *Nat. D.* 43. 120. Universum mundum complecti. *Id.* 2. *Fin.* 34. *ante med.* Omne cælum totamque cum universo mari terram mente complecti. *Id.* 4. *Verr.* 69. *a med.* Ab universa provincia generatimque a singulis ejus partibus diligitur. *Id. Rosc. Com.* 15. 44. Est tuæ contumaciæ, arrogantiæ vitæque universæ vox. *Liv.* 7. 11. Tanti ea ad universi belli

eventum momenti dimicatio fuit, ut etc. *Id.* 27. 12. *circa med.* Casum universæ pugnæ non necessarium censebat. *d'una battaglia generale.* Sic 22. 32. In casum universæ dimicationis non veniebant. *et* 4. 27. Spem universæ victoriæ præcipere. *totale.* et 10. 5. *circa med.* Ut prope serum auxilium jam pæne circumventis, ita universa requies data est. *riposo a tutti, comune.* et *Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* Universo jugero satisfacere modios stercoris MCCCCXI. *Cic. Pis.* 27. 65. Fac hujus odii tanti ac tam universi periculum, si audes. *universale.* et *Sext.* 2. *ad fin.* Confusa atque universa defensio. *generale.* et *Nepos Themist.* 2. Bellum universæ Europæ inferre. *Martial.* 5. 24. Hermes gloria Martis universi. *h. e.* in omni genere gladiatoriæ pugnæ. *Vulg. interpr. Am.* 8. 8. Fluvius universus. *h. e.* integer, plenus. — Ad majorem vim vel per pleonasmum copulatur cum *totus* in illo *Plaut. Trin.* 1. 2. 134. Lupus gregem totum voluit universum avertere. ¶ 2. *Universi,* in plur. num., sunt omnes vel, sæpius, omnes conjunctim, *tutti insieme,* et opponitur singulis aut in partes divisis: adhibetur autem etiam absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. In illum universi tela conjiciunt. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 73. Democritus ita ausus est ordiri: Hæc loquor de universis. Nihil excipit, de quo non profiteatur. quid enim esse potest extra universa? *Id.* 2. *Nat. D.* 17. 71. Non minus operis videtur de universis generibus rerum, quam de singulorum causis dicere. *Id.* 1. *Orat.* 5. *ad fin.* Ex iis rebus universis eloquentia constat, quibus in singulis elaborare permagnum est. *Id.* 2. *Nat. D.* 66. 165. Dii earum urbium separatim ab universis singulos diligunt. *Id.* 3. *Off.* 6. 26. Ut eadem sit utilitas uniuscujusque et universorum. *Id. Dom.* 52. 134. Se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. *Nepos Themist.* 4. Universos esse pares ajebat, dispersos testabatur perituros. *Phædr.* 5. 7. Ab universis capite est protrusus foras. *Petron. Sat.* 25. Plaudentibus universis et postulantibus, nuptias fecerunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 24. (64). Scaurus ædilitate sua varias (*h. e.* pantheras) centum quinquaginta universas misit. *cencinquanta in tutte.* et *Vellej.* 2. 38. 1. Ut quæ partibus notavimus, facilius simul universa conspici possint. *Tac.* 2. *Hist.* 75. Facilius universos impelli, quam singulos vitari. — Ad majorem vim vel per pleonasmum dicitur *universi omnes, universi atque omnes,* omnes et singuli, omnino omnes, nemine excepto, *tutti affatto. Plaut. Trin.* 4. 3. 40. Id genus hominum omnibus universis est adversum atque omni populo male facit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. *ante med.* Communis rerum natura, universa atque omnia continens. *Fronto Eloq. p.* 235. Omnes universos quicumque oratores exstiterunt, si numerare velis. *Apul.* 7. *Met.* Talibus dictis universi omnes assensere. — De formula *singuli et universi* V. SINGULUS. — Hinc

*Universum, i,* n. 2. absolute. — *a*) Substantivorum more, universitas rerum, res omnes, mundus, *l'universo,* τὸ πᾶν. *Cic.* 1. *Nat. D.* 43. 120. Censet, imagines divinitate præditas inesse universitati rerum: tum principia mentesque, quæ sunt in eodem universo, deos esse dicit. *Colum.* 3. *R. R.* 10. *circa med.* Quod hominibus ignotum voluit esse genitor universi. *Publil. Syr.* 255. Lex universi est, quæ jubet nasci et mori. *Ribb.* leg. *universa.* — Et in plur. num. *Seneca* 1. *Provid.* 1. Universis præesse. — *b*) *In universum,* adverbii ritu, universe, generatim, *generalmente, universalmente,* καθάπαν, ἐπίπαν. *Liv.* 9. 26. Non nominatim, qui Capuæ, sed in universum, qui usquam conjurassent adversus rempublicam. *Tac. Germ.* 5. Terra etsi aliquando specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus fœda. *et ibid.* 6. In universum æstimanti, plus penes peditem roboris. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 19. (50). Ultra sunt Scytharum populi. Persæ illos Sacas in universum appellavere. Adde *Quintil.* 3. 11. 27.

Homonym. Discrimen inter *omnis, universus* et *cunctus* statuit *Hekelius* hisce verbis: *Omnis* nullum excipit; *cuncti* omnes in uno loco; *universi* quasi ad unum versi. Quod quidem clarius ex oppositis apparet; τῷ enim *omnis* opponitur *nemo, unus, aliquot* et hujusmodi; τῷ *universi* opp. *singuli* vel *unusquisque;* τῷ *cuncti* opp. *dispersi, segregati.* Hinc *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 50. 15. *Müll. Cuncti* significat quidem omnes sed conjuncti et congregati, at vero *omnes* etiam si diversis locis sint. *V.* CUNCTUS et OMNIS. *Tac.* 1. *Hist.* 83. Omnia consilia cunctis præsentibus tractari. *Cic.* 3. *Off.* 6. 26. Unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas et uniuscujusque et universorum. Adde 1. *Orat.* 5. *ad fin.* et 2. *Nat. D.* 66. 165. *V.* supra. Aliquando vero, ut diximus, ad majorem vim vel πλεοναστικῶς, conjunguntur. *Id.* 1. *ibid.* 15. 39. Communis rerum natura universa atque omnia continens.

**ŪNĬVĬRA,** æ, f. 1. (unus *et* vir) Scribitur etiam *univera* in *Inscr.* apud *De-Rossi Inscr. Christ. T.* 1. *p.* 509. — Et *unovira* in *Inscr.* apud *Mommsen n.* 7294. *p.* XXI. — Item *univiria* habet *Trebell. in XXX. Tyrann.* 32. Quam majores nostri univiriam sacerdotem inter sacratissimas feminas adorarunt. *Inscr.* apud *Gruter.* 307. 3. et 748. 4. VOLVSIAE IVSTAE OMNIVM FEMINARVM SANCTIORI VNIVIRIAE etc. Adde 1141. 1., ubi *univiræ.* — Etiam *unibyria* scribitur. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 324. *n.* 450. HIC SITA EST ARRIA M. F. MAXIMILLA VNIBYRIA. *Alia* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 242. C. SIMILIVS PHILOCYRIVS SIMILIAE PHILETAE COIVGI VNIBYRIAE. — Univira est mulier, quæ unum tantum virum habuit: cui opponitur *multivira:* usurpatur autem tum absolute tum adjective. *Minuc. Fel. Octav.* 24. *a med.* Alia sacra coronat univira, alia multivira. *Tertull. Exhort. ad castit.* 13. Ut et virginibus legitime nubentibus univira pronuba adhibeatur. *Id. advers. Psych.* 8. Univira viduitas. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 11. Univira Juno. *Id. Ep.* 22. *n.* 14. vocat agapetarum mulieres *meretrices univiras,* quia eadem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenebantur lectulo cum fratribus suis agapetis.

**ŪNĬVĬRĀTUS,** us, m. 4. (univira) status monogamiæ, h. e. ejus, quæ semel tantum nupsit. *Tertull. Exhort. ad castit.* 13. Feminæ ob univiratus obstinationem famam consequutæ. Adde 1. *ad Uxor.* 9. et 2. *ibid.* 1.

**ŪNĬVĬRĬA.** *V.* UNIVIRA.

**ŪNĬVŎCĀTĬO,** ōnis, f. 3. (univocus) conditio vocum, quæ univocæ sunt. *Boeth.* in *Arist. lib. de Interpr. ed. alt.* 2. *p.* 460. *Mign.* Non solum si æquivocatio in propositionibus collocetur, nulla fit contradictio, verum etiam si univocatio in negatione ponitur, illa oppositio contradictionem penitus non habebit. *et mox.* Positis ergo secundum univocationem terminis etc.

**ŪNĬVŎCĒ,** adverb. (univocus) ex univocatione. *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 1. *p.* 5. Omne genus ad species, quæ sunt sub ipso positæ, univoce prædicari potest. Adde *p.* 26. et *alibi* sæpissime.

**ŪNĬVŎCUS,** a, um adject. (unus *et* vox) proprie de eo, qui unius est vocis, vel de voce, quæ multis diversisque rebus tribuitur, ὁμώνυμος, cui *multivocus* vel *plurivocus* opponitur. *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 1. *p.* 15. *Mign.* Univoca (*sunt*) quæ sub eodem nomine et sub eadem substantia continentur. *Id. Prædic.* 1. *p.* 117. Univoca dicuntur, quorum nomen commune est et secundum nomen eadem ratio substantiæ, ut *animal* homo atque bos. Hinc *Descartes* in *Principes part.* 1. « On a raison dans l'école de dire que le nom de substance n'est pas *univoque* au regard de Dieu et des créatures ». — *Capell.* 4. *p.* 104. Univocum est, quando duarum aut plurium rerum unum nomen est et definitio. *Id. ibid. p.* 97. Quid sit æquivocum, quid univocum, quid, ut ita dicam, plurivocum etc. *Id. ibid. sub init.* Univocis æquivoca connectere. Adde *Priscian. p.* 1263. et seq. *Putsch., Augustin. De dial.* 9., *Boeth.* in *Cic. Top.* 3. et *Isid.* 2. *Orig.* 26.

**ŪNĬVORSUS.** *V.* UNIVERSUS.

**ŪNO,** as, are, a. 1. (unus) unum facio. *Tertull. advers. Prax.* 27. Incipiunt illos dividere potius, quam unare. Adde *Priscian. p.* 1355. *Putsch.* Cave tamen, usurpes.

**ŪNŎCŬLUS** *et* unioculus, a, um, adject. (unus *et* oculus) unicum habens oculum, quales Poetæ fingunt fuisse Cyclopes, μονόφθαλμος. *Accius* apud *Gell.* 3. 11. *de Cyclope.* Itidem, inquit, vel maxime, quod unoculus fuit, rem tam insignem non præterisset. *Solin.* 15. *a med.* Arimaspi unocula gens. — Absolute. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 22. Unocule, salve. Quidam *uniocule* legunt.

**ŪNŎMAMMĬA.** *V.* UNIMAMMIA.

**ŪNORSUS.** *V.* UNIVERSUS.

**ŪNŌSĒ,** adverb. (unus) una, simul. *Pacuv.* apud *Non. p.* 183. 20. *Merc.* Occidisti, ut multa paucis verba unose obnuntiem. Alii leg. *unorse.* V. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 230. — De *Plaut. Most. v.* 607. V. *Studemund* in *Rhein. Mus.* 24. 65.

**ŪNŎVĬRA.** *V.* UNIVIRA.

**UNQUAM.** *V.* UMQUAM.

**ŪNŬLUS,** a, um, adject. *deminut. ab* unus, ullus. *Boeth.* in *Arist. per.* 2. *p.* 146. Diminutio namque unius ullus est tamquam si diceremus unulus.

**ŪNUS,** a, um, adject. numerale. — 1.°) Scribitur et *œnus* pro *unus* apud veteres. *Plaut. Truc.* 4. 2. 8. et *Lex* apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 9. *V.* ŒNUS. — Item *oinus* in *Inscr.* sepulcrali, quæ pertinet ad L. Cornelium L. F. Cn. N. Scipionem, qui consul fuit an. U. C. CDXCV. eodemque anno V. Id. Mart. de Pœnis, Sardinia et Corsica egit triumphum, anno autem insequenti censor semper fuit cum C. Duillio M. F. M. N., apud *Visc. Mon. degli Scip. tab.* 5. *litt. A.* HONC OINO PLOIRVME COSENTIVNT R.... DVONORO OPTVMO FVISE VIRO. *h. e.* hunc unum plurimi consentiunt Romæ bonorum optimum fuisse virum. V. *Corp. Inscr. Lat.* 1. 32. — 2.°) Ad flexionem et quantitatem quod attinet. — *a*) Genetivus est *unius* et pænultimam habet longam, apud Poetas ancipitem. *Virg.* 1. *Æn.* 45. Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei. et *ibid.* 255. Navibus (infandum!) amissis unius ob iram. — Reperitur et *uni* pro *unius. Titin.* apud *Priscian.* 6. *p.* 694. et 717. *Putsch.* Namque uni collegi sumus. *Catull.* 17. 17. Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni. *Plaut. Stich.* 5. 4. 49. Ego tu sum, tu es ego: uni animi sumus. Alii scrib. conjunctim *unianimi* vel *unanimi.* — *b*) In dativo *uno* et *unæ* pro *uni. Varro* 1. *R. R.* 18. *a med.* Singula jugera quaternis operis uno operario ad conficiendum satis esse. Adde *Commodian.* 1. *Instr.* 19. 3. et *ibid.* 33. 9. — *Cato R. R.* 19. Unæ fibulæ locum facito. Cf. *Priscian.* 6. *p.* 197. 6. *Keil.* — *c*) *Une* in vocativo. *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 5. *p.* 673. *Putsch.* O amice ex multis mihi une, Cephalio. *Catull.* 37. 17. Tu præter omnes une de capillatis. *Augustin.* 1. *Confess.* 7. *a med.* Nisi tu, une (*Deus*), a quo omnis modus etc. — 3.°) Vox conjungi potest cum Gr. οἶος, solus, vel ἕν, ἑνός, ejusd. significationis. Cf. etiam Goth. *ains* et Germ. *ein.* — Unus significat unitatem sensu concreto, εἷς, μία, ἕν (It. *uno,* Fr. *un;* Hisp. *un, uno;* Germ. *ein;* Angl. *one*).

*A*) *Unus,* qua est numer. cardinale.

I.) Sensu definito et quidem ¶ 1. Strictim accepto. — 1.°) In singulari numero. — *a*) Universim. *Plaut. Cas.* 1. 33. amphora una et una semita, Fons unus aenum et octo dolia. *Id. Curc.* 5. 1. 2. Mulieres duas pejores esse quam unam. *Id. Truc.* 2. 6. 8. Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. *Ter. Andr.* 1. 5. *in fin.* Verbum unum cave de nuptiis, *guarda di dir neppure una parola.* et 1. 1. 18. Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis. *in una parola, in poche parole. Cic.* 1. *Rep.* 19. 31. Divisit populum unum in duas partes. *Id.* 3. *Orat.* 6. 20. Quia omnia hæc, quæ supra et subter, unum esse et una vi atque una consensione naturæ constricta esse dixerunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (98). Uno die ac nocte. *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1876. *p.* 200. VNO DIE PATER ET FILIVS VNA HORA DECESSER (decesserunt?) VNO LECTO ELATI.

— *b*) Cum adjectivis, quæ distinguendo vel numerando vel opponendo inserviunt, ut *alter, alius, tertius, plures* etc. *Plaut. Truc.* 2. 4. 30. Quum inter nos sorderemus unus alteri. *l'uno all'altro.* et *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Gallia est omnis divisa in partes tres: quarum unam incolunt Belgæ, aliam *etc.*, tertiam etc. *et ibid.* 2. Helvetii continentur una ex parte flumine Rheno, altera ex parte monte Jura. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 19. Triplex ratio, una de vita et moribus, altera de natura etc. Adde 1. *Off.* 32. 118. *Quintil.* 9. 4. 85. Quum eam consonantes una pluresque præcedunt. *Id.* 10. 1. 69. Unus ad cuncta efficienda sufficiat. Adde 1. 2. 30. Cf. *Vulg. interpr. Matth.* 17. 4. Adde *Auct. argum. Truc. Plaut.* in URBS. — *Unus alter, unus et alter,* duo significat, quæ unum post aliud sequantur, *uno, due. Cic.* 7. *Verr.* 29. *sub fin.* Unum, alterum mensem, prope annum denique, domi tuæ piratæ fuerunt. *et* 6. *ibid.* 29. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari: dies unus, alter, plures: non referri. *Id. Cluent.* 64. 178. Unum, alterum, tertium annum Sassia quiescebat. *et ibid.* 28. 77. Una atque altera contio. Adde 1. *Off.* 32. 118. *Liv.* 6. 10. *a med.* Uno alteroque subinde ictu ventrem hausit. *Tac. Dial. de orat.* 39. Unus inter hæc dicenti ac alter assistit. *Cic. Mur.* 21. 43. Neque in uno aut altero animadversum est, sed jam in pluribus. — Aliquando ponitur non ad duo significanda, sed aliquot pauca. *Ter. Andr.* 1. 1. 47. Primum hæc pudice vitam agebat: postquam amans accessit, pretium pollicens, unus et item alter, accepit condicionem. *uno e poi un altro.* et *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 15. Alloquor extremum mœstos abiturus amicos, Qui modo de multis unus et alter erant. *alcuni pochi.* Adde *Horat. Art.* 15. — *Unus post unum,* unus post alium, *un dopo l'altro. Aurel. Vict. Epit.* 26. Duo Gordiani, pater et filius, unus post unum interiere. Adde *Vulg. interpr. Joh.* 8. 9. — *c*) Item cum numeralibus, quæ *unus* vel præcedit, sequente particula *et*, vel subsequitur fere absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 20. 74. Unum et viginti annos. *Liv.* 2. 21. Tribus una et viginti factæ. *Cic. Senect.* 5. 13. Qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est. *Liv.* 23. 37. Signa militaria ad quadraginta unum cepit. *Colum.* 5. *R. R.* 3. Has summas inter se multiplicabis, vicies et semel ducentos et unum: atque ita efficies quattuor milia ducentos et viginti unum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (141). Blattæ impositæ diebus viginti uno. *Solin.* 52. Ab hoc ad Alexandrum M. numerantur annorum sex milia quadringenti quinquaginta unus. — *d*) Sequente Genetivo aut Ablativo cum præp. *de* aut *ex*, sensu partitivo. *Tac.* 12. *Ann.* 5. Unum se civium et consensui imparem respondit. *Alii rectius leg.* Unum se et civium consensui imparem. *Cic. Mil.* 24. 65. Se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 23. sedissem forsitan unus De centum judex in tua verba viris. *Id.* 1. *Met.* 325. Et superesse videt de tot millibus unum. *Colum.* 11. *R. R.* 1. Unus ex multis, *di molti uno.* et *Seneca Ep.* 39. Concupisces et ipse ex illis unus esse. *Justin.* 42. 3. *ad fin.* Unus de numero ducum Jasonis. — *Unus* vel *de multis* aut *unus multorum* dicitur, qui non est eximius nec singularis, qui nulla re a vulgo distinguitur, qui unus est de vulgo, εἷς ἐν πολλοῖς. *Cic. Brut.* 79. 274. Qui non fuit orator unus e multis: potius inter multos prope singularis fuit. *Ovid. Remed. am.* 682. Jam facito, e multis una sit illa tibi. Cf. *Senec. Ep.* 10. *a med.* Iste homo non est unus e populo: ad salutem spectat. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 20. 66. Tenuis L. Virginius unusque de multis. *persona ordinaria.* et *Plin.* 1. *Ep.* 3. Si te possident, felix beatusque es: sin minus, unus ex multis. *come la maggior parte degli uomini. Horat.* 1. *Sat.* 9. 71. sum paullo infirmior: unus multorum. — Interdum unus subticetur. *Quintil.* 9. 1. *sub init.* Nec desunt, qui tropis figuræ nomen imponant: quorum est C. Artorius Proculus. — 2.°) In plurali num., videlicet fere cum iis nominibus, quæ plurali numero efferri solent, etiam *unus* pluraliter effertur, sive careant ea nomina singulari, sive non. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 52. Unæ quinque remorantur minæ. *Id. Bacch.* 4. 7. 34. Sequere me tres unos passus. *tre soli passi.* et *Sall. Cat.* 6. Postquam in una mœnia convenere. *Cæs.* 4. *B. G.* 16. Ubii, qui uni ex Transrhenanis ad Cæsarem legatos miserant. *h. e.* soli. (*V.* paragr. 2.) Sic *Catull.* 68. 147. Quare illud satis est, si nobis is datur unis. *Virg.* 2. *Æn.* 642. satis una superque Vidimus excidia. *Ter. Eun.* 2. 3. 75. Aderit una in unis ædibus. *Id. Andr.* 4. 1. 51. Ex unis geminas mihi conficies nuptias. *Cic.* 5. *Verr.* 98. 227. Quum unæ decumæ lege et conditione trahantur, alteræ novis institutis imperentur. *Id.* 14. *Att.* 18. Adductus sum tuis unis et alteris litteris. *Id. Flacc.* 26. 63. Unis moribus et numquam mutatis legibus vivunt. *h. e.* iisdem. (*V.* paragr. 3.) *Cato R. R.* 10. *a med.* Molas asinarias unas et trusatiles unas, Hispanienses unas. *et ibid.* 13. Molas unas, cribrum unum etc. *Molas* dixit in plurali, quia mola e duobus saxis constat, ut in MOLA dictum est. *Varro* 2. *R. R.* 1. *circa med.* Unæ quadrigæ. ¶ 2. Latiore sensu est solus, unus tantum, *un solo*, μόνος: quo sensu cum adject. vel adverb. superlat. haud raro jungitur ad majorem vim. *Ter. Andr.* 1. 5. 46. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Erat omnino in Gallia ulteriore legio una. *Cic.* 6. *Att.* 1. Pompejus plus potest unus, quam ceteri omnes. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. In tuis summis laudibus excipiunt unam iracundiam. et *ibid. in fin.* Cui semper uni magis, quam universi placere voluisti. *Id.* 12. *Phil.* 9. *a med.* Quis mihi præstat, Lentonem uno capite esse contentum? *Id. Orat* 29. *sub fin.* Demosthenes unus eminet inter omnes in omni genere dicendi. *Id.* 1. *Orat.* 22. 99. Quum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum cognossem. *Id.* 8. *Att.* 4. Unus omnium loquacissimus et minime aptus ad docendum. *Id. Rabir. Post.* 9. 23. Vir unus totius Græciæ facile doctissimus Plato. *Id. Brut.* 6. 25. Res una omnium difficillima. *Nepos Att.* 3. Unus ante alios carissimus. *Virg.* 1. *Æn.* 19. Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo. *Nepos Epam.* 10. Unum hominem pluris quam civitatem fuisse. Hinc *Phædr.* 4. 43. Plus est in uno sæpe, quam in turba boni. Adde *Nepot. Them.* 4. *et ibid.* 5. *Id. ibid.* 9. Quod in unius pernicie ejus patriæ sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt. — *Rutil. De fig. nat.* 1. 7. Unius opera mea. *sc.* mei unius. De hac construendi ratione V. *Casaub.* ad *Pers.* 5. 40., *Heins.* ad *Ovid. Ep.* 5. 45. et *Drakenb.* ad *Liv.* 7. 40. — Additur et *solus* aut *modo, tantum,* item ad majorem vim. *Cic. Pis.* 40. 96. Te unum, solum suum depeculatorem, vexatorem, prædonem, hostem venisse senserunt. *Id. Harusp. resp.* 7. *a med.* Senatus, uno illo solo antistite sacrorum dissentiente, frequentissimus judicavit. *Id.* 4. *Verr* 5. 13. Unam solam scitote esse civitatem Mamertinam, quæ legatos miserit. *et ibid.* 75. 185. Ex uno oppido solo. *et Sext.* 62. 130. Unus est solus inventus, qui etc. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 1. Nil admirari, prope res est una, Numici Solaque, quæ possit facere et servare beatum. *Sall. Jug.* 94. Una modo - aqua. *Cic. Cluent.* 7. *ad fin.* Uti sibi restituerent eum filium, quem tantum unum ex multis fortuna reliquum esse voluisset. — Et absolute. *Id.* 1. *Rep.* 26. 42. Quum penes unum est omnium summa rerum, illum unum vocamus. Adde *Plaut. Most.* 1. 3. 43. — Præcedente partic. negativa. *Quintil.* 12. 10. 71. Non unus color prooemii, narrationis *etc.* servabitur. *Id.* 4. 2. 84. Neque enim est una lex defensionis. *et* 11. 3. 161. Neque enim uno modo dicuntur exordia. ¶ 3. Item *unus* pro *idem. Plaut. Capt. prol.* 19. Postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo peculiarem, quia quasi una ætas erat. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 129. Ne uno exemplo omnes vitam viverent. *Cæs.* 3. *B. C.* 15. Atque uno etiam tempore accidit, ut etc. *Cic. Cluent.* 9. *a med.* Illa quum uno tempore audisset, sibi non solum filium, sed etiam exsequiarum munus ereptum etc. *Justin.* 6. 2. *ante med.* Quippe ætas, virtus, consilium, sapientia utrique prope una, gloria quoque rerum gestarum eadem. — Jungitur et cum *idem* ad ampliorem explicationem. *Cic.* 4. *Cat.* 7. 14. In qua causa omnes sentiunt unum atque idem. *Id.* 2. *Divinat.* 47. 97. Exitus quidem omnium unus et idem fuit. *Id. Orat.* 40. 137. Sic dicet ille, ut verset sæpe multis modis eamdem et unam rem. Adde *Tac. Germ.* 19. *Sueton. Ner.* 43. Quasi conspiratis idemque et unum sentientibus. ¶ 4. Item unicus. *Catull.* 68. 119. Nam neque tam carum confecto ætate parenti. Una caput seri nata nepotis alit. *Albinov.* 1. 4. Unum qui dicat jam tibi, mater, habes.

II.) Sensu indefinito *unus* ponitur pro *aliquis, quidam,* et sæpe in contemptum: additur autem sæpe substantivis ea ratione, qua Italice *uno, un certo. Catull.* 22. 9. tum bellus ille et urbanus Suffenus, unus caprimulgus aut fossor Rursus videtur. *Ter. Andr.* 1. 1. 90. Inter mulieres, quæ ibi aderant, forte unam adspicio adulescentulam forma et vultu adeo modesto etc. Ubi *Donatus:* Ex consuetudine dicit *unam*, ut dicimus, *unus est adulescens.* tolle *unam*, et ita fiet, ut sensui nihil desit: sed consuetudo mirantis non erit expressa. *Unam* ergo τῷ ἰδιοτισμῷ dixit, vel *unam* pro *quamdam. Cic.* 2. *Phil.* 3. *in fin.* Tamquam mihi cum M.Crasso contentio esset, non cum uno gladiatore nequissimo. *Id.* 1. *Orat.* 29. 132. Sicut unus paterfamilias his de rebus loquor. *Id.* 9. *Att.* 10. Me una hæc res torquet, quod non Pompejum tamquam unus manipularis secutus sum. *h. e.* tamquam miles gregarius. *Ovid.* 6. *Met.* 578. perfectaque (*stamina*) tradidit uni, Utque ferat dominæ, gestu rogat. *Sueton. Cæs.* 32. Rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen. *Cic. Rosc. Com.* 5. *ad fin.* Advocatio ea est, quam propter eximium splendorem, ut judicem unum, vereri debeamus. *Plaut. Most.* 3. 1. 146. Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt. *Id. Pseud.* 4. 1. 38. Ibi una aderit mulier lepida, quæ etc. *Id. Most.* 4. 3. 9. Unum vidi mortuum efferri foras. In *argum.* 2. *Merc.* 2. Is peregre unius redimit ancillam hospitis. *Id. Truc.* 2. 1. 33. Sed est huic unus servus violentissimus. V. *Both.* ad *Plaut. p.* 174. *n.* 795. *Quadrigar.* apud *Gell.* 15. 1. Ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (81). Aberat ipse: sed tabulam in machina aptatam picturæ anus una custodiebat. Adde 8. *ibid.* 5. 5. (13). — Jungitur etiam cum *ille, quisquam, aliquis, quivis, quilibet, quisque, quisquis, ullus, quidam, nemo, nihil* etc. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. *extr.* Ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus erit, renuntiaverit. *Alii leg.* uni ulli. *Liv.* 32. 20. *extr.* Hæc adhortatio prætoris non modo quemquam unum elicuit ad suadendum, sed ne fremitum quidem contionis tantæ movit. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 9. 27. Cognosce ex me, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset: ex quibus si unum aliquod in te cognoveris etc. *Id.* 2. *Off.* 12. 41. Quum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præstantem, qui etc. *Id.* 3. *Fin.* 19. *a med.* Vir bonus et sapiens utilitati omnium, plus quam unius alicujus aut suæ consulit. *Id. Brut.* 93. 320. Quantum non quivis unus ex populo, sed æstimator doctus et intelligens posset cognoscere. Adde *Cæcin.* 22. 62. *Liv.* 9. 17. *a med.* Id vero erat periculum, ne sollertius, quam quilibet unus ex iis, quos nominavi, castris locum caperet. *Id.* 6. 40. Si non sim ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet. *Id.* 42. 42. Queratur unus quilibet militis mei injuriam. *Plaut. Trin.* 4. 2. 39. Sin unum quicquid singillatim et placide percunctabere. Adde *Lucret.* 5. 1387., *Cæs.* 2. *B. C.* 29. et *Cic. Rosc. Am.* 30. 83. (*V.* UNUSQUISQUE et UNUSQUISQUIS) *Id. Brut.* 59. *in fin.* Nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia. *Id. Prov. cons.* 4. 7. Unum signum Byzantii ex maximo numero nullum haberent. *Id.* 3. *Orat.* 14. *ad fin.* Est enim eloquentia una quædam de summis virtutibus. *et* 2. *ibid.* 10. 40. Nam hesterno sermone unius cujusdam operis remigem aliquem aut bajulum nobis oratorem descripseras. *Id.* 10. *Phil.* 1. *ad fin.* Cur numquam

tam frequens senatus fuit, ut unus aliquis tuam sententiam secutus sit? *Id.* 5. *Tusc.* 36. *a med.* Nemo de nobis unus excellat. *Liv.* 2. 6. Nemo unus satis dignus regno visus est. *Id.* 41. 20. (*al.* 25.) Rhodiis ut nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quæque usus eorum postulaverunt, dona dedit.

*B)* *Unus* aliquando ponitur pro numer. ordinali *primus*. *Vulg. interpr. Agg.* 1. 1. In mense sexto, in die una mensis. — Absolute. *Id. Malach.* 2. 14. *de Deo.* Nonne unus fecit et residuum spiritus ejus est? Et quid unus quærit, nisi semen Dei? *Id. Ezech.* 29. 17. Factum est in vicesimo et septimo anno, in primo, in una mensis. *h. e.* primo die mensis. Sic *Marc.* 16. 1. Valde mane una sabbatorum. *et Joh.* 20. 1. Una sabbati. *h. e.* primo die hebdomadæ. — Hinc

*Unum*, n. absolute, substantivorum more, una res. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 101. Unum modo sensibus falsum videatur. *Vulg. interpr. Luc.* 10. 42. Unum est necessarium. Cf. *Ps.* 26. 4. Unam petii a Domino, hanc requiram. Ubi τὸ *unam* per Hebraismum ponitur pro *unum*. — *In unum*, in eumdem locum, simul, εἰς ἕν. *Sall. Jug.* 55. Metellus paullatim milites in unum conducit. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Fibrenus divisus in duas partes latera hæc alluit rapideque dilapsus cito in unum confluit. *Liv.* 30. 11. Omnibus, qui bello apti erant, in unum coactis. *Virg.* 7. *Ecl.* 2. Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum. *Ovid. Remed. am.* 673. Quod si vos aliquis conducet casus in unum.

*Unus* et *una*, absolute, substantivorum more. *Plaut. Most.* 1. 3. 43. Uni modo gessi morem. Adde *Cic.* 1. *Rep.* 26. 42. *V.* alia superius. — *Ad unum* (*unam*) *omnes* vel *omnes ad unum* (*unam*), omnino omnes, usque ad unum, *h. e.* ne uno quidem excepto. *Lentul.* ad *Cic.* 12. *Fam.* 14. Onerariæ omnes ad unam a nobis sunt exceptæ. *Cic. Amic.* 23. 86. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt. Adde *Liv.* 3. 50. *sub fin.* et 21. 42. — Et omisso τῷ *omnes*. *Virg.* 5. *Æn.* 687. si non exosus ad unum Trojanos. *Epit. Liv.* 2. *ad fin.* Qui ad Cremeram ad unum ab hostibus cæsi sunt. — *Usque ad unum*. V. USQUE.

*Una*, adverbiorum more, simul, pariter, *insieme, in compagnia*, ἅμα, ὁμοῦ. — *a)* Absolute. *Cic.* 7. *Att.* 10. Si in Italia Pompejus consistit, erimus una. *Id.* 2. *Fin.* 24. *extr.* Quo minus ambo una necaremini, non precarere? *Id. Brut.* 21. 81. Tenuit cum hac locum quemdam etiam Ser. Fulvius et una Fabius Pictor. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 1. *init.* Si mei consilii causam cognoverit, una et id quod facio, probabit et in hac causa neminem præponendum mihi actorem putabit. *Tac.* 2. *Hist.* 28. Cohortes turbidas ac, si una forent, prævalidas dispergere. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 77. Adde *Sueton. Cæs.* 14., *Tib.* 21., *Claud.* 33. et *Galb.* 14. — *b)* Cum Dativo. *Virg.* 8. *Æn.* 104. Pallas huic filius una, Una omnes juvenum primi pauperque senatus Tura dabant. Ubi tamen recentiores censent, *una* non cum *huic* conjungendum esse, sed cum *tura dabant*. Cf. tamen *Auct. Itin. Alex. M.* 90. infra. *adlat.* — *c)* Aliquando cum Acc. et præp. *inter*. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 61. Qui amantes una inter se facerem convenas. — *d)* Sæpius cum Abl. et præp. *cum*. *Cic. Amic.* 10. 33. Quod summi puerorum amores sæpe una cum prætexta ponerentur. *Ter. Adelph.* 4. 3. 7. Quæso, ut una mecum ad matrem virginis eas. *Plaut. Most.* 2. 3. 43. I mecum, obsecro, una simul. *V.* SIMUL. — Sine præpositione. *Auct. Itin. Alex. M.* 90. Epulo accubabat una blanditoribus regis. *et ibid.* 11. Una clipeo loricaque. *et ibid.* 15. Una ipso. Cf. *Haase Miscell.* 4. 27.

Homonym. Discrimen inter *unum* et *unicum*, et inter *unum* et *solum*, *V.* sub UNICUS et SOLUS.

ŪNUSQUĬLĬBET *et divisim* unus quilibet. *V.* voc. præced.

ŪNUSQUISQUĔ, unaquæque, unumquodque et unumquidque, *et divisim* unus quisque etc., *genet.* uniuscujusque etc. adject. et pron. singuli, *ciascheduno*, πᾶς ἕκαστος, πᾶς τίς, πάντες ὅσοι. *Cic. Fontej.* 6. 12. Mihi enim semper unaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breviter interrogatus. *Id. Rosc. Am.* 30. 83. Leviter unumquodque tangam. *Id.* 6. *Verr.* 59. 132. Qui hospites ad ea, quæ visenda sunt, ducere solent et unumquidque ostendere. *Dig.* 50. 16. 131. § 1. Unusquisque, cui hujus criminis – executio competit. *Priscian.* 18. *p.* 304. 17. *K.* Sallustius in Cat.: unumquemque nominans laudare. Cicero: singulas uniuscujusque domos. Adde *Cic.* 2. *Invent.* 50. 152. — Partitive. *Id. Parad.* 1. 3. Ponite ante oculos unumquemque regum. — In illo *Liv.* 42. 6. Legatoque centum milium æris munus missum est. *Madvig* conjicit esse legend. *unicuique legato*. De hoc pron. apud numerum posito cf. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 152., *Liv.* 8. 8. et *Nepot. Lys.* 1. — Item in illo *Cic.* 4. *Fin.* 6. 16 Eorum utrumque per se expetendum esse. nonnulli *unumquodque* addunt; sed perperam, quum de duobus nec Cicero nec quisquam alius, ut opinor, inquit *Madvig*, pron. *unusquisque* usurpaverit.

ŪNUSQUĬSQUIS *et divisim* unus quisquis, unaquæque, unumquidquid *vel* unumquicquid, pron. idem quod unusquisque. *Plaut. Trin.* 4. 2. 39. Si unumquidquid singillatim et placide percontabere. *Lucret.* 5. 1387. Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas.

ŪNUSQUĪVIS *et divisim* unus quivis *vel* quivis unus. *V.* UNUS.

UNX uncis, m. 3. In recto casu *unces* affert *Quicherat* in *Add. p.* 302. — Unx est nomen barbarum animalis apud *Schol.* in *Juvenal.* 11. 140. Oryx animal minus quam bubulus, quem Mauri uncem vocant, cujus pellis ad citras proficit scuta Maurorum minora.

UNX, unguis. *V.* UNGUIS.

## UP

ŪPĬLĬO, ōnis, m. 3. *V.* OPILIO.

UPPŎTE. *V.* UTPOTE.

ŬPŬPA, æ, f. 1. *Gloss. Philox. p.* 146. 41. habet *obpopa*. V. *Prodr. Gloss. p.* 261. *Loewe*. — Vulgo nomen ex eo accepisse putatur, quod Tereus Thracum rex in avem eam commutatus, etiam nunc requirens filium Ityn, quem Progne marito comedendum apposuerat, inclamet ποῦ, ποῦ, ubi, ubi. Sed sane possumus cum *Varrone* 5. *L. L.* 75. *Müll.* deducere a voce ejus *pu pu*, ne ad fabulas recurramus: vel potius ab ipsa Græca voce ἔποψ, οπος, seu οὔποψ, οπος, ὁ nempe articulo per crasin Atticam cum nomine ἔποψ conjuncto, ut legitur apud *Aristoph.* in *Avib. v.* 226. Οὔποψ μελῳδεῖν αὖ παρασκευάζεται: ubi legitur ejusdem avis cantilena: Ἐποποποὶ ποποὶ ποποποποὶ ποποί: unde factum verbum ποπίζω apud *Polluc. l.* 5. § 89., quo ejusdem cantus exprimitur: atque hinc Latini suam fecere upupam. *V.* EPOPS. — Upupa est avis cristis a capite exeuntibus galeata, in fimo semper commorans, ἔποψ (It. *upupa, bubbola*; Fr. *huppe*; Hisp. *abubilla*; Germ. *der Wiedehopf*; Angl. *a houpoo*). V. *Tychsen Hist. an. p.* 118. ¶ 1. Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 44. (73). Mutat et upupa (*formam et colorem*), ut tradit Æschylus poeta, obscena alias pastu avis, crista visenda plicatili, contrahens eam subrigensque per longitudinem capitis. Adde *ibid.* 25. 36. (73). et *Vulg. interpr. Lev.* 11. 19. et *Deut.* 14. 18. ¶ 2. Improprie, ob similitudinem, dicebatur instrumentum ferreum, quo in lapicidinis utebantur ad eruendos et excavandos lapides: quod Græci ἀπὸ τοῦ ὀρύττειν, fodere, ὄρυγα dixere. *Plaut. Capt.* 5. 4. 7. Itidem huc mihi advenienti upupa, quæ me delectet, data est. Ubi Tyndarus servus captivus ait, sibi, simul atque in lapicidinas detrusus esset, datam esse upupam in manum, ut scilicet hoc esset illi misero, quod patriciis pueris monedula aut coturnix. *V.* integrum *Plauti* locum. *Gloss.* in *Prodr. Gloss. p.* 261. ed. *Loewe*. Upupa: ferramenti genus a similitudine animalis, quod ἔποπα Græci vocant. Upupa: ὄρυξ.

## UR

UR, indeclin. Etymi quarumdam vocum explicandi gratia hac voce, quæ, Hebraice אור, pro diversa vocali modo est ignis (*ur*), modo splendor ignis seu lux (*or*), usus fuit *Isid.* 16. *Orig.* 1. 9. Sulphur vocatum, quia igne accenditur; *ur* enim ignis est. Ubi perperam πῦρ alii leg. Sic et *Gloss. Lat. p.* 295. *n.* 233. Ur, incendium. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

ŪRA, æ, f. 1. οὐρά, *h. e.* cauda, *coda*; unde *Ura scorpius*, herbæ nomen Græcum οὐρὰ σκορπίου, h. e. cauda scorpionis, quæ et heliotropium dicitur. *Apul. Herb.* 49. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

ŪRÆA, æ, f. 1. urethra. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. 66. Mictualis via, quem uræam Græci vocaverunt.

URÆUM, i, n. 2. *V.* HORÆUM.

ŪRÆUS, a, um, adject. (ura) ura seu cauda præditus, ut Uræa cybia apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). Alii aliter leg. *V.* HORÆUM.

URAGUS *et* Urgus. *V.* ORCUS.

URANICHNEUMON, ōnis, m. 3. *vel*

URANICHNEUMŎNOS, i, m. 2. Vox est fortasse ex οὐρανός, cælum, vel potius οὐρά, cauda, et ἰχνεύμων, animalis genus, de quo *V.* in ICHNEUMON: hinc a similitudine appellata videtur herba arnoglossus. *Apul. Herb.* 1., ubi alii aliter leg., vel Græce et quidem divisim οὐρὰν ἰχνεύμονος legend. putant.

ŪRĂNOS, i, m. 2. οὐρανός, cælum, Latinis litteris usurpat *Chalcid. Tim.* 98. Cælum diverse et dicitur et accipitur: partim mundi superficies, quam uranon Græci appellant etc. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

ŪRĂNOSCŎPUS, i, m. 2. οὐρανοσκόπος, piscis idem qui callionymus, fel habens prægrande, quo cicatrices et excrescentes in oculo carunculæ persanantur: ita dictus ab oculis, quos in capite habet ita sitos, ut eis cælum intueri videatur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 37. 24. (69). *et ibid.* 11. 52. (146). *V.* CALLIONYMUS. Veneti *bocca in capo* vocant (*Uranoscopus scaber* Linn.)

URBĀCĬO. *V.* URBATIO.

URBĀNĀTIM, adverb. (urbanus) idem fere quod urbane, hoc est urbanorum more, sicut rusticatim rustice sive rusticorum more. *Pompon.* apud *Non. p.* 409. 2. et *p.* 166. 31. *Merc.* At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.

URBĀNĒ, adverb. (urbanus) Comp. *Urbanius* et Sup. *Urbanissime*. — Urbane est more eorum, qui urbes inhabitant; et translate ¶ 1. Est benigne, comiter, *cortesemente*. *Cic. Cœl.* 14. 33. Ex ipsa quæram, utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse ac leniter et urbane. *et ibid.* 15. 36. Sin autem urbanius me agere mavis etc. *Trebell. Gallien.* 14. Fuit ejusdem socius in appetendo imperio quidam Ceronius, qui eos et urbanissime et prudentissime adjuvit. ¶ 2. Est etiam eleganter, lepide, venuste, ἀστείως. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 39. Ut a patre audiebam facete et urbane Stoicos irridente. *Quintil.* 2. 11. 2. Nec sane potuit urbanius ex confessione inscitiæ suæ elabi. *Id.* 6. 1. *a med.* Discutere lacrimas, epilogi est proprium cum oratione continua, tum etiam quibusdam urbane dictis: quale est, Date puero panem, ne ploret. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. *ad fin.* Clodius furebat, a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum. *h. e.* salse et amare. *Manut.* et *alii* mallent *inurbane*. *Gell.* 15. 5. Urbanissime respondere. — *Urbane loqui* non semper est facete et cum risu loqui: nam etiam sermo serius *urbanitas* est ex sententia *Domitii Marsi* apud *Quintil.* 6. 3. *ad fin.* et ex iis, quæ in ea voce dicemus. Sed est etiam more eorum, qui in urbe vivunt, cultioribus verbis uti et a vulgari et plebeja consuetudine aliquantum remotis, *parlare civilmente*: et medium est inter sermonem proprium et translatum. *Cic. Brut.* 46. 171. Hoc sensu in hoc opere usi sumus, quum

*urbane* et *translate* verborum usum exposuimus. *V.* URBANITAS.

**URBĀNĬCĬĀNUS**, a, um, adject. (urbanicus) ad urbem sive urbanicos pertinens. *Cod. Theod.* 6. 27. 8. Tribunorum urbanicianorum petitio. *et ibid.* 11. 14. 1. Urbaniciani officiales. *Spartian. Get.* 6. Ventum est usque ad seditionem urbanicianorum militum. — Hinc

*Urbaniciani, orum,* m. plur. 2. absolute, qui in præsidio præfecti urbis Romæ collocati sunt. *Spartian. Caracall.* 4. Nudis pedibus ab urbanicianis raptus est. *Alii leg.* urbanicis.

**URBĀNĬCUS**, a, um, adject. (urbanus) ad urbem sive urbanos pertinens, urbanicianus. *Paul. Dig.* 4. 6. 35. Sed et in urbanicis (*al.* urbanicianis) militibus idem divus Pius constituit. *V.* voc. præced.

**URBĀNĬTAS**, ātis, f. 3. (urbanus) res urbanæ, vita urbana, *ἀστειότης, ἀστεισμός*: speciatim accipitur de urbe Roma.

I.) Proprie. *Cic.* 7. *Fam.* 6. Tu modo ineptias istas et desideria urbis et urbanitatis depone: et quo consilio profectus es, id assiduitate et virtute consequere. *et ibid.* 17. Mihi interdum (pace tua dixerim) levis in urbis urbanitatisque desiderio, interdum piger, interdum timidus videbare. *V.* SCRIBO.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad mores, et significat facilitatem et suavitatem morum, lenitatem, comitatem, humanitatem: quæ in iis, qui in urbe vivunt, reperiri solent, nam qui ruri, agrestes esse videntur, duri, asperi, ut qui cum hominibus minus vivere consueverunt. *Cic.* 3. *Fam.* 7. *a med.* Etiamne tu has ineptias? homo, mea sententia, summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu: addo urbanitate, quæ est virtus, ut Stoici rectissime putant. *Vopisc. Prob.* 16. Barbarorum vel per terrorem vel per urbanitatem loca ingressus est. Ita in quodam MS. apud *Salmas.* h. e. cum bona eorum gratia. Alii leg. *voluntatem.* — In plur. num. *Cic.* 16. *Fam.* 21. Deponendæ tibi sunt urbanitates: rusticus Romanus factus es. ¶ 2. Item ad sermonem et orationem, et significat leporem, elegantiam, cultum, munditiam, nitorem, venustatem, tum in verbis ipsis tum in voce et pronuntiatione. Horum enim, qui in urbe agunt, sonus et sermo multo cultior est et amœnior, quam eorum, qui in agro sunt: cui *rusticitas* opponitur. *Cic. Brut.* 46. 170. Tum Brutus, quid tu, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus? Quid censes, inquam, nisi idem quod urbanis, præter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? Et Brutus, qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam: tantum esse quemdam scio. Id tu, Brute; jam intelliges, quum in Galliam veneris: audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ sed hæc mutari dediscique possunt. Illud est majus, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam et resonat urbanius. nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. *Quintil.* 6. 3. *non longe ab init.* Urbanitate significari video sermonem præ se ferentem in verbis et sono et usu proprium quemdam gustum urbis et sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem: denique cui contraria sit rusticitas. *Id. ibid. sub fin.* Meo quidem judicio illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu neque verbis neque ore gestuve possit deprehendi, ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Græcos Atticis mos ille redolens Athenarum proprium saporem. *V.* vocem sequent. ¶ 3. Præcipue dicitur de salibus, jocis, festivitate et facetiis. *Cic. Cæl.* 3. 6. Contumelia si petulantius jactatur, convicium; si facetius, urbanitas nominatur. *Id.* 2. *Fin.* 31. *sub fin.* In hominum facetorum urbanitatem incurrere. *Id.* 7. *Fam.* 31. *sub fin.* Vides, exaruisse jam veterem urbanitatem. *et* 2. *ad Q. fr.* 10. *a med.* Ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis et humanissimi sermonis attingerem. Adde *Senec. Const. Sap.* 11. *sub fin., Plin.* 8. *Ep.* 6. et *Quintil.* 6. 3. *post init.* ¶ 4. Item de ludo, quo quis per jocum decipitur aut aliqua re fraudatur, *burla, inganno, furberia*; his enim sollertiores esse solent urbani homines, quam rustici. *Tac.* 2. *Hist.* 88. Incuriosos milites vernacula urbanitate quidam spoliavere.

**URBĀNOR**, āris, ari, dep. 1. (urbanus) civitatem vel rempubl. administro. *Gloss. Cyrill.* Πολιτεύομαι, urbanor.

**URBĀNUS**, a, um, adject. (urbs) Comp. *Urbanior* II. 1. et 5.; Sup. *Urbanissimus* II. 3. — Urbanus est ad urbem, speciatim Romam, pertinens, urbicus, πολιτικός, *ἀστεῖος* (It. *di città, cittadinesco*; Fr. *de ville, de la ville, urbain*; Hisp. de *ciudad, de la ciudad, urbano*; Germ. *städtisch, zu Stadt gehörig*; Angl. *of or pertaining to the city*): cui *rusticus* opponitur.

I.) Proprie. *Plaut. Trin.* 1. 2. 165. Urbani assidui cives, quos scurras vocant. *Id. Rud.* 4. 3. 85. Urbanæ leges. *Varro* 2. *R. R. præf.* 1. Nostri majores præponebant rusticos Romanos urbanis. *Id.* 3. *ibid.* 1. 1. Duæ hominum vitæ, rustica et urbana. *Ter. Adelph.* 1. 1. 17. Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium secutus sum: ille ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Urbanus prætor. *Sall. Cat.* 38. plebs. *et ibid.* 26. servitia. *Cic.* 1. *Orat.* 9. *ad fin.* tribus. *Liv.* 27. 3. *in fin.* exercitus. h. e. ex civibus in urbe degentibus. *Id.* 22. 11. Magna vis hominum conscripta Romæ erat: ex hoc urbano exercitu, qui minores quinque et triginta annis erant, in naves impositi, alii ut urbi præsiderent, relicti. *Plaut. Cas.* a. 1. v. 11. Quin ruri es in præfectura tua atque urbanis rebus te abstines? *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. Mihi casus urbanam in magistratibus administrationem reipublicæ, tibi provincialem dedit. *Tac.* 2. *Ann.* 44. Urbano luxu lasciviens. *Plin.* 3. *Ep.* 17. *in fin.* Justisne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? quem tu nimis urbanus es, nisi concupiscis. h. e. nimius amator urbis et vitæ urbanæ. *Paul. Dig.* 2. 14. 4. Urbanas habitationes locare. *Id. ibid.* 30. 1. 41. *circa med.* Ædes urbanæ atque rusticæ. *Papinian. ibid.* 31. 1. 67. Familia urbana aut rustica. h. e. quæ in urbe aut ruri servit. *Tac.* 1. *Ann.* 17. *extr.* Excubiæ urbanæ, — *Urbanæ legiones* ad tutelam urbis scribi ac deinde fere altero anno, interdum etiam eod., si ita res posceret, adversus hostem duci solebant (*Duk. Coll.* XXIII. 14. 25. 31. etc.). *Liv.* 26. 28. Cf. 40. 44. et *Tac.* 1. *Ann.* 15. Rursus *Liv.* 16. 44. 24. 11. et 27. 22. *Inscr.* apud *Gruter.* 568. 2. A. VETVRIO A. F. PATRI PETRONIAI A. F. TANNIAI MATRI TERENTIAI VXORI C. VETVRIVS A. F. LEG. V. VRB. TESTAMENTO FIERI IVSSIT. V. *Furlanetto Lap. del Mus. d'Este p.* 95. — *B. Borghesi ep.* ad *Furlanett.* 10. Dec. 1835. § 2. putat, urbanas legiones appellari, quæ, ut ait *Forcellinus*, ex civibus in urbe degentibus scribebantur. — JCti *urbana prædia* omnia ædificia accipiunt, non solum ea, quæ sunt in oppidis, sed et si forte stabula sunt vel alia meritoria in villis et vicis, vel si prætoria voluptati tantum deservientia, quia urbanum prædium non locus facit sed materia. Proinde hortos quoque, siqui sunt in ædificiis constituti, dicunt, urbanorum appellatione contineri. Quod si horti in reditu sint, vinearii forte vel etiam olitorii, in urbanis non habentur. Hæc ex *Ulp. Dig.* 50. 16. 198. Adde *ibid.* 8. *tit.* 1. 2. *et* 3., qui *de urbanorum et rusticor. prædior. servitutib.* inscribuntur. — Huc pertinere videntur illa *Caton. R. R.* 8. *in fin.* Fundum urbanum ita paret itaque conserat, uti quam sollertissimum habeat. *et Justin.* 31. 2. 3. Rus urbanum, quod propter litus maris habebat, contendit.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad animum et significat comem, facilem et in cujus factis aut dictis nihil odiosum acerbumve deprehenditur, ut in URBANITAS dictum est. *Cic.* 3. *Fam.* 8. *ante med.* Te hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari. Quod *Cic.* ait, *ut nunc loquimur*, significat, hoc sensu cœpisse suo tempore adhiberi. Nam alias et alio sensu ipse quoque sine illa interjectione usurpat. — Hinc metaphorice de arboribus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 19. 32. (78). Sunt arborum quædam omnino silvestres, quædam urbaniores, quas his placet nominibus distinguere. Hæ mites, quæ fructu atque aliqua dote umbrarumve officio humanius juvant, non improbe dicantur urbanæ. *Id.* 22. *ibid.* 22. 34. (76). Acanthos est topiaria et urbana herba. Cf. *Pallad. De Insit.* 12. Urbanum rusticitatis opus. ¶ 2. Item significat eum, qui est oris duri, perfrictæ frontis, cujusmodi sunt urbani præ rusticis. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 11. Frontis ad urbanæ descendi præmia. ¶ 3. Item jocantem, ridiculum, scurram, mordacem, irrisorem, *scherzevole, buffone, motteggiatore*: quod urbanorum, præsertim otiosorum, proprium est. *Id. ibid.* 15. 27. Mænius ut rebus maternis atque paternis Fortiter absumptis urbanus cœpit haberi. h. e. scurram agere, ut ditiorum cenas captaret. *Plin.* 6. *Ep.* 6. Urbanos, qui illa censuerunt, putem? an miseros? Dicerem urbanos, si senatum deceret urbanitas. *Id*, 4. *Ep.* 25. Qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat? qui denique omnino in senatu dicax et urbanus et bellus est. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 14. 6. ¶ 4. Item est festivus, lepidum, amœnus. *Cic. Dom.* 34. 92. Et homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum, me dicere solere, esse me Jovem eumdemque dictitare, Minervam esse sororem meam. *Id. Cæl.* 15. 36. Qui est in isto genere urbanissimus. *Colum.* 8. *R. R.* 16. Circumfertur Marcii Philippi velut urbanissimum, quod erat luxuriosissimum, factum atque dictum. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 4. 90. et descriptionem urbani hominis, quam *Domitius Marsus* dabat his verbis (apud *Quintil.* 6. 3. *sub fin.*): Urbanus homo erit, cujus multa bene dicta responsaque erunt: et qui in sermonibus circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet. *gioviale, piacevole, giocondo, festevole.* ¶ 5. Item refertur ad sermonem et est gratus, venustus, jucundus. *Quintil.* 11. 3. 30. Pronuntiatio vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum: id est in quo nulla neque rusticitas neque peregrinitas resonet. — *Sermo* aut *oratio urbana* est, quæ selectis et cultis verbis et amœnis, ut ita dicam, venustisque constat, ipsoque sono et usu præ se fert proprium quemdam urbis colorem ac gustum; his enim carere solent, qui ruri agunt vel peregrini sunt. *V.* URBANE. *Tac. Dial. de orat.* 18. Catoni seni comparatus C. Gracchus, plenior et uberior: Graccho politior et ornatior Cœlius: utroque distinctior et urbanior et altior Cicero. Adde *Quintil.* 2. 8. 4. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Urbani, orum,* m plur. 2. absolute, urbis incolæ. *Plaut. Merc.* 4. 3. 15. Urbani fiunt rustici. *Cic. Orat.* 24. 81. Sermo omnis non modo urbanorum sed etiam rusticorum. Adde 2. *Fin.* 23. 77. Cf. *Liv.* 5. 20. Non avidas in direptiones manus otiosorum urbanorum prærepturas fortium bellatorum præmia esse.

**URBĀTĬO** *et* urbacio, ōnis, f. 3. (urbo) actus urbandi. *Gloss. Cyrill.* Περιχάραξις, circumductio, urbacio.

**URBĬCĂPUS**, i, m. 2. (urbs et capio) qui urbes capit, πτολίπορθος, πολιορκητής. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 64. Urbicape, occisor regum. Adde *Coripp.* 1. *Joann.* 100.

**URBĬCĀRĬUS**, a, um, adject. (urbicus) urbanus, urbicus. *Urbicariæ regiones* dictæ sunt urbi Romæ circumjacentes, ut Tusciæ et Piceni, pars Romæ propior: quæ et *suburbicariæ* appellantur. Aliter vero statuit *Jos. Morisanus* in *Inscript. Regin.* p. 379.-385., nimirum ex XVII. provinciis, in quas divisa erat Italia, decem *urbicarias* fuisse appellatas, quia vicario Urbis subdebantur: alias septem *Italicas*, quia sub vicario Italiæ essent: atque adeo quattuor ex urbicariis dictas esse suburbicarias, quia sub Urbe erant et in illium appellationibus ad præfectum Urbi provocabant. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 11. 28. 14. Quod de annonariis functionibus per urbicarias regiones clementia nostra concessit. *V.* ANNONARIUS. Adi *Salmas.* ad *Trebell.* in XXX.

Tyrann. 24., ubi hac de re multa. Fulgent. 2. Mythol. 17. Beatinius (lege Vatinius) augur dicere solitus erat, diversarum urbium honores somnialiter (lege similiter) peragi urbicario mimologo. V. URBICUS.

**URBĬCRĔMUS**, a, um, adject. (urbs et cremo) urbes cremans. Prudent. Hamartig. 729. de Sodomæ incendio. Nubibus urbicremis se subducere.

**URBĬCUS**, a, um, adject. (urbs) ad urbem, speciatim Romam (V. URBS), pertinens, cittadinesco, di Roma: sic rusticus, qui ad rus pertinet. Porro urbicus sensu physico magis, quam morali, de urbe usurpatur; urbanus promiscue. ¶ 1. Universim. Sueton. Cæs. 49. Urbici negotiatores. Id. Aug. 18. annona. et ibid. 46. magistratus. Id. Ner. 23. res. Martial. 1. 54. Tyrianthina. Gell. 15. 1. Venum hercle dedissem res rusticas et urbicas emissem. Lamprid. Elagab. 20. Præfectus urbicus. h. e. Urbis. Pallad. 2. R. R. 18. In vini sextariis urbicis decem. h. e. mensura urbis Romæ. Ulp. Dig. 43. 8. 1. ante med. Viæ urbicæ. Inscr. apud Marin. Frat. Arv. p. 532. et apud Schiass. Guida al Mus. Bol. p. 45. IN PRAEDIIS C. LEGIANNII VER.... BALINEVM MORE VRBICO LAVAT (et) OMNIA COMMODA PRAESTANTVR. Alia ibid. IN... s PRAEDIIS AVRELIAE FAVSTINIANAE BALINEVS LAVAT MORE VRBICO ET OMNIS HVMANITAS PRAESTATVR. ¶ 2. Ratio vel procuratio urbica, officium rationalis vel procuratoris rerum privatarum alicujus, in primis Augustorum, per urbem. Ulp. Dig. 4. 4. 11. § 2. Beneficio principis urbicam procurationem erat adeptus. Adde Inscr. apud Henzen Suppl. Orelli n. 6527. et aliam in Annali dell'Istit. archeol. a. 1870. p. 174. n. 12. ¶ 3. Urbicus pro Romano dicitur Augustin. Ep. 36. n. 3. et Optat. De schism. Donatist. 2. 9. ¶ 4. In illo Juvenal. 6. 71. Urbicus exodio risum movet Atellanæ: Urbicus aliis est nomen poetæ proprium, ut et apud Martial. 1. 42. et alibi: aliis vero scurra mimarius, urbicarius mimologus.

II.) Translate est bellus, elegans, venustus. Schol. in Juvenal. 9. 11. Facetiis urbicis abundans. Cf. Juvenal. 6. 71. supra adl. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

**URBĬGĔNA**, æ, adject. comm. gen. (urbs et gigno) qui in urbe est genitus. Inscr. apud Gruter. 976. 5. FVLONIAE P. L. L. QVINTIO P. L. THIASO VRBIGENAE VERNACLAE.

**URBO**. V. URVO.

**URBS**, urbis, f. 3. — a) Utrum scribendum sit per b, an per p in recto casu, disputant Grammatici. Papirian. apud Cassiod. Orth. 4. Urps per p debet scribi, licet Varro per b scribendum putet, quod in reliquis casibus b habeat. V. integrum loc. Ceterum usus contra est. Cf. Fleckeis. ad Plaut. Amph. prol. 97. — b) Urbei in dat. sing. Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 1. 206. 4. — Item urbis (Müll. urbeis) in recto plur. apud Varron. 5. L. L. 143. Sp. et Virg. 10. Æn. 253. Ribb.; et in acc. apud Lucret. 2. 624. et 5. 340. et alibi. — c) De notatione nominis hæc Varro loc. cit. Oppida condebant in Latio Etrusco ritu, ut multa, id est junctis bobus, tauro et vacca interiore aratro circum agebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa et muro essent muniti. Terram, unde exculpserant, fossam vocabant et introrsum jactam murum. Post ea qui fiebat orbis, urbis principium. Ubi videtur Varro ab orbe urbem ducere, quod confirmat Serv. ad Virg. 1. Æn. 16. Urbs dicitur ab orbe, quod antiquæ civitates in orbem fiebant. Porro id. ibid. addit urbem ab urvo dici, parte aratri, quo muri designabantur. Hinc et Pompon. Dig. 50. 16. 239. Urbs ab urbo appellata est. urbare est aratro definire. et Varro ait, urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet. Ita in edit. Torrentini: alii hab. urvare et urvum, quod idem est, quia b et v sæpe commutantur. Ceterum non tam quærendum, num sit urbs ab orbis vel ab urvus, quam quænam sit communis horum radix, quibus una subsit notio; sed hæc latet. In statuendo autem urbis etymo etiam recentiores dissentiunt; alii enim afferunt rad. Skr. vardh, crescere, erigere, munire; alii var, scindere, definire; alii alias. Cf. Ascoli et Vanicek. — Quidquid sit de etymo, urbs est oppidum muro cinctum, πόλις (It. città; Fr. ville; Hisp. ciudad; Germ. die Stadt; Angl. a city).

I.) Proprie. ¶ 1 Generatim. Cic. 1. Rep. 26. 41. et Non. p. 429. 9. Merc. Quam quum locis manuque sæpsissent, ejusmodi conjunctionem tectorum oppidum vel urbem appellaverunt, delubris distinctam spatiisque communibus. Adde Sext. 42. a med. Virg. 5. Æn. 755. Interea Æneas urbem designat aratro Sortitusque domos etc. Ubi Servius: Quem Cato in Originibus dicit morem fuisse. Conditores enim taurum in dextram, vaccam intrinsecus jungebant: et incincti cinctu Gabino, id est togæ parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam, ut glæbæ omnes intrinsecus caderent: et ita, sulco ducto, loca murorum designabant aratrum suspendentes circa loca portarum. Hæc Servius. Adde Isid. 15. Orig. 2., Enn. apud Non. p. 471. 10. Merc. Inter se sortiunt urbem atque agros. Id. apud Cic. 1. Rep. 2. 3. Urbes magnæ atque imperiosæ. Cic. 4. Phil. 2. 6. Milites Albæ constiterunt, in urbe opportuna, munita, propinqua. Cæs. 3. B. C. 55. Urbem expugnare. Cic. Amic. 3. 11. evertere. Cæs. 2. B. C. 12. delere. Curt. 3. 10. 7. diruere. Ovid. 1. Amor. 8. 42. Urbs Æneæ. h. e. Roma. Id. Heroid. 14. 28. Junonis. h. e. Argi. Liv. 1. 25. Veji. Id. 31. 27. Antipatria. Id. 44. 7. Agassa. Flor. 1. 13. (et Quintil. 1. 6. 12.) Romana urbs. Id. 2. 6. Urbs urbium. h. e. urbs caput. Inscr. apud Orelli n. 2276. In urbe Lavinio. — Etiam cum nomine urbis in genetivo, sed rarius. Virg. 1. Æn. 247. Urbs Patavi. Id. 3. ibid. 293. Buthroti. — Urbs æterna absolute dicta est Roma. Symmach. 2. Ep. 12. et Cod. Theod. 11. 30. 61. — Urbs sacra eadem nuncupata in Inscr. apud Henzen Suppl. Orell. n. 6519. — Urbs domina apud Calpurn. Ecl. 4. 161. Cf. Horat. 4. Od. 14. 44. et Martial. 3. 1. — Urbe, in urbe, ablativus absolutus. Auct. argum. Truc. Plautini. Rure unus, urbe unus, peregre tertius. — Ut condendis, ita et evertendis urbibus aratrum adhibebant, ut eodem ritu subverterentur, quo conditæ fuerant, uti docet Serv. ad illud Virg. 4. Æn. 212. cui litus arandum. Horat. 1. Od. 16. 20. imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens. Modestin. Dig. 7. 4. 21. Si ususfructus civitati legetur et aratrum in ea ducatur, ut passa est Carthago, civitas esse desinit. Adde Propert. 3. 7. 41. ¶ 2. Speciatim per antonomasiam urbs dicitur de Roma, ut ἄστυ de Athenis et πόλις de Alexandria. Quintil. 6. 3. ad fin. Urbis appellationem, etiamsi nomen proprium non adjiceretur, Romam tamen accipi, est receptum. Id. 8. 2. ante med. Urbem, Romam accipimus; et venales, novitios; et Corinthia, æra. (Adde ibid. 5.) Cæs. 1. B. G. 7. Maturat ab urbe proficisci. Cic. 13. Att. 20. De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexit. Horat. Epod. 9. 9. Minatus urbi vincula. Ovid. 1. Fast. 27. conditor urbis. h. e. Romulus. Sueton. Oth. 1. Urbe oppidove ullo. Adde Livium passim. — Ad urbem esse dicebantur, qui post administrationem provinciæ, et res bene gestas, prope Romam cum lictoribus et fascibus laureatis stabant triumphum petentes vel senatum exspectantes, ad quem de rebus a se gestis referrent: item qui post acceptum imperium nondum in provincias profecti essent. Neque enim licebat cuiquam in Urbe esse cum imperio et insignibus præter consules, prætores, ædiles et alios, quorum magistratus in urbe exercebantur, nisi id populus jussisset. Si urbem ingressus esset, statim et spem triumphi amittebat et imperium deponebat. Sall. Cat. 31. Hi utrique ad urbem imperatores erant impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum. Cic. 2. Verr. 15. a med. Pompejus quum primum contionem ad urbem consul designatus habuit. Ubi Ascon. Ad urbem, non in urbe. Et sic dici solet de iis, qui cum potestate provinciali aut nuper de provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent. Cic. 4. Verr. 6. a med. Simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romæ et ad urbem, ante quam proficisceretur, quærere ipse secum etc. Ubi Ascon. Omnis magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiamsi administrator ejus Romæ est, ad urbem dicitur. Adde Cæs. 6. B. G. 1. — Dicitur etiam de aliis. Cic. Cluent. 62. ad fin. Oppianicus quum huc ad urbem profectus esset (solebat enim extra portam aliquid habere conducti) cecidisse ex equo dicitur. et mox. Posteaquam ad urbem cum febri venerit. — Urbs (Roma) est aliud ab Roma tantum. Paul. Dig. 33. 9. 4. Si ita legetur: Penus quæ Romæ sit, utrum, quæ est intra continentia (ædificia), legata videtur, an vero ea sola, quæ est intra murum? et quidem urbes fere omnes muro tenus finiri, Romam continentibus et urbem Romam æque continentibus. et ibid. 50. 16. 2. et 87. et 147. Urbis adpellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis. Ad rem Petrus Crinitus De hon. discipl. 4. 9. Nostri Jureconsulti inter Urbem et Romam differentiam haud inelegantem ponunt, ut Urbem videlicet locum dumtaxat intra mœnia intelligamus, Romam vero et ipsa etiam suburbia quæque juxta urbem circumvisantur. — Ceterum, generatim, veteres urbem etiam latiore sensu usurparunt de agris urbium. Liv. 24. 3. In urbe nobili templum ipsa urbe erat nobilius Laciniæ Junonis. Cf. Madvig ad h. l. in Emend. Liv. p. 333. At Drakenborch aliter leg. ¶ 3. Falsum est, solam Romam Latine urbem dici, ceteras oppida. hoc enim quidam ex Quintil. (cujus verba nondum vidimus) affirmarunt. Cic. 2. leg. Agr. 16. 40. Mitylenæ, urbs et natura et situ in primis nobilis. et ibid. 28. 76. Capua, urbs amplissima atque ornatissima. Id. 1. Phil. 3. 7. Syracusæ, urbs mihi conjunctissima. Cæs. 7. B. G. 15. Urbs (Corfinium). Id. 3. B. C. 32. Non solum urbibus, sed pæne vicis castellisque singulis. Sall. Cat. 2. Athenienses in Asia cepere urbes atque nationes subegere. Adde Horat., Justin., Plin. etc. ¶ 4. Aliquando urbs est metropolis. Ulp. Dig. 39. 2. 4. sub fin. Si tam vicinum urbi municipium sit, ut etc. Impp. Valentinian., Theodos. et Arcad. Cod. Theod. 14. 1. 3. Decuriales quos binos esse et singulis quibusque urbibus omnium provinciarum, veneranda decrevit antiquitas. Cf. Flor. 2. 6. supra cit. ¶ 5. Interdum etiam arx. Curt. 3. 1. 8. Ceterum ut circumsideri arcem viderunt, sexaginta dierum inducias pacti, ut nisi etc. dederent urbem.

II.) Translate. ¶ 1. Aliquando per metonymiam continentis pro contento, urbs adhibetur pro civitate. Virg. 2. Æn. 265. Urbs somno vinoque sepulta. Juvenal. 11. 197. mœstam attonitamque videres Hanc urbem. Quintil. 1. proœm. Regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis. Id. 8. 6. ante med. Bene moratæ urbes. ¶ 2. Metaphorice. Cic. 2. Divinat. 16. 37. Urbem philosophiæ, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. ¶ 3. Nescire in urbem pergere, notissima ignorare, proverb. apud Vulg. interpr. Eccle. 10. 15. Alii aliter interpretantur.

Homonym. Quomodo differat urbs a civitate, V. sub CIVITAS. — Item discrimen inter urbem et oppidum ita statuunt, ut urbium nomine eæ veniant, quæ sunt majores et ampliores; oppida vero sint minora et obscuriora. V. adnot. ad Pomp. p. 113. ed. Vall. Ceterum auctores vix hoc discrimen servant. V. OPPIDUM. — Item quo different Urbs et Roma, V. supra.

**URBUS**. V. URVUS.

**URCĀTIM**, adverb. (urceus) plenis urceis. Petron. fragm. Tragur. 44. Burmann. Jovem aquam exorabant. itaque statim urceatim pluebat. h. e. pioveva a secchie o a catinelle, ut nunc Itali dicunt.

**URCĔOLA**, æ, f. 1. deminut. ab urceus, cavitas exterior aurium ob urceoli similitudinem. Pelagon. Veterin. 12. circa med. Si non profecerit, radicem consiliginis in auriculæ urceolas extremas et in prima parte narium ponis. In MS. legitur orciolas.

**URCĔŌLĀRIS**, e, adject. (urceolus) ad urceo-

los pertinens. Hinc *urceolaris* appellatur herba, quæ et parietaria et perdicium et parthenium et vitraria: nomen habet ex eo, quod urceolis vitreis detergendis aptissima est: Itali *vetriuola* et *parietaria* dicunt. (*Parietaria officinalis* Linn.) *Plin.* 22. *Hist. nat.* 17. 20. (44). Perdicium sive parthenium a nostris herba urceolaris vocatur, ab aliis astericum, folio similis ocimo, nigrior tantum, nascens in tegulis parietinisque. Adde *Pelagon. Veterin.* 2. *a med.* et 24. *ante med.*, ubi alii *urciolaria*, alii vero *orciolaria* leg., *Apul. Herb.* 81., *Marcell. Empir. c.* 36. p. 137. *retro*, *Scribon. Compos.* 39., coll. *Rhodii* in eum loc. adnot., et *Veget.* 2. *Veter.* 6. 2. et 4. et 5. *ibid.* 11. 2.

URCĔŎLĀRĬUS (urciolarius), a, um, adject. (urceolus) idem quod urceolaris. *Apul. Herb.* 81. et *Pelagon. loc. cit.* in voc. præced.

URCĔŎLUS, i, m. 2. (*deminut. ab* urceus) In *Gloss. Labb.* leg. *urciolus*, *orciolus* et etiam *orciolum* neutr. gen. Cf. voc. seq. — Urceolus est parvus urceus, *orciolo, urciolo*, κεράμιον. *Colum.* 12. *R. R.* 16. *a med.* Eodem tempore sorba manu lecta curiose in urceolos picatos adjicito. *Juvenal.* 3. 203. Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex, Ornamentum abaci, necnon et parvulus infra Cantharus etc. *Martial.* 14. 105. *in lemmate.* Urceoli ministratorii. *h. e.* caldæ miscendæ. Distichon est: Frigida non desit, non deerit calda petenti; Sed tu morosa ludere parce siti.

URCĔUM (orcium), n. 2. *V.* voc. seq.

URCĔUS (orceus *vel* orcius), i, m. 2. *Urceum* neutro genere apud *Caton. R. R.* 13. Urceum aheneum unum, quod capiat quadrantalia quinque. At suspectus *Gesnero* et *Schneidero* est hic locus, præsertim ob magnitudinem: quare *Schneiderus* edidit *Urceum, aheneum* etc. Verum confirmatur genus in *Gloss. Gr. Lat.* Κεράμιον, orcium, amphora. — Ad etymon quod attinet, conferenda vox est cum ὕρχη, hyrca seu orca, quod est vasis fictilis genus, de quo in ORCA dictum est. — Urceus est itaque vas ansatum plerumque fictile, ad varios usus et præcipue ad ministrandam aquam, κέραμος, κρωσσός (It. *secchiello, boccale, orcio*; Fr. *cruche, bocal*; Hisp. *cantaro, alcuza*; Germ. *der Krug*; Angl. *a pitcher*). *Paul. Dig.* 33. 7. 18. Si aheneum (quod supra focum pendet, et aqua ad potandum calefit) instrumento continetur, urcei quoque, quibus aqua in aheneum funditur, in idem genus rediguntur. *Plin.* 19. *Hist nat.* 5. 24. (71). Nuper cucurbitæ in balinearum usum venere urceorum vice. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ante med.* Urcei, quibus progeritur oleum. *Martial.* 14. 106., cujus lemma *Urceus fictilis.* Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa. Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam. *Id.* 11. 56. fracta urceus ansa. *Cn. Matius* apud *Gell.* 10. 24. *extr.* Aquarium urceum unicum domi fregit. *Martial.* 12. 32. Fuisse gerres aut inutiles mænas, Odor impudicus urcei fatebatur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (307). Sunt qui urceis cinere substratis et illitis, acetum habentibus leguminum acervos superingerant: ita non nasci maleficia credentes. *Id.* 19. *ibid.* 8. 39. (129). Thyrsos vel folia lactucarum prorogare urceis conditos. — Proverbii genus est illud *Horat. Art. P.* 21. amphora cœpit Institui: currente rota, cur urceus exit?

URCĬŎLUM et

URCĬŎLUS. *V.* URCEOLUS.

URCO, as, are, n. 1. verbum per onomatopœiam fictum, quo lyncis vox significatur. *Anthol. Lat.* 762. 51. *Ries.* Dum lynces urcando fremunt. Alii leg. *hyrco* vel *hirco.* Adde *Sueton. fragm.* 161. p. 248. ed. *Reiff.*

ŪRĒDO, inis, f. 3. (uro) ¶ 1. Est morbus herbarum, fruticum arborumque, qui in vitibus etiam carbunculus dicitur et in ceteris rubigo, sata, plantas arboresque adurens, καυθμός. *Cic.* 3. *Nat. D.* 35. *sub fin.* Nec, si uredo aut grando quippiam nocuit, id Jovi animadvertendum fuit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (275). Plerique dixere, rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse et carbunculi vitibus. Quod ex parte falsum arbitror omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 20. ¶ 2. Est etiam exustio cum pruritu, qualis ab urtica tam herba quam pisce excitatur, *ardore, bruciore, cociore*, κνίδωσις. — *a*) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 68. (147). Dum admoveri sibi manum sentit, colorem mutat et contrahitur: tacta uredinem mittit. — *b*) Translate est pruritus turpis, κνισμός, urigo. *Apul.* 8. *Met.* Nudatum supinatumque juvenem exsecrandis uredinibus flagitabant. *Alii rectius leg.* oribus.

ŪRENS, entis, particip. *V.* URO.

ŪRĒTHRA, æ, f. 1. οὐρήθρα, urinæ meatus, mictualis via, *uretra.* *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. 66. In vesicæ collo vel in prima ejus parte, quam Græci urethram vocant. Adde *ibid.* 10. 91.

ŪRĒTĬCUS, a, um, adject. οὐρητικός, ad urinam pertinens. *Theod. Priscian.* 4. 2. *circa med.* Sic itaque urina a cibo jam cocta atque in sanguineum colorem vel lactaneum mutata secernitur, effluens ad inferiorem locum in corpore, ad id prædispositam vesicam, per ureticos poros suscipiens in se urinam viridis coloris. *Editiones* hic perperam habent *uritidos*, nempe *e* ex vulgi pronuntiatione in *i* conversa, et *t* in *d* amanuensis oscitantiâ mutata. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. 55. Viæ urinales, quas Græci ureticos poros appellant.

URGENS *et* urguens, entis, particip. *V.* URGEO.

URGENTER *et* urguenter, adverb. (urgens) Comp. *Urgentius.* — Urgenter est instanter, *urgentemente.* *Cyprian. Ep.* 30. *sub init.* Ut tam urgenter et tam immaturo atque acerbo tempore, in tam ingenti et immenso crimine, pacem sibi non tam peterent quam vindicarent. Adde *Augustin. contra litt. Petil.* 3. 32. § 37. *extr.* *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. 46. Urgentius obtinere necesse est. *et ibid.* 11. 138. Quo urgentius initia repetantur.

URGENTĬA *et* urguentia, æ, f. 1. (urgeo) actus urgendi. *Jul. Val. Alex. ort.* 1. 20. Nam ut ipsi bellorum urguentiam subire cogamini. Ita leg. *Quicherat*; sed in edit. *Paris. n.* 25. *extr.* legitur *bellorum urgentia*, absolute in plur. neutr., ab *urgens, entis.*

URGĔO (*et* urgueo), urges, ursi, urgere, a. 2. — *a*) *Urgeo* et *urgueo* promiscue leguntur in MSS. (ut *tingo* et *tinguo*, *ungo* et *unguo*) et posteriore ætate frequentius. *Vel.* quidem *Longus* in *Orthogr.* p. 2223. *Putsch.* illud *u* insertum, ut vitiosum, damnat: quem secuntur *Papirian.*, *Cassiodor.*, *Beda*, *Dausquius.* At recentiores critici, *Pier.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 202., *Barthius*, *Heins.*, *Cortius*, *Drakenborch.* ad *Sil. It.* et *Liv.*, *Oudendorp.* ad *Lucan.*, alii improbare non audent: quin si multitudinem MSS. spectemus, in quibus *urgueo* est, præferendum putant. Neutram scriptionem damnaverim, inquit *Forcellinus.* — *b*) Etiam *urgo, is,* videtur in usu fuisse, ut apud *Commodian.* 2. *Instr.* 34. 8.; ubi tamen *sagunt* pro *urgunt* leg. *Dombart.* Cf. *fulgo, splendo* etc. — *c*) Præter. perf. *ursi*, etsi minus frequenter, adhibitum est. V. *Asin. Poll. ep.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 32., *Lucret.* 2. 197., *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. 1., *Claud. Quadrig. ann.* 4. *fr.* 51. (*Non.* p. 418. 2. *M.*), *Apul.* 10. *Met.* et *Ulp. Dig.* 23. 3. 33. — De supino disputat *Hildebr.* ad *Apul.* 5. *Met.* 6. — *d*) Ratione habita etymi, *Forcellino* videtur esse ab ἔργον, opus, ut proprie sit impellere ad agendum. Alii ducunt ab ὀργάω, vehementer appeto. Verum recentiores conjungunt cum rad. Skr. *varg*, volvo, premo et etiam arceo, excludo; unde Gr. εἴργω, prohibeo, coerceo. — Part. *Urgens* II. 2. et in fin.; *Urgendus* II. 3. — Urgeo est premo, impello, propello, ἐπείγω (It. *premere, pressare, spingere, essere addosso, urtare*; Fr. *presser, pousser, faire avancer*; Hisp. *pujar, apretar, estrechar, acosar*; Germ. *drängen, treiben, stossen*; Angl. *to press upon, urge, drive*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 35. At onus urget. MIL. at tu appone. *Virg.* 10. *Æn.* 433. hinc Pallas instat et urguet, Hinc contra Lausus. *Id.* 2. *G.* 351. Qui saxo super atque ingentis pondere testæ Urguerent. *h. e.* tegerent. *Propert.* 2. 20. 35. sævus licet urgeat Eurus. — *b*) Cum Acc. *Virg.* 12. *Æn.* 748. trepidique pedem pede fervidus urguet. *Ovid.* 15. *Met.* 181. unda impellitur unda Urgueturque prior veniente urguetque priorem. *Sall. Jug.* 60. *in fin.* Milites Jugurthini, postquam majore vi hostes urgent, paucis amissis, profugi discedunt. *Cæs.* 2. *B. G.* 26. Urgeri ab hoste. *Val. Flacc.* 1. 490. Venator quum lustra fugit dominoque timentem Urguet equum. *et* 4. 325. at manus omnis Heroum densis certatim amplexibus urguent (*victorem*). et *Horat.* 1. *Sat.* 3. 135. Urgueris turba circum te stante. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Urgere vocem ultra vires. *Seneca Hippol.* 25. qua curvati litora ponti Sunion urget. *Id. Œdip.* 542. Medio stat ingens arbor atque umbra gravi Silvas minores urget. *Ovid.* 4. *Met.* 35. famulasque laboribus urguent. *Tibull.* 1. 4. 53. At tibi *etc.* infelix urgeat ossa lapis. *Gell.* 3. 6. Graviter urgere et onerare aliquid, ut magnitudo oneris sustineri non queat. — *c*) Cum addito Acc. et præp. *in*, *ad. Enn. Ann.* 599. *Vahl.* Qua murum fieri voluit, urgentur in unum. (Cf. *Non.* p. 418. 4. *M.*) *Ovid. Heroid.* 6. 91. simulacraque cerea figit: Et miserum tenues in jecur urget acus. *Auct. B. Afr.* 6. Accidit res incredibilis, ut equites minus triginta equitum duo millia loco pellerent urgerentque in oppidum. *Alii leg.* fugarent. *Virg.* 3. *G.* 222. *de pugna tauror.* Versaque in obnixos urguentur cornua vasto Cum gemitu. *Avien. Perieg.* 759. Inque Lycaonias cymbam procul urgeat arctos. *Stat.* 3. *Theb.* 222. Mars ætherias currus urgebat ad arces.

II.) Translate. ¶ 1. *Urgere* dicuntur, quæ gravia sunt et opprimunt. — *a*) Cum Acc. *Sall. Jug.* 39. Jugurtham ob scelera invidia cum metu urget. *et ibid.* 45. Populus militia atque inopia urgebatur. *et ibid.* 26. Urgeri ferro ac fame. *Virg.* 6. *Æn.* 561. pœnis. *et* 11. *ibid.* 587. fatis acerbis. *Horat. Art. P.* 453. Ut mala quem scabies aut morbus regius urguet Aut fanaticus error et iracunda Diana. *Virg.* 12. *Æn.* 309. Olli dura quies oculos et ferreus urguet Somnus. *Id.* 3. *G.* 523. oculos stupor urguet inertes. *Seneca Octav.* 257. Gravi deorum nostra jampridem domus urgetur ira. *Petron. Sat.* 104. prostrata sopore Urget membra quies. — *b*) Cum Genetivo. *Tac.* 6. *Ann.* 29. Urgeri male administratæ provinciæ aliorumque criminum. — *c*) Absolute. *Propert.* 3. 23. 31. Urget gravis ætas. *Cels.* 7. 26. *sub fin.* Magnæ febres urgent. ¶ 2. Item quæ vicina sunt aut imminentia: cum acc. aut absolute. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. *sub fin.* Ne in Janiculo coloniam constituatis, ne urbem hanc urbe alia premere atque urgere possitis. *Virg.* 11. *Æn.* 523. (et 7. *ibid.* 566.) vallis, quam densis frondibus atrum Urguet utrumque latus. *Id.* 4. *G.* 290. Quaque pharetratæ vicinia Persidis urguet. *Cic.* 1. *Tusc.* 43. 103. Quum jam moriendi tempus urgeret. *Aquil. De fig. sent.* 1. Pro angustiis temporis, quod me profecto urget. *Horat. Epod.* 17. 25. urget diem nox et dies noctem. *Cic. Senect.* 1. 2. Aut jam urgens aut certe adventans senectus. *Lactant.* 4. 15. Urgente jam vespere profecti. ¶ 3. *Urgere opus*, instare, totis viribus in opus incumbere. *Tibull.* 1. 10. 8. Et durum terræ rusticus urget opus. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 27. Urgues jampridem non tacta ligonibus arva. *Virg.* 9. *Æn.* 488. vestem tibi noctes festina diesque Urgebam. *Val. Flacc.* 3. 332. innumeras nudatis montibus urguent Certatim decorantque pyras. Cf. *Anecd. Helv.* p. 56. 12. *Hag.* Cœptus urguendus. ¶ 4. *Urgere iter*, instare ambulando, accelerare, festinare. *Ovid.* 6. *Fast.* 520. Audit et ad vocem concitus urguet iter. *Sil. It.* 12. 419. transfigit anhelum Pectus et ad manes urguet vestigia nati. — Cum infinito. *Horat.* 2. *Od.* 18. 20. Marisque Bajis obstrepentis urgues Submovere litora. ¶ 5. Est etiam impellere, cogere. *Varro* 9. *L. L.* 18. *Müll.* Mala quoque exempla, quum aliqua vis urget, inviti sequamur. *Plaut. Men.* 2. 2. 47. Quod te urget scelus, qui huic sis molestus? ¶ 6. Figurate est instare, valde hortari, acriter insi-

stere. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 32. *a med.* Lepidus ursit me et suis et Antonii litteris, ut legionem tricesimam mitterem sibi. *Cic. Planc.* 19. *ad fin.* Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco atque adeo flagito crimen. *Virg.* 4. *G.* 177. Cecropias innatus apes amor urget habendi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. *sub fin.* Verno inserentes tempus urget, incitantibus se gemmis. *dà prescia,* festinare cogit. — Cum addito Acc. et præp. *ad. Ulp. Dig.* 23. 3. 33. Urgere aliquem ad solutionem. — Absolute. *Cic.* 13. *Att.* 32. Quamobrem, ut facis, urge, insta, perfice. *Virg.* 9. *Æn.* 73. Tum vero incumbunt: urguet præsentia Turni. *Id.* 7. *ibid.* 241. jussisque ingentibus urguet Apollo. Rursus *Cic.* 15. *Att.* 27. *ad fin.* Plane illuc te ire, nisi tuo magno commodo, nolo. nihil enim urget. *non c' è premura. Apul.* 10. *Met.* Quibus verbis accusator urserit. ¶ 7. Item acriter disputare ac defendere aliquid, dicendo invehi, accusare: occurrit autem absolute aut cum acc. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 42. Agerent tecum lege Pythagorei *etc.* urgerent philosophorum greges *etc.* instaret Academia *etc.* Stoici disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. *Id. Orat.* 40. 137. Urgere interrogando. *Id.* 4. *Fin.* 28. 77. Urgent tamen et nihil remittunt. quoniam, inquiunt *etc. Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. 1. Feci summa cum lenitate, quæ feci: illum neque ursi neque levavi. testis vehemens fui, præterea quievi. *Id.* 2. *Divinat.* 20. 45. Sed urges me meis versibus. *Id.* 3. *Off.* 9. *ad fin.* Urgent rustice sane. negant enim posse et in eo perstant. *Id. Ligar.* 3. *extr.* Quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo, commoveri videtur adulescens. — Cum infinito. *Id.* 5. *Fin.* 27. 80. Nunc pugnem cum homine cur *etc.* illud urgeam, non intelligere eum, quid sibi dicendum sit. *Tertull. Anim.* 26. Rursus urgemur etiam de ipsorum somniorum retractatu, quibus anima jactetur, exprimere. ¶ 8. *Urgere aliquid,* alicui rei acriter incumbere, perstare in re quapiam agenda. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 97. An quidquam tam puerile dici potest (ut eumdem locum diutius urgeam), quam si etc.? *Id.* 7. *Fam.* 8. Quid tu urges istam occasionem et facultatem, qua melior numquam reperietur? *Id.* 3. *Off.* 16. 67. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius: jus Crassus urgebat, æquitatem Antonius. *inculcava, si tenea forte sul gius.* et *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 5. *sub fin.* Marcellus, idem illud de provinciis urget. *Cic.* 9. *ibid.* 15. *a med.* Romæ quum sum et urgeo forum, senatusconsulta scribuntur etc. *h. e.* in foro sum frequens. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 6. Pars hominum vitiis gaudet constanter et urget Propositum. *h. e.* in proposito persistit. ¶ 9. Item augere, cumulare. *Claudian.* 1. *Stilich.* 2. Continuant Superi - Gaudia successusque novis successibus urgent. Alii leg. *augent;* sed cf. *eumd.* 4. *cons. Honor.* 490. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

*Urgens, entis,* etiam adjective usurpatur; unde Comp. *Urgentior* et Sup. *Urgentissimus.* — Urgens est qui instat, impendet, premit, *urgente, pressante. Cic.* 3. *Tusc.* 25. *ad fin.* Præsens atque urgens malum. *Virg.* 1. *G.* 146. Urguens egestas. *Tac.* 5. *Ann.* 3. Prærupta et urgens dominatio. *Cod. Theod.* 6. 28. 6. necessitas. *Tertull. Resurr. carn.* 2. *circa med.* Urgentior causa. *Augustin. Ep.* 36. *n.* 28. Urgentior actio. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. 139. Urgentiores differentiæ. *Impp. Dioclet. et Maximian. Cod.* 3. 11. 1. Urgentissima ratio. — *Urgentiora,* absolute, sc. remedia, apud *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 36.

URGUĔO et deriv. *V.* voc. præc.

ŪRĬA, æ, f. 1. (uro) *Isid.* 12. *Orig.* 5. 16. Uria vermis porci appellata, quia urit; nam ubi momorderit, adeo locus ardet, ut statim ibi vesicæ fiant. Alii vulgo sed male leg. *usia.* Cf. *Areval.* ad *h. l.*

ŪRĪCA, æ, f. 1. eadem quæ eruca, omnium satorum hostis, etiam ciceris, quum salsilaginem ejus abluendo imber dulcius id facit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (154). Adde 11. *ibid.* 32. 37. (112). Utrobique in editis plerisq. est *eruca,* in aliis *erica,* teste *Harduino;* at *Jan* dedit *uruca.*

ŪRĪGO, ĭnis, f. 3. (uro). ¶ 1. Est uredo, pruritus, ardor, καῦσις. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 87. (238). At in magna duritia sine fico impositum (*sinapi*), vel, si vehementior urigo timeatur, per duplices pannos. *Harduin.* leg. *ustio.* — De turpi uredine. *Apul.* 8. *Met.* Spurcissima illa propudia ad illicitæ libidinis extrema flagitia infandis uriginibus efferantur. *et* 1. *ibid.* Mulier urigine percita. Adde *Arnob.* 5. *p.* 187. ¶ 2. Est etiam morbus equorum, quem describit *Veget.* 3. *Veterin.* 52. Urigines etiam in pedibus, cruribus unguibusque vel sub armis aliquando generantur, quas quidam dulcedines vocant: habent similitudinem scabiei. Olim vulgo *uligines* leg.

ŪRĪNA, æ, f. 1. saccatus corporis humor, ut ait *Lucret.* 4. 1022., lotium, humor a sanguine separatus in renibus et in vesicam delapsus, οὖρον (It. *piscia, piscio, orina;* Fr. *urine;* Hisp. *orina;* Germ. *der Urin, Harn;* Angl. *urine*): est derivatum a voce Græca adlata. Cf. URETHRA.

I.) Proprie. *Cic. Fat.* 3. 5. In urina, in unguibus naturæ contagio valet. *Catull.* 37. 20. Et dens Ibera defricatus urina. (*nempe* quia Celtiber in Celtiberia terra Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane Dentem atque russam defricare gingivam, ut ait *id.* 39. 17.) *Sueton. Aug.* 80. *in fin.* Calculis per urinam ejectis. *Id. Vesp.* 23. *a med.* Etiam urinæ vectigal commentus est. *Id. Ner.* 56. Deam Syriam ita sprevit, ut urina contaminaret. *Apul.* 1. *Met.* Urinæ spurcissimæ madore aliquem perluere. *Colum.* 6, *R. R.* 3. Quum jumenta suo tempore urinam non fecerint. *et paullo post.* Si urina genitalia deusserit. *Cels.* 2. 7. Difficulter urina redditur paullatimque destillat. *et ibid.* 19. Aliæ res citant urinam, aliæ tardant. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 17. (27). Urinam celerrime pellere. *et ibid.* 12. 71. (115). trahere. *et ibid.* 11. 56. (94). ciere. *Id.* 29. *ibid.* 5. 32. (102). egerere. *Id.* 20. *ibid.* 10. 43. (111). movere. *et ibid.* 4. 11. (21). inhibere. *Id.* 21. *ibid.* 26. 97. (170). impellere. *et* 24. *ibid.* 19. 111. (171). fundere. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. 15. mittere. *et ibid.* dimittere. *et ibid.* excludere difficulter. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 35. (109). Urinæ incontinentia. *et* 28. *ibid.* 6. 17. (61). profluvia cohibere. *Id.* 20. *ibid.* 7. 26. (63). difficultates emendare. *Gell.* 19. 4. Libido urinæ lacessit. *Ulp. Dig.* 21. 1. 14. Si in lecto, somno vinoque pressus, aut etiam pigritiâ surgendi, urinam faciat. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 2. 31. Urina flava, aquata, tenuis. *Id.* 2. *ibid.* 3. 15. turbulenta. *Id.* 3. *Tard.* 6. 81. fellea. — *Urinam facere* interdum est urinæ incontinentia laborare. *Ulp. Dig.* 21. 1. 14. De eo qui urinam facit, quæritur: et Pedianus ait, non ob eam rem sanum non esse etc. Adde *Inscr.* apud *Fabretti p.* 604. 43. et apud *Kellerm. Vig. laterc. p.* 62. *n.* 2.

II.) Translate est semen genitale. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (168). Asinæ incontinens uterus urinam genitalem reddit. Adde *Juvenal.* 11. 168.

ŪRĪNAL, ālis, n. 3. (urina) matula, *orinale. Gloss. Philox.* Urinal, οὐροδοχεῖον. Adde *Gloss.* apud *Mai* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 363.

ŪRĪNĀLIS, e, adject. ad urinam pertinens, διουρητικός, ut Urinalia medicamenta, *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. et 5. *ibid.* 1. Urinales viæ, *ibid.* 3. virtutes, 2. *ibid.* 13. fistula, *Veget.* 3. *Veterin.* 15. *ante med.* — *Urinalia,* absolute, quæ urinam promovent. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. 138.

ŪRĪNANS, antis, particip. *V.* URINO.

ŪRĪNĀTOR, ōris, m. 3. (urinor). *Urnator* syncop. pro *urīnator* apud *Firmic.* 3. *Math.* 11. *n.* 3. *V.* hanc. voc. — Urinator est qui in aquam mergitur et sub ea natat, *marangone, palombari,* κυβιστητήρ, κολυμβητής, ἀρνευτήρ. Hos describit *Manil.* 5. a *v.* 428. Hujusmodi hominum usus est mercibus e mari extrahendis, quæ navigii gratia jactatæ fuerint. *Liv.* 44. 10. Sed in rem emendabilem visus lapsus esse, quod per urinatores omne ferme extractum est: tantusque pudor fuit regi ejus pavoris, ut urinatores clam interfici jusserit. *Callistrat. Dig.* 14. 2. 4. Et aliquorum mercatorum merces per urinatores extractæ sunt, data mercede. — Cum piscatoribus collegium constituebant. *Inscr.* apud *Gruter.* 391. 1. (*Orelli n.* 4115.) TI. CLAVDIO ESQVIL. SEVERO PATRONO CORPORIS PISCATORVM ET VRINATORVM etc.

ŪRĪNO. as, are, n. 1. *et frequentius*

ŪRĪNOR, āris, ari, dep. 1. Notationem vocis, quam *Varro* 5. *L. L.* 126. *Müll.* ab *urbo* trahere videtur, ducunt alii vel ab ἀρνεύω, agni more in caput salio, trajectis litteris: vel ab ἀρύω, haurio. Itali nautæ urinantes vocant *marangoni,* quasi *mergoni* (Cf. *Galvani Gloss.* ad *h. v.*); quia aliquibus locis sic appellantur mergi, aves quæ in aquam mergere se gaudent et inde emergere. *Döderlein* confert cum *urena,* quam vocem ipse legit, de genere cochlearum, apud *Plin. l.* 32. *s.* 53. — Part. *Urinans.* — Urino est in aquam mergi et natando emergere, κυβιστάω, κολυμβάω (It. *nuotare sotto acqua;* Fr. *plonger dans l'eau;* Hisp. *ir debaxo del agua, somorgujar;* Germ. *unter das Wasser tauchen;* Angl. *to duck under water, to dive*). ¶ 1. Activa forma. *Varro* 5. *L. L.* 126. *Müll.,* ut *Jos. Scalig.* restituit: Urnæ dictæ, quod urinant in aqua haurienda, ut urinator. Urinare est mergi in aquam in urbum: dictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat sursum versus. At *Müller* aliter leg. *V.* IMBURVUM. ¶ 2. Sæpius deponentium forma. *Cic.* apud *Non. p.* 474. 27. *Merc.* Siquando nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum aut obscure admodum cernimus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 72. (188). Eadem est causa, quia sub aqua diu ranæ et phocæ urinentur. *Id.* 9. *ibid.* 30. 48. (91). Polypi in naufragos urinantesve impetum capiunt.

ŪRĪNUS, a, um, adject. οὔρινος, ventosus, ut Ovum urinum, ᾠὸν οὔρινον, ovum irritum et inefficax, quod citra coitum maris editur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 58. 79. (158). Palumbes et turtures plurimum terna, nec plus quam bis fere pariunt, atque ita si prior fetus corruptus est: et quamvis tria pepererint, numquam plus duobus educant: tertium, quod irritum est, urinum vocant. *V.* CYNOSURA et ZEPHYRIUS.

ŪRĪON. *V.* ORION.

ŪRĪON *vel* urium, ĭi, n. 2. genus terræ inutile in metallis: ab Ionico οὖρος pro ὄρος, mons. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 2. (75). Id genus terræ urion vocant. Ergo per silices calculosve ducuntur et urium evitant.

ŪRĪTĪDUS, a, um, adject. urinalis. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. Per uritidos poros suscipiens in se urinam viridis coloris.

ŪRĪTO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* uro, sæpe uro, αἰθάλω. *Plaut. Most.* 3. 1. 81. Calidum hoc est: etsi procul abest, uritat male. Alii leg. *urit,* ut cum aliis *Ritschelius,* quem *V.* ad *v.* 606.

ŪRĪUM. *V.* URION.

ŪRĪUS, ĭi, m. 2. adject. quo cognominatus est Juppiter: ab οὔριος, prosperus, (οὖρος enim est ventus secundus), quia navigantes tutari putabatur. Hoc nomine, templum habuit ad Bosporum Thracium itemque signum nobile Syracusis in Sicilia a Verre asportatum. *Cic. Pis.* 35. 85. *Orell.* A te Jovis Urii fanum antiquissimum barbarorum sanctissimumque direptum est. Alii aliter leg. *Id.* 6. *Verr.* 57. 128. Quid ex æde Jovis religiosissimum simulacrum Jovis imperatoris, quem Græci Urion nominant, pulcherrime factum, nonne abstulisti? V. *Iablonski op. t.* 3. *p.* 72. et v. IMPERATOR.

URNA, æ, f. 1. — *a*) *Orna* pro *urna* sæpius legitur in Codd. MSS. editisque libris. Cf. *Peiper* ad *Querol. p.* 65. in *Ind.* — Hinc etiam *olna* in *Inscr.* Falisca apud *Garrucci Dissert. archeol. p.* 60., adnot. *Cavedoni* in *Opusc. di Modena Ser.* 2. *T.* 4. *p.* 464. — *b*) Vocis origo videtur esse ab *urinor* (syncop. *urnor*), quod subter aquam demersum atque inde rursus emergens urinantis speciem præbere videatur. V. *Varronis* verba in URINOR. Recentiores tamen alii ab *uro,* quod sit vas plerumque ex argilla usta fictum; alii a Skr. *vari,* aqua, quod continendæ aquæ inserviat; alii aliunde derivant. — Quidquid sit de etymo, urna est vas, quo aqua e puteis fluminibusve hauritur, κάλπη, κάλπις

(It. *urna, secchia, brocca;* Fr. *urne, seau;* Hisp. *urna, pozal;* Germ. *Krug, Wasserkrug;* Angl. *an urn, pitcher*): porro ansulis instructum erat, ut pro more humeris vel capite gestaretur. V. *Rich op. cit.* ad *h. v.*

I.) Proprie. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 24. Tu, qui urnam habes, aquam ingere: face, plenum ahenum sit cito. *Horat.* 3. *Od.* 11. 22. stetit urna paullum Sicca, dum grato Danai puellas Carmine mulces. *Propert.* 4. 4. 16. (et *Ovid.* 3. *Fast.* 14.) Urgebat medium fictilis urna caput. *scil.* capite gestari solebant urnæ: vel etiam humero, ut *ibid.* 11. 27. pœna sororum, Infelix humeros urgeat urna meos. et *Val. Flacc.* 1. 219. *de Hyla.* unde urna humeris? *Juvenal.* 1. 164. Aut multum quæsitus Hylas urnamque secutus. *Seneca Herc. Fur.* 757. Urnasque frustra Danaides plenas gerunt. Adde *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 64. et 1. 1254., ubi *urna aenia* (*aenea?*) pro *urnannia* legendum est.

II.) Improprie, apud Mythologos et Poetas. ¶ 1. Urna est signum cæleste, quod Aquarius dicitur. *Ovid.* 2. *Fast.* 457. Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna. *Seneca Thyest.* 864. Cadet Ægoceros frangetque tuam, Quisquis es, urnam. ¶ 2. Est etiam symbolum fluviorum. *Virg.* 7. *Æn.* 792. Cælataque amnem fundens pater Inachus urna. *Sil. It.* 1. 407. Flumineaque urna cælatus Bagrada parmam.

III.) Translate dicitur de vasis, quæ aliis usibus inserviunt. ¶ 1. Hinc, quam vocat *Cic.* ollam denariorum, *Plaut.* aulam, *Pers.* seriam argenti, urna est *Horatio* 2. *Sat.* 6. 10. O si urnam argenti fors quæ mihi monstret! ¶ 2. Est etiam *urna* sepulcralis, qua conduntur mortuorum ossa et cineres, *urna cineraria. Ovid. Heroid.* 11. 124. socioque impone sepulcro: Urnaque nos habeat quamlibet arta duos. *Id.* 3. *Trist.* 3. 65. Ossa tamen facito parva referantur in urna. *Sueton. Cal.* 15. Cineres in urnam condere. *Seneca Troad.* 375. Et tristis cineres urna coerceat. *Ovid.* 14. *Met.* 441. urnaque Æneia nutrix Condita marmorea. *Val. Flacc.* 5. 58. Ossaque nec tumulo nec separe contegat urna. *Lucan.* 7. 819. cælo tegitur qui non habet urnam. Adde *Pers.* 6. 26. et *Stat.* 8. *Theb.* 6. ¶ 3. Item judicialis, in quam judices tabellas absolutionis aut damnationis, audita causa, conjiciunt. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. *a med.* Senatorum urna copiose absolvit, equitum adæquavit; tribuni ærarii condemnarunt. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 47. Cervius iratus leges minitatur et urnam. *Ovid.* 15. *Met.* 44. Calculus immitem demittitur ater in urnam. *Propert.* 4. 11. 49. Quælibet austeras de me ferat urna tabellas. *Sil. It.* 9. 27. Eripere aliquem legibus atque urnæ. Adde *Juvenal.* 13. 4. et *Justin.* 22. 3. 6. ¶ 4. Item sortilega, in quam immittuntur sortes extrahendæ. *Cic.* 4. *Verr.* 17. *a med.* Ait, se judices e lege velle sortiri: educit ex urna tres. *Virg.* 6. *Æn.* 20. pendere pœnas Cecropidæ jussi (miserum!) septena quotannis Corpora natorum, stat ductis sortibus urna. *Val. Flacc.* 2. 484. crudelis scopulis me destinat urna. *Sueton. Ner.* 21. Sorticula in urnam cum ceteris (*citharœdis*) demissa, intravit ordine suo. *Seneca Troad.* 974. Versata dominos urna captivis dedit. *Tertull. Spectac.* 16. *de circensib. quadrigis sorte ductis.* Tardus est illi (*populo*) prætor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur. — Apud Inferos dicuntur tres illi judices nomina mortalium in urnam conjicere, ut sortiantur, qui primus morti addicendus sit et quæ cuique pœna infligenda. *Horat.* 2. *Od.* 3. 25. omnium Versatur urna serius ocius Sors exitura. et 3. *ibid.* 1. 14. æqua lege necessitas Sortitur insignes et imos: Omne capax movet urna nomen. *Virg.* 6. *Æn.* 432. Quæsitor Minos urnam movet. Sic *Seneca Agam.* 23. Quæsitor urna Gnossius versat reos. *Id. Herc. Fur.* 191. Recipit populos urna citatos. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 218. ibimus omnes, Ibimus: immensis urnam quatit Æacus umbris. ¶ 5. Item fatidica: vel enim jactis sortibus futura prædicebantur, vel oracula reddebant responsa per urnam et sortes. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 29. instat fatum mihi triste, Sabella Quod puero cecinit mota divina anus urna. ¶ 6. *Urna Adrastiæ,* qua mortalium sortes agitantur, apud *Capell.* 1. *p.* 17. Urnam (*Adrastia*) cælitem superamque sortem torquebat. *V.* etiam præclarum locum *Ammian.* 14. 11. *p.* 65. *Gronov.* ¶ 7. Ad hæc est *urna* mensura liquidorum, continens dimidium amphoræ, hoc est congios quattuor, qui sunt sextarii XXIV. seu heminæ XLVIII. *Cato R. R.* 148. Vini in culeos singulos quadragenæ et singulæ urnæ dabuntur. (XL. urnas culeus continet. *Cato* unam adjici, quum venditur vinum, jubet.) *Colum.* 12. *R. R.* 41. Conjicies in urnam musti mellis optimi pondo decem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (263). Ad majorum arborum radices amphoram, ad minorum urnam amurcæ affundere. *Pers.* 5. 144. calido sub pectore mascula bilis Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ. ¶ 8. Quo modo amphoram sparteam posuit inter instrumenta vineæ *Cato R. R.* 11., ita et urnas sparteas, *ibid.* h. e. ex sparto quam artissime ac densissime intexto et fortasse etiam pice illito confectas. *V.* AMPHORA. Urnam quinquagenariam *id. Cato ibid.* 10. et 13. ponit inter instrumenta olearia: h. e. quæ quinquaginta sextarios capit: quæ mensura longe excedit ordinariam urnam, quæ XXIV. tantum continet, ut dictum est. ¶ 9. Pro quacumque vinaria mensura aut vase accipi videtur a *Juvenal.* 15. 25. De Corcyræa temetum duxerat urna. ¶ 10. Etiam mensura aridorum videtur fuisse. *Auct. De mens. p.* 376. 5. *Lachm.* Modius et semis urnam faciunt. *V.* integr. loc. Cf. *Mæcian. Distrib.* § 79.

URNĀLE, is, n. 3. *V.* voc. seq.

URNĀLIS, e, adject. (urna) ad urnam pertinens. Urceus et urna vasa aquaria sunt, sed urceus minor; idcirco *Cato R. R.* 13. *sub fin.* ponit inter instrumenta torcularis urceos fictiles duos, urnales duos: et fictiles intelligit ordinariæ magnitudinis; urnales capaciores et urnam continentes. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (93). Polypus acetabulis sive caliculis urnalibus. *Petron. Sat.* 52. Urnales scyphi. — Hinc

*Urnale, is,* n. 3. absolute, substantivorum more, vas urnale. In plur. num. *Proculus Dig.* 33. 6. 16. Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, is tibi vinum legaverat in amphoris: Omne illud quoque vinum, quod in urnalibus fuisset, legatum esse, Labeo et Trebatius responderunt. *Act. Arv. fr.* apud *Henzen. p.* 27. More pompæ in tetrastylum fercula cum campanis et urnalibus mulsi singulorum transierunt. Cf. *Henzenium ibid. p.* 35.

URNĀMENTĀRIUS. *V.* ORNAMENTARIUS.

URNĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

URNĀRĬUS, a, um, adject. (urna) ad urnam pertinens. Usurpatur autem tantum absolute, substantivorum more

*Urnarium, ii,* n. 2. locus aut mensa, super quam urnæ, id est vasa aquaria, in culina aut in balneis reponebantur; quam apud nos plurimi marmoream faciunt, foramine, per quod aqua effluat, relicto, *acquaio* (nostrates vulgo *secchiaro*). *Varro* 5. *L. L.* 126. *Müll.* Præterea erat tertium genus mensæ et quadratæ vasorum vocaturque urnarium, quod urnas cum aqua positas ibi potissimum habebant in culina. Ab eo etiam nunc ante balineum locus, ubi poni solebant urnæ, urnarium vocatur. *Id.* apud *Non. p.* 544. 17. *Merc.* Sed quæ necessitas te jubet aquam effundere domi tuæ? Si vasa habes pertusa, plumbum non habes? Ad quam rem nobis confluvium? ad quam urnarium? — Cf. etiam *Tab. Iguv.* 3., ubi occurrit *plenariæ urnariæ.* et *ibid.* 5. *sextantariæ,* quibus sacrificasse fratres docemur: et sic differunt, ut librilis as ab sextantario. Ita Latine dedit et adnotavit *Bücheler.*

URNĀTOR, ōris, m. 3. (urna) urnâ aquam hauriens. *Firmic.* 3. *Mathes.* 11. *n.* 3. Mercurius cum Saturno constitutus faciet urnatores aquas ex altis puteis levantes, hortulanos etc. Sed alii leg. *urinatores* et, commate adjecto, a levantibus aquas distinguunt: quod multo verius est, inquit *Forcellinus:* ita ut *urnatores* idem sit quod *urinatores,* uti recentioribus placet. *V.* URINATOR.

URNĀTŪRA, æ, f. 1 pro *ornatura* in *Edict. Diocl.* 7. 42. *V.* ORNATURA.

URNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (urna et fero) qui urnam fert, speciatim aquarius in cælo. *Anthol. Lat.* 761. 5. *Riese.* Arcitenens tandem, capricornus et urnifer inde. Alii malunt legere *urniger.*

URNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (urna et gero) qui urnam gerit, urnifer. *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 314. *Burmann.* Et qui portat aquam puer urniger. h. e. Aquarius, de quo *ibid. p.* 316. Quique urnam gerit. *V.* URNA. Cf. voc. præc.

URNŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* urna, parva urna, *secchiello, σταμνάριον.*

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 544. 8. *Merc.* Item ex ære, ut urnulæ aquales, matulæ; sic ceteræ. *Cic. Parad.* 1. 3. Minusne gratas diis capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? *Apul.* 11. *Met.* Urnula faberrime cavata. *Fulgent.* 3. *Myth.* 6 *p.* 116. 6. *M.* fictilis. Adde *Apul.* 6. *Met.*

II.) Translate, a similitudine, dicitur de sepulcrali. *Spartian. Sever.* 24. Urnulam auream fuisse Severi reliquias continentem eamdemque Antoninorum sepulcro illatam.

ŪRO, uris, ussi, ustum, ūrere, a. 3. Etymologi recentiores vel fuisse putant ab origine *buro* unde et *bustum* et *comburo,* et conferunt cum Græco πῦρ, ignis; vel ducunt a rad. Skr. *vas,* lucere, ardere, aut *us* (*aus*), ejusd. significationis, *s* in *r* permutato, ut sæpe fit; unde et Græc. *ἑστία,* ἕως et αὔω (Ionice αὔω) et Lat. *Vesta, auster, aurora* etc. Sunt etiam, qui ab Hebræo usque ejus notationem trahant. *V.* ARSE VERSE et UR. — Part. *Urens* II. 5. et 8.; *Ustus* I. 1. et 2. et II. 3. et 4. et in fin.; *Urendus* I. 2. — Uro est incendo, aduro, comburo, torreo, cremo, αἴθω (It. *abbruciare, scottare;* Fr. *brûler;* Hisp. *quemar, abrasar;* Germ. *brennen;* Angl. *to burn*): usurpatur autem cum acc. aut absolute.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Most.* 3. 1. 81. Calidum hoc est: etsi procul abest, male urit. *Lucret.* 4. 874. Urere ne possit calor amplius aridus artus. *Id.* 6. 660. urit corpore serpens (*sacer ignis*). *Cic.* 8. *Phil.* 5. 15. In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur. *Id.* 1. *Tusc.* 28. 69. Partes incultæ (*terrarum*), quod aut frigore rigeant aut urantur calore. *Ovid. Heroid.* 5. 112. assiduis (*arista*) solibus usta viget. *Id.* 4. *Met.* 194. *ad Solem.* tuis omnes qui terras ignibus uris. *Id.* 4. *Fast.* 299. Sicca diu tellus fuerat: sitis usserat herbas. *Id.* 1. *Pont.* 10. 5. Nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 114. Sitis urit fauces. *Seneca Ep.* 37. Uri, vinciri ferroque necari. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 8. Vidit rubum uri et non exuri. *Ovid.* 1. *Met.* 119. Tum primum siccis aer fervoribus ustus Canduit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 90. (194). Conveniunt ex alto etiam pisces ad quosdam odores, ut sepiam ustam. *Id.* 28. *ibid.* 6. 18. (66). Urina sole usta. *riscaldata.* et 32. *ibid.* 5. 17. (47). Ferro ustæ plagæ. *scottate.* — *b*) Hyperbole est in his. *Val. Flacc.* 7. 645. qualis Getico de pulvere Mavors Intrat equis uritque gravem sudoribus Hebrum. *Juvenal.* 6. 259. quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. — *c*) Pro accendere in usum luminis. *Virg.* 7. *Æn.* 13. Urit odoratam nocturna in lumina cedrum. *Ovid.* 14. *Met.* 533. Urere picem et ceras alimentaque cetera flammæ. *Tac.* 15. *Ann.* 44. *a med.* homines in usum nocturni luminis. ¶ 2. Speciatim, seu prægnanti, ut ajunt, sensu est incendio consumere, urendo destruere, exurere, in cinerem redigere. *Lex XII. Tab.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 23. 58. HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO NEVE VRITO. Quod additur *neve urito,* indicat, non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur; interdum tamen sepelire ponitur pro urere. Cf. *Ter. Andr.* 1. 1. 191., *Cic.* 4. *Fam.* 12., *Tac.* 2. *Ann.* 73., *Flor.* 3. 21. etc. *Horat.* 1. *Od.* 15. 35. uret Achaicus Ignis Iliacas domos.

Id. Epod. 7. 5. superbas invidæ Carthaginis Romanæ arces ureret. Id. ibid. 9. 8. Ustis navibus. et 10. 13. Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio In impiam Ajacis ratem. Id. 1. Sat. 3. 37. Neglectis urenda filix innascitur agris. Ovid. 2. Met. 212. cum frondibus uritur arbos. Liv. 26. 21. ad fin. Numidæ sociorum populi R. agros urebant. Tac. 4. Ann. 48. Vastare, urere, trahere prædas. et 2. Hist. 12. Urere, vastare, rapere. Adde Curt. 4. 36. 8. et 7. 26. 11.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro exsiccare, humorem instar ignis aut solis absumere. Virg. 1. G. 77. Urit enim lini campum seges, urit avenæ, Urunt Lethæo perfusa papavera somno. Plin. 18. Hist. nat. 19. 32. (124). Ciceris natura est gigni cum salsilagine: ideo solum urit. Id. 17. ibid. 27. 46. (258). Fimum suillum urit vineas. ¶ 2. Item calefaciendo abradere. Ovid. Remed. am. 235. prensos urunt juga prima juvencos, Et nova velocem cingula lædit equum. Propert. 4. 3. 23. teneros urit lorica lacertos. Colum. Arbor. 8. a med. Antiqua terebra scobem facit: propter hoc urit eam partem, quam perforat: Gallica excavat, nec urit, quod non scobem sed ramenta facit. Seneca Œdip. 858. vulneri innatus tumor Puerile fœda corpus urebat lue. — Absolute. Horat. 1. Ep. 10. 44. Calceus, Si pede major erit, subvertet; si minor, uret. Plin. 36. Hist. nat. 24. 57. (180). Calx urit, discutit, extrahit. ¶ 3. Tabulam coloribus urere est encaustica pingere. Ovid. 5. Fast. 831. Quique moves cælum tabulamque coloribus uris. Cf. eund. 4. ibid. 275. puppis picta coloribus ustis. h. e. encaustice inustis. ¶ 4. Sæpe usurpatur de frigore, cujus in membris corporis et in satis similes ignis effectus sunt. Cic. 2. Tusc. 17. circa med. Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. Justin. 2. 2. 9. Scythæ continuis frigoribus uruntur. Ovid. 1. Fast. 680. Nec nova per gelidas usta sit herba nives. Id. 3. Trist. 2. 8. Ustus ab assiduo frigore Pontus. Lucan. 4. 52. Urebant montana nives camposque jacentes Non duraturæ, conspecto sole, pruinæ. Avien. Arat. 1810. Nix herbas lædet teneras, nix uret aristas. Plin. 22. Hist. nat. 25. 57. (120). Iis, quæ frigus usserit, remedio sunt. Val. Flacc. 2. 287. ratem canis urebat luna pruinis. Calpurn. Ecl. 5. 117. ne forte rigor penetrabilis corpus Urat. Vulg. interpr. Ps. 120. 6. Nec luna (te uret) per noctem. — Etiam aduro, deuro, peruro et obustus, præustus frigori tribuuntur. ¶ 5. Urere etiam dicuntur, quæ acrem dolorem faciunt et ustioni similem. Horat. 1. Ep. 16. 47. Uri loris. Plin. 28. Hist. nat. 9. 33. (128). Dysenteria si usserit. Id. 29. ibid. 3. 11. (39). Ova epiphoras urentes refrigerant. Id. 26. ibid. 8. 39. (65). Tithymalum fauces leniter urit. ¶ 6. Et quæ instar incendii absumunt. Liv. 10. 47. Pestilentia urens simul urbem atque agros. ¶ 7. Transfertur per metaphoram ad animum pro pungere, stimulare, angere, cruciare, coquere, molestum esse. Plaut. Pœn. 3. 5. 25. Id nunc his cerebrum uritur, me esse hos trecentos Philippos facturum lucri. Ter. Eun. 2. 2. 43. GNA. Quid videtur hoc tibi mancipium? PAR. non malum hercle. GNA. Uro hominem. Stat. 11. Theb. 396. namque uritur alto Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis Instratusque ostro sonipes. Seneca Herc. Œt. 620. Urit miserum gloria pectus. Flor. 2. 6. Urebat nobilem populum oblatum mare, captæ insulæ, dare tributa, quæ jubere consueverat. Val. Flacc. 1. 476. Magnorumque viros qui laudibus urat avorum. ¶ 8. Universim quidquid grave est, premit, fatigat, urere dicitur. Ovid. 1. Amor. 8. 69. Parcius exigito pretium, dum retia tendis, Ne fugiant. captos legibus ure tuis. h. e. tuo arbitrio. Liv. 36. 23. Ætolos propter paucitatem eosdem dies noctesque assiduo labore urente. Vellej. 2. 77. 1. Populum gravis urebat infesto mari annona. Quintil. Declam. 12. 9. Fames urit. Liv. 10. 17. Hæc eos molientes bellum domi urebat. Id. 27. 39. a med. Bellum, quo duodecimum annum Italia urebatur. ¶ 9. Frequenter ad amorem refertur, qui a Poetis passim ignis dicitur. Horat. 1. Od. 19. 5. Urit me Glyceræ nitor Splendentis Pario marmore purius. Id. Epod. 11. 3. qui (Amor) me præter omnes expetit Mollibus in pueris aut in puellis urere. Virg. 4. Æn. 68. Uritur infelix Dido totaque vagatur Urbe furens. Id. 8. Ecl. 83. Daphnis me malus urit. et 2. ibid. 68. Me tamen urit amor. Id. 3. G. 215. Carpit enim vires paullatim uritque videndo Femina. Ovid. 7. Met. 21. quid in hospite regia virgo Ureris. — Cum addito Acc. et præp. in, erga. Calpurn. Ecl. 2. 56. Urimur in Crocalen. — Hinc absolute, substantivorum more

Usta, æ, f. 1. genus coloris rubei, sed ad flavum accedentis et colori auri similis. Duplicis generis fuit: alia cerussa, quæ igne cocta, usta dicitur: alia ochra, quæ igne similiter cocta, usta itidem appellatur. V. Isid. 19. Orig. 17. a med. Utriusque meminit Plin. 35. Hist. nat. 6. 20. (38). Usta casu reperta incendio Piræei cerussa in orcis cremata. Optima Asiatica, quæ et purpurea appellatur. Fit et Romæ cremato sile marmoroso et restincto aceto. Sine usta non fiunt umbræ. Vitruv. 7. 11. in fin. Usta vero, quæ satis habet utilitatis in operibus tectoriis, sic temperatur: Glæba silis boni coquitur, ut sit in igne candens: ea autem aceto exstinguitur et efficitur purpureo colore.

Usta, orum, n. plur. 2. crustæ, croste. Pelagon. Veterin. 23. Sale et oleo perungito; inde quum usta ceciderint, lavato.

Usti, orum, m. plur. 2. dicuntur, qui igne vel sole læsi sunt, πυρίκαυστοι. Plin. 22. Hist. nat. 22. 34. (76). Acanthi radices ustis luxatisque mire prosunt. Sic 23. ibid. 4. 42. (85). Oleum amygdalinum medetur a sole ustis cum cera.

Homonym. Discrimen inter urere, incendere, inflammare, adolere, cremare declaratur verbis ardere vel arere; candere; flagrare; olere; crepare, quorum illa videntur esse causativa. Cf. Horat. 1. Od. 4. 6. Vulcanus ardens urit officinas. Adde Cic. 5. Fin. 31. 94. V. Döderlein Syn. v. 4. p. 243.

**ŪRŎPȲGĬUM**, ii, n. 2. οὐροπύγιον, ultima pars spinæ, uropigio, coccige, groppone. Martial. 3. 93. Et (quum) anatis habeas uropygium macræ etc.

**URPEX.** V. IRPEX.

**URPS.** V. URBS init.

**URRUNCUM**, i, n. 2. Pontedera in Antiq. Lat. et Græc. p. 164. vocem derivat ab inusit. ὀρρόγκον, serum lactis, scil. ab ὀῤῥός, serum, et ὄγκος, tumor: quod improbat Schneiderus, qui ab ὀρογκός, cacumen montis, deducendum putat, similemque insuper affert Æliani l. 6. Hist. anim. c. 43. locum, ubi οὐραχός vel οὔραχος, infimam spicæ et supremam culmi partem significat. — Urruncum est infima pars spicæ. Varro 1. R. R. 48. in fin. Illud autem in summa spica jam matura, quod est minus quam granum, vocatur frit; quod in infima spica ad culmum stramenti summum, item minus quam granum est, appellatur urruncum.

**URSA**, æ, f. 1. (ursus). In dat. et abl. plur. ursabus esse dicitur in Anecd. Helv. p. 93. 32. Hag.; nullum tamen exemplum affertur. — Ursa est femina in genere ursorum, orsa, ἄρκτος.

I.) Proprie. Ovid. 2. Fast. 181. Ursa per incultos errabat squalida montes. Id. 13. Met. 836. Villosæ ursæ catuli. et ibid. 803. feta truculentior ursa. Martial. 6. 25. Ursa horrida. — Ponitur etiam, nulla habita ratione generis. Id. 12. Met. 319. Fusus in Ossæ villosis pellibus ursæ. Ubi pelles etiam ursi esse poterant: eadem ratione et canis usurpatur. — De ursa Libystide apud Virg. 5. et 8. Æn. V. URSUS.

II.) Translate hoc nomine significatur duplex Signum in cælo, Ursa major et minor, de quibus in ARCTOS dictum est. Ovid. Heroid. 18. 152. Quæque micat gelido Parrhasis Ursa polo. Id. 3. Trist. 11. 7. Barbara me tellus et inhospita litora ponti, Cumque suo Borea Mænalis Ursa videt. Id. 1. ibid. 4. 1. custos Erymanthidos Ursæ. et 5. ibid. 3. 7. suppositus stellis Cynosurides Ursæ. Val. Flacc. 4. 724. immotos Ursæ rigor invenit amnes. h. e. frigus earum regionum, quæ sub Ursa sunt. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

**URSĀRĬUS**, ii, m. 2. (ursus) qui ursos alit et custodit, quibus in venationibus et in ludis utebantur Romani: sic bestiarius, elephantarius, pecuarius etc. V. Plin. loc. in URSUS. Inscr. apud Spon. Miscell. p. 40. et Murat. 2012. 2. OPVS QVADRATARIVM AVGVRIVS CATVLLINVS VRSARIVS D. S. P. D. Sponius hæret, Muratorius ne hiscit quidem. Adde tamen Inscr. apud Henzen Musiv. Burgh. p. 35. et apud Garrucci Diss. Arch. T. 2. p. 92. Cf. Corp. Inscr. Rhen. 211. et Orelli Coll. Inscr. Lat. n. 3395.

**URSĪNA**, æ, f. 1. V. voc. seq.

**URSĪNUS**, a, um, adject. (ursus) ad ursum pertinens, di orso, orsino, ἀρκτεῖος. Colum. Arbor. 15. Ursinus sanguis. Plin. 28. Hist. nat. 17. 71. (219). adeps. et ibid. 16. 62. (220). fel. Id. 8. ibid. 36. 54. (130). rabies. — Ursinum allium, species allii silvestris, odore molli, capite prætenui, foliis grandibus. Id. 19. ibid. 6. 34. (116). — Hinc

Ursina, æ, f. absolute, substantivorum more, est caro ursina, ut suilla est caro suis. Petron. fragm. Tragur. 66. Burmann. In prospectu habuimus ursinæ frustum, de quo quum imprudens Scintilla gustasset etc.

**URSUS**, i, m. 2. Ratione habita etymi, ita Cledon. Art. p. 1929. Putsch. «Ursi dicti videntur, quod se urgeant currendo». At Furlanetto ad illud Isid. 12. Orig. 2. 22. Ursus fertur dictus, quod ore suo formet fetus, quasi orsus; nam, ajunt, informes generare partus. hæc addit: Sed fortasse vocis etymon repetendum a consuetudine ursorum, qui, ut ait Plin. 8. Hist. nat. 36. 54. (130)., præcipitaturi se aliqua rupe manibus eo (capite) operto jaciuntur. Hinc Helice dicitur Ursa major in constellationibus, quia ἑλίσσεται, volvitur, circa polum. Verum recentiores etymologi vocem rectius derivant a Græco ἄρκτος, quasi factum sit urctus et ursus, fortasse a rad. Skr. arkh, tractare, vim facere, adoriri. — Ursus est genus animalis feri multo villo, sævis fortissimisque unguibus, viribus rabieque horrendus, ἄρκτος (It. orso; Fr. ours; Hisp. oso; Germ. der Bär; Angl. a bear). Virg. 3. G. 247. nec funera vulgo Tam multa informes ursi stragemque dedere. Juvenal. 15. 163. Indica tigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam. sævis inter se convenit ursis. Ovid. 10. Met. 540. Raptoresque lupos armatosque unguibus ursos. et 3. Trist. 11. 11. fugax avidis cervus deprensus ab ursis. Horat. 1. Ep. 15. 34. patinas cenabat omasi, Vilis et agninæ, tribus ursis quod satis esset. Ovid. 3. Trist. 5. 35. Ursi turpes. Val. Flacc. 2. 73. truces. Claudian. 2. in Rufin. 483. truculenti. Id. cons. Mall. Theod. 293. magna mole rudentes. Horat. 2. Ep. 1. 186. media inter carmina poscunt Aut ursum aut pugiles. h. e. pugnam bestiarum in Circo. Multa de ursis Plin. 8. Hist. nat. 36. 54., ubi in fin. hæc addit: Annalibus notatum est, Domitium Ahenobarbum ædilem curulem ursos Numidicos centum et totidem venatores Æthiopas in Circo dedisse. Miror adjectum Numidicos fuisse, quum in Africa ursum non gigni constet. Hæc Plin., quare ursi Numidici sunt leones, ut Lips., Voss., alii censent. Sic enim eos appellasse videntur rudes Romani, quum primum ab ipsis visi sunt; quemadmodum elephantos Lucas boves dixere et pantheras mures Africanos. Sic de quavis fera majore dictus apud Veget. 2. 16. Quare quod Virg. 5. et 8. Æn. Libystidem ursam memorat, possumus cum Servio quamlibet Africanam feram intelligere: nisi malis cum Harduino legere Ligystidem, h. e. Ligusticam; quod sane minus placet. Ceterum Plin. ibid. 58. 83. in fin., ut in loc. supra cit., negat, ursos in Africa nasci. — Ursus bipes apud Apul. Florid. 4. de Marsya. — Fumantem nasum vivi tentaveris ursi, proverb. apud Martial. 6. 64., est provocare eum, qui nocere potest. — Vicus ursi pileati, qui in regione Urbis quinta vulgo memoratur, unice nititur auctoritate parum certa et hodie etiam rejecta, Sext. Rufi in libello De regionib. — NB. De cogn. R. V. ONOM.

**URTĪCA**, æ, f. 1. herba vel cæcis nota, quia solo tactu se prodit, pustulas excitans, ustioni si-

miles et pruritum atque ardorem; quare ab *uro* dictam volunt (Cf. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 44.): κνίδη, ἀκαλήφη, *ortica.*

I.) Proprie. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 55. (92). Ex omnibus (*spinosarum herbarum*) generibus urtica maxime noscitur, acetabulis in flore purpuream lanuginem fundentibus: sæpe altior binis cubitis. Plures ejus differentiæ: silvestris, quam et feminam vocant, mitiorque. Et in silvestri quæ dicitur canla, acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. Quæ vero etiam odorem fundit, Herculanea vocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Mirum, sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam esse noxiam et tactu tantum leni pruritum pusulasque confestim adusto similes exsistere. Sed mordacitas non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata. Morsu carens lamium vocatur. Hæc *Plin.* Habet autem usum etiam in cibis pauperiorum: et remedium est etiam ad multa. *Plin. ibid.* et 22. *ibid.* 13. 15., *Catull.* 44. 15., *Horat.* 1. *Ep.* 12. 8. et *Pers.* 6. 70.

II.) Improprie est marina, eadem quæ cnide, ex genere τῶν ζωοφυτῶν, h. e. eorum, quæ mediam naturam habent inter fruticem et animal, ut spongiæ: eadem est ac cnide, quam voc. *V.* suo loco. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 68. (146). Urticæ noctu vagantur noctuque mutant (*sedem*). Carnosæ frondis his natura et carne vescuntur. Vis pruritu mordax eademque quæ terrestris urticæ. Contrahit ergo se quam maxime rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit complectensque devorat. Alias marcenti similis et jactari se passa fluctu algæ vice, contactos pisces attrituque petræ scalpentes pruritum invadit etc. Hæc *Plin.* Meminit et *Plaut. Rud.* 2. 1. 9. et *Apic.* 3. § 102. et in plur. num. 4. § 171. *Gloss. Labb.* Urtica marina, ἀσκαλάφη.

III.) Translate est pruritus et libido turpis. *Juvenal.* 2. 128. unde Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes? Adde 11. 166. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

URTUS. *V.* VIRTUS.

ŪRŪCA, æ, f. 1. eadem quæ eruca. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 44. (154), ubi *Sillig* et *Detlefsen* leg. *urica.* (*V.* URICA) Adde *Schol.* in *Juvenal.* 6. 276. et *Gloss. Labb.* V. CURRUCA.

ŪRUS, i, m. 2. (οὖρος). De notatione vocis hæc habet *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. *sub fin.* Punicis Oscisque verbis usi sunt veteres: quorum imitatione Virgilius peregrina verba non respuit, ut in illo (2. *G.* 374.) Silvestres uri assidue. Uri enim Gallica vox est, qua feri boves significantur. *Servius ibid.* ait, uros dici ἀπὸ τῶν ὀρέων, id est a montibus, ac nasci in montibus Pyrenæis, qui inter Gallias Hispaniasque. *Gallica vox* apud *Macrob. loc. cit.* est Celtica; recentiores enim Germani urum vocant *auerochs* vel *urochs.* h. e. prati bovem, ex *aue*, pratum, et *ochs*, bos. — Urus est igitur bos agrestis, in Pyrenæis montibus nascens, animantibus ceteris, elephante excepto, major, *uro.* *Cæs.* 6. *B. G.* loquens de feris, quæ in Hercynia silva nascuntur, 28. Tertium est genus eorum, qui uri appellantur: ii sunt magnitudine paullo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis est eorum et magna velocitas: neque homini neque feræ, quam conspexerint, parcunt. Hos studiose foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant adulescentes atque hoc genere venationis exercent: et qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines et mansuefieri, ne parvuli quidem excepti, possunt. Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiose conquisita, ab labris argento circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 15. (38). Paucissima (*animalia*) Scythia gignit inopia fruticum: pauca contermina illi Germania: insignia tamen boum ferorum genera, jubatos bisontes excellentique vi et velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, quum id gignat Africa, vituli potius cervique quadam similitudine. *Virg.* 3. *G.* 532. Quæsitas ad sacra boves Junonis et uri Imparibus ductos alta ad donaria currus. *Seneca Hippol.* 65. Latisque feri cornibus uri. Adde *Solin.* 20.

URVĀTĬO. *V.* URBATIO.

URVO *et* urbo, as, are, a. 1. (urvum) urvo vel aratro circumdare seu definire. *Fest. p.* 375. 29. *Müll.* Urvat, Ennius in Andromeda, significat circumdat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda urvo aratri, quod fuit forma simillima uncini, curvatione buris et dentis, cui præfigitur vomer. Ait autem: circum sese urvat ad pedes terra etc. Adde *Pompon. Dig. loc. cit.* in voc. seq.

URVUM *et* urbum, i, n. 2. buris, hoc est aratri curvatura. *V.* BURA. Quod Romani aratri curvaturam urvum vocarunt, ideo factum, quia urvum generatim dicerent τὸ ἀνάσιμον, h. e. quod ita est flexum, ut redeat sursum versus. V. *Varron. loc. cit.* in URINOR. *Pompon. Dig.* 50. 16. 239. Urbs ab urvo appellata est: urvare est aratro definire: et Varus (*lege* Varro) ait, urvum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet. In edit. *Torrentini* habetur *urbo* et *urbum.*

## US

ŪSĬA, æ, f. 1. (οὐσία) ¶ 1. Est essentia seu substantia. — *a*) Generatim. *Chalcid. Tim.* 129. umectæ substantiæ, quem Græci hygran usian adpellant: quæ humecta substantia aer est crassior. — *b*) Speciatim, apud Ecclesiasticos scriptores, dicitur de Divina essentia. *Hieronym. Ep.* 15. *n.* 3. Si quis autem hypostasim, usian intelligens, non in tribus personis unam hypostasim dicit, alienus a Christo est. Adde *eumd. ibid. n.* 4. et *Sulpic. Sever.* 2. *Hist. Eccl.* 43. ¶ 2. Alio sensu *V.* in URIA.

ŪSĬĂCŬS, a, um, adject. (usia) ad usiam seu substantiam pertinens, οὐσιακός. *Inscr.*, quæ pertinet ad tempora Septimii Severi Aug., apud *Letronne Stat. de Memn. p.* 198. V. NONAS MARTIAS FELIX AVGG. LIBERTVS PROCVRATOR VSIACVS HORA PRIMA SEMIS MEMNONEM AVDIVIT. *h. e.* procurator substantiæ seu patrimonii Cæsarum, qui Græce ἐπίτροπος οὐσιακός vel τῆς οὐσίας dicitur. *V. Orelli Inscr. n.* 6348. Idem est qui *idiologus*: quam vocem, in hoc Lexico omissam, adde ex *Inscr.* apud *Orelli n.* 6926. et *alia* apud *Perrot Explor. archéol.* etc. *p.* 264. *n.* 146., ubi *hidi logi* legitur. Cf. *Marquardt Röm. Staatsverw.* 2. 299. et 300.

ŪSĬO, ōnis, f. 3. (utor) idem quod usus, *uso.* *Cato R. R.* 149. Oleris, asparagis, lignis, aqua, itinere, actu, domini usioni recipitur. *Ulp. Dig.* 34. 2. 28. Si factum aurum legatum est, omne ad eum pertinet, cui legatum est, ex quo auro aliquid est effectum, sive id suæ sive alterius usionis paratum esset. *Scævola* apud *Gell.* 4. 1. Longæ usionis gratia contrahuntur et reconduntur. *Varro* apud *Non. p.* 231. 6. *Merc.* Diogenem litteras scisse, dum usioni quod satis esset. *Alii perperam* pusioni. *African. Dig.* 32. 1. 58. *circa med.* Usioni habere aliquid. *Alii leg.* usui. *Cato R. R.* 38. *in fin.* Virgas et sarmenta, quæ tibi usioni supererunt, in segete comburito. Est qui leg. *ustioni.* Sed *usioni* defendit *Harduin* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 61. (229). locum ipsum Catonis referentem. — In plur. num. *Arnob.* 9. *p.* 238. Colunt diis vineas et ad suas usiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum.

ŪSĬTĀTĒ, adverb. (usitatus) Comp. *Usitatius* et Sup. *Usitatissime.* — Usitate est secundum consuetudinem, *secondo l' usanza*, εἰθισμένως. *Cic.* 4. *Fin.* 26. 72. Cur igitur, quum de re conveniat, non malimus usitate loqui? *Gell.* 19. 7. Obesum notavimus proprie magis, quam usitate dictum pro exili atque gracilento. *Id.* 13. 20. *ad fin.* Dicere usitatius manente numero posset. Adde *Augustin. De Trinit.* 9. *Eugypp. Thes.* 51. *p.* 659. *Mign.* Usitatissime temporalia transcurrunt.

ŪSĬTĀTĬM, adverb. (usitatus) idem quod usitate. *Cod. Theod.* 1. 16. 12. Provinciis præsidentes per omnium villas sensim atque usitatim discurrant.

ŪSĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (usitor) actus usitandi, usurpatio. *Mar. Victorin.* in *Ep.* ad *Gal.* apud *Mai Nov. Coll. T.* 3. *p.* 34. et *Cassiod.* 9. *Variar.* 23.

ŪSĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

ŪSĬTO, as, ātum, are, *et*

ŪSĬTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (*frequentat. ab* utor). Forma activa *usitare* tribuitur *Augustin.* 17. *Civ. D.* 9. *Gloss. Gr. Lat.* Χρῶμαι, utor, usito, usurpo. Hinc etiam Part. *Usitatus*, quod fere passive, sed adjectivorum more, occurrit. — Usitor est frequenter utor, *usare spesso*, χρῶμαι. *Gell.* 17. 1. *a med.* Tametsi aliquoties verbo ipso alio quoque modo usitati sunt. Adde *eumd.* 10. 21. *et ibid.* 1. — Hinc Part. præter.

*Usitatus, a, um,* adjective usurpatur: unde Comp. *Usitatius;* Sup. *Usitatissimus.* — Usitatus est usu receptus, consuetus, pervulgatus, solitus, translaticius, *usato, consueto, solito, usitato,* εἰθισμένος. — *a*) Universim. *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Apud eos omne genus cuniculorum notum atque usitatum est. *Cic.* 14. *Phil.* 14. *extr.* Honos usitatus et pervulgatus. *Id. Cæcin.* 16. 45. Hoc jam vetus est et majorum exemplo multis in rebus usitatum. *Id.* 3. *Fin.* 2. 24. Nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. *Horat.* 2. *Od.* 20. 1. Non usitata nec tenui ferar Penna biformis per liquidum æthera. *Cic.* 4. *Verr.* 3. *a med.* Hunc pertulissent, si humano modo, si usitato more, si denique uno aliquo in genere peccasset. *Seneca Herc. Œt.* 362. Hoc usitatum est Herculi; captas amat. *Quintil.* 3. 6. 53. Novum (*nomen*) in statu, alioqui inter species juridiciales usitatum. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. *a med.* Faciamus tractando usitatius hoc verbum et tritius. *Id. Orat.* 25. *a med.* Uti verbis quam usitatissimis. *Quintil.* 1. 7. 14. Usitatissimus mos. — *Plaut. Pseud.* 2. 4. 37. Homo qui non hic usitatus sæpe sit. *h. e.* qui frequens in his locis non fuerit. — *b*) Absolute. *Cic.* 7. *Verr.* 44. *sub fin.* Metum virgarum navarchus pretio redemit: humanum. alius ne condemnaretur, pecuniam dedit: usitatum est. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 18. Usitata contemnere. *Quintil.* 8. 4. 20. Humana atque usitata. — *c*) Cum infinito *Brut.* 1. *ad Cic.* 16. Non solum usitatum sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod etc. *Quintil.* 5. 5. 1. Quum eas non solum refelli sed etiam accusari sciamus usitatum esse.

USOR. *V.* UXOR.

USPĬAM, adverb. *Virg. Gramm. p.* 196. 4. *Hag.* derivat ab *uspis* pronomine, quod tamen nullo auctoris exemplo confirmat. *Forcellinus* vero ait, esse ab ὡς, quod valet ἕως, id est usque: *piam* meram vocis productionem, haud secus ac in *quispiam*. Sed forma primitiva videtur fuisse *cuspiam* (V. *Briz Plaut. Trin.* 158.); ita ut sit conflata a *quis*, *pe* pro *que* et *iam.* V. PIAM et UBI. — Uspiam est idem quod usquam, id est in aliquo loco, *in qualche luogo*, ποῦ, ἐνιαχοῦ: cui opponitur *nuspiam* vel *nusquam.*

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 4. 2. 13. Perscrutabor fanum, si inveniam uspiam aurum. *Ter. Adelph.* 1. 1. 12. Ne aut ille alserit aut uspiam ceciderit. *Cic.* 1. *Legg.* 15. 42. Sive est illa lex scripta uspiam sive nusquam. *Id.* 1. *Att.* 17. Quin te ille aut Dyrrhachii aut in istis locis uspiam visurus esset. Adde *ibid.* 7. et 13. et *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 2. — *b*) Cum genetivo. *Apul.* 7. *Met.* Nec uspiam ruris reperitur ille, sed corpus ejus membratim laceratum multisque dispersum locis conspicitur. *Augustin. Ep.* 164. (*al.* 99.) *n.* 7. Nec ipsos inferos uspiam Scripturarum in bono appellatos potui reperire.

II.) Translate est in aliqua re. *Plaut. Cas.* 4. 3. 12. Edepol næ tu, si equos esses, esses indomabilis. ST. Quo argumento? OL. nimis tenax es. ST. Num me expertus uspiam? OL. Dii melius faciant.

USPIS. *V.* voc. præc.

USQUAM, adverb. Forma primitiva fuisse videtur *cusquam;* ita ut sit a *quis* et *quam.* Cf.

voc. præced. — Usquam est ullo in loco, alicubi, uspiam, *in alcun luogo*, ποῦ, ἐνιαχοῦ: cui opponitur *nusquam* vel *nuspiam*.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plaut. Merc.* 5. 2. 21. Neque quiescam usquam noctu neque interdiu, priusquam etc. *Ter. Eun. in fin.* Numquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum. *Cic. Flacc.* 21. 50. Iste, cui nullus est usquam consistendi locus, Romam se retulit. *Id.* 2. *Legg.* 1. 2. Miror te, quum Roma absis, usquam potius esse. *Virg.* 7. *Æn.* 31. dubitem haud equidem implorare quod usquam est. — *b*) In interrogationibus negativis. *Ter. Andr.* 5. 3. 7. Num ejus color pudoris signum usquam indicat? — *c*) Et in affirmativis. *Virg.* 7. *Æn.* 311. dubitem haud equidem implorare quod usquam est. Adde *Ovid.* 12. *Met.* 41. — *d*) In sententiis conditionalibus. *Virg.* 1. *Æn.* 604. si quid usquam Justitiæ est. Adde *Quintil.* 6. 1. 51. et 11. 1. 54. — *e*) Cum genitivo *gentium, terrarum*, ad ornatum. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 13. An quisquam usquam gentium est æque miser? *Justin.* 3. 3. *a med.* Nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus habet. — *f*) Cum verbis motus est quoquam, quopiam. *Varro* 2. *R. R.* 4. *ante med.* Sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi usquam. *Cic.* 1. *Phil.* 1. 1. Nec vero usquam discedebam, nec a republica dejiciebam oculos. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 37. formica non usquam prorepit. *et* 2. *Sat.* 1. 31. neque usquam decurrens alio. *et ibid.* 7. 30. velut usquam vinctus eas. *Nepos Agesil.* 3. Agesilaus Phrygiam prius depopulatus est, quam Tissaphernes usquam se moveret. — *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 90. Si ea quidem deducta est usquam gentium.

II.) Translate est in aliqua re vel negotio aut pretio. *Ter. Andr.* 2. 5. 9. Neque istic neque alibi tibi usquam erit in me mora. *Sall. Jug.* 13. Neque advorsus iram ejus usquam, nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua spem habere. *Nepos Datam.* 6. *extr.* Quo neque acutius cogitatum usquam legimus. *h. e.* in ulla historia. Adde *Vellej.* 2. 26. 2. *Cic* 2. *Off.* 1, 2. Quum dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio aut auctoritati locus. Adde 5. *Tusc.* 9. 24. — *Ter. Adelph.* 2. 2. 15. Age novi tuum animum, quasi jam usquam tibi sint viginti minæ. *h. e.* in aliquo loco aut pretio habeantur; vel quasi magni æstimes viginti minas.

USQUĔ, adverb. — *a*) *Usqui* pro *usque* scribitur in Decreto Col. Pisanæ sec. apud *Egger Lat. Serm. rel. p.* 336. (*Orell. n.* 643.) — *b*) Forma primitiva videtur fuisse *cusque*, ut sit a *quis* vel *cubs* pro *cubi*, sc. *ubi* et *que*; quamquam alii derivant ab ὡς pro ἕως et *que*. Cf. UBI et USPIAM. — *c*) Sæpe conjungitur cum aliis particulis, ab initio, ut *abusque, adusque, eousque, hucusque, inusque, quousque*; vel in fine, ut *usqueadeo, usquedum, usquequo* etc., quæ tamen sæpius divisim occurrunt. — *d*) Frequentius construitur cum præpos. *ab, ad, ex, in, sub*; ex quibus si desint *ab* vel *ad*, hæ sunt subaudiendæ, ut plerique putant, modo excipias nomina urbis, castelli vel pagi et *domus* ac *rus*, quæ his præpositionibus plerumque carent: aut non sunt subaudiendæ, eo quod *usque* per se casum regit; sunt enim qui eam particulam inter præpositiones recenseant. — Usque continuationem et finem significat, et refertur tum ad locum, tum ad tempus, tum etiam ad actus quoscumque: aliquando vero alia, absolute, significat.

*A*) *Usque* sæpius habet ante vel post se præpositionem aliquam (I., II. et III.): interdum tamen absolute usurpatur (IV.).

I.) Notat continuationem a loco ad locum, ἄχρι, μέχρι, ἕως, ἕως ἄν (It. *sino, insino*; Fr. *jusqu'à*; Hisp. *hasta, desde hasta*; Germ. *bis, bis zu od. auf*; Angl. *even, as far as*). — 1.°) Cum præpositione. Pro arbitrio autem vel anteponitur vel postponitur. — *a*) De inanimis. *Plaut. Rud.* 2. 6. 55. Qui a fundamento mihi usque movisti mare. *Cic. Cluent.* 68. 192. Atque illam usque a mari supero Romam proficisci. *Id.* 3. *Verr.* 34. *a med.* Usque a Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen, quæ in Ponto est, navigaverunt. *Id.* 7. *ibid.* 60. *sub fin.* Ut qui usque ex ultima Syria atque Ægypto navigarent. *Ovid. Ib.* 240. Admorunt oculis usque sub ora faces. *Nepos Hannib.* 2. Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque a Rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ. *Curt.* 3. 12. 18. *de Libero patre.* Usque ab Hellesponto ad Oceanum omnes gentes victoria emensus. *Apul. De mund.* 2. Europa ab Herculis columna usque Ponticum et Hyrcanum mare ac flumen Tanain fines habet. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 15. et *Fronto p.* 144. 11. *N.* In altissimis usque latebris. Rursus *Cic. pro leg. Manil.* 12. *sub fin.* Quum ad eum usque in Pamphyliam legatos misissent. *Id. Quinct.* 3. *a med.* In Galliam Nævius et trans Alpes usque transfertur. *Id. Rosc. Com.* 7. 20. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis constare totus videtur? Cf. ABUSQUE. — Cum duplici præp. *Jornand. Get. p.* 68. 16. *M.* Ad Riphæos usque in montes extenditur. — Raro cum aliis præp. *Apul. Trismeg.* 26. Morbis pestilentibus usque per diversa loca dispersis finiens. *Pallad.* 10. *R. R.* 14. Usque prope summitatem. *Virg.* 11. *Æn.* 317. fines super usque Sicanos. *Dipl.* ed. *Pertz* 4. 47. Usque foras ad campos vado. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 21. (60). Usque extra solitudines. *Cic. Quinct.* 3. *a med.* Trans Alpes usque. *Vulg. interpr.* 2. *Esdr.* 4. 47. Usque contra portam aquarum. — *b*) De personis. *Stat.* 11. *Theb.* 88. horrendus ab astris Descendit vos usque fragor. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 22. 20. (84). — 2.°) Sine præpositione, quæ facile subauditur, cadentis Latinitatis ævo. — *a*) Universim. *Justin.* 1. 1. 5. Terminos usque Libyæ. *Id.* 7. 1. 4. Imperium usque extremos Orientis terminos prolatum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (212). Usque Arabiam. *et ibid.* (219). Usque Borysthenem. *Curt.* 8. 9. 21. Corpora usque pedes carbaso velant. Adde *Apul. De mund.* 2. — *Tac.* 1. *Ann.* 19. Pectori usque. *Inscr.* apud *De-Rossi* in *Bullett. archeol. municip.* 1. *p.* 270. Usque f. (sc. fundo) Clementiano. — *b*) Quando adjungitur nominibus propriis urbium, castellorum et pagorum, item appellativis *domus* et *rus*. *Ter. Adelph.* 4. 5. 21. Miletum usque? obsecro. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 14. *sub fin.* Theatrum ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur. *Plin.* 10. *Ep.* 28. Usque Ephesum. Cf. A (AB). — Interdum tamen etiam cum nominibus propriis urbium etc. reperitur præp. *ad*. *Cic. Dejot.* 7. 19. Usque ad Numantiam misit. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 49. et *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (212). — 3.°) Vice casuum admittit etiam adverbia *illo, illuc, illinc, istinc* et hujusmodi. *Cic.* 1. *Att.* 14. *a med.* Quod eos usque istinc exauditos putem. *Tac. Germ.* 45. Illuc usque (est *vel* pertinet). *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (98). Achæmenidas usque illo tenuisse. *Auson. Mosell.* 113. et illinc Usque sub extremam squalet cutis arida caudam. Cf. etiam *B*. — 4.°) Sequiore ætate cum Infinito. *Auct. Assumpt. Moys.* 5. 16. Usque nos duci captivos. *fino ad esser condotti.*

II.) Notat continuationem temporis. — 1.°) Refertur ad tempus futurum. — *a*) Fere cum præp. *ad, in, sub*. *Plaut. Men.* 1. 2. 62. usque ad diurnam stellam crastinam potabimus, *h. e.* quoad Lucifer vel Sol a nobis videbitur. *Cic, Amic.* 10. 33. Amicitiam usque ad extremum vitæ diem permanere. *Virg.* 1. *G.* 211. serite hordea campis Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem. *Quintil.* 8. 3. 68. In illum usque diem servati senes. *Sall. Jug.* 114. Illimque usque ad nostram memoriam. — *Vulg. interpr.* 2. *Esdr.* 13. 19. Usque post Sabbatum. — *b*) Sine præp. *Cels.* 7. 7. *n.* 15. Vitium mansurum usque mortis diem. *Porphyr.* ad *Horat.* 4. *Od.* 7. 17. Hodiernum usque. — *Quintil.* 3. 1. 9. Ultra Socratem usque duravit. Cf. *Cod. Theod.* 13. 6. 9. Usque ante viginti annos. — In hac acceptione frequenter *usque* omittitur. *Cic. Senect.* 19. 67. Quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum? — 2.°) Refertur ad tempus præteritum. — *a*) Cum præp. *ab*. *Id.* 1. *Divinat.* 1. *init.* Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus. *Id.* 1. *Nat. D.* 33. 91. Usque a Thale Milesio enumerasti sententias philosophorum. *Id. Cœl.* 14. *sub fin.* Bona paterna et avita et usque a nobis repetita. Adde *Vatin.* 8. 20. — *b*) Cum *inde* aliisque adverbiis. *Ter. Heaut.* 1. 2. 9. Mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia Semper fuit familiaritas. *Cic. Arch.* 1. 1. Quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis et pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens etc.

III.) Significat ¶ 1. Etiam finem vel terminum cujuscumque rei, ut actionis, dominii etc. *Plaut. Aulul.* 2. 5. 10. Si quid poscam, usque ad ravim poscam prius Quam quidquam detur. *Ter. Andr.* 1. 2. 28. Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem. *Cic.* 2. *Verr.* 5. *circa med.* Usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt. Cf. ADUSQUE. — *Usque ad unum*, omnes omnino. *Inscr.* apud *Orell. n.* 4404. FECERVNT SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM VT VSQVE AD VNVM EX DOMO EORVM QVI EXTITERIT POSSIDEAT. *Vulg. interpr. Ps.* 13. 1. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. *neppur uno.* ¶ 2. Connotat exceptionem. *Plin.* 2. *Ep.* 11. *a med.* Assenserunt consules designati, omnes etiam consulares usque ad Pompejum. *h. e.* excepto Pompejo.

IV.) Denique alias habet significationes: et quidem ¶ 1. Est diu, multum, valde, admodum. *Ter. Adelph.* 2. 2. 5, Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus, Adde *Heaut.* 1. 1. 86. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 65. pœnas dedit usque superque, Quam satis est. *Cod. Theod.* 8. 9. 1. Procul usque sese contineant. ¶ 2. Vel assidue, jugiter, perseveranter. *Virg.* 9. *Ecl.* 64. Cantantes, licet, usque (minus via lædet) eamus. *Propert.* 2. 7. 40. an usque In nostrum jacies verba superba caput? — Aliquando repetitur. *Martial.* 5. 60. Allatres licet usque nos et usque Et gannitibus improbis lacessas. Adde *Auct. Priap.* 78. ¶ 3. Vel pæne, prope. *Ter. Adelph.* 4. 2. 19. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum et istam psaltriam usque occidit. *ci lasciò per morti.* Alii *semper, assidue* interpretantur. V. *Döderlein op. cit. v.* 1. *p.* 17. et *seq.*, ubi de discrimine inter *usque* et *semper* erudite disserit.

*B*) *Usque* copulatur sæpe cum aliis adverbiis, quæ vel separatim vel aliquando etiam conjunctim reperiuntur, sequenti ordine:

*Usque adeo* et conjunctim *usqueadeo*. ¶ 1. Est in tantum, *a tal segno, talmente, in tal maniera*, οὕτω, οὕτως. *Virg.* 1. *Ecl.* 11. Non equidem invideo: miror magis. undique totis Usque adeo turbatur agris. ¶ 2. Similiter pro usque eo ut, adeo ut, *a tal segno che, talmente che*. *Cic. Flacc.* 23. 54. Usque adeo orba fuit ab optimatibus illa contio, ut princeps principum esset Mæandrius. Cf. *Plaut. Bacch.* 3. 4. 10. Adeo ego illum cogam usque ut mendicet. — *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 55. (157). Usque adeo attritis cælaturis, ne figura discerni possit. *Sillig.* usuque. ¶ 3. Pro tamdiu, sequentibus particulis *donec, quoad, dum*. *Cato R. R.* 67. Amurcam commutet usque adeo, donec in lacum postremum pervenerit. *Plaut. Cist.* 2. 3. 40. destiti Instare usque adeo, donec se adjurat anus Jam mihi monstrare. *Ter. Eun.* 4. 6. 3. Usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba, Verba dum sient. *fino a questo punto.* et *Cic. Sext.* 38. 82. Usque adeo hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit, Sextium vivere. *C. Gracch.* apud *Gell.* 10. 3. Usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit. *Plaut. Amph.* 1. 2. 10. Adeo usque, satietatem dum capiet pater. ¶ 4. *Usque adeo quo*, usque eo quo, *sin dove*. *Cato R. R.* 40. Artito usque adeo quo præacueris.

*Usque adhuc*, hactenus, hucusque, *sin qui*, μέχρι τοῦδε τοῦ χρόνου. *Plaut. Aulul.* 2. 3. 10. Quod celatum est atque occultatum usque adhuc, nunc non potest. Cf. *Ter. Adelph.* 4. 4. 21. Cessatum usque adhuc est, *Sueton. Domit.*

18. Usque adhuc certe animum meum probastis et vultum. Adde *Acc. fr.* 417. *Ribb.* et *Ter. Andr.* 1. 5. 27.

*Usque admodum*, tamdiu, apud veteres. *Cato R. R.* 156. Postea ubi iterum occipiet fervere, paulilsper demittito usque admodum, dum quinquies quinque numeres.

*Usque ad nunc*, usque adhuc. *Cod. Theod.* 16. 1. 2. Religio usque ad nunc ab ipso (*Petro*) insinuata declarat. Alii leg. *usque nunc*. Attamen etiam *Oros.* 7. 29. Ab initio mundi usque ad nunc.

*Usque affatim*, usque ad satietatem. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 31. Edas de alieno, quantum velis, usque affatim.

*Usque antehac*, usque ad id tempus, antequam, *sino avanti che*, μέχρι πρὸ τούτου. *Ter. Andr.* 2. 1. 13. Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit. *h. e.* usque ad id tempus, antequam tua verba audirem.

*Usque donec*, usque dum, *sino che*. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 113. Ibo odorans usque donec persecutus vulpem ero vestigiis.

*Usque dum* et conjunctim *usquedum*, usquequo vel quoad vel quamdiu, *sino che*, ἄχρις οὗ. *Plaut. Men.* 5. 1. 28. Usque dum regnum obtinebit Juppiter. *Cic.* 3. *Verr.* 5. 12. Duces prædonum vivos domi suæ, usque dum per me tibi licuerit, tenuisse. *Vulg. interpr. Jud.* 11. 33. Usquedum venias in Mennith. — Interdum divisim usurpatur, aliis dictionibus interjectis. *Ter. Heaut.* 5. 2. 30. Immo et ibi nunc sum et usque id dudum egi, dum loquitur pater. *Cic.* 12. *Fam.* 19. *sub fin.* Mihi quidem usque curæ erit quid agas, dum, quid egeris, sciero.

*Usque eo* et *eo usque*, in tantum adeo, *in tanto, a tal segno*, παρὰ τοσοῦτον, οὕτως. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 52. 224. Plato, quum hæc exprimenda verbis arbitraretur, novam quamdam finxit in libris civitatem: usque eo illa, quæ dicenda de justitia putabat, a vitæ consuetudine et a civium moribus abhorrebant. *Id.* 6. *Verr.* 40. 86. Virgis iste cæderet sine causa socium populi Romani? non usque eo improbus. — *b*) Sæpe post se exigit particulam *ut*. *Id. Rosc. Am.* 9. 24. Quod Amerinis, usque eo visum est indignum, ut fletus gemitusque tota urbe fierent. — *c*) Vel *ne*. *Id. Quinct.* 18. *in fin.* Inferiorem esse patitur dumtaxat usque eo, ne cum bonis, fama fortunisque omnibus Sex. Nævii cupiditati crudelitatique dedatur. — *d*) Vel *dum*. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 19. Multa facimus usque eo, dum aspectus ipse fidem faciat sui judicii. — *e*) Vel *quoad*. *Id.* 5. *Verr.* 33. *a med.* Liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. — *f*) Vel *donec, quoad*, et significat tamdiu. *Id.* 3. *ibid.* 6. *in fin.* Usque eo timui, ne quis de mea fide dubitaret, donec ad rejiciendos judices venimus. *Id. Dejot.* 4. 11. Tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompejo ad eum legati venerunt. — *g*) *Usque eo antequam*, idem est ac *usque antehac*, quod *V.* supra. *Id. Rosc. Am.* 22. 60. Usque eo animadverti, eum jocari, antequam Chrysogonum nominavi: quem simul atque attigi, statim homo se erexit. *h. e.* usque ad id tempus, quo. *V.* EOUSQUE.

*Usque istuc*, usque ad istum locum. *Fronto ad Antonin. Imp.* 2. *p.* 100. *Nab.* Usque istuc ad signum dele. *h. e.* usque ad imas ceras erade.

*Usque nunc* vel *nunc usque*, usque adhuc, usque ad nunc. *Vulg. interpr. Ital. Matth.* 11. 12. A diebus Johannis Baptistæ usque nunc. *Chalcid. Tim.* 43. *C.* Et initio et nunc usque.

*Usque qua*, usque ad locum ubi, quousque, *fin dove*. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 17. 15. (73). *Sill.* Ab occidente littera Esseni fugiunt, usque qua nocent. Alii leg. *usquequaque*.

*Usque quaque* et conjunctim *usquequaque*. — Etiam *quaque usque* in *Inscr.* apud *Gruter.* 611. 13. — Usquequaque ¶ 1. Est in unoquoque loco, ubique, passim, *in ogni luogo, d'ogni intorno*, πάντῃ, πάντως. *Plaut. Pœn. prol.* 105. Mari terraque illas usquequaque quæritat. *Cic.* 2. *Phil.* 43. 110. Aut undique religionem tolle aut usquequaque conserva. ¶ 2. Ponitur etiam pro quocumque tempore, semper, assidue. *Id.* 7. *Fam.* 16. ex *Vet. Poeta.* Usquequaque sapere oportet. id erit telum acerrimum. *Catull.* 39. 1. Egnatius, quod candidos habet dentes, Renidet usquequaque. *Plin.* 7. *Ep.* 20. Siqua posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, qua concordia, fide vixerimus. ¶ 3. Item in omni re. *Cic.* 7. *Verr.* 5. 10. Nolite usquequaque eadem quærere: in metu belli, furandi qui locus potest esse? ¶ 4. Item pro omnino, universim, generatim. *Id.* 5. *Fin.* 30. *circa med.* An hoc usquequaque aliter in vita, et non ex maxima parte de tota judicabis?

*Usque quo* et sæpius conjuncte *usquequo*. Occurrit etiam inversum *quo usque* pro *usque quo*, apud *Martial.* 2. 64. Eja age, rumpe moras: quo te spectabimus usque? *V.* QUOUSQUE. — Usquequo ¶ 1. Est quousque, usque ad quem locum, *sin dove*, ἕως οὗ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (208). Palmites ad superiora scandant, relicto duramento et emissario uno, qui subeat, usquequo placuerit. *Id.* 6. *ibid.* 4. 4. (13). Oppidum ab amne influente ibi cognominatum, usquequo magnarum navium capacem esse diximus. ¶ 2. Item usque ad quod tempus, *sino a quando*, usque donec. *Varro* 1. *R. R.* 2. *ad fin.* Ranam luridam conjicere in aquam, usquequo ad tertiam partem decoxeris. *Pallad.* 4. *R. R.* 1. Martio mense putatio celebratur, usque quo incipit gemma esse suspecta. — Interrogative. *Vulg. interpr. Ps.* 4. 3. Filii hominum, usquequo gravi corde? *et alibi.* ¶ 3. Item quatenus, usque ad quem finem, *sino a qual termine*. *Ulp. Dig.* 5. 2. 29. *a med.* Et ideo datæ libertates, usque quo Falcidia permittit, suam habent potestatem. ¶ 4. Apud sequioris ævi scriptores pro usque quoad, quoad usque. V. *Paucker* in *Add. Lex. Lat. subrel. p.* 24. et seq.

*Usque quoad*, quousque, usque donec, usque eo quoad, *sinchè*. *Varro* 2. *R. R.* 7. *a med.* Anniculis factis dandum hordeum et furfures, usque quoad erunt lactentes. *Cic. Brut.* 22. *a med.* Usque illum, quoad ei nuntiatum esset, consules descendisse, commentatum cum servis litteratis fuisse. Cf. QUOADUSQUE.

*Usquequoque*, idem ac usquequaque. *Gloss. Lat. Gr.* Usquequoque, ἀεί, πανταχοῦ.

USQUĔĀDĔO et
USQĔDUM et
USQUĔQUĀQUĔ et
USQUĔQUO. *V.* USQUE in fin.

USQUI. *V.* USQUE init.

USQUIN, idem quod usquene, apud *Plaut. Most.* 2. 2. 19. et alibi. V. *Ritschl Opusc.* 2. 253. et 557. (*Mus. Philol.* VII. 577.)

USSŪRA. *V.* USURA.

USSŪRĀRĬUS. *V.* USURARIUS.

USSUS. *V.* USUS.

USTA, æ, f. 1. *et*

USTA, ōrum, n. plur. 2. *V.* USTUS.

USTĔĀRĬUS. *V.* USTEUM.

USTERNA. *V.* USTRINA.

USTĔUM pro ostium apud *Marcell. Empir.* 28. 37. Cf. *Ustearii* in *Inscr. Chrét.* 1. 395. apud *Le Blant.*, et *ustiarii* apud *Marini Pap. Dipl.* CXIV. 86. etc. Cf. *Gröber Archiv. Lat.* VI. 749.

USTĬĀRĬUS. *V.* USTEUM.

USTĪCĬUM, ii, n. 2. (uro) genus coloris. *V.* SUASUM. *Isid.* 19. *Orig.* 28. 8. Usticium, quia ex usto est. Fit enim ex dependenti fuligine tectorum egesta assiduis ignibus. Unde et color ejusdem tincturæ flammeus est. Alii leg., fortasse ex vulgari usu sumptum, *osticium*.

USTĪLĀGO, ĭnis, f. 3. (ustilo) ¶ 1. Est ustilatio. *Vulg. interpr. Ital. Lev.* 13. 25. et 28. *Lugd.* ¶ 2. Est etiam herba eadem quæ carduus silvaticus vel chamæleon. *Apul. Herb.* 109. — *Ustilago rustica* Italis herba eadem quæ dictamnus. *Id. ibid.* 63.

USTĪLĀTĬO. *V.* USTULATIO.

USTĪLO. *V.* USTULO.

USTĬO, ōnis, f. 3. (uro) actus urendi, καῦσις (It. *abbruciamento, scottatura;* Fr. *brûlure;* Hisp. *quemadura;* Germ. *das Brennen, die Hitze;* Angl. *a burning, searing*). ¶ 1. Generatim. *Solin.* 5. et *Augustin.* in *Ps.* 96. 7. — Hinc tropice pro damno ab igne. *Scribon. Compos.* 27. ¶ 2. Speciatim de plagis seu vulneribus ustis. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 15. 44. (151). Quædam ustione sanantur, privatim vero canis rabidi morsus. *Cels.* 8. 2. *sub fin.* Si costa cariosa est, inutilis ustio, sed excidendi necessitas est. Rursus *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 42. (156). *de pumicib.* Quidam tertia ustione refrigeratos potius, quam restinctos, terere malunt ex vino. ¶ 3. Item de corporis morbo, quod nimio calore vel æstu laboret, *infiammazione*. *Id.* 20. *ibid.* 22. 87. (238). Sinapi in magna duritia sine fico impositum: vel, si vehementior ustio timeatur, per duplices pannos.

USTOR, ōris, m. 3. (uro) qui urit, cremator, καυτήρ, ἐμπρηστής: speciatim ita dicebatur, qui corpora in bustuariis cremabat, νεκροκαύστης. *Catull.* 59. 4. Quum devolutum ex igne prosequens panem A semiraso tunderetur ustore. *Lucan.* 8. 738. Robora non desint misero (*Cn. Pompejo M.*) nec sordidus ustor. *Martial.* 3. 93. Ustorque tædas præferat novæ nuptæ.

USTRĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab inus.* ustrix, mulier, quæ capillum candenti ferro crispat deliciarum causa. *Tertull. Pall.* 4. Larissæus heros certe jam ustriculas, certe jam virum alicui clanculo functus. Alii rectius pro *ustriculas* legunt *hystriculus*, quam vocem vide suo loco.

USTRĪNA, æ, f. 1. (uro) *Usterna* alii, alii *ustrena* leg. in *Gloss. Gr. Lat.;* sed in *Gloss. Lat. Gr.* Ustrina, καῦστρα νεκρῶν. — Ustrina est ardor aut ustio.

I.) Proprie. *Apul.* 7. *Met.* Ustrina talis moram non sustinens. *h. e.* incendium excitatum in stuppæ sarcina. Adde *Solin.* 10.

II.) Tropice. ¶ 1. Est locus, ubi metalla candescunt, ut elaborentur, καυτηρεῖον. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 42. (155). In ustrina ter siccantur, ita ut torreantur carbone puro ac toties vino restinguantur albo. *Sillig.* trina ustione. *V.* adn. ¶ 2. Sæpius est locus, in quo cadaver cremabatur. *V.* voc. seq. *Augustin.* in *Ps.* 26. *enarr.* 1. 14. Ustrina renum. *Inscr.* apud *Murat.* 1345. 12. T. FLAVIVS PHILIPPVS (*dedit*) ITVM ADITVM AMBITVM VSTRINAE SACRIFICII CAVSA. Adde *aliam* apud *Wilmanns n.* 328., *Arnob.* 7. *p.* 222., *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 22. et *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 8. 14. Cf. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 32. 6. *Müll.*

Homonym. Differt *ustrina* a *sepulcro*, quia locus ille, in quo cadaver cremabatur, si cadaver in eo etiam sepeliebatur, dicebatur *sepulcrum;* si cadaver alio transferebatur, ustrina, ut *Fest.* apud *Paul. Diac.* docet in BUSTUM *p.* 32. 4. *Müll.* Hinc *Lex Colon. Genet.* in *Ephem. epigr.* III. *p.* 94.

USTRĪNUM, i, n. 2. (uro) idem quod ustrina, h. e. locus, in quo cadaver crematur, alibi sepeliendum. Erant ustrina muro cincta et fere prope sepulcra: item alia publica, alia vero privata. V. *Guhl et Kon. op. cit. p.* 436. et *Rich.* ad *h. v.* *Inscr.* apud *Gud.* 174. 1. M. LOLLIVS M. F. PAPIR. PRAETEXTATVS etc. FECIT SIBI MONVMENTVM LATVM PED. XX. ET XXV. EXTR. VSTRINVM PED. XX. etc. *Alia* apud *Spon. Miscell. antiqu. p.* 291. IN FR. CVM VSTRINO P. LIIII. IN AGRO P. XXIIII. *Sponius ibid.* ustrini figuram exhibet. *Alia* apud *Gruter.* 656. 3. et 755. 4. HVIC MONIMENTO VSTRINVM APPLICARI NON LICET. Adde 1044. 7. *et* 8., ubi eadem verba leguntur.

USTRĪNUS, a, um, adject. (uro) ad ustrinum pertinens, ut Vicus Ustrinus apud *Sext. Ruf. De regionib.* 5.; cujus tamen libelli, ut alias dictum est, auctoritas a recentioribus criticis repudiatur. Ceterum videsis quæ disputat *Lanciani* in *Bullett. archeol. Municip. III. p.* 194.

USTŬĬO, is, ire, a. 4. (uro) idem quod ustulo: est ab *ustus*, ut ab *ignis ignio*, ab *hymnus hymnio* etc. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 884. ipse præsto erit tunc Hercules Hydrina suetus ustuire vulnera. Ita *Arevalus* edidit, alii *ustum ire*. Cf. *Dressel* ad *h. l.*

**USTŬLĀTĬCĬUS**, a, um. *V.* SEMIUSTULATICIUS.

**USTŬLĀTĬO** *et* ustilatio, ōnis, f. 3. (ustulo) actus ustulandi. *Plin. Valerian.* 3. 22. Ad nomas et ad ustilationes. *Gloss. Labb.* 198. *a.* Ustilatio, ἀπόκαυμα.

**USTŬLĀTUS** *et* ustilatus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

**USTŬLO** *et* ustīlo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*deminut. ab* uro) Part. *Ustulatus* et *Ustulandus.* — Ustulo est circum vel aliquantum uro, aduro, cremo, περικαίω (It. *abbruciacchiare, abbrustolire, scottare;* Fr. *brûler un peu;* Hisp. *quemar un poco, tostar;* Germ. *ein wenig brennen, anbrennen, sengen;* Angl. *to burn all around or somewhat, singe*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 1. 5. Taleæ oleagineæ ustilatæ quam creberrimæ instruantur. *Id.* 5. 12. Locus palis ustilatis configatur. *Auct. Priap.* 46. Ferventi caput ustulare ferro. *h. e.* calamistro inurere crines. *arricciare i capelli con ferro caldo.* — In re medica. *Plin. Valerian.* 1. 2. Hederæ sucus ustulat. *produce infiammazione.*

II.) Translate, *Catull.* 36. 6. vovit, Electissima pessimi poetæ Scripta tardipedi deo daturam Infelicibus ustilanda lignis. *Auct. Priap.* 62. Nec gemmas modo germine exeuntes Seri frigoris ustulavit aura. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1820. VT PRIVS (*ficus*) VSTVLENTVR QVAM VSTVLATAE SVNT.

**USTŪRA**, æ, f. 1. (ūro) idem quod ustio. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. *ad fin.* Plerique superficiem vulnerant usture et ex sinapi atque fico adhibent cataplasma. *et* 2. *ibid.* 14. 93. Ustura fervoris. Adde *Veget.* 3. *Veterin.* 3. et 4. *ibid.* 8., *Theod. Priscian. p.* 311. ed. *Ald.* et *Arnob.* in *Ps.* 74. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 37. Facienda etiam laboriosa atque dolore gravissima ignis ustura. *Veget.* 6. *Veterin.* 8. Aquam sæpius adjicies, ad medicamentum ustura constringat. — *Plin. Valerian.* 1. 13. Usturæ mammarum. *infiammazioni.* et *ibid.* 32. oris.

**USTUS**, a, um, particip. *V.* URO.

**ŪSŪĀLIS**, e, adject. (usus) ¶ 1. Est usui nostro serviens, *usuale,* χρηστός. *Martian. Dig.* 39. 4. 16. Quoties quis mancipia invecta professus non fuerit sive venalia sive usualia, in pœna commissi est. *Cod. Theod.* 7. 13. 3. Unciæ usuales. *h. e.* usu comprobatæ. ¶ 2. Est etiam domesticus. *Apul. Herb.* 113. *de cucumere silvatico.* Foliis simulans cucumeris usualis. *h. e.* sativi. — *Usualis sermo* est rudis, inornatus, qualis in usu quotidiano et familiari adhibetur. *Sidon.* 4. *Ep.* 10. Reliquas denuo litteras usuali sermone contexo.

**ŪSŪĀLĬTER**, adverb. (usualis) solite, ex more, *usualmente. Cassiod.* 2. *Variar.* 39. *de Apono.* Juvat videre, amicum undis indesinenter ardorem et calorem venire decursu rivi, unde usualiter solebat exstingui. *Id.* 9. *ibid.* 3. Frumenta vobis usualiter natura, industria suffragante, concedit.

**ŪSŪĀRĬUS**, a, um, adject. (usus) ¶ 1. Passive idem ac usualis. *Gell.* 4. 1. *extr.* Ex iis autem, quæ promercalia et usuaria in locis iisdem essent, ea sola esse penoris putat, quæ sint usui annuo. *Ulp. Dig.* 7. 8. 14. Per servum usuarium si stipulet etc. *h. e.* cujus non proprietatem nec fructum, sed usum tantummodo quis habet. Adde *Fronton.* 1. *ad Amic.* 14. *in.* Cf. FRUCTUARIUS. ¶ 2. Active is, qui utitur, *l'utente:* adhibetur autem absolute, substantivorum more. *Modestin. ibid.* 21. Usus aquæ personalis est: et ideo ad heredem usuarii transmitti non potest. *h. e.* ejus, qui usum tantummodo aquæ habet. *V.* FORICULIARIUM.

**ŪSŪĀRĬUS**, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

**USUBIS**, is, f. 3. herba eadem, quæ a Græcis dicitur chamædaphne: vox est Gallica. *Apul. Herb.* 28. Galli usubim appellant. Alii leg. usube.

**ŪSŪCĂPĬO**, căpis, cēpi, captum, căpere, a. 3. Usurpatur etiam divisim, sive citra compositionem. *Pompon. Dig.* 41. 3. 29. Propius est, ut usu eas capere non possis. — Et inverso ordine. *Paul. ibid.* 7. 1. Filius pro donato non capiet usu. — Part. *Usucaptus.* — Usucapio est rem aliquam continuatione usus vel possessionis mihi attribuo, vindico, in meum usum converto, *acquistare, fare suo,* χρήσει ἰδιοποιέομαι: pro quo JCti etiam dicunt *capere usu, capere utilitatis causa, usu suum facere, longo tempore capere, diutius possidendo capere, longa possessione capere.* V. CAPIO, is. *Cic. Harusp. resp.* 14. *extr.* Nihil mortales a diis immortalibus usucapere possunt. *Id.* 1. *Att.* 5. *a med.* De Tadiana re mecum Tadius locutus est, te ita scripsisse, nihil esse jam quod laboretur, quoniam hereditas usucapta esset. *Liv.* 22. 44. *sub fin.* Nullam penes se culpam esse, quod Hannibal velut usucepisset Italiam. *avesse fatta sua propria: si fosse fatto padrone. Plin.* 5. *Ep.* 1. Jam biennium transisse omniaque me usucepisse. *Ulp. Dig.* 50. 17. 118. Qui in servitute est, usucapere non potest; nam quum possideatur, possidere non videtur. Adde *Caj.* 2. *Inst.* § 59. *Sueton. Domit.* 9. *sub fin.* Subseciva, quæ carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, ut usucapta, concessit. *V.* SUBSECIVUS.

Homonym. Discrimen inter *usucapio* et *usurpo* V. sub USURPO.

**ŪSŪCĂPĬO**, ōnis, f. 3. (usus et capio) *Ususcapio* leg. nonnulli apud *Cic.* 1. *Legg.* 21. 55. *V.* infra. — Usurpatur et divisim, interjecta aliqua dictione. *Ulp. Dig.* 41. 10. 1. Si sponsa sponso ea mente tradiderit res, ut non ante ejus fieri vellet quam nuptiæ secutæ sint, usu quoque capio cessabit. — A JCtis appellatur etiam simpliciter *capio.* — In plur. num. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. V. CAPIO, onis. — Usucapio est acquisitio per usum legitimi temporis jure civili constituta. *Ulp. fragm. tit.* 19. Usucapio est adeptio dominii per continuationem possessionis anni vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii. *Modestin. Dig.* 41. 3. 3. Usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. *Cic.* 1. *Legg.* 21. 55. *Orell.* In qua quoniam usucapionem duodecim Tabulæ intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non sinemus. Alii leg. *ususcapionem.* Adde *eumd. Cæcin.* 26. 74.

**ŪSŪCAPTĬO**, ōnis, f. 3. (usus et captio) idem quod usucapio. *Schol.* ad *Horat.* 2. *Ep.* 2. 163. *p.* 442. *Pauly.* Proprietas acquiritur et per usucaptionem.

**ŪSŪCAPTUS**, a, um, partic. *V.* ŪSŪCAPIO, is.

**ŪSŪFĂCĬO** *et* usu facio, făcis, fēci, făcere, a. 3. (usus *et* facio) aliquid diu utendo sibi vindicare, usu capere. *Plaut. Amph.* 1. 1. 219. Cujus nunc es? so. tuus. nam pugnis usufecisti tuum.

**ŪSŪFRUCTŪĀRĬĒ**, adverb. (usufructuarius) ususfructus jure. *Respons. Papinian. tit.* 16. Ad secundas nuptias post designatum anni spatium transeuntes (*mulieres*) donationem mariti prioris possidere licet.

**ŪSŪFRUCTŪĀRĬUM**, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

**ŪSŪFRUCTŪĀRĬUS**, a, um, adject. (usufructus) ad usumfructum pertinens, *usufruttuario. Salvian.* 1. *advers. avar.* 5. Cur ergo quum possessores tantum usufructuarii simus, avertere a proprietate Domini tentamus? *Respons. Papinian. tit.* 22. Usufructuariæ donationes. *Cod. Theod.* 8. 18. 10. Usufructuario ordine possidere. *et mox.* Jure usufructuario retinere. — Hinc absolute, substantivorum more

*Usufructuarius, ii,* m. 2. qui usumfructum possidet, cujus est ususfructus in aliqua re, non etiam proprietas. *Ulp. Dig.* 7. 1. 7. Usufructu legato, quicumque rei reditus est, ad usufructuarium pertinet. *Cajus* 2. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 30. Ipse usufructuarius in jure cedendo domino proprietatis usumfructum, efficit, ut a se discedat et convertatur in proprietatem. *Salvian.* 3. *advers. avar.* 5. *sub init.* Quid opus est, ut filiis jam religiosis æqua hereditatis portio relinquatur? *et mox.* Certe aut tenues, aut usufructarii relinquuntur.

*Usufructuarium, ii,* n. 2. idem quod ususfructus. *Paulin. Vit. S. Ambros.* 38. in opp. *S. Ambr.* Prædia etiam, quæ habebat, reservato usufructuario germanæ suæ, donavit Ecclesiæ.

**ŪSŪFRUCTŪĀRĬUS**, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

**ŪSŪFRUCTUS.** *V.* USUSFRUCTUS.

**ŪSŪPERDO**, is, ere, a. 3. Alii divisim leg. *usu perdo, is,* quod etiam locum habet in *usucapio* et *usufacio.* — Usuperdo est amitto jus alicujus rei ex alius usucapione. *Plaut. Amph.* 2. 2. 215. Amphitruo es profecto: cave sis, ne tu te usuperduis (*pro* usuperdas). *h. e.* ne, dum alius simulat te esse, ipse tui possessionem ex alterius usu amittas.

**ŪSŪRA** *et* ussura, æ, f. 1. (utor) *Ussura* cum duplici *s* scribitur apud. *Plaut.* V. *Ritschl* ad *Trin. loc. cit.* et *Inscr.* apud *Gruter.* 1090. 21. et *Mommsen Inscr. Helv. n.* 149. — Usura est idem quod usus, actus utendi itemque facultas utendi re quapiam, χρῆσις (It. *uso;* Fr. *usage, jouissance;* Hisp. *uso, goce;* Germ. *der Gebrauch, die Benutzung;* Angl. *the use or enjoyment*).

I.) Proprie. *Acc. fragm.* 507. Atque hanc postremam solis usuram cape. *Plaut. Trin.* 1. 2. 144. Neque adeo hasce (*ædes*) emi mihi nec usuræ meæ. *h. e.* usui meo. *Id. Amph. prol.* 108. Usuram ejus corporis cepit sibi et gravidam fecit. *Cic.* 1. *Cat.* 12. 29. Si hoc optimum factu judicarem, unius usuram horæ gladiatori isti ad vivendum non dedissem. *Id.* 1. *Tusc.* 39. 93. Natura dedit usuram vitæ, tamquam pecuniæ, nulla præstituta die. *Id. Rabir. Post.* 17. *ad fin.* Ut huic optimo viro usuram hujus lucis et vestrum conspectum ne eripiatis. *Id.* 3. *leg. Agr.* 1. 2. A vobis, quos leviter immutatos esse sentio, exigui temporis usuram bonæ de me opinionis postulo. *Id.* 3. *Fam.* 1. Perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, et gratia et crebritate et magnitudine officiorum meorum sarciam. *Vellej.* 2. 34. 2. Temperare animum ab usura gloriæ.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est commodum et fructus, qui ex usu cujuspiam rei percipitur: et præcipue ex usu pecuniæ, quæ alii utenda conceditur. *Cic.* 5. *Verr.* 72. 168. Quis hoc fecit umquam, ut, quum senatus publicanos usura sæpe juvisset, magistratus a publicanis pecuniam pro usuris auderet auferre? *h. e.* quum senatus publicanis pecuniam sine fenore utendam dedisset. Alii leg. *versura,* sed nihil mutandum. ¶ 2. Item ponitur pro usuræ mercede et pretio, *h. e.* pro pecunia, quæ solvitur ultra sortem ei, qui pecuniam utendam dedit, *usura, censo, interesse,* τόκος: quæ vox Græca partum significat, a τίκτω, pario: est enim usura quidam quasi partus pecuniæ. *Isid.* 5. *Orig.* 25. 15. Usura est incrementum fenoris, ab usu æris crediti nuncupata. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Sine usuris pecuniam solvere. *Cic.* 12. *Att.* 22. Usuram pendere. *Id.* 9. *ibid.* 12. perscribere. *dar danari a censo.* sub usuris pecunias locare et apud trapezitam syngrapham earum conficere. *Sueton. Aug.* 39. Notavit aliquos, quod, pecunias levioribus usuris mutuati, graviore fenore collocassent. *Nepos Att.* 2. *ad fin.* Æs alienum multiplicandis usuris crescit. *h. e.* sortis summa, si usuræ multiplicentur, major fit. *Lucan.* 1. 181. Hinc usura vorax avidumque in tempore fenus. *voracem* dicit, quia, donec reddatur sors, semper poscit; et, si non solvatur, sortem ipsam absorbet. *Plin.* 6. *Ep.* 8. *circa med.* Rogo, cures, ut Atilio meo salva sit non sors modo, sed etiam usura plurium annorum. *non solo il capitale, ma ancora gl'interessi scorsi.* et 10. *Ep.* 62. Minuere usuram ac per hoc idoneos debitores invitare. *calare gl'interessi.* et *Plin. alter præf. Hist. nat. a med.* Sors fit ex usura. *gli interessi passano in capitale.* et *Ulp. Dig.* 14. 6. 7. *circa med.* Pecuniam sub usuris mutuam dare *dar denari a censo.* et *Tac. Germ.* 26. Fenus agitare et in usuras extendere ignotum. *sc.* ex usuris fenus capere vel per anatocismum vel pro usuris non solutis novas usuras solvere. *Cic.* 2. *Cat.* 8. *ad fin.* Certare cum usuris fructibus prædiorum *h. e.* tot usuris onerare se, quot fructus prædiorum. *Martial.* 5. 43. Debitor usu-

ram pariter sortemque negabit. *e interesse e capitale.* at *Paul. Dig.* 22. 1. 17. § 5. Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed accipit. *Vulg. interpr. Ps* 14. 5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. — Primis reipublicæ temporibus, quum Romani angustis adhuc coartarentur limitibus nec divitiis affluerent et expertes fere commerciorum essent, leviores admodum exercebant usuras. Etenim novimus ex *Tac.* 6. *Ann.* 16., primum ex lege XII. Tabul. (*h. e.* ann. U. C. CCCV.) sanctum fuisse, ne quis unciario fenore amplius exerceret. Hoc autem *unciarium fenus* vel *unciam usuram,* ut in UNCIA diximus, alii aliter interpretantur; alii enim 12 %, alii 10 %, alii 8 % exponunt: at cum *Furlanetto* recentioribusque haud paucis putamus esse 1 %, *l'uno per cento all' anno,* siquidem *uncia,* quum sit una ex duodecim assis partibus, unum repræsentat, uti *sextans* duo, *quadrans* tres, *triens* quattuor etc.; hinc usura uncia, *l' uno per cento,* sextans, *il due per cento,* quadrans, *il tre per cento* etc., ut infra dictum est. (Cf. etiam *Gronov. De sestert.* et *Mastrofini p.* 345.) Porro laudatam XII. Tab. legem progressu temporis neglectam iterum renovarunt, ut refert *Liv.* 7. 16., M. Duillius et L. Mænius trib. pleb. ann. CCCXCVII.; deinde alia rogatione tribunicia ann. CCCCVII. ex unciario fenus semunciarium factum est, ut docent *Tac. loc. cit.* et *Liv. ibid.* 27.; postremo, ut narrant idem *Tac. ibid.* et *Liv. ibid.* 42., ann. CCCCXII. L. Genucius trib. pleb. legem tulit ad populum, ne omnino fenerare liceret; sic itaque vetita est omnis usura. Sed quum nemo forte esset, qui gratis cuiquam pecuniam mutuam crederet, sua sponte lex irrita facta est et, crescente in dies luxu et gliscentibus hominum vitiis, recruduit paullatim vetus fenebre malum, ita ut postremis reipublicæ temporibus centesima usura simul cum anatocismo licita ac legitima habita fuerit, ut constat ex *Cic.* 5. *Att.* 21. *a med.* et 6. *ibid.* 1. et *Plinii loc. supra cit.,* quod quidem obtinuisse videtur, quoties nec pignoris alicujus depositione nec prædiorum obligatione cauta centesima esset, ut patet ex *Sidon.* 4. *Ep.* 24., quarum alterutra intercedente semissalis usura maxima, quincuncialis media, trientaria vero minima habita est (V. *Capitolini loc. cit.* in TRIENTARIUS); excepta tantummodo usura maritima, quæ ob naufragii discrimina nullis fuit olim legibus definita ideoque a *Paul. Sentent.* 2. 14. § 3. dicitur infinita, quam tamen deinceps intra centesimam cohibuit *Imp. Justinian. Cod.* 4. 32. 26. — Itaque hi sunt usurarum gradus et appellationes apud Romanos. Usura omnium minima antiquitus fuit semunciaria, *il mezzo per cento all'anno,* (V. SEMUNCIARIUS); unciaria, *l'uno per cento,* quæ una olim legitima habebatur; sextantaria, *il due;* sestertiaria, *il due e mezzo;* quadrantaria, *il tre* (V. QUADRANS); trientaria, *il quattro* (V. TRIENS et TRIENTARIUS); quincunx, *il cinque* (V. QUINCUNX et USURARIUS); semissalis, *il sei* (V. SEMISSALIS et SEMISSIS); septunx, *il sette;* bessalis, *l'otto* (V. BES); dodrans, *il nove;* dextans, *il dieci;* deunx, *l' undici* (V. DEUNX); centesima, *il dodici* (V. CENTESIMUS): quæ centesimæ etiam *usuræ asses* dicebantur. — Hactenus usurarum gradus olim liciti et legitimi; verum feneratorum aviditas et impudentia eo processit, ut aliquando extorqueretur usura binæ centesimæ, *il ventiquattro;* trinæ, *il trentasei;* quaternæ, *il quarantotto;* immo et quinæ, *il sessanta:* quarum usurarum exempla hic subjicimus. *Cic.* 5. *Verr.* 70. *in fin.* Binis centesimis feneratus est. (V. *Inscr. cit.* in ANATOCISMUS) *Juvenal.* 9. 7. Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus Circuit et fatuos non invenit. *Cic.* 5. *Att.* 21. *a med.* Quum ego in edicto tralaticio, centesimas me observaturum, haberem, cum anatocismo; ille ex syngrapha postulabat quaternas. *et mox.* Nam aut, bono nomine, centesimis contentus erat, aut, non bono, quaternas centesimas sperabat. Habes meam causam, quæ certe probabitur, præsertim quum S.C. modo factum sit in creditorum causa, ut centesimæ perpetuo fenore ducerentur. *h. e.* sine anatocismo. *Id.* 6. *ibid.* 1. *ante med.* Confeceram, ut (*Salaminii*) solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum. At Scaptius quaternas postulabat. *et mox.* Si Brutus putabit, me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota provincia singulas observarem, itaque edixissem, idque etiam acerbissimis feneratoribus probaretur; accipiam equidem dolorem, mihi illum irasci. *Id. ibid.* 3. *a med.* Salaminios adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent solvere; sed centesimis ductis a proxima quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renovatis quotannis. *Id. ibid.* 3. *circa med.* Sed Scaptius centesimis, renovato in singulos annos fenore, contentus non fuit. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 14. Quinas hic capiti mercedes exsecat. *dal capitale detrae il cinque per cento,* scilicet *il sessanta per anno.* — *Usuræ usurarum* sunt, quum usuræ non solutæ adduntur sorti, quæ quum crescat, etiam usuræ crescunt, idem ac anatocismus, vel renovatum in singulos annos fenus, *interesse dell' interesse.* Has vero usuras vetuit *Imp. Justinian. Cod.* 4. 32. 28. et ante eum alii principes, ut constat ex *Modestino Dig.* 42. 1. 27. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 2. 12. 20. Improbum fenus exercentibus et usuras usurarum illicite exigentibus infamiæ macula irroganda est. Id sancitum an. 287. a Chr. n. — Apud Romanos usuræ non semel quotannis, sed duodecies, h. e. singulis mensibus solvebantur, ut constat ex *Paul. Dig.* 12. 1. 40. Et calendæ quidem erat dies perscribendæ usuræ, idus exigendæ *V.* CALENDARIUM et IDUS. ¶ 3. Hinc metaphorice. *Varro* 1. *R. R.* 69. Quæ servari possunt, tum vendas, quum caritas est; sæpe enim diutius servata non modo usuram adjiciunt, sed etiam fructum duplicant, si tempore promas. *Cic. Senect.* 15. 51. Terra numquam recusat imperium, nec umquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fenore. *Plin.* 9. *Ep.* 28. *sub fin.* Alias litteras an acceperim, quæris: non accepi. Proinde prima quaque occasione mitte, appositis quidem usuris, quas ego (num parcius possum?) centesimas computabo. *h. e.* adjectis aliis litteris, quas tamquam mercedem solvas pro iis, quas jam debebas. *Manil.* 5. 272. Arvorum ingenerat studium (*Spicæ sidus*) rurisque colendi Seminaque in fenus sulcatis credere terris Usuramque sequi majorem sorte, receptis Frugibus innumeris atque horrea quærere messi. *Seneca Ep.* 95. Has usuras pendimus voluptatium.

ŪSŪRĀRĬUS *et* usurarius, a, um, adject. (usura) dicitur de re, cujus usum habemus, usuarius, *di uso.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 2. 35. Amphitruo subditivus exit foras Cum Alcumena uxore usuraria. *Id. Curc. a.* 3. *v.* 12. Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius Nunc mihi quæratur. usus est pecunia. ¶ 2. Speciatim ad usuram pecuniæ pertinens, fenebris. *Id. Truc.* 1. 1. 53. Tabulæ, ubi æra perscribuntur usuraria. *Ulp. Dig.* 16. 2. 11. Quum alter alteri pecuniam sine usuris, alter usurariam debet etc. *Id. ibid.* 3. 5. 5. *extr.* et *Tryphonin. ibid.* 37. *extr.* Usurarium debitum. *Papinian. ibid.* 21. 1. 7. debitor. — *Fronto* 1. *ad Amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 17. Varianis alumnis masculis femininisque sestertium deciens singulis reliquit usurarium proprius, quam proprium: nam quinquagena annua ab Augusta singulis dari jussit. *h. e.* deciens centena milia sestertiûm, ex quorum usuris quincuncibus quinquagena milia annua sestertium, *il capitale di* 1,000,000, *che al* 5 *per* 100 *dà* 50,000 *sesterzi annui.*

II.) Translate. *Ambros.* 2. *Interpr. Job et Dav.* 2. *n.* 6. Lucrum ergo morte acquiritur, vitæ autem usu tamquam miseris debitoribus usurarii nominis ad reatum fenus augetur. — Hinc

*Usurarius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more, qui ex pecunia fructum percipit, *usuraio. Auct. Queroli* 4. 2. 31. Usurario cuilibet fœtere hoc potest.

ŪSŪRĔCEPTĬO, ōnis, f. 3. (usurecipio) actus recipiendi ea, quæ prius possidebantur, restitutio dominii. *Cajus* 2. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 59. Adhuc etiam ex aliis causis sciens quisque rem alienam usucapit. Nam qui rem alicui fiduciæ causa mancipio dederit vel in jure cesserit, si eamdem ipse possederit, potest usucapere, anno scilicet, etsi soli sit. quæ species usucapionis dicitur usureceptio, quia id, quod aliquando habuimus, recipimus per usucapionem. *V.* voc. seq.

ŪSŪRĔCĬPĬO, cipis, cēpi, cipere, a. 3. (usus *et* recipio) recipio ex usu id, quod antea possederam. *V.* voc. præc. *Cajus* 2. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 61. Item si rem obligatam sibi populus vendiderit eamque dominus possederit, concessa est usureceptio: sed hoc casu prædium biennio usurecipitur; et hoc est, quod vulgo dicitur, ex prædiatura possessionem usurecipi. *V.* PRÆDIATURA.

ŪSURPĀBĬLIS, e, adject. (usurpo) cujus usus aliquis esse potest. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 6. *a med.* Si (*homo*) caperet hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proinde et malo, sicut bono, famulus. *h. e.* obnoxius malo.

ŪSURPANS, antis, particip. *V.* USURPO.

ŪSURPĀTĬO, ōnis, f. 3. (usurpo) actus usurpandi, frequens usus, tractatio, ἰδιοποίησις (It. *l'usare, uso;* Fr. *usage, emploi, jouissance;* Hisp. *uso, empleo;* Germ. *das Gebrauchmachen, der Gebrauch, die Benutzung;* Angl. *the use*). ¶ 1. Generatim. — *a*) In bonam partem. *Cic. Brut.* 71. *a med.* Consolari se cum conscientia optimæ mentis, tum etiam usurpatione et renovatione doctrinæ. *Id.* 7. *Verr.* 64. *extr.* Ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit. *Id.* 2. *leg. Agr.* 12. 31. Decemviri neque veris comitiis neque illis ad speciem atque ad usurpationem vetustatis per XXX. lictores auspiciorum causa adumbratis, constituti. *Liv.* 27. 19. Abstinere usurpatione vocis alicujus. *astenersi dall'usare qualche parola.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 7. (31). Divisus hic quoque ordo (*judicum*) superba usurpatione nominum, quum alius se nongentum, alius selectum, alius tribunum appellaret. *Liv.* 41. 23. Hæc usurpatio itineris insoliti quo spectare videtur? *questo imprendimento di viaggio.* — In plur. num. *Gell.* 7. 16. Orationis Latinæ usurpationes. — *b*) In malam partem est malus usus cujuspiam rei. *Imppp. Valens, Valent. et Gratian. Cod.* 1. 6. 1. Qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit. *Impp. Arcad. et Honor. ibid.* 4. 6. Per vim et usurpationem vindicare ac tenere aliquid. ¶ 2. Speciatim apud JCtos *usurpatio* est usucapionis interruptio, ut ait *Paul. Dig.* 41. 3. 2., quia ad usucapionem requiritur continuatio temporis, quæ si, alio interim aliquamdiu usurpante seu utente, interrumpatur, usucapio cessat. ¶ 3. Pro possessione. *Val. Max.* 4. 4. *n.* 1. Dominium rerum collabi solet: bonæ mentis usurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum.

ŪSURPĀTĪCĬUS, a, um, adject. (usurpo) illicita usurpatione paratus. *Consult. vet. JCti c.* 9. Usurpaticiis non subsistentibus causis.

ŪSURPĀTĪVĒ, adverb. (usurpativus) usurpando. *Serv.* ad illud *Virg.* 1. *G.* 210. serite hordea campis: *Hordea* usurpative ait: et sciendum tamen in his tres tantum casus usurpari, hæc hordea, vina, mella. Adde *eumd.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 289. *Gromat. vet. p.* 372. 31. *Lachm.* Uno modo eo quod sit naturaliter pes, alio modo quod usurpative per manus metiatur.

ŪSURPĀTĪVUS, a, um, adject. (usurpo) usurpationi inserviens, *usurpativo. Macrob. De differ. et societ. Græc. et Lat. verb. p.* 2764. *Putsch.* Verborum forma vel species, meditativa, inchoativa, frequentativa et usurpativa. *et p.* 2765. Hanc quidam gerundi modi vel participalem vocant, quia verba ejus pæne omnia similia participiis sunt et sola significatione distantia. nam *vado salutatum,* hoc est dicere *vado salutare*

aut *ut salutem* etc. *Diomed.* 1. *p.* 389. *ibid.* Usurpativa species est hujusmodi, quum dicimus *legendo proficit,* id est *dum legit: legendi causâ venit,* id est *ut legat* etc. Dicta est, quod usu exerceri quodque hoc pacto eloqui demonstrat. Hæc *Diomed.*

**ŪSŪRPĀTOR**, ōris, m. 3. (usurpo) qui usurpat. — *a*) In bonam partem. *Jul. Severian. Synt. rhet. præf. init.* Forsitan me usurpatorem ardui operis atque irriti laboris, Desideri, fateare. *imprenditore.* — *b*) In malam partem de eo accipitur, qui nullo jure aliqua re utitur. *Ammian.* 26. 7. *a med.* Usurpator indebitæ potestatis. *usurpatore.* Sic *Symmach.* 1. *orat. in Valentin.* (edente iterum *A. Maio*) 22. Merito usurpator tanti nominis oblatus ad pœnam.

**ŪSŪRPĀTŌRĬĒ**, adverb. (usurpatorius) cum usurpatione, usurpative. *Ambros.* 3. *Hexaem.* 15. *ad fin.* Ne usurpatorie videamur exponere differentias arborum et virtutes radicum. Adde *eumd.* in *Ps.* 118. *serm.* 5. et in *Luc.* 7. *n.* 15.

**ŪSŪRPĀTŌRĬUS**, a, um, adject. (usurpator) ad usurpatorem et contra jus utentem pertinens. *Impp. Constantin. Aug. et Julian. Cæs. Cod.* 10. 47. 8. *a med.* Si quis usurpatoria temeritate amplius aliquid fuerit conatus exigere.

**ŪSŪRPĀTRIX**, trīcis, f. 3. (usurpator) quæ usurpat, *usurpatrice. Salvian.* 3. *Gubern. D.* 12. Maxima quippe accusatrix hominum noxiorum est usurpatrix innocentiæ arrogantia.

**ŪSŪRPĀTUS**, a, um, particip. *V.* voc. seq.

**ŪSŪRPO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. Etymologi putant, vocem per syncopen conflatam esse ex *usus* et *rapio,* quasi in usum traho vel per usum meum facio. Cf. USUCAPIO, is. — Part. *Usurpans* 1. *a; Usurpatus* fere in omnib. paragr.; *Usurpandus* 1. *b* et 4. — Usurpo est frequenter utor, adhibeo, factito, in frequenti usu habeo sive agendo, sive loquendo pro sæpe commemoro, dico, loquor, χράομαι (It. *usare spesso, adoperare, praticare;* Fr. *faire usage, user de, user souvent, employer, pratiquer;* Hisp. *usar, emplear, practicar;* Germ. *gebrauchen, benutzen, anwenden;* Angl. *use, make use of, use often, practise*). ¶ 1. Generatim, et quidem — *a*) Agendo. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 41. O barathrum! ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens! *h. e.* te utar, me injiciendo et demergendo. *Cic. Amic.* 2. *a med.* Nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, quum valerem, abduci debui. *Liv.* 27. 8. *ante med.* Nec patrum nec avorum memoria Dialem quemquam id jus usurpasse. *h. e.* ut in senatum introiret. *Tac.* 14. *Ann.* 55. Avus meus Agrippæ et Mæcenati usurpare otium post labores concessit. *Id.* 4. *Hist.* 49. *sub fin.* Ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne etc. *Sueton. Tib.* 11. Mutua cum Græculis officia usurpans. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *a med.* Quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigetur jugum. *Paul. Dig.* 39. 4. 9. *in fin.* Usurpare immunitatem solvendi publici vectigalis. *Tac.* 15. *Ann.* 19. *extr.* Usurpare hereditates. *h. e.* adire et frui. *et* 14. *ibid.* 26. possessionem provinciæ. *et* 2. *ibid.* 59. Multa in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Græcis amictu etc. *Id.* 1. *Hist.* 4. Usurpare libertatem. *Id.* 11. *Ann.* 17. modo comitatem et temperantiam, sæpius vinolentiam ac libidines. *Sueton. Cal.* 38. Jure civitatem Romanam. *h. e.* gerere se pro cive. *Id. Claud.* 25. Peregrinæ condicionis homines vetuit usurpare Romana nomina, dumtaxat gentilicia. Sic *Tac.* 6. *Ann.* 28. Nonnulli falsum hunc phœnicem credidere nihilque usurpavisse ex his, quæ vetus memoria firmavit. *Cels. Dig.* 8. 6. 6. Usurpare sibi servitutem alicujus agri. *h. e.* uti servitute, quam habet ager, ut per illum viam habeam ad meum fundum. *Tac. Germ.* 31. Aliquid Germanorum populis usurpatum. *h. e.* usitatum. Rursus *Cic. Fam.* 16. Consolationes a sapientissimis viris usurpatæ. *Id.* 4. *Cat.* 4. 7. Genus pœnæ sæpe in improbos cives usurpatum. *Id.* 7. *Verr.* 20. *sub fin.* Jus imperii quotannis usurpatum ac semper retentum. *et ibid.* 47. *a med.* Illa Segestanorum non solum litteris tradita neque commemorata verbis, sed multis officiis illorum usurpata et comprobata cognatio. *Sueton. Tib.* 10. Loco et quasi possessione usurpati a se secundi gradus sponte cessit. *tenuto.* et *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 116. Longa consuetudo usurpata contra legem. *costume praticato.* — *Plin. Paneg.* 30. *a med. de Nilo.* Vagus ille et expanditor amnis intra usurpata semper collium substiterat atque hæserat. *h. e.* loca inter colles jam antea occupata et quasi possessa. — *Usurpatum est,* factitatum est, in usu est, *è in uso, si suol fare. Ulp. Dig.* 50. 13. 1. *ante med.* Ludi quoque litterarii magistris, licet non sint professores, tamen usurpatum est, ut his quoque jus dicatur. — *b*) Loquendo. *Varro* 6. *L. L.* 52. *Müll.* Sed de hoc erit usurpandum, quum de poetis dicemus. *dovrà parlarsi.* et *Cic. Amic.* 8. *ad fin.* et *redit. in Senat.* 15. 37. Usurpare memoriam alicujus rei. *Id. Marcell.* 2. 5. Soleo sæpe ante oculos ponere idque libenter crebris usurpare sermonibus etc. *Id. Orat.* 22. 73. Quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis minimis et maximis; quum hoc, inquam, decere dicimus, illud non decere. *Id.* 2. *Phil.* 28. *a med.* At quam crebro usurpat et consul et Antonius! *Id. Parad.* 2. *ante med.* Nomen tantum virtutis usurpas; quid ipsa valeat, ignoras. *Id. Parad.* 5. 1. Præclare est hoc usurpatum a doctissimis, nisi sapientem, liberum esse neminem. ¶ 2. Hinc speciatim est appellare, dicere, *nominare. Cic. Tim.* 11. Jovem atque Junonem. reliquos. quos fratres inter se agnatosque usurpare atque appellare videmus. *Colum.* 5. *R. R.* 6. *ante med.* Tabulata instituenda sunt. hoc enim nomine usurpant agricolæ ramos truncosque prominentes. *Cic.* 2. *Off.* 11. *ad fin.* C. Lælius is, qui sapiens usurpatur. *Rufinian. De schem.* 1. Quæ in scholis vulgo usurpatur controversia figurata. ¶ 3. *Usurpare* sensu aliquo est percipere, sentire. *Plaut. Trin.* 4. 2. 3. Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia atque Arabia, Quas ego neque oculis neque pedibus umquam usurpavi meis. *h. e.* neque vidi neque adii. *Id. Cas.* 3. 5. 9. Unde meæ usurpant aures sonitum? *Lucret.* 4. 972. Quum jam destiterunt ea sensibus usurpare. *Id.* 1. 300. Nec calidos æstus tuimur, nec frigora quimus Usurpare oculis. ¶ 4. Pro adhibere, uti. — *a*) Universim. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). Minium in voluminibus quoque scriptura usurpatur clarioresque litteras facit. *Id.* 11. *ibid.* 23. 27. (78). Nec puduit has vestes (*bombycinas*) usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam. *Id.* 7. *procem. a med.* Cetera animalia sentire naturam suam: alia pernicitatem usurpare, alia præpetes volatus etc. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (128). Hic primus videtur usurpasse symmetriam. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (102). Ibi maxime usurpanda observatione, quæ totis corporibus nihil utilius sale et sole dixit. — *b*) Pro male adhibere. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 10. 31. 42. Siquis temerario ausu ullum ex principalibus viris usurpata attrectaverit injuria. ¶ 5. Pro acquirere, vindicare, occupare, suum facere, ἰδιοποιεῖσθαι. *Cic.* 3. *Orat.* 28. *a med.* Ex jure civili, surculo defringendo, possessionem usurpare. *Justin.* 14. 2. *extr.* Receptus hac lege, paullatim imperium usurpat. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (80). Et aliam gloriam usurpavit. Cf. *Weissenb.* ad *Liv.* 33. 40. ¶ 6. *Usurpari uxorem* dicebatur, quæ, quum annum integrum cum viro, licet sine legibus, fuisset matrimonii causa, in manum mariti venisse et e tutorum potestate exisse, tamquam usucapta, censebatur: atque hoc matrimonium *usu initum* dicebatur. *Gell.* 3. 2. *a med.* Q. Mutium JCtum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quæ cal. Januar. apud virum causa matrimonii esse cœpisset et a. d. IV. cal. Januar. sequentes usurpatum isset. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. *circa med.,* ubi more suo *Gellii* verba exscribit: et *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 31. — Porro *usurpatum ire* passive accipiendum est pro *ire ut usurpetur,* h. e. ut a marito agnoscatur tamquam vera uxor. Etiam in priorib. *Gell.* verbis pro *non esse usurpatam* alii leg. *non isse usurpatum.* — Huc etiam pertinere potest locus satis obscurus *Cic.* 9. *Fam.* 22. Usurpat ea duplex cubile. Alii leg. *usurpata.* Cf. *Q. Mucium* apud *Gell.* 3. 2. ¶ 7. Denique est vindicare contra jus, *usurpare. Sueton. Claud.* 25. Civitatem Romanam usurpantes securi percussit. *Ulp. Dig.* 47. 22. 2. Quisquis illicitum collegium usurpaverit, ea pœna teneatur, quæ etc. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 8. 10. 5. Totius loci dominium usurpare.

Homonym. Differt *utor* ab *usurpo* eo quod hoc dicatur de actu, illud de habitu: diu *utimur,* sæpe *usurpamus. Cic.* 3. *Cat.* 2. 5. Quorum opera assidue utor. *Id.* 2. *Fin.* 35. 118. In ea quam sæpe usurpabas, tranquillitate degere omnem ætatem. Adde 7. *Verr.* 20. 51. et 2. *Phil.* 28. 70. *Id. Orat.* 51. 169. Post inventa conclusio est, qua credo usuros veteres illos fuisse, si jam nota et usurpata res esset. Sic *Tac.* 6. *Ann.* 11. Qui consulare munus usurpet. *h. e.* adeat, uti incipiat. — Item distinguunt JCti *usurpare* et *usucapere,* ut *usucapere* sit usu acquirere et possessione suum facere, sicut *usucapio* est dominii adeptio acquisitioque per continuationem possessionis, temporis lege definiti; *usurpare* autem apprehendere id, quod alius possidet eaque re possessionem illius interrumpere, et *usurpatio* est possessionis interruptio. Unde ex *leg.* 12. *Tab.* Usu uxor nondum *usucapta,* si ante annum a marito trinoctium abfuisset, dicebatur *usurpata* esse, quod interrupta ejus *usucapio* erat ipsaque apprehendebatur ab iis, quorum antea in potestate fuerat, puta parentum aut tutorum, et mariti potestate exibat, ut supra diximus. Ita *Popma Diff. p.* 421.

**ŪSŪRŬLA**, æ, f. 1. *deminut. ab* usura, parva seu modica usura. *Gloss. Philox.* Usurula, τοκαρίδιον.

**ŪSUS**, a, um, particip. *V.* UTOR.

**ŪSUS**, us, m. 4. (utor) — *a*) Etiam *oisus* scribitur. *Capell.* 3. *p.* 53. Oisus etiam dicitur: sic enim veteres usum dixere. *Id.* 2. *p.* 28. Et quantum oisus ejus telluris apportat. — Item *oesus* apud *Cic.* 3. *Legg.* 4. 10. Ast quid erit quod extra magistratus coerari oesus sit. *h. e.* curari usus sit. — *Ussus* cum s geminato scribitur in *Inscr.* Pompejana in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 2583. *V.* quæ *Mommsenio ibid.* adnotantur, coll. *Marin. Fr. Arv. p.* 500. ad *n.* 64. et *Mommsen. Inscr. Helv. n.* 149. — *b*) *Usu* in dat. sing. pro *usui* legitur apud *Lucret.* 3. 969., *Auct. B. Alex.* 61. cod. *A* et *Liv.* 4. 12. *Weissenb.* At *Müller* et *Zingerle* leg. *usui.* — Item in abl. sing. *uso* pro *usu* in *Inscr. Neap.* 6831. In uso est. — Usus est actus utendi, exercitatio, tractatio, χρῆσις: et ipsa etiam facultas utendi (It. *uso, adoperamento, esercizio;* Fr. *usage, emploi, practique;* Hisp. *uso, empleo;* Germ. *der Gebrauch;* Angl. *the use*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Pelles pro velis propter lini inopiam atque ejus usus inscientiam. *Id.* 1. *B. C.* 58. *a med.* Naves factæ subito ex humida materia non eumdem usum celeritatis habebant. *Cic.* 1. *Orat.* 4. 15. Ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio consecutus esset, adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. *Id. Balb.* 20. 45. Assiduus usus uni rei deditus et ingenium et artem sæpe vincit. *Ovid.* 1. *Art. am.* 473. Ferreus assiduo consumitur annulus usu. *et* 3. *ibid.* 91. silices tenuantur ab usu. *Horat.* 1. *Od.* 27. 1. Scyphi nati in usum lætitiæ. *Id.* 3. *ibid.* 3. 51. Aurum cogere humanos in usus. *Virg.* 3. *G.* 163. Formare boves ad usum agrestem. *allevarli per lavorar la campagna.* et *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Populus, salix, tilia egregiam habere videntur in usu rigiditatem. *in opera.* et *Liv.* 36. 10. Plures quam quod satis in usum esset, ignes quum accendisset. *più del bisogno.* et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (151). Radix cicutæ nullius usus. *non è buona da nulla.* Contra 20. *ibid.* 13. 51. (143). Ruta in maximo usu est. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. Tantum usu quotidiano et exercitatione efficiunt, ut etc. *Plin.* 1. *Ep.* 10. et 5. *Ep.* 14. Habere aliquid in usu. *praticare.* et *Ovid.* 6. *Met.* 349. Quid prohibe-

tis aquae? usus communis aquarum. *facoltà di servirsi.* — In illo *Petron. De mut. reipubl. R.* 52. prædam Fenoris ingluvies ususque exederat æris. *usus* est pro usura vel mutuatione sive usu æris alieni. ¶ 2. Specìatim est consuetudo, mos, *costume, uso. Cic.* 1. *Orat.* 3. *sub fin.* Dicendi omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versatur. *Horat. Art. P.* 71. si volet usus, Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi. *Justin.* 43. 4. *init.* Ab his Galli usum vitæ cultioris, deposita et mansuefacta barbaria, didicerunt. — *Est in usu alicui* aliquid, est usitatum. *Plin.* 1. *Ep.* 17. Est omnino Capitoni in usu claros viros colere. *ha per costume.* — *Usu venit*, proprie ex usu seu frequenter vel necessario aut vero fit, accidit. (*V.* USUVENIO in fin.). — Etiam *usu evenit*, eod. sensu, apud *Cic.* 1. *Invent.* 10. 14. et 5. *Fin.* 2. 4. Cf. *Orelli* ad *Cic. Tusc. p.* 451. itemque *Moser* ad *Cic. Tusc. p.* 246. Alii tamen leg. ubique *usu venire.* ¶ 3. Item consuetudo victus, familiaritas, amicitia, *pratica di confidenza, familiarità, amicizia:* quia amicis crebro et libenter utimur. *Cic. Rosc. Am.* 6. 15. Cum Metellis erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo. *Id. Planc.* 2. 5. Si tantummodo mihi necesse esset contra Laterensem dicere, tamen id ipsum esset in tanto usu nostro tantaque amicitia molestum. *Id.* 13. *Fam.* 52. Est hospes meus et præterea conjunctus magno usu familiaritatis. *et ibid.* 23. Inter nosmetipsos vetus usus intercedit. *Ovid.* 3. *Trist.* 5. 9. longo cognitus usu. ¶ 4. Item consuetudo Venerea, συνουσία. *Tibull.* 1. 7. 55. Et cum furtivo juvenem lassaverit usu. *Ovid. Remed. am.* 357. Nunc tibi, quæ medio Veneris præstentur in usu, Eloquar. ¶ 5. Item possessio, usucapio, *possessio, usucapione. Horat.* 2. *Ep.* 2. 159. Quædam - mancipat usus, Qui te pascit ager, tuus est etc. ¶ 6. Item apud JCtos *usus et fructus* vel *usus fructusque*, ususfructus. *V.* USUSFRUCTUS. ¶ 7. Item *usus et auctoritas* vel *usus auctoritas*, usucapio. *V.* AUCTORITAS. ¶ 8. *Usus* est etiam usura. *Inscr.* apud *Orelli mss. n.* 2092. *lin.* 5.

II.) Translate. ¶ 1. Est peritia, experientia, quam ex rerum usu acquirimus, *esperienza, pratica*, ἐμπειρία. *Cæs.* 3. *B. G.* 8. Veneti scientia atque usu nauticarum rerum ceteros antecedunt. *la teoria e la pratica.* et 1. *ibid.* 39. *a med.* Qui magnum in castris usum habebant. *h. e.* diu militaverant. *et* 4. *ibid.* 20. *in fin.* Habere usum belli. *h. e.* scire et exercere bellum. *et* 2. *B. C.* 8. Ut est rerum omnium magister usus, hominum adhibita sollertia, inventum est etc. *et* 1. *ibid.* 51. Hominum et locorum notitia et usus. *cognizione, pratica.* et *Ovid.* 6. *Met.* 29. seris venit usus ab annis. *la perizia, la pratica.* Sic *Cic. Cluent.* 31. 84. Vir prudentia, usu atque exercitatione præditus. *Liv.* 42. 52. Usu belli et ingenio impavida gens. *Id.* 7. 38. *ad fin.* Et ætate et usu doctus: quippe qui jam quartum consul esset dictatorque et censor fuisset. *Nepos Timoth.* 3. Duo viri usu et sapientia præstantes. *Cic.* 10. *Phil.* 21. *sub fin.* Usum in republica magnum jam habere debes et potes. *Plin.* 1. *Ep.* 20. *circa med.* Quod me docuit usus magister egregius. *Virg.* 1. *G.* 133. Ut varius usus meditando extunderet artes Paullatim etc. Sic *Colum. De cult. hort.* 339. ususque magister Tradidit agricolis ventos sedare furentes etc. *Pallad. De insit.* 165. Cetera quæ sollers processu temporis usus Exprimet. ¶ 2. Item est utilitas et fructus, quem utendo re quapiam percipimus, et etiam necessitas, *utilità, vantaggio, giovamento, bisogno.* — *a*) Universim. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 264. 19. *Merc.* Vinarii laniique, quorum præterea vulgus in dies usum habet. *si serve.* et *Cat.* 50. Neque quisquam omnium libidini simul et usui paruit. *al capriccio e all' interesse.* et *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. *a med.* Arborum consectio magnos usus affert ad navigia facienda. *Cels.* 3. 20. Itaque eos (*letargicos*) qui subinde excitant, sine usu male habere. *senza frutto o giovamento.* et *Ulp. Dig.* 50. 16. 203. In lege censoria portus Siciliæ ita scriptum erat: Servos, quos domum quis duceret suo usu, pro his portorium ne dato. *per suo uso.* Rursus *Sall. Jug.* 84. Aut belli usum aut studia vulgi amissurus. *Liv.* 6. 25. Illuc euntium, qua quemque suorum usuum causæ ferrent. *Id.* 26. 43. Unde, quæ usus belli poscunt, suppeditentur. *i bisogni.* — *b*) Hinc *usui et ex usu esse*, utile esse, prodesse, adjumento esse, expedire. *Plaut. Curc.* 4. 2. 14. Uti muscæ - culicesque Odio et malo et molestiæ; bono usui estis nulli. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Una erat magno usui res præparata a nostris. *Cic.* 1. *Att.* 1. *a med.* Satrius fuit et mihi, et Quinto fratri magno usui in nostris petitionibus. Adde *Sall. Jug.* 54. *Liv.* 3. 33. Peritos legum peregrinarum ad condenda nova juri usui fore credebant. *Ter. Eun.* 5. 9. 47. Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo Nemo est. *Cic.* 4. *Tusc.* 7. 14. Bonum quod sit ex usu jam præsens esse atque adesse. *torni bene.* et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 110. (175). Folia myrti et lentisci simul terere et mandere matutino, ex usu est. — *c*) *Usus est*, opus est, *fa bisogno, fa d'uopo.* — α) Absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 9. Ubicumque usus siet. *Id. Merc.* 5. 2. 13. Egomet mihi fero, quod usu 'st. *Ter. Heaut.* 1. 1. 28. Mihi sic est usus. *Cic.* 4. *Tusc.* 2. *extr.* Sed de ceteris studiis alio loco dicemus, si usus fuerit. Adde 1. *Off.* 26. *ad fin.* — β) Cum Genetivo. *Liv.* 26. 9. Offerunt se, si quo usu operæ sit. — γ) Sæpius cum Ablativo. *Plaut. Rud.* 2. 3. 67. Jam istoc magis usus facto est, Ut eam intro. *Id. Trin.* 2. 4. 102. Ubi usus nihil erat dicto, spondeo, Dicebat. Adde *Ter. Hecyr.* 3. 1. 47. *Plaut. Asin.* 1. 1. 76. Filio jam usus est filio argenti minis. *Virg.* 8. *Æn.* 441. nunc viribus usus, Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra. — δ) Cum Acc. et præp. *ad. Plaut. Pseud.* 1. 3. 151. Ad eam rem usus est hominem astutum, doctum et callidum, Qui imperata effecta reddat. *Gell.* 2. 15. Postquam ad prolem populi frequentandam præmiis atque invitamentis usus fuit. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 38. et alibi. *V.* etiam sub II. *b*) — ε) Cum part. *ut* et Conjunctivo. *Ter. Heaut.* 1. 1. 29. An cuiquam est homini usus, se ut cruciet. Adde *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 39. — *d*) *Usus adest*, fere eod. sensu. *Cæs.* 3. *B. C.* 84. Ut equites Pompejanorum impetum, quum adesset usus, sustinere auderent. *ove si offrisse l'occasione o venisse il destro.* — *e*) *Usus venit*, contingit, accidit, ut opus sit, *accade, occorre, viene il bisogno. Plaut. Cist.* 1. 2. 28. Si quis usus venerit, Meminisse ego hanc rem vos volo. *Ter. Heaut.* 3. 2. 42. Nou usus veniet, spero. *et ibid.* 46. De istoc, quum usus venerit, Videbimus, quid opus sit. *Cic.* 3. *Fam.* 8. *a med.* Quum præsertim mihi usum venturum non arbitrarer, ut ego quoque absens a te defendendus essem. Apud *Cicer.* alii leg. *usu venturum.* V. USUVENIO. — *Cato R. R.* 4. Si quid bona salute usus venerit, benigne defendent. *V.* SALUS.

Homonym. Discrimen inter *usum* et *usumfructum* V. sub voc. seq.

ŪSUSFRUCTUS (ususfructus), us, m. 4. Alia forma est *usufructus* in *Gloss. Cyrill.* Ἐπικαρπία, usufructus. *et ibid.* Καρπίας χρῆσις, ususfructus. — Ceterum hoc nomen utraque parte declinatur, ita ut *usufructus* in recto casu tantum et parum probabiliter adhibeatur. Cf. tamen derivata *usufructuarius* etc. — Separate etiam usurpatur. *Cic. Cæcin.* 7. *circa med.* Usus enim ejus et fructus fundi, testamento viri, fuerat Cæsenniæ. *Seneca Ep.* 73. *a med.* Sibi horum usus fructusque contingat. — Ususfructus est rei usus fructuosus, quum scilicet res aliqua non nostra est, sed perinde ex ea fructum atque utilitatem capimus ac si nostra esset, ἐπικαρπία, ἐκκάρπεια (*It. usufrutto; Fr. usufruit; Hisp. usufruto; Germ. der Niessbrauch; Angl. the usufruct*). *Paul. Dig.* 7. 1. 1. Ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. *Cic. Cæcin.* 4. *a med.* Usumfructum omnium bonorum suorum Cæsenniæ legavit, ut frueretur una cum filio. *Id. Top.* 4. 21. Si paterfamilias uxori ancillarum usumfructum legavit a filio, neque a secundo herede legavit, mortuo filio, mulier usumfructum non amittet. *Marini Pap. dipl. n.* 84. *col.* 1. *lin.* 12. Ei dono contuli casam - retento mihi usufructu in die vitæ meæ.

Homonym. Differt *usus* ab *usufructu*, quod *usus* est jus utendi re aliena, salva rerum substantia: *ususfructus* autem omnem rei fructum significat et jus utendi fruendique præstat tam ad quæstum aut voluptatem, quam ad necessitatem. Ita in usufructu et usus est; at usu fructus non continetur. *Popma Diff. p.* 621. Cf. *Cic. Cæcin. loc. cit.*

ŪSŬVĔNIO, vēnis, vēni, ventum, vĕnīre, n. 4. (*usus et venio*) Proprie duæ voces sunt *usu venio:* itaque præter quam quod in adlatis et aliis similibus exemplis separatæ inveniuntur in optimis codicibus, interseritur etiam iis interdum alia vox. *Cic.* 7. *Att.* 26. Non venit idem usu mihi, quod tu tibi scribis. *Id.* 1. *Orat.* 40. 183. Quid quod usu memoria patrum venit, ut etc. *Gell.* 19. 12. Quod cuipiam Thraco venisse usu fabula est. — Part. *Usuventurus.* — Usuvenio est evenio, accido, contingo, *avvenire, accadere. V.* tamen USUS sub I. 2. Cf. etiam *Hild.* ad *Apul.* 1. *Met.* 20. — Usurpatur in tertia pers. tantum. *Cic. Quinct.* 15. 49. Nam quid homini potest, turpius, quid vero miserius aut acerbius usuvenire? *Id. Senect.* 3. 7. Nam si id culpa senectutis accideret, eadem mihi usuvenirent omnia et reliquis majoribus natu. *Alii leg.* usu evenirent. *Id.* 7. *Verr.* 39. 101. Causam sibi dicendam statuerat jam ante, quam hoc usuveniret. *Id.* 2. *Herenn.* 5. *ad fin.* Dicet eum præmeditatum fuisse, quid sibi esset usuventurum. *Nepos Alcib.* 4. Id quod usu venerat. Adde *Gell.* 19. 12.

Homonym. Ita distinguit *Popma* (*Diff. p.* 422.) v. *usuvenit* ab *accidit, contingit*, ut illud dicatur de eo, quod fit frequentius; hæc vero etiam de eo, quod non est consuetum: ratione quidem habita nominis *usu*, quo dictio efficitur.

# UT

UT *et* uti, adverbium et conjunctio. — *a*) Factum videtur *ut* per apocopen ab *uti*, quæ forma primitiva est et a qua illud non differt nisi frequentiore usu. *Müllerus De re metr. p.* 398. hæc habet: *Ut* et *uti* æquabili ferme viguere honore: unde et librarii aliquando longiorem formam pro breviore et sæpius hanc pro illa posuere; nam neque *Lævius* scripsit metro Ionico *ita uti alma nocti luca 'st:* scripsit *ita ut* et restituenda sunt *Lucilio* etc. — *b*) *Utei* pro *uti* sæpe occurrit in *Inscrr.* V. *Corp. Inscr. Lat.* 1. 196., 198., 199., 200. etc., *Inscr. Neap.* 5366. et *Ps. - Sall. De rep.* 1. 1. 9. *Jord.* — *Uteique* pro *et utei* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 196. (27.), 203., 571. — *c*) Etymon vocis repetunt recentiores a Skr. *ka*, qui, et *ta*, is, quasi sit pro *cutei* vel *cuti.* (V. UBI) Cf. οὕτως. Sane significatio primitiva vocis est *eo* (modo) *quo. Döderlein* minus recte conjungit cum Gr. ὅτι. *V.* etiam, de hujus particulæ origine et significationibus, cl. *Madvig* in *Gramm.* § 372. — *d*) De quantitate ultimæ syllabæ in *uti* alii aliter senserunt. Sunt qui longam ubique, alii vero qui ancipitem ponunt: ita ut brevis sit apud *Enn.* ex *Gell.* 3. 14. Sic uti siqui' ferat vas vini dimidiatum. Sic apud *Lucil.* ex *Non. p.* 154. 27. et *p.* 173. 22. *Merc., Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 130., *Lucret.* 2. 536., *Fest. p.* 206. 27. etc.: longa apud *Horat.* 1. *Sat.* 6. 101. ducendus et unus Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve Exirem. *et* apud Comicos Poetas. Priores tamen censent, in omnibus locis, ubi alii *uti* legunt, cum ultima brevi, *ut* legendum esse. V. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 106. Cf. etiam *Müller De re metr. p.* 334. et *Ritschl* in *Proleg.* ad *Plaut. p.* 169. Nihil profecto certi definiri potest: ceterum sive ex eo quia Grammatici

aliquando brevem legerunt; sive ex collatis *utinam*, *utique*, quæ hac particula constant; sive etiam ex analogia quadam cum *ubi* aliisque hujusmodi particulis, altera sententia mihi verisimilior videtur. *V.* etiam *Vanicek op. cit. p.* 269. — *e*) Acuto accentu efferri, quoties valet quomodo, testantur *Diomed.* 1. *p.* 388. *Putsch.*, *Charis.* 1. *p.* 202. *ibid.* et *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 667. — Particula *ut* vel *uti*

*A*) Est adverbium modi: quod adhibetur conjuncte seu relative, aut absolute, idque interrogandi vel admirandi vel optandi causâ.

I.) *Ut*, conjuncte seu relative, est eo modo quo, quemadmodum, quomodo, qua ratione, ὥσπερ, καθώς (It. *come*; Fr. *comme, de la manière que*; Hisp. *como, asi que*; Germ. *wie*; Angl. *as, even as*). Adhibetur autem — 1.°) Post verba percipiendi, sentiendi et hujusmodi. — *a*) Cum Indicativo. *Enn.* apud *Non. p.* 150. 6. *Merc.* Divi, hoc audite parumper, ut pro Romano populo prognariter armis Certando prudens animam de corpore mitto. *Id.* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 38. Eloquere res Argivom prœlio, ut se sustinet. *Plaut. Amph.* 2. 1. 9. Tamen, quin loquar, hæc uti facta sunt hic Numquam ullo modo me potes deterrere. *Id. Trin.* 3. 3. 21. Edoce eum, uti res se habet. *Id. Curc.* 1. 2. 34. hoc (sis) vide, ut Ingurgitat impura in se merum Faucibus plenis. Adde *ibid. v.* 62. *Ter. Adelph.* 5. 2. 20. Illud vide, ut ipso articulo oppressit. Adde *Eun.* 4. 4. 3. *Id. Adelph.* 3. 5. 3. Atque, ut res gesta est, narrabo ordine. *Acc.* apud *Serv.* ad *Virg.* 12. *Æn.* 605. Nam flori crines video ut propessi jacent. *Turpil.* apud *Non. p.* 21. 25. *Merc.* Viden, ut osculatur cariem. Sic *Afran.* apud *eumd. p.* 89. 9. *ibid.* Viden, ut facunde contra causaris patrem. *Catull.* 61. 77. Viden, ut faces splendidas quatiunt comas. *et* 62. 8. Viden, ut perniciter exsiluere! *Id. ibid.* 12. Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirunt. *Virg.* 4. *Ecl.* 52. aspice, ut antrum Silvestris raris sparsit labrusca racemis. *Id.* 1. *G.* 56. nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur, molles sua tura Sabæi. *Ovid.* 1. *Fast.* 295. Quid vetat et stellas ut quæque oriturque caditque, Dicere? — *b*) Cum Conjunctivo. *Cato R. R.* 1. Eo quum introeas, circumspicias, uti inde exiri possit. *Ter. Eun.* 5. 4. 48. Tu isti narra omnem ordinem, ut factum siet. *Pacuv.* apud *Non. p.* 15. 17. *Merc.* Gnate, ordinem omnem, ut dederit, enoda patri. *Turpil.* apud *eumd. ibid.* 16. Ab initio ut res gesta sit, enoda mihi. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Cæsar docebat, ut omni tempore totius Galliæ principatum Ædui tenuissent. *Varro* apud *Non. p.* 243. 23. *Merc.* Non videtis, unus ut parvulus Amor ardifeta lampade arida agat amantis æstuantis etc. Cf. *Lucret.* 6. 1077. *Cic. Cluent.* 25. 67. Jam hoc non ignoratis, ut etiam bestiæ fame monitæ plerumque ad eum locum, ubi pastæ sunt aliquando, revertantur. *Id.* 1. *Orat.* 26. 121. Equidem in me ipso experior, ut exalbescam in principiis dicendi et tota mente atque artubus omnibus contremescam. *Id.* 1. *Att.* 16. *ante med.* Credo te audisse, ut me circumsteterint, ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint etc. *Id.* 3. *Verr.* 45. 115. Videte, ut hoc iste correxerit. *Id.* 5. *Fin.* 18. 48. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, ut pulsi recurrant, aliquid scire se gaudeant, ut aliis narrare gestiant. *Virg.* 2. *Æn.* 3. Infandum, regina, jubes renovare dolorem, Trojanas ut opes et lamentabile regnum Eruerint Danai. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 318. matri denarrat, ut ingens Belua cognatos eliserit. *Id.* 1. *Od.* 9. 1. Vides, ut alta stet nive candidum Soracte. *Id.* 3. *Od.* 10. 7. Audis — et positas ut glaciet nives Puro numine Juppiter? — 2.°) Construitur etiam sod. sensu cum particulis demonstrativis, quæ modo anteponuntur, modo postponuntur: videlicet — *a*) Cum particula *ita*: quæ valet aliquando *tamen*, cui tunc ut respondet pro *quamquam*. V. *Kritz* ad *Tac. Agric.* 44. *p.* 137. — *α*) Universim. *Cato R. R.* 118. Cetera item condito ita, uti supra scriptum est. *Id. ibid.* 134. Jovi vinum dato ita, ut prius datum ob struem obmovendam. *Plaut. Most.* 3. 1. 117. Nam postquam hæce ædis ita erant, ut dixi tibi, Continuo est alias ædis mercatus sibi. *Id. Rud.* 4. 4. 21. Ita, ut occepi dicere. *Id. Cas.* 2. 3. 18. SAL. respice, oh mi lepos! CLEO. nempe ita, uti tu mihi es. *Id. Trin.* 4. 2. 15. Ille uti me exornavit, ita sum ornatus. *Ter. Heaut.* 4. 3. 24. Aperte, ita ut res sese habet, narrato. *Id. Andr.* 1. 1. 121. Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam Neget daturum. *Id. Heaut.* 2. 3. 47. tum ornatam ita, uti quæ ornantur sibi. Adde *Adelph.* 4. 7. 37. *Cæcil.* apud *Fest. p.* 360. 25. *Müll.* Sepulcrum plenum tæniarum ita, ut solet. *Afran.* apud *Charis.* 2. *p.* 189. *Putsch.* Scis habitatum ita, ut nunc obtinet. *Laber.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. 3. Ut hedera serpens vires arboreas necat, ita me vetustas amplexu annorum enecat. *Cic.* 2. *Fam.* 10. Ut optasti, ita est. *Sall. Cat.* 25. Cetera uti facto opus sit, ita agant. *Liv.* 3. 55. Hæc omnia ut invitis, ita non adversantibus patriciis transacta. *Tac.* 1. *Ann.* 12. Dixit forte Tiberius, se, ut non toti reipublicæ parem, ita, quæcumque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum. — In votis et jurejurando. *Ter. Heaut.* 4. 1. 8. Ita me dii ament, ut ego nunc non tam mea causa lætor quam illius. Cf. *Cic.* 1. *Att.* 16. — *β*) Jungitur sæpe et cum pron. *quisque*, quod crebrius secum habet superlativa aut comparativa, et idem fere est ac quo magis - eo magis, *quanto più - tanto più*. *Ter. Adelph.* 3. 3. 45. Ut quisque suum vult esse, ita est. *Cato R. R.* 131. Postea uti quæque (*loca*) gravissima atque aquosissima erunt, ita postremo arato. *Turpil.* apud *Priscian. De metr. p.* 1326. *Putsch.* Profecto ut quisque minimo contentus fuit, ita fortunatam vitam vixit maxime. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. Ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur. *Id.* 1. *Off.* 16. 50. Si, ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. *Id.* 2. *Orat.* 66. 265. Ut quisque optime Græce sciret, ita esse nequissimum. *Liv.* 9. 6. *init.* Ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ objectus. *Sall. Jug.* 93. Quorum uti cujusquam ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nunciavere. *Id. ibid.* 80. Post, uti quisque opulentissimus videatur, ita Romanis hostem fore. *Cic. Senect.* 18. 64. Ut quisque ætate antecedit (*h. e.* maximus est), ita sententiæ principatum tenet. — Omisso *quisque*. *Id.* 2. *Orat.* 41. 174. Hæc ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt. — Omisso etiam *ita*, cum superl., pro *quam*. *Id. Cluent.* 26. *a med.* Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, ut blandissime potest. *quanto più*. — *γ*) Sequente etiam particula *si*. *Ter. Eun.* 1. 2. 37. Docere, educare, ita ut si esset filia. *h. e.* perinde ac si. — *b*) Item cum particula *sic*. *Plaut. Truc.* 2. 2. 9. ut esse cœpisti, sic es tu ἁλς mera. *Id. Most.* 4. 3. 40. Hæc res sic est, ut narro tibi. *Id. Pœn.* 4. 2. 46. SY. Diespiter me. sic amabit. MI. ut quidem edepol dignus es. SY. Ut ego hanc familiam interire cupio. Adde *Ter. Heaut.* 3. 1. 54. *Cic.* 6. *Rep.* 15. *extr.* Sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, justitiam cole. *Id.* 10. *Att.* 18. Ut male posuimus initia, sic cetera sequentur. Cf. *Sall. Jug.* 2. Postremo corporis et fortunæ bonorum ut initium, sic finis est - animus incorruptus, æternus. *Cic. Senect.* 18. 65. Ut non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. *Id.* 2. *Phil.* 45. 115. Ut quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi, avari, facinorosi veræ laudis gustum non habent. *Id.* 13. *Fam.* 1. Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem. *Liv.* 4. 6. Ut fortasse vere, sic parum utiliter in præsens certamen respondit quod etc. *Cels.* 3. 7. Non sic pueri, ut viri, debent. — Sequente superl. *Cic.* 7. *Fam.* 17. Sic te commendavi, ut gravissime diligentissimeque potui. *quanto più*. — Et conditionali *si*, idemque est quod perinde ac si, *come se*. *Id.* 2. *ibid.* 14. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. — Hoc sensu *sic* etiam omittitur. *Id.* 4. *Tusc.* 23. 51. Scipio privatus ut si consul esset, se sequi jussit. Adde *ibid.* 27. 59. et *Nepot. Tim.* 3. *Liv.* 22. 50. Cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen, ut si nihil obstet, transibimus. — *c*) Cum eisd. particulis juncta *sic ita* (fortasse pro *sicut* - *ita*) vel *ita ita*, per pleonasmum aut ad majorem vim. *Cato R. R.* 82. Spæritum sic facito ita uti spiram. *Id. ibid.* 144. Scalæ ita uti datæ erunt, ita reddito nisi quæ vetustate fractæ erunt. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 5. Nam ita ut corporis bonam valetudinem tumor imitatur sæpe, ita gravis oratio sæpe imperitis videtur ea, quæ etc. Cf. *Klotz* ad *Cic. Script. p.* I. *v.* 1. *p.* 11. *adn.* 2. — *d*) Cum *sic item*, *sic contra* vel *e contrario* etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Ut ipsi concedi non oporteret, si etc. sic item nos esse iniquos, quod etc. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Ergo ut hi miseri, sic contra illi beati. *Cæs.* 7. *B. G.* 30. Ut reliquorum imperatorum res adversæ auctoritatem minuunt, sic hujus ex contrario dignitas incommodo accepto in dies augebatur. — *e*) Et cum *item*, *itidem*, part. *sic* omissa. *Plaut. Capt. prol.* 55. Non pertractate facta 'st (*fabula*) neque item ut ceteræ. Adde *ibid.* 5. 4. 11. et *Pseud.* 1. 2. 63. *Id. Rud.* 4. 4. 55. Ut tute es, item censes omnes. *Ter. Heaut.* 5. 4. 13. Non, si ex capite sis meo natus, item, ut ajunt, Minervam esse ex Jove. *Cic. Cluent.* 24. 66. Vos, quæso, ut adhuc me attente audistis, item quæ reliqua sunt, audiatis. *Id. Orat.* 60. 202. Non item in oratione, ut in versu, numerus exstat. *Plaut. Curc.* 3. 81. Quia enim in cavea si forent conclusi itidem ut pulli gallinacei, Ita non potuere uno anno circumirier. *Id. Rud.* 3. 2. 45. Jube oculos elidere itidem ut sæpius faciunt coqui. *Id. Capt.* 2. 2. 11. Ut vos hic, itidem illi apud vos meus servatur filius. *Lucret.* 3. 11. Floriferis ut apes in saltibus omnia libent, omnia nos itidem depascimur aurea dicta. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 44. — *f*) Cum *proinde*. *Plaut. Capt.* 2. 2. 64. Is uti tu me hic habueris, proinde illum illi curaverint. *Id. ibid.* 57. Et quidem si proinde ut ipse fui imperator familiæ, Habeam dominum. *Id. Trin.* 1. 2. 27. Edepol proinde ut diu vivitur, bene vivitur. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 21. Ut vos domi mihi eritis, proinde ego ero fama foris. Adde *Lucret.* 4. 646. et *Varron.* 1. *R. R.* 2. 19. — *g*) Cum dictionibus *ad istum modum*, *isto modo*, *similiter* et hujusmodi. *Cato R. R.* 42. *extr.* Ad eumdem modum oblinito, integito, uti cetera. Adde *ibid.* 78. *Cic.* 1. *Nat. D.* 21. 59. Non igitur ille, ut plerique, sed isto modo, ut tu, distincte, graviter, ornate (*dicebat*). et 6. *Verr.* 12. 27. Licuit eodem modo (*emere*) ut signa. Adde *M. Anton.* apud *Cic.* 13. *Phil.* 11. 26. *Cic. Brut.* 53. 197. Ut Crassus ab adulescente delicato exorsus est, similiter Scævolam etc. *Id.* 2. *Tusc.* 23. 54. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt; simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum etc. — Sequente *si*. *Id.* 1. *Off.* 25. 87. Similiter facere eos, ut si nautæ certarent. *Tac. Germ.* 2. Ut sic dixerim, adversus Oceanus - aditur. — 3.°) Etiam sine particulis usurpatur. — *a*) Generatim est, ut diximus, eo modo quo, sicut. *Enn.* apud *Non. p.* 226. 30. Nomine Burrus, uti memorant, a stirpe supremo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 106. Recte dicis: ut commeminit, somnium narrat. *Id. ibid.* 2. 2. 208. AM. Satis audacter. AL. ut pudicam decet. *Id. ibid.* 5. 1. 40. Ubi utero exorti dolores, ut solent puerperæ, Invocat deos immortales. *Id. Rud.* 3. 5. 49. Ut potis est, ignavi homines satis recte monent. *Id. Asin.* 3. 3. 121. ambo nos, ut est collubitum, delusistis. *Ter. Phorm.* 1. 2. 5. Præsertim ut sunt nunc mores. *Id. Andr.* 2. 1. 10. age age, ut lubet. *Id. Eun.* 1. 2. 18. Credo, ut fit, misera præ amore exclusti hunc foras. *Id. Hecyr.* 4. 4. 97. Faciam, ut monea. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Gallia sub septemtrionibus, ut ante dictum est, posita est. *Id.* 1. *ibid.* 22. Labienus, ut erat ei præceptum a Cæsare, nostros exspectabat. *Sall. Jug.* 110. Ut ego æstumo. *Id.* 1. *Hist. fr.* 41. *Kr.* Uti Sulla ait. *et ibid.* 37. Ut ait Appius. *Id. Jug.* 84. Uti consueverat. *et ibid.* 96. Uti supra dictum est. *Id.* 2. *Hist. fr.* 26. *Kr.* Ut alii tradiderunt. *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 48. Quonam modo? inquies. — Vel ut dominus servo

vel ut imperatur militi, vel ut parens filio. *Id.* 5. *ibid.* 36. 103. Ut mos est in Græcia. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. 9. Ciceronem et ut rogas, amo, et ut meretur et ut debeo. *Id. Senect.* 3. 7. Faciam, ut potero, Læli. *Id. ibid.* 3. 8. Est, ut dicis, Cato. Adde 15. *Att.* 5. *Id.* 1. *Fam.* 2. Nos in senatu, quemadmodum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia, retinebimus. *Id.* 1. *Rep.* 14. 20. Doctissimus, ut scitis, homo. *Id.* 1. *ibid.* 1. 1. Homo demens, ut isti putant. *Id. Brut.* 15. 58. In nono, ut opinor, annali. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 3. In qua (*oratione*) objecit ut probrum M. Nobiliori, quod etc. Duxerat autem consul ille in Ætoliam, ut scimus, Ennium. *Id.* 1. *Rep.* 46. 70. Ut opinio mea fert. *Id. Amic.* 5. 19. Agamus igitur pingui, ut ajunt, Minerva. Sic 3. *Off.* 33. 117. Sed aqua hæret, ut ajunt. *Id. Senect.* 14. 48. Ut diximus. *Id. Brut.* 13. 60. Ut in veteribus commentariis scriptum est. *Id.* 4. *Verr.* 14. 36. Hi, ut dico, hominem admonent etc. *Id.* 11. *Fam.* 16. Si autem, ut spero etc. *Id.* 9. *ibid.* 16. Nec frustra, ut arbitror. *Id. ibid.* Non ut olim solebat, sed ut nunc fit. *Id.* 1. *Tusc.* 9. 17. Tu, ut videtur etc. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Quidam ex his, ut postea ex captivis cognitum est, pervenerunt. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 29. et 41. *Tac. Agric.* 3. Et, ut dixerim, non modo etc. — *Uti possidetis,* formula prætoris. *V.* POSSIDEO et UTROBI. — *Uti rogas,* formula pro *volo, jubeo,* h. e. legem approbo. Cf. ROGO. — *b*) Speciatim pro *utpote, quippe,* vel *utpote qui, quippe qui,* quod pronomen haud raro exprimitur et cum Conjunctivo construitur. *Cic.* 9. *Phil.* 7. 17. Quod sepulcrum ipsius, liberorum posterorumque ejus esset, uti quod optimo jure publice sepulcrum datum esset. *Id.* 11. *ibid.* 12. 30. C. Cassium procons. provinciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo jure provinciam obtinuerit. *Plaut. Curc.* 2. 1. 2. Quando Æsculapii ita sentio sententiam, ut qui nihili faciat nec salvum velit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 143. Quum oculis ad cernendum egeremus, ut qui tamquam involuti quiescerent. *Nepos fragm.* 4. 51. M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus. *sc.* quam maxime. Adde *Tac. Germ.* 10. V. *Kritz* in *h. l. Liv.* 41. 2. Clamor in portis, ut ubi nulla esset statio - quæ sustineret impetum, audiebatur. *Id.* 44. 39. Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus. — *Sall. Jug.* 7. Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio - in tantam claritudinem pervenerat. *Cic. Rosc. Am.* 12. 33. Ajunt hominem, ut erat furiosus, respondisse etc. *incollerito com' era.* et 1. *Tusc.* 45. 108. Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus. Adde *Mur.* 25. 51. *Id. Pis.* 25. 59. Dices, ut es homo facetus etc. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 40. hic onus horret, Ut parvis animis et parvo corpore majus. Adde *Avien. Perieg.* 812. et 1059. — *c*) Item exempli citandi causâ adhibetur et est sicut, velut, *siccome,* καθάπερ: et sub eodem verbo casus similes antecedentibus poscit. *Cic.* 2. *Acad.* (*post.*) 24. 76. Ea se sola percipere dicunt, quæ tactu intimo sentiant, ut dolorem, ut voluptatem. *Id.* 4. *Tusc.* 11. 25. Similiterque ceteri morbi, ut gloriæ cupiditas, ut mulierositas - ceterique similiter morbi ægrotationesque nascuntur. Quæ autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu, ut odium mulierum, ut in hominum universum genus -, ut inhospitalitas est. *Id. ibid. n.* 27. Similiterque definitur et mulierum odium, ut Hippolyti et ut Timonis, generis humani. *Id.* 1. *Rep.* 31. 47. In libero autem populo, ut Rhodi, ut Athenis, nemo est civium qui etc. *Id.* 2. *Orat.* 24. 104. Sive ex crimine causa constat, ut facinoris, sive ex controversia, ut hereditatis, sive ex deliberatione, ut belli, sive ex personis, ut laudis, sive ex disputatione, ut de ratione vivendi. — *d*) Hinc copulatur cum *puta,* quicum aliquando coalescit in unam vocem *utputa,* pro exempli vel verbi gratia. *Ulp. Dig.* 19. 1. 13. *extr.* Ædibus distractis vel legatis, ea esse ædium solemus dicere, quæ quasi pars ædium vel propter ædes habentur, ut puta, putei. *V.* PUTA. — *e*) Item pro tamquam. *Cæs.* 7. *B. G.* 8. Quod se Cebenna ut muro munitos existimabant. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 84. — *f*) Item pro prout, et hoc fere per parenthesim. *Ter. Phorm.* 1. 2. 5. Ut nunc sunt mores. *h. e.* secundum mores, quibus hodie utimur. *Cic. Senect.* 4. *sub fin.* Multæ etiam, ut in homine Romano, litteræ. *Id. Brut.* 7. 27. Posteaque Clisthenem multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo. *h. e.* secundum illorum temporum eloquentiam. *Id. ibid.* 10. 39. Ut hi quidem, ut populi Romani ætas est, senes, ut Atheniensium sæcla numerantur, adulescentes debent videri. *Id. ibid. n.* 41. Denique hunc proximo sæculo Themistocles insecutus est, ut apud nos, perantiquus, ut apud Athenienses, non ita sane vetus. *Id.* 12. *Fam.* 2. Non nihil, ut in tantis malis, est profectum. — *Ut in præsentiarum,* prout præsens tempus postulat vel postulabat. *Apul. De mag.* De nomine, ut inpræsentiarum, satis dixi. — Huc pertinent etiam formulæ *ut fere, ut nunc. Curt.* 3. 3. 6. Vetera quoque omnia, ut fere, sollicitudo revocaverat. *h. e.* ut fit. *Id.* 5. 5. 10. Ut nunc est. *h. e.* ut nunc res se habet. V. *Zumpt* ad *h. l. Cic.* 7. *Att.* 4. Sed, ut nunc est, a. d. III. Non. jam ad urbem cogito. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 216. Ut nunc, etiam hic agit, actutum partes defendas tuas.

II.) *Ut* absolute adhibetur, et quidem — 1.°) Interrogandi causâ et est quomodo? *Plaut. Merc.* 2. 3. 57. DEM. Quid? ea ut videtur mulier? CHARM. non edepol mala. DEM. ut morata 'st? CHARM. nullam vidi melius mea sententia. *Id. Pseud.* 2. 2. 50. immo ut illam censes? *sc.* facere. Cf. *Bacch.* 2. 2. 30. immo ut eam credis? *Id. Pers.* 4. 4. 5. Ut mœnitum muro tibi visum' st oppidum? *Id. Rud.* 5. 2. 17. Ut vales? Sic *Pers.* 1. 1. 17. SAG. ut vales? TOX. ut queo. *et Trin.* 1. 2. 13. MEG. Quid tua agit uxor? ut valet? CALL. plusquam ego volo. Adde *Ter. Heaut.* 2. 4. 26. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 12. Ut valet? ut meminit nostri? et 2. *Sat.* 8. 1. Ut Nasidieni juvit te cena beati? V. *Fritsche* ad *h. l.* — Quum de consilio rei interrogatur aut simpliciter. *Cic. Sext.* 39. 84. Homines, inquit, emisti etc. Quid uti faceret? *Id.* 2. *Fin.* 19. 61. Ubi ut eam caperet aut quando quum sciret etc.? Adde *Ter. Eun.* 3. 5. 25. et *Liv.* 4. 49. — 2.°) Admirationi inservit et est usitatius quam quomodo, quantum. *Enn.* apud *Non. p.* 40. 14. *Merc.* Heu heu mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala! *Plaut. Capt.* 1. 2. 62. Ut sæpe summa ingenia in occulto latent! *Id. Asin.* 3. 3. 39. Ut vestræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longe, Hodie qui numquam ad vesperum vivam! Adde *Mil. glor.* 3. 2. 47. *Id. Stich.* 3. 2. 12. ut ego nunc te conspicio lubens! Ut præ lætitia lacrumæ prosiliunt mihi! *Id. Amph.* 5. 1. 51. Sat puer ille, quem ego lavi, ut magnu 'st, ut multum valet! *Ter. Hecyr.* 3. 3. 46. o Fortuna, ut numquam perpetuo es bona! *Id. Eun.* 2. 2. 43. Ut falsus animi est? *Id. Heaut.* 4. 8. 3. Ut errat! *Acc.* apud *Non. p.* 445. 2. *Merc.* Hei mihi ut etiam ærumna hæc mihi luctum addit luctibus! *Turpil.* apud *eumd. p.* 322. 21. *ibid.* Ille insolens autem ut fastidit carnifex! *Afran.* apud *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* Ut quidquid loquitur, sal merum est! *Cic. Mil.* 26. 64. Quæ postea sunt in eum congesta - ut sustinuit! Di immortales! sustinuit? Immo vero ut contempsit ac pro nihilo putavit! *Id.* 5. *Fin.* 22. 61. Quanta studia decertantium sunt! ut illi efferuntur lætitia quum vicerunt! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! *Id.* 2. *Att.* 21. Ut ille tum humilis, ut demissus erat! ut ipse sibi displicebat! Adde 3. *ibid.* 11. 2. *Id.* 7. *ibid.* 19. Cn. autem noster - o rem miseram et incredibilem! - ut totus jacet! Adde *Flacc.* 5. 12. *Virg.* 8. *Ecl.* 41. Ut vidi! ut perii! ut me malus abstulit error! *Horat.* 1. *Od.* 11. 3. Ut melius, quidquid erit, pati! *Id.* 2. *Sat.* 6. 83. ut tu Semper eris derisor! *Claudian.* 3. *Stilich.* 64. Ut, Stilicho, cunctis inopina reluxit, Te victore, salus! *Juvenal.* 6. 146. Ut sæpe emungeris! *Alii aliter leg.* — 3.°) Optandi causâ et est utinam. *Cato R. R.* 1. Ut bene ædificatum siet. Adde *ibid.* 2. *Formula* in *Inscr.* apud *Orell. n.* 2489. et 2490. VTI SIES VOLENS PROPITIVS. — Plerumque in imprecationibus. *Ter. Heaut.* 4. 6. 6. Ut te omnes dii deæque perduint! *Næv.* apud *Priscian.* 6. *p.* 681. Ut illum dii ferant, qui primum holitor cæpam protulit! *Plaut. Cas.* 2. 4. 70. Ut quidem pol pereas cruciatu malo!

*B*) Est conjunctio temporalis, consecutiva et finalis: construitur autem, si temporalis sit, cum Indicativo, nisi aliter postulet orationis connexus; sin consecutiva vel finalis, cum Conjunctivo et eo tempore, quod ex Grammaticorum præceptis de consecutione temporum adhibendum est.

I.) *Ut* conjunctio temporalis significat postquam, ex quo vel quum, quando, statim ac, *poichè, dacchè, quando, come, tostochè:* construitur autem, ut diximus, cum Indicativo. — 1.°) Absolute. — *a*) Cum præsenti. *Plin.* 6. *Ep.* 20. Ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem videt. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 1. Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister. — *b*) Cum præterito. *Plaut. Asin.* 2. 2. 76. Verum in tonstrina ut sedebam, me infit percontarier. *Ter. Adelph.* 3. 3. 52. Nam ut numerabatur forte argentum, intervenit Homo de improviso. *quando.* — *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 49. Omnes profecto mulieres te amant, ut quæque aspexit. *Id. Stich.* 1. 1. 29. Nam viri nostri domo ut abierunt, hic tertiu 'st annus. *h. e.* ex quo, *dacchè.* Sic *Cic.* 8. *Phil.* 9. 27. Est jam annus, ut repulsam tulit. *Ter. Andr.* 3. 4. 11. Ut hinc te introire jussi, opportune hic fit mi obviam. *Id. Phorm.* 4. 13. 12. Ut abii abs te, fit forte obviam mihi Phormio. *Plaut. Amph.* 1. 1. 173. Lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum. *Id. Capt.* 3. 1. 18. Nam uti dudum hinc abii, accessi ad adulescentes in foro. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Ea res ut est Helvetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt. *Cic.* 3. *Verr.* 25. 64. Homo ut hæc audivit, sic exarsit ad id quod - numquam viderat. *Id. ibid.* 6. 17. Romam ut ex Sicilia redii - usque eo timui etc. *Id.* 1. *Att.* 15. Ut Brundusio profectus es, nullæ mihi abs te sunt redditæ litteræ. *dacchè.* Sic *Brut.* 5. 19. Nam ut illos de re publ. libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus. *et Horat.* 4. *Od.* 4. 41. Qui primus alma risit adorea, Dirus per urbes Afer ut Italas - equitavit. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 15. et *alibi* sæpe. — *Plaut. Curc.* 5. 2. 46. Postquam illo ventum 'st, jam ut me conlocaverat, exoritur ventus turbo. — *c*) Cum futuro anter. *Cato R. R.* 90. Uti prensus erit (*palumbus*), ei fabam coctam tostam primum dato. *Quintil.* 1. 1. 3. Protinus ut erit parens factus. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Ariovistum, ut semel Gallorum copias, prœlio vicerit, superbe et crudeliter imperare. — 2.°) Cum adverbiis temporis *statim, subito* et hujusmodi. *Cic.* 12. *Att.* 4. Philippus ut heri me salutavit, statim Romam profectus est. *Id.* 2. *ibid.* 12. Litteras scripsi statim, ut tuas legeram. *Id. Cluent.* 19. 52. Sed ut quidquid apprenderam, statim accusator extorquebat e manibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Ut ad mare nostræ cohortes IX. legionis excubuerant, accessere subito prima luce Pompejani exercitus. *Cic. Cœl.* 4. 9. Qui (*pater*) ut huic civilem togam dedit - hoc dicam, hunc a patre continuo discessit. *et* 6. *Verr.* 22. 48. Iste continuo ut vidit, non dubitavit. *Liv.* 27. 24. Varro ut advenit, extemplo Hostilius legionem unam signa in urbem ferre jussit. *Id.* 1. 12. Ut Hostus cecidit, confestim Romana inclinatur acies. *Id.* 39. 49. Ut super alium alius idem omnes affirmantes veniebant, tandem facta fides. *Tac.* 3. *Ann.* 15. Ut Plancina secretis Augustæ precibus veniam obtinuit, paullatim segregari a marito, dividere defensionem cœpit. — 3.°) Cum adjecto *primum, subito,* ad majorem vim. *Catull.* 64. 40. Ut primum tenebris abjectis adalbabat. *Cic.* 10. *Fam.* 13. Ut primum potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisit in te ornando. *Id.* 5. *ibid.* 2. Illud dico, me, ut primum in concione provinciam deposuerim, statim quemadmodum tibi traderem, cogitare cœpisse. *Id.* 6. *Rep.* 15. 15. Atque ego, ut primum fletu represso loqui posse cœpi: quæso, inquam etc. *Virg.* 6. *Æn.*

102. Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt, Incipit Æneas heros etc. *Ovid. Heroid.* 12. 137. Ut subito nostras Hymen cantatus ad auras Venit *etc.* Pertimui nec adhuc tantum scelus esse putabam. — *Liv.* 36. 19. Ut primum signaque et arma ex propinquo cognita errorem aperuerunt, tantus repente pavor omnes cepit etc. — 4.°) Similiter *mox ut, simul ut, vix ut* et hujusmodi, idem ac statim ut. *V.* MOX, SIMUL, STATIM, VIX.

II.) *Ut* conjunctio consecutiva est aliud ab alio sequi hoc vel illo modo: Italice autem reddi potest per particulam *che, sicchè.* Usurpatur — 1.°) Fere cum Conjunctivo, ut diximus, variata pro vario sententiarum respectu consecutione temporum, uti Grammatici docent; et quidem — *a*) Cum verbis consequendi. *Cic.* 2. *Herenn.* 18. 27. Quoniam satis ostendisse videmur, quibus argumentationibus *etc.* consequi videtur, ut doceamus etc. *Id.* 3. *Fin.* 19. 64. Ex quo illud natura consequitur, ut etc. *Id. Fat.* 12. 28. Si vera non est, sequitur, ut falsa sit. *Id.* 2. *Nat. D.* 32. 81. Sequitur, ut doceam, omnia subjecta esse naturæ. *Id.* 1. *Off.* 27. 93. Sequitur, ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit. Similiter 1. *Legg.* 5. 15. Consequens est, ut scribas. *Augustin.* 15. *Trinit.* 19. *sub fin.* Quid consequentius quam ut ipse sit caritas qui etc. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 30. Ita efficitur, ut omne corpus mortale sit. *h. e.* consequitur. — *b*) Cum verbis, quæ casum seu eventum significant. *Ter. Phorm.* 1. 2. 15. Evenit senibus ambobus simul, iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam. *Cic.* 1. *Rep.* 8. 13. Quoniam nobis contigit, ut in gerenda re publ. aliquid essemus memoria dignum consecuti. *Auct. B. Afr.* 1. Incidit per id tempus, ut tempestates ad navigandum idoneas non haberet. Adde *Sall. Jug.* 79. *Nepos Con.* 5. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda, quam in adversa, fortuna esset, *Plin. Paneg.* 61. Accidit quidem, ut corpora - decrescant. Adde *Quintil.* 2. 17. 31. *Cic. Rosc. Am.* 34. 96. Casu accidit, ut is, quod Romæ audierat, primus nuntiaret. Sic *Nepos Hannib.* 12. Accidit casu, ut legati cenarent. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 1. 1. Ita fit, ut adsint propterea quod etc. Cf. *Gell.* 12. 8. Fors fuit, ut apud eamdem mensam duo illi juncti collocarentur. — *Est, ut,* potest esse, solet esse, *può fare che, suole accadere che,* ἔστιν ὡς, ἔστιν ὅπως. *Cic.* 2. *Orat.* 36. 152. Est, inquit, ut dicis, ut plerique philosophi nulla tradant præcepta dicendi. *si dà il caso.* et *Cœl.* 20. 48. Quando fuit, ut quod licet, non liceret. *Horat.* 3. *Od.* 1. 9. Est, ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis. — *c*) Cum verbis, quæ convenientiam vel necessitatem indicant. *Plaut. Amph.* 1. 1. 70. Convenit, victi utri sint eo prœlio, urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent. *Cic.* 7. *Phil.* 2. 4. Qui enim convenit, ut improbos se, quam populares, esse malint. *Justin.* 34. 1. 7. Expedit omnibus, ut singulæ civitates sua jura habeant. — *Oportet, opus est, necesse est, ut* V. suis locis. — *d*) Cum verbis assentiendi, concedendi, dicendi etc. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 10. Assentior, frater, ut quod est rectum, verum quoque sit. *Id. Amic.* 5. 18. Concedent, ut hi viri boni fuerint. Adde 1. *Tusc.* 47. 114. *Id.* 2. *Orat.* 90. 366. Quis Antonio permisit, ut partes faceret? *Ter. Hecyr. prol.* 2. Sinite, exorator ut sim. *Cic.* 1. *Tusc.* 41. 98. Ut vero colloqui cum Orpheo *etc.* liceat. *Cæs.* 1. *B. G.* 34. Placuit Cæsari, ut ad Ariovistum legatos mitteret. (Cf. III. 1. *c*) *Cic.* 1. *Rep.* 2. 3. Xenocrates respondit, ut id sua sponte (*discipuli*) facerent, quod cogerentur facere legibus. *Id.* 3. *Tusc.* 3. 5. Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit? — *e*) Cum verbis timendi, pro *ne non,* et dubitationem signat. *Ter. Andr.* 4. 2. 22. Dies mihi, ut sit satis, vereor, ad agendum. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 22. 58. Veretur Hiempsal, ut fœdus satis firmum sit et ratum. *Plaut. Curc.* 4. 1. 3. Ornamenta, quæ locavi, metuo, ut possim recipere. *Ter. Andr.* 5. 4. 41. Metuo, ut substet hospes. Adde *Cic. Planc.* 40. 96. V. *Timeo* etc. — *f*) *Accedit* ut, de cujus locutionis vi *V.* ACCEDO. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. Accedebat huc, ut numquam conferti - prœliarentur etc. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Accedit, ut eo facilius animus evadat ex hoc aere etc. *Lucret.* 1. 193. Huc accedit, uti sine certis imbribus anni Lætificos nequeat fetus summittere tellus. *Cic. Senect.* 6. 16. Ad Appii Claudii senectutem accessit etiam, ut cæcus esset. — *g*) *Relinquitur, restat, superest, reliquum est, ut,* pro restat aliquid dicendum vel faciendum. *Cæs.* 1. *B. G.* 29. Relinquebatur, ut ex longinquioribus regionibus - naves essent exspectandæ. *Cic. Rosc. Am.* 31. 88. Restat, ut hoc dubitemus, uter - occiderit. *Id.* 7. *Fam.* 31. Reliquum est, ut officiis certemus inter nos. Cf. *Liv.* 2. 27. — *Cic.* 1. *Fin.* 16. 50. Justitia restat, ut de omni virtute sit dictum. Adde 2. *Nat. D.* 26. 66. et *Ovid.* 7. *Met.* 179. V. de his aliisque hujusmodi locis *Madvig* in *Annal. philol. v.* LXXIII. *p.* 122. et *Adv. crit. v.* 2. *p.* 477. — *h*) Sæpe construitur cum verbo *esse* et adjectivis, vel substantivis, vel adverbiis in unam dictionem conjuncto. *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 66. De ipso Roscio potest illud esse falsum, ut circumligatus fuerit angui. *Id.* 5. *Tusc.* 21. 62. Ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret. *Id.* 2. *Fin.* 3. 6. Hoc vero optimum (*esse*), ut is, id extremum quale sit, nesciat. *Plin. Paneg.* 44. Facilius est, ut esse aliquis successor tuus possit, quam ut velit. Sic *rarum, certum, verum, verisimile, rectum, justum, usitatum est* et hujusmodi plura apud *Cic., Nepot., Plin.* etc. *Cic.* 2. *Verr.* 11. 34. Tua ratio est, ut secundum binos ludos respondere incipias. *Id.* 2. *Fin.* 11. 34. Ergo nata est sententia veterum Academicorum, ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere. *Id. Rabir. Post.* 12. 35. Ista conditio est testium, ut quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus. Adde 4. *Verr.* 52. 129. et 1. *Legg.* 5. 15. *Ter. Hecyr.* 2. 2. 1. Etsi scio ego, meum jus esse, ut te cogam, quæ ego imperem, facere. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. *Id. Brut.* 21. 84. Mos est hominum, ut nolint eumdem pluribus rebus excellere. — *Liv.* 2. 23. Jam prope erat, ut ne consulum quidem majestas coerceret iras hominum. *Cic.* 4. *Fam.* 4. In eo est, ut proficiscar. — *i*) Alia similia hæc sunt. *Id.* 11. *ibid.* 5. Nec habui quidquam antiquius quam ut Pansam statim convenirem. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 4. Non sum dignus præ te, ut figam etc. *Cic.* 10. *Att.* 4. Nihil esse certius quam ut omnes restituerentur. Adde 2. *Orat.* 42. 178. et *Liv.* 34. 16. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Hostes in foro constiterunt, hoc animo, ut acie instructa depugnarent. *Id.* 6. *ibid.* 22. Ejus rei multas adferunt causas - ut animi æquitate plebem contineant. *Id.* 5. *ibid.* 6. Jusjurandum poscere, ut communi consilio administrarent. Adde *Cic.* 7. *Att.* 10. — *l*) Usum frequentissimum habet post voces *ita, sic, tam, huc, eo, adeo, talis, tantus, tot, tanto opere, is, eatenus, hujusmodi* etc. — *α*) Universim. *Cato R. R.* 8. Fundum urbanum - ita paret itaque conserat, uti quam sollertissimum habeat. *Id. ibid.* 45. Si ita severis, uti stet talea, melius vivet. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 180. Erus meus ita magnus mœchus mulierum 'st, ut neminem fuisse adæque neque futurum credam. *Cic.* 3. *Att.* 12. Quum ita sim afflictus, ut nemo umquam. *h. e.* ut nemo umquam fuerit magis: vel quam qui maxime. *Id.* 13. *ibid.* 19. Ita accurate, ut nihil possit supra. *h. e.* magis. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 1. *init.* Multos annos in causis publicis ita sum versatus, ut defenderim multos, læserim neminem. *Id.* 3. *Verr.* 4. Siciliam Verres ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit. *Id.* 13. *Fam.* 56. Onus tibi imponam, ita tamen ut tibi nolim molestus esse. *h. e.* eatenus. *in tanto in quanto.* et 1. *Tusc.* 6. 12. Non sum ita hebes, ut istuc credam. *Cato R. R.* 161. Sic circumfodito, ut facile evellere possis. *Cic.* 1. *Orat.* 54. 233. Socratis responso judices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. *Id. Brut.* 47. 174. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires quid ei deesset. *h. e.* talis, ut nescires. *Id.* 2. *Orat.* 96. 305. Non essem tam inurbanus, uti eo gravarer, quod vos cupere sentirem. *Id.* 2. *Cat.* 2. 4. Rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possemus, quum hostem aperte videretis. *Cæs.* 1. *B. C.* 62. Cæsar huc jam reduxerat rem, ut equites auderent flumen transire. *Ter. Eun.* 4. 4. 23. Eo rediges me, ut, quid egerim, egomet nesciam. *Liv.* 25. 8. Jam eo consuetudinis adducta res est, ut porta aperiretur etc. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 39. Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 118. Si quid tale acciderit, ut a deo denunciatum esse videatur, ut exeamus e vita. *Cæs.* 4. *B. G.* 28. Tanta tempestas subito coorta est, ut nulla navis cursum tenere posset. *Cic. Orat.* 29. *ad fin.* In quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus etc. *Id.* 2. *Off.* 22. 76. Æmilius Paulus tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut finem attulerit tributorum. *Id.* 5. *Fam.* 20. Quæ quum viderem tot vestigiis impressa, ut in his errari non posset etc. *Id.* 1. *Off.* 11. 35. In quo tanto opere apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates in fidem recepissent, earum patroni essent more majorum. *Ter. Phorm.* 5. 8. 86. In id redactus sum loci, ut, quod agam cum illo, nesciam prorsum. *Cic.* 5. *Verr.* 10. 27. Verres eo usque se præbebat patientem, ut eum nemo umquam in equo sedentem viderit. *Id.* 3. *Tusc.* 22. 53. Eo erant vultu, oratione, omni reliquo motu et statu, ut eos Argivos aut Sicyonios diceres. *Id. De opt. gen. orat.* 7. Æschinis et Demosthenis verba persequor eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro. Adde *eumd.* 7. *Verr.* 63. 163. *et Mil.* 11. 30. et *Caton. R. R.* 32. *Sall. Cat.* 49. Invidiam conflaverant usque adeo uti etc. — *β*) Sed hæ voces interdum subaudiuntur. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 96. ne facies quo Umidius quidam - dives, Ut metiretur nummos. *subaud.* ita. Sic *Cic.* 6. *Fam.* 2. Rarius ad te scribo, quod absim ab urbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim. *così che.* et *Nepos Epam.* 5. Fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentia. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 7. 13. — *γ*) Et aliquando etiam in hac ellipsi *ut* habet vim epiphonematis pro *adeo, usque eo* etc. *Id. Senect.* 14. 50. Studia doctrinæ prudentibus et bene institutis pariter cum ætate crescunt; ut honestum illud Solonis ait quod etc. *tanto è onesto il detto di Solone.* — *δ*) Vel *ut* repetitur, quod semel positum utrique membro sufficiebat. *Cic. Quinct.* 23. 75. Ita se graves esse, ut, si veritatem velint retinere, gravitatem possint obtinere; si eam negligere, ut omnes intelligant. (Ita leg. *Madvigius* ex conject. V. *Adv. v.* 1. *p.* 89.) Adde *eumd.* 5. *Fin.* 4. 10. — *m*) *Ut* hoc sensu videtur aliquando absolute usurpatum, sed est ellipsis, subauditur enim *fieri potest:* hoc autem contingit, quum agitur de re absurda, et fit per modum interrogationis, cui aliquando indignatio inest. *Plaut. Truc.* 2. 4. 87. Egone illam ut non amem. *h. e.* fierine potest, ut illam non amem? *come? non l'amerò io? sarà possibile che io non l'ami?* Sic *Ter. Andr.* 1. 5. 28. Eine ego ut advorser? *Cic.* 1. *Cat.* 9. 22. Te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? *Horat.* 2. *Sat.* 5. 18. Ut ne tegam spurco Damæ latus? *Ter. Phorm.* 4. 3. 64. Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat? Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 37. — 2.°) Aliquando cum Indicativo. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 23. Sic enim res se habet, ut, quemadmodum volucres videmus construere nidos *etc.* sic animi nostri gestiunt ac volitare cupiunt etc. *Liv.* 27. 49. *sub fin.* Adeo victores cædis ceperat satietas, ut quum esset nuntiatum consuli etc. supersint, inquit, aliqui nuntii etc. — 3.°) Et cum Infinito. *Id.* 5. 15. *ad fin.* Sic libris fatalibus traditum esse, ut quando aqua Albana abundasset, tum, si eam Romanus emisisset, victoriam de Vejentibus dari. *Ulp. Dig.* 35. 2. 62. Hoc servandum Julianus ait, ut si duo rei stipulandi fuerint, in ea re dividi inter eos debere obligationem *etc.* quod si *etc.* in pendenti esse etc. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.*

Visum est *Haloandro* corrigendum esse prius infinitum, et edidit *debeat obligatio*. Horum ἀνακολούθων causa esse videtur longitudo periodi, qua fit, ut scriptor in fine non meminerit particulæ, quam initio posuerat.

III.) *Ut* est etiam conjunctio finalis, quæ videlicet finem seu causam significat, ob quam aliquid fit: Italice *affinchè, acciocchè, perchè, che*. ¶ 1. Consecutione temporum stricte servata. — 1.°) Cum verbis, quæ curam, studium, conatum et hujusmodi exprimunt. *Plaut. Amph.* 1. 2. 25. Pater curavit, ut fieret. *Cic.* 2. *Att.* 2. Cura, ut valeas. *Cæs.* 7. *B. G.* 14. Omnibus modis huic rei studendum, ut pabulatione et commeatu Romani prohibeantur. Sic *Auct. B. Alex.* 1. Cæsar studebat maxime, ut partem oppidi a reliqua parte urbis excluderet. *Cic.* 1. *Off.* 39. 142. Caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalitatem, moderata sint. Adde *Liv.* 3. 10. et *Colum.* 2. *R. R.* 8. 3. *Cic. Amic.* 16. 59. Est amici eniti et efficere, ut amici jacentem animum excitet etc. *Id.* 2. *Orat.* 73. 295. Non tam ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim. *Id.* 16. *Att.* 16. Enitere, elabora vel potius eblandire, effice, ut Plancius sit melior. *Id.* 3. *Off.* 2. 6. Quantum conniti animo potes, tantum fac, ut efficias. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 82. *Ter. Andr. prol.* 17. Faciuntque intelligendo, ut nihil intelligant. *Cic. Quinct.* 24. 77. Quum a me peteret et summe contenderet, ut suum propinquum defenderem. — Et omissa per ellipsin particula *ut*. *Plaut. Aulul.* 3. 1. 2. Facite, totæ plateæ pateant. *Cic.* 11. *Fam.* 3. 4. Fac, cogites. *Apul.* 2. *Met.* Cave, regrediare cena maturius. Adde *Ter. Eun.* 3. 2. 53., *Nepot. Pausan.* 2., alios. — 2.°) Cum verbis optandi, orandi, hortandi, monendi, suadendi, rogandi, inducendi aliisque id genus. *Plaut. Capt.* 1. 2. 17. Quod ego quidem nimis quam cupio ut impetret. *Cic.* 3. *Off.* 25. 9. Optavit, ut in currum patris tolleretur. *Ter. Heaut.* 5. 5. 5. Obsecro, ut mihi ignoscas. *Id. Sext.* 69. 147. Eos obtestor atque obsecro, ut eos servetis. *Id.* 11. *Att.* 1. Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum suscipias. *Id.* 5. *Fam.* 4. Abs te peto quæsoque, ut tuos mecum serves. *Ter. Andr.* 3. 3. 18. Itaque volo itaque postulo, ut fiat. *Cic.* 9. *Fam.* 6. Suades, ut ab eo petam. Sic *Sall. Jug.* 26. Suadent, uti se tradat. Adde *Nepot. Lysandr.* 4. *Cic.* 1. *Phil.* 9. 22. Adhortari adulescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives esse velint. *Id.* 9. *Fam.* 6. Caninius noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 82. Pompejus milites cohortatur, ut prædæ et præmiorum velint esse participes. Adde *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 70. et *Cic. Senect.* 12. 42. Cf. 15. *Att.* 15. Mihique, ut absim, vehementer auctor est. *Ter. Andr.* 4. 1. 30. Nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres. *Cic.* 4. *Verr.* 17. 41. Illi eum commonefaciunt, ut utatur instituto suo. *Sall. Cat.* 58. Moneo, ut forti animo sitis. Similiter *Jug.* 39. Pauca locutus uti in deditionem acciperetur. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 4. Callidum senem callidis dolis compuli et perpuli, mihi omnia ut crederet. *Cæs.* 4. *B. G.* 16. *init.* Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent. *Cic. Rosc. Am.* 16. 46. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum. *Liv.* 10. 18. Id uti permittatis, quæsumus. *Cic. Quinct.* 10. 34. Tibi instat Hortensius, ut eas in consilium. Adde *eumd.* 10. *Fam.* 1. et *Tac.* 2. *Hist.* 29. *Cic.* 1. *Tusc.* 7. 14. Quoniam extorsisti, ut faterer etc. *Id.* 15. *Fam.* 2. Dixit, se sollicitatum esse, ut regnare vellet. *Id.* 3. *ibid.* 12. *extr.* Simultas stimulabat me, ut caverem. *Plaut. Merc.* 2. 4. 15. Quo leto censes me ut peream potissimum? *V.* CENSEO. — *Cic. Rosc. Am.* 19. 53. Animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem ejiceret, ut etc. — Omissa per ellipsin particula *ut*, quæ facile subauditur. *Næv.* apud *Charis.* 1. *p.* 178. *Putsch.* Diu vivat, volo, ut mihi prodesse possit. Sic *Cic.* 4. *Att.* 14. Velim, domum ad te scribas. *Ovid.* 4. *Pont.* 1. 19. Itque sinas, oro. *Plaut. Stich.* 3. 2. 22. Censeo, eas. *Varro Sat. Menipp.* 31. *p.* 121. *Oehl.* morbo stimulatur eodem, Ex sese ipse aliquid quærat cogatque peculi. — 3.°) Cum verbis jubendi, vetandi, mandandi, statuendi, decernendi et similibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. His uti conquirerent et reducerent, imperavit. *Cic. Cæcin.* 28. 80. Prætor interdixit, ut eo restitueretur. *Id.* 6. *Verr.* 12. 28. His tibi in mentem non venit jubere, ut hæc quoque referret. *Cæs.* 4. *B. G.* 21. Voluseno mandat, ut ad se quam primum revertatur. *Nepos Miltiad.* 1. Consulentibus Pythia præcepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent. *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 77. Natura præscripsit, ut nihil pulcrius quam hominem putaret. *Tibull.* 2. 18. Illius ut verbis sis mihi lenta, veto. *Cic. Rosc. Am.* 52. 151, Dii prohibeant, ut hoc præsidium sectorum existimetur. *Id. Phil.* 26. 70. Quum senatus ei commiserit, ut videret, ne etc. *Id.* 1. *Att.* 12. Mando tibi, ut perspicias. Cf. *Sall. Cat.* 40. Negotium dat, uti requirat Adde *Cæs.* 1. *ibid.* 35. Senatus censuit, uti quicumque Galliam provinciam obtineret, Æduos defenderet. *Formula* apud *Liv.* 1. 32. Senatus censuit, consensit, conscivit, ut bellum fieret. *V.* CONSCISCO. *Cic.* 1. *Fam.* 1. Hortensii sententia tibi decernit, ut regem reducas. *Id. Pis.* 8. 18. Edicere est ausus, ut senatus ad vestitum rediret. *Id.* 3. *Verr.* 24. 63. A Dolabella efflagitavit, ut se ad regem Nicomedem mitteret. *Id.* 2. *Fin.* 35. 119. Exigerem ex te cogeremque, ut responderes. *Cæs.* 7. *B. G.* 21. Statuunt, ut decem millia hominum in oppidum submittantur. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 84. *Cic.* 16. *Att.* 10. Constitueram, ut in Arpino manerem. — Omissa per ellipsin particula *ut*. *Ter. Eun.* 4. 4. 24. Jube, mihi denuo respondeat. *Id. Heaut.* 4. 4. 15. Jube, maneat. — 4.°) Cum verbis exspectandi, sperandi. *Cæs.* 1. *B. C.* 6. Neque exspectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur. *Cic. Rosc. Am.* 29. 82. Nisi forte exspectatis, ut illa diluam, quæ Erucius de rebus commenticiis objecit. *Q. Cic. De petit. consul.* 5. *circa med.* Beneficium ut habeant, sperant. Cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 85. — *e*) Cum verbis denuntiandi. *Id. ibid.* 76. Edicunt, penes quem quisque sit Cæsaris miles, ut producatur. *Id.* 2. *ibid.* 34. Ille unum elocutus, ut memoria tenerent milites. Adde 1. *ibid.* 32. et *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 118. *et* 5. *Verr.* 47. 112. — 5.°) Cum aliis verbis, quibus aliquid fieri significatur ad aliquem finem assequendum. — *a*) Universim. *Acc.* apud *Non.* *p.* 256. 11. *Merc.* Augures aures verbis ditant alienas, suas ut auro locupletent domos. *affine di, affinchè.* et *Pacuv. ibid.* *p.* 416. 1. Qui viget, vescatur armis, ut percipiat præmium. *Id.* apud *Sueton. Cæs.* 84. Men servasse, ut essent qui me perderent. *Cato R. R.* 3. Torcularia bona habere oportet, ut opus bene effici possit. Adde *ibid.* 154., *Ter. Andr.* 1. 1. 2., *Næv.* apud *Charis.* 1. *p.* 178. *Putsch.* et *Titin.* apud *Non.* *p.* 256. 11. *Merc.* *Cic.* 2. *Fam.* 6. Hoc a te peto, ut huic laudi meæ vel, ut verius dicam, prope saluti tuum studium dices. *Id. Amic.* 9. 29. Humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiæ. *a così dire.* et 2. *Fin.* 34. 104. Sed ut ad propositum revertamur, totum illud concludi sic licet. *Id. Senect.* 17. 59. Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri etc. *Lucret.* 1. 95. ad aras Deducta est, non ut sollemni more sacrorum Perfecto posset claro comitari Hymenæo Sed - Hostia concideret - Exitus ut classi felix faustusque daretur. *Cic.* 1. *Fam.* 9. Quum ut laudaret P. Sextium, introisset in urbem. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Tamen ut spatium intercedere posset, legatis respondit, diem se ad deliberandum sumpturum. *Id. ibid.* 3. Constituerunt semente am maximas facere, ut in itinere copia frumenti su, teret. Adde 2. *ibid.* 4. *Id.* 5. *ibid.* 10. Milites equitesque misit, ut eos, qui fugerant, persequerentur. *Id.* 2. *B. C.* 4. Naves contexerant, ut essent tuti. *Id.* 7. *B. G.* 87. Accelerat Cæsar, ut prœlio intersit. *Nepos Epam.* 4. Præsidium dedit, ut eo tuto perveniret. — *b*) Cum additis particulis *idcirco, ideo, propterea,* ad majorem evidentiam et vim. *Cic.* 6. *Verr.* 4. 7. Idcirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? Adde *Quintil.* 4. 2. 24. *Cic.* 2. *Invent.* 23. 70. Hanc ideo rationem subjecimus, ut hoc causæ genus ipsum cognosceretur. *Quintil.* 10. 7. 31. Ideo excuso, ut sint magis admirabiles. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 73. *Cic. Ligar.* 3. 8. Hæc propterea de me dixi, ut tibi Tubero ignosceret. Adde *eumd.* 13. *Fam.* 67., *Plaut. Bacch.* 4. 7. 14. et *Ter. Hecyr.* 1. 2. 31. — *c*) Speciatim aliquando apud Ecclesiasticos scriptores particula *ut* non tam finem seu causam vel consilium, uti prima fronte videretur, significat, quam factum seu eventum, et est *ita ut*. *Vulg. interpr. Matth.* 4. 1. Jesus ductus est in desertum, ut tentaretur a diabolo. *et* 23. 35. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas et ex illis occidetis, ut veniat super vos omnis sanguis justus. *Id. Joh.* 5. 20. Majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Adde *eumd. Apoc.* 13. 13. *Id. Matth.* 1. 22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est etc. V. *Cavedoni* in *Lex. Evang.* ad *h. v.* Contra alii, præcipue in vaticiniis et in formula *factum est, ut adimpleretur* aliisque hujusmodi, putant particulam *ut* non ἐκβατικῶς seu de eventu usurpari, sed finem vel causam significare. V. *Steenkiste* in *Matth.* ¶ 2. Consecutione temporum non stricte servata. — *a*) Cum præterito post enuntiatum principale in præsenti. *Enn.* apud *Non.* *p.* 504. 15. *Merc.* Puerumque ut laverent, locant in clupeo. *Cæs.* 1. *B. G.* 5. Frumentum omne comburunt, ut, domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent. *Id. ibid.* 9. Legatos ad Dumnorigem Æduum mittunt, ut, eo deprecatore, a Sequanis impetrarent. *Id.* 7. *ibid.* 11. Trebonium relinquit, ipse ut quam primum iter faceret, Adde 2. *B. C.* 25. et 39. et *alibi* sæpe. — *b*) Cum præsenti post enuntiatum principale in præterito. *Id.* 1. *B. G.* 9. Obsidesque uti inter se dent, perfecit. *Alii leg.* perficit. *Id.* 7. *ibid.* 80. Exercitu ad utramque partem munitionum disposito, ut, si usus veniat, suum quisque locum teneat etc. *Cic. Rosc. Am.* 11. 32. Etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis, ut hic me aut juguletis aut condemnetis? Cf. 1. *Off.* 4. 11. Generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur.

*C*) Denique est particula conditionalis, concessiva, adversativa aliosque habet usus, modo ut conjunctio, modo ut adverbium, quos hic subjicimus, sive absolute usurpata sive cum aliis particulis conjuncta.

I.) Absolute. ¶ 1. Ponitur pro dummodo, *se, purchè, a patto che*. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 112. In jugere Leontini agri medimnum fere tritici seritur, perpetua atque æquabili satione, ager efficit cum octavo, bene ut agatur; verum, ut omnes dii adjuvent, cum decimo. ¶ 2. Item pro esto, *posto che:* construitur autem cum Conjunctivo et assumit secum aliquando *tamen* vel *certe*. *Id.* 1. *ad Brut.* 9. *sub fin.* Nos te tuumque exercitum exspectamus, sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, vix satis liberi videmur fore. *Id.* 5. *Verr.* 45. Ut illud non cogitares, tamen etc. *Id.* 10. *Phil.* 3. 8. Quod si pacis - nomen audierit, ut non referat pedem, insistet certe. ¶ 3. Item pro quamvis, licet, etsi: construitur cum Conjunctivo et assumit *tamen, at, nihilominus, ita* vel etiam *certe*. *Id.* 2. *Att.* 15. Verum, ut hoc non sit, tamen servet rempublicam. *ancorchè questo non sia così, nondimeno.* et *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 79. Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. *Id.* 4. *ibid.* 5. 7. Luce minus decima dominam venietis in Urbem, Ut festinatum non faciatis iter. *Cic.* 1. *Tusc.* 21. 49. Ut enim rationem Plato nullam afferret (vide, quid homini tribuam), ipsa auctoritas me frangeret. *Id.* 10. *Fam.* 2. Quæ nihilominus, ut ego absim, confici possunt. *Id.* 10. *Phil.* 2. 3. Ut superiora omittam, hoc certe, quod mihi maximam admirationem movet, non tacebo. *Quintil. pr.* 15. Ut non exstinxerit, debilitavit tamen. *Id.* 8. 3. 36. Ut jam nobis ponere alia fas non sit, at derivare etc. *Id.* 11. 3. 39. Ut permiserim, ita non licet. Adde

3. 8. 25. et 6. 3. 11. — Cum Indicativo apud *Tertull. advers. Prax.* 23. Ut sic duos (*deos*) diversos diceremus, tolerabilius etc. ¶ 4. Item pro ubi apud *Catull.* 11. 2. Sivè in extremos penetrabit Indos, Litus ut longe resonante Eoa Tunditur unda. Adde 17. 10. ¶ 5. Item pro quantum. *Plin. præf. Hist. nat.* Nisi ut prodesse tantumdem posses, ut velles. *Sueton. Tit.* 7. Abstinuit alieno, ut siquis umquam. *quanto altri mai.* ¶ 6. Item pro scilicet. *Avien. Perieg.* 1059. namque duobus Ut conclusa jugis - multa cavatur. ¶ 7. Item pro quia. *Id. ibid.* 1182. Hoc Interamnis nomen tenet, ut situs illam Flumine præcinctam gemino per aperta locavit. ¶ 8. Interdum elegantiæ causa ponitur. *Cic. Senect.* 12. *ad fin.* Invitus feci, ut L. Flaminium de senatu ejicerem. Nihil enim significat, inquit *Forcellinus*, nisi *invitus ejeci.*

II.) Conjuncta cum aliis particulis. ¶ 1. Cum alio *ut* pro utcumque: construitur sæpius cum Indicativo, et assumit interdum *tamen* vel *certe;* scribitur autem etiam conjunctim *utut.* *Plaut. Bacch.* 5. 2. 73. id ut ut est, etsi est dedecorum, patiar. *Id. Cist.* 1. 1. 111. Ut ut erga me est meritus, mihi cordi est tamen. *Id. Most.* 3. 1. 14. Verum ut ut res hæc sese habet, Pergam turbare porro. *Ter. Phorm.* 3. 1. 4. Nam ut ut erant alia, illi certe, quæ nunc domi est, consuleres. *Id. ibid.* 3. 2. Ut ut hæc erunt, tamen faciam. — *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 2. Ut ut illud acceptum sit - hoc addam insuper. ¶ 2. Sæpe cum adverb. *non* pro *quin* vel *ne* conjungitur. *Cic.* 1. *Fin.* 8. 27. Fieri nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes ejus, a quo dissentias. *Quintil.* 8. 3. 25. Vereor, ut non jam ferat quisquam. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 70. (293). Cremari jubent, Ut carbunculi non noceant. ¶ 3. Item cum *ne*, pro ut non, et valet ipsum *ne* aut *non*, ad majorem vim. *Ter. Phorm.* 5. 7. 82. illam ita tibi incensam dabo, Ut ne restinguas, lacrimis si exstillaveris. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas ne sit summum bonum. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 2. *ad fin.* Opera datur, ut judicia ne fiant. *Id. post redit. in Senat.* 5. 11. Ut lex Ælia et Fufia ne valerent. *Id.* 1. *Orat.* 29. 132. Ut iis, quæ habeant, modice et scienter utantur, et ut ne dedeceat. *Id.* 2. *Fam.* 7. Petivi sæpe per litteras non ut decernatur aliquid novi, sed ut ne quid novi decernatur. *non che - ma che.* ¶ 4. Item cum *pote* pro quam potest. *Varro Sat. Menipp.* 52. *p.* 150. *Oehl.* Nec natus est nec morietur: viget, veget, ut pote plurimum. Cf. *Afran.* apud *Charis. p.* 198. *Putsch.* Quasi verbum fecerim de isto, ut pote. *h. e.* quomodo fieri possit. Ita *Neukirch;* ¶ 5. Item cum *plurimum* et valet quam plurimum seu valde frequenter, plerumque, *per lo più. Cic.* 2. *Legg.* 14. 34. In quo suscipiendo et gerendo et deponendo jus ut plurimum valet et fides. ¶ 6. Item cum *maxime* et est idem quod et si maxime. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 81. Quam ut maxime inveneris, non tu etc. — Interdum est ad summum. *Colum. De arbor.* 7. Diversæ autem, quæ supra terram exstare debent, ne passus fueris plus quam duas aut, ut maxime, tres gemmas habere. *al più, tutt' al più.* ¶ 7. Similiter *ut quum maxime*, quod confert tempora inter se. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 6. Domus celebratur ut quum maxime. *più che mai.* ¶ 8. Item cum *quid*, in interrogatione, pro quamobrem, ἵνα τί. *Id.* 7. *Att.* 1. *ad fin.* Depugna, inquis, potius, quam servias. Ut quid? si victus eris, proscribare; si viceris, tamen servias. Adde *Vulg. interpr. Marc.* 15. 34. et *Luc.* 13. 7. ¶ 9. Item cum *quisque* occasionem rei quodammodo declarat interdum. *Cic.* 1. *Att.* 18. Mihi quidem non est notum, ut quisque in Epirum proficiscatur. *come e quando alcuno.* et 2. *Verr.* 7. 19. Immo vero ut quisque me viderat, narrabat. *Id.* 15. *Att.* 7. Misi Tironem et cum Tirone plures, quibus singulis, ut quidque accidisset, dares litteras. *in ciascuna occorrenza.* et 7. *Verr.* 55. 143. Ut quisque istius animum offenderat, in latomias statim conjiciebatur. — *Ut quisque* cum superlativis. *V.* supra. ¶ 10. Item cum *si. V.* sub *A* I. 2.° ¶ 11. Item cum *puta. V.* sub *A* I. 3.° ¶ 12. Copulatur cum *neve* vel *neu. Cic.* 13. *Att.* 43. et *Cæs.* 3. *B. C.* 112. ¶ 13. *Utin* pro *utine*, quomodone? *come? che forse? Plaut. Epid.* 2. 2. 43. Utin impluvium induta est? PE. quid istuc est mirabile? Adde *Rud.* 4. 4. 19. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 2. Utin omnes mulieres eadem æque studeant nolintque omnia? Adde *Phorm.* 5. 6. 34. Alii tamen aliter leg.

UTCUMQUE *vel* utcunque (utquomque), adverb. quocumque modo, quomodocumque, *comunque, in qualunque modo, sia come si voglia,* ὅπως δή, ὡς ἔτυχεν: construitur sæpius cum Indicativo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Epid.* 1. 1. 47. Utcumque in alto ventus est, Epidice, exin velum vortitur. *Id. Amph.* 1. 1. 187. ME. Servusne es an liber. SO. utquomque animo conlubitum 'st meo. *Ter. Andr.* 4. 3. 20. Tu ut subservias orationi, utcumque opus sit verbis, vide. *Cic.* 1. *Off.* 37. 135. Danda igitur opera est, ut ad hæc revocetur oratio, sed utcumque aderunt. Adde 5. *Fin.* 4. 11. *Id. Orat.* 17. 55. Utcumque se affectum videri et animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum. *Virg.* 6. *Æn.* 823. Infelix! utcumque ferent ea facta minores. *Ovid.* 4. *Pont.* 14. 3. In quibus (*litteris*) excepto, quod adhuc utcumque valemus, Nil, te præterea quod juvet, invenies. *Liv. præf.* Utcumque erit, juvabit tamen, etc. *Tac.* 1. *Ann.* 5. Utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur. et 6. *ibid.* 8. Utcumque casura res est, fatebor, fuisse me Sejano amicum. *Id. Agric.* 39. *a med.* Cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. *Curt.* 7. 4. 16. Utcumque cesserit, meliorem fortunam deditus, quam hostis, habiturus. *Vellej.* 2. 67. 2. Adeo difficilis est hominibus utcumque conceptæ rei mora. *Tac.* 2. *Ann.* 5. Utcumque se ea res habuit. — *Plaut. Bacch.* 4. 4. 13. Bonus sit bonis, malus sit malis: utcumque res sit, ita animum habeat. ¶ 2. Specialim pro aliquantum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 26. (68). Utcumque rabiem et ipsæ (*cameli*) sentiunt. ¶ 3. Pro quantumvis. *Id.* 6. *ibid.* 33. 38. (208). Nunc ipsarum partium (*telluris*) magnitudo comparabitur, utcumque difficultatem afferet auctorum diversitas.

II.) Translate usurpatur de tempore et est quandocumque, *ogni volta che. Horat.* 3. *Od.* 4. 29. Utcumque mecum vos eritis, libens Insanientem navita Bosphorum Tentabo. *Id.* 4. *ibid.* 4. 35. Utcumque defecere mores, Dedecorant bene nata culpæ. Adde 1. *ibid.* 17. 10. et *Dig.* 31. 64.

ŪTEI et
ŪTEIQUE. *V.* UT init.
ŪTENS, entis, part. *V.* UTOR.
ŪTENSĬLĬA, ium. *V.* voc. seq.
ŪTENSĬLIS, e, adject. (utor) utilis, *utile, fruttuoso,* χρειώδης. *Varro* 1. *R. R.* 2. Quid in Italia utensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo? *Id.* apud *Augustin.* 4. *Civ. D.* 22. Vivere omnino nemo potest, si ignoret, quisnam sit faber, quis pistor, quis tector, a quo quid utensile petere possit. — Hinc

*Utensilia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Dicuntur quæcumque usui nostro sunt necessaria. *Liv.* 3. 49. Exutusque omnibus utensilibus miles Tusculum se, fide misericordiaque victurus hospitum, contulerat. *Id.* 26. 33. Quæque una secum dediderunt, agrum urbemque, divina humanaque utensilia, sive quid aliud dediderunt, de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo, Quirites. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 22. (72). Papyri radicibus incolæ pro ligno utuntur: nec ignis tantum gratia, sed alia quoque utensilia vasorum. *Colum.* 9. *R. R.* 5. Ut apes collectis utensilibus, cum onere per proclivia non ægre devolent. *h. e.* iis rebus, quibus utuntur ad favos et mel conficiendum. *Id.* 12. *ibid. præf.* Utensilia, quibus aut alitur hominum genus aut etiam excolitur. ¶ 2. Sunt etiam viatici sumptus. *Auct. Itin. Alex. M.* 54. *in fin.* et *Gloss. Isid.*

ŪTENSĬLĬTAS, atis, f. 3. (utensilis) idem quod utilitas, usus. *Tertull. Habit. mul.* 5. Ferri et æris utensilitas.

ŪTER, ĕris, m. 3. *V.* UTERUS.

ŪTER, utris, m. 3. (uterus) In recto etiam *utris* in *Gloss. Labb.* 198. et *Edict. Diocl.* 10. 13-15. *Momms.* — Latini dixere etiam *hæc utria* in plurali, ut ait *Arnob.* 1. *p.* 36., et usurpavit *Andron.* apud *Non. p.* 231. 31. *Merc.* Flaccescent utria. — Uter est pellis, qua vinum aut oleum aut alia quæpiam similis res deferri solet, ἀσκός, ἄσκωμα (*It. otre; Fr. outre; Hisp. pellejo, odre; Germ. der Schlauch; Angl. leather-bottle*).

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 384. Mollibus in pratis unctos saliere per utres. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 29. Æolios Ithacis inclusimus utribus Euros. *h. e.* scripsimus de Ulysse; qui ab Æolo, apud quem diverterat, donatus fuit utribus ventorum plenis, quibus in navigatione uteretur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 75. 15. (30). Lycion aptissimum medicinæ, quod est spumosum: Indi in utribus camelorum aut rhinocerotum id mittunt. *Id.* 28. *ibid.* 18. 73. (240). Hircini utris vinarii cinis. *Scribon. Compos.* 84. Utrem si quis medium laqueo constrinxerit. — Frequens fuit apud veteres utrium usus ad flumina tranenda. *Liv.* 21. 27. Hispani sine ulla mole, in utres vestimentis conjectis, ipsi, cetris suppositis incubantes, flumen tranavere. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Lusitani peritique earum regionum cetrati citerioris Hispaniæ consectabantur, quibus erat proclive tranare flumen, quod consuetudo eorum omnium est, ut sine utribus ad exercitum non eant. *Curt.* 7. 5. 18. Utres quam plurimos stramentis refertos dividit; his incubantes tranavere amnem. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 34. (176). Arabes Ascitæ appellati, quoniam bubulos utres binos sternentes ponte piraticam exercent. *h. e.* utribus junctis tabulas instar pontis sternentes. Adde *Frontin.* 3. *Strateg.* 13. et *Ammian.* 30. 1. *ante med.* *V.* UTRICULARIUS.

II.) Figurate. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 98. Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

ŪTER, utra, utrum, *Genet.* utrĭus, *Dat.* utri, adject. et pron. — *a*) Veteres in Genetivo et Dativo femin. sing. dixere etiam *utræ*, ut monet *Charis. p.* 158. 29. *Keil.* — *Uterum* neutr. gen. pro *utrum* legunt *Bücheler* et *Kiesslings* apud *Næv. Com.* 53. et 115. — *b*) Ratione habita etymi, « videtur, inquit *Forcellinus*, esse a Græca voce πότερος »; quod quidem Ionice est κότερος, unde fortasse *cuter*, ut *cunde* pro unde, *cubi* pro ubi etc. Cf. *necuter*, pro neuter, apud *Orelli Inscr. n.* 4859. V. UBI, UT, NEUTER. — *c*) *Utrius* pænultimam habet communem. A poetis ea sæpius brevis adhibetur. V. *Lucret.* 4. 505. et 1205., *Catull.* 68. 39., *Horat.* 1. *Ep.* 17. 15. et 3. *Od.* 8. 5., *Martial. Spectac.* 13. et 3. 27., qui omnes corripuerunt. — Uter est quis ex duobus, πότερος, ὁπότερος (*It. chi di due; Fr. lequel des deux; Hisp. que de dos; Germ. wer od. welcher von Beiden; Angl. whether or which of the two*): differt autem a *quis*, quod de pluribus dicitur: idem dicendum de compositis *uterlibet, utervis,* et *quilibet, quivis. Quintil.* 7. 4. *ante med.* De præmiis quæritur, ex duobus uter dignior; ex pluribus quis dignissimus. De pluribus tamen usurpavit *Vitruv.* 7. *præf.* Alii eum scripserunt esse in crucem actum: nonnulli, in eum lapides esse conjectos: alii, vivum in pyram conjectum. Quorum utrum si acciderit, merenti digna constitit pœna.

I.) *Uter* est pron. interrogativum. ¶ 1. Generatim. — 1.°) In directa oratione. — *a*) Universim. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 47. Sed uter vestrorum est melior? Cf. *ibid.* 5. 1. *Cic. Rabir. perduell.* 4. 11. Uter nostrorum popularis est? tune an ego? *Horat.* 2. *Sat.* 3. 102. Uter est insanior horum? *Id. ibid.* 7. 47. peccat uter nostrum cruce dignius? — Neutr. absolute. *Nævius* apud *Non. p.* 136. 7. *Merc.* Utrum est melius? virginemne an viduam uxorem ducere?

— b) Cum verb. in plur. num. *Plaut. Men.* 5. 9. 60. Uter eratis, tun an ille major? — c) Cum particula *ne* ad majorem vim. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 107. uterne Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui Pluribus assuerit mentem, *etc.* An qui contentus parvo etc.? Alii leg. *uternam.* — d) De pluribus ex duabus hominum partibus. *Plaut. Truc.* 1. 2. 51. Utriscum rem esse mavis? — 2.°) In obliqua. — a) Universim sive cum nomine sive absolute. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divin.* 48. 107. Omnibu' cura viris, uter esset induperator. – Sic exspectabat populus atque ora tenebat Rebus, utri magni victoria sit data regni. *Ter. Heaut.* 2. 3. 85. Harum duarum condicionum nunc utram malis, vide. *Pacuv.* apud *Non.* p. 85. 4. *Merc.* Is vestrum uter sit, cui signum datum est, cette. *Id. ibid.* p. 475. 1. Inveni, opino, Orestes uter esset tamen. *Claud. Quadrigar. ibid.* p. 508. 18. Quum non possetur discerni, utrius putaretur victoria esse. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Hi perpetuas controversias inter se habebant, uter alteri anteferretur. *et* 1. *ibid.* 12. Arar in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit. *Cic. Amic.* 7. 24. Ignorante rege, uter esset Orestes. *Id.* 2. *Invent.* 49. *a med.* Utra lex de genere omni, utra de parte quadam: utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem scripta videatur. *Id. fragm. or. pro Tull.* 24. ed. *Maio* in *Class. Auct. T.* 2. p. 360. Dubitari hoc potest, utri oppugnasse videantur. *Liv.* 2. 17. Consulum quoque alterum (sed utrum, nomen auctores non adjiciunt) prope interfecerunt. *Ovid.* 9. *Met.* 546. Tu servare potes, tu perdere solus amantem: Elige utrum facias. *Quintil.* 3. 8. 33. Non tantum utrum melius, sed quid sit optimum, quæritur. *Seneca Phœniss.* 564. rex sit e vobis uter, Quærite. *Cic* 1. *Orat.* 62. 263. Dubitare visus est, utrius oratio propius ad veritatem diceretur accedere. *Id.* 2. *Divinat.* 68. 141. Potest omnino hoc esse falsum, potest verum: sed utrum sit, non est mirabile. *Fat.* 2. 3. Utro frui malis, optio sit tua. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 16. videamus, uter plus scribere possit. — *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 45. Ut eligas, utrum velis factum esse necne. — b) De duabus partibus, *quale delle due parti. Quintil.* 5. 8. 34. Aliquando utrinque sunt testes et quæstio sequitur ex ipsis, Utris meliores viri: ex causis, Utri magis credibilia dixerint: ex litigatoribus, Utri magis valuerint. Adde *eumd.* 16. 3. 12. — *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13. *ad fin.* Utros ejus habueris libros (duo sunt enim corpora), an utrosque, nescio. — c) *Uter utri*, quis ex duobus alteri. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Neque dijudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur. *Cic. Mil.* 9. 23. Ut nihil jam aliud quærere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit. — *Liv.* 40. 55. Si scire possis, uter ab utro petitus fraude insidiis esset. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 55. Ambigitur quoties uter utro sit prior. Adde *Dig.* 9. 2. 45. — d) Cum superlativo. *Cic.* 2. *Invent.* 58. 174. Quamquam præstet honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberatur. — e) Cum verbis plur. numeri. *Plaut. Men.* 5. 2. 29. Loquere, uter meruistis culpam, paucis. ¶ 2. Speciatim pro alteruter, *l' uno o l'altro. Cic.* 5. *Verr.* 14. 35. Omnium controversiarum, quæ essent inter aratorem et decumanum, si uter velit, edicit se recuperatores daturum. *et paullo post.* Utrum ita scripserit, si uter volet; an, si decumanus volet, nihil interest. arator enim tuos istos recuperatores numquam volet. Cf. III. ¶ 3. Præcedente negativa pro neuter. *Lucret.* 4. 1217. Et neque utrum superavit eorum nec superatum est. *Gell.* 2. 4. Quum accusator et reus duæ res quasi cognatæ conjunctæque sint, neque utra sine altera constare possit. *Martial.* 5. 20. Nunc vivit nec uter sibi. Adde *Paul. Dig.* 50. 16. 132. De loco *Lucret.* 5. 839. V. *Lachm.* p. 313. — *V.* etiam particulam UTRUM.

II.) *Uter* vim habet pronominis relativi, qua cum alia sententia connectitur. *Cic. Sext.* 42. 92. Horum utro uti nolimus, altero est utendum. *Id.* 5. *Verr.* 45. 106. Utrum enim horum dixeris, in eo culpa et crimen hærebit. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 45. Ut eligas, utrum velis: utrum dixeris, id contra te futurum. *Id.* 2. *Divinat.* 56. 116. Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset. *Id. Partit. orat.* 36. 123. Uter penetravit et uter propius accesserit, is vincat necesse est. *Liv.* 21. 18. *extr.* Utrum placet, sumito. Adde 2. 27. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 180. Uter ædilis fueritve vestrum prætor, is intestabilis et sacer esto. Adde 31. 32. — *Plaut. Amph.* 1. 1. 70. Convenit, victi utri sint eo prœlio, urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent.

III.) *Uter* est indefinitum, quivis ex duobus, unus ex duobus, *qualsivoglia dei due, uno dei due.* Vet. *formula* juramenti militaris apud *Gell.* 16. 4. Uti tu ad C. Lælium, L. ve Cornelium Cos. sive quem ad utrum eorum jusserit, proferes aut profitebere. *Cic.* 3. *Off.* 23. 90. Quid? si una tabula sit, duo naufragi eique sapientes: sibine uter rapiat, an alter cedat alteri? *Dig.* 9. 2. 45. § 3. Si cum utro eorum actum est, cum altero agi non potest. — Hinc absolute

*Utro*, versus quam duarum partium, *verso quale delle due parti*, ὁποτέρωσε. *Ovid.* 5. *Met.* 166. Nescit utro potius ruat, et ruere ardet utroque. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (179). Id demum recte subactum erit, ubi non intelligitur, utro vomer ierit.

*Utrum*

I.) Habet vim pronominis. — a) In directa interrogatione. *Nævius* apud *Non.* p. 136. 7. *Merc. Cic.* 4. *Tusc.* 4. 9. Utrum igitur mavis, statimne nos vela facere, an quasi e portu egredientis paullulum remigare? — b) In obliqua. *Id.* 6. *Verr.* 33. 73. Æquum esse illos cogitare, utrum esset Agrigentinis utilius suisne servire, anne populo Romano obtemperare. *Id. Fontej.* 14. 31. Videte igitur, utrum sit æquius, hominem honestissimum dedi inimicissimis nationibus, an reddi amicis. Alia exempla *V.* supra.

II.) Habet vim adverbii et est num, an, *se, se forse*, ἄν τε, εἴ τε πότερον: usurpatur in dubitatione, quum interrogamus, et fere semper habet post se particulam *an*, aliquando vero *ne* aut *necne.* ¶ 1. Construitur cum duplici quæstione, ita ut una alteri opponatur. — 1.°) Directa interrogatione, et quidem — a) In forma *utrum – ne – an? Plaut. Rud.* 1. 2. 16. Sed utrum tu masne an femina es, qui illum patrem voces? *Id. Cist.* 3. 10. Utrum hacin feriam, an ab læva latus? *Id. Bacch.* 1. 1. 42. Utrum ego istuc jocon adsimulem, an serio? *Ter. Adelph.* 3. 3. 28. Utrum studione id sibi habet, an laudi putat fore, si perdiderit gnatum? *Cic.* 4. *Fin.* 24. 67. Utrum igitur tandem perspicuisne dubia aperiuntur, an dubiis perspicua tolluntur? Adde 2. *ibid.* 19. 60. et *Liv.* 2. 58. — b) Rarius in forma *utrumne – an? Horat. Epod.* 1. 7. Utrumne jussi persequemur otium – An hunc laborem mente laturi? *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Utrumne igitur ego sum – ab ipsa mea censura notandus – an tu? *Quintil.* 12. 1. 40. Utrumne salvum eum nolet is – orator, an – defendet? — c) In forma *utrum – an? Plaut. Pers.* 3. 1. 13. Utrum tu pro ancilla me habes, an pro filia? SA. Utrum hercle magis in ventris rem videbatur. Adde *Cas.* 2. 4. 11. *Laberius* apud *Non.* p. 208. 19. *Merc.* Utrum tu hunc gruem Baliaricum, an hominem putas esse? *Cic. Rosc. Com.* 11. 32. Utrum pro dimidia parte, an pro tota (*decidisti*)? planius dicam, utrum pro me an pro me et pro te? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 95. Utrum ea vestra, an nostra culpa est? Adde 1. *Tusc.* 25. 61. — d) Aliquando in forma *utrum – ne? Acc.* apud *Priscian.* 6. p. 686. *Putsch.* Sed utrum terræ motus sonitusne inferum persuasit auris inter tonitra et turbines? — 2.°) Oblique, et quidem — a) In forma *utrum – ne – an* vel *an non. Plaut. Capt.* 2. 2. 18. Sed utrum, strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio. *Id. Most.* 3. 1. 151. Videndum 'st primum, utrum ea velintne an non velint. Adde *Bacch.* 3. 4. 1. *Ter. Eun.* 4. 4. 53. PY. Sed nunc quid faciendum censes, Dorias? DO. de istac rogas Virgine? PY. ita, utrum taceamne an prædicem? *Cic. Quinct.* 30. 92. Ea res nunc enim in discrimine versatur, utrum possitne se contra luxuriem – parcimonia defendere – an cupiditati addicatur. *Id.* 2. *Nat. D.* 34. 87. Videamus, utrum ea fortuitone sint, an eo statu quo etc. Adde 4. *Tusc.* 27. 59. et 2. *Phil.* 12. 30. — b) In forma *utrumne – an. Horat.* 2. *Sat.* 3. 251. nec quidquam differre, utrumne in pulvere – ludas opus, an meretricis amore Sollicitus plores. *Curt.* 4. 9. 1. Dubitaverat, utrumne circa Macedoniam subsisteret, an interiora regni sui peteret. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 5. Ischomachus rogatus a Socrate, utrumne mercari vilicum, an a se instituere consueverit. Adde *Sueton. Cæs.* 80., *Tac. Dial. de orat.* 37. et *Gell.* 6. 8. — c) In forma *utrum – an* vel *an non. Nævius* apud *Non.* p. 200. 25. *Merc.* Utrum scapulæ plus, an collus calli jam habeat, nescio. *Plaut. Aulul.* 3. 2. 16. Quid tu, malum, curas, utrum crudum an coctum edim. *Id. Cist.* 4. 2. 11. Facite indicium, utrum hac an illac iter instituerit. *Ter. Phorm.* 4. 3. 54. Utrum stultitia facere ego hunc an malitia dicam, scientem an imprudentem, incertus sum. *Cic.* 1. *Fam.* 7. Multum interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur. Adde 1. *Off.* 8. 27. *Id. Rosc. Com.* 3. 9. Utrum cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes an non? *Varro* 1. *R. R.* 2. 8. Imprimis spectasse videntur Italici homines, utrum saluber locus esset, an non. *Catull.* 17. 21. Ipse qui sit, utrum sit an non sit, nescit. — d) In forma *utrum – anne. Plaut. Bacch.* 4. 1. 4. Nunc me jussit percontarier, utrum aurum reddat, anne eat secum semul. *Cic. Orat.* 61. 206. Quærendum, utrum una species et longitudo sit earum, anne plures etc. *Id.* 12. *Att.* 51. Id utrum illi sentiant, anne simulent, tu intelliges. — e) In forma *utrum – necne* vel *ne. Cæs.* 1. *B. G.* 50. *in fin.* Matres familias sortibus declarabant, utrum prœlium committi ex usu esset, necne. *Cic.* 6. *Verr.* 16. 35. Jam dudum ego erro, qui quæram, utrum emeris, nec ne. Adde 3. *Nat. D.* 7. 17. *D. Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 26. Deliberent, utrum trajiciant legiones ex Africa, necne. *Liv.* 39. 48. Sed quæ maxime rem continerent, erant, utrum restituerentur quos Achæi damnaverant, necne. *Nepos Iphicr.* 3. Quum interrogaretur, utrum pluris patrem matremne faceret. ¶ 2. Construitur cum multiplici quæstione, ita ut præcedat *utrum* in priore et in ceteris quæstionibus sequatur *an.* — 1.°) Directa interrogatione. *Cic.* 9. *Att.* 2. Utrum hoc parum commeministi, an ego non satis intellexi, an mutasti sententiam? *Id.* 4. *Verr.* 47. 115. Utrum hoc signum cupiditatis tuæ, an tropæum necessitudinis atque hospitii, an amoris judicium esse voluisti? *Liv.* 21. 10. Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? *Cic.* 5. *Verr.* 36. 80. Utrum impudentius a sociis abstulit, an turpius meretrici dedit, an improbius populo Romano ademit, an audacius tabulas publicas commutavit? — 2.°) Obliqua. *Id. Pis.* 10. 22. In quo (*convivio*) nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit. *Id.* 3. *Verr.* 41. 105. Utrum admonitus, an templatus, an sine ullo duce, sine indice pervenerit ad hanc improbitatem, nescio. ¶ 3. Interdum, utraque ratione, nulla particula subsequitur, sed subintelligitur. *Id.* 4. *ibid.* 69. 167. An hoc dicere audebis, utrum de te aratores, utrum denique Siculi universi bene existiment, ad rem id non pertinere? *Id. Flacc.* 19. 45. Utrum enim est in clarissimis civibus is, quem judicatum hunc duxit Hermippus? *Id. Top.* 4. 25. Utrum igitur hactenus satis est? tibi quidem tam acuto et tam occupato puto. *Liv.* 45. 39. Utrum majores vestri omnium magnarum rerum et principia exorsi ab diis sunt et finem eum statuerunt? *Plaut. Men.* 5. 6. 30. Neque utrum ex hoc saltu damni salvum scio eliciam foras. *Nepos*

*Eumen.* 6. Ad hunc (*Eumenem*) Olympias - quum litteras et nuncios misisset in Asiam consultum, utrum repetitum Macedoniam veniret et eas res occuparet, huic illa primum suasit etc. — Item cum particula *nam. Liv.* 37. 17. *sub fin.* Percontatus est, utrumnam universa classis in portu stare posset.

ŬTERCŬLUS, i, m. 2. ¶ 1. Est deminut. ab *uterus*, parvus uterus seu venter, *ventricello. Plin.* 11. *Hist. nat.* 12. 12. (31). Præterea e fronde ac pabulis potus in uterculos congestus apum; ore enim eum vomunt etc. In MSS. *Harduini* et *Sillig.* est *utriculo.* ¶ 2. Est etiam deminut. ab *uter, tris*, parvus uter, *picciolo otre. Apul.* 1. *Met.* Sanguis eruptionem uterculo admōto excipit diligenter. Alii leg. *vasculo*, alii *utriculo.*

ŬTERCUMQUĔ (utercunque), utrăcumque, utrumcumque, adject. et pron., idem quod utervis sive uterlibet, *qual di due tu vuoi*, ὁπότερος δήποτε. — a) Sensu relativo. *Cic.* 6. *Fam.* 4. Magnæ utrinque copiæ ita paratæ ad pugnandum esse dicuntur, ut utercumque vicerit, non sit mirum futurum. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. *a med.* In quo bello utracumque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura reipublicæ. *Quintil.* 4. 2. 89. Utrumcumque erit, prima sit curarum etc. *Id.* 5. *procem.* 3. Utrumcumque est (nec enim hoc loco meam interpono sententiam) hic erit liber etc. *Gell.* 5. 10. *sub fin.* Ne sententia sua, utramcumque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet. — b) Sensu indefinito pro alteruter. *Quintil.* 3. 6. 29. Utrocumque modo sequetur summa confusio. Adde 12. 10. 59. — *Id.* 6. *procem. a med.* In utracumque lingua expressa proprietas omnium litterarum. *Halm* rectius leg. *utraque.*

ŬTĔRĪNUS, a, um, adject. (uterus) qui ex eodem utero prodiit, hoc est qui matrem eamdem, non tamen eumdem habuit patrem, ὁμογάστριος (It. *uterino, fratello da parte di madre;* Fr. *utérin, de la même mère;* Hisp. *uteral, uterino;* Germ. *aus einem Mutterleibe;* Angl. *uterine, born of the same mother*). *Uterinis fratribus* opponuntur *consanguinei*, qui de uno patre nati. *V.* FRATER et CONSANGUINEUS. Cf. *Isid.* 9. *Orig.* 6. 7. *Imp. Justinian. Cod.* 6. 59. 15. § 1. Sororis uterinæ filius et filia. *Vulg. interpr. Gen.* 43. 29. et 44. 20. Uterinus frater. Sic *Cod. Justinian.* 5. 62. 21. fratres, *et ibid.* 6. 59. 15. § 2. Nec fratrem vel sororem uterinos concedimus in cognationis loco relinqui. Adde *Cod. Theod.* 9. 42. 9. § 3. et *Capitol. Antonin. P.* 1. *Justin. Instit.* 3. 9. 3. *p.* 103. 6. *Kr.* Frater soror sive consanguinei sive uterini. — *Plaut. Truc.* 4. 3. 32. *Sp.* Puerum uterinum parit. Ita ex conjectura legit *Geppert.*

ŬTERLĪBET, utrălibet, utrumlibet, adject. et pron. alter ex duobus, quem tibi capere libet, *uno di due*, ὁπότερος οὖν. — a) Sensu relativo. *Cic. Quinct.* 26. 81. Utrumlibet elige, alterum incredibile est, alterum nefarium, et ante hoc tempus utrumque inauditum. — b) Sensu indefinito pro alteruter. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 8. (13). Sanguinem fluentem ex utralibet parte sistit. *Cels.* 6. 7. *n.* 7. Adjecto vel irino vel laureo oleo, sic ut utrilibet paullum aceti misceatur. *et ibid.* 18. *n.* 10. Ubi utrolibet modo curatum est. *Quintil.* 2. 19. 2. Si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum valebit. *et* 11. 1. 69. Si utrumlibet esset liberum. Adde 1. 5. 35. — Hinc absolute, adverbiorum more

*Utrālibet* pro utra parte vis, *da o per qualunque delle due parti tu vuoi. Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (79). Tingit appropinquantes (*stellas*) utralibet alieni meatus circulus.

*Utrolibet* pro utroque versum, *verso qual de' due luoghi tu vuoi. Quintil.* 1. 11. 9. Observandum, ut recta sit facies dicentis, ne inclinata utrolibet cervix.

ŬTERNAM et

ŬTERNĔ. *V.* UTER, tra, trum.

ŬTERQUĔ, utrāque, utrumque, adject. et pron. — a) In genetivo sing. masc. *utrique* pro *utriusque* est *Plaut. Aulul. v.* 129. et *Capt. v.* 398. et *Ter. Andr. v.* 548. (V. *Luchs Genetbild. d. lat. Pron. p.* 8.): item sing. femin. *utræque* apud *Venant.* 7. *carm.* 5. 23. et *Charis. p.* 158. 30. *Keil.* — In dativo sing. masc. *utroque* pro *utrique. Apul.* 2. *Dogm. Plat.* 13. et *Commodian.* 2. *Instr.* 11. 3.: item sing. fem. *utræque* apud *Charis. p.* 158. 30. *K.* — In genet. plur. *utrûmque* sync. apud *Cic.* 7. *Verr.* 49. 129. (ubi tamen *Orell.* leg. *utrorumque*) et *Commodian.* 1. *Instr.* 16. 4. Perperam vero *utriumque*, pro quo *utrarumque* suppl. *Wilmanns* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 9366. (*Renier Inscr. n.* 3891.) — b) Ad quantitatem quod attinet, *utriusque* secunda syllaba fere corripitur. *Lucret.* 4. 505. *et* 1205., *Catull.* 68. 39., *Horat.* 3. *Od.* 8. 5. et *Ep.* 17. 15., *Ovid.* 3. *Fast.* 571. et *Martial. Spectac.* 13. et 3. 27. Qui produceret, inveni adhuc neminem: nec tamen damnerim, si quis faciat, inquit *Forcell.* — Uterque est alter et alter, ambo, utervis, ἑκάτερος, ἀμφότερος (It. *l'uno e l'altro, tutti e due;* Fr. *l'un et l'autre, tous les deux;* Hisp. *el uno y el otro, ambas;* Germ. *ein jeder von beiden;* Angl. *both the one and the other*): adhibetur autem tum proprie tum translate. ¶ 1. In sing. num. — a) Universim et sæpius cum verbis et nominibus sing. num. *Plaut. Amph.* 1. 1. 74. Imperator uterque hinc et illinc Jovi vota suscipere, tum exercitum hortarier. *Id. Aulul.* 2. 1. 10. Ut æquum est, quod in rem esse utrique arbitremur, et mihi te et tibi me consulere et monere. Adde *Truc.* 5. 69. *Afran.* apud *Non. p.* 375. 5. *Merc.* Tibi in utraque parte pollet et pariter potest. *Balb. et Opp.* ad *Cic.* 2. *post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att. a med.* Non videri eam tuam esse dignitatem, ut contra alterutrum, quum utrique sis maxime necessarius, arma feras. *Cic.* 2. *Off.* 6. 19. Magna vis est in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas. *et ibid.* 10. *sub fin.* Vita, mors, divitiæ, paupertas: quæ qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt etc. *et* 3. *Rep.* 6. 4. In utramque partem disserere. *h. e.* pro et contra. *Virg.* 5. *Æn.* 560. densis ictibus heros Crebro utraque manu pulsat etc. *Horat.* 3. *Od.* 8. 5. Docte sermones utriusque linguæ. *Ovid.* 1. *Met.* 338. Uterque Phœbus. *h. e.* oriens et occidens. Sic *Stat.* 1. *Theb.* 157. limes poli. *et Ovid.* 2. *Fast.* 489. polus. *h. e.* Arcticus et Antarcticus. *Nepos Att.* 14. Pari fastigio stetit in utraque fortuna. *h. e.* in parvo et amplo patrimonio. *Ovid. Heroid.* 9. 16. *de Hercule.* Implesti meritis Solis utramque domum. *Id.* 15. *Met.* 829. uterque Oceanus. *h. e.* orientalis et occidentalis. *Catull.* 31. 3. Neptunus. *h. e.* maris præses et fluminum ac fontium. *Ovid.* 13. *Met.* 437. parens. *h. e.* pater et mater. Adde *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 4. 2. *Id. Quinct.* 8. 30. Demonstrabant de re judicium fieri oportere, ut aut uterque inter se aut neuter satis daret. — *Utrumque*, neutr. abs. *Grat. Cyneg.* 333. Utrumque et prudens et sumptis impiger armis. *l'una cosà e l'altra.* Sic *Oppian. Cyn.* 1. 90. Ἀμφότερον κραιπνοί τε σθεναροί τε μαχέσθαι. — *Uter utrique*, alter alteri. *Ter. Phorm.* 5. 3. 17. Uterque utrique est cordi. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Quum uterque utrique esset exercitus in conspectu. Cf. *Cic.* 1. *Off.* 1. 2. et *Justin.* 6. 2. 9. — Partitive. *Cic.* 8. *Att.* 12. Fabius amantissimus utriusque nostrum. — *Uterque* et *ambo* in una eademque periodo. *V.* AMBO. — b) Cum verbis et nominibus plur. num. *Plaut. Curc.* 1. 3. 31. Uterque insaniunt. *Ter. Eun.* 5. 2. 1. Apud Antiphonem uterque - quasi dedita opera domi erant. *Id. Adelph.* 1. 2. 50. Verum, Demea, curemus æquam uterque partem, tu alterum, ego item alterum. *Ovid.* 6. *Met.* 59. Utraque festinant. *Tac.* 2. *Hist.* 97. Hordeonius anxius proprio bello, Vectius numquam satis quieta Britannia: et uterque ambigui. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 28. Mæcenas atque Cocejus missi magnis de rebus uterque legati. *Cato R. R.* 70. Facito, ut uterque sublimiter sient. *Plaut. Amph.* 1. 1. 68. Deinde uterque imperator in medium exeunt. *Colum.* 3. *p.* 73. Utraque syllaba crescunt in obliquis casibus. — Partitive. *Cæs.* 3. *B. C.* 30. Eodem die uterque eorum ex castris stativis exercitum educunt. ¶ 2. In plur. num. — a) Etiam quum de duobus generibus sermo est, ut de exercitibus, de sectis et hujusmodi. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Nec mi aurum posco nec mi precium dederitis: Non cauponantes bellum sed belligerantes: Ferro, non auro vitam cernamus utrique. *Plaut. Truc.* 1. 2. 50. Utrosque percognovi utrobidem. *Ter. Heaut.* 2. 4. 14. Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini. *h. e.* vos puellæ et amatores vestri. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Illæ (*naves*) adeo graviter inter se incitatæ conflixerunt, ut vehementissime utræque ex concursu laborarent. *Formula* apud *Cic. Mur.* 12. 26. Suis utrisque superstitibus præsentibus istam viam dico. *Cic.* 1. *Off.* 1. 2. Quoniam utrique et Socratici et Platonici esse volumus. *h. e.* Peripatetici et Academici. *Id.* 3. *Orat.* 26. 102. A quibus utrisque submittitur aliquid etc. *h. e.* a poetis et ab iis, qui modos fecerunt. *Sall. Cat.* 39. *extr.* Utrique victoriam crudeliter exercebant. *h. e.* plebis fautores et senatus. Adde *Jug.* 79. *et* 93. *Tac. Germ.* 34. Utræque nationes Rheno prætexuntur. — b) Item quum de duobus simpliciter loquimur. *Sall. Cat.* 31. Hi utrique ad urbem imperatores erant etc. *h. e.* Q. Marcius, Q. Metellus. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Binos habebam scyphos: jubeo promi utrosque. *Virg.* 6. *Æn.* 685. palmas utrasque tetendit. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 25. pallor utrasque (*Canidiam et Saganam*) fecerat horrendas. *Id.* 3. *ibid.* 8. 284. sanus utrisque Auribus atque oculis. *Liv.* 36. 16. Ætolorum utræque manus. *Nepos Timol.* 20. Utrorumque Dionysiorum opibus Corinthii sæpe adjuti sunt. *Id. Hannib.* 4. Cum his (*consulibus*) manum conseruit, utrosque profligavit. *Seneca Herc. Fur.* 1060. obitus pariter Tecum Alcides vidit et ortus Novitque tuas utrasque domus. *Tac.* 16. *Ann.* 11. Illa utrosque intuens. *h. e.* patrem et aviam. — c) *Utrique* etiam usurpatur, quum de tribus sermo est. *Flor.* 2. 3. Jam Ligures, jam Insubres Galli, jam Illyrii lacessebant. Denique utrique quotidiani et quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant. — Hinc absolute, adverbiorum more

*Utrăque*, subaud. *parte*, utrinque vel utrobique. *Cass. Hemina* apud *Non. p.* 183. 22. *Merc.* In Hispania pugnatum bis: utraque nostri loco moti. *Cæcil. ibid.* Atque herele utraque te, quum ad nos venis, Suffarcinatam vidi. Utroque loco recentiores *utrasque* legunt et accipiunt eodem modo ac *alias, alteras.* Sed prior lectio firmatur *Lucret.* 6. 517. vementer utraque Nubila aquis cumulata premuntur. Adde 4. 86. et 291. V. *Lachmann* ad *eumd. p.* 376. coll. *p.* 104. Adde etiam *Auson.* 1. *Ep.* 22., *Prudent. Apoth.* 320. et *alibi*, et *Manil.* 2. 903. — Cf. *interutrăque*, h. e. inter utramque partem, utrinque, quod est apud *Lucret.* 2. 517. Ambit enim calor ac frigus mediique tepores. Interutraque jacent etc. et *alibi* sæpe. V. *Lachmann* ad *eumd. p.* 104.

*Utroque*, subaud. *loco*, ad utrumque locum, *all'uno ed all'altro luogo*, ἑκατέρωσε. — a) Absolute. *Cic.* 5. *Att.* 12. A. d. VIII. Id. ad Ceo jucunde (*venimus*), inde Gyarum, hinc Scyrum, inde Delum, utroque citius, quam vellemus, cursum confecimus. *Liv.* 8. 29. Provincia ea Bruto, Samnium Camillo sorte evenit: exercitus utroque ducti. *Ovid Heroid.* 10. 19. Nunc huc, nunc illuc et utroque sine ordine curro. Adde 5. *Met.* 166. et *Manil.* 4. 414. — *Cic. Par.* 3. 24. Si natura utroque adjuncta est. — b) Conjungitur aliquando cum particula *versum* in unam vocem *utroqueversum*, versus utrumque locum, in utramque partem. *Plaut. Capt.* 2. 3. 8. Utroqueversum rectum est ingenium meum. *Gell.* 5. 12. Vocabula ambigua et quæ utroqueversum dicantur. *h. e.* augendi et minuendi significatione. Alii divisim leg. *utroque versum.*

*Utrumque* pro in utramque partem, utroque modo. *Lucret.* 4. 415. Et quantis, utrumque,

modis tollentur ad ortus, Diversam in sortem, tantis mergentur ad umbras.

**Homonym.** Quomodo inter se differant *ambo* et *uterque*, V. in AMBO.

**ŬTĔRUM** i, n. *et*

**ŬTĔRUS**, i, m. 2. — *a*) *Uter* in recto sing. *Cæcil.* apud *Non. p.* 188. 15. *Merc.* Nunc uter crescit, non potest celari. Cf. *Exc.* ex *Charis. p.* 540. 13. *Keil.* et *Gloss. Labb.* 198. — Hinc *utere* in ablativo in *Inscr.* apud *De-Rossi Inscr. Christ. T.* 1. *p.* 222. *n.* 324. HIC REQVIESCENT IN PACE SACRAS GERMANAS VNIVS VTERE NATAS (*sic*). Adde *aliam ibid. p.* 223. ex *Lupi Epitaph. Sever. p.* 175. — *b*) *Uterum*, neutr. gen. *Plaut. Aulul.* 4. 7. 10. Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet. Ita leg. cum plerisque *Non. p.* 229. 32. *Merc.* Alii leg. *uterum doleo:* alii *uterus.* Si *doleo* legas, *uterum* est accusativus partis. *Turpil.* apud *Non. ibid.* Uterum cruciatur mihi. *Afran. ibid. p.* 230. 2. Sedit uterum, non ut omnino tamen. Adde *Gell.* 3. 16. et *Apul. De mag.* — *c*) Ratione habita etymi, videtur esse ab inusit. ὀδερός, quod ab ὄδω pro οἰδέω, tumeo: hinc οἶδος, tumor. Ita *Forcellinus.* Recentiores tamen conferunt cum Skr. *uttara* et Gr. ὕστερος, unde ὑστέρα, vulva, uterus. Cf. etiam οὖθαρ. — Uterus est venter, alvus, γαστήρ (It. *ventre;* Fr. *ventre, sein;* Hisp. *vientre, seno;* Germ. *der Leib, Bauch;* Angl. *the belly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cels.* 4. 1. At sub corde atque pulmone transversum ex valida membrana sæptum est, quod a præcordiis uterum diducit. Cf. *ibid. p.* 113. 38. *Ritter. Plaut. fragm.* apud *Gell.* 3. 3. Me puero uterus erat solarium: - Ubi iste monebat esse etc. *Virg.* 7. *Æn.* 499. actaque multo Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo. *Juvenal.* 10. 308. prætextatum loripedem vel Strumosum atque utero pariter gibboque tumentem. *Lucan.* 9. 773. Dissiluit stringens uterum membrana fluuntque Viscera. Adde 6. 115. ¶ 2. Speciatim dicuntur loci muliebres, in quibus fetus concipitur, μήτρα, ὑστέρα (It. *matrice, utero;* Fr. *matrice, utérus;* Hisp. *matriz, útero;* Germ. *des Mutterleib, Gebärmutter;* Angl. *the womb*). — *a*) De homine. *Plaut. Amph.* 5. 1. 40. postquam parturire hodie uxor occœpit tua, Ubi utero exorti dolores ut solent puerperæ, Invocat deos etc. Adde *Aulul. loc. cit. Id. Truc.* 1. 2. 96. uterum illi, quod sciam, numquam extumere sensi. Adde *Cæcil.* et *Afran.* apud *Non. loc.* supra *cit. Cic.* apud *Serv.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 139. Mater, quæ te beluam ex utero, non hominem, fudit. *Horat.* 3. *Od.* 22. 2. laborantes utero puellæ. *h. e.* parturientes. *Ovid.* 9. *Met.* 315. Diva potens uteri. *h. e.* Lucina partubus præses. *Id.* 10. *ibid.* 495. Gravis uterus. *h. e.* gravidus. Sic 9. *ibid.* 387. tumens. *et ibid.* 280. Uterum implere generoso germine. *et* 8. *ibid.* 133. Utero fetum ferre. *Id.* 2. *Fast.* 451. Parce, precor, gravidis facilis Lucina puellis Maturumque utero molliter effer onus. *Id. Heroid.* 4. 58. Eniti onus utero. *h. e.* parere. *Id.* 1. *Fast.* 33. Utero matris prodit infans. *Id.* 6. *Met.* 192. Tendit gravitas uterum. *Propert.* 4. 1. 96. Uteri pondus. *h. e.* fetus. *Cels.* 2. 10. Feminæ uterum gerentes. *h. e.* ventrem ferentes, gravidæ, *che portano.* et *Ulp. Dig.* 34. 5. 11. *a med.* Si ancilla uno utero marem et feminam peperisset. *h. e.* uno partu, *ad un portato:* et *Vellej.* 2. 93. *in fin.* Femina neque sibi neque reipublicæ felicis uteri. *h. e.* fecunditatis. *Tac.* 1. *Ann.* 59. Arminium rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebant. *h. e.* infans utero inclusus. — *b*) De bestiis. *Varro* 2. *R. R.* 2. *a med.* de *ovib.* Eadem aqua uti oportet, quod commutatio et lanam facit variam et corrumpit uterum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 62. (151). Canes gerunt uterum sexagenis diebus. *et ibid.* 10. 10. (28). Elephantos decem annis gestare in utero, vulgus existimat. *et ibid.* 32. 50. (112). de *cervis.* Ante partum purgantur herba quadam, faciliore ita utentes utero. *Id.* 9. *ibid.* 51. 76. (166). Belone unus piscium dehiscente utero parit. *Id.* 8. *ibid.* 16. 17. (43). *de leæna.* Semel edi partum, lacerato ungulum acie utero in enixu. — *Virg.* 2. *Æn.* 52. *de equo ligneo.* uteroque recusso Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. *Colum.* 12. *R. R.* 4. *in fin.* In utero dolii. *h. e.* parte media latiore. *Tac.* 2. *Ann.* 6. Naves lato utero. Sic *Paulin. Nolan.* 13. 175. Plerisque mersis, intus, in navis utero. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Lactant.* 2. 11. Terram novam semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in uterorum similitudinem protulisse: de quibus Lucretius (5. 806.) Crescebant uteri terræ radicibus apti: eosque, quum maturassent, natura cogente ruptos animalia tenera profudisse. *Prosp. De ingrat.* 442. Nempe utero fidei parta est tam recta voluntas. — In illo *Vulg. interpr. Ps.* 109. 3. Ex utero ante luciferum genui te. *ex utero* est ex divina substantia et natura: *ante luciferum,* a tota æternitate: *genui,* non spiravi, ita ut a me procedas non per modum spirationis sed per generationis, ideoque sis filius meus naturalis, non adoptivus, æternus et, ut ego, Deus. In Hebraico tamen alii aliter legunt et interpretantur; sed non est discedendum a sententia principali, quam *Vulg.* præbet. Cf. *Ps.* 2. 7.

**Homonym.** Ita de discrimine inter *ventrem, alvum* et *uterum* scribit *Probus* in *fragm.* de *Nom. n.* 46. *Endl.* « *Venter* totus dicitur, qui oculis subjectus est: *alvus* interior pars, qua cibus commeat: *uterus* autem, quo mulier bajulat partum ». *Agroet.* vero *p.* 2276. *Putsch.* « *Alvus* virorum recte dicitur: *uterus* mulierum: *venter* utroque modo ». *Isid.* denique 1. *Diff. n.* 38. monet, a Poetis harum vocum discrimen metri necessitate non servari.

**ŬTERVIS**, utrăvis, utrumvis, adject. et pron. uter, quem vis, uterlibet, *quale di due tu vuoi,* ὁπότερος οὖν. *Plaut. Rud.* 2. 7. 8. Vel ego amare utramvis possim, si probe adpotus siem. *Id. Pseud.* 1. 1. 121. De ista re in oculum utrumvis conquiescito. et *Ter. Heaut.* 2. 3. 101. ademptum tibi jam faxo omnem metum, In aurem utramvis otiose ut dormias. *tra due guanciali. Id. Andr. pr.* 9. Qui utramvis recte norit, ambas noverit. — *Cic. Senect.* 10. *circa med.* At minus habeo virium, quam vestrum utervis. *Id. Rosc. Am.* 1. *sub fin.* Utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur. — *Utrumvis,* utrum versum. *Apul. Florid.* 2. Utrumvis clementer navigantem dies alter in portu sistit. *Alii leg.* utramvis; *alii* utrimvis.

**Homonym.** Hoc differunt *utervis* et *uterlibet* a *quivis* et *quilibet,* quod illa unum ex duobus significat, hæc unum ex pluribus. Cf. UTER.

ŬTI. *V.* UT.

**ŪTĬBĬLIS**, e, adject. (utor) idem quod utilis seu quo uti possumus, *utile, acconcio,* χρήσιμος. *Ter. Phorm.* 4. 4. 10. Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere? Adde *Auct. Itin. Alex. M.* 37. — Cum Dat. vel cum Acc. et præp. *ad. Plaut. Merc.* 5. 4. 45. Eamus intro: non utibilis hic locus factis tuis. *Id. Most.* 4. 1. 1. Servi, qui quum culpa carint, tamen malum metuunt, hi solent esse heris utibiles. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 19. Magis ad rem non potest esse utibile.

**ŪTĬLIS**, e, adject. (utor) *Oitile* pro *utile,* priscorum more, scribitur in *Fragm. Leg.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 201. *l.* 9. — Comp. *Utilior* 1. *a* et *c;* Sup. *Utilissimus* 1. *c* et 2., pro quo etiam *Utillimus* apud scriptores sequioris ævi, ut *Cassiod.* 5. *Variar.* 39. Modum rebus utillimum componentes. Adde *Plin. Valer.,* quem sæpe hac forma usum esse testatur *Rose p.* 128. — Utilis est is, quo uti possumus, qui usui est, accommodatus, proficuus, χρηστός, χρήσιμος (It. *giovevole, profittevole, buono, utile;* Fr. *qui sert, utile, profitable;* Hisp. *util, ventajoso;* Germ. *brauchbar, nützlich, zweckdienlich;* Angl. *useful, fit, profitable*): est autem per syncopen ab *utibilis.* ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cato R. R.* 135. Nolæ fiscinæ Campanicæ (*hamæ*). Hæ hamæ utiles sunt. *Plaut. Trin.* 1. 1. 2. Amicum castigare ob meritam noxiam immœne 'st facinus, verum in ætate utile et conducibile. *Ter. Andr.* 1. 1. 34. Id arbitror apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis. *Cic.* 1. *ad Brut.* 5. 1. Si arbitrarere, utile eque republica esse. *Id.* 3. *Off.* 19. *ante med.* Non faciat quod utile sit, quod expediat? *Id.* 1. *Nat. D.* 15. 38. Perseus eos dicit esse habitos deos, e quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa ipsasque res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 163. Quid Sophocles et Thespis et Æschylus utile ferrent. *Ovid.* 1. *Fast.* 676. Quernaque glans victa est utiliore cibo. — *b*) Cum Genetivo ejus, cui quid utile est. *Id. Heroid.* 5. 147. Quæcumque herba potens ad opem radixque medendi Utilis. Alii leg. *medenti.* — *c*) Cum Dativo. *Plaut. Cist.* 1. 1. 10. pol istuc quidem nos pretio est facile frequentare tibi utilesque habere. *Ter. Andr.* 4. 5. 15. Nunc me hospitem lites sequi quam id mihi sit facile atque utile, aliorum exempla commonent. Adde *Hecyr.* 1. 2. 74. *Cæs.* 4. *B. G.* 7. *a med.* Romanis utiles esse amicos. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 6. 14. Si eam (*legem*) vobis accommodatam atque utilem esse intelligerem. *Id.* 1. *Tusc.* 48. 115. Sic fuit utilius finire ipsique tibique. *Sall. Jug.* 102. Oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utiles amiserat. *Dolabell.* ad *Cic.* 9. *Fam.* 9. *circa med.* Quod tibi utilissimum erit, consilii capies. *Virg.* 2. *G.* 150. bis pomis utilis arbos. *h. e.* ferax. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 14. capiti fuit utilis, utilis alvo. *Martial.* 11. 52. venit lactuca movendo Utilis. *Propert.* 4. 5. 31. Si tibi forte comas vexaverit utilis ira. *h. e.* ira amatoris, quæ lucro tibi futura est, quia cogetur ille non parva mercede a te pacem emere. *Id. ibid.* 1. 138. Et Veneris pueris utilis hostis eris. *scil.* quia te victo prædam capient et gloriam. *Nepos Themist.* 7. Qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universæ Græciæ utile esset. *Id. Milt.* 3. Nihil putet ipsis utilius, quam confirmari regnum Persarum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 51. (97). Palmæ non utiles stomacho. *Id.* 22. *ibid.* 9. 11. (25). Glycyrrhizæ sucus utilissimus voci. — *d*) Cum Accusativo et præp. *ad. Plaut. Epid.* 2. 2. 107. Quem hominem inveniemus ad rem utilem? *Ter. Andr.* 1. 5. 52. Nec clam te est quam illi utræque res nunc utiles Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient. *Umpf.* inutiles. *Cic.* 3. *Off.* 6. 29. Sapiens, si abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? *Sall. Jug.* 119. 91. Ceterum ad simulandam pacem quæ utilia visa, constituunt. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 60. (185). Lapathum silvestre ad multa medicamina utile est. — *e*) Cum Dat. et Acc. simul. *Id.* 20. *ibid.* 33. 98. (261). Medulla e viridi ferula vulvis utilis et ad omnia ea vitia. — *f*) *Utile est,* sequente infinito. *Varro Sent. mor. n.* 109. *p.* 271. *Riese.* Utile sed ingloriosum est, ex illaborato in alienos succedere labores. *Cic.* 3. *Off.* 15. *extr.* Numquam est utile peccare, quia semper est turpe. *Gell.* 4. 1. Ea, quæ magis utile esset audire ac discere. Adde *Cels.* 4. 6. *n.* 3. — Cum Acc. et infinito. *Liv.* 3. 51. Nec in perturbata republica eos utile est præesse vobis, qui proximi invidiæ sitis. ¶ 2. Speciatim est aptus, idoneus, bonus, *buono, idoneo. Virg.* 2. *G.* 442. dant utile lignum Navigiis pinos. *Ovid.* 3. *Met.* 212. *de canib. venat.* Et pedibus Pterelas et naribus utilis Agre. *Propert.* 3. 7. 19. Hic setus ad pacem, hic castrensibus utilis armis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (164). Calamus totus concavus utilissimus fistulis. *Id.* 21. *ibid.* 18. 69. (113). Utilissimus ad vitilia holoschœnos, quia mollis et carnosus est. *Ovid.* 10. *Met.* 93. et fraxinus utilis hastis. Sic *Virg.* 2. *G.* 447. At myrtus validis hastilibus et bona bello Cornus. — Cum infinito. *Horat. Art. P.* 204. tibia aspirare et adesse choris erat utilis. ¶ 3. *Utile membrum,* quo uti possumus: cui *debile* contrarium est. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (104). Ter et vicies vulneratus est: ob id neutra manu, neutro pede satis utilis. *Ovid. Heroid.* 2. 129. minus et minus utilis adsto: Linquor et ancillis excipienda cado. *h. e.* minus me sustinere pos-

sum et moveri. Sic 4. *ibid.* 7. Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit Lingua. ¶ 4. *Utilis actio* dicitur a JCtis, quæ, deficientibus legum vel edictorum verbis, æquitate suggerente et utilitatis gratia, ad speciem propositam accommodatur. Opponitur *directæ* et *legitimæ*, quæ recta ex verbis legis descendit. V. *Dig.* 13. 5. 5. *ad fin.* et 39. 3. 22. etc. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Utile, is,* n. 3. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est res utilis, instrumentum, utensile. In plur. num. *Sall.* 2. *Hist. fr.* 50. *Kr.* Utilia parare. *Id. Jug.* 86. Armis aliisque utilibus naves onerat. Adde *Tac. Agric.* 28. *Liv.* 93. 13. Ubi expedire quosdam utilia operi cernebant. *Seneca Ep.* 87. *ante med.* Canterio vehebatur, hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. *h. e.* utensilia. ¶ 2. Est etiam res utilis, commodum. *Horat. Art. P.* 164. Utilium tardus provisor. *Id. ibid.* 343. Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. *Id.* 4. *Od.* 9. 40. bonus atque fidus Judex honestum prætulit utili.

Homonym. Hoc discrimen inter *aptum, idoneum* et *utilem* statui potest, videlicet *aptum* esse, quod ad aliquid accommodatum est sive a natura sive ab arte et disciplina. Sic *aptus* adipiscitur multa, redipiscitur etiam amissa aptitudine sua adeptusque gaudet ob adeptionem: *idoneum* est quod a natura convenit, quasi ad id natum; *utile* usus facit. Hinc *Gell.* 1. 13. Esse magis idoneum aptioremque faciendo arieti. V. *Popm.* p. 64. et seq.

ŪTĬLĬTAS, ătis, f. 3. (utilis) usus: et etiam habilitas rei alicujus ad aliquid vel qua ad aliquid uti possumus, idoneitas (It. *uso, attitudine, idoneità;* Fr. *usage, habileté, aptitud;* Hisp. *uso, habilidad;* Germ. *der Brauch, die Brauchbarkeit;* Angl. *use, ability, aptitude*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Herenn.* 4. Si idoneus esse potest ad eas utilitates. Cf. *Varron.* 1. *R. R.* 20. *Ulp. Dig.* 21. 1. 38. § 7. Si mulus castratus est, neque de fortitudine quid detrahitur neque de utilitate. — *Utilitatem oculis obtinere,* apud *Plaut. Epid.* 5. 1. 28. est oculorum usum habere, recte cernere. ¶ 2. Hinc speciatim est commodum, fructus, ὠφέλεια, εὐχρηστία (It. *utile, costrutto, vantaggio, utilità;* Fr. *utilité, avantage, profit, intérêt;* Hisp. *utilidad, provecho, interes;* Germ. *der Nutzen, Vortheil, Dienst;* Angl. *usefulness, profit, advantage, utility*). *Plaut. Epid.* 5. 1. 28. Satin ego oculis utilitatem obtineo sincere an parum? *Ter. Eun.* 2. 13. 18. In ea re utilitatem faciam, ut cognoscas meam. *Varro* apud *Non.* p. 547. 5. *Merc.* Itaque ea sibi modo ponere ac suspendere, quæ utilitas postularet etc. *Id.* 1. *R. R.* 20. Boves ad utilitatem adducere. *h. e.* domare. *Cic.* 16. *Fam.* 3. Utilitatibus tuis possum carere. *Id. Dejot.* 5. 13. Atque Alexandrinum bellum gerente te utilitatibus tuis paruit. *Id.* 1. *Legg.* 15. 42. Ita fit, ut nulla sit omnino justitia, si neque natura est eaque, quæ propter utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur. *Id.* 1. *Fin.* 20. *ad fin.* Ut etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi propter se ipsos amentur. *Id.* 3. *Off.* 10. 40. Nec tamen nostræ nobis utilitates omittendæ sunt. *Id. Amic.* 9. *ad fin.* capere ex aliqua re. *Id.* 1. *Orat.* 26. 118. quærere in re aliqua. *Id. ibid.* 48. 211. parare alicui. *Id.* 1. *Off.* 23. 79. afferre. *Id. Mur.* 10. *extr.* habere. *h. e.* utilem esse. *Id.* 2. *Orat.* 51. 207. Referre omnia ad utilitatem suam. *Id.* 1. *Fin.* 10. 34. Nihil de utilitatibus, nihil de commodis suis cogitare. *Id.* 7. *Att.* 5. (et *Nepos Alcib.* 7.) Tiro mirabiles utilitates mihi præbet, quum valet, in omni genere vel negotiorum vel studiorum meorum. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. Servire commodis et utilitati alicujus. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 88. Vixque dedit victas utilitate manus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 98. sensus moresque repugnant Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui. *Nepos Themist.* 6. Tueri utilitatem civium. *Cic.* 2. *Nat. D.* 22. 58. Publicæ utilitates. *Id. Partit. orat.* 25. 89. Certat utilitas cum honestate. *Tac.* 1. *Ann.* 10. Non abhorret oratio ab utilitate eorum, qui audient. *Quintil.* 3. 7. 25. Utilitatis specie duci. *Caj.* 3. 109. *fr.* 44. § 6. Per utilitatem benignior juris interpretatio facta est. *h. e.* id, quod æquitatis ratione commendatur, æquitatem. — *Utilitas alicujus,* h. e. quæ ex aliquo capitur. *Ter. Eun.* 2. 3. 17. In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam. *Cic.* 16. *Fam.* 3. Utilitatibus tuis possum carere. *posso star senza il tuo servigio.* — *Utilitas belli* significat res illas, quæ ad bellum utiles sunt, in illo *Cic. pro leg. Manil.* 6. 14. Itaque hæc vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis defendenda est. *supra* 2. *in fin.* dixerat: Et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis. Alii leg. *ad belli utilitatem,* quod eamdem sententiam habet. ¶ 3. Item bona seu substantia patrimonii, patrimonium. *Cod. Theod.* 8. 8. 4. Utilitates, vires (*fisci*). ¶ 4. Pro necessitate usurpasse videtur *Lucret.* 5. 1028. utilitas expressit nomina rerum.

ŪTĬLĬTER, adverb. ab adject. *utilis;* unde Comp. *Utilius* et Sup. *Utilissime.* — Utiliter est ex usu, commode, *utilmente,* χρηστῶς, συμφερόντως. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 44. 135. Atque illi quidem etiam a natura utiliter dicebant permotiones istas animis nostris datas. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 1. 10. et *Liv.* 4. 6. et 28. 19. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 70. Serviet utiliter captivus. *Ovid. Heroid.* 1. 67. Utilius starent etiam nunc mœnia Phœbi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (110). Cuneo adactum utilissime adstringitur. — Cum Acc. et præp. *ad.* *Cic.* 2. *Off.* 5. 17. Quæ in usu et tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam. ¶ 2. Speciatim est secundum juris ac legum ordinem: atque adeo cum effectu ad finem rei, de qua agitur. *Modestin. Dig.* 16. 3. 23. Actione depositi conventus, servo constitutio, cibariorum nomine apud eumdem judicem utiliter experietur. *Cels. ibid.* 45. 1. 97. et *Ulp. ibid.* 45. et *Paul. ibid.* 46. Utiliter stipulari. *African. ibid.* 19. 1. 30. *ad fin.* agere ex empto. *Papinian. ibid.* 36. 3. 5. Utiliter probatum est, virum bonum ab utraque parte eligendum etc.

ŪTIN. *V.* UT in fin.

ŪTĬNAM, adverb. optandi, ut vellem! πῶς ἄν, αἴθε, εἴθε (It. *come! magari! Dio voglia o volesse! piacesse al Cielo!* Fr. *plaise ou plût à Dieu ou au Ciel que! fasse le Ciel que!* Hisp. *plegue á Dios!* Germ. *wollte Gott, gäbe Gott dass!* Angl. *O! that, i wish that! would that!*): construitur cum tempore præsenti vel præterito Conjunctivi et copulari solet cum *certe, profecto, quidem, utique, næ.* ¶ 1. Est affirmativum. — *a)* Absolute. *Nævius* apud *Charis.* 2. p. 184. *Putsch.* Utinam nasum abstulisset mordicus! *Enn.* apud *Non.* p. 494. 1. *Merc.* (et *ibid.* p. 507. 18.) Utinam mortem oppetam, priusquam eveniat! *Plaut. Pseud.* 1. 1. 106. Utinam quæ dicis facta suppetant! *Id. Asin.* 5. 1. 13. AR. Hem! especta, rideo. DE. Utinam, male qui mihi volunt, sic rideant! *Cic. Senect.* 23. 86. Ad quam (*senectutem*) utinam perveniatis, ut possitis! *Id.* 15. *Fam.* 1. Utinam saluti nostræ consulere possimus! dignitati certe consulemus. *se non altro, provvederemo almeno alla riputazione.* et 8. *ibid.* 9. Utinam aliquid profectum esset, næ ego istas litteras etc. et 14. *ibid.* 1. Utinam ea res ei voluptati sit! gloriæ quidem video fore. *Id. pro leg. Manil.* 10. 27. Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis! *Pacuv.* apud *Non.* p. 137. 7. *Merc.* Utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem ulcisci queam! *Cæcil.* apud *Charis.* 1. p. 117. *Putsch.* Utinam te sine crucibus videam! *Acc.* apud *Non.* p. 500. 1. *Merc.* Utinam memet possim oblivisciér! *Turpil. ibid.* p. 468. 17. Utinam possim tibi referre gratiam, ut de me meres! *Plaut. Amph.* 2. 1. 34. Utinam essem ita! *Id. Pœn.* 3. 6. 4. Utinam hinc abierit in malam crucem! *Ter. Andr.* 5. 4. 28. Utinam id sit, quod spero. Adde *Eun.* 1. 2. 11. et *Heaut.* 1. 1. 109. — Omisso verbo. *Cic.* 3. *Nat. D.* 31. 78. Utinam quidem! sed non audebitis. *Id.* 13. *Att.* 22. Utinam tu quoque eodem die, sin quid, utique postridie. — *b)* Præcedente particula *o, atque, que.* *Plaut. Amph.* 1. 1. 230. O utinam istuc pugni ferissent tui! *Turpil.* apud *Non.* p. 522. 26. *Merc.* O utinam nunc apud ignem aliquem magnum adsidam! *Ovid. Heroid.* 1. 5. O utinam tunc, quum Lacedæmona classe petebat, Obrutus insanis esset adulter aquis! *Id.* 8. *Met.* 500. O utinam primis arsisses ignibus infans Idque ego passa forem! *Id.* 13. *ibid.* 43. Atque utinam aut verus furor ille aut creditus esset, Nec comes hic Phrygias umquam venisset ad arces! *Sall. Jug.* 102. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset, profecto etc. *Cic.* 13. *Att.* 22. Ego, ut constitui, adero, atque utinam tu quoque eodem die! Adde 3. *ibid.* 15. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 83. atque hæc utinam Viscorum laudet uterque! *Virg.* 1. *Æn.* 575. Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem Afforet Æneas! *Id.* 2. *ibid.* 110. Fecissentque utinam! et 3. *ibid.* 615. Mansissetque utinam fortuna! — *c)* Item præcedente *quod.* *Acc.* apud *Non.* p. 341. 25. *Merc.* Quod utinam me suis Arquitenens telis mactasset dea! *Cic.* 14. *Fam.* 4. Quod utinam minus vitæ cupidi fuissemus. *Id.* 13. *Att.* 48. Quod utinam, iterum utinam, tuo tamen commodo. *Sall. Jug.* 14. Quod utinam illum eadem hæc simulantem videam! Adde *Quintil.* 10. 1. 131. — vel *quid.* *Apul. Florid.* 4. Quid utinam mihi prolixa oratio suppeteret! ¶ 2. Sequente particula negativa. *Enn.* apud *Cic. Top.* 16. 61. Utinam ne in nemore Pelio securibus cæsa accidisset abiegna ad terram trabes neve inde navis inchoandæ exordium cœpisset! *Ter. Phorm.* 1. 3. 5. Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset! *Cic.* 5. *Fam.* 17. Illud utinam ne vere scriberem! *Id.* 11. *Att.* 9. Quo (*die*) utinam susceptus non essem aut ne quid ex eadem matre postea natum esset! *Phædr.* 4. 6. Utinam nec umquam Pelii nemoris jugo Pinus bipenni concidisset Thessala. *Curt.* 8. 8. 7. Clitus utinam non coegisset me sibi irasci! — *Quintil.* 9. 3. 1. Utinamque non pejora vincant! *Id.* 10. 1. 100. Togatis excellit Afranius utinamque non inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus! Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (23).

ŪTĬQUAM, adverb. idem quod utique, sed occurrit semper præcedenti *ne* particulæ conjunctum, ita ut in unam vocem sæpius coalescat. *V.* NEUTIQUAM. *Lævius* apud *Charis.* 4. p. 288. 13. *Keil.* Alii tamen unica voce legunt.

ŪTĬQUĔ, adverb. affirmandi. Scribitur etiam *uteique* in *Tab. Heracl.* 1. 14. V. *Lachm.* ad *Lucr.* p. 250. — *Utique* antiquissimi non dixerunt, ne *Cæsar* quidem, nedum *Cato,* cui tribuit librarius *Festi* p. 305. 14. *Müll.* Hinc quoties apud veteres reperitur, ex falsa loci lectione inductum fuisse demonstrat *Lachmannus* apud *Lucret.* p. 350. V. etiam *Zumpt* ad *Curt.* 3. 6. 17. Item in nullo poetarum se invenisse ait idem *Lachm. loc. cit.* — Derivatum esse videtur ex formulis sollemnibus instrumentorum publicorum *quæ utique, quibus utique, atque utique.* V. *Tab. Heracl.* supra *cit.* et *aliam ibid.* 1. 72. et *Leg. Thor.* 71. 72. apud *Lachm. ibid.* — Utique proprie est ita quidem uti oportet: hinc certe, sane, omnino, *certamente, in ogni modo, assolutamente, senza fallo,* ἄρα. ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Cic.* 5. *Att.* 9. Id unis diligenter litteris, datis, quæ ad me utique perferantur, consequerer. *Id.* 13. *ibid.* 48. Velim, Varronis et Lollii mittas laudationem, Lollii utique. *Id.* 13. *ibid.* 12. Atque utinam tu quoque eodem die! Sin quid - multa enim - utique postridie. *senz' altro, senza fallo.* et *Varro* 2. *R. R.* 4. Quum hæc eadem ut habeant verres videndum, tum utique sint cervicibus amplis. *Cic.* 13. *Att.* 13. Illud vero utique scire cupio. *in ogni modo, assolutamente.* et *ibid.* 4. Velim, ante possis; sin minus, utique simul quum etc. *se no, almeno insieme.* et *Liv.* 9. 16. *ad fin.* Remitto, ne utique dorsum demulceatis, quum ex equis descendetis. *h. e.* omnino, ullo modo. *Id.* 2. 27. Sævire inde utique consulum alter pa-

tresque; sed plebi creverant animi etc. *Nepos Epam.* 2. Atque hæc ad nostram consuetudinem sunt levia et potius contemnenda; at in Græcia utique olim magnæ laudes erant. *h. e.* omnino, certe. Adde *Curt.* 3. 6. 17. *Cels.* 6. 7. *sub fin.* Specillum lana involutum in aurem injiciendum ibique vertendum est. utique enim comprehendet et eximet (*pulicem aliudve animal*). — *Colum.* 1. *R. R.* 4. 8. Quam optime pater familias debet habitare, utique vero, si etiam matrona comitabitur. — *b*) Cum particula negativa, sed rarius. *Quintil.* 5. 10. *ante med.* Quod non est arbor, utique platanus non est. *Seneca Ep.* 85. Sapienti propositum est in vita agenda, non utique, quod tentat, efficere, sed omnia recte facere: gubernatori propositum est, utique navem in portum perducere. ¶ 2. Speciatim est præcipue, maxime. *Liv.* 3. 65. Deinde ne ipsi quidem inviolati erant, utique postremis mensibus. *Id.* 6. 20. Quod ubi est factum, primo commota plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt. Cf. *Senec. Ep.* 109. ¶ 3. Quidam ajunt significare *dumtaxat, tantummodo* in his, quæ subjicio. *Ulp. Dig.* 26. 10. 3. *ad fin.* Sed sciendum est, non omnes hac severitate tractari debere, sed utique humiliores. *Id. ibid.* 21. 1. 31. *a med.* Culpam autem omnem accipiemus, non utique latam. *Cajus ibid.* 50. 16. 41. Armorum appellatio non utique scuta et gladios, et galeas significat, sed et fustes et lapides. Alii leg. *non tantum utique.* Adde *Symmach.* 9. *Ep.* 31. (*al.* 34.). ¶ 4. In antiqua *formula* augurali apud *Varron.* 7. *L. L.* 8. *Müll.* Templa tescaque me ita sunto *etc.* utique ea rectissime sensi. *utique* est utcumque. Cf. *quandoque* pro *quandocumque.* Alii tamen leg. *utque.* V. *Müllerum ad h. l.*

ŪTO, ūtis, ūsum, ūtere, a. 3. *V.* voc. seq.

ŪTOR, ūtĕris, ūsus sum, ūti, dep. 3. — *a*) *Œtor* pro *utor* et *oesus* (*oisus*) pro *usus* scriptum fuisse a veteribus, constat ex *Vet. Tab.* aenea *legis Thoriæ,* quæ pertinet ad ann. U. C. DCXLVI. apud *Gruter. p.* 202. *l.* 11. NI QVIS FACITO QVOMINVS EI OETANTVR FRVANTVR HABEANT POSSIDEANT. Adde *Cic.* 3. *Legg.* 4. *init. Inscr.* optimæ notæ, quæ pertinet ad ann. U. C. DCXCVI. apud *Murat.* 587. 1. VTEI LICEAT OETI. Adde *Vet. rogat.* apud *Fest.* in *Publica pondera p.* 246. 2. *Müll.* — *Vutei* pro *utei* (*uti*) est in *Plebiscito De Termess. col.* 1. *lin.* 35. — *b*) *Uto, is,* forma activa, olim dictum fuisse affirmat *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch. Cato R. R.* 96. Eodem in omnes quadrupedes utito. *et ibid.* 107. *extr.* Et utito in labra doliorum. Adde *ibid.* 123. et 126. Adde *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 204. *col.* 1. 8. et *Claud. Mamertin.* 1. *Stat. an.* 3. *p.* 30. 13. *Engbr.* Hinc passiva significatione usurpavit *Novius* apud *Gell.* 15. 13. Quia supellex multa, quæ non utitur, emitur tamen. *Varro* apud *Priscian.* 8. *p.* 792. *Putsch.* Utile utamur potius, quam ab rege abutamur. *Auct. Priap.* 45. in me, mihi credite, dixit, Utetur veris usibus hasta rudis. *Augustin. De Nat. et Grat.* 30. Quod quidem ut inolesceret, de non recte usa sanitate descendit. — *Utier* paragoge pro *uti* est *Plauti Cas.* 2. 3. 4. Cf. *Fest. p.* 246. 2. *Müll.* — *c*) Ratione habita etymi, recentiores conferunt cum Skr. *ati* pro *avti,* satietas, copia, gaudium, a rad. *av,* satiare, bene se habere. — Part. *Utens* in fin.; *Usus* I. 1. *d,* 3. et 4.; II. et in fin.; *Usurus* I. 1. *c* et II.; *Utendus* I. 1. *b.* — Utor est adhibeo, usurpo, χράομαι (It. *adoperare, usare, servirsi;* Fr. *faire usage, user, se servir, employer;* Hisp. *usar, servirse;* Germ. *sich bedienen, brauchen, benutzen;* Angl. *to use, have the use, make use of*): et de omnibus rebus dicitur, quarum usum aliquem habemus.

I.) Proprie sive de concretis, ut ajunt, sive de abstractis. ¶ 1. Universim. — *a*) Cum Genetivo more Græcorum. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 6. 30. Cataplasmatum uti. — *b*) Sæpius cum Accusativo. *Cato* apud *Gell.* 13. 23. Si quid est quod utar, utor; si non est, egeo. *Id. R. R.* 118. Oleam, quam secundum vindemiam uti voles, sic condito. *Plaut. Asin.* 1. 3. 47. Cetera, quæ nos volumus uti, Græca mercamur fide. *Id. Merc.* 1. 2. 34. Dic mihi, an boni quid usquam 'st, quod quisquam uti possiet Sine malo omni etc. *Id. Rud.* 4. 7. 15. Ille qui consulte, docte atque astute cavet, Diutine uti bene licet partum bene. *Id. Pœn.* 5. 2. 128. Profecto uteris, ut voles, operam meam. *Ter. Adelph.* 5. 3. 29. Mea, quæ præter spem evenere, utantur sine. *Titin.* apud *Non. p.* 481. 20. *Merc.* Item uti eum oportet libertatem. *Novius ibid.* Atque facilitatem, video, uteris vulgariam. *Lucil. ibid.* Quem metuas sæpe, interdum quem utare libenter. *Turpil. ibid. p.* 497. 14. Amicos utor primores viros. *Varro* 2. *R. R.* 16. *a med.* Quam rem etiam nomine eodem medici utuntur. *Cic.* 12. *Att.* 22. *sub fin.* Ne Silius quidem quidquam utitur. *Lucret.* 6. 1134. aut aliquid, quod non consuevimus uti. *Plaut. Men.* 4. 2. 1. Ut hoc utimur maxume more moro Molestoque multum. *Id. Aulul.* 2. 4. 14. Si quid uti voles, domo abs te adferto. Adde *Ter. Andr.* 1. 2. 31. — Hinc passive, apud *Varron., Nov.* et *Auct. Priap. loc.* supra *cit.* Hinc Part. *utendus. Plaut. Men.* 4. 2. 94. Ego illam (*pallam*) non condonavi, sed sic utendam dedi. *Ter. Heaut.* 1. 1. 81. Ætas ad hæc utenda magis idonea. *Cic.* 4. *Verr.* 18. *sub fin.* Omnia utenda ac possidenda tradiderat. *Id.* 3. *Tusc.* 17. 36. Quod utendum acceperis, reddere. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 17. Cultrum, securim, pistillum, mortarium, Quæ utenda vasa semper vicini rogant, fures venisse atque abstulisse dicito. *et* 2. 9. 4. Ego hic artoptam ex proximo utendam peto. *Id. Pers.* 1. 3. 36. Ut nummos sexcentos mihi Dares utendos mutuos. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 76. Ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris. *Ovid.* 1. *Art. am.* 433. Multa rogant utenda dari, data reddere nolunt. Adde *Caton. R. R.* 5. — *Utendum dare* est commodare aut mutuum dare: *utendum rogare,* mutuum petere, *dare o dimandare ad imprestito.* Alio sensu *Enn.* apud *Non. p.* 506. 1. *Merc.* Aures tibi contra utendas dabo. *h. e.* præbebo, auscultabo. — Absolute *Ambros. De Jos.* 4. *n.* 20. Non utenda congessit. — *c*) Sæpissime cum Ablativo personæ vel rei, qua quis utitur. *Plaut. Epid.* 1. 1. 4. Certe oculis uteris. *tu hai l'uso degli occhi.* Adde *Mil. glor.* 4. 7. 25. *Id. Trin.* 2. 1. 26. Apage te, Amor: non places, nihil te utor. *nulla voglio da te:* et *Cæs.* 4. *B. G.* 31. Quæ gravissime afflictæ erant naves, earum materia atque ære ad reliquas reficiendas utebatur. *Id.* 5. *ibid.* 12. Utuntur taleis ferreis, ad certum pondus examinatis, pro nummo. *et* 6. *ibid.* 15. Administris ad ea sacrificia Druidibus utuntur. *Id.* 3. *B. C.* 8. Aura nocturna naves utuntur. *Id.* 6. *B. G.* 20. *extr.* Pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur. *vestono.* et 4. *ibid.* 24. *extr.* Non omnes eadem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti prœliis consueverant, utebantur. et *ibid.* 11. Ea condicione, quæ a Cæsare ferretur, se usuros ostendebant. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 103. Utatur suis bonis oportet et fruatur, qui beatus futurus est. *et* 2. *ibid.* 60. *sub fin.* Plurimis maritimis rebus fruimur atque utimur. *Id. Dejot.* 10. 28. Bene armis, optime equis uti. *Ovid.* 4. *Fast.* 369. Uti lacte et herbis. *vivere di.* et *Horat.* 2. *Sat.* 2. 113. opibus latius. *Virg.* 9. *Æn.* 240. fortuna. *Lucret.* 3. 562. sensibus. *Liv.* 34. 49. libertate modice. *Nepos Hannib.* 4. Istoc ego oculo utor minus. *ci veggo poco.* et *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 5. *ad fin.* Si provincia loqui posset, hac voce uteretur. *parlerebbe così.* et *Ovid.* 6. *Fast.* 110. Mollibus verbis uti ad aliquem. *Cic.* 13. *Phil.* 1. Uti oratione. *h. e.* sermonem, orationem habere. *Id. Marcell.* 1. *init.* silentio. *Id.* 9. *Fam.* 16. *ad fin.* Senes ego fortasse nunc imitor et utor ætatis vitio. *Phædr.* 2. 8. Quotidie speculo vos uti volo. *Cels.* 8. 11. *sub fin.* Cibis uti bonis, uti vino modice. *mangiare e bere.* et 1. 1. Uti balneo. *Scribon. Compos.* 22. collyriis. *Colum.* 4. *R. R.* 25. Quum vinitor in adversum pressa manu desecare quid debet, cultro (*falcis*) utitur: quum autem retrahere, sinu: quum allevare, scalpro: quum incavare, rostro. *Cic. Amic.* 19. 68. Uti equo. *Id.* 2. *Rep.* 17. 31. insignibus regiis. *Horat.* 4. *Od.* 9. 48. muneribus deorum sapienter. *Tac.* 2. *Ann.* 54. oraculo. *Cic.* 5. *Verr.* 44. 114. consilio alicujus. *Id.* 3. *leg. Agr.* 1. 3. criminatione in aliquem. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 25. exemplis grandibus in parvis. *Ter. Phorm.* 1. 2. 29. foro. *Liv.* 34. 44. honore curuli. *Cic.* 10. *Phil.* 4. 9. patientia incredibili. *Id. Amic.* 6. 22. Non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. *Id.* 8. *Fam.* 20. Ambitione nihil uterer. *abbisognerebbe.* et *Ovid.* 4. *Met.* 259. Uti amoribus dementer. *Enn.* apud *Gell.* 19. 10. otio. *Plaut. Stich.* 1. 1. 14. officio improbi viri. *Acc.* apud *Non. p.* 433. 1. *Merc.* pervicacia. *Ovid.* 2. *Trist.* 118. ingenio juveniliter. *Id.* 1. *Met.* 277. hortamine longo. *Cic.* 11. *Fam.* 5. hortatione pluribus verbis. *Id.* 1. *Off.* 1. 2. judicio suo de re aliqua. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. potestate aliqua ad quæstum. *Id. ibid. n.* 6. severitate in aliqua re. *Id. Marcell.* 1. 1. silentio his temporibus. *Id.* 1. *Herenn.* 4. 6. Insinuatione utendum est. *Virg.* 12. *Æn.* 932. Uti sorte sua. *Nepos Epam.* 3. temporibus sapienter. *cogliere le occasioni, servirsi bene.* et *Horat.* 1. *Ep.* 13. 10. viribus. *Id. ibid.* 10. 41. parvo. *Plaut. Cas. prol.* 25. ratione. *Cic.* 11. *Fam.* 26. solatio. *Ovid.* 3. *Fast.* 550. Ipsa sua Dido concidit usa manu. *Trebell. in XXX. Tyrann.* 16. Denique ingenio ejus usus Odenatus, quidquid divitiarum gemmarumque cepit, eidem tradidit. *secondando il naturale di lui.* — *Sall. Cat.* 20. Vel imperatore vel milite me utimini. *Liv.* 22. 19. Et locis altis positas turres Hispania habet, quibus et speculis et propugnaculis adversus latrones utuntur. Adde *Cic.* 3. *Att.* 13. — *d*) Absolute. *Cato R. R.* 117. Si una admiscere voles, cito utitor: in orculum calcato siccis manibus: quum uti voles, sumito. Adde *ibid.* 107. et 126. *Plaut. Pers.* 2. 5. 27. TO. Ad eam rem usus est tua mihi opera. SA. utere ut vis. *Ter. Phorm.* 3. 4. 42. sic sum. Si placeo, utere. *Cic.* 1. *Rep.* 2. 2. Nec vero habere virtutem satis est ut artem aliquam, nisi utare. *Id. Amic.* 6. 22. Ceteræ res opportunæ sunt singulæ fere rebus singulis, divitiæ, ut utare, opes, ut colare. *Varro* 1. *R. R.* 2. Cisternæ faciundæ sub tectis et lacus sub dio: ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti possit. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 57. properare loco et cessare et quærere et uti. Cf. *Liv.* 4. 43. — Huc spectant formulæ, præsertim acclamationum, *utere felix* vel *feliciter. Inscr.* apud *Orelli n.* 428. et *n.* 4308. etc. et in cochleare apud *De-Rossi Bullett. Crist. a.* 1873. *p.* 118. et in sigillo Romano in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1866. *p.* 232. et in fibula ærea apud *Bortolotti Spicil. Epigr. Mod. p.* 295. ¶ 2. *Uti aliquo* significat — *a*) Consuetudinem habere, familiarem esse. *Cic.* 1. *Fam.* 3. Trebonio multos annos utor valde familiariter. *Id.* 16. *Att.* 5. Lucceius, qui multum utitur Bruto. Adde *Cluent.* 16. 46. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 17. 1. Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis et scis, Quo tandem pacto deceat majoribus uti. *trattare.* et *ibid.* 14. si sciret regibus uti. *Nepos Att.* 5. Utebatur intime Q. Hortensio. — *b*) Aliquem tractare, accipere. *Id. Eumen.* 11. *a med.* Non convenire Antigoni prudentiæ, ut sic se uteretur victo; quin aut interfici aut missum fieri juberet. ¶ 3. *Honore usus* dicitur, qui magistratum gessit. *Cic.* 1. *Invent.* 54. 103. Homines clari, nobiles et honore usi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (136). Primus externorum, usus illo honore. *h. e.* consulatu. Adde *Cic.* 8. *Phil.* 11. 32. — In *Inscriptt.* Urbinatibus *honore usi* post plebem urbanam nominantur, qui *Orellio n.* 3714. videntur fuisse incolæ illius urbis, qui hoc honore uterentur, ut inter plebem urbanam suffragia ferrent. ¶ 4. Alias *honore* vel *titulo usus,* est qui honoris publici titulum seu memoriam, v. gr. statuam, accepit. *Inscr.* apud *Gruter.* 383. 7. M. CALPVRNIVS SENECA HONORE VSVS IMPENSAM REMISIT. Cf. *aliam* apud *eumd.* 483. 3. QVORVM HONORE CONTENTVS SVA PECVNIA POSVIT. *V.* TITULUS. ¶ 5. *Uti se,* genio indulgere, animo obsequi. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 82. Es, bibe, animo obsequere mecum atque onera te hilaritudine. Liberæ sunt ædes: li-

ost eum autem ego: me uti volo libere. *Id. Capt.* 4. 4. 12. Dicam, ut sibi penum aliud ornet, siquidem sese uti volet. ¶ 6. Obsceno sensu. *Lamprid. Heliog.* 30. Uti mulieribus. Adde *Caton. R. R.* 149. ¶ 7. *Uti frui*, apud JCtos, usumfructum habere, alienis rebus usufructu uti. *Cajus* 4. 3. Cf. *Paul.* 1. 11. § 2. et 3. 6. § 27. Cf. *Inscr.* init.

II.) Translate est habeo, experior. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 8. Et invidia nos minore utamur, quam utimur. *Ter. Heaut.* 2. 1. 5. Mihi si umquam filius erit, næ ille facili me utetur patre. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. Uti valetudine non bona. *Cic.* 7. *Verr.* 59. 154. Hic vide, quam me sis usurus æquo. *Nepos Att.* 1. Patre usus est diligente, indulgente et diti. *Cic.* 14. *Fam.* 5. Quum sane adversis ventis usi essemus. *Id.* 1. *Fin.* 1. *a med.* Ut propemodum justioribus utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam iis, qui etc. Adde *Plaut. Asin.* 1. 1. 51. — *Ovid.* 13. *Met.* 52. Quo (*Philoctete*) successore sagittæ Herculis utantur. — Hinc Part. præs.

*Utens, entis* ¶ 1. Absolute usurpatur. *Ovid.* 12. *Met.* 355. Haud tulit utentem pugnæ successibus ultra. *Cic. Top.* 18. 69. Ratione utentia anteponantur rationis expertibus. Adde *Ambros.* 2. *De Noe* etc. 32. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM. ¶ 2. Et etiam adjectivorum more, unde Comp. *Utentior. Cic.* 2. *Off.* 20. *ad fin.* Magnitudo divitiarum illum fortasse adjuvat, qui habet: ne id quidem semper, sed fac jurare: utentior sane sit; honestior quomodo? *h. e.* utilior. Alii leg. *opulentior*, alii *potentior*.

Homonym. Quomodo differat *utor* a *fruor*, dictum est sub FRUOR.

UTPŎTĔ, adverb. Conflatur ex particula *ut* et *pote* pro *puta*, οἷον εἰ τύχοι, ut vult *Döderlein*; vel rectius adject. neutr. *pote* a *potis*, et proprie est *ut fieri potest* (V. POTIS): sed usurpatur pro quippe, scilicet, *come, perchè*, ἅτε. — 1.°) Plerumque cum relativo *qui, quæ, quod.* — *a*) Sequente Conjunctivo. *Plaut. Rud.* 2. 5. 5. Satis nequam sum, utpote qui hodie inceperim amare. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 48. Simillorem mulierem magisque eamdem, utpote quæ non sit eadem, non reor. *Id. Bacch.* 3. 4. 13. Amo hercle, opinor, utpote quod pro certo sciam. *Cic.* 5. *Phil.* 11. 30. Siquidem frater ejus, utpote qui peregre depugnarit, familiam ducit. *Alii leg.* depugnavit. *Catull.* 67. 43. Utpote quæ mi speret nec linguam esse nec auriculam. — *b*) Seq. interdum Indicativo. *Cic.* 2. *Att.* 24. *a med.* Ea nos, utpote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus. *h. e.* quippe ii sumus, qui ceteroquin nihil contemnere solemus. Cf. *eumd. loc.* supra *cit.* — 2.°) Cum particula *quum* et Conjunctivo. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 32. *a med.* Nec retinuissem (*legiones*), si uno in loco habuissem, utpote quum singulæ cohortes seditionem fecerint. *Cod.* 5. 8. 1. Incommoda valetudo, qua jam emerseram, utpote quum sine febri laborassem. — 3.°) Cum participio. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 94. Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum Carpentes iter. *Nepos Hannib.* 2. Pater meus, puerulo me, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam proficiscens etc. — 4.°) Cum adjectivo. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 9. Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem, Utpote res tenues, tenui sermone peractas. *Liv.* 30. 10. Utpote supino jactu. *Curt.* 3. 7. 13. Utpote innoxius. — *Horat.* 1. *Sat.* 4. 24. Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures Culpari dignos. *Id. Art. P.* 206. Quo sane populus numerabilis, utpote parvus Et frugi castusque verecundusque coibat. Adde *Apul.* 9. *Met.* V. *Hildebr.* ad *h. l.*

UTPŬTA *et divisim* ut puta. *V.* UT et PUTA.

ŬTRĀLĬBET. *V.* UTERLIBET.

ŬTRĀQUĔ. *V.* UTERQUE.

ŬTRĀRĬUS, ĭi, m. 2. (uter) lixa, qui exercitum sequens aquam utribus ministrat, *acquaiuolo. Liv.* 44. 33. Postremo sequi se utrarios ad mare jussit et in litore alios alibi modicis intervallis fodere. *Madvig ex conjectura leg. putearios.*

ŬTRASQUĔ. *V.* UTERQUE.

ŬTRĬA. *V.* UTER.

ŬTRĬBI. *V.* UTRUBI.

ŬTRĬCĪDA, æ, m. 1. (uter *et* cædo) utrem seu follem cædens. *Apul.* 3. *Met.* Non homicidam sed utricidam amplecterer.

ŬTRĬCISCUS, i, m. 2. (uter) parvus uter. *Gloss. Cyrill.* Ἀσκίδιον, utriciscum (*lege* utriciscus).

ŬTRICLĀRĬUS. *V.* in voc. seq.

ŬTRĬCŬLĀRĬUS, ĭi, m. 2. (utriculus) Sæpius *utriclarius* per syncopen legitur. *Inscr.* apud *Reines. cl.* 1. *n.* 264. IN H. D. D. GENIO VTRICLAR. L. CENSORINIVS etc. *Alia* apud *Murat.* 531. 5. IVNIO MESSIANO VTRICLAR. CORP. ARELAT. etc. *et* 532. 1. C. CATII DRIBVRONIS CORPORIS VTRICLARIORVM LVGDVNI CONSISTENTIVM. Adde *alias* apud *Gruter.* 413. 4. et 428. 10. et *Spon. Miscell. antiqu. p.* 61. *V.* UTER, tris. — Utricularius est qui utriculos seu utres inflatos ratibus ita subjiciebat, ut iisdem flumina transnare possent. Horum opificum collegium in quibusdam urbibus ad flumen aliquod sitis habebatur ideoque utricularii sæpe cum nautis conjunguntur. *Inscr.* apud *Murat.* 531. 4. EX VOTO A SOLO TEMPLVM EX SVO FECERVNT COLLEGIO VTRICVLARIORVM. Adde *ibid.* 547. 8., *Orelli Inscr. n.* 4244., *Donati Inscr. p.* 470. 9. Cf. *Chr. Gottl. Schwarz De collegio utriculariorum* in *Miscell. polit. human. Norimb.* 1721. 4. ¶ 2. Est etiam qui canit tibiis parvo utri infixis, eum subinde inflando, *ascaules, chi suona la cornamusa*, ἀσκαύλης. *Sueton. Ner.* 54. Voverat, proditurum se ludis hydraulam et choraulam et utricularium. *V.* ASCAULES.

ŬTRĬCŬLUS, i, m. 2. duo diversa significat. *A*) *Utriculus*, deminut. ab *uter, tris*, est parvus utris, *picciolo otre, otricello, otrello, utello*, ἀσκίδιον. *Cels.* 2. 17. Calido oleo repleantur utriculi. Adde *eumd.* 3. 27. et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. *a med.*

*B*) *Utriculus*, deminut. ab *uterus*, parvus uterus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (31). Vesicæ junctus utriculus: unde dictus uterus. ¶ 2. Speciatim de animalibus. *Id.* 30. *ibid.* 14. 43. (124). Utriculus mustelinus. Adde *Apic.* 8. 7.

II.) Translate est involucrum seminis in frugibus, *folliculus, buccia, scorza*: et floris nondum expansi, calyculus, *bottoncino*, ἔλυτρον. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (115). Zeam pisunt cum arena: et sic quoque difficulter deterunt utriculos. *Id.* 16. *ibid.* 25. 39. (94). Pariunt vero, quum florent: flosque ille ruptis constat utriculis.

ŬTRĬMQUĔ *et* utrinque, adverb. (uterque) ab utraque parte, *dall'una e dall'altra parte*, ἑκατέρωθεν.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Tollitur in cælum clamor exortus utrimque. Adde *eumd. ibid.* 4. *Plaut. Amph.* 1. 1. 61. Postquam utrimque exitum est magna copia, dispertiti viri. Tubæ utrimque canunt: Contra consonat terra: clamorem utrimque efferunt, Imperator utrimque hinc et illinc Jovi vota suscipere. *Cæs.* 1. *B. G.* 50. Acriter utrimque usque ad vesperum pugnatum est. *et* 4. *ibid.* 17. *a med.* Binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur. *et* 7. *ibid.* 42. *extr.* Multis utrimque interfectis. *Sall. Cat.* 63. Deinde utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. *Id. Jug.* 57. *sub fin.* Ni utrimque præmissi equites rem exploravissent. *Cic.* 6. *Fam.* 4. Magnæ utrimque copiæ et paratæ ad depugnandum. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 77. clamor utrimque, Undique concursus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (121). Vipera utrimque præcisa. *h. e.* capite et cauda. *Id.* 27. *ibid.* 13. 113. (139). Thlaspi bilem et pituitam utrimque extrahit. *per bocca e per secesso.* — *b*) Cum Genetivo. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *ante med.* Concubatio recessu facili corpori eadem utrimque orarum circumlevat tegmina, quæ amplexu quodam corpus cingendo, vaporatione sui resolvat. — *c*) Cum particula *secus*, quacum etiam in unam vocem coalescit, *utrimquesecus*: quam tenet *Voss.* in *Etymol.*, quod ea forma sit, qua *intrinsecus, extrinsecus* etc. *Cato R. R.* 21. Capam, qua fiat in modiolos erit, utrimque secus imbricibus ferreis quattuor desues, ibi utrimque secus facito ut figas. *et ibid.* Dextra sinistra foramina utrimque secus laminas ponito. *Lucret.* 4. 937. Quare utrimque secus quum corpus vapulet. *h. e.* exterius et interius ab aere pulsetur. *Apul.* 2. *Met.* Canes utrimque secus deæ latera muniunt. *et* 10. *ibid.* Utrimque secus allegationibus examinatis, civiliter sententia promeretur. *Solin.* 27. *circa med.* Amphisbæna consurgit in caput geminum: quæ causa efficit, ut capite utrimque secus nitibundo serpat. Adde *Capell.* 5. *p.* 150. et 6. *p.* 229., *Ammian.* 21. 12. 9. et 29. 1. 4. et *Auct. Itin. Alex. M.* 77., ubi alii leg. *utrinsecus.*

II.) Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 9. Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum. *Tac.* 1. *Hist.* 14. *sub fin.* Piso M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque. *h. e.* paterno et materno sanguine. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (163). *de equis.* Coitus verno æquinoctio, bimo utrimque, vulgaris. *h. e.* mare et femina. *Sil. lig.* utrique. *Id. ibid.* 47. 72. (187). Generatio pecoribus bimis utrimque ad novenos annos. *Quintil.* 5. 10. 81. Alia sunt non necessaria vel utrimque vel ab altera parte. Adde 5. 13. 1. et 10. 5. 20. Cf. *Plaut. Amph. prol.* 111.

ŬTRĬMQUĔSĔCUS. *V.* voc. præced.

ŬTRIMVIS. *V.* UTERVIS.

ŬTRINDĔ, adverb. (uter *et* inde) ex utroque loco aut re, *dall'una e dall'altra parte. Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 198. *Putsch.* De frumento utrobi bona, utrobi mala gratia capiatur, utrinde iram, utrinde factiones tibi pares.

ŬTRINQUĔ et

ŬTRINQUĔSĔCUS. *V.* UTRIMQUE.

ŬTRINSĔCUS, adverb. (uter *et* secus) idem quod utrimque, utrimquesecus. *Auct. Ætn.* 503. Incolumi fervore cadunt utrinsecus ignes. Alii aliter leg. *Voss.* in *Etymol.* tribuit etiam *Solin.* 16. et *Apulejo* 9. *Met.* Adde *eumd.* 2. *ibid.*

ŬTRIS. *V.* UTER, tris.

ŬTRO. *V.* UTER, trius.

ŬTRŌBĪ, utrŭbi *et* utrĭbi, adverb. (uter *et* ubi) Ex tribus scribendi modis, quos proposuimus, qui secundus est, idem esse videtur usitatior; eo enim utitur *Cod.* palimpsestus *Caji* 4. *Instit.* (edente *Goeschenio*) § 148. et *seqq.*; tametsi *Dausqu.* primum probat. Ita *Forcellinus*. Nos vero animadvertimus, *utrubi* a recentioribus rejici et in omnibus locis (etiam *Auson. Edyll.* 11. 64. *Sch.* et *Gloss. Labb.* 198.c) substitui *utrobi*; tertiam vero formam veterum propriam videri. — Utrobi est utro in loco, *in qual de' due luoghi.* — *a*) Interrogativum. *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 198. *Putsch.* Utribi cenaturi estis? hicine, an in triclinio? *Plaut. Stich.* 5. 5. 9. STEPH. Utrobi accumbo? SAG. utrobi tu vis. STEPH. Cum ambobus volo; nam ambos amo. *et* 5. 4. 14. Amicæ uter utrobi accumbamus? STICH. abi tu sane superior. — *b*) Relativum. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 198. *Putsch.* De frumento utrobi bona, utrobi mala gratia capiatur etc. *Cic.* 9. *Fam.* 6. Hæc nosse te volui, ut scires, hospitium tibi ubi parares vel potius utrobi. *h. e.* in Alsiensi, an Ostiæ. Ita *Manut.*, alii rectius leg. *vel potius ut utrobique.* — *c*) Est titulus tricesimus primus *l.* 43. *Dig.*, qui inscribitur *Utrubi*. Prætor ait: VTRVBI HIC HOMO DE QVO AGITVR MAIORE PARTE HVIVSCE ANNI FVERIT QVO MINVS IS EVM DVCAT VIM FIERI VETO. Subdit *Ulpianus*: Hoc interdictum de possessione rerum mobilium locum habet. sed obtinuit, vim ejus exæquatam fuisse Uti possidetis interdicto, quod de rebus soli competit. Hinc *Auson. Edyll.* 11. 64. Interdictorum trinum genus, unde repulsus Vi fuero aut Utrobi fuerit quorumve bonorum. *h. e.* de possessione agi potest tripliciter: de recuperanda, interdictum Unde vi: de retinenda, Utrubi et Uti possidetis: de acquirenda, Quorum bonorum. V. *Dig.* 43. tit. 2. 15. et 31.

ŬTRŌBĪDEM (utrubidem), adverb. ex utraque parte, *dall'una e dall'altra parte. Plaut. Truc.*

1. 2. 50. Utrasque utrobidem percognovi. *Spengel* leg. utrosque percognovi probe.

ŬTRŎBĪQUĔ (utrubique), adverb. *Utrubique* in *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1860. *p.* 22. Cf. *Renier* ad *h. l.* — Utrobique est in utraque parte, *nell' una e nell' altra parte*, ἑκατέρωθι. *Cic.* 2. *Nat. D.* 31. 79. Sequitur, ut eadem sit ratio, eadem veritas utrobique sit eademque lex. *h. e.* in diis et in hominibus. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 10. pavor est utrobique molestus. *h. e.* in timendo et in cupiendo. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 31. *ante med.* Quum non liceret mihi nullius partis esse, quia utrobique magnos inimicos habebam. *Liv.* 36. 16. Depopulatus Hypatensem primo, deinde Heracleensem agrum, inutili utrobique auxilio Ætolorum. *Nepos Hannib.* 10. Utrobique Eumenes plus valebat. *h. e.* terrestribus et navalibus copiis.

ŬTRŎLĬBET. *V.* UTERLIBET.

ŬTRŎQUĔ et

ŬTRŎQUĔVERSUM. *V.* UTERQUE.

ŬTRŬBI. *V.* UTROBI.

ŬTRŬBĪDEM. *V.* UTROBIDEM.

ŬTRŬBĪQUĔ. *V.* UTROBIQUE.

ŬTRUM et

ŬTRUMNĔ. *V.* UTER.

ŬTRUMCUMQUĔ, adverb. *Charis.* 1. *p.* 41. *Putsch.* Utrumcumque dixeris, inobjurgatum est. *in qualunque modo dei due.* Alii leg. *utcumque.*

ŬTUT. *V.* UT.

# UV

ŪVA, æ, f. 1. *Uba* pro *uva*, mutata, uti assolet, littera *v* in *b*, scribitur in *Edict. Diocl.* 6. 80. — Ad étymon quod attinet, dicitur ab *uvore*, ut scribit *Varro* 5. *L. L.* 104. *Müll.* et *Serv.* ad *Virg.* 10. *Ecl.* 20., nempe ob humorem intrinsecum. Hinc *Isid.* 17. *Orig.* 5. 13. « Uvæ dictæ quod intrinsecus humore sunt plenæ sucique et pinguedinis. Nam *humidum* est quod exterius humorem habet; *uvidum*, quod interius ». Etymologi recentiores conjungunt cum Skr. *vag* vel *ug-v*, humidus sum, ita ut *uva* sit pro *ugva*. — Uva

*A)* Dicitur præcipue de fructu vitis, σταφυλή (It. *uva*; Fr. *raisin*; Hisp. *uva*; Germ. *die Traube*; Angl. *a grape*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 24. Uvas apicias percoctas bene legito. *Cic. Senect.* 15. 53. Gemma, a qua oriens uva se ostendit, quæ et suco terræ et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit. *Varro* 1. *R. R.* 54. In vinetis uva quum erit matura, vindemiam ita fieri oportet, ut videas, a quo genere uvarum incipias legere. *Catull.* 17. 16. et puella - ad servanda nigerrimis diligentius uvis. *Virg.* 1. *G.* 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ. *Id.* 9. *Ecl.* 49. Duceret apricis in collibus uva colorem. *Propert.* 4. 2. 13. Prima mihi variat liventibus uva racemis. *et* 3. 15. 18. Et nova pressantes inquinet uva pedes. *Tibull.* 2. 1. 45. Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores. *et ibid.* 5. 85. Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas. *Juvenal.* 2. 81. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva. *Horat. Epod.* 2. 20. Certantem et uvam purpuræ. *Catull.* 19. 14. Uva rubens. *et* 20. 8. dulcis. *Ovid.* 3. *Met.* 666. *de Baccho.* Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis. *Id.* 1. *Amor.* 15. 11. dum mustis uva tumebit. *Id.* 2. *Art. am.* 316. Plenaque purpureo subrubet uva mero. *Colum.* 12. *R. R.* 43, Desecare uvam a vite. *Id. Arbor.* 12. Variari incipit uva. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (197). Varia fieri incipit uva. *Varro* 2. *R. R.* 5. Uva humamma. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 121. pensilis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (37). cibaria, *et ibid.* escaria. *Pelagon. Veter.* 1. lupina. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 67. colorata. *Stat.* 5. *Theb.* 269. flava. *Ovid. Rem. amor.* 567. generosa. *Id.* 4. *Met.* 24. genialis. *Horat.* 2. *Od.* 5. 12, immitis. *Virg.* 1. *G.* 449. mitis. *Ovid.* 14. *Met.* 661. nitens. *Sil. It.* 7. 191. odoratæ. *Colum. De cult. hort.* 44. musto spumantes. *Vulg. interpr. Num.* 6. 3. recentes siccæque. *Martial.* 7. 20. ollares. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 4. passæ. *Id.* 5. *ibid.* 12. 39. præcoquæ. *Ovid.* 3. *Fast.* 413. pictæ. *Id.* 13. *Met.* 814. purpureæ. *Pallad. R. R.* 11. silvestris. *h. e.* labrusca. *Colum.* 4. *R. R.* 20. 4. Variantes adhuc et acerbæ. *Id.* 12. *ibid.* 16. 3. semivietæ. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 107. fabriles. *h. e.* fumi vapore siccatæ. *Id.* 3. *ibid.* 21. 203. paleales. *h. e.* in palea reconditæ et asservatæ. — Varia uvarum genera ac nomina enumerantur a *Colum.* 3. *R. R.* 1. *et* 2., *Varron.* 1. *R. R.* 25., *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. *et* 2., *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. et *Virg.* 2. *G.* a *v.* 91., quæ collegit *Matth. Gesner.* in *Lex. Auct. R. R.* et in *Thes. Ling. Lat.* in *v. Vitis.* — *Uva uvam videndo varia fit*, proverb. apud *Schol.* ad *Juvenal.* 2. 82. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva. *de l' uva Già ghezzo l' un granel tinge il vicino* (Garg.). Cf. *Virg.* 1. *Ecl.* 51. Ne mala vicini pecoris contagia lædant. Græci dicunt: βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται. Ut enim ab uno acino multi livescunt, sic ab exemplo unius multi corrumpuntur. — Proverbialiter item dictum est illud apud *Vulg. interpr. Ezech.* 18. 2. Patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt. *h. e.* patres peccaverunt et filii percussi sunt.

II.) Tropice. ¶ 1. Ponitur pro vino. *Horat.* 1. *Od.* 20. 9. prelo domitam Caleno Tu bibes uvam. *Juvenal.* 5. 31. Calcatamque tenet bellis socialibus uvam. ¶ 2. Et pro vite, *Virg.* 2. *G.* 60. Et turpes avibus prædam fert uva racemos. ¶ 3. Item pro racemo seu botryone, *grappolo*, apud *Colum.* 3. *R. R.* 3. *ante med.* Illa videntur prodigialiter accidisse, ut aliqua vitis apud te excederet uvarum numerum duorum milium.

III.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de apibus, quum collectæ sunt et in modum botryonis dependent. *Virg.* 4. *G.* 557. jamque arbore summa Confluere et lentis uvam demittere ramis. *Juvenal.* 13. 68. Examenque apium longa consederit uva. Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 18. (55). ¶ 2. Est etiam hoc nomine caruncula in fine palati dependens circa fauces, quæ in homine hiante conspicitur, *ugola, uvola*, κίων et præcipue sic dicitur, quum præter naturam descendit, intumescit et inflammatur. *Cels.* 7. 12. *n.* 3. Uva, si cum inflammatione descendit dolorique est et subrubicundi coloris, præcidi sine periculo non potest. Si vero inflammatio nulla est, nihilominus ea ultra justum modum a pituita diducta est, et tenuis, acuta, alba est, præcidi debet: itemque si ima, livida et crassa etc. *Martial.* 10. 56. Non secat et tollit stillantem Fannius uvam. *Cels.* 6. 14. *ad fin.* Uvam tumentem reprimere. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 80. (156). Uvæ jacentis remedium. *et ibid.* 7. 64. (129). Uvam faucium sedare. *et* 30. *ibid.* 4. 11. (31). mitigare. *Id.* 20. *ibid.* 18. 74. (196). levare. *Id.* 23. *ibid.* 8. 80. (157). cohibere. *Id.* 34. *ibid.* 12. 29. (118). compescere. ¶ 3. Item piscis marinus, cujus meminit *Plin.* 9. *ibid.* 2. 1. (3). et 32. *ibid.* 10. 49. (138). et *ibid.* 11. 53. *ad fin.*, in quibus tamen locis videtur intelligere sepiarum ova, quæ simul juncta uvarum botryones repræsentant. ¶ 4. *Uvam taminiam* appellant Itali herbam bryoniam. *Apul. Herb.* 66. Cf. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 13. (17). et *ibid.* 14. (19).

*B)* Dicitur et de aliis fructibus, qui in morem racemi constant ex pluribus acinis conglobatis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 28. (48). Amomi uva in usu est. *Id.* 15. *ibid.* 29. 52. (120). Laurus uvas suas gignit maximeque sterilis, quæ non gignit aliud: ob id a quibusdam mas existimatur.

ŪVENS, entis, particip. ab inusit. *uveo*, humidus, uvidus, uvorem habens, *umido*. *Petron. Sat.* 115. Uventes oculi. *Sil. It.* 7. 651. Uventi ferrum admovit tepefacta (*arundo*) palato. *Id.* 8. 227. Uventia ora. *et ibid.* 460. nebulæ. *Id.* 2. 469. Uventis rores noctis. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 144. Ipsæ pumiceis virides Nereides antris Exsiliunt ultro et scopulis uventibus hærent. *Avien. Arat.* 254. Uvens cælum. *Heinsius* aliique conjiciunt ubique scribendum *humens*.

ŪVESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. ab inus.* uveo) humidus fio, humorem contraho, *umettarsi*, βρέχομαι.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 306. Denique fluctifrago suspensæ in litore vestes Uvescunt, eædem dispansæ in sole serescunt. *Avien. Arat.* 254. Uvescet pluviis tellus.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 69. seu capit acria (*conviva*) fortis Pocula seu modicis uvescit lætius. *h. e.* pitissando rorantibus et minutis poculis se perfundit.

ŪVĬDĬTAS, ātis, f. 3. (uvidus) humiditas. *Cæl. Aurel. De sign. diæt. pass.* 68. *Rose.* Ex uviditate oris sputum effluenti.

ŪVĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* uvidus, humidulus. *Catull.* 66. 63. *loquitur coma Berenices.* Uvidulam a fluctu, cedentem ad templa deum, me Sidus in antiquis diva novum posuit. Alii leg. minus recte *vividulam*.

ŪVĬDUS, a, um, adject. (*ab inus.* uveo) Comp. *Uvidior.* — Uvidus est uvens, madens, udus, humidus, νοτερός (It. *umido, acquidoso, molle, bagnato*; Fr. *humide, mouillé*; Hisp. *húmedo, mojado*; Germ. *nass, feucht*; Angl. *moist, wet*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* apud *Non. p.* 71. 16. *Merc.* Uvida e tenero palmite gemma tumet. *Plaut. Rud.* 4. 3. 5. Non vides, referre me uvidum rete sine squamoso pecu? *Id. ibid.* 2. 7. 15. et *Horat.* 1. *Od.* 5. 14. Uvida vestimenta. *scil.* ex naufragio. *Ovid.* 4. *Fast.* 427. locus aspergine multa Uvidus ex alto desilientis aquæ. *et* 3. *ibid.* 238. Uvidaque e tenero palmite gemma tumet. *Tibull.* 1. 9. 37. pugnantibus uvida linguis Oscula. *Alii leg.* humida. *Colum.* 7. *R. R.* 3. Cæli status uvidus ventosusque. *Virg.* 1. *G.* 418. Juppiter uvidus austris. *Id.* 10. *Ecl.* 20. Uvidus hiberna venit de glande Menalcas. *h. e.* pinguis, inquit *Serv.*, quia pinguia humida sunt. — *Uvida*, absolute, neutr. plur., apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. 137. sunt sputa tenacia. ¶ 2. Speciatim est suco plenus, *sugoso*. *Tertull. Jejun.* 1. *ad fin.* Siccantes cibum ab omni carne et omni jurulentia et uvidioribus quibusque pomis. ¶ 2. Item irriguus. *Horat.* 4. *Od.* 2. 30. circa nemus uvidique Tiburis rivor. *Colum.* 3. *R. R.* 2. *ante med.* Præpinguis et uvida terra. *Ovid.* 4. *Fast.* 686. rura Parva sed assiduis uvida semper aquis. ¶ 3. Uliginosus ager, inquit *Serv.* ad 2. *G.* 184., est semper humidus: uvidus dicitur, qui aliquando siccatur.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice. *Horat.* 2. *Od.* 19. 18. uvidus Bacchus. *h. e.* vino madens. Sic 4. *ibid.* 5. 38. dicimus integro Sicci mane die, dicimus uvidi. ¶ 2. Metaphorice. *Gell.* 1. 15. Uvida verba.

H o m o n y m. Quidam ita distinguunt *uvidum* ab *humido*, ut *uvidus* sit, qui humorem intrinsecum habet, *humidus*, qui exterius madet. Sed hoc discrimen non servatur. Cf. *Isid.* 17. *Orig.* 5. 13. in UVA. — Aliud discrimen *V.* sub I. 3.

ŪVĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (uva *et* fero) qui uvas fert vel producit, σταφυλοφόρος. *Venant.* 6. *carm.* 8. 4. Præbet et uviferis frondea tecta comis. *Dracont.* 1. *Hexaem.* 629. Uvifera vitis. — Pro vitifero. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 64. Atque Echo simul hinc et inde fractam Gauro Massicus uvifer remittit. *Sil. It.* 7. 263. Massicus uviferis addebat nomina glæbis. *et* 2. 207. Uviferis late florebat Massicus arvis. Adde *ibid.* 207.

ŪVOR, ōris, m. 3. (*ab inus.* uveo) humiditas, humor. *Varro* 5. *L. L.* 104. *Müll.* Uvæ ab uvore.

# UX

UXOR, ōris, f. 3. — *a)* Ad scriptionem quod attinet, admodum varie scriptum occurrit in *Inscriptt.*, ut *usor, ucsor, ucxor, uxur*, sæpius

*uxsor* (V. *Gruter.* 173. 1., *Murat.* 1313. 7. et alib., *De Rossi Bullett. Crist. a.* 1875. *p.* 107. et *Mommsen n.* 5173.) et etiam *huxor* (in *Ephem. Epigr.* II. *n.* 848.) et *voxor*, prisca forma, quæ tribuitur *Plauto.* V. infra. — *b*) Ratione habita etymi, ex quorumdam opinione, dicitur quasi *unxor*, hoc est unctrix, quod sponsa mariti domum ingressura postes inungeret: eademque ab re Juno dicta Unxia. *Donat.* ad *Ter Hecyr.* 1. 2. 60. Uxor dicitur vel ab ungendis postibus et figenda lana, hoc est quod, quum puellæ nuberent, maritorum postes ungebant ibique lanam figebant vel quod lotos maritos ipsæ ungebant, cujus rei testis est Ennius: Exin Tarquinium bona femina lavit et unxit. *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 459. Velleribus niveis et festa fronde revinctum: Moris, *inquit*, fuerat, ut nubentes puellæ, simul venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis: unde ait velleribus niveis: et oleo ungerent; unde uxores dictæ sunt, quasi unxores. Cf. et *Isid.* 9. *Orig.* 7. 12. Recentiores tamen etymologi libentius ducunt a rad. Skr. *vak*, velle, amare, unde *vaka*, amans, femina, uxor; hinc prisca forma, ut diximus, *voxor*, et cum *n* epenthetico *vonxor*, de qua V. *Koch* in *Jahrb. für Phil.* etc. 1870. et *Ritschl* in *Præf.* ad *Plaut. Trin.* ed. alt. *p. LXIII.* — Uxor est mulier, quæ viro tradita est, γυνή, ἄκοιτις (It. *moglie, sposa, consorte, congiunta*; Fr. *femme mariée, femme*; Hisp. *muger, la hembra del hombre*; Germ. *die Gattin, Gemahlin, Ehefrau*; Angl. *a wife, spouse, consort*).

I.) Proprie. *Nævius* apud *Non. p.* 136. 7. *Merc.* Utrum est melius, virginemne an viduam uxorem ducere. *Ennius* apud *Fest. p.* 258. 18. *Müll.* Ducit me uxorem liberorum sibi quærendûm gratia. *Id.* apud *Rufin. De fig. sent. et eloc.* 37. *p.* 222. *Ruhnk.* Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia? *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 86. mihi — propter divitias meas Licuit uxorem dotatam genere summo ducere. *Cato R. R.* 143. Si eam (*vilicam*) tibi dederit dominus uxorem, ea esto contentus. *Ter. Andr.* 1. 3. 11. Sive ista uxor sive amica est, gravida e Pamphilo est. *Cæcil.* apud *Gell.* 2. 23. Sed tua morosane uxor, quæso, est? *Turpil.* apud *Non. p.* 808. 3. *Merc.* Eum derepente ducere uxorem audio. *Titin. ibid. p.* 157. 10. Tuam etiam uxorem video pauciens. *Afran. ibid. p.* 262. 16. Excludat uxor tam confidenter virum. *Cic. Sext.* 3.7. Duxit uxorem patre vivo, viri optimi et calamitosissimi filiam, C. Scipionis. *Id.* 3. *Fin.* 20. *a med.* Uxorem sibi adjungere. *Id.* 2. *Orat.* 64. *ad fin.* Ridicule etiam illud Porcius Nasica censori Catoni, quum ille: Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non hercule, inquit, ex mei animi sententia. *Id.* 5. *Verr.* 33. 76. Solere ajunt barbaros reges Persarum ac Syrorum, plures uxores habere. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 45. Uxor beata creandis pueris. *Plin.* 1. *Ep.* 12. omnis secreti capacissima. *Plaut. Amph.* 3. 3. 19. diligens. *Id. Most.* 3. 2. 14. dotata. *Varro* apud *Non. p.* 27. 3. *Merc.* formosula provincialis. *Juvenal.* 14. 167. feta. *Plaut. Asin.* 1. 1. 43. incommoda. *Id. Aulul.* 3. 5. 6. indotata. *Sueton. Vesp.* 3. justa. *Martial.* 5. 76. legitima. *Plaut. Cas.* 5. 4. 29. lepida. *Lucret.* 3. 907. optima. *Martial.* 8. 12. locuples. *Horat.* 2. *Od.* 14. 22. placens. *Plaut. Merc.* 5. 44. 4. placida et pacata. *Ter. Phorm.* 5. 1. 18. sæva. *Id. Andr.* 2. 6. 15. Appellere animum ad uxorem. *Id. ibid.* 3. 4. 2. Uxorem arcessere. *Plin. Paneg.* 83. assumere. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 60. deducere domum. *Sueton. Cæs.* 1. dimittere. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 183. relinquere prægnantem. *Id. Top.* 4. 19. Nuncium remittere uxori. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 50. Recusare uxorem grandi cum dote. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 34. Uxorem reducere. *Id. Heaut.* 1. 1. 52. Amicam habere prope jam in uxoris loco. Adde *Andr.* 1. 5. 38. *Id. ibid.* 2. 5. 12. Uxore excidere. — Apud Romanos uxorum duo genera fuere: unum earum, quæ proprie uxores vel matronæ dicebantur, alterum earum, quæ appellabantur matresfamilias. *Cic. Top.* 3. 14. Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro, si ea uxor materfamilias esset, si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus est enim uxor, ejus duæ formæ, una matrum familias: hæ sunt, quæ in manum convenerunt: altera earum, quæ tantummodo uxores habentur. *V.* MATERFAMILIAS. — Tribus autem modis uxor in manum seu potestatem mariti veniebat, usu, farre, coemptione. Ex his illa solum materfamilias vocabatur, quæ per coemptionem in manum mariti venerat. *Usu* fieri matrimonium dicebatur, quum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat et cum viro ita consuescebat, ut cum justo marito: adeo ut, si usus ille intra annum non interrumperetur, pro usurpata jam haberetur. *Coemptione*, quum se uxor et maritus invicem coemebant per certas formulas. *Confarreatione* denique, quum sacrificium fiebat libo ex farre confecto. *V.* USURPATUS, COEMPTIO et CONFARREATIO. — Apud Hebræos *uxor* dicebatur, quæ sponsalia tantum contraxerat, ita ut si dein sponsus eam ducere nollet, libellum repudii ei tradere teneretur; vel si sponsa cum alio rem habuisset, accusata ut adultera ad lapidationem damnaretur. Cf. *Matth.* 1. 18.-20. et *Luc.* 2. 5., quæ tamen loca plerique interpretes, præsertim antiquiores, aliter intelligunt. V. *Ackermann op. cit.* § 154. Item *uxor* dicebatur atque habebatur etiam concubina seu alia femina, quam præter primariam seu dominam vir assumebat sine sollemnitate, solo mutuo consensu, ita ut nec jure uxoris privari nec vendi posset. *Gen.* 25. 1. Cf. *Deut.* 20. 10.-12. et *Ackerm. ibid.* § 155.

II.) Improprie. ¶ 1. Per catachresin dicitur de bestiis. *Horat.* 1. *Od.* 17. 7. Olentis uxores mariti. *h. e.* capellæ. ¶ 2. Catachresis est etiam in illo *Martial.* 4. 53. Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati. *h. e.* abolla, quacum dormit pauper, tamquam cum uxore, pro lodice.

Homonym. Videtur eo differre *uxor* a *conjuge*, quod hoc sit nomen honestius, quam illud. *Vellej.* 2. 100. 6. Claudius, Gracchus, Scipio quasi cujuslibet uxore violata pœnas pependere, quum Cæsaris filiam et Neronis violassent conjugem. *Curt.* 3. 13. 13. In eodem grege uxor quoque Ochi et conjux Artabazi, principis purpuratorum.

UXŌRĀTUS, a, um, adject. ab *uxor*, participiorum more, est qui uxorem habet. *Augustin. Serm.* 93. *n.* 2. Maritatæ feminæ et uxorati viri. Adde *eumd. Serm.* 116. *n.* 4. ed. *Mai.*

UXORCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* uxor, parva uxor. ¶ 1. Universim. *Apul.* 9. *Met.* Erat ei uxorcula etiam satis quidem tenuis. Et ipsa verumtamen postrema lascivia famigerabilis. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 83. 23. *Merc.* ¶ 2. De meretrice. *Ennod. Ep.* 53. Exige mendaces populorum uxorcula barbas. ¶ 3. Usurpatur etiam in blanditiis. *Plaut. Cas.* 4. 4. 19. Mea uxorcula. *et ibid.* 5. 2. 38. Amabo mea uxorcula, cur virum tuum sic me spernis?

UXORCŬLO, as, āvi, are, a. 1. (uxorcula) diligo. *Plaut. fragm.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 66. *Müll.* Mulieres uxorculavit; ego novi, scio axitiosas. *Alii rectius leg.* Mulier es, uxorcula: abi, te ego novi; scio axitiosam. *Müller* vero leg. *uxor* pro *uxorcula*, ita ut verbum Latina civitate sit privandum.

UXŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

UXŌRĬUS, a, um, adject. (uxor) ad uxorem pertinens, *della moglie, appartenente alla moglie*, γυναικεῖος, δάρινος. ¶ 1. Generatim. *Ter. Andr.* 5. 1. 10. Adulescentulus abhorrens a re uxoria. Adde *Afran.* apud *Fest. p.* 355. 22. *Müll. Cic.* 3. *Off.* 15. 61. In arbitrio rei uxoriæ, melius, æquius. *Ovid* 2. *Art. am.* 155. Hoc decet uxores: dos est uxoria lites. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* Prædium, quia uxorium, patrio mihi dulcius. *Paul. Diac. p.* 379. 1. *Müll. Æs uxorium.* Cf. *Val. Max.* 2. 9. *n.* 1. et *Afran.* apud *Non. p.* 306. 17. *Merc. Dig.* 32. 29. *pr. jus. Tac.* 3. *Ann.* 34. lavamentum. *Sueton. Cal.* 25. nomen. — *Uxoria forma*, pulcritudo mediocris. V. *Gellii loc. cit.* in STO. — *Uxorius imber* dicuntur a *Statio* lacrimæ, quibus deflet quispiam mortem uxoris, 5. *Silv.* 1. 31. — *Uxoria res* est etiam dos *Quintil.* 7. 4. 11. — ¶ 2. Speciatim vel prægnanti, ut ajunt, sensu, *uxorius* aliquando dicitur, qui uxori valde inservit, *mogliaiuolo, mogliardino*, γυναικίας, φιλογύνης. *Virg.* 4. *Æn.* 266. tu nunc Carthaginis altæ Fundamenta locas pulcramque uxorius Urbem Exstruis. *Horat.* 1. *Od.* 2. 18. vagus et sinistra Labitur ripa, Jove non probante, Uxorius amnis. *tutto moglie, ligio e cedevole marito. Seneca* 1. *Contr.* 6. Uxorius sum. *Auct. Paneg.* ad *Maxim.* et *Constantin.* 4. Juvenis uxorius. *Inscr.* apud *Fabretti p.* 299. *n.* 272. L. FVNDANIO L. F. OVFENTINA PROCLO FVNDANIA IVNIA VXORI S. TESTAM. F. CVR. *Lege* uxorio suo. *h. e.* marito sui amantissimo. At rectius *Zacch. Inst. Lap. p.* 353. *pro* uxori S. *legit* uxor I. S. *h. e.* in suo: ut legitur in alia apud *Grut.* 582. 5. *Quintil. Decl.* 338. Habuimus maritum nimium quoque uxorium. — Hinc

*Uxorium, ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, res uxoria; hinc — *Uxorium pendere* dicitur ille, qui, quod uxorem non habuerit, æs populo dedit. Ita *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 379. 1. *Müll.* V. *Val. Max.* 2. 9. *n.* 1. — *Uxoria bibere* apud *Quintil. Declam.* 15. 9. est bibere medicamenta, quæ uxoris amorem concilient. — *Uxorium*, titulus poematis M. Gordiani Africani Aug. *Capitolin. Gordian.* 3.

UXSOR et

UXUR. *V.* voc. præced. init.

# DE LITTERA V

V v, littera vicesima alphabeti Latini. De hac, prout est vocalis, jam egimus; nunc restat, ut qua est consonans, aliqua dicamus.

*A*) V, qua est littera simplex.

I.) Generatim. — *a*) Respondet litteræ Græcæ β et etiam, præter quam digammati Æolico, diphthongo ου, ut videre est in vocibus Latinis, Græce redditis, Βάῤῥων *Varro*, Οὐενουσία *Venusia*, Λαουΐνιον *Lavinium*, Σκαιουόλας *Scævola*, Λιούϊος et Λίβιος *Livius*, Οὐέῤῥης et Βέῤῥης *Verres*. V. *Julian. Orat.* 2. *p.* 71. *extr.* — *b*) Præmittitur aliis vocalibus sive initio sive in mediis vocibus, ut *vaco, velox, vita, vos, vultus, vulva, evolvo* etc. — *c*) In mediis vocibus Poetæ *v* sæpe dissolvunt seu accipiunt tamquam vocalem, ut in *dissoluo* pro dissolvo, in *silua* pro silva etc. (Cf. U) Sic a caveo *cautum*, a volvo *volutum* etc. — *d*) Item in mediis vocibus supprimitur, ut *fuerint* pro fuverint, *Catull.* 66. 18.; *adiuerint* pro adjuverint, *Enn.* apud *Cic. Senect.* 1. 1. Sic *serus* pro servus, *Pacuius* pro Pacuvius etc. — Et per contractionem *sisti* pro sivisti, *amasti* pro amavisti, *delerunt* pro deleverunt, *momentum* pro movimentum, *prudens* pro providens, *contio* pro coventio vel conventio, *malo* pro magevolo, *junior* pro juvenior. Similiter *sis* pro si vis, *sultis* pro si vultis, *Juppiter* pro Jovis pater, *cauneas* pro cave ne eas etc. — *e*) Permutatur sæpissime cum littera *b*: hinc *balva* pro valva, *bibo* pro vivo, *rabula* pro ravula a ravus, *sebum* pro sevum, *ferbui* pro fervui, *abavus* pro avi avus, *abnepos* pro avi nepos etc. *V.* litt. B. — *f*) Supplet etiam Græcum digammon, ut *ver* ab ἦρ pro Ϝῆρ, *video* ab ἰδέω pro Ϝιδέω, *vis* ab ἴς pro Ϝίς, *vinum* ab οἶνος pro Ϝοῖνος etc. *V.* DIGAMMON et litt. U. — *g*) Interdum est pro *gu*, ut *brevis* pro breguis a βραχύς; *voro* a *guar*: cf. *gula*.

II.) Speciatim. ¶ 1. Littera V in numeris significat quinque, fortasse sumptâ formâ a digitis, primo et ultimo, simul ac solis extensis, manûs, quæ in lingua Sanskrita est *pancha* et valet etiam, a digitorum numero, quinque. Si vero lineola supra ponatur ($\bar{V}$), significat quinque millia, ut docet *Auct. De not. numer.*, qui vulgo adjicitur *Probo p.* 1683. *Putsch.* ¶ 2. Intervis

etiam apud Gromaticos casis designandis. *Innoc. Cas. Litt. p.* 317. 15. *Lachm.-Rud.* Adde *p.* 330. 9. et *p.* 337. 3. *ibid.*

*B)* V, quæ est littera singularis seu nota vocis alicujus, varia significat. Sic V. est *vale, Valerius, verba, Vibius, vicit, Victor, vir, vivit, vivus, voluntarius, votum* etc.; V.V. *viri vivi, virgo Vestalis, Valeria victrix, uti voverant* etc. — Hinc in *vet. Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 610. V., nominibus propriis præfixa, significat, aliquem adhuc vivere, quemadmodum Θ denotat jam mortuum. *V.* THETA.

# VA

VA, vario sensu usurpatur.

I.) Est interjectio, fortasse eadem ac vah! cum aspiratione, lætantis vel etiam suspirantis. *Prob. Inst. art. n.* 1671. *p.* 369. *Endl.* et *n.* 677. *ibid.* V. integr. loc.

II.) Adverbium irascentis, si pro vocatione alique proferatur, ut *va hominum nequissime. Prob. ibid.*

III.) Denique per apocopen fit a *vado* et est imperat. pro *vade. Inscr.* in lucerna fictili apud *Momms. n.* 6308. 23. MENESTER VA., quod *valeat* exponit idem *Mommsen;* sed *Minervini* in *Bullett. archeol. Napol. a.* 1857. *p.* 7., collata *alia,* pro *vade* accipit, *h. e.* abi, ito.

VĂCANS, antis, particip. *V.* VACO.

VĂCANTER, adverb. (vaco) supervacue, inaniter, frustra, *in vano,* κενῶς. *Gell.* 17. 10. *ad fin.* Vacanter hoc etiam accumulavit et inaniter.

VĂCANTĬA, æ, f. 1. (vaco) vacuitas, otium. *Gloss. Cyrill.* Σχολή, vacantia, otium. Cf. *Ducange,* qui JCtorum dictionem exponit.

VĂCANTĪVUS, a, um, adject. (vaco) vacationem habens, *esente. Lamprid. Alex. Sev.* 15. Jurejurando se constrinxit, ne quem adscriptum, id est vacantivum, haberet, ne annonis rempublicam gravaret. Ita pro *vacantium* emendavit *Gruter.* in adnotat. ad *h. l.* ex *Cod. Palat.,* in quo *vagantivum* erat, adsentientibus *Reines. Syntagm. cl.* 9. *n.* 47. et *Ducang.* in *Glossar. med. et inf. Latin.* V. VACANS. At *Jordan* leg. *vacantem.*

VĂCAT, abat. *V.* VACO.

VĂCĀTĬO, ōnis, f. 3. (vaco) *Vocatio* pro *vacatio* scriptum videtur in *Tab. ær.* legis repetundarum in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198. *l.* 77. et in *alia* legis municip. *ibid.* 206. *l.* 93. et in *Inscr.* Brixiana *ibid. p.* 71. ad v. LXXVII. *V.* quæ adnot. *Mommsen* et *De-Vit* in *h. v.* Cf. etiam *Cic.* apud *Non. p.* 436. 20. cod. Bamb. — Vacatio est cessatio ab opere, σχολή (It. *vacanza, esenzione;* Fr. *vacation, exemption, dispense,* Hisp. *vacacion, exencion;* Germ. *das Befreitsein, Freisein, die Befreiung;* Angl. *a cessation or respite, exemption, vacation*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Cic. Fontej.* 4. 7. Utrumque falsum est et ob vacationem precium datum, quum immunis nemo fuerit etc. *Id.* apud *Non. p.* 436. 19. Quod mihi et Philippo vacationem das, bis gaudeo. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 38. 121. Quum sacerdotes deorum vacationem habeant, quanto est æquius habere ipsos deos? *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. 39. Vacatio crassificat corpus. *h. e.* vacatio a motu. — *b)* Cum Genetivo. *Cic.* 7. *Verr.* 22. *sub fin.* Quæ colonia est in Italia tam bono jure, quod tam immune municipium, quod per hosce annos tam commoda vacatione sit usum rerum omnium, quam Mamertina civitas per triennium? *abbia avuto tante esenzioni in ogni genere.* et 1. *Nat. D.* 20. 53. Nos beatam vitam in animi securitate et in omnium vacatione munerum ponimus. *Id.* 9. *Fam.* 6. *ad fin.* Quæ studia vacationem habent publici muneris. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 17. et *Sueton. Claud.* 19. *Cod. Theod.* 8. 4. 1. Honestam missionem et vacationem rerum suarum merere. *h. e.* otium. — *Seneca Brev. vit.* 20. Vacationem procurationis ultro accipere. *ottenere la giubilazione senza chiederla.* V. alia mox sub paragr. 2. — *c)* Cum Ablat. et præp. *ab. Cic.* 1. *Legg.* 4. 11. Nullam tibi a causis vacationem dari video. *Liv.* 23. 32. ab belli administratione. *Colum.* 6. *R. R.* 14. ab opere. Cf. *Gell.* 1. 12. — *d)* Cum *quo minus. Cic. Brut.* 31. 112. Vacationem augures, quo minus judiciis operam darint, non habere. ¶ 2. Speciatim in re militari *vacatio* dicitur, quum milites vel propter expletum stipendiorum tempus vel propter ætatem, quæ, ex *Seneca Brev. vit.* 20., erat annorum L., vel alia quapiam de causa militare non coguntur. — De ætate, qua vacatio militiæ concedebatur, *V.* etiam *Walch.* in *Act. Soc.* etc. *T.* 4. *p.* 103. *ad fin.* — *a)* Addito genet. *militiæ. Cæs.* 6. *B. G.* 13. Druides militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem. *Cic.* 6. *Verr.* 11. 23. Vacatio data est sumptus, laboris, militiæ, rerum denique omnium. Adde 5. *Phil.* 19. 53. et *Liv.* 42. 33. *Justin.* 1. 9. 12. Vacationem militiæ dare alicui. et *Liv.* 23. 20. decernere. — *b)* Absolute. *Cic.* 5. *Phil.* 12. 31. Tumultum decerni, delectum haberi, sublatis vacationibus. *Id. ibid.* 19. 53. Militibus veteranis liberisque eorum vacationem esse senatui placere. Adde 1. *Att.* 19. *Liv.* 8. 20. Consules jussi scribere exercitum sine ulla vacationis venia. *Tac.* 1. *Hist.* 46. Tum locupletissimus quisque miles labore et sævitia fatigari, donec vacationem emeret. — Huc pertinet illud *Nepot. Att.* 7. Incidit bellum civile: quum haberet annos LX., usus est ætatis vacatione. ¶ 3. Dicitur de loco vacanti, vacuo. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. Tecti posce brevis vacationem.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1. *Cic.* 4. *Verr.* 68. 164. Sed ego Metello non irascor neque ei suam [culpæ] vacationem eripio. *Orelli* leg. *purgationem;* sed V. *Klotz* in *Cic. Red. p.* XI. et seqq. *Seneca Ep.* 85. Vacatio malorum. *h. e.* vacuitas, privatio. ¶ 2. Tropice ex super. paragr. 2. *vacatio* ponitur pro ipso pretio vacationis; hujusmodi enim militares vacationes interdum pretio emebantur. *Tac.* 1. *Hist.* 46. Otho promisit, ex fisco suo vacationes annuas exsoluturum. *h. e.* pecuniam, qua soluta, liceret annum a militia abesse. Cf. 1. *ibid.* 58.

VACCA, æ, f. 1. *Baccha,* mutatâ, uti solet, *v* in *b,* et addita aspiratione, scribitur in *Act. Fr. Arv.* apud *Marini tab.* XXXII. *col.* II. *lin.* 22. BACCHAM HONORARIAM ALBAM AD FOCVLVM IMMOLAVIT. — Ratione habita etymi, *Isid.* 12. *Orig.* 1. 31. a *bos,* addita terminatione, derivatum putat, ut sit *vacca* pro *boacca.* At recentiores ducunt alii a rad. Skr. *vaks,* humecto, unde *vaksham,* ejusd. significationis; alii vero a *vak,* mugire (Cf. *Stat. loc. cit.*), h. e. a mugiendo per onomatopœiam, ut *bos* a boando, unde *bovantes* apud *Enn.* ex *Varron.* 7. *L. L.* 104. *Müll.* V. BOS. — Vacca est bos femina, ἡ βοῦς (It. *vacca,* Fr. *vache;* Hisp. *vaca;* Germ. *die Kuh;* Angl. *a cow*).

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 5. Discernuntur in prima vitulus et vitula, in secunda juvencus et juvenca, in tertia et quarta taurus et vacca. *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. *ad fin.* Cur non gestiret taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? *Virg.* 3. *G.* 177. fetæ nivea implebunt mulctraria vaccæ. et 2. *ibid.* 524. ubera vaccæ Lactea demittunt. et 9. *Ecl.* 31. Sic cytiso pastæ distentent ubera vaccæ. *Ovid.* 2. *Met.* 694. Nitida vacca. *Virg.* 4. *Æn.* 61. candens. Adde *Horat.* 4. *Od.* 2. 53. *Colum.* 6. *R. R.* 21. Vaccæ probantur altissimæ formæ longæque, maximis uteris, frontibus latissimis, oculis nigris et patentibus, cornibus venustis et levibus et nigrantibus, pilosis auribus, compressis malis, palearibus et caudis amplissimis, ungulis modicis et modicis cruribus. — Ejus usus, apud Romanos, maxime in sacrificiis Fratrum Arvalium deæ Diæ erat, pro quibus seligebatur vacca alba, quæ *honoraria* dicebatur. *V. Marini loc. cit.* et *alibi.* Cf. *Visconti Mus. Pio-Clem. T.* 7. *p.* 149., coll. *Tab.* XXX., ubi vaccæ effigiem habes. Item in sacrificiis apud Hebræos. *Vulg. interpr. Num.* 19. 2. et *seqq.* — Veteres, ut bubus, ita et vaccis cultum adhibuisse videntur. *Id. Os.* 10. 5. — *Vacca* vel *Marsuppium* est titulus fabulæ *Pomponii Bonon.,* cujus fragmentum apud *Ribbeck Com. reliq. p.* 251. ed. alt.

II.) Translate, apud Ecclesiasticos scriptores, sumitur de potentioribus viris. *Vulg. interpr. Am.* 4. 1. Cf. *Ps.* 67. 31. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

VACCILLO. *V.* VACILLO.

VACCĪNĬUM (vacinium), ĭi, n. 2. *Vacinium* unico *c* scribendum esse contendit *Molin Flor. poetig. p.* 58. et *seqq.* — Etymon alii repetunt ab *hyacintho,* quasi *vacinthos,* voce parum detorta; alii a *bacca,* quasi sit *baccinia;* alii denique a *vacca,* quia tingendo lacti vaccæ inserviunt (V. *Molin op. cit., Pohl Flor. Bras.* 2. *p.* 36. et *Trago Diss. crit. p.* 975.). — Vaccinium est flos seu potius fructus purpurei coloris ad nigrum accedentis. Magna lis est inter eruditos in hujus flore seu fructu constituendo, alii enim hyacintho, alii violæ comparant; sed in *Virgilii* et *Vitruvii loc.* mox *citand.* a viola distinguitur. Nos, inquit *Furlanetto,* ejus auctoritatem sequimur, qui nuperrimam *Plinii Hist. nat.* editionem Parisiis curavit, quique *T.* 10. *p.* 251., re utrinque accurate disputata, statuit, vaccinium esse, quod nunc Gallice *vaciet,* Italice *vacino,* dicitur, nempe *Vaccinium Myrtillus* LINN., cujus fructus prius rubei, mox nigri fit coloris. V. *Virg.* 2. *Ecl.* 18. Ubi *Servius:* Vaccinia sunt violæ, quas purpurei coloris esse manifestum est. Verum discriminis aliquid inter vaccinium et violam ponit *id.* 10. *ibid.* 39. *Amati De purpur. p.* 8. putat esse hyacinthum, *il giglio pavonazzo.* Hucusque cl. *Furlanetto.* Sententiam, quam is profitetur, secuntur etiam *Schrank, Fée, Bertoloni* aliique recentiores, ita ut communior dici queat; sed suis non caret difficultatibus, quas docte expendit cl. *Bubani* in *Flor. Virg. p.* 119. et *seq.* Cf. etiam *Molin op.* supra *cit.* — Ad usum vocis quod attinet, hæc loca subjicimus. *Virg.* 2. *Ecl.* 18. Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. *Id.* 10. *ibid.* 39. Quid tum, si fuscus Amyntas? Et nigræ violæ sunt et vaccinia nigra. *Id.* 2. *ibid.* 50. Mollia luteola pingit vaccinia caltha. *Vitruv.* 7. 14. Tinctores, quum volunt sil Atticum imitari, violam aridam conjicientes in vas cum aqua confervescere faciunt ad ignem etc. *et mox.* Eadem ratione vaccinium temperantes et lac miscentes purpuram faciunt elegantem. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 5. Nec te purpureo velent vaccinia suco. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 31. (77). Item vaccinia Italiæ mancupiis sata: Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ causa ad servitiorum vestes. *h. e.* in Italia sata ad fricanda et illinenda mancipiorum venalium corpora, quoniam iis pubertas tardetur; quod mangonibus valde est utile. Hoc ipsum *id.* 21. *ibid.* 26. 97. (170). tribuit hyacintho, unde nonnulli fortasse puterunt, vaccinium idem fuisse ac hyacinthum.

VACCĪNĬUS, a, um, adject. (vaccinium) vaccinio tinctus. *Edict. Diocl. col.* 6. Pellis vaccitta. *corrige* vaccinia. Ita *Furlanetto* et *Freund.* At *Mai* in *Nov. Coll. T.* 5. *p.* 311. et *Haubold* in *App.* ad *Mon. Leg. p.* 17. leg. *vaccitena.* Verum *Waddington* et *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. *p.* 832. dederunt *lacchena,* coll. exempl. Græco, ubi est δέρματος λαχχαίνου: h. e. pellis tincta herbâ, quæ *laccha* vel *lacca* dicta est, Græce λάκκα vel λάκχα, fortasse idem ac *laccar,* qua pelles vermiculatæ tinguntur. V. *Plin. Valer.* 2. 17. *V.* LACCAR.

VACCĪNUS, a, um, adject. (vacca) qui est ex vacca, *di vacca, vaccino,* βοϊκός. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 50. (185). Jus e vaccina carne. *Id.* 25. *ibid.* 8. 53. (94). Vaccinum lac. *Id.* 28. *ibid.* 14. 58. (204). jecur. et *ibid.* (205). caseus. Adde *Marcell. Empir. c.* 27. *p.* 127. *post init.*

VACCITĒNUS. *V.* VACCINIUS.

VACCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a vacca, parva vacca, bucula, *vacchetta, vaccherella,* βοΐδιον. *Val. Cato Dir.* 132. Vaccula non umquam se-

creta cubilia captans. Adde *Priap.* 86. 14., *Tertull.* 2. *Nat.* 14. et *Apul.* 7. *Met.* — *Forcellinus* addit *Catull.* 20. 14. *de Priapo.* Tenerque (*al.* tenera *vel* tenella), matre mugiente, vaccula etc. Nunc tamen critici hoc carmen *Catullo* abjudicant. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VĂCĔFIO**, fis, fieri, anom. passiv. ab inusit. *vacefacio*, pro quo *V.* VACUEFACIO. — Vacefio est vacuus fio, *vuotarsi. Lucret.* 6. 1003. multusque vacefit In medio locus. Adde *ibid.* 1015. V. *Lachmann* ad *h. l.*

**VĂCĔO.** *V.* VACO.

**VĂCERRA**, æ, f. 1. Recentiores etymologi conferunt cum rad. Skr. *vak* (*vank*), vacillare et etiam volvi, torqueri. — Vacerra est stipes, palus, *palo.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Fest. p.* 375. 3. *Müll.* Vacerram Verrius et alii complures vocari dicunt stipitem, ad quem equos solebant religare. ¶ 2. Speciatim dicitur de sæpe ex palis facta, *palizzata. Colum.* 9. *R. R.* 1. *de vivario ferarum pecudum.* Ratio postulat vacerris includi. sic enim appellatur genus clatrorum. idque fabricatur ex robore, quercu vel subere. ¶ 3. Item de machina curandis jumentis et bubus. *Id.* 6. *ibid.* 19. Stipites omnes transversis sex temonibus, quasi vacerræ, inter se ligantur.

II.) Translate. *Fest. p.* 375. 4. *Müll.* Atejus vero Philologus, maledictum hoc nomine significari magnæ acerbitatis, ut sit vecors et vesanus, teste Livio (*Andron.*) qui dicat: vecors et malefice vacerra. Hæc *Fest.* ex lect. *Scalig.* Hinc *Augustus* in sermone quotidiano quædam frequentius et notabiliter usurpare solitus, ponebat assidue et pro stulto baceolum et pro pullo pullejaceum et pro cerrito vacerrosum, ut *Sueton. Aug.* 87. narrat. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VĂCERRŌSUS**, a, um, adject. (vacerra) *V.* in voc. præced.

**VACĪA.** *V.* VATIA.

**VĂCILLANS**, antis, particip. et

**VĂCILLAS** pro vacillans. *V.* VACILLO.

**VĂCILLĀTĬO**, ōnis, f. 3. (vacillo) actus vacillandi, παραφορά (It. *vacillamento*; Fr. *balancement, vacillation*; Hisp. *vacilacion*; Germ. *das Wanken, das Wackeln*; Angl. *vacillation, wavering*).

I.) Proprie. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Est et illa indecora in dextrum ac lævum latus vacillatio, alternis pedibus insistentium. *Sueton. Claud.* 21. *sub fin.* Per ambitum lacus non sine fœda vacillatione discurrens.

II.) Translate. *Jornand. De reb. Get.* 47. Euricus rex Vesegotharum Romani regni vacillationem cernens etc.

**VĂCILLĀTOR**, ōris, m. 3. (vacillo) qui vacillat. *Gloss. Lat. Gr.* Vacillator, συχοφάντης.

**VĂCILLO**, as, āvi, ātum, are, n. 1. — *a*) Scribere mallent nonnulli cum duplici cc, ut habetur in quibusd. MSS. *Festi* in *Talipedare p.* 359. 31. *Müll.* et ita scribit *Lachm.* ad *Lucr.* 3. 503. — *b*) Primam producit *Lucret. loc. cit.* Tum quasi vacillans primum consurgit et omnes etc. Est tamen qui leg. *talipedans.* V. supra — *c*) De notatione hæc habet *Pompeius Gramm. p.* 221. 5. *Keil.* «Pytisso et vacillo verba sunt deminutiva et tamen principalia non habent. - *Vacillo*, dicunt, originem trahit ab eo quod est *vagor*, id est nuto; inde ergo *vago* dicebant; ergo *vacillo* quasi nuto et membris vagor. Hoc quod dicit, satis fide caret etc.» Sunt qui putant esse a *bacillum*, quo nituntur qui pedibus male fulti ingrediuntur: alii derivant a *vacius* vel *vatius* (V. hanc voc.); alii vero a Skr. *vak* (*vank*). V. VACERRA init. — Part. *Vacillans*, pro quo, *n* extrito, *vacillas* est qui leg. apud *Lucret.* 6. 554. Ut jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillas. — Vacillo est modo huc, modo illuc inclinor, nuto, titubo, fluctuo, διαστάζω (It. *traballare, vacillare*; Fr. *vaciller, branler, chanceler*; Hisp. *vacilar, titubear*; Germ. *wanken, schwanken, wackeln*; Angl. *to move to and fro, waddle or waggle, vacillate*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 574. Hac igitur ratione vacillant omnia tecta. *et* 5. 1235. sub pedibus tellus quam tota vacillat. *et ibid.* 1095. arbor ventis pulsa vacillans. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 8. 3. *a med.* et 11. 3. *ad fin.* Quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. *Id. Brut.* 60. 216. Quum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante, quæsivit, quis loqueretur e lintre. *Id.* 16. *Fam.* 15. Accepi tuam epistolam vacillantibus litterulis, nec mirum tam gravi morbo. *h. e.* tremente manu exaratis. *Lucret.* 3. 479. præpediuntur crura vacillanti. *Fest. p.* 359. 31. *Müll.* Vacillare pedibus.

II.) Translate est inconstantem esse, labare, dubitare. *Cic.* 1. *Nat. D.* 38. 107. Tota res vacillat et claudicat. *Id.* 12. *Att.* 1. *a med.* Γεροντικώτερον est memoriola vacillare. *Id.* 3. *Off.* 33. *sub fin.* Justitia vacillat vel jacet potius. *Id.* 1. *Fin.* 20. 66. Videtur stabilitas amicitiæ vacillare. *Id.* 2. *Cat.* 10. 21. Qui partim inertia, partim male gerendo negotia, partim etiam sumptibus, in vetere ære alieno vacillant. *Modestin. Dig.* 22. 5. 2. Testes, qui adversus fidem testationis suæ vacillant, audiendi non sunt. *et ibid.* 48. 10. 27. Qui diversa duobus testimonia præbuit, cujus ita anceps fides vacillat, crimine falsi tenetur. *Cic.* 3. *Phil.* 12. *ad fin.* In Galliam mutilatum duxit exercitum: cum una legione, et ea vacillante, L. fratrem exspectat. *h. e.* dubiæ fidei. *Lucret.* 4. 1117. ægrotat fama vacillans. *h. e.* dubitans, an bene de te loquatur. *Eumen. Grat. act. ad Constantin.* 6. Rusticani ære alieno vacillantes. *in pericolo di fallire.* et *Vellej.* 2. 130. 3. Gentes vacillantes. *Seneca Ep.* 114. Quum animus paullum vacillavit. — Absolute *vacillantes* apud *Vulg. interpr. Job* 4. 4. — Impersonaliter. *Cic.* 14. *Att.* 18. Sed ego Erotem ad ista expedienda factum mihi videbar reliquisse, cujus non sine magna culpa vacillatum est.

**VACĬŌNO.** *V.* VATIONO.

**VĂCĪVĒ**, adverb. (vacivus) per otium, quum vacat. *Phædr.* 5. *præf.* Quartum libellum dum vacive perleges. *nell' ore oziose.*

**VĂCĪVĬTAS**, ātis, f. 3. (vacivus) vacuitas, *vacuità. Plaut. Curc.* 2. 3. 40. Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. Quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacivitas, non te fugit. Alii leg. *vacuitas*, alii rectius tam *vacivitas* quam *vacuitas* glossema putant perperam intrusum.

**VĂCĪVUS**, a, um, adject. (vaco) *Vocivus* pro *vacivus* legunt recentiores apud *Plaut.* et *Ter.* V. *Lorenz Plaut. Pseud.* 449., *Wagner Ter. Heaut.* 90. et *Georges Lat. Wortf. p.* 717. Cf. VACATIO. — Vacivus est vacuus, *vuoto. Plaut. Cas.* 3. 4. 6. Ut bene vacivas ædes fecisti mihi! *Id. ibid. prol.* 29. et *Pseud.* 1. 5. 54. Fac, sis, vacivas, Pseudole, ædes aurium, Mea ut migrare dicta possint, quo volo. — Cum Genetivo. *Id. Bacch.* 1. 2. 46. Valens afflictet me vacivum virium. *Ter. Heaut.* 1. 1. 38. Sine me, vacivum tempus ne quod dem mihi laboris. *un momento d' ozio, un pochino di ricreazione.* Alii perperam leg. *vacuum.* et *Plaut. Trin. prol.* 11. Date vacivas aures, dum eloquor. *attento l'orecchio.* In Cod. palimps. *vocivo* pro *vaciva(s)* legitur. V. *Briz* ad *h. l.* — *Dies vacivi* quinam dicti, docet *Hilarian. De rat. Pasch. et mens.* Quinque dies, qui supersunt ad annum finiendum, in memoriam fabricæ Dei, vacui nominabantur - quinque deinde vacivi dies fuerant usque in pridie nativitatis ejusdem hominis, qui primo factus est; ex qua consuetudine vel traditione sic apud aliquas gentes remansisse cognoscitur, ut apud Ægyptios, qui hos quinque dies vacivos habent, quos ἐπαγομένους appellant. Cf. *Polem. Silv. Kal. Febr.* et *Quintil.* 5. 10. 71.

**VĂCO**, as, āvi, ātum, are, n. 1. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *voco* pro *vaco* legunt recentiores apud *Plaut. Capt.* 3. 1. 13. Cf. VACATIO et VACIVUS. — *b*) Præt. perf. *vacui* pro vacavi per contractionem, vel ab inus. *vaceo*, unde et *vacefio*, apud *Symmach. Ep.* 2. *n.* 60. et *Tertull. Pudic.* 8.; et deriv. *vacuerat, vacuisset, vacuisse* apud eund. *Valentinian.* 10. et *Pall.* 4. et *Augustin.* 3. *Civ. D.* 17.; et part. *vacens* apud *Vulg. interpr. Ital.* (Veron.) *Matth.* 12. 44. — *c*) Ratione habita etymi, nihil certi statui potest, ut in re hujusmodi fit plerumque: alii ducunt a *vagor*, alii conferunt cum Græco εἴκω, cedo, et Germ. *weichen*, recedo, cedo. — Part. *Vacans* sub *A* passim occurrit; *Vacaturus* sub *A* II. 1. et 7. — Vaco est vacuus sum, expers, liber, careo, sum sine aliqua re, κενός εἰμι, σχολάζω (It. *esser vuoto o privo o senza, essere sgombro*; Fr. *être vide, libre, inoccupé, vacant*; Hisp. *ser vaciado, libre, vacante*; Germ. *leer, ledig, frei sein*; Angl. *to be empty or void, be free or clear from*).

*A*) Personaliter usurpatur, et quidem

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 3. 1. 7. fac vaces ædes. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. Maximam putant esse laudem, quam latissime a suis finibus vacare agros. *h. e.* esse sine incolis et cultura. *Id.* 1. *ibid.* 28. Quod noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare. *Cic.* 12. *Att.* 10. Tota domus superior vacat, ut scis. *Id.* 13. *ibid.* 52. Ut vix triclinium vacaret. *Lucret.* 1. 507. Quacumque vacat spatium, quod inane vocamus. *Virg.* 3. *G.* 476. videat desertaque regna Bastorum et longe saltus lateque vacantes. *h. e.* sine armentis. *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 19. rescribat, multa jubeto: Odi, quum late splendida cera vacat. *quando per ampio spazio è carta bianca.* et 2. *Met.* 256. Ostia septem pulverulenta vacant. *Ælius Gallus* apud *Gell.* 16. 5. Janua procul a via est, area vacanti intersita. *h. e.* in qua ædificati nihil est. *Justin.* 25. 2. 3. Neque aliter servata castra, quam quod deserta sunt. siquidem Galli ubi omnia vacantia nec sine defensoribus modo, verum sine custodibus vident etc. *Seneca Thyest.* 107. cernis, ut fontes liquor Introrsus actus linquat? ut ripæ vacent? *h. e.* vacuæ sint aquis. *Tac.* 3. *Hist.* 11. Vacantium forte balnearum fornacibus abditus. — *b*) Cum Ablativo sine præp. aut cum *ab. Enn.* apud *Gell.* 4. 7. Arbores vento vacant. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. *sub fin.* Illa natura cælestis et terra vacat et humore. *Id.* 1. *Nat. D.* 10. 25. Si mens constare potest vacans corpore. *Virg.* 3. *Æn.* 123. Hoste vacare domos sedesque astare relictas. *Ovid.* 2. *Met.* 764. Quæ (domus) igne vacet semper, caligine semper abundet. *Id.* 15. *ibid.* 478. Ora vacent epulis alimentaque mitia carpant. *Auct. B. G.* 8. 41. Ea pars oppidi, quæ fluminis circuitu vacabat. *non era cinta dal fiume.* et *Ovid.* 15. *Met.* 478. Ora vacent epulis. *h. e.* abstineant. *Vellej.* 2. 90. 4. Ut quæ provinciæ maximis bellis numquam vacaverant, eæ postea etiam latrociniis vacarent. — *Cæs.* 3. *B. C.* 25. *in fin.* Hæc a custodiis classium loca maxime vacabant. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 8. Valetudinaria, si vacent ab imbecillis, identidem aperire (*debet*). — *c*) Raro cum Genetivo. *Sidon.* 3. *Ep.* 12. Locus tamquam vacans corporum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est immunem esse, *essere esente.* — *a*) Cum Abl. *Cic. Senect.* 11. 34. Vacat ætas nostra muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri. *Liv.* 2. 48. *ad fin.* Id nobis bellum privato sumptu gerere in animo est. respublica et milite illic et pecunia vacet. Rursus *Cic.* 1. *Nat. D.* 1. *ad fin.* Utrum dii nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent. *Id.* 3. *Acad.* (2. *pr.*) 42. *a med.* Vacare molestia. *Gell.* 19. 12. Carere et vacare affectionibus animi. *Ovid. Ib.* 115. Vacare dolore. *Id.* 1. *Amor.* 6. 60. nox pudore vacat, Liber Amorque metu. *Cels.* 2. 14. *a med.* febri. *Id.* 3. 22. et *Jabolen. Dig.* 21. 1. 53. morbis. *Auct. B. Alex.* 40. Neque ullum genus quæstus prætermittebatur, quo domus et tribunal imperatoris vacaret. *Cic.* 7. *Fam.* 3. Vacare culpa. *Id.* 1. *Legg.* 3. 8. cura et negotio. *et* 3. *ibid.* 3. *sub fin.* vitio. *Id.* 1. *Off.* 19. 62. justitia. *Id.* 3. *Orat.* 11. *ad fin.* Athenienses studiis vacant, peregrini fruuntur. *Id.* 2. *Tusc.* 26. *ad fin.* Amplitudinem animi contemnendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam eoque pulchriorem, si vacet populo neque plausum captans se tantum ipsa delectet. *h. e.* careat populo et te-

stibus suæ virtutis. — *b*) Cum Abl. et præp. *ab*. *Cæs.* 3. *B. C.* 76. Milites ab opere, integris munitionibus, vacabant. *Liv.* 7. 1. *a med.* et *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 1. Vacare a metu ac periculis. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 7. Quantum vacabit a publico officio et munere. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 4. Feminæ (*anseres*) reliquo tempore a fetu vacaturæ sunt. *Phædr.* 3. *pr.* 2. Vacare a negotiis. — In illo *Tertull. Resurr.* 239. Licet ab exemplo vacet diversitas rerum. *sensus est:* licet exemplum sit dissimillimum et nulla ex parte cum hoc comparandum. ¶ 2. Speciatim, quoniam qui negotiis carent, vitam otiosam agunt, *vacare* idem est interdum atque otiosum esse, cessare, nihil agere, *essere ozioso, non aver che fare*. *Cic.* 12. *Att.* 38. Tu, quoniam necesse nihil est, sic scribes aliquid, si vacabis. *Id.* 12. *Fam.* 30. Quamvis occupatus sis, otii tamen plus habes: aut si ne tu quidem vacas, noli etc. *Id. Brut.* 78. *a med.* Nullum tempus illi umquam vacabat aut a forensi dictione aut a commendatione domestica aut a scribendo aut a cogitando. *Horat.* 3. *Od.* 18. 11. Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. 30. Vacandi dulcedo. *h. e.* otii, quietis. — Hinc metaphorice. *Tertull. Præscr.* 8. Vacabat apud nos. *h. e.* vacua, otiosa et inutilis erat. Cf. paragr. 4. — *Vacantes* in militia sunt supernumerarii, ad commoda tantum participanda inter milites relati. *Trebell. XXX. Tyran.* 18. Gaudens, quod ejus consilio nullum adscripticium, id est vacantem, haberet. *Ammian.* 15. 3. 10. Marinus tribunus ex campidoctore vacans. Hinc *Sueton. Claud.* 25. Instituit et imaginariæ militiæ genus, quod vocatur super numerum, quo absentes et titulo tenus fungerentur. *V.* VACANTIVUS. — De aliis officiis, nondum adscripti. *Cod. Theod.* 13. 9. 3. § 4. et 12. 1. 137. *pr. c.* 179. § 1. — *Vacans animus*, sine curis, otiosus. *Ovid.* 9. *Met.* 611. nec petiit horamque animumque vacantem. Sic *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 3. Quum Romæ eras, hoc mihi certum ac jucundissimum vacanti negotium erat, tecum id otii tempus consumere. et *Lucan.* 5. 126. Vacans curis. ¶ 3. Item *vacare* dicuntur — *a*) Honores et officia, quæ viro carent, qui impleat, *essere vacante*, σχολάζειν. *Brut.* ad *Att.* inter *ep. Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *a med.* Quid nostra victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit? *Plin.* 10. *Ep.* 7. Rogo, ut Accium Suram prætura exornare digneris, quum locus vacet. et *Ep.* 8. Rogo, dignitati vel auguratum vel septemviratum, quia vacant, adjicere digneris. Sic *Cic.* 1. *Nat. D.* 7. 16. Tres trium disciplinarum principes convenistis. M. Piso si adesset, nullius philosophiæ vacaret locus. — *b*) Item possessio, hereditas et hujusmodi, quæ dominum non habent. *Ulp. Dig.* 38. 17. 2. *extr.* Agnati ceterique succedent: aut si nemo sit, bona vacabunt. *Paul. ibid.* 41. 3. 37. Fundi possessionem nancisci, quæ ex negligentia domini vacet. *Justin.* 27. 3. 1. Quasi vacantem Asiæ possessionem invasurus. *et* 42. 4. 2. Vacans regnum occupare. *Lucan.* 2. 440. fines hoste vacantes. *Ulp. Dig.* 30. 1. 98. et *Martian. ibid.* 111. Lege Julia bona vacantia ad fiscum pertinent. Quæ appellat *id. Ulp. ibid.* 38. 9. 1. bona vacua. — Sic absolute. *Tac.* 3. *Ann.* 28. Velut parens omnium populus vacantia teneret. *h. e.* bona sine domino et sine herede. — *c*) Et pecunia, quæ non est occupata, sed otiosa ac sterilis in arca servatur. *Paul. Dig.* 26. 7. 11. *extr.* Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, pupillo vacabit. ¶ 4. *Vacantia vina*, quæ parata sunt quidem, sed in mensam nondum illata. *Sabin.* 1. *sub fin.* Forsitan ante dapes interque vacantia vina Ultoris pharetris utile tempus erit. *h. e.* quum proci ad cenam convenient et intenti obsonia exspectabunt. ¶ 5. *Vacans tempus*, vacuum. *Quintil.* 9. 4. *a med.* Neque ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacantis temporis ex eo, quod insequitur, accedere. *h. e.* vacui a verbis et pronuntiatione. ¶ 6. *Vacantia*, absolute, res supervacuæ. *Gell.* 6. 5. *circa med.* Putare, veteres dixerunt, vacantia ex quaque re ac non necessaria auferre et excidere. ¶ 7. *Vacare alicui rei* aut *ad* vel *in aliquam rem*, non est operam dare, attendere, incumbere, sed vacuum esse aliis omnibus negotiis et tempus ac spatium habere ad unum aliquod faciendum, cui dicimus vacare: *aver tempo per attendere:* itaque ille dativus aut accusativus proprie est communis commodi, non a verbo pendens. *Cic.* 1. *Divinat.* 6. 10. De quibus quid sentiam, si placet, exponam, ita tamen si vacas animo. Ego vero, inquam, philosophiæ, Quinte, semper vaco. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 29. *de psittaco.* Plenus eras minimo (*cibo*): nec præ sermonis amore In multos poteras ora vacare cibos. Ἑλληνισμός: *ora* est idem ac *quod attinet ad ora*. et *Curt.* 6. 7. 21. Regem non vacasse sermoni suo. et *Seneca Ep.* 49. *n.* 8. Non vaco ad istas ineptias: ingens negotium in manibus est. *Justin.* 38. 4. *extr.* Ut ne vacaturos quidem bello suo putet. *Plin.* 3. *Ep.* 5. *a med.* In itinere, quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat. *et* 1. *Ep.* 8. Ut vaces sermoni, quem apud municipes meos habui. *Vellej.* 2. 114. 1. Tamquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. *Sueton. Aug.* 45. Quod inter spectandum libellis legendis ac rescribendis vacaret. *Id. Gramm.* 1. Vacare liberalibus disciplinis. *Tac.* 16. *Ann.* 22. clientium negotiis. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 584. Aula choris epulisque vacat. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 35. dum canto tua regna tuæque parentis, In nullum mea mens grande vacavit opus. — Cum Infinito. *Stat.* 8. *Theb.* 185. *de Amphiarao.* Et quum te tellus fatalisque hora vocaret, Tu Tyrias acies adversaque signa vacasti Sternere. Cf. paragr. 3. ¶ 8. *Vacare se adeunti*, est quod Itali dicunt *lasciarsi visitare*, se visendos præbere. *Seneca Brev. vit.* 2. Queruntur de superiorum fastidio, quod ipsos adire volentibus non vacaverint. ¶ 9. *Vacare* absolute est auscultare. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 2. Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.

*B*) Impersonalium more. ¶ 1. *Vacat*, otium est, tempus vacuum est, — *a*) Absolute. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 69. teneri properentur amores, Dum vacat. *Juvenal.* 1. 21. Si vacat et placidi rationem admittitis, edam. — *b*) Cum Infinito. *Virg.* 1. *Æn.* 276. si prima repetens ab origine pergam Et vacet annales nostrorum audire laborum etc. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 1. Si vacat exiguum profugo dare tempus amico. *Quintil.* 1. 12. 12. Non vacabit inchoare hæc studia. *Plin.* 3. *Ep.* 18. Valde raro vacat Romæ aut commodum est audire recitantem. — *c*) Cum Infinito et Dativo personæ. *Ovid.* 2. *Trist.* 216. Non vacat exiguis rebus adesse Jovi. *non ha tempo Giove di* etc. *Quintil.* 11. 1. *a med.* Vacat mihi esse diserto. *Plin.* 9. *Ep.* 16. Nobis venari, nec vacat nec libet. — *d*) Cum Dativo tantum. *Id.* 1. *Ep.* 10. *sub fin.* Quo magis te, cui vacat, hortor, illi te expoliendum permittas. ¶ 2. *Vacat* est etiam licet, fas est. *Virg.* 10. *Æn.* 625. Hactenus indulsisse vacat. Ejus vero perpetuus imitator *Sil. It.* 17. 373. sed percipe, conjux, Quatenus indulsisse vacet. *Tertull. Pall.* 1. Quum ita vacat et juvat. *h. e.* dum licet et libet.

VĂCŬĀLIS, e, adject. (vacuus) qui ad rem vacuam pertinet. *Valer.* et *Gallien. Cod.* 4. 38. 12. et *Papyr.* apud *Marini Pap. dipl. n.* 118. (*a.* 540). Diploma vacuale. *h. e.* quod a domino datur ad ostendendum fundum vacuum.

VACUANEUS, a, um, adject. (vacuus) idem fere ac supervacaneus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 54. Vacuus, vacuaneus, vacuativus. Hic fortasse pro *vacuativus* legendum *vacantivus*.

VĂCŬANS, antis, particip. *V.* VACUO.

VACUATIVUS, um, adject. *V.* VACUANEUS.

VĂCŬĀTUS, a, um, particip. *V.* VACUO.

VĂCŬĒ, adverb. (vacuus) inaniter, futiliter. *Arnob.* 3. *p.* 121. Inaniter, vacue et sine ulla substantia constituta sunt omnia.

VĂCŬĔFĂCIENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĂCŬĔFĂCIO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (vacuus *et* facio) Passive est *vacuefīo, fis, factus sum, fieri*. — Part. *Vacuefaciens* et *Vacuefactus*. — Vacuefacio est idem ac vacuo, *vuotare*, κενόω.

I.) *Vacuefacio*, activa forma. ¶ 1. Proprie. — *a*) Cum Acc. *Nepos Cim.* 2. *ad fin.* Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, vacuefecit. — *b*) Cum addito Dat. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 14. Quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses. *Macrob.* 1. *Saturn.* 2. *circa med.* Vacuefacere alicui locum in cena. *h. e.* locum vacuum præbere. — *c*) Cum addito Abl. *Val. Max.* 4. 1. *n* 1. Fasces securibus vacuefacere. *h. e.* a fascibus secures eximere. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. Venas inedia vacuefacere. *Apul.* 6. *Met.* Vacuefacere aliquem totis præcordiis. ¶ 2. Translate est tollere, abrogare. *Lactant.* 4. 17. Vacuefacere circumcisiones.

II.) *Vacuefio*, passiva forma. ¶ 1. Proprie. *Cic.* 1. *Cat.* 7. 16. Quid quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? *Alii leg.* vacua facta. *Nepos Timol.* 3. Novis civibus bello vacuefactas possessiones divisit. *h. e.* desertas, bello vastatas. *Vulg. interpr. Job* 14. 11. Fluvius vacuefactus arescit. — Cum addito Abl. *Val. Flacc.* 2. 7. *n.* 1. Turpi atque erubescenda sentina vacuefactus exercitus. ¶ 2. Translate est aliquid vi sua privare. *Ambros.* 4. *Hexaem.* 4. 17. Argumenta vacuefacta. Cf. VACEFIO.

VĂCŬĔFACTĬO, ōnis, f. 3. (vacuefacio) actus vacuefaciendi. *Hieronym. Decl. nom. Hebr.* III. 791., 807., 835. *Mign.*

VĂCŬĔFACTUS, a, um, part. *V.* VACUEFACIO.

VĂCŬĬTAS, ātis, f. 3. (vacuus) inanitas, *vuoto, vacuità*, κενότης.

I.) Proprie. *Vitruv.* 2. 7. Ignis interveniorum (*in lapidibus*) vacuitates occupans. *h. e.* loca vacua.

II.) Translate est cessatio, privatio, *privazione, cessazione*. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Genetivo. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Quum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiæ gaudemus. *et* 2. *ibid.* 11. 39. *et* 12. 37. Vacuitas doloris. *Id.* 5. *Tusc.* 14. *a med.* ægritudinis. — *b*) Cum Abl. et præp. *ab*. *Id.* 1. *Off.* 21. *ad fin.* Magnitudo animi est adhibenda et vacuitas ab angoribus. ¶ 2. Speciatim est tempus, quo magistratus non sunt, interregnum, *vacanza di sede*. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. Quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas, non te fugit. Alii leg. *vacivitas*, quam vocem *V.* suo loco.

VĂCŬO, adverb. *V.* VACUUS.

VĂCŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vacuus). — Part. *Vacuans* I.; *Vacuatus* I. et II. — Vacuo est vacuum reddo, vacuefacio, κενόω (It. *vuotare*; Fr. *rendre vide, vider*; Hisp. *vaciar, evacuar*; Germ. *leeren, leer machen*; Angl. *to empty, make empty or void*).

I.) Proprie. *Colum.* 3. *R. R.* 13. *a med.* Qui ripam erigi jubeat sulcumque vacuari. *Martial.* 11. 15. Elysium liceat si vacuare nemus. *Lucret.* 6. 1022. rarior aer Factus inanitusque locus magis ac vacuatus. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *a med.* Vacuata dolia. *Sidon. carm.* 22. 197. Vacuare colus. *sfornire la rocca filando*, nere. *Anthol. Lat.* 225. 3. corpus. — Cum addito Abl. *Stat.* 3. *Theb.* 642. Et Lachesin putri vacuantem sæcula penso. *Sil. It.* 11. 571. liceat non exhaurire rapacis Impensis belli vacuatos sæpe penates. *Aurel. Vict. Epit.* 43. Vacuatus sanguine. *Frontin.* 3. *Strateg.* 6. Vacuare auxiliis Dalminium.

II.) Translate. *Ambros. De obit. Valent.* 76. Invidia atque jactantia, quæ in plerisque solent fraternæ pietatis jura vacuare. — Cum Abl. *Imp. Justinian.* in *Edict. de Cod. confirm.* § 2. Constitutiones posteriore promulgatione vacuatas. *h. e.* irritæ factæ, abrogatæ, *annullate*. Adde *Varron.* apud *Prob.* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. p. 15. 4. *Keil.*

VĂCŬUS, a, um, adject. (vaco) *Bacuus* pro *vacuus*, solita litterarum *b et v* permutatione, occurrit in *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol.* *a.* 1849. *p.* 11. — Item *vocuus* pro *vacuus*, ut *voco* et *vocatio* pro *vaco* et *vacatio*, nisi error

sit, in *alia* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 1527. *col.* 2. *lin.* 33. — Item *vaquus* per *qu* apud *Cajum Instit. p.* XLII. *Lachm.*, improbante *Prob.* p.197. *K.* — Sup. *Vacuissimus.* — Vacuus est inanis, exhaustus, nudus, carens, expers, κενός (It. *vuoto, vacuo, privo;* Fr. *vide, libre;* Hisp. *vaciado, libre;* Germ. *leer, frei, ledig;* Angl. *void, empty, vacuous*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — *a*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Vacua castra hostium conspicatus. *Auct. B. Afr.* 9. Ne oppida post se vacua relinqueret. *h. e.* sine præsidiis. *Virg.* 3. *G.* 109. aera per vacuum ferri. *Id.* 6. *Æn.* 269. domos Ditis vacuas et inania regna. *Propert.* 2. 2. 1. Vacuus lectus. *Liv.* 39. 14. Aliquam partem ædium vacuam facere. *sgombrare, vuotare.* et *Phædr.* 5. 5. Paullo ante vacue, turbam, deficiunt loca. *Seneca Œdip.* 1012. Vacui vultus. *h. e.* sine oculis. *Virg.* 3. *G.* 143. saltus. *Lucret.* 1. 523. spatium. *Quintil.* 10. 3. 32. tabellæ. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 130. theatrum. *Dig.* 29. 2. 84. venter. *Virg.* 2. *G.* 225. vacuis Clanius non æquus Acerris, *disabitati*, infrequentibus. — *b*) Aliquando cum Genetivo. *Sall. Jug.* 95. Ager aridus et frugum vacuus. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 14. Romana urbs annonæ vacua. — *c*) Sæpius cum Ablativo sine præp. *Cic. Tim.* 4. *a med.* Nihil igni vacuum videri potest. *Id. Marcell.* 6. 17. Gladius vagina vacuus. ὑπαλλαγή. vagina gladio vacua. Sic *Ovid.* 4. *Met.* 148. Ense ebur vacuum. *Stat.* 1. *Theb.* 593. vacuum velamine pectus. *h. e.* nudum. *Liv.* 42. 63. *circa med.* Vacua defensoribus mœnia. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 10. 5. et 11. 3. — *c*) Vel cum præp. *ab. Cæs.* 2. *B. G.* 12. Oppidum vacuum ab defensoribus. *Auct. B. G.* 8. 46. *a med.* Neque pars Galliæ vacua ab exercitu esset. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 1. Maxime quod is lucus ab omni turba id temporis vacuus esset. *Id.* 6. *Verr.* 2. 3. Urbs vacua atque nuda ab his rebus. Adde *Acc.* apud *Fest. p.* 265. 10. *Müll. Liv.* 37. 13. Mare vacuum ab hostibus. *Cels.* 7. 5. *n.* 2. *sub fin.* Telum a spiculis vacuum educere. *h. e.* divulsum, separatum. ¶ 2. Speciatim, interdum est spatiosus, amplus, latus. *Virg.* 2. *Æn.* 761. Et jam porticibus vacuis, Junonis asylo, Custodes lecti Phœnix et dirus Ulyxes Prædam asservabant. *Id.* 12. *ibid.* 710. ut vacuo patuerunt æquore campi. *Id.* 2. *ibid.* 528. Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat.

II.) Translate. ¶ 1. Est expers, liber, vacans, *libero, privo.* — *a*) Cum Genetivo. *Ter. Heaut.* 1. 1. 38. Tempus nullum vacuum laboris. *V.* VACIVUS in fin. *Ovid.* 1. *Art. am.* 642. vacuas cædis habete manus. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 119. Vacuus operum. *Stat.* 5. *Theb.* 644. animi. *privo di coraggio.* Rursum *Ovid.* 6. *Met.* 541. vacuas habuissem criminis umbras. Apud *Stat.* 12. *Theb.* 88. sunt qui leg. *vacui doloris* pro *dolores.* — *b*) Cum Dativo. *Sall. Cat.* 15. (et *Liv.* 1. 46.) Vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 94. quanto molimine circum Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem. *aperta.* — *c*) Sæpius cum Ablativo sine præp. aut cum præp. *ab. Cic.* 2. *Divinat.* 11. 27. Animus per somnum sensibus et curis vacuus. *Id.* 10. *Att.* 16. Consilium periculo vacuum. *Id.* 4. *Fam.* 4. Vacuus molestiis. *Id.* 2. *Fin.* 10. 30. cupiditate et timore. *Horat.* 4. *Od.* 15. 8. et vacuum duellis Janum Quirinum clausit. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 3. Vacuus somno. *et* 5. *Trist.* 3. 9. laboribus vita. *Liv.* 5. 41. Vacuæ occursu hominum viæ. *Tac.* 6. *Ann.* 16. culpa. *Sall. Cat.* 50. ab odio, amicitia, ira atque misericordia. *et ibid.* 14. a culpa. *Cic. Brut.* 90. 309. Dies nullus ab exercitationibus oratoriis vacuus. *Id.* 3. *Verr.* 12. *sub fin.* Hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. *Id.* 2. *Invent.* 7. *a med.* Animus a talibus factis vacuus et integer. *Pacuv.* apud *Non. p.* 430. 15. *Merc.* Patior facile injuriam, si est vacua a contumelia. — *d*) Absolute. *Tac. Agric.* 37. Britanni vacui spernebant etc. *h. e.* securi. *Cf. Sall. Jug.* 52. ¶ 2. Item immunis, cum Abl. sine aut cum præp. *ab. Tac.* 12. *Ann.* 61. Omni tributo vacui in posterum Col. *Cic.* 6. *Verr.* 10. *ad fin.* Soli vacui, expertes, soluti ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. *Tac.* 12. *Ann.* 34. Vacui a securibus et tributis. ¶ 3. Item minime occupatus, otiosus, *ozioso, disoccupato, sfaccendato, disposto:* et dicitur tum de personis, tum de rebus, tempore, loco etc. *Ter. Andr.* 4. 2. 22. Dies mihi hic ut satis sit vereor Ad agendum, ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas. *Cic.* 1. *Legg.* 4. *circa med.* In longum sermonem me vocas: quem tamen suscipiam, et, quoniam vacui sumus, dicam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 9. vultus erat multa et præclara minantis, Si vacuum tepido cepisset villula tecto. *Virg.* 3. *G.* 3. Cetera quæ vacuas tenuissent carmine mentes. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 141. Nec rursus, jubeo, dum sit vacuissima, quæras. *Auct. B. Alex.* 2. Veteranas cohortes vacuas in celeberrimis urbis locis habebant, ut quacumque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opportunæ essent. *Cic.* 12. *Att.* 38. Animum vacuum ad res difficiles scribendas afferre. *h. e.* omnis ægritudinis expertem. *Id.* 2. *Verr.* 9. 26. Animo vacuo ac soluto cogitare aliquid. *Horat.* 1. *Od.* 6. 17. prœlia virginum Cantamus vacui sive quid urimur. *h. e.* amoris expertes. *Sall. Jug.* 56. *ad fin.* Postquam Rutilium consedisse jam et animo vacuum accepit. *h. e.* securum, otiosum ab animo. *Colum.* 12. *R. R.* 4. Vacua tempora jam contingunt ad ea exsequenda. *Id.* 11. *ibid.* 2. Vacui operarii. *Ovid.* 1. *Art. am.* 491. pedes. *Id.* 1. *Amor.* 1. 16. Pectore in vacuo regnat amor. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 81. Vacuæ Athenæ. *oziosa, tranquilla.* et 1. *ibid.* 7. 50. vacua tonsoris in umbra. *Tac. Agric.* 37. Qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant. — *Vacua pecunia*, otiosa, h. e. quæ fenori data non est, sed in arca sterilis manet. *Scævola Dig.* 16. 3. 28. et *African. ibid.* 19. 5. 25. *ad fin.* Hæc dicitur etiam *vacans.* ¶ 4. *Vacuus* est etiam, qui domino caret, *vacante.* *Cæs.* 3. *B. C.* 112. Vacuam possessionem regni sperans. *Liv.* 27. 16. Vacuus equus. *h. e.* sine sessore. *Alii leg.* vagus. *Tac.* 6. *Ann.* 40. *a med.* Sacerdotia vacua contulit in alios. *Id.* 12. *ibid.* 50. Vacuam Armeniam Rhadamistus invasit. *h. e.* sine rege. *Id. Agric.* 40. Syriam provinciam Agricolæ destinari, vacuam jam morte Atilii Rufi consularis. *et* 13. *Ann.* 44. Mulier vacua. *h. e.* sine marito, *vedova, libera.* Sic absolute. *Quintil. Decl.* 376. Vacuis indicere nuptias, non occupatis. *h. e.* innuptis, uxorem non habentibus. Cf. *Ovid. Heroid.* 20. 149. infra *adl.* ¶ 5. Sæpe apud JCtos leguntur *vacua bona, hereditas, possessio*, quæ a nullo possidentur: et *vacare* etiam dicuntur. *V.* VACANS. *Cic. fragm. orat. pro Tull.* (edente *A. Peyronio*) 17. Fines Acerronio demonstravit neque tamen hanc centuriam Populianam vacuam tradidit. *Inscr.* apud *Gruter.* 1081. 1. STATIA IRENE IVS LIBERORVM HABENS M. LICINIO TIMOTHEO DONATIONIS MANCIPATI NISQVE CAVSA HS. N. I. MANCIPIO DEDIT LIBRIPENDE CLAVDIO DATIVO ANTESTATO CORNELIO VICTORE INQVE VACVAM (*lege* eique vacuam) POSSESSIONEM MONVMENTI ss. (*h. e.* suprascripti) CESSIT ET ADIO (*lege* ad id) MONVMENTVM ITVM ADITVM AMBITVM ATQVE HAVSTVM etc. (V. apud *Marin. Pap. diplom. p.* 331. plura huc pertinentia.) *Cic.* 3. *Orat.* 31. 122. Nostra est omnis ista prudentiæ doctrinæque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis involaverunt. *Ovid. Heroid.* 20. 149. Elige de vacuis (*puellis*) quam non sibi vind cet alter. Si nescis, dominum res habet ista suum. *h. e.* liberis. *Horat.* 1. *Od.* 5. 10. Qui semper vacuam, semper amabilem Sperat. *h. e.* sibi uni vacantem et a nullo alio amatore occupandam. ¶ 6. Denique est inanis, futilis. *Id.* 1. *Od.* 18. 15. tollens vacuum plus nimio gloria verticem. «*la ventosa fronte*» (Bindi). *Petron. Sat.* 102. Sine causa spiritum, tamquam rem vacuam, impendere, ne vos quidem velle existimo. *Tac.* 1. *Hist.* 30. Si respublica et senatus et populus vacua nomina sunt. *Alii leg.* vana. *Gell.* 11. 15. *a med.* Vacuane et inanis sit istæc productio, cujusmodi sunt quæ παραγωγὰς Græci dicunt. — Hinc absolute

*Vacuum, i,* n. 2. substantivorum more ¶ 1. Proprie est locus vacuus, inanis. *Lucret.* 1. 367. vacui minus intus habere. *Virg.* 2. *G.* 287. in vacuum poterunt se extendere rami. *h. e.* in aera, in apertum. *Liv.* 253. *sub fin.* Publicani per vacuum irruperunt. ¶ 2. Translate — *a*) Universim. *Quintil.* 12. 9. 8. Si defecerint alia, conviciis impleat vacua causarum. — *b*) *In vacuum venire*, heredem succedere bonorum vacantium, primo herede mortuo. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 47. leniter in spem Adrepe officiosus, et ut scribare secundus Heres, et siquis casus puerum egerit Orco, In vacuum venias. *h. e.* in residuam æris alieni partem seu ad dissolvendum quod deerat ad totam summam ærario debitam. — *c*) *Pendere in vacuum* dicitur de eo, cujus bona, quum solvendo non sit, venalia proscribuntur, tamquam si vacua sint et dominum quærant. *Sueton. Claud.* 9. *extr.* V. PENDEO. — *d*) *Vacuum est*, vacat. *Sall. fragm.* apud *Gell.* 9. 12. Postquam, remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit. *Tac.* 2. *Hist.* 38. Ubi, subacto orbe et æmulis urbibus excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit. *Capell.* 1. *p.* 9. At præscire deis vacuum est. *h. e.* licet. — *In vacuum* et *vacuo* est inutiliter, vacue, sine fructu. *Vulg. interpr.* 2. *Cor.* 6. 1. Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *et Phil.* 2. 16. In vacuum laborare. *et Sap.* 1. 11. In vacuum non ire. *h. e.* impune. — *Julian.* apud *Augustin.* 3. *Op. imperf. contra Julian.* 187. Contra apostolicos libros, quos vacuo lectitant, bonum ausi sunt dicere etc. *h. e.* sine fructu.

*Vacuus, i,* m. 2. substantivorum more, non occupatus, liber. *V.* loc. *adl.* sub II. 4.

*Vacuo*, adverbiorum more. *V.* in *Vacuum, i.*

VĂDĀTĬCĬUS, a, um. *V.* EVADATICIÆ.

VĂDĀTUS, a, um, particip. *V.* VADOR.

VĀDENS, entis, particip. *V.* VADO, is.

VĂDES. *V.* VAS, vadis.

VĂDĬMŌNĬUM, ii, n. 2. (vas, vadis) sponsio sistendi se in judicio ad diem præstitutam per se vel per advocatos, quod deserere non licet, ἐγγύη, ἐγγύησις, ὁμηρεία (It. *promessa di comparire in giudizio;* Fr. *engagement pris de paraître en justice;* Hisp. *empeño ó empeñarse á comparecer, venir al llamamiento del juez;* Germ. *die Bürgschaftleistung;* Angl. *a promise or obligation to appear in a court of justice*).

I.) Proprie. *Varro* 6. *L. L.* 74. *Müll.* Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat. Consuetudo erat, quum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alium daret etc. *Propert.* 4. 2. 57. Ad vadimonium currere. *et Sueton. Cal.* 39. occurrere. — *Vadimonium alicui imponere*, est necessitatem injicere comparendi in judicio, *Nepos Timol.* 5. — *Vadimonium obire*, est ad diem constitutam se in judicio sistere, *Cic. Quinct.* 16. *extr.*, quo sensu *idem ibid.* dixit ad vadimonium venire. *et Seneca Ep.* 8. *a med.* Non videor tibi plus prodesse, quam quum ad vadimonium advocatus descenderem? — *Vadimonium sistere*, est idem atque obire seu ad vadimonium venire. *Nepos Att.* 9. Fulviæ, quum litibus distineretur, tanta diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Adde *Cic. Quinct.* 8. 29. et *Caton.* apud *Gell.* 2. 14. Cf. *Plaut. Curc.* 1. 3. 6. — Item *vadimonium facere* eodem sensu dicitur. *Id. Epid.* 5. 2. 19. Vadimonium ultro hic mihi facit. *h. e.* ultro se mihi offert. *Juvenal.* 3. 298. feriunt pariter: vadimonia deinde Irati faciunt. *h. e.* citant me in judicium et vadimonium promittere cogunt. *Lucret.* 4. 1116. Labitur interea res et vadimonia fiunt. *h. e.* ære alieno oppressi dare vades coguntur creditoribus et judicium subire. Adde *Val. Max.* 3. 7. *n.* 1. et *Liv.* 23. 32 — *Concipere* vel *capere vadimonium*, est exprimere certam formulam sponsionis sistendi se seu comparendi. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 3. Negat enim, in tanta multitudine eorum, qui una essent,

quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset. *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 23. Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ, Quas aliquis duró cognitor ore legat. — *Vadimonium promittere,* dicitur is, qui promitit comparere in judicio ad diem præstitutam, per se vel per advocatum. *Cic.* 7. *Verr.* 54. 141. Hominem jubet Lilybæum vadimonium Venerio servo promittere. — *Vadimonium constituere,* est diem statuere, quo quis in judicio comparere debeat. *Cic. Senect.* 7. 21. Omnia, quæ curant, meminerunt, vadimonia constituta, qui sibi, cui ipsi debeant. — *Differre vadimonium,* est differre diem contentionis, quo reus in judicio comparere promiserat. *Id.* 2. *Att.* 7. In hominem ire cupiebam, non mehercule ut differrem cum eo vadimonium (nam mira sum alacritate ad litigandum) sed etc. *Id. Quinct.* 6. 23. Quinctius cum cetavis, quæ habebat, vadimonia differt. — *Vadimonium deserere,* est non comparere in judicio ad diem præstitutam, *cadere in contumacia. Id. ibid.* 23. *a med.* Vadimonium mihi deseruit, me fraudavit. *Plin. præf. Hist. nat. a med.* Inscriptiones, propter quas vadimonium deseri posset. *h. e.* inscriptiones librorum promittentes multa adeo festiva et magna, ut propter eorum librorum lectionem vadimonium deseri posset. — *Vadimonium missum facere,* est vadimonii obligationem remittere condonareque. *Cic. Quinct.* 14. 46. Qui postea quoque vadimonium missum fecerit. — *Res esse in vadimonium* dicitur, quum vadimonium conceptum et constitutum est, suo tempore obeundum. *Id. ibid.* 5. *sub fin.* Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit. — *Vadimonium est mihi cum aliquo,* vadimonio obstrictus sum alicui. *Id. ibid.* 18. 56. Quid, si ista causa abs te tota per summam fraudem et malitiam ficta est? si vadimonium omnino tibi cum P. Quinctio nullum fuit? Cf. *Martial.* 14. 135. Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota.

II.) Translate sumitur pro patratione incesti, quod privignus a noverca nefarie compellatus cautæ promissionis dilatione evitaverat, apud *Apul.* 10. *Met.* Perturbatus adulescens tale facinus exhorruit: ergo pollicetur, donec patris aliqua profectione liberum voluptati concederetur spatium. Sed impatiens vel exiguæ dilationis mulier, marito persuadet, longissime dissitas festinare villulas. Quo facto, maturatæ spei vesania præceps, promissæ libidinis flagitat vadimonium. *Plaut. Curc.* 1. 35. Ubi tu es, qui convadatus es Venериis vadimoniis? *Manil.* 1. 244. Vadimonia operum, *h. e.* promissa certissima laborum. — *Vadimonium mortis* eleganter pro necessitate moriendi omnibus hominibus a natura imposita. *Inscr.* metrica apud *Gruter.* 690. 5. NOBIS PORRO ALIA EST TRINO DE NEMINE FATI (h. e. ex arbitrio trium Parcarum, quæ vitæ fila omnibus nere putantur) DICTA DIES LETI QVAM PROPAGARE SVOPTE VISVM OLLIS (*Parcis*) TACITO ARBITRIO CVM LEGE PEREMNI SISTI QVAE CVNCTOS IVBET AD VADIMONIA MORTIS.

VĂDO, as, are, a. 1. (vadum) vado trajicio (It. *passare a guado, guadare;* Fr. *guéer, passer à gué;* Hisp. *vadear, esguazar;* Germ. *durchwaten;* Angl. *to wade over, wade, ford*). *Veget.* 2. *Milit.* 25. *a med.* Flumina, quæ sine pontibus vadari nequeunt. *Sulpic. Sever.* 1. *Chron.* 22. 3. Quia neque navium copia pro tempore erat neque vadari fluvius poterat. — Affertur etiam, inquit *Forcellinus,* a Lexicographis quibusdam locus *Pauli Dig.* 8. 3. 38. Flumine interveniente via constitui potest, si aut vado transiri potest aut pontem habeat: secus autem, si vadari nequeat, sed pontonibus trajiciatur. Sed *Torrentin., Haloand., Gothofred.,* alii non habent illa *secus autem, si vadari nequeat.* et *Dirksen* diversum, si pontonibus etc. Addunt etiam hæc verba *Solini,* sed non indicato loco: Flumen, quod propter brevitatem facile vadari poterat.

VĀDO, vādis, vāsi, vāsum, vādere, n. 3. — *a*) *Va* apocop. pro vade. *V.* VA. — Præteritum *vasi,* quod in compositis frequens est, occurrit apud *Tertull. Pall.* 3. *a med.* Ea tempestate Osiridis, qua ad illum ex Libya Hammon vasit. — *b*) Ratione habita etymi, recentiores conferunt cum rad. Skr. *ga* (*gadh*), ire, et Gr. βάω et βάδω, pro βαίνω, ejusd. significationis. — Part. *Vadens* I. 1. 2.° — Vado est adeo, incedo, eo, ambulo, βαίνω, εἶμι (It. *andare, camminare;* Fr. *aller;* Hisp. *ir, andar, caminar;* Germ. *gehen, schreiten, marschieren;* Angl. *to go, walk*): fere intransitive adhibetur et dicitur tum de animantibus, tum etiam de inanimis.

I.) Proprie. ¶ 1. Intransitive. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Cic.* 14. *Att.* 11. *extr.* Lentulus hodie apud me: cras mane vadit. *sen va.* et *Virg.* 11. *Æn.* 176. Vadite et hæc memores regi mandata referte — *b*) Cum Acc. et præp. *ad, in, per. Cic.* 4. *Att.* 10. Pompejus in Cumanum venit. Ad eum postridie mane vadebam. *Ovid.* 11. *Met.* 137. Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (213). Sequens circulus incipit ab India, vadit per medios Parthos etc. *passa.* et 5. *ibid.* 26. 21. (89). Euphrates in Mesopotamiam vadit per ipsam Seleuciam. *scorre.* — 2.°) Dicitur de iis, qui alacres magnis passibus et cum impetu eunt. — *a*) Absolute. *Virg.* 4. *Æn.* 223. Vade age, nate, voca Zephyros et labere pennis. *Ovid.* 6. *Fast.* 605. Corpus ut aspexit, lacrimis auriga profusis Restitit. hunc tali corripit illa sono: Vadis? an exspectas etc. *vai tu innanzi?* et *Virg.* 6. *Æn.* 263. Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat. — *b*) Cum Acc. et præp. *in, per, adversus. Virg.* 2. *Æn.* 358. per tela, per hostes Vadimus haud dubiam in mortem. *Ovid.* 1. *Art. am.* 381. Non ego per præceps et acuta cacumina vadam. *Liv.* 2. 10. Vadit inde in primum aditum pontis. *Id.* 7. 24. Inferenda sunt signa et vadendum in hostem. *Tac.* 3. *Hist.* 41. Nec vadere per hostes tam parva manu poterat. *Id.* 14. *Ann.* 8. Alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare. *Flor.* 2. 7. *a med.* Aous amnis per abrupta vadens. *Liv.* 26. 6. Elephanti per media castra vadentes. *Id.* 1. 7. Vadere adversus imminentem hostium aciem. — *c*) *Vadere obviam alicui,* occurrere. *Justin.* 11. 12. 5. Darius cum quadringentis millibus peditum obviam vadit Alexandro. ¶ 2. Transitivorum more cum accusativo. *Apul.* 2. *Met.* Sed quum primum plateam vadimus, vento repentino lumen, quo nitebamur, exstinguitur. Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 3. etc.

II.) Translate. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 74. per iter præceps gloria vadit. *Seneca Hipp.* 180. Vadit animus in præceps sciens remeatque etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (24). Sedere cœpit sententia hæc: pariterque et eruditum vulgus et rude in eam cursu vadit. Sic *Apul.* 2. *Met.* Hæc mecum ipse disputans - quod ajunt, pedibus in sententiam meam vado.

VĂDOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (vas, vadis) — Passive quoque adhibetur, ut part. *vadatus.* V. *Diomed.* 2. p. 445. *Putsch.* et infra. Immo apud *Cledon. Art.* p. 1915. *ibid.* Vador illum et vador ab illo. quod tamen nullo auctoris exemplo confirmatur. — *Vadarier* parag. pro *vadari* apud *Plaut. Aulul.* 2. 4. 40. — Part. *Vadatus* et *Vadaturus.* — Vador est alicui denunciare, ut in jus veniat ejusque rei vades seu sponsores ab eo postulare, ne fallat, vadimonio obstringere, κλητεύω (It. *citare in giudizio con sicurtà, obbligare con cauzioni a comparire in giudizio;* Fr. *obliger a comparaître en justice, assigner à comparaître;* Hisp. *obligar á comparecer ó venir al llamamiento del juez;* Germ. *von Jndm Bürgschaftsleistung fordern;* Angl. *to oblige one to give bail for his appearance in a court of justice*). Usurpatur autem — *a*) Cum Acc. *Plaut. Pers.* 2. 4. 18. Vadatur hic me. PÆ. Utinam vades desint, in carcere ut sis. *Cic. Quinct.* 6. 23. Hic, quum rem Gallicanam cuperet revisere, hominem in præsentia non vadatur. Ita sine vadimonio disceditur. *Liv.* 3. 13. *a med.* Tot vadibus accusator vadatus est reum. Adde *Cic.* 5. *Verr.* 15. 38. — *b*) Absolute. *Id. Quinct.* 6. 23. Se jam neque vadari amplius neque vadimonium promittere: siquid agere secum velit Quinctius, non recusare. *Id. ibid.* 19. 61. Debere tibi dicis Quinctium, procurator negat: vadari vis, promittit: in jus vocas, sequitur: judicium postulas, non recusat. *Ovid. Remed. am.* 565. Jamque vadaturus, lectica prodeat, inquit etc. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 36. et casu tunc respondere vadato Debebat: quod ni fecisset, perdere litem. — *c*) Passive est vadimonio promisso obstrictus, et translate devinctus, obligatus, obnoxius. *Fulgent. De prisco serm.* n. 59. (*Non.* p. 567. 14. *Merc.*) Vadatus, obstrictus vel sub fidejussione ambulans: sicut Fenestella ait: Apud quem vadatus amicitiæ nodulo tenebatur. *Lucil.* apud *Non.* p. 8. 24. *Merc.* Nec mihi amatore hoc opu' nec tricone vadato. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 3. Ita me vadatum amore vinctumque attines. *Apul.* 11. *Met.* Memineris, mihi reliqua vitæ tuæ curricula adusque terminos ultimi spiritus vadata. *Pacat. Paneg. Theodos.* 17. Pythias et Damon, quorum alter in amici morte se vadem obtulit, alter ad diem vadatæ mortis occurrit. Adde aliquot loca *Symmachi* in *epist.,* quæ congessit *Bentlej.* ad *Horat. loc. cit.,* ubi mallet legi *vadatus,* quemadmodum *citatus respondere* Latine sæpissime dicitur.

VĀDŌSUS, a, um, adject. (vadum) Sup. *Vadosissimus.* — Vadosus est plenus vadis, διαβατός (It. *di acque basse, pieno di guadi, guadoso;* Fr. *qui a beaucoup de gués, peu profond, guéable;* Hisp. *lleno d. vados, vadeable;* Germ. *reich an Furten, seicht, voller Untiefen;* Angl. *having frequent fords or shallows*): et dicitur de mari vel flumine vada frequentia habenti, quæ vadi ac transiri pedibus possunt.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 1. *B. C.* 25. *a med.* Aggerem ab utraque parte litoris jaciebat, quod his locis erat mare vadosum. *Sall. Jug.* 80. *de Syrtib.* Proxima terræ prealta sunt: cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa. *Virg.* 7. *Æn.* 728. Vadosus amnis. *Liv.* 37. 14. *in fin.* Ostium portus in fluminis modum longum et angustum et vadosum. *Solin.* 52. Ganges ubi vadosissimus est. *Val. Max.* 8. 7. n. 1. *extern.* Vadosa litora. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (99). Vadosa navigatio palustri similis, per euripos tamen quosdam peragitur. *h. e.* periculosa, difficilis. ¶ 2. Speciatim *vadosæ aquæ* apud *Lucan.* 8. 698. sunt agitatæ, fluctuantes, cujusmodi in vadis et fretis videmus.

II.) Translate et absolute. *Ambros.* in *Ps.* 1. n. 25. Beatus ergo atque mirabilis, qui non fuerit illecebris voluptatis inflexus, ut gradum suum super vadosa et prava constituat.

VĂDUM, i, n. et vadus, i, m. 2. Forma *vadus,* masc. gen., occurrit apud veteres. V. *Varron.* et *Sall. loc.* infra *cit.* et *Trag. fragm.* apud *Fronton.* ad *M. Cæs.* 3. 13. p. 51. 15. *N.* De *Mela* 2. 5. cf. VADUS, a, um. — Ratione habita etymi, alii conjungunt cum *vado, is;* alii vero cum *udus.* — Vadum est locus in mari aut flumine, ubi aqua brevis est, et pedibus transiri potest, πόρος, τὰ βραχέα (It. *acqua bassa, guado, guazzo;* Fr. *gué, bas-fond;* Hisp. *vado;* Germ. *die Untiefen, seichte Stelle, Furt;* Angl. *a ford, shallow*).

I.) Proprie. *Varro* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 115. Si ab aqua summa non alte est terra, dicitur vadus. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 231. 20. *Merc.* Postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti, quam suis opportuniora videt. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Rhodanus nonnullis locis vado transitur. *Id.* 3. *B. C.* 37. Prima die exercitum vado transducit. *Id.* 3. *B. G.* 13. Carinæ planiores, quo facilius vada ac decessum æstus excipere possent. *Id.* 1. *B. C.* 61. Partem aliquam Sicoris avertere vadumque in eo flumine facere. *et ibid.* 83. *sub fin.* Illi vadum fluminis tentare, si transire possent. *Virg.* 5. *Æn.* 221. Vada brevia. *et* 3. *ibid.* 706. dura. *Propert.* 1. 17. 10. iniqua. *Ovid.* 9. *Met.* 108. Homo vadorum scitus. *Liv.* 26. 45. *ad fin.* Acer ventus adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superasset. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (12). Vadum fluminis experiri. *Tac.* 12. *Ann.* 33. Præfluebat amnis vado incerto. *Id.* 2. *ibid.* 11. Vado equitem trans-

mittere. *Id. ibid.* 68. flumen penetrare. *et ibid.* 23. Insulæ per occulta vada infestæ. *secche.* et 4. *Hist.* 27. Quum navis per vada hæsisset. *Maximian. El.* 5. 22. Nescius in scopulos et vada cæca feror. *Cels.* 2. 18. *a med.* Levior est piscis, qui in alto, quam qui in vado vivit. ubi *vado* et *alto* opponuntur.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice interdum sumitur pro fundo humido, *fondo. Ovid.* 4. *Fast.* 300. Sedit limoso pressa carina vado. Adde *Sil. It.* 1. 52. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (60). Ostrea neque in lutosis capta neque in arenosis, sed solido vado. *Id.* 3. *procem. ad fin. de freto Gaditano.* Frequentes tæniæ candicantis vadi carinas territant. *Id.* 31. *ibid.* 3. 23. (39). *de fundo putei.* Ut illa e vado exsiliat vena, non e lateribus. Sic *Phædr.* 4. 9. vulpecula evasit puteo Hircumque clauso liquit hærentem vado. ¶ 2. Item, apud Poetas, pro ipsa aqua maris aut fluminis. *Virg.* 5. *Æn.* 158. longa sulcant vada salsa carina. *Catull.* 64. 58. juvenis fugiens pellit vada remis. *Horat.* 1. *Od.* 3. 24. Non tangenda rates transiliunt vada. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 2. Mittit ab Euxinis hæc tibi Naso vadis. Adde *Sil. It.* 2. 1. *Seneca Hippol.* 181. Sic quum gravatam navita adversa ratem Propellit unda, cedit in vanum labor Et victa prono puppis aufertur vado. *h. e.* cursu fluminis. *Id. Phœniss.* 116. torta rapidus ducit Ismenos vada. *et ibid.* 604. trahens opulenta Pactolus vada, Inundat auro rura. *Id. Herc. Fur.* 680. Placido quieta labitur Lethe vado. *Id. Med.* 762. Violenta Phasis vertit in fontem vada. ¶ 3. Item pro vena. *Grat. Cyneg.* 423. Subeatque latentibus ultro, Quæ facta est medicina vadis. *h. e.* recipiatur intimis venis. ¶ 4. Metaphorice *tentare vadum,* aliquid explorare. *Ovid.* 1. *Art. am.* 437. Cera vadum tentet rasis infusa tabellis. *h. e.* aditum exploret, negotium amatorium aggrediatur. — *In vado esse,* in tuto esse: quia ut in alto magni fluctus, sic ubi aqua brevis est, nullus tempestatis timor, *essere in sicuro, essere fuori di pericolo. Plaut. Rud.* 1. 2. 81. Viden alteram ut fluctus ejecit foras. At in vado est: jam facile enabit. eugepæ! salva est: Evasit ex aqua: jam in littore est. *Id. Aulul.* 4. 10. 73. Hæc propemodum jam esse in vado salutis res videtur. *Ter. Andr.* 5. 2. 4. Omnis res est jam in vado. — *Emergere e vado,* maximam rei difficultatem superare: quia navigantes, ubi brevis est aqua, non sine metu ac discrimine sunt, ne impingat navis aut hæreat. *Cic. Cœl.* 21. 51. Sed quoniam emersisse jam e vadis et scopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.

VĂDUS, a, um, adject. (vadum) vadosus. *Mela* 2. 5. *a med.* Atax ex Pirenæo monte degressus, qua sui fontis aquis venit, exiguus vadusque est. Alii substantivum putant (*V.* VADUM init.); alii vero leg. *vadosus:* at nil mutandum, monente *Parthey* ad *h. l.*

VĂDUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

VÆ duplici ratione usurpatur, vel ut interjectio, vel ut substantivum nomen. Apud *Prob. loc.* infra *cit.* et *Fest. p.* 372. 4. *Müll.* scribitur *ve* sine diphthongo: et ita series ibi litterarum postulat. Sed obstare videtur ipse vocis usus et origo, quam *Forcellinus* dicit esse a Gr. οὐαί. Cf. *Apul. De diphth.* 28. et *Cornut.* apud *Cassiod. Orth.* 1. — Væ igitur ¶ 1. Est interjectio et quidem dolentis et malum denunciantis aut timentis, *ahi! guai!* οὐαί. — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 51. Væ verbero! edepol tu quidem cæcus. *Horat.* 1. *Od.* 13. 1. Quum tu, Lydia, Telephi Laudas brachia, væ! meum Fervens difficili bile tumet jecur. *Virg.* 9. *Ecl.* 28. Mantua væ. miseræ nimium vicina Cremonæ. — *b*) Sæpius cum Dativo. *Plaut. Rud.* 2. 3. 44. Væ capiti atque ætati tuæ! *et Asin.* 2. 2. 7. Væ illi, qui tam indiligenter observavit januam! *Id. Capt.* 3. 4. 118. Væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo! *Ter. Eun.* 4. 4. 41. Væ mihi! etiam nunc non credis, indignis nos esse irrisas modis. *Id. Heaut.* 2. 3. 9. (et *Plaut. Amph.* 2. 2. 94.) Væ misero mihi! quanta de spe decidi! *Martial.* 5. 33. si sciero, væ tibi, causidice! — *Væ victis,* proverb. *Liv.* 5. 48. Auditaque intoleranda Romanis vox, væ victis esse. *che i vinti non si debbono aspettare se non di peggio.* Adde *Plaut. Pseud.* 5. 2. 19.; *Flor.* 1. 13. *a med.* et *Varron.*, qui *Væ victis* unam inscripsit e Saturis suis. *Festus* in *Ve loc. cit.* pro *Væ.* Væ victis in proverbium venisse existimatur, quum Roma capta a Senonibus Gallis, aurum ex conventione et pacto adpenderetur, ut recederent: quod iniquis ponderibus exigi a Barbaris querente Appio Claudio, Brennus rex Gallorum ad pondera adjecit gladium et dixit, væ dictis. Quem postea persecutus Furius Camillus, quum insidiis circumventum concideret: et quereretur, contra fœdus fieri, eadem voce remunerasse dicitur. — Aliquando repetitur ad vim augendam. *Vulg. interpr. Ez.* 16. 23. Væ væ tibi! *Id. Apoc.* 8. 13. Væ væ væ habitantibus in terra! Adde *ibid.* 18. 10. et *alibi.* — *c*) Raro cum Acc. *Plaut. Asin.* 2. 4. 75. Væ te! *Seneca Apocoloc. ante med.* Væ me! puto, concacavi me. Cf. *Cap. p.* 101. 6. *Keil.* et *Bed. De orth. p.* 294. 14. *ib.* ¶ 2. Adverbium interdum esse putat *Prob. Art. min.* 665. et 675. *p.* 145. et 146. *K.*, sed tam parum differt ab interjectione, ut discrimen ab eo inductum subtilius nobis videatur. ¶ 3. Idem est ac particula loquelaris *ve. Gell.* 5. 12. *V.* VE. ¶ 4. Usurpatur etiam substantivorum more, et est lamentatio, luctus. *Tertull. advers. Marcion.* 4. Erga quem delinquentes væ essent habituri. *Vulg. interpr. Apoc.* 9. 12. Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. Adde *ibid.* 11. 14.

VÆCORS et deriv. *V.* VECORS.

VÆNĔO et deriv. *V.* VENEO.

VÆSĀNUS et deriv. *V.* VESANUS.

VETITIÆ, genus navis: vox corrupta apud *Gell.* 10. 25., ubi *Hertz* aliter legit.

VĂFELLUS, a, um, adject. *deminut. a* vafer, aliquantum vafer, *astutello, furbetto. Festus* apud *Paul. Diac.* in voce *Altellus p.* 7. 12. *Müll.* Sicut fit deminutive a macro macellus, a vafro vafellus, ita ab alterno altellus. Ita *Fest.*, nullo tamen auctoris exemplo laudato.

VĂFER, fra, frum, adject. Ratione habita etymi, recentiores conjungunt cum rad. Skr. *va, uabh,* texere, artificiose disponere, et Græc. ὑφή, ὑφαίνω, ejusd. significationis. — Comp. *Vafrior;* Sup. *Vaferrimus.* — Vafer est subtilis, callidus, astutus, δόλιος, πανοῦργος (It. *sottile, astuto, scaltrito;* Fr. *fin, rusé, adroit;* Hisp. *fino, bellaco, astuto;* Germ. *schlau, pfiffig;* Angl. *subtle, cunning, crafty*). — 1.°) Absolute. — *a*) De personis. *Afran.* apud *Non. p.* 20. 1. *Merc.* Qui conere clanculum rus ire, ne dotem repromittas, vafer. *Pompon.* apud *eumd. p.* 143. 27. *ib.* Sed meus frater — nupsit posterius dotatæ vetulæ, varicosæ, vafræ. *Cic.* 3. *Rep.* 16. 26. Non sunt in disputando vafri, non veteratores, non malitiosi. Cf. *Non. p.* 19. 33. *Merc. Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Jam vero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres etc. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 23. captes astutus ubique Testamenta senum: neu, si vafer unus et alter Insidiatorem præroso fugerit hamo Aut spem deponas etc. *Ovid. Heroid.* 16. 314. Utere non vafri simplicitate viri. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 21. Vafer ille Sisyphus. — *b*) De rebus. *Id.* 2. *Sat.* 2. 131. Illum aut nequities aut vafri inscitia juris Postremum expellet. *tranello legale.* et *Pompon.* apud *Non. p.* 19. 32. *Merc.* Lingua vafra. *Martial.* 6. 64. Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte. *h. e.* sollerti. *Id.* 12. 66. Vafra arte emptorem corrumpere. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 8. *extern.* Hannibalis vafri mores. *Gell.* 7. 3. *a med.* Vafra et fallaciosa argumenta. — *Hieronym. Ep.* 38. *n.* 5. Cavillentur vafriora licet et pingui aqualiculo fartos circumferant homines. — 2.°) Cum Genet. *Ovid. Heroid.* 20. 29. Dictatis ab eo feci sponsalia verbis Consultoque fui juris amore vafer. Sunt tamen qui τὸ juris referunt ad *consulto,* ita ut sit *juris consulto* seu jurisperito. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Homonym. Ita videntur differre *astutus* et *vafer* a *callido* et *versuto,* ut illa ad dotes animi ingenitas, hæc ad usu acquisitas referantur. Cf. *sollers* et *peritus.* Ad rem *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 25. Callidos eos appello, quorum, tamquam manus opere, sic animus usu concalluit. Hinc *Plin.* 7. *Ep.* 6. Juvenis ingeniosus sed parum callidus. *Tac. Germ.* 22. Gens non astuta nec callida. Adde *Cic. Cluent.* 26. 70. et 3. *Fam.* 8. Cf. 1. *Off.* 19. 63.

VĂFRĀMENTUM, i, n. 2. (vafer) calliditas, *astuzia. Val. Max.* 7. 3. *n.* 2. *extr.* Quantum imperium quam parvo interceptum est vaframento! *et n.* 4. Lampsacenæ urbis salus unius vaframenti beneficio constitit. *et n.* 7. Huic vaframento consimilis illa calliditas.

VĂFRĒ, adverb. (vafer) subtiliter, astute, callide, *sottilmente, astutamente,* πανούργως. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 132. Nihil sane vafre nec malitiose facere conatus est. *Val. Max.* 7. 2. *n.* 2. *extr.* Tam vafre telluri impressum osculum. Adde *Senec.* 2. *Controv.* 1.

VĂFRĬCĬA et

VĂFRĬTĬA, æ, f. 1. (vafer) calliditas, acumen, *sottigliezza, acutezza, accortezza. Seneca Ep.* 49. *circa med.* Non vacat mihi verba dubie cadentia consectari et vafritiam in illis meam experiri. Adde *Val. Max.* 7. 3.

VĂGĀBUNDUS, a, um, adject. (vagor) Nimis licenter secundam corripit *Dracont.* 1. *Hexaem.* 257. Quum vagabunda volet commotis plausibus ales. — Vagabundus est qui sedem stabilem nullam habet, sed modo huc, modo illuc aberrat, vagus, erro, errabundus, *vagabondo,* ἀλήτης, πλάνος. — *a*) Absolute. *Solin.* 5. *a med.* Flamma flexuosis excessibus vagabunda. *Augustin.* 5. *Confess.* 6. Per annos ferme novem, quibus eos vagabundus audivi. Adde 13. *ibid.* 5. et *Fenestell.* apud *Fulgent.* 3. *Myth.* 9. Quod vero quidam afferunt ex *Senec. Vit. beat.* 12. *a med.*, pro *vagabundus* rectius *reptabundus* legitur. — *b*) Cum Acc. et præp. *per. Solin.* 25. Per deserta vagabundus homo.

VĂGANS, antis, particip. *V.* VAGOR.

VĂGĀTĬO, ōnis, f. 3. (vagor) actus vagandi, *il vagare qua e là,* πλανή, περιφορά, ἄλη.

I.) Proprie. *Liv.* 5. 8. Neglectum Anxuri præsidium vagationibus militum et Volscos mercatores vulgo receptando, proditis repente portarum custodibus, oppressum est. Alii leg. *vacationibus* multo rectius. *Apul. De deo Socrat.* Nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exsilio punitur. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 2. Exsilium est ipsa vagatio.

II.) Translate. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 18. Quam æque variantur et in ceteras facies inter vitam ac mortem coloris est vagatio!

VĂGĀTUS, a, um, particip. *V.* VAGOR.

VĂGĀTUS, us, m. 4. (vagor) actus vagandi, vagatio. *Julian.* apud *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 4. 38. Omnia (*animalium*) genera, quæ suspendit volatus, quæ demersit natatus, quæ sparsit vagatus per aeta, per freta, per nemora etc.

VĂGAX, ācis, adject. (vagor) qui vagatur, vagus. *Thes. nov. Latinit. p.* 623. ed. *Mai.*

VĂGĒ, adverb. (vagus) sparsim, *qua e là,* πλανομένως.

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 859. vageque Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes. *Liv.* 26. 39. *ad fin.* Qui vage effusos per agros palantesque adortus etc.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Herenn.* 2. 3. Res variæ et dispares in tot poematibus sparsæ et vage disjectæ. *Id.* 4. *ibid.* 31. 42. Quas idcirco non vage dispersimus, sed a superioribus separavimus. Adde *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 48.

VĂGĬENS, entis, particip. *V.* VAGIO.

VĀGĪNA, æ, f. 1. *Isid.* 18. *Orig.* 9. 2. conatur etymon repetere ab eo quod in vagina mucro vel gladius bajuletur. Sane in *Edict. Diocl.* 7. 37. scribitur *bagina* pro *vagina,* quasi a bajulo. *Döderlein* vero confert cum Gr. ἄγγος, vas; alii vero cum Lat. *vas, vasis.* — Quidquid sit de vocis origine satis obscura, vagina est theca gladii, κολεός, ξιφοθήκη (It. *fodero, guaina,*

astuccio, ferriera; Fr. gaine, fourreau; Hisp. vaina, estuche; Germ. die Scheide; Angl. the scabbard or sheath).

I.) Proprie. Cæs. 5. B. G. 44. Avertit hic casus vaginam et gladium educere conanti dextram moratur manum. Cic. 2. Nat. D. 14. 37. Clipei causa involucrum, vagina gladii facta. Id. Marcell. 6. 17. Gladius vagina vacuus. Id. 2. Invent. 4. a med. Gladium e vagina educere. Sic Virg. 4. Æn. 579. et 6. ibid. 260. vagina eripere. et 10. ibid. 475. Vaginaque cava fulgentem deripit ensem. Ovid. 4. Fast. 929. Vagina ducere ferrum. et 2. ibid. 792. liberare. Nepos Datam. 11. nudare. Val. Max. 8. 9. n. 2. vaginæ reddere. Virg. 9. Æn. 305. Vagina eburna. Horat. 2. Sat. 1. 40. ensis Vagina tectus. Sil. It. 12. 207. ebur vaginæ sectilis. h. e. vagina ebore sectili ornata. Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 192. gladiosque tegat vagina minaces.

II.) Translate. ¶ 1. A similitudine est quævis theca, ubi quippiam includitur et exire potest. — a) De involucro frugum. Varro 1. R. R. 48. Spica in tritico tria habet continentia, granum, glumam, aristam et etiam primitus spica quum oritur, vaginam. guscio. et sub fin. Aristæ primitus quum oriuntur neque plane apparent, qua sub latent herba, ea vocatur vagina, uti qua latet conditum gladium. et ibid. 32. Frumentum dicunt quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere. (Adde Cic. Senect. 15. 51.) Plin. 19. Hist. nat. 5. 24. (70). Cucurbita omni modo fastigatur vaginis maxime vitilibus, conjecta in eas postquam defloruit. — b) De corpore animalium. Id. 8. ibid. 15. 17. (41). Pardos, pantheras, leones et similia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi. Id. 9. ibid. 8. 8. (25). Delphinus pinnæ aculeos velut vagina condens. Id. 11. ibid. 37. 77. (198). Omnia principalia viscera membranis propriis ac velut vaginis inclusit providens natura. — Id. 7. ibid. 52. 53. (174). Corpus quasi vagina animæ. — c) De aliis rebus. Id. 16. ibid. 43. 84. (230). Terebris vaginas ex oleastro, buxo, ilice, ulmo, fraxino utilissimas fieri. ¶ 2. Obscena allegoria est apud Plaut. Pseud. 4. 7. 85. Conveniebatne in vaginam tuam machæra militis? h. e. mentula militis in podicem tuum. ¶ 3. Metaphorice. Cic. 1. Cat. 2. 4. Senatusconsultum inclusum in tabulis tamquam in vagina reconditum habere. Apul. Florid. 3. Ut gladius, ita vox in vagina silentii condita hebetatur. Adde Vulg. interpr. Ezech. 21. 28. et 30.

VĀGĪNĀRĬUS, ii, m. 2. (vagina) qui vaginas conficit. Lyd. De mag. Rom. 1. 46. Βαγινάριοι, οἱ θηκοποιοί. h. e. vaginarii, Græcis litteris scriptum.

VĀGĪNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. vagino, in Gloss. Isid. Cf. EVAGINATUS.

VĀGĪNŬLA, æ, f. 1. deminut. a vagina, parva vagina, κολεάριον. Plin. 18. Hist. nat. 7. 10. (61). Et far in vaginulis servant ad satus. nella buccia. Occurrit etiam in Not. Tir. p. 126., ubi vaginola pro vaginula scribitur.

VĀGĬO, is, ivi et ii, itum, ire, n. 4. Videtur vox a sono facta. Varro apud Gell. 16. 17. Idcirco vagire dicitur, exprimente sonum recentis vocis. At recentiores etymologi conjungunt cum Skr. vak, vocem edere, vocare. — Primam licenter corripit Auct. carm. de Philom. 60. Glaucitat et catulus: at lepores vagiunt. — Part. Vagiens. — Vagio est vox infantium, quum plorant sive fletum emittunt, μινυρίζω, κνύζομαι (It. vagire; Fr. vagir, crier; Hisp. gritar los niños; Germ. quäken, wimmern, winzeln; Angl. to cry like a child).

I.) Proprie, vel stricto sensu. Ter. Hecyr. 4. 1. 2. Audire vocem pueri vagientis. Cic. Senect. 23. 83. Quod siquis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam et in cunis vagiam. Ovid. 2. Fast. 405. Vagierant clamore pari: sentire putares. Alii leg. vagierunt. Id. 6. ibid. 146. At puer infelix vagit opemque petit. et 4. ibid. 207. resonat tinnitibus Ide, Tutus ut infanti vagiat ore puer. Stat. 4. Silv. 8. 35. quumque tibi vagiret tertius infans etc. Sunt qui leg. vagitet, ut sit frequentat., ut dormito a dormio.

II.) Translate, vel latiore sensu, dicitur de aliis animantibus. — a) De lepore. Auct. carm. de Philom. loc. supra cit. Cf. Sueton. fragm. apud Reiffersch. p. 250. et Anthol. Lat. 762. 60. — b) De sue. Martial. 3. 58. Hic vagientem matris hispidæ fetum (porrigit). — c) De aliis. Varro 7. L. L. 104. Müll. docet, ut mugire a vitulo et bovare a bove, sic vagire ab hædo tractum esse. (V. Ovid. 15. Met. 466.) Subdit autem nunc versum Ennii: Clamos ad cælum volvendu' per æthera vagit. Ubi videtur Ennius loqui de clamore edito a militibus in acie ante pugnam, ut adnotavit Hieronym. Columna.

VĀGĬPENNIS. V. TREMIPES.

VĀGĪTO, as, are, n. 1. frequentat. a vagio, frequenter vagio, ploro. Gloss. Isid. Vagitat, violenter flet. V. Quicherat. in Add. p. 305. et Stat. loc. cit. in voc. præcedenti. — De lepore. Sueton. fragm. apud Reiffersch. p. 250., ubi alii leg. vagire.

VĀGĪTUS, us, m. 4. (vagio) Ultimam licenter corripuit in recto plur. num. Sedulius 2. Carm. Pasch. 120. furor est in rege cruento, Non ratio; primosque necans vagitus et audens Innumerum patrare nefas puerilia mactat Milia. — Vagitus est vox infantium quum plorant seu fletum edunt.

I.) Proprie, vel stricto sensu. Ovid. Heroid. 11. 85. Vagitus dedit ille miser (sensisse putares) Quaque suum poterat voce rogabat avum. Lucret. 5. 226. Vagitu lugubri locum complexa. Virg. 6. Æn. 426. auditæ voces, vagitus et ingens Infantumque animæ flentes. Plin. 7. Hist. nat. præf. Natura hominem nudum natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum. Quintil. 1. 1. a med. Vagitum edere. Sil. It. 3. 76. Vagitus gravis, quod erat signum futuræ fortitudinis, iracundiæ, et fervidi ingenii. Unde et Martial. 9. 21. Felix, quæ tantis sonuit vagitibus et quæ Vidit reptantes sustinuitque manus.

II.) Translate, vel latiore sensu, de aliis animantibus. — a) De hædis. Ovid. 15. Met. 466. Aut qui vagitus similes puerilibus hædum Edentem jugulare potest. — b) De ejulatu et gemitu quiritantis ex dolore. Cels. 7. procem. a med. Chirurgus perinde faciet, omnia ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur. Adde Lucret. 2. 579.

VĀGNA, æ, f. 1. cupa. Gloss. Philox. Cupa seu vagna, βοῦτις μεγάλη.

VĀGO, as. V. voc. seq.

VĀGOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. et etiam vago, as, are, n. 1. (vagus) Part. Vagans et Vagatus sub B passim; Vagaturus sub B I. 1.° a. — Vagor est huc atque illuc feror, oberro, passim volito, erro, περιφέρομαι, πλανάομαι (It. andare qua e là, andar vagando, andare attorno, vagare; Fr. aller çà et là, errer; Hisp. errar, andar vagando; Germ. umherschweifen od. streifen, sich zerstreuen; Angl. to go to and fro).

A) Vago, forma activa, in usu præsertim apud veteres. Varro Sat. Men. 41. p. 141. Oehl. Per maritimas oras vagat. Id. apud Non. p. 468. 5. Merc. Quæ cum choro pari vagarunt. Enn. ibid. Arbores vento vagant. Pacuv. ibid. Recepta exsul incerta vagat. Plaut. Mil. glor. 2. 5. 14. Quæ circum vicinos vagas. Ita legit Non. ibid., alii vaga es. Adde Accium, Seren., Turpil., Pompon. apud Non. ibid., Catull. 4. 20. et Prudent. 6. Cathemer. 29. Quidam addunt etiam Livium et Tac., sed in his incerta est lectio.

B) Vagor, deponentis forma.

I.) Proprie. — 1.°) De animantibus. — a) Absolute. Plaut. Pers. 2. 5. 18. Enim metuo ut possim rejicere in bubile, ne vagentur (boves). Cæs. 1. B. G. 59. Illi perterriti virtute equitum minus libere, minus audacter vagabantur. Id. 4. B. G. 6. Germani latius vagabantur. Adde 1. B. C. 50. et Virg. 5. Æn. 560. Cic. 8. Att. 2. Vagari egentes cum conjugibus et liberis. Auct. B. G. 8. 32. Liberam vagandi latrocinandique facultatem habere. Horat. 3. Od. 14. 19. Spartacum siqua potuit vagantem Fallere testa. Tibull. 1. 3. 59. Aves vagantes. Tertull. Anim. 44. Anima in somno carebat, quasi per occasionem vagaturi hominis proficiscente de corpore. Adde Plin. 9. Hist. nat. 16. 23. (56). — b) Cum Acc. loci et præp. per, circum, ultra, aut etiam sine ulla præp., transitivorum more. Varro 6. L. L. 17. Müll. Tibicines feriati per urbem vagantur. Cic. 2. leg. Agr. 13. 34. Vagari per orbem terrarum. Ovid. 3. Met. 370. Narcissum per devia lustra vagantem. Id. 10. ibid. 477. latosque vagata per agros Palmiferos Arabas relinquit. Adde 1. Fast. 545. et Quintil. 5. 9. 12. Justin. 37. 2. 8. Vagatus per silvas. Liv. 3. 58. Manes Virginiæ per tot domos ad petendas pœnas vagati tandem quieverunt. Virg. 3. G. 540. Nunc interque canes et circum tecta vagantur. Sueton. Ner. 26. Circum vicos vagabatur ludibundus. Horat. 1. Od. 22. 11. Vagari ultra terminum. — Propert. 2. 28. 19. Ino etiam prima terras ætate vagata est. terris habent quidam libri. Broukus. defendit terras; sed Baehrens dedit terris. Est autem vagata pervagata. Similia sunt maria ambulare, terras navigare apud Cicer. et fugere et refugere vias apud Virg. 12. Æn. 753. — c) Cum Abl. et præp. in, aut sine præp. Cic. 1. Invent. 2. 2. Quum in agris homines passim bestiarum more vagabantur. Liv. 3. 5. a med. Qui populabundi in finibus Romanorum vagabantur. Auct. B. Afr. 62. a med. Egressi remiges passimque in litore vagantes. Justin. 25. 5. Non contentus in publico vagari sed potare. Cæs. 4. B. G. 4. Usipetes agris expulsi et multis locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum pervenerunt. Sall. Cat. 6. Qui Ænea duce profugi sedibus incertis vagabantur. Cic. 4. Herenn. 39. 51. Volitabit et vagabitur toto foro. Id. 11. Phil. 2. in fin. Tota Asia vagatur, volitat ut rex. Id. Flacc. 13. 30. Vagari toto mari dispersos. Liv. 10. 18. diversis partibus. Virg. 4. Æn. 68. tota urbe. Lucan. 5. 212. totoque vagantia cælo Lumina. — d) Cum adverbiis loci. Cic. 2. Divinat. 38. 80. Volucres huc et illuc passim vagantes. Id. 2. leg. Agr. 13. 34. Quacumque velint summo cum imperio vagari. — 2.°) De inanimis. Id. 2. Nat. D. 40. 103. Luna iisdem spatiis vagatur, quibus sol. Cf. 1. Rep. 14. 2. Horat. 1. Ep. 12. 17. Stellæ sponte sua jussæne vagentur et errent. Liv. 5. 42. Nequaquam perinde atque in capta urbe prima die aut passim aut late vagatus est ignis. Adde 44. 29. Seneca Med. 611. Quisquis intravit scopulos vagantes. h. e. Symplegadas.

II.) Translate. Varro 1. R. R. 2. 13. Video, qui de agri cultura scripserunt, latius vagatos quam oportuerit. Lucret. 5. 221. quare mors immatura vagatur? Cic. 2. Off. 2. a med. Quorum vagetur animus errore nec habeat umquam quid sequatur. Id. 4. Acad. (2. pr.) 20. ad fin. Eo fit, ut errem et vager latius. Id. 1. Orat. 48. 209. Ne vagari et errare cogatur oratio. et 3. ibid. 44. extr. Ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur. Id. 3. Tusc. 6. 13. Primo Stoicorum more agamus, qui breviter astringere solent argumenta, deinde nostro instituto vagabimur. Id. 2. Rep. 11. 22. Non vaganti oratione sed defixa in una re disputare. Sic 16. Att. 11. Oratio libere vagatur. Id. Marcell. 9. a med. Vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem et domicilium certum non habebit. Id. 1. Divinat. 40. 88. Ceteros (apud inferos) umbrarum modo vagari. τοὶ δὲ ἀΐσσουσι (Od. 10. 494.). Virg. 2. Æn. 17. Votum pro reditu simulant, ea fama vagatur. Ovid. 12. Met. 54. Mixtaque cum veris passim commenta vagantur Milia rumorum. Plin. 5. Hist. nat. 5. 5. (31). Vagantes Græciæ fabulæ. h. e. modo hoc, modo aliud narrantes. Plin. alter 4. Ep. 22. in fin. Viennensium vitia intra ipsos residunt, nostra late vagantur. Cic. 2. Rep. 4. 7. Quum manent corpore, animo tamen excursant et vagantur. Horat. Art. P. 265. Idcircone vager scribamque licenter?

*Liv.* 42. 19. Ut in vacuo vagaretur cupiditas privatorum. *Catull.* 46. 7. Mens prætrepidans avet vagari.

VĀGOR, ōris, m. 3. (vagio) vagitus, ejulatus, clamor. *Fest. p.* 375. 7. *Müll.* Vagorem pro vagitu Ennius libro sextodecimo: Qui clamos oppugnantes vagore volanti. Lucretius libro secundo (*v.* 576.) Et superantur item: miscetur funere vagor, Quem pueri tollunt visentes luminis oras. Adde *Non. p.* 184. 21. *Merc.*

VĀGŪLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vagio) in Lege XII. Tabularum significat quæstionem cum convicio. *Festus p.* 375. 12. *Müll.* V. OBVAGULATUM.

VĀGŪLUS, a, um, adject. *deminut. a* vagus, aliquantum vagus. *Spartian. Hadrian.* 25. *de eod.* Moriens hos versus fecisse dicitur: Animula vagula, blandula, Hospes comesque corporis, Quæ nunc abibis in loca *etc.* Ubi a *vagio* quidam ducunt, ut *vagula* sit querula ob vicinam discessionem a corpore. Legitur tamen eo sensu in *Not. Tir. p.* 146. Vagus, vagulus.

VĀGURRĬO, is, ire, n. 4. *desiderat. a* vagor. Legitur et exponitur in *Gloss. Isid.* et apud *Mai* in *Class. auct. T.* 6. *p.* 550. et *T.* 7. *p.* 585. Vagurrit, per otium vagatur.

VĀGUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, recentiores conferunt cum rad. Skr. *vah* (*vagh*), ducere, vehere, currere, et Germ. *weg*, via, unde *bewegen*, huc illuc agitare; non enim attendenda est notatio *Isid.* 10. *Orig.* 279. — Vagus est vagans, oberrans, huc illuc discurrens, πλανήτης (It. *vagante, vagabondo, vago*; Fr. *errant, vagabond*; Hisp. *errante, vagabundo*; Germ. *umherschweifend, unstät*; Angl. *wandering, rambling*).

I.) Proprie. — *a*) De animantibus. *Nævius* apud *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 313. Vagus est et lustro. *Accius* apud *Non. p.* 14. 27. *Merc.* Nunc per terras vagus, extorris, regno exturbatus. *Sall. Jug.* 18. Gætuli vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant. *Cic. Cluent.* 62. *a med.* Quum vagus et exsul erraret atque undique exclusus Oppianicus. *Tibull.* 1. 3. 40. Vagus navita. *Horat. Art. P.* 215. traxitque (*tibicen*) vagus per pulpita vestem. *Quintil.* 8. 3. 81. Vagi per silvas ritu ferarum. *Liv.* 27. 16. Vagus equus errans per urbem. *Horat.* 4. *Od.* 4. 2. Vagæ aves. *Id.* 3. *ibid.* 27. 16. cornix. *Id. ibid.* 3. 9. Hercules. *viaggiatore.* et *ibid.* 13. 12. pecus. *Id. Art. P.* 117. mercator. *Id.* 1. *Ep.* 15. 28. scurra. *Id.* 2. *Sat.* 4. 77. pisces. *Ovid.* 14. *Met.* 340. volucres. — *Vagi*, plur. masc. absolute, apud *Liv.* 1. 10. — *b*) De inanimis. *Cic. Tim.* 10. *circa med.* Sidera, quæ infixa cælo non moventur loco et quae vaga et mutabili ratione labuntur. *Id.* 5. *Fin.* 20. *a med.* Motus soluti et vagi a natura bestiis tributi. *Propert.* 2. 18. 9. et *Ovid.* 2. *Met.* 673. vagi crines puris in frontibus errant. *h. e.* soluti et pendentes. *Ovid.* 1. *Art. am.* 516. Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet. *V.* FOLLEO cum deriv. *Id.* 3. *ibid.* 419. Sæpe vagos extra limina ferte pedes. *Horat.* 3. *Od.* 29. 24. Vagi venti. *Id.* 1. *ibid.* 34. 9. et *Ovid.* 1. *Met.* 596. flumina. *Tibull.* 2. 6. 3. et 21. æquora. *Ovid.* 8. *Met.* 197. aura. *Horat.* 3. *Od.* 24. 10. domus Scytharum. *Id.* 1. *ibid.* 28. 23. arena. *h. e.* quae vento dispergitur. *Id.* 1. *Sat.* 8. 21. luna. *Tibull.* 4. 1. 21. aer. *Id. ibid.* 76. sol. *Cels.* 3. 5. febres. *Seneca Tranquill.* 2. Peregrinationes vagas suscipere. *Martial.* 7. 39. Discursus varios vagumque mane. *h. e.* matutina discursio obeundarum salutationum causa. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 75. (193). Fel toto corpore vagum colorem quoque oculis aufert. *h. e.* spargens se per totum corpus. — *Vagæ*, plur. fem. absolute pro stellis dixit *Apul. De deo Socrat.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est inconstans, instabilis, incertus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 1. 2. De diis immortalibus habere non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam. *Id. Mil.* 26. 69. Vide, quam sit varia vitæ commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna. *Martial.* 2. 90. Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ. *Vellej.* 2. 76. 2. Domitius vagus adhuc. *titubante, vacillante.* Adde *Sueton. Vesp.* 1. — Cum genetivo. *Catull.* 63. 4. Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi. Hunc loc. *Forcellinus* ita interpretatur, ut *vagus* sit idem atque amens animi, ἔκφρων. ¶ 2. Specialim *vagus* dicitur, qui nulla lege tenetur: hinc de eo accipitur, qui libidinis causa varios undique amores captat. *Martial.* 8. 21. *Venus loquitur.* Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi, Legitimos esset quum vagus ante toros. *Colum.* 12. *R. R.* 1. Curandum est, ut nec vagum vilicum et aversum contubernio suo habeamus. *Horat. Art. P.* 398. Concubitu prohibere vago, dare jura maritis. *Propert.* 1. 5. 7. Non est illa vagis similis collata puellis. *h. e.* inconstantibus in amore et modo huic, modo illi se dantibus. Adde *Vulg. interpr. Jer.* 31. 22. ¶ 3. Hinc *vagi partus*, qui sine certa lege nasci videntur. *Manil.* 1. 557. Nec mirere vagos partus eadem esse per astra. ¶ 4. Item *vaga poma*, quæ aliis arboribus tamquam adultera inseruntur. *Id.* 2. 22. arbusta vagis essent quod adultera pomis. ¶ 5. De oratione est solutus, liber, nulla certa lege obstrictus. *Cic. Orat.* 23. 77. *de numero oratorio.* Solutum quiddam sit nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. *Id.* 2. *Orat.* 16. 67. Si illam quoque partem quæstionum oratori volumus adjungere vagam et liberam et late patentem, ut etc. ¶ 6. Item communis multis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 11. (28). Ambrosia vagi nominis est, et circa alias herbas fluctuati. Alii aliter interpr. ¶ 7. De otioso: quia in otio homines vagantur, incerti quid agant. *Stat.* 4. *Silv.* 6. 1. Forte remittentem curas Phœboque levatum Pectora, quum patulis tererem vagus otia Septis etc. ¶ 8. *Vagi soni*, quibus opponuntur *stantes* seu *statarii*, quid sint, V. apud *Capell.* 9. *p.* 320.

VAH, interjectio varios animi affectus significans: quæ absolute, substantivorum more, aliquando usurpata esse videtur. *V.* infra. — Scribitur etiam sine aspiratione. *V.* VA. — Sunt qui putant esse per apocopen ex *vaha*, ut *ah*, ex *aha*, quod *Priscian.* 1. *p.* 548. et 2. *p.* 570. *Putsch.* docet. Sane integra vox *vaha* habetur apud *Plaut. Amph.* 2. 1. 30. et *Cas.* 4. 4. 25. et *Charis.* ex *Afran. p.* 187. *Putsch.* (Cf. *Priscian.* 1. *p.* 25. *ibid.*); cujus primam *Val. Prob.* 1. *p.* 1430. *Putsch.* brevem esse dicit. Origo autem vocis est ab ipsa natura, quæ apud omnes eodem fere modo in hosce sonos erumpit. Cf. Gr. οὐά, ἆ. — Vah igitur, quod redditur Italice *ah, oh*. ¶ 1. Est proprie interjectio, et quidem — *a*) Interdum irridentis et insultantis. *Hieronym. Ep.* 20. *n.* 5. In lingua Latina habemus interjectiones quasdam, ut in insultando dicamus vah, et in admirando papæ, et in dolendo hei. *Ter. Heaut.* 4. 5. 17. Vah! gloriare evenisse ex sententia. *Id. Adelph.* 2. 1. 33. Vah! leno iniqua me non vult loqui. — *b*) Item admirantis. *Plaut. Most.* 1. 3. 99. Vah! quid illa pote pejus quicquam muliere memorarier? *Id. Curc.* 2. 1. 33. Vah! solus hic homo est, qui sciat divinitus. — *c*) Item dolentis. *Ter. Andr.* 4. 2. 5. Vah! perii! hoc malum integrascit. *Id. Heaut.* 4. 8. 17. Vah! frustra sum igitur gavisus miser. — *d*) Et indignantis, stomachantis. *Id. Adelph.* 4. 2. 40. vah! Censen, hominem me esse? erravi. *Id. ibid.* 3. 2. 17. Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis! *Plaut. Amph.* 2. 1. 32. Vah! apage te a me. pestis te tenet. — *e*) Et gaudentis atque exsultantis. *Ter. Adelph.* 3. 4. 74. quis illic est, procul quem video? estne Hegio Tribulis noster? si certe, is hercle est. vah! Homo amicus nobis jam inde a puero. et *mox.* Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias Restare video! vah! vivere etiam nunc lubet. *Umpfenb.* hic *vah* omittit. — Huc pertinet illud *Augustin. Tract.* 51. in *Johann. sub init.* Quum dolentes dicimus, heu: vel quum delectamur, vah dicimus. ¶ 2. Absolute, substantivorum more, pro hinnitu equi, usurpari videtur apud *Vulg. interpr. Job* 39. 20. Gloria narium ejus terror *etc.* ubi audierit buccinam, dicit: vah. *V.* integram hypotyposin. Hebraice est האח *heahh*, quod alii interpretantur *evohe, euge.*

VĀHA. *V.* voc. præc. init.

VALDĒ, adverb. Factum est per syncopen a *valide*, ut docet *Priscian. p.* 1011. *Putsch.*, et cum hoc in MSS. Codd. et editis libris sæpe confunditur. — Ultimam licenter contrahit *Coripp.* 6. *Johann.* 524. mentemque a Marte reflexit Consilio sed valde gravi. — Comp. *Valdius* pro *validius* apud *Horat.* 1. *Ep.* 9. 6. et *Art. P.* 321.; Sup. *Valdissime* pro *validissime* apud *Senec. Brevit. vit.* 8. *a med.* V. infra. — Valde est vehementer, majorem in modum, perquam, multum, sane. ¶ 1. Generatim. — *a*) Jungitur cum verbis. *Cæs.* apud *Cic.* 14. *Att.* 1. Quidquid vult, valde vult. *Id.* 16. *Fam.* 19. Litteras tuas valde exspecto. *Id.* 1. *ad Brut.* 1. *init.* b. Clodius valde me diligit vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat. *Id.* 13. *Att.* 21. Nunc inhibere illud tuum, quod valde mihi adriserat, vehementer displicet. *Id.* 1. *Rep.* 39. 61. Valde interdicere ut etc. *Id. Senect.* 23. 83. recusare. *Id.* 4. *Att.* 7. levare. *Horat. Art. P.* 321. Valdius oblectat populum meliusque moratur. *Id.* 1. *Ep.* 9. 6. videt se novit me valdius ipso. *Seneca Brevit. vit.* 8. *a med.* Dicere solent eis, quos valdissime diligunt. Ita *Muret.* et recentiores plerique; alii *validissime*. *Quintil.* 10. 1. 112. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. *Plin.* 9. *Ep.* 35. (et *Cic.* 15. *Att.* 1.) Diligentiam tuam valde probo. — Cum addito *tam* et *quam*. *Catull.* 68. 77. Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo. *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 81. Quasi vere quidquam sit tam valde, quam nihil sapere, vulgare. *Petron. Sat.* 17. *a med.* De remedio non tam valde laboro. *Plaut. Merc. prol.* 402. Vosmet videte, quam mihi valde placuerit. *Cæs.* ad *Opp.* apud *Cic.* 9. *Att.* 8. Gaudeo, vos significare litteris, quam valde probetis ea, quæ etc. — *b*) Cum adjectivis positiv. *Cic.* 15. *Fam.* 17. *a med.* De Hispania novi nihil, sed exspectatio valde magna. *Id. Harusp. resp.* 3. *extr.* Cui me præripere destinatam laudem, valde est iniquum. *Catull.* 69. 7. nam mala valde est Bestia. Adde *Quintil.* 9. 3. 75. — *Valde quam*, sane quam. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 13. *circa med.* Nam suos valde quam paucos habet. — *c*) Cum adverbiis. *Plaut.* apud *Non. p.* 127. 26. *Merc.* Insanum valde uterque deamat. *Klotz* conjungit cum *deamat.*, et *Cic.* 14. *Att.* 1. *a med.* Valde vehementer visus est et libere dicere. *Id.* 1. *ibid.* 17. *a med.* Illud valde graviter tulerunt, promulgatum fuisse etc. *Id.* 1. *Fam.* 8. *sub fin.* Rem te valde bene gessisse, rumor erat. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. *extr.* Sumus una tamen valde multum. ¶ 2. Specialim, interdum vim habet affirmandi. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 110. Meam tu amicam vendidisti? BALL. valde, viginti minis.

VALDISSĬMĒ et

VALDĬUS. *V.* voc. præc. init.

VĀLĔ et

VĀLĔDĪCO, dīcis, dixi, dictum, dīcere, et

VĀLĔFĀCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, et

VĀLENS, entis, particip. *V.* VALEO.

VĀLENTER, adverb. (valeo) a *valens*, unde Comp. *Valentius* et Sup. *Valentissime* I. — Valenter est valide, fortiter, robuste, *con forza, robustamente*, ἰσχυρῶς.

I.) Proprie. *Cels.* 5. 26. *n.* 21. Quidam acetum vulneri infundunt: sed metus subest, ne nimium valenter ibi retenta materia magnam inflammationem postea moveat. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *ad fin.* Fundamenta ab imo præstructa, valenter resistent contra ea, quæ postmodum superposita incumbant. Adde 3. *ibid.* 2. 15. et *Arb.* 3. 3. *Ovid.* 11. *Met.* 481. cœpit præceps spirare valentius Eurus. *Jul. Val.* 1. *res gest. Alex. M.* 14. *ed. M.* Superponit hominem humeris, quem valentissime revectat in regiam. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *p.* 167. *Marcell. Empir. c.* 35. *p.* 138. *in fin.* Id malagma nervos valentissime solidat.

II.) Translate refertur ad vim dicendi. *Seneca* 3. *Controv.* 32. *circa med.* Illos locos, quos occupaverat, non diu dicebat sed valenter. *Val. Max.* 3. 7. *n.* 5. *extern.* Si verba numeres, bre-

viter et abscise; si sensum æstimes, copiose et valenter.

**VĂLENTĬA**, æ, f. 1. (valeo) robur, vires, firmitas, εὐρωστία, ἰσχύς (It. forza, gagliardia, valore, valentia; Fr. vigueur; Hisp. vigor, fuerza; Germ. die Kraft, Stärke; Angl. might, power, strength).

I.) Proprie. Nævius apud Non. p. 186. 23. Merc. Omnes formidant hominis ejus valentiam. Titin. ibid. et p. 503. 3. ibid. Sapientiâ gubernator torquet navem, non valentiâ. Macrob. 2. Somn. Scip. 14. a med. Exercitator corporum valentiam luctatoribus præstat. Adde Tertull. advers. Jud. 9.

II.) Translate et improprie. ¶ 1. Translate. Boeth. Cons. phil. 1. pros. 4. Ultra communem hominum valentiam perspicaces. capacità, abilità. Julian. apud Augustin. 1. Op. imperf. contra Julian. 95. Valentia discretionis. facoltà di discernere. ¶ 2. Improprie est unum ex nominibus herbæ artemisiæ. Apul. Herb. 11. — NB. De nom. pr. V. ONOM.

**VĂLENTŬLUS**, a, um, adject. deminut. a valens, aliquantulum valens, gagliardetto. Plaut. Cas. 4. 4. 26. obsecro, ut valentula est! Pæne exposivit cubito.

**VĂLĔO**, vāles, vălŭi, vălĭtum, vălere, n. 2 — a) Scribitur et baleo pro valeo in Inscr. apud Gruter. 735. 13. Contra valevit pro valebit in alia apud Renier n. 2746. — b) Ratione habita etymi, recentiores derivant a rad. Skr. bala, vis, robur. Döderlein confert cum Gr. οὖλος, et Germ. wohl, quæ ad valendi notionem accedunt. — c) Imperativ. vale in secunda syllaba a Poetis, præsertim a comicis, aliquando corripitur, ut cavĕ, jubĕ, vidĕ. Virg. 3. Ecl. 79. Et longum formose vale, vale, inquit, Iola. Ovid. 3. Met. 501. dictoque vale, vale, inquit et Echo. — Part. Valens in fin.; Valiturus II. 1. a, b et c. — Valeo est vires habeo, possum, integris viribus sum, validus, robustus sum, ἰσχύειν (It. aver forza, potere, essere robusto, gagliardo; Fr. être fort, vigoureux, pouvoir, valoir; Germ. stark, kräftig, wohl auf sein, Giltigkeit haben, können; Angl. to be strong, be able). Occurrit intransitive; tamen assumit sæpe, transitivorum more, accus. indefinitum multum, plus, plurimum, minus, minimum, nihil, tantum, quantum, quid, idem etc., ut passim in subjectis exemplis videre est.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. Plaut. Truc. 4. 3. 38. ancilla loquitur. plus potest, qui plus valet. Vir erat: plus valebat: vicit; quod petebat, abstulit. Tibull. 1. 11. 56. Flet, sibi dementes tam valuisse manus. aver potuto cotanto. et 3. 6. 26. Quid valeat læsi sentiet ira Dei. Phædr. 1. 5. Tum quia plus valeo, me sequetur tertia. Val. Flacc. 5. 614. Et quantum elata valeat peltata securi. — b) Addito Acc. cum præp. ad, in, aut sine præp. Cic. 1. Off. 30. 107. Alios videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere. Seneca 1. Quæst. nat. 14. Non valere in impetum. et 2. ibid. 18. in flammam. — Tibull. 3. 6. 17. Hæc amor et majora valet. — c) Cum Infinito. Horat. Art. P. 39. quid ferre recusent, Quid valeant humeri. subaud. ferre. Tibull. 4. 1. 55. Nec valuit Lotos cœptos avertere cursus. nè ebbe tanta forza da etc. Sic Ovid. 12. Met. 100. nec tertia cuspis apertum Et se præbentem valuit destringere Cygnum. et 13. ibid. 393. nec valuere manus educere telum. ¶ 2. Speciatim est sanum esse, sanitate vigere, essere sano, aver salute, ὑγιαίνω, ἔῤῥωμαι: qui sensus a Forcellino aliisque primarius habetur. — a) Cum adverbiis. Plaut. Epid. 1. 2. 26. Benene usque valuisti? Id. ibid. 1. 1. 15. Perpetuon valuisti? THESPR. Vario. h. e. modo valui, modo æger fui. et ibid. 18. Quid herilis noster filius? valet? THESPR. pugilice atque athletice. Id. Bacch. 2. 3. 14. Benene usque valuit? CHRY. pancratice atque athletice. Dolabella ad Cic. 9. Fam. 9. Recte valere. Adde Caton. R. R. 5. Cic. 4. Att. 14. Vestorius me per litteras fecit certiorem, te Roma profectum esse tardius, quod minus valuisses. si jam melius vales, vehementer gaudeo. Sall. Jug. 11. Per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. essere stato scemo di mente. et Cic. 2. Fin. 13. ad fin. Inter optime valere et gravissime ægrotare nihil dicerent interesse. Plin. 3. Ep. 20. ad fin. Quousque illa vulgaria? Eho quid agis? Ecquid commode vales? — b) Cum Ablat. sine aut cum præp. ab. Cic. Brut. 19. in fin. Valere corpore. Nepos Phoc. 4. pedibus. poter camminare. et Juvenal. 6. 100. stomacho. Plaut. Epid. 1. 2. 26. A morbo valui, ab animo æger fui. Gell. 13. 30. Quum valebo ab oculis, revise ad me. — Joculariter Plaut. Aulul. 2. 2. 9. Ain tu, te valere? EUCL. pol ego haud a pecunia perbene. sto poco bene di danari. — c) Absolute. Id. Mil. glor. 4. 8. 8. Matri oculi si valerent, mecum venisset. Ter. Andr. 2. 1. 9. Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus. Id. Heaut. 2. 4. 26. et Horat. 1. Ep. 5. 12. Ut vales? stai tu bene? Plaut. Amph. 2. 1. 34. Equidem valeo et salvus sum recte. Cic. 5. Att. 2. a med. Illum salutavi: postea jam jussi valere. Sueton. Tib. 72. extr. Singulos valere dicentes appellaret. Cic. 11. Fam. 29. Da operam, ut valeas. et 7. ibid. 15. Cura, ut valeas. — In lateribus sæpe occurrit formula valeat qui fecit etc. Inscr. urb. R. apud Dressel in Corp. Inscr. Lat. v. 15. p. 437. et alibi. — Impersonaliter. Plaut. Pers. 2. 5. 8. Quid agitur, Sagaristio? ut valetur? — Si vales, bene est: ego valeo (seu ego quidem valeo): vel si vales, gaudeo: valeo, formulæ in initiis epistolarum ad familiares scriptæ, apud Cic. sæpissime, et in compendio S. V. B. E. E. V. seu S. V. G. V.: vel simpliciter si vales, bene est, ut Metell. apud Cic. 5. Fam. 1. et alibi. et Seneca Ep. 15. Mos antiquis fuit usque ad meam servatus ætatem, primis epistolæ verbis adjicere: Si vales, bene est. — Hinc imperat. vale frequentissime occurrit, h. e. sanus sive incolumis esto, sta sano, sta bene, addio, ἔῤῥωσο, ὑγίαινε, χαῖρε. Hac voce utimur in discessu aut quum remanentes respondemus abeunti seu discedentem dimittimus ei bene precantes. Ter. Eun. 1. 2. 110. In hoc biduum, Thais, vale. Horat. 2. Sat. 5. 110. vive valeque. Ter. Phorm. in fin. Vos valete et plaudite. V. PLAUDO. Sic Inscr. apud Orelli n. 4313. IAM MEA PERACTA VESTRA AGETVR FABVLA VALETE ET PLAVDITE. — Item in fine epistolarum. Cic. 2. ad Q. fr. 6. extr. Mi frater, vale. Id. 5. Att. 20. sub fin. Etiam atque etiam vale. Id. 14. Fam. 2. Valete, mea desideria, valete. Matius apud Cic. 11. ibid. 28. Bene vale et me dilige. — Vale dicere et conjuncte valedicere, salutare, salutare, dire addio. Ovid. 1. Trist. 8. 21. Idque quod ignoti faciunt, valedicere saltem. Id. 3. Fast. 563. Terque vale dixit, cineres ter ad ora relatos Pressit. Id. 10. Met. 72. Supremumque vale — dicit. Id. 1. Trist. 3. 57. Sæpe vale dicto, rursum sum multa locutus. — Et cum Dativo. Seneca Ep. 17. Alicui vale dicere. Adde Sulpic. Sev. Dial. 1. 3. § 1. Sueton. Aug. 53. a med. Et discedens sedentibus singulis vale dicebat. Alii leg. valere dicebat. Cf. Apul. Florid. 16. Jam dixisse rebus humanis valere. — Vale facere et conjunctim valefacere (Cf. Lachm. ad Lucr. p. 190.), idem ac valere jubere, vale dicere. Apul. 4. Met. Post hæc valefacto discessimus. Alii divisim scribunt vale facto. — Et cum Dativo. Augustin. Ep. 65. (al. 236.) Quum, tamquam perrecturus ad ecclesiam suam, vale fecisset collegæ suo presbytero Gippitano. et mox. Vale faciens collegæ suo ejusdem loci presbytero. Vulg. interpr. Tob. 5. 22. Fecit vale patri suo et matri suæ. — Item dicere valere, jubere valere apud Gell. 4. extr. Adde Sueton. et Apul. loc. modo cit. et Cic. 5. Att. 2. V. JUBEO. — Vale et salve item fuere verba postrema, quibus olim mortuos affabantur quasi dimittentes. V. SALVEO. — Ad salutationem mortuorum pertinet illud Martial. 9. 8. non vis, Afer, avere, vale. Serv. ad illud Virg. 2. Æn. 644. Sic o, sic positum affati discedite corpus: hoc est, affamini me, ut dici mortuis solet, vale, vale, vale. Adde Catull. 101. 10. Auson. Comm. prof. 26. 1. valete, Manes inclitorum rhetorum. Inscr. apud Le Blant Inscr. Chrét. de la Gaul. n. 495. ITA FILI PAX TECVM IN DEO HAVE ET VALE. Adde aliam in Bullett. dell'Istit. arch. a. 1867. et 1872. — In hisce titulis aliquando mortui respondentes inducuntur. Petron. Sat. 71. Vale et tu. Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 3. 405. Vale, victor. Adde aliam ibid. 1. 1027., apud Momms. n. 5423. Cf. Wilm. n. 2704. ¶ 3. Hinc τῷ valere interdum utimur, quum stomachantes aut aspernantes abire jubemus aliquem, et nihili eum facere significamus. Ter. Adelph. 4. 3. 13. Valeas, habeas illam, quæ placet. vattene: va, va. Adde Andr. 5. 3. 18. Id. ibid. 4. 2. 13. valeant, Qui inter nos discidium volunt. Cic. 1. Nat. D. 44. ad fin. Si talis est deus, ut nulla hominum caritate moveatur, valeat. Tibull. 2. 6. 9. Castra peto, valeatque Venus valeantque puellæ. Cic. 16. Att. 15. a med. Quare ista valeant, me res familiaris movet. Ovid. 1. Amor. 6. 71. Qualiscumque vale sentique abeuntis amores, Lente, nec admisso turpis amante: vale. Vos quoque crudeles rigido cum limine postes Duraque conservæ ligna, valete, fores. Petron. Sat. 79. Valete curæ.

II.) Translate. ¶ 1. Universim est pollere, vim, auctoritatem, pondus habere, potere, valere, δύνασθαι. — a) Absolute. Ter. Heaut. prol. 26. Arbitrium vestrum, vestra existimatio valebit. Enn. apud Gell. 11. 4. Cic. 5. Verr. 62. ad fin. Nihil putas valere in judiciis conjecturam, nihil suspicionem, nihil anteactæ vitæ existimationem, nihil civitatum auctoritates ac testimonia. Ovid. 3. Pont. 3. 92. Sperandum nostras posse valere preces. Id. Ib. 93. Valent vota. Cic. 2. Tusc. 22. 53. Cur ergo postea alii (soluti secti sunt?) Valuit auctoritas. Id. Cæcin. 21. 61. Verba si valent etc. Id. Sext. 28. 60. Ignari, quid gravitas, quid integritas, quid denique virtus valeret. Adde 2. Legg. 10. 23. Nepos Milt. 3. Cujus ratio, etsi non valuit, tamen magno opere est laudanda. Sall. Cat. 17. Confisus, si conjuratio valuisset etc. Liv. 2. 4. Jus tamen gentium valuit. Id. 44. 31. Ratus, repentinum valiturum terrorem etc. Quintil. 1. 11. 5. Quum C et similiter G non valuerunt, in T ac D molliuntur. Id. 5. 12. 5. Si non possunt argumenta valere, quia magna sint, valebunt, quia multa sint. Adde Tac. 12. Ann. 60. — b) Cum Dat. Gell. 5. 12. Et augendæ rei et minuendæ parum valet. — c) Cum Acc. et præp. ad, apud, in, contra, aut sine præp. Cæs. 7. B. G. 63. Quantum gratia, auctoritate, pecunia valent, ad sollicitandas civitates nituntur. Id. 6. B. C. 29. extr. Sic ad subeundum periculum et ad vitandum multum fortuna valuit. et 7. ibid. 84. Multum ad terrendos nostros valuit clamor. Cic. Brut. 14. sub fin. Dicitur C. Flaminius ad populum valuisse dicendo. Id. 1. Cat. 7. ad fin. Tu non solum ad negligendas leges, verum etiam ad evertendas valuisti. Id. 3. ibid. 12. 29. Illud mihi valeat ad gloriam. Id. pro leg. Manil. 16. 46. Hæc auctoritas apud exteras nationes valitura est. Cæs. 1. B. G. 40. Utrum apud eos pudor atque officium, an timor plus valeret. Id. 5. ibid. 52. Tantum apud homines barbaros valuit, esse repertos aliquos principes belli inferendi. Cic. 2. Tusc. 26. 63. Hoc evenit, ut in vulgus insipientium opinio valeat honestatis. h. e. apud vulgus. Adde Cæcin. 31. 89. Liv. 7. 6. Nunc etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse? Quintil. 2. 16. 10. In utramque partem valere. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 27. 86. Hoc videtur contra te valere. Matius ad Cic. 11. Fam. 28. sub fin. Non vereor, ne meæ vitæ modestia parum valitura sit in posterum contra falsos rumores. — Eumen. Paneg. ad Constant. 13. ad fin. Quantoslibet valebat exercitus Maximianus. valeva per quanti eserciti si voglia. — d) Cum Ablativo sine præp. aut cum præp. in, pro. Cæs. 2. B. G. 17. Quidquid possunt, terrestribus valent copiis. et ibid. 4. Valere plurimum virtute, auctoritate et hominum numero. et 3. ibid. 20. multum equitatu. Sall. Jug. 109. extr. bello. Cic. 1. Fam. 7. ad fin. opibus, armis, potentia. Id. 4. Att. 17. amicis. Cæs. 2.

*B. C.* 44. gratia et misericordia. *Nepos Dion.* 3. eloquentia. *Id. Con.* 3. multis magnisque meritis apud aliquem. *Cic. Brut.* 36. 136. Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi. Adde *Mur.* 18. 38. *Quintil.* 6. 3. 57. In his maxime valet similitudo. *Id.* 9. 2. 16. Mire in causis valet præsumptio. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 36. (100). In arte pingendi tantum valuit, ut etc. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 45. Multaque in aversos effudit verba Penates, Pro deplorato non valitura viro. *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 121. Valere falsa pro veris. *Quintil.* 8. 6. 29. Epitheton valet pro nomine, *in vece, in luogo.* — *d*) Cum eo, quo et hujusmodi. *Cic.* 3. *Nat. D.* 2. 5. Quod eo, credo, valebat, ut opiniones religionesque defenderem. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 1. 73. *Nepos Them.* 4. Hoc eo valebat, ut cogerentur. *Id. ibid.* 2. Id responsum quo valeret, quum intelligeret nemo. *a che mirasse.* et *Quintil.* 1. 2. 16. Non tamen hoc eo valet, ut fugiendæ sint magnæ scholæ. — *e*) Cum Infinito. *Lucret.* 1. 108. homines aliqua ratione valerent Religionibus atque minis obsistere vatum. Adde 6. 1056. *Horat.* 1. *Od.* 34. 12., *Ovid.* 13. *Met.* 393., *Liv.* 38. 23., *Phædr.* 4. 1., *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 55. (177). et *Curt.* 8. 4. 5. *Sueton. Cæs.* 79. Neque ex eo infamiam discutere valuit. ¶ 2. Speciatim, et similiter quod ad constructionem attinet, dicitur de iis, quæ vim habent in medicina, *avere virtù*. *Cels.* 6. 6. *n.* 21. Id quoque collyrium eodem valet. *ha la medesima virtù.* et *Cic. Fat.* 4. *a med.* Affectio astrorum valeat, si vis, ad quasdam res: ad omnes certe non valebit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 7. 4. (44). Hoc genus terræ semel injectum (*agris*) in quinquaginta annos valet et frugum et pabuli ubertate. *Id* 26. *ibid.* 15. 90. (154). Dictamnus valet potu et illitu et suffitu. — *Id.* 28. *ibid.* 4. 27. (105). Fimum potum valet ab dysentericos. *Id.* 29. *ibid.* 4. 17. (61). Cimices valent contra serpentium morsus. *Id.* 20. *ibid.* 13. 51. (132). Ruta per se pro antidoto valet. — *Id.* 34. *ibid.* 18. 55. (177). Sandaracha valet purgare, sistere, excalfacere, perrodere. ¶ 3. Item de iis, quæ stant et vim suam servant. *Tibull.* 1. 4. 14. vetuit ille valere, Jurasset cupide quidquid ineptus amor. *Cic. post redit. in Senat.* 5. 11. Tribunus pl. tulit, ut lex Ælia et Fufia ne valerent. *Id. Dom.* 30. 79. Populus R., Sulla dictatore ferente, municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros. de agris ratum est: de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. *Id.* 1. *Divinat.* 16. *in fin.* Illa obnuntiatio nihil valuit: aut si valuit, id valuit, ut etc. *Ovid. Ib.* 245. Valent promissa. *Sall. Cat.* 14. *extr.* fama. *è fondata, sussiste.* et *ibid.* 17. *extr.* Confisus. si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore. *Cic. Cæcin.* 19. *a med.* In uno servulo familiæ nomen non valet. *Id.* 1. *Legg.* 10. *a med.* Quæcumque est hominis definitio, una in omnes valet. ¶ 4. Item pro significare, vim et sententiam habere, *significare, aver forza*, σημαίνειν: fere cum acc. *Varro* 1. *R. R.* 31. Ὠκέως valet cito. *Cic.* 2. *Fin.* 4. *circa med.* Quærimus verbum Latinum par Græco et quod idem valeat. *Id. Top.* 8. 34. Quamquam vocabula prope idem valere videantur. *Quintil.* 1. 5. 4. Duo, quæ idem significant ac tantumdem valent. *Id.* 10. 1. 13. Et intelligo et sentio et video sæpe idem valent quod scio. — Huc alii trahunt illud *ejusd.* 1. 11. 5., quod *V.* sub II. 1. *a*; *Nepot. Them.* 2. *ad fin.*, quod *V.* sub II. 1. *d*; et *Sueton. Vitell.* 18. Becco valet gallinacei rostrum. ¶ 5. Refertur ad pretium, *valere*, æstimari, δύνασθαι: quo sensu construitur cum Accus., aut cum Genet. indefinito vel Ablat. definito pretii sine præp. aut etiam cum præp. *pro*. *Varro* 5. *L. L.* 173. *Müll.* Denarii, quod denos æris valebant; quinarii, quod quinos. *Liv.* 38. 11. Dum pro argenteis decem aureus unus valeret. *Fragm. Vatin.* § 34. Precium, quo valuisset, numerare. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (47). Ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis. *Paul. Dig.* 5. 3. 25. Res minoris valet quam etc. et 9. 2. 33. Si servum meum occidisti, non affectionem æstimandam puto, sed quanti omnibus valet. et 19. 1. 13. Quasi minimo valeret hereditas. et 24. 1. 7. *ante med.* Si prædia valeant decem. — Hinc Part. præs.

*Valens, entis*, adjectivorum more plerumque adhibetur; unde Comp. *Valentior* fere in omn. paragr.; Sup. *Valentissimus* sub I. 1. et II. 3. — Valens est robustus, fortis, validus, *forte, vigoroso, valente, robusto*, ἰσχυρός: cui *imbecillus* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De animantibus. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 46. Nil moror mihi discipulos esse plenos sanguinis: Valens afflictet me vacivum virium. *Id. Capt. prol.* 64. Adversarius valentior. *Cic.* 7. *Fam.* 1. *a med.* Quum homo imbecillus a valentissima bestia laniatur. *Ovid.* 9. *Met.* 108. Nessus adit membrisque valens scitusque vadorum. Adde 15. *Met.* 207. *Cic.* 12. *Phil.* 10. 24. Valentissimi homines. et 7. *Verr.* 54. 142. lictores. et 2. *leg. Agr.* 31. 84. Robusti et valentes et audaces satellites. — *b*) De inanimis. *Virg.* 2. *G.* 426. Poma quoque ut primum truncos sensere valentes Et vires habuere suas etc. *Colum.* 4. *R. R.* 23. 2. Valentissima vineti pars. — *Valens cibus* est, qui multum alimenti habet et addit vires corpori, *sostanzioso*. *Cels.* 2. 18. Scire oportet, omnia legumina generis valentissimi esse. valentissimum voco, in quo plurimum alimenti est. et *paullo post*. Ex leguminibus valentior faba, quam pisum. *Sic sæpe toto capite.* — *Valentes tunicæ* sunt denso et crasso filo textæ, *grossolane*: quibus *tenues* et *raræ* opponuntur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 109. Si fuit Andromache tunicas induta valentes, Quid mirum? duri militis uxor erat. ¶ 2. Speciatim est sanus, integer, incolumis, *sano, gagliardo, prosperoso*, ὑγιής. *Cic.* 16. *Fam.* 9. Medicus plane confirmat, propediem te valentem fore. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 19. Si sensus sani sunt et valentes. *Propert.* 2. 17. 19. nos omni tempore tecum, Sive ægra pariter sive valente sumus. Adde *Cic. Cluent.* 9. 27. *Id.* 16. *Fam.* 5. Malo te paullo post valentem, quam statim imbecillum videre. — Absolute *valens*, cui *æger* opponitur, apud *Cic.* 2. *Orat.* 44. 186.

II.) Translate. ¶ 1. Est opibus et potentia præditus. *Cic.* 5. *Fam.* 21. Quum illa arma plus posse sensi, quam consensum bonorum, quavis conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare. *Id.* 7. *Att.* 3. Mallem, tantas ei (*Cæsari*) vires respublica non dedisset, quam nunc tam valenti resisteret. *Nepos Hannib.* 6. Cupivit in præsentiarum bellum componere, quo valentior postea congrederetur. ¶ 2. Refertur et ad vires dicendi. *Cic. Brut.* 16. *sub fin.* Quamquam in Lysia sæpe sunt etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius. *Quintil.* 5. 13. *ante med.* Argumenta valentiora. *Cic. Fat.* 6. 12. Tibi cum Diodoro valente dialectico magna luctatio est. ¶ 3. Est etiam efficax, vim habens, utilis, *efficace, giovevole*. *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 29. Quid nisi convictu causisque valentibus essem, Temporis et longi vinctus amore tibi? *Cels.* 4. 15. *sub fin.* Valens est adversus cancerem intestinorum minii glæba. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 76. (202). Silvestri papaveri capita longa ac pusilla et ad omnes effectus valentiora. *Cels.* 1. 3. *ante med.* Purgationes sunt perniciosæ, si nimis valentibus medicamentis fiunt. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 43. (87). Valentissimum adjumentum. — Item vim habens nocendi. *Ovid.* 5. *Met.* 174. Non tamen ad letum causas satis illa valentes Plaga dedit. *Id.* 1. *Pont.* 10. 35. Unda locusque nocent et causa valentior istis Anxietas animi. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

Homonym. Differt *possum* a *valeo*, quod illud ut ait *Popma*, refertur ad potentiam et ad casum, ut *possum errare, potest fieri*: hoc ad potentiam (denotat enim non solum integris esse viribus sed ad aliquid conducere atque magni pretii esse), non ad casum pertinet. Itaque proprie dicimus: *valeo* opibus, gratia etc., non item *valeo errare, valet fieri*. Aliter, *posse* designat, nihil obstare, quominus quid fiat: *valere*, facultatem et vim præsto esse, ut quid fiat; et non occurrit proprie nisi de hominibus aut rebus aliqua agendi aut præstandi aliquid facultate præditis: vel ex *posse* præcedat oportet τὸ *valere*, non enim quis potest aliquid facere, nisi valeat seu viribus et facultate præditus sit aliquid faciendi. *Plaut. Truc.* 4. 3. 38. Plus potest qui plus valet. *Cf. Cæs.* 2. *B. G.* 17. et *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 11. — Item differunt *valere* et *salvere* in salutationibus: *salve* enim majus quiddam significare videtur, quam *vale*: vel *vale* ad corpus refertur, *salve* ad pericula et mala externa. *Cic.* 16. *Fam.* 4. Vale, mi Tiro, vale et salve. — Quidam hoc discrimen afferunt, quod *salve* dicerent in salutatione matutina, *vale* in vespertina et quum discedebant. Alii vero ita distinguunt, ut *salve* usurparetur in accessu vel in epistolarum principio, *vale* in fine. *V.* SALVEO. Fatentur tamen hæc discrimina non esse perpetua.

VĂLĒRĬUS, a, um, adject. (valeo) qui viribus maxime valet, ut *valeria aquila*, genus aquilæ omnium minimæ, sed viribus præcipuæ, μελανάετος Græce, ex colore nigricanti: quæ sola fetus suos alit, quum ceteræ fugent: sola sine clangore, sine murmuratione. Hæc ex *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (6). — *V.* plura in ONOM.

VĂLESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a valeo, validus fieri incipio, corroboror, *rinforzarsi*.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 940. Sed potius tali facto recreata valescat. Adde 4. 17. *Ambros. De Noe et arc.* 9. § 28. Sucus, ex quo omne corpus valescit. Adde *Seren. Sammon. c.* 21.

II.) Translate. *Tac.* 1. *Hist.* 32. Scelera impetu, bona consilia mora valescunt. *Id.* 2. *Ann.* 39. Veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt. et 11. *ibid.* 15. Superstitiones valescunt.

VĂLĒTŪDĬNĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

VĂLĒTŪDĬNĀRĬUS (valitudinarius), a, um, (valetudo) qui male se habet, qui æger est, qui frequenter vel actu ægrotat, ἀσθενικός, νοσώδης (It. *infermiccio, malsano*; Fr. *maladif, malade*; Hisp. *enfermizo, enfermo*; Germ. *kränkelnd, krank*; Angl. *sickly, sick*). *Varro* 2. *R. R.* 1. *circa med.* Alias stipulandum e valetudinario, alias e sano pecore. *Seneca* 3. *Ira* 33. Valetudinarius fenerator. — Hinc absolute, substantivorum more

*Valetudinarius, ii*, m. 2. ¶ 1. Est qui morbo ex habitu laborat vel actu ægrotat. *Seneca* 1. *Benef.* 11. *in fin.* Ebrioso vina mittere aut valetudinario medicamenta. *Macer Dig.* 49. 16. 12. *in fin.* Officium tribunorum est, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere. ¶ 2. Item qui ægrotorum curam habet, vel qui valetudinarium (*locum*) curat. *Inscr.* apud *Renier* n. 63. OPTIONES VALETUDINARII. Cf. ea, quæ mox secuntur.

*Valetudinarium, ii*, n. 2. (*subaud.* cubiculum), locus, ubi valetudinarii curantur, in ædibus divitum, ubi numerosa familia erat, ὑγιαστήριον, διαιτητήριον. ¶ 1. Proprie. *Cels. præf.* Qui ampla valetudinaria nutriunt, quia singulis summa cura consulere non sustinent, ad communia ista confugiunt. *Seneca Ep.* 27. Non sum tam improbus, ut curationes æger obeam: sed tamquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor. *Id.* 1. *Quæst. nat. præf. ante med.* Non video, quare sibi placeat, qui robustior est in valetudinario. *Id.* 1. *Ira* 16. Si intrassem valetudinarium exercitatus et sciens aut domum divitis, non adeo imperassem omnibus per diversa ægrotantibus. *h. e.* diversis corporis membris. *V. Goerenz* et etiam *Madvig* ad *h. l.* in *Advers.* v. 2. p. 388. adn. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *a med.* Languidiorem servum in valetudinarium confestim deducere. *Id.* 12. *ibid.* 3. *a med.* Valetudinaria vel si vacent ab imbecillis, identidem aperire et immunditiis liberare, ut, quum res exegerit, bene ordinata et ornata et salubria languentibus præbeantur. — Etiam in castris erat valetudinarium, militibus ægrotis curandis idoneum, cui, ut patet ex *Veget.* 2. *Milit.* 10., præfectus castrorum et ipsi etiam tribuni, ut ex eod. 3. *ibid.* 2., præerant; adjutor vero eorumdem in hoc ministerio dicebatur optio valetudinarii. *Hygin. Gromat.* p. 3. *col.* 1. Dum (co-

*hortes*) tendere debebunt in prætentura, supra quas valetudinarium. *et mox.* Ut septuaginta pedes valetudinarium et reliqua, quæ supra tendunt, accipiant, hoc est veterinarium et fabrica, quæ ideo longius posita est, ut valetudinarium quietum esse convalescentibus possit. *T. Arruntenus Paternus Dig.* 50. 6. 6. Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, ut sunt mensores, optio valetudinarii, medici, capsarii etc. *Inscr.* in *Giorn. Pisan. T.* 16. *p.* 172. FORTVNAE SACRVM T. STATILIVS AQVILINVS AQVILE (*h. e.* Aquileja) 7. ACVVII OPTIO VALETVDINARII DD. *V.* OPTIO. — Hinc *ad valetudinarium* vel *a valetudinario,* servus ægrotis curandis in his locis addictus. *Inscr.* in *Bullett. archeol. Napol. a.* 1857. *p.* 132. et apud *Gori Mus. Etr:* I. 136. et 461. ¶ 2. Translate. *Tac. Dial. de orat.* 21. Quique alii in eodem valetudinario hæc ossa et hanc maciem probant. h. e. in arte oratoria siccum aridumque genus dicendi.

VĂLĔTŪDĬNĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præc.

VĂLĔTŪDO *et* valĭtudo, ĭnis, f. 3. (valeo) Ad scriptionem quod attinet, multis, inquit *Forcellinus* noster, placet scribi *valitudo,* sive quod a *valeo* sit *valiturus, valitudo:* sive quod ita legatur in plurimis opt. MSS. et editis libris omnium fere scriptorum. In qua scriptione secunda syllaba corripitur, ut in *altitudo, lassitudo* et similibus. Contra *Manutio* et *Cellar.* placet *valetudo,* sive quia secunda syllaba ab *Horat.* 1. *Ep.* 4. 10. et 2. *Sat.* 2. 88., *Manil.* 1. 394. et 3. 140. producitur: sive quia ita sculptum est in aliquot antiquis lapidib.: sive quia quæ ex *rubeo, albeo, nigreo, torpeo* fiunt nomina, *e* retinent. Neutrum improbaveris. — Valetudo est habitudo corporis in animalibus, status seu conditio physica, διάθεσις (It. *complessione, temperamento;* Fr. *complexion, tempérament, santé;* Hisp. *temperamento, estado del cuerpo;* Germ. *das Temperament, das Befinden der Körpers;* Angl. *temperament, habit or stade of body*): est autem vocabulum medium et anceps, ut docet *Gell.* 12. 9., sicut *facinus, tempestas, venenum* etc.; dicitur enim tum de sanitate, tum de morbo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Manil.* 3. 140. Quaque valetudo constat, nunc libera morbis, Nunc oppressa. *Formula* apud *Caton. R. R.* 141. Duisque bonam salutem valetudinemque mihi domo familiæque nostræ. *Cæs.* 3. *B. C.* 62. *extr.* Valetudine minus commoda uti. *et ibid.* 49. *ad fin.* optima uti. *Cic.* 10. *Att.* 17. Valetudinem tuam jam confirmatam esse et a vetere morbo et a novis tentationibus, gaudeo. *Id. Senect.* 11. 35. Quam fuit imbecillus P. Africani filius! quam tenui aut nulla potius valetudine! *Id.* 5. *Att.* 8. Me incommoda valetudo, qua jam emerseram, tenebat duodecimum jam diem Brundisii. *Id. Brut.* 48. *extr.* Semper infirma atque etiam ægra valetudine fuit. *Nepos Att.* 21. Quum tanta prosperitate usus esset valetudinis, ut annos triginta medicina non indiguisset. *Auct. B. Alex.* 44. Gravi valetudine affectus. *Justin.* 41. 6. 9. adversa correptus. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. *extr.* Valetudini diligentissime servire. *Id.* 11. *Fam.* 27. parum parcere. *Id.* 1. *Orat.* 62. 265. dare operam. *Id.* 14. *Fam.* 7. *sub fin.* et *ibid.* 10. Valetudinem diligenter curare. *M. Aurel.* inter *Fronton.* ad *M. Cæs.* 5. 41. Bene spero de bona longa valetudine (*tua*). *Colum.* 7. *R. R.* 22. Id pecus valetudinis tutissima est. Cf. *Inscr.* apud *Wilmanns n.* 2754. V. sub II. 3. — Proverbialiter. *Seneca* 2. *Clem.* 2. A capite bona valetudo. Cf. *Plin.* 4. *Ep.* 22. ¶ 2. Speciatim dicitur de sanitate, *sanità, gagliardia,* ὑγία, εὐεξία. *Plaut. Curc.* 2. 1. 4. Valetudo decrescit, accrescit labor. *Cic.* 2. *Off.* 24. *ad fin.* Sed valetudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quæ res aut prodesse soleant aut obesse, et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa et prætermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent. *Id.* 9. *Fam.* 18. Valetudinem, intermissis exercitationibus, amiseram. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 10. et cui Gratia, fama, valetudo contingat abunde. ¶ 3. Item de morbo et ægra constitutione, *indisposizione, malattia, infermità,* ἀρρωστία, νόσος. *Afran.* apud *Charis.* 2. *p.* 180. *Putsch.* Quod heri valetudo obstetit. *Cæs.* 3. *B. C.* 2. *extr.* Gravis auctumnus exercitum valetudine tentaverat. *Cic. Pis.* 6. 13. Excusatione uti valetudinis. *Id.* 14. *Fam.* 4. *sub fin.* Valetudine impediri. *Id.* 2. *Divinat.* 59. 123. An Serapis potest nobis præscribere curationem valetudinis? *Id.* 4. *Fam.* 1. Trebatius ad me scripsit, moleste te ferre, quod me propter valetudinem tuam, quum ad urbem accessissem, non vidisses. *et* 6. *ibid.* 2. Gravitas valetudinis, qua tamen jam paullum videor levari. Adde *Amic.* 2. 8. *Liv.* 6. 22. *extr.* Valetudinem excusare. *Cic.* 14. *Fam.* 4. Valetudo oculorum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 27. 100. (173). calculorum. *mal di calcoli. Cæs.* 1. *B. C.* 31. Valetudine affectus. *Seneca Tranquill.* 2. explicitus. *Justin.* 21. 2. 1. Valetudinem contrahere. *Id.* 43. 2. 11. Propter valetudinem majorem, quam patiebatur. *h. e.* morbum comitialem, qui *morbus major* dicitur, *mal caduco.* His adde *Cic.* 11. *Att.* 23. Valetudine tentari. et *Nepot. Hannib.* 4. premi. et *Quintil.* 7. 2. 14. longiore consumi. *Sueton. Claud.* 26. Sponsam ex valetudine amisit. — *Valetudo perpetua* est, quæ curari nequit, *malattia cronica* Italorum. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 724. *n.* 443. *a med.* QVI AD EPVLANDVM NON CONVENISSENT SPORTVLAE ET PANES ET VINVM EORVM VENIRENT ET PRAESENTIBVS DIVIDERETVR EXCEPTO EORVM QVI TRANS MARE ERVNT VEL QVI PERPETVA VALETVDINE DETINENTVR. — In plur. num. *Vitruv.* 1. 4. Corpora non laborant valetudinibus. *Tac.* 6. *Ann.* 50. Medicus regere valetudines principis solitus. *Sueton. Aug.* 81. Graves et periculosas valetudines expertus est. Adde *Veget.* 2. *Veterin.* 11.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. *a med.* Mala valetudo animi. *et* 1. *Divinat.* 37. *in fin.* Qui valetudinis vitio furunt et melancholici dicuntur. *Sueton. Cal.* 50. Valetudo mentis. *frenesia, pazzia.* ¶ 2. Speciatim de stilo et quidem allegorice. *Cic. Brut.* 16. 64. Habet Lysias certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur: quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. ¶ 3. In fabulis *Valetudo,* qua sanitatem significat, dea est, ut tradit *Capell.* 1. p. 16. Venit ex altera (*parte*) Fortuna et Valetudo Favorque. *Inscr.* apud *Wilmanns n.* 2754. PLACA IOVEM MINERVAM VALETVDINEM. *et* cum addito apud *eund. n.* 2754. PLACA AESCVLAPIVM BONAM VALETVDINEM MARTEM. Adde *n.* 2797. — Hinc *Valetudinis* effigiem videre est in nummo G. Aciliæ apud *Morell. Numism. fam. R. tab.* 1. *n.* 3., in cujus postica cernitur mulier stans, quæ dextrâ serpentem tenet, sinistrâ columellæ innititur, circa autem legitur VALETV.; quo quidem allusio fit ad nomen *Acilius;* Græce enim ἀκέομαι et Ionice ἀκείομαι significat mederi.

VALGĬTER, adverb. (valgus) valgo modo. *Petron. Sat.* 26. Commovebat valgiter labra et me tamquam furtivis subinde osculis verberabat. Alii rectius leg. *obiter.* et *in fragm.* apud *Fulgent. De prisc. serm. n.* 46. Obtorto valgiter labello. — *Valgiter labra commovere* est aperire et distorquere, ὑπανοίγειν τὸ στόμα. *V.* VALGUS.

VALGĬUM, ĭi, n. 2. (valgus) instrumentum quoddam rusticum ad areas complanandas. In Campania sane habetur genus id tali specie, quasi suræ duæ in diversum collocatæ, quo, ut cylindro, supplanantur areæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (73). Seritur mense Aprili, area æquata cylindris aut valgio, alias densum. *Harduinus* tamen et *Sillig.* ex meliorib. libris et MSS. leg. *volgiolis* aut *vulgiolis,* quod idem significat. — *Valgia,* in plur. num., a *Fulgent. De prisc. serm. n.* 46. exponuntur labellorum obtortiones. V. *loc. cit.* in SUBATIO.

VALGŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a valgus, aliquantum valgus. *Marcell. Empir.* 36. *p.* 139. *retro.*

VALGUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, recentiores derivant a rad. Skr. *varg,* inclinare, solita litteræ *r* in *l* permutatione; unde et *vergere* ejusd. significationis. — Valgus est qui suras et crura habet extrorsum intorta, idem ac vatius, βλαισός (It. *sbilenco, storto;* Fr. *qui a les jambes tournées en dehors, bancal;* Hisp. *estevado;* Germ. *schief, verzerrt;* Angl. *bow-legged, shambling*): quique, ut ait *Petron. Sat.* 102. *sub fin.,* crura in orbem pandit: quique crura habet, simulant quæ cornua lunæ, ut est apud *Martial.* 2. 35. Huic contrarius est *varus,* ῥαιβός, σκαμβός, qui crura ad instar litteræ V seu Λ habet, vel qui displosis est cruribus. *Festus p.* 375. 15. *Müll.* Valgos Opilius Aurelius aliique complures ajunt dici, qui diversas suras habeant. E contrario vari dicuntur incurva crura habentes. *Cels.* 8. 20. Si femur in interiorem partem prolapsum est, crus longius altero et valgius est. extra enim pes ultimus spectat. Si in exteriorem, brevius varumque fit, et pes intus inclinatur. *Plaut. fragm.* apud *Fest. loc. cit.* Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea, aut varum aut valgum, aut compernem aut pætum aut brocchum filium. *Nov.* apud *Non. p.* 25. 12. *Merc.* Valgus, veternosus, genibus magnis, talis turgidis. — *Valga suavia* apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 16. sunt labra valgiter conformata et os prave distortum subsannandi causa. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen inter *valgum* et *varum* V. supra et apud *Weichert Poet. Lat. reliq. p.* 231., ubi quomodo differant *valgus, varus, vatia, atta,* definitur.

VĂLĬDĒ, adverb. (validus) Etiam *valde* contr. pro *valide* usitatum est, quam voc. *V.* suo loco. — Comp. *Validius* I. et II. 1.; Sup. *Validissime* II. — Valide est valde, vehementer, fortiter, *fortemente, gagliardamente,* ἰσχυρῶς.

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 5. 1. 10. Ut valide tenuit! *Id. Rud.* 2. 1. 14. Valide fluctuat mare. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (54). *de apib.* Fessum regem humeris sublevant: validius fatigatum ex toto portant.

II.) Translate est valde, majorem in modum, vehementer, *assai,* πάνυ. ¶ 1. Universim. *Plaut. Merc. prol.* 2. 42. Amare valide cœpi hic meretricem. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 2. Quin ego, quum pro amicitia validissime faverem ei etc. *Quintil.* 10. 3. *ante med.* Nec promptum est dicere, utros peccare validius putem. *Plin.* 9. *Ep.* 35. Validissime cupere. *Phædr.* 5. 5. Poetæ sunt molesti validius. et 3. 16. Validius clamare. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 12. Vestra latera loris faciam ut valide varia sint. *Plin.* 1. *Ep.* 20. *ad fin.* Ille mihi validissime placet. *et* 3. *ibid.* 15. Validissime dirigere aliquem. *Tac.* 14. *Ann.* 65. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam, sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (20). Validius abrogant fidem. ¶ 2. In responsionibus. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 110. CA. meam tu amicam vendidisti? BALL. valide: viginti minis. *Id. ibid. v.* 130. CA. Legirupa. BALL. valide. PSEUD. pernicies adulescentum. BALL. acerrime. *V.* integr. loc.

VĂLĬDĬTAS, ātis, f. 3. (validus) robur, vis, *validità, robustezza, forza. Apul. Trismeg.* Membra et validitate et tenuitate diversa.

VĂLĬDO, as, are, a. 1. (validus) validum reddo, confirmo, *convalidare. Cassiod. Pan. ad regin.* 1. (*fragm.* inter *oper. ined. Symmach.,* edente iterum *A. Maio*) *p.* 72. Res publicas potuit quassatas validare.

VĂLĬDUS, a, um, adject. (valeo) Comp. *Validior* II. 1. 1.° *a* et 2.° *a;* Sup. *Validissimus* II. 1. 1.° *a* et 2.° *a* et *b.* — Validus est pollens viribus, robustus, fortis, ἰσχυρός (It. *forte, robusto;* Fr. *fort, robuste, vigoureux;* Hisp. *fuerte, robusto, vigoroso;* Germ. *stark, kräftig;* Angl. *strong, robust, vigorous*): dicitur autem tum de animantibus, tum de inanimis.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 143. Quantus et quam validus est. *Id. Asin.* 3. 2. 29. Octo validi lictores. Sic *Amph.* 1. 1. 7. Ita, quasi incudem, me mi-

serum homines octo validi cædunt. Virg. 5. Æn. 50. (et Enn. apud Non. p. 472. 7. Merc.) validis contorsit viribus hastam. Ovid. 9. Met. 223. Validi lacerti. Id. 7. 538. tauri. et 3. 64. ictus. Id. 5. Trist. 12. 11. valido pectus robore fultum. Nov. apud Non. p. 233. 18. Merc. Nihil est pericli: tibi dabo validum virum animosum. Adde Quintil. 12. 10. 41. — b) Cum Infinito. Claudian. 1. in Eutrop. 34. Canis validus servare gregem. ¶ 2. Speciatim est valens, sanus, firmus, sano, vigoroso, gagliardo, εὔρωστος. Ter. Hecyr. 3. 5. 6. Bene factum, te advenisse salvum atque validum. Cic. 16. Fam. 4. a med. Omnia viceris, si, ut spero, te validum videro. Horat. 1. Od. 31. 17. Frui paratis et valido mihi, Latoe, dones. Liv. 3. 13. Necdum ex morbo satis validus. Plin. 20. Hist. nat. 5. 20. (42). Ad colorem validum profici hoc cibo. colore da sano.

II.) Translate. ¶ 1. Notione sumptâ a super. paragr. 1. — 1.°) De animantibus et dicitur de iis, qui opibus, armis, potentia aliave re seu physica seu morali valent, potente. — a) Absolute aut, plerumque, cum addito Abl. causæ. Plaut. Pers. 2. 3. 1. Jovi opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti. Liv. 3. 39. Ut facile appareret, ducibus validiorem, quam exercitu, rem Romanam esse. Id. 7. 39. Jam valida admodum numero manus erat. Justin. 13. 5. 7. Excursurus cum valida manu fuerat ad Athenas delendas. Plin. 3. Ep. 9. ante med. Vir gratia et facundia validus. Tac. 1. Hist. 57. Corpore, opibus, ingenio validus. Id. 12. Ann. 18. Eunones recens conjuncta nobiscum amicitia validus. et 3. ibid. 10. et 4. ibid. 37. Tiberius validus spernendis rumoribus et honoribus. Id. 6. Ann. 31. Validissimus auctor mittendi legates. h. e. qui maxime persuasit, ut legati mitterentur. — Cum Abl. et præp. in. Tac. 4. Ann. 12. Validus in animo. Adde 14. ibid. 51. — b) Cum Genet. Id. 4. ibid. 21. Cassius Severus sordidæ originis, sed orandi validus. Id. 2. Hist. 19. Colonia virium et opum valida. Aurel. Vict. Cæsar. 16. sub fin. Validus ævi. — c) Cum Dat. vel Acc. et præp. ad, adversus. Tac. 3. Ann. 10. Contra Tiberium validum spernendis rumoribus et conscientiæ majoris connexum esse. Adde 4. ibid. 37. Id. 6. ibid. 18. Ut quisque Sejano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus. Liv. 34. 49. Adversus consentientes nec regem quemquam satis validum nec tyrannum. — 2.°) De rebus inanimis. — a) Absolute. — α) Universim. Ovid. 2. Amor. 13. 41. Terras findere valido aratro. Id. 4. Pont. 3. 5. puppis valida fundata carina. Id. Remed. am. 83. teneras mora percoquit uvas Et validas segetes, quod fuit herba, facit. Plin. 16. Hist. nat. 24. 37. (89). Validos funes palmæ foliis fieri. Gell. 16. 11. Validus ventus. Lucan. 5. 618. fluctus. Propert. 2. 25. 48. laquei. Virg. 2. G. 447. hastilia. et 4. ibid. 331. bipennis. Horat. 1. Ep. 11. 15. Auster. Tibull. 3. 4. 65. Sævus Amor docuit validos tentare labores. Claudian. cons. Prob. et Olybr. 238. valido decernere cæstu. Lucan. 1. 138. quercus validis radicibus hærens. Liv. 1. 15. Urbs valida muris. Id. 36. 17. Munitiones validiores locis impositæ. Tac. 15. Ann. 15. Pons validus et fidus. Id. 13. ibid. 39. Castellum validissimum. Plin. 18. Hist. nat. 17. 46. (164). In solo valido fabam serere. h. e. pingui ac denso et multi in colendo laboris. Sic Cato R. R. 3. Fabam in locis validis non calamitosis serito. Quintil. 10. 1. ante med. de Archilocho. Summa in hoc vis elocutionis, quum validæ, tum breves vibrantesque sententiæ. Scribon. Compos. 41. Mala granata semper valida sunt. garbe, acide, acerba, acida. Virg. 3. G. 172. Validum pondus. grave, cui movendo validæ vires opus sunt. Tibull. 2. 3. 6. Valido bidente versare solum. Adde Lucret. 1. 572. et 6. 218. Ovid. 6. Met. 678. Valida arma. Id. 6. Fast. 677. convivæ valido titubantia vino Membra movent. — β) De iis, quæ vires habent in medicina. Ovid. 15. Met. 533. Apollineæ valido medicamine prolis Reddita vita foret. et 7. ibid. 316. validosque venefica succos Mergit in ære cavo. Tac. 13. Ann. 15. ad fin. Venenum parum validum. — γ) De cibo, qui multum alimenti habet, sostanzioso. Cels. 2. 18. sub fin. Imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est, robustis apta materia validissima est. Plin. 18. Hist. nat. 7. 15. (74). Ptisanæ usus validissimus saluberrimusque. — δ) Metaphorice. Ovid. 3. Art. am. 543. Valido æstu peruri. h. e. magno amore. et eod. sensu, 7. Met. 9. Concipere validos ignes. Quintil. 10. 1. ante med. de Archiloco. Summa in hoc vis elocutionis, quum validæ tum breves vibrantesque sententiæ. — b) Cum Dat. vel Acc. et præp. contra. Liv. 25. 36. Ludibrium illud vix feminis puerisque morandis satis validum. Plin. 23. Hist. nat. 2. 32. (67). Validissima fæx aceti contra cerastas. — c) Cum Abl. et præp. in. Tac. 13. Ann. 8. Fama, quæ in novis cœptis validissima est. — d) Cum Infinito. Plin. 16. Hist. nat. 42. 81. (222). Pondus sustinere validæ abies, larix etiam in transversum positæ. Claudian. 1. in Eutrop. 134. de cane. validus servare gregem vigilique rapaces Latratu terrere lupos. ¶ 2. Notione ductâ a super. paragr. 2. Plaut. Men. 5. 3. 1. Jamne isti abierunt, qui me cogunt, ut validus insaniam? h. e. mente sanus. Horat. 1. Ep. 8. 7. mente validus. Sall. Cat. 6. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat.

VĂLĪTO, as, are, n. 1. frequentat. a valeo, sanus sum, valeo. Gloss. Isid. et apud Mai. in Class. Auct. T. 6. p. 550. Valitant, valent: id est sani sunt. Adde Gloss. Paris.

VĂLĪTŪDĬNĀRĬUS. V. VALETUDINARIUS.

VĂLĪTŪDO. V. VALETUDO.

VĂLĬVŎLUS. V. VALLEFACTUS.

VALLANS, antis, particip. V. VALLO.

VALLĀRIS, e, adject. (vallis) ad vallum spectans, ut Vallaris corona, quæ donari solebat is, qui primus vallum hostium fuisset ingressus. Liv. 10. 46. Multæ civicæ coronæ vallaresque ac murales conspectæ. Id. 30. 28. a med. Qui imperatores, qui consules Romanos sua manu occidissent, muralibus vallaribusque insignes coronis. Adde Sueton. Aug. 25. et Plin. 16. Hist. nat. 4. 3. (7). et 22. ibid. 3. 4. (6). et Inscr. apud Henzen. Suppl. Orell. n. 5448. et n. 5450. — Vallares formidines pro balneares legend. putat Kiessling in Revue archéol. apud De-Rossi Bullett. Crist. a. 1864. p. 61. (coll. a. 1863. p. 95.) in vet. Testam., eod. el. De-Rossi minus probante.

VALLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vallo) munitio vallo circa posito facta (It. munizione con vallo, circonvallazione; Fr. palissade, circonvallation; Hisp. palisada, circunvalacion; Germ. die schützende Umgebung; Angl. palisado, circumvallation, munition).

I.) Proprie. Gloss. Cyrill. Χαράκωμα, septus, vallatus, vallatio. Legitur etiam apud Hilarian. De durat. mund. 3. Maria vallatione quadam obsessa.

II.) Translate. Theod. Priscian. 4. 1. a med. Istis si uteris, integra salute reliquum tempus facile transiges sine vallatione medicorum. h. e. sine turba medicorum, qui te quasi vallo contra morbos munire pollicentur.

VALLĀTUS, a, um, particip. V. VALLO.

VALLĀTUS, us, m. 4. (vallo) idem ac vallatio. Gloss. Cyrill. in VALLATIO. — Translate. Inscr. apud Le Blant Inscr. Chrét. de la Gaul. T. 1. p. 229.

VALLĔCŪLA. V. VALLICULA.

VALLEFĂCĬO, facis, feci, factum, facere, 3. Part. Vallefactus. — Vallefacio videtur esse vallo seu vanno excerno, crivellare, apud Fest. in Valvoli p. 375. 10. Müll. Valvoli, folliculi fabæ appellati sunt, quasi vallivoli (al. vallivoli), quia vallefacti excutiantur. Alii leg. vallo fracti, h. e. fuste comminuti, alii aliter. V. Müller ad h. l. — Varro apud Non. p. 217. 23. Merc. Retrimenta cibi, quæ exierint per posticum, vallefeci. At Oehler et Riese leg. vallem feci, et Bücheler dedit callem feci: alii evallefeci (V. EVALLEFACIO), alii vero aliter. Omnia incerta.

VALLEFACTUS, a, um, partic. V. voc. præc.

VALLĔMĀTĬA. V. BALLEMATIA.

VALLĔO, es, ere, 2. Ribbeck leg. apud Acc. tr. 271. pro vellere aut balare. Cf. VALLESCIT.

VALLES, is. V. VALLIS.

VALLESCIT vel vallessit, perierit, dictum a vallo militari, quod fit circa castra: quod qui eo ejiciuntur, pro perditis habentur. Hæc Festus apud Paul. Diac. p. 377. 5. Müll., ubi alii pro vallescit leg. vallessit vel vallefit, et a vallo, h. e. vanno duci putant, ex quo quæ ejiciuntur, neglecta pereunt. Cf. Lachm. ad Lucr. p. 191.

VALLESSIT. V. voc. præced.

VALLESTRIS, e, adject. (vallis) qui in valle positus est.

I.) Proprie. Ambros. Ep. 30. (al. 12.) In superioribus habitandum, non in vallestribus et subterraneis habitaculis? — Absolute. Id. 3. Hexaem. 3. Diffusæ aquæ per vallestria agrorum.

II.) Translate. Ambros. in Ps. 36. n. 41. Hæc terra captivitatis est, alia terra libertatis est: vallestris ista, illa cœlestis. — Absolute. Id. De fuga sæc. 5. n. 31. Qui non potest ad cœlum volare, volet ad montes, fugiat ante vallestria etc.

VALLĪCŪLA et vallecula, æ, f. 1. deminut. a vallis, parva vallis, vallicella, ἀγκίον. Paul. Diac. ex Fest. p. 42. 7. Müll. Vallis deminutivum facit vallicula. et Serv. ad Virg. 11. Æn. 522. Vallecula (a valles) dicitur, sicut turrim dici debere turriculam indicat, sicut vulpes vulpecula facit. — Translate. Vulg. interpr. Lev. 14. 37. Et quum viderit in parietibus ejus quasi valliculas pallore sive rubore deformes.

VALLIS et valles, is, f. 3. — a) Rectus casus singularis valles firmari solet illo Virg. 11. Æn. 522. Est curvo anfractu valles accommoda fraudi. Quam lectionem in aliquot antiquis exemplaribus extare Pierius testatur: et Servius confirmat, sive quod metrum ita postulet, sive quod deminut. sit vallecula, ut a vulpes est vulpecula. Additque ex Horatio: moveat vulpecula risum. Sed quod ad metrum attinet, potest et vallis legi et produci ultima beneficio cæsuræ. V. SANGUIS. Deminutivum Festus ponit vallicula, ut in ea voce dictum est. Illud vero Horatii est μνημονικὸν ἁμάρτημα, quum is habeat 1. Ep. 3. 18. Ne si forte suas repetitum venerit olim Rex avium plumas, moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. Etiam Valer. Prob. in Catholic. p. 1470. Putsch. agnoscit valles: sed quum eo loco de iis agat. quæ in pes desinunt, ut puppes, rupes, vulpes etc., non video quomodo valles inter ea locum habeat, Iluctatus Forcellinus. Ceterum recentiores in recto sing. valles legunt, præterquam apud Virg. loc. cit., etiam apud Cæs. 6. B. G. 34. 2. et 7. ibid. 47. 2., Auct. B. Alex. 79. n. 3. et Liv. 25. 39. n. 1.; deminut. vero est vallicula et vallecula. — b) Ratione habita etymi, Isid. 14. Orig. 8. 22. a vello derivat, quem sequitur Döderlein. Cf. tamen Gr. ἄλος, palus, vel αὐλών, fr. tum, vallis, et Germ. Thal. At Fick. in Vergl. Wört. d. Indogerm. Sprach. 490. conjungit cum rad. val, volvere, flectere, torquere. — Quidquid sit de etymo, vallis est planities a duobus lateribus inclusa, ut Fest. apud Paul. Diac. in Convallis p. 42. 6. Müll. definit, ἄγκος (It. valle; Fr. vallée, vallon; Hisp. valle, vallejo; Germ. das Thal; Angl. a valley, vale, dale).

I.) Proprie. Cæs. 3. B. G. 1. extr. Qui vicus positus in valle, non magna adjecta planitie, altissimis montibus undique continetur. et ibid. 2. a med. Quum ipsi ex montibus in vallem decurrerent et tela conjicerent. Cic. 2. Rep. 6. 11. Qui (colles) afferunt umbram vallibus. Ovid. 3. Met. 155. Vallis erat piceis et acuta densa cupressu. et 8. ibid. 334. Concava vallis erat, qua se demittere rivi Assuerant pluvialis aquæ. Virg. 3. G. 331. Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem. Horat. 1. Od. 17. 17. Hic in reducta valle caniculæ Vitabis æstus. Id. 1. Ep. 16. 5. Continui montes, ni dissocientur opaca Valle. Catull. 68. 59. Rivus de prona præceps est valle volutus. Virg. 7. Æn. 802. de amne. gelidusque per imas Quærit iter valles. Id. 5. Ecl. 84. Saxosas inter decurrunt flumina valles. Id. 2. G. 391. Complentur vallesque cavæ saltusque pro-

fundi. *Id.* 6. *Eccl.* 84. Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles. *Id.* 2. *Æn.* 748. Curva valle recondere aliquem. *Id.* 9. *ibid.* 244. Obscuræ valles. *Martial.* 5. 71. gelidæ. *Tibull.* 1. 4. 43. et 2. 3. 19. caneret dum valle sub alta. *Lucan.* 7. 480. Excepit resonis clamorem vallibus Hæmus. *Seneca Œdip.* 531. Vallis irrigua. *Curt.* 6. 4. 16. Vallis perpetua jacet. *et* 7. 11. 18. Vallis occulta, subjecta. — *Valles fluviorum* sunt alvei. *Apul. Florid.* 1. Æois regnator aquis in flumina centum Discurrit: centum valles illi oraque centum. Cf. *Val. Flacc.* 2. 515.

II.) Translate. *Catull.* 69. 5. tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper. *h. e.* sub cavitate axillarum. *Auson. Epigr.* 128. 5. De valle femorum. — Allegorice. *Quintil.* 5. 14. *a med. de eloquentia.* Feratur igitur non semitis, sed campis: non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut latissimi amnes, totis vallibus fluat ac viam sibi, si quando non acceperit, faciat. Adde *Vulg. interpr. Luc.* 3. 5.

VALLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vallum) Part. *Vallans* I. 1. et 2.; *Vallatus* in omnib. paragr. — Vallo est vallis circumdo et munio, περιτειχίζω (It. *cingere con trincéa o palafitte;* Fr. *entourer de retranchements, de remparts, palissader, munir, fortifier;* Hisp. *circundar ó circunvalar de trinchera, empalizar, fortificar;* Germ. *verpallisadiren, umwallen od. mit Wall verschanzen;* Angl. *to fortify with a rampart or with palisades*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Absolute. *Tac.* 4. *Hist.* 26. *a med.* Ibi struenda acie, muniendo vallandoque militem firmabant. — *b*) Cum Acc. *Liv.* 9. 41. Castra vallantem Fabium adorti sunt. *Auct. B. Alex.* 27. *a med.* Quorum impetum Mithridates magna cum prudentia, consuetudine nostra castris vallatis sustinuit. *Tac.* 2. *Hist.* 19. Postquam nox appetebat, castra vallari placuit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (76). Castra Punica ad tertium lapidem vallata. *Sil. It.* 12. 490. Vallatæ portæ. *h. e.* vallo clausæ. — *Vallare noctem* dixit *Tac. Germ.* 30. Nosse ordines, intelligere occasiones, disponere diem, vallare noctem. *h. e.* nocturnum tempus transigere sub vallo: vel vallum facere ad securitatem noctis, *sc.* ut noctu tuti sint. ¶ 2. Latiore, aliis translato, sensu est quacumque ratione munire, stipare, circumdare: construitur autem sæpe cum addito Ablativo. *Cic. Arch.* 9. 21. Pontus et regiis quondam opibus et ipsa natura regionis vallatus. *Lucan.* 4. 224. nulli vallarent oppida muri. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 12. 17. (109). Appennini jugis Sabinos utrimque vallantibus. *Flor.* 2. 8. *sub fin.* Elephantis aciem utrimque vallaverat. *et ibid.* 12. Ita Macedoniam suam armis ferroque vallaverat, ut non reliquisse aditum videretur. *Cic. Mur.* 24. 49. Catilinam interea alacrem atque lætum, stipatum choro juventutis, vallatum indicibus atque sicariis. Cf. *Harusp. resp.* 16. 34. Sic enim sentio: jus legatorum quum hominum præsidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatum. *Lucret.* 5. 27. Hydra venenatis vallata colubris. *Lucan.* 6. 185. Vallatus bello. *h. e.* hostibus undique circumfusis, tamquam vallo circumsæptus et obsessus. (Eod. modo locutus est *Seneca Herc. Œt.* 1194.) *Id.* 3. 374. mœnia clausa Conspicit et densa juvenum vallata corona. *Propert.* 3. 14. 29. Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ. ὀγκωτὸς τάφος, *h. e.* tumulus ex aggesta in parvi collis altitudinem humo. *Flor.* 3. 1. *a med.* Urbs in media Africa sita, anguibus arenisque vallata. *Ovid. Heroid.* 4. 159. sol radiis frontem vallatus acutis *Sil. It.* 4. 559. Et galea annosi vallatur dentibus apri. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (100). Perdices spina et frutice sic muniunt receptaculum, ut contra feras abunde vallentur. *Epit. Liv.* 57. Quum gladio vallare te scieris, vallum ferre desinito. *Mamertin. Genethl. Maxim.* 2. *sub fin.* Alpibus Italiam natura vallavit. *Seneca Herc. Œt.* 1932. Non Argolico rapta leoni Fulva pellis contecta juba Lævos operit dura lacertos Vallantque feri tempora dentes. *h. e.* spolium leonis ab Hercule occisi, ita ab eo gestatum, ut cute capitis ac dentibus caput ipse suum tegeret. *Quintil. Declam.* 2. 16. Fores vallavit cura servorum. *h. e.* pessulum obdendo muniit.

II.) Translate. *Macrob.* 2. *Saturn.* 11. *sub fin.* Quis neget, indomitam apud illos et, ut ait Cæcilius, vallatam gulam fuisse, qui ex tam longinquo mari instrumenta luxuriæ compararent? *h. e.* quasi vallo munitam et quæ vinci numquam potuerit. *Val. Max.* 9. 11. *sub fin.* Aræ, pulvinaria, templa præsenti numine vallata sunt. *Stat.* 10. *Theb.* 563. jam tecta replerant Templaque et ingratæ vallantur planctibus aræ. *h. e.* circumfunduntur. — *Cic. fragm. or.* pro *Tull.*, edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 356. Ejus magistratus (*tribunorum pl.*) corpus legibus vallatum esse voluerunt. *Id.* 1. *Legg.* 24. 62. Atque hæc omnia quasi sæpimento aliquo vallabit disserendi ratione. *Sil. It.* 7. 407. *de Fab. Maxim.* sic castra relinquens Vallarat monitis. Adde *Vulg. interpr. Job* 1. 10. et 15. 24.

VALLUM, i, n. 2. duo diversa significat.

*A*) *Vallum* est munitio militaris, qua includuntur castra aut oppida obsessa, ex cæspite et aggesta terra et crebris vallis seu palis infixis, fossa præducta, ἕρκος, ὁ χάραξ, χαράκωμα (It. *argine con pali, trincera, fortificazione, palificata, vallo;* Fr. *retranchement, rempart, palissade;* Hisp. *atrincheramiento, trinchera, palisada;* Germ. *der Pfahl, Wall;* Angl. *entrenchment, palisade, fortification*): est autem a *vallus*, qua significat palum, sudem.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.* Vallum, vel quod ea (*al.* eo) varicare nemo possit; vel quod singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram litteræ V. (*V.* voc. seq.) Cf. *Isid.* 15. *Orig.* 9. 2., *Veget.* 3. *Milit.* 8. et *Liv.* 33. 5., ubi de hac re plura. *Cæs.* 2. *B. G.* 5. *extr.* Castra vallo fossaque munire. *et ibid.* 30. Hostes vallo pedum duodecim in circuitu quindecim millium circummuniti, oppido se continebant. *et* 3. *ibid.* 25. Defensores vallo munitionibusque depellere. *et* 5. *ibid.* 42. Hostes scalis vallum ascendere cœperunt. *et* 3. *ibid.* 5. Vallum scindere et fossas complere. *Sall. Jug.* 79. Vallo fossaque mœnia circumvenit. *Cic.* 9. *Att.* 12. Populi R. exercitus Pompejum circumsidet, fossa et vallo sæptum tenet. *et* 5. *ibid.* 20. *circa med.* Oppidum cinximus vallo et fossa. et 15. *Fam.* 4. *circa med.* Oppidum vallo et fossa circumdedi. *Virg.* 9. *Æn.* 523. et *Justin.* 13. 5. *a med.* Vallum rescindere. *Vellej.* 2. 63. 1. proruere. *Flor.* 4. 2. *ante med.* rumpere. *et ibid.* Castra vallo obducere. *Liv.* 7. 23. (et *Tibull.* 4. 1. 85.) Vallum ducere. *tirare una trincéa.* et 6. 2. Tantum terroris intulerat, ut vallo se ipsi, vallum congestis arboribus sæpirent. *Id.* 22. 60. *ad fin.* Pro vallo pugnare. *h. e.* ante vallum. *Id.* 35. 4. Vallum circumjicere. *et* 25. 36. circum injicere. *Id.* 35. 30. objicere. — *Vallum cæcum* apud *Cæs.* 3. *B. G.* 5. V. in CÆCUS.

II.) Translate. *Cic. Senect.* 15. 51. Spica contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. *Id.* 2. *Nat. D.* 57. 143. (et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 56. (154).) Munitæ sunt palpebræ tamquam vallo pilorum. *Id. Pis.* 33. 81. Alpium vallum contra ascensum transgressionemque Gallorum objicere et opponere. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 5. 11. (22). Intra sæpem eam æstivant pastores opacam pariter et munitam vallo arboris. *et* 15. *ibid.* 23. 25. (92). Castaneis armatum echinato calyce vallum. *Quintil. Declam.* 13. 3. Undique vallo divitiarum clusi sumus. *Gell.* 13. 27. Caput et os suum manibus oppositis quasi vallo præmœniunt. *Id.* 1. 15. et *Apul.* 1. *Dogm. Plat. ad fin.* Petulantiæ verborum coercendæ vallum est oppositum dentium. *Manil.* 1. 149. Ignis in ætherias volucer se sustulit auras Summaque complexus stellantis culmina cæli, Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.

*B*) *Vallum* idem est ac vallus, quæ significat parva vannus. *Varro* 5. *L. L.* 138. *Müll.* Vallum a volatu, quod quum id jactant, volant inde levia Quidam *vannum* correxerunt, sed non opus. V. *Müller* ad *h. l.*

V[illegible], i, 2. duo diversa significat.

*A*) [illegible]*allus*, masc. gen., est palus, sudes, ramus ex arbore recisus, cujusmodi sunt pedamenta vitium, *palo, steccone,* ὁ χάραξ: videtur autem esse a *varus*, varis enim ramis munitus est agger; hi autem primum deminutiva forma *varuli*, mox valli dicti, ut a *surula* factum est *Sulla:* verum *Isid.* 15. *Orig.* 9. 2. ducit a *vellendo*, quod pali figantur et vellantur; alii ab ἧλος, clavus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 1. *G.* 264. Exacuunt alii vallos furcasque bicornes. *et* 2. *ibid.* 25. Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos. Ubi *Servius:* Bis idem dixit. nam valli et sudes idem sunt. ¶ 2. Speciatim et sæpius dicitur de palis, quibus infixis firmatur et munitur agger excitatus ad sæpimentum castrorum: quod inde *vallum* appellatum est. Hujusmodi palos humeris ferebant in expeditionibus Romani milites, præter arma et cibaria, ut, ubicumque ponenda essent castra, muniendi materia præsto esset: quod significat *Virg.* 3. *G.* 346. patriis acer Romanus in armis Injustò sub fasce viam quum carpit et hosti Ante exspectatum positis stat in agmine castris. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 97. Qui labor et quantus agminis! ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre siquid ad usum velint, ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. *Epit. Liv.* 57. Scipio Africanus militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum frumentum, ad septenos vallos, ferre cogebat. *Liv.* 25. 36. Erat adeo nudus tumulus et asperi soli, ut nec virgulta vallo cædendo, nec terra cæspiti faciendo inveniri posset. ¶ 3. Collectivorum more et ipsum vallum ex palis contextum *vallus* dicitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Erat eo loco fossa pedum quindecim et vallus contra hostem in altitudinem pedum decem: tantumdemque ejus valli agger in latitudinem patebat. *Auct. B. Alex.* 2. *a med.* Omnibus viis triplicem vallum obduxerant. *Tibull.* 1. 11. 9. Non arces, non vallus erat. — Rationem valli faciendi sive a Macedonibus et Græcis, sive ab Romanis usurpatam, luculenter describit *Liv.* 33. 5.

II.) Translate et improprie. ¶ 1. Per metaphoram. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 15. Non acus abrupit, non vallus pectinis illos. (*sc.* capillos.) *h. e.* densi pectinis dentes, instar valli subrecti. *Id.* 8. *Met.* 286. stantque velut vallus vel, ut alta hastilia, sætæ. Alii utroque loco leg. *vallum.* ¶ 2. Improprie est genus quoddam vehiculi metendis spicis aptum, de quo *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. (296). Galliarum latifundiis valli prægrandes, dentibus in margine infestis, duabus rotis per segetem impelluntur, jumento in contrarium juncto: ita direptæ in vallum cadunt spicæ. *Pallad.* 7. *R. R.* 2. accurate describit hoc instrumentum rusticum et *vehiculum* appellat. ¶ 3. Item genus quoddam tegulæ. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 264. Ælius Gallus, de verbis ad jus civile pertinentibus, vallos appellat tegulas grandes, quæ supra colliciás infimæ ponuntur. *Cato R. R.* 14. Colliciares tegulæ quæ erunt, pro binis putabuntur: in vallos, quot erunt, in singulos quaternæ numerabuntur. Alii perperam pro *in vallos* legunt *in aliis.*

*B*) *Vallus*, fem. gen. (Cf. VANNUS), parva vannus, *crivelletto, crivello:* est autem deminut. a *vannus* pro *vannulus*, ut in *Gloss. Gr. Lat.:* sic *villum* pro *vinulum*, apud *Charis.* in hac voc., a *vinum.* *Varro* 1. *R. R.* 52. E spica exteruntur grana, iis tritis, oportet e terra subjactari vallis aut ventilabris. *et ibid.* 23. *a med.* Ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut vallos etc. Adde *eumd.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 166. *V.* VALLEFACTUS. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VĂLOR, ōris, m. 3. (valeo) ¶ 1. Est valetudo, virtus. *Thes. Nov. Latinit. p.* 622. ed. *Mai.* Valor, valitudo. *Inscr.* apud *Henzen. Suppl. Orell. n.* 5820., ubi *Cavedonius* vult leg. *Valori* pro *Pavori*, h. e. Virtuti. ¶ 2. Pro pretio, *prezzo, valore,* τιμή. *Plin.* Victoriati valore redimi potest. Ita referunt quidam Lexicographi:

sed ea Plinii verba merito suspecta esse debent, quum adhuc inveniri non potuerint. Cf. VICTORIATUS et Silligii adnot. ad Plin. loc. ibi adl. Ceterum legitur in Onom. Lat. Gr., quod in suo Thes. utr. ling. ed. Vulcan.

**VALUS**, a, um, adject. idem ac varus, litterâ r in l mutatâ. Gloss. in Prodr. gloss. ed. Loewe p. 388.

**VALVA**, æ, et sæpius plur. valvæ, arum, f. 1. Scribitur et balba, solita v in b permutatione, in Inscr. apud Visconti Monum. Gabini Tab. XVIII. coll. p. 130. Adde Cassiod. Orth. p. 173. 4. Keil. Vox videtur esse a volvo, quasi volvæ, quia in aperiendo volvuntur et complicantur. Cf. Varron. et Isid. loc. cit. Voss. in Etym. vult esse a Gr. βαλβίς, repagulum, carceres, unde qui cursu certant, emittuntur. — Valva seu valvæ sunt ligneæ fores, ex duabus aut tribus aut pluribus etiam tabulis (cujusmodi nos dicimus scuri fatti a libro), quibus janua aut fenestra clauditur, θύραι διάπτυχοι (It. imposte; Fr. battants de porte ou de fenêtre; Hisp. puertas, impostas; Germ. die Flügelthüre; Angl. folding doors or gates, valves). ¶ 1. Generatim. — a) In sing. num. Pompon. apud Non. p. 19. 22. Merc. In prima valva est, vix hæret miser. Adde Senec. Herc. Fur. 999. et Venant. 8. carm. 7. 394. Petron. Sat. 96. Videbamus omnia per foramen valvæ, quod paullo ante ansa ostii disrupta laxaverat. — b) In plur. num. Varro apud Serv. ad Virg. 1. Æn. 453. Valvæ sunt, quæ revolvuntur et se velant. Cic. 1. Divinat. 34. 74. In templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt. Id. 6. Verr. 56. 124. Valvas magnificentiores, ex auro atque ebore perfectiores nullas umquam ullo templo fuisse. Id. ibid. 43. a med. Convulsis repagulis effractisque valvis, demoliri signum conantur. Propert. 4. 8. 51. totas resupinat Cynthia valvas. Ovid. 2. Met. 4. Argenti bifores radiabant lumine valvæ. et 1. ibid. 172. Atria nobilium valvis celebrantur apertis. et 4. ibid. 185. Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas. Nepos Pausan. 5. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas ejus ædis obstruxerunt. Juvenal. 4. 63. facili patuerunt cardine valvæ. Inscr. apud Henzen n. 5129. Valvæ aheneæ. ¶ 2. Speciatim valvarum nomine significatur etiam ipsum χάσμα, cavitas, lumen januæ aut fenestræ: fiebantque maxime in tricliniis amplæ ac patentes, ut cœnantibus late prospectus esset in omnes partes. V. VALVATUS. Plin. 5. Ep. 6. ad fin. Cubiculum marmore splendet, valvis in viridia prominet et exit, alia viridia superioribus inferioribusque fenestris suspicit despicitque. Id. 2. Ep. 17. Triclinium undique valvas aut fenestras non minores valvis habet: atque ita a lateribus, a fronte quasi tria maria prospectat; a tergo cavædium, porticum, aream; porticum rursus, mox atrium, silvas et longinquos respicit montes. Id. 5. Ep. 6. Triclinium valvis xystum desinentem et protinus pratum multumque ruris videt fenestris.

Homonym. Valvæ a foribus differunt; fores enim, ut docet Isid. 15. Orig. 7. 4., et valvæ claustra sunt: sed fores dicuntur, quæ foras; valvæ quæ intus revolvuntur et duplices complicabilesque sunt, sed generaliter usus vocabula ista corrumpit. Cf. FORIS. — Item differunt a fenestris in eo, quod fenestræ alte a solo incipiunt et aditum solummodo præbent lumini; valvæ ab imo et etiam ingredientibus. V. Plin. loc. supra cit.

**VALVĀRĬUS**, ĭi, m. 2. (valvæ) ¶ 1. Est valvarum faber. Gloss. Lat. Gr. p. 273. Vulc. Valvarius, δομοτέκτων. ¶ 2. Item valvarum custos, janitor. Gloss. apud A. Mai in Class. Auct. T. 8. p. 474. Portitor, janitor, ostiarius, valvarius.

**VALVĀTUS**, a, um, adject. (valvæ) valvis instructus. Varro 8. L. L. 29. Müll. Triclinia valvata et fenestrata. Vitruv. 6. 6. Triclinia habeant dextra ac sinistra lumina fenestrarum valvata, uti viridia de tectis per spatia fenestrarum prospiciantur. Id. 4. 6. ad fin. Fores valvatæ. et sub fin. Ipsa forium ornamenta non fiunt cerostrota neque bifora, sed valvata.

**VALVŎLÆ** (valvulæ), ārum, f. plur. 1. (deminut. a valvæ) Fest. p. 375. 10. Müll. pro valvolæ habet valvoli. V. infra. — Valvolæ sunt proprie parvæ valvæ (V. VALVULA), sed transfertur vox ad significandum folliculum seu vaginam (quasi sit duplex valva) leguminum et præsertim fabæ. Fest. loc. cit. Valvoli folliculi fabæ appellati sunt, quasi vallivoli (al. valivoli), quia vallo facti (lege fracti) excutiantur. Müller leg. vallo fabuli, h. e. singula fabæ grana. Colum. 6. R. R. 10. Lentes quoque valvolis exemptæ et minute molitæ miscentur aquæ calidæ. et ibid. 4. Valvulis ervi bubus medetur. et ibid. 31. Lente a valvulis separata minuteque molita. Id. 7. ibid. 4. de ovibus tectis. Singula capita per hiemem recte pascuntur ad præsæpia, tribus hordei vel fresæ cum suis valvulis fabæ.

**VALVŎLI** (valvuli). V. voc. præced.

**VALVŬLA**, æ, f. 1. deminut. a valva, parva valva seu janua. Legitur in Thes. Nov. Latinit. p. 474. ed. Mai. Portella, portula, valvula, ostiolum.

**VĀNĀGLŌRĬA** et rectius divisim vana gloria, f. 1. inanis gloria, cenodoxia, κενοδοξία. Hieronym. interpr. Hom. Orig. in Jer. 3. p. 766. Val.

**VĀNANS**, antis, particip. V. VANOR.

**VĀNĒ**, adverb. (vanus) Comp. Vanius et Sup. Vanissime. — Vane est futiliter, frustra, vanamente. Tertull. Apolog. 49. Vulgus vane de nostra vexatione gaudet. Adde Vulg. interpr. Ps. 38. 12. Apul. De mag. Multo vanius et nequius excogitatum. Tertull. Pudic. 1. Præcavendo vanissime quibus parcunt, et parcendo ineptissime quibus præcavent.

**VĀNĔO**, vānes, vānŭi, vānere, n. 2. (vanus) vanus fio, evanesco. Legitur in præterito tantum apud Alcim. Arit. fragm. p. 169. V. Quicherat in Add. p. 306.

**VĀNESCENS**, entis, particip. V. voc. seq.

**VĀNESCO**, is, ere, n. 3. (inchoat. a vaneo) Part. Vanescens II. — Vanesco est vanus fio, in vanum abeo aut recido, evanesco, ἀφανίζομαι (It. svanire, sparire, dileguarsi; Fr. disparaître, s'évanouir, s'effacer; Hisp. desaparecerse, desvanecerse; Germ. leer, eitel, nichtig werden, vergehen; Angl. to vanish, disappear). I.) Proprie. — a) Absolute. Cic. 2. Legg. 10. a med. Animi labes nec diuturnitate vanescere, nec amnibus ullis elui potest. Alii rectius leg. evanescit. Ovid. 1. Trist. 2. 107. incipiunt gravidæ vanescere nubes. Pers. 3. 13. Nigra quod infusa vanescat sepia lympha. h. e. atramentum diluatur et nigrorem amittat. — b) Cum addito loco, quo quis vanescit, per Acc. et præp. in, per. Ovid. 3. Amor. 7. 31. Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam. Id. Heroid. 15. 85. Spiritus ante meus tenues vanescat in auras. Seneca Troad. 392. calidis fumus ab ignibus Vanescit spatium per breve. Tac. 5. Hist. 7. Vanescere in cinerem.

II.) Translate. Ovid. 2. Art. am. 358. Vanescitque absens et novus intrat amor. Catull. 64. 199. Vos nolite pati nostrum vanescere luctum. h. e. in irritum cadere: che vada senza effetto. et Tac. 2. Ann. 40. Inanis credulitas tempore ipso vanescit. et 5. ibid. 9. Vanescente plebis ira ac plerisque per priora supplicia lenitis. Ovid. 2. Amor. 14. 41. Ista sed ætherias vanescant dicta per auras.

**VANGA**, æ, f. 1. marra, sarculum, ligo, bipalium, vanga, marra: vox conferenda cum Gr. ἔγχος, hasta, ensis. Pallad. 1. R. R. 43. Paremus serrulas minores, vangas, runcones, quibus vepreta persequimur.

**VĀNĬDĬCUS**, a, um, adject. (vanus et dico) qui vana dicit, vaniloquus, mendax, vano, bugiardo, ματαιολόγος. Plaut. Trin. 2. 1. 37. Cum probis potius, quam cum improbis vivere vanidicis. Adde Ammian. 16. 7. 2.

**VĀNĬLŎQUAX**, ācis, adject. omn. gen. (vanus et loquax) qui vana loquitur, vaniloquus. Pseudo-Augustin. Serm. app. 290. n. 2. Homo Christianus non debet esse vaniloquax et arrogans.

**VĀNĬLŎQUENTĬA**, æ, f. 1. (vanus et loquentia) vana et inanis blateratio, parlar vano, tattanza, σπερμολογία. Plaut. Rud. 4. 1. 14. Uxor meas opplebit aures sua vaniloquentia. con le sue chiacchiere, ciarlerie. et Liv. 34. 24. Hac vaniloquentia primum Aristænum prætorem Achæorum excitavit. Tac. 3. Ann. 49. Id C. Lutorius in domo P. Petronii, socru ejus Vitellia coram multisque illustribus feminis per vaniloquentiam legerat. — In plur. num. Jul. Valer. 2. 10. ed. Paris. Vaniloquentiæ et jactantiæ barbari.

**VĀNĬLŎQUĬDŌRUS**, i, m. 2. vox hybrida, ficta a Plaut. Pers. 4. 6. 20. et conflata ex Latinis vocibus vanus et loquor, et ex Græca δῶρον, donum, significat eum qui vana verba donat seu dat, qui vana venditat, venditore di chiacchiere, spacciatore di tantafere.

**VĀNĬLŎQUĬUM**, ĭi, n. 2. (vaniloquus) idem ac vaniloquentia, κενολογία. Augustin. Ep. 134. (al. 160.) n. 4. Vaniloquio seductionis sollicitare animos imperitos. Id. Ep. 166. (al. 28.) n. 6. Joviniani vaniloquia redarguens.

**VĀNĬLŎQUUS** (vanilocus), a, um, adject. (vanus et loquor). ¶ 1. Est qui vana loquitur, mendax, bugiardo, σπερμολόγος. Plaut. Amph. 1. 1. 223. Ergo istoc magis, quia vanilocus, vapulabis. Adde Oros. 1. prol. § 9., Vulg. interpr. Tit. 1. 10. et Ambros. Ep. 63. n. 7. ¶ 2. Item vana jactans, millantatore. Liv. 35. 48. Is, ut plerique, quos opes regiæ alunt, vaniloquus, maria terrasque inani sonitu verborum complevit. Sil. It. 14. 279. Ductores facilem impelli lætamque tumultus Vaniloquo plebem furiabant insuper ore. Adde Auson. Epigr. 21. 4.

**VĀNĬPĂRENS**, entis, adject. (vanus et pario) qui vana parit. Gloss. Isid. Vaniparentes, mendaces, inutiles, pellaces.

**VĀNĬTAS**, ātis, f. 3. (vanus) inanitas, futilitas, levitas, κενότης, ματαιότης (It. vanezza, anfania, futilità, nullità, inutilità; Fr. vanité, futilité, légèreté; Hisp. vanidad, futilidad, inutilidad, ligereza; Germ. die Leerheit, Nichtigkeit; Angl. emptiness, vainness, vanity). ¶ 1. Generatim. — a) Abstracto, ut ajunt, sensu. Cic. 1. Off. 42. 151. Mercatura multa undique apportans multisque sine vanitate impertiens. Liv. 40. 22. Vanitas itineris. inutilità. et Tac. 15. Ann. 71. exitûs. Prudent. 10. περὶ στεφ. 251. Vanitas mystica. — Accipere in vanitate est incassum, inutiliter. Vulg. interpr. Ps. 138. 20. — b) Concreto, qui dicitur, sensu, est res vana, nullius pretii. Id. Eccle. 1. 2. Vanitas vanitatum et omnia vanitas. Cf. Augustin. De morib. Eccl. 1. 21. n. 39. coll. 1. Retract. 7. n. 3. — Hinc in plur. num. vanitates de idolis seu falsis Gentium diis apud eumd. 4. Reg. 17. 15. et alibi. — Similiter de vanis mundi rebus. Ambros. Hymn. 3. 8. Vanitates haurire. ¶ 2. Speciatim est mendacium, fraus, menzogna, frode. Ter. Phorm. 3. 2. 41. non pudet Vanitatis? DOR. minume, dum ob rem. Cic. 2. Nat. D. 21. a med. Nulla in cælo nec fortuna nec temeritas nec erratio nec vanitas inest: contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia. Id. 1. Legg. 10. 29. Si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret. Id. 3. Tusc. 1. in fin. Ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Id. 3. Off. 14. 58. Si vituperandi sunt, qui reticuerunt (in vendendo), quid de iis existimandum, qui orationis vanitatem adhibuerunt? Adde 1. ibid. 42. ad fin. — In plur. num. Plin. 22. Hist. nat. 8. 9. (21). Multæ circa hoc non magorum solum vanitates, sed etiam Pythagoricorum. Sillig. vanitate. Adde 26. ibid. 4. 9. (18). et 27. ibid. 8. 35. (57). — Decipere in vanitate est fraudulenter, apud Vulg. interpr. Ps. 61. 10. ¶ 3. Item assentatio, quia assentator mentitur, ut placeat, adulazione. Cic. Amic. 26. circa med. Blanda ista vanitas apud eos valet, qui ipsi illam alliciant et invitant. ¶ 4. Item jactantia, elatio, millanteria: quia qui se jactat, vana et falsa dicit. Tac. Agric. 18. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus est. Id. 3. Hist. 73. a med. Quinctius Atticus consul, umbra honoris et suamet vanitate

monstratus. *Suelon. Vitell.* 10. *sub fin. de eod.* Plurimum meri propalam bausit passimque divisit pari vanitate atque insolentia.

VĀNĬTĬES, ēi, f. 5. (vanus) idem ac vanitas. *Ammian.* 21. 1. *sub fin.* Vanities aliquando plebeja strepit hæc imperite mussando. *h. e.* prava et falsa opinio. *Id.* 21. 1. *ante med.* Ad extollendam ejus vanitiem, sidera quoque, si jussisset, exhiberi posse promittens. *vanità, iattanza.*

VĀNĬTĬMUS. *V.* VANUS init.

VĀNĬTŪDO, inis, f. 3. (vanus) idem ac vanitas. *Pacuv.* apud *Non. p.* 184. 5. *Merc.* Turpare vanitudine ætatem. *Plaut. Capt.* 3. 4. 38. Pol ego, - tu inventus vero, vanitudine Qui convincas. *h. e.* vanis dictis et mendaciis.

VANNO, as, are, a. 1. *et*

VANNO, is, ere, 3. (vannus) vanno fruges aut legumina movere ac ventilare, acus vel paleas e frumento vel legumine vannis expurgare, λικμάω (It. *vagliare, crivellare;* Fr. *vanner;* Hisp. *aventar con el bieldo;* Germ. *mit der Getraideschwinge werfen, worfeln;* Angl. *to fan, van, winnow*). *Gloss. Gr. Lat.* Βράσσω, τὸ λικμίζω, vomo, vanno. *Philarg.* ad *Virg.* 1. *G.* 166. Fabam vannat. — Obsceno sensu *Lucil. Sat.* 9. 70. Crissatura (*al.* crissavit), ut si frumentum clunibu' vannat. *Id. ibid.* 7. 17. Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis. Alii rectius pro *cunnis* leg. *lumbis.*

VANNŬLUS. *V.* VALLUS sub *B.*

VANNUS, i, f. 2. *Vanno* abl. pro *vanno* legitur apud *Non. p.* 19. 21. *Merc.* — Ratione habitâ etymi, *Furlanetto* videtur esse a *vannulus* deminut. *vani*, unde per syncop. *vanlus*, mox *vannus* et *vallus*. At recentiores conjungunt cum Skr. *va*, balare, sufflare, et *vata*, ventus, unde et *ventilo, ventilabrum* seu *velabrum*, quo, ut ait *Paul. Diac. p.* 77. 15. *Müll.*, frumenta ventilantur. — Vannus est cribrum cereale, instrumentum latum ex vimine aliave materia, quo acus paleæque post trituram a frumento aut legumine ventilando et in sublime ejaculando excernuntur, λικμός (It. *vaglio, crivello;* Fr. *van;* Hisp. *aventador, bieldo;* Germ. *Getraide - Futterschwinge;* Angl. *a van, fan, corn-van*). *Colum.* 2. *R. R.* 21. *a med.* Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur, vannis expurgantur. Adde *Arnob.* 1. *p.* 23. *Cf. Porphyr.* et *Serv.* ad *Virg. loc. cit. Arnob.* 2. *p.* 39. Vannorum sirpearumque vitores. — *Apul.* 11. *Met.* Vannos onustas aromatis et hujuscemodi suppliciis certatim congerunt. *et ibid.* Vannus aurea. — *Virg.* 1. *G.* 166. et mystica vannus Iacchi. Ubi *Servius:* Mystica, quod Liberi Patris sacra ad purgationem animæ pertinebant: et sic homines ejus mysterii purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. *Pierius* testatur, in optimo illo suo Romano codice et *mystica vallus Iacchi* legi. Cf. *Apul. loc. cit.* et *Rich ad h. v.*

VĀNO, adverb. *V.* VANUS.

VĀNO, as, are, *seu potius*

VĀNOR, āris, ari, dep. 1. (vanus) Part. *Vanans.* — Vanor ¶ 1. Est vana et falsa dico, fallo, decipio. *Acc.* apud *Non. p.* 16. 22. (coll. *ibid. p.* 184.) *Merc.* Tanta ut frustrando lactans, vanans protrahit. *Vossius* mallet: Tantam ut frustrando lactans, vanans protrahas. *Dosith. p.* 61. 8. *Keil.* Vanor, ματαιόομαι, ληρῶ. Adde *Gloss. Lat. Gr.* ¶ 2. Est etiam evanesco. *Gloss. Gr. Lat.* Ματαιοῦμαι, evanesco, vanor.

VĀNŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* vanus, aliquantum vanus. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 304. vanulæ Edentularum cantilenæ. Alii rectius leg. *rancidæ.*

VĀNUS, a, um, adject. Origo vocis latet: potest ex tamen conferri cum *vastus* vel *vacuus*, aut cum *ἰνίς*, vacuo, unde etiam *inanus* vel *inanis*. — Comp. *Vanior* fere in omnib. paragr.; Sup. *Vanissimus* II. 1.° et 2.° *b.*; et etiam *Vanitimus*, si ita legendum, apud *Tertull. advers. Hermog.* 30. — Vanus est inanis, vacuus, cassus, κενός (It. *vuoto, casso, vano;* Fr. *vide;* Hisp. *vacio;* Germ. *leer, hohl;* Angl. *empty, void, vain*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 225. sed illos Exspectata seges vanis elusit aristis. *Horat.* 1. *Od.* 24. 15. et 3. *ibid.* 27. 39. Vana imago. *h. e.* umbra mortuorum sanguine cassa et corpore. *Liv.* 1. 8. *a med.* Deinde ne vana urbis magnitudo esset, adjiciendæ multitudinis causa asylum aperit. *Id.* 2. 47. Et vanior jam erat hostium acies, dum subtracta subsidia mittunt ad castra oppugnanda. *h. e.* rarior, laxioribus ordinibus. *Curt.* 4. 14. Contempserat paucitatem hostis, vanam aciem esse extentis cornibus ratus. *et infra.* Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam. *Colum.* 2. *R. R.* 9. *a med.* Granum extrinsecus albidum, si intus etiam conspicitur candidum, leve ac vanum intelligi debet. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. 131. Vana caro concrescit. *h. e.* superflua, luxurians.

II.) Translate. — 1.°) De rebus est qui frustra est vel fit, effectu carens, falsus, futilis, irritus, *vano*, μάταιος. *Enn.* apud *Fronton. ep.* 2. 13. *p.* 57. *B.* Omnes dant consilium vanum atque ad voluptatem omnia. *Ter. Eun.* 1. 2. 24. Quæ vera audivi, taceo et contineo optume; Sin falsum aut vanum aut finctum est, continuo palam est. *Cic. Planc.* 42. 101. Quum tibi vana quædam miser atque inania, falsa spe inductus pollicebar. *Virg.* 4. *Æn.* 12. Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum. *Ovid.* 8. *Met.* 345. Cuspis Echionio primum contorta lacerto Vana fuit. *Liv.* 7. 23. *ad fin.* Ut pila omnia hastæque non vana caderent. *Id.* 30. 10. Vana pleraque tela in superiorem locum mittebant. *Id.* 3. 16. Tantus tribunos furor tenuit, ut non bellum, sed vanam imaginem belli, ad avertendos ab legis cura plebis animos, Capitolium insedisse contenderent. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (113). Bruta fulmina et vana. *Id.* 30. *ibid.* 2. 5. (14). Quæ omnia Nero vana falsaque comperit. *Plin. alter* 7. *Ep.* 27. Phantasmata inania et vana ex metu nostro imaginem accipere. *Maximian. El.* 4. 43. Vana putas, an vera sopor ludibria jactat? *Sueton. Cal.* 38. Testamenta irrita et vana. *Id. Aug.* 91. Somnia vana et irrita. *Seneca Ep.* 84. *ad fin.* Relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa. *Ovid.* 2. *Met.* 597. Vanum omen. *Id.* 3. *ibid.* 349. Vana diu visa est vox auguris, exitus illam Resque probat. *et* 9. *ibid.* 681. Vanæ preces. *et* 14. *ibid.* 364. Vanam spem sequi. *Id. Heroid.* 16. 242. et *Horat.* 1. *Od.* 23. 3. Vanus metus. *Id.* 2. *Ep.* 1. 188. gaudia. *Tac.* 3. *Ann.* 16. promissa. *Petron. Sat.* 1. Rerum tumor et sententiarum vanissimus strepitus. *Quintil.* 7. 2. 34. Vanum argumentum. *Ovid.* 9. *Met.* 302. convicia. *Id.* 5. *ibid.* 308. dulcedo. *Lucret.* 1. 1067. error. *Quintil.* 1. 8. 20. historiæ. *Liv.* 34. 39. ictus. *Id.* 37. 27. inceptum. *Id.* 21. 18. legatio. *Id.* 2. 42. lex. Sic *Horat.* 3. *Od.* 24. 36. quid sine moribus leges Vanæ proficiunt, si neque fervidis etc. *Liv.* 22. 24. Vaniores litteræ. *Quintil.* 2. 2. 12. Vana persuasio. *Virg.* 6. *Æn.* 284. somnia. *Ovid.* 13. *Met.* 263. verba. *Liv.* 5. 1. *extr.* sermo. *Val. Flacc.* 8. 374. ira. *Id. ibid.* 402. timores. — Et cum Ablativo. *Liv.* 7. 7. Equestris pugna effectu quam conatibus vanior. *Id.* 4. 41. Non suis vana laudibus oratio. — 2.°) De personis. — *a*) Est qui re quapiam frustratus est et spe excidit. *Tac.* 2. *Hist.* 22. *ad fin.* Cæcina fama et pudore cœptæ temere oppugnationis, ne irrisus ac vanus iisdem castris assideret, trajecto rursus Pado etc. — Et cum Genet. *Virg.* 10. *Æn.* 631. aut ego veri Vana feror. *h. e.* incerta. *Sil. It.* 12. 261. Nec forsan voti vanus foret, obvia ni vis etc. *Id.* 17. 138. Vanus fugæ. *h. e.* frustra conatus fugere. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 440. — *b*) Est etiam infidus, levis, inconstans, mendax, *vano, incostante, leggiero, mendace, falso*, levia et inania pro gravibus et veris callide componens, ut ait *Gell.* 18. 4. *ad fin.*, ubi disserit de illo *Sall. fragm.* Cn. Lentulus perincertum stolidior, an vanior. *Cic. Quinct.* 6. *a med.* Si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur; necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur. *Tibull.* 3. 6. 59. si fugiat nostræ convivia mensæ, Ignotum cupiens vana puella torum. *Virg.* 2. *Æn.* 79. nec, si miserum Fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. *Ovid.* 8. *Met.* 721. Hæc mihi non vani (neque erat, cur fallere vellent) Narravere senes. *Cic. Rosc. Am.* 40. 117. Vana oratio. *parlar menzognero.* et *Liv.* 1. 27. Invidia vulgi vanum ingenium dictatoris corrupit. *Id.* 29. 32. *a med.* Inde vanus auctor absumpti Masinissæ ad regem rediit. *Vanus* hoc loco mendacem simul et jactatorem gloriosumque significat, *millantatore:* quia qui se jactant, mentiri multa solent. Sic *Virg.* 11. *Æn.* 715. Vane Ligus frustraque animis elate superbis. *Liv.* 9. 14. Vanissimam increpare gentem (*Tarentinos*), quæ etc. — *c*) Item ignarus: et quidem cum Genet. *Apul. De deo Socr.* Turba imperitorum vana sanctitudinis, priva veræ rationis. Huc trahunt nonnulli illud *Virg.* 10. *Æn.* 631. aut ego veri Vana feror. *h. e.* ignara. *o io m' inganno.* V. sub II. 2.° *a.* — *d*) Item vacuus: et quidem cum Abl. *Liv.* 35. 47. Vanus ingenio. — Hinc

*Vanum, i*, n. 2. absolute, est res vana, inutilis. *Liv.* 26. 37. *ad fin.* Ad vanum et irritum redacta victoria. *Id.* 33. 31. Non tota ex vano criminatio erat. *Seneca Hippol.* 182. cedit in vanum labor. Adde *eumd. Ep.* 31. *Vulg. interpr. Ps.* 126. 1. In vanum laboraverunt, qui ædificant eam *(domum)*. Sunt qui scribunt *invanum* unica voce, Italice *invano*, ut sit adverbialiter usurpatum: cf. *incassum*. *Id. Ps.* 23. 4. Accipere in vano. — *Vanum est*, falsum est, *è falso*. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (25). Vanum arbitror esse, circa Canis ortum angues candidos membranam eam exuere. — In plur. num. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 25. Corruptus vanis rerum. *Liv.* 4. 37. Haud vana adferre. Adde 4. 20. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Oblatum Cæsari anceps periculum auxit vana rumoris. *Virg.* 11. *Æn.* 854. Ut vidit fulgentem armis ac vana tumentem. *h. e.* plenum falsæ gloriæ, inquit *Servius*. Hic autem *vana* adverbii more positum videtur, ut 8. *Æn.* 489. infanda furentem. — *Vana*, adverbialiter pro in vanum vel frustra. *Ovid.* 4. *Fast.* 583. quam quæris, ait, ne vana labores, Nupta Jovis fratri tertia regna tenet. Cf. *Virg. loc.* modo *adl.*

*Vanus, i*, m. 2. absolute, levis, inconsultus, superbus, *vano, sconsigliato, superbo*. *Propert.* 1. 10. 24. Neu tibi pro vano verba benigna cadant. *Val. Max.* 7. 2. *n.* 8. *extern.* Laudare se, vani: vituperare, stulti est.

*Vano*, adverbii more, idem ac vane, in vanum. *Vulg. interpr. Ital. Marc.* 7. 7. Vano autem colunt me. *Noster* habet *in vanum.*

VĀPĬDE, adverb. (vapidus) sine viribus, infirme, male. *Sueton. Aug.* 87. *de Augusto.* Cotidiano sermone quædam frequentius et notabiliter usurpasse eum, litteræ ipsius autographæ ostentant, in quibus *etc.* ponit assidue *vapide se habere* pro male.

VĀPĬDUS, a, um, adject. Etymon vocis repetendum esse ajunt a rad. Skr. *kvap (vap)*, balare, exhalare; unde et *vapor*, *vappa*. — Vapidus est qui vaporem emittit, et proprie dicitur de vino, quod insipidum nulliusque virtutis factum est, ὄχυλος, ἄχυμος (It. *vaporoso, insipido, guasto;* Fr. *qui exhale des vapeurs, fade;* Hisp. *insipido, desabrido;* Germ. *verdorben, ungeschlagen, kahnig;* Angl. *tasteless, insipid, vapid*).

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 5. In vini vapidi, ut acre fiat, sextarios duodequinquaginta. — *Vapida pix*, quæ vinariis vasis illita vinum insipidum facit. *Pers.* 5. 148. Vejentanumque rubellum Exhalet vapida læsum pice sessilis obba.

II.) Translate. *Pers.* 5. 117. Astutam vapido servas sub pectore vulpem. *h. e.* vitiis corrupto. Cf. *Henr. Bothe Met. Ovid. Arg. p.* 124.

VĀPOR, ōris, m. 3. *Vapos* pro *vapor*, ut *arbos, colos, honos, labos* et hujusmodi, olim dixere. *Lucret.* 6. 952. permanat odos frigusque vaposque. Adde *Acc., Næv., Varron.* apud *Non. p.* 487. 12. Cf. *Quintil.* 1. 4. 13. et litt. *R.* — De notatione *V.* voc. præced. — Vapor est humor extenuatus et in altum sublatus, ἀτμός (It. *esalazione, vapore;* Fr. *vapeur, exhalaison;*

Hisp. *vapor, exhalacion;* Germ. *der Dunst, Dampf;* Angl. *an exhalation, steam, vapour*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Stellæ terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis et ex aquis excitantur. *Id. ibid.* 10. *a med.* Aquarum quasi vapor quidam aer habendus est. *Lucret.* 6. 271. docui permulta vaporis Semina habere cavas nubes. *Virg.* 7. *Æn.* 466. Nec jam se capit unda: volat vapor ater ad auras. *Horat.* 1. *Ep.* 18, 93. Formidare nocturnos vapores. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. Terrenus vapor siccus est et fumo similis, qui ventos, tonitrua et fulmina facit: aquarum halitus humidus est et imbres et nives creat. *Stat.* 6. *Theb.* 471. crassum rapit ejectatque vaporem Cornipedum flammata sitis. *Cels.* 6. 8. Aquæ calidæ vapor. ¶ 2. Latiore sensu est fumus vel nubes vel quiddam nubi simile. *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 39. quum tu non stultus ab Arcto Terga vapor dederis Ausoniamque petas. *h. e.* fumus turis in ara incensi. *Seneca Herc. Fur.* 909. quidquid Indorum seges Arabesque odoris quidquid arboribus legunt, Conferte in aras: pinguis exundet vapor. Adde *Stat.* 10. *Theb.* 110. — Hinc *vapore fovere*, suffire, *profumare*. *Cels.* 7. 7. *n.* 2. *et* 10. et *ibid.* 9. *sub fin.* et 8. 4. *ante med.* et *ibid.* 7. *a med.* ¶ 3. Item calor, *caldo, calore.* *Pacuv.* apud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 5. Sol si perpetuo siet, flammeo vapore torrens terræ fetum exusserit. *Acc.* apud *Non. p.* 210. 30. *Merc.* Concoquit partem vapore flammæ. *Lucret.* 1. 663. Æstifer ignis uti lumen jacit atque vaporem. *Cic. Senect.* 15. 3§. Terra semen tepefactum vapore et compressu suo diffundit. *Virg.* 5. *Æn.* 683. lentusque carinas Est vapor. *et ibid.* 698. restinctus donec vapor omnis. *Horat. Epod.* 3. 15. Nec tantus umquam siderum insedit vapor Siticulosæ Apuliæ. *Ovid.* 10. *Met.* 126. solisque vapore Concava litorei fervebant brachia Cancri. *et* 3. *ibid.* 153. finditque vaporibus arva Phœbus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 10. 12. (35). Solis vapore siccatus cortex. *Colum.* 7. *R. R.* 3. *ante med.* Pecus frigoris impatientissimum nec minus æstivi vaporis. *Val. Flacc.* 2. 333. coquiturque vaporibus aer. *Claudian. VI. cons. Honor.* 241. Anni (*h. e.* æstatis) vapor. *Seneca Herc. Œt.* 1366. Non ipse terris major Oceanus meos Frangit vapores. *gli ardori.* et *Colum.* 7. *R. R.* 5. *a med.* Vaporibus omni quadrupedi largius bibendi potestas danda. *ne' gran caldi:* per æstum. *Liv.* 5. 48. Locus torridus et vaporis plenus. *Apul.* 11. *Met.* Vapor vernus. *Ovid.* 7. *Met.* 105. tactæque vaporibus herbæ Ardent. *Curt.* 6. 6. 28. Vapore torrida materia.

II.) Translate usurpatur de igne amoris. *Seneca Hippol.* 640. Pectus insanum vapor amorque torret. Adde *Capell.* 9. *p.* 311. et *Ambros. De Cain et Ab.* 1. 9. *n.* 37.

VĂPŌRĀLIS, e, adject. (vapor) vaporeus, ut Vaporalis tenuitas, *Augustin.* 2. *Genes. ad litt.* 5.

VĂPŌRĀLĬTER, adverb. (vaporalis) modo vaporis. *Augustin.* 2. *Genes. ad litt.* 4. *extr.* Si potest aqua ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aerem vaporaliter feratur. Adde 3. *ibid.* 10. *sub fin.*. *Isid. De ord. nat.* 7. 9. et *Bed. Mund. const. T.* 1. *p.* 381.

VĂPŌRANS, antis, particip. *V.* VAPORO.

VĂPŌRĀRĬUM, ii, n. 2. (vapor) locus in balneo, per quem calor ignis ex hypocausto in cubicula transmeat: alii ipsum hypocaustum intelligunt, *camino.* *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. *ad fin.* In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium esset subjectum cubiculis. Quidam rectius legunt *cubili*, in quo nempe sudaturi sedebant. Adde *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 24. *V.* LACONICUS.

VĂPŌRĀTĒ, adverb. (vaporatus) cum vapore, h. e. calore. Occurrit tantum Comp. *Vaporatius*, apud *Ammian.* 24 4. *circa med.* Effervescente vaporatius sole.

VĂPORĀTIO, ōnis, f. 3. (vaporo) vaporis emissio, exhalatio, *esalazione, svaporamento,* ἀτμισις, ἀποθυμίασις. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 11. Vaporatio inundantium aquarum. *Gell.* 19. 5. Quum aqua frigore aeris duratur et coit, necesse est fieri vaporationem et quamdam quasi auram tenuissimam exprimi ex ea, et emanare. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 18. (65). Vaporatio urinæ impubium, decoctæ ad dimidias partes, menses feminarum ciet. *suffumigio, profumo.* — *Vaporatio balinearum* vel *balnearum* apud *eumd. ibid.* 4. 14. (5). est fomentum et calefactio in balneo. Adde *Theod. Prisc.* 4. *p.* 318. Cf. etiam *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. et 1. *Acut.* 17. 171.

VĂPŌRĀTUS, a, um, particip. *V.* VAPORO.

VĂPŌRĔUS, a, um, adject. (vapor) qui vaporat, vaporus.

I.) Proprie. *Arnob.* 6. *p.* 205. Velamen aureum in rigoribus (*al.* frigoribus) algidum, laneum vaporeum. *h. e.* fovens et calefaciens. Plerique alii leg. *vaporum*. Sed vocem confirmat *Theod. Priscian.* 2. 11. Impetus vaporei. Adde *ibid.* 21.

II.) Translate. *Augustin. Serm.* 80. *n.* 3. Vaporea sanitas. *h. e.* brevis et vaporis instar vanescens. *et ibid.* 301. *n.* 4. Cogitationes fumeæ, vaporeæ, carnales.

VĂPŌRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (vapor et fero) vaporem et calorem emittens, vaporosus, *che svapora e riscalda,* ἀτμώδης.

I.) Proprie. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 96. Sive vaporiferas, blandissima litora, Bajas. *Id.* 1. *ibid.* 3. 45. Vaporiferæ fornaces. *Auson. Mos.* 210. Vaporiferi Vesevi vineta. Adde *Ennod.* 5. *Ep.* 8. *in carm. de Apono.* Vaporifer ros. *Schol.* in *Juvenal.* 9. 59. specus.

II.) Translate. *Ennod.* 1. *carm.* 7. 5. Fonte vaporiferum pariunt tua verba calorem, Æstuat unde jecur. *Id. ibid.* 8. 5. Vaporiferæ quadrigæ.

VĂPŌRO, as, āvi, ātum, are, 1. (vapor) Part. *Vaporans* sub *A* I.; *Vaporatus* sub *B* fere in omnib. paragr. — Vaporo usurpatur *A)* Intransitive; et sæpius *B)* Transitivorum more.

*A)* Intransitive *vaporo* est vaporem et calorem emittere, ἀτμίζειν (It. *svaporare, esalare;* Fr. *exhaler des vapeurs;* Hisp. *evaporarse;* Germ. *Dämpfe geben, dampfen;* Angl. *to emit vapour or heat, evaporate*).

I.) Proprie. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Aquæ vaporant et in mari ipso: mediosque inter fluctus existit aliquid valetudini salutare. *Solin.* 21. Aquæ fontanæ vaporantes. — Part. *vaporans* absolute, apud *Ambros.* 3. *Hexaem.* 15. Inter vaporantia ferveat, inter umbrosa frigescat etc.

II.) Translate est flagrare, incendi. *Lucret.* 5. 1130. Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant. Adde *Dracont. Carm. min.* 2. 9.

*B)* Transitive *vaporo* est vaporem emitto, exhalo: vapore et fumo incensæ rei perfundo et calfacio (It. *profumare e riscaldare;* Fr. *enfumer, échauffer;* Hisp. *ahumar, acalorar;* Germ. *mit warm. Dunst erfüllen, erwärmen;* Angl. *to heat or warm with steam, fumigate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 6. veniens dextrum latus aspiciat sol, Lævum decedens curru fugiente vaporet. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *ante med.* Quum plerique amnes æstate vaporatis, hieme frigidis nebulis caligent. *Id.* 2. *ibid.* 16. *extr.* Glæbæ solibus æstivis vaporatæ. *h. e.* excalfactæ et arefactæ. *Ammian.* 28. 4. *circa med.* Vaporatum tempus. *stagione calda.* Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. 72. *Apul. De mund.* Cujus (*ætheris*) primæ sunt tenuiores et vaporatæ. *Pallad.* 1. *R. R.* 20. Ita purus calor olei cellam sine fumi nidore vaporabit. *riscalderà.* et *Lucan.* 5. 100. Campana fremens saxa vaporat Typhœus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 30. (95). Cantharides suspenduntur super acetum fervens, donec per linteolum vaporentur. *h. e.* enecentur. ¶ 2. Speciatim est adolendo suffumigare, suffire, θυμιάω. *Virg.* 11. *Æn.* 481. Succedunt matres et templum ture vaporant. — Hinc *vaporatæ aræ*, vaporibus turis fumantes: quas turicremas *Virg.* 4. *Æn.* 453. vocat. *Stat.* 1. *Theb.* 455. largoque refecti Ture, vaporatis lucent altaribus ignes. *Calpurn. Ecl.* 2. 62 Sæpe vaporato mihi cæspite palpitat agnus. *h. e.* in ara ex cæspitibus facta. ¶ 3. Item in modum vaporis emittere. *Apul. De mund.* Nebula est exhalatio vaporata. ¶ 4. Item est vapore et calore foveo, remedii seu medicinæ causâ. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 47. (170). Dum coquuntur carnes, oculos vaporari bis præcipiunt. *Id.* 31. *ibid.* 11. 47. (128). Spongiæ imponuntur et his morbis, quos vaporari oporteat ferventi aqua perfusæ. *Scribon. Compos.* 20. Oculos spongiis expressis vaporare.

II.) Translate. *Pers.* 1. 126. Inde vaporata lector mihi ferveat aure. *h. e.* calefacta et accensa ex lectione sanorum librorum. Adde *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 18. *n.* 19. Cf. *Vulg. interpr. Eccli.* 24. 21. *de sapientia.* Et quasi storax *etc.* vaporavi habitationem meam.

VĂPŌRŌSUS, a, um, adject. (vapor) ¶ 1. Est vaporibus abundans. *Apul.* 9. *Met.* Fumosæ tenebræ vaporosæ caliginis. ¶ 2. Est etiam calore plenus, abundans. *Id.* 5. *ibid.* Balnearum vaporosi fontes.

VĂPŌRUS, a, um, adject. (vapor) vaporem et calorem habens, *vaporante e caldo,* θυμιατικός. *Nemesian. Ecl.* 4. 63. Ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vaporo Lustravit. *Prudent.* 6. περὶ στεφ. 115. Hos quum defugeret vaporus ardor, Orant, ut celer ignis advolaret. Adde *Anthol. Lat. n.* 4. *v.* 42. *R.*

VĂPOS. *V.* VAPOR init.

VAPPA, æ, f. 1. proprie est adjectivum, cujus etymon videre est in VAPIDUS; sed fere absolute usurpatur et est vinum insipidum et nullius virtutis, postquam omnis odor saporque optimus evaporavit, ὀξίνης, ἐκτροπίας, ἐξεστηκὼς οἶνος (It. *vino svanito;* Fr. *vin éventé;* Hisp. *vino evaporado;* Germ. *umgeschlagener od. kahniger Wein;* Angl. *palled or insipid wine*).

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 144. Qui Vejentanum festis potare diebus Campana solitus trulla vappamque profestis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (125). Vitiumque musto, quibusdam in locis, iterum sponte fervere: qua calamitate, quum deferbuit, deperit sapor vappæque accipit nomen, probrosum etiam hominum, quum degeneravit animus. Cf. *Martial.* 12. 48. Vaticani perfida vappa cadi. *Pers.* 5. 76. Vappâ lippus. Ita *Hermann.;* sed alii *Vappa et lippus.*

II.) Metaphorice *vappæ* Latinis vocantur ἄχρηστοι, idest inutiles ac nihili homines, ignavi, viles, nugatores, in quibus nihil est solertiæ, nihil prudentiæ, ut jam ex loco *Plinii* supra *adl.* patet: cui *homo frugi* opponitur. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 103. Non ego avarum Quum veto te fieri, vappam jubeo aut nebulonem. *Catull.* 28. 4. satisne cum isto Vappa frigoraque et famem tulistis? *Auct. Priap.* 14. Nos vappæ sumus et pusilla culti Ruris numina. Adde *Pers.* 5. 76. supra *adl.*, si lectio altera probetur.

VAPPO, ōnis, m. 3. Etymon vocis recentiores petunt a rad. *vap*, volitare, undare. — Vappo est fortasse papilio, *parpaglione, farfalla,* Germ. *Lichtmotte,* ὁ περὶ τὸν λύχνον πετόμενος, ut ait *Arist. H. A.* 8. 27. *Prob. Cathol. p.* 1450. *Putsch.* (*p.* 10. 30. *Keil*) Vappo animal est volans, quod vulgo *animas* vocant. lectum est apud Lucretium hos vappones. *Dousa* et *Becker* cum *Forcellino* abjudicant *Lucretio* et *Lucilio* tribuunt. Cf. *Lachmann* ad *Lucr. v.* 2. *p.* 165. et *seq.*

VĂPŬLANS, antis, particip. *V.* VAPULO.

VĂPŬLĀRIS, e, adject. (vapulo) qui vapulat, verbero, μαστιγίας. Jocose *Plaut. Pers.* 1. 1. 22. Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.

VĂPŬLO, as, āvi, ātum, are, n. pass. 1. Ratione habita etymi, alii factum existimant a sono vocis; alii ab ἀπολλύω, pereo; alii rectius ab ἀπαλοάω, flagris cædo, contundo. — Part. *Vapulans* I. 1. *b;* *Vapulaturus* I. 1. *a.* — Vapulo est verberor, cædor, τύπτομαι, μαστιγόομαι (It. *essere battuto;* Fr. *être battu, frappé, étrillé;* Hisp. *ser cascado, batido;* Germ. *Schläge od. Prügel bekommen, geschlagen od. geprügelt werden;* Angl. *to be beaten or drubbed, be whipped*): occurrit autem tum de animantibus, tum de inanimis.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 3. 3. 9. Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui. *Id. Pœn.* 4. 2. 33. Ut, ubi mihi vapulandum est, tu corium sufferas. *Ter. Phorm.* 2. 1. 19. Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes. *Id. Adelph.* 2. 2. 5. Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus. *Lucret.* 4. 939. utrimque secus quum corpus vapulet. *Propert.* 2. 12. 20. Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea. *Ulp. Dig.* 47. 10. 15. Sæpe territus quasi vapulaturus. *Varro* 1. *R. R.* 55. Quod ea (*olea*), quæ vapulavit, macescit. — *b*) Addito Abl. cum aut sine præp. *ab*, ut eum passivis fit: sunt tamen qui contendunt, non usurpari cum Ablat. personæ agentis et præp. *ab;* et si quando usurpetur, ea ratione id fieri, qua dicimus *perire ab aliquo,* ducunt enim vocem ab ἀπολλύω. pereo. *Quintil.* 9. 2. 12. Testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, et innocens, inquit. *Seneca Apocoloc. in fin.* Producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. ¶ 2. Specialim a Comicis usurpatur sæpe in contemptu: nam quum quis significare vult, aliquem se nihili facere et spernere, jubet eum vapulare, h. e. perire, dolere, miserum esse. *Plaut. Amph.* 1. 1. 214. nunc profecto vapula ob mendacium. *Id. Pers.* 2. 3. 16. quid faciat mihi? Verberibus cædi jusserit, compedes imponi? vapulet; Ne sibi me credat supplicem fore. *Id. Curc.* 4. 4. 12. Vapulare ego te vehementer jubeo; ne me territes. *Id. Asin.* 2. 4. 72. tun libero homini Male servus loquere? LE. vapula. — Huc pertinet illud proverbium, *Vapula Papiria,* ortum a quadam ancilla, quæ libertate donata a Papiria hera sua, patronam mox contempsit et quum eam salutare deberet, se ipsam salutabat, heræ autem augurabatur, ut instar servæ vapularet. *Festus p.* 372. 22. *Müll.* ex *Sinnio Capitone* docet, tunc hoc proverbium dici solitum, quum vellent minantibus significare, se eos negligere et non curare, fretos jure libertatis. Addit etiam locum *Plauti fragm.* his verbis: ideo (*lege* id ego) dico, libertes salve, vapula Papiria. ubi *Ælius* ait, *vapula* positum esse pro *dole; Varro* autem pro *peri,* teste eodem *Festo.* ¶ 3. In illo *Plaut. Asin.* 2. 3. 26. Si me iratus tetigerit, iratus vapulabit. *vapulabit* est malum habebit, ut exponit *Gronovius.*

II.) Translate. ¶ 1. In re militari. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 1. *a med.* Susurratores veniunt, alius equitem perdidisse, alius septimam legionem vapulasse. ¶ 2. Extra rem militarem. *Plaut. Truc.* 2. 4. 6. Vaha! vapulo hercle ego nunc atque adeo male. Sic *Pseud.* 1. 1. 13. nihil hoc Jovis ad judicium attinet: sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis. *h. e.* pœnam subeo. *Id. Stich.* 5. 5. 10. Vapulat peculium. *h. e.* dissipatur. *Seneca Agam.* 93. Nubibus ipsis inserta caput Turris pluvio vapulat Austro. è *sbattuta.* et *alter Seneca* 6. *Quæst. nat.* 7. *sub fin.* Multa, quæ procul a mari fuerant, subito ejus accessu vapulavere. Sic *Vulg. interpr. Luc.* 12. 47. Servus - vapulabit multis. *h. e.* punietur. — *Cic.* 2. *Att.* 14. Quum se omnium sermonibus sentiet vapulare. *h. e.* sibi obtrectari.

VAR, indecl. vox Sarmatica, quæ flumen significat, ut *vâri* Sanskritice, *wat* Gothice, *water* Anglice et *wasser* Germanice est aqua, et Persice *baran,* pluvia: similiter Hebraice *bor,* fovea, puteus, fons, et Zendice *vairi,* lacus. *Jornand. Get.* 52. Contigit ergo, ut filii Attilæ contra Gothos, quasi desertores dominationis suæ, velut fugacia mancipia requirentes, venirent ignavisque aliis fratribus super Valemir solum irruerent. Quos tamen ille, quamvis cum paucis, excepit diuque fatigatos ita prostravit, ut vix pars aliqua hostium (*Hunnorum*) remaneret, quæ in fugam versa eas partes Scythiæ peteret, quas Danubii amnis fluenta prætermeant, quæ lingua sua Hunnivar appellant. Hic *Jornandes* de Danubio tamquam de limite inter Gothos et Scythas agit, et fluenta Danubii, quia Hunnos a Gothis dividerent, *Hunnivar,* idest Hunnorum var, seu flumen, quasi Scythiæ principium aut limitem appellat. Hæc, paucis mutatis vel additis, scripsit cl. *Furlanetto* in *App.*

VĀRA, æ, f. 1. (varus) ¶ 1. Est machina lignea duobus vel quattuor lignis arrectariis constans, et superposito altero in modum jugi vel recto vel curvo, ad aliquid sustinendum, *cavalletto.* Hujusmodi sunt, quas adhibent structores iisque tabulata imponunt, quibus insistentes murum exstruunt. *Vitruv.* 10. 19. De materia primum basim subjectis retis fecit supraque compegit arrectariis et jugis varas. — Ex quibus verbis constat, *varam* significare integram istam machinam: sed usurpari potest etiam de aliqua ejus parte, scil. de solis arrectariis, quæ, ut firmius sustineant, divaricata statui solent. — Hinc in *Gloss. Isid.* Varam vibia sequitur: perticæ duæ sunt inter se colligatæ, quæ asserem sustinent, unde proverbium: Vibia varam sequitur. *h. e.* cadente vara, vibiam etiam cadere necesse est. Usurpatur autem de iis, quæ quum mutuo se sustineant, alterutro cadente, corruunt. Inde hausisse videtur *Auson. Edyll.* 12. *præf. monosyllabor. tantum in fine positor.* Ut in vetere verbo est, sequitur varam vibia. Ita legend. contendit *Scaliger ibid.,* quum *vara* videatur esse lignum erectum, *vibia* transversum, et apud *Ausonium* contra atque in *Gloss. Isid.* perperam legatur: *Sequitur vara vibiam.* Sane apud *Lucan.* 4. 439. varæ sunt furcillæ bicornes erectæ, quibus retia ad aucupium tenduntur. Cf. *Rich* ad *h. v.* Verba *Lucani* sunt: Aut dum dispositis attollat retia varis Venator. *Schenkl* tamen edidit *vara vibiam.* ¶ 2. *Vara* etiam dicitur, ut *Carol. Fea* docet in *Saggio di nuove illustraz. p.* 110., canaliculus ille (Italice *incavo, intaccatura*), qui cultro prius circa taleam seu ramum fieri solet, antequam serra totus præcidatur. Quum vero hic canaliculus oblique hinc inde incidendus sit, figuram litteræ V repræsentet, necesse est, inde ei nomen. (V. *Varronis loc. cit.* in VALLUM) *Colum.* 5. *R. R.* 9. *sub init.* Ex his (*ramis*) quam recentissimas taleas recidito, ita ut ne corticem aut ullam aliam partem, quam qua serra præciderit, lædas. Hoc autem facile contingit, si prius varam feceris, et eam partem, supra quam ramum secaturus es, feno aut stramentis texeris, ut molliter et sine noxa corticis taleæ superpositæ secentur. Verum *Gesnerus* et *Schneiderus* hosque secutus *Bened. Del-Bene,* Italus Columellæ interpres, *varam* interpretantur perticam furcillatam, il *cavalletto,* cui imponitur ramus desecandus, stramine aut feno antea munitam: quæ verbi interpretatio cum ea omnino convenit, quæ superius posita est.

VĀRĀTĬO, ōnis, f. 3. (varo) actus varandi seu curvandi, curvatura. *M. J. Nips. p.* 285. 4. *Lachm.* in *lemmate.* Fluminis varatio. *Id. p.* 288. 18. Varationem in agris divisis sic reponimus, ut puta lapidem a lapide etc. *Id. p.* 289. 11. *ibid.* Solida varatio. *Mag.* et *Veg. p.* 349. 12. *ibid.* Variatio (*lege* varatio) fluminum, rivorum cursus etc. — Ex his aliisque locis videtur, non recte *Forcellinus* exposuisse *transitus fluminis.* Putat *Rudorff* esse « *die Uebermessung des Flusses od. anderer unzugänglicher Stellen* ». De hac re satis obscura consule *Lange* in *Hygin. De munit. castr. p.* 149. et 150. et videsis *Tab.* apud *Lachm.* et *Rudorff. fig.* 9. V. VARO.

VĀRĀTUS, a, um, particip. *V.* VARO.

VĀRĀTUS, us, m. 4. (varo) idem ac varatio. *M. J. Nips. p.* 287. 7. *Lachm.* Si vero varatus intervenerit, unde tibi venerit, versuram facies etc. *et mox.* A tetrante usque ad punctum lapidis, ad quem varatus venisti. *V.* VARATIO.

VĀRĒ, adverb. (varus) in vari modum. *Cic. Partit.* 36. 126. Prævaricator significat eum, qui in contrariis causis quasi vare positus esse videatur. *Orell.* varie. V. *Weichert Poet. Lat. rel. p.* 231.

VĀREX. *V.* VARIX.

VARGUS, i, m. 2. vox Gallica, qua significatur extorris et patria expulsus, *bandito:* hinc in *Lege Ripuaria* 87. et *Salica* 57. Si quis corpus jam sepultum exfoderit et exspoliaverit, wargus sit, hoc est expulsus de eodem pago. V. *Ducang. Gloss. med. et inf. Latinit.* in v. *Vargi.* — Verum apud auctores sumitur pro eo qui furatur, vel qui est vagus et fur. *Sidon.* 6. *Ep.* 9. Unam feminam, quam forte vargorum (hoc enim nomine indigenas latrunculos nuncupant) superventus abstraxerat, quum non falso indicio comperissent etc. Adde *Eumen. Pan. Constant.* 9. *n.* 3., ubi perperam alii aliter leg. — Translate in *Gloss. Philox.* Vargus, βλαισός.

VĀRĬA, æ, f. 1. *V.* VARIUS in fin.

VĀRĬĀBĬLIS, e, adject. (vario) qui variatur seu mutatur. *Boeth.* 1. *Arithm.* 1. *p.* 8. et 10. et 2. *ibid.* 31. *p.* 123. et 124. *Fr.* et *Acron.* in *Horat.* 2. *Sat.* 6. 32. — *Forcellinus* unum exhibet *loc.* ex *Apul. De mund.* Aer inferior natura variabilis. Ubi tamen recentiores leg. *vitiabilis.*

VĀRĬANS, antis, particip. *V.* VARIO.

VĀRĬANTĬA, æ, f. 1. (vario) idem ac varietas, *varietà, differenza. Lucret.* 1. 633. nedum variantia rerum Tanta queat densis rarisque ex ignibus esse. *et* 3. 319. unde hæc oritur variantia rerum.

VĀRĬĀNUS, a, um, adject. (varius) varians, varius. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (29). Helvolæ (*uvæ*) insignes colore inter purpureas nigrasque medio, sæpius varianti: et ob id varianæ a quibusdam appellatæ. — Alio sensu vide in ONOM.

VĀRĬĀTIM, adverb. (variatus) variis modis, *variamente,* πεποικιλμένως. *Gell.* 5. 12. *Ve* enim particula, quæ in aliis atque aliis vocabulis variatim per has duas litteras, quum *a* littera media immissa dicitur etc. Sunt qui legunt *varia, tum,* sed invitis Codicib., inquit *Furlanetto* noster; *Hertz* tamen ita leg. Cetera usum vocis firmant *Apic.* 4. 1., *Oros.* 4. 12. et *Auct. De Comp. Pasch.* 1. *p.* 547. *Mign.*

VĀRĬĀTĬO, ōnis, f. 3. (vario) actus variandi, varietas, diversitas, *variazione,* ποικιλία, παράλλαξις. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 24. 9. Ceteræ centuriæ sine variatione ulla consules eosdem dixerunt. ¶ 2. Specialim pro mutatione alvei fluminis. *Gromat. vet. p.* 349. 13., ubi tamen *Lachm.* leg. *varatio.* V. VARATIO. ¶ 3. Item figura rhetorica, quam Græci ἀλλοιότητα vocant, id est variationem, *Priscian.* 17. 155. *Auct. Carm. de figur.* 91. Fit variatio, quum simili re nomina muto. *et ibid.* 191. Si verbum varie mutes, variatio fiet. *Fronto Laud. fum. p.* 212. 27. *N.* Variatio vel cum detrimento aliquo gratior est in oratione quam recta continuatio. *V.* METABOLE et METASTASIS.

VĀRĬĀTOR, ōris, m. 3. (vario) qui variat. *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 26. 36. apud *Augustin.* 2. *Quæst.* in *Heptat.* 177. *n.* 8. Opus variatoris. *h. e.* plumarii, ut *Noster* habet. *Gloss. Gr. Lat.* Ποικιλτής, variator.

VĀRĬĀTUS, a, um, particip. *V.* VARIO.

VĀRĬCA, æ, f. 1. varix. *Gloss. Gr. Lat.* Κιρσός, varex, varica.

VĀRĬCANS, antis, particip. *V.* VARICO.

VĀRĬCĀTĬO (varicacio), ōnis, f. 3. (varico) actus varicandi. *Cassiod. De anim. ad fin.* Lubricus anguis, ne ejus intelligatur adventus, fixum non habet impressa varicatione vestigium. *Gloss. Gr. Lat.* Διασταγμός, hæsitacio, varicacio.

VĀRĬCĀTOR, ōris, m. 3. (varico) qui varicat. *Ulp. Dig.* 3. 2. 4. *ad fin.* Prævaricator est, quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, prodita causa sua.

VĀRĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* VARICO.

VĀRĬCO, as, ātum, are, 1. Part. *Varicans* II.; *Varicatus* I. 2. — Varico duo diversa significat.

I.) *Varico* ¶ 1. Intransitive est distentis cruribus ambulare, *camminare a gambe larghe. Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.* Vallum, quod ea varicare nemo potest. *Alii leg.* varicari. Cf. Italicum *valicare, varcare.* ¶ 2. Transitivorum more est crura et pedes ultra modum distendo alterumque ab altero late diduco, divarico, *allargare e distendere le gambe,* ῥαιβόω. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Varicare supra modum et in

stando deforme est, et, accedente motu, prope obscenum. *Est qui leg.* varicari. — Passive. *Cassiod.* 6. *Variar.* 6. Superbus quin etiam varicatis gressibus patet.

II.) *Varico* est etiam idem ac variari, et dicitur præsertim de uva, quæ variare colorem cœperit, dum maturescit, *varieggiare, vaiolare. Venant. Vit. S. Menard.* 4. Contigit, ut auctumni tempore, fructus mitescente botri suco, varicantem vindemiam ubertas ostenderet. — Hoc sensu *Furlanetto* vult primam corripi, quasi sit a *vărix*, non a *vāricus*.

VĀRĬCOR, āris. *V.* voc. præc. sub I. 2.

VĀRĬCŌSĒ, adverb. Occurrit tantum Comp. *Varicosius* apud *Paul. Diac.* ex *Fest.* in *Muli Mariani p.* 149. 25. *Müll.* Milites in furca, interposita tabella, varicosius onera sua portare consueverant. *h. e.* magis distendendo et divaricando crura, ut fit, quum grande aliquod onus sustinemus. — Alii ad varices referunt, quia bajulantes onera solent varices contrahere: quæ interpretatio, alioqui recentioribus minus probata, si admittatur, prima syllaba corripienda est. Cf. voc. seq.

VĀRĬCŌSUS, a, um, adject. (varix) qui varicibus est tumidis, quæ plerumque e nimio labore aut diutina statione oriri solent, κιρσώδης (It. et Hisp. *varicoso;* Fr. *variqueux;* Germ. *voll v. Krampfadern, an Krampfadern leidend;* Angl. *straddling, striding*). *Pers.* 5. 189. Dixeris hæc inter varicosos centuriones. *Juvenal.* 6. 395. Hæc de comœdis te consulit, illa tragœdum Commendare volet: varicosus fiet haruspex. *scil.* qui diu stare cogitur in consultatione deorum. *Sidon.* 5. *Ep.* 5. Varicosi Arpinatis opulentia loquacitasque. *h. e.* Ciceronis. *V.* VARIX.

VĀRĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* varix, exigua varix. *Cels.* 5. 26. *n.* 32. Si varicula intus est, ea quoque excidenda.

VĀRĬCUS, adverb. (varus) crura distendendo et divaricando, *allargando le gambe. Apul.* 1. *Met.* Varicus super faciem residentes, vesicam exonerant, quoad urinæ spurcissimæ madore perluerent. Sunt qui leg. *varitus* a *varus*, ut *primitus* a *primus*, *imitus* ab *imus*. Cf. *Hildebr.* ad *h. l.*

VĀRĬCUS, a, um, adject. (varus) qui crura distendendo et varicando stat aut ambulat, *chi sta o cammina con le gambe larghe,* ἀμφιπλίξ. *Ovid.* 3. *Art. am.* 303. Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti, Ambulat, ingentes varica fertque gradus. — Et translate. *Vitruv.* 3. 3. ed. *Lorenz.* Ipsarum ædium species sunt varicæ. At *Schneider* et *Rose* aliter leg. *V.* BARYCEPHALUS.

VĂRĬĒ, adverb. (varius) vario colore, *con colore vario, variegatamente.* V. VARIETAS.

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 63. (67). Mithrax gemma multicolor, contra solem varie refulgens. *et ibid.* 5. 18. (173). Smaragdi Cyprii varie glauci. *Apul. De mag.* Arcus in nubibus varie. *h. e.* vario colore. Alii aliter leg.

II.) Translate. ¶ 1. Est variis modis, *variamente, in varii modi,* ποικίλως, πολυμερῶς. *Cic.* 2. *Divinat.* 42. 89. Eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quæ vocantur errantia. *Id.* 4. *Acad.* (*post.*) 4. 16. Qui ab iis, qui illum audierunt, perscripti varie copioseque sunt. *Id.* 16. *Fam.* 4. Varie sum affectus tuis litteris. *Auct. B. Alex.* 40. Signo dato concurritur: acriter varieque pugnatur. *con varia fortuna.* Sic *Liv.* 5. 28. In Æquis varie bellatum: adeo ut in incerto fuerit, vicissent, victine essent. *Sall. Cat. in fin.* Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudia agitabantur. *Auct. B. Alex.* 57. *a med.* Namque id varie nuntiabatur. *in diverse maniere. et Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (84). Causam faciendi varie interpretantur. *Auct. B. Afr.* 60. *extr.* Sagittarios varie passimque, locis certis maximeque in cornibus collocaverat. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Iidem suci varie alibi ad quælibet prævaluere. *Id.* 6. *ibid.* 13. 14. (33). Oceanus varie per sinus et accolas in complura nomina dividitur. *Cic. Sest.* 45. 97. Optimatum numerus late et varie diffusus est. *h. e.* per varia hominum genera. *Liv.* 21. 30. Varie militum servare animos castigando adhortandoque. *Tac.* 1. *Ann.* 47. Hiemem aut negotia varie causari. *Sueton. Galb.* 9. Varie et inæqualiter provinciam regere. Adde *Apul.* 8. et 11. *Met. Paul.* 5. 15. 5. qui falso vel varie testimonia dixerunt. — Jaculariter, cum verborum lusu. *Plaut. Epid.* 1. 1. 15. EP. perpetuon valuisti? TH. varie. EP. qui varie valent, Caprigenum hominum non placet mihi neque pantherinum. *ora bene ora male.* ¶ 2. Item mutabiliter, inconstanter, *incoerentemente, contradittoriamente. Vellej.* 2. 101. 1. Varie se gerere.

VĂRĬĔGĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĂRĬĔGO, as, ātum, are, 1. (varius et ago) Part. *Variegatus.* — Variego

I.) Transitive est ornatûs varietate distinguo, *variare, vergolare:* quasi varium ago. ¶ 1. Proprie. *Apul.* 11. *Met.* Navis picturis miris circumsecus variegata. *Id. De deo Socrat.* Monilia ex argento et auro et gemmis variegata. *Id. Florid. n.* 9. Balteus miris coloribus variegatus. — Hinc vestis *variegata* aliud est a *clavata;* hæc enim insuendo clavos suo loco, illa per totum intexendo fiebat. Cf. *Quintil.* 8. 5. 28. ¶ 2. Translate. *Auson. Ep. præmiss. Edyll.* 13. Figuras alius alio scientius variegant. *Augustin. Serm.* 118. *n.* 4. ed. *Mai. de Ecclesia.* Astat a dextris Dei in vestitu deaurato, circumamicta varietate, per aquam mundata, per sanguinem purpurata, per resurrectionem Domini candidata pretiosis gemmis gratia varietata (*lege* variegata).

II.) Neutrorum more est varius sum. *Apul. Florid. n.* 3. Lyra auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat.

VĂRĬĔTAS, ātis, f. 3. (varius) disparilitas, dissimilitudo et variantia colorum, ποικιλμός (It. *diversità o varietà di colori;* Fr. *variété des couleurs;* Hisp. *variedad d. colores;* Germ. *die Mannigfaltigkeit d. Farben, das Bunte, die Nüancen;* Angl. *variety of colours*). V. *Cic. loc.* sub *A* II. 1.

*A)* Abstracto, ut ajunt, sensu.

I.) Proprie seu stricto sensu. *Cic. Senect.* 15. *in fin.* Res rusticæ lætæ sunt apium examinibus, florum omnium varietate. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 44. (106). Hyænæ oculis mille sunt varietates colorumque mutationes. *Id.* 9. *ibid.* 17. 30. (66). Mullum exspirantem versicolori quadam et numerosa varietate spectari. *Id.* 20. *ibid.* 9. 40. (106). Flos bulborum tritus crurum maculas varietatesque igne factas emendat. *Id.* 12. *ibid.* 1. 5. (10). Marmorum nitor, picturæ varietas. — *Vulg. interpr. Ps.* 44. 10. Regina circumdata varietate. *h. e.* auro optimo ac purissimo et omni ornamentorum genere.

II.) Translate, seu latiore sensu, dicitur de quacumque dissimilitudine et differentia, *differenza, dissomiglianza, varietà.* ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Fin.* 3. *ad fin.* Varietas Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa disparia: varium poema, varia oratio, varii mores, varia fortuna: voluptas varia etiam dici solet. *Liv.* 7. 31. Varietates annonæ. *Quintil.* 5. 10. 125. argumentorum. *Cic.* 7. *Verr.* 61. 158. criminum. *Id.* 5. *ibid.* 3. 6. decretorum. *Id. Senect.* 15. 54. florum. *Id. pro leg. Manil.* 6. 14. fructuum. *Quintil.* 10. 2. 1. figurarum. *Id.* 1. 12. 4. Reficit animos ac reparat varietas ipsa. *Cic.* 1. *Off.* 30. *ante med.* Ut in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, sic in animis exsistunt etiam majores varietates. *Id. Fontej.* 2. 3. Huic provinciæ, quæ ex hac gentium varietate constaret, Fontejus præfuit. *Id.* 2. *Divinat.* 3. *circa med.* Surdus varietates vocum aut modos noscere non potest. *et* 1. *ibid.* 36. Quæ omnia fiunt et ex cœli varietate et ex disparili adspiratione terrarum. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *sub fin.* Litus ornant varietate gratissima nunc continua, nunc intermissa tecta villarum. *Tertull. advers. Jud.* 6. Getulorum varietates. *h. e.* varii Getuli. Cf. *Melam* 1. 4. *Cic.* 2. *Orat.* 14. 58. Timæus longe eruditissimus et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus. *Id. Arch.* 9. 21. Bellum magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum. *varietà di fortuna.* et 1. *Nat. D.* 1. *a med.* Qui deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. *varietà d'opinioni.* et *Quintil.* 11. 1. 42. Varietas opinionum. *Tac.* 2. *Ann.* 37. *a med.* temporum. *mutazione, vicende.* et *Plin.* 5. *Ep.* 5. Vir natura acutus, usu exercitatus, varietate promptissimus. *h. e.* varia eruditione, πολυμαθία. ¶ 2. Speciatim de inconstantia et levitate. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 18. Nullam rem aliam extimescens, quam varietatem atque infidelitatem exercitus. *Cic. Dom.* 5. 11. Varietas venditorum. *Spartian. Get.* 7. *in fin.* Varietas autem tanta fuit Antonini Bassiani, ut modo fautores Getæ, modo inimicos occideret. Adde *Cic.* 7. *Verr.* 50. 132. et *Ammian.* 15. 9. 7.

*B)* Concreto, qui dicitur, sensu, *varietates* sunt ipsæ res variæ. *Liv.* 9. 17. Varietatibus distinguendo opere, legentibus diverticula amœna quærere.

VĂRĬĔTĀTUS. *V.* VARIEGO.

VĀRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (varius) Part. *Varians* sub *A* I. et II. 1. *a* et *B* I. et II.; *Variatus* sub *A* in omn. paragr. et in fin. — Vario usurpatur *A)* Transitive; et etiam *B)* Neutrorum more.

*A)* Transitive est varium facio, distinguo: et proprie de coloribus dicitur, ποικίλλω (It. *varieggiare, variare;* Fr. *nuancer, varier;* Hisp. *matizar, variar;* Germ. *nuanciren, buntfarbig machen, verändern;* Angl. *variegate, checker, vary*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 441. Sol ubi nascentem maculis variaverit ortum. *Ovid.* 4. *Met.* 577. Nigraque cæruleis variari corpora guttis. *Id.* 12. *ibid.* 465. Vis juvenilis erat, variabant tempora cani. *Lucan.* 9. 713. *de angue.* Pluribus ille notis variatam pingitur alvum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (189). Variante se uva. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 41. gemma variante capillos. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 16. 47. (157). Calculi nigri paullum candore variati. Sic *Lucret.* 2. 758. omnigenos gignunt variantque colores. *Liv.* 12. 2. Ex verna intemperie variante colores frigoraque. *Lucan.* 4. 79. Imperfecto complectitur aera gyro Arcus, vix ulla variatus luce colorem. Jaculariter *Plaut. Pœn. prol.* 26. Domum abeant, vitent ancipiti infortunio, Ne et hic varientur virgis et loris domi. Similiter *Catull.* 64. 351. Putridaque infirmis variabunt pectora palmis. *h. e.* tundendo livida facient. — Mediorum apud Græcos more, pro variare se. *Colum. Arbor.* 12. Simulatque uva variari cœperit.

II.) Translate est diversum facere, distinguere, mutare quacumque ratione, *diversificare, cangiare, mutare, variare.* ¶ 1. Personaliter. — *a)* Universim. *Virg.* 9. *Æn.* 154. Discurrunt variantque vices. *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 48. Arbitrio variat multa poeta suo. *Id.* 12. *Met.* 559. formas variatus in omnes. *h. e.* mutatus. *Liv.* 23. 5. Variante fortuna eventum. *Id.* 25. 6. Et variabant secundæ adversæque res non fortunam magis quam animos. *Manil.* 1. 2. Sidera diversos hominum variantia casus. Cf. *Gell.* 14. 1. *ante med. Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 29. (91). Inula cotoneis malis vel sorbis, aliquando pipere aut thymo variata. *h. e.* mixta, ut saporem variet. — *b)* De ornatu. *Ovid. Medic. fac.* 19. positu variare capillos. *Martial.* 8. 28. Texta Semiramia quæ variantur acu. *si ricamano.* et *Val. Flacc.* 3. 11. vestes picto Clyte variaverat auro. *Catull.* 64. 50. vestis priscis hominum variata figuris. *h. e.* distincta, ornata, picta. *Martial.* 4. 46. Et lato variata mappa clavo. — *c)* De oratione, scriptis et hujusmodi. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 36. Orationem variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus. *Id. Orat.* 18. 59. Ergo ille princeps vocem variabit et mutabit: omnes sonorum, tum intendens tum remittens, persequetur gradus. *Quintil.* 9. 4. *a med.* Figuræ laboranti etiam compositioni variatæ sæpe succurrunt. *h. e.* mutatæ, *variate.* et *Liv.* 21. 28. Certe variata me-

moria actæ rei. *h. e.* varie tradita. *Id.* 27. 27. *ad fin.* Si quæ de Marcelli morte variant auctores, omnis exsequi velint. *h. e.* varie tradunt. — *d)* De sentiendi opinandique ratione. *Cic. Mil.* 3. *a med.* Eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam sapientissimæ deæ sententia liberatum. *Liv.* 2. 57. Quum timor atque ira invicem sententias variassent. ¶ 2. Passive impersonaliter. *Cic.* 5. *Fin.* 5. 12. In eo nonnumquam variari inter eos et dubitari videtur. *Liv.* 22. 60. Senatus consuli cœptus. ibi quum sententiis variaretur etc. *Id.* 7. 22. Nec variatum comitiis est, quin cum Manlio Cnæo censor Marcius crearetur. *Sueton. Vitell.* 1. Nisi de familiæ condicione variatum esset. *Vellej.* 2. 51. *in fin.* Variatum deinde prœliis.

*B)* Neutrorum more est dissimilem esse, mutari.

I.) Proprie. *Propert.* 4. 2. 13. Prima mihi variat liventibus uva racemis. *invaia.* Sic *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ante med.* Quum primum baccæ variare cœperint. *Id.* 4. *ibid.* 20. *a med.* Variantibus adhuc et acerbis uvis. *scil.* nondum nigris, sed colore adhuc vario. *Id.* 7. *ibid.* 3. Universitas (*arietum*) tergoris maculis variat. Adde *Lucret.* 2. 484. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (60). Ostrea variant coloribus: rufa Hispaniæ, fusca Illyrico, nigra Circejis. *Sillig.* varientur. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (29). Helvolæ (*uvæ*) colore sæpius varianti.

II.) Translate. — *a)* Personaliter. *Lucret.* 4. 649. seminibus distant variantque figuris. *Propert.* 2. 4. 11. Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ. *h. e.* agitantur. *Cels.* 2. 1. Ex tempestatibus optimæ æquales: pessimæ, quæ variant. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (27). Vix ulla magis tam denso uvarum partu impatiens variantis cœli. *h. e.* inconstantis, modo hac, modo illa ratione se habentis. *Id.* 7. *ibid.* 42. 43. (134). Exempla Fortunæ variantis innumera sunt. *Liv.* 27. 27. *extr.* Ita fama variat, ut etc. *Id.* 38. 57. *extr.* Hæc de tanto viro, quamquam et opinionibus et monumentis litterarum variarent, proponenda erant. *Id.* 3. 45. Ita in lege firmum libertati fore præsidium, si nec causis nec personis variet. *Inscr.* apud *Murat.* 598. 1. NECESSARIA FVIT DILIGENTIOR EXPLORATIO TAM VETVSTAE REI TANTO MAGIS QVOD ET POSSESSIO QVIBVSDAM LOCIS VARIAVERIT. *Justin.* 9. 1. 3. Variante victoria. *Id.* 26. 1. 3. Variante hominum partim dolore, partim gaudio. *Ovid. Remed. am.* 525. quoniam variant animi, variamus et artes. *Id.* 2. *Trist.* 153. Sic abeunt redeuntque mei variantque timores. *Paul. Dig.* 4. 6. 3. Constitutiones inter se variasse videntur *h. e.* discrepasse. — Absolute *varians,* qui variat. *Jul. Val.* 1. *res gest. Alex. M.* 34. — *b)* Impersonaliter. *Liv.* 1. 43. Ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundæ classis vocarentur. *se vi fosse ineguaglianza di suffragio.* V. quæ adnot. *Drakenborch.* — Hinc Part. præter. pass.

*Variatus, a, um,* etiam adjectivorum more usurpatur, unde Comp. *Variatior;* et est varians, varius, diversus. *Apul. Florid. n.* 17. Vox hominis et tuba rudore torvior et lyra concentu variatior.

VĂRĬŎLUS, a, um, adject. *deminut. a* varius, aliquantum varius. Hinc *uva variola* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 20. 7., fortasse eodem sensu, quo *variana* apud *Plin. loc. cit.* in VARIANUS. Alii tamen *variola* a *Vario* aliquo, ut etiam *variana,* ducendum esse putant, sed minus probabiliter.

VĀRĪTUS. *V.* VARICUS adverb.

VĂRIUS, a, um, adject. Origo vocis definiri nequit. *Isid.* 12. *Orig.* 1. 52. vult *varius* dici, quod *vias* habeat colorum imparium. Sane ad colores proprie referri colligitur ex *Ciceronis* sententia, 2. *Fin.* 3. *ad fin.* Haud procul distat Gr. βαλιός, varius, maculosus: radix enim βαλ facile verti potuit in *var.* — Quidquid sit de etymo, varius est diversi coloris, versicolor, maculosus, ποικίλος (It. *di diversi colori, vario;* Fr. *varié, nuancé;* Hisp. *matizado, variado;* Germ. *mannigfach, mannigfaltig, gefleckt, bunt;* Angl. *various, party-coloured, variegated*). *Klotz* tamen aliique hunc sensum non primitivum ac proprium, sed derivatum ponunt.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 33. *et* 73. Ubi uvæ variæ cœperint fieri. *Ter. Eun.* 4. 4. 16. Ita risus est dudum, quia varia veste exornatus fuit. *Varro* 2. *R. R.* 2. Arietis lingua nigra aut varia. *Horat.* 2. *Od.* 5. 12. auctumnus Purpureo varius colore. *Id.* 2. *Sat.* 4. 83. Varii lapides. *Tibull.* 1. 7. 45. flores. *Virg.* 4. *Æn.* 42. colores. *Colum.* 3. *R. R.* 2. vites. *Horat. Art. P.* 2. plumæ. et 1. *Od.* 18. 2. frondes. *Ovid.* 6. *Met.* 114. serpens. *Virg.* 3. *G.* 264. lynces. *Seneca Hippol.* 63. tigres. — Jocolariter. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 12. vostra latera loris faciam ut valide varia sint. *h. e.* livida et cruenta. Sic *Pompon.* apud *Non. p.* 19. 31. *Merc.* Tergum varium, linguam vafram.

II.) Translate sumitur in universum pro dissimili, multiplici, dispari, diverso, *diverso, vario.* ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Fin.* 3. *ad fin.* Transfertur in multa disparia: varium poema, varia oratio, varii mores, varia fortuna: voluptas varia etiam dici solet, quum percipitur ex multis dissimilibus rebus. *Cæs.* 2. *B. G.* 22. Fortunæ eventus varii. *Virg.* 1. *Æn.* 208. Post varios casus, post tot discrimina rerum. *Id.* 1. *G.* 133. Variæ artes. *Nepos Hannib.* 13. Multis variisque laboribus perfunctus. *Cic. Orat.* 3. *a med.* Curricula multiplicium variorumque sermonum. *Id. Flacc.* 3. 6. Præturæ jurisdictio, res varia et multiplex ad suspiciones et simultates. *Id.* 1. *Orat.* 51. *ad fin.* Quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam et multas, copiosas variasque rationes. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. *a med.* Plato varius et multiplex et copiosus fuit. *Id. pro leg. Manil.* 10. *sub fin.* Varia et diversa genera et bellorum et hostium. *Id.* 7. *Verr.* 19. *a med.* Varium jus et dispar condicio. *Sall. Jug.* 5., *Liv.* 2. 6. *ad fin.* et *Justin.* 4. 2. *sub fin.* Varia victoria. *h. e.* quæ modo apud hos est, modo apud illos. Sic *Sall.* 4. *Hist. fr.* 61. 15. *Kr.* Varium prœlium. *h. e.* nunc hoc nunc illo vincente. *Plin.* 1. *Ep.* 16. Ingenium varium, flexibile, multiplex. *h. e.* aptum ad omnia, et, ut ait de Catone *Liv.* 39. 40., versatile ad omnia. — Cum Dativo. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 53. est genus unum Stultitiæ nihilum metuenda timentis *etc.* Alterum et huic varium et nihilo sapientius. *h. e.* contrarium. *Alii rectius leg.* varum. V. *Heller* ad *h. l.* ¶ 2. Speciatim *varius* dicitur, qui ex vario semine sive ex meretrice natus est. *Lamprid. Elagab.* 2. Semiamira (seu Soœmias) autem Antonino Caracallo stupro cognita, ita ut hinc vel Varius vel Elagabalus vulgo conceptus putaretur. Et ajunt quidam, Varii etiam nomen idcirco eidem inditum a condiscipulis, quod vario semine, de meretrice utpote, conceptus videretur. Hactenus *Lampridius.* Ceterum ea contumeliosa nominis Varii interpretatio falsa, etsi vulgaris fuerit, videtur, quum certo constet, illum fuisse filium Sex. Varii Marcelli. *Inscr.* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. *p.* 246. SEX. VARIO MARCELLO PRAESIDI PROVINCIAE NVMIDIAE IVLIA SOOEMIAS BASSIANA C. F. CVM FILIIS MARITO ET PATRI AMANTISSIMO. Sed *V.* ONOM. ¶ 3. Item *varia* terra dicitur a *Colum.* 2. *R. R.* 4. *ante med.,* quum post longam siccitatem exiguo imbre semimadida est; tunc enim in superficie humida apparet, inferius non item. Hinc rusticum præceptum apud *Caton. R. R.* 61. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (174). Sulco vario ne ares. *h. e.* quum sulcus apparet varius, aratione abstineto. ¶ 4. Refertur etiam ad animum, et est levis, inconstans. *Sall. Jug.* 5. Animus audax, subdolus, varius. *Id. ibid.* 74. Varius incertusque agitabatur. *Id. ibid.* 113. Voltu corporis pariter atque animo varius. *Nepos Pausan.* 1. Pausanias in omni genere vitæ varius. *Flor.* 4. 3. Antonius ingenio varius. Huc pertinet *Ciceronis* locus apud *Quintil.* 6. 3. 48. Miror, quid sit, quod pater tuus, homo constantissimus, te nobis varium reliquit. *h. e.* varium ab animi levitate, simulque alludit ad aliam varii significationem, de qua *Plaut. loc.* supra *cit.;* etenim, ut ait *id. Quintil. ibid. n.* 25., dicebatur e patre flagris aliquando cæsus. — Hinc absolute, substantivorum more

*Varia, æ, f.* 1. ¶ 1. Est panthera, ita dicta a macularum varietate; quibus est spectabilis. Nam pantheræ diversicolorem maculosamque pellem habent, πάρδαλις. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 23. (62). Pantheræ et tigris macularum varietate prope solæ bestiarum spectantur, ceteris unus ac suus cujusque generis color est. *etc.* Nunc varias et pardos, qui mares sunt, appellant in eo omni genere. *et ibid.* 24. (64). Primus autem Scaurus ædilitate sua varias CL. universas misit. — Allusit huc *Plaut. Epid.* 1. 1. 15. ubi, quum *Epidicus* dixisset, varie se valuisse, respondet *Thesprio.* Qui varie valent, caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus. ¶ 2. Etiam picarum genus quoddam, longa cauda insigne, *variæ* appellantur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (78).

*Varium, ii, n.* 2. varia res. *Virg.* 4. *Æn.* 569. varium et mutabile semper Femina. *h. e.* inconstans, levis. — *Varium est,* varia opinio est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 13. Quales sint dii, varium est: esse nemo negat.

*Varius, ii, m.* 2. ¶ 1. Est piscium genus, aliter tructa. *Isid.* 12. *Orig.* 6. 6. Varii, a varietate, quos vulgo tructas vocant. *Poeta* in *Anthol. Lat.* 21. 56. *Riese:* Hinc scarus, hinc varius, hinc purpura, polypus inde. ¶ 2. Item nomen Rom., de quo *V.* dicta superius II. 2. et ONOM.

**Homonym.** Differunt *varius* et *diversus;* hic enim dicitur de re, quæ cum alia comparetur, a qua ob aliquam peculiarem notam discrepet; ille de re in se ipsa considerata. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 262. Quæ collegisti ex variis et diversis studiis et artibus. Adde 3. *ibid.* 16. 61. *Quintil.* 11. 3. 182. Hic varias manus diversos nutus actor adhibebit. *Ovid.* 10. *Met.* 146. Et sensit varios, quamvis diversa sonarent, Concordare modos. *Tac.* 1. *Hist.* 25. Otho, postquam vario sermone callidos et audaces cognovit, pretio et promissis onerat. — Suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant etc. *h. e.* spe et metu. Cf. 6. *Ann,* 20. *V.* plura apud *Döderlein op. cit. v.* 3. *p.* 269. et *seqq.*

VĂRĪUS, ii. *V.* voc. præced.

VĂRIX, icis, comm. gen. 3. Alia forma est *varex* pro *varix* in *Gloss. Gr. Lat.* V. VARICA. — *Non. p.* 26. 13. *Merc.* ducit a *varus, a, um:* quia venæ in cruribus tumentes inflexæ sunt et obtortæ: sed videtur esse potius a *vārus, i;* nam prima in *vărix* brevis est. — Varix est vena fæculento sanguine tumescens: quales in temporibus, ventre et cruribus in primis oboriri solent ex nimio labore bajulandi aut ambulandi aut ex diuturna statione, κιρσός (It. *vena gonfia, varice;* Fr. et Hisp. *varice;* Germ. *die Krampfader;* Angl. *a varix*): et occurrit fere in plur. num. *Varro* apud *Non. loc. cit.* Nam si tuam rhedam non habuissem, haberem varices. *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 35. Quum varices secabantur C. Mario, dolebat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 104. (252). C. Marium stantem sibi extrahi varices passum unum hominum. *Seneca Ep.* 78. *a med.* Ille, qui dum varices exsecandas præberet, legere librum perseveravit. *Cels.* 7. 8. *ante med.* Varix ortus vel tormina insaniam tollunt. *Id.* 7. 17. *in fin.* In quorumdam ventribus varices sunt, quarum curatio etc. *et ibid.* 31. In cruribus orti varices non difficili ratione tolluntur. Huc autem et eorum varicum, qui in ventre sunt, curationem distuli. — Scitum est scomma Vatinii in Ciceronem, ut narrat *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. Quum enim hic humeris se reipublicæ ab exsilio reportatum gloriaretur, unde ergo, inquit Vatinius, tibi varices? — Fuit autem Cicero varicibus crura tumens: unde *Sidon.* 5. *Ep.* 5. varicosum Arpinatem dixit. et *Plin. Secundus* apud *Quintil.* 11. 3. *a med.* tradit, in dicendo solitum fuisse togam usque ad calceos demittere, velandarum varicum gratia.

VĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Cl. *Furlanetto* vocis etymon videtur esse *var;* sed aptius

a *vārus* duxeris. — Part. *Varatus.* — Varo est varum seu curvum facio arcûs instar. *Auct. De limit. p.* 257. *Goes.* Sunt et alii pontes, quorum alvei varantur. *Id.* 285. Si in agri quadratura tibi dictanti occurrerit flumen, quod necesse sit varari, sic facies. *Id. p.* 287. Si repositionem facies, ut per actus singulos, quos varasti, reponas, si eumdem limitem agere necesse fuerit. *Id. p.* 286. Si vero varatus inveneris, unde tibi venerit, versuram facies etc. *et mox.* Cultellabis a tetrante usque ad punctum lapidis, ad quem varatus venisti. — *Forcellinus* ita exponit vocem *varo*, ut sit varis seu varicatis cruribus transeo; sed *V.* VARATIO.

VĀRO *et* varro (bāro), ōnis, m. 3. De scriptione et notatione *V.* BARO. — Varo ¶ 1. Est vox contumeliæ et significat hominem durum, asperum: vel stultum, hebetem, fatuum. *Lucil. Sat. fr. inc.* 108. (Cf. *Fest. p.* 329. 30. *Müll.*) *Müll.* Varonum ac rupicum squarrosa, incondita rostra. Adde *Cic., Pers.* aliaque loca in BARO. ¶ 2. *Varrones* dicti sunt etiam *betacei* apud *Apic.* 3. 2., a *Varrone* aliquo. V. *Schuch* ad *h. l.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VARRO. *V.* voc. præced.

VĀRŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* varus, parvus varus, idest tuberculum. *Marcell. Empir.* 8. *sub fin.* Varulis, idest hordeolis oculorum remedium tale facies. *et mox.* Si in dextero oculo varulus est natus, manu sinistra vārulum tenebis etc.

VĀRŬS, a, um, adject. Vulgo factum putatur a similitudine litteræ V inversæ, quam refert, qui varus est. V. *Varron.* 5. *L. L.* 117. *Müll.* et *Fea Obs.* ad *Virg. p.* 112. Recentiores trahunt a rad. *kvar*, declino, unde sit *varus* pro *kvarus.* Cf. *curvus.* — Varus est distortus, obtortus, incurvus, ῥαιβός, σκαμβός (It. *storto, strambo, sbilenco*; Fr. *qui marche en écartant les jambes, cagneux*; Hisp. *estevado*; Germ. *auswärts gebeugt*; Angl. *bandy-legged, shambling*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 24. simulato vecta juvenco Virginea tenuit cornua vara manu. *Id.* 11. *Met.* 83. porrectaque brachia varos Esse putes ramos. Alii rectius leg. *veros.* et *Colum.* 5. *R. R.* 9. Taleam varam facere. *h. e.* extrorsum curvare. Cf. etiam VARA. — *b*) De cruribus. *Varro* 2. *R. R.* 9. *de canib.* Debent esse cruribus rectis et potius varis quam vatiis. *Varus* enim est qui crura diplosa habet, in quo differt a *vatio* seu *valgo.* V. infra. Hinc *Horat.* 1. *Sat.* 3. 47. hunc varum, distortis cruribus; illum Balbutit scaurum, pravis fultum male talis. *Lucil.* apud *Non. p.* 26. 12. *Merc.* Compernem aut varam ivisse Amphitruonis ἄκοιτιν. Adde *Plaut. Merc.* 3. 4. 54. — *c*) De luctantibus. *Ovid.* 9. *Met.* 33. tenuique a pectore varas In statione manus et pugnæ membra paravi. *Martial.* 7. 32. Vara nec injecto ceromate brachia tendis. *Stat.* 6. *Theb.* 850. Collaque demersere humeris et brachia late Vara tenent. ¶ 2. Speciatim est curvus, pravus. *Pers.* 4. 11. rectum discernis, ubi inter Curva subit vel quum fallit pede regula varo.

II.) Translate. *Pers.* 6. 18. geminos, Horoscope, varo Producis genio. *h. e.* vario, dissimili, dispari. — Cum dativo. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 53. est genus unum Stultitiæ *etc.* Alterum et huic varum et nihilo sapientius. *un altro (pazzo) tutt' opposto.* Alii leg. *varium. V.* VARIUS, a, um. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen inter *varum* et *valgum* seu *vatium* V. in VALGUS.

VĀRUS, i, m. 2. macula sive tuberculum exiguum et durum in facie, quod a Græcis ἴονθος appellatur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 42. (85). Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit e facie. *Cels.* 6. 5. Pæne ineptiæ sunt curare varos et lenticulas et ephelidas: sed eripi tamen feminis cura cultus sui non potest. et *paullo post.* Vari commodissime tolluntur imposita resina etc. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 73. (151). Varos emendare. *Id.* 23. *ibid.* 1. 14. (19). purgare. *et ibid.* 4. 45. (89). repurgare.

VAS, vădis, comm. gen. 3. *Văs* in recto corripuit *Auson. Edyll.* 12. *per interr.* 1. *p.* 201. ed. *Bip.* — Ratione habita etymi, *Bopp* in *Gloss. compar.* etc. 311.: Vas fortasse, inquit, a rad. Skr. *vad*, loqui, dictum, sicut nos dicimus « gut sagen ». Alii derivant a *vadh*, ire, ducere vel domum ducere. Cf. *vado.* — Vas est qui promittit, suo se periculo aliquem judicio stiturum, ἐγγυητής (It. *sicurtà, mallevadore*; Fr. *caution en justice, répondant*; Hisp. *caucionero, fiador*; Germ. *der Bürge, Gewährleistung*; Angl. *a surety or bail*).

I.) Proprie. — *a*) In re capitali. *Cic.* 3. *Off.* 10. 45. *de Damone et Pythia.* Vas factus est alter ejus sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. *Id.* 2. *Fin.* 24. *extr.* Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille fecit Siculo tyranno? *Liv.* 39. 41. *sub fin.* Qui aut citati non adfuerant aut vades deseruerant. *Cic.* 5. *Tusc.* 22. 63. Vadem liberare. *Id.* 2. *Rep.* 36. 61. poscere. — *b*) Etiam in re civili locum habuisse videtur. Si enim *vadari* in re civili dicimus, cur non et *vades?* *Varro* 6. *L. L.* 74. *Müll.* Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat. *et mox.* Caveri lege cœptum est ab his, qui prædia venderent. ab eo scribi cœptum in lege mancipiorum: vadem ne posceret etc. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 11. Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est, Solos felices viventes clamat in urbe.

II.) Translate. *Curt.* 9. 2. 25. Vestram virtutem rerum, quas gesturus sum, vadem prædemque habeo. *Ambros. De virgin.* 9. *in fin.* Tres sunt velut vades Ecclesiæ, spes, fides, caritas.

Homonym. Discrimen inter *vadem* et *prædem* V. in PRÆS.

VAS, vāsis, n. 3. *et* vasa, ōrum, plur. 2. — 1.°) Ad formam quod attinet, in sing. num. sequitur fere tertiam declinationem, in plur. secundam. — *a*) Occurrit etiam *vasum, i*, n. 2., ut apud *Plaut. Truc.* 1. 1. 33. aliquod vasum argenteum Aut vasum abenum aliquod. *Cato* apud *Gell.* 13. 23. Neque ibi ædificatio neque vasum neque vestimentum ullum est manu pretiosum. Adde *Fab. Pict.* apud *Non. p.* 544. 26., *Vitruv.* 8. 1. in *Codd. optt.* et *Petron. Sat.* 51. — Item rarius *vasus, i*, m. 2. apud *Petron. fragm. Trag.* 57. *Burmann. a med.* V. infra. *Gloss. Philox.* Σκεῦος, vasus: quam formam non esse imitandam, monet *Forcellinus.* — Hinc genet. *vasi* apud *Lucret.* 6. 233., notante quoque *Capell. loc. cit.* conl. *Charis.* 1. *p.* 119. *Putsch.* Et *vaso* in dat. et abl. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 20., *Vitruv.* 8. 1. et 9. *præf.* 11., ubi alii *in vasum* pro *vaso* leg. (V. *Rose*), *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 47. (79)., *Scribon. Compos.* 122. et 125., *Gargil. Mart. Medic.* 41. et 43., *Plin. Val.* 1. 6., *Inscr.* in *Corp. Inscr.* 3. 2214. et *alia* infra *adl.* etc. Cf. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 363. — *b*) *Vasi*, abl. sing. pro *vase*, apud *Capell. loc. cit.* — *c*) *Vasum*, genet. plur., apud *Charis. p.* 146. 24. *Keil.* et *Capell.* 3. *p.* 74.; contra vero *Caper p.* 94. 12. *ibid.* — *d*) *Vasibus* pro *vasis* quidam leg. apud *Auct. Ætn.* 486., sed ibi *vallibus* legendum est. « At *vasibus* perspicue legitur, inquit *Furlanetto*, apud *Gargil. De re hort.* 3. 4. (edente *A. A. Scottio*) Non in pavimento sed vasibus servanda arena. Itaque *Scottius* putat, etiam apud *Auct. Ætn. v. cit.* scribendum esse *vasibus*, quod tamen minime probamus». Ceterum usurpavit etiam *Cassian. Cœnob. præf.* 1. Cf. *Capell. loc. cit.* — *Vas'* per apocopen pro *vasis* veteres adhibuisse, tradit *Cic. Orat.* 45. 153. Sine vocalibus brevitatis causa contrahebant, ut ita dicerent, *multi' modis, vas' argenteis, palm' et crinibus* etc. — 2.°) Ratione habita etymi, alii conferunt cum Gr. σκεῦος, alii vero cum Skr. *vas*, tegere, circum tegere, velare, unde *vasana*, tegumen. — Vas est instrumentum quodcumque idoneum ad aliquid recipiendum, σκεῦος, ἀγγεῖον (It. et Hisp. *vaso*; Fr. *vase*; Germ. *Gefäss, Geschirr, Geräth*; Angl. *a vessel*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 61. pol te multo magis opinor (*rapere*) vasa ahena ex ædibus. *Cato R. R.* 11. Vasa torcula instructa III. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 54. Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 62. Plurima ac pulcherrima vasa argentea. *et mox.* Vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo. *Id. Mur.* 36. 75. Vasa Samia. *stovigli. Horat.* 2. *Sat.* 7. 72. aspera. *con emblemi o figure.* et *Cic.* 2. *Invent.* 40. 116. pretiosa cælata. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 49. (140). coquinaria. *Id.* 37. *ibid.* 2. 7. (18). escaria. *Curt.* 8. 12. 16. convivalia. *Lucret.* 3. 435. quassatis undique vasis Diffluere hu morem. *Colum.* 12. *R. R.* 20. Defrutum infra tertiam partem vasis consedit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. Murrbina crassitudine, quanta dictum est vasi potorio. *Id.* 29. *ibid.* 5. 32. (98). Comburere aliquid in vase fictili. *Id.* 28. *ibid.* 9. 35. (133). Lac expressum crebro jactatu in longis vasis. *Id.* 33. *ibid.* 11. 53. (148). Vasorum aureorum pondo MD. ¶ 2. Latiore sensu dicitur etiam de iis, quæ aliquid sustinent. *Ulp. Dig.* 34. 2. 20. *circa med.* Si vasa sint legata, non solum ea continentur, quæ aliquid in se recipiunt edendi bibendique causa paratum, sed etiam quæ aliquid sustineant: et ideo scutellas vel promulsidaria contineri. — *Capell.* 6. *p.* 194. Vasa horoscopa vel horologia. ¶ 3. Latissimo sensu, omnis generis supellex nonnumquam vasorum nomine venit, *mobili. Plaut. Aulul.* 1. 2. 17. Cultrum, securim, pistillum, mortarium, Quæ utenda vasa semper vicini rogant. *Seneca* 1. *Benef.* 1. Nomina facturi, diligenter in patrimonium et vasa debitoris inquirimus. *Ulp. Dig.* 33. 7. 8. Vasa, quæ utilia culturæ sunt, aratrum, ligones, sarculi, falces, bidentes. *Grat. Cyneg.* 219. *vasa* dicit supellectilem venatoriam. Cf. *Ter. Heaut.* 1. 2. 89. ¶ 4. Et in re militari sunt omnis generis impedimenta, *il bagaglio*, σκεύη πολεμικά. Unde illa *conclamare vasa, colligere vasa*, quum movenda sunt castra et alio transferenda. *Cic.* 6. *Verr.* 19. 40. Ille ex Sicilia jam castra moverat et vasa collegerat. *Cæs.* 1. *B. C.* 66. Signum dari jubet et vasa militari more conclamari. et 3. *ibid.* 37. Noctu, ne conclamatis quidem vasis, flumen transit. Adde *Liv.* 27. 47. et 1. 24. — Hinc allegorice *Seneca Ep.* 19. Subduc te istis occupationibus. satis multum temporis sparsimus: incipiamus vasa colligere.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur quicquid continet et servat aliquid more vasorum: hinc *vasa* alvearia apum, *alveari. Colum.* 9. *R. R.* 6. Ex ferulis commode vasa texuntur. ¶ 2. Item corpus, quo animus quodammodo continetur. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. *ad fin.* Corpus quasi vas est aut aliquod animi receptaculum. Adde *Vulg. interpr.* 1. *Thess.* 4. 4. *Inscr.* metrica, mutila sed suppleta a cl. *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1875. *p.* 31. *Quum tuba* TERRIBILI SONITV CONCVSSERIT ORBEM *Excitæque animae* RVRSVM IN SVA VASA REDIBVNT etc. ¶ 3. Item conditorium seu arca vel urna continendis corporibus seu cineribus defunctorum. *Inscr.* apud *Gruter.* 751. 11. VAS DISOMVM. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* supra *cit.* V. DISOMUS. ¶ 4. Item τὰ αἰδοῖα. *Auct. Priap.* 70. Hinc legimus, Circen Atlantiadenque Calypso Grandia Dulichii vasa petisse viri. Alii perperam leg. *jussa tulisse.* V. VASATUS et VASCULUM. Cf. in *S. Script.* 1. *Reg.* 21. 5. — Hinc ambiguo sensu. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 40. Facio, quod manifesto mœchi haud ferme solent: refero vasa salva. ¶ 5. *Vasa papyri* apud *Vulg. interpr. Is.* 18. 2. sunt naves junceæ. Alii aliter interpretantur.

III.) Translate. *Petron. fragm. Tragur.* 57. *Burmann. a med.* Vasus fictilis, immo lorus in aqua. *h. e.* homo debilis ac stolidus. *Hieronym.* vert. *Reg. S. Pach.* 79. Si sæculares homines aut debiles aut vasa infirmiora id est muliercula venerint ad ostium etc. — Apud *Vulg. interpr.* occurrunt passim locutiones *vas castrorum*, de luna, *Eccli.* 43. 9. *virtutis*, de vestibus pontificalibus, *ibid.* 45. 9. *furoris*, de hostibus, *Is.* 13. 5. *mortis*, de letiferis sagittis, *Ps.* 7. 14. *munitionis*, h. e. munimenta, 1. *Mach.* 14. 10. *electionis*, h. e. lectissimum instrumentum, *Act.* 9. 15.

etc. Nam apud Hebræos vox *kelji*, vas, multiplicem latissimumque habet sensum. — De vario et symbolico vasis usu in antiquis monumentis Christianis V. *Bortolotti* in *Opusc. di Modena Ser. II. T.* 14. (*a.* 1869.) *p.* 417. et *seqq.*

**VĀSĀRĬUM**, ĭi, n 2. (vas, vasis) ¶ 1. Stricto sensu est locus, ubi vasa reponuntur, armarium. *Gloss. Lat. Gr.* Repositorium, σκευοθήκη. ¶ 2. Latiore sensu merces, quæ datur factoribus pro utendis vasis in conficiendo oleo, apud *Caton. R. R.* 145. ¶ 3. Similiter id, quod ituris in provinciam magistratibus supellectilis causâ instruebatur, ut vasa, equi, muli, viaticum. *Cic. Pis.* 35. 86. Nonne HS. centies et octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti? ¶ 4. *Vasaria* appellat *Vitruv.* 5. 10. vasa balnearum, caldarium, tepidarium et frigidarium. ¶ 5. Et sunt etiam tabularia, apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (162). Nec sunt omnia vasaria excutienda: mediæ tantum partis inter Apenninum Padumque ponemus exempla. — Hinc nomen factum est tabulariis et archivis, in quibus libri censuales servantur. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 13. 11. 12. Loca, quæ præstationem suam implere non possunt, præcipimus adæquari, ut quid præstare possint mera fide et integra veritate scribatur: id vero quod impossibile est, e vasariis publicis auferatur. *registri, archivi.* et *Cassiod.* 7. *Variar.* 45. *sub fin.* Ita faciatis de vasariis publicis diligenter abradi etc. *libri delle gravezze.*

**VĀSĀTUS**, a, um, adject. participiorum more effictum (vas, vasis). ¶ 1. Est vasis instructus. Hinc *bene vasati* apud *Lamprid. Elagab.* 5. 8. 9. et 31. sunt magno peculio instructi, mutoniati, λάσταυροι. *V.* VAS. ¶ 2. Alia significatione est erasus, vasis privatus, ejectus. *Paulin. Pall.* 319. Illico namque Exacto laribus patriis tectisque crematis, Obsidio hostilis vicina excepit in urbe, Vasatis patria majorum atque ipsa meorum Et gravior multo, circumfusa hostilitate, Factio servilis paucorum mixta furori.

**VASCELĬUM**, ĭi. *V.* VASCELLUM.

**VASCELLĀRĬUS**, a, um, adject. (vascellum) ad vascellum pertinens. Hinc *basilica vascellaria* seu *vascularia*, eadem atque argentaria, in qua vascella seu vasa, in primis aurea et argentea, conficiebantur et venum dabantur. *Notit. Urb. p.* 27.

**VASCELLUM**, i, n. 2. (*deminut. a* vasculum) ¶ 1. Est parvum vasculum, *piccolo vaso. Testam. Porcell. post init.* Si qua vascella pedibus meis confregi, rogo etc. *Gloss. Labb.* Σκευάριον, vascellum. Alii falso leg. *vascelium. Imper. Cæs.* ad *Sev. Alex.* apud *Roncalli T.* 2. *p.* 245. Polyphagus, qui manducaret vascellum sardinarium. Legitur et in *Not. Tir. p.* 150. Vas, vasculum, vascellum. ¶ 2. Est etiam olla seu vasculum cinerarium vel urnula, in qua cineres vel corpus defuncti conditur. *Inscr.* apud *Gruter.* 1108. 6. (*Orelli n.* 4555.) FILIVS IN VASCELLO ET MASSA DEPOSITVS.

**VASCĬO**, ōnis, m. 3. *deminut. a* vas, idem ac vasculum. *Theod. Prisc.* 4. 1. *a med.* Ursi natura vascione circa stomachum suspensa collo, lino portetur.

**VASCLĀRĬUS** et

**VASCŎLĀRĬUS**. *V.* voc. seq.

**VASCŬLĀRĬUS**, a, um, adject. (vasculum) *Vasclarius* syncop. pro *vascularius* V. infra. — Vascularius est ad vasculum pertinens, ut *basilica vascularia* seu *vascellaria* (seu etiam *vascolaria*, ut in *Curios. Urb. p.* 26. *Pr.*) in *Inscr.* apud *Henzen Suppl. Orell. n.* 7218. eadem ac Porcia et argentaria. Cf. *Marini Fr. Arv. p.* 248. V. VASCELLARIUS. *Inscr.* Romæ reperta an. 1815. et Romæ edita a *G. F. Masdeu.* Negotiantes vasculari. — Hinc

*Vascularius*, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, qui scyphos aliaque ex auro vel argento vel ære vascula facit aut vendit, *vasaio, orafo*, σκευοποιός. *Cic.* 6. *Verr.* 24. *a med.* In regiam maximam palam artifices omnes, cælatores ac vascularios convocari jubet. *Ulp. Dig.* 19. 5. 21. *ad fin.* Si quum emere argentum velles, vascularius ad te detulerit. *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* 291, 9. ABRARII VASCLARII. *Alia* apud *Fabrett. p.* 17. *n.* 75. et *Murat.* 948. 9. Q. CRITONII C. L. DASSI SCALPTORIS VCLARI. *h. e.* vascularii, qui scilicet scyphos aliaque vascula ex auro vel argento cælabat. — Collegium vasculariorum, *la fraglia degli orefici*, legitur in *Inscr.* apud *Reines. cl.* 10. *n.* 10., *Gruter.* 643. 3. et *Murat.* 945. 5., item apud *Scævol. Dig.* 44. 7. 61.

**VASCŬLĀRĬUS**, ĭi, m. 2. *V.* voc. præced.

**VASCŬLUM**, i, n. 2. *deminut. a* vas, exiguum vas, *vasello, vasetto*, ἀγγείδιον.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 111. Vasculum facito de materia hederacea. *Plaut. Aulul.* 2. 3. 3. Vascula intus elue. *Quintil.* 1. 2. *a med.* Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt. *Juvenal.* 9. 141. argenti vascula puri. *Inscr.* apud *Orelli n.* 114. VASCVLA DVLCIARIA.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de alveo apum. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. *a med.* Si nulla nascantur examina, duorum vel trium vasculorum multitudinem in unum conferre possumus. ¶ 2. Item de capsula seminis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 28. 34. (115). et 18. *ibid.* 7. 16. (53). ¶ 3. Τὰ αἰδοῖα, peculium, ut Vasculum rude, *Petron. Sat.* 24. *sub fin.* V. VAS. ¶ 4. Item corpus humanum. *Prudent.* 5. *Perist.* 301. Pone hoc caducum vasculum Compage textum terrea. Cf. *Cassiod.* 2. *Divin. Inst.* 12. V. VAS. ¶ 5. Et de muliere, apud *Vulg. interpr.* 1. *Petr.* 3. 7.

**VASCŬLUS**, a, um, adject. *deminut. a* vascus, aliquantum vascus. *Anthol. Lat. n.* 19. *Riese.* Concinno sensu meam returem, quamvis vasculam, Pieridem.

**VASCUS**, a, um, adject. Vox est valde incertæ originis; quamquam *Joh. de Jan.*, cui *Gloss.* videntur suffragari, a *vanus* ducendum esse statuit: hinc et Gallicum *vasque* factum putat *Quicherat* in *Add. p.* 306. Immo sunt, qui de ipso vocis usu dubitent et, ubi apud *Vitruv.* et *Solin. loc. cit.* alii leg., *vastus* legendum esse monent. *V.* infra. *Salmas.* tribuit etiam *Livio* 24. 48. et *Gellio* 19. 9., sed alii omnes *vastus.* Ceterum vocem agnoscunt etiam veteres *Glossæ*, ut videre est apud *Quicherat loc. cit.*, et deminutivum *vasculus* confirmat. — Vascus ¶ 1. Est vacuus, inanis, levis, ut in *Gloss. MS.* (quem tamen loc. *Drakenb.* ad *Liv.* 24. 48. corruptum esse ait) exponitur. *Vitruv.* 3. 2. *in fin.* Venustatem persequitur visus, cujus si non blandimur voluptati proportione et modulorum adjectionibus, uti id, in quo fallitur, temperatione augeatur, vascus et invenustus conspicientibus remittetur aspectus. *vista troppo spaziosa e sproporzionata.* Ita *Forcellinus* noster, qui ait, alios apud *Vitruv.* legere *vastus*, sed invitis plerisque criticis. At *Schneider* et nuper *Rose* ex Codd. MSS., nulla addita varianti lectione, *vastus* dederunt. ¶ 2. Item est obliquus, incurvus, πλάγιος. *Solin.* 5. *a med.* Insula arundinum ferax. quæ accommodatissimæ sunt in omnem sonum tibiarum seu præcentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria præcinendi; seu vascas, quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt. Ita leg. etiam *Drakenb.* et *Momms.* Si *Salmasium* audimus in notis ad *Vopisc. Carin.* 19., vasca tibia est ea, quæ μελετητικὸς αὐλός in *Gloss. Philox.* dicitur, h. e. tibiæ quoddam genus curvum et obliquum, soni levioris et acutioris, qua præcipue tibicines inflandi artem ediscere et meditari consueverant: a vasco sono, quem edebat. Cl. *Furlanetto* has tibias Italice interpretatur *flauti a traverso, storte.* Porro *Serv.* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 737. Ast ubi curva choros indixit tibia Bacchi. *hæc adnotat:* Bacchi autem ideo, quia apud veteres ludi theatrales non erant, nisi in honorem Liberi Patris. Hanc tibiam Græci πλαγίαυλον vocant, Latini vascam tibiam et est Dionysia quum maxime: ea satyri utuntur. *V.* PLAGIAULES. Hinc etiam *Bion* 3. 7. Ὡς εὗρεν πλαγίαυλον ὁ Πάν, ὡς αὐλὸν Ἀθᾶνα, Ὡς χέλυν Ἑρμάων, κίθαριν δ' ὡς ἁδὺς Ἀπόλλων. — De vasca tibia videsis etiam *Rich* ad v. *Tibia.*

**VĀSĬFER**, fĕri, m. 2. (vas et fero) qui fert vasa, bajulus. *Gloss. Cyrill.* Σκευοφόρος, vasifer, sarcinator.

**VĀSO**, ōnis, m. 3. (vas) qui vas magnum habet. De pudendis dixit *Pompon. Com.* 61. *Ribb.* ed. alt.

**VASPEX** (vaspix), ĭcis, m. 3. densus cæspes. *Apic.* 1. 17. Accipies uvas de vite illæsas - mittes in vas, in quo et uvas mittis vaspicem et gipsari facies. Alii *vas picari.* Cf. *ibid.* 23. Holera electa non satis matura in vaspicetum repone. Alii *vas picatum.* Ita *Schuch* utrobique leg. *V. ibid.* adnotata. et VESPICES.

**VASPĪCĒTUM**, i, n. 2. factum a *vaspex*, ut a *frutex fruticetum*, a *salix salicetum* et hujusmodi. *V.* in voc. præced.

**VASPIX**. *V.* VASPEX.

**VASTĀBUNDUS**, a, um, adject. (vasto) idem fere ac vastans. *Ammian.* 31. 8. *circa med.* Vastabundi omnes per latitudines Thraciæ pandebantur impune.

**VASTANS**, antis, particip. *V.* VASTO.

**VASTĀTĬO**, ōnis, f. 3. (vasto) actus vastandi, vastitas, depopulatio, πόρθησις (It. *guasto, guastamento, disertazione, saccheggio*; Fr. *dévastation, ravage*; Hisp. *devastacion, asolamiento*; Germ. *die Verwüstung, Verheerung*; Angl. *a ravaging, waste*). *Sall. Orat.* 1. *ad Cæs.* 4. Fuga mulierum et puerorum, vastatio domorum. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 15. *extr.* Italiam a vastatione defendere. *Cic.* 2. *Cat.* 8. *a med.* Ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? *Liv.* 7. 15. *ad fin.* et 10. 4. Vastatio agri. *Tac.* 4. *Hist.* 34. Vastatione incendiisque flagrantes villæ. — In plur. num. *Cic.* 5. *Phil.* 9. 25. Depopulationes, vastationes, cædes, rapinæ. *Tac.* 15. *Ann.* 27. Regnum vastationibus intactum.

**VASTĀTOR**, ōris, m. 3. (vasto) qui vastat, *saccheggiatore, guastatore*, πορθητής. *Ovid.* 11. *Met.* 395. vastatoremque cruento Ore ferum. — Cum Genetivo. *Virg.* 9. *Æn.* 771. ferarum vastator Amycus. *Ovid.* 9. *Met.* 192. Arcadiæ vastator aper. *Stat.* 2. *Achill.* 317. Tene, inquit, magnæ vastator debite Trojæ? *Seneca* 1. *Benef.* 13. Hic (*Alexander*) a pueritia latro gentiumque vastator.

**VASTĀTŌRĬUS**, a, um, adject. (vasto) qui vastat. *Ammian.* 18. 6. 9. Hostium vastatoriæ manus. *Id.* 19. 9. *a med.* Vastatorius globus.

**VASTĀTRIX**, trīcis, f. 3. (vastator) quæ vastat. Translate. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Luxuria terrarum marisque vastatrix. Adde *Cassiod.* in *Ps.* 32. 20.

**VASTĀTUS**, a, um, particip. *V.* VASTO.

**VASTĒ**, adverb. (vastus) Comp. *Vastius* I. 2. et II. — Vaste est late, *in largo spazio, largamente*, ἀχανῶς.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Mela* 1. 1. Mare longe lateque diffusum abigit vaste cedentia litora. ¶ 2. Speciatim est vehementer. *Ovid.* 12. *Met.* 530. Vastius insurgens decimæ ruit impetus undæ. *Scribon. Compos.* 107. Vastius podagra correpti.

II.) Translate est rustice, deformiter. *Cic.* 3. *Orat.* 12. 45. Loqui non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et æquabiliter et leniter. *Forcellinus* exponit: late aperto ore et hianti in loquendo. Sic *ibid.* 43. *extr.* Si verba extrema cum consequentibus ita jungetis, ut ne aspere concurrant neve vastius diducantur.

**VASTESCO**, is, ere, n. 3. *inchoat. a* vastus, vastus fio, inhorresco, deseror, *distruggersi*, πέρθομαι. *Acc.* apud *Non. p.* 185. 10. *Merc.* Ne scelere tuo Thebani vastescant agri. Addit *Non.* et locum *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 22. Terram stirpium asperitate vastescere. Sed plerique alii et ipse *Non. loc. cit.* leg. *vastari.*

**VASTĬFĬCUS**, a, um, adject. (vastus *et* facio) vastitatem inducens. *Cic.* vertens carm. *Sophocl.* 2. *Tusc.* 9. *ad fin.* Hæc dextra Erymanthiam vastificam abjecit beluam.

**VASTĬTAS**, ātis, f. 3. (vastus) solitudo, loca deserta (It. *solitudine, deserto*; Fr. *vaste désert, solitude*; Hisp. *soledad, lugar desierto*; Germ. *die Oede, Leere, Verödung*; Angl. *solitude, desert*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 51. *a med.* Audistis, quæ solitudo esset in agris, quæ vastitas, quæ fuga aratorum, quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. *Seneca Herc. Fur.* 701. Sterilis profundi vastitas squalet soli. *Tac.* 13. *Ann.* 55. *a med.* Ne vastitatem et solitudinem mallent, quam amicos populos. *Id.* 2. *Hist.* 70. Infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. ¶ 2. Speciatim est vastatio, ruina, πόρθησις. *Cic. Flacc.* 1. 1. Quum cædem a vobis, vastitatem a templis, urbe, Italia depellebam. *Id.* 1. *Cat.* 5. *a med.* Templa deorum, tecta urbis, vitam civium, Italiam totam ad exitium et vastitatem vocas. *Liv.* 3. 26. Tantam vastitatem in Sabino agro reddidit, ut etc. *Id.* 8. 9. *ad fin.* Fugam et vastitatem late facere. *Cic. Harusp. resp.* 2. *a med.* Excisionem, inflammationem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris inferre. *Id. Pis.* 35. 88. Quum milites uno genere morbi affligerentur, neque se recreare quisquam posset; dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, socii bello lacessiti, fana vexata hanc tantam efficerent vastitatem. *sì grande mortalità e diminuzione.* Adde *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1852. *p.* 178. — In plur. num. *Accius* apud *Non. p.* 417. 12. *Merc.* Propter te tot tantasque habemus vastitates funerum. ¶ 3. Item quia loca infrequentia, deserta et spoliata videntur esse ampliora et latiora, ideo *vastitas* est nimia amplitudo, magnitudo modum excedens, ὑπερμέγεθος, *ampiezza, larghezza, spaziosità, grandezza, vastità:* qui *Forcellino* est primarius vocis sensus. *Colum.* 3. *R. R.* 8. India perhibetur molibus ferarum mirabilis: pari tamen in hac terra vastitate beluas progenerari quis neget? *Gell.* 9. 13. Hostis formidandæ vastitatis. *corporatura terribile.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 41. (110). Vastitas cæli. *Id. ibid.* 11. 8. (49). solis. *Id.* 3. *procem. de freto Gadit.* Tam modico ore tam immensa æquorum vastitas panditur. *Id.* 16. *ibid.* 2. 2. (6). Hercyniæ silvæ roborum vastitas. — In plur. num. *Cod. Theod.* 15. 3. 4. Immensæ vastitates viarum.

II.) Translate. *Colum.* 1. *R. R.* 9. Bubulcum vastitas vocis et habitus metuendum pecudibus efficit. *Id.* 4. *ibid.* 18. Vastitas instantis laboris animos debilitat. *Id.* 5. *ibid.* 1. Vastitas scientiæ rei rusticæ. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 32. (60). Vastitate odoris capita replentur. — *Cic. Brut.* 6. 21. Deflere judiciorum vastitatem et fori. *h. e.* solitudinem.

VASTĬTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *vastito,* sæpe aut multum vastatus. *Ammian.* 16. 4. 4. *Gardth.* Terræ sæpe vastitatæ. *Id.* 26. 5. 9. Vastitatis propinquioribus locis.

VASTĬTĬA, æ, f. 1. *et*

VASTĬTĬES, ēi, f. 5. (vastus) *Vastitia* legitur apud *Vulg. interpr. Ital.* 3. *Reg.* 7. 46. — Vastities est idem ac vastitas, hoc est destructio, separatio. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 68. Harum voluptatum mihi omnium atque itidem tibi Distractio, discidium, vastities venit.

VASTĬTŪDO, ĭnis, f. 3. (vastus) ¶ 1. Est idem ac vastitas. *Formula* apud *Caton. R. R.* 141. Uti tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis. Adde *Acc.* et *Pacuv.* apud *Non. p.* 184. 30. et *p.* 185. 2. *Merc.* Cf. *ibid. p.* 152. 29., *p.* 169. 23. et *p.* 243. 4. *Fest. p.* 372. 4. *Müll.* Squales scabresque inculta vastitudine. Adde *Varron. Sat. Menipp.* 254. ¶ 2. Est etiam magnitudo. *Gell.* 5. 14. Leo corporis impetu et vastitudine oculos omnium in se converterat. Adde *Acc. tr.* 615.

VASTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vastus) Part. *Vastans* I. 2. *a; Vastatus* I. 1. et 2. *a* et *b.* — Vasto est vastitatem infero, spolio et in solitudinem redigo (It. *disertare, spogliare, desolare;* Fr. *rendre désert, dépeupler;* Hisp. *despoblar, hacer desierto;* Germ. *leer, öde machen;* Angl. *to bereave, deprive, spoil*): construitur etiam cum addito Ablativo rei vel personæ, qua quid privatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Qui quasi cultores constituti non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari nec stirpium asperitate vastari. *Liv.* 23. 30. Urbe defensoribus vastata facile potiti sunt hostes. *h. e.* spoliata, deserta. Alii leg. *a defensoribus:* alii *vasta.* Sic *Val. Flacc.* 1. 480. venator vastata lustra fugit. *h. e.* feris spoliata. *Catull.* 66. 12. Vastatum fines iverat Assyrios. *Auct. B. G.* 8. 24. *ad fin.* Fines hostium vastare civibus, ædificiis, pecore. *Virg.* 8. *Æn.* 7. undique cogunt Auxilia et latos vastant cultoribus agros. Adde *Stat.* 3. *Theb.* 576. et 4. *ibid.* 297. *Tibull.* 4. 1. 153. Atque duæ (*zonæ cæli*) gelido vastantur frigore semper. *h. e.* infestantur et incultæ desertæque fiunt. ¶ 2. Speciatim est vastum reddo, diripio, depopulor, *dare il guasto, saccheggiare, rovinare,* πέρθω. — *a*) De rebus. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Vastare provinciam incursionibus. *Auct. B. G.* 8. 25. omnia cædibus, incendiis, rapinis. *Sall. Jug.* 59. *a med.* Igni magis, quam prædâ ager vastabatur. *Id.* in *Ep. Pomp. ad senat.* Hispaniam ad internecionem vastavimus. *Cic. Harusp. resp.* 13. 28. Pessinuntem ipsum vastaris. *Id. Mil.* 32. 87. Vastarat Etruriam. *Virg.* 4. *G.* 16. Vastare omnia late. *Cic.* 6. *Verr.* 50. *extr.* Agros vastare atque exinanire. *Id.* 4. *Cat.* 6. *ad fin.* Italiam vastare et diripere. *Sall. Jug.* 45. *sub fin.* Sine modo modestiaque invadere, polluere, vastare omnia. *Calpurn. Ecl.* 5. *sub fin.* Vastare pecuaria morbo. Adde *Liv.* 3. 32. et *Curt.* 3. 4. 3. *Phædr.* 3. 2. *de panthera.* Pecus trucidat, ipsos pastores necat Et cuncta vastans sævit irato impetu. *Liv.* 28. 7. *a med.* Urbs vastata ac deserta Philippi bello. *Vellej.* 2. 110. *sub fin.* Omnia igni ferroque vastata. *Tac.* 2. *Hist.* 16. *a med.* Direpti vastatique classe, etiam quos cohortes alæque protegerent. *Horat.* 4. *Od.* 4. 47. impio Vastata Pœnorum tumultu Fana. *Cic. Sext.* 24. *a med.* Vastatum et relictum forum. Alii leg. *vastum.* — *b*) De personis. *Justin.* 29. 4. 8. Vastati Macedones ultionem flagitabant. Cf. *Nipperd.* ad *Tac.* 14. *Ann.* 23. et *Heräus* ad *eumd.* 2. *Hist.* 87. *extr.* — *c*) Absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 19. Quum equitatus vastandi prædandique causa se in agros effunderet. ¶ 3. Item omnino percutere, cædere, ad internecionem delere. *Ampel.* 46. Vastare ad Trasimenum Flaminii exercitum. *Trebell. Gallien.* 7. Scythas. Adde *Aurel. Vict. epit.* 1. 13. et *Sext. Ruf.* 9. et 17.

II.) Translate. *Sall. Cat.* 15. Animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat. *h. e.* turbabat et usum rationis quodammodo diripiebat. Alii aliter leg., sed *Corte* multis τὸ *vastabat* tuetur.

VASTŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a vastus, aliquantum vastus, vastior, *alquanto grande. Apul.* 2. *Met. sub fin.* Tres quidam vegetis et vastulis corporibus fores nostras irruentes.

VASTUOSUS, a, um, adject. (vastus) qui vasta loca habet. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 135. Vastus, vastuosus.

VASTUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, alii conjungunt cum rad. Skr. *vas,* findere, cædere; alii cum *vanus, vacuus;* hinc *Döderlein* verbum *vasto* vult esse causativum ex *vaco.* Cf. etiam Germ. *wüst,* desertus, incultus. — Comp. *Vastior* II. 2. et 3.; Sup. *Vastissimus* II. 1. et 2. — Vastus est inanis, vacuus, vastatus, desertus, ἔρημος (It. *disabitato, deserto, desolato;* Fr. *dépeuplé, désert, vide;* Hisp. *despoblado, desierto;* Germ. *leer, öde;* Angl. *desert, dispeopled, waste*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Accius* apud *Fest. p.* 372. 9. *Müll.* Jam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 26. *ad fin.* Genus agrorum propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum. *Liv.* 28. 11. *a med.* Infrequentes urbes, agrum vastum ac desertum habere. *Id.* 5. 53. Urbs vasta incendiis ruinisque. *Cic. Part. orat.* 10. 36. Loci coædificati an vasti. *Tac.* 3. *Ann.* 4. Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies. *muto, tacito, cheto come una solitudine.* Cf. *Manil.* 1. 14. Terraque sub rudibus cessabat vasta colonis. — Cum addito Abl. et præp. *ab. Sall. Jug.* 52. *a med.* Mons vastus ab natura et humano cultu. *Enn.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 56. Quæ nunc abs te viduæ et vastæ virgines sunt. *h. e.* desolatæ. ¶ 2. Speciatim est vastatus, *distrutto, guasto. Plaut. Bacch.* 4. 9. 130. Fit vasta Troja. *Virg.* 9. *Æn.* 323. Hæc ego vasta dabo. ¶ 3. Item quia loca deserta et vastata fiunt ampla, *vastus* est supra modum latus, amplus, patens, immanis, *ampio, spazioso, vasto,* ἀχανής; nam quæ vacua sunt loca, lata et majora videntur: qui sensus a *Forcellino* primarius vocis putatur. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. *extr.* Summa erat vasto atque aperto mari difficultas navigandi. *et ibid.* 9. *a med.* In vastissimo atque apertissimo Oceano. *Virg.* 3. *Æn.* 421. Vasti fluctus. *et* 3. *ibid.* 13. campi. *et* 1. *ibid.* 56. antrum. *et* 5. *ibid.* 821. æther. *et* 6. *ibid.* 237. Spelunca alta fuit vastoque immanis hiatu. *Id.* 9. *ibid.* 530. Turris vasto suspectu. *Ovid.* 14. *Met.* 438. Vastum iter. *h. e.* mari vasto, *lungo viaggio.* et 12 *ibid.* 236. crater. *Pers.* 5. 141. trabes. *h. e* ingens navis.

II.) Translate. ¶ 1. Est permagnus, ingens, *stragrande,* ὑπερμεγέθης. — *a*) Universim. *Cic.* 1. *Orat.* 25. *extr.* Vastus homo atque fœdus. *Id.* 1. *Nat. D.* 35. 97. Elephanto beluarum nulla prudentior. at figura quæ vastior? *Id.* 1. *Divinat.* 24. 49. Belua vasta et immanis. *Ovid.* 2. *Fast.* 321. *de Herc.* tunicarum vincla relaxat, Ut possit vastas exseruisse manus. *et* 4. *ibid.* 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Ætne. *Id.* 10. *Met.* 551 Impetus est fulvis et vasta leonibus ira. *Virg.* 5. *Æn.* 368. vastis cum viribus effert Ora Dares. *Id. ibid.* 198. (et *Val. Flacc.* 2. 534.) Vasti latus. *Id.* 12. *ibid.* 553. vasto certamine tendunt. *et* 10. *ibid.* 768. Vasta arma. *et* 8. *ibid.* 250. molares. *h. e.* ingentia saxa. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 49. templa vastis innixa columnis. *Id. Heroid.* 4. 81. vastum valido torquere hastile lacerto. *Seneca Herc. Œt.* 1211. Vasta moles. *Colum.* 2. *R. R.* 6. Antequam seges torreatur vaporibus æstivi sideris, qui sunt vastissimi per ortum Caniculæ. *Id. ibid.* 21. *ad fin.* Post nimiam ventorum segnitiem vasta tempestas. *Phædr.* 1. 5. Cervus vasti corporis. *Gell.* 5. 17. *extr.* Clades vastissima pugnæ Cannensis. — *b*) De gravi pondere. *Virg.* 5. *Æn.* 447. ad terram pondere vasto Decidit. Adde *Ovid. Heroid.* 9. 88. — *c*) De sono, qui late auditur. *Id.* 12. *Met.* 494. et *Virg.* 10. *Æn.* 716. Vastus clamor. *Id.* 1. *ibid.* 249. et *Lucan.* 2. 701. murmur. *et Seneca Hippol.* 1171. mugitus. *et Herc. Fur.* 784. sonus. *et ibid.* 1103. gemitus. *Colum.* 7. *R. R.* 12. latratus. *Val. Flacc.* 1. 616. vasto pariter ruit igneus æther Cum tonitru. — Hinc *vasta littera,* quæ magnum habet sonum. *Cic. Orat.* 45. *a med.* Axilla, ala factus est fuga litteræ vastioris. — *d*) *Vasta oratio,* quæ propter crebrum vocalium concursum, vasto, ut ita dicam, et hianti ore efferenda est. *Id.* 4. *Herenn.* 12. 18. Crebræ vocalium concursiones vastam atque hiantem orationem reddunt, ut est hoc: Baccæ æneæ amœnissimæ impendebant. — *e*) Et metaphorice. *Seneca Herc. Œt.* 1232. Vastum malum. *et ibid.* 767. nefas. *Ovid.* 2. *Met.* 520. potentia. *Colum.* 1. *procem. a med.* Varia et vasta scientia. *Sall. Cat.* 5. Vastus animus immoderata, incredibilia semper cupiebat. *insaziabile.* ¶ 2. Interdum ponitur pro agresti, insulso, incomposito, incondito, invenusto; tales enim esse solent homines vasti corporis. *Gell.* 19. 9. Ne nos, tamquam vastos quosdam et insubidos, ἀναφροδισίας condemnetis. Cf. VASCUS. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 117. Sunt quidam aut ita lingua hæsitantes aut ita voce absoni aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes, ut etc. *Liv.* 24. 48. Omnia vasta ac temeraria esse. *h. e.* incondita. *Gell.* 13. 20. *a med.* Ciceroni mollius teretiusque visum in quinta in Verrem (7. *Verr.* 66. 169.) scribere *perangusto fretu divisa.* Erat enim crassius vastiusque *perangusto freto* dicere.

VĀSŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a vas, parvum

vas, vasculum. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 248. 12. *Müll.* Vasula parva picata, sacrificiis faciendis apta.

VĀSUM, i, n. *et*

VĀSUS, i, m. 2. *V.* VAS.

VĂTAX. *V.* VATRAX.

VĀTES, is, comm. gen. 3. — *a*) *Vatis* in recto casu hab. *Gloss. Labb.* 191. Vatis, μάντις. At improbat *Auct. App.* ad *Prob. p.* 444. *Endl.*, quamvis vulgo efferretur. Legebatur etiam apud *Plaut. Mil. glor. v.* 911. et *Cic.* 2. *Divinat.* 5. 12. et 13., sed male. — In genet. plur. *vatium* pro *vatum*, est apud *eumd.* 1. *ibid.* 51. 115. et 2. *Legg.* 8. 20. *Orell.* leg. *vatum.* — *b*) Ad etymon quod attinet, antiquos poetas, inquit *Varro* 7. *L. L.* 36. *Müll.*, vates appellabant a versibus viendis. Ubi *Scalig.* suspicatur legendum *vagiendis.* Sed nihil mutandum; *Mar.* enim *Victorin. Art. gramm.* 1. *p.* 2499. *Putsch.* Qui versus facit, παρὰ τὸ ποιεῖν dictus est ποιητής, Latina lingua vates, quod verba modulatione connectat, viere enim connectere est. Sic et *Isid.* 8. *Orig.* 7. 3. V. *Canal* ad *h. l.* Rectius tamen recentiores conjungunt cum rad. Skr. *bha*, et Gr. φα, *fari*, unde φάτης, φατός, et, per commodam litteræ *f* in *v* permutationem, *vates.* Cf. *Böhklingk Skr. Wört. t.* 5. *p.* 230. et *Galvani Delle genti e favelle in Ital. p.* 391. — Vates igitur proprie est qui effatur; hinc qui fatidice loquitur, divinus, fatidicus, qui res futuras prædicit, μάντις, προφήτης (It. *indovino, profeta*; Fr. *devin, prophète*; Hisp. *adivino, profeta*; Germ. *der Wahrsager, Prophet*; Angl. *a diviner, prophet*).

I.) Proprie, ¶ 1. Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 37. Bonus vates poteras esse: nam quæ sunt futura, dicis. *Ennius* apud *Cic. Brut.* 19. 76. Scripsere alii rem versibus, quos olim Fauni vatesque canebant. *Id.* apud *Gell.* 18. 2. Satin vates verant ætate in agenda? *Id.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Superstitiosi vates impudentesque harioli. *Lucret.* 1. 109. minis obsistere vatum. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. Interpretari fatidicorum et vatum effata incognita. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. *ad fin.* Haruspices, augures, harioli, vates et conjectores. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 26. annosa volumina vatum. *h. e.* carmina Sibyllina. *Id.* 2. *Sat.* 5. 5. *ad Tiresiam.* vides, ut Nudus inopsque domum redeam, te vate. *Nepos Att.* 16. *extr.* Etiam quæ nunc usu veniunt, cecinit ut vates. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 5. 312. sancti Deus ore locutus Isajæ vatis. — De Apolline *Virg.* 6. *Æn.* 12. Delius vates. Cf. 4. *ibid.* 376. — In fem. gen. *Virg.* 6. *Æn.* 65. tuque, o sanctissima vates, Præscia venturi. *Id.* 3. *ibid.* 491. Insana vates. *Cic. Harusp. resp.* 13. 27. Hæc vate suadente sacra ista majores nostri Romæ collocaverunt. *h. e.* Sibylla. ¶ 2. Speciatim sæpe dicitur de poetis, qui se quoque jactant divino instinctu afflari. *Phædr.* 4. 24. Numinum præsentia vati dedit vitam. *h. e.* Simonidi. *Colum.* 10. *R. R. præf. a med.* Vates maxime venerandus. *h. e.* Virgilius. *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 21. Mæonius. *h. e.* Homerus. *Pers.* 5. 1. Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces, Centum ora et linguas optare in carmina centum. — In fem. gen. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 20. Vates Lesbia. *h. e.* Sappho.

II.) Translate. ¶ 1. Sic dicitur, qui in aliqua arte maxime excellit, quasi a diis edoctus ejus artis secreta sit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. 219. Arteriarum pulsus descriptus ab Herophilo medicinæ vate miranda arte. *Val. Max.* 8. 12. *n.* 1. Q. Scævola legum clarissimus et certissimus vates. ¶ 2. Item apud scriptores Ecclesiasticos sacerdos vel episcopus. *Ambros. Hymn.* 7. 21. Hinc Roma celsum verticem Devotionis extulit Fundata tali sanguine Et vate tanto nobili. Adde *ibid.* 8. 5. *Coripp.* 1. *Johann.* 82. non vatibus ullis Parcere nec senibus potuit concedere fessis Quisquis honos busti. V. *Mazzucchelli* adnot. *ibid.* *Inscr.* apud *Biraghi* ad *Ambros. hymn. p.* 89. HIC IACET CYRIACVS VATES CHRISTI. Adde *aliam* apud *A. Mai Nov. Coll. T.* 5. *p.* 127.

Homonym. Differre *vatem* a *poeta* fuse ostendit *Müller. De re metr. p* 65. et *seqq.* Sane *vati*, non *poetæ*, aliquid divinum sacrumque inest et augustius: quod tamen et poetis inditum nomen honoris causa. Cf. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 17. *Virg.* 9. *Ecl.* 32. et me fecere poetam Pierides, sunt et mihi carmina: me quoque dicunt Vatem pastores, sed non ego credulus illis. *Tac. Dial. de orat.* 9. Quis Salejum nostrum egregium poetam vel, si hoc honorificentius est, præclarissimum vatem deducit aut salutat. *et ibid.* 12. Aureum sæculum poetis et vatibus abundabat.

VĀTĬA *et* vacia, æ, comm. gen. 1. idem ac vatius. *Varro* 9. *L. L.* 10. *Müll.* Quum idem faciat ac siquis puerorum per delicias pedes male ponere atque imitari vatias cœperit, hos corrigi oportere, si concedant; contra siquis in consuetudine ambulandi jam factus sit vatia aut compernis, si eum corrigi, non concedant etc. — *NB.* De cogn. R *V* ONOM.

VĀTĬCĬNANS, antis, particip. *V.* VATICINOR.

VĀTĬCĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (vaticinor) actus vaticinandi, divinatio, futurorum prædictio, μαντεία (It. *indovinazione, predizione*; Fr. *prédiction*; Hisp. *prediccion*; Germ. *die Weissagung*; Angl. *a foreteling*). *Cic.* 8. *Att.* 12. Quarum vaticinationem falsam esse cupio. Adde *Inscr.* apud *Henzen n.* 6031. — In plur. num. *Cæs.* 1. *B G* 50. Sortes et vaticinationes. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. *extr.* Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possumus. *Plin.* 6. *Ep.* 20. *sub fin.* Plerique lymphati terrificis vaticinationibus etc.

VĀTĬCĬNĀTOR, ōris, m. 3. (vaticinor) qui vaticinatur, vates, *indovino*, χρησμῳδός. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 42. Unde tamen vivat, vaticinator habet. Adde *Prudent. Hamartig.* 343. et *Paul. Sent.* 5. 21. § 1. et 2.

VĀTĬCĬNĀTRIX, tricis, f. 3. (vaticinator) quæ vaticinatur, vates, *indovina. Hygin. fab.* 90. ab *A. Maio* ed. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 36. Lingua Thessalica peliades et columbæ et vaticinatrices dicuntur. *V.* PELIAS, adis. Adde *Serv.* ad *Virg.* 9. *Ecl.* 13. et 3. *Æn.* 443.

VĀTĬCĬNĀTUS, a, um, particip. *V.* VATICINOR.

VĀTĬCĬNĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

VĀTĬCĬNĬUS, a, um, adject. (vaticinor) ad vaticinationem pertinens, vaticinus. *Liv.* 25. 1. et 39. 16. *H.* Libri vaticinii. At *Müller* et *Madvig* leg. *vaticini.* V. VATICINUS. — Hinc

*Vaticinium, ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, oraculum, divinatio, prædictio futuri, vaticinatio, *vaticinio, predizione*, μαντεία. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (178). Plena est vita his vaticiniis, sed non conferenda, quum sæpe falsa sint. *Gell.* 16. 17. Agrum Vaticanum appellatum acceperamus a vaticiniis. — In sing. num. legitur in *Not. Tir. p.* 120.

VĀTĬCĬNO, as, are, n. 1. *et*

VATĬCĬNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Vaticino*, forma activa, apud *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 3. *p.* 30. 13. *Egbr.* — Ratione habita etymi, est a *vates* et *cano* vel simpliciter a *vates*, syllabica adjectione productum. Cf. *patrocinor* et hujusmodi alia. — Part. *Vaticinans* I. 1. *b, c* et II.; *Vaticinatus* I. 1. et 2.; *Vaticinaturus* I. 1. *c.* — Vaticinor est divino, prædico, futura præsentio, μαντεύομαι, προφητεύω (It. *predire, indovinare, profetizzare*; Fr. *prédire l'avenir, prophétiser*; Hisp. *predecir, profetizar*: Germ. *weissagen, prophezeien*; Angl. *to prophesy*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Acc. *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 67. Vaticinari furor vera solet. *Ovid. Ib.* 271. cui casus ante futuros Telemus Eurymides vaticinatus erat. *Id.* 3. *Pont.* 4. 93. deus est in pectore nostro: Hæc duce prædico vaticinorque deo. — *b*) Cum Infinito. *Liv.* 2. 41. Sæpe deinde et Virginium consulem in contionibus velut vaticinantem audiebat pestilens collegæ munus esse. *Ovid.* 4. *Met.* 9. sævam læsi fore numinis iram. Cf. 8, *ibid.* 773. *Id. Heroid.* 16. 277. fore ut a cælesti sagitta Figar, erat verax vaticinata soror. — *c*) Frequentius absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 18. 34. Quod et somniantibus sæpe contingit et nonnumquam vaticinantibus per furorem. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 61. Jam nunc hæc a me, juvenum belloque togaque Maxime, dicta tibi vaticinante nota. *Liv.* 39. 13. Viros velut mente capta cum jactatione corporis vaticinari. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 29. Plura exempla vaticinantium invenire. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (182). Vaticinandi callens. *Id.* 28. *ibid.* 9. 41. (147). Sacerdos Terræ vaticinatura tauri sanguinem bibit priusquam in specum descendat. — Cum addita persona aut re, de qua quis vaticinium profert, in Acc. vel Abl. et præp. *Vulg. interpr. Ez.* 11. 4. Vaticinari de aliquo. *et* 13. 2. ad aliquem. *et* 36. 6. super aliquam rem. *et* 39. 1. adversus aliquem. ¶ 2. Speciatim pro docte ac sapienter dicere, et tamquam divina oracula proferre. *Cic. Amic.* 7. 24. Agrigentinum quidem doctum quemdam virum carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura totoque mundo constarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. — Similia sunt hæc. *Ovid.* 6. *Met.* 159. venturi præscia Manto — divino concita motu Vaticinata. *Id.* 15. *ibid.* 174. Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefanda Exturbare animas *Id.* 1. *Pont.* 1. 47. Vaticinor moneoque, locum date sacra ferenti. — Jlocaliter. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 129. Parricida, sacrilege, perjure. BA. vetera vaticinamini.

II.) Translate sumitur pro furere, insanire, more vaticinantium, aut nugari. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *ad fin.* Sed ergo fortasse vaticinor: et hæc omnia meliores habebunt exitus. *Id. Sext.* 10. 23. Eos, qui dicerent, dignitati esse serviendum, reipublicæ consulendum *etc.* vaticinari atque insanire dicebat.

VĀTĬCĬNUS, a, um, adject. (vaticinor) ad vaticinium pertinens, propheticus, μαντικός. *Liv.* 25. 1. *ad fin.* Et edixit, ut quicumque libros vaticinos precationesve aut artem sacrificandi conscriptam haberet etc. *Alii leg.* vaticinios. *V.* VATICINIUS. *Ovid.* 2. *Met.* 640. Hæc ubi vaticinos concepit mente furores.

VĀTĬCUS, a, um, adject. (vates) ad vatem pertinens. Hinc herba, quæ alias strychnos et Apollinaris et somnifera dicitur, vatica appellatur ab *Apul. Herb.* 74., utpote quæ vaticinandi vim præbeat hominibus.

VĀTILLUM, *V.* BATILLUM.

VĀTĪNĬĀNUS, a, um, adject. ad Vatinium pertinens. *V.* VATINIUS in ONOM. — Hinc *Vatinianum odium*, a Vatinio quodam dictum, quod pro capitali et implacabili odio accipitur. Fuit enim P. Vatinius civis R. contaminatissimæ vitæ, in quem tam acerbe Cicero invectus est aliquando, ut, patefactis ejus flagitiis, in summum Romani populi odium pervenerit. Unde factus est locus proverbiali locutioni: *odisse aliquem Vatiniano odio.* Sic *Catull.* 14. 3. Odissem te odio Vatiniano.

VĀTĪNĬUS, a, um, adject. ad Vatinium pertinens. *V.* VATINIUS in ONOM. — Hinc *Vatinii* absolute pro *vatinii calices* apud *Martial.* 10. 3. Vatiniorum proxeneta fractorum. (*V.* NASUS) Cf. *eumd.* 14. 96. Vilia sutoris calicem monumenta Vatini Accipe. Fuit enim Vatinius quidam sutor et faber calicum vitreorum, qui quattuor rostra instar nasorum protensa habebant. — De Vatinia lege *V.* ONOM.

VĂTĬŌNO (vaciono), as, are, n 1. (vatius) qui distortis cruribus ambulat. Translate apud *Pseudo-Augustin. Spec.* ad *Deut.* 14. 1. ed. *Mai.*

VĀTIS. *V.* VATES init.

VĀTĬUS *et* vacius, a, um, adject. Etymon vocis latet; nisi velis conjungere *vatius* cum *valgus*, quasi sit utriusque origo eadem ac significatio. Cf. Germ. *Wade*, sura. — Vatius est idem ac valgus, idest qui crura extrorsum obtorta habet, βλαισός. *V.* VARUS, a, um. *Varro* 2. *R. R.* 9. *de canib.* Sint cruribus rectis ac potius varis, quam vatiis. *Ulp. Dig.* 21. 1. 10. *in fin.* Quæsitum est, an balbus et blæsus et atypus, isque, qui tardius loquitur, et varus et vatius,

sanus sit. *Martial.* 12. 70. Lintea ferret Apro vatius quum vernula nuper. *V.* VATIA.

VĀTRAX, ăcis, m. 3. *Forcellino* videtur esse a βάτραχος, rana, quæ tortis est pedibus. Cf. tamen et *vatius.* — Vatrax est qui vitiosis est pedibus. *Lucil.* apud *Non. p.* 25. 10. *Merc.* Ut si progeniem antiquam, qua est Maximu Quinctus, Qua vatricosu' vatrax. Alii leg. *varicosu' vatrax:* alii *verrucosus,* quia Q. Fabius Maximus, qui Hannibali cunctando restitit, *Verrucosus* cognomen habuit. At *Müller* ad *Lucil. Sat.* 28. 55. *p.* 258., *vatrax* rejecto, dedit *varicosu' vatax.*

VĀTRĪCŌSUS. *V.* voc. præced.

VAU, indecl. littera sexta alphabeti Phœnicii sive Hebraici. Hebraice est ו et significat, ut figura ipsa ostendit, clavum vel uncum. *Cf. Gesen.* in *Thes.* Porro hæc littera dicitur mater lectionis, nam cum tribus aliis fungebatur etiam officio vocalis, antequam a Massoretis puncta vocalia invenirentur: idcirco conferri potest cum Latina littera *V,* modo consona, modo vocali. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 6. *init.* Sexta littera *Vau,* cujus interpretatio etc. Adde *Hieronym. Ep.* 30. *n.* 5. et *Vulg. interpr. Ps.* 118. 41. et *Thr.* 1. 6. et *seqq.* Olim legebatur etiam apud *Quintil.* 1. 4. 14. *Spald.;* sed *Halm* aliter legit.

VAVATO. ōnis, m. 3. fortasse idem ac manuciolum. *Petron. Sat.* 63. *Büch.* Vavato stramenticius. Alii tamen aliter leg. V. *Bücheler.*

# VE

VE, particula, quæ tria diversa significat, sed variat quantitatem.

I.) *Vĕ* est particula loquelaris seu enclitica et dictionibus semper in unam vocem conjuncta postponitur ideoque et subjunctiva dicitur (V. *Agroet. Orth. p.* 2266. *Putsch.*): est autem facta a *vel* per apocopen. — Copulatur sæpe in unam vocem cum *ne* et *si* in *neve* et *sive* vel *neu* et *seu,* de quibus *V.* suo loco. — Porro ad vim vocis atque usum quod attinet, *ve* est conjunctio disjunctiva et idem ac vel, aut, *o, ovvero,* ἤ. Cf. VEL. ¶ 1. Generatim. — *a*) Sine oppositis. *Ter. Eun.* 5. 5. 24. numquid est Aliud mali damnive, quod non dixeris, Reliquum? *Id. Hecyr.* 5. 1. 12. Si id facis facturave es, bonas quod par est facere. *Id. Andr.* 4. 4. 9. puer hic unde est? quisve huc attulit? *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Ut totum tormentumve missum adigi non posset. *Cic.* 14. *Phil.* 6. *a med.* Duabus tribusve horis. et 5. *ibid.* 19. 53. Uti C. Panse, A. Hirtius Coss. alter ambove etc. *et ibid.* 4. 10. Lex de actis deve dictatura deve coloniis. *Id. Flacc.* 5. 12. Ne quid plus minusve dicat. *Propert.* 3. 1. 5. Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro, Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 64. Non habitu mutatve loco peccatve superne. *Cels.* 5. 26. *n.* 5. Pejus vulnus est, ex quo aliquid excisum est, ex quove caro alia parte abscissa, alia dependet. *Ulp. Dig.* 43. 6. 1. Ait prætor: In loco sacro facere inve eum immittere quid, veto. — *Tac. Agric.* 12. Rarus duabus tribusve civitatibus conventus. *Alii* tribusque. Si *tribusve* legis, erit: raro paucæ aliquot, sive duæ sive tres, civitates conveniunt; sin *tribusque,* rarus est duarum, rarus trium civitatum conventus. Simplicius: duabus et aliquando tribus. V. *Kritz* ad *h. l.,* ubi *que* a *ve* distinguitur. *Id. Germ.* 3. Terrent enim trepidantve. *Kritz* adnotat, *ve* indicare alterum, quod ponitur, fieri posse, minus certum esse altero. — *b*) In oppositis. *Ovid.* 15. *Met.* 215. Corpora vertuntur: nec quod fuimusve sumusve, Cras erimus. *Id.* 5. *Fast.* 110. Nullaque (*vecordia*) laudetur plusve minusve mihi. — *c*) Cum partic. *aut. Propert.* 2. 1. 23. Regnave prima Remi aut animos Carthaginis altæ. *Cf. Plaut. Asin.* 3. 1. 18. ¶ 2. Specialim pro *an,* ut *Forcellino* videtur. *Cæs.* 7. *B. G.* 14. Neque interesse, ipsosne interficiant impedimentisve exuant. Vet. editio A. 1471. habet *impedimentisne,* aliæ *ve,* teste eod. *Forcellino.* At *Nipperd.* et *Dinter* lectionem *ne* confirmant. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 41. Vide, quam te amarit is, qui albus aterve fueris, ignorans etc. *Orell.* aterne. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 63. quid inter – Est, in matrona, ancilla, peccesve togata? Alii leg. *ne.* et *Nepos Iphicr.* 3. Quum interrogaretur, utrum pluris patrem matremve faceret? *Halm.* matremne. Itaque quum ubique sit dubia lectio, immo nec ntiores *ne* pro *ve* legant; ab his standum omnino esse arbitror. Cf. *Hand Tursell. t.* 1. *p.* 298. et 551. et *seq.*

II.) *Vē* est particula loquelaris, quæ tantum præposita et conjuncta verbis aliquid significat, ut in *vegrandis, vecors, vesanus:* habetque vim modo augendi, modo minuendi, ut *Gell.* docet 5. 12., ubi addit, scribi etiam per diphthongum æ. Adde 16. 5. *V.* VECORS init. Recentiores derivant a Skr. *vi,* quod idem significat. *Cf.* etiam *Hartung Griech. part. t.* 2. *p.* 50.

III.) *Ve* denique est interjectio seu adverbium et scribitur etiam per diphthongum æ: de hac tamen dictum est, ubi ita scriptam dedimus. *V.* VÆ.

VĒA. *V.* VIA.

VĒCORDĬA (væcordia), æ, f. 1. (vecors) ¶ 1. Est vesania, dementia, furor, παραφροσύνη (It. *demenza, pazzia, furore;* Fr. *folie, démence, délire, fureur;* Hisp. *locura, demencia, furor;* Germ. *die Verstandeslosigkeit, Unsinnigkeit;* Angl. *folly, senselessness, dotage*). *Sall. Jug.* 75. *in fin.* Interdum somno excitus, arreptis armis, tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia, exagitari. (Adde *ibid.* 104.) *Ovid.* 12. *Met.* 227. quæ te vecordia, Theseus, Euryte, pulsat, ait, qui, me vivente, lacessas Pirithoum violesque duos ignarus in uno? Adde *Tac.* 1. *Ann.* 32. et *Justin.* 24. 6. *sub fin.* ¶ 2. Item stultitia, fatuitas, amentia, *stoltezza, sciocchezza. Sall. Jug.* 99. Hostes pro muro dies noctesque agitare, maledicere Romanis ac Mario vecordiam objectare: militibus nostris Jugurthæ servitium minari. *Tac.* 4. *Ann.* 22. *in fin.* Uxor accusata, injecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito. Adde 3. *ibid.* 50. *a med.* ¶ 3. Sensu ethico est improbitas, malitia, perversitas, *mal animo, malvagità, cattivezza,* ἀγνωμοσύνη, κακία: nam *vecors* est turbati et mali cordis, ut ait *Fest. p.* 372. 19. *Müll.* Hunc porro sensum habuit *Forcellinus* vocis primarium. *Ter. Andr.* 4. 1. 1. Hocine est credibile aut memorabile Tanta vecordia innata cuiquam ut siet, ut malis gaudeant atque ex incommodis Alterius sua ut comparent commoda? *Sall. Cat.* 15. *in fin.* Color exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus: prorsus in facie vultuque vecordia inerat. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Egregie homo improbus atque immani vecordia.

VĒCORDĬTER (væcorditer), adverb. (vecors) vecordium more. *Charis.* 2. *p.* 165. *Putsch.* Nomina *rs* terminata duplici modo ex se adverbia faciunt in *ter* decurrentia, quorum unus est qui *i* litteram servat ante novissimam syllabam, ut vecors vecorditer; alter, qui sine *i* littera effertur, ut sollers sollerter. *Thes. nov. Latinit. p.* 627. ed. *Mai.* Vecorditer, irascibiliter.

VĒCORS (væcors), ordis, adject. omn. gen. — *a*) Scribitur et *vœcors* per diphthongum æ. Sic *Baiter* et *Müller* (*Cic.* 2. *Tusc.* 9. 18.), *Halm* (*Cic. Sext.* 55. 117. et *Tac.* 1. *Ann.* 39.) et *Jeep* (*Justin.* 2. 7. 10.) — *b*) In Abl. sing. *vecordi* et *vecorde* promiscue adhibetur. V. *Pacuv. tr.* 216., *Liv. Andron. com.* 7., *Cic. Sext.* 55. 117., *Liv.* 28. 22. etc. — *c*) Ratione habita etymi, est a *ve,* particula, quæ hic minuendi privandique vim habet (*V.* VE sub II.), et *cor,* qua animum significat, ut est apud *Cic.* 1. *Tusc.* 9. *a med.* et *Fest. p.* 372. 19. *Müll.* — Comp. *Vecordior* I. 2.; Sup. *Vecordissimus* I. 1. — Vecors est excors, vesanus, demens; perversus, παράφρων, ἀνόητος, ἄνους (It. *pazzo, furioso, insensato;* Fr. *fou, furieux, furibond;* Hisp. *loco, furioso;* Germ. *verstandeslos, wahnsinnig;* Angl. *mad, frantic, furious*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. *a med.* Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes vecordes concordesque dicuntur. *Id. Harusp. resp.* 1. *a med.* Vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit. *Id. Pis.* 20. 47. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste dementiorem putem? *Id. Dom.* 55. *ad fin.* Itaque istius vecordissimi mentem cura metuque terrebant. *Liv.* 4. 50. Quum modum iræ nullum faceret, ipse ad interpellantes pœnam vecors de tribunali decurrit. *Cic. Sext.* 55. 117. Quum ille furibundus incitata illa sua vecordi mente venisset. *Justin.* 2. 7. *sub fin.* Deformis habitu, more vecordium in publicum evolat. *Tac.* 13. *Ann.* 44. Mulieris amore vecors. *Id.* 2. *Hist.* 23. *ad fin.* Interfectores Galbæ, scelere et metu vecordes, miscere cuncta. *Justin.* 24. 8. 3. Templorum antistites et ipsæ vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis, pavidi vecordesque in primam aciem procurrunt. ¶ 2. Specialim est stultus, imperitus, indoctus, *dicervellato, stolto, sciocco,* ἀγνώμων, μωρός. *Cic. Harusp. resp.* 9. *a med.* Quis est tam vecors, qui aut quum cælum suspexerit, deos esse non sentiat; aut quum deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium esse natum et auctum? *h. e.* hebes, tardus, stupidus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 74. scribet mala carmina vecors? Laudato. *h. e.* indoctus et stultus. *Aurel. Vict. Cæsar.* 40. *a med.* Ipse debili ætate ægrestibus ac Pannonicis parentibus vecordior. *h. e.* imperitior, stolidior. ¶ 3. Item mali cordis, h. e. improbus, malus, perversus. *Fest. loc. cit.*

II.) Translate. — *a*) De brutis animantibus. *Manil.* 1. 397. *de Canicula.* Vecors dum frigore surgit Ac vacuum solis fulgentem deserit orbem. — *b*) De rebus. *Liv.* 4. 49. *a med.* Audita vox ejus in contione stolida ac prope vecors. *Id.* 7. 15. Hic impetus prope vecors turbavit hostes. *Val. Max.* 9. 2. *n.* 4. Divinis operibus vecordi pertinacia resistebat.

Homonym. Differunt *vecors* et *excors;* hic namque in sensum moralem accipitur pro stulto, imprudenti, *dissennato,* cui *cordatus* opponitur: ille vero magis in sensum physicum pro dementi, vesano. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 11.; 2. *Nat. D.* 2. 5. et alibi. *V.* EXCORS.

VECTĀBĬLIS, e, adject. (vecto) qui vectari potest, *portabile,* ἀγώγιμος. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 25. *a med.* Ipsius insulæ materia vectabilis, quæ non est corporis solidi, quamvis arbores alat.

VECTĀBŬLUM, i, n. 2. (vecto) vehiculum, *carro,* ὄχημα. *Gell.* 20. 1. *circa med.* Jumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur. *Onom. Lat. Gr.* in *Thes.* ed. *Vulc.* Vectabulum, ἀπήνη.

VECTĀCŬLUM, i, n. 2. (vecto) id, quo quid vehitur. *Tertull. Baptism.* 3. et *Anim.* 53.

VECTANS, antis, particip. *V.* VECTO.

VECTARĬUS, a, um, adject. (vecto) ad vectandum aptus. *Varro* 2. *R. R.* 7. *sub fin. de equis.* Qui vectarios facere vult, ad ephippium aut ad rhedam. *da soma.* Alii leg. *vectorios,* at *Schneiderus* mallet *vecturarios,* quod quidem magis probandum.

VECTĀTĬO, ōnis, f. 3. (vecto) ¶ 1. Active est actus vectandi. *Augustin.* 5. *Civ. D.* 7. Audent etiam dicere, quale pecus, utrum aptum lanicio, an vectationi, an aratro, an custodiæ domus. *Id.* 22 *ibid.* 8. *n.* 11. Sarcinæ vectatio. ¶ 2. Sæpius passiva significatione. *Seneca Tranquill.* 15. *a med.* Vectatio et iter reficiunt animum. *l'andare a cavallo o in cocchio.* et *Sueton. Cal.* 3. Gracilitas crurum paullatim repleta assidua equi vectatione post cibum. *V.* INVECTATIO.

VECTĀTOR, oris, m. 3. (vecto) proprie qui vectat: sed usurpatur tantum passive de eo, qui vehitur. *Coripp.* 3. *Johann.* 253. mistis vectator et armis Fortis equus, rapidi jactatus turbine cursus, Concidit. *sc.* vectator seu eques.

VECTĀTUS, a, um, particip. *V.* VECTO.

VECTĬĀRĬUS, ii, m. 2. (vectis) qui premendo vectim machinam commovet. *Vitruv.* 6. 9. *ante*

med. Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus et prelo premitur, ne minus longum pedes quadraginta constituatur: ita enim erit vectiario spatium expeditum.

**VECTĬCŬLUS**, i, m. 2. deminu. a vectis, parvus vectis. Vulg. interpr. Exod. 30. 5. ed. Lugd. Cf. voc. seq.

**VECTĬCŬLĀRĬUS**, a, um, adject. (vectis) Affert et exponit Paul. Diac. ex Fest. p. 378. 1. Müll. Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratia. Cato: Vecticulariam vitam vivere, repente largiter habere, repente nihil. ladronesco, furace.

**VECTĪGAL**, ālis, n. 3. (veho) Abl. sing. vectigale pro vectigali est in Inscr. Neap. n. 4869. — In Genet. plur. vectigaliorum sæpius dixerunt Cic. ad Att. et De leg. Agr. et Varro in fragm. et Asin. Pollio, teste Charis. 1. p. 46. et 119. Putsch. et Sueton. Aug. 101. et Inscr. infra cit.; contra vectigalium habent Messala, P. Rutil. et Scaurus l. 3., teste eod. ibid., item Tac. 13. Ann. 50. Fortasse prior est ab alia forma vectigalium, ii, in Gloss. Lat. Gr. Vectigalium, τελώνιον. Cf. tamen sponsaliorum a sponsalia, Bacchanaliorum a Bacchanalia, et hujusmodi. — Vectigal est pecunia, quæ solvitur ærario aut fisco, earum rerum causâ, quæ vehuntur, h. e. importantur et exportantur, φόρος, τέλος (It. gabella, dogana, dazio; Fr. impôt, tribut, gabelle, octroi; Hisp. impuesto, gabela; Germ. die Abgabe, Steuer; Angl. a toll, tax or gabel). Triplex est, portorium, decuma et scriptura: quæ V. suis locis. Hinc Cic. pro leg. Manil. 6. 15. In vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem, nam quum hostium copiæ non longe absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim vectigalia dicuntur quicumque publici reditus. Cic. loc. supra cit. Vectigalia pensitare. et ibid. exercere atque exigere. fare il gabelliere. et 2. leg. Agr. 21. 55. locare. et ibid. (et Liv. 4. 36.) agro imponere. et 3. ibid. 2. in fin. Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam. Id. Brut. 36. 136. Levare agrum vectigali. Liv. 29. 37. Vectigal novum statuere. et ibid. comminisci. Auct. B. Afr. 97. Vectigalibus regiis abrogatis, ex regno provincia facta. Sall. orat. Philippi contra Lepid. ante med. Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus sustentamur. h. e. agrorum, ex quibus vectigalia percipimus. Sueton. Aug. 49. Ærarium militare cum vectigalibus novis instituit. Plin. Paneg. 41. Vectigalia temperare. et ibid. 37. nova instituere. C. Gracch. apud Gell. 11. 10. augere. Claudian. 2. Laud. Stilich. 200. et patrium vectigal solvere gaudet. et II. cons. ejusd. 98. Retulit ignotum gelidis vectigal ab oris. Sueton. Aug. 101. (et Cal. 16. a med.) Quantum pecuniæ in ærario et fiscis et vectigaliorum residuis esset. Liv. 39. 44. a med. Censores vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt. — Hinc procurator vectigaliorum populi R., quæ sunt citra Padum, in Inscr. apud Gruter. 402. et Henzen n. 6524 ¶ 2. Vectigal ædilicium dicta est pecunia, quam ædiles, qui Romæ ludos procurare debebant, ad eorum impensas sublevandas provinciis solebant imperare per proconsules vel proprætores. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 9. Inique et gravi vectigali ædilicio cum magnis nostris simultatibus Asiam liberasti. — Vectigal prætorium, pecunia, quam provinciarum civitates dare prætori solebant. Id. 5. Att. 21. 11. ¶ 3. Vectigalia sunt etiam reditus privatorum, entrata, rendite, quatenus a colono penditur agri domino. Id. 2. Off. 25. 88. Vectigalia urbana rusticis anteponantur. Id. Parad. 6. 3. Ex meo tenui vectigali aliquid redundabit. Horat. 3. Od. 16. 39. Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam. Adde Nepot. Alcib. 9., Colum. R. R. præf. post med. et Plin. 9. Hist. nat. 54. 79. (168). et 26. ibid. 3. 8. (15). ¶ 4. Vectigal est etiam illud, quod Itali livello perpetuo dicunt. Plin. alter 7. Ep. 18. Pro quingentis millibus nummûm, quæ in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis actori publico mancipavi: eumdem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus. h. e. pro quingentis millib. sestertiorum triginta millia daturus, scilicet usuras semisses soluturus, il sei per cento. et Caj. Instit. 3. § 145. ed. Goeschen. In perpetuum locata prædia municipum ea lege locantur, ut quamdiu id vectigal præstetur, neque ipsi conductori neque heredi ejus prædium auferatur. ¶ 5. Vectigal præterea dicitur, quod Itali pedaggio vocant. Inscr. in Giorn. Arcad. a. 1842. VECTIGAL VIAE SILICI STRATAE. V. integr. apud Henzen n. 7170. et eumd. Tab. alim. Bæb. p. 84. ¶ 6. Et vectigal tutelæ viæ legitur in Inscr. apud eumd. n. 5186., de quo V. Mommsen in Bullett. Instit. archeol. a. 1847. p. 175.

II.) Translate. Claudian. epist. ad Seren. 17. Nulla avium pecudumque fuit, quæ ferre negaret Vectigal meritæ connubiale lyræ. — Parsimonia est magnum vectigal. γνώμη. Cic. Parad. 6. 3.

Homonym. Differt a tributo, quod secundum capita aut censu penditur: et ex eo militibus stipendia conficiuntur; illud vero ex importatione et exportatione: et ex eo alia reipublicæ munera sustinentur. Quamquam interdum promiscue usurpantur. Nam apud Sueton. Cal. 40. Quod initio vectigal dixit, mox tributum appellat. Vulg. interpr. Rom. 13. 7. Reddite omnibus debita: cui tributum tributum; cui vectigal vectigal.

**VECTĪGĀLĀRĬUS**. V. voc. seq.

**VECTĪGĀLĬĀRĬUS**, ii, m. 2. (vectigal) qui vectigalia exigit, gabelliere. Firmic. 3. Mathes. 13. sub init. Publicani aut vectigaliarii. Alii leg. vectigalarii.

**VECTĪGĀLIS**, e, adject. (vectigal) ad vectigal pertinens. ¶ 1. Sumitur pro eo, quod ex vectigalibus colligitur: sic pecunia vectigalis, quæ ex vectigalibus, quæ publicani exercebant, exigebatur. Cic. 3. Verr. 35. 89. Decem enim naves jussu L. Murenæ populus Milesius ex pecunia vectigali populi Rom. fecerat. Justin. 13. 1. 9. Annuum tributum vectigale. ¶ 2. De eo, qui vectigal pendit, tributario, soggetto a pubbliche gravezze, ὑποτελής: cui immunis opponitur. Sic provinciæ, civitates, agri et homines, qui vectigalia persolvunt, vectigales dicuntur. Cæs. 4. B. G. 3. in fin. Hos tamen vectigales sibi fecerunt. Cic. 5. Verr. 34. a med. Vectigalis civitas. et ibid. 43. sub fin. agri. Adde Grom. Vet. p. 116. Lachm. et alibi. Liv. 21. 41. Hannibal vectigalis stipendiariusque et servus populi R. a patre relictus. — Dig. 6. 3. (rubr.) Vectigale vel patrimoniale sive emphyteuticum prædium. V. Dirksen. ¶ 3. Item vectigales etiam dicuntur, qui stipem præbent in funeris sumptus, quod alibi funeraticum appellatur, vectigal scilicet Libitinariorum. Inscr. apud Gruter. 430. 7. LIGVRIAE Q. FIL. FRONTINAE Q. HORTENSII CATVLLI HVIC ORDO NARBONENSIS PVBLICE FVNVS ET OMNES VECTIGALES DECREVIT. ¶ 4. Denique, promiscue, sumitur pro eo, qui vel quod domino suo pecuniam meret seu acquirit. Cic. 2. Phil. 25. Tum existimavit se suo jure cum Hippia vivere et equos vectigales Sergio mimo tradere. h. e. ex quibus quæstum faceret, ait Manut., nam alii aliter explicant. Colum. 1. R. R. præf. Ex mercenariis aliquem, jam recusantem quotidianum illud tributum, qui vectigalis esse non possit. — Apul. De mag. Ita ei (marito) lecti sui contumelia vectigalis est. gli frutta, gli dà guadagno.

**VECTĪGĀLĬUM**, ii, n. 2. V. VECTIGAL.

**VECTĬO**, ōnis, f. 3. (veho) actus vehendi, ὄχησις. Cic. 2. Nat. D. 60. 151. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones: quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim et celeritatem. h. e. usus jumentorum in portandis vel trahendis oneribus.

**VECTIS**, is, m. 3. (veho) In Acc. sing. vectim pro vectem legitur apud Varron. 5. L. L. 153. Sp. — Et in Abl. sing. vecte fere usurpatur; sed etiam vecti est apud Ter. Eun. 4. 7. 4. In medium Huc agmen cum vecti, Donax. — Vectis est palus e ferro vel ligno, grandior, rusticis, fabris cæmentariis et aliis necessarius ad onera promovenda et alia multa facienda, cujusmodi sunt fustes illi, qui navibus subjiciuntur, quum deducuntur ad pelagus vel quum ad litora subducuntur, μοχλός (It. leva o lieva; Fr. levier; Hisp. palanca para levantar; Germ. die Hebel, Hebebaum; Angl. a lever).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cæs. 2. B. C. 11. Saxa, quam maxime possunt, vectibus promovent præcipitataque muro in musculum devolvunt. Adde Cic. 1. Nat. D. 8. 19. et Isid. 20. Orig. 13. — Sall. 2. Hist. 17. Pompejus cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. V. Kritz ad h. l. ¶ 2. Speciatim dicitur in torculari de baculis validis per mediam machinam trajectis, quibus manu ductis machina dum versatur, funem ductarium advolvit. Hinc vectiarii. Vitruv. 6. 9. ante med. Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus et prelo premitur. manovelle. ¶ 3. Item instrumentum accommodatum ad aliquid subvertendum, evertendum, effringendum. Horat. 3. Od. 26. 6. Hic hic ponite lucida Funalia et vectes et arcus Oppositis foribus minaces. Cic. 6. Verr. 43. a med. Demoliri signum ac vectibus labefactare conantur. Adde Ter. Eun. 4. 7. 4. V. init. Ovid. 12. Met. 452. Vecte Pelethronium Macareus in pectus adacto Stravit. ¶ 4. Præterea est instrumentum ex ferro aliave materia, quo ostium clausum adversus vim munitur, catenaccio, chiavistello. Virg. 7. Æn. 609. Centum ærei claudunt vectes æternaque ferri Robora. Adde Plin. 18. Hist. nat. 18. 48. (171). de vomerib. — Hujusmodi vectem invenit Cinyra Agriopæ filius. Id. 7. ibid. 56. 57. (195). ¶ 5. Denique est etiam lignum seu fustis teres, quo bajuli onera ferunt, stanga. Claudian. IV. cons. Honor. 571. sic numina Memphis In vulgus proferre solet. penetralibus exit Effigies, brevis illa quidem, sed plurimus infra Liniger imposito suspirat vecte sacerdos, Testatus sudore deum. Loquitur Claudian. de more Ægyptiorum, qui deorum suorum effigies solemni pompa circumferebant.

II.) Translate. Vulg. interpr. Am. 1. 5. Conteram vectem Damasci. h. e. robur ac potentiam. — Hinc figurate. Id. Is. 27. 1. de Satana. — NB. De nom. propr. V. ONOM.

**VECTĪTANS**, antis, et

**VECTĪTĀTUS**, a, um, particip. V. voc. seq.

**VECTĪTO**, as, ātum, are, a. 1. (frequentat. a vecto: cf. Gell. 9. 6. et Cap. p. 105. 3. Keil) Part. Vectitans et Vectitatus. — Vectito est frequenter veho. Solin. 38. Qui Choaspes ita dulcis est, ut Persici reges aquas ejus vectitarent. Id. 52. Quæ palustria sunt, arundinem creant ita crassam, ut fissis internodiis lembi vice vectitet navigantes. Arnob. 5. p. 183. Emicuit Summanus e terris curru quadrijugo vectitatus. Solin. 56. Vectitati hoc ratis genere. Adde eumd. 11. — Absolute. Hygin. ab A. Maio edit. in Class. Auct. T. 3. p. 81. fab. 231. Ac Zephyri flantis aura vectitante ad semet sororios perducit affectus.

**VECTĪTOR**, ōris, m. 3. (veho) idem ac vector. — Translate. Hieronym. Ep. 125. n. 2. Quod quasi doctus nauta, post multa naufragia, rudem conor instruere vectitorem. Ita ex Cod. Atestino leg. Cavedoni in Opusc. di Moden. T. 4. p. 344. et seqq. pro vectorem, ut alii vulgo habent.

**VECTO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (frequentat. a veho) Etiam vector, aris, deponentium more, usurpatur apud Virg. Catal. 5. init. Iacere me, quod alta non possim, putas, Ut ante, vectari freta. Plaut. Merc. prol. 74. Agrum se vendidisse atque ea pecunia Navim - Parasse atque eapse merces vectatum undique. h. e. vectavisse. — Part. Vectans et Vectatus. — Vecto est frequenter aut simpliciter veho, portare, ὀχέω. Virg. 11. Æn. 138. plaustris vectare gementibus ornos. Ovid. 8. Met. 373. nive candidioribus ambo Vectabantur equis. Horat. Epod. 17. 74. Vectabor humeris tunc ego inimicis eques. Cels.

3. 22. Vectari nave. *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente litorum *A. Maio*) *ep.* 40. vehiculo. *Virg.* 6. *Æn.* 391. Corpora viva nefas Stygia vectare carina. *Gell.* 16. 19. Delphinum dorso super fluctus edito vectavisse Arionem. *Coripp.* 5. *Johann.* 385. deducere puppes Vectantes alimenta suis.

VECTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *V.* voc. præc. init.

VECTOR, ōris, m. 3. (veho) qui vehit, et etiam qui vehitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Active est qui vehit, *chi porta. Lucil.* apud *Non. p.* 17. 25. *Merc.* Ipse equu' non formosu', gradarius, optimu' vector. *Ovid.* 1. *Fast.* 433. Ecce rudens rauco Sileni vector asellus Intempestivos edidit ore sonos. *Seneca Herc. Œt.* 1907. Atlas stelligeri vector Olympi. *Id. ibid.* 553. vector puellæ taurus. Adde *Apul. De mag. Seneca Tranquill.* 5. Debet semper plus esse virium in vectore, quam in onere. ¶ 2. Frequenter passive accipitur pro eo, qui in aliena navi vel equo vel plaustro vehitur pretio, *navigante, passeggiero*, ἐπιβάτης. *Cic.* 7. *Phil.* 8. 27. Et summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent. *Ovid. Heroid.* 18. 148. Idem navigium, navita, vector ero. *Virg.* 4. *Ecl.* 38. Cedet et ipse mari vector. *Petron. Sat.* 107. Omnis vector nihil prius quærit, quam cujus se diligentiæ credat. Adde *ibid.* 108., *Lucan.* 5. 580. et *Ulp. Dig.* 4. 9. 1. *extr.* et 3. ¶ 3. Similiter de equite, *cavaliere*. ἱππεύς. *Ovid.* 3. *Art. am.* 555. Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas, Comparibus frenis artificemque regit. (In MSS. *vector* et *rector* facile commutantur.) *Propert.* 4. 7. 84. carmen breve, quod currens vector ab Urbe legat. ¶ 4. Item sensu obsceno de adultero. *Macrob.* 2. *Saturn.* 5. *Julia femina impudica loquitur.* Numquam, nisi navi plena, tollo vectorem. *h. e.* nisi a marito conceperim, adulterum non admitto.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Att.* 9. *sub fin.* Male vehi malo alio gubernante, quam tam ingratis vectoribus bene gubernare. *Ambros.* 9. in *Luc. de Chr.* Mysticus vector. Adde *Boeth.* 3. *Cons. Phil. metr.* 9. *in fin.*

VECTŌRIUS, a, um, adject. (veho) qui vehit, ad vehendum aptus, *che trasporta, da trasporto. Cæs.* 5. *B. G.* 8. Vectorium navigium. *nave da carico.* Sic *Sueton. Cæs.* 63. navicula. *V.* VECTARIUS.

VECTRIX, tricis, f. 3. (vector) quæ vehit. *Paulin. Nolan. ep.* 49. (*al.* 36.) *n.* 8. *extr.* Vectricem draconis Epidaurio navem venerantur. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 628. *Burmann.* Vectricis (*equæ*) propriæ furens in usus, Fessæ cornipedis fricas meatum. *Cassiod.* 12. *Variar.* 24. Vectrices (*naves*) sine labore (*homines*) trahunt. h. e. *le navi da trasporto facilmente tirano gli uomini dalla terra coll' alzaia.*

VECTŪRA, æ, f. 1. (veho) vectio, ἀγωγή, φορά (It. *vettura*; Fr. *transport, voiture*; Hisp. *transporte, acarreo*; Germ. *das Tragen, Fahren*; Angl. *to carry, transport, convey*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. *trasporti.* et *Varro* 2. *R. R.* 7. *ad fin. de equis.* Quod alii sunt idonei ad rem militarem, alii ad vecturam, alii ad admissuram etc. *V.* alium *ejusd.* locum in VEHELA. *Cic.* 1. *Att.* 3. Misimus, qui pro vectura solveret. Adde *Apul. De deo Socr.* — *b*) Cum Genet., uti ajunt, objectivo. *Cæs.* 3. *B. C.* 42. Vecturas frumenti finitimis civitatibus descripsit. — Et subjectivo. *Apul.* 6. *Met.* Vectura leonis. — Hinc translate. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 15. Reverendi senis membra portare, est vectura pietatis. *Id.* in *Ps.* 118. *serm.* 22. *n.* 29. Vectura justitiæ. ¶ 2. *Facere vecturam*, vehendo parare sibi lucrum, *fare vettura. Quintil. Declam.* 12. 18. *ad fin.* Classis nostra vecturam facit et vicinarum civitatum copias reconducit. *Gell.* 5. 3. Protagoram ajunt victus quærendi gratia vecturas onerum corpore suo factitavisse; quod genus Græci βαστάζοντας vocant, Latine bajulos appellamus. *aver fatto il facchino.*

II.) Tropice. ¶ 1. Sumitur etiam pro mercede, quæ pro vectura solvitur. *Plaut. Most.* 3. 2. 136. Tres minas pro istis duobus præter vecturam dedi. Adde *Senec.* 6. *Benef.* 15. *ad fin.* V. *Inscr.* in SOLAMEN. ¶ 2. Pro re vehenda. *Cod. Theod.* 11. 5. 1. Si quid erogationibus redundarit, in speciebus diversis vel præbitione vecturisque.

VECTŪRĀRIUS, a, um, adject. (vectura) ad vecturam pertinens. *Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Vecturarius equus. Ita *Schneid.*; vulgo *vectarius.* V. VECTARIUS. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 14. 6. 1. Vecturarios etiam ex quattuor regionibus trecentos boves præcipimus dari. *h. e.* trahendis carris: *buoi da vettura, da condotte.* — Hinc

*Vecturarius, ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, qui vecturam facit. *Imp. Constant. Cod. Theod. loc. cit.* Coctoribus calcis per ternas vehes singulæ amphoræ vini præbeantur: vecturariis vero amphora per bina milia et nongenta pondo calcis. *h. e.* iis, qui agunt jumenta vehentia. *vetturali.*

VECTŪRĀRIUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

VECTUS, a, um, particip. *V.* VEHO.

VECTUS, us, m. 4. (veho) idem ac vectio. *Gloss. Cyrill.* Ὄχησις, vectus.

VĒFĀBA, æ f. 1. (ve et faba) parva faba, ut habet et exponit *Gloss. Isid.*

VĒFLĀMEN, inis, m. 3. « Sunt qui perperam interpretantur *flaminalis*, qui nempe functus est flaminio, ad ejus differentiam, qui dicitur *flamen perpetuus*: sed hujusmodi vox ejusque interpretatio debetur notis male intellectis; etenim in *Inscr.* apud *Gruter.* 347. 1., quam ipsemet abhinc paucis annis Fulginii vidi, non *Praeff. Legg. VII. Clau.* et *primae adiutricis V. E. flamini* etc., sed *V. F. flamini* legitur. *h. e.* valentis fidelis: in aliis apud *eumd.* 364. 1. et 498. 8. *Veflamen* ita distinguendum est *V. E. Flamen*, interpretandum autem *Vir Egregius Flamen.* » Ita cl. *Furlanetto.* V. etiam *Orelli Inscr. Lat. n.* 2232. *T.* 1. *p.* 381. adnot.

VĔGĔO, es, ere, 2. Vox conjungenda est cum *vigeo*, cujus notationem vide. — Adhibetur autem *vegeo* tum transitive, tum neutrorum more. ¶ 1. Transitive est excito, commoveo, impello (It. *eccitare, muovere*; Fr. *exciter, mouver*; Hisp. *excitar*; Germ. *erregen*; Angl. *excite*). *Enn.* apud *Non. p.* 183. 3. *Merc.* Æquora salsa veges ingentibu' ventis. *Id.* apud *Fest.* in *Metonymia p.* 153. 29. *Müll.* Cum magno strepitu Volcanum ventu' vegebat. Ita leg. *Scalig.*, alii aliter. *Lucret.* 5. 1297. Et moderarier hunc (*equum*) frenis dextraque vegere. At *Lachm.* et *Bern.* vigere: *Pompon.* apud *Non. loc. cit.* Animos Venus veget voluptatibus. *Varro Sat. Menipp.* 63. *p.* 176. *Oehl.* Nobilem lyram motibus diis veget. *h. e.* vegetat, erigit. *Seneca Tranquill.* 15. *prope fin.* Vinum liberat servitio curarum animum, et asserit vegetque et audaciorem in omnes conatus facit. Alii rectius pro *vegetque* leg. *vegetatque.* ¶ 2. Neutrorum more *Varro* apud *Non. p.* 183. 2. *Merc.* Nec natus est nec morietur: viget, veget utpote plurimum. *viget*, vires habet: *veget*, excitatur, agilis, promptus, alacris est.

Homonym. Differt *vegeo* a *vigeo*, quod illud est movere, impellere et agitare, ut ventus veget undas, spiritus vitalis veget herbas et stirpes: hoc est florere et pollere. Hinc *vegetus* dicitur sanus et incolumis; *vigens* fortis atque robustus. Nam *vegetum* de corpore, *vigens* etiam de animo dicitur, auctore *Nonio.* V. locum *Varron.* apud *Non. p.* 183. 2. *Merc.* supra *adlat.* et etiam *Popmam De diff. verb. p.* 424.

VĔGĔTĀBĬLIS, e, adject. (vegeto) qui vegetare potest, vel potius qui vegetat, *vegetabile*, ζωτικός. *Ammian.* 22. 8. *circa med.* Rha amnis, in cujus superciliis quædam vegetabilis ejusdem nominis gignitur radix etc. *Capell.* 6. *p.* 223. India salubris Favonii vegetabilibus flabris fecunda æstate annis singulis vegetatur bisque frugem metit. *Mar. Victorin.* in *Genes.* 3. 103. Vegetabilis aer.

VĔGĔTĀMEN, inis, n. 3. (vegeto) vegetandi vis, vegetatio. *Prudent. Hamartig.* 75. Sunt tria nempe simul, lux et calor et vegetamen. *et ibid.* 299. nostræ vegetamina vitæ.

VĔGĔTANS, antis, particip. *V.* VEGETO.

VĔGĔTĀTĬO, ōnis, f. 3. (vegeto) actus vegetandi. *Apul.* 1. *Met. sub init.* Ut ipse fatigationem sedentariam incessus vegetatione discuterem, in pedes desilio. *h. e.* equitationis fatigationem pedum motu tollerem. Adde *Oros.* 5. 18. et *Mythogr. Lat.* 3. 6.

VĔGĔTĀTOR, ōris, m. 3. (vegeto) qui vegetat. *Auson. Ephem. in orat.* 16. Irrequies, cuncta ipse movens, vegetator inertum, Non genito ex Genitore Deus. Rectius tamen tribuitur *Paulin. Nolan.* Adde *ejusd. carm.* 5. 6. *Hieronym.* 16. in *Is.* 57. 16. Vegetator est omnium (*Spiritus Dei*).

VĔGĔTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĔGĔTO, as, āvi, ātum, are, 1. (vegetus) Part. *Vegetans* sub *A* II. et *B*; *Vegetatus* sub *A* I. et II. et in fin.; *Vegetandus* sub *A* I. et II. — Vegeto usurpatur *A*) Transitive; et etiam interdum *B*) Neutrorum more.

*A*) Transitive est crescere facio, excito, roboro, αὐξάνω (It. *far crescere, eccitare, rinforzare*; Fr. *exciter fortement, animer, renforcer*; Hisp. *excitar, avivar fuertemente, reforzar*; Germ. *lebhaft erregen, ermuntern, beleben*; Angl. *to make to grow, excite, invigorate*).

I.) Proprie. *Apul.* 11. *Met. init.* Non tantum pecuina et ferina, verum inanima etiam lunæ lumine vegetari. *Id. De mundo.* Spiritus, qui animalia omnia vitali et fecunda ope vegetat. *Id. De deo Socrat.* Si pugilari valde velis, brachia vegetanda sunt, quibus pugilatur. *Alcim.* 1. 108. Vegetandus fons. *Auson. Ecl. de rat. puerp. mat.* 23. Vegetatus infans. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 7. Tibi dum vegetata cohærent, Spiritus simul et caro vivit.

II.) Translate. *Gell.* 17. 2. Quum librum veteris scriptoris legebamus, conabamur postea, memoriæ vegetandæ gratia, indipisci animo ac recensere, quæ in eo scripta essent. *Eumen. Restaur. schol.* 9. Ut ingenia, quæ canendis eorum virtutibus excoluntur, non intra privatos parietes, sed in publica ostentatione vegetentur. *Prudent. Hamartig.* 448. anima structum vegetaverat Adam. *Auson. Epist.* 25. 64. Gaudia non illum vegetent. *h. e.* non recreent. *Tertull. Scorp.* 1. Et bellicam machinam retractu tela vegetantem, de scorpio nominant. *h. e.* telorum cursum atque impetum adjuvantem, ut altius feriant, quam si manu jacerentur. Adde *Paulin. Petroc.* 2. *Vit. S. Martin.* 425. Cor vegetatum triumphis.

*B*) Neutrorum more est vigens sum, cresco (It. *vegetare, vigorire, crescere*; Fr. *végéter, devenir vigoureux, croître*; Hisp. *vegetarse, adquirir vigor, crecer*; Germ. *sein lebhaft, belebt munter*; Angl. *be quick, vigorous*). *Claud. Mamertin.* 1. *Stat. an.* 6. 2. Vegetante anima vivens corpus efficitur. Adde *ibid.* 17. *Boeth.* 3. *Differ. Top.* 3. *p.* 873. At ipsum neque vegetare neque sentire nec intelligere corporale esse. et *p.* 646. Animæ alia est potentia sapiendi, alia sciendi, alia vegetandi. — Hinc Part. perf. pass., cujus exempla retulimus

*Vegetatus, a, um*, etiam adjectivorum more adhibetur, unde Comp. *Vegetatior* apud *Chalcid. Tim.* 41. *B.* Voluntas mea est vegetatior ad æternitatis custodiam.

VĔGĔTUS, a, um, adject. (vegeo) Comp. *Vegetior* I.; Sup. *Vegetissimus* I. et II. 2. et 3. — Vegetus proprie, sensu physico, est incolumis, vividus, agilis et ad obeundas actiones idoneus, validus, εὐεξής, εὔρωστος, εὐκίνητος (It. *vegeto, sano, vigoroso, gagliardo*; Fr. *animé, vif, dispos, vigoureux*; Hisp. *vigoroso, vivo, agil*; Germ. *lebhaft, belebt, rüstig*; Angl. *quick, fresh, agile, vigorous*).

I.) Proprie. *Cic.* 10. *Att.* 16. *in fin.* Tu, quoniam quartana cares, et non modo morbum removisti, sed etiam gravedinem, te vegetum nobis in Græcia siste, et litterarum aliquid interea.

Horat. 2. Sat. 2. 80. ubi curata sopori Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit. Liv. 22. 47. extr. Fessi cum recentibus ac vegetis pugnabant. Sueton. Cæs. 45. Nigris vegetisque oculis, valetudine prospera. occhi vivi. et Colum. 6. R. R. 20. Torva facies tauro, vegetior aspectus. Plin. 18. Hist. nat. 26. 65. (238). Hoc intervallum temporis vegetissimum agricolis maximeque operosum est. h. e. quod veluti vegetos et actuosos facit multitudine rerum agendarum. Apul. 6. Met. Vegetior ab inferis recurrit.

II.) Translate. ¶ 1. De animo usurpatur, pro vivo, acri, integro. Cic. 1. Tusc. 17. in fin. Nec tam vegeta mens aut in corde cerebrove aut in Empedocleo sanguine demersa jacet. Id. 1. Divinat. 29. in fin. Ut illa tertia pars rationis et mentis luceat, et se vegetam ad somniandum acremque præbeat. Liv. 6. 22. a med. Sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat virebatque integris sensibus. ¶ 2. Hinc de coloribus pro vivo, vivace, vivido, smagliante. Plin. 21. Hist. nat. 8. 22. (46). Color conchyliorum vegetissimus. ¶ 3. De aliis. Id. 18. ibid. 26. 65. (238). Intervallum temporis vegetissimum. Auson. Ephem. de ordin. coqu. 3. Vegetus gustus. sapore o gusto piccante. et Seneca Hippol. 459. Ingenia melius recta se in laudes ferunt, Si nobilem animum vegeta libertas alit. sciolta, non trattenuta e perciò nel suo vigore. — Vegeta littera, sonante: cui opponitur gracilis, tenuis. Terentian. De litt. 1166. In tantum vegeta est et vivida littera sexta, Quum prior est et muta loco subjecta secundo.

**VĒGRANDIS** (vægrandis), e, adject. (ve et grandis) Quia particula ve vim habet minuendi augendive, duplex est vocis usus. ¶ 1. Vegrandis est qui male crevit, parvus, minutus, gracilis, picciolo, gracile, esile, δυσαύξητος. Varro 2. R. R. 2. a med. de ovibus. Quæ postea concipiunt, fiunt vegrandes et imbecillæ. Ovid. 3. Fast. 445. vegrandia farra coloni, Quæ male creverunt vescaque parva vocant. Itali nebbiato dicunt, ut Pontedera monet. Festus p. 372. 13. Müll. Vegrande significari ajunt male grande, ut vecors, vesanus, mali cordis maleque sanus. Alii parvum sive minutum intelligunt, ut quum dicimus vegrande frumentum. Plautus in Clitellaria: Quæ nisi iteres (al. quæ nisi sic biteris) nimium is vegrandi gradu. Auson. Ep. 22. 13. Hic sæpe falsus messibus vegrandibus, Nomen perosus villici. ¶ 2. Vegrandis est etiam prægrandis, valde grandis, permagnus. Cic. 2. leg. Agr. 34. 93. Homo vegrandi macie Torridus. Kaiser grandi. Auct. Itin. Alex. M. 52. Vegrandia saxa. Alii grandia. Lucil. apud Non. p. 183. 30. Merc. Non idcirco extollitur nec vitæ vegrandi datur. Cf. Gell. 5. 12. et Ribbeck De Lat. part. p. 8. Plerique alii leg. cum ipso Nonio, melioribus fortasse codicibus uso, p. 297. 32. Non idcirco extollitur vel iræ vel gaudii dator. At L. Müller et Ritter priorem lectionem secuntur. Addunt alii illud Persii 1. 97. Ut ramale vetus vegrandi subere coctum, Sed plerique alii prægrandi.

**VĒHA**, æ, f. 1. ¶ 1. Idem ac vehela, a quo fortasse per syncopen factum leg. quidam apud Varron. 5. L. L. 140. Müll. Brevis veha vehiculum dictum. Müller tamen aliter leg. ¶ 2. Idem ac via. Varro 1. R. R. 2. a med. Rustici viam veham appellant, propter vecturas. Alii tamen leg. vea sine aspiratione. V. VIA.

**VĒHĀTĬO**, ōnis, f. 3. (veho) actus vehendi, vectura. Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod. 14. 6. 3. Hujus vehationis ita sit ratio partita, ut mille quingenta onera annua deputentur.

**VĒHĒLA** et per syncop. vela, æ, f. 1. vectabulum, vehiculum. Capitolin. Maximin. 13. a med. Alios Scythicis vehelis exhiberet, alios in custodia detineret, Alii leg. siccis vehiculis, h. e. nudis, ut Salmas. docet. — Fest. apud Paul. Diac. p. 368. 10. Müll. Vela apud Oscos dicebatur plaustrum: unde velarii, stipites in plaustro: et vectura, velatura. Alii leg. veja, vejarii, vejatura: aut vehia, vehiarii, vehitura. V. Müll. ad h. l.

**VĔHĔMENS** et vēmens, entis, adject. omn. gen. — a) Scribitur et vemens, extrita he, et quidem emendatius, si Vel. Longo Orthogr. p. 2234. Putsch. fidem habemus. Sed ibid. p. 2229. Elegantiores vehementem dicunt. Cornutus apud Cassiod. Orthogr. 1. Vehemens et vemens apud antiquos et apud Ciceronem lego. Cf. etiam Lachm. ad Lucr. p. 133. et Müll. De re metr. p. 253. et seq. Sane, præsertim poetæ, sive synæresi contrahebant, sive he exterant, ita usurpant. Lucret. 3. 153. Verum ubi vementi magis est commota metu mens. Horat. 2. Ep. 2. 120. Vemens et liquidus puroque simillimus amni. Adde Catull. 50. 21., Inscr. apud Mommsen 5097. et Vitruv. 10. 13. Simile est prehendo et prendo. V. NIHILUM. — b) Ratione habita etymi, Forcellinus ait esse a ve, intensiva particula, et mens, inserta aspiratione, ut sonus sit firmior et vegetior. De hac re ita Gell. 16. 5. Vetus et vehemens, alterum ab ætatis magnitudine compositum elisumque est: alterum a mentis vi atque impetu dicitur. Descripsit hæc more suo Macrob. 6. Saturn. 8. a med., quæ si vera sunt, vehemens proprie de personis dicetur, in quibus est mens, inde autem de rebus. Apul. Not. aspir. 45. a vehendo eminenter ducit: quam quidem notationem præferunt recentiores. V. CLEMENS init. — Comp. Vehementior II. a et c; Sup. Vehementissimus II. c. — Vehemens est acer, gravis, incitatus, validus, magnus, δεινός, σφοδρός (It. impetuoso, veemente, gagliardo, intenso, grande; Fr. excessif, véhément, intense, grand; Hisp. excesivo, vehemente, gran; Germ. heftig, tobend, hitzig, stark; Angl. vehement, intense, great).

I.) Proprie. ¶ 1. De personis. — a) Generatim. Ter. Heaut. 3. 1. 31. Vehemens in utramque partem es nimis, aut largitate nimia aut parsimonia. Cic. Brut. 22. ad fin. Galbam non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. — b) Specialim est ferox, acerbus, severus: aspro, severo, feroce, cui opponitur mitis, lenis. Cic. Vatin. 2. 4. Nimium es vehemens feroxque natura. Id. 4. Cat. 6. 12. Severum vehementemque se præbere in aliquem. Id. Sull. 31. 37. Qui vehemens in alios, qui inexorabilis esse visus sum. Id. 7. Verr. 40. 104. Poterone in eos esse vehemens, qui naves inanes habuerunt; in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem etc.? Id. Cæcin. 10. 28. Ita vehemens acerque venit, ut etiam mihi videretur irasci. ¶ 2. De brutis animantibus est iratus, furens irâ, incensus, incitatus. Horat. 2. Ep. 2. 28. vehemens lupus et sibi et hosti Iratus pariter, jejunis dentibus acer. Phædr. 2. 3. Laceratus quidam morsu vehementis canis.

II.) Translate refertur ad res, eod. sensu. — a) Universim. Ter. Andr. 1. 1. 122. Ne hæc quidem satis vehemens causa ad objurgandum. motivo forte abbastanza. et Adelph. prol. 17. Vehemens maledictum. Horat. 1. Ep. 13. 4. Ne studio nostri pecces odiumque libellis Sedulus importes opera vehemente minister. Lucret. 3. 483. vehemens violentia vini Conturbare animam consuevit. Sueton. Aug. 80. Assiduo et vehementi strigilis usu. Plin. 24. Hist. nat. 9. 38. (62). Vehementior capitis dolor. Id. 20. ibid. 22. 87. (238). Vehementior somnus lethargicos premit. Id. 17. ibid. 24. 37. (235). Vehementior frigorum aut calorum vis. Lucret. 6. 310. Vehemens ictus. Auct. B. Hisp. 31. clamor. et ibid. 3. ventus. Auct. B. G. 8. 48. fuga. Adde Quintil. 5. 10. 113. — b) De oratione. Cic. 2. Orat. 43. 183. Inflammare animum judicis acri et vehementi incitatione. et ibid. 49. 200. Tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci illud alterum lenitatis et mansuetudinis cœpi. et ibid. 78. 317. Exordium dicendi vehemens et pugnax. — c) De concretis. Cato R. R. 157. Brassica, quæ lenis vocatur, tenui suco vehementissima. di gran virtù. Sic Scribon. Compos. 70. Medicamentum efficacius et vehementius. Plaut. Rud. prol. 70. Arcturus signum sum omnium acerrumum: Vehemens sum exoriens; quum occido, vehementior. Liv. 9. 19. Pilum haud paullo, quam hasta, vehementius ictu missuque telum. Colum. 4. R. R. 16. Vitis vehementioribus statuminibus impedanda est. h. e. validioribus. Plin. 36. Hist. nat. 23. 52. (173). Cisternas arenæ puræ quinque partibus, calcis quam vehementissimæ duabus construere. — Vehemens vitis est quæ luxuriat et multos ramos citat. Colum. 3. R. R. 1. Agricola pingui dabit agro gracilem vitem, macro feracem, terræ densæ vehementem multaque materia frondentem. — NB. De cogn. V. ONOM.

**VĔHĔMENTER** et vēmenter, adverb. (vehemens) De scriptione V. voc. præc. — Comp. Vehementius 1. et 3.; Sup. Vehementissime 1. et 2. — Vehementer ¶ 1. Est multa vi, con veemenza, con forza, σφόδρα, δεινῶς. Cæs. 7. B. G. 84. in fin. Vehementius perturbare mentes hominum. Id. 2. B. C. 41. Vehementius incitare equos. et 3. ibid. 17. Instare de induciis vehementissimeque contendere. Auct. B. G. 8. 36. sub fin. Vehementissime prœliari. Cic. 1. Orat. 33. a med. se exercere in aliqua re. Id. 4. Tusc. 23. 51. Nisi forte quæ vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. Id. 8. Phil. 5. a med. Vehementer me agere fateor, iracunde nego. ¶ 2. Item valde, impense, admodum, molto, sommamente, ἄγαν: sive cum verbis sive cum adject. Ter. Eun. 5. 8. 39. Vehementer velim. Cf. Plaut. Curc. 3. 5. 9. Cic. 13. Fam. 67. Hoc mihi erit vehementer gratum. Id. 4. Acad. (2. pr.) 19. 63. Vehementer admirans. Id. 2. Off. 18. 64. Est vehementer utile. Id. 12. Fam. 15. Res nos vehementer fefellit. Id. 4. Acad. (2. pr.) 43. 133. Antiocho vehementissime displicet. Id. 8. Fam. 8. 10. Vehementer ad me attinet. Id. ad Cupienn. post ep. 16. l. 16. ad Att. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Cæl. ad Cic. 8. Fam. 8. Hæc res vehementer ad me pertinet. Sall. Cat. 42. Vehementer simulare aliquid. Id. Jug. 4. Vehementissime animum ad virtutem accendi. Licin. Calv. apud Charis. 2. p. 198. Putsch. probare, h. e. fortissime, vere, Charis. inquit. M. Aurel. ad Fronton. 2. ad M. Cæs. (edente iterum A. Mai) ep. 8. Nos istic vehementer æstuamus. Habes et bendecasyllabum ingenuum. Vopisc. Aurel. 50. Vehementissime delectari. — Lucret. 2. 1024. Nam tibi vementer nova res molitur ad aures Accidere. ¶ 3. Item severe, acerbe, aspere. Cæs. 1. B. G. 40. Vehementer incusare aliquem. Cic. 6. Verr. 66. ad fin. Vehementius minari alicui. Id. 10. Att. 7. a med. Quintum puerum accepi vehementer. l'ho accolto con una buona bravata o rabbuffo. et Petron. Sat. 85. Tam vehementer excandui, ut etc.

**VĔHĔMENTESCO**, is, ere, n. 3. (inchoat. a vehemens) vehemens fio, farsi veemente. Cæl. Aurel. 1. Tard. 2. 51. Vehementescit hæc passio hieme. et 4. ibid. 6. sub fin. Quum viderint fluorem vehementescere. Id. 2. Acut. 33. 173. Quum vehementescere cœperit febris.

**VĔHĔMENTĬA**, æ, f. 1. (vehemens) gravitas, acritudo, σφοδρότης, δεινότης (It. veemenza; Fr. véhémence, force; Hisp. vehemencia, fuerza; Germ. die Heftigkeit, Leidenschaft, Hitze; Angl. vehemence, force). — a) De personis. Plin. 36. Hist. nat. 5. 4. (33). Pollio Asinius fuit acris vehementiæ. Gell. 1. 11. a med. Vehementia Gracchi. — b) De rebus. Cic. 4. Herenn. 19. 26. Inter hujus generis et illius superioris vehementiam hoc interest, quod etc. Plin. 13. Hist. nat. 8. 16. (59). Vehementia odoris. Id. 19. ibid. 5. 27. (88). saporis. Id. 23. ibid. 1. 21. (36). vini. forza. et 23. procem. a med. omphacii mitigatur melle. Id. 28. ibid. 4. 14. (55). linteorum strigilumque. h. e. vehemens usus. Id. 23. ibid. 1. 24. (48). venarum. h. e. vehemens et incitatus pulsus. Cæl. Aurel. 3. Tard. 2. 24. Si in vehementiam passio venerit.

**VĔHENS**, entis, particip. V. VEHO.

**VĔHES** et vehis, is, f. 3. (veho) plaustrum, veggia, carro, carretta, ὄχημα.

I.) Proprie. Cato apud Charis. 1. p. 55 Vehes ligni. Colum. 11. R. R. 2. a med. Sati

erit in singula jugera vehes stercoris comparare decem et octo. vehes autem stercoris habet modios octoginta. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (194). Justum est, singulas vehes fimi denario ire in singulas pecudes minores, in majores denas. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (108). *de cloacis.* Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem fœni large onustam transmitteret. *Id.* 2. *ibid.* 58. 59. (149). Qui lapis etiam nunc ostenditur, magnitudine vehis. *h. e.* ea magnitudine, quæ plaustro onerando satis est. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 14. 6. 3. Nongentarum vehum sarcina. *Inscr.* apud *Orell. n.* 39. TIGNORVM VEHES DECEM.

II.) Translate, a similitudine, ut *vehes fimi*, est quantum una vectura plaustro vehitur; ita *vehes materiæ*, est quantum una opera ab uno dolari potest. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Materies si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum XX.: hæc erit vehis una. Pinus autem XXV. pedum ab uno expeditur: quæ et ipsa vehis dicitur. nec minus ulmus et fraxinus pedum XXX.; cupressus pedum XL. tum etiam LX. pedum. abies atque populus singulis operis ad unguem quadrantur. atque omnes hæ mensuræ similiter vehes appellantur. Hæc *Colum.*

VĔHĬA, vehiarii, vehitura. *V.* in VEHELA.

VĔHICLUM. *V.* VEHICULUM.

VĔHĬCŬLA, æ, f. 1. (veho) idem ac vehiculum. *Vulg. interpr. Ital. Gen.* 50. 9. Vehiculæ et equites. *Noster* habet *currus.*

VĔHĬCŬLĀRIS, e, adject. (vehiculum) vehicularius. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. Cursus vehicularis sollicitudo personale munus est. *V.* voc. seq.

VĔHĬCŬLĀRĬUS, a, um, adject. (vehiculum) ad vehiculum pertinens. *Capitolin. Max. et Balb.* 5. Vehicularius fabricator. *h. e.* qui vehicula facit. — *Vehicularius cursus* institutus est ab Augusto, ut *Sueton. Aug.* 49. testatur. Is enim, quo celerius scire posset. quid in quaque provincia gereretur, juvenes primo modicis intervallis per vias militares (*corrieri, postiglioni*), dehinc vehicula (*sedie da posta*) disposuit, quibus nuntii vecti et subinde ea mutantes brevissimo tempore magna itinerum spatia conficiebant. Atque horum vehiculorum expensæ solvebantur fere a provincialibus pro rata parte. Aliquando tamen ex quorumdam principum liberalitate ii sumptus suppeditabantur ex fisco. *Capitolin. Antonin.* 12. Vehicularium cursum summa diligentia sublevavit (*V.* VEHICULUM). *Ammian.* 14. 11. 5. Acceptis litteris et copia rei vehiculariæ data. — Hinc

*Vehicularius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more, qui vehiculis præest. *Inscr.* apud *Murat.* 922. 29. *V.* VEHICULUM.

VĔHĬCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

VĔHĬCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vehiculum) cura et munus vehicularii cursus, *h. e.* onus, quod habebant provinciæ alendi jumenta et publici per vehicula cursus conservandi. *Nummus Nervæ* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 408. Vehiculatione Italiæ remissa. *V.* voc. præc. — Huc videtur spectare locus *Mamertin. jun. grat. act. Julian. Aug.* 3. Ipso enim tempore relevati equorum pretiis enormibus Dalmatæ. — Ceterum V. *Colleschi Delle poste degli antichi,* præcipue *Schiass.* in *Lex. Morcell. t.* 3. *p.* 469. *col.* 4.

VĔHĬCŬLUM *et per sync.* vehiclum, i, n. 2. (veho) plaustrum vel currus ad vehendum aptus, ἅρμα, ὄχημα (It. *carro, carriaggio;* Fr. *voiture, chariot;* Hisp. *acarreo, galera, carro;* Germ. *das Fuhrwerk, der Karren;* Angl. *a carriage, vehicle*). Est autem nomen generale, sub quo continentur omnia instrumenta, quibus aliquid vehitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 72. 186. Omnes dii, qui vehiculis thensarum solemnes cœtus ludorum initis. *Id. ibid.* 23. 59. Illi tibi furtorum vehiculum comparaverunt. ubi *Cic.* navem intelligit, ad avehenda Romam ex Sicilia furta Verris, a Mamertinis paratam. Cf. *Lactant.* 20. 12. Ceteræ animantes, vel sedendi vehiculum præbent vel etc. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 2. 46. Vehiculum infantium. ¶ 2. Speciatim ac præcipue sic appellatur currus ad iter faciendum aptus, *sedia, calesso. Plaut. Aulul.* 3. 5. 28. Mibi æquum est dari vehicula, qui vehar. Alii leg. *vehicla. Cic. Pis.* 25. *ad fin.* Triumphalia vehicula. *h. e.* quibus triumphantes per Urbem vehebantur. *Id.* 10. *Att.* 10. *sub fin.* Ego vero vehiculo, si navis non erit, eripiam me ex istorum parricidio. Alii rectius leg. *vel lintriculo,* nam Ciceroni non terra, sed mari eundum erat, si vellet evadere. *Liv.* 34. 1. Juncto vehiculo vehi. *h. e.* a jumentis tracto. *Sueton. Cal.* 39. Comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis. *sedie da nolo.* et *Tac.* 12. *Ann.* 47. *a med.* Contecto vehiculo abdere aliquem. *Id.* 2. *Hist.* 41. Mixta vehicula et lixæ. *i carriaggi.* et *Plin. Paneg.* 20. Nullus in exigendis vehiculis tumultus. *h. e.* quæ provinciæ præbere debebant imperatori in expeditionem proficiscenti. *Id.* 7. *Ep.* 21. Vehiculum tectum. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. 86. manuale. Græci χειραμάξιον dicunt. Cf. CHIRAMAXIUM. — Notus fuit Romanis usus vehiculorum, quæ nos voce Græcanica *odometri,* ὁδόμετρα, appellamus. *Capitolin. Pertin.* 8. Nec non vehicula arte fabricæ nova iter metientia horasque monstrantia. *Vitruv.* 10. 14. eorum construendorum rationem fuse persequitur. — *A vehiculis* servus et *a commentariis vehiculorum,* in domo Augusta fuit curam gerens vehiculorum, quæ familiæ Augustæ in sarcinis vehendis inserviebant. *Inscr.* apud *Gruter.* 592. 4. M. VLPIVS AVG. LIB. CRESCENS AB VEHICVLIS ET M. VLPIVS AVG. LIB. SATVRNINVS FILIVS A COMMENTARIIS VEHICVLORVM ET COCCEIA FORTVNATA FECERVNT FRATRI PIENTISSIMO. In *alia* apud *Don. cl.* 7. *n.* 109. eod. sensu habetur: P. TITILIENVS P. L. CHARIPPVS M. ANTONI VEHICVLARIVS. *V.* VEHICULARIUS.

II.) Improprie *vehiculum* etiam dictum fuit instrumentum metendis spicis aptum. quod pluribus verbis describit *Pallad.* 7. *R. R.* 2., quodque paucis *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. idemque *vallum* appellat.

III.) Translate. *Plaut. Pers.* 5. 2. 5. Vehiculum argenti ejeci. Alii *vehiclum. Augustin. Serm.* 120. *n.* 2. Vehiculum verbi sonus est vocis.

VĔHIS. *V.* VEHES.

VĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. Ratione habita etymi, recentiores derivant a rad. Skr. *vagh,* vehiculo fero, unde et ὀχέω, ejusd. significationis. Cf. VEJA. — Part. *Vehens* sub *A* I. 1. *a, c* et *B; Vectus* sub *A* I. 1. *b; Vecturus* sub *A* I. 1. *a; Vehendus* sub *A* I. 1. *b.* — Veho est fero, gesto corpore, curru, navi, equo, βαστάζω, ὀχέω (It. *portare, condurre, menare;* Fr. *porter, transporter, trainer, tirer;* Hisp. *llevar, traer, arrastrar;* Germ. *tragen, fahren, bringen, führen;* Angl. *to carry, convey, bear*). Adhibetur fere *A)* Transitive; aliquando vero etiam *B)* Neutrorum more.

*A)* Transitive et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Universim. *Plaut. Most.* 3. 2. 94. Habeo homines clitellarios: Magni sunt oneris: quidquid imponas, vehunt. Adde *Asin.* 3. 3. 110. *Ter. Phorm.* 4. 1. 9. venisse eas Salvas, audivi ex nauta, qui illas vexerat. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 48. Reticulum panis onusto humero vehere. *Seneca* 3. *Benef.* 37. Siculi juvenes vexerunt parentes suos. *portarono sulle spalle.* (V. AMPHINOMUS in ONOM.) et *Cic.* 1. *Nat. D.* 28. 78. Ille taurus, qui vexit Europam. *Tibull.* 1. 11. 51. Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse, Uxorem plaustro progeniemque domum. *Id.* 2. 5. 40. Troïa qui profugis sacra vehis ratibus. *Ovid.* 2. *Trist.* 385. Tantalides, agitante Cupidine currus, Pisæam Phrygiis vexit eburnus equis. *Id.* 1. *Art. am.* 94. *de formica.* Granifero solitum quum vehit ore cibum. *Val. Flacc.* 3. 54 Aura vehit. *h. e.* ventus secundus fert navem. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 141. accingere nostram Vecturus dominam. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. *extr.* Tardius ire navigia testudinis pedem dextrum vehentia. — *b)* Frequenter passive usurpatur, atque hac ratione inest in eo vis quædam alieni arbitrii, inquit *Macrob.* 6. *Saturn.* 7., non enim sui potens est, qui vehitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 70. 144. Visus est in somnis curru quadrigarum vehi. *et ibid.* 68. 140. Equus, in quo ego vehebar, mecum una demersus. *Id.* 2. *Phil.* 24. 58. Vehebatur in essedo tribunus plebis. *Id.* 2. *Nat. D.* 37. *a med.* Vehi in navi. *Propert.* 3. 3. 36. Nudus ab inferna, stulte, vehere rate. *Tibull.* 4. 1. 209. per liquidum volucri vehar aera penna. *Varro* 5. *L. L.* 156. *Müll.* Vehi lintribus. *Ovid.* 2. *Met.* 13. Nympha vehitur pisce. *Id. Heroid.* 16. 113. Vehi puppe. *Id.* 15. *Met.* 149. nube. *Nepos Datam.* 4. *ad fin.* equo concitato ad hostem. *Cic. Pis.* 25. *a med.* Captare plausus, vehi per urbem, conspici velle. *h. e.* curru vehi. *Nepos Chabr.* 4. Maluit perire, quam navem relinquere, in qua fuerat vectus. *Plaut. Stich.* 4. 1. 25. Mare, quo estis vecti. *Id. Rud.* 1. 5. 11. Equo ligneo per vias cæruleas estis vectæ. *Ovid.* 1. *Met.* 319. rate parva vectus. *Virg.* 1. *Æn.* 524. Troes te miseri ventis maria omnia vecti. *Id.* 7. *ibid.* 65. apes liquidum trans æthera vectæ. *et ibid.* 124. ignota ad litora vectus. *Ovid.* 5. *Met.* 360. (et *Vellej.* 2. 82. *extr.*) Vectus curru. *Id.* 6. *Fast.* 724. Vectus es in niveis, Postume, victor equis. *h. e.* triumphans. *Id.* 3. *Amor.* 2. 9. sacro de carcere missis Insistam forti mente vehendus equis. *Quintil.* 10. 7. 1. Navis lenibus ventis vecta. — *c)* Absolute. *Gell.* 16. 19. *extr.* Delphinus vehens et homo insidens. *Id.* 20. 1. *circa med.* Jumentum tergo vehens. ¶ 2. Speciatim est trahere, *tirare. Horat.* 3. *Od.* 3. 13. te, Bacche, tuæ Vexere tigres, indocili jugum Collo trahentes. *Curt.* 3. 3. 11. Currum Jovi sacratum albentes vehebant equi. *Festus p.* 372. 30. *Müll.* Vehere, portare vel trahere. ¶ 3. *Vehi,* ferri, progredi, procedere. *Cic. Tim.* 13. Ut animal sex motibus veheretur, ante et pone, ad lævam, ad dexteram etc.

II.) Translate. ¶ 1. De fluminibus, quæ *vehere* dicuntur. *Tibull.* 1. 4. 60. Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas. *Ovid.* 2. *Met.* 251. Tagus amne suo vehit aurum. Adde *Curt.* 5. 2. 9. et 8. 9. 18. ¶ 2. Metaphorice. *Horat.* 3. *Od.* 24. 47. non tamen irritum efficiet, Quod fugiens semel hora vexit. *h. e.* attulit, adduxit. *Plin.* 4. *Ep.* 26. Me ipsum laudibus vexit. *Alii leg.* evexit. *Claudian. B. Get.* 11. ardua Tiphyn Navis ob innocuæ meritum sic gloria vexit. *Seneca Ep.* 31. Deus maximus potentissimusque vehit omnia.

*B)* Neutrorum more est idem ac vehor. *Cic. Brut.* 97. 331. Quadrigis vehens. *h. e.* vectus. Sic *Quadrig.* apud *Gell.* 2. 2. *sub fin.* Consuli proconsul obviam in equo vehens venit. *Sueton. Claud.* 28. Jus lectica per urbem vehendi.

VEIGINTI. *V.* VIGINTI.

VEIS pro vis. *V.* VOLO.

VEIVO. *V.* VIVO.

VEJA, æ, f. 1. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 368. 10. *Müll.* Veja apud Oscos dicebatur plaustrum, unde vejarii stipites in plaustro et vectura vejatura.

VEJĀRĬUS et

VEJĀTŪRA. *V.* voc. præc.

VEL, particula multiplicis usus. Olim *bel* pro *vel,* consueta *v* in *b* permutatione, scriptum est, ut in *Inscr.* apud *Mommsen n.* 3030. QVI BOLVERIT BEL BENDERE BEL PERMVTARE etc. — Etymologi communiter docent, factum esse per apocopen formæ *velis* (*vels* coll. *fers*), syllaba *is* extrita, a *volo,* quo significatur libera voluntas eligendi inter duo vel plura: fortasse est forma decurtata imperativi, ut *fer.* Itali quoque sensu disjunctivo, qui videtur esse vocis præcipuus, *vuoi* dicunt. — Vel itaque

I.) Est conjunctio disjunctiva, quæ diversas et etiam contrarias res continua serie simul junctas ita connectit, ut optionem faciat hanc aut illam pro lubitu eligendi, et est seu, sive, aut, ἤ, ἤτοι (It. *o, ovvero;* Fr. *ou;* Hisp. *ó;* Germ. *oder;* Angl. *or*); quamquam inter has particulas aliquid discriminis intercedit, ut infra dictum est. Usurpatur ¶ 1. Generatim. — *a)* Semel tantum. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 29. Lege vel tabellas redde. Adde *Asin.* 3. 3. 77. *Cic.* 2. *Rep.* 28. 50.

Quæ posita est in unius voluntate vel moribus. Adde *Cæs.* 4. *B. G.* 16. et *Cic.* 1. *Rep.* 26. — *b*) Sæpius bis et pluries. *Plaut. Rud.* 2. 4. 14. Vel tu mihi ajas vel neges. Adde *Pers.* 3. 1. 70. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Allobrogibus se vel persuasuros existimabant, vel vi coacturos, ut etc. *Cic.* 4. *Fin.* 11. 27. Habere ea, quæ secundum naturam sunt, vel omnia vel plurima et maxima. *Id.* 7. *Att.* 9. Cum bona quidem spe vel vincendi vel in libertate moriendi. *Id.* 3. *Off.* 19. 41. Pace vel Romuli vel Quirini dixerim. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 19. et 31. et *Cic.* 2. *Rep.* 4. 8. *Id. ibid.* 21. 37. Sic erat in omni vel officio vel sermone sollers. — *Plaut. Rud.* 2. 7. 24. Tu vel suda vel alge, vel tu ægrota vel vale. *Cic.* 2. *Fam.* 7. Cur non adsum vel spectator laudum tuarum, vel particeps vel socius vel minister consiliorum? — *c*) Interdum habet ante aut post se partic. *aut.* — *α*) Nullo discrimine. *Varro* 1. *R. R.* 7. *ante med.* Sequitur, quali terra solum sit fundi; a qua parte vel maxime bonus aut non bonus appellatur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 34. *a med.* Solarium vel descriptum aut ex aqua. *Propert.* 3. 20. 25. vel stadijs aut hortis. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Caji aut Claudii vel Neronis. *Martial.* 3. 54. aut aperi vel lava. Adde 1. 92. et 4. 78. Apud *Ovid.* 1. *Met.* 546. pro *aut* plerique omnes leg. *ait.* — *β*) Cum discrimine. *Cic. Amic.* 16. 57. Ubi enim potest illa ætas aut calescere vel apricatione melius vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius. — Ceterum de *vi* particulæ *aut* cum *vel* junctæ *V.* AUT sub III. *b* et Homonym. Cf. etiam *Hand Turs.* v. 1. *p.* 548. et *seqq.* et *Lachmann* ad *Propert.* 4. 21. 25. ¶ 2. Speciatim cum particulis, in postremo membro postpositis, *etiam, vero etiam, omnino* vim sententiæ auget. *Cic.* 1. *Fam.* 8. *ante med.* Ut vel ea defendam, quæ Pompejus velit, vel taceam, vel etiam ad nostra me studia referam litterarum. Adde 1. *Rep.* 18. *in fin. Id. ibid.* 3. 4. Leve sane impedimentum, neque solum in tantis rebus, sed etiam in mediocribus vel studiis vel officiis vel vero etiam negotiis contemnendum. *Id. Part. orat.* 36. 128. Hæc vel ad odium vel ad misericordiam vel omnino ad animos judicum movendos sumentur. ¶ 3. Item, interdum, habet post se *potius* et correctioni inservit. *Cic.* 1. *Rep.* 44. 68. Ex hoc populo indomito vel potius immani deligitur aliqui plerumque dux. *Id.* 2. *ibid.* 30. 52. Post obitum vel potius excessum Romuli. *Id.* 14. *Att.* 16. Interest Ciceronis vel mea potius vel mehercule utriusque. — Absolute *vel* pro *vel potius*, apud *eumd.* 9. *ibid.* 7. A plerisque, vel dicam, ab omnibus. Adde *Sueton. Cal.* 13.

II.) Est interdum conjunctio copulativa, ita tamen, ut quadamtenus distinguat, quasi sit *sive* — *sive*: et quidem usurpatur ¶ 1. Pro *et, et etiam*. *Virg.* 6. *Æn.* 769. Silvius Æneas, pariter pietate vel armis Egregius. *Liv.* 1. 42. *extr.* Hunc ordinem ex censu descripsit vel paci decorum vel bello. *Claudian. B. Get.* 131. Pectora Fabricii donis invicta vel armis. *Cassiod.* 12. *Variar.* 22. Istria divino munere gravida vini, olei vel tritici fecunditate gratulatur. *Inscr.*, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCCXXI., apud *Gruter.* 363. 1. TESSERAM HOSPITALEM CVM EO FECERVNT VTI SE IN FIDEM ATQVE CLIENTELAM VEL SVAM VEL POSTERORVM SVORVM RECIPERET. — *Sidon.* 4. *Ep.* 20. Illam equi radiantibus gemmis onusti antecedebant vel etiam subsequebantur. V. *Paucker Subr. p.* 14. adn. 6. *Volkm. Itin. Alex. M. præf. p.* 7. et *seq.* et *Haase Misc.* 2. *p.* 27. *not.* ¶ 2. Similiter pro *tum* accipit *Tursell.* in illo *Cic.* 1. *Orat.* 58. 249. Res rusticas vel fructus causa vel oblectationis invisere. *et Brut.* 96. Multorum vel honori vel periculo inservire.

III.) Est etiam aut saltem videtur esse dubitativa, et pro *an* usurpari. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 4. *ad fin.* Hominem comprehendit et in custodiam Ephesi tradidit: sed in publicam vel in pistrinum, non satis ex litteris ejus intelligere potuimus. *Quintil.* 3. 6. *ante med.* Quærendum arbitrantur, justumne sit, sacrilegium appellari quod objiciatur, vel furtum vel amentiam Cf. *Cic.* 3. *Off.* 10. 41. Pace vel Quirini vel Romuli dixerim.

IV.) Denique ¶ 1. Occurrit pro adjunctiva *etiam*, vel pro *præsertim*. *Cic.* 3. *Legg.* 10. 23. Isto quidem modo vel consulatus vituperio est. *Virg.* 11. *Æn.* 259. Vel Priamo miseranda manus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 93. Per me vel stertas licet. *Liv.* 9. 24. Hoc ascensu vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint. Adde *Cic. Rosc. Am.* 30. 85., *Lucil.* et *Varron.* apud *Non. p.* 527. *Merc.*, ubi et alia duo loca ex *Cicer. fragmentis* affert. *Sall. Jug.* 53. In victoria vel ignavis gloriari licet. *Quintil.* 10. 1. 75. Vel ipso probabilis, quod etc. *Id.* 8. 4. 4. Sufficit vel unum Ciceronis exemplum. *Cic.* 7. *Fam.* 15. Quum sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest. *h. e.* præsertim, *da questo se non da altro*. *Id.* 14. *Att.* 16. Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod litteræ sunt librari manu. ¶ 2. Pro *saltem*. *Ter. Phorm.* 2. 1. 71. Postremo, si nullo alio pacto vel fenore. Alii omitt. *vel*. Si *vel* retineas, possis tamen hic quoque per *etiam* explicare: *se non in altra maniera, anche col prendere ad usura*. ¶ 3. Cum superlat., cui quamdam vim addit, pro *etiam* aut *valde, præcipue, cum primis*. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 119. Hæc sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem vel maximæ. *Liv.* 36. 41. Cujus eo tempore vel maxima apud regem auctoritas erat. *Cic.* 1. *Fin.* 2. 5. Quum Sophocles vel optime scripserit Electram. *Id.* 1. *Tusc.* 22. *a med.* Illud quidem vel maximum est, animo ipso animum videre. *Quintil.* 11. 1. 81. Vel facillimum est, ibi alienam culpam incusare, ubi fatearis tuam. *Id.* 12. 2. 14. Litteras vel primis labris degustare. Adde *Sall.* 1. *Hist. fr.* 41. *Cic.* 2. *Verr.* 16. 46. Unum senatorem vel tenuissimum esse damnatum. *Id. Orat.* 26. *in fin.* Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem vel plurimum. Adde *Nepot. Ages.* 4. ¶ 4. Similis est τοῦ *veluti*, quum quiddam præcipuum subjicimus. Sed hoc etiam modo interpretari possumus, *ut alia omittam, ut de aliis taceam, hoc unum satis est*. *Ter. Heaut.* 4. 6. 1. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, Quam invitus facias, vel me hæc deambulatio Quam non laboriosa ad languorem dedit! *Id. Hecyr.* 1. 1. 1. Per pol quam paucos reperias meretricibus Fideles evenire amatores. Vel hic Pamphilus jurabat etc. *Cic.* 2. *Fam.* 13. Raras tuas quidem, sed suaves accipio litteras, vel quas proxime acceperam, quam prudentes! *Horat. Epod.* 12. 13. Vel mea quum sævis agitat fastidia verbis. *Virg.* 11. *Æn.* 406. Vel quum se pavidum contra mea jurgia fingit. ¶ 5. *Vel quod*, initio sententiæ, sæpe indignationem continet. *Cic. Flacc.* 19. 45. Vel quod est in eodem decreto scriptum, homines clarissimos civitatis amplissimis honoribus usos, hoc prætore circumventos. *oh questo ci mancava che* etc. — Similiter *id. ibid.* 33. *a med.* Ita scitote, judices, esse cetera: vel quod ait Lucceius, L. Flaccum sibi dare cupisse sestertium vicies. *voletela più bella? che.* Sed hæc non temere nec omnibus imitanda sunt, inquit *Tursellinus*. Cf. etiam *Hand op. cit.* v. 1. *p.* 547. et *De-Vit* ad *h. v.*

Homonym. Differt *vel* a *sive* et *seu*: quia *vel* absolute disjungit et sine ulla condicione, *sive* et *seu* condicionis et dubitationis aliquid continent. Interdum tamen *sive* pro *vel* ponitur. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 4. 1. *a med.* Te rogo, ne dimittas animum contraque erigas ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis. — Ceterum quomodo inter se differant *aut, vel* et *sive*, V. sub AUT.

VELA, æ, f. 1. Vox Gallica, qua genus fruticis significatur, quod, ut ait *Furlanetto*, nunc quoque *velar* Galli appellant, *erisamo* Italici. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 75. (158). Irionem inter fruges sesamæ similem esse diximus, et a Græcis erysimon vocari: Galli velam appellant. Est autem fruticosum, foliis erucæ, angustioribus paullo, semine nasturtii: utilissimum tussientibus cum melle et in thorace purulentis exscreationibus.

VELA pro Vehela. *V.* VEHELA.

VĒLĀBRUM, i, n. 2. Etiam *velabrus* et *vilabrus* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 289. et apud *Henz. n.* 6981. — Velabrum ¶ 1. Est idem fere ac velarium; a velando dictum. *Ammian.* 14. 6. *ad fin.* Nonnulli velabris umbraculorum theatralium latent, quæ Campanam imitatus lasciviam Catulus in ædilitate sua suspendit omnium primus. *Gardthaus.* leg. *velariis*. ¶ 2. Pro instrumento ad frumentum eventilandum: fortasse a *velum* pro vexillo, quod a vehendo ducitur. Cf. VELUM. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 77. 15. *Müll.* Evelatum eventilatum, unde velabra, quibus frumenta eventilantur. *Salmas.* legit *evallatum* pro *evelatum*, et *valli* pro *velabra*; sed licentius. V. *Muellerum*. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

VĒLĀBRUS. *V.* voc. præced.

VĒLĀMEN, inis, n. 3. (velo) tegmen, operimentum: et præcipue vestis, κάλυμμα, σκέπασμα (It. *velo, coprimento, veste*; Fr. *couverture, vêtement*; Hisp. *cubierta, vestimento*; Germ. *die Decke, Hülle, Kleidung*; Angl. *a veil, covering, dress*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 1. *Æn.* 653. Et circumtextum croceo velamen acantho. *Ovid.* 6. *Met.* 566. velamina Progne Deripit ex humeris auro fulgentia lato. *Ovid.* 6. *Fast.* 579. Nunc pudet et vultus velamine celat amatos. *Id.* 3. *Art. am.* 267. Quæ nimium gracilis, pleno velamina filo Sumat. *panni grossi.* et *Tac. Germ.* 17. Eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis. *h. e.* pelles. *Seneca Consol. ad Helv.* 11. Neque tectum ei deerit neque velamen. *nè casa nè vestito.* et *Juvenal.* 3. 178. clari velamen honoris. *h. e.* vestis insigne magistratus. ¶ 2. Speciatim de velo, quod Deo sacræ virgines rite accipiebant. *Inscr.* metrica apud *Bruzza Inscr. Vercell. p.* 316. TEXERAT HAEC SACROS CASTO VELAMINE CRINES etc. *V.* quæ ad hanc rem congessit idem cl. *Bruzza.* ¶ 3. Item de velo nubentium. *Ambros. Ep.* 19. *n.* 7. Ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oportet. *Id.* 1. *De pœnit.* 14. *n.* 69. Velamen nuptiale. ¶ 4. De velo oppanso, apud Hebræos, ante sanctum sanctorum seu tabernaculi adytum. *Augustin. Quæst.* in *Hept.* 112. ad illud *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 26. 33. *Et dividet vobis velamen* etc. Inter sanctum et sanctum sanctorum sit hoc velamen. — Hinc metaphorice. *Vulg. interpr. Hebr.* 6. 19. Quam (*spem*) sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam et incedentem usque ad interiora velaminis. *h. e.* ad visionem Dei. Cf. *De-Rossi Bullet. Crist. a.* 1864. *p.* 35.

II.) Translate. ¶ 1. *Velamen* dicitur corpus, quasi animæ involucrum. *Vulg. interpr. Hebr.* 10. 20. *de Christo.* Quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen; id est, carnem suam. Cf. VAS. ¶ 2. Metaphorice. *Id.* 2. *Cor.* 3. 15. Velamen positum est super cor eorum. Quum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. ¶ 3. Item de obtentu seu prætextu. *Cod. Theod.* 10. 12. 2. Invidiam aliquo colorare velamine. Adde *Dig.* 1. 11. 17.

VĒLĀMENTUM, i, n. 2. (velo) idem quod velamen, velum.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Seneca Consol. ad Marc.* 15. Ti. Cæsar et quem genuerat et quem adoptaverat, amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret. *Vulg. interpr. Exod.* 36. 19. Velamentum de pellibus ianthinis. Adde *Num.* 4. 8. et *Hebr.* 9. 3. *Curt.* 7. 5. 36. Bessus non vinctus modo, sed etiam omni velamento corporis spoliatus. ¶ 2. Latiore sensu est tegumentum, involucrum. Sic *Cels.* 7. 18. tunicas, quæ testiculos ambiunt, velamenta vocat. ¶ 3. Item *velamenta* dicebantur, quæ a Græcis ἱκετήρια, idest res illæ, quas supplices misericordiæ movendæ causa præferebant, cujusmodi erant rami olearum vittis obvoluti. *Ovid.* 11. *Met.* 279. Velamenta manu prætendens supplice etc. *Liv.* 24. 30. *in fin.* Ramos oleæ ac velamenta alia supplicum porrigentes orare, ut reciperent sese. *Tac.* 1. *Hist.* 66. Velamenta et infulas præ-

ferentes. *Curt.* 7. 5. 33. Supplicum velamentis precibusque inhiberi. Cf. *Fabri* ad *Liv.* 24 30.

II.) Metaphorice. *Seneca Vit. beat.* 12. *ad fin.* Quærentes libidinibus suis patrocinium aliquod seu velamentum. *Cod. Theod.* 11. 17. 4. Nullum sub quopiam cessare privilegii velamento. — *Vulg. interpr. Ps.* 60. 5. Protegar in velamento alarum tuarum. *h. e.* defensione, tutamento.

**VĒLANS**, antis, particip. *V.* VELO.

**VĒLĀRĬA**. *V.* VELARIUM.

**VĒLĀRIS**, e, adject. (velum) ad vela pertinens. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 18. (62). Lignum firmæ duritiæ, ex quo velares detornant anulos. *h. e.* quibus vela navium extenduntur.

**VĒLĀRĬUM**, ii, *et sæpius* velaria, ōrum, plur. n. 2. (velum) idem quod velum, ut in *Onom.* in *Thes.* ed. *Vulc.* Velaria, ὀθόνια. Speciatim vero est velum illud, quod in theatro superne extendebatur ad arcendam pluviam et solis æstum, *tenda, παραπέτασμα. Juvenal.* 4. 122. sic pugnas Cilicis laudabat et ictus Et pegma et pueros hinc ad velaria raptos. *Ammian.* 14. 6. 25. *Gardth.* Velaria umbraculorum theatralium. *V.* VELABRUM. — *Præpositus velaris* (sc. *velariis*) *castrensibus*, qui in ludis castrensibus velaris curabat, in *Inscr.* apud *Orelli n.* 6370. — De velariis V. *Efisio L. Tocco Del velario e delle vele negli anfiteatri* etc.

**VĒLĀRĬUS**, ii, m. 2. (velum) ¶ 1. Est qui ad fores et velum cubiculi adsistit et admissiones ad principem disponit, ut in CANCELLARIUS dictum est. *Inscr.* apud *Gruter.* 599. 7. TI. CL. THALLVS PRAEPOSITVS VELARIORVM DOMVS AVGVSTANAE etc. *Alia ibid* 8. L. FLAVIVS AVG. LIB. PRIMIGENIVS SVPRA VELARIOS DE DOMV AVG. *Alia* apud *Murat.* 916. 4. STRATON AVGG. LIB. PP. VELARIORVM. Cf. *Ruperti* ad *Juvenal.* 6. 227. *Orellius* gladiatores esse putat velo, quocumque modo, tectos. *Inscr. n.* 2569. et *alibi.* ¶ 2. Item classiarius miles, qui velis navium et amphitheatri, ut constat ex *Lamprid. Commod.* 15., explicandis complicandisque præerat. *Inscr.* apud *Murat.* 861. 4. VALERIVS NAT. ALEXANDRIN. EX VELAR. DVPLICAR. MILITAVIT ANN. XXVI. VIX. AN. LVI. M. III. D. XII. etc. *V.* VELUM. ¶ 3. Item *velarius* servus erat etiam in familiis principibus. *Inscr.* apud *Brizzio Sepolcri sull' Esquil. n.* 53. *n.* 112. et p. 72. *n.* 231.

**VĒLĀTĒ**, adverb. (velatus) cum velamine. Adfert *Quicherat* in *Add.* etc. *p.* 306. ex *Beda Vit. Cuthb.* 7. Cf. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 29. V. VELATO.

**VĒLĀTĬO**, ōnis, f. 3. (velo) actus velandi: speciatim usurpatur de virginibus Christianis, quæ, solemnem virginitatis professionem exercentes, ab episcopo sacro velamine, seu, ut ait *Hieronym. Ep.* 130. *n.* 2., flameo virginali, decorantur, *professione monacale. Augustin. Ep.* 150. (*al.* 179.) *in fin.* Velationis apophoretum gratissime accepimus. *h. e.* munusculum, quod die velationis Demetrindis, Julianæ filiæ, Probæ neptis gratissime accepimus.

**VĒLĀTO**. *V.* VELATUS.

**VĒLĀTOR**, ōris, m. 3. (velo) qui velat seu vela escendit. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 2402. *Orellius* hanc voc. damnat; sed immerito, ut putat cl. *De-Vit.*

**VĒLĀTŪRA**. *V.* VEHELA et VELLATURA.

**VĒLĀTUS**, a, um, particip. *V.* VELO.

**VELENENSIS**. *V.* voc. seq.

**VELENSIS** tunica, quæ adfertur ex insulis, apud *Isid.* 19. *Orig.* 22. 21. Alii leg. *Velenensis*; alii aliter.

**VĔLES**, itis, m. 3. Ratione habita etymi, vox non a *volando*, ut vulgo creditur: unde *Fest.* in *Advelitatio p.* 28. 20. *Müll.* « Velites, inquit, expediti milites, quasi volites, id est volantes »; sed ex eo dicta videtur, quia hujusmodi milites erant sub *velis* seu vexillis, non sub aquilis legionum: ut vexillarii dicti, qui sub vexillis longe a legionibus militabant. Ita *Forcellinus*; cui suffragantur etymologi recentiores, qui vocem cum *velox* et *velum* conjungunt. Cf. etiam Hebr. *Phelethi*, qui cursores erant publici, ita a celeritate dicti. *Vulg. interpr.* 2. *Reg.* 8. 18. et *alibi.* — Veles

I.) In militia est pedes leviter armatus parma breviore, gladio, funda, hastis brevibus ac missilibus, non longis et stabilibus, quales erant hastatorum, *soldato armato alla leggiera*, γροσφόμαχος, ἀψίμαχος. *Liv.* 38. 21. *ad fin.*, qui 26. 4. occasionem eorum instituendorum tradit in obsidione Capuæ: quam ab eo *Val. Max.* 2. 3. *n.* 3. desumpsit. Adde *Varron. loc. infra cit.* ¶ 1. Proprie. — *a*) In sing. num. *Titin.* apud *Non. p.* 452. 26. *Merc.* Ita Spurius animatur in prœlium: veles equis recepit se, nec ferit quemquam hostem. Adde *Lucil.* apud *Fest.* in *Sub vitem p.* 308. 18. *Müll. Ovid. Ib.* 47. Utque petit primo plenum flaventis arenæ Nondum calfacti velitis hasta solum; Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto. Cf. *Orelli* ad *Inscr. Murat.* 847. 7. — *b*) Sæpius in plur. num. *Varro* apud *Non. p.* 552. 29. *Merc.* Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis. *Liv.* 30. 33. Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc levis armatura erat) complevit. *Fronto Princ. hist. p.* 318. Milites impatientia laboris armis singillatim omittendis in velitum atque funditorum modum seminati. — Hi pugnæ initium dabant, cito procurrentes in hostem et cito recellentes, si urgerentur: pugnabant etiam interdum immixti equitibus, terga equorum insilientes, ut quum ad teli jactum ventum esset, desilirent subito et irruerent. In acie certum locum non habebant, sed modo ante omnes, modo a tergo, modo inter ipsos ordines locabantur, ut videre est apud *Varron.* ex *Non. loc. cit. p.* 553. *Merc.* et *alibi*; unde apparet discrimen inter eos et antesignanos. Interdum etiam cum sagittariis et funditoribus confunduntur, interdum ab his separantur: quia si nominis vim spectes, sagittarii solis sagittis, funditores solis fundis pugnabant: velites vero et hastis eminus et comminus gladiis, ut dictum est. ¶ 2. Translate. *Cic.* 9. *Fam.* 20. Me autem a te, ut scurram velitem, malis oneratum esse, non moleste tuli. *h. e.* hominem dictis alios ultro lacessentem, ut veles hostem primus lacessit.

II.) Gladiatorum quoque genus *velites* fuisse eosdemque ac provocatores, sententia est cl. *Maffei* in *Verona ill. T.* 5. *p.* 11. At *Orellius* (*Inscr. select. v.* 1. *p.* 450.) pro *velitibus* legere mavult *velarios*, h. e. gladiatores velo quomodocumque tectos. *V.* VELARIUS.

**VĒLĬFER**, fĕra, fĕrum, adject. (velum *et* fero) velum ferens, ἱστιοφόρος. *Ovid.* 1 *Met.* 719. Huc ubi veliferam nautæ advertere [illegible]nam. (Adde *Propert.* 3. 7. 35.) *Val. Flacc.* 1. 126. Pallada velifero quærentem brachia malo. — *Seneca Thyest.* 129. Veliferi venti. *che gonfiano le vele.*

**VĒLĬFĬCANS**, antis, particip. *V.* VELIFICO.

**VĒLĬFĬCĀTĬO**, ōnis, f. 3. (velifico) actus velificandi, *veleggiamento*, πέτασις ἱστίου.

I.) Proprie. *Ammian.* 19. 10. *ad fin.* Mutato in Austrum placidum vento, velificatione plena naves portum ingressæ. *a piene vele.* Adde *Eumen. Paneg. Const. Cæs.* 15.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Quum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum. — Proverbialiter. *Ammian.* 18. 5. 6. Non contis et remulco, ut ajunt, sed velificatione plena in rem publicam ferri. *a piene vele.* Sic 29. 2. 22. Velificatione tranquilla, ut ajunt, ferri ad gloriam.

**VĒLĬFĬCĀTUS**, a, um, particip. *V.* VELIFICO.

**VĒLĬFĬCĬUM**, ii, n. 2. (velum *et* facio) conficiendorum velorum ratio seu ars. *Hygin. fab.* 277. Velificia primum invenit Isis.

**VĒLĬFĬCO**, as. *V.* voc. seq.

**VĒLĬFĬCOR**, āris, ātus sum, ari, dep. *et* velifico, as, āvi, ātum, are, n. 1. (velum *et* facio) *Velificarier*, paragog. pro *velificari*, apud *Afran. Com.* 267., ubi tamen *Ribbeck* et *Gerlach* aliter leg. *V.* VELLICO. — Part. *Velificans* I, 1. et II. 1.; *Velificatus* I. 1. et 2., II. 2. — Velificor est vela facio, vela do, navigo, ἱστιοδρομέω (It. *far vela, distendere le vele, navigare, veleggiare*; Fr. *déployer les voiles, naviguer*; Hisp. *tendar las velas ó echar velas, navegar*; Germ. *d. Segel spannen, segeln*; Angl. *to sail, set sail, make sail*). Usurpatur intransitive; aliquando vero transitivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Forma activa. *Propert.* 4. 9. 6. Nauta per urbanas velificabat aquas. *Flor.* 3. 7. Ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). Per summa æquorum velificant. *Hygin. fab* 277. Velificia primum invenit Isis, nam dum quærit Harpocratem, filium suum, rate velificavit. — Passive *velificatus* pro transnavigato, seu per quod naves suis velis navigavere, διαπλεόμενος. *Juvenal.* 10. 174. Velificatus Athos et quidquid Græcia mendax Audet in historia. ¶ 2. Deponentium more. — *a*) Est idem ac velifico et quidem cum Acc. *Propert.* 2. 21. 39. Una ratis fati nostros portabit amores Cærula ad infernos velificata lacus. — *b*) Alio sensu. *Dosith. Gramm. p.* 61. 9. *Keil.* Velificor, ἀρμενοποιῶ. h. e. vela fabrico, conficio.

II.) Translate, tum activorum tum deponentium forma. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 13. 13. (35). Velificantes dracones. *Tertull.* 17. *contra Gnost.* 1. Austro et Africo sævitia velificat. Adde *Julian.* apud *Augustin.* 2. *Op. imperf. contra Julian.* 2. ¶ 2. Speciatim sumitur pro omni diligentia et conatu rei alicui operam dare, quod etiam dicitur velis remisque agere: et construitur cum Dat. vel cum Acc. et præp. *ad. Cic.* 1. *leg. Agr.* 9. 93. Quod si quis vestrum spe ducitur, se posse turbulenta ratione honori velificari suo. *h. e.* ascendere ad honores, non virtute et majorum gloria, sed violenta quadam ratione, ut solet fieri ab iis, qui quascumque fortunas experiuntur, velis in altum elatis. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. *ante med.* Quamquam ex summis opibus ad eloquentiam velificaris etc. ¶ 3. Item pro favere, studere, obsequi, assentari. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 10. *circa med.* Ne aut velificatus alicui dicaris aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. *Flor.* 1. 9. Brutus favori civium etiam domus suæ clade velificatus est.

**VĒLĬFĬCUS**, a, um, adject. (velum *et* facio) qui velis fit, ἱστιοδρομῶν. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 21. (70). Noctis dieique velifico navigii cursu.

**VĒLĬGER**, gĕra, gĕrum, adject. (velum *et* gero) qui vela seu naves velis instructas gerit. *Cassiod.* 7. *Variar.* 9. Illic (*in portu urbis Romæ*) veligerum mare peregrinos populos cum diversarum provinciarum merce transmittit.

**VĒLILLUM**, i, n. 2. *deminut. a* velum, parvum velum. *Isid.* 18. *Orig.* 3. Cave, usurpes. *V.* VEXILLUM.

**VĔLĪTĀRIS**, e, adject. (veles) ad velites pertinens, ut Hasta velitaris, quam *Polybius* vocat γρόσφον, quia ii utebantur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201). Hastas velitares invenit Tyrrhenus. *Liv.* 26. 4. Et septena jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. *Sall. Jug.* 113. Præterea iere sagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi causa. Adde *Liv.* 38. 20. — Hinc

*Velitaris, is*, m. 3. absolute, substantivorum more, est ipse veles. In plur. num. *Ammian.* 19. 3. 1. Monebat, ut, compositis velitaribus conotis, occultis itineribus properarent.

**VĔLĪTĀTIM**. *V.* VELLICATIM.

**VĔLĪTĀTĬO**, ōnis, f. 3. (velitor) actus velitandi, levis pugna, ἀκροβολισμός, ἀψιμαχία (It. *scaramuccia*; Fr. *escarmouche*; Hisp. *escaramuza*; Germ. *das neckische Streiten, Necken*; Angl. *a skirmishing*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 2. 6. 41. Equidem me ad velitationem exerceo; Nam omnia corusca præ tremore fabulor.

II.) Translate sumitur pro mutua probrorum objectione, λογομαχία. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 369. 7. *Müll.* Velitatio dicta est ultro citroque probrorum objectatio, ab exemplo velitaris pugnæ. *Plaut. Asin.* 2. 2. 41. Verbis velitationem

fieri compendi volo. *Fleckeisen* leg. *verbivelitationem* conjuncte.

VĔLĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* VELITOR.

VĔLĪTES. *V.* VELES.

VĔLĬTO, as. *V.* voc. seq.

VĔLĬTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (veles) Est atiam forma *velito, as,* etc. apud *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch.* et *Turpil. Com.* 145. — Passive *velitatum est* apud *Tertull. Anim.* 1. — Part. *Velitatus.* — Velitor est prœlium prima et decursoria pugna incipio.

I.) Proprie. *Apul.* 7. *Met.* Equus postremis velitatur calcibus. *et* 9. *ibid.* Impetu vesano lapidibus crebris in eum velitantur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 9. *Met.* Tunc saga illa primis adhuc armis disciplinæ suæ velitatur. ¶ 2. Speciatim de concubitu. *Id.* 5. *Met.* Nox et maritus aderat; primisque Veneris prœliis velitatus etc. Alii leg. passive *velitatis.* ¶ 3. Item jurgor, altercor, rixor, verbis contendo; nam a verbis sæpe ad manus veniri solet, sicut a velitibus ad gravis armaturæ milites. *Plaut. Men.* 5. 2. 27. Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit? Nescio quid vos velitati estis inter vos duos. *avete garrito, quistionato, conteso.* et *Gell.* 6. 11. Cum inquinatissimis hominibus non esse convicio decertandum, neque in maledictis adversus impudentes et improbos velitandum. ¶ 4. *Velitari alicui periculum* apud *Apul.* 5. *Met.* est intentare, instar velitis hastam jaculantis.

VĔLĬVŎLANS, antis, adject. omn. gen., participiorum more effictum (velum *et* volo, as) qui velis volat, velivolus. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Divin.* 31. *extr.* et fera velivolantibus Navibu' complebit manu' litora.

VĔLĬVŎLUS, a, um, adject. (velum *et* volo, as) ¶ 1. Active, epitheton navis, quæ, ut aves alis volant, ita velis et vento fertur, *che va a vele,* ἱστιόδρομος. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 42. Et freta velivolas non habitura rates. Adde *Lucret.* 5. 1441. et *Enn.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 228. et apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. ¶ 2. Passive etiam mare dicitur *velivolum,* quia velis et navibus percurritur. *Liv. Andron.* apud *Macrob. ibid.* Tu qui permensus ponti maria alta velivola. *Virg. loc. cit.* Despiciens mare velivolum terrasque jacentes. Adde *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 21.

VELIVOX, ōcis, adject. omn. gen. *Priscian. De accent. p.* 1295. *Putsch.* Alii leg. *velifox.* Hæc vox, inquit *Krehlius,* in nullo alio libro legitur. Cf. *Keil* ad *Priscian. loc. p.* 626.

VELLA. *V.* VILLA.

VELLĀTĬO. *V.* VELLICATIO init.

VELLĀTŪRA *et* velatura, æ, f. 1. (*contr. pro* vehelatura) vectura. Unde *vellaturam facere* apud *Varron.* 1. *R. R.* 2, *a med.* h. e. quæstus causa vecturam facere. Adde *eumd.* 5. *L. L.* 44. *Müll.* Hinc *Plutarch.* in *Romul. c.* 5. Τὴν δὲ πορθμείαν βηλατοῦραν καλοῦσιν. Cf. VEHELA.

VELLE et deriv. *V.* VOLO, vis.

VELLENS, entis, particip. *V.* VELLO.

VELLĔRĔUS, a, um, adject. (vellus) qui est ex vellere, laneus, *di lana. Pseud.-Ascon.* in 1. *Verr.* 8. 22. Crumenæ velleres et scorteæ.

VELLĬCANS, antis, particip. *V.* VELLICO.

VELLĬCĀTIM, adverb. (vellico) hinc illinc vellicando seu carpendo, carptim, *carpendo qua e là,* μερικῶς. *Sisenn.* apud *Non. p.* 188. 1. *Merc.* Nos una ætate in Grecia et Asia gesta litteris idcirco continentia mandavimus, ne vellicatim ac saltuatim scribendo lectorum animos impediremus. *Gell.* quoque hunc locum recitat 12. 15., ubi quidam leg. *velitatim,* h. e. quasi more velitis huc illuc discurrendo; sed non est a priore lectione recedendum.

VELLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (vellico) *Gloss. Gr. Lat.* habet: Γαγγαλισμός, *vellacio* vel *vellatio;* sed fortasse legendum *vellicatio.* — Vellicatio est actus vellicandi, τιλμός (It. *pizzicore, pizzico, pizzicotto;* Fr. *action de tirer, de pincer, piqûre;* Hisp. *la accion de picar ó pellizcar, pellizco;* Germ. *das Rupfen;* Angl. *a twitching, pinching*). Translate est, quod Itali *motto pungente* dicunt. *Seneca Vit. beat.* 5. *a med.* Tunc pura mens est et soluta omnibus malis, quum non tantum lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit. *Id.* 3. *Ira* 43. Detrimenta, injurias, convicia, vellicationes contemnamus.

VELLĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VELLĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*intens. a* vello) *Vellicarier,* parag. pro *vellicari,* apud *Afran. Com.* 267. leg. *Gerlach.* Cf. tamen *Ribbeck Coroll. p. LXXIV.* — Part. *Vellicans* I. 2.; *Vellicatus* I. 1.; *Vellicandus* II. 2. — Vellico est valde vel frequenter vello, et fit quum extremas corporis partes digitis carpimus et premendo vellimus, aut quum aves rostro quippiam pervellunt, παρατίλλω (It. *pizzicare, spelazzare;* Fr. *arracher, pincer;* Hisp. *arrancar, pellizcar;* Germ. *rupfen, kneipen;* Angl. *to twitch, pinch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Most.* 3. 2. 146. Cornix adstat, ea volturios duo vicissim vellicat. *Quintil.* 1. 6. *a med.* Puer, quid fleret, interrogatus, ex pædagogo se vellicari respondit. *Nemesian.* 3. *Ecl.* 31. *de Baccho puero et Sileno.* Cui deus arridens horrentes pectore setas Vellicat aut digitis aures adstringit acutas. *Paulin. Nolan. Ep.* 36. (*al.* 49.) *n.* 3. Vellicata blande auricula suscitavit. V. *Plauti loc. cit.* in SIBILO. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 86. 14. *Müll.* Aves quæ vellicando morsicandoque et cantu-riendo assidue non patiuntur dormire potantes. Adde *Calpurn. Ecl.* 10. 32. ¶ 2. Speciatim est carpere et imminuere. *Vulg. interpr. Am.* 7. 14. Armentarius ego sum vellicans sycomoros. — Absolute. *Varro* 3. *R. R.* 16. 7. Minime malefica (*est apis*), quod nullius opus vellicans facit deterius.

II.) Translate. ¶ 1. Est verbis mordere, dictis pungere, criminari, lacerare. *Cic. Balb.* 26. 57. In conviviis rodunt, in circulis vellicant, maledico dente carpunt. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 79. Vellicat absentem Demetrius. Adde *Senec.* 2. *Benef.* 28. *extr.* et *Propert.* 2. 4. 8. ¶ 2. Est etiam incitare, stimulare, *pungere. Seneca Ep.* 20. *in fin.* Excitandus e somno et vellicandus est animus admonendusque. Adde *ibid.* 63.

VELLĬGER, ĕri, m. 2. (vellus *et* gero) qui vellus fert. Absolute est Arietis signum in Zodiaco. *Germanici fragm.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 340. *Burmann.* His idem lentos Pisces quum supprimit ignis, Velliger et nigra cursus statione tenebat.

VELLĪMEN, ĭnis, n. 3. (vello) idem quod vellus. *Varro* 2. *R. R.* 11. *a med.* Lanam demptam ac conglobatam alii vellera, alii vellimina appellant. Alii leg. *velumina.* Ita leg. *Scaliger,* probante *Facciolatio:* sed alii *velumia* vel *velumnia;* alii vero rectius *vellumina.*

VELLO, vellis, velli *et* vulsi (volsi), vulsum (volsum), vellere, a. 3. — *a*) Præterit. est *velli* et etiam *vulsi* (*volsi*): de quo tamen *Incert. Gramm. Excerpt. p.* 208. *Endl.* Antiqui declinabant *vello vulsi:* modo nemo dicit. Verum *vulsi* occurrit apud *Senec. Prov.* 3., *Lucan.* 6. 546. et 562. et *Augustin.* 8. *Confess.* 8.; hinc *vulserat* apud *Lucan.* 4. 414. et *Prudent. contra Symm.* 2. *præf.* 5. Cf. *Diomed. p.* 372. 12. *Keil.,* *Priscian. p.* 10. 35. *ibid.* et *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 427. — *b*) Ratione habita etymi, alii conjungunt cum rad. Skr. *var,* arcere, trahere, extorquere, mutata, uti assolet, *r* in *l;* alii cum Gr. ἕλκω, traho, aut cum τίλλω, ejusd. significationis. — Part. *Vellens* I. 1. 1.° a et 3.; *Vulsus* fere in omn. paragr. — Vello est vi extraho, evello, pervello, τίλλω, ἀποτίλλω (It. *svellere, cavare, stirpare;* Fr. *arracher, détacher;* Hisp. *arrancar, desarraigar, desatar;* Germ. *rupfen, zupfen, ausraufen;* Angl. *to pluck, pull*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a*) Cum Acc. *Tibull.* 3. 5. 20. modo nata poma vellere. *Ovid.* 8. *Met.* 800. Famem lapidoso vidit in agro, Unguibus et raris vellentem dentibus herbas. *Lucan.* 6. 218. Affixam vellens oculo pendente sagittam. *et ibid.* 545. percussaque viscera nimbis Vulsit. *staccò.* et *Colum.* 5. *R. R.* 11. et *Arbor.* 26. *ante med.* Cuneum vellito statimque surculos demittito in ea foramina etc. *Lucan.* 6. 232. vulsa pectore tela. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 74. (99). Vulsam eam herbam, non hærentem vidi. — *b*) Cum addito Abl. et præp. *ab, ex, de. Virg.* 2. *Æn.* 480. postesque a cardine vellit. *et* 11. *ibid.* 566. hastam de cæspite vellit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (149). Vellere asparagum ab radice. *Id.* 18. *ibid.* 17. 46. (165). Legumina, quæ velluntur e terra, non subsecantur. *Cic.* 6. *Verr.* 24. *sub fin.* Tum illa, ex patellis et turibulis quæ vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ut etc. *Lucan.* 4. 414. siccas de cæspite vulserat herbas. — 2.°) In re militari. *Liv.* 9. 14. *a med.* Quum pars fossas explerent, pars vellerent vallum atque in fossas proruerent. *Virg.* 11. *Æn.* 19. (et 4. *G.* 108.) ubi primum vellere signa Adnuerint Superi pubemque educere castris. *levar le insegne o il campo.* et *Sil. It.* 5. 89. tum signa sequentur Nulla vulsa manu. — 3.°) Dicitur sæpe ac præcipue de lana et pilis, *pelare, strappare,* μαδίζω: cum Acc. aut absolute. *Varro* 2. *R. R.* 11. *a med.* Qui etiam nunc vellunt (*oves*), ante triduo habent jejunas, quod languidæ minus radices lanæ retinent. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 45. Vellere pilos equinæ caudæ. *Sueton. Cæs.* 45. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt. *h. e.* pilos corporis radicitus sibi volsellis erui curaret, ne rursus nascerentur: quod molles et effeminati factitare solebant. Adde *Galb.* 22. *Capell.* 6. *p.* 227. Vellere crura. *h. e.* pilos e cruribus. *Colum.* 8. *R. R.* 13. Vellere plumam anserum bis anno. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (190). Oves non ubique tondentur: durat quibusdam in locis vellendi mos. *Martial.* 5. 37. Vellere comam. *Propert.* 3. 23. 33. albos a stirpe capillos. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 133. barbam. *Lucan.* 6. 562. Illa genæ florem primævo corpore vulsit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 52. (188). Alumen vulsis pilis illitum. *Sillig.* evulsis. — Mos barbæ evellendæ diu viguit, nam de Theodosio Aug. hæc habet *Aur. Vict. Epit.* 48. Eminens status, par cæsaries (*Trajano*) et absque eo, quod illi aliquantum vellendo steriles genæ. — *Corpora vulsa,* quibus pili sunt evulsi. *Quintil.* 8. *procem.* 19. Corpora siquis vulsa atque fucata muliebriter comat. *Propert.* 4. 8. 23. volsus nepos. *h. e.* luxui deditus, mollis: pilos autem vellere antiquis in probro fuit. *Seneca* 1. *Controv. præf. ante med.* Ite nunc et in istis vulsis atque expolitis quærite oratorem. *Plaut. Aulul.* 2. 9. 5. Tu istum gallum, si sapis, Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est. Adde *Martial.* 8. 47. — Hinc metaphorice *mens vulsa,* mollis et effeminatus animus. *Id.* 2. 36. Nunc tibi crura pilis et sunt tibi pectora setis florida: sed mens est, Pamice, vulsa tibi. ¶ 2. Speciatim est perstringere, vellicare, torquere, *pizzicare. Horat.* 1. *Sat.* 9. 63. vellere cœpi Et prensare manu lentissima brachia. *Ovid.* 1. *Art. am.* 606. Velle latus digitis et pede tange pedem. — Hinc *vellere aurem,* admonendi gratia, *tirare gli orecchi. Virg.* 6. *Ecl.* 3. Quum canerem reges et prœlia, Cynthius aurem Vellit et admonuit etc. *Calpurn. Ecl.* 4. 155. vellit sæpius aurem Invidia paupertas et dixit, ovilia cura. *Virg. Cop.* 37. pereat, qui crastina curat: Mors aurem vellens, vivite, ait; venio. *V.* PERVELLO. ¶ 3. Item divellere, evertere. *Liv.* 26. 13. Deum delubra, sepulcra majorum vulsa, temerata atque violata. Alii omittunt *vulsa.* ¶ 4. Dicitur de iis, qui convulsi sunt ex morbo, ut *equi vulsi,* h. e. qui Italice *bolsi* vocantur. *Veget.* 3. *Veterin.* 50. Graviter tussientes et vulsi (*equi*) hoc potione recreantur. ¶ 5. *Vellere verba* est saltuatim et vellicatim dicere. *Seneca Ep.* 40. *n.* 10.

II.) Translate. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 3. Sed meu secreto velluntur pectora morsu. *h. e.* pungnntur, torquentur dolore. — Hinc Part., absolute, substantivorum more

*Vellens, entis,* 3. qui vellit, μαδίζων. *Vulg. interpr. Is.* 50. 6. Genas meas dedi vellentibus.

*Vulsus, i,* 2. ¶ 1. Usurpatur de iis, quibus pili sunt vulsi mollitiæ causa. *Quintil.* 2. 5. *circa*

*med.* Qui specie capiuntur, vulsis plus formæ esse putant. ¶ 2. Item de convulsis ex morbo, σπαστικοί. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 74. (126). Lilii radices lieni et ruptis et vulsis prosunt. Adde 23. *ibid.* 1. 16. (25).

**VELLŌSUS**, a, um, adject. (vellus) vellere abundans. *Gloss. Lat. p.* 30. *n.* 29. Bellosus, hirsutus, setosus. *bellosus* pro *vellosus*, consueta litterarum commutatione.

**VELLŪMEN.** *V.* VELLIMEN.

**VELLŬS**, ĕris, n. 3. (vello) Lana ex ove dempta et conglobata, ut *Varro* 2. *R. R.* 11. definit: et quidem a *vello*; mos enim fuit aliquando oves lana spoliare non tondendo, sed vellendo, ut tradit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. Hinc *Varro* 5. *L. L.* 54. *Müll.* (et *ibid.* 130.) Pastores Palatini ei ovibus, ante tonsuram inventam, vellere lanam sunt soliti: ex quo vellera dicuntur. Græce est μαλλός, πόκος (It. *lana, fiocco o bioccolo di lana, vello*; Fr. *toison coupé, laine*; Hisp. *tuson, vellon, lana ó vedija de lana*; Germ. *die abgeschorene Wolle*; Angl. *wool, fleece*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Horat. Epod.* 12. 21. Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ. *Id.* 1. *Ep.* 10. 27. Aquinatem potantia vellera fucum. *Ovid.* 14. *Met.* 264. Nymphæ, quæ vellera motis Nulla trahunt digitis nec fila sequentia ducunt. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (50). Absinthium in vellere appositum menses ciet. *Venant.* in *ep. præf. carm.* 6. 5. *sub init.* Quum neque quidquam digereretur in poesi et, ut ita dictum sit, nihil velleretur in vellere, quod carminaretur in carmine. — *Ambros. Serm.* 5. *n.* 6. Lanæ vellus. Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 82. (356). Si nubes, ut vellera lanæ, spargentur multæ ab oriente, aquam in triduum præsagient. *bioccoli di lana.* — *b*) De lana nondum detonsa, sed hærente corpori. *Virg.* 3. *Ecl.* 95. ipse aries etiam nunc vellera siccat. *Tibull.* 2. 1. 62. Molle gerit tergo lucida vellus ovis. *Ovid. Heroid.* 18. 143. Invideo Phryxo, quem per freta tristia tutum Aurea lanigero vellere vexit ovis.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice de ipsis lanatis ovium pellibus. *Virg.* 7. *Æn.* 93. Centum lanigeras mactabat rite bidentes, Atque harum effultus tergo stratisque jacebat Velleribus. *Ovid.* 5. *Fast.* 101. Semicaper, coleris cinctutis, Faune Lupercis, Quum lustrant celebres vellera secta vias. Adde 4. *ibid.* 654. *Colum.* 7. *R. R.* 4. *circa med.* Pelles eorum propter pulcritudinem lanæ majore pretio, quam alia vellera, mercantibus traduntur. ¶ 2. Item de corio et villo aliorum animalium. *Ovid.* 2. *Fast.* 339. et 5. *ibid.* 395. fulvi setis hirsuta leonis Vellera. *Id.* 6. *Met.* 592. et 3. *ibid.* 197. lateri cervina sinistro Vellera dependent. et 11. *ibid.* 3. Ecce nurus Ciconum tectæ lymphata ferinis Pectora velleribus. ¶ 3. Item de plumis vulsis. *Grat. Cyneg.* 77. Tantum inter nivei jungantur vellera cycni. ¶ 4. *Parnassia vellera* apud *Stat.* 5. *Silv.* 3. 8. sunt filamenta lanea et vittæ, quibus coronantur poetæ, aut laurea hederaceave serta innectunt. ¶ 5. Pro ipsis ovibus. *Ovid.* 7. *Met.* 244. cultrosque in sanguine velleris atri Conjicit. *Calpurn. Ecl.* 2. 7. Vellera septem. *h. e.* oves. ¶ 6. Metaphorice dicitur de rebus lanæ similibus. *Virg.* 1. *G.* 397. Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri. *h. e.* nubes vellerum instar. Sic *Lucan.* 4. 124. Phœbus densas in vellera nubes Sparserat. *Martial.* 4. 3. Aspice, quam densum tacitarum vellus aquarum Defluat in vultus Cæsaris inque sinus. *h. e.* nix sicut lana. Cf. *Vulg. interpr. Ps.* 146. 16. *Virg.* 2. *G.* 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. *h. e.* lanuginem. Adde *Petron. Sat.* 119. *Auct. Epith.* 15. *Wernsd.* Mollia vatifero dempsisti vellera ferro. *h. e.* lanuginem, barbam incipientem. *Calpurn. Ecl.* 6. 67. *de musco.* Saxa, quibus viridis stillanti vellere muscus Dependet.

**VELLUS**, i, m. 2. *V.* VILLUS.

**VELLŪTUS**, a, um, adject. (vellus) vellus habens, lanosus: et translate pilosus. *Paul. Diac. p.* 34. 13. *Müll.* Sed V. *Müllerum* ad *h. l.* et *V.* BELLUTUS. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VĒLO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (velum) *Velarier*, parag. pro *velari*, apud *Arnob.* 5. 7. — Part. *Velans* I. 2.; *Velatus* I. 1. *a*, 2. et 3. et in fin.; *Velandus* I. 1. *a* et *b*; et II. — Velo est tego, operio, σκεπάζω (It. *coprire, velare*; Fr. *couvrir d'un voile, voiler*; Hisp. *velar, cubrir*; Germ. *einhüllen, verhüllen, bedecken*; Angl. *to veil, cover*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. *sub fin.* Se diis immortalibus capite velato pro republ. devovere. *Ovid.* 12. *Met.* 598. Delius nebula velatus. *Val. Flacc.* 8. 29. Luna velatis cornibus. *Virg.* 3. *Æn.* 549. Cornua velatarum obvertimus antennarum. *h. e.* velis involutarum. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Togam ad calceos usque demittere velandarum varicum gratia. *Plin.* 6. *Ep.* 24. Ex diutino morbo circa velanda corporis ulceribus putrescebat. *Plin. alter* 10. *Hist. nat.* 6. 34. (111). Allium tenuissimis velatur membranis. *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. Placuisse, velari loca ea, qua pompa (*Circensium*) veheretur. *h. e.* velis superne contegi. — Mediorum apud Græcos more. *Virg.* 3. *Æn.* 545. Et capita ante aras Phrygio velamur amictu. *Seneca Octav.* 702. Sponsa velata flameo tenui caput. V. *Jul. Rufinian. Schem. lex.* 34. — *b*) Apud Ecclesiasticos scriptores dicitur de virginibus Deo sacratis, quibus velum rite dabatur a sacerdotibus. *Ambros. De lapsu virg.* 5. *init.* Divino altari te obtulisti velandam. ¶ 2. Speciatim est vestire, induere, *vestire. Virg.* 3. *G.* 383. et pecudum fulvis velatur corpora setis. *h. e.* sibi velat. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 545. supra *adl.* etc. *Id.* 8. *Æn.* 33. Tiberim glauco velabat amictu Carbasus. *Ovid.* 4. *Met.* 45. Derceti, quam versa squamis velantibus artus Stagna Palæstini credunt celebrasse figura. *Id.* 8. *ibid.* 252. avem Reddidit et medio velavit in aere pennis. *Liv.* 3. 26. *ad fin.* Velatus toga. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 71. stola. *Id.* 1. *Od.* 35. 21. Fides albo velata panno. *Ovid.* 2. *Met.* 23. Velatus purpurea veste. *et* 10. *ibid.* 1. croceo amictu. *et* 3. *Fast.* 645. tunica recincta. *Tibull.* 1. 5. 25. lino. *Ovid.* 6. *Fast.* 412. Et pede velato non adeunda palus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 10. (18). *de statuis.* Græca res est, nihil velare: at contra Romana et militaris thoracas addere. — Hinc *velatus accensus*, de quo *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 369. 4. *Müll.* Velati appellabantur vestiti et inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum loco substituebantur. Ipsi sunt et ferentarii, qui fundis ac lapidibus pugnabant. *Id.* in *Adscripticii p.* 14. 13. *ibid.* Adscripticii velut quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos et adcensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti: quidam velatos, quod vestiti inermes sequerentur exercitum. *V.* plura in ACCENSUS. ¶ 3. Item ornare, cingere, *adornare, cingere. Virg.* 2. *Æn.* 249. delubra deum festa velamus fronde. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 3. Altaque velentur fortasse Palatia sertis. *Id.* 6. *Fast.* 312. Et velant scabras florida serta molas. *Id.* 1. *Trist.* 1. 5. Nec te (*liber*) purpureo velent vaccinia fuco. *Virg.* 5. *Æn.* 72. Velare tempora myrto. Adde *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 75. *Id.* 5. *Met.* 110. albenti velatus tempora vitta. *Id.* 4. *Pont.* 14. 55. Tempora sacrata mea sunt velata corona. *Id.* 3. *Met.* 667. Pampineis agitat velatam frondibus hastam. *Val. Flacc.* 4. 298. cæstu velatus utroque. *Ovid.* 3. *Amor.* 13. 11. ubi præsonuit sollemni tibia cantu, It per velatas annua pompa vias. *parate a festa.* — *Plaut. Amph.* 1. 1. 101. Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum. *h. e.* præferentibus velamenta supplicum. *V.* VELAMENTUM. Sic *Virg.* 11. *Æn.* 100. Jamque oratores aderant ex urbe Latina Velati ramis oleæ veniamque rogantes. Ubi *Servius:* Non coronati (nec enim lugentes decebat, ut qui pro mortuis precabantur), sed instructi et ornati, id est in manibus olivæ ramos ferentes, sicut *Homer. Iliad. l.* 1. *v.* 14. Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. Adde 7. *ibid.* 154. — *Pompon.* apud *Non. p.* 416. 17. *Merc.* Nunc rogas, quid fiat? restis est vilis, velet gulam. *h. e.* obstringat.

II.) Translate est celo, abscondo, *nascondere, coprire. Seneca Hippol.* 721. Scelere velandum est scelus. *Plin. Paneg.* 56. Non alia major gloria tua, quam quod agentibus tibi gratias nihil velandum est, nihil omittendum. — Hinc

*Velato*, absolute, adverbiorum more, cum velamento. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 29. Velato Deum discere. *h. e.* obscure et quasi prætento velo.

**VĒLŌCĬTAS**, ātis, f. 3. (velox) celeritas, pernicitas, ταχύτης (It. *prestezza, velocità, rattezza*; Fr. *vélocité, vitesse, célérité*; Hisp. *velocidad, prontitud, presteza*; Germ. *die Schnelligkeit, Raschheit*; Angl. *velocity, swiftness*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cæs.* 8. *B. G.* 36. Germani pedites summæ velocitatis. *Sall. Jug.* 56. Plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt. *Auct. B. Alex.* 66. *extr.* Iter cœptum simili velocitate conficere. *Cic.* 1. *Off.* 30. *ante med.* Videmus alios velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere. *Nepos Epam.* 2. Non tam magnitudini virium servivit, quam velocitati — hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. *Justin.* 36. 4. *extr.* Festinata velocitate contendere. *Auct. B. Afr.* 69. Numidæ mirabili velocitate præditi. *Vellej.* 2. 34. 1. Juvenes velocitate pernices. *Seneca* 2. *Ira* 35. Ea demum velocitas placet, quæ, ubi jussa est, vestigium sistit, nec ultra destinata procurrit, et quæ flecti et a cursu ad gradum reduci potest. — *b*) Cum Genetivo. *Auct. B. G.* 8. 48. *a med.* Quod malum dux equi velocitate evitavit. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 31. Velocitas corporis celeritas appellatur. — In plur. num. *Id. Senect.* 6. *circa med.* Non viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia. (*velocitas* corporis est hoc loco in cursibus: *celeritas* in agilitate et mobilitate.) — *c*) Cum Abl. et præp. *in. Curt.* 5. 7. 22. Illa in rebus moliendis efficiendisque velocitas.

II.) Translate. — *a*) Universim. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (42). Velocitas pomorum cito mitescentium. *Id.* 19. *ibid.* 5. 24. (69). Cucurbitarum velocitas pernix. *scil.* reptandi et crescendi. *Tac.* 15. *Ann.* 38. Incendium anteiit remedia velocitate mali. *Id.* 1. *Hist.* 83. Velocitas occasionum. *Justin.* 2. 14. 9. Velocitas famæ. — *b*) Transfertur ad animum. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 31. Eadem (*velocitas*) ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (52). Velocitas cogitationum animique celeritas et ingenii varietas multiformes notas imprimit. Adde *Quintil.* 5. 10. 129. *Seneca De amicit. fragm.* (edente *B. G. Niebuhrio*) 2. Utamur, ut in prima parte dicebam, animi velocitate. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 4. Velocitas sagacitatis. — *c*) Item ad orationem. *Quintil.* 10. 1. 102. Illam immortalem Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Adde 9. 4. 80. et 10. 7. 8. et *Senec. exc. contr.* 4. *præf.* § 7.

Homonym. Differunt *velocitas* et *celeritas* apud *Cic. Senect.* 6. *circa med.*, ut supra dictum est. *Isid.* vero 1. *Diff.* 572. ait *velocitatem* corporis, ut pedum, esse, *celeritatem* animi. Cf. tamen *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. et 4. *ibid.* 13. 31. et *Döderlein Lat. Syn. v.* 2. *p.* 125. et *seq.*

**VĒLŌCĬTER**, adverb. ab adject. *velox*; unde Comp. *Velocius* et Sup. *Velocissime.* — Velociter est celeriter, *ratto, prestamente, velocemente*, ταχέως: proprie et translate. *Ovid.* 11. *Met.* 586. Vise soporiferam Somni velociter aulam. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 90. (241). Aquaticæ arbores senescunt velociter. *Cic.* 6. *Rep.* 26. 29. Animus velocius in hanc sedem suam pervolabit. *Id. Tim.* 9. Velocissime moveri. et *Cæs.* 5. *B. G.* 35. Velocissime refugere. *Sueton. Tit.* 3. Notis velocissime excipere aliquid.

**VELOSUS**, a, um, adject. (velum) velo instructus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 177. Velum, velamentum, velosus, velificat.

**VĒLOX**, ōcis, adject. omn. gen. In Abl. sing. *veloci*; non autem semper, ut vult *Georges* (*L. Lat. Wortf.* ad *h. v.*), saltem si absolute adhib. *V.* infra et *Charis.* 1. *p.* 146. 23. *Keil.* — Ratione habita etymi, sunt qui ducant, quasi contractum,

e *veho*, unde primam habet longam; alii vero a *volo*, *as*. — Comp. *Velocior* I. 1. *a* et *b*; II. *a*; Sup. *Velocissimus* I. 1. *a*; II. *a*. — Velox est celer, citus, ταχύς (It. *ratto, presto, veloce*; Fr. *rapide, agil, leste*; Hisp. *veloz, rapido*; Germ. *rasch, schnell*; Angl. *swift, quick*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Sall. Jug.* 20. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Pedites velocissimi ac fortissimi. *Virg.* 3. *G.* 405. Veloces canes. *Id.* 5. *Æn.* 253. cervi. et *ibid.* 116. navis. *Id.* 2. *G.* 530. jaculum. *Lucret.* 6. 688. flamma. *Ovid.* 2. *Met.* 118. horæ. *Liv.* 26. 4. Juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces. *Lucan.* 2. 405. Velox amnis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 15. 20. (95). arbores. *h. e.* quæ celeriter crescunt. *Id.* 10. *ibid.* 24. 35. (73). Hirundini flexuosi volatus, velox celeritas. *Virg.* 4. *Æn.* 174. Fama malum, quo non aliud velocius ullum. *Lucan.* 9. 829. velox currit per tela venenum Invaditque manum. *Quintil.* 12. 2. *a med.* Velocissima navigatio. *Martial.* 8. 8. Veloces anni. *Id. Spectac.* 2. Hic ubi miramur velocia munera thermas. *h. e.* celeriter exstructas. *Symp. Ænigm.* 38. *Wernsd.* vento (*tigris*) velocior ipso. — *b*) Cum Acc. et præp. *ad*, vel Abl. sine præp. aut etiam cum præp. *in*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (180). Genus herbæ soporiferum atque etiam opio velocior ad mortem. *h. e.* celerius mortem afferens. *Id.* 32. *ibid.* 1. 2. (7). Ad cursum veloces pedes. *Id.* 8. *ibid.* 34. 52. (123). Thoes luporum genus velox saltu. *Id. ibid.* 44. 69. (174). Mulæ veloces in cursu. — *c*) Cum infinito. *Stat.* 6. *Theb.* 797. nec jam his absistere velox. ¶ 2. Specialim agilis, levis, *snello, agile, destro*. *Ovid.* 2. *Fast.* 452. Et male veloci justa soluta Remo. ¶ 3. *Velox via* apud *Senec. Med.* 190. est quæ velociter conficitur. Sic *Troad.* 398. mors Velocis spatii meta novissima. *h. e.* quod cito decurritur.

II.) Translate. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Nihil est animo velocius: nulla est celeritas, quæ possit cum animi celeritate contendere. *Quintil.* 6. 4. 8. Ingenium velox ac mobile. *Id.* 10. 3. *ante med.* Decurrere per materiam stilo quam velocissimo. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 9. 4. *Phædr.* 3. 3. Usu peritus hariolo velocior. *h. e.* celerior et felicior in conjectando et rerum causis assequendis. — *b*) Cum Genet. *Tac. Agric.* 13. Velox ingenio mobili pœnitentiæ. *h. e.* velox ad pœnitentiam propter ingenium mobile. *Alii leg.* velox ingenii. Cf. *Sall. Jug.* 88. — *c*) Cum Acc. et præp. *ad*. *Seneca* 1. *Controv. præf.* § 3. Nec ad complectenda tantum, quæ vellem, velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda, quæ acceperam. — Hinc

*Velox, ocis*, m. 3. absolute, qui est celer cursu. *Vulg. interpr. Jer.* 46. 6. Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis. Adde *Is.* 30. 16. *Id. Am.* 2. 14. Et peribit fuga a veloce.

Homonym. De discrimine inter *velocem* et *celerem* Cf. VELOCITAS.

VELTĂGRA. *V.* VERTAGUS.

VĒLUM, i, n. 2. *Belum* pro *velum*, consueta litterarum permutatione, in *Inscr.* apud *Orell.* n. 1918. V. infra. — Etymologi derivant a *veho*, ut sit contractum pro *vehelum*: sic a *premo* fit *prelum*; vel ut sit a *vexillum*: sic *ala* ab *axilla*, *palus* a *paxillo*, *talus* a *taxillo*, fuga litteræ vastioris, ut *Cic. Orat.* 45. *a med.* docet. *Isid.* 19. *Orig.* 3. *init.* a volatu factum arbitratur; quamquam alibi alio sensu a velando (*ibid.* 26. 7.) deducit. Cf. *O. Müller Lat. Etym.* p. 123. et etiam *Wöllflin Arch. d. Lat. Lex.* a. 1896., qui *velum* in sermone R. rustico pro navigio et *velabrum* pro statione navium fortasse usurpatum esse refert. Pro diverso tamen usu diversam alii vocis originem statuunt. *V.* infra. — Velum

*A*) In re nautica est linteum in malo navis, quod expansum ventos excipit et navem impellit, ἱστίον (It. et Hisp. *vela*; Fr. *voile de navire*; Germ. *das Segel*; Angl. *a sail*): porro in hunc modo sensum nonnulli a *vehendo* derivant, ut supra dictum est.

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 7. Velum explicare. *Virg.* 1. *Æn.* 106. stridens Aquilone procella Velum adversa ferit. et *ibid.* 404. Aut portum tenet aut pleno subit ostia velo. *Ovid.* 11. *Met.* 483. antennis subnectere velum. *h. e.* contrahere et circum antennas volvere, *ammainare*. Sic *Virg.* 1. *G.* 373. legere. *Horat.* 2. *Od.* 10. 23. contrahere. Cf. *Sil. It.* 1. 689. *Ovid.* 7. *Met.* 491. pleno concita velo Puppis adest. *Id. Heroid.* 13. 101. remoque move veloque carinam. — *b*) Sæpissime in plur. num. usurpatur. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. *sub fin.* Vela dirigere ad aliquem locum. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela dare. *far vela.* et *Liv.* 31. 45. *a med.* Velis in altum datis locum pervenere. *Cic.* 4. *Tusc.* 4. *in fin.* Vela facere. et *ibid.* 5. 9. pandere. *Ovid.* 3. *Met.* 663. deducere. *V.* DEDUCO. *Virg.* 3. *Æn.* 268. Tendunt vela Noti. et *ibid.* 683. ventis intendere vela secundis. et 4. *ibid.* 574. solvere. *Quintil.* in *ep. ad Tryphon.* permittere ventis. *Cic.* 1. *Att.* 16. contrahere. *Auct. B. Alex.* 45. *a med.* subducere. *ammainare*. et *Auct. carm. ad Pis.* 217. *Wernsd.* demittere. *Sil. It.* 2. 11. deponere, ἱστία στέλλειν. Rursus *Auct. B. Alex.* 46. Velis profugere. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. *sub fin.* Passis velis pervehi. *Id. Dom.* 10. 24. Plenissimis velis navigare. *a vele piene o gonfie.* et *Virg.* 7. *Æn.* 23. Neptunus ventis implevit vela secundis. *Curt.* 4. 3. 2. Vela concipiunt ventum. — Hypallage est in illo *Virg.* 3. *Æn.* 472. classem velis aptare. *pro* aptare vela classi. — De velis nauticis *V.* plura apud cl. *Guglielmotti Dissert. delle due navi Rom.* etc. § IX. et XXVI.

II.) Translate. — *a*) Sæpe inservit allegoriæ. *Cic. Dom.* 10. 24. Quum senatum a gubernaculis dejecisses, populum e navi exturbasses, ipse archipirata cum grege prædonum impurissimo plenissimis velis navigares. *Horat.* 1. *Od.* 34. 2. Insanientis dum sapientiæ Consultus erro, nunc retrorsum Vela dare atque iterare cursus Cogor relictos. *Id.* 2. *ibid.* 10. 22. sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela. *Id.* 2. *Ep.* 2. 201. Non agimur tumidis velis Aquilone secundo: Non tamen adversis ætatem ducimus Austris. *Id.* 4. *Od.* 15. 1. Phœbus volentem prœlia me loqui Victas et urbes, increpuit, lyra, Ne parva Tyrrhenum per æquor Vela darem. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 71. moderatius opta Et voti, quæso, contrahe vela tui. *Id.* 2. *Art. am.* 725. Sed neque tu dominam velis majoribus usus Desine, nec cursus anteat illa tuos. *Cic.* 4. *Tusc.* 5. 9. Utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paullulum dialecticorum remis propellerem. *Martial.* 8. 70. dare vela Famæ. *h. e.* permittere se Famæ. — *b*) *Velis equisque* et *remis velisque*, est omni conatu, diligentia, studio, celeritate, λὰξ καὶ ὀδάξ, *a tutto potere, con ogni sforzo, colle mani e co' piedi.* *Cic.* 3. *Tusc.* 11. *in fin.* Res misera, detestabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda. *Id.* 3. *Off.* 33. 116. Cum his velis equisque, ut dicitur, decertandum est. *V.* EQUUS. Sic *Plaut. Asin.* 1. 3. 5. Remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge.

*B*) Extra rem nauticam est linteum, pannus, velamen, velarium, aulæum ad quidpiam tegendum (It. *velo, tenda, cortina*; Fr. *toile, tenture*; Hisp. *velo, tela, colgadura*; Germ. *Tuch, Decke*; Angl. *a veil, curtain, hanging*): in hunc autem sensum volunt esse a them. *ve* vel *vas*, unde et *vestis* deducunt, perinde ac sit pro *vestum*. V. VESTIS.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30. Tabernacula carbaseis intenta velis. *Id.* 2. *Cat.* 10. *circa med.* Quos pexo capillo, nitidos videtis, manicatis tunicis, velis amictos, non togis. *Plin.* 4. *Ep.* 19. Eadem, si quando recito, in proximo, discreta velo sedet. *distro la portiera.* et *Seneca Ep.* 80. Allevare velum. *alzar la portiera.* et *Lamprid. Alex. Sev.* 4. Ut salutaretur patente velo, admissionalibus remotis. *a portiera alzata.* et *Sueton. Claud.* 10. Inter prætenta foribus vela se abdidit. *Juvenal.* 6. 226. Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit Vela domus. *gli arazzi.* Adde 9. 105. *Cod. Theod.* 1. 7. 7. Non sit venale judicis velum. *h. e.* quo consessus judicum occluditur. Adde 13. 9. 6. — Hinc translate. *Varro Sat. Menipp.* 53. p. 154. *Oehl.* Nubes aquali, frigido velo leves. *Alii leg.* aquales. — *b*) *Vela* inter donaria quoque recensentur in *Inscr.* apud *Fabretti* p. 79. n. 93. et alia apud *Orell.* n. 1918. — *c*) Etiam in theatro, amphitheatro et aliquando in foro vela superne extendebantur, ne solis ardor vel imber spectantium nudis capitibus noceret. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 6. (23). In theatris tantum (*lintea vela*) umbram fecere, quod primus omnium invenit Q. Catulus, quum Capitolium dedicaret. Carbasina vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Mox Cæsar dictator totum forum Romanum intexit viamque sacram ab domo sua ad clivum Capitolinum. et *mox*. Vela nuper colore cœli, stellata, per rudes iere etiam in amphitheatro principis Neronis. *Lucret.* 4. 73. Et vulgo faciunt id lutea russaque vela Et ferrugina, quum magnis intenta theatris Per malos vulgata trabesque trementia flutant. *Propert.* 4. 1. 15. Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro. Adde *Ovid.* 1. *Art. am.* 103. *Inscr.* reperta abhinc paucis annis in pariete Pompejis, quæ programmatis loco fuit; edita vero in *Relaz. degli scavi di Pompei* p. 4. A. SVETTII CERII AEDILIS FAMILIA GLADIATORIA PVGNABIT POMPEIS PR. K. IVNIAS VENATIO ET VELA ERVNT. *scilicet* in amphiteatro, in quo munera gladiatoria et venationes dari solebant. — *d*) Item insigne rerum principis. *Dig.* 2. 2. 16. Vela regia suspendere – alienis rebus imponere. — *e*) *Velum* etiam in templis adhibebatur: hinc celeberrimum illud fuit, quo Hebræi sive in tabernaculo sive dein in templo occludebant aditum in Sanctum Sanctorum. *Vulg. interpr. Exod.* 26. et 27. et alibi. *V.* etiam VELAMEN. — *f*) Hujusmodi velis etiam imagines sacræ ornabantur. *Paulin. Nolan. Pœm.* 18. 31. — De his plura habet cl. *De-Rossi* in *Bullett. Crist.* a. 1871. p. 61. et *seqq.*

II.) Metaphorice. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Multis simulationum involucris tegitur et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura. *Apul. Florid.* 4. *de oratione.* Vela nostra sinuare et immittere, ne pendula et flaccida neve restricta et caperata.

VĒLŪMEN. *V.* VELLIMEN.

VĔLUT et veluti, adverb. (vel et ut) tamquam, quemadmodum, sicut, ὥσπερ, οἷον (It. *come, siccome*; Fr. *comme, ainsi que*; Hisp. *como, así que*; Germ. *ganz wie, gleichwie*; Angl. *as, like as*). Usurpatur

I.) Absolute. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Pœn.* 4. 1. 2. Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miserum macerat. *Sall. Cat.* 1. Vitam silentio transire, veluti pecora, quæ etc. — *b*) Quum exemplum efferri solet in rei confirmationem; ubi, aliquando, valet etiam *velut si, tamquam si*. *Plaut. Pseud.* 3. 1. 5. Velut hæc mi evenit servitus. *Cic. Harusp. resp.* 4. *a med.* Si in me impetum facere conabitur, resistam et ejus conatum refutabo: velut hesterno die, quum mihi minaretur, voce tantum attigi legum initium; consedit ille: conticuit. *Id.* 2. *Fin.* 35. 116. Elogia monumentorum id significant: velut hoc ad portam *come, per esempio.* et *Nepos Hannib.* 1. Velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut etc. Rursus *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 124. Bestiæ aquatiles, quæ gignuntur in terra: veluti crocodili etc. *Virg.* 2. *Æn.* 378. Obstupuit retroque pedem cum voce repressit: Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens trepidusque repente refugit. *Tibull.* 1. 7. 25. Sæpe, velut gemmas ejus signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 20. (37). Comæ hyperici tritæ velut cruentant. οἷονεὶ αἱμάσσουσι, *tingono come di sangue.* Adde *Ovid.* 4. *Met.* 596. et *Liv.* 2. 36. ¶ 2. Specialim pro quasi, pæne. *Ovid.* 2. *Met.* 116. ut terras mundumque rubescere vidit Cornuaque extremæ velut evanescere lunæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (47). *de gallis gallinac.* Dimicatione pariter hoc quoque inter ipsos, velut ideo

tela agnata cruribus suis intelligentes. — Similiter præmittitur interdum nomini dignitatis. *Ammian.* 22. 11. 9. Diodorus quidem veluti Comes. Cf. 14. 11. 14., ubi *quasi domesticorum comes*.

¶ 3. Est tamquam nomen apud *Cassiod. De dialect.* Decima species definitionis est quam Græci ὡς τύπῳ, Latini *velut* appellant.

II.) Conjuncte. — *a*) Sequente in altero sententiæ membro particula *sic* vel *ita*. *Cic.* 4. *Tusc.* 10. 20. Velut in cantu et fidibus, sic ex corporis totius natura etc. *Liv.* 31. 18. *in fin.* Quum veluti Sagunti excidium, sic Philippo Abydenorum clades ad bellum animos fecisset. *Colum.* 3. *R. R.* 18. *a med.* Velut per fistulam, ita per apertam vitis medullam humor trahitur. — Et cum partic. *si*. *Liv.* 29. 28. *a med.* Itaque, velut si urbem aggressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum. — Ejus usus est in comparationibus. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divin.* 48. 107. Omnis cura viris, uter esset induperator Exspectant; veluti consul, quum mittere signum Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras - Sic exspectabat populus atque ore timebat Rebus. *Virg.* 1. *Æn.* 148. Ac veluti magno in populo quum sæpe coorta est Seditio - Sic cunctus pelagi cecidit fragor. — *b*) Cum particula *si* est quasi, tamquam si. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Absentis Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrebant. *Liv.* 21. 16. Tantus patres metus de summa rerum cepit, velut si jam ad portas hostis esset. *Quintil.* 2. 13. 1. Velut si aliter facere jus non sit. *Cajus* 3. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 225. Atrox autem injuria æstimatur vel ex facto, velut si quis ab aliquo vulneratus aut verberatus fustibus cæsus fuerit; vel ex loco, velut si cui in theatro aut in foro injuria facta sit; vel ex persona, velut si magistratus injuriam passus fuerit. — Et omisso *si*. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Velut explorata victoria. *Alii rectius leg.* ut. *Lucan.* 1. 496. velut unica rebus Spes foret afflictis. Adde 4. 252. et *Manil.* 5. 171.

VĔLŪTI. *V.* voc. præced.

VĔMENS et deriv. *V.* VEHEMENS.

VĒNA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, ducunt recentiores a *veho*, ita ut sit pro *vehna* a sanguine vehendo. Similiter *Isid.* 11. *Orig.* 1. 121. Venæ dictæ eo quod *viæ* sint natantis sanguinis atque rivi per corpus omne divisi, quibus universa membra irrigantur. *V.* VIA init. — Vena itaque est vas in corpore animalis, quo continetur sanguis ad cor refluens, φλέψ, βός, ἀγγεῖον (It. et Hisp. *vena*; Fr. *veine*; Germ. *die Ader, Vene*; Angl. *a vein*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 3. 443. Sanguinem venis detrahere. *Cic. Harusp. resp.* 16. 35. (et *Cels.* 2. 10.) Venam incidere. *Virg.* 3. *G.* 460. Ferire pedis salientem sanguine venam. *salassare*, sanguinem mittere ad morbi vim frangendam. *Sueton. Vit, Lucan. in fin.* secare. *Tac.* 15. *Ann.* 35. interscindere. *et ibid.* 59. abrumpere. *et ibid.* 69. abscindere. *Id.* 16. *ibid.* 17. Venas exsolvere. *et ibid.* 19. aperire. *Juvenal.* 6. 46. pertundere. *Colum.* 6. *R. R.* 14. solvere. *Capell.* 9. p. 314. pensare. *Pelagon. Veterin.* 28. 4. Equo cardiaco venæ cervicis laxandæ sunt. *Veget.* 1. *Veterin.* 22. 2. Venas pulsare. *h. e.* secare. *V.* integr. loc. *Id. ibid.* 5. percutere. *et* 5. *ibid.* 14. 3. pungere. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 22. dividere. *Id.* 3. *ibid.* 4. 52. Venæ nigræ. *h. e.* varices. *Id.* 1. *Acut.* 3. 54. Vena crassa, quam φλέβα παχεῖαν vocaverunt. *Id.* 3. *Tard.* 8. 124. Vena major, quam Græci quilem (κοίλην, i. e. *cavam*) appellant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. *extr.* Venæ et arteriæ a corde tractæ et profectæ in corpus omne ducuntur. — Morti damnatos incisis venis interficere sæpe mos fuit: ipsique morti addicti hoc se modo vita privabant, quia eorum, ut ait *Tac.* 6. *Ann.* 29., qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium scilicet festinandi. Adde *Senec. Consol. ad Marc.* 22. Exempla passim apud *Tac.* et *Sueton.* occurrent locis modo cit. et alibi. *Cic. Harusp. resp.* 16. *ad fin.* supra *cit.* Eum in vincula conjecit et medicum intromisit suum, qui legato, socio, amico, libero fœdissime et crudelissime venas incideret. Adde *Pis.* 34. 83. — Vulgi persuasio fuit, vinum potum statim in venas influere. *Lucret.* 4. 952. cibus in venas quum diditur omnes. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 19. *de vino*. generosum et lene requiro, Quod curas abigat; quod cum spe divite manet In venas animumque meum. *Phædr.* 4. 14. irrigatus multo venas nectare. *Virg.* 6. *Ecl.* 15. Inflatum hesterno venas, ut semper Iaccho. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 20. (35). Venæ mero excitantur. *Rutil. De fig. sent.* 2. 7. Venæ non sanguine sed vino sunt repletæ. ¶ 2. Speciatim *venæ* arterias quandoque significant. *Cic. Fat.* 8. 15. Si cui venæ sic moventur, is habet febrem. *Cels.* 3. 6. Venis enim credimus, fallacissimæ rei, quia sæpe istæ lentiores celerioresve sunt et ætate et sexu et corporum natura. *Seneca Ep.* 22. et *Pers.* 3. 107. Venas tangere. *tastare, toccare il polso*. Sic *Sueton. Tib.* 72. *sub fin.* tentare. *Cels.* 3. 5. *a med.* Si protinus venæ conciderunt. *manca il polso*, arteriarum pulsus, viribus deficientibus, languit. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 69. Ad medicum specto, venis fugientibus, æger. *Id.* 3. *Trist.* 3. 21. Si jam deficiam suppressaque vena palato. *h. e.* pulsus fugiat. Ita legendum esse statuit *Madvig* in *Advers.* v. 2. p. 98.

II.) Improprie et a similitudine. ¶ 1. Est τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικόν. *Pers.* 6. 72. et *Martial.* 4. 66., 6. 49. et 11. 16. ¶ 2. Item dicitur de meatibus aquarum et metallorum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. *a med.* Nos æris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus. *Auct. B. G.* 8. 43. Cuniculis venæ fontis intercisæ sunt atque aversæ. *Martial.* 10. 30. Nec in Lucrina lota Salmacis vena. *h. e.* in aqua. *Juvenal.* 9. 31. tenue argentum venæque secundæ. *di lega inferiore.* ¶ 3. Item de ductibus urinæ. *Cels.* 4. 1. *a med.* A renibus singulæ venæ colore albæ ad vesicam feruntur: οὐρητῆρας Græci vocant. ¶ 4. Item de meatibus, fibris et lineis arborum, marmoris, lapidum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 73. (184). In quarumdam arborum carnibus pulpæ venæque sunt. Discrimen earum facile. venæ latiores candidioresque, pulpæ fissilibus insunt. *et* 13. *ibid.* 15. 30. (96). Mensis præcipua dos in venam crispis vel in vortices parvos. *Id.* 37. *ibid.* 6. 24. (90). Indicam onychen plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, intervenientibus quarumdam oculis obliquis venis. *et ibid.* 10. Mediam gemmam secans flammea vena. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 36. An picturata lucentia mormora vena Mirer? *Sil. It.* 1. 229. Venæ electri. *Auct. Ætn.* 268. aurea. *h. e.* auri. — *Virg.* 1. *G.* 91. Seu (*calor*) durat magis et venas (*terræ*) astringit hiantes. *crepacci, fessi della terra.* V. RIMA. ¶ 5. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 15. (76). *venas arearum* dicit areas ipsas seminarii longo tractu ductas. ¶ 6. Item de intima parte cujusque rei. *Virg.* 6. *Æn.* 6. quærit pars semina flammæ Abstrusa in venis silicis. *Id.* 4. *ibid.* 2. Vulnus alit venis et cæco carpitur igni. — Hinc metaphorice. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 31. Periculum residebit et erit inclusum in venis atque in visceribus reipubl. *Id.* 1. *Orat.* 52. 223. Teneat orator oportet venas cujusque generis, ætatis, ordinis et eorum, apud quos aliquid aget, mentes sensusque degustet. *h. e.* intimam naturam, ingenium, indolem. *Sever. in epist.* apud *Spartian. Pescenn.* 3. Hæc, si ulla vena paternæ disciplinæ in nobis viveret, fierent? Similis habet *Pers.* 1. 103.

III.) Translate. ¶ 1. Metonymice, est ipse sanguis. *Sidon. carm.* 7. 83. solitosque cruentum Lac potare Getas et pocula tinguere venis. ¶ 2. Per metaphoram ductam a venis aquarum aut metallorum. *Horat.* 2. *Od.* 18. 7. Nec Laconicas mihi Trahunt honestæ purpuras clientæ: At fides et ingeni Benigna vena est. *Id. Art. P.* 409. ego nec studium sine divite vena, Nec rude quid possit, video, ingenium. *Juvenal.* 7. 53. Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, Qui nihil expositum soleat deducere etc. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 15. Hoc (*ingenium*) ego Pegasidas deduxi primus ad undas, Ne male fecundæ vena periret aquæ. *Quintil.* 6. 2. *ante med.* Tenuis et angusta ingenii vena.

Homonym. Discrimen inter *venas* et *arterias* V. in ARTERIA.

VĒNĀBŬLĀTOR. *V.* VENATOR.

VĒNĀBŬLUM, i, n. 2. (venor) telum, quo venantes utuntur, aciei longissimæ, προβόλιον (It. *spiedo da caccia*; Fr. *épieu de chasseur*; Hisp. *venablo*; Germ. *der Jagdspiess*; Angl. *a hunting spear*),

I.) Proprie. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Aut præclara bestia venabulo transverberatur. *Virg.* 4. *Æn.* 131. lato venabula ferro. *Ovid. Heroid.* 4. 83. venabula cornea. *Id.* 8. *Met.* 419. Splendidaque adversos venabula condit in armos. *Martial.* 14. 31. longo venabula rostro.

II.) Translate *sagittarum venabula* dixit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. 8. (26). sagittas grandiores in venatu elephantorum adhibitas.

VĒNĀCŬLUM, i, n. 2. fortasse genus herbæ vel metalli. *Veget.* 5. *Veterin.* 62. 1. Per triduum venaculo et sale perfricabis. Sane quid sit *venaculum*, nec *Schneidero* nec *Furlanetto* liquet. Alii tamen aliter leg.

VĒNĀLĪCĬA, orum, n. plur. 2. *V.* VENALICIUS, a, um.

VĒNĀLĪCĬĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VĒNĀLĪCĬĀRĬUS, a, um, adject. (venalicius) ad res venalicias pertinens. *Ulp. Dig.* 32. 73. § 4. Venaliciariam vitam exercere. *h. e.* negotiationem venalium. *Forcellinus* et *Dirksen* leg. *venaliciariam exercere* tantum. — Hinc

*Venaliciarius, ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui negotiatur in servis venalicils, vel qui venales servos habet. *Gloss. Lat. Gr.* Venaliciarius, σωματέμπορος. *Quintil. Declam.* 389. Dedit libertus pecuniam venaliciario, ut prævaricaretur. *African. Dig.* 50. 16. 207. Mercis appellatione homines non contineri, Mela ait: et ob eam rem mangones non mercatores, sed venaliciarios appellari ait, et recte. Ab eod. tamen dissentit vetus *Inscriptio Romana*, L. VALERIVS LABDAL. MERCATORI VENALICIARIO. Cf. *Popm.* ed. *Vall.* p. 425.

VĒNĀLĪCĬĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

VĒNĀLĪCĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

VĒNĀLĪCĬUS et venalitius, a, um, adject. (venalis) vendibilis, *da vendere*: et dicitur de servis novitiis, ut in voc. seq. exponetur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 18. 58. (201). Hoc est insigne venalicils gregibus. *Sueton. Aug.* 42. *a med.* Venaliciæ familiæ. *Inscr.* apud *Gruter.* 411. 1. et 637. 5. mercator. — Hinc absolute, substantivorum more

*Venalicium, ii*, n. 2. ¶ 1. Est negotiatio servorum venalium, *il mercato degli schiavi*. *Venulej. Dig.* 21. 1. 65. Quicumque ex venalicio novitiorum emptus, alicui ministerio præpositus sit. *h. e.* ex turba seu grege venalium. *Petron. Sat.* 29. Erat autem venalicium titulis pictum, et ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat Minervaque ducente Romam intrabat. *h. e.* venales cum titulis pictis, in quibus patria, nomen, ætas singulorum adscribebantur. *Inscr.* apud *Gruter.* 5. 1. et 2. et 8. 3. GENIVS VENALICII. *Alia* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 712. TESTOR DEOS VNA ME TECVM CONGRESSVM IN VENALICIO VNA DOMO LIBEROS ESSE FACTOS. ¶ 2. *Venalicia*, venales, ut *servitia* servi. *Ulp. Dig.* 28. 8. 5. Qui possit etiam ea, quæ nimium sumptuosa sint (velut jumenta aut venalicia) vendere. ¶ 3. Est etiam vectigal rerum venalium, *dazio della mercatanzia*. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12. 19. 4. Qui in sacris scriniis nostris referuntur, superindictum non timeant, venalicium non petatur; solumque canonicæ indictionis præstent tributum. Adde *Cod. Theod.* 6. 26. 14.

*Venalicius, ii*, m. 2. negotiator venalium servorum. *Cic. Orat.* 70. 232. Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos et Lælios multi venalicii mercatoresque superarunt. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 26. 97. (170). Hyacinthi radix est bulbacea, mangonicis venaliciis pulcre nota. Adde *Sueton. De cl. rhet.* 1.

VĒNĀLĪCĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

VĒNĀLIS, e, adject. (venor) expositus empto-

ribus, vendibilis, ὤνιος (It. *da vendere, venale;* Fr. *vénal;* Hisp. et Angl. *venal;* Germ. *verkäuflich, feil*).

I.) Proprie. *Sall. Jug.* 39. *extr.* Urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit. At *Forcellinus* interpr. sordidam, avaram. *Varro Sat. Menipp.* 57. *p.* 167. *Oehl.* Venalem ponere turriculam. *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. Venales hortos habere. *Id.* 3. *leg. Agr.* 4. 15. Possessiones venales ac proscriptas hac lege video. *Id. Quinct.* 3. 13. Vocem venalem habere. *h. e.* præconem esse. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (54). Cibus uno asse venalis. *Sil. It.* 15. 503. Venales animæ. *soldati prezzolati.* et *Quintil.* 7. 2. 26. familia. *schiavi messi in vendita.* et *Plaut. Stich.* 1. 3. 18. Venalis ego sum cum ornamentis omnibus. *sc.* cum vestitu. — *Varro* 1. *R. R.* 16. Ubi non sit, quo deferri possit venale, non expedit colere hortos. — Hinc per metaphoram. *Cic.* 5. *Verr.* 62. *a med.* Habere fidem, jusjurandum, veritatem, officium, religionem venalem. Adde *Curt.* 5. 12. 2.

II.) Translate aliquando de personis ponitur pro avaro, sordido, qui pecuniæ aut obsonii gratia se ipsum venderet nihilque facere recusaret. *Cic. Dom.* 19. 49. Denique ille novitius Ligur, venalis ascriptor et subscriptor tuus. *Propert.* 2. 13. 21. Numquam venales essent ad munus amicæ. *Liv.* 35. 50. Trahentibus ad Antiochum quibusdam venalem pretio multitudinem. *Martial.* 3. 60. Quum vocor ad cenam non jam venalis, ut ante. *Maximian. El.* 1. 63. Ibam per mediam venali corpore Romam. *h. e.* incessu ornatuque corporis affectato. — Hinc absolute, substantivorum more

*Venales, ium,* m. plur. 3. servi intelliguntur, qui ad vendendum sunt expositi, et proprie novitii. Servorum enim alii novitii sunt, alii veteratores. *Quintil.* 8. 2. 8. Item quod commune est et aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, ut urbem, Romam accipimus; et venales, novitios; et Corinthia, æra: quum sint urbes aliæ quoque et venalia multa et tam aurum et argentum, quam æs Corinthium. *Plaut. Trin.* 2. 2. 51. Mercaturamne, an venales habuit? *Seneca Benef.* 13. *extr.* Mercator urbibus prodest, medicus ægris, mango venalibus. *Id. Ep.* 80. *a med.* Detrahis vestimenta venalibus, neque vitia corporis lateant. *Cic.* 7. *Verr.* 56. *ad fin.* Venales Asiatici. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 58. (199). Creta pedes venalium trans mare advectorum denotare.

*Venalia, ium,* n. plur. 3. res venales. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 246. Manilianas venalium vendendorum leges ediscere. Adde *Vulg. interpr.* 2. *Esdr.* 10. 31.

VĒNĀLĬTAS, ātis, f. 3. (venalis) avaritia, sordes, quum quis pecuniæ et lucri causa ab officio recedit, *venalità.* ¶ 1. Abstractorum more. *Sidon.* 5. *Ep.* 13. *a med.* Hos venalitas solvit, vanitas illos, nullos misericordia. Adde *Imp. Zenon. Cod.* 4. 59. *in fin.* ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, de re venali. *Cassiod.* 7. *Variar.* 32. Venalitas cuncta dissolvitur.

VĒNĀLĬTER. *V.* VERNALITER.

VĒNĀLĬTĬUS. *V.* VENALICIUS.

VĒNANS, antis, particip. *V.* VENOR.

VĒNĀTĬCĬUS et venatitius, a, um, adject. (veneticus) idem ac venaticus, *da caccia. Ammian.* 29. 3. 3. et 30. 1. 15. Venaticia præda.

VĒNĀTĬCUS, a, um, adject. (venor) ad venationem spectans, *da caccia,* θηρευτικός, κυνηγετικός.

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 113. Ibo odorans, quasi canis venaticus, Usque donec persecutus vulpem ero vestigiis. *Varro* 2. *R. R.* 9. Canum duo genera, unum venaticum et pertinet ad feras bestias ac silvestres; alterum, quod custodiæ causa paratur. *Cic.* 6. *Verr.* 13. 31. Mirandum in modum canes venaticos diceres: ita odorabantur omnia et pervestigabant. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 65. venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula, Militat in silvis catulus. — Canum venaticorum elegantissime excogitata nomina habes apud *Ovid.* 3. *Met.* a v. 206.

II.) Translate. *Plaut. Capt.* 1. 1. 17. Prolatis rebus parasiti venatici sumus. *h. e.* macri et ad cenam foris captandam expediti. *V.* INVENATICUS.

VĒNĀTĪLIS, e, adject. (vena) ad venam pertinens, qui ex vena provenit. *Cassiod.* 3. *Variar.* 13. Aquilegius qui aridis locis aquas possit dare venatiles.

VĒNĀTĬO, ōnis, f. 3. (venor) ferarum persecutio, θήρα, κυνηγία, κυνηγεσία (It. *caccia;* Fr. *chasse;* Hisp. *caza;* Germ. *das Jagen, die Jagd;* Angl. *a hunting, the chase*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Suebi multum sunt in venationibus. Adde 6. *ibid.* 28. *Cic. Senect.* 16. *a med.* Conditiora facit hæc supervacanei operis aucupium atque venatio. Adde *Vulg. interpr. Lev.* 17. 13. et 2. *Reg.* 4. 23. ¶ 2. Speciatim sumitur pro spectaculo venatorio. Nam ad populi voluptatem servi et inter se pugnabant, qui dicebantur gladiatores, et cum bestiis, unde bestiarii appellati sunt. Venatio primitus facta videtur a. U. C. 568. ex *Liv.* 29. 24. *V. Henzen De gladiat.* p. 9. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Reliquæ sunt venationes, binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat. Sed quæ potest esse homini politico delectatio, quum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur aut præclara bestia venabulo transverberatur? *Sueton. Claud.* 21. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnumquam interjecta per quinos missus venatione. *h. e.* quintuplici ferarum immissione edita. *Inscr.* apud *Gruter.* 352. 1. T. ANCHARIVS PRISCVS AEDILIS QVAESTOR GLADIATORVM PARIA TRIGINTA ADIECTA VENATIONE EDIDIT. — Plura venationum genera perbelle describit *Cassiod.* 5. *Variar.* 42., ut nihil dicamus de iis, qui ea ex professo poetice tractarunt.

II.) Translate. ¶ 1. Tropice adhibetur pro feris, quas venamur. *Varro* 3. *R. R.* 12. 2. Septum venationis. *parco da fiere.* et *Plin.* 5. *Ep.* 6. Frequens ibi (*in montibus*) et varia venatio. *Colum.* 9. *R. R. præf.* 1. Conspectu suo clausa venatio. ¶ 2. Item pro ipsa præda venatione parta, et quidem pro carne ferina, quia feras tantummodo bestias venari solemus, *selvaticini, selvaggina,* Gall. *venaison. Liv.* 35. 49. Quum miraremur, unde illi eo tempore anni tam multa et varia venatio; homo renidens, condimentis, ait, varietatem illam et speciem ferinæ carnis, ex mansueto sue factam. *Cels.* 5. 26. *n.* 30. Et avis et venatio et suilla elixa dari potest. Adde *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. et *Cels.* 2. 20. 24. et 26. ¶ 3. Metaphorice *venatio nocturna* dicitur officium præfecti vigilum. *Cassiod.* 7. *Variar.* 7. Actus tuus venatio nocturna est, quæ miro modo, si non cernitur, tum timetur.

Homonym. Ita distinguitur interdum *venatio* a *venatu,* ut illa sit præda venatione parta, hic ferarum persecutio. *Sidon.* 4. *Ep.* 9. *de viro illustri.* Ferarum carnibus abstinet, cursibus acquiescit: itaque occulte delicateque religiosus venatu utitur, nec utitur venatione.

VĒNĀTĪTĬUS. *V.* VENATICIUS.

VĒNĀTĪVUS, a, um, adject. (venor) venando inserviens: et translate captiosus, *ingannevole. Pseud.-Cassiod. De amicit. præf.* In amicitia nihil est venativum. — Absolute. *Boeth. Arist. Elench. soph.* 1. 12. *p.* 743. Hoc autem fuit secundum propositum sophisticæ intentionis, primum quidem ex eo, quod interrogat quodam modo et per interrogationem accidit maxime; nam id ad nullum determinatum interrogare propositum, venativum est illorum.

VĒNĀTOR, ōris, m. 3. (venor) qui venatur, qui feras persequitur, θηρατής, θηρητήρ, κυνηγέτης (It. *cacciatore;* Fr. *chasseur;* Hisp. *cazador;* Germ. *der Jäger;* Angl. *a hunter*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Substantivorum more seu absolute. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. A vestigiis quum est animadversum a venatoribus etc. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 40. Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. *Horat.* 1. *Od.* 1. 25. manet sub Jove frigido Venator teneræ conjugis immemor. — *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (99). de *Aristide.* Pinxit et venatores cum captura. *h. e.* tabulam, ubi picti erant venatores etc. *Schol.* in *Stat.* ab *A. Maio* ed. Venator, quasi venabulator. Cf. *Quicher.* ad *h. v.* — Est inter officia domus Augustæ. *Inscr.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 114. CALLISTHENES CAESARIS VENATOR. — Horum erat etiam collegium. *Inscr.* apud *Murat.* 531. 2. — *b*) Loco adjectivi. *Virg.* 12. *Æn.* 751. Venator cursu canis et latratibus instat. *Stat.* 9. *Theb.* 685. venator equus. Sic pugnator juvencus, *Virg.* 11. *Æn.* 680. bellator equus, *ibid.* 89. et *Tac. Germ.* 14. prædator equus, *Stat.* 4. *Theb.* 316. bellator taurus, *Id.* 3. 330. latratores molossi, *Martial.* 12. 1. taurus arator, *Ovid.* 1. *Fast.* 698. et *Sueton. Vesp.* 5. Quæ collegit *Broukus.* ad *Tibull.* 1. 11. 46. — Huc spectat illud *Horat.* 1. *Od.* 37. 17. Accipiter velut Molles columbas aut leporem citus Venator (*adurget*). h. e. accipiter venator. ¶ 2. Latiore sensu est qui in spectaculo venatorio sese cum belluis pugnaturum offerebat. *Apul.* 4. *Met.* Gladiatores istic famosæ manus, venatores illic probatæ pernicitatis, alibi noxii, perdita securitate, suis epulis bestiarum saginas instruentes. *Cassiod.* 5. *Variar.* 42. Si venit ad pretium delectabilis cantilena, quo munere venator expendus est, qui, ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat? *Tertull. ad Martyr.* 5. Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt.

II.) Translate. ¶ 1. Est indagator. *Vulg. interpr. Jer.* 16. 16. Mittam eis multos venatores et venabuntur eos de omni monte et de omni colle et de cavernis petrarum. — Hinc metaphorice. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 14. Venator adest nostris consiliis cum auritis plagis. — Et cum genet. *Cic.* 1. *Nat. D.* 30. 83. Speculator venatorque naturæ. ¶ 2. Item prædator, tyrannus. *Id. Ezech.* 32. 30. Ibi principes Aquilonis omnes et universi venatores. Adde *Gen.* 10. 9. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VĒNĀTŌRĬUS, a, um, adject. (venator) ad venatorem spectans, *da caccia,* θηρευτικός. *Nepos Datam.* 3. Gerens in capite galeam venatoriam. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Venatorium instrumentum. *Sueton. Aug.* 19. *in fin.* culter. *Dig.* 8. 12. ludus. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6178. familia.

VĒNĀTRIX, tricis, f. 3. (venator) ¶ 1. Active est quæ venatur, *cacciatrice,* κυνηγέτις. — *a*) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 322. Namque humeris de more habilem suspenderat arcum Venatrix. *Ovid.* 2. *Met.* 454. Dea venatrix. *h. e.* Diana. Sic *Juvenal.* 13. 80. Per calamos venatricis pharetramque puellæ. *Martial.* 11. 69. Canis venatrix. *Ovid.* 2. *Met.* 492. ursa. — *b*) Translate est indagatrix. *Cassiod.* 6. *Variar.* 16. Te probatis moribus institutum venatrix bonæ conversationis sollicitudo nostra respexit. ¶ 2. Passive dicitur de loco, ubi sæpe venatio fit. *Virg.* 9. *Æn.* 177. Ida venatrix.

VĒNĀTŪRA, æ, f. 1. (venor) idem ac venatio, *cacciagione.* Translate. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 43. Viden tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus? *h. e.* sermones nostros et facta clam indagare.

VĒNĀTUS, a, um, particip. *V.* VENOR.

VĒNĀTUS, us, m. 4. (venor) *Venatu* dat. sing. pro *venatui* apud *Virg. loc. cit.* V. dicta in ASPECTUS. — Venatus est idem ac venatio.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 98. Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. *Ovid. Heroid.* 15. 17. Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos? *Virg.* 7. *Æn.* 746. assuetaque multo Venatu nemorum gens. et 9. *ibid.* 605. Venatu invigilant pueri. *pro venatui. Sil. It.* 8. 516. venatu dura ferarum. Adde *Gell.* 5. 14. *Curt.* 8. 9. 28. Venatus maximus labor est. — De figura. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 55. (155). Acragantis et venatus in scyphis (*cælatus*) magna fama. *Sillig.* venatio.

II.) Translate. ¶ 1. De piscatu per catachresin. *Plaut. Rud.* 4. 3. 30. Dominus huic, nisi ego, nemo natus est, hunc qui cepi in venatu meo. ¶ 2. Per metonymiam de pretio seu mercede pro venatu. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21.

(58). Venatus aggerere. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (23). Venatu et aucupio vesci. Sic *Ammian.* 23. 6. 50. Vesci venatibus.

Homonym. Quomodo interdum *venatus* a *venatione* differat, *V.* sub VENATIO.

**VENDAX**, ācis, adject. omn. gen. (vendo) qui facile seu libenter vendit, φιλοπράτης. *Cato R. R.* 2. *extr.* Patrem familias vendacem, non emacem esse oportet. Adde *Turran.* apud *Diomed.* p. 368. 26. *Keil.* Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (31).

**VENDĒMĬA.** *V.* VINDEMIA.

**VENDENS**, entis, particip. *V.* VENDO.

**VENDĬBĬLIS**, e, adject. (vendo) Comp. *Vendibilior.* — Vendibilis est qui facile vendi potest, *vendibile*, τιμαλφής, ὠνητός.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 14. 46. Adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum et magnæ pecuniæ. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 47. Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (24). Vendibilis merx. *et* 14. *ibid.* 3. 4. (42). vites. *Colum.* 6. *R. R.* 6. *extr.* proles. *Varro* 1. *R. R.* 4. Arbusta atque oliveta vendibiliorem agrum faciunt.

II.) Translate. *Cic. Amic.* 25. 96. Tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium nobis defendentibus facile vincebat. *h. e.* popularem, probabilem et gratam vulgo: quia quæ grata sunt, facile emptorem inveniunt. *Id.* 1. *Fin.* 3. *ad fin.* An partus ancillæ sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis: nosque ea scripta legimus libenter; hæc, quæ vitam continent omnem, negligenter? nam ut sint illa vendibiliora, hæc uberiora certe sunt. *Id. Brut.* 47. 174. Horum ætati prope conjunctus L. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset. — *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 9. quid enim formæ præconia feci? Vendibilis culpa facta puella mea est. *h. e.* quia illam laudavi, cœpit aliis innotescere et placere et flagitantibus se vendere.

**VENDĬBĬLĬTĔR**, adverb. (vendibilis) care, magno pretio, *a cara vendita.* Occurrit tantum Comp. *vendibilius* apud *Hieronym. Ep.* 130. *n.* 18. Fuge lasciviam puellarum, quæ ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, ut sub nomine virginali vendibilius pereant. *a più caro prezzo.* V. *Ovid. loc. cit.* in VENDIBILIS et LUCROSE.

**VENDĬCĀTĬO.** *V.* VINDICATIO.

**VENDĬCO.** *V.* VINDICO.

**VENDĬTANS**, antis, particip. *V.* VENDITO.

**VENDĬTĀRĬUS**, a, um, adject. (vendito) venalis, *venale*, πράσιμος: et dicitur de iis, quæ vendere cupimus. *Plaut. Stich.* 1. 3. 103. *Weis.* Negato esse quod dem, nec mu nec mutuum Neque aliud quidquam nisi hoc quod habeo pallium: Linguam quoque etiam venditariam. *Bothius* et *Fleckeisenus* dederunt *linguam vendidi datariam.* Cf. *Pseud.* 4. 2. 13. At *Rostius* in *Comm. Plaut.* p. 266. vocem et simul hanc lectionem improbat ac proponit *venditavi jam meam.* Ceterum vocis usum confirmat *Onom. Lat. Gr.* in *Thes.* ed. *Vulc.* Venditarius, πρακτικός.

**VENDĬTĀTĬO**, ōnis, f. 3. (vendito) actus venditandi. Translate pro ostentatione, *ostentazione, millanteria. Cic.* 2. *Tusc.* 26. *sub fin.* Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quæ sine venditatione et sine populo teste fiunt. *Id. Amic.* 23. 86. A multis virtus contemnitur et venditatio quædam atque ostentatio esse dicitur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (25). Ostentatio artis et portentosa scientiæ venditatio.

**VENDĬTĀTOR**, ōris, m. 3. (vendito) qui venditat. Translate pro eo, qui aliquid ostentat et jactat, *ostentatore, millantatore. Tac.* 1. *Hist.* 49. Famæ nec incuriosus nec venditator. *Gell.* 18. 4. Jactatorem et venditatorem Sallustianæ lectionis Apollinaris inrisit.

**VENDĬTĀTUS**, a, um, particip. *V.* VENDITO.

**VENDĬTĬO**, ōnis, f. 3. (vendo) actus vendendi, πωλή, πρᾶσις (It. *vendita, vendizione*; Fr. *vente*; Hisp. *venta*; Germ. *der Verkauf*; Angl. *a selling, vent*): cui *emptio* opponitur. ¶ 1. Generatim. — *a*) Abstracto, ut ajunt, sensu. *Seneca* 5. *Benef.* 10. Venditio alienatio est et rei suæ jurisque in ea sui in alium translatio. Cf. *Dig. fr.* 8. § 11. *Cic. Rosc. Am.* 38. 110. Ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum. — In plur. num. *Gell.* 17. 6. — *b*) Concreto, qui dicitur, sensu, est ipsa res vendita. *Ulp. Dig.* 18. 2. 4. *circa med.* et *ibid.* 43. 23. 11. *a med.* Antequam venditio transferatur. Adde *Plin.* 10. *Ep.* 108. ¶ 2. Speciatim pro auctione, *vendita all'incanto. Cic. Rosc. Am.* 44. 128. Quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant. Adde *Caj.* 2. 54. ¶ 3. Olim *venditiones* dicebantur censorum locationes, quod velut fructus publicorum locorum venibant. *Festus* p. 376. 6. *Müll.*

**VENDĬTO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vendo) Part. *Venditans* II. 2.; *Venditatus* II. 1.; *Venditandus* II. 2. — Vendito, proprie frequentativum, est frequenter, sæpe, continue vendo; sed etiam, et quidem sæpius, ut desiderativum vel intensivum adhibetur, et est vendere cupio.

I.) Proprie. ¶ 1. *Vendito*, frequentat., est, ut diximus, sæpe, frequenter vendo. — *a*) Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 41. Non possum, quæ ipsa sese venditat, tutarier. *h. e.* se prostituit. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 38. (81). Hæc est, quam Aristophanes Euripidi poetæ objicit jlocalariter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse, sed scandicem. *Colum.* 8. *R. R.* 16. Cato tutor Luculli grandi ære piscinas venditabat. — *b*) Speciatim pro passim vendere. *Cic.* 4. *Verr.* 54. *a med.* Istius omnia decreta, imperia, litteras peritissime et callidissime venditabat. Aliis idem est atque *ostentabat.* ¶ 2. *Vendito*, desiderat., est, ut diximus, vendere cupio, venale propono, φιλοπωλέω. *Id.* 1. *Att.* 14. *sub fin.* Tusculanum venditat, ut, si possit, emat Pacilianam domum. *Plin.* 1. *Ep.* 24. Tranquillus vult emere agellum, quem venditare amicus tuus dicitur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Tac.* 14. *Ann.* 50. Venditata ab eo munera principis et adipiscendorum honorum jus. h. *e.* sæpe vendita. ¶ 2. Speciatim sumitur pro ostentare: tractā ab institoribus metaphorā, qui merces suas ostentare præcupide solent. *Cic.* 2. *Herenn.* 30. 47. Venditare ingenium et ostentare memoriam. *Liv.* 44. 25. et *Justin.* 5. 3. 1. alicui operam suam. *Liv.* 39. 42. *a med.* obsequium amatori. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 49. *Claudian. B. Get.* 566. fœdera fallax Ludit et alternæ perjuria vendidat aulæ. *h. e.* jactat, prædicat, gloriatur se perjurum fuisse. *Alii leg.* vindicat. — *Venditare se* alicui, se præbere; offerre, jactare, commendare, gratiam alicujus captare, *offerirsi, millantarsi, raccomandarsi, insinuarsi, accattarsi il favore. Cic. Sull.* 10. 21. Quibus se venditabat. *Id.* 5. *Verr.* 58. 132. Venditare se existimationi hominum. *Id.* 8. *Att.* 16. se Cæsari. *Id.* 10. *ibid.* 8. nos ei cum periculo. *Liv.* 3. 35. se plebi. *Nepos Att.* 11. se florentibus (*hominibus*). *Vellej.* 2. 63. 3. Senatui se litteris venditans. *h. e.* jactans, prædicans. — *Apul. De mag.* Patrimonium omne jampridem abligurrivit, nec quicquam ei de bonis paternis superest nisi una domus ad calumniam venditandam. Cf. *Burmann* ed. *Lucan.* 8. 675.

**VENDĬTOR**, ōris, 3. (vendo) qui vendit, *venditore*, πωλητής, πράτης: usurpatur tum masc. tum etiam fem. gen.

I.) Proprie. — *a*) Masc. gen. est qui vendit. *Varro* 3. *R. R.* 5. *ante med.* Ne turdi alieno tempore venditoris moriantur. *h. e.* tempore non opportuno venditori. *Cic.* 3. *Off.* 12. 51. Ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret. *Ambros.* in *Luc.* 9. § 20. Venditores ovium et boum. *Cod. Justin.* 12. 58. 12. § 3. gemmarum argentique atque vestium. *Schol. Cruq.* in *Horat.* 1. *Ep.* 20. 2. librorum. βιβλιοπώλης. Cf. *Gell.* 5. 4. *Apul.* 9. *Met.* Venditoribus tradita mercede (*al.* merce). Quidam per *venditores* hic intelligunt *institores*, propolas, παλιγκαπήλους vel *magnarios*; quidam vero, καταχρηστικῶς, etiam *emptores.* V. *Oudendorp.* in adn. — *b*) Fem. gen. est quæ vendit. *Vulg. interpr. Ital. Act.* 16. 14. MS. *Laud.* Quædam mulier nomine Lydia, purpuræ venditor. *Noster* habet *purpuraria.*

II.) Translate. *Cic. post redit. in Senat.* 4. *a med.* Mercatores provinciarum ii sunt ac venditores nostræ dignitatis. *Claudian.* 2. *Rufin.* 503. Venditor legum.

**VENDĬTRIX**, trīcis, f. 3. (venditor) quæ vendit, *venditrice. Scævola Dig.* 18. 3. 8. Testatus est, defuisse venditricem. *Thes. utr. ling.* p. 813. *Vulc.* Γεκυθόπωλις, venditrix leguminum. *Thes. nov. Latinit.* ed. *A. Maio* in *Class. Auct.* 128. Venditrix poculorum.

**VENDĬTUS**, a, um, particip. *V.* voc. seq.

**VENDO**, vendis, vendĭdi, vendĭtum, vendere, a. 3. (venum et do) — *a*) Quidam scribendum esse putant *vœndo* per diphthongum, ut *vœnum, vœneo*, teste *Apul. De diphth.* 28. — In *Inscrr.* aliquando est *bendo* pro *vendo*, solita litterarum permutatione, ut apud *Fabretti* p. 223. *n.* 593. et p. 552. *n.* 33. et in *Giornal. degli scavi di Pomp.* a. 1868. p. 92. — *b*) Passiv. *vendor* usurparunt *Seneca, Justin., Spartian., Ulp.* et alii sequioris ævi scriptores, si excipias Part. *venditus* et *vendendus* etiam optimis auctoribus usitata, qui *veneo* pro *vendor* adhibuerunt. — *Venditus sum* est apud *Diomed.* p. 368. 25. *Keil.* Cf. *Krebs* in *Antibarb.* p. 134. et *Lachmann* ad *Lucr.* p. 121. — Part. *Vendens* I. 1. *a*; *Venditus* I. 1. *a* et in fin.; *Venditurus* et *Vendendus* I. 1. *a.* — Vendo est venditionem facio, rem alteri, pretio accepto, trādo, alieno, mancipo, sive auctione sive locatione sivè alio quocumque modo, πωλέω (It. *vendere*; Fr. *vendre*; Hisp. *vender*; Germ. *verkaufen*; Angl. *to sell, vend*): cui *emo* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Acc. et addito sæpe adverb. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 118. Juravisti, te illam nulli venditurum nisi mihi. *Id. Asin.* 1. 1. 74. Argentum accepi, dote imperium vendidi. *Martial.* 12. 102. Conjugis utilior merx est, quæ vendita sæpe Vendentem numquam deserit aut minuit. *Cic.* 5. *Verr.* 98. 227. Si ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis, ut aut male vendendum intelligas, si processit; aut male perceptos fructus, si recte licet vendere. *et ibid.* Vendere quam optime. *Martial.* 12. 55. Sed vendat bene, basiare quantum est. — *b*) Cum addito pretio per Genet. vel Abl. *Cic. Sext.* 26. 56. Vendere aliquid pecunia grandi. *Id.* 3. *Off.* 12. *a med.* Vendo meum non pluris, quam ceteri, fortasse etiam minoris. *et ibid.* Silentio merx quam plurimo venderetur. Sunt qui *plurimo* cum *silentio* conjungant, sed perperam. Cf. loc. seq. *Id.* 5. *Verr.* 53. 123. Dicit, quanti cujusque agri decumas vendiderit. *et* Data est opera a me, ut quam plurimo decumas venderem. *et* Cur non ita magno vendidisti? *Plaut. Merc.* 2. 3. 93. Viginti minis opinor posse me illam vendere. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 12. 2. — *c*) Sine Acc. *Plaut. Pers.* 4. 4. 31. Aut hoc emptore vendes pulcre aut alio non potes. — *d*) *Vendere sub corona* cur dicatur, *V.* in CORONA. — *e*) Absolute. *Edict. Venafr.* in *Bullett. dell'Istit. archeol.* a. 1850. p. 57. v. 135. Vendundi causa. ¶ 2. Speciatim pro locare quidam putant usurpari a *Cic.* 3. *Verr.* 54. *ad fin.*, alii negant. *V.* VENDITIO.

II.) Translate. — *a*) Universim. *Cic.* 13. *Att.* 12. Ligarianam præclare vendidisti, posthac quidquid scripsero, tibi præconium deferam. *h. e.* præclare commendasti, ut ait *ibid.* 19., et effecisti, ut probaretur a multis. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 75. Injuste totum ducit venditque poema. *h. e.* laudat quasi venditurus. *Tibull.* 1. 4. 53. At tibi qui Venerem docuisti vendere primus. *Pers.* 1. 122. Hoc ridere meum, tam nil nulla tibi vendo Iliade. *non te lo do* etc. *Juvenal.* 7. 135. purpura vendit Causidicum, vendunt amethystina. *h. e.* commendant et in causa sunt, cur locet multis operam suam. *Id.* 8. 192. Vendere sua funera. *esporre per danari la vita.* et *Pers.* 6. 75. animam lucro. et *Martial.* 5. 16. verba sollicitis reis. *h. e.* mercede causas orare. — *b*) *Vendere* dicuntur,

qui lucri et pecuniæ causa quippiam alteri per nefas concedunt. *Sall. Jug.* 20. Quibus honesta atque inhonesta vendere mos erat. *Virg.* 6. *Æn.* 621. Vendidit hic auro patriam dominumque potentem Imposuit. *tradì.* et *Juvenal.* 10. 77. Vendere suffragia. — c) *Vendere fumum* quid sit, *V.* in FUMUS. — Hinc

*Venditum, i,* n. 2. absolute, res vendita. *Cic.* 3. *Nat. D.* 30. 74. Tot judicio, quæ ex empto aut vendito aut conducto aut locato contra fidem fiunt. Sic *Seneca* 6. *Benef.* 38. Constat negotiatio ex empto et vendito.

VĔNĔ, adverb. pro bene, solita litterarum commutatione. *Inscr.* apud *Orell. n.* 4614.

VĔNĔFĪCA, æ. *V.* VENEFICUS.

VENEFICIOLUM, i, n. 2. *deminut. a* veneficium. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 134. Veneficus, veneficium, veneficiolum.

VĔNĔFĬCĬUM, ii, n. 2. (veneficus) crimen, quo quis veneno, malis pharmaciis aut incantationibus aliquem necat, maleficium, φαρμάκευσις, γοήτευμα (It. *stregheria, incantesimo, ammaliamento, attossicamento;* Fr. *vénéfice;* Hisp. *veneficio, maleficio;* Germ. *die Giftmischerei, Vergiftung;* Angl. *a sorcery, venefice, poisoning*). *Cic. Rosc. Am.* 32. 90. De veneficiis accusabant. Adde 13. *Phil.* 11. — De incantationibus. *Id. Brut.* 60. 217. Subito totam causam oblitus est: idque veneficiis et cantionibus Titiniæ factum esse dicebat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (41). C. Furius Cresimus in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. *et mox.* Instrumentum rusticum omne in forum attulit etc. Postea dixit: veneficia mea, Quirites, hæc sunt. *Id.* 25. *ibid.* 2. 5. (10). Solis lunæque defectus veneficiis et herbis cogi eamque nunc feminarum scientiam prævalere. *Ovid. Heroid.* 6. 150. *de Medea.* Quosque veneficiis abstulit illa suis. *Petron. Sat.* 128. Veneficio contactus sum. *sono ammaliato.* — Apud Romanos erat crimen publicum et capitale: deque eo primum quæstio est instituta, quum multarum matronarum fraude non pauci primores civitatis veneno sublati sunt, ut *Liv.* 8. 18. et *Val. Max.* 2. 5. *n.* 3. narrant. Adde *Martian. Dig.* 48. 8. 3. et *V.* orationem *Cic. pro Cluent.*, ubi hujus rei sæpe fit mentio. *Tac.* 12. *Ann.* 66. Locusta nuper veneficii damnata. *Plin.* 7. *Ep.* 6. *circa med.* Deferre aliquem falsi et veneficii reum. Adde *Quintil.* 5. 9. 11. *Inscr.* apud *Orelli n.* 560. Judex veneficiis.

VĔNĔFĪCUS, a, um, adject. (venenum *et* facio) ad veneficium pertinens, *malefico, venefico,* φαρμακώδης. *Ovid.* 14. *Met.* 365. Concipit illa preces et verba venefica dicit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 3. 6. (30). Hominum monstrificæ naturæ et venefici aspectus. *Id.* 30. *ibid.* 2. 6. (17). Veneficæ artes. *Solin.* 25. *a med.* Chamæleon vermis elephantis veneficus. *velenoso.* — Hinc absolute, substantivorum more

*Venefica, æ,* f. 1. quæ incantationibus aut malis medicamentis utitur, quæ venenat seu veneno inficit, *avvelenatrice, strega, maliarda,* φαρμακίς. *Ovid. Heroid.* 6. 19. Barbara narratur venisse venefica tecum. Adde *Horat. Epod.* 5. 71. — Usurpatur in maledictis. *Ter. Eun.* 5. 1. 9. Quid ais, venefica? *stregaccia.* Adde *Anton.* apud *Cic.* 13. *Phil.* 11. 25.

*Veneficus, i,* m. 2. idem ac venefica, de viro, *avvelenatore, stregone. Cic.* 2. *Cat.* 4. 7. Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius etc. Adde *eumd.* 2. *Invent.* 19. 58. et *Senec.* 1. *Ira* 16. et 5. *Benef.* 13. — *Curt.* 4. 11. 44. Percussor veneficus. *h. e.* percussor idemque veneficus. — In maledictis. *Plaut. Pers.* 2. 4. 7. Etiamne dicis, ubi siet, venefice? *stregone.*

VĔNĔFĪCUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

VĔNĔNĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VĔNĔNĀRĬUS, a, um, adject. (venenum) veneno infectus, *avvelenato. Tertull. Resurr. carn.* 16. Venenarius calix. — Hinc absolute, substantivorum more

*Venenaria, æ,* f. 1. quæ parat aut conficit venena. *Inscr.* apud *Smet. p.* 120. 4. et *Gruter.* 691. 8. (*Henz. n.* 6404.) ACTE LIBERTA VENENARIA ET PERFIDA DOLOSA DVRI PECTORIS.

*Venenarius, ii,* m. 2. qui parat vel conficit aut vendit venena, *venditore di veleni,* φαρμακοποιός. *Suelon. Ner.* 33. Quod acceptum a quadam Locusta venenariorum indice (*al.* inclita), quum opinione tardius cederet etc. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* et *Tertull. Pudic.* 5. *a med.*

VĔNĔNĀRĬUS, ii. *V.* voc. præc.

VĔNĔNĀTOR, oris, m. 3. (veneno) qui veneno inficit, *avvelenatore.* Translate. *Augustin. Serm.* 174. *de diabolo.* Universam massam generis humani in homine primo venenator ille percussit. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 6. *n.* 13. Saginabatur venenatorum sermonibus.

VĔNĔNĀTUM, i, n. 2. *et*

VĔNĔNĀTUS, a, um, particip. *V.* VENENO.

VĔNĔNĀTUS, us, m. 4. (veneno) actus venenandi. Usurpatur in maledictis a *Rufin.* seu *Auct. comm.* in *Os.* 1. ad *c.* 2. *v.* 5-7.

VĔNĔNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (venenum *et* fero) veneficus, venenosus, venenum afferens *velenoso,* φαρμακοφόρος. *Ovid.* 3. *Met.* 85. Jamque venenifero sanguis manare palato Cœperat. — Hinc

*Venenifer, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, est Scorpio, signum cæleste. *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 317. *Burmann.* caudaque Venenifer unca.

VĔNĔNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (venenum) Part. *Venenatus.* — Veneno est veneno inficio. ¶ 1. Sæpius in malam partem pro veneno corrumpere, φαρμακεύω (It. *avvelenare;* Fr. *empoisonner;* Hisp. *envenenar, atosigar;* Germ. *vergiften;* Angl. *to poison, venenate*). *Lucret.* 6. 820. *de Averno.* Ut spatium cæli quadam de parte venenet. *Cic. Quinct.* 2. 8. Venenatum telum. *Id.* 2. *Nat. D.* 50. 126. caro. *Horat.* 1. *Od.* 22. 3. Venenata sagitta. — *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 16. 100. Hos venenatos quidam putaverunt. *h. e.* veneno sublatos. — Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 37. Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat, non odio obscuro morsuque venenat. ¶ 2. Aliquando usurpatur in bonam partem pro colore tingere. *Cn. Mattius* apud *Gell.* 20. 9. Jam tonsiles tapetes ebrii fuco, Quos concha purpura imbuens venenavit. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

*Venenatus, a, um,* etiam adjectivorum more occurrit, unde Comp. *Venenatior* et Sup. *Venenatissimus* I. — Venenatus est venenosus, *velenoso,* h. e. venenum naturaliter habens.

I.) Proprie. *Cic. Harusp. resp.* 24. 50. Vipera venenata et pestifera. *Ovid. Heroid.* 12. 95. Arva venenatis pro semine dentibus imples. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 12. (25). Nihil est usquam venenatius, quam in mari pastinaca. *Tertull. Baptism.* 1. Vipera venenatissima.

II.) Translate. ¶ 1. Est mordax, maledicus. *Ovid.* 2. *Trist.* 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi: Nulla venenato littera mixta joco est. ¶ 2. Item magicus, veneficus, incantationibus idoneus. *Id.* 14. *Met.* 412. de *Circe.* illa paventum Ora venenata tetigit mirantia virga. — Hinc etiam

*Venenatum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, id quod tinctum, colore imbutum est, et dicitur de pallio flaminicæ, quod luteo colore tinctum erat. *Serv.* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 137. Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo: Veteri, inquit, cæremoniarum jure præceptum est ut flaminica venenato operta sit. Operta autem quum dicitur, pallium significatur. Venenatum autem, infectum, quod ipse ait in Bucolicis (2. *G.* 465.) nec Assyrio fucatur lana veneno. *et mox.* Flaminicam habere præcipitur arculum, ricam, venenatum, fibulam. *Id.* ad illud *ejusd.* 12. *Æn.* 602. Purpureos moritura manu discindit amictus: Rem, inquit, quæ flaminicæ competit, transtulit ad reginam. Flaminica enim venenato operiri debet. Nam quum amictam dicit, quæ res ad pallium refertur. Hæc *Servius,* cui adde *Massur. Sabin.* apud *Gell,* 10. 15., ubi *venenatum* eod. sensu adhibetur.

VĔNĔNŌSĒ, adverb. (venenosus) cum veneno, *velenosamente.* Translate apud *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 25. Ita venenose responderunt per Sophronium.

VĔNĔNŌSUS, a, um, adject. (venenum) Comp. *Venenosior.* — Venenosus est venenatus, ἰώδης (It. *velenoso;* Fr. *vénéneux;* Hisp. *venenoso;* Germ. *voll Gift, sehr giftig;* Angl. *full of poison, venomous*). *Varro* 1. *R. R.* 2. *a med.* Quædam pecudes culturæ sunt inimicæ ac venenosæ, ut istæ, quas dixisti, capræ. *Alii plerique leg.* ac veneno. *Augustin. de Gen. ad litt.* 8. 13. Venenosa herba. Adde *Theod. Priscian.* 2. 9. et *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. *ad fin.* — Hinc translate. *Pseud.-Cyprian. De sing. cler.* 10. Et quod est venenosius, psallere delectetur.

VĔNĔNUM, i, n. 2. *Venenus, i,* masc. gen. apud *Pseud.-Cypr. De aleat.* 5. — Ratione habita etymi, *Isid.* 20. *Orig.* 3. 2. putat esse originis ejusdem ac vinum; veteres enim, ut ipse ait, vinum *vinenum* vocabant: sed postquam inventum est virus letiferi suci, hoc *vinum* vocatum, illud *venenum.* — In sing. num. tantum adhibuisse *Varron.* et *Lucret.*, evincere conatur *Vakefield,* cui favet *Lachmann* ad *Lucr. p.* 52. — Venenum est sucus, liquor, pharmacum, φάρμακον, ἰός (It. *sugo, liquore;* Fr. *suc des plantes, potion, drogue;* Hisp. *suco de las plantas, pocion;* Germ. *Trank, Saft, Tränkchen;* Angl. *a sap, drug*). Vox est media et in utramque partem sumi potest, ut *valetudo, medicamentum, tempestas, facinus* et alia. *Cajus Dig.* 50. 16. 236. Qui venenum dicit, adjicere debet, malum, an bonum sit. nam et medicamenta venena sunt, quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum ejus naturam, cui adhibitum est, mutat: quum id, quod nos venenum appellamus, Græci φάρμακον dicant. (Adde *Martian. ibid.* 48. 8. 3.) Hinc *Horat. Epod.* 5. 87. Venena, magnum fas nefasque. *h. e.* quæ tam bonum, quam malum facinus significant. Adde *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 129. et *Sall. Cat.* 11. sub *B* II. 4. *adl.*

*A)* In bonam partem. ¶ 1. Generatim. *Vetus lex* apud *Cic. Cluent.* 54. 148. Qui venenum malum fecit, fecerit. *Prudent. Hamartig.* 231. Quid loquar herbarum fibras medicante veneno Tinctas letiferi fudisse pericula suci? *Val. Flacc.* 6. 275. vulnus referens, quod carmine nullo Sustineat nullisque levet Medea venenis. ¶ 2. Speciatim est medicamentum, quo color inducitur, præsertim purpuræ. *Virg.* 2. *G.* 465. Alba nec Assyrio fucatur lana veneno. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 207. Tarentinum venenum. *Ovid. Remed. am.* 351. quum positis sua collinet ora venenis. *belletti.* ¶ 3. Item quo arcetur putredo. *Lucan.* 8. 690. putrisque effluxit ab alto Humor et infuso facies solidata veneno est. *fu imbalsamata.* ¶ 4. Spuma et virus maris, quod sole incoctum densatur in salem, *venenum* dicitur a *Manil.* 5. 690. sive quia amarissimum est, sive quia corruptioni est contrarium.

*B)* In malam partem fere usurpatur, et quidem

I.) Proprie ponitur pro suco et medicamento noxio (It. *veleno, tossico;* Fr. *poison, venin;* Hisp. *veneno, tosigo;* Germ. *Gift;* Angl. *a poison, venom*). *Sall. fragm.* 5. 3. Prohibet nocere venenum. *Cic. Cœl.* 24. 33. Ipsius autem veneni quæ ratio fingitur? ubi quæsitum est? quomodo paratum? cui, quo loco traditum? Habuisse ajunt domi vimque ejus expertum in servo, cujus perceleri interitu etc. *Id. Cluent.* 61. 169. Oppianicum veneno necatum esse, quod ei datum sit in pane. *et ibid.* 60. 165. C. Vibium ab hoc veneno esse sublatum. Sic 3. *Nat. D.* 33. 81. Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat. *Id.* 1. *Tusc.* 40. *a med.* Venenum alicui præbere. *Id.* 11. *Phil.* 6. 13. alicui infundere. *Id. Cœl.* 21. 51. parare. *Id.* 2. *Cat.* 10. *a med.* Sicas vibrare et venena spargere. *Liv.* 8. 18. Venenum coquere. *Id.* 40. 24. dare. *Nepos Themist.* 10. sumere. *Dig.* 48. 8. 1. conficere. *Quintil.* 8. 6. 12. Armare veneno. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 123. *Apul.* 10. *Met.* Venenum momentarium. et peremptorium. et præsentarium.

II.) Translate. ¶ 1. Tropice aliquando est ipsum animal venenatum. *Manil.* 5. 394. Accipient - Osculaque horrendis jungent impune

venenis. ¶ 2. Ponitur et pro incantatione magica, veneficio, *incantesimo*. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 80. Ut Medea Peliam concoxit senem, quem medicamento et suis venenis dicitur fecisse rursus ex sene adulescentulum. *medicamento*. h. e. succis: *venenis*, h. e. verbis. *Horat. Epod.* 5. 87. Venena non valent convertere humanam vicem. *Cic. Orat.* 37. *a med.* Quum cœpisset Curio respondere, subito assedit, quum sibi venenis ereptam memoriam diceret. *Id.* 3. *Off.* 19. 76. Qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat. *Lucan.* 6. 501. Phœbe diris verborum obsessa venenis Palluit. ¶ 3. Hinc pro illecebris, quibus quis tenetur in amore. *Sil. It.* 7. 453. Si mea tela dedi blando medicata veneno. Adde *Propert.* 2. 9. 19. *Afran.* apud *Non. p.* 2. 6. *Merc.* Ætas et corpus tenerum et morigeratio, Hæc sunt venena formosarum mulierum. *h. e.* delinimenta, quibus viros capiunt et corrumpunt. *Martian. Dig.* 48. 8. 3. Id, quod amatorium appellatur, venenum est. ¶ 4. Commoda transfertur etiam ad ea, per quæ nocetur animo. *Sall. Cat.* 11. Avaritia pecuniæ studium habet. ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat. *Ovid.* 2. *Met.* 777. *de Invidia.* Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno. *et ibid.* 801. et medio spargit pulmone venenum. *Sil. It.* 11. 550. atra veneno Invidiæ nigroque undantia felle. *Id.* 3. 580. blandoque veneno Desidiæ virtus paullatim evicta senescit. *Id.* 11. 309. Mens una inviolata mero nullisque venenis Potando exarmata. *Id.* 7. 260. fraudisque veneno Aggreditur mentes. *Liv.* 2. 52. Tribuni plebem agitare suo veneno, agraria lege. *Id.* 3. 67. Discordia ordinum est venenum urbis hujus. ¶ 5. Lepide mala carmina *venena* vocat *Catull.* 14. 19., quia legentes quodammodo cruciant atque enecant. Sic 44. 11. Oratio plena veneni et pestilentiæ. *h. e.* insulsitatis et ineptiarum. *Id.* 77. 5. vitæ crudele venenum. *h. e.* quod vitam miseram reddit: quod vivendi jucunditatem corrumpit. ¶ 6. De maledictis et conviciis. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 1. Rupili pus atque venenum Ibrida quo pacto sit Persius ultus etc. *Stat.* 1. *Theb.* 171. Atque aliquis, cui mens humili læsisse veneno Summa etc. Sic *venenatos jocos* dixit *Ovid.* 2. *Trist.* 565. ¶ 7. Hinc etiam, apud Ecclesiasticos scriptores, *venenum* dicitur hæreticus sermo, falsa doctrina. *Cyprian. Ep.* 73. *n.* 4. Ceteræ hæreticorum pestes et gladii ac venena subvertendæ veritatis. *Cod. Theod.* 4. 6. 3. Quarum venenis inficiuntur animi perditorum.

Homonym. Discrimen aliquod statui potest inter *virus* et *venenum*, ut illud plus quam hoc in malam partem accipiendum sit. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum. Cf. *Cic. Amic.* 23. 87. Evomat virus acerbitatis suæ. V. *Döderlein* ad *h. v.*

VĒNĔNUS, i, m. 2. *V.* voc. præc. init.

VĒNĔO (væneo), vēnis, vēnīvi *aut* vēnĭi, vēnĭtum (vēnum), vēnire, anom. — *a*) Sunt qui scrib. *væneo* per diphth., ut sit discrimen a *venio*, v. gr. in infinito. Sed hæc levis est ratio. Diphthongum rejiciunt *Manut.*, *Dausqu.* et *Cellarius*, freti præcipue veterum lapidum auctoritate. *Inscr.* apud *Murat.* 1311. 2. HOC MONVMENTVM NEQVE VENIET NEQVE DONABITVR NEQVE etc. Ita eamdem legit *Appian.* 308., qui vidit: *Smetius* vero 172. 15., qui ex *Appiano* se proferre fatetur, et *Gruterus* 762. 5., qui ex *Smetio*, exhibent *væniet* pro *veniet*. At alia apud *eumd. Gruter.* 961. 4. HOC MONVMENTVM VENIRE NON LICEBIT. Ita etiam scribit *Lips.* 49., qui camdem se Romæ vidisse testatur. Ita *Forcellinus*. Cf. VENDO. — *b*) Forma *veniet* in futuro pro *venibit* in *Inscr.* apud *Murat.* supra *adl.* Adde *Auct. inc.* apud *Aquil. De fig.* 43. Cf. *Cic.* 1. *leg. Agr. v.* 2. *p.* 527. ed. *Orell.* De forma V. *Zumpt Gr. Lat.* 215. — *Venieit* pro *venit* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 200., et alibi. — *Veneire* pro *venire ibid.* 205. 2. et *alibi.* — Supinum, si ita dici potest, *venum* V. in VENUS, us. Etiam *venītum*, pænult. corr ptâ, ponitur a *Prisciano* 10. *p.* 907. *Putsch.* Jacu dum analogiam, quamvis ejus loco in usu sit *venum*. Ab eo particip. passiv. *venītus*, et quidem pænult. productâ, usurpavit *Sedul. Hymn.* 1. 21. Reppulit ille famem venitus crimine fratrum. — *Veneor, iris, iri*, forma passiva, aliquando usurpatum esse probant loca sub paragr. 2. adl. — *c*) Ad etymon quod attinet, vox composita est ex *venum* et *eo*, quasi *venum - eo*; hinc et *venundo* et *vendo*: porro *venum* vel *venus* est, ut videtur, a Skr. *vas* (*vasna*), pretium rei emptæ. Cf. ὠνή, emtio, et ὠνέομαι, emo, mercor, redimo. — Part. *Venitus* loc. *supra* adl.; *Veniturus* I. 1. *a*. — Veneo est vendor, πωλέομαι (It. *essere venduto*; Fr. *être vendu*; Hisp. *ser vendido*; Germ. *zu Verkauf ausstehen, verkauft werden*; Angl. *to be sold*).

I.) Proprie. ¶ 1. *Veneo*, positione activa. — *a*) Absolute. *Plaut. Men.* 5. 9. 95. Auctio fiet - Venibunt servi, supellex, fundi, ædes, omnia venibunt. Adde *Pers.* 3. 1. 8. *Cic.* 5. *Att.* 20. Mancipia venibant Saturnalibus tertiis. *Seneca Const. sap.* 1. *extr.* Cæca cupiditate corrupti non intelligebant, se, dum vendunt, venire. *Id. ibid.* 3. Quum sapientem negastis servum esse, iidem non itis infitias et veniturum et imperata facturum. — *b*) Cum addito Abl. ejus, qui vendit. *Quintil.* 12. 1. *ad fin.* Respondit, a cive se spoliari malle, quam ab hoste venire. — *c*) Vel cum Abl. pretii. *Plaut. Men.* 2. 2. 15. Quibus hic pretiis porci veneunt? *Cic.* 7. *Fam.* 2. Ei mandasti potissimum, cui expediret illud venire quam plurimo. *Nepos fragm.* apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 39. 63. (136). Purpuræ violaceæ libra denariis centum venibat. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 25. Corruptus vanis rerum, quia veneat auro Rara avis. — *d*) Vel cum Genet. *Cic.* 7. *Fam.* 2. Licitatorem potius apponam, quam illud minoris veneat. — *Id.* 5. *Verr.* 39. 89. Cogis eos plus lucri addere, quam quanti venierant, quum magno venissent. — *e*) Cum addito modo, quo quis venit. *Liv.* 38. 29. Venire sub corona. *V.* CORONA. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 210. Non pudet, heu Superi! populos venire sub hasta. *V.* HASTA. *Cajus Inst.* 4. 126. Venire in auctione. *V.* AUCTIO. ¶ 2. *Veneor*, positione passiva. *Plaut. fragm.* apud *Diomed.* 1. *p.* 365. *Putsch.* Egone illi venear? *Titianus De agricult. ibid.* Nam id melius emitur, quam veneatur. Adde *Caj. Inst.* 3. 146., *Rescr. Anton. Pii* apud *Ulp. Dig.* 1. 6. 2., *Inscr.* apud *Orelli n.* 4388. et 6302. et *Vulg. interpr. Ital. Matth.* 26. 9. et *Marc.* 14. 5. *Inscr.* apud *Henz. n.* 6302. PALATIO QVOD NEQVE DONARI NEQVE VENIRI PERMITTIMVS. Adde *Plaut. Pers. v.* 577.

II.) Translate est corrumpi pecunia vel pretio. *Fronto ad Am.* 1. 5. Venetus venalis est: scis hoc perpetuum Venetis fatum esse, numquam venierit et veneat semper. *Borghesi* in *Bullett. archeol. Nap. T.* 3. *p.* 79. hoc de populis Venetis; *Mai* vero de veneta factione dici putat.

VĔNĔRĀBĬLIS, e, adject. (veneror) Comp. *Venerabilior*. — Venerabilis usurpatur tum de personis tum de rebus. ¶ 1. Passive est cultu et veneratione dignus, *venerabile*, σεβάσμιος, σεμνός. *Liv.* 1. 7. *a med.* Venerabilis vir miraculo litterarum, rei novæ inter rudes artium homines; venerabilior divinitate credita Carmentæ matris. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 14. Ante larem gustet venerabilior lare dives. *Virg.* 6. *Æn.* 408. ille admirans venerabile donum Fatalis virgæ, longo post tempore visum. *Id.* 12. *ibid.* 767. nautis olim venerabile lignum (*oleaster*). *Apul. De deo Socr.* Venerabilis senecta. Sic *Vulg. interpr. Sap.* 4. 8. *Id. Num.* 29. 12. dies. *Inscr.* apud *Marini Fr. Arv. p.* 266. vultus. et *alia* in *Annali dell' Istit. arch. a.* 1836. *p.* 152. flos decusque. — Est etiam titulus honorarius. *Cod. Theod.* 16. 5. 54. et *alib.* ¶ 2. Active pro eo, qui alterum veneratur. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 15. Senatus nostræ civitatis venerabilior in Deum. et 2. 4. *n.* 4. Venerabilia erga deos verba.

VĔNĔRĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (venerabilis) proprietas ejus, qui venerabilis est, *venerabilità*: titulus honoris, quo quis compellatur. *Audax* apud *Augustin. Ep.* 260. Venerabilitatis tuæ scripta. Adde *Marcellin.* apud *eumd. Ep.* 136.

VĔNĔRĀBĬLĬTER, adverb. (venerabilis) cum veneratione, *venerabilmente*. *Macrob.* 7. *Saturn.* 11. *in fin.* Servius his dictis venerabiliter assensus, obticuit. *Val. Max.* 5. 1. *n.* 5. Victorem venerabiliter exceperunt. Adde *Auson. Parent. præf. p.* 61. *B.* et *Rufin. interpr. Euseb. Hist. eccl.* 3. 10.

VĔNĔRĀBUNDUS, a, um, adject. (veneror) cum veneratione aliquid faciens, σεβόμενος (It. *riverente, con riverenza*; Fr. *respectueux*; Hisp. *respetoso*; Germ. *verehrend, ehrfurchtsvoll*; Angl. *full of reverence or veneration*). *Liv.* 5. 41. Haud secus quam venerabundi, intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros. *et ibid.* 22. Venerabundi templum iniere. Adde *Sueton. Cal.* 5. *Curt.* 6. 6. 3. Jacere humi venerabundos.

VĔNĔRĀLĬA, ōrum *et* ium, n. plur. 2. et 3. (Venus) Ita vocatum est festum, quod per tres dies a Calendis Aprilibus in honorem Veneris fiebat. *Plutarch. De quæst. Rom.* τῶν Οὐενεραλίων ἑορτὴν appellat. *Vet. Kalend. Constantii* ab *Herwardto* et *Lambecio* editum apud *Græv. Thesaur. antiqu. Rom. T.* 8. *p.* 98. Kal. Apr. Veneralia. V. *Mommsen* ad *h. l.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 390.

VĔNĔRANDUS, a, um, adject. ex partic. (veneror) Sup. *Venerandissimus*. — Venerandus est veneratione dignus, venerabilis, σεμνός (It. *venerando, venerabile, reverendo*; Fr. *vénérable, révérend*; Hisp. *venerable, reverendo*; Germ. *verehrt, verehrungswürdig*; Angl. *reverenced, venerable*). *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 95. Non eos in deorum immortalium numero venerandos a nobis et colendos putatis? *Virg.* 9. *Æn.* 275. Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas Insequitur, venerande puer, jam pectore toto Accipio. *Ovid.* 5. *Fast.* 447. Plejade nate, mone, virga venerande potenti. *Seneca Herc. Fur.* 1249. perque venerandos piis Canos. *Tab. vet. marmor.* apud *Gruter.* 209. 2. DD. NN. CONSTANTINI MAXIMI VENERANDISSIMORVMQVE CAESARVM. Adde *Paulin. Nolan. ep.* 38. (*al.* 29.) *n.* 3. — Cum genet. *Sil. It.* 16. 249. O sceptri venerande Syphax. Adde 6. 574.

VĔNĔRANS, antis, particip. *V.* VENEROR.

VĔNĔRANTER, adverb. (venerans) cum veneratione, *riverentemente, venerabilmente*, σὺν αἰδοῖ. *Tertull. carm. de Judic. Dom.* 184. Submissique omnes genibus veneranter adorant. Adde *Sedul.* 5. 432., ubi pro *veneranter adorant* alii leg. *venerantur, adorant*. *Dracont.* 3. *Hexaem.* 672. Et lacrimis precibusque piis (*Deum*) veneranter adire. Adde *Venant.* 5. *carm.* 12. et *alibi.*

VĔNĔRĀRĬUS, a, um, adject. (Venus) idem ac Venereus. *Petron. fragm. Tragur.* 61. *Burmann.* Venerariæ res. *Schol. Bern.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 26. voluptas. - Hinc *Rufin.* 2. *Invectiv. in Hieronym. n.* 36. Sive eos tu apostolos, sive eos venerarios scribas, sive prophetas eos tu, sive perversos doctores voces.

VĔNĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (veneror) actus venerandi, cultus, honor, σέβασμα, αἰδεσις (It. *venerazione, riverenza*; Fr. *vénération*; Hisp. *veneracion*; Germ. *die Verehrung, Hochachtung*; Angl. *veneration, reverence*). ¶ 1. Universim. — *a*) Active, qua honor præbetur, *venerazione*. *Cic.* 1. *Nat. D.* 17. 45. Habet enim venerationem justam, quicquid excellit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Solis ac lunæ veneratio. *Tac.* 4. *Hist.* 65. *in fin.* Arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. *Plin. Paneg.* 54. In venerationem tui theatra consurgent. Adde *Curt.* 6. 5. 29. — *b*) Passive, qua honor accipitur, *venerabilità*. Cf. *Gronov.* et *Walther* ad *Tac.* 1. *Ann.* 34. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Annum tertium et octogesimum excessit in altissima tranquillitate, pari veneratione. *stima e rispetto*. Sic 1. *Ep.* 10. Quæ licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. *Justin.* 13. 1. *a med.* Amici Alexandri ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares. *Cod. Theod.* 15. 3. 6. Nullius dignitatis ac venerationis meritis cessare. *h. e.* rei venerandæ. Adde 16. 8. 19. ¶ 2. *Veneratio* videtur tamquam

dea, Plutonis filia, accepisse *Serv.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 327. Venerationis est ipse pater. Nam Furiæ Acherontis et Noctis sunt filiæ.

VĔNĔRĀTĪVUS, a, um, adject. (veneror) qui veneratur, *rispettoso:* cui *vituperativus* opponitur. *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 557.

VĔNĔRĀTOR, ōris, m. 3. (veneror) qui veneratur, cultor. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 1. Ille domus vestræ primis venerator ab annis. *Arnob.* 7. *p.* 237. O deorum sublimitas præpotens, cui legem venerator imponit! *Augustin.* 18. *Civ. D.* 45. *ad fin.* Ad Sancta Sanctorum non ut venerator, sed ut profanator, accedit. *Id.* in *Ps.* 68. *serm.* 1. *n.* 12. Venerator occisi (*Christi*). *et* 8. *Confess.* 2. idolorum. *Sidon.* 7. *Ep.* 10. sollicitus. *Venant. Misc.* 10. 3. noster. Adde *Ennod.* 2. *Ep.* 23.

VĔNĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* VENEROR.

VĔNĔRĔUS et Venerius, a, um, adject. (Venus) Sunt qui *Venerius* pro *Venereus* scribendum docent. *V. Baiter not. crit.* ad *Cic. Tusc.* 4. 68. *ed. Orell.* 2. — Venereus est ad Venerem pertinens (de qua *V.* ONOM.), *di Venere, venereo.* ¶ 1. Generatim. *Plaut. Rud.* 2. 2. 23. Eadem sacerdos Veneria si quid amplius scit. *et* 3. 2. 10. qui Veneri Veneriæque antistitæ Suum commiserunt caput. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 54. O lepidum senicem, plane eductum in nutricatu Venerio. *h. e.* in deliciis, elegantia et amoribus. — Ab *eod. a.* 5. *v.* 20. *et* 28. Venerius nepotulus per contemptum dicitur Pyrgopolynices, quia ipse se *ibid.* 4. 6. 50. Veneris nepotem esse jactaverat. *bel nipotino di Venere, cicisbeo, bell' imbusto. Vitruv.* 2. 8. Venerea libido. *et ibid.* 8. morbus. *Auct. Itin. Alex. M.* 101. pulcritudo. ¶ 2. Speciatim *Venereus* dicitur, qui amoribus et rebus Venereis deditus est. *Gell.* 7. 8. Delfinos Venerios esse et amasios, historiæ declarant. — Hinc *Venereæ res, voluptates* etc. amatoriæ, obscenæ, turpes, τὰ ἀφροδίσια, κύπρις, τὰ ἀνέητα. *Cic. Senect.* 14. 47., 4. *Tusc.* 32. 68. et 2. *Divinat.* 69. 143. Sic *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 50. (166). Venerea vis in quiete, sponte naturæ erumpentis cohibere. *Sillig.* Veneris. — Et *Venereum balneum*, est quod non valetudinis tantum, sed præcipue voluptatis causa frequentatur. *Inscr.* Pompejis reperta apud *Rosin. Diss. isag. p.* 63. et *tab.* 4. IN PRAEDIS IVLIAE SP. F. FELICIS LOCANTVR BALNEVM VENERIVM ET NONGENTVM TABERNAE PERGVLAE CENACVLA etc. *Rosinus* scribendum putat *balneum, Venerium* etc., ita ut *Venerium* non balnei epitheton sit, sed locum significet balneo adjunctum et Venereis voluptatibus apprime destinatum. Hinc in aliis duabus *Inscr. ibid. tab.* 10. *n.* 1. et 2., in quibus *Venerii* nominantur, eos putat servos, qui Venerium illud cubiculum adsuntibus inservirent. ¶ 3. *Venereum speculum* videtur esse pulcrum et Venere dignum. *Inscr.* apud *Gruter.* 5. 6. (et *Orell. n.* 1279.) IOVI IVNONI MINERVAE ANTONIAM. LIB. APHRODISIA SCYPHOS II. VENEREVM SPECVLVM DONVM DEDIT. ¶ 4. *Venereus jactus* in talorum ludo erat felicissimus, quum omnes tali dissimilem figuram exhibebant. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 23. et 2. *ibid.* 21. 48. et 59. 121. ¶ 5. *Venerea pira* fortasse ita sunt a specie, quia colorata sunt. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56)., *Colum.* 5. *R. R.* 10. *a med.* et 12. *ibid.* 10. ¶ 6. *Venerea mentha*, herba, alio nomine sisymbrium, apud *Apul. Herb.* 105. — Hinc absolute, substantivorum more

*Veneria, æ*, f. 1. ¶ 1. Serva ad res venerias, ut videtur. *Inscr. Pompej.* TYCHE IVLIAE AVGVSTAE VENERIA. Cf. *aliam* apud *Bianchini Colomb.* 44. AMIANTHVS LIVIAE AD VENEREM. ¶ 2. Dicta est etiam herba eadem quæ amarantus. *Gloss. Lat. Gr.* Veneria, ἀμάραντος. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

*Veneriæ, arum*, f. plur. 1. concharum genus, de quibus *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). Navigant Veneriæ præbentesque concavam sui partem et auræ opponentes per summa æquorum velificant. Meminit et 32. *ibid.* 11. 53. (151). V. *Harduin.* eam lectionem accurate asserentem. — In fabulis est, Venerem mari ortam in Cyprum concha delatam fuisse. *V.* NERITA.

*Venerei* et *Venerii, orum*, m. pl. 2. servi erant ministri Veneris Erycinæ in Sicilia, quorum opera pro apparitoribus prætores utebantur. *Cic.* 4. *Verr.* 38. 92., 5. *ibid.* 20. 50. *et* 25. 61. et *Cluent.* 15. 43. — *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1146. PAQVIVM D. I. D. (*h. e.* Duumvirum juri dicundo) VENERII ROGANT. *h. e.* servi Veneris Pompejanæ.

VĔNĔRĬPĔTA, æ, m. 1. (Venus *et* peto) Veneri addictus. *Gloss. Isid.* Veneripeta, luxuriosus.

VĔNĔRĬUS. *V.* VENEREUS, a, um.

VĔNĔRĬVĂGUS, a, um, adject. (Venus *et* vagus) qui modo cum hoc, modo cum illo scorto Venerem exercet. *Varro* apud *Non. p.* 46. 13. *Merc.* Spatale eviravit omnes Venerivaga pueros. *Bücheler* Veneri vaga.

VĔNĔRO, as, are. *V.* voc. seq.

VĔNĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Forma activa *venero* aliquando usurpata est. *V.* infra. — Ratione habita etymi, *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 374. 13. *Müll.* minus apte ducit a *venia* et *orando;* alii vero a *Venus, eris*, ita ut sit proprie Venerem adorare seu colere, deinde ad alia transferatur. Cf. *venia*, gratia, favor: et Skr. *van*, amare et etiam honorare. — Part. *Venerans* I. 1. et 2.; *Veneratus* in omn. paragr.; *Venerandus* in fin. — Veneror est colo, cultu et observantia prosequor, σέβομαι, αἰσχύνομαι (It. *adorare, riverire, onorare, venerare;* Fr. *révérer, vénérer;* Hisp. *reverenciar, venerar;* Germ. *verehren, religiöser Scheu verehren, anbeten;* Angl. *to revere, adore, venerate*).

I.) *Veneror*, deponentis forma. ¶ 1. Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 21. 53. deos auguste omnes sancteque veneramur. *et* 1. *ibid.* 42. 119. Dii, quos nos colere, precari venerarique solemus. *et* 2. *ibid.* 28. 71. Hos deos et venerari et colere debemus. *Id.* 6. *Verr.* 43. 94. Simulacrum in precibus et gratulationibus non solum venerari, verum etiam osculari solent. *Id.* 1. *Tusc.* 21. 48. Eum venerantur ut deum. *Id. Planc.* 40. 95. Lapidem venerari, venerari pro deo. *Virg.* 5. *Æn.* 744. Larem et canæ penetralia Vestæ Farre pio et plena supplex veneratur acerra. *Id.* 3. *Æn.* 84. Templa dei saxo venerabar structa vetusto. *Horat.* 4. *Od.* 14. 51. Te (*Auguste*) cæde gaudentes Sicambri Compositis venerantur armis. *Ovid.* 2. *Trist.* 79. carmina te venerantia. *Id.* 1. *Pont.* 2. 51. Venerari amicos. *Id.* 5. *Trist.* 2. 55. veterum virorum scripta. *Tac. Agric. sub fin.* memoriam alicujus. *Sueton. Claud.* 12. Voce manuque venerari. *voce*, verbis venerationem testantibus; *manu*, h. e. ori admota dextera, deinde demissa honoris causa. Sic *Tac.* 16. *Ann.* 4. Flexus genu cœtum illum manu veneratus. *Propert.* 2. 16. 33. Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis. *Tibull.* 2. 4. 47. veteres veneratus amores. ¶ 2. Metonymice interdum est precari, rogare, orare, petere: quia precandi causa venerari solemus, *pregare, chiedere umilmente. Plaut. Aulul. prol.* 8. Venerans me, ut id servarem sibi. *Cæcin.* ad *Cic.* 6. *Fam.* 7. Qui multa deos venerati sunt contra ejus salutem. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 8. Si veneror stultus nihil horum. *Propert.* 2. 16. 33. Nec tu supplicibus me sis venerata libellis.

II.) *Venero*, activa positione. *Plaut. Bacch.* 2. 1. 4. Saluto te, Apollo, veneroque te, ne etc. *Alii leg.* veneror. *Id. Truc.* 2. 5. 23. Date mihi ignem in aram, ut venerem Lucinam meam. *Alii leg.* venerer. *Inscr.* apud *Labus. Mus. Mant. T.* 2. *p.* 65. *tab.* 9. CN. COPONIVS FELICIO EREPTVS FATO EST AQVILEIAE TIBVRE NATVS FRATER DEFVNCTVM VOLVIT VENERARE SEPVLCHRO. — Hinc passive. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 124. venerata Ceres. *Virg.* 3. *Æn.* 460. cursusque dabit venerata secundos. Ita *Priscian.* 8. *p.* 794. *Putsch.* At *Servius* etiam active accipi posse putat *venerata deos. Nonius p.* 188. 13. *Merc.* exponit, veneranda. *Apul.* 11. *Met.* Venus, quæ præclaris nunc veneraris delubris Ephesi. Adde *Trism.* 25. — Hinc Part. fut. pass.

*Venerandus, a, um*, adjectivorum more, pro venerabilis, *V.* suo loco.

Homonym. Quomodo *veneror* et *colo* inter se differant, *V.* sub COLO. — Alia discrimina apud *Döderlein. Lat. Syn. v.* 2. *p.* 184. et *seq.*

VĔNĔRŌSUS, a, um, adject. (Venus) rebus Veneriis deditus. *Gloss. Gr. Lat.* Ἀφροδισιαστής, venerosus.

VĔNĔTĬĀNUS, a, um, adject. (Venetus) ad Venetam factionem pertinens, a colore Veneto dictam; qui colore est Veneto. *Gloss. Gr. Lat.* Καλλάϊνος, venetianus. — Hinc

*Venetiani, orum*, m. plur. 2. absolute, vocati sunt aurigatores factionis Venetæ, ut prasiniani prasinæ. *V.* FACTIO. *Inscr.* mutila apud *Reines. cl.* 5. *n.* 32., integra apud *Gruter.* 1075. 9. VICTORIA VENETIANORVM SEMPER CONSTET FELICITER. (*V. Marin. Frat. Arv. p.* 582.) *Capitolin. Ver.* 6. Multas a Venetianis est passus injurias, quod turpissime contra eos faveret. *V.* PRASINIANUS.

VĔNĔTUS, a, um, adject. ad Venetos pertinens, quod proprium populi nomen est, de quo *V.* ONOM. — Hinc *Venetus color* est similis maris placidi circa litus, h. e. subviridis, *verde marino, verdiccio.* Fortasse idem nomen habet, quod eo præcipue Veneti maritima incolentes uterentur. — *a*) Universim. *Veget.* 4. *Milit.* 37. Ne exploratoriæ naves candore prodantur, colore Veneto, qui est marinis fluctibus similis, vela tinguntur et funes. *Martial.* 3. 74. Venetum lutum. *h. e.* genus pigmenti coloris Veneti. *Lamprid. Elagab.* 24. Pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura Veneta comedit. — *b*) De veste. *Veget. loc. cit.* Nautæ quoque Venetam vestem induunt. *Juvenal.* 3. 170. Contentusque illic Veneto duroque cucullo. *imbaccucato in ruvido verdastro saltambarco.* et *Isid.* 18. *Orig.* 33. 2. Aurigæ duobus coloribus sunt, quibus speciem idololatriæ vestiunt; nam prasinus Terræ, Venetus Cælo et Mari a paganis dicatus est. — *c*) Hinc etiam *Veneta factio* una ex quattuor aurigantium factionibus in Circo: ita dicta a colore Veneto, quo utebatur. *Sueton. Vitell.* 14. Quosdam de plebe, quod Venetæ factioni maledixerant, interemit. *V.* FACTIO. — *d*) De sole, qui languide splendet, non aureo, sed Veneto colore suffusus, usurpavit *Cassiod.* 12. *Variar.* 25. Cernimus adhuc cuncti quasi Venetum solem, miramur media die umbras corpora non habere; et vigorem illum fortissimi caloris usque ad extremam temporis inertiam pervenisse: quod non eclipsis momentaneo defectu, sed totius pæne anni agi nihilominus constat excursu. — Hinc

*Venetus, i*, m. 2. absolute, substantivorum more, auriga factionis Venetæ. *Martial.* 6. 46. Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello, Nec currit. Adde 10. 48. et 14. 131.

VĔNĬA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, cl. *Furlanetto* in *App.* putat esse a *venio* factum, quasi actio sit veniendi in sententiam alicujus; nam qui permittit, in alius sententiam venit: hinc et Græce συγγνώμη est consensus, venia. Alii vero rectius vocem derivant a rad. Skr. *van*, amare; unde et *Venus*. Cf. VENEROR init. — Venia itaque est gratia, beneficium (It. *favore, grazia, piacere;* Fr. *grâce, faveur, bienveillance;* Hisp. *gracia, favor, benevolencia;* Germ. *Gnade, Gefallen, Gefälligkeit;* Angl. *benevolence, favour*). ¶ 1. Generatim. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 29. Mi gnate, da veniam hanc mihi: reduc illam. Adde *Adelph.* 5. 8. 14. *Virg.* 4. *Æn.* 435. Extremam hanc oro veniam: miserere sororis. *Ovid.* 11. *Met.* 400. Thetis hanc pro conjuge supplex Accepit veniam. *Liv.* 7. 12. Petiit, ut finem belli facerent darentque eam Epirotis veniam. *Id.* 26. 17. *ad fin.* Quum data esset venia ejus diei, extemplo Hasdrubal sine ullo tumultu in tutum evasit. *Id.* 12. 30. *a med.* Precor hanc veniam mihi dea, ut ipse de captiva statuas, neque me in cujusquam Romani arbitrium venire sinas. ¶ 2. Speciatim facultas, licentia, impunitas, *licenza, permissione, facoltà,* ἐξουσία. Hinc locutiones — *a*) *Veniam dare* est permittere, concedere, ut fiat aliquid, quod alioquin offensionem haberet. *Cic. Arch.* 2. 3. Quæso a vobis, ut in

hac causa mihi detis hanc veniam, ut me patiamini de studiis humanitatis loqui liberius. *Id.* 1. *Orat.* 6. *in fin.* Dabis hanc veniam, mi frater, ut eorum auctoritatem Græcis anteponam. *Liv. præf.* Datur hæc venia antiquitati, ut, miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. *Plin.* 5. *Ep.* 8. *a med.* Non adducor, ut duo dissimilia confundam misceamque: ideoque interim veniam advocandi peto. *h. e.* licentiam vocandi in consilium amicos et cum iis deliberandi. *Stat.* 1. *Theb.* 203. nec protinus adsi Cælicolæ, veniam donec pater ipse sedendi Tranquilla jubet esse manu. *Capitolin.* in *Pertin.* 3. Veniam legationis petiit dicens, sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones. *la dispensa di esser legato.* — *Veniam dare* est etiam simpliciter concedere, annuere: cui *petere* vel *impetrare* præcedit. *Cæs.* 7. *B. G.* 15. Procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam urbem suis manibus succendere cogerentur. Datur petentibus venia. *Horat. Art. P.* 11. hanc veniam petimusque damusque vicissim. *Cic.* 6. *Att.* 2. *ante med.* Impetravi a Salaminiis, ut silerent: veniam illi quidem mihi dederunt. *Nepos Eumen.* 6. Petivit ab Eumene, ut ferret opem liberis Alexandri. quam veniam si daret, quamprimum exercitus pararet. Adde *Cic.* 5. *Att.* 21. *a med., Ter. Adelph.* 5. 8. 19., *Plaut. Bacch.* 3. 6. 3. et *Sueton. Tib.* 10. *ad fin.* — *b*) *Veniam præfari.* V. PRÆFOR. — *c*) *Veniâ, bonâ veniâ* vel *cum bona venia,* formula qua utimur, quum quippiam, quod displicere possit, dicturi sumus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 21. *sub fin.* Ut moleste ferrem, tantum ingenium (bona venia me audies) in tam leves, ne dicam in tam ineptas, sententias incidisse. *Liv.* 29. 1. Exprometent quid sentirent: cum bona venia se auditurum. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 242. Nisi vero (bona venia hujus optimi viri dixerim) tu libellis aut præceptis soceri tui causam M.' Curii defendisti. *con buona grazia.* Adde *Rosc. Am.* 4. 9. — Simile est illud *Plin.* 5. *Ep.* 6. *in fin.* Neminem ex his, quos eduxeram mecum, (venia sit dicto) ibi amisi. (*Præfiscini* dicebant eodem sensu, scilicet ad deprecandum fascinum et invidiam et Nemesim placandam, ne irasceretur glorianti.) *et Plin. alter* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). Veniam quoque a deis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo. *Propert.* 2. 19. 30. Ista meis fiet notissima forma libellis: Calve, tua venia, pace, Catulle, tua. — *d*) Hinc *bona venia petere aliquid,* vel absolute *venia,* ut non offendatur is, a quo petimus. *Ter. Phorm.* 2. 3. 31. Sic *Liv.* 7. 41. Oravit etiam bonâ veniâ Quirites, ne quis eam rem joco seriove cuiquam exprobraret. *Censorin. De die natal.* 14. Denique Plato ille, venia ceterorum, philosophus sanctissimus. ¶ 2. *Venia* est sæpe remissio, condonatio, *perdono. Seneca* 2. *Clem.* 7. Venia est pœnæ meritæ remissio. *Cato* apud *Gell.* 11. 8. et *Macrob. præf. Saturn.* Petere veniam solemus aut quum imprudentes erravimus, aut quum compulsi peccavimus. Te, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur? *Cic. Ligar.* 1. 1. Quum a te non liberationem culpæ, sed errati veniam impetravissent. *Id.* 8. *Phil.* 11. 32. Si errorem suum deposuerint, veniam et impunitatem dandam puto. *Liv.* 37. 45. Pacem veniamque impetrare a victoribus. *Id.* 3. 7. *extr.* Matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cælestium exposcunt. *Cic. Pis. sub fin.* Cui non apud senatum, non apud ullum ordinem maximorum scelerum venia ulla ad ignoscendum dari possit. *Id. Partit.* 37. *sub fin.* Ad ejus deprecationem ignoscendi petenda venia est. *Id.* 2. *leg. Agr.* 2. *in fin.* Cui, errato nulla venia, recte facto exigua laus proponitur. *Liv.* 38. 49. Pro eo quod pluribus verbis vos, quam volui, fatigavi, veniam a vobis petitam impetratamque velim. *Cic. Rabir. perduell.* 2. 5. Ab Jove opt. max. ceterisque diis pacem ac veniam peto precorque ab iis, ut etc. *Sueton. Domit.* 9. *ad fin.* Aliquem veniâ donare in præteritum. — *Cum venia legere,* non severe et rigide sed connivendo et aliquid excusando. *Quintil.* 10. 1. *circa med.* Habent alii quoque comici, si cum venia legantur, quædam, quæ possis decerpere. ¶ 3. Hinc actus ille religiosus, quo quis, templum aliquod præteriens, ejus numini se commendare solebat, quod nunc nostrates Christiani, *prender la perdonanza* aut *fare una stazione* dicunt. *V.* STATIO. *Apul. Florid. init.* Ut ferme religiosis viantium moris est, quum aliqui lucus aut aliqui locus sanctus in via oblatus est, veniam postulare, votum apponere, paullisper assidere: ita mihi ingresso sanctissimam istam civitatem, quamquam oppido festinem, præfanda venia et habenda oratio et inhibenda properatio est. ¶ 4. In illo *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 5. (12). Nobile illud nepenthes, oblivionem tristitiæ veniamque afferens. *venia* est bilis atque iræ vacuitas, ex qua sequitur facilitas ignoscendi. Respexit *Plin.* ad illud *Homeri Odyss. l.* 4. *v.* 221. φάρμακον Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. ¶ 5. *Venia* apud Rhetores status dicitur purgativus vel deprecativus. *Victorin.* in *Rhet. Cic.* 1. 26. 27. *p.* 225. *Halm.* et *Fortunatian. Rhet.* 1. 15. et 16.

VĔNĬĀBĬLIS, e, adject. (venia) Comp. *Veniabilior.* — Veniabilis ¶ 1. Passive est idem ac venialis. *Sidon.* 9. *Ep.* 1. Nescio, qualiter fieri veniabile queat. *Prudent. Hamartig.* 943. Spem capio, fore quidquid ago, veniabile apud te. *Salvian.* 4. *advers. avar.* 8. Scio quidem, quod omnes rei veniabiles putat semper reatus suos. Adde *Ambros.* in *Luc.* 7. *n.* 121. et *Claud. Mamertin.* 2. *Stat. anim.* 12. ¶ 2. Active est qui veniam dat, qui condonat. *Venant.* 2. *carm.* 5. 1. *de cruce.* Extorquet hoc sorte Dei veniabile signum. *h. e.* per quod veniam meremur vel venia datur. Adde 11. *ibid.* 11. 8.

VĔNĬĀBĬLĬTER, adverb. ab adject. *veniabilis,* unde Comp. *Veniabilius.* — Veniabiliter est cum venia. *Alcim. Ep.* 4. *ante med.* Qui veniabilius onerabatur fragilitate peccati, plectibilius opprimetur abusione remedii. Alii leg. *venialibus,* quod non respondet τῷ *plectibilius.* V. PLECTIBILITER. — Positiv. *veniabiliter* legitur tantum, quod sciam, apud *Cassian.* 17. *Collat.* 17.

VĔNĬĀLIS, e, adject. (venia) ad veniam pertinens, venia dignus.

I.) Proprie. *Ammian.* 28. 5. 3. Venialem pacem poscere. *h. e.* veniam et pacem. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *post carmen.* Licet quibusdam venialibus erratis implicaretur. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 10. 100.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Macrob.* 7. *Saturn.* 16. Si venialis erit ista translatio. *h. e.* si ferri potest hæc metaphora. Adde *Dracont. carm. min.* 5. 227. ¶ 2. *Venialis status,* apud Rhetores, modus seu qualitas ab adjunctis rerum assumpta. *Fortunatian. Rhet.* 2. 6. et *Lactant.* ad *Stat.* 3. *Theb.* 304. — Item *venialis species,* concessio. *Capell.* 5. *p.* 147. Cf. *Cic.* 2. *Invent.* 31. 94. — Hinc

*Veniale, is,* n. 3. absolute, substantivorum more, idem ac venia. *Jul. Vict. Satisf.* 121. Namque inimicorum culpis veniale minaris.

VĔNĬĀLĬTER, adverb. (venialis) cum venia, cui *damnabiliter* opponitur. Habent *Cassian.* 5. *Instit.* 30. aliique Ecclesiastici scriptores.

VĔNĬCŬLUS. *V.* VENUCULUS.

VĔNĬENS, entis, particip. *V.* VENIO.

VĔNĪLĬA, æ, f. 1. (venio) quæ venit: maris accessus et incrementum. *Varro* apud *Augustin.* 7. *Civ. D.* 22. Venilia unda est, quæ ad littus venit etc. De hac *ibid.* contra *Varron.* disputat *Augustin.* V. etiam SALACIA.

VĔNĬO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnire, n. 4. — *a*) *Veneire* olim pro *venire* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 203.; et *benio* pro *venio* apud *Murat.* 1922. 5. — *b*) Forma fut. *venibo* pro *veniam* habet *Pompon.* apud *Non. p.* 508. 23. *Merc.* — *Venibat* imperf. sync. pro *veniebat* est *Ter. Phorm. v.* 652. — *Veniundum,* ἀρχαϊκῶς pro *veniendum,* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* infra *adl.* — *Ventus* particip. in libello *De mort. Pil.* Cf. *Plaut.* sub *B.* — *c*) Ratione habita etymi, conferendum est cum Gr. βάω et βαίνω. *V.* etiam VADO. — Part. *Veniens* sub *A* I. 1. *a, c* et II. 2. et 9; *Venturus* sub *A* I. 2. *b* et 3. et II. 5. et 9. et in fin. — Venio est eo, εἶμι, βαίνω (It. *andare;* Fr. *aller;* Hisp. *ir, andar;* Germ. *gehen;* Angl. *to go, walk*).

*A*) Forma activa.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et quidem cum Acc. et præp. *ad, in,* vel adverb. motus ad vel in locum. *Ter. Adelph.* 2. 2. 23. Nisi eo ad mercatum venio, damnum maximum est. *Cic.* 1. *Fam.* 10. Nam illo si veneris, tamquam Ulysses, cognosces tuorum neminem. Adde *Mil.* 10. 28. et *Virg.* 1. *Ecl.* 66. — *Venire in medios* (subaud. *viros*), in turbam congregatam. *Virg.* 11. *Æn.* 149. At non Evandrum potis est vis ulla tenere, Sed venit in medios. ¶ 2. Speciatim et sæpius est advenio, pervenio, accedo, ἔρχομαι, ἥκω (It. *venire, arrivare;* Fr. *venir, arriver;* Hisp. *venir, arribar;* Germ. *kommen, ankommen;* Angl. *come, arrive*). — *a*) Absolute. *Ter. Phorm.* 1. 2. 51. Ibi continuo Antipho: vultisne eamus visere? alius; censeo: eamus. Imus, venimus, videmus. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 21. *Phædr.* 5. 1. Veniebat gressu delicato et languido. *Trebell. Poll. trig. tyrann.* 8. Venientia carra. — *b*) Addito Dat. vel sæpius Acc. termini motus et præp. *ad, in, contra* etc.; vel adverbio loci. *Virg.* 3. *Æn.* 138. tabida membris venit lues. *Liv.* 9. 43. Maturavit collegæ venire auxilio. *et Nepos Thrasyb.* 3. Pausanias venit Atticis auxilio. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 36. et *Virg.* 3. *Æn.* 138. *et* 6. *ibid.* 291. — *Cic.* 16. *Fam.* 12. Ut veni ad urbem, non destiti omnia facere, quæ etc. *Id. ibid.* 10. Cupio te ad me venire. *Virg.* 6. *Æn.* 201. Venire ad fauces Averni. *Liv.* 3. 22. ad pabulandum. *Cic.* 9. *Fam.* 5. *in fin.* Mihi si spatium fuerit in Tusculanum veniendi. *Cæs.* 5. *B. G.* 3. Sese in castra ad eum venturum. *Cic.* 1. *Legg.* 22. *in fin.* Venire in vitam. *h. e.* nasci. *Nepos Datam.* 10. *a med.* (et *Cæs.* 2. *B. C.* 37.) Neque in conspectum venire studuit. *Seneca Herc. Fur.* 66. Nec in astra veniet lente, ut Bacchus, via. *Liv.* 21. 39. Quum Pisas navibus venisset. *Cic. Mur.* 4. 9. Venire contra aliquem. *Id.* 6. *Verr.* 14. 32. Eo quum venio etc. *Id. Mur.* 33. 69. Venire obviam. — Subauditur aliquando præp. *ad* vel *in* apud Poetas. *Virg.* 2. *Æn.* 742. tumulum antiquæ Cereris sedemque sacratam Venimus. pro ad tumulum. Sic 1. *Æn.* 2. Italiam fato profugus Lavinaque venit littora. Cf. *Plaut. Stich.* 3. 2. 30. — *Venire viam,* sc. per viam, iter facere, apud *Cic.* 2. *Phil.* 25. 61. Venisse eam tibi tot dierum viam. — *c*) Addito termino motus a quo per Abl. et præp. *ab, ex,* vel per adverb. *Plaut. Curc.* 3. 68. Venimus in Cariam ex India. *Cæs.* 3. *B. C.* 23. Ab Orico Brundusium venit. *Cic.* 5. *Att.* 12. Sexto die Delum Athenis venimus. *Capell.* 7. *p.* 204. Rhodanus ex Alpibus veniens. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. Omnes qui istinc veniunt, ita commemorant etc. *Donat.* in *Ter. Andr.* 1. 3. 3. Eminus veniens telum. — *d*) Addito Abl. et præp. *in. Phædr.* 5. 1. Quinam in conspectu meo audet venire? *fortasse* me præsente venire. — *e*) Cum Supinis. *Cæs.* 7. *B. G.* 12. Quum legati ad eum venissent oratum, ut etc. *Ter. Eun.* 4. 6. 14. Ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 46. Neque te derisum venio. *Cic.* 4. *Verr.* 50. 124. Ad istum venerunt emptum locum senatorium. — *f*) Cum Infinito. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 18. Parasitus modo venerat aurum petere. *Virg.* 1. *Æn.* 531. non nos Libycos populare penates Venimus. Adde *Liv.* 42. 25., *Val. Flacc.* 6. 647. et *Stat.* 5. *Theb.* 21. ¶ 3. Item est redire, *ritornare. Ovid. Heroid.* 13. 101. Quum venies remoque move veloque carinam. *Propert.* 2. 18. 76. Infelix! hodie vir mihi rure venit. *Phædr.* 4. 21. Venire in patriam voluit cursu pelagio. *Liv.* 38. 42. Consul ad magistratus subrogandos Romam venit, nulla memorabili in provincia re gesta. Adde *Ovid. Heroid.* 5. 57. 58. *et* 59. — *Venturus* (ὁ ἐρχόμενος, præs. pro fut. de re certo futura, Hebræorum more), est Messias. *Vulg. interpr. Matth.* 3. 11. et 11. 3. Cf. *Joh.* 4. 25.

II.) Translate. ¶ 1. Est afferri, deferri. *Cic.* 11. *Fam.* 24. In Italia te moraturum, dum tibi

litteræ meæ veniant. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 12. (32). Sinopidis, quæ ex Africa venit, pretium octoni asses. ¶ 2. Item provenire, crescere. *Virg.* 2. *G.* 10. *de arborib.* Namque aliæ nullis hominum cogentibus, ipsæ Sponte sua veniunt. *et* 1. *ibid.* 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ. *Id.* 5. *Æn.* 344. Gratior et pulcro veniens in corpore virtus. ¶ 3. Item nasci, oriri. *Virg.* 1. *G.* 145. Tum variæ venere artes: labor omnia vincit Improbus. ¶ 4. Item accedere, pervenire. *Cic.* 3. *Nat. D.* 14. 36. Ad quem dolor veniat, ad eumdem etiam interitum venire. *Id. Cæcin.* 26. 74. Major hereditas venit unicuique vestrum in iisdem bonis a jure et a legibus, quam ab iis, a quibus illa ipsa bona relicta sunt. *Id.* 1. *Invent.* 45. *ad fin.* Neque emisti equum, neque hereditate venit, neque dominatus est. ¶ 5. Item incidere, adduci, cadere. *Id. Rosc. Am.* 6. 16. Quum omnium dignitas et salus in discrimen veniret. Adde *eumd. Mur.* 27. 55. et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 126. *Cic.* 2. *Fin.* 24. *a med.* Venire in odium. *Cæs.* 3. *B. G.* 17. et 5. *ibid.* 47. in contemptionem. *Cic. Quinct.* 16. *sub fin.* in turpitudinem. *Id.* 2. *Orat.* 87. *ad fin.* sub aspectum. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 6. in suspicionem. *cadere in sospetto.* — Alio sensu *Nepos Pausan.* 4. mihi venit in suspicionem. *m'è venuto sospetto.* ¶ 6. Item ingredi, insinuari, accedere. *Cic.* 4. *Verr.* 70. 169. In eam jam venerat familiaritatem consuetudinemque, ut etc. *Id.* ad *Dolabell. post ep.* 17. *l.* 14. *ad Att. circa med.* Me in societatem tuarum laudum venire patiare. *Id. Dom.* 14. 37. Venire in sacerdotium. *h. e.* cooptari. ¶ 7. Item servit, in dicendo, transitionibus. *Id.* 6. *Verr.* 1. 1. Venio nunc ad istius morbum et insaniam. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. *extr.* Ad Arcesilam Carneademque veniamus. *Id. Rosc. Am.* 16. 46. Ecquid tandem tibi videtur (ut ad fabulas veniamus) senex ille Cæcilianus etc.? *Id.* 14. *Att.* 19. *ad fin.* Venio ad recentiores litteras. *Id. Rosc. Am.* 30. Venio nunc eo. *et Ter. Heaut.* 2. 3. 33. Istuc veniam. *Nepos Datam.* 1. Venio nunc ad fortissimum virum. ¶ 8. Item aptum esse. *Quintil.* 9. 4. *a med.* Horum pedum nullus non in orationem venit. ¶ 9. Huc pertinent variæ locutiones, ut — *a*) *Venire annum, diem* et hujusmodi. *Horat. Art. P.* 175. Multa ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 66. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 87. tristes misero venere kalendæ. Adde *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. et 9. *Virg.* 2. *G.* 405. Veniens ætas. *Ovid.* 2. *Art. am.* 59. Ventura senecta. *et Virg.* 8. *Æn.* 627. Venturum ævum. — Speciatim *venire diem*, apud JCtos, quid sit, *V.* in CEDO. — *b*) *Venire in buccam*, proverb., occurrere, in mentem venire. *V.* BUCCA. — *c*) *in certamen, in contentionem*, certare, contendere. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 78. et *Divin. in Q. Cæcil.* 19. 62. et res *in contentionem venire* dicitur, de qua contenditur. *Id. Quinct.* 6. *ante med.* et 2. *Divinat.* 63. 129. — *d*) *in cognitionem*, cognosci et judicari. *V.* COGNITIO. — *e*) *in confessum*, manifestum esse. *V.* CONFESSUS. — *f*) *in crimen*, accusari. *V.* CRIMEN. — *g*) *in dubium* res dicitur, de qua dubitetur. *V.* DUBIUS. — *h*) *in fidem alicujus*, sese dedere. *Liv.* 26. 40. *a med.* Voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta oppida. — *i*) *in mentem*, succurrere, in memoriam redire. *V.* MENS. — *l*) *in opinionem*, opinari: item, opinionem esse de aliquo. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 10. *V.* OPINIO. — *m*) *in partem doloris* vel *impensæ*, Italice *aver parte*. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 51. Hinc soror in partem misera cum matre doloris Venit. *Cic.* 14. *Fam.* 2. Illud doleo, quæ impensa facienda est, in ejus partem te miseram et despoliatam venire. — *n*) *in proverbium*, transire. *V.* PROVERBIUM. — *o*) *in religionem*, metum deorum movere. *V.* RELIGIO. — *p*) *In sermonem alicujus*, interesse. *Cic.* 14. *Att.* 1. Alio sensu 3. *Fam.* 5. *circa med.* Quum loquerer cum Phania, veni in eum sermonem, ut dicerem etc. *venni a dire*, incidi in eum sermonem. — *q*) *in solum*. V. SOLUM. — *r*) *in spem*, sperare. *Cæs.* ad *Opp. post ep.* 13. *l.* 9. *ad Att.* et *Cic.* 2. *Orat.* 54. 217. Nonnullam in spem veneram, posse me etc. — *s*) *in usum*, usitatum fieri. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 54. (91). Nec -bus Latinum nomen habet, quum in usum pluribus modis veniat. — *t*) *ad arma, ad manus*, eo usque rem progredi, ut arma sumantur, pugna ineatur. *Cic.* 7. *Verr.* 11. *a med.* Nonnumquam etiam res ad manus atque ad pugnam veniebat. *Id.* 6. *Phil.* 4. 11. Propter æs alienum venire ad arma. *Alii leg.* ire. — *v*) *ad nihilum*, redire, redigi. *Id.* 2. *Tusc.* 2. 5. Oratorum laus senescit brevique tempore ad nihilum ventura videtur. Adde 11. *Fam.* 12. — *z*) *contra, adversus aliquem*, in forum et in judicium venire aliquem oppugnandi causa. *Id.* 2. *Phil.* 2. 3. Contra rem suam venisse me nescio quando, questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari et necessario? non venirem contra gratiam? non venirem contra injuriam etc.? *Id.* 1. *Att.* 1. *ad fin.* Ne contra amici summam existimationem miserrimo ejus tempore venirem. Illud *Virg.* huc pertinet 7. *Æn.* 470. Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque. *Paul.* 5. 4. 15. Persona ejus, contra quam venimus. — Hoc sensu *venire* occurrit etiam absolute. *Dig. Justin. fr.* 1. § 36. Unde ex heredibus veniet repetens. — *γ*) *Usus venit* et *usu venit*. V. USUS et USUVENIT.

*B*) Forma passiva tum proprie tum translate, et quidem impersonaliter. *Plaut. Curc.* 2. 3. 37. Facite esse, ut ventum gaudeam. *h. e.* ut gaudeam me advenisse. Sic *Cist.* 1. 1. 16. Ventum gaudeo ecastor ad te. Cf. VENTUS, i, init. *Ovid.* 3. *Fast.* 125. Seu quod ad usque decem numero crescente venitur. *Cic.* 4. *Verr.* 29. 70. Posteaquam ad causam dicendam ventum est. *et ibid.* Hac una spe ad judicium venitur. *Cæs.* 6. *B. G.* 43. Sæpe in eum locum ventum est, ut etc. *a tal punto.* et 4. *ibid.* 7. Unde veniatur. Cf. *Otto* ad *Tac.* 1. *Ann.* 18. *p.* 126. *n.* 6. et *Allgayer Zusätze etc. zu Krebs' Antib. p.* 48. *Cæs.* 7. *B. G.* 70. Veniri ad se confestim existimantes. *Tac.* 16. *Ann.* 27. E longinquis provinciis haud veniri. *Hadrian. Imp.* in *epist.* apud *Ulp. Dig.* 48. 18. 1. Ad tormenta servorum ita demum veniri oportet, quum etc. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1431. HEVS TV VIATOR LASSE QVI ME PRAETERIS HOC (*h. e.* huc) VENIVNDVM EST TIBI. — Hinc

*Venturum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, res futura. *Virg.* 6. *Æn.* 66. Venturi præscia vates. *Id.* 2. *ibid.* 125. Ventura videre.

VĒNITUS. *V.* VENEO.

VENNO, onis, m. 3. magna benna, *cestone*: venno autem pro benno dictus est. Ita *Forcell.* Cf. BENNA. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VENNŬCŬLUS. *V.* VĒNŬCŬLUS.

VĒNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. — *a*) *Venarier*, parag. pro *venari*, apud *Lucret.* 5. 1248. — *b*) Passive *venor, aris*, quasi a *veno, as*, usurpat *Enn.* apud *Non. p.* 183. 14. *Merc.* Teneor consæpta, undique venor. *h. e.* undique concludor, velut a venatoribus feræ indagine cinguntur. Etiam *Priscian.* 8. *p.* 794. *Putsch.* passivam in hoc verbo significationem agnoscit. — *c*) Origo vocis obscura est; alii enim ducunt a. rad. Skr. *vadh*, occidere, ut sit *vēnor* pro *vednor*; alii ab Osca ejusd. significationis; alii aliunde. — Part. *Venans* sub *A* 1. et *B* II. 2.; *Venatus* sub *B* I. 1. — Venor est feras sector, feris insidior, θηρεύω, κυνηγέω (It. *andare a caccia, dar la caccia, cacciare*; Fr. *chasser, faire la chasse*; Hisp. *cazar, buscar*; Germ. *jagen*; Angl. *to chase, hunt*): occurrit autem intransitive et etiam transitivorum more.

*A*) Intransitive. ¶ 1. Universim. *Plaut. Men.* 5. 2. 82. Quo me in silvam venatum vocas. *Ter. Andr.* 1. 1. 30. Alere canes ad venandum. *Cic.* 2. *Fam.* 11. De pantheris per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter. *Virg.* 4. *Æn.* 118. In nemus ire parant venatum. — Part. *venans*, absolute, idem fere ac venator. *Lucret.* 4. 999. Venantumque canes in molli sæpe quiete Jactant crura. Adde *Virg.* 9. *Æn.* 551., *Ovid.* 2. *Met.* 492. *Phædr.* 1. 12. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (67). *Id.* 9. *ibid.* 10. 12. (35). Venantium præda. *et* 8. *ibid.* 3. 4. (8). Elephantes circumventi a venantibus etc. — Et de signo seu pictura, quæ venantes repræsentat. *Id.* 35. *ibid.* 10. 37. (116). Venantes pingere. Cf. *ibid.* 40. (138). Antiphilus laudatus Ptolemæo venante. — Proverb. est illud *Plauti Stich.* 1. 2. 82. Stultitia est venatum ducere invitas canes. — *Venari in medio mari*, aliud proverb. apud *eumd. Asin.* 1. 1. 87. h. e. operam inderc, *seminar nell'arena.* V. PISCOR. ¶ 2. Etiam bestiæ ipsæ venari dicuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. *a med.* Canum alacritas in venando. *Val. Flacc.* 1. 492. dum sæva relictis Mater (*tigris*) in averso catulis venatur Amano.

*B*) Transitivorum more est venando capio, vel capere studeo.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Ovid.* 2. *Fast.* 163. Mille feras Phœbe silvis venata redibat. *Virg.* 3. *G.* 410. Et canibus leporem, canibus venabere damas. ¶ 2. De bestiis ipsis dicitur apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. (154). Conchæ hiantes venantur cibum. *Id.* 11. *ibid.* 21. 24. (72). Vespæ muscas grandiores venantur.

II.) Translate. ¶ 1. Per catachresin ponitur pro piscari, ut *venatus* pro piscatu. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. ¶ 2. Per metaphoram est captare, aucupari. *Cic.* 4. *Herenn.* 3. 5. Vereor, ne qua in re laudem modestiæ venentur, in ea ipsa re sint impudentes. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 78. sunt qui Frustis et pomis viduas venentur avaras Excipiantque senes, quos in vivaria mittant. *et ibid.* 19. 37. Non ego ventosæ plebis suffragia venor. Adde *Cic.* 6. *Verr.* 21. *a med.*, ubi agit de canibus Cibyraticis C. Verris. *Ovid. Medic. fac.* 27. Venari amores. *Id.* 1. *Art. am.* 89. præcipue curvis venare (*amicam*) theatris. *Phædr.* 4. 5. Filia formosa et oculis venans viros. — Hinc

*Venans, antis*, m. 3. absolute. *V.* sub *A* 1.

VĒNŌSUS, a, um, adject. (vena) Comp. *Venosior* II. 1. — Venosus est crebris venis instructus (It. *pieno di vene, venoso*; Fr. *plein de veines, veineux*; Hisp. *venoso*; Germ. *aderreich*; Angl. *veined, full of veins*).

I.) Proprie. *Cels.* 4. 1. *ante med.* Renes venosi sunt et tunicis superconteguntur.

II.) Improprie et metaphorice. ¶ 1. Improprie. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (38). Faseolis folia venosa, sesamæ sanguinea. *Id.* 37. *ibid.* 5. 18. (73). Smaragdi venosi squamosique. *Id.* 25. *ibid.* 13. 100. (157). Radices minus venosæ. *Id.* 20. *ibid.* 8. 29. (72). Intybum sativum, quod est minus et venosius. ¶ 2. Metaphorice. *Pers.* 1. 75. Est, nunc Briseis quem venosus liber Acci etc. *h. e.* deformis, ut sunt homines senes et macri, quibus dedit longa ætas *deformem pro cute pellem*, ut ait *Juvenal.* 10. 192.; istis enim venæ exstant, carne senio absumpta.

VENSĬCA. *V.* VESICA.

VENTER, tris, m. 3. Notationem vocis probabilem habemus in Gr. ἔντερον, intestinum, digammate Æolico præfixo. Cf. etiam Germ. *Inster, Wanst.* Aliam *Isid.* 11. *Orig.* 1. 132. et recentiores etymologi (*Bopp Gloss.* 425. et 146. et *Curt. Grundz.* 173.) duriusculam vocis originem conjiciunt. — Venter est alvus, cavum illud in medio corpore animalis, in quo sunt ventriculus et intestina, κοιλία, γαστήρ (It. *pancia, ventre, ventraia*; Fr. *ventre*; Hisp. *vientre*; *barriga*; Germ. *der Bauch*; Angl. *belly, paunch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 119. Fabâ venter inflatur. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 127. Inani Ventre diem durare. *a corpo vuoto.* et *Varro Sat. Menipp.* 67. *p.* 188. *Oehl.* Saturare corpora ad famem ventris. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 82. (207). Pectus, hoc est ossa præcordiis ac vitalibus natura circumdedit; at ventri, quem necesse erat increscere, ademit. *Cels.* 7. 16. Nonnumquam venter ictu aliquo perforatur sequiturque, ut intestina evolvantur. *Id.* 4. 19. Cibis uti ventrem contrahentibus. Rursum *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 27. (71). Beta ventrem mollit. *h. e.* solvit, *muove il corpo.* et *ibid.* Ventris fluxiones sistere. *Id.* 27. *ibid.* 10. 60. (86).

Ventris dolores sedare. *Id.* 11. *ibid.* 37. 79. (200). Ii minus solertes, quibus obesissimus venter. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. 155. Ventrem commovere. *Id.* 2. *Tard.* 8. 138. provocare. *Id.* 5. *ibid.* 1. 10. Venter abstentus. *et* 3. *Acut.* 17. 145. durus et extentus, in orbem tumoris sublevatus. *et* 2. *ibid.* 9. 46. strictus. *Id.* 5. *ibid.* 1. 10. Ventris facilitas. *Quintil.* 11. 3. 112. Imus venter? Adde 5. 11. 19. *Hieronym. Ep.* 52. Magister pleno ventre de jejuniis disputat. — Et in plur. num. *Varro* 2. *R. R.* 7. Equas decet esse clunibus ac ventribus latis. *Lucret.* 5. 1322. Latera ac ventres equorum. *Martial.* 13. 26. Sorba sumus, molles nimium durantia ventres. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 49. 74. (157). Pisces attritu ventrium coeunt. — Hinc *ventrem facere* apud *Veget.* 3. *Veterin.* 57. est excrementa reddere. (Alio sensu *V.* infra.) Cf. *Aurel. Vict. epit.* 41. Quasi ad ventris solita secedens. ¶ 2. Latiore sensu de intestinis seu visceribus, *budellame, viscere,* τὰ ἔντερα. *Colum.* 9. *R. R.* 14. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 20. 23. (70). Apes posse progenerari ventribus bubulis. ¶ 3. Item de ventriculo, *stomaco. Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 78. (199). Subest venter stomachum habentibus, ceteris simplex, ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (109). Argyritin in ventre suillo in aqua coquunt eximplamque nitro fricant etc. Adde *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. *circa med.* Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 20. ¶ 4. De utero. *Juvenal.* 6. 595. homines in ventre necandos Conducit.

II.) Improprie. ¶ 1. *Venter* est quæcumque exstantia, tumor, inflatio cujusque rei. *Virg.* 4. *G.* 121. tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis. *Propert.* 4. 2. 43. tumidoque cucurbita ventre. *Vitruv.* 8. 7. ubi de aquæductib. agit, *ventrem* dicit, et Græci κοιλίαν, ubi fistulæ dilatantur et intumescunt. *Juvenal.* 12. 60. venter lagenæ. *h. e.* lagena ventriculosa. *Alfen. Dig.* 8. 5. 17. Si paries ita ventrem faceret, ut semipedem procumberet. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 46. 106. (255). Talus ventre eminens concavo, in vertebra ligatus. ¶ 2. *Ventrem* pro podice habet *Virg. Catal.* 5. 39. videbo Scissumque ventrem et herniosi patrui Pedes inedia turgidos.

III.) Translate. ¶ 1. Per translationem a super. paragr. 1. sub I., sæpe refertur ad famem, gulam, edacitatem. *Plaut. Capt.* 4. 2. 75. Tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas. *Id. Pseud.* 1. 2. 43. Ventri operam dare. *Sall. Cat.* 2. Dediti ventri atque somno. *et Tertull. Patient.* 16. Operarii ventris. *h. e.* parasiti. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 32. Quidquid quæsierat, ventri donabat avaro. *Juvenal.* 11. 40. ære paterno Ac rebus mersis in ventrem. *Pers. prol.* 10. Magister artis ingenique largitor Venter. *h. e. bisognino fa l'uomo ingegnoso.* et *Juvenal.* 3. 166. magno hospitium miserabile, magno Servorum ventres. *h. e.* alimenta, cibus. Hinc *Lucil.* apud *Non. p.* 11. 8. *Merc.* Vivite lurcones, comedones, vivite ventres. *h. e.* heluones, gulosi, edaces et quasi toti ventres. Adde *Curt.* 10. 2. 26. ¶ 2. Per translationem a super. paragr. 4. sub I., est fetus: hinc *ventrem ferre,* gravidam esse, fetum in utero habere. *Ovid.* 11. *Met.* 311. Ut qua maturus complevit tempora venter, Nascitur Autolycus. Cf. *Vulg. interpr. Ital. Os.* 9. 16. *Liv.* 1. 34. Quum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decessisset. *Varro* 2. *R. R.* 1. *a med.* Equa ventrem fert duodecim menses, vacca decem, ovis et capra quinos, sus quattuor. *Colum.* 6. *R. R.* 24. Vaccæ decem mensibus ventrem perferunt. *Tertull. De virg. vel.* 14. Ventres tegere. *h. e.* graviditates dissimulare. — Huc pertinet illa JCtorum, *ventrem inspicere, custodire, in possessionem mittere, ventris nomine mulierem in possessionem mittere* etc. *Dig.* 25. *tit.* 4. 5. *et* 6., *l.* 37. *tit.* 8. 9. etc. Sic *Horat. Epod.* 17. 50. Tuusque venter Pactumejus. *V.* hanc vocem suo loco. et *Paul. Dig.* 5. 4. 3. Antiqui libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei jura integra reservarent. ¶ 3. Pro latere navis. *Venant.* 10. *carm.* 12. 10. ¶ 4. Pro succidia, insicia habent *Varro* 5. *L. L.* 111. *Müll.* et *Martial.* 4. 46.

¶ 5. Metaphorice. *Vulg. interpr. Hab.* 3. 16. Audivi et conturbatus est venter meus. *h. e.* animus. Adde *Prov.* 18. 8. et *Is.* 16. 11.

Homonym. Differunt *alvus, venter* et *uterus. Prob.* in *fragm. de nom. n.* 46. *Endl.* Venter totus dicitur, qui oculis subjectus est: alvus inferior pars, qua cibus commeat: uterus autem, quo mulier bajulat partum. Cf. *Isid.* 1. *Diff. n.* 38. Aliter *Agrœt. p.* 2276. *Putsch.* Alvus virorum recte dicitur: uterus mulierum: venter utroque modo. Cf. *Döderlein Syn. v.* 5. *p.* 147.

**VENTĔRĪNUS**, a, um, adject. (venter) ad ventrem pertinens. *V.* VETERINUS.

**VENTĬCĀPĬUM**, ii, n. 2. (ventus et căpio) instrumentum, quo excitatur aer, flabellum. *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 6. 524.

**VENTĬGĔNUS**, a, um, adject. (ventus et gigno). ¶ 1. Passive est vento genitus. *Auct. Epit. Iliad.* 736. Rhesi ventigenas secum adduxere jugales. At *Wernsdorf* hunc versum insiticium esse probat. ¶ 2. Active est ventum gignens, ut *ventigeni crateres,* ora et fauces in cacumine Ætnæ montis, qui fumum et nebulas et concitatas auras copiose evomunt. *Lucret.* 6. 701. In summo sunt ventigeni crateres, ut ipsi (*accolæ Ætnæ*) Nominitant, nos quas fauces perhibemus et ora. Ita *Forcellinus.* At *Lachmann* ex *Turnebo* (*Advers.* XXII. 19.) rectius dedit: In summo sunt *vertice enim* crateres ut ipsi etc.

**VENTĬLĀBRUM**, i, n. 2. (ventilo) instrumentum, quo aliquid ventilatur, cujusmodi est illud, quo rustici frumentum leguminave post trituram sursum ejaculantur, ut ventorum flatu a paleis repurgentur, πτύον, λικμητήριον (It. *pala;* Fr. *van;* Hisp. *aventador, bieldo;* Germ. *die Wurfschaufel;* Angl. *winnowing-fan*). *Varro* 5. *L. L.* 138. *Müll.* Ventilabrum, quo ventilatur in aere frumentum. Adde *eumd.* 1. *R. R.* 52. 2. *Colum.* 2. *R. R.* 10. *circa med.* Nam quum acervus, paleis granisque mistus in unum fuerit congestus, paullatim ex eo ventilabris per longius spatium jactetur. *Prudent. Hymn. præfix. Apotheosi* 53. Det ventilabro lecta quæque ut horreis, Urat recrementum focis. Adde *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 3. *n.* 15. et *Isid.* 20. *Orig.* 14. 10. *V.* PALMULARIS.

**VENTĬLĀBUNDUS**, a, um, adject. (ventilo) qui hac illac ventilat. *Chalcid. Tim.* 91. *Müll.* et *Varro* apud *Non. p.* 356. 28. *Merc.* At fortasse legend. utrobique *vertilabundus.* V. VERTILABUNDUS.

**VENTĬLĀMENTUM**, i, n. 2. (ventilo) ventilabrum, λικμητήριον. *Gloss. Cyrill.*

**VENTĬLANS**, antis, particip. *V.* VENTILO.

**VENTĬLĀTĬO**, onis, f. 3. (ventilo) actus ventilandi, *ventolamento, ventilazione,* λίκμησις, ῥιπισμός.

I.) Proprie. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 6. (10). Innocentiores uvæ sunt, quæ decerptæ diu pependere: qua ventilatione etiam utiles fiunt stomacho ægrisque.

II.) Translate. *Augustin.* in *Ps.* 24. 21. Non defeci, ut imitarer malos: sed sustinui te, exspectans ventilationem ultimæ messis tuæ. Adde *eumd. contra Petil.* 1. § 20. — Et in plur. num. *Arnob.* in *Ps.* 74. *extr.* Vitiorum ventilationes.

**VENTĬLĀTOR**, oris, m. 3. (ventilo) qui ventilat ac præsertim qui post trituram frumenta aut legumina ventilabro in sublime jaculatur, ut ventorum flatu grana secernantur a palea, *sventolatore,* λικμητής.

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 10. *circa med.* Faba, quæ longius emittetur, pura eo perveniet, quo ventilator eam ejaculabitur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim qui aliud ab alio secernit, ut v. c. qui separat bonos a malis: hinc etiam scrutator, vindex. *Vulg. interpr. Jer.* 51. 2. Et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam. Alii interpr. *agitatores.* et *Augustin.* in *Ps.* 11. 9. ex *Vulg. interpr. Ital. Prov.* 20. 26. Ventilator enim est impiorum rex sapiens. Adde *eumd. Ep.* 93. et *contra Petil.* 1. § 20. ¶ 2. Speciatim sumitur pro præstigiatore: nam ut ventilatores grana, quæ purgant, in ventum projiciunt; ita præstigiatores rem, quam retinent manibus, ejicere videntur. *Quintil.* 10. 7. *ante med.* Quo constant miracula illa in scænis pilariorum ac ventilatorum, ut ea, quæ emiserint, ultro venire in manus credas, et, qua jubentur, decurrere. ¶ 3. Item exagitator, turbator. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 78. Tu ventilator urbis et vulgi Levis procella.

**VENTĬLĀTUS**, a, um, particip. *V* voc. seq.

**VENTĬLO**, as, avi, atum, are, a. 1. (ventulus) Part. *Ventilans* I. 1.; *Ventilatus* I. 2. et II. 5.; *Ventilandus* II. 4. — Ventilo est ventum excito in aliquam rem, λικμάω, καταπνέω (It. *ventilare, sventolare, far vento;* Fr. *remuer dans l'air, secuer, éventer;* Hisp. *poner al ayre, ventilar, sacudir;* Germ. *in d. Luft schwenken, schwingen, facheln;* Angl. *to winnow, fan, discuss, ventilate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Propert.* 4. 3. 50. Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem. *Sil. It.* 17. 506. rapidusque incendia flatus Ventilat. *Martial.* 3. 82. Et æstuanti tenue ventilat frigus Supina prasino concubina flabello. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 108. Et quum se rapido fessam Projecerat æstu, Patricius roseis pavonum ventilat alis. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 105. Ceu fessis ubi remigum lacertis, Primæ carbasa ventilatis auræ. *Quintil.* 11. 3. 118. Ventilare cubitum utrumque in diversum latus. — Absolute. *Sueton Aug.* 82. Æstate apertis foribus atque etiam aliquo ventilante cubabat. ¶ 2. Speciatim aeri et ventis exponere, *dar aria, esporre all'aria, sciorinare. Varro* 1. *R. R.* 55. *ad fin.* Oleas in acervis jactando ventilare oportet. *Colum.* 12. *R. R.* 30. Quo major æstus erit, eo sæpius convenit vinum nutriri refrigerarique et ventilari. *Id.* 1. *ib d.* 6. *a med.* Exesæ fruges in horreo ventilentur et quasi refrigerentur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (302). Frumenta in horreis multi ventilari vetant. *Id. ibid.* 32. 75. (322). Ventilari quoque frumenta ac legumina et condi circa extremam lunam jubent. *Id.* 21. *ibid.* 14. 49. (84). Ventilatur sub divo sæpius cera fulva. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 54. populeas ventilat aura comas. *dibatte, fa tremolare:* agitat, concutit. *Gargil. De re hort.* (ed. *A. A. Scottio*) 4. 2. Persica in umbra explicantur et biduo ventilata etc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 2. *Met.* In aureos refulgentes, quos identidem manu mea ventilabam, attonitus. *h. e.* versabam, numerabam. *Juvenal.* 1. 28. Ventilat æstivum digitis sudantibus aurum. *h. e.* anulos leviores inter eundum agitat et jactat, refrigerii et simul ostentationis gratia. *Martial.* 12. 18. Dum per limina te potentiorum Sudatrix toga ventilat. *h. e.* agitat, jactat huc illuc discurrentem. *Vulg. interpr. Eccli.* 5. 11. Non ventiles te in omnem ventum. — Mediorum apud Græcos more. *Seneca Tranquill.* 2. *a med.* Versare se et mutare nondum fessum latus et alio atque alio positu ventilari. *h. e.* jactare se, versare, positum mutare. *dimenarsi.* ¶ 2. Speciatim *ventilare* dicuntur et gladiatores aut milites, quum proludentes brachia et arma jactant aeremque vane cædunt. quasique velitantur. *Seneca Ep.* 117. *a med.* Quam stultum est, quum signum pugnæ acceperis, ventilare! remove ista lusoria arma: decretoriis opus est. *Id.* 3. *Excerpt. controv. præf. a med.* Aliud est pugnare, aliud ventilare. *Martial.* 5. 31. Cornibus hic pendet summis: vagus ille per armos Currit et in toto ventilat arma bove. ¶ 3. Item discutere, inquirere, exagitare. *Symmach.* 2. *Laud. in Valentinian.* (edente iterum *A. Maio*) 10. Ventilemus prisca monumenta, scrutemur annales. *Cod. Theod.* 2. 18. 2. Id, quod in uno eodemque judicio poterat terminari, apud diversos judices voluerit ventilari. ¶ 4. Pro purgare. *Boeth.* 3. 11. — *Cyprian. Ep.* 51. (*al.* 54.) Area ventilanda. ¶ 5. Alia loca, translata, sunt apud *Cic. Flacc.* 23. 54. Cujus lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium contio ventilata. *h. e.* agitata, impulsa. *Apul. Apolog.* Qui tibi plurimas contu-

melius dixit: qui nomen tuum pro tribunalibus ventilavit. *h. e.* jactavit, ventis calumniarum objecit. *Imp. Constant. Cod.* 9. 18. 6. et *Cod. Theod.* 9. 16. 5. Magicis artibus vitas insontium labefactare et Manibus accitis ventilare. *h. e.* vexare, agitare, turbare. *Ambros.* in *Ps.* 43. *n.* 40. Homo tentationibus ventilatus. Adde *Prudent. Hamart. præf.* 57.

VENTĬO, ōnis, f. 3. (venio) actus veniendi, *venuta*, ἔλευσις. *Plaut. Truc.* 2. 7. 61. Quid tibi huc ventio est?

VENTĬSŌNAX, ācis, adject. omn. gen. (ventus et sono) *Anthol. Lat. n.* 682. *Riese.* Lubrice, ventisonax, inflator, stridule, anhele etc.

VENTĪTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

VENTĪTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *frequentat. a* venio. — Part. *Ventitans* et *Ventitaturus.* — Ventito est frequenter venio, *venire spesso*, φοιτάω. *Cæs.* 4. *B. G.* 32. In castra ventitare. Adde 4. *ibid.* 3. et 5. *ibid.* 27. *Cic.* 11. *Fam.* 27. *circa med.* Ut domum ventitares horasque multas sermone consumeres. *Id.* 1. *Legg.* 4. 13. Quum ipse ad Scævolam ventitarem. *Catull.* 8. 4. Quum ventitabas, quo puella ducebat. *Nepos Att.* 4. Ad comitia eorum ventitavit. *Solin.* 52. *a med.* Elephanti ad potum ventitantes. — Cum addito adverb. ad majorem vim. *Cic.* 1. *Rep.* 9. 14. Familiarissimi ejus ad eum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixerunt.

VENTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* venio, frequenter venio, ventito. Fuit in usu apud veteres, uti docet *Fest. p.* 376. 3. *Müll.* Ventabant antiqui dicebant sine præpositione pro adventabant. V. *Müller* ad h. l. *Varro* apud *Non. p.* 119. 2. *Merc.* Quum illo vento, video Gallorum frequentiam in templo. *Riese* leg. *Quum illoc venio.*

VENTOR, ōris, m. 3. (venio) qui venit, adventor. *Ennod. Epigr.* 22. Unus in argento quam bene ventor habet! Ita leg. *Amati* in *Coll. Pis. T.* 7. *p.* 101. et *Quicherat* in *Add. p.* 307., sed *Migne* rectius habet *venter.*

VENTŌSA, æ, f. 1. *V.* VENTOSUS.

VENTŌSĀLIS, e, adject. (ventosus) Legitur apud *Theod. Priscian. p.* 316. bis retro; sed lectio dubia videtur.

VENTŌSĒ, adverb. (ventosus) ad instar venti.

I.) Proprie. *Fulgent.* 3. *Myth.* 9. Tibia ventose in musicis sonat.

II.) Translate est tumide, inflate. *Apul.* 10. *Met.* Pulvilli ventose delicata pluma tumentes. *Augustin.* 5. *contra Julian.* 13. 49. Ventose atque inaniter currere.

VENTŌSĬTAS, ātis, f. 3. (ventosus) flatuum abundantia, *ventosità.*

I.) Proprie. *Apul. Herb.* 126. Petroselinum medetur ventositati stomachi atque coli. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 17. *Id.* 4. *ibid.* 5. 82. Ventositas ventris. — Absolute. *Theod. Priscian.* 2. 16. et 21. et *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. 115.

II.) Translate pro jactantia posuit *Fulgent.* 2. *Myth.* 17.

VENTŌSUS, a, um, adject. (ventus) Comp. *Ventosior* II.; Sup. *Ventosissimus* I. et II. — Ventosus est vento plenus, ventis objectus, ἀνεμώδης (*It. pieno di vento, ventoso; Fr. plein de vent, venteux; Hisp. ventoso; Germ. voll Wind, windig; Angl. full of wind, windy*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 6. 468. Ventosa loca. *Id.* 6. 537. speluncæ. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. Alpes. *Virg.* 8. *Æn.* 449. alii ventosis follibus auras Accipiunt redduntque. *Horat.* 3. *Od.* 4. 45. Ventosum mare. *Liv.* 36. 43. Ventosissima regio inter Cycladas, Delus. *Virg.* 12. *Æn.* 848. (et *Propert.* 2. 9. 5.) Ventosæ alæ. *Id.* 9. *Ecl.* 58. ventosi ceciderunt murmuris auræ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 80. (351). Ventosus auctumnus, ventosa hiems. *Lucan.* 9. 349. de *Tritone.* ventosa perflantem murmura concha. *h. e.* tuba inspirata. *Val. Flacc.* 2. 269. Pampineamque quatit ventosis ictibus hastam. *con colpi tirati al vento.* et *Petron. Sat.* 137. *ad fin.* Inanes ac sine medulla ventosas nuces in summo humore consistere, graves et plenas ad ima deferri. ¶ 2. Speciatim inflatus, tumidus. *Theod. Priscian.* 29. Ventosus stomachus.

II.) Translate. ¶ 1. Est levis, instar venti, ut *ventosi equi*, leves ac veloces, quasi vento geniti aut ventos cursu æquantes. *Ovid.* 4. *Fast.* 392. Primaque ventosis palma petetur equis. *h. e.* cursu quadrigarum in Circo. Adde *Lucret.* 3. 300. *Calpurn. Ecl.* 4. 28. ab his scopulis ventosa remurmurat echo. ¶ 2. Item, per metaphoram, est inflatus, tumidus, vanus, inanis, levis, mobilis, inconstans. *Virg.* 11. *Æn.* 390. an tibi Mavors Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis Semper erit? et *ibid.* 708. Ventosa gloria. κενοδοξία. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 177. Quem tulit ad scænam ventoso gloria curru. *Stat.* 10. *Theb.* 711. Hæc pietas, hic verus honor: ibi gloria tantum Ventosumque decus titulique in morte latentes. *Plin. Paneg.* 31. Superbiebat ventosa et insolens natio, quod etc. *gonfia, superba.* et *Cic.* 11. *Phil.* 7. 17. Extraordinarium imperium populare atque ventosum est, minime nostræ gravitatis, minime hujus ordinis. *Petron. Sat.* 2. Ventosa istæc et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit. *h. e.* turgidum et inflatum dicendi genus. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 37. Ventosæ plebis suffragia venari. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 49. *ad Cupidinem.* Tu levis es multoque tuis ventosior alis. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 9. Lepidus, homo ventosissimus. *h. e.* levissimus et maxime inconstans. *Liv.* 42. 30. Ventosum ingenium. — — Hinc *ventosa cucurbita* et etiam

*Ventosa, æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, illud medicorum instrumentum, quod et *cucurbita* et sæpius *cucurbitula*, Italis *ventosa, coppetta* dicitur. *Isid.* 4. *Orig.* 11. 4. A Latinis a similitudine cucurbita, a suspirio ventosa vocatur, quæ animata spiritu per igniculum, dehinc præciso corpori superposita, omne quod intra cutem vel altius æstuat, sive humorem sive sanguinem evocat in superficiem. *Theod. Priscian.* 2. 2. Frequenter etiam dorso vel scapulis cucurbitas ventosas imponimus. *Id.* 3. 2. Ventosis quoque admotis inguinibus vel femoribus, recursui vel inclinationi matricis occurremus. *V.* CUCURBITA.

VENTRĀLE, is, n. 3. *V.* voc. seq.

VENTRĀLIS, e, adject. (venter) Etiam *ventrilis* legitur in *Gloss. Labb.* 192. *a.* — Ventralis est ad ventrem pertinens, *di ventre. Macrob.* 7. *Saturn.* 8. *circa med.* Species acres et calidæ si in ventrem receptæ sint, solvitur vis earum ventralis humoris alluvione. — Hinc absolute, substantivorum more

*Ventrale, is*, n. 3. (*subaud.* cingulum, vestimentum aut quippiam hujusmodi) est, quod Græce κοιλόδεσμος, ventrem scilicet præcingens: differt a campestri, quia illud ventrem tantummodo, istud pudenda etiam velabat. Hujusmodi cingulum videre est in piscatoris effigie apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 5. *tab.* 32. et *a.* 6., de eodem vero accurate *id. ibid. p.* 146. *ed. Mediol.* agit. In hoc sudariola aut nummos gestare solebant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (193). Gausapa patris mei memoria cœpere, amphimalla nostra, sic ut villosa etiam ventralia. *Id.* 27. *ibid.* 7. 28. (52). Absinthium inguinum tumorem arcet in ventrali habitum. Adde *Plin. alter.* 2. *Ep.* 20. et *Auct. De idiom. gen. p.* 584. 63. *K.* Legitur et in *Not. Tir. p.* 129. — *Ulp. Dig.* 48. 20. Nec sibi vindicare debebit vestem, qua is fuerit indutus aut nummulos in ventrali, quos victus sui causa in promptu habuerit. *Torrentin.* habat in *ventralem.*

*Ventralis, is*, m. 3. eod. sensu. *Gloss. Labb.* Ventrales (*leg.* Ventralis), κοιλόδεσμος, φεῦνδα. Apud *Ulp. Dig.* 48. 20. 6. leg. *Torrentinus*, ut in *Ventrale* dictum est.

VENTRĀLIS, is, m. 3. *V.* voc. præc.

VENTRĬCŌLA, æ, adject. comm. gen. (venter et colo) ventrem colens, ventri et gulæ deditus. *Augustin. Ep.* 86. *ad Casulan. ante med.* Qui ventricolas tamquam magnus jejunator accusat. Cf. VENTRICULTOR.

VENTRĬCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (ventriculus) morbus et tormina ventris, apud *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. 143.

VENTRĬCŬLŌSUS, a, um, adject. (ventriculus) ad ventrem pertinens. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 48. Ventriculosa passio. *V.* TORMINOSUS. — Absolute *ventriculosi* apud *eumd.* 3. *Acut.* 17. 143., qui et *cœliaci*, κοιλιακοί, dicuntur.

VENTRĬCULTOR, ōris, m. 3. (venter et cultor) qui ventrem colit, ventricola. *Augustin. Ep.* 36. *n.* 11. O magnum jejunatorem et non ventricultorem!

VENTRĬCŬLUM, i, n. 2. *V.* in voc. seq.

VENTRĬCŬLUS, i, m. 2. (venter) Etiam *ventriculum* neutr. gen., ut legit *Schuch.* apud *Apic.* 77. Quam lectionem confirmat *Cassiod.* in *Ps.* 150. 5., qui a similitudine *ventricula* dixit instrumenti musici cavitates. Sic apud *eumd.* etiam *flosculum* in *Ps.* 135. et *cuniculum* in *Hist. Eccl.* 6. 12. — Ventriculus est deminut. a *venter*, parvus venter, *ventricino*, γαστρίδιον: et ponitur aliquando pro ventre.

I.) Proprie. ¶ 1. Pro ventre. *Juvenal.* 3. 96. *de pudendo muliebri.* plana omnia dicas Infra ventriculum. — Hinc translate. *Cels.* 5. 28. Ventriculus furunculi, *ventricolo del frignolo.* V. FURUNCULUS. ¶ 2. Præcipue vero dicitur receptaculum cibi in corpore animalis, in quo conficitur confestusque in intestina transmittitur quidquid comestum est, *stomaco, ventricolo. Cels.* 4. 1. et 5. 26. *n.* 16. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (200). *et seqq.* et alibi sæpe. *Cels. cit. l.* 4. Ventriculus, qui receptaculum cibi est, constat ex duobus tergoribus: isque inter lienem et jecur positus est, utroque ex his paullum super eum ingrediente. *Hygin. fab.* 126. Ventriculus fartus.

II.) Improprie. ¶ 1. *Ventriculi* appellantur duæ cavitates in corde. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. *a med.* Pars animæ redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant: cui similis alter adjunctus est, in quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit. ¶ 2. Similiter de instrumento musico. *Cassiod. loc.* supra *cit.* ¶ 3. *Ventriculi digiti*, epistolæ secretæ, ut scytalæ. *Gloss. Lat. Gr.* Ventriculi digiti, σκυτάλαι.

VENTRĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (venter et facio) incrementum ventris. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 142.

VENTRĬFLŬUS, a, um, adject. (venter et fluo) qui ventrem solvit. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *a med.* Ventriflua medicamenta. Adde 4. *ibid.* 7. 105.

VENTRĬGO, as, are, n. 1. (venter et ago) ventrem ago, idem ac ventrem facio. *V.* VENTER. *Plin. Valer.* 1. 2. *ante med.* Res est saluberrima abstinere et a vino et a clamore, balneis et vento, et frigore, ita tamen ut post paucos dies (*ægrotus*) ventriget.

VENTRĪLIS. *V.* VENTRALIS.

VENTRĪLŎQUUS, a, um, adject. (venter et loquor) qui ex ventre loquitur, ἐγγαστρίμυθος. Ventriloquos *Isid.* in *Gloss.* exponit præcantatores: sunt autem iidem, qui divini seu harioli, qui dæmonem in ventre se habere dicunt et ex ejus inflatu futura prædicere. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 25. et *advers. Prax.* 19. ex *Is.* 44. 25. Quis alius disjiciet signa ventriloquorum et divinationes ex corde? Verba *Isaiæ* in *Vulgat. edition.* sunt: Irrita faciens signa divinorum et hariolos in furorem vertens. *Hieronym.* 3. *in Is.* 8. 20. Quærite ventriloquos, quos pythonas intelligimus et qui de terra loquuntur, quod in evocatione animarum magi se facere pollicentur et cetera maleficarum artium genera. *V.* PYTHON.

VENTRĬŌSUS, a, um, adject. (venter) qui magnum habet ventrem, γαστρώδης (*It. panciuto; Fr. ventru, pansard; Hisp. barrigudo; Germ. dickbäuchig; Angl. big-bellied, thick*). *Plaut. Merc.* 3. 4. 54. Canus, varus, ventriosus. *Id. Asin.* 2. 3. 20. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus. — De rebus inanimis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (134). Dolia ventriosa ac patula minus utilia. *Harduin.* leg. *ventruosa*, alii *ventrosa*.

**VENTRŎSUS** vel ventruosus, a, um, adject. (venter) idem ac ventriosus: sic montosus et monpluosus etc. Cassiod. in Ps. 72. Socrates calvus, ventrosus, simus. Gloss. Philox. Ventrosus, πρόκοιλος, προγάστωρ. Adde Gloss. Cyrill. Sext. Placit. De medic. 4. 16. in lemmate. et Schol. ad Juvenal. 4. 107. V. etiam Plin. loc. in voc. præc.

**VENTRŬŌSUS**, V. voc. præc.

**VENTŬLUS**, i, m. 2. deminut. a ventus, lenis ventus, venticello, ἀνεμίδιον. Plaut. Curc. 2. 3. 37. Facere ventulum. Adde eumd. Cas. 3. 5. 14. Sic Ter. Eun. 3. 5. 47. Cape hoc flabellum et ventulum huic sic facito, dum lavamus.

**VENTUS**, a, um, particip. V. VENIO et VENTUS, us.

**VENTUS**, i, m. 2. Scribitur vintus pro ventus in Inscr. apud Orelli n. 1271. — Formam ventus, us, nonnulli dubitanter legunt apud Plaut. Cist. 1. 1. 16. Ventum gaudeo ecastor ad te. hic jocari videtur in ambiguo: nam et significare potest: gaudeo ob ventum seu ventum fuisse, et gaudeo me venisse: ita ut vel nomen vel participium sit. Cf. Curc. 2. 3. 37. — Ratione habita etymi, cl. Furlanetto a venio (Cf. Priscian. 2. p. 464.) derivat; veniens enim aer, ille inquit, cum impetu ventus est: hinc Germani nunc wind appellant et winden eisdem est torcere Italorum; quæ tamen vox fortasse vetustissima est et a Celtica lingua repetenda, unde Latini ventum deduxerint. At recentiores ducunt a rad. Skr. va, halare. — Ventus dicitur aeris concitati motus, fluxus aeris impetuosior, ἄνεμος, πνεῦμα (It. vento; Fr. vent; Hisp. viento; Germ. der Wind; Angl. the wind).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. Vitruv. 1. 6. Ventus est aeris fluens unda, cum incerta motus redundantia. Nascitur, quum fervor offendit humorem, et impetus fervoris exprimit vim spiritus flantis. et Cic. 2. Nat. D. 39. ad fin. de aere. Tum effluens huc et illuc ventos efficit. Cf. Senec. 5. Quæst. nat. 16. et Plin. 2. Hist. nat. 47. 46. Plaut. Rud. prol. 78. Ventus deturbavit tectum. Varro 5. L. L. 65. Müll. Ventus post fit. Cæs. 3. B. G. 13. Se vento dare. Ovid. 8. Met. 132. (et Nepos Hannib. 8.) Ventis dare vela. Horat. 1. Od. 9. 10. Qui (divi) simul Stravere ventos æquore fervido Deprœliantes. Cic. Cluent. 49. sub fin. Ut mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari. Id. 7. Fam. 20. extr. Ventus increbrescit. Virg. 5. Æn. 20. Venti fremunt et consurgunt. Id. 7. ibid. 27. posuere. et 12. ibid. 367. incubuere. et ibid. 455. volant. et 1. ibid. 82. ruunt. Seneca Med. 627. silent. Virg. 5. Æn. 527. Venti tenues. et 6. ibid. 741. inanes. et ibid. 702. leves. et 3. ibid. 653. secundi. et 6. ibid. 75. rapidi. Varro Sat. Menipp. 53. p. 154. Oehl. phrenetici Septemtrionum filii. Seneca Vit. beat. 22. secundus et ferens. Plin. 2. Hist. nat. 47. 48. (130). generales. et ibid. (126). sicci. et ibid. humidi. et ibid. frigidissimi; et ibid. tepidi. etc. Vulg. interpr. Exod. 10. 13. Ventum inducere. Id. ibid. 14. 21. Flante vento. Id. Job 13. 25. Vento rapi. Id. Ps. 17. 11. Volare super pennas ventorum. — Jungitur nominibus peculiarium ventorum. Cic. 9. Att. 6. Septentriones venti. Cæs. 5. B. G. 7. Corus ventus. Nepos Milt. 1. Aquilo. et ibid. 2. Boreas. Sic Plaut. Curc. 5. 2. 47. Exoritur ventus turbo, spectacula ibi ruunt. Adde Trin. 4. 1. 16. Quintil. 8. 2. 13. Ventus Atabulus. Plin. 16. Hist. nat. 39. 75. (193). Auster. Id. 2. ibid. 47. 48. (126). Africus. Id. ibid. 43. 43. (114). Tropæi. et ibid. Apogæi. et ibid. Altani. — Omnium antiquissimi duos tantum ventos habuere. Isid. 13. Orig. 11. a med. Ex omnibus autem ventis duo cardinales sunt: Septentrio et Auster. Id ipsum affirmat Strabo l. 1. p. 51. ed. Amstel. ex Thrasyalcis sententia. — Deinde quattuor fuere cardinales, quia flant a quattuor mundi cardinibus, septentrione, oriente, meridie, occidente. Hos, Homerum Odyss. l. 5. v. 295. secutus, Ovid. 1. Trist. 2. 27. et 1. Met. 60. Borean, Eurum, Notum, Zephyrum Græcanicis nominibus appellat. (Adde Manil. 4. 589.) Eosdem vero Latinis Cels. 2. 1. Septentrionem, Subsolanum, Austrum, Favonium. — Mox octo facti sunt. Hos Plin. 2. Hist. nat. 47. 46. Græcanicis nominibus vocat Aparctian, Borean; Apelioten, Eurum; Notum, Liba; Zephyrum, Argesten: Latinis Septentrionem, Aquilonem; Subsolanum, Vulturnum; Austrum, Africum; Favonium et Corum. — Circa Alexandri M. tempora venti duodecim fuerunt. Hos Seneca 5. Quæst. Nat. 16., Veget. 5. Milit. 8. et Auct. epigr. in Anthol. Lat. T. 2. p. 381. Burmann. nominibus Græcanicis appellant Aparctian, Borean, Cæcian; Apelioten, Eurum, Euronotum; Notum, Libonotum, Liba; Zephyrum, Argesten et Thrascian: Latinis Septentrionem, Aquilonem, Cæcian; Subsolanum, Vulturnum, Album Notum; Austrum, Austroafricum, Africum; Favonium, Corum et Circium. Sunt qui hos eosdem ventos aliis appellant nominibus ac præsertim derivatis ex iis locis, unde ipsi flare solent, quæ tamen omnia recensere, quia infinitum esset, ideo consulto omittimus. — Philarg. ad Virg. 4. G. 298. Omnes venti præter enchorios, idest regionales, sunt duodecim. — Hi duodecim venti ita se excipiunt, docente Isid. 13. Orig. 11. 3. Subsolanus a latere dextro Vulturnum habet, a lævo Eurum: Auster a dextris Euroaustrum, a sinistris Austroafricum: Favonius a parte dextra Africum, a læva Corum. Porro Septentrio a dextris Circium, a sinistris Aquilonem. Cf. Marini Iscr. Alb. p. 177. — Tandem sub Augusti tempora venti quattuor et viginti evasere. Eos ita recenset Vitruv. 1. 6. Septentrionem, Gallicum, Supernatem, Aquilonem, Borean, Carban; Solanum, Ornithias, Cæcian, Eurum, Vulturnum, Euronotum; Austrum, Altanum, Libonotum, Africum, Subvesperum, Argesten; Favonium, Etesias, Circium, Caurum, Corum et Thrascian. Hæ sunt quintuplices ventorum divisiones apud veteres Romanos. — Ventorum nomina mire perturbat Hygin. fab. 183. ab A. Maio in Class. Auct. T. 3. p. 63. edit. — Recentiores Itali, qui mare mediterraneum navigant, sedecim ita numerant ventos: Tramontana, Tramontana-Greco, Greco, Greco-Levante, Levante, Levante-Sirocco, Sirocco, Sirocco-Ostro, Ostro, Ostro-Garbin, Garbin, Garbin-Ponente, Ponente, Ponente-Maestro, Maestro, Maestro-Tramontana. Hæc porro nomina ideo apposuimus, quia eadem cum antiquis sæpe comparantur. Recentiores vero Europæi ventos duos et triginta numerant, compositis eorum nominibus ex quattuor vocabulis Germanicis, Nord, Ost, Oest seu Est, Sud et West seu Ovest; quæ quattuor primarios seu cardinales ventos significant. — In fabulis est, Ventos filios fuisse Astræi, qui patrem Titanum habuit, et Auroræ et fratres Astrææ; eos aliquando adversus Jovem prœliatos esse; a Jove debellatos in terræ speluncis in Æolide inclusos fuisse iisque Æolum regem datum, qui eos coerceret. Serv. ad Virg. 1. Æn. 136. et Hygin. præf. Hinc pro diis habiti sunt et templa illis dicata, ut Circio ab Augusto, teste Seneca 5. Quæst. nat. 17. sub fin., et victimæ cæsæ, ut apud Virg. 3. Æn. 120. et Horat. Epod. 10. in fin., et vota facta, ut apud Lucret. 5. 1228., Ovid. Heroid. 18. 37. et Turpil. apud Cic. 4. Tusc. 34. 73. — De singulis ventis V. ONOM. — b) Hinc locutiones — In vento et in aqua scribere, h. e. operam perdere. Catull. 70. 4. — In ventos dare verba, h. e. frustra loqui, gettar le parole al vento, sprecare il fiato, parlare al deserto, apud Ovid. 1. Amor. 6. 42., vel in ventum verba proferre apud Vulg. interpr. Job 6. 26. — Ventis loqui, eod. sensu, Ammian. 15. 5., vel ventis verba profundere, item, Lucret. 4. 920. — Ventum seminare, id serere, ex quo fructus colligi nequit. Vulg. interpr. Os. 8. 7. Ventum seminabunt et turbinem metent. seminar vento e raccoglier tempesta. — Ventis tradere, oblivioni tradere. Horat. 1. Od. 26. 1. Tristitiam et metum Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis. Huc pertinet et illud Virg. 10. Æn. 652. nec ferre videt sua gaudia ventos. h. e. irrita esse, in nihilum abire. — Vento vivere, proverbiali locutione, dicitur is, qui minimo sumptu victitat, trattarsi meschinamente, viver d'aria. Imp. Alexand. Cod. 5. 50. 2. in fin. — In ventum, pro vento ferente seu secundo, habet Tertull. contra Gnost. 1. — Vim venti graphice describit Lucret. 1. a v. 278. ¶ 2. Speciatim est aer, æther, l'aria, l'atmosfera. Virg. 5. Æn. 526. In nubibus arsit arundo Signavitque viam flammis tenuesque recessit Consumpta in ventos. Adde 4. ibid. 795. ¶ 3. Item pro halitu seu spiritu. Lucret. 3. 129. Est igitur calor ac ventus vitalis in ipso Corpore. ¶ 4. Item pro flatu ventris. Colum. 6. R. R. 30. 4. At si bilis molesta est jumento, venter intumescit nec emittit ventos. Adde Marcell. Empir. c. 20 p. 115. retro.

II.) Improprie ventus textilis est vestis tenuissima, quæ subtilitate videtur ventos æquare. Laberius apud Petron. Sat. 55. Æquum est induere nuptam ventum textilem. V. NEBULA.

III.) Translate. ¶ 1. Pro mundi plaga. Vulg. interpr. Zach. 2. 6. In quattuor ventos cæli dispersi vos. Adde Ez. 37. 9. et alibi. ¶ 2. Per metaphoram ventus accipitur pro calamitate, adversa fortuna, perturbatione. Cic. Pis. 9. ad fin. Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas. ¶ 3. Item pro secunda seu prospera fortuna. Id. 2. Att. 1. a med. Quid si etiam Cæsarem, cujus nunc venti valde sunt secundi, reddo meliorem? ¶ 4. Item pro favore, plausu. Id. Cluent. 47. 130. Verum omnes intelligimus in istis subscriptionibus ventum quemdam popularem esse quæsitum. ¶ 5. Item pro fama, rumore. Id. ibid. 28. 77. Qui omnes rumorum et contionum ventos colligere consuesset. — Similiter Cæl. apud Cic. 8. Fam. 8. Quo vento projicitur Appius.

**VENTUS**, us, m. 4. (venio) ¶ 1. Actus veniendi, adventus. Varro 5. L. L. 72. Müll. Venelia a veniendo ac ventu illo etc. ¶ 2. Alio sensu. V. voc. præc. init.

**VĔNŬCŬLUS**, a, um, adject. Alii aliter scribunt, ut vennuculus, vennunculus, veniculus, aveniculus. V. Schneid. ad Colum. 3. R. R. 2. p. 537. et alib. et Georg. in Handw., qui vennuculus præferre videtur. V. infra. — Venuculus videtur quibusdam dici a Venusia, oppido Apuliæ, de qua V. ONOM., ut sit ad Venusiam pertinens; quidam vero rectius venuculus non a Venusia oppido, sed a venus derivant, ut sit idem, quod venalis: nam ideo hujus nominis uva in ollis servabatur, ut vendi posset extra vindemiæ tempora, ob id etiam ollaris dicta. Hinc Horat. 2. Sat. 4. 71. venucula convenit ollis: Rectius Albanum fumo duraveris uvam. (Quidam, hic inquit Forcellinus, scribunt Vennucula duplici n, ut commode prima syllaba producatur, quæ in Venusia brevis est.) V. Acron. ad h. l. Colum. 12. R. R. 43. a med. Uvæ Venuculæ, quas antiqui in vasis condebant. Plin. 14. Hist. nat. 2. 4. (34). Venucula inter optime deflorescentes et ollis aptissima. Harduin. et Sillig. leg. venicula eodem sensu: alii venuncula. Colum. 2. R. R. 6. far etiam venuculum nominat et inter farris varia genera refert. Alii leg. vermiculum, h. e. rutilum.

**VĔNŬLA**, æ, f. 1. deminut. a vena, parva vena, picciola vena, venuzza, φλέβιον.

I.) Proprie. Cels. 2. 6. Oculi illacrimant atque in iisdem venulæ pallent Adde Marcell. Empir. c. 15. et Augustin. 22. Civ. D. 8.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de vena aquæ fontanæ. Claud. Mamert. præf. Stat. anim. p. 697. Mign. ¶ 2. Et per metaphoram. Quintil. 12. 10. 25. Quid est cur, in iis, qui tenui venula per calculos fluunt, Atticum saporem putent?

**VĔNULLA**, æ, f. 1. deminut. a vena vel venula, parva vena vel venula, apud Pers. 1. 103. Mai ex Cod. palimps. ed. in Class. Auct. T. 3. p. XX. At non facile probaverim ob sollemne deminut. venula et inusitatum contractionis modum; nisi malis, sed perperam, eo modo esse factum, quo ullus, paullus et hujusmodi alia. In editionib. est vena ulla et in Amstædolamensi ann. 1684. pars ulla. Cf. Spartian. Pescen. Nig. 3.

VĒNUM. *V.* VENUS, us.

VĒNUMDO. *V.* VENUNDO.

VĒNUNCŬLUS. *V.* VENUCULUS.

VĒNUNDANS, antis, particip. *V.* VENUNDO.

VĒNUNDĀTĬO *vel* venundacio, ōnis, f. 3. (venundo) actus venundandi. *Gloss. Gr. Lat.* Πρᾶσις, venundacio.

VĒNUNDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĒNUNDO *et* venumdo, das, dĕdi, dătum, dăre, a. 1. Scribitur etiam *venum do* divisim. *V.* VENUS, us. — Præterit. *venundavi* pro *venundedi* apud *Augustin. Serm.* 118. *n.* 2. ed. *Mai.* et *Cassian.* 23. *Coll.* 13. — Præs. conjunct. *venunduit* in XII. Tab. 4. 4. *Schoell.* apud *Caj. Inst.* 1. 132., ubi tamen *Krüger* leg. *venum duit* divisim et *Ulp. fr.* 10. 1., ubi *Huschke* leg. *venunduuit.* — Part. *Venundans* I.; *Venundatus* I. et II. — Venundo est idem quod vendo, venum do, ἀπεμπωλέω, ἀποδίδωμι (It. *vendere o dare a vendere, mettere in vendita;* Fr. *mettre en vente, vendre;* Hisp. *meter en venta, vender;* Germ. *verkaufen;* Angl. *to sell, expose to sale*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Off.* 16. 66. Quum in venundando rem eam scisset et non pronunciasset, emptori damnum præstari oportere. Ubi *Facciolati:* Usus est vetustate verbi ex formula. *Alii tamen leg.* vendendo. *Sall. Jug.* 91. Numidæ puberes interfecti, impuberes venundati. *Propert.* 3. 17. 22. Tuque, o Minoa venundata Scylla figura. *Tac. Agric.* 28. Per commercia venundati. *Flor.* 4. 12. *a med.* Hos sub corona jure belli venundedit. *Fragm. juris civ. antejustin.* (edente *A. Maio*) *p.* 71. Matre quoque filiæ res venundante, nihil ei auferre posse, non ambigitur. — *Vulg. interpr. Ps.* 104. 17. In servum venundatus est Joseph. — *Venundari* pro vendere se, apud *eumd.* 3. *Reg.* 21. 20.

II.) Translate. *Tac.* 11. *Ann.* 22. *extr.* Quæstura gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellæ velut venundaretur. *Vulg. interpr. Rom.* 7. 14. Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Adde 1. *Mach.* 1. 16.

VĔNUS, ĕris, f. 3. Etymon, quod de nominibus propriis suo cujusque loco exhibemus, hic ponimus pro hac voce, quam sæpe tamquam communem adhibent Latini scriptores. Sunt itaque, qui eam derivant a rad. *ven,* unde et *venia* (V. VENIA), et primariam significationem esse statuunt, quam nos secundariam seu deductam existimamus; alii vero minus apte a *veniendo,* quod se facile petentibus præbet vel quod venit ad omnia: rectius duxeris a rad. Skr. *van* quod est amare. — Venus est igitur dea amorum, de qua *V.* ONOM.: sed qua nomen commune, seu metonymice, adhibetur.

I.) In re Venerea sumitur pro libidine seu appetitu commixtionis cum altero corpore et pro re ipsa Venerea, quam Græci ἀφροδισιασμός dicunt. — *a*) Universim. *Ter. Eun.* 4. 5. 6. Sine Cerere et Libero friget Venus. *Virg.* 3. *G.* 97. Frigidus in Venerem senior. *Propert.* 4. 7. 19. Sæpe Venus trivio commissa. *Virg.* 3. *G.* 137. Sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat. τὸ σπέρμα. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 127. Concubitus, sive Venus, ab aliquibus parva epilepsia nuncupata est. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 61. (94). Venerem in totum adimit nymphæa heraclia. Insomnia quoque Veneris a jejuno pota et in cibo sumpta. Illita quoque radix genitalibus inhibebit non solum Venerem sed affluentiam genituræ. Adde *Apul.* 5. *Met.* — Et de brutis animalibus. *Virg.* 2. *G.* 329. et venerem certis repetunt armenta diebus. *Tibull.* 1. 9. 75. Cum trucibus Venerem (*hunc*) jungere posse feris. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 24. 2. — *b*) *Venus feminea* est, qua quis utitur in feminis; *aversa,* qua in pueris vitiandis. *Ovid.* 10. *Met.* 80. omnemque refugerat Orpheus Femineam Venerem. *Capitolin. Albin.* 11. Mulierarius inter primos amatores, aversæ Veneris semper ignarus et talium persecutor. — *Venus perversa* hæc eadem dicitur. V. *Perversus* I. *in fin.* sub PERVERTO. — *c*) *Venus pendula* quid sit, *V.* in PENDULUS. — *d*) *Venus nefanda,* de qua lata est lex Scatinia, *V.* in ONOM. — *e*) *Veneres,* per blanditiam, amatores amicas suas vocant. *Virg.* 3. *Ecl.* 68. parta meæ Veneri sunt munera. — *f*) *Veneris perjuria,* ab diis neglecta nullique pœnæ obnoxia, apud *Tibull.* 1. 4. 21. Cf. *eumd.* 3. 6. 49. et seq., *Propert.* 2. 28. 8., *Ovid.* 1. *Art. am.* 633. etc.: hinc proverb. *Venereum jusjurandum* apud *Erasm. Adag. chil.* 2. *cent.* 4. 90. Cf. etiam *Plat. Conv.* 10. et *Phœdr.* 18. Sic *Shakespeare:* « At lovers' perjuries, they say, Jove laughs » (*Jul. and Rom.* II. 2.).

II.) Extra rem Veneream. ¶ 1. Pro gratia, qua apud alios pollemus. *Seneca* 2. *Benef.* 28. Ille non est par mihi virtutibus nec officiis, sed habuit suam Venerem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (79). *de Apelle.* Quorum (*pictorum*) opera quum admiraretur, collaudatis omnibus, deesse iis unam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant. ¶ 2. Interdum etiam pro venustate, ornatu, elegantia. *Plaut. Stich.* 2. 1. 5. Profecto amœnitates omnium Venerum et venustatum affero. *Quintil.* 6. 3. *ante med.* Quod cum gratia quadam et Venere dicitur. *Id.* 10. 1. 79. Isocrates omnes dicendi Veneres sectatus est. ¶ 3. *Venus* non amorum solum, sed et hortorum præses habita est, et *Hortensis* appellata, quia horti ad amœnitates et delicias pertinent, quæ amorum comites sunt. Hinc *Varro* 1. *R. R.* 1. Adveneror Minervam et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum: quo nomine rustica Vinalia sunt instituta. *Nœvius* apud *Paul. Diac. ex Fest.* in voce *Cocum p.* 58. 14. *Müll.* Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem. Ubi *Neptunus* pro piscibus ponitur, *Venus* pro oleribus, *Ceres* pro pane. ¶ 4. Est item *Venus* stella errans, inter Solis et Mercurii sphæram sita, quæ mane, quum antegreditur Solem, Græce Φωσφόρος, Latine *Lucifer* dicitur: vespere, quum Solem subsequitur, appellatur a Græcis Ἕσπερος, a Latinis *Vesper* et *Vesperugo. Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 53. Infima est quinque errantium terræque proxima stella Veneris, Φωσφόρος Græce, Lucifer Latine dicitur, quum antegreditur Solem; quum subsequitur autem, Hesperos. Adde 6. *Rep.* 17. 17. ¶ 5. Hinc *Veneris dies* fuit appellatus ille dies, quem nunc Itali *Venerdì* vocant. *V.* DIES. *Inscr.* apud *Gruter.* 1053. 4. DEPOSITVS PVER HELIAS ARGENTARIVS SEPTVMV KAL. NOVEMBRES DIE BENERIS (*sic pro* Veneris) ORA (*h. e.* hora) QVARTA. *Alia* apud *Donat.* 180. 4. DIONYSIVS ANNORVM PLVS MINVS XXV. DECESSIT IN PACE PRIDIE NON. APRILIS DIE BENERIS SEV. ET QVIN. COSS. *h. e.* Severo et Quinctiano consulibus, videlicet ann. a Chr. n. CCXXXV. ¶ 6. *Venus* etiam dicebatur talorum jactus; nempe is, qui talos omnes figura exhibebat diversa, hoc est, Quum steterit nullus vultu tibi talus eodem, ut loquitur *Martial.* 14. 14. Causa nominis est, quod is jactus propitia Venere fieri putaretur, unde et *Venereus* dicebatur: erat enim omnium jactuum felicissimus. *Propert.* 4. 8. 45. Me quoque per talos Venerem quærente secundos, Semper damnosi subsiluere Canes. *Augustus* apud *Suelon. Aug.* 71. Quos denarios tollebat universos, qui Venerem jecerat. ¶ 7. Similiter *Venus* in tesserarum ludo dicebatur jactus, quo ternæ tesseræ senionem ostendunt. *V.* HEXAS et TESSERA. ¶ 8. *Veneris* gemma quædam dicta. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (123). ¶ 9. *Veneris crinis,* gemma alia nigerrimi coloris apud *eumd. ibid.* 10. 69. (184). ¶ 10. *Veneris labrum,* herba. *V.* LABRUM. ¶ 11. *Veneris pecten,* item herba. *V.* PECTEN. ¶ 12. *Veneris pervigilium* quid sit, *V.* in PERVIGILIUM.

VĒNUS (vænus), us, m. 4. — *a*) Sunt qui scribunt cum diphthongo æ. V. VENEO. — *b*) Etiam *venum, i,* neutr. gen., videtur usurpatum, ut apparet ex *Thes. nov. Latinit. p.* 626. *Mai.* Sic *Gloss. Lat. p.* 290. *n.* 86. Venum, venditio. Cf. etiam subjecta *Tac.* et *Suelon.* loca. *Forcellinus* monet, quosdam putasse *venum* supinum esse verbi *veneo,* quum rectius *veneo* sit contractum a *venum* et *eo.* Quin addit, reperiri etiam quosdam hujus nominis casus, ut *venui* dativ., tamquam a *venu, u:* et *veno* in dat. et ablat. a *venum, i:* aliquando itaque vocem per casus inflexam legi ac propterea nomen potius esse dicendum, cujus in usu frequentissimo sit *venum.* — *c*) Ratione habita etymi, videtur esse a rad. Skr. *vas* (Indice *vasna*), qua pretium rei emptæ significat. Ceterum *V.* VENEO. — Venus et venum est id quod venale est, ut *Forcellinus* interpretatur, *cosa da vendere, venale,* vel potius ipsa venditio, *vendita, traffico:* et adhibetur utraque forma (sed tantum in casibus, ut dictum est, *venui, veno, venum*), sæpissime cum verbis *ire, dare, tradere* aliisque hujusmodi, ut *venum ire* idem sit ac vendi, *essere esposto alla vendita:* et *venum dare* vel *tradere,* idem ac vendere, *dare ad essere venduto.* — In Dat. *Apul.* 8. *Met.* Eum rogavit unus e nostris, haberetne venui lacte? *se avea latte da vendere.* et *infra.* Cantherium venui subjicere. *esporre alla vendita.* et *Tac.* 13. *Ann.* 51. Militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quæ veno exercerent. *in quelle cose, delle quali facessero mercatanzia.* et 14. *ibid.* 15. Posita veno irritamenta luxus, *esposti alla vendita.* et *Sueton. vit. Lucan. ad fin.* Poemata ejus etiam prælegi nemini, confici ac veno proponi. — In Acc. sæpius, omissa præp. *ad* vel *in,* ut in *inficias, suppetias ire* (Cf. NUPTUS, ūs), nisi malis *venum* usurpari tamquam casum adpositionis; et tunc etiam in recto aliquando occurrere. *Liv.* 3. 55. Ut ejus familia ad ædem Cereris venum iret. *Gell.* 7. 4. Pileatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil præstaret, Cælius Sabinus jurisperitus scriptum reliquit. *Lucan.* 4. 206. seque et sua tradita venum Castra videt. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 178. Venum cuncta dari, *h. e.* omnia venalia esse. *Id.* 1. *in Eutrop.* 37. Omnes pœnituit pretii: venumque redibat, Dum vendi potuit.

VĔNUSTA, æ, f. 1. *V.* VENUSTUS.

VĔNUSTAS, ātis, f. 3. Nomen a *venustus,* quod a *Venus:* sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. *extr.* Quæ autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt: atque ex ea potius venustas, quam Venus ex venustate. — Venustas est pulcritudo, formæ elegantia, gratia aspectus, ἐπαφροδισία, ὡρία, εὐσχημοσύνη (It. *bellezza, grazia, venustà;* Fr. *charmes extérieurs, attraits, grâce, beauté;* Hisp. *beldad, gracia, hermosura;* Germ. *die Anmuth, Lieblichkeit, Reiz, Schönheit;* Angl. *comeliness, grace, beauty*).

I.) Proprie. — *a*) De animantibus et quidem in primis dicitur de mulieribus, ut de viris dignitas. *Cic.* 1. *Off.* 30. 17. et 36. 130. Quum autem pulcritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Hanc tamen *Tac.* 12. *Ann.* 51. mulieri tribuit; illam in viro laudat *Nepos Eum.* 11. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 27. 95. Venustas et pulcritudo corporis secerni non potest a valetudine. *Id. Orat.* 18. *ad fin.* Vultus multam affert tum dignitatem tum venustatem. *Catull.* 86. 4. *de Quinctia.* nulla venustas, Nulla in tam magno corpore mica salis. Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (79). — *b*) De inanimatis rebus. *Cic.* 6. *Verr.* 3. 5. Erant aenea præterea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu. *Id.* 3. *Orat.* 46. 180. Capitolii fastigium illud non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. *Varro* 1. *R. R.* 59. 2. Venustas pomorum.

II.) Translate. ¶ 1. Subjective, uti ajunt, accipitur pro quacumque gratia, ut pro amabili suavitate orationis, pro lepore sive gratia dicendi et Venere, χαριεντισμός. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 243. Dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate conjuncta profuit. *Id.* 7. *Verr.* 54. *sub fin.* Affluens omni lepore et venustate. — In plur. num. *Gell.* 17. 20. Verborum venustates. ¶ 2. Objective, quod dicitur, interdum pro felicitate. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 44. Diem pulcrum et celebrem et venustatis plenum! *Ter. Hecyr.* 5. 4. 8. Quis me fortunatior venustatisque adeo plenior? — In plur. num. *Plaut. Stich.* 2. 1. 5. Amœnitates omnium Venerum atque venustatum affero. *Id. Pseud.* 5. 1. 12. Est homini, quamobrem vitam

amet. hic omnes voluptates, in hoc omnes venustates sunt. ¶ 3. *Venustas* quasi dea accipi videtur ab eod. *Plaut.* in *Bacch.* 1. 2. 6. LY. Quis istic habet? PI. Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium, Jocus, Ludus, Sermo, Suavisaviatio. LY. Quid tibi commerci est cum diis damnosissumis?

Homonym. Quomodo differat *venustas* a *dignitate* formæ, *V.* supra. Cf. etiam PULCHER.

VĔNUSTĀTUS, a, um, partic. *V.* VENUSTO.

VĔNUSTĒ, adverb. Comp. *Venustius* et Sup. *Venustissime.* — Venuste est cum venustate, lepide, *graziosamente, con garbo*, χαριέντως. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 4. Qua in re mihi videtur illud per quam venuste cecidisse. *Plin.* 6. *Ep.* 21. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste atque in hoc genere eloquentissime. *Seneca* 1. *Contrav.* 1. *ante med.* Hispanus hunc colorem venustius. *supple* adhibuit. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 11. *circa med.* Venustissime respondere. *Quintil.* 6. 3. *ante med.* Omnia venustissime finxit.

VĔNUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (venustus) Part. *Venustatus.* — Venusto est orno, καλλύνω (It. *ornare, adornare;* Fr. *parer, orner, embellir;* Hisp. *adornar, hermosear;* Germ. *lieblich machen, schmücken;* Angl. *to adorn, beautify*). *Nævius* apud *Fulgent. De prisc. serm. n.* 43. *p.* 180. *Muncker.* (V. ed. *Klussmann p.* 151.) Myropola affatim mihi unguentum largitus est, quo me venustarem. Subdit *Fulgent.* Affatim dicitur abundanter: venustare vero, exhilarare. *Heges.* 2. 1. Templum Apollinis multis ornatibus venustarat. *Firm.* 4. *Math.* 13. Quos honesta corporis pulcritudo venustet. *Ambros.* 1. *Hexaem.* 7. Ideo primo fecit (*terram*) Deus, postea venustavit. Adde *Chalcid. Tim.* 8. — *Ambros.* in *Luc.* 2. 2. Operum miracula divinorum, nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt.

VĔNUSTŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* venustus, aliquantum venustus, *graziosetto*, ὑπόσεμνος. *Plaut. Asin.* 1. 3. 70. compellando blanditer, Osculando, oratione vinnula, venustula. — *Auson. Ep. edyll.* 4. *pr. p.* 157. *B.* Carmina venustula.

VĔNUSTUS, a, um, adject. (Venus) Comp. *Venustior* II. 1. et 2.; *Venustissimus* I. — Venustus est pulcher, formosus, ἐπαφρόδιτος, καλός (It. *bello, vistoso, avvenente, vago;* Fr. *charmant, aimable, gracieux, joli, beau;* Hisp. *atractivo, lindo, gracioso, hermoso;* Germ. *liebreizend, liebreich, anmuthig, schön;* Angl. *comely, handsome, charming, agreeable, amiable*).

I.) Proprie. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 153. Mulier specie venusta. *et* 5. 4. 4. Diva venustissima Venus. *Ter. Andr.* 1. 1. 92. Adulescentula forma et vultu adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra. *Sueton. Ner.* 51. Fuit vultu pulcro magis quam venusto. *Id. Aug.* 79. Forma fuit eximia et per omnes ætatis gradus venustissima. *Vulg. interpr. Gen.* 22. 13. Rachel decora facie et venusto aspectu.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de quacumque re concinna et aspectu grata, *di bella vista*. *Vitruv.* 3. 2. Sic enim habebit et figurationis aspectum venustum et aditus usum sine impeditionibus. (Sic contra *ibid. a med.* Tumida et invenusta species. *et sub fin.* Vascus et invenustus conspicientibus remittetur aspectus.) *Catull.* 31. 12. Salve, o venusta Sirmio. *Cic.* 1. *Rep.* 14. 21. Sphæra venustior. *Id. Brut.* 55. *ad fin.* Gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scænam, institutus videretur. *Phœdr.* 4. 4. Venusti hortuli. ¶ 2. Item pro decente, elegante, ornato in oratione. In eo *venustus* et *lepidus* differunt, quod venustum vocamus, quod cum gratia quadam et Venere dicitur, ut ait *Quintil.* 6. 3. 18., lepidum, quod rotunditate quadam et brevitate atque acumine verborum delectat. *Cic. Brut.* 95. 325. Unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis. (At *ibid.* 75. 262. in iis verbis, de Cæsaris commentariis, *nudi, recti, venusti*, adhibet hanc voc. postremam pro sola elegantia: nam addit postea: *omni ornatu orationis detracto*, ut monet *Trivellatus* noster.) *Quintil.* 10. 1. 65. Venusta comœdia. *Catull.* 3. 1. Lugete, o Veneres Cupidinesque Et quantum est hominum venustiorum. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Plerumque dolor etiam venustos facit. *h. e.* facetos. ¶ 3. *Venustus* quoque fortunatum significat, ut *invenustus* non solum deformem, sed et infortunatum. Græcis similiter ἐπαφρόδιτος pro fortunato accipitur. *V.* INVENUSTUS. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Venusta, æ*, f. 1. absolute, herba, Græco vocabulo *Cynocephalion* dicta. *Apul. Herb.* 86.

Homonym. Discrimen inter *pulcrum* et *venustum*, *V.* sub PULCHER. — Item quid differat *venustus* a *lepido*, V. sub II. 2.

VĒPALLĬDUS (væpallidus), a, um, adject. valde, admodum pallidus. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 129. vepallida lecto Desiliat mulier, miseram se conscia clamet. Sed *Bentlej.* multis acriter contendit, *ne pallida* legendum esse. *Fea* et *Ritter* dividendum putant in *væ* et *pallida*, ut illa interjectio sit feminæ timentis aut perturbatæ. *Cf. eumd.* 1. *Od.* 13. 3. Recentiores tamen plures priori lectioni suffragantur. — De hoc ἅπαξ λεγομένῳ V. *Keller Epil. p.* 444. et *seq.*

VĒPĔNIS, is, m. 3. parvum penem habens, hoc est pusio, puer. *V.* PISINNUS.

VEPRA, æ, m. 1. callidus testificator, versipellis, ut exponitur in *Gloss. Isid.* Alii leg. *vafra*, alii *vabra.* Cf. voc. seq.

VĔPRĀTĬCUS, a, um, adject. (vepres) qui ex pruno est, *di pruno. Colum.* 7. *R. R.* 1. Asellus exiguo et qualicumque pabulo contentus; quippe vel foliis spinisque vepraticis alitur vel objecto fasce sarmentorum. Ita legit et edidit *Schneiderus* ex *Cod. Sangerman.*, alii perperam pro *vepraticis* leg. *vel perticis salignis.*

VĔPRĔCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* vepres, parva vepres, *prunetto*, ἀκάνθιον. V. *Priscian. p.* 3. 33. et *Capr. p.* 101. 13. *Keil. Cic. Sext.* 33. 72. Ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur arrodere. — *Vipera est in veprecula*, vetus adagium est, quod habet *Pompon.* apud *Non. p.* 231. 13. *Merc.* de iis, qui subito possunt afferre malum.

VĔPRES (vepris), is, m. et f. 3. — *a*) Rectus singularis in *es* agnoscitur a *Priscian.* 3. *p.* 613. *Putsch.*, et firmatur analogia; nam ut a *nubes* fit *nubecula*, a *dies diecula*, a *vulpes vulpecula*, sic a *vepres veprecula*. Immo *vepris* improbat *Prob. App. p.* 198. 16. *Keil.* — Etiam *veper* apud *Capr. p.* 101. 12. et *Æmil. Macr.*, ut tradit *Auct. De dub. nom. p.* 592. 20. — *Vipres* pro *vepres* V. in VEPRETA. — *b*) Genet. plur. *veprium*; sed et *veprum* apud *Stat.* 5. *Silv.* 2. 44. V. infra. — *c*) Fere est masc. gen.; sed aliquando feminine usurpavit *Lucret.* 4. 60. et etiam *Liv.* apud *Auct. De dub. nom. p.* 592. 19. *Keil.* — *d*) Etymon non facile reperies; nam quod affert *Isid.* 17. *Orig.* 7. 60. ne attendi quidem potest; nec *Furlanetto*, qui ab ἕπω, *sequor*, cum *v* ob aspirationem, derivat, libenter annueris. Cf. *Döderlein op. cit. v.* 6. *p.* 396. — Vepres est rubus, dumus, sentis, spina, ἄκανθα, βάτος, θάμνος (It. *pruno, spina, sterpo;* Fr. *buisson épineux, buissons, épine;* Hisp. *zarza, espina, verdugo;* Germ. *der Dornbusch, Dornstrauch;* Angl. *a thorn, sting, back-bone, sucker*).

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Colum.* 11. *R. R.* 3. Hunc veprem manifestum est interimi non posse, nisi radicitus effodere velis. *Ovid.* 5. *Met.* 628. Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit Ora canum. *h. e.* vepreto, *prunaio, cespuglio, macchia.* — *b*) Sæpius in plur. num. *Cato R. R.* 2. Viam muniri, vepres recidi hortum fodiri. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 64. Sepulcrum sæptum undique et vestitum vepribus et dumetis. *Virg.* 3. *G.* 444. hirsuti secuerunt corpora (*ovium*) vepres. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 9. Corna vepres et pruna ferunt? *Lucret.* 4. 60. Illorum spoliis vepres volitantibus auctas. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 43. Metari Bolanus agros, aperire malignas Tot veprum nemorumque moras. *Sueton. Ner.* 48. *a med.* Inter fruticeta ac vepres ægre, nec nisi strata sub pedibus veste evasit. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *sub init.* Vepres efficiendi consitis spinis rationem talem reddiderunt. *h. e.* sæpem ex vepribus. — *Inter vepres rosæ nascuntur*, proverb. apud *Ammian.* 16. 7. 4.

II.) Translate. *Vulg. interpr. Is.* 9. 18. Impietas veprem et spinam vorabit. *Hieronym.* 4. in *Is.* 10. 16. Ipsum Dominum succedere vepres et spinas Assyrii omnem illius potentiam et innumerabiles populos ad nihili deducendos.

VĔPRĒTA, æ, f. 1. (vepres) idem ac vepretum. Usus est *Varro* 1. *R. R.* 29., ut *Scaliger* putat. Similiter *myrteta* pro *myrtetum* dixit *Plaut.* in *Vidularia*, ut *Priscian.* docet 4. *p.* 625. *Putsch.* Verba autem *Varron.* sunt: Seminaria omne genus ut serantur, putari vepretas, circum vites ablaquear i. Veteres libri habent *putaris in pratis*: legendum tamen *vipretas*; nam *vipres* dicebant, ut ego sæpe in veteribus MSS. codicibus memini me legere, inquit *Scaliger.* An potius *vepreta* plur. a *vepretum* legendum? *Klotz* et *Georg.* omittunt. Cf. *Schneid.* ad *Varron. loc.*

VĔPRĒTUM, i, n. 2. (vepres) locus vepribus plenus, dumetum, ἀκανθών (It. *luogo pieno di spine, fratta;* Fr. *lieu rempli d'épines, de buissons, broussailles;* Hisp. *espinar, breña;* Germ. *e. Dorngebüsch;* Angl. *jungle, hedge, bush*). *Colum.* 4. *R. R.* 32. Fluminum ripis et limitibus ac vepretis commodius, quam mediis agris, deponitur. *Alii leg.* vepribus. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Runcones, quibus vepreta persequimur.

VĒR, vēris, n. 3. — *a*) Abl. sing. *veri* pro *vere* apud *Colum.* 10. *R. R.* 129. — *b*) *Vera* legitur in *Inscr.* in *Ephem. epigr.* 2. 310. *n.* 409. — *c*) Ratione habita etymi, *Varro* putat esse ab eo quod tum *virere* incipiunt virgulta (Sic et *Isid.* 6. *Orig.* 35. 3.); vel *vertit* se tempus anni: vel potius ab eo quod Iones dicunt ἦρ (6. *L. L.* 9. *Müll.*), addito Æol. digammate, ex ἔαρ vel εἶαρ. Hoc autem recentiores etymologi aptius derivant a rad. Skr. *vas*, splendere. « Der Frühling, pulcre inquit *Aufrecht*, als ein Erglänzen der Natur, gleichsam ein Aufbrechen der Morgenröthe nach langer Winternacht gefasst ». — Ver est anni pars, quæ hiemem sequitur, ἔαρ (It. et Hisp. *primavera;* Fr. *printemps;* Germ. *der Frühling*, Angl. *the spring*).

I.) Proprie. *Varro* 6. *L. L.* 9. *Müll.* Temporis pars prima hiems, quod tum multi imbres. Tempus secundum ver, quod tum vivere incipiunt etc. *Cato R. R.* 50. et *Horat.* 3. *Od.* 7. 2. Primo vere. *Virg.* 1. *G.* 43. Vere novo. *Colum. De cult. hort.* 256. Ver purpureum. *Id. ibid.* 282. egelidum. *Inscr.* apud *Orelli n.* 2109. floridum. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 27. *Plaut. Truc.* 2. 4. 2. ver vide: Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet! *Lucret.* 5. 737. It ver et Venus et veris prænuntius ante Pennatus graditur Zephyrus, vestigia propter Flora quibus mater præspargens ante viai Cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet. *Cic.* 7. *Verr.* 10. 27. Cujus (*veris*) initium iste non a Favonio neque ab aliquo astro notabat, sed quum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur. *Ammian.* 27. 5. 2. Pubescente vere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (122). Ver aperit navigantibus maria. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 86. — *Vere numerare flores*, proverb. de re, quæ fieri non potest, apud *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 57. Vere prius flores, æstu numerabis aristas. — Dividitur in tres partes, in ver novum sive primum, adultum et præceps. Nam quum vernum tempus sit trimestre, primus mensis primo sive novo veri assignatur, secundus adulto tribuitur, tertius præcipiti sive cadenti. Ita docet *Serv.* ad illud *Virg.* 1. *G.* 43. Vere novo, gelidus canis quum montibus humor Liquitur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (85). Lusciniæ pariunt vere primo, quum plurimum sena ova. *Tac.* 13. *Ann.* 36. Donec ver adulesceret. — Secundum Latinos veteres agricolas ver initium habuit VII. Id. Febr., ut *Varro* 1. *R. R.* 28. docet: desinebat in a. d. VII. vel prid. Id. Maji, quo tempore æstatis initium ponebant, ut in ÆSTAS dictum est.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice sunt flores. *Martial.* 9. 14. Quum breve Cecropiæ ver populantur apes. *Juvenal.* 7. 208. Spirantesque

crocos et in urna perpetuum ver. — Hine *Apul. De mag.* da contra pro verno flore tuum ver. ubi *ver* nequitiæ vocabulum est, ut adn. *Oudend.* ¶ 2. Item *ver sacrum* dicebantur res, quæ vere natæ et diis consecratæ essent: et *ver sacrum facere*, erat vovere diis sive iis consecrare, quæcumque vere proximo nascerentur. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 379. 11. *Müll.* Ver sacrum vovendi mos fuit Italis. Magnis enim periculis adducti vovebant, quæcumque proximo vere nata essent apud se animalia immolaturos. Sed quum crudele videretur, pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant atque ita extra fines suos exigebant. Hactenus *Paulus*, quorum similia habet ipse *Fest.* in *Mamertini p.* 158. 32. *ibid.* Hanc vero consuetudinem a Sabinis ortam tradunt. Nam Sabini quum adversus Umbros aliquoties infeliciter pugnassent, Marti votum fecerunt, si victoria potiri contingeret, se illi consecraturos quicquid proximo vere apud ipsos nasceretur. Quare quum, re bene gesta, in patriam essent reversi, omnem pecoris proventum Marti immolarunt, liberos autem eo vere natos, quoniam crudele videbatur occidere, Martis ministerio consecrarunt posteaque adultos, velato capite, ad quærendas sibi novas terras, extra fines suos exegerunt. Hæc *Strabo l.* 5. *prope fin.* narrat. *Sisenna* apud *Non. p.* 522. 17. *Merc.* Quondam Sabini feruntur vovisse. si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos. *Liv.* 34. 44. Ver sacrum factum erat priore anno. *et mox.* Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Cal. Martias et pridie Cal. Majas. *Id.* 22. 10. docet veris sacri nomine contineri, quod ver attulerit ex suillo, ovillo, caprino, bovillo grege. *Justin.* 24. 4. 2. Galli abundanti multitudine, quum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta milia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum, miserunt. *h. e.* perinde ac si diis fuissent devoti. ¶ 3. Metaphorice *ver ætatis* est adulescentia. *Cic. Senect.* 19. *a med.* Ver enim tamquam adulescentiam significat ostenditque fructus futuros. *Catull.* 68. 16. Jucundum quum ætas florida ver ageret. *Ovid.* 10. *Met.* 85. Ætatis breve ver et primos carpere flores. Adde 15. *ibid.* 200. et *seqq.* ¶ 4. In fabulis et apud Poetas *Ver* dea est, Horarum una, quæ corona florenti cincta fingitur. *Ovid.* 2. *Met.* 27. Verque novum stabat cinctum florente corona. *Apul.* 10. *Met.* Dominæ voluptatum Veris coma blandientes. Cf. *Annal. dell' Istit. archeol. a.* 1861. *p.* 207. et *seq.*

VĒRĀCĬTER, adverb. ab adject. *verax*, unde Comp. *Veracius;* Sup. *Veracissime.* — Veraciter fere idem ac vere, *veramente, veracemente*, ἀληθῶς. *Augustin. ad Hieronym. inter hujus ep.* 56. *n.* 3. De sanctis libris sancte et veraciter existimare. Adde *Ambros. Ep.* 17. *n.* 1., *Cassiod.* 3. *Variar.* 6., *Claud. Mamertin.* 3. *Stat. an.* 10. et *Rhemn. Palæm. De pond.* 2. *Augustin.* 8. *Civ. D.* 4. Platonem acutius atque veracius intellexisse. *Id.* 5. *ibid.* 8. Optime et veracissime creditur. — *Plaut.* quoque usurpasse dicitur a *Priscian.* 15. *p.* 1010. *Putsch.* V. tamen *Hertz Prisc. v.* 2. *p.* 71. *not. crit. lin.* 6.

VĒRĀCŬLUS, i, m. 2. (verax) præstigiator, divinus, circulator, qui vanis prædictionibus plebem allicit, dum vera se dicere de futuris rebus jactat. *Sueton. Vitell.* 14. Nullis tamen offensior, quam veraculis et mathematicis. Recentiores tamen rectius leg. *vernaculis.*

VĒRĀTRIX, tricis, f. 3. (vero, as) saga. *Apul.* 9. *Met.* Veratricem quamdam feminam multis exorat precibus. At recentiores melius leg. *veteratricem.*

VĒRĀTRUM, i, n. 2. planta, quæ Italice *elleboro* appellatur: *Charis. p.* 534. 7. *Keil*, Veratrum, ἐλλέβορος. Porro ita dicta est a *vero*, quod, ut ait *Forcellinus*, ea purgetur una cum corpore mens, ut vera purius et acutius perspiciat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (51). Veratrum nigrum purgat per inferna, candidum vomitione causasque morborum extrahit: quondam terribile, postea tam promiscuum, ut plerique studiorum gratia ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumpsitaverint. Carneadem responsurum Zenonis libris: Drusum quoque apud nos constat, hoc medicamento liberatum comitiali morbo. Hæc *Plinius*, quorum similia *Gell.* 17. 15. scribit. *Lucret.* 4. 641. nobis veratrum est acre venenum: At capris adipes et coturnicibus auget. *Pers.* 1. 50. non hic est Ilias AccI Ebria veratro. *scil.* quia in ea scribenda multum veratri ab *Accio* sumptum est. Adde *Cels.* 2. 12. et *seq.* — De usu veratri in medicina plura docet *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 84. et *alibi.*

VĒRAX, ācis, adject. omn. gen. (verus) In Abl. sing. *veraci* apud *Tibull.* 4. 1. 133. — Comp. *Veracior;* Sup. *Veracissimus.* — Verax est qui vera dicit, verus, ἀληθινός (It. *veritiero, verace;* Fr. *véridique, sincère;* Hisp. *veredico, sincero;* Germ. *wahr redend, vahr;* Angl. *speaking, veracious*): dicitur tum de personis, tum de rebus. *Plaut. Capt.* 5. 2. 6. *et* 15. Si eris verax, tua ex re facies. *Tibull.* 4. 1. 118. majora peractis Instant, compertum est veracibus ut mihi signis. *Cic.* 1. *Divinat.* 19. *extr.* Multis sæculis verax fuit id oraculum. *et ibid.* 29. *extr.* Tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 89. Verax liber. *Id. Carm. sæcul.* 25. Parcæ. Rursus *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 79. Veraces suos esse sensus dixit. *Id.* 2. *Divinat.* 56. 116. Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? *Augustin. Ep.* 6. Veracissima promissio. — Absolute *Vulg. interpr. Job* 12. 20. Commutans labium veracium. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VERBĀLIS *et* verbialis, e, adject. (verbum) ad verbum pertinens, verbis constans, *di parole, verbale*, ῥηματικός. ¶ 1. Generatim. *Augustin. Rhet.* 9. Verbales quæstiones. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* Quidquid Helicon verbalibus horreis enthecatum possederat. *et mox.* Licet mulierum verbalibus undis et causidici cedant. *h. e.* verbositati. ¶ 2. Speciatim pertinens ad verbum, qua pars est distincta orationis, ut *Verbalia nomina*, quæ a verbis descendunt, apud Grammaticos. *Charis.* 2. *p.* 128. *Putsch.* et *Diomed.* 1. *p.* 310. Sunt etiam quæ a Græcis ῥηματικὰ dicuntur, nos non absurde verbalia diximus, ut a verbo lego lectio et dico dictio et oro oratio etc. — Alii leg. *verbialia*, ut etiam apud *Pompej. Gromm. p.* 149. 1. *K.* et *Cledon. Art. p.* 1892. *Putsch.* et *alibi.*

VERBĀLĬTER *et* verbialiter, adverb. (verbalis) verbali ratione. *Thes. nov. Latinit. p.* 511. ed. *Mai.* Verbalis, verbaliter. Adde *Eutych. p.* 452. 31. *Keil.* Legitur etiam in *Collect. voc. p.* 805. *Vulc.* Δύω, verbaliter, ingredior. *preso qual verbo.* et *ibid. p.* 810. Ῥηματικῶς, idest verbialiter.

VERBASCUM, i, n. 2. genus herbæ, *tassobarbasso*, φλόμος. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 73. (120). Verbascum Græci phlomon vocant: genera habet prima duo: album, in quo mas intelligitur: alterum nigrum, in quo femina: tertium genus non nisi in silvis invenitur. Sunt folia brassicæ latiora, pilosa, caulis erectus cubitali amplior, semen nigrum inutile, radix una crassitudine digiti. Nascuntur et in campestribus. Silvestri folia elelisphaci, alta, ramis lignosis. Adde 26. *ibid.* 8. 60. (92). et *ibid.* 12. 75. (122).

VERBĒCŬLUS. *V.* VERVECULUS.

VERBELLA. *V.* VERVELLA.

VERBĒNA, æ, f. 1. Etiam *berbena* pro *verbena* legitur in *Gloss. Labb.* 21. d. — Ratione habita etymi, ab *herba* ducit *Donatus* ad *Ter. loc. cit.*, cui consentit *Acro* ad *Horat. loc. cit.*, quasi sit pro *herbena*, spiritu aspero in *v* consonum permutato, quomodo pro *Henetis Venetos* et ἀπὸ τοῦ ἑσπέρου vesperum dicimus. *Servius* vero a *viriditate* dici ait *loc. cit.* Recentiores conferunt cum radice, ex qua *verber* factum, ut *Vanicek op. cit. p.* 930. — Verbena est omnis herba ex puro loco decerpta, item ramus, virga frons omnis arborum sacrarum, ut lauri, olivæ, myrti. *V.* infra. Italice est *verbena*, Græce ἱερὰ βοτάνη: et fere in plurali num. usurpatur. *Servius* ad *Virg.* 12. *Æn.* 120. verbena tempora vincti: Verbena, inquit, proprie est herba sacra, ros marinus, ut multi volunt, id est λιβανωτίς, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur fetiales et pater patratus fœdera facturi vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus. Terentius (*Andr.* 4. 3. 11.) Ex ara sume hinc verbenas. Nam myrtum fuisse *Menander* testatur, de quo *Terentius* transtulit. *Id.* ad *eumd.* 8. *Ecl.* 65. verbenasque adole pingues: Verbenæ, inquit, dicuntur virgulta, quæ semper virent, jucundi odoris. Alii verbenas virgulta religioni apta. Alii proprie olivarum ramos. nam ideo et pingues ait, quamvis hoc et de palma et de lauro dici possit. Alii rorem marinum dicunt. Omnia tamen hæc a viriditate verbenæ appellantur. Hactenus *Servius*. Ex posteriore hoc loco discimus veteres ipsos grammaticos maxime digladiatos esse super verbenæ voce. Id non alia de causa factum est, quam quod viderent, vocem eam ab antiquis tribui rebus diversis. Sed re vera nullus inter eos est dissensus, quia late adeo vox hæc patet, ut ramos, virgas frondesque omnes sacrarum arborum, ut lauri, olivæ, myrti atque adeo herbas omnes ex puro loco decerptas complectatur. Quare etsi de myrti frondibus usurpet *Terentius*, non dubitat tamen *Plinius* dicere, id esse sacri graminis genus. Ita enim ille, 22. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, et in sacris legationibusque verbenæ. Certe utroque nomine idem significatur, hoc est gramen ex arce cum sua terra evulsum: ac semper e legatis, quum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. Hæc *Plin.* — Verbenarum usus fuit in fœderibus percutiendis et in legationibus, quibus res repetebantur: item coronandis aris: deorum mensis verrendis, purgandis lustrandisque domibus et in sacris domi faciendis. Testes habemus *Liv.* 1. 24. et 30. 43., *Horat.* 4. *Od.* 11. 6., *Plin. Hist. nat. loc. cit.*, item 15. *ibid.* 29. 36. et 25. *ibid.* 9. 59. et *Plaut. Truc.* 2. 5. *in fin.* Meminit et *Cic.* 6. *Verr.* 5. 110. Ennam quum venissem, præsto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt. — In medicina inter ea, quæ reprimunt et refrigerant, *Cels.* 2. 22. *sub fin.* ponit verbenarum contusa cum teneris caulibus folia: cujus generis sunt olea, cupressus, myrtus, lentiscus, tamarix, ligustrum, rubus, laurus, hedera, punicum malum. *et mox.* aqua calida, in qua verbenæ coctæ sunt, quas supra proposui. *et* 8. 10. *n.* 7. *a med.* Myrtus, hedera aliæve similes verbenæ.

VERBĒNĀCA, æ, f. 1. (verbena) idem ac verbena: item herba peculiaris verbenæ usum habens, de qua *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 59. (105). et *alibi* sæpe. (*Verbena officinalis* Linn.) Cf. etiam *Apul. Herb.* 3. et *V.* HIERABOTANE.

VERBĒNÆ, ārum. *V.* VERBENA.

VERBĒNĀCĔUS, a, um, adject. (verbena) qui ex verbena est, ut *verbenacea calida* apud *Veget.* 5. *Veterin.* 17. 2. 3. et 6., h. e. aqua calida, in qua verbena cocta est. V. *Schneid.* in *Ind.* ad *Veget.* Aliis verbis idem dicit *Veget. ibid.* Aqua, in qua verbenæ decoctæ sunt, fomentabis. *Cf. Cels.* 2. 22.

VERBĒNĀRĬUS, ii, m. 2. (verbena) qui verbenam fert. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Legati quum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. V. *Varronis loc. cit.* in CADUCEUS.

VERBĒNĀTUS, a, um, adject. (verbena) verbena coronatus. *Sueton. Cal.* 27. Alterum, qui se periturum pro salute sua voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque.

VERBENNA, æ, f. 1. Legitur et exponitur in *Gloss. Philox.* Verbenna, terra proscissa aratro, id est vomere. V. *Quicherat.* in *Add. p.* 308.

VERBER, ĕris, n. 3. Ratione habita etymi, *Isid.* 3. *Orig.* 27. 14. ducit a *verberando*, quia quum agitantur, aerem verberant; sed *verbero* a *verber* potius derivandum est: idcirco rectius contuleris cum Skr. *varb*, quod est percutere.

Sunt tamen qui *verber* quasi duplicatam formam τοῦ *fer* a feriendo putant. — Quidquid sit de etymo, verber est instrumentum verberandi, qualis est virga, fustis, flagellum, ferula et si quid est simile, μάστιξ, αἴκισμα (It. *bastone, verga, bacchetta;* Fr. *fouet, bâton, verge, baguette;* Hisp. *azote, verga, baqueta, baston;* Germ. *die Peitsche, der Prügel;* Angl. *a scourge, lash, rod*). In sing. num. tertius et quartus casus carent exemplis: rectum habet *Onom. Lat. Gr.* Verber, μάστιξ, πληγή.

I.) Proprie. *Ter. Andr.* 1. 2. 28. Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem. Adde *Plaut. Pers.* 2. 3. 17. *Virg.* 3. *G.* 106. illi instant verbere torto. *Ovid.* 14. *Met.* 820. ictu Verberis increpuit. *Liv.* 8. 28. Adulescentem nudari jubet verberaque afferri; quibus laceratus juvenis quum se in publicum proripuisset etc. *Quintil. Declam.* 19. 3. *extr.* Ignes ex proximo raptos, verbera quæ casus obtulerat. Adde *Senec. Const.* 12.

II.) Improprie dicitur de habena seu funiculo fundæ. *Virg.* 1. *G.* 309. Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ. Adde *Sil. It.* 1. 314. et *Lucan.* 3. 469.

III.) Translate. ¶ 1. Tropice de ictu et plaga verberantis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 71. Dignus es verberibus multis. *Ter. Heaut.* 2. 3. 115. Tibi parata erunt verba, huic homini verbera. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. Coercere civem verberibus. *Ovid.* 1. *Am.* 6. 19. quum posita stares ad verbera veste. *Id.* 1. *ibid.* 13. 18. Ut subeant teneræ verbera sæva manus. *Liv.* 3. 23. Tergum fœdum verberibus. — De ictu et plaga ferientium, *colpo. Cic. pro leg. Manil.* 5. 11. Civem vinculis ac verberibus excruciatum necavit. *Stat.* 2. *Theb.* 143. *et* 172. post verbera. *h. e.* post pugnam. *Seneca Herc. Fur.* 800. Victrice magnum dextra robur gerens, Huc nunc et illuc verbere assiduo rotat. — De ictu remorum. *Lucan.* 3. 535. prætoria puppis Verberibus senis agitur. *Sil. It.* 14. 360. Verberibus torsere fretum. — De aliis. *Lucret.* 5. 955. Verbera ventorum. *h. e.* impetus. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 49. caudæ. *Ovid. Nuc.* 70. lapidum. *Virg.* 12 *Æn.* 876. alarum. *il battere dell'ali. Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 288. Exiguo clavi flexu declinat aquarum Verbera. *Priscian. Perieg.* 1033. Psittacus hic viridis decoratus torque rubenti Nascitur, humanæ simulat qui verbera linguæ. *h. e.* ictus linguæ palatum percutientis, dum verba exprimit. *Horat.* 3. *Od.* 27. 24. trementes Verbere ripæ. *all'urto dei cavalloni.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (33). Verbere adverso siderum. ¶ 2. Metaphorice. *Horat.* 3. *Od.* 12. 2. aut exanimari metuentes Patruæ verbera linguæ. *h. e.* objurgationes. *Cic.* 1. *Rep.* 5. 9. Contumeliarum verbera subire. *Gell.* 13. 27. *in fin.* Verbera fortunæ. *h. e.* adversa fortune. *Maximian.* 3. *El.* 31. ignes (*amoris*) cum verbere crescunt. Cf. *Ovid.* 3. *Met.* 395. et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 276. — Pro pœna usurpavit *Prosp. Epigr.* 76. 6.

Homonym. Hoc interest inter *plagas* et *verbera*, quod proprie *plagæ* sunt, quæ pugnis, calcibus, saxis infliguntur; *verbera*, quæ fustibus, loris, ferulis, flagellis. *Sueton. Vitell.* 10. Quoscumque libebat, in libertatem asserebat, verbera et plagas, sæpe vulnera, nonnumquam necem repræsentantes adversariis. *V.* plura in PLAGA.

VERBĔRĀBĬLIS, e, adject. (verbero, as) verberibus dignus, *degno di sferzate,* μαστιγίας. Occurrit tantum Sup. apud *Plaut. Aulul.* 4. 4. 6. qua me causa verberas? EV. Verberabilissime, etiam rogitas, non fur, sed trifur?

VERBĔRĀBUNDUS, a, um, adject. (verbero, as) qui verberibus castigat. *Plaut. fragm.* (edente *A. Maio*) *p.* 30. Ut eum verberabundum adducam domum.

VERBĔRANS, antis, particip. *V.* VERBERO, as.

VERBĔRANTĬA, æ, f. 1. (verbero, as) verberatio. *Beda Exp. in Sam.* 3. Nostro verberantiæ more, qui virgam tollimus etc.

VERBĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (verbero, as) actus verberandi, *lo sferzare, sferzata,* μαστίγωσις, ῥαβδία.

I.) Proprie. *Ulp. Dig.* 48. 19. 7. Veluti fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum (*al.* nervorum, *al.* lororum) verberatio. Adde *ibid.* 47. 10. 5. § 1. *Gloss. Philox.* Verberatio, αἰκία, βάσανος.

II.) Translate. *Q. Cic. Tironi,* 16. *Fam.* 27. Mirificam mihi verberationem cessationis epistola dedisti. *h. e.* reprehensionem.

Homonym. Discrimen inter *verberationem* et *pulsationem* V. in PULSATIO. Cf. etiam VERBERO in fin.

VERBĔRĀTOR, ōris, m. 3. (verbero, as) qui verberat. *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 38. Donetur ipsis verberator parvulis. *h. e.* magister, qui discipulos verberare solet.

VERBĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* VERBERO.

VERBĔRĀTUS, us, m. 4. (verbero, as) verberatio. In sexto casu sing. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (39). Ut aqua etiam tactu gelida sit, etiam arte contingit, si etiam expressa in altum aut e sublimi dejecta, verberatu corripiat aera.

VERBĔRĔUS, a, um, adject. (verber) verberibus dignus, verberabilis, *degno di bastonate, fatto per essere battuto,* μαστιγίας. *Plaut. Capt.* 5. 1. 31. et *Pseud.* 4. 1. 7. Sed eccum video verbeream statuam. *Id. Pers.* 2. 2. 2. Aio vero verbereum caput? *mutria da schiaffi.* Adde *Pseud. v.* 911.

VERBĔRĪTO, as, are, a. 1. *frequentat.* seu *intens. a* verbero, sæpe verbero. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 379. 9. *Müll.* Verberitare Cato frequentative ab eo, quod est verbero, dixit.

VERBĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (verber) Forma *verberit,* pro *verberaverit* seu *verberarit,* est in lege Servii Tulli apud *Fest.* in *Plorare p.* 230. 15. *Müll.* — Item *verberarier,* parag. pro *verberari,* apud *Plaut. Asin.* 2. 3. 7. et *Most.* 3. 1. 92. — Part. *Verberans* I. et II. 1.; *Verberatus* I. et II. 1. et 2.; *Verberaturus* et *Verberandus* I. — Verbero est verbere cædo, pulso, percutio, ferio, μαστιγόω, τύπτω (It. *battere, sferzare;* Fr. *battre, frapper, fouetter, fustiger;* Hisp. *azotar, cascar, latiguear;* Germ. *prügeln, schlagen, peitschen, geisseln;* Angl. *to beat, stricke, drub, scourge*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 2. 1. 60. Quis te verberavit. *Cic.* 7. *Verr.* 43. *a med.* Quæ quum apud te diceret, virgis oculi verberabantur. *Id. ibid.* 54. *a med.* Lictores ad verberandos homines exercitatissimi. *Ovid.* 4. *Met.* 726. Verberare aliquem ense. *Sueton. Cal.* 26. Veste detracta subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. *Martial.* 7. 95. Quid possis graviusque sæviusque Percussus facere atque verberatus? *Plin.* 9. *Hist. nat.* 18. 32. (68). Piscis, qui nusquam percoqui potest, nisi ferula verberatus. *Ulp. Dig.* 47. 10. 5. Quod se pulsatum verberatumque esse dicat. — Neutropassivorum more pro vapulare usurpavit *Plaut. Truc.* 4. 3. 3. Rogitavi ego vos verberantes et pendentes simul. *Alii rectius leg.* Rogitavin ego vos pendentes verberans ambas simul?

II.) Translate. ¶ 1. Universim accipitur pro percutere quacumque ratione. *Cato R. R.* 91. Locum coæquato et paviculis verberato. *Cic.* 8. *Phil.* 7. 20. Ante os oculosque legatorum tormentis Mutinam verberavit. *Virg.* 3. *Æn.* 423. Charybdis sidera verberat unda. *Id.* 11. *ibid.* 756. aquila æthera verberat alis. *Horat.* 2. *Od.* 1. 29. Vineæ verberatæ grandine. *colte, malconcie.* et *Stat.* 5. *Theb.* 390. nive Verberat agros Juppiter. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (136). Defruta exposita sub divo in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis. *Colum. Arbor.* 16. *a med.* Sulcum quum feceris, patiere duobus mensibus eum tempestatibus verberari. *Lucan.* 2. 407. et Adriacas qui verberat Aufidus undas. *h. e.* impete vasto influens et propellens mare Adriaticum pulsanti similis. *Seneca Troad.* 321. Levi canoram verberans plectro chelyn. *Val. Flacc.* 1. 639. puppim verberat Eurus. ¶ 2. Etiam de verbis dicitur pro objurgare, conviciari, lacessere. *Plaut. Truc.* 1. 2. 17. Me illis quidem hæc verberat verbis. *Cic. Pis.* 26. *a med.* Os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti. *Id.* 3. *Orat.* 21. 79. Orator in dicendo exercitatus istos verberabit, neque se ab iis contemni sinet. *h. e.* dicendo obruet, longe vincet. *Tac. Agric.* 41. *ad fin.* Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas. *Petron. Sat.* 132. Manifestis matrona contumeliis verberata. ¶ 3. Jlocaliter alio sensu. *Plaut. Amph.* 1. 1. 177. Mihi vox aures verberat. *h. e.* aures meas percellit: *mi suona all' orecchie.* ¶ 4. *Verberare lapidem* est operam perdere et sibi nocere. *Id. Curc.* 1. 3. 41. Noli, amabo, verberare lapidem, ne perdas manum.

Homonym. Discrimen esse videtur aliquod (quamquam non perpetuum) inter *verbero* et *pulso;* nam, ut ait *Ofilius* apud *Ulp. Dig.* 47. 10. 5., *verberare* est cum dolore cædere, *pulsare* sine dolore. Sed hoc falsum est, inquit *Forcellinus.* Verum JCti hæc distinguunt in lege Cornelia de injuriis, quæ actionem injuriarum ei dat, qui se pulsatum verberatumque dicit. Quæ differentia, quantum ad illam actionem injuriarum attinet, videtur vera esse et necessaria; nam qui per contumeliam impulsu cubiti vel manus alterum loco dejecit, hic injuriam fecit, nec tamen verbis legis teneretur, nisi *pulsare* sine dolore cædere interpretemur, quamquam ipsi JCti interdum promiscue hæc verba usurpant. (*V. Popm.*) Alii ita distinguunt, ut *verberare* proprium sit virgarum et flagrorum, *pulsare* generalius sit et ad quodvis ictus genus significandum pertineat. *Cic.* 7. *Verr.* 54. *a med.* Sex lictores valentissimi et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi. *Id.* 5. *ibid.* 26. *ad fin.* Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios et verberari. Adde *Ulp. Dig.* 47. 10. 5. Cf. etiam *Vallam Eleg.* 6. c. 47.

VERBĔRO, ōnis, m. 3. (verber) verbere dignus, *uomo da bastone,* μαστιγίας. *Plaut. Amph.* 1. 1. 128. Ain vero verbero? deos esse tui similes putas? *Id. Pseud.* 4. 7. 63. Edepol hominem verberonem! Adde *Ter. Phorm.* 4. 4. 3. *Cic.* 14. *Att.* 6. Discrucior, Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri. Adde *Plaut. Asin.* 2. 4. 10., *Gell.* 1. 26. et *Apul.* 8. *Met.*

VERBĔRŌSUS, a, um, adject. (verber) idem ac verbero. *Gloss. Cyrill.* Μαστιγίας, verberosus, flagellaticius.

VERBĬĀLIS. *V.* VERBALIS.

VERBĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (verbum *et* facio) sermo de re aliqua, *discorso, parlare. Cæcil.* apud *Donat.* in *Ter. Eun.* 4. 4. 4. Quid tibi de meo amore verbificatio est patri? Cf. *Ribbeck Scæn. Lat. rel. p.* 45. ed. alt.

VERBĬGĔNA, æ, m. 1. (verbum *et* gigno) secunda in divinis persona, hoc est Verbum genitum a Patre, vel a verbo, id est intelligentia, Patris, ut ait *Petav. Dogm. Theol. l.* 6. *c.* 3. *n.* 5., ab æterno generatum, seu naturalis Filius Dei. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 1. O crucifer bone, lucisator, Omniparens, pie, Verbigena, Edite corpore virgineo; Sed prius in Genitore potens, Astra, solum, mare quam fierent. Hinc 11. *ibid.* 17. Ex ore quamlibet Patris Sis ortus et verbo editus, Tamen paterno in pectore Sophia callebat prius. Adde *Venant. Vit. S. Martin.* 3. 158. — Attamen uterque hic locus ab aliis explicatur de Filii Dei generatione in tempora, qua Verbum caro factum est, quia hoc mysterium a Deo Patre per verbum, idest per prophetas et angelum prænuntiatum fuit; vel quia Verbum caro factum est per ipsum Verbum, per quod facta sunt omnia.

VERBĬGĔRO, as, ātum, are, n. 1. (verbum *et* gero) verba facio, *cianciare, cicalare,* διαλέγω. *Apul. De mag.* Quamdiu et quoties inter nos verbigeratum sit. *Onom. Lat. Gr.* in *Thes. etc.* ed. *Vulc.* Verbigero, λογοποιῶ.

VERBĬGRĀTĬA. *V.* VERBUM.

VERBĪLĔVIS, e, adject. (verbum *et* levis) qui levis et inconstans in loquendo est, *leggero nel parlare.* Vix unus aut alter est, qui ita legat apud *Propert.* 2. 4. 28. Cynthia formipotens, Cynthia verbilevis. *Nam alii,* ut *Baehrens,* Cynthia forma potens, Cynthia verba levis. *Alii* pro

verba levis leg. forma levis. Porro id. 3. 18. 6 Est tibi forma potens.

VERBĬLŎGUS, i, m. 2. qui verba facit: vox hybrida a verbum et λόγος. Rufin. ex Orig. hom. 16. in Lev. 4. Verum alii leg. euresilogus.

VERBĬVĒLĬTĀTĬO. V. VELITATIO.

VERBŌSĀTOR, ōris, m. 3. (verbosor) qui blaterat, chiacchierone. Gloss. apud Mai. in Class. Auct. T. 8. p. 72. Hic buco, onis, idest verbosator.

VERBŌSĒ, adverb. (verbosus) Comp. Verbosius. — Verbose est multis verbis, con molte parole, πολυλόγως. Cic. Mur. 12. 26. Satis verbose: cedo quid postea? Adde Quintil. 12. 8. 7. Varro 2. R. R. 5. Paullo verbosius hæc. Cic. 7. Fam. 3. a med. Hæc ad te scripsi verbosius.

VERBŌSĬTAS, ātis, f. 3. (verbosus) verborum effluentia, loquacitas, πολυλογία. Prudent. 10. περὶ στεφ. 551. Verbositatis. ipse rumpatur locus. Symmach. 8. Ep. 47. (al. 48.) Tiabit nos vitium senile, verbositas. Adde Rufin. ex Orig. hom. 3. in Gen. 5. ad fin.

VERBŌSOR, āris, ari, dep. 1. (verbosus) verbosus sum, blatero, βαττολογέω, πολυλογέω (It. chiacchierare, ciarlare; Fr. bavarder, babiller; Hisp. chocarrear, baladroncar; Germ. schwäbeln, schwafeln; Angl. to babble, blatter). Augustin. Serm. 105. n. 2. ed. Mai. Sunt enim, quod pejus est, aliqui viri et præcipue mulieres, quæ tantum in Ecclesia Dei verbosantur et verbum majestatis Domini nec ipsæ audiant nec aliis audire permittant. Id. contra Julian. 3. 46. Jam tibi responsum est: inaniter verbosaris.

VERBŌSUS, a, um, adject. (verbum) Comp. Verbosior et Sup. Verbosissimus. — Verbosus est qui verbis abundat, multiloquus, garrulus, loculeius, πολυλόγος, πολύμυθος (It. pieno di parole, ciarlone, tatamellino, loquace; Fr. bavard, loquace, verbeux; Hisp. parlero, charlador; Germ. redselig, wortreich, geschwätzig, plauderhaft; Angl. talkative, full of words, loquacious). Cic. Mur. 14. 130. Prœliis promulgatis tollitur e medio non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiæ, sed etiam ipsa illa domina rerum sapientia. Id. 7. Fam. 3. in fin. Habes epistolam verbosiorem fortasse, quam velles. Nepos Att. 3. Expositio verbosior. Quintil. 2. 4. a med. Ut quidam sententiarum gratia verbosissimos locos arcessunt. — Absolute Catull. 98. 1. In te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti, Id quod verbosis dicitur et fatuis.

VERBŌTĔNUS. V. TENUS.

VERBŬLUM, i, n. 2. deminut. a verbum, parvum verbum, paroletta, ῥημάτιον. Pseud.-Augustin. Ep. 18. ed. Maur. v. 2. c. 941. et Onom. Lat. Gr. in Thes. ed. Vulc.

VERBUM, i, n. 2. — a) Berbum pro verbum, solita litterarum permutatione, scriptum occurrit in Inscr. Neap. 89. 6. — b) Verbus, i, masc. gen., vulgo usurpatum fuisse colligitur ex Vulg. interpr. Ital. Luc. 4. 32. Cant. et Joh. 4. 50. etc. Brix. V. Rönsch. Ital. p. 266. — c) Genet. plur verbûm, sync. pro verborum habet Plaut. Asin. 1. 3. 1. Unumquodque istorum verbûm. Id. Truc. 2. 8. 14. Verbum sat est. Adde Enn. ann. 282. (307). — d) Ad etymon quod attinet, non a verbero, quod eo verberetur aer, ut apud Quintil. 1. 6. a med., qui tamen non probat: vel quod verberato aere sonet, ut apud Isid. 1. Orig. 9. 1.; sed potius a rad. Skr. var, loqui, dicere, unde et Gr. εἴρω, ἐρέω ejusd. significationis, cum præposito digammate, ducendum videtur. — Verbum præcipue duo diversa significat.

A) Proprie ac lato sensu, est vox, vocabulum, dictio, λέξις (It. parola; Fr. mot, terme; Hisp. palabra, voz, vocablo, termino; Germ. das Wort; Angl. a word): et quidem

I.) Est vox sejuncta a ceteris, unde oratio constat. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. Plaut. Cist. 1. 1. 77. CY. Veniet. SI. Spissum istud amanti est verbum veniet, nisi venit. Id. Most. 5. 1. 2. Equidem quid id esse dicam verbum nauci, nescio. Varro Sat. Menipp. 71. p. 193. Oehl Unumquodque verbum statera auraria ponderare. Germani dicunt: auf die Goldwage legen. Cf. Cic. 2. Orat. 38. Ter. Eun. 1. 2. 8. De exclusione verbum nullum. Cic. 2. Orat. 30. 130 Neque enim quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties ejus verbi litteræ sunt cogitatione conquirendæ. Id. Partit. 15. 53. Verba ponenda sunt, quæ vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, gravia, plena, sonantia, juncta, facta etc. Id. Orat. 24. 80. Verba simplicia, propria, usitata, translata, prisca, nova etc. Id. opt. gen. Orat. 3. 7. Verbum inquinatum, abjectum, durum. Id. Brut. 79. 274. insolens, humile. Id. 1. Acad. (post.) 7. circa med. usitatius et tritius. Pers. 3. 45. et Petron. Sat. 5. Verba grandia. Ovid. 13. Met. 341. ingentia. Ter. Eun. 4. 6. 3. magnifica. Quintil. 8. 1. 1. In singulis (verbis) intuendum, ut sint Latina, perspicua, ornata: in conjunctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. Ter. Heaut. 5. 4. 19. Pudet dicere hac præsente verbum turpe. Cic. Parad. 6. sub init. Hoc verbum (divitem) in quo homine ponimus? Id. Orat. 69. ad fin. Verba infercire. Ovid. 9. Met. 28. reddere. h. e. respondere. Id. 6. ibid. 151. et Heroid. 16. 245. verbis petulantibus uti. Petron. Sat. 117. Jurare sacramentum in verba alicujus. (Cf. Horat. 1. Ep. 1. 14. jurare in verba magistri.) Id. ibid. 11. Nec se solum intra verba continuit, sed etc. Ovid. 2. Met. 363. cortex in verba novissima venit. h. e. cortex obducens os verba ultima occupavit. Calpurn. 4. Ecl. 4. Verba titubantia. Id. 6. Ecl. 24. male singultantia. Capell. 5. p. 165. Quia verborum veterum jam exolevit usus, non sunt audacius usurpanda illa, quæ cum ætate mutata sunt. V. Hoppii adn. Id. 4. p. 113. Ne nos pudeat verba nova facere pro necessitate. Avien. fab. 9. In verba redire. — Martial. 6. 54. junget vix tria verba miser. Cf. Arist. Nub. 1402. οὐδ' ἂν τρί' εἰπεῖν ῥήμαθ' οἷός τ' ἦν. — 2.°) Verba publica dicuntur, quæ in communi sunt consuetudine et usu. Cic. 1. Acad. (post.) 7. 25. Dialecticorum vero verba nulla sunt publica: suis utuntur. Cf. Ovid. 3. Art. am. 479. Munda, sed e medio consuetaque verba puellæ Scribite, sermonis publica forma placet. — 3.°) Verba prætoris, quibus ejus jurisdictio continebatur, tria erant: Do, Dico, Addico. Ovid. 1. Fast. 47. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur. et ibid. 52. Verbaque honoratus libera prætor habet. V. ADDICO. — 4.°) Verba Latina apud Martial. 11. 20. videntur eo sensu dicta, quo nos parole lombarde, idest obscena, turpia. Obscena dixit Varro Sat. Men. 2. p. 90. Oehl. locutus de pueris hæc novæ nuptæ occinentibus. — 5.°) Hinc locutiones — a) Verbum et verba facere est loqui vel disserere, orationem habere. Plaut. Bacch. 4. 9. 58. NI. Quid ait? CH. verbum Nullum facit: lacrumans tacitus auscultabat: quæ ego loquebar, Tacitus etc. Id. Men. 1. 2. 47. Oculum effodito mihi - si ullum verbum faxo. Cic. Brut. 78. 270. Qui numquam verbum in publico fecerunt. Id. 6. Verr. 66. 147. In senatu verba facere. Id. ad Planc. 16. Att. 16. Verba facere pro aliquo. — Verba fecerunt, formula legalis. Inscr. apud Orell. n. 3115. Addo aliam init. cit. — Verba facere mortuo, est velle aliquid persuadere, qui aut non audiat aut nolit audire sive operam ludere. Ter. Phorm. 5. 8. 26. Verba fiunt mortuo. Plaut. Pœn. 4. 2. 18. Verba facit emortuo. — b) Verba habere, idem ac verba facere. Cic. 6. Rep. 9. 9. Multis verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. — c) Verba refringere apud Stat. 2. Silv. 23. est, quod Seneca Controv. 1. dicit, vocem extenuare. — d) Verba ventis profundere et similia. V. VENTUS. — e) Verbum de verbo exprimere, est ad verbum transferre. Ter. Adelph. prol. 11. Verbum de verbo expressum extulit. — f) Verbum e verbo esse, eod. sensu. Cic. 3. Tusc. 4. 7. Quæ Græci πάθη appellant: ego poteram morbos, et id verbum esset e verbo. Cf. 4. Acad. (2. pr.) 10. 31. Verbum e verbo exprimentes. — g) Verbum verbo reddere seu pro verbo reddere, idem est ac verbum de verbo exprimere. Horat. Art. P. 133. Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres. Cic. opt. gen. Orat. 5. 14. In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi. — h) Totidem verbis transferre, idem. Id. 6. Att. 2. ante med. Itaque istum ego locum totidem verbis a Dicæarcho transtuli. — Eodem sensu dicitur ad verbum ediscere. Id. 1. Orat. 34. 157. — i) Verba ferire vel supplantare, truncare, storpiar le parole. Horat. 2. Sat. 3. 274. verba feris annoso verba palato. tu barbogio stroppi e ciangotti o scilingui le parole. — l) Uno verbo, est paucis verbis, in una parola, a dir breve. Cato R. R. 157. ante med. Si cor dolet, si jecur aut pulmones; uno verbo omnia sana faciet, intro quæ dolitabunt. Adde Cic. 2. Phil. 22. 54. — Verbo, uno verbo, apud Ter. Phorm. 1. 4. 19. id, si potes, verbo expedi. escine con una parola. Adde Cic. 2. Tusc. 12. 28. — Alio sensu V. infra paragr. 8. et 9. — m) Ad verbum, totidem verbis, eisdem verbis, a parola per parola. Cic. 1. Fin. 2. 4. Fabellæ Latine ad verbum de Græcis expressæ. Id. 1. Divinat. 44. 99. Somnium mirifice ad verbum cum re convenit. a un puntino. et Sueton. Cæs. 30. ad fin. Hæc eum ad verbum dixisse refert. queste formali parole. Cf. Cic. 1. Orat. 34. 157. — Ad verbum vocatur etiam una ex definitionum speciebus, quæ Græcis κατὰ λέξιν dicitur. Cassiod. De dial. post med. — Ad verbum, vel unica voce adverbum, philosophi appellant glossam, quia, ut ait Isid. 1. Orig. 30. 1., vocem illam, de qua requiritur, uno et singulari verbo designat. Quid enim illud sit in uno verbo positum declarat, ut conticescere et tacere. Alii, fortasse minus recte, leg. adverbium. Sic Græci dicunt πρὸς ἔπος: unde illud: οὐδὲν πρὸς ἔπος. — n) Sub verbo, sub jussu. Lucret. 4. 785. Omnia sub verbone creat natura paratne? Cf. Lachm. ad Lucr. p. 256. — o) Verbi causa et verbi gratia idem est ac exempli causa, per cagion d'esempio, verbigrazia. Cic. Fat. 6. 12. Si quis, verbi causa, oriente Canicula natus est, is in mari non morietur. Id. 5. Fin. 11. 30. Ut propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem, nos amemus. Adde Lucret. 3. 423. — Verbigratia, unica voce pro verbi gratia sejunctim, est in Gloss., ut apud Mai in Class. Auct. T. 7. p. 585. et alibi. — p) Verbis meis, tuis etc. est nomine meo, tuo etc., da parte mia, tua ecc. — Plerumque meis præponitur. Cic. 16. Att. 11. extr. Atticæ, quoniam hilarula est, meis verbis suavium des. Id. 15. Fam. 8. Gratum mihi feceris, si uxori tuæ meis verbis eris gratulatus. et 5. ibid. 11. Cum Suru locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut etc. Plaut. Mil. glor. 3. 3. 38. Anulum, quem ego militi darem tuis verbis. Id. Bacch. 4. 4. 79. Scribe salutem tuo patri verbis tuis. — Liv. 9. 36. in fin. Denuntiatum Fabio senatus verbis, ne etc. per parte del senato. — q) Tribus verbis te volo apud Plaut. Trin. 4. 2. 121. est pauca tibi dicere volo. — Similiter paucis verbis te volo apud eumd. Mil. glor. 2. 4. 22. — r) Quid verbis opus est? Quid multa verba? a che andare in ciancie. Ter. Andr. 1. 1. 72. et Eun. 3. 5. 20. — Et nil opus est verbis, non est cur multa dicantur, non occorre sprecare il fiato. Lucret. 5. 264. — s) Formula bona verba, quæso, est qua aliquem iratum placare studemus. h. e. quæso, ut meliora loquaris. Ter. Andr. 1. 2. 33. Ubivi facilius passus sim, quam in hac re me deludier. DA. bona verba, quæso. di grazia, non v' adirate: piano di grazia: con le buone. ¶ 2. Specialim ponitur pro una ex octo partibus orationis, in qua omnis vis orationis est, verbo, ῥῆμα. In hac acceptione verbum est pars orationis declinabilis, quæ modos et tempora habet, ut amo, amabam, amarem etc. Boeth. Intr. ad Syll. categ. p. 765. M. Verbum est vox significativa secundum placitum cum tempore, cujus nulla pars significativa est separata, ut currit, vincit. Adde 1. De interpr. ed. pr. p. 306. Cic. 3. Orat. 49. ad fin. Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiæ verbis finian-

tur eorumque verborum junctio nascatur a proceris numeris ac liberis. Adde *Varron. L. L. var. in locis, Quintil., Charis., Diomed.* ceterosque veter. grammaticos. — *Verba* hoc sensu a Grammaticis varie distinguuntur, sive specie sive forma, sive usu vel significatione, sive alia quacumque ratione, aliquo addito, ut verbum *absolutum, activum, anomalon, commune, compositum, defectivum, deminutivum, deponens, derivativum, desiderativum, disyllabon, figuratum, finitum, frequentativum, hortativum, imperativum, impersonale, inchoativum, infinitum, intransitivum, iterativum, meditativum, monosyllabon, neutrale, neutrodefectivum, neutropassivum, neutrum, participiale, passivoneutrum, passivum, primitivum, reciprocum, refractivum, simplex, subpassivum, substantivum, supinum, transitivum, translativum, vocativum* etc. — *De figura* per *verborum qualitatem* V. *Jul. Rufinian. Schem. lex.* 34.

II.) Est vox conjuncta cum aliis orationis vocibus: hoc est non singulæ tantum dictiones verbi nomine appellantur, verum etiam contexta et solida oratio. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 11. Plus plusque istuc sospitent, quod nunc babes. Ev. illud mihi verbum non placet: quod nunc habes. Adde *Most.* 1. 3. 18. *Ter. Hecyc.* 3. 4. 2. Non – verbis dici potest Tantum, quam re ipsa navigare incommodum est. *Id. Andr.* 1. 5. 5. Miseram me! quod verbum audio? ¶ 2. Hinc speciatim usurpatum reperitur pro sententia sive enuntiatione. *Id. Eun.* 1. 2. 95. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres. *Id. Adelph.* 5. 8. 29. Postremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio, Bene et sapienter dixti. ¶ 3. Item pro proverbio sive aliquo vulgari dicto. *Id. ibid.* 3. 17. Nam vetus verbum hoc quidem est, Communia esse amicorum inter se omnia. Adde *Plaut. Truc.* 4. 4. 32. et *a.* 5. *v.* 39. et *Auson. Edyll.* 6. ¶ 4. De jurgiis usurpat *Ter. Andr.* 2. 4. *extr.* et *Hecyr.* 3. 1. 33. Cf. *Apul. De mag. p.* 378. ed. *Oudend.* ¶ 5. Interdum accipitur, ut rei opponatur, id est pro vocabulo inani. *Cic.* 1. *Orat.* 12. 51. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia? *Id. Pis.* 27. 65. Dolor enim est malum, ut disputas; existimatio, dedecus, infamia verba sunt atque ineptiæ. ¶ 6. Interdum ut facto opponitur, sive pro inani promissione. *Sall.* 2. *Hist.* 96. Res plus valet quam verba. *Id. Cat.* 52. Re vos conrigi, quoniam verba contemnitis. *Ovid.* 2. *Art. am.* 166. Quum dare non possem munera, verba dabam. Adde *Ter. Eun. prol.* 24. ¶ 7. Hinc interdum *verba dare* est simpliciter loqui. *Avien. fab.* 9. Dic, sodes, quidnam trepido tibi rettulit ursa? Nam secreta diu multaque verba dedit. *Fronto ad M. Cæs.* 4. 3. Nec verba dare diutius potest, quin se ipse indicet verborum ignarum esse. ¶ 8. Sæpius *verba dare* est decipere, circumvenire. *Ter. Andr.* 1. 3. 6. Cui verba dare difficile est. *Cic.* 15. *Att.* 16. Vel verba mibi dari facile patior in hoc meque libenter præbeo credulum. *Nepos Hannib.* 5. Fabio callidissimo imperatori verba dedit. — Simile est illud *Claudii Quadrigarii* apud *Gell.* 17. 2. *ad fin.* Cominius qua escenderat, descendit atque Gallis verba dedit. Ubi *Gellius:* Verba Cominium dedisse Gallis dicit, qui nihil quidquam cuiquam dixerat: neque eum Galli, qui Capitolium obsidebant, escendentem viderant: sed *verba dedit* haud secus posuit, quam si tu dicas, latuit atque obrepsit. ¶ 9. Aliquando ut scripto opponitur, pro viva voce. *Planc.* ad *Coss. etc.* 10. *Fam.* 8. *a med.* Plura illi mandata verbo, quam scriptura dedi. *più in voce, che in iscritto.* ¶ 10. Interdum quoque ut rei et veritati opponitur. *Nepos Phoc.* 3. Causam apud Philippum regem verbo; re ipsa apud Polypercontem dicere jussus est. *in apparenza avanti a Filippo, in realtà* etc. *Cic.* 5. *Verr.* 58. 133. Quum hoc verbo et simulatione Apronio, revera tibi objectum esset. — *Apul. De mag.* Ex verbis rem factam videre. V. *Oudend.* in adn. ¶ 11. *Verbum nihili* est, quod perperam in linguam Latinam intrusum est. *Gell.* 2. 14. Falsi et audaces emendatores, e scripto per libros, *stetisses* fecerunt, tamquam *stitisses* vanum et nihili verbum esset. *V.* NIHILUM. ¶ 12. *Solemnia verba*, formulæ lege statutæ, apud JCtos. *Caj.* 1. 112. 4. etc.; hinc *verborum solemnitas Paul.* 2. 3. 1. et 5. 7. 1.

*B)* Alio sensu *verbum*, ut Gr. ῥῆμα, est res quæcumque sive perfecta sive perficienda, apud Ecclesiasticos scriptores, in primis apud *Vulg. interpr.* secutum vim vocis Hebraicæ דבר *davar*, quæ et verbum significat et rem seu factum. Sic 2. *Reg.* 1. 4. Quod est verbum quod factum est? indica mibi. Adde *Ezech.* 39. 2. et *Luc.* 2. 15. et 19. *Id. ibid.* 1. 37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. *h. e.* nulla res, nihil. *Id. Eccli.* 42. 3. Verbum sociorum et viatorum. *h. e.* negotia. Cave, imiteris.

*C) Verbum* κατ᾽ ἐξοχὴν est secunda in divinis persona, sc. Dei Filius, qui a Deo Patre per generationem procedit, nam Pater se intelligendo gignit Filium, qui propterea sic se habet ad Patrem, ut ad intellectum verbum, Λόγος. *Vulg. interpr. Joh.* 1. 1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. sc. Verbum est æternum et quidem Filius Dei et Deus ipse. Adde *eumd. ibid.* 14. et alibi. *Prudent. Apoth.* 49. Verbum est quod vibratum Patris ore benigno Sumpsit virgineo fragilem de corpore formam. Adde *Sedul.* 2. 43. et *Alcim.* 1. 14.

Homonym. Differt eo *verbum* a *voce*, quod *verbum* sit dictio articulata et significabilis, *vox* quilibet sonus ore prolatus, pronuntiatio. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 25. Illic nec voces nec verba juvantia cessent. *et* 5. *Fast.* 484. Is verbi sensus, vis ea vocis erat. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 65. *Plin. Paneg.* 26. Adulantia verba blandasque voces edocere. Adde *Quintil.* 8. 1. 3. — Apud *Horat.* 1. *Ep.* 1. 34. Sunt verba et voces. *verba* sunt disputationes et orationes; *voces* sunt sententiæ et dicta. Alii tamen aliter interpretantur. — Item *verbum* differt a *vocabulo*, quod hoc sit illo generalius, vel quod illud orationis, hoc linguæ pars habeatur. *Varro* 8. *L. L.* 11. *Müll.* Aristoteles duas partes orationis esse dicit, vocabula et verba. *Seneca Ep.* 58. Cogor verbum pro vocabulo ponere. Adde *Gell.* 3. 12.

VERCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* ver, quasi parvum ver: adhibetur in blanditiis. *Plaut. Cas.* 4. 4. 14. Meum corculum, melculum, verculum. *V.* MELCULUM.

VERDĬĀRĬUM. *V.* VIRIDARIUM.

VĒRĒ, adverb. (verus) Particip. *Verius* I.; Sup. *Verissime* I. et II. 1. — Vere est cum veritate, non false, *veramente, con verità*, ἀληθῶς.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Off.* 3. 13. Honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis. *Id.* 5. *Att.* 21. *ante med.* Non ὑπερβολικῶς, sed verissime loquor. *Id. Mil.* 29. 78. Ne libentius hæc in illum evomere videar, quam verius. *Virg.* 6. *Æn.* 188. vere de te vates locuta est. Adde *Nepot. Att.* 12. *Liv.* 40. 27. Ligures latrones verius, quam justi bostes. *Id.* 22. 23. Læto verius dixerim, quam prospero eventu pugnatum fuerat. *Spartian. Sev.* 5. Vere eo dolo.

II.) Translate. ¶ 1. Est bene, recte. *Ter. Heaut.* 1. 1. 102. Hoc ibi fit, ubi non vere vivitur. *secondo i retti principii.* et *Nepos Themist.* 1. *in fin.* De instantibus verissime judicabat et de futuris callidissime conjiciebat. ¶ 2. Item plane, juste, expresse, clare, *schiettamente, chiaramente, aggiustatamente. Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (174). Metellum pontificem adeo inexplanatæ linguæ fuisse accepimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda æde Opis vere dicere. Ita *Harduin.*

VĔRĒCUNDANS, antis, *et*

VĔRĒCUNDĀTUS, a, um, particip. *V.* VERECUNDOR.

VĔRĒCUNDĒ, adverb. (verecundus) Comp. *Verecundius.* — Verecunde est pudenter, *con rossore, rispettosamente, modestamente, vergognosamente, timorosamente*, αἰδημόνως. *Enn. tr.* 241. ed. *Vahl.* Quæ tibi in concubio verecunde et modice morem gerit. *Cic.* 5. *Fin.* 2. *in fin.* Tum ille timide vel potius verecunde, facio, inquit etc. *Id. Brut.* 22. 87. Ille, quod ei viro succedendum esset, verecunde et dubitanter recepit causam. *Liv.* 26. 49. *extr.* Tueri virgines verecunde et modeste. *Curt.* 6. 2. 6. Verecunde reluctari. *Cic.* 1. *Orat.* 37. *sub fin.* Verecundius hac de re loquor, quod adest vir in dicendo summus. Adde *Cels.* 6. 18. et *Quintil.* 4. 1. 13.

VĔRĒCUNDĬA, æ, f. 1. (verecundus) Secundam licenter corripuit *Maximian.* 5. *El.* 55. omnes verecundia motus Abstulit. Adde *ibid.* 3. 23. Cf. *eumd.* 3. 61. verecunda silentia rupi. — Verecundia est pudor, modestia, ingenuitas, αἰδώς, αἰσχύνη (It. *rossore, verecondia, vergogna, modestia;* Fr. *pudeur, réserve, modestie;* Hisp. *pudor, modestia, verguenza;* Germ. *die Züchtigkeit, Sittsamkeit, Achtung, Schüchternheit;* Angl. *modesty, bashfulness, shiness, verecundity*): cui *petulantia, impudentia* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Cic. Partit.* 23. 79. Custos virtutum omnium, dedecus fugiens laudemque maxime consequens, verecundia est. *Id.* 4. *Fin.* 7. *sub fin.* Homo, solum animal natum pudoris ac verecundiæ particeps. *Id.* 1. *Off.* 35. *sub fin.* Scænicorum mos tantam habet veteri disciplina verecundiam, ut in scænam sine subligaculo prodeat nemo *Id. Quinct.* 11. 39. Verecundia virginalis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (78). Echionis sunt nobiles picturæ: anus lampadas præferens et nova nupta verecundia notabilis. *Capitolin. Pertin.* 9. Verecundia obdurata. — *Vulg. interpr.* 1. *Cor.* 6. 5. Ad verecundiam vestram dico. *h. e.* ut vos pudeat. — *b)* Cum additis. — Cum genet. object. vel subject., aut Abl. et præp. *in. Cic. Orat.* 7. *extr.* Verecundia negandi scribendi impudentiam suscepi. *Liv.* 26. 50. Juvenis juvenem appello, quo minor sit inter nos bujus sermonis verecundia. *Cic.* 8. *Att.* 6. *extr.* Malo Timonis verecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem Curii. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. *a med.* Cæsar meam in rogando verecundiam objurgavit. — Cum infinito. *Liv.* 21. 19. Quæ verecundia est, Romani, postulare vos etc. ¶ 2. Speciatim *verecundia alicujus rei* est timor et fuga. *Cic.* 5. *Tusc.* 26. 74. Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam. *Id.* 14. *Att.* 5. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc tumorem. ¶ 3. Item *verecundia alicujus* personæ vel rei, seu *adversus aliquem*, quæ habetur propter ejus dotes singulares, reverentia, respectus, *rispetto, riverenza, riguardo. Quintil.* 6. 3. *a med.* Ne auctorem ponam, verecundia ipsius facit. *Liv.* 4. 45. *sub fin.* Quando nec ordinis hujus ulla neo reipublicæ est verecundia. *Id.* 2. 36. Verecundia majestatis magistratuum timorem vicit. *Id.* 39. 11. Illum nec parentis nec vitrici nec deorum verecundiam habere. *Id.* 10. 13. Verecundia legum. *Id.* 1. 6. *sub fin.* ætatis. *Vellej.* 2. 16. 2. Verecundia domestici sanguinis. *h. e.* nimis æstimans ortos Romano sanguine. *Liv.* 37. 54. Verecundia nostra adversus regem nobis obstat. Eadem ratione dixit *Ter. Andr.* 1. 5. 27. patris pudor. Sic *Liv.* 26. 50. *ante med.* Fuit ponsa tua apud me eadem, qua apud parentes suos, verecundia. ¶ 4. Item dicitur de pudore, quo quis refugit proferre se et bona ingenii studiique promere. *Quintil.* 12. 5. 2. Invitus mehercule dico, ipsam verecundiam, vitium quidem, sed amabile et quæ virtutes facillime generet, esse interim adversam *oratoriam artem capessentibus.* et *mox.* Sciat, si quis hæc leget, non probitatem a me reprehendi, sed verecundiam, quæ est timor quidam reducens animum ab iis, quæ facienda sunt: unde confusio et cœpti pœnitentia et subitum silentium. Quis porro dubitet vitiis adscribere affectum, propter quem facere honeste pudet? ¶ 5. *Verecundia est*, dedecus est: sequente Infinito. *Liv.* 3. 62. Verecundia erat, equitem suo alienoque Marte pugnare.

II.) Metonymice ponitur pro rubore, quo ve-

recundantes suffundimur. *Sueton. Domit.* 18. Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut etc. *Id.* supra dixerat, fuisse vultu modesto ruborisque pleno.

Homonym. Differunt *verecundia* et *timor.* Nam, ut ait *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3. 2. 16., veretur liber, metuit servus, hoc est, verecundia ingenuitatis cujusdam est et modestiæ; unde in laude ponitur: timor est animi sibi male conscii ob culpam admissam et meritam noxam. — Item *verecundiam* a *pudore* ita possis distinguere, ut illa sit potius erga alios, hic erga se ipsum. *Cic.* 4. *Fin.* 7. 18. Hoc solum animal est pudoris et verecundiæ particeps.

**VĔRĔCUNDĬTER**, adverb. (verecundus) idem quod verecunde. *Pompon.* apud *Non. p.* 516. 23. *Merc.* Vidit duos sensim in ludo verecunditer non docentem condiscipulum, verum scalpentem nates. h. e. virgis cædentem. *V.* SCALPO. At *Ribbeck* leg. reverecunditer.

**VĔRĔCUNDOR**, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (verecundus) Part. *Verecundans* I. *a*; *Verecundatus* II. — Verecundor usurpatur intransitive et aliquando etiam transitivorum more.

I.) Intransitive, *verecundor* est verecundia teneor, αἰσχύνομαι (It. *vergognarsi, arrossire;* Fr. *rougir, avoir honte, craindre de, ne point oser;* Hisp. *bermejear, roxear, avergouzarse, tener miedo;* Germ. *sich schämen, Scheu haben;* Angl. *to be ashamed, to be bashful*). — *a*) Proprie. *Plaut. Trin.* 2. 4. 77. Verecundari neminem apud mensam decet. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 480. 17. *Merc.* Hi nostri amici verecundantur, capti splendore virtutis. *Id.* 3. *Orat.* 9. *sub fin.* Alterum exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem et quasi verecundantem incitabat. — Sequente infinito. *Id.* 2. *ibid.* 61. 219. Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere et ob eam causam verecundanti in publicum prodire. — *b*) Translate. *Quintil.* 11. 3. 87. Manus verecundantur.

II.) Transitivorum more, *verecundor* est idem ac vereor. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 7. Reverentiam marito deponens verecundata nuptialem gratiam.

**VĔRĔCUNDUS**, a, um, adject. (vereor) — *a*) Scribitur *verœcundus*, cum diphth. in secunda, in *Inscr.* apud *Gruter.* 872. 14. — Item *vericundus* in *alia* apud *Mommsen n.* 2522. — *b*) Secundam in *verĕcundus* corripit *Arator ep. ad Parth.* 7. et *Poet.* in *Anthol. Lat. n.* 356. 8. *Meyer.* V. et VERECUNDIA. — Comp. *Verecundior* I. 2. *a* et II. 2.; Sup. *Verecundissimus* I. 1. et 2. *a.* — Verecundus

I.) Active, et sæpius, est qui verecundia tenetur, pudens, αἰδήμων (It. *vergognoso, rispettoso, verecondo;* Fr. *retenu, réservé, modeste, pudibond;* Hisp. *retenido, modesto, vergonzoso;* Germ. *sittsam, schüchtern, schaamhaft;* Angl. *shamefaced, modest, bashful, respectful*). ¶ 1. Proprie. *Plaut. Asin.* 5. 1. 6. Decet verecundum esse adulescentem. *Cic.* 2. *Orat.* 88. *sub fin.* Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis, illud quidem certe non nimis verecundi. *Ovid.* 14. *Met.* 840. Illa verecundo vix tollens lumina vultu etc. *Martial.* 8. 1. Disce verecundo sanctius ore loqui. *Quintil.* 10. 1. *ab init.* Verba parum verecunda. *poco oneste, oscene,* turpia. *Inscr.* apud *Henzen. n.* 7138. Juvenis verecundissimus. — Cum infinito. *Id.* 7. 1. 56. Hoc dicere rustico (*filio*) est verecundum. h. e. verecundiæ est. Sic 11. 3. 133. Transire in diversa subsellia parum verecundum est. ¶ 2. Metonymice — *a*) Est parcus, moderatus, modestus, *modesto, moderato. Cic. Orat.* 24. *a med.* Ille tenuis orator nec in faciendis verbis erit audax et in transferendis verecundus e. parcus in priscis. *Id.* 12. *Phil.* 5. 11. Verecundiorem esse in postulando. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 37. Sæpe verecundum (*me*) laudasti. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 49. Nunc precor hinc alio jubeat discedere, si non Nostra verecundo vota pudore carent. *Id.* 2. *Trist.* 353. mores distant a carmine nostri: Vita verecunda est, Musa jocosa mihi. *Martial.* 8. 70. Quum siccare sacram largo Permessida posset Ore, verecundam maluit esse sitim. *Vellej.* 2. 33. *a med.* Pompejus in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos ut libentissime iniret, ita finiret æquo animo. *Cic.* 7. *Fam.* 13. Interiores litteræ, quibus sæpe verecundiorem me in loquendo facis. — *b*) *Verecundus color,* rubor in vultu ex verecundia, *rossore:* vel ei similis. *Horat. Epod.* 17. 21. Fugit juventas et verecundus color Reliquit ora. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 485. Illa verecundo suffunditur ora rubore.

II.) Passive. ¶ 1. *Verecundus* est verendus, venerabilis. *Ammian.* 14. 6. 6. Patrum reverenda cum auctoritate canities populique R. nomen circumspectum et verecundum. Adde 21. *prope fin.* et 30. 8. 4. ¶ 2. *Verecundus* est pudendus, obscenus. Hinc *verecundiores partes,* obscena corporis membra. *Arnob.* 4. *p.* 133. Cf. *Marcell. Empir. c.* 10. *p.* 100. *retro.* — Et absolute *verenda* apud *Isid.* 19. *Orig.* 22. 29. et 19. *ibid.* 33. 1. et *verecundiora* apud *Vulg. interpr. Ezech.* 22. 10. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VĔRĒDĀRĬUS**, ii, m. 2. (veredus) nuntius publicus, qui, equis certo loco positis, maxime quam celerrime itinera conficit (It. *corriere, postiglione;* Fr. *courrier;* Hisp. *correo;* Germ. *der Courier;* Angl. *a courier, postboy*).

I.) Proprie. *Sidon.* 5. *Ep.* 7. *ante med.* Hi sunt, qui invident tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas. *Firmic.* 3. *Mathes.* 13. *sub fin.* Sed Mercurius et Mars in Martis signis aut partibus constituti regum nuntios veredariosque reddent. — Hinc jocus *Paulini Nolan. Ep.* 9. (*al.* 28.) *init.* Victor epistolarum nostrarum veredarius pedes aut bipes veredus.

II.) Translate *veredarius urbis* dicitur ab *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 28. presbyter quidam, qui in hoc omne studium posuerat, ut matronarum nomina, domos moresque cognosceret, et pæne usque ad cubicula dormientium senex importunus ingrederetur.

**VĔRĒDUS**, i, m. 2. — *a*) Scribitur etiam *verœdus* per diphthongum, unde et *verœdarius.* Cf. *Priscian.* 1. 36. in opt. notæ MSS.; hinc *Lyd. De magistr.* 3. 60. *p.* 254. *B.* Βέραιδος, βεραιδάριος. — Alia scriptio est *verhedus* cum aspiratione, de qua mox. — *b*) Ad etymon quod attinet, vox conflata videtur ex Latino *veho* et Gallico *reda* seu *rheda:* quomodo et *verhedus* cum spiritu scribitur in *Pand. Flor.* 50. 4. 18. § 21. *Fest. p.* 372. 25. *Müll.* Veredos antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est ducerent. *V.* quæ secuntur. — Veredus itaque est equus cursus publici, ἵππος, ταχύδρομος (It. *cavallo da posta;* Fr. *cheval de poste;* Hisp. *caballo da posta;* Germ. e. *Courierpferd;* Angl. *a posthorse*): qui cursus olim vehicularis fuit ut constat ex *Sueton. Aug.* 49. *V.* VEHICULARIUS. Hinc patet eorum error, qui putarunt, veredum fuisse equum sine vehiculo eoque *veredum* non quasi *veheredum,* sed quasi *vehedum* dictum videri. Nempe in errorem eos duxit, quod posteriore ævo etiam equis singulis ad publicum cursum uti solerent: quæ res fecit, ut his etiam veredorum nomen sit tributum. ¶ 1. Stricto sensu. *Auson. epist.* 8. 7. Ut celerem mannum vel ruptum terga veredum Conscendas, propere dummodo jam venias. *Id. epist.* 14. 13. Sed cisium aut pigrum cautus conscende veredum: Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi. ¶ 2. Latiore sensu usurpatur de quocumque equo cursus velocissimi, qualibus antiqui utebantur in venatione. *Martial.* 12. 14. Parcius utaris, moneo, rapiente veredo, Prisce, nec in lepores tam violentus eas. Sæpe satisfecit prædæ venator, et acri Decidit excussus, nec rediturus, equo. *Id.* 14. 86. Stragula succincti venator sume veredi. — *Procurator a veredis* dicebatur in domo Augusta, qui veredorum Augusti curam habebat. *Inscr.* apud *Murat.* 2042. 3. (*Orell. n.* 2968.) D. M. AVRELIO STEPHANO PROC. A VEREDIS AVG. Itali dicunt *direttore delle poste.* V. *Colleschi Delle poste degli antichi p.* 43. et *Scheffer De re vehic.* 2. 30. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Homonym. Differt *veredus* a *paraveredo;* nam *veredi* proprie erant equi cursum publicum facientes in viis rectis, ut *paraveredi* (unde fortasse, quos Itali dicimus, *palafreni*), qui in transversis. *Imp. Julian. Cod.* 12. 51. 4. et *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. ibid.* 7.

**VĔRENDA**, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq.

**VĔRENDUS**, a, um, particip. *V.* VEREOR.

**VĔRENNIS**, is, f. 3. instrumentum rusticum, quod vehiculi genus fuisse videtur. *Isid.* 20. *Orig.* 14. 13., qui vocem a *vehendo* ducit.

**VĔRENS**, entis, particip. *V.* VEREOR.

**VĔRENTER**, adverb. (vereor) cum reverentia, *con riverenza e rispetto. Sedul.* 1. 8. sanctoque verenter Stare choro. Adde *Venant.* 10. *carm.* 16. 5.

**VĔRĔOR**, vĕrēris, vĕrĭtus sum, vĕreri, dep. 2. Etiam *vereo, es, ere* olim usurpatum fuisse arguitur ab *Afran.* apud *Gell.* 15. 13. et *Augustin.* 6. *Civ. D.* 9. V. sub I. 2. — Obscura est origo vocis: etymologi recentiores cum Gr. ὁράω, tueor, vel ἀράομαι, oro, conjungunt. Cf. Germ. *ehren* et *verehren,* venerari. — Part. *Verens* I. 1. et II. 1. *a* et *d;* *Veritus* fere in omn. paragr.; *Verendus* in fin. — Vereor est cum observantia et ingenuo pudore metuo, εὐλαβέομαι, αἰδέομαι (It. *temere con riverenza, rispettare o aver riverenza o riverire con timore;* Fr. *révérer, respecter, craindre, redouter;* Hisp. *reverenciar, respectar, temer, tener miedo;* Germ. *Scheu haben, es scheuen, fürchten, verehren mit Scheu, sich fürchten;* Angl. *to fear with reverential awe, respect, revere, fear*).

I.) Transitive. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Amph.* 2. 2. 202. Vereri et metuere Junonem. *Cic. Senect.* 11. 37. Metuebant eum servi, verebantur liberi. *Id. ibid.* 22. 81. Vos tamen, deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis. *Id.* 12. *Phil.* 12. 29. Quid? veteranos non veremur? nam timeri se ne ipsi quidem volunt. *Plaut. Amph. prol.* 22. Quippe qui intellexerat vereri vos se et metuere, ita ut æquum est, Jovem. *Vereri* ut patrem, *metuere* ut maximum et potentissimum. *Liv.* 39. 37. *a med.* Veremur quidem vos, Romani, et, si ita vultis, etiam timemus. Sed plus veremur et timemus deos immortales. *Nepos Att.* 5. Cujus sic asperitatem veritus est ut etc. *h. e.* honore et obsequio mitigavit. *Quintil.* 2. 2. 28. Quem discipuli amant et verentur. ¶ 2. Latiore sensu, et quidem frequentissime, est idem plane ac timeo, nec solum de hominibus sed etiam de rebus usurpatur. — *a*) Universim. *Ter. Phorm.* 2. 2. 1. Veritus conspectum patris. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Non se hostem vereri. *Id.* 5. *ibid.* 48. Vereri periculum. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 3. Quem meus Cicero et amabat ut fratrem, et jam ut majorem fratrem verebatur. *Id. Orat.* 1. 1. Veretur reprehensionem doctorum atque prudentium. *Id.* 14. *Att.* 4. Vereor Gallica bella. *Id.* 2. *Herenn.* 19. 28. Ergo et metus periculi hortabatur eum interimere, a quo supplicium verebatur. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 39. Vereri pauperiem. *Virg.* 9. *Æn.* 27. equidem de te nil tale verebar. *Nepos Datam.* 2. Vereri insidias ab amico. Adde *Quintil.* 1. 3. 7. et 9. 2. 74. — *b*) Cum Infinito: qua constructione nonnulli etiam pro dubitare accipiunt. *Ter. Andr.* 2. 1. 23. Hei mihi! vereor dicere. *Cic.* 1. *Legg.* 13. 37. Vereor committere, ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 6. *sub fin.* Adde *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 32. et 4. 7. 2. *Virg.* 6. *Æn.* 613. nec veriti dominorum fallere dextras. *nè esitarono o si fecero coscienza.* et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 40. Insanos qui inter vereare insanus haberi. — *c*) Passive. *Afran.* apud *Gell.* 15. 13. Ubi malunt metui, quam vereri se ab suis. *Augustin.* 6. *Civ. D.* 9. *D.* A religioso autem tantum vereri ut parentes, non ut hostes timeri. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Fin.* 13. 39. Cyrenaici, quos non est veritum, in voluptate summum bonum ponere. ¶ 3. Item pro dolere, moleste ferre. *Ovid. Heroid.* 16. 75. Vincere erant omnes dignæ: judexque verebar, Non omnes causam vincere posse suam. ¶ 4. *Ve-*

*veri*, absolute, verecundiam habere, *aver rossore*, αἰδοῦμαι. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 50. Hic vereri perdidit. *il rossore.* Cf. *eumd. Capt. prol.* 58. et *ibid.* 2. 2. 99.

II.) Intransitivorum more, est timore afficior, metuo, *aver paura, temere:* et usurpatur ¶ 1. Universim. — *a*) Cum Genetivo. *Afran.* apud *Non. p.* 496. 29. *Merc.* Optandam uxorem, quæ non vereatur viri. *Ter. Phorm.* 5. 7. 78. Neque hujus sis veritus feminæ primariæ. *Acc.* apud *Non. loc. cit.* Si tui veretur progenitoris. *Cic.* 8. *Att.* 4. Ne tui quidem testimonii veritus. Alii leg. *tuum testimonium. Auson. Prol. lus.* VII. *Sap. prol.* Postquam potentes neque verentes sumptuum etc. *nè badando a spesa.* et *Colum.* 6. *R. R.* 2. *ad fin.* Mores hujus pecudis, qui sunt verentes plagarum et acclamationum. — Impersonaliter. *Pacuv.* apud *Non. loc. cit.* Nihilne te populi veretur, qui vociferare in via? — *b*) Cum Dativo. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. Eo minus veritus navibus, quod in litore molli atque aperto deligatas ad ancoras relinquebat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 45. 138. Vos autem mihi veremini, ne labar ad opinionem. — *c*) Cum Abl. et præp. *de. Id. Senect.* 6. *a med.* de Carthagine. De qua non ante vereri desinam, quam illam excisam esse cognovero. — *d*) Cum Conjunctivo. — *α*) Sequente *ut* aut *ne non*, in iis, quæ vellemus fieri. *Ter. Phorm.* 5. 7. 72. vereor, ut placari possit. *Cic.* 14. *Fam.* 14. Vereor, ut Dolabella ipse satis nobis prodesse possit. *Id.* 1. *Orat.* 9. 35. Vereor, ut tibi possim concedere. *Id.* 14. *Fam.* 5. Accepi tuas litteras, quibus intellexi, te vereri, ne superiores mihi redditæ non essent. — *β*) Et sequente *ut non*, in iis, quæ nollemus. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. *a med.* Veritus, ut hostium impetus sustinere non posset. — *γ*) Vel sæpius *ne. Id.* 1. *ibid.* 42. Vereri se, ne per insidias ab eo circumveniretur. *Id. ibid.* 19. Nam, ne ejus supplicio Divitiaci animum offenderet, verebatur. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 234. Veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. *Id. Sull.* 23. *a med.* In ipsa rogatione ne quid per vim ageretur, quis nostrum Sullam aut Cæcilium verebatur? *Id.* 9. *Fam.* 16. Qui te ad scribendum incitavit, verentem, ne Silius suo nuntio aliquid mihi sollicitudinis attulisset. — *δ*) Et omisso *ne. Nepos Pelop.* 1. Vereor, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere. — *ε*) *Vereor ne* pro *vereor ut*, in his quæ vellemus. *Cic.* 3. *Herenn.* 6. *a med.* Si laudabimus, vereri nos dicemus, ne illius facta verbis consequi possimus. Est qui leg. *ut.* Adde *eumd.* 6. *Fam.* 1. et 4. et *Marcell.* 4. 12. V. NE sub *B* 2. — *ζ*) *Non vereor ne* et *non vereor ne non* omnem timorem excludit et significat certum esse et securum, non dubitare, quin. *Id.* 2. *Fam.* 1. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam. *et ibid.* 5. Non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat, sed etc. *et ibid.* 6. Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me beneficia non possem. *Id. ibid.* 7. Non vereor, nequid timide, nequid stulte facias. *et* 5. *ibid.* 12. *a med.* Non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar. *Matius* ad *Cic.* 11. *ibid.* 28. *ad fin.* Non vereor, ne meæ vitæ modestia parum valitura sit contra falsos rumores. ¶ 2. *Vereri* dubitationem sæpe significat cum aliquo timore conjunctam: habetque post se particulas dubitandi. *Ter. Andr.* 1. 2. 4. Heri semper lenitas, verebar, quorsum evaderet. *Sall.* in *orat. Lepidi contr. Sull. a med.* Neque jam, quid existimetis de illo, sed quantum vos audeatis, vereor. *Cic.* 7. *Att.* 7. Pontinium quod scribis in urbem introisse, vereor quid sit. nam id, nisi gravi de causa, non fecisset. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 10. Hoc quomodo acciperent homines, vereor etiam nunc. *Cajus Dig.* 20. 4. 11. Vereor, num hic aliud sit dicendum. — Hinc Part.

*Verendus, a, um*, adjectivorum more ¶ 1. Est venerabilis, venerandus, *venerabile, venerando*, αἰδέσιμος, εὐλαβητέος. *Ovid.* 4. *Met.* 539. majestatemque verendam Imposuit. *Id.* 3. *Pont.* 1. 143. Curia cum patribus fuerit stipata verendis. *Id.* 5. *Trist.* 6. 31. et quos prætexta verendos Virgaque cum verbis imperiosa facit. *rispettabili.* et *Heroid.* 3. 103. Per tamen ossa viri subito male tecta sepulcro, Semper judiciis ossa verenda meis. ¶ 2. Est etiam timendus, terribilis. *Lucan.* 10. 46. Alexander, Partho verendus. *Id.* 5. 502. Fluctus verendi classibus. ¶ 3. *Verendæ partes*, sunt obscenæ et pudendæ corporis partes. *Veget.* 1. *Veterin.* 7. In lateribus (*equorum*) et in coxis et in verendis partibus. — Et absolute *verenda, orum*, eod. sensu, τὰ αἰδοῖα. *Plin.* 3. *Ep.* 14. Alius os verberat, alius pectus et ventremaque etiam (fœdum dictu) verenda contundit. Adde *Vulg. interpr. Gen.* 9. 22. et *alibi.*

Homonym. Differunt *vereri* et *timere* vel *metuere.* Est enim *vereri* proprie liberorum, qui honestatis gratia moventur, *timere* vel *metuere* servorum, ut sub v. VERECUNDIA dictum est. Hinc *Cic. Senect.* 11. 37. Metuebant eum servi, verebantur liberi. Adde *Plaut. Amph. prol.* 22. aliaque *loca adl.* sub I. 1. et 2. *c.*

VĔRĒTILLA. *V.* VERETILLUM.

VĔRĒTILLŎPŌTA, æ, m. 1. Vox hybrida ex Latino *veretillum*, et Græco πότης, potor, facta. *V.* DRILOPOTA.

VĔRĒTILLUM, i, n. 2. *deminut. a* veretrum, est et parvum veretrum et genus piscis, ad quod alludere videtur *Apul. De mag.*, ubi sermo est de piscibus idem nomen habentibus, quod in homine partes, quibus sexus distinguitur. En verba *ejusd.* At quæsisse me fingeretis ad illecebras magicas duo hæc marina, veretillum et virginal. Alii *veretillam* legunt, ut sit a *veretilla, æ*, f. 1., quod minime videtur probandum, inquit *Forcellinus;* at *veretillam* habent *Oudendorp.* et *Hildebr.*

VĔRĔTRĂSĪNUS, i, m. 2. (veretrum et asinus) is, cujus penis ita protenditur, ut veretrum asinorum. Inde *onos* ab ὄνος, asinus, apud *Lamprid. Commod.* 19. *extr.* et *asellus* apud *Juvenal.* 9. 92. impurus hujusmodi homo dicitur. (V. *Casaubon.* ad *Lamprid. loc. cit.*) *Capitolin. M. Aurel.* 12. Quum quemdam veretrasinum famæ detestandæ, honorem petentem moneret. Ita legit *Casaubon.*, alii *veterasinum*, alii *Vetrasinum*, ut sit nomen proprium viri; sed fortasse rectius legendum *Vitrasium*, etenim *Vitrasius* est nomen gentilicium Romanum, ut T. Vitrasius Pollio, maritus Annæ Faustinæ consobrinæ M. Aurelii Aug. et consul iterum ann. a Chr. n. CXC. V. *Inscr.* apud *Orelli n.* 3421.

VĔRĒTRUM, i, n. 2. (vereor) membrum virile, penis, mentula, *membro virile*, αἰδοῖον. Nempe ea ratione penem *veretrum* dixere, qua et *verenda* nominamus.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Sueton. Tib.* 62. Excogitaverat autem inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distenderet. Adde *Phædr.* 4. 13. ¶ 2. Latiore sensu, sequioris Latinitatis tempore, videtur *veretrum* significasse pudendum tam virile, quam muliebre. Hinc *Arnob.* 5. *p.* 165. Amputationes virilium veretrorum. Item *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. *virile veretrum* dixit. *Id.* vero 5. *ibid.* 10. *ante med.* habet *muliebre veretrum.* Ita *Furlanetto;* sed et *Varro Sat. Menipp.* 53. *p.* 153. *Oehl.* Dein immittit virile veretrum in frumen.

II.) Improprie, a similitudine, *veretrum* est etiam dictum genus piscis. *Gloss. Arab. Lat.* Veretrum, portum ovinum (*lege* porcum marinum). V. *Hildebr.* et *Oudend.* ad *Apul. De mag.* seu *Apol.* 34. V. VERETILLUM.

VERGENS, entis, particip. *V.* VERGO.

VERGĪLIÆ, ārum, f. plur. 1. Alii scribunt *Virgiliæ* pro diversa vocis origine, quam putant alii esse a *vergo* aut *ver*, ut apud *Fest.* et *Isid. loc.* infra *adl.;* alii vero a *virga* seu *virgula*, quod virgulæ modo porrigantur, ut est apud *Voss.* in *Etymol.* Sed quidquid sit de etymo, scriptio per *e* est omnino præferenda: ceterum ἀρχαϊκῶς *verga* pro virga scribebatur. — Vergiliæ sunt septem stellæ ante genua Tauri, Græce Πλειάδες. *V.* PLEJADES. *Festus p.* 372. 9. *Müll.* Vergiliæ dictæ, quia earum ortu ver finitur et æstas incipit. *Isid.* 3. *Orig.* 70. 13. Has Latini Vergilias dicunt a temporis significatione, quod vere exoriuntur. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 44. 112. Vergilias tenui cum luce videbis. Adde *Auct. B. Afr.* 47., *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 42. (104). et *alibi.* et *Curt.* 5. 6. 12.

VERGĬLIŎCENTO *et* Virgiliocento, ōnis, m. 3. (Vergilius seu Virgilius *et* cento) cento seu carmen ex Virgilii versibus consarcinatum. *Hieronym. Ep.* 103. *n.* 7.

VERGĬLIŎMASTIX *et* Virgiliomastix, īgis, f. 3. (Vergilius seu Virgilius *et* μάστιξ) mastigia seu flagellum Vergilii, hoc est rigidissimus Virgilii censor. *Serv.* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 23.

VERGŎ, vergis, (versi) vergere, 3. — *a*) Præteritum *versi* quidam probatum putant illo *Ovidii* carmine, 1. *Pont.* 9. 52. in gelidos versit amoma sinus. Sed alii *fudit*, alii *vergit*, alii *vertit* reponunt. At *Korn* retinuit, secutus *Plot. Sacerd. p.* 490. 27. et *Prob. Cath. p.* 39. 24. *Keil.* Contra *Charis. p.* 245. 15. et *Diomed. p.* 369. 13. *ibid.* tribuunt *verxi*, sed sine exemplis. — *b*) Ratione habita etymi, videtur esse a rad. Skr. *varg*, ejusd. significationis. — Part. *Vergens* I. 2. et in fin. — Vergo est inclino, declino, propendeo, specto, ῥέπω, ῥέπομαι, συννεύω (It. *volgere, piegare;* Fr. *tourner, incliner, pencher vers, se diriger vers;* Hisp. *volver, inclinar hácia;* Germ. *sich wohin neigen, kehren, gelegen sein;* Angl. *to decline or incline, bend, lie, verge, tende*): occurrit non solum intransitive, sed etiam transitive, qui fortasse est primarius vocis usus.

I.) Intransitive et quidem fere cum Acc. et præp. *ad, in.* ¶ 1. Proprie. *Cæs. I. B. G.* 1. Vergit ad Septentriones. *Id.* 1. *B. C.* 45. *a med.* Ab oppido declivis locus tenui fastigio vergebat in longitudinem passuum circiter quadringentorum. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. Id nunc honeste vergit in tectum inferioris porticus. *Id. Phil.* 11. 26. Nisi Bruti auxilium ad Italiam vergere, quam ad Asiam, maluissemus. *Liv.* 37. 31. *in fin.* Portus, qui in Meridiem vergit. — Cum adverb. motus. *Tac.* 1. *Ann.* 3. *de Tiberio.* Illuc cuncta vergere. ¶ 2. Translate. *Id.* 2. *ibid.* 43. Nam suam ætatem vergere, Germanici nondum satis adolevisse. *avanzarsi, accostarsi alla vecchiaja.* et *Curt.* 4. 7. *a med.* Nox vergit ad lucem. *s'avvicina al dì.* et *Sueton. Oth.* 7. Vergente jam die ingressus senatum. *verso la sera.* Adde *Senec. Vit. beat.* 15.

II.) Transitivorum more est verto *volgere.* ¶ 1. Generatim. *Manil.* 1. 303. utraque caudam Vergit in alterius rostro sequiturque sequentem. *Lucret.* 2. 212. In terras igitur solis quoque vergitur ardor. *Lucan.* 1. 54. Et polus aversi calidus qua vergitur Austri. ¶ 2. Speciatim in sacris ponitur pro fundere, infundere, spargere. *Servius* ad illud *Virg.* 6. *Æn.* 244. frontique invergit vina sacerdos. Fundere, inquit, est supina manu libare, quod fit in sacris supernis: vergere autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit. Hinc *Stat.* 6. *Theb.* 211. Spumantesque mero pateræ verguntur. — Huc pertinet *Ovid. loc. init. cit.* ¶ 3. Extra sacra pro fundere seu miscere posuit etiam *Lucret.* 5. 1003. Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venena Vergebant. — *Marcell. Empir.* c. 16. Vergere ova in calicem. — Hinc Part.

*Vergens, entis*, etiam adjectivorum more adhibetur et est inclinatus: occurrit autem tum proprie tum translate, sequente plerumque Acc. et præp. *in, ad. Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Ut omnibus ejus partibus in medium vergentibus (id autem medium, infimum in sphæra est) nihil interrumpat. *Lucan.* 2. 624. Illyris Ionias vergens Epidaurus in undas. *Id.* 1. 130. Anni vergentes in senium. *Tac.* 13. *Ann.* 19. Vergens annis femina. *d'età avanzata.* et 4. *ibid.* 41. Vergente jam senecta. *età decrepita. Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 38. (116). Ægri vergentes in lethargum. *Id.* 34. *ibid.* 2. 3. (8). Æs suo colore pretiosum ad jocineris imaginem vergens. *Id.* 12. *ibid.* 19. 26. (43). Nardus colore languido in candidum vergente.

*Seneca Tranquill.* 1. Hæc animi inter utrumque dubii nec ad recta fortiter nec ad prava vergentis infirmitas qualis sit etc.

VERGŎBRĒTUS, i, m. 2. — *a*) *Virgobretus* pro *vergobretus* legitur in *Not. Tir. p.* 60. Magistratus, virgobretus, legatus. — *b*) *Gesnerus* in suo *Thesaur. ling. et erudit. Rom.* pænultimam producit, sed Græcus Metaphrastes brevem habet, scribit enim per ε. — *c*) Nonnulli derivant a *virga*, quæ vox *purpuram* Gallice sonat, ut ait *Serv.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 660., et *breit*, quæ Celtice *pictum* significat, h. e. *purpura indutus;* alii vero a Celticis vocibus *fear-go-breith*, h. e. vir ad judicium, nempe judex: vel *guerg*, efficax, et *breth* vel *breath*, judicium, quasi judicium exsequens vel efficiens. — Vergobretus est nomen supremi magistratus apud veteres Gallos. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. de *Æduis.* Liscus summo magistratu præerat, quem vergobretum appellant Ædui, qui creatur annuus et vitæ necisque in suos habet potestatem.

VĒRĪA, æ, f. 1. (verus) responsum, sors. *Inscr.* apud *Il. Venut. Osserv. sopra il fiume Clitunno p.* 38. POST VERIAS FEL. H. D. L. M. *h. e.* felices hoc (*signum*) dedicavit lubens merito. Clitumno enim sacræ erant sortes, ut constat ex *Plin.* 8. *Ep.* 8. Præsens numen atque etiam fatidicum, indicant sortes. *V.* CLITUMNUS in ONOM.

VĒRĬCŎLA, æ, adject. comm. gen. 1. (verus *et* colo) qui vel quæ verum colit. *Tertull. carm. ad senat.* 43. At quum vericolæ penetraveris ostia legis.

VĒRĬCŬLĀTUS, a, um. *V.* VERUCULATUS.

VĒRĬCŬLUM. *V.* VERUCULUM.

VĒRICUNDUS. *V.* VERECUNDUS.

VĒRĪDĬCĒ, adverb. (veridicus) vere, *veridicamente. Ammian.* 31. 1. 2. Veridice prædicere. *Augustin. Ep.* 17. (*al.* 44.) Rhetorice potius, quam veridice, agere existimer.

VĒRĪDĬCENTĬA, æ, f. 1. (verus *et* dicens) veriloquium: opponitur autem falsidicentiæ. *Jul. Valer.* 1. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 14. Equidem, inquit, veridicentiæ isti testis accedo. *Id.* 2. *ibid.* 2. Aliud testimonium vati ad veridicentiam forte tale provenerat.

VĒRĪDĬCUS, a, um, adject. (verus *et* dico) Etiam *veredicus* pro *veridicus* apud *Eutych. p.* 454. 33. *Keil.* — Pænultimam habet brevem ex quantitate radicis *dĭc*, unde præs. productum *dīco* pro *deico.* Cf. *dūco* pro *douco* a *dŭc*, unde (*dux*) *dŭcis.* — Veridicus ¶ 1. Active est qui vera dicit, *veridico*, ἀληθεύων. *Lucret.* 6. 6. Omnia veridico qui quondam ex ore profudit. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 101. Veridicæ voces. *Catull.* 64. 53. Accipe quod alti læta tibi pandunt luce sorores, Veridicum oraclum. *Martial.* 5. 1. Seu tua veridicæ discunt responsa sorores. Cf. *M. Müller.* ad *Liv.* 1. 7. — Est epitheton deorum in *Inscr.* apud *De-Vita* in *Antiqu. Benev. cl.* 1. *n.* 7. Junoni veridicæ. Cf. *Isid.* 10. *Orig.* 275. ¶ 2. Passive est verus, *vero. Cic. Flacc.* 31. 77. Veridicas adjungis causas inimicitiarum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 4. 6. (25). Oracula a maxime veridico usu profecta. (*Forcell.* interpretatur: ab experientia, quæ maxime verum docet.) *Id.* 7. *ibid.* 16. 15. (69). Veridico exitu consecuto. (*Forcell.* exponit: qui vaticinium veridicum fuisse monstravit.

VĒRĬFĬCO, as, are, a. 1. (verus *et* facio) verum esse probo (It. *verificare;* Fr. *vérifier;* Hisp. *verificar;* Germ. *als wahr darlegen;* Angl. *verify*). *Boeth. Arist. Top.* 4. 5. *ad fin.* Non de omnibus hujusmodi est assignandum, de quibus non verificatur genus, sed de quibuscumque vere prædicatur assignatum genus. nam in quibusdam non videtur verificari, ut in luto et nive. Adde *ibid.* 5. 3. et *alibi.*

VĒRĬLŎQUAX, acis, adject. comm. gen. 3. (verus *et* loquor) qui vera loquitur. *Gloss. Cyrill.* Ἀληθινός, veriloquax, veridicus.

VĒRĬLŎQUIUM, ii, n. 2. (veriloquus) vera locutio, vera prolatio. ¶ 1. Generatim. *Augustin.* 1. *Retract.* 27. De mendacio scripsi librum qui - magis moribus ad veriloquium diligendum proficit. Adde *Isid. Sent.* 2. 30. ¶ 2. Specialim ac sæpius sumitur pro etymologia seu origine vocis. *Cic. Top.* 8. 35. Quam ἐτυμολογίαν vocant, id est verbum ex verbo, veriloquium; nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus.

VĒRĬLŎQUUS, a, um, adject. (verus *et* loquor) veridicus, *veridico. M. Aurel.* inter opera *Fronton. ad M. Cæs. ep.* 12. Nullum tam veriloquum oraculum est, quin aliquid ancipitis vel obliqui vel impediti habeat, quo imprudentior irretiatur. *Hieronym.* 3. *advers. Rufin. n.* 42. Quia veritatem non poterant audire et linguam veriloquam.

VĒRĬMŌNĬA, æ, f. 1. (verus) idem ac veritas. *Plaut. Truc.* 1. 2. 65. Istunc ad amicam verius verimonia referre. Ita quidem referunt nonnulli Lexicographi: sed sanior probatiorque lectio sic se habet: *istunc ad amicam meras querimonias referre.*

VĒRĪSĪMĬLIS *et rectius divisim* veri similis, e, adject. (verus *et* similis) Quod secunda syllaba producatur in illo *Auson. epist.* 24. 8. Concinnat verisimilis suspicio culpam: scribendum potius divisim *veri similis* videtur. Immo recentiores ut plurimum vocem dividunt; quod quidem facit *Cic.* alicubi aliam vocem interserendo. *V.* infra et VERISIMILITUDO et VEROSIMILIS. — Comp. *Verisimilior* et Sup. *Verisimillimus.* — Verisimilis est qui veri similitudinem habet, probabilis, πιθανός, εἰκώς (It. *verisimile;* Fr. *vraisemblable;* Hisp. *verisimil;* Germ. *wahrscheinlich;* Angl. *like the truth, likely, verisimilar*). *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. *in fin.* Volunt probabile aliquid esse et quasi verisimile. *Id.* 2. *Orat.* 19. 83. Narrationem jubent verisimilem esse et apertam et brevem. Adde *ibid.* 80. *Id.* 1. *Invent.* 3. 4. Verisimillimum mihi videtur, quodam tempore etc. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (86). Quod est verisimilius, quam quod etc. — *Cic.* 1. *Nat. D.* 24. 66. Hæc ego nunc physicorum oracula fundo, vera an falsa, nescio, sed veri tamen similiora, quam vestra. *Id.* 1. *Invent.* 21. 30. Narratio veri quidem similis ex his rationibus esse poterit. *Id.* 5. *Tusc.* 4. *a med.* Ut in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quæreremus. — Substantive frequenter usurpatur. *Ter. Andr.* 1. 3. 20. Mihi quidem non sit verisimile. *non posso credere.* — *Verisimile est*, probabile est, *è credibile.* — *a*) Cum infinito. *Cic. Rosc. Am.* 20. *a med.* Etiam tum, quum verisimile erit, aliquem commisisse, in suspicione latratote. — *b*) Cum conjunctivo et partic. *ut, quam. Id. ibid.* 41. 121. Non est verisimile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit. Sic *Seneca* 4. *Benef.* 31. Verisimile est, ut alios indulgentius (*dii*) tractent. *V.* tamen *Madvig* in *h. l.* in *Adv.* v. 2. *p.* 415. *Cic. Brut.* 17. *extr.* Non verisimile est, quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. *non si può credere, quanto* etc.

VĒRĪSĪMĬLĬTER *et divisim* veri similiter, adverb. (verisimilis) Comp. *Verisimilius.* — Verisimiliter est cum aliqua similitudine veritatis, *verisimilmente*, πιθανῶς. *Apul. De mag.* Verisimiliter fingere. *Id. ibid.* Verisimilius confingere. *Tertull. Apolog.* 16. Alii verisimilius solem credunt Deum nostrum.

VĒRĪSĪMĬLĬTŪDO *et divisim* veri similitudo, inis, f. 3. (verisimilis) probabilitas (It. *verisimilitudine, verisimiglianza, probabilità;* Fr. *vraisemblance;* Hisp. *verisimilitud;* Germ. *die Wahrscheinlichkeit;* Angl. *likelihood, probability*). *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 107. Sine assensione ipsam verisimilitudinem non impeditam sequi. *Seneca* 4. *Benef.* 33. Ea ire, qua ducit verisimilitudo. Adde *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 17. (38). — In quibusdam optimis exemplaribus horum trium scriptorum legitur divisim *veri similitudo;* quin ipse *Cic. Partit.* 11. *sub fin.* et *Tim.* 3. transpositis verbis *similitudinem veri* dixit: ex quo patet, rectius divisim usurpari; neque enim Latina lingua, præsertim aureæ ætatis, istiusmodi duarum vocum συμπλοκάς magnopere amat. *V.* VERISIMILIS *init.*

VĒRĪTAS, atis, f. 3. (verus) usurpatur, ubi ajunt, objective et est id, quod verum est, cui *opinio, imitatio, fama* opponitur: et subjective et est habitus ejus, qui verum dicit, cui opponitur *mendacium.* Est itaque veritas

I.) Objective est res vera, vera ratio, verum, ἀλήθεια (It. *verità;* Fr. *vérité;* Hisp. *verdad;* Germ. *die Wahrheit;* Angl. *verity, truth*). ¶ 1. Generatim. *Cic. Cœl.* 26. *extr.* O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam, facile se per se ipsam defendat! *Id. Cluent.* 65. 183. Sæpe depressa veritas emergit. *Id.* 1. *Orat.* 17. *a med.* Ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa concedat. *et* 3. *ibid.* 57. 215. In omni re vincit imitationem veritas. *et* 1. *ibid.* 53. *a med.* Ne ornatius quidem causam dici suam voluit, quam simplex ratio veritatis ferebat. *Id. Amic.* 25. 91. Ad voluptatem loqui omnia, nihil ad veritatem. *Id. Rosc. Com.* 10. *ad fin.* Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 1. Salus omnium nostrum non veritate solum, sed etiam fama nititur. *Id.* 1. *Divinat.* 13. 23. Quidquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? *Id.* 1. *Orat.* 34. *a med.* Proferre aliquid in lucem veritatis. *Phædr.* 3. 10. Explorare veritatem. *Cic.* 2. *Off.* 10. 35. in disputatione limare. *Id. Sull.* 16. 45. mendacio contaminare. *Quintil.* 4. 2. 64. obscurare. *Tertull. Apolog.* 2. extorquere. *Id. ibid.* 14. Semper veritas odio est. *Hieronym.* in *Jer.* 5. *præf.* Veritas claudi et ligari potest, vinci non potest. *et Augustin.* in *Ps.* 61. 16. Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest. *Capell.* 2. *p.* 46. Veritas ex non exsistentibus. *h. e.* nihil ex nihilo exsistere; vel potius divina natura, seu τὰ ὄντως ὄντα, quæ a non exsistentibus, μὴ οὖσιν, terrestribus et caducis, Platonico sensu, per abstractionem et inductionem inveniuntur. — In plur. num. *Gell.* 18. 7. *ante med.* Scitote tamen, intemperiem istam, quæ μελαγχολία dicitur, veritates fortiter dicere, sed respectum non habere μή τε καιροῦ, μή τε μέτρου. ¶ 2. Speciatim est id, quod justum et æquum est. *Vulg. interpr. Joh.* 3. 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem. ¶ 3. Item doctrina vera. *Id. Ps.* 42. 3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Adde *Joh.* 18. 37. ¶ 4. Item idem ac veriloquium seu etymologia. *Cic. Orat.* 48. 159. Quibus in verbis eæ primæ litteræ sunt, quæ in *sapiente* atque *felice*, producte dicitur *in*, in ceteris omnibus breviter. Consule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. ¶ 5. Singularis est loquendi modus apud *eumd.* 4. *Herenn.* 22. *extr.* Hæc tria genera proxima exornationum perraro sumenda sunt, quum in veritate dicemus, propterea quod non hæc videntur reperiri posse sine elaboratione et consumptione operæ. *In veritate dicere*, est veram causam agere in foro, non in schola fictam exercitii gratia. Etenim fictis causis quædam exquisitiores deliciæ convenire possunt, non item veris, in quibus affectatior ornatus suspicionem habet falsitatis. ¶ 6. *Veritas* ut persona sistitur apud *Varron. Sat. Menipp.* 31. *p.* 120. *Oehl.* Ad nos accedit cana Veritas, Atticæ philosophiæ alumna. *Martial.* 10. 72. Siccis rustica Veritas capillis. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 24. 7. Incorrupta Fides nudaque Veritas. — Ceterum in fabulis fuit dea, filia Saturni et Virtutis, faciem referens matronæ prope nudæ vel simplici veste indutæ ac speculum manu gerentis. *Gell.* 12. 11. *ad fin.* Quidam veterum poetarum Veritatem Temporis filiam esse dixit. Hinc *Plutarch. Quæst. Rom.* 12. Διὰ τί τὸν Κρόνον πατέρα τῆς Ἀληθείας νομίζουσι. ¶ 7. *Veritas* κατ' ἐξοχὴν est Deus ipse, cui singulariter convenit veritas eo quod esse illi uni suapte natura et essentia competit. *Tertull. De patient.* 10. Cf. etiam *loc. ad.* sub II. 4.

II.) Subjective est habitus vera dicendi, sinceritas, simplicitas, *veracità, schiettezza, semplicità.* ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Invent.* 53. *extr.* Veritas est, per quam immutata ea, quæ sunt aut ante fuerunt aut futura sunt, dicuntur. *Ter. Andr.* 1. 1. 41. Obsequium amicos, veritas odium parit, παῤῥησία. *Plin. Paneg.* 84. Soror tua ut se soro-

rem esse meminit! ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur! ¶ 2. Speciatim, ut *verus* justus, æquus, ita *veritas* nonnumquam justitia, æquitas est. *Cic. Quinct.* 2. *ad fin.* Tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus, in tuam, C. Aquili, fidem, veritatem, misericordiam P. Quinctius confugit. *Id. Dejot.* 2. 5. Quæ mihi ad spem obtinendæ veritatis gravissima sunt Adde *Rutil. De fig.* 2. 4. ¶ 3. Item fidelitas in promissis exsolvendis. *Vulg. interpr. Is.* 38. 18. Non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam. Adde *Gen.* 24. 27. Cf. *Ps.* 110. 6. Opera manuum ejus veritas et judicium. — In plur. num. *Id. Ps.* 11. 2. Deminutæ sunt veritates a filiis hominum. *h. e.* apud homines nulla pæne fidelitas reperitur. Alii interpr.: virtutes, opera justa, recta. ¶ 4. Hinc *veritas* κατ' ἐξοχήν, etiam hoc sensu, est ipse Deus. *Vulg. interpr. Joh.* 14. 6. Dicit ei Jesus: Ego sum via, veritas et vita. *Isid.* 7. *Orig.* 2. 21. Veritas (*Dei Filius*), quia non fallit, sed tribuit, quod promisit. ¶ 5. In illo *Vulg. interpr.* 2. *Mach.* 2. 29. Veritatem quidem de singulis auctoribus (*Gr.* auctori) concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. *veritas* videtur esse accurata et minuta rei disquisitio. Cf. *Weitenauer ad h. l.*

VĔRĬTUS, a, um, particip. *V.* VEREOR.

VĒRĬVERBĬUM, ĭi, n. 2. (verus *et* verbum) verus sermo, *vero parlare*, ἀληθολογία. *Plaut. Capt.* 3. 4. 36. Tu repertus, Philocratem qui superes veriverbio.

VERMESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VERMESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vermis) Part. *Vermescens* — Vermesco est vermis fio, putresco.

I.) Proprie. *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 3. 57. *ad fin.* Vermescens putredo. *Id. De Trin.* 3. § 17. *extr.* Corpora vermescunt.

II.) Translate. *Augustin.* 35. *Tract. in Joh.* 8. O homo mortue et vermescendo calumniose.

VERMEX. *V.* VERMIS.

VERMĪCO, as, are, n. 1. ¶ 1. Est vermibus scateo: a *vermis* seu *vermex*. *Gloss. Cyrill.* Σκωληκιῶ, vermico. ¶ 2. Alio sensu, dicitur de avibus. *V.* VERNO.

VERMĬCŬLA. *V.* VERMICULUS.

VERMĬCŬLĀTĒ, adverb. (vermiculatus) vermiculos imitando, vermiculato opere. *Quintil.* 9. 4. *a med.* Tesserulas, ut ait Lucilius, struet et vermiculate inter se lexeis committet. Cf. *Müller ad Lucil. Sat. fr. inc.* 34.

VERMĬCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vermiculor) morbus plantarum et pomorum, quum vermiculis innascentibus infestantur, *inverminamento*, σκωλήκωσις. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37 (218). Arborum communis morbus vermiculatio, sideratio etc. *et ibid.* Vermiculationem et poma ipsa per se quibusdam annis sentiunt, mala, pira, mespila, Punica. *et ibid.* 11. 16. (87). Ficus si in scilla seratur, ocissime ferre traditur pomum neque vermiculationi obnoxium.

VERMĬCŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VERMĬCŬLO, as, ātum, are, a. 1. *et*

VERMĬCŬLOR, āris, ari, dep. 1. (vermiculus) Forma *vermiculo, as.* non habet, quod sciam, nisi Part. pass. *Vermiculatus.* — Vermiculor est vermiculos gigno, vermiculis infestor: quod vitium non modo lignis et arboribus, verum et aliis plantis et pomis solet accidere, τερηδονίζομαι, σκωληκοῦμαι (It. *far vermi;* Fr. *engendrer des vers, être vermoulu ou attaqué par les vers;* Hisp. *engendrar gusanos, ser carcomido;* Germ. *voll sein v. Würmern, wurmstichig sein;* Angl. *to breed worms*).

I.) Proprie. Absolute *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (220). Vermiculantur magis minutæ quædam arbores, omnes tamen fere idque aves cavi corticis sono experiuntur. — Latiore sensu apud *Capell.* 7. *p.* 236. Digiti recursantes et quadam incomprehensæ mobilitatis scaturigine vermiculati. *h. e.* argute motati.

II.) Translate adhibetur de iis, quæ quamdam habent vermiculorum effigiem; hinc *vermiculatum* dicitur opus ex minutis tessellis ita variegatum et distinctum, ut vermiculos referat, *lavorato a vermicelli, fatto a tesselli, a mosaico. Lucil.* apud *Cic. Orat.* 44. 149. Quam lepide lexeis compostæ, ut tesserulæ arte Endo pavimento atque emblemate vermiculato! *Varro Sat. Menipp.* 86. *p.* 231. *Oehl.* Vermiculata facies. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Vermiculatis ad effigies rerum et animalium crustis. — *Id.* 13. *ibid.* 11. 20. (66). Gummi vermiculatum, colore glauco. *Vulg. interpr. Cant.* 1. 10. Murenulæ aureæ vermiculatæ argento. *Hieronym.* 12. in *Ezech.* 41. 16. Fenestræ non speculari lapide nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis. *Plin. Valer.* 2. 17. Vermiculata pellis. *V.* LACCAR et VITRUM.

VERMĬCŬLŌSUS, a, um, adject. (vermiculus) vermibus plenus, *verminoso*, σκωληκώδης. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. *circa med. de pruno.* Ne poma caduca et vermiculosa nascantur.

VERMĬCŬLUS, a, um, adject. (vermis) rubicundus, rubeus, *vermiglio*, σκωληκοειδής. Hanc vocem antiquis Latinis vulgo usitatam fuisse, satis ostendit recentiorum Italorum *vermiglio*, Gallorum *vermeil*, Hispanorum *bermejo*, cujus etiam vestigium apparet apud *Colum.* 3. *R. R.* 2. *sub init.*, ubi pro *uvæ venuculæ* nonnulli codices *vermiculæ* habent: adde *eumd.* 11. *ibid.* 2., ubi pro *far vernaculum* sunt qui legendum putant *vermiculum*, atque apud *eumd.* 2. *ibid.* 6. quattuor enumerantur farris genera nempe quod appellatur Clusinum candoris nitidi; quod vocatur venuculum (*plures Cod.* habent *vermiculum*); atque alterum candidum sed utrumque majoris ponderis, quam Clusinum; tandem semen trimestre, quod dicitur halicastrum. Cf. voc seq. sub I. 2.

VERMĬCŬLUS, i, m. 2 *deminut. a* vermis, exiguus vermis, *vermicello*, σκωλήκιον.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 2. 898. Et tamen hæc quum sunt quasi putrefacta, per imbres Vermiculos pariunt. Adde *Lamprid. Commod.* 10. — *Plin.* 10. *Hist. nat.* 65. 85. (187). Jam obituris muribus vermiculum in capite gigni tradunt. Adde *Marcell. Empir. c.* 28. *p.* 128. *extr.* ¶ 2. Speciatim *vermiculus* est idem ac coccum. *Isid.* 19. *Orig.* 28. 1. Κόκκον Græci, nos rubrum seu vermiculum dicimus. Est enim vermiculus ex silvestribus frondibus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 4. (8) Est autem genus ex eo (*cocco*) in Attica fere et Asia nascens, celerrime in vermiculum se mutans, quod ideo scolecion vocant. *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 19. Pro cocco juxta Latinum eloquium apud Hebræos תולעת *tholagñad*, id est vermiculus, scribitur. Hinc etiam in *Vulg. interpr.*, ut *Exod.* 35. 25. et *alibi*, eadem significatione vermiculus usurpatur. ¶ 3. Item et morbus canum, quo aguntur in rabiem. *Grat. Cyneg.* 386. Namque subit, nodis qua lingua tenacibus hæret, (Vermiculum dixere) mala atque incognita pestis. *V.* LYTTA. — *NB.* In illo *Vulg. interpr.* 2. *Reg.* 23. 8. Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. *vermiculus* non exiguus vermis sed nomen est appellativum primi ex tribus Davidis heroibus, qui fuit *Adino Hasonæus*, alio nomine Jesbaam, positum loco proprii.

II.) Translate est opus vermiculatum in pavimentis. *Inscr.* mendosa apud *Murat.* 314. 2., emendata apud *Fea Fast. cons p.* 69. (*Orell. n.* 4240.) P. RVBRIVS TROPHIMVS ET P. RVBRIVS AGATHO SOLARIVM REFECERVNT ET VERMICVLVM STRAVERVNT etc. Hæc *Inscr.* pertinet ad ann. a Chr. n. XCIV.

VERMĬFLŬUS, a, um, adject. (vermis *et* fluo) fluens et scatens vermibus. *Paulin. Nolan. carm.* 22. 134. *de Herode.* Vulnere vermifluo fœtidus interiit.

VERMĬGĔRĀTUS, a, um, adject. participiorum more factum (vermis *et* gero) idem videtur esse ac vermina patiens. *Pelagon. Veterin.* 19. Si equus lassus, si calcatus, si vermigeratus, si vulneratus etc.

VERMĪNA, um, n. plur. 3. Videtur *Fest. loc. adl.* ducere a *vermibus:* sed quum Græca στρόφος dicatur, a στρέφω, verto, et a nostris *volvolo*, Latine quoque a *verto* ducunt alii: a quo *vermen, vermina*, ut a *sterno stramen* etc. — Vermina sunt tormina, *dolore di ventre*, στρόφος.

I.) Proprie *Fest. p.* 375. 24. *Müll.* Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi a vermibus scindatur. Hic dolor Græce στρόφος dicitur. *Lucret.* 5. 995. Donicum eos vitā privarant vermina sæva.

II.) Translate. *Arnob.* 1. *p.* 30. Ubi (*Apostoli*) verbo compescuerunt furialium vermina passionum.

VERMĬNĀCĬA, æ, f. 1. herba eadem ac verbenaca; ita fortasse a similitudine vermis dicta. *Plin. Valer.* 1. 16. *Rose.* Verminacia imposita (*tonsillis*) prodest. *Paucker* mallet *verminaria* vel *verminatica*.

VERMĬNANS, antis, particip. *V.* VERMINO.

VERMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (vermino) vitium in jumentis, quum a verme infestantur, σκωληκίασις. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49. (180). Iisdem sanari demissis in fauces jumentorum verminationes notum est. Adde 30. *ibid.* 15. 50. (144). ¶ 2. Latiore sensu, sumitur pro cruciatu, tormento, vexatione. *Seneca Ep.* 78. Sic podagra et chiragra et omnis vertebrarum dolor nervorumque interquiescit quum illa, quæ torquebat, hebetavit omnium istorum prima verminatio vexat, impetus mora exstinguitur et finis dolendi est obtorpuisse. *Id. Ep.* 95. *ante med.* Cerebri æstuantis verminationes *V.* etiam *Senec. loc. cit.* in VERMINO.

VERMĬNĀTUM, i, n. 2. *et*

VERMĬNĀTUS, a, um particip. *V.* voc. seq

VERMĬNO, as, ātum, are n. 1. (vermis) Etiam *verminor, aris, ari*, dep. 1. usurpatum est. *V* infra. — Part. *Verminans* I. 1. *a; Verminatus* I. 2. et in fin. — Vermino est vermibus infestor seu scateo, σκωληκιάω (It. *aver vermi, far vermi;* Fr. *avoir des vers, engendrer des vers*, Hisp. *haber gusanos, engendrar de gusanos;* Germ. *Würmer haben;* Angl. *to breed or produce worms, verminate*).

I.) Forma activa. ¶ 1 Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Seneca* 2. *Quæst nat.* 31. *extr.* In venenatis corporibus vermis non nascitur. Fulmine icta intra paucos dies verminant. Adde *Priap.* 58. 2. *B.* — Hinc pro putrescere apud *Arnob.* 1. *p.* 30. Christus verbo compescuit verminantium membrorum cruces. — *b*) Latiore sensu, interdum accipitur pro torqueri et cruciari. *Martial.* 14. 23. Si tibi morosa prurigine verminat auris, pizzica. ¶ 2. Figurate. *Claud. Quadrig. Ann.* 3. *fr.* 49. *Hertz.* Ut viderent, ne res publica verminaret litteris ad diva additis, quod verminatum ne ad cancer perveniret. *Alii aliter leg.* V. *Priscian.* 6. *p.* 233. 1. *Keil.*

II.) Deponentium more pro torqueri (dictum a vermibus, quod facile se torqueant, ut explicat *Non. p.* 40. 18. *Merc.*). *Pompon.* apud *eumd. p.* 40. 21 *ibid.* Decumo mense demum turgens verminatur, parturit. *h. e.* dolores parturientium patitur. *Seneca Vit. beat.* 17. Delinimenta podagræ meæ compono, contentus, si rarius accedit et si minus verminatur. *h. e.* prurit et vellicat, quasi movendo se inter articulos instar vermium rodentium. — Hinc

*Verminatum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, vermium infestatio, seu quod est a vermibus vitiatum corruptumve. *Gloss. Cyrill.* Σκωληκίασις, verminatum Cf. *loc. Claud Quadrig.* supra *adl.*

VERMĬNOR. *V.* voc. præc.

VERMĬNŌSUS, a, um, adject. (vermis) vermes habens, σκωληκώδης (It. *verminoso;* Fr. *plein de vers, véreux;* Hisp. *cocoso;* Germ. *voll Würmer;* Angl. *full of worms, verminous*). *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 52. (146). Sucus auribus verminosis instillatur. *Id.* 26. *ibid.* 14. 87. (145). Verminosa ulcera.

VERMĬŌSUS, a, um, adject. (vermis) idem ac verminosus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (261). *D.* Vermiosæ fici. *Alii leg.* verminosæ.

VERMIS, is, m. 3. Forma *vermex* et *vermix, icis*, unde et *vermico*, est in *Corp. Gloss.* 2.

434. etc. — Ratione habita etymi, videtur esse a *verto* aut a *varus*. Cf. VARUS et VERMINA. — Vermis est genus insecti, quod in animalium corpore et in stercore gignitur, σκώληξ (It. *verme;* Fr. *ver;* Hisp. *gusano;* Germ. *der Wurm;* Angl. *a worm*).

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 870. Quippe videre licet vivos existere vermes Stercore de tetro. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (159). Si vermes radicibus inhæreant, remedium est amurca pura. *Id.* 24. *ibid.* 5. 11. (18). Cedri sucum vermibus aurium instillare. *Id.* 30. *ibid.* 13. 39. (114). Ulcera, quæ vermibus periclitantur. *Isid.* 12. *Orig.* 5. 18. Proprie vermis in carne putri nascitur, tinea in vestimentis, eruca in olere, teredo in ligno, tarmus in lardo. *Marcell. Empir. c.* 27. Vermis, unde coccum tingitur. *V.* VERMICULUS. *Vulg. interpr. Exod.* 16. 20. Vermibus scatere. *Id. Deut.* 28. 39. vastari.

II.) Translate. — *a*) De homine contemptibili, imbelli. *Vulg. interpr. Is.* 41. 14. Noli timere, vermis Jacob. — In illo *Ps.* 21. 7. Ego autem sum vermis et non homo. *Isid.* vult ita dici Christum, quia resurrexit; sed mihi videtur, ex opposito ita dictus ob humilitatem et ignominiam, cui sponte obnoxius fuit. — *b*) De conscientia: *Id. Marc.* 9. 44. Vermis eorum non moritur. *h. e.* conscientiæ stimulus, quo quis mordetur, conscientiæ angor, cruciatus.

VERNA, æ, comm. gen. 1. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *Adamant.* apud *Cassiod. Orth.* 5. docet, *bernam* melius scribi pro *verna*. Quod quidem confirmat, præter litt. *v* et *b* permutandi morem, *Inscr.* apud *Petron. del Signore Marmi Riccard. p.* 315. et *alia* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 300., ubi *berna*, non *verna*, legendum est. Cf. *Bed. De orth. p.* 2299. et 2330. et VERNACULUS. — *b*) Ratione habita etymi, *Fest. loc.* infra *adl.* ducit a *ver;* etymologi vero recentiores probabilius a rad. Skr. *vas*, habitare, Cf. etiam Goth. *barn*, natus. — Verna

I.) Dicitur servus domi nostræ vel etiam in terra nostra natus, οἰκότριψ, οἰκοτραφής (It. *servo nativo di casa;* Fr. *esclave né dans la maison de maître;* Hisp. *esclavo nacido en la casa del dueño;* Germ. *der im Hause geborene Sclave, Hausclave;* Angl. *a slave born in the house, a home-born slave*). Usurpatur autem ¶ 1. Substantivorum more. — *a*) In masc. gen. *Fest. p.* 372. 1. *Müll.* Vernæ, qui in villis vere nati, quod tempus, duce natura, feturæ est. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 103. Quid, nutrici non missurus quicquam, quæ vernas alit? *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 15. Bellienus verna Demetrii, qui ibi cum præsidio erat etc. *Inscr.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 169. OLYMPVS DOMINI DOMITIANI AVG. SER. VER. ROM. NAT. *h. e.* servus verna Romæ natus. — *b*) In fem. gen. *Inscr.* apud *Gruter.* 654. 3. ANTIA TIBVLLA VERNAE SVAE DVLCISS. FECIT. *Alia* apud *Don. cl.* 10. 97. A IVLIO A. F. PAL. ZOSIMO ET ONESIMENI VERNAE SVAE etc. — *c*) Etiam nominibus neutr. gen. jungi potest, ut docet *Valer. Prob.* in *Cathol. p.* 1440. et 1445. *Putsch.* Sic *advena mancipium*. V. ADVENA. — Deterior autem vernæ conditio est, quam servi, quia verna nascitur servus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 23. Satius est me queri illo modo servitutem: hodie Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater Servitutis: hic, qui verna natus est, queritur. *Justin.* 38. 6. *ad fin.* Aut exsules Corinthiorum aut servos vernasque Tuscorum. *Val. Max.* 3. 4. *n.* 3. Vernam huic urbi natum regem dando. — Vernarum nomen pro convicio habebatur, quod, ut quidam dicunt (inter quos *Non. p.* 43. 12. *Merc.*), eo nomine primum dicti fuerint ii, qui sacro vere nati essent. *Plaut. Amph.* 4. 2. 13. Cum cruciatu tuo istæc hodie, verna, verba funditas. — Servos vernas ad contumeliosas argutias erudiebant. *Seneca Provid.* 1. *sub fin.* Cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos tristiori disciplina contineri, horum ali audaciam. *Martial.* 1. 42. Urbanus tibi, Cæcili, videris: Non es, crede mihi; quid ergo? verna es. *h. e.* scurra impudens et procax. *V.* VERNILITAS. — De vernarum die festo V. *Orelli Inscr. v.* 2. *p.* 413. ¶ 2. Adjective ponitur pro vernaculo. — *a*) Proprie. *Inscr.* apud *Murat.* 892. 1. CORPVS T. CAESARIS VESPASIANI AVG. SERVVS VERNA PECVLIARIS VICARIO SVO BENEMERENTI. — *b*) Translate de belluis et inanimis. *Martial.* 1. 50. vernas apros Leporemque forti callidum rumpes equo. *Id.* 13. 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis Et vernæ tuberes: quid tibi cum Libycis? *Id.* 10. 30. Piscina rhombos pascit et lupos vernas. *Id.* 3. 1. Verna liber. *h. e.* Romæ scriptus.

II.) Dicitur etiam de homine libero, et quidem — *a*) De homine Romæ nato. *Martial.* 10. 76. Sed de plebe Remi Numæque verna, Jucundus, probus, innocens, amicus. *Festus p.* 372. 6. *Müll.* Romanos vernas appellabant, id est ibidem natos. V. *Inscr. adl.* sub I. 1. *a*. Adde *aliam* apud *Orelli n.* 2996. — In fem. gen. *Inscr.* apud *Gruter.* 654. 3. — *b*) Item de homine aliis in urbibus nato. *Inscr.* apud *eumd.* 708. 1. L. SVLPICIO MAXENTIO VERN. TARACONENSI OPPIVS MAXIMVS F. ET PEDAXIA CRESCENTINA CONIVG. B. M. F. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

VERNĀCĬUS et

VERNĀCLUS et

VERNĀCLA et

VERNĀCŬLA, æ. *V.* voc. seq.

VERNĀCŬLUS, a, um, adject. (verna) Est etiam, quamquam *Prob.* in *App. p.* 443. *Endl.* improbat, *vernaclus* vel *bernaclus*, per syncop. pro *vernaculus*, in plurib. Lapidibus scriptis, *Inscr.* apud *Fabretti p.* 613. *n.* 109. CASCIA CAPRIOLA SILVANO SVO NVTRITIO ET VERNACLO SVO B. M. F. (ubi *Mommsen n.* 761. *vernacio* pro *vernaclo* leg.) *Alia* apud *Murat.* 1540. 6. ISAVRICAE VERNACLAE SVAE QVAE VIXIT ANNIS III. DIEB. XXIIII. TI. CLAVDIVS FORTVNATVS FECIT. Adde *alias* apud *Torremuzza Sicil. p.* 275. *n.* 66. et *Rénier n.* 3945. et etiam *Capitolin. Macrin.* 13. *Peter.* — Vernaculus dicitur, qui est domi nostræ: item in nostra urbe aut regione natus, nostræ regionis proprius, οἰκογενής, ἐπιχώριος, αὐτόχθων (It. *domestico, nativo, proprio del paese;* Fr. *domestique, familier, de la maison, natif, indigène;* Hisp. *domestico, familiar, nativo;* Germ. *einheimisch, römisch;* Angl. *domestic, native*).

I.) Proprie. *Tac.* 1. *Ann.* 31. *a med.* Vernacula multitudo. *h. e.* quæ vernis libertinis et simili plebe urbana constat. Sic *Tertull. Apolog.* 35. Ipsos Quirites ipsamque vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana? *Id. ibid.* 19. *De Jos. Flav.* Antiquitatum Judaicarum vernaculus vindex. *h. e.* Judæus de Judaicis rebus, licet Græce, scripsit. *Id. De anim.* 51. Femina vernacula Ecclesiæ. *h. e.* christiana. — *Vernacula legio* apud *Auct. B. Hisp.* 7., de qua V. *Hermes* IV. a. 1893. *p.* 610.

II.) Translate refertur ad belluas aut inanima. *Varro* 5. *L. L.* 77. *Müll.* Aquatilium vocabula partim sunt vernacula, partim peregrina. *Id.* 3. *R. R.* 5. Vernaculæ volucres. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (24). Vites peculiares atque vernaculæ Italiæ. *Id.* 37. *ibid.* 13. 77. (202). Vernaculi equi. *Id.* 17. *ibid.* 23. 35. (208). Vernacula putatio. *h. e.* quæ in nostris regionibus fieri consuevit. — *Plaut. Pœn.* 4. 2. 105. Illud inserviendum est consilium vernaculum. *h. e.* domi et a nobis excogitatum et initum. *Cic.* 9. *Fam.* 15. *ante med.* Imago antiquæ et vernaculæ festivitatis. *Id.* 5. *Verr.* 61. *a med.* Crimen domesticum ac vernaculum. *h. e.* domi ab accusatore confictum. *Tac. Dial. de orat.* 28. Vernacula vitia. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vernacula, æ*, f. 1. serva domi nata. *Ambros. De Abr.* 1. 7. *n.* 65. Filius, quem susceperat ex vernacula. Adde *Capell.* 8. *p.* 271. et *Inscr.* apud *Murator.* 1540. 6. — Translate. *Apul. De mag.* Paupertas, olim philosophiæ vernacula.

*Vernaculus, i*, m. 2. ¶ 1. Est idem ac verna. *Martial.* 10. 3. Vernaculorum dicta. *h. e.* dicta procacia, contumeliosa, scurrilia vernarum. *V.* VERACULUS. Miror, quod *Madvigius* in *Adv. v.* 2. *p.* 637. moneat, *vernaculos* pro vernis nusquam dici; quamvis enim ipse aliter legat apud *Capitolin. Macrin.* 13. et *loc.* ex *Martial.* de iis, qui vernarum more procaciter loquuntur, possit intelligi; tamen eo sensu legitur *vernaculus* apud *Apul.* 1. *Met.* et *Cod. Theod.* 9. 12. 2. Cf. *Inscr.* apud *Orelli n.* 2811. et *aliam* apud *Fabretti* init. *adl.* ¶ 2. Dicitur et de ingenuis. *Vulg. interpr. Jer.* 2. 14. Numquid servus est Israel aut vernaculus?

VERNĀCŬLUS, i. *V.* voc. præc.

VERNĀLĬA, ium. *V.* voc. seq.

VERNĀLIS, e, adject. duo diversa significat. ¶ 1. Est ad ver pertinens, vernus. *Manil.* 3. 258. Tunc augusta dies vernales fertur in horas. Adde *Augustin.* 7. *Civ. D.* 25. *Sueton. fragm.* 123. *p.* 176. 7. *Reiff.* Vernale æquinoctium. Adde *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 100. *Boeth. Cons. Phil.* 3. 8. Vernales flores. *Gloss.* apud *Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 503. fructus. ¶ 2. Est etiam ad vernam pertinens, apud *Tac.* 2. *Hist.* 59., sed dubia est lectio. *V.* VERNILIS. Hunc tamen sensum confirmat *Onom. Lat. Gr.* in *Thes.* ed. *Vulc.* Vernalis, οἰκοτριβικός.

VERNĀLĬTER, adverb. (vernalis) vernæ more.

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 108. necnon vernaliter ipsis Fungitur officiis. Alii leg. *verniliter*. Adde *Donat.* in *Ter. Eun.* 5. 4. 4.

II.) Translate est urbane, non quidem urbanitate ingenua, sed affectata et servo digna, adulatorie. *Seneca* 2. *Benef.* 11. *a med.* Et hæc ipsa non vernaliter, nec ea figura, qua etc. *V.* integrum *Senecæ* locum, ubi alii leg. *verniliter*, alii rectius *venaliter*. *Cœcil.* apud *Non. p.* 42. 27. *Merc.* Credo, nimis tandem hoc fit vernaliter. *h. e.* adulatorie. Alii leg. *verniliter*. — Hæc *Forcellinus*, ex quibus colligitur dubiam esse ubique lectionem, nec tam facile *vernaliter* pro *verniliter* esse usurpandum.

VERNANS, antis, particip. *V.* VERNO.

VERNĀTĬLIS, e, adject. (verno) vernalis. *Cassiod.* 3. *Variar.* 53. Aquilegus, qui aridis locis aquas possit dare vernatiles, ut beneficio suo habitare faciat loca nimia sterilitate siccata. *h. e.* quæ vernare faciant viridia. *Alii rectius leg.* venatiles, *sc.* e vena perpetuo fluentes.

VERNĀTĬO, ōnis, f. 3. (verno) actus serpentis corium vere novo (interdum et auctumno, ut *Aristoteles* testatur) exuentis.

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (101). Membrana sive senectus anguium vernatione exuta, cum cancro masculo trita. *Id.* 30. *ibid.* 3. 8. (24). Anguinæ vernationis membrana cum oleo tædæque resina calefacta.

II.) Tropice sumitur pro ipso corio serpentis, quod alias senectus, Græcis λεβηρίς et σύφαρ dicitur, *spoglia del serpente*. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 35. (111). Lendes tolluntur adipe canino vel anguibus in cibum sumptis anguillarum modo aut vernatione, quam exuunt, pota.

VERNĒMĔTES, is, n. 3. Vox Celtica, quæ significat fanum ingens. Hujusmodi nomen habuit ædes S. Vincentii in urbe Burdigalensi, quæ nunc S. Cruci dicata est. *Venant.* 1. *carm.* 9. 5. Ecce beata nitent Vincentii culmina summi, Munere martyrii qui colit astra poli. Nomine Vernemetis voluit vocitare vetustas, Quod quasi fanum ingens Gallica lingua refert.

VERNETUS, i, m. 2. herba, de qua *Marcell. Empir.* 9. *ad fin.* Herba, quæ Gallice vernetus dicitur, conteres et exprimes et sucum ejus auriculæ non audientis infundes. Cf. *Paucker* ad *h. l.*

VERNĪCO, as, are. *V.* VERNO.

VERNĪCŎMUS, a, um, adject. (vernus et coma) vernam comam habens, ut Vernicoma oliva apud *Capell.* 6. *p.* 188. h. e. vernans seu vere frondes emittens.

VERNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (vernus et fero) vernum tempus ostentans, vernalis. *Capell.* 1. *init.* Comere verniferis florentia limina sertis. *Alii* vernificis.

VERNĬFĬCUS, a, um. *V.* voc. præc.

VERNĬLĀGO, inis, f. 3. herba, quæ vulgo ustilago dicitur, a nonnullis vero carduus silvaticus. *Apul. Herb.* 109., ubi alii leg. *vertilago*.

VERNĪLIS, e, adject. (verna) servilis, *servile*, οἰκετικός.

I.) Proprie. *Quintil. Declam.* 7. 7. Vernilee exentiuntur artus.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice. *Tac.* 2. *Hist.* 59. Quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. *h. e.* servilibus et adulatoriis liberoque homine indignis. Est qui legit *vernalis:* sed *vernilis* usitatius est. ¶ 2. Metaleptice sumitur pro scurrili, quia servos vernas ad contumeliosas argutias erudiebant. *Id.* 3. *ibid.* 32. *in fin.* Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tamquam signum incendendæ Cremonæ dedisset, quæ jam flagrabat. Adde *Jul. Vict. Rhet.* 26. *p.* 447. *H.* V. voc. seq.

VERNĪLĬTAS, ātis, f. 3. (vernilis) agendi ratio vernarum propria: hinc translate ¶ 1. Est urbanitas quædam affectata, non ingenua nec libero homine digna. *Seneca Ep.* 95. Interdum obnixe petimus id, quod recusaremus, si quis offerret: hæc sive levitas sive vernilitas punienda est promittendi facilitate. ¶ 2. Hoc nomine significatur etiam faceta procacitas et dictorum impudentes sales, qui in vernis maxime placebant; nam hujusmodi præditi dicacitate quærebantur, qua si carerent, dabatur a dominis opera, ut docerentur, quo gratiores evaderent dictisque etiam contumeliosis dominum oblectarent. *Seneca Const. Sap.* 11. *ad fin.* Eadem causa est, cur nos mancipiorum nostrorum urbanitas in dominos contumeliosa delectet, quorum audacia ita demum sibi in convivas jus facit, si cœpit a domino. Pueros quidam in hoc mercantur procaces et eorum impudentiam acuunt et sub magistro habent, qui probra meditate effundant: nec eas contumelias vocamus, sed argutias. *Quintil.* 1. 11. 2. Nec vitia ebrietatis effingat, nec servili vernilitate imbuatur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (79). Puer subdolæ ac facetæ vernilitatis. ¶ 3. Item dicitur etiam de garrulitate avium. V. *Fulgentii loc. adl.* in ORGANULUM, ubi alii leg. *vernulitas*, et VERNULITAS.

VERNĪLĬTER, adverb. (vernilis) serviliter, vernæ more, *da servo*, οἰκοτριβικῶς.

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 108. necnon verniliter ipsis Fungitur officiis. Alii leg. *vernaliter;* sed *Bentley*, *Quicherat*, alii plurib. Cod. innixi *verniliter* defendunt, quibus *Keller* non refragatur.

II.) Translate est urbane, non quidem urbanitate ingenua, sed affectata et servo digna, adulatorie. *Cæcil.* et *Senec.* loca V. in VERNALITER.

VERNĬO, ōnis, m. 3. *deminut. a* verna, parvus verna. Hinc *Verniones* inscripta est fabula *Pomponii Bononiensis*, cujus fragmenta *V.* apud *Ribbeck Com. rel. p.* 251. ed. alt. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VERNISERA, inquit *Paul. Diac.* ex *Festo* p. 379. 18. *Müll.* Vernisera mensalia auguria. *Muellerus* leg. *Messalia*, a *Messala*, V. ibid. adnot. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. et *seqq.* varia recenset auguria mensarum: sed ex his, quæ sint *vernisera*, aut quid omnino sit hæc vox, non facile didiceris.

VERNO, as, āvi, are, n. 1. (vernus) Part. *Vernans* I. 2. et II. — Verno est dies vernos facere, ver facere, inducere, ἐαρίζω (It. *far primavera;* Fr. *être en printemps;* Hisp. *hacerse de primavera, ser primavera;* Germ. *Frühling haben;* Angl. *to appear like spring*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 50. 51. (136). In Italia mobilior aer, mitiore hieme et æstate nimbosa, semper quodammodo vernat vel auctumnat. ¶ 2. Speciatim est verno tempore flores frondesve emitto, pullulo, germino, *pullulare, germogliare*, ἀναβλαστάνω. *Ovid.* 7. *Met.* 284. Vernat humus floresque et mollia pabula surgunt. *Flor.* 1. 16. Nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. *Martial.* 9. 55. arguto passere vernat ager. *Avien. Perieg.* 1204. procerarum fluctu (*tellus*) vernat palmetum. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (95). Vernantes herbæ, arbores frutices. *Seneca Herc. Œt.* 380. silvæ. Rursus *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (26). Salubri cælo semperque vernante. *h. e.* tam grata temperie aeris et loci amœnitate, ac si semper ver esset. ¶ 3. *Vernare* etiam dicuntur angues, quum vere exuvias ponunt et cutem renovant. *Id.* 8. *ibid.* 27. 41. (98). Anguis hiberno situ, membrana corpori obducta, fœniculi suco impedimentum illud exuit nitidusque vernat. *V.* VERNATIO. ¶ 4. Item aves, quæ primo vere canere incipiunt itemque apes parientes novos fetus et mellis opus tunc instituentes, *vernare* dicimus. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 8. Indocilique loquax gutture vernat avis. *Colum.* 9. *R. R.* 9. Aves curam postulant diligentiorem, quum vernant et exundant novis fetibus. Cf. *Gloss.* apud *Reiffersch.* ad *Sueton. rel. p.* 249. Aves minurriunt vel vermicant vel vernant. An *vernicant* legendum? V. *Ald. Gramm. p.* 569. Aves vernicant.

II.) Translate. *Propert.* 4. 5. 57. Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 316. senioque iterum vernante resumpsit Gallia bis fractas Alpino vulnere vires. *Martial.* 2. 61. Quum tibi vernarent dubia lanugine malæ. *h. e.* pilos emittere inciperent et tenera lanugine ætatis ver præ se ferrent. *Inscr.* apud *Orell.* n. 3778. Vernantibus sæculis. Adde *Ambros.* 1. *Hexaem.* 7. et *Virg.* 10.

VERNŬLA, æ, comm. gen. 1. *deminut. a* verna, parvus verna. Usurpatur autem

I.) Substantivorum more. ¶ 1. Proprie. *Juvenal.* 10. 117. Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 17. 20. (44). Vernula carus Pericli Athèniensium principi. *Salvian.* 7. *Gubern. D.* 4. Hi vere, ut emissarii equi, pæne ad omnes vernulas suas, id est quasi ad greges proprios, hinniebant. Adde *Pacat. Paneg. Theod.* 31. ¶ 2. Translate. *Juvenal.* 5. 104. Tiberinus (*sc.* lupus) et ipse, Vernula riparum. *h. e.* quasi indigena riparum, quique circa ripas Tiberis hærere solet.

II.) Adjective. *Petron. Sat.* 24. O hominem acutum et urbanitatis vernulæ fontem. *Alii leg.* vernaculæ. *Martial.* 5. 18. Præter libellos vernulas nihil misi. *h. e.* domi meæ natos; vel procaces æque ac vernas. *Rutil.* 1. *Itiner.* 112. Vernula qua vario carmine ludit avis. *h. e.* intra domus sæptum nata. *Sidon.* 9. *Ep.* 16. vernulas Mitylenæi oppidi vocat carmina Sapphica ad exemplum poetriæ Sapphus, quæ Lesbia fuit, in qua insula est Mitylene.

VERNŬLĬTAS, ātis, f. 3. (vernula) faceta procacitas, vernarum propria, vernilitas. *Fulgent.* 1. *Myth. præf. p.* 3. *M.* Vernulitas comœdica. et *ibid. p.* 25. rimabunda. — Hinc translate de garrulitate avium apud *eumd. ibid. p.* 10. — Alii tamen ubique leg. *vernilitas*.

VERNŬLUS, a, um, adject. (vernula) *Gloss.* apud *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 503. *Vernulus*, subdolus, malus, servilis.

VERNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

VERNUS, a, um, adject. (ver) ad ver pertinens, *di primavera*, ἐάρινος. *Varro* 1. *R. R.* 28. 2. et *Colum.* 9. *R. R.* 14. Vernum æquinoctium. *Lucret.* 1. 10. Non simul ac species patefacta est verna diei etc. *Cic. Senect.* 19. *a med.* Verni temporis suavitas. *Horat.* 2. *Od.* 11. 9. Verni flores. *Propert.* 3. 3. 22. Et caput in verna semper habere rosa. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 27. nix verno sole soluta. *Id. Heroid.* 6. 109. Mobilis Æsonide vernaque incertior aura. *Seneca Troad.* 228. Vernæ aquæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (188). Multi hibernos agnos præferunt vernis. et 18. *ibid.* 26. 65. (243). Verna opera. *h. e.* quæ vere facienda. *Petron. Sat.* 120. non verno persona cantu Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur. *h. e.* quo vere ludunt aviculæ. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc absolute

*Vernum*, *i*, n. 2. substantivorum more, est idem ac ver, apud scriptores sequioris ævi. *Tertull. Resurr. carn.* 11. *ante med.* Revolvuntur hiemes et æstates et verna et auctumna cum suis viribus, moribus, fructibus. *Id. Spectac.* 9. Albus color hiemi ob nives candidas; russeus æstati ob solis ruborem voti erant; prasinus terræ matri vel verno; venetus cælo et mari vel auctumno. *Cassiod.* 3. *Variar.* 51. Prasinus color virenti verno, venetus nubilæ hiemi, roseus (*lege* russeus) æstati flammeæ, albus pruinoso auctumno dicatus est. *Id.* 4. *ibid.* 51. Frons theatri scæna dicitur ab umbra luci densissima, ubi a pastoribus, inchoante verno, diversis sonis carmina cantabantur. *Capell.* 2. *p.* 31. Nitidissima verna. Rursus *Cassiod.* 3. *Variar.* 31. Ardenti tempore (*in Brutio*) tale est vernum silvarum, ut nec muscarum aculeis animalia fatigentur et herbarum semper virentium satietatibus expleantur.

*Verno*, adverbiorum more, ipso vere. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (95). Imas radices crescere hieme, verno autem, quum apparuerit viola, minui et contrahi. et *ibid.* 3. 13. (37). Tubera tenerrima verno esse. Adde *Caton. R. R.* 52. et 54., *Colum.* 4. *R. R.* 10. et *Pallad.* 2. *R. R.* 15., 4. *ibid.* 10. et *alibi* sæpe.

VĒRO, adverb. *V.* VERUS.

VĒRO, as, are, n. 1. (verus) vera dico, *dire il vero*, ἀληθεύω. *Gell.* 18. 2. Quæsitum hoc est: verbum *verant*, quod significat vera dicunt. *Enn.* apud *eumd. ibid.* Satin vates verant ætate in agunda? Adde *Onom. Lat. Gr.* in *Thes. utr. l.* ed. *Vulc.*

VĔRO, ōnis, m. 3. idem ac veru, *h. e.* telum. Apud *Aurel. Vict. Cæsar.* 17. verones plumbei dicuntur, quibus utebantur gladiatores cum Commodo imperatore pugna ludicra batuentes, ne eum ictu vulnerarent, qui contra acuto ferro congrediebatur multosque etiam per summam feritatem conficiebat.

VĔRŌSUS. *V.* VIROSUS.

VĒRŌSUS, a, um, adject. (verus) verus, verax. *Capell.* 4. *p.* 96. Illa autem, quæ in argumentum verosæ assertionis acrimoniæque detulerat, tradere eam jubet.

VERPA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, videtur esse a Gr. ἕρπω, serpo, quia ἕρποντος, vermis, similitudinem habet. *Mazoch.* derivat ab Hebr. חרפה *hherpà*, opprobrium, a rad. חרף *hheraph*, dehonestare, probro exponere. — Verpa est idem ac mentula, veretrum, φωλή. *Martial.* 11. 46. Jam nisi per somnum non arrigis, et tibi, Mævi, Incipit in medios mejere verpa pedes. Adde *Auct. Priap.* 35. et *Catull.* 28. 12.

VERPUS, i, m. 2. (verpa) ¶ 1. Est qui verpam nudata glande ex libidinis usu præfert, ψωλός. *Catull.* 47. 3. Vos Veraniolo meo et Fabullo Verpus præposuit Priapus ille? *h. e.* Piso salacissimus homo. ¶ 2. Est etiam idem ac recutitus, Judæus, cui præputium deest, *circonciso*. *Juvenal.* 14. 104. Quæsitum ad fontem solos deducere verpos. *Martial.* 7. 82. Delapsa est misero fibula, verpus erat. Adde 11. 94.

VERRĔA, ōrum, n. plur. 2. *V.* VERREUS.

VERRENS, entis, particip. *V.* VERRO.

VERRES, is, m. 3. In recto sing. *verris* pro *verres* legitur a multis apud *Varron.* 2. *R. R.* 4. *ante med.* — Ad etymon quod attinet, rejecta notatione *Isid.* 12. *Orig.* 1. 25., videtur esse a *verro* pro *verso*, qua significat volvere, unde nonnulli et *veretrum* derivant. Cf. *Colum. loc. infra cit.* — Verres est porcus non castratus; nam postquam castratus est, majalis dicitur, χοῖρος (It. *porco non castrato, verro;* Fr. *verrat, porc;* Hisp. *verraco;* Germ. *der Eber;* Angl. *a boar - pig*).

I.) Proprie. *Colum.* 7. *R. R.* 9. *circa med.* Verres limosum pabulum consectatur paludemque rimatur, ut effodiat lumbricos atque in luto volutetur. *Varro* 2. *R. R.* 4. *ad fin.* Castrantur verres commodissime anniculi, utique ne minores, quam semestres: quo facto nomen mutant atque e verribus dicuntur majales. *Horat.* 3. *Od.* 22. 7. Quam per exactos ego lætus annos Verris obliquum meditantis ictum Sanguine donem.

II.) Translate dicitur de homine masculo. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 67. Nisi huic verri affertur merces. Cf. *Cic.* 3. *Verr.* 46. 121. *V.* PORCULA. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VERRĔUS, a, um, adject. a *Verres*, cogn. famosissimi prætoris R., de quo *V.* ONOM. Hinc *Verrea lex*, ab eod. dicta, *ibid.* et *Verrea, orum*, absolute, festa ab eodem Verre in Sicilia instituta, apud *Cic.* 4. *Verr.* 21. 52. et 46. 114. Alii leg. *Verria*.

VERRĬA, ōrum. *V.* voc. præc.

VERRICŌSUS. *V.* VERRUCOSUS.

VERRĬCŬLĀTUS. *V.* VERUCULATUS.

VERRĬCŬLUM, i, n. 2. (verro) genus retis piscatorii, *rete da pescare*, σαγήνη, γαγγάμη. *Serv.* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 63. verrantque per auras. Verrere, inquit, est trahere, a rete, quod verriculum dicitur. *Val. Max.* 4. 1. *extern. n.* 7. A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam jactum emerat. At recentiores hic leg. *everriculum.*

VERRĪNUS, a, um, adject. ¶ 1. Si a *verres*, belua, ducitur, est ad verrem pertinens, *di verro*, χοίρειος. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 42. (152). (et *Marcell. Empir. c.* 27.) Verrinum jecur. *et ibid.* fel. *et ibid.* 9. 37. (141). adeps. *et* 8. *ibid.* 51. 77. (209). Sincipita verrina. ¶ 2. Si a *Verres*, qui fuit Siciliæ prætor, est ad Verrem pertinens, ut *Verrinæ* absolute, sc. actiones *Ciceronis* in Verrem. *Priscian.* 6. 7. et 17. etc. Cf. *Serg.* in *Anecd. p.* 148. 5. *Hag.* Cicero scripsit sectas Verrinas, scripsit sectás et Philippicas. — Ambigue. *Cic.* 3. *Verr.* 46. *ad fin.* Negabant, mirandum esse, jus tam nequam esse verrinum. *h. e.* jurisdictionem Verris, cum allusione ad jus illud, quod in culina paratur. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VERRIS. *V.* VERRES.

VERRO, verris, verri, versum, verrere, a. 3. — *a*) Scribitur etiam *vorro* pro *verro*, quod fit etiam in compositis *converro* et *everro*, sicut *vorto* pro *verto*, quicum a librariis sæpe permutatum reperitur. — *b*) Præterit. *verri* ponunt *Charis.* 3. *p.* 218. *Putsch.* et *Priscian.* 10. *p.* 900.; unde *Licin. Macer* dixit *averrerunt*, et *Publius converri*, et *Hieronym. in Helvid. n.* 20. *verrerint.* At *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 63. tribuit *versi:* unde particip. *versus.* Contra alii Grammatici præteritum rejiciunt hujus verbi, cui potius tribuunt passiv. *versus sum*, ut est apud *Macrob. De diff.* 6. 14. — Partic. *versus* occurrit apud *Plaut. Pseud.* 1. 2. 31. Vorsa, præsterga, strata, lauta coctaque omnia ut sient. *Seneca fragm.* apud *Diomed.* 1. *p.* 375. *Putsch.* Versa templa. *Propert.* 3. 11. 42. Diique deæque *etc.* Præbebant versis verba secunda focis. Alii aliter leg., sed *versis* a *Scalig.*, *Broukus.* et *Vulpio* defenditur. Adde *Virg. loc.* infra *cit.* — *c*) Vox videtur eamdem habere originem ac verto, quod *V.* suo loco. — Part. *Verrens* I. et II. 2. et 6.; *Versus* I. et supra; *Verrendus* II. 3. et 8. — Verro est traho, rapto, ut cum aliis docet *Servius* ad *Virg. loc. cit.* Græce est σύρω (It. *tirare, strascinare*; Fr. *traîner, traîner à terre*; Hisp. *arrastrar, rastrar por el suelo*; Germ. *fegen, kehren, scharren*; Angl. *to drag, draw along*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 62. *de ventis.* maria ac terras cælumque profundum Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras. *Ovid.* 13. *Met.* 961. Cæsariemque meam, quam longa per æquora verro. *et ibid.* 492. Canitiemque suam concreto in sanguine verrens. *Virg.* 1. *Æn.* 482. et versa pulvis inscribitur hasta. Ita *Serv.* et *Diomed.*; alii vero interpretantur, ut a *verto* derivatum.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Improprie seu prægnanti, uti ajunt, sensu, pro purgo, tergeo, everro: quod fit humi scopas trahendo et ipsas sordes et purgamenta, *scopare, spazzare*, σαίρω; quem tamen *Freund* et *Klotz* statuunt esse primarium vocis sensum. *Lucil.* apud *Non. p.* 420. 9. *Merc.* et *Plaut. Merc.* 2. 3. 63. Lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat ac vapulet. *Horat.* 1. *Od.* 1. 10. Quidquid de Libycis verritur areis. *Ovid.* 2. *Fast.* 523. Nam modo verrebant nigras pro farre favillas. *Juvenal.* 14. 60. Verre pavimentum, nitidas ostende columnas. *Petron. Sat.* 34. Lecticarius argentum inter reliqua purgamenta scœpit verrere. ἀναλέγειν, verrendo sublegere. — Absolute. *Cic.* 5. *Parad.* 2. 37. Qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt. ¶ 2. Hinc translate. *Virg.* 8. *Æn.* 674. delphines Æquora verrebant caudis æstumque secabant. *Ovid.* 10. *Met.* 701. summæ cauda verruntur arenæ. *Liv.* 3. 7. *extr.* et 26. 9. Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes. Adde *Sil. It.* 6. 561. et *Claudian. Laud. Seren.* 225. ¶ 3. *Verrere mare* poetice est navigare. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 14. Aptare verrendis sidera quæret aquis. *Stat.* 5. *Theb.* 302. non arva viri, non æquora verrunt. ¶ 4. *Verrere æquor retibus*, piscari. *Sil. It.* 14. 262. Seu silvis sectere feras, seu retibus æquor Verrere, seu cælo libeat traxisse volucrem. Sic *Manil.* 4. 285. Et placidum inductis everrere retibus æquor. ¶ 5. *Verrere* etiam dicuntur, quæ longo tractu tegunt. *Claudian.* 2. *Stilich.* 248., cujus vestigia verrit Cærulus Oceanique æstum mentitur amictus. *Id. Nupt. Honor.* et *Mar.* 145. *de Tritone.* undosi verrebant brachia crines. *Stat.* 1. *Achill.* 262. Si decet aurata Bacchum vestigia palla Verrere. ¶ 6. *Verrere* est etiam volvere, sublevare, nam trahendo aliquid volvitur, sublevatur. *Lucret.* 1. 278. venti nubila cæli verrunt. Sic *Lucan.* 5. 572. Cori verrent mare. *Virg.* 3. *Æn.* 208. nautæ Adnixi torquent spumas et cærula verrunt. *et* 6. *ibid.* 320. remis vada livida verrunt. *baltono.* *Id.* 3. *ibid.* 668. Verrimus et proni certantibus æquora palmis. Ita *Ribbeck* pro vulgari *vertimus.* et *Catull.* 64. 7. Cærula verrentes abiegnis æquora palmis. *Propert.* 4. 12. 43. Nec nostra Actiacum verreret ossa mare. *h. e.* distraheret, agitaret. In his et similib. loc. *verro* in *verto* facili mutatione transiit. — *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 295. Quidquid alit tellus, quidquid salis æquora verrunt. *h. e.* continent et volvunt. ¶ 7. Item est auferre, asportare, expilare. *Plaut. Truc.* 2. 7. 7. Domi quidquid habet, verritur ἔξω. *Martial.* 2. 37. Quidquid ponitur, hinc et inde verris. *Cic.* apud *Quintil.* 6. 3. *circa med.* Futurum, ut omnia verreret Verres. παρωνομασία. ¶ 8. Pro deducere. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. 213. Verrendus a pulmonibus humor.

VERRŪCA, æ, f. 1. Origo vocis videtur esse a rad. Skr. *vardh*, extollere, augere, magnum, durum seu firmum facere. — Verruca est tuberculum durum, eminens, e cute erumpens, callosum, parvum, pili magnitudinem vix umquam excedens, in manibus præcipue nascens et fere sine dolore, ἀκροχορδών (It. *porro*; Fr. *poireau, verrue*; Hisp. *puerro*; Germ. *e. Marze, e. Auswuchs am Körper*; Angl. *a wart*).

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 12. 48. (123). Ocimum verrucas misto atramento sutorio tollit. *Id.* 37. *ibid.* 2. 8. (22). Verrucæ sessiles. Adde *Cels.* 2. 1. *ad fin.*, *Veget.* 5. *Veter.* 16., *Seren. Sammon. c.* 64. et *Isid.* 4. *Orig.* 8. 9.

II.) Improprie de loco edito et aspero in monte: quem *Theil*, *Klotz*, alii dicunt esse primarium vocis sensum. *Cato* in *Orig.* apud *Gell.* 3. 7. et *Non. p.* 187. 25. *Merc.* Maturum censeo, si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire jubeas eamque uti occupent, imperes horterisque. *Quintilian.* hunc vocis usum damnat. Sic enim habet 8. 3. *circa med.* Deformitati proximum est humilitatis vitium, ταπείνωσιν vocant, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur, ut Saxea est venruca in summo montis vertice. Adde *ibid.* 6. *ante med.*

III.) Translate. ¶ 1. Dicitur de tuberculis, quæ in lapillis conspiciuntur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 74. (195). Illud modo meminisse conveniet, increscentibus varie maculis ac verrucis linearumque interveniente multiplici ductu et colore, mutata sæpius nomina in eadem plerumque materia. ¶ 2. Et per metaphoram de vitiis animi, *difetto leggiero, taccola, marachella.* *Horat.* 1. *Sat.* 3. 73. Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum, Postulat, ignoscat verrucis illius. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

VERRŪCĀRĬA, æ, f. 1. (verruca) genus herbæ ita dictum, quod suco ejus verrucæ tollantur, ἡλιοσκόπιον. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 29. (58). *de helioscopio.* Verrucas cum sale tollit sucus e folio: unde nostri verrucariam herbam appellavere, aliis cognominari effectibus digniorem. Adde *Marcell. Empir.* 19. *ad fin.*

VERRŪCŌSUS *et* verricosus, a, um, adject. (verruca) verrucis abundans, ὀχθώδης.

I.) Proprie. *Gloss. Philox.* Verrucosus, μυρμηκίας.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de re acuminata, fastigiata in verrucæ seu tumuli modum. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 96. Verricosa inflatio. ¶ 2. Et de re dura, aspera, impolita, inculta: quia verrucæ talem reddunt cutem. *Pers.* 1. 77. Sunt, quos Pacuvius et verrucosa moretur Antiopa. *h. e.* tragœdia, quæ inscribitur Antiopa, a *Pacuvio* duro et inculto poeta scripta. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VERRŪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* verruca, exigua verruca.

I.) Proprie. *Cels.* 5. 28. *n.* 14. At θύμιον nominatur, quod super corpus, quasi verrucula, eminet. *Colum.* 7. *R. R.* 6. Caper, cui sub maxillis binæ verruculæ collo dependent, optimus habetur. Adde *Marcell. Empir. c.* 26. *p.* 122. *retro.* et *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 7.

II.) Translate. *Arnob.* 2. *p.* 77. Quid si dicas, esse auream terram, quod in verrucula collis unius insint exiguæ miculæ, quibus nascitur colliquefactis aurum?

VERRUNCO, as, are, n. 1. (verro) Apud *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 373. 4. *Müll.* legitur vetustiore orthographia *veruncent* unico *r*, ita litterarum ordine postulante; præcedit enim *Verticulas*, sequitur *Veruta*, inquit *Forcellinus*; sed in recentioribus edit. duplici *r* scribitur. *V.* AVERRUNCO. — Verrunco est verto, *volgere, rivolgere*, τρέπω, στρέφω, ut apud *Fest. ibid.* et *Non. p.* 185. 23. *Merc.* Te sancte venerans precibus, invicte, invoco, Portenta ut populo patriæ verruncent bene. *Pacuv. ibid.* precor, veniam Petens, ut quæ egi, ago, axim, verruncent bene. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 45. Populo commutationem rerum portendit (*sol*) fore perpropinquam: hæc bene verruncent populo. *Liv.* 29. 27. Uti ea mihi populoque R. dii bene verruncent. *V.* VERTO sub *B.*

VERRUTUM. *V.* VERUTUM.

VERSĀBĬLIS, e, adject. (verso) qui versari, mutari, transferri potest, versatilis, στρεπτός (It. *girevole, mutabile, mobile*; Fr. et Hisp. *mobile, variable*; Germ. *beweglich, veränderlich*; Angl. *moveable, changeable, versable*).

I.) Proprie. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 16. *extr.* Nihil est tam versabile et agitatione gaudens, quam aer. *Ammian.* 19. 6. 4. Versabilia repagula. Adde *Curt.* 4. 13. 32.

II.) Translate. *Seneca Tranquill.* 11. *a med.* Scito, omnem conditionem versabilem esse, et quidquid in ullum incurrit, posse in te quoque incurrere. *Ammian.* 16. 8. 4. Versabilem feminam in fraudem illexit. Adde *eumd.* 14. 3. 1. *Curt.* 5. 8. *ad fin.* Quam versabilis fortuna sit, documentum ipse sum. *V.* VERSATILIS.

VERSĀBUNDUS, a, um, adject. (verso) qui in gyrum vertitur. *Lucret.* 6. 437. Versabundus enim turbo descendit. *Vitruv.* 9. 7. *circa med.* Circa meridianum cardinem, qui est propter inclinationem mundi subjectus terræ, sidera versabunda latentiaque non habent egressus orientes supra terram.

VERSANS, antis, particip. *V.* VERSO.

VERSĀTĬLIS, e, adject. (verso) qui versari, circumagi, moveri facile potest, versabilis, *girevole, versatile*, στρεπτός.

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1435. mundi magnum et versatile templum Sol et Luna suo lustrantes lumine circum. *Seneca Ep.* 90. *ante med.* Versatilia cenationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat et toties tecta, quoties fercula, mutentur. *Sueton. Ner.* 31. Cenationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus. *Lamprid. Elagab.* 21. Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis et floribus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (117). Theatra duo e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento. *et ibid.* 18. 29. (135). Molæ versatiles. *Curt.* 4. 13. *a med.* Adeoque aciem versatilem posuit, ut qui ultimi stabant, in frontem circumagi possent.

II.) Translate. *Liv.* 39. 40. *de Catone.* Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut

natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. *Alii leg.* versabile.

VERSĀTĬO, ōnis, f. 3. (verso) actus versandi et volvendi, rotatio, versio, ἀνέλιξις, δίνησις (It. *rivolgimento, girazione;* Fr. *tournoiement, révolution;* Hisp. *vuelta, giro;* Germ. *das Herumdrehen, die drehende Bewegung;* Angl. *a turning, revolving, rotation*).

I.) Proprie. *Vitruv.* sæpe usurpat *l.* 10., ubi de machinis tractoriis agit, ut *c.* 1. 6. 8. 10. 14. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (121). Nec pupillæ motu, sed totius oculi versatione circumspicit. *Alii leg.* versione. et *Mar. Victorin.* 1. 14. 6. *p.* 56. 1. *K.* Hoc genus scripturæ dicebant bustrophedon a boum versatione. — In plur. num. *Vitruv.* 10. 1. Machinarum versationes.

II.) Translate. *Seneca Tranquill.* 11. *ad fin.* In tanta rerum sursum ac deorsum euntium versatione.

VERSĀTUS, a, um, particip. *V.* VERSO.

VERSE. *V.* ARSE VERSE.

VERSĬBĬLIS, e, adject. (verto) qui verti seu mutari potest, versabilis. *Mar. Victorin. De gen. Verb.* 9. Versibiles qualitates, substantia inversibilis.

VERSĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (versibilis) conditio ejus, qui est versibilis, mutabilitas. *Augustin. Serm.* 174. ed. *Mai.* Deus carnem adsumpsit, caro in Deum non transivit, non naturæ versibilitate sed Dei dignatione.

VERSĬCĂPILLUS *et* vorsicapillus. *V.* VERSIPELLIS.

VERSĬCŎLOR, ōris, adject. omn. gen. (verso *et* color) qui versando varios colores ostendit, διαποίκιλος (It. *di color cangiante;* Fr. *qui change de couleur, changeant, chatoyant, varié;* Hisp. de color *mudable, pavonado;* Germ. *die Farbe wechselnd, schillernd, bunt;* Angl. *changing colours, versicoloured*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est qui versando varios colores ostendit. *Cic.* 3. *Fin.* 5. *a med.* Cauda a natura donata pavoni, plumæ versicolores columbis. *Tertull. Pall.* 3. Pavo pluma multicolor et discolor et versicolor, toties mutanda, quoties movenda. — Hinc *versicolor* præcipue vocatur purpura, quia colore illo vario et instabili prædita erat, ut *Pasqu. Amatius* in *Lib. de restit. purpurar. c.* 27. ostendit. *Liv.* legem Oppiam referens 34. 1. Ne qua mulier vestimento versicolori uteretur. *h. e.* purpureo; *Id.* enim *ibid.* 3. et 7. de eadem lege verba faciens *purpuram* et *Val. Max.* 9. 1. *n.* 3. *varii coloris vestem* appellant. ¶ 2. Latiore sensu est varios colores habens, pictus, *di vari colori. Virg.* 10. *Æn.* 181. Astur equo fidens et versicoloribus armis. *h. e.* e diversis metallis. *Ovid.* 5. *Fast.* 356. Sic est hæc (*Flora*) culta versicolore decens. *Liv.* 7. 10. Versicolori veste pictisque et auro cælatis refulgens armis. *Colum.* 3. *R. R.* 21. Undique versicoloribus pomis gravidus auctumnus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 30. (66). Mullum exspirantem versicolori quadam et numerosa varietate spectari. Explicat hoc fusius *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 17. *et* 19. ¶ 3. Item qui tinctu aut pictura nativum colorem vertit et alium imbibit, *colorato, tinto.* — Absolute. *Ulp. Dig.* 32. 1. 70. *a med.* Arbitror, ea, quæ tincta non sunt, versicoloribus non adnumerari: et ideo nec album naturaliter neque nigrum contineri nec alterius coloris naturalis. Purpuram et coccum, quoniam nihil nativi coloris habent, contineri arbitror. *V.* voc. seq.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. *Quintil.* 8. *procœm.* Translucida et versicolor elocutio res ipsas effeminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Ambros. De Noe et Arc.* 12. *n.* 40. Stultus enim ut luna mutatur, et versicolor aut humorum varietate difformis.

VERSĬCŎLŌRĬUS, a, um, adject. (versicolor) idem ac versicolor. *Paul. Dig.* 34. 2. 32. § 6. Detracto verbo versicolorio. — Absolute. *Ulp. Dig.* 32. 1. 70. *a med.* Constat, apud veteres lanæ appellatione versicoloria non contineri. Porro *versicoloria lana* seu *vestis* est ea, quæ tincta nativum colorem mutavit. *V.* COLOREUS.

VERSĬCŎLŌRUS, a, um, adject. (versicolor) idem ac versicolor.

I.) Proprie. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 56. Idque etiam paries tibi versicolorus adumbret. *h. e.* varie pictus. — Absolute. *Fronto ep. ad Ver.* 1. 1. *p.* 113. 18. *N.* Pingere versicolora.

II.) Translate. *Ambros.* in *Luc.* 5. *n.* 23. Hic (*novus homo*) interior qui renascitur, non versicolorum speciem veterum novorumque debeat habere gestorum sed concolor Christo etc. Adde *eumd. De Noe et Arc.* 27. *n.* 103.

VERSĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* versus, brevis scripturæ linea, *breve riga,* στιχίδιον. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *ad Brut.* 14. Breves tuæ litteræ: breves dico? immo nullæ. Tribuisne versiculis his temporibus Brutus ad me? *Id.* 5. *Att.* 1. Nunc venio ad transversum illum extremæ epistolæ tuæ versiculum. *Id. Dom.* 17. 44. Hoc ferre civitas potest, ut singuli cives singulis versiculis e civitate tollantur? *Id. Mil.* 26. 70. Quum senatus ei commiserit, ut videret, ne quid respubl. detrimenti caperet: quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt. ¶ 2. Speciatim de versibus poeticis, *verso, versetto. Horat.* 1. *Sat.* 10. 57. num rerum dura negarit Versiculos natura magis factos et euntes Mollius? Adde *Plin.* 3. *Ep.* 21., *Colum.* 9. *R. R.* 2., *Ovid. Heroid.* 20. 238., *Catull.* 16. 3. *et* 6., *Martial.* 3. 9. *et* 50. etc.

VERSĬDĬCUS, i, m. 2. (versus *et* dico) qui versus recitat vel facit, poeta: opponitur autem comœdiographo et tragœdiographo. *Victorin. Rhet.* 1. 19. (*p.* 202. 15. *Halm. p.* 36. 30. *Bait.*) Versidici in utroque versantur, nam Virgilius Æneæ et mores et facta describit.

VERSĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (versificor) versuum seu carminum factio, ἐποποιΐα (It. *il far versi, versificazione;* Fr. *versification;* Hisp. *versificacion;* Germ. *das Versmachen;* Angl. *versifying*). *Colum.* 11. *R. R.* 1. Tibi expetenti versificationis nostræ gustum, negare non sustinebam. *Quintil.* 9. 4. *a. med.* Quem in poemate locum habet versificatio, eum in oratione compositio. Adde *Priscian. De metr.* 8. et *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 10. 46.

VERSĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. (versificor) qui versus facit, is nempe qui quocumque modo verba metro ligat: at poeta poeticum insuper addit spiritum et fingere pulcre novit, ἐποποιός (It. *verseggiatore;* Fr. *versificateur;* Hisp. *versista;* Germ. e. *Versmacher;* Angl. *maker of verses, versificator*). *Quintil.* 10. 1. *a med.* Cornelius Severus versificator, quam poeta, melior. Adde *Terentian. De metr.* 1012. *et* 2405. et *Firmic.* 6. *Math.* 29. — Latiore sensu pro poeta. *Justin.* 6. 9. 4. Versificatores meliores, quam duces.

VERSĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* VERSIFICO.

VERSĬFĬCĒ, adverb. (versificus) versificando vel versuum more. *Auct. carm.* in *Anth. Lat. n.* 733. *Riese.* Garrula versifice tignis mihi trissat hirundo.

VERSĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (versus *et* facio) *Versificor,* deponentis forma, est apud *Priscian.* 8. *p.* 830. *Putsch.* et *Schol. Bern.* in *Virg.* 9. *Ecl.* 13. — Part. *Versificatus.* — Versifico est versus facio, ἐποποιέω (It. *far versi;* Fr. *versifier;* Hisp. *versificar;* Germ. *in Verse bringen, in Versen schreiben;* Angl. *versify*). ¶ 1. Stricto sensu. *Lucil* apud *Non. p.* 533. 14. *Merc.* Multa homines portenta in Homero versificata, Monstra putant. — Absolute. *Fronto* ad *M. Cæs.* 3. 16. Plerumque ad orationem faciendam versus, ad versificandum oratio magis adjuvet. Sic *Ammian.* 21. 16. *sub init.* Ad versificandum transgressus. ¶ 2. Latiore sensu est in versus redigere. *Apul. De deo Socrat. ante med.* Neque enim pro majestate deum cælestium fuerit, ut eorum quisquam vel Hannibali somnium piugat vel Sibyllæ fatiloquia versificet.

VERSĬFĬCOR. *V.* voc. præc. init.

VERSĬFĬCUS, a, um, adject. (versifico) ad versus spectans: speciatim vero ¶ 1. Est qui versus facit vel qui ad versuum compositionem pertinet. *Solin.* 11. Quum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in versificum ordinem transtulissent. ¶ 2. Est etiam qui ad versus faciendos impellit vel poetam inspirat. *Optat. ep. ad Constantin.* Castalii fontis haustus versificus. — Hinc

*Versificus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, qui versus facit, versificator. *Schol. Bern.* in *Virg.* 8. *Ecl.* 3. et *Serv. De cent. metr. p.* 483. 12. *Keil.*

VERSĬFĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

VERSĬFORMIS, e, adject. (verto *et* forma) qui formam suam versat seu mutat. *Tertull. Pall.* 2. Nostra certe metatio (quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet) totum versiforme est: dies et nox invicem vertunt, sol stationibus annuis, luna modulationibus menstruis variat etc. *Capell.* 6. *p.* 392. Juppiter versiformis cupitor puellarum. *et* 9. *p.* 310. Puer ipse versiformis. *sc.* Cupido.

VERSĬLIS, e, adject. (verto) facilis ad vertendum, ut *versilis profunditas* apud *Capell.* 4. *sub fin.* Sic *Serv.* ad *Virg.* 3. *G.* 24. Scæna aut versilis erat aut ductilis. Versilis erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur et aliam picturæ faciem ostendebat: ductilis tunc, quum tractis tabulatis hac atque illac, species picturæ nudabatur interior.

VERSĬLŎQUUS, a, um, adject. (versus *et* loquor) qui versibus loquitur seu versus pangit. *Ennod.* 1. *Carm.* 6. 36. Tristia nil capiunt pectora versiloqui. *h. e.* poeta nil triste cogitat.

VERSĬO, ōnis, f. 3. (verto) actus vertendi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (121). V. VERSATIO. — Sunt qui pro translatione vel interpretatione usurpant, sed minus recte. De hac re videsis *Ruhnk.* in adn. *Aquil. Rom. De fig.* 9. *p.* 192.

VERSĬPELLĬO, ōnis, m. 3. (verto *et* pellis) chamæleon. *Gloss. Philox.* et *Cyrill.*, ubi et *veripillo* et *versipillo* legitur.

VERSĬPELLIS (vorsipellis), e, adject. (verto *et* pellis) Comp. *Versipellior.* — Versipellis est qui facile vertit pellem, faciem, vultum, apparentiam, *che muta pelle o faccia,* ἀλλοπρόσαλλος.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Amph. prol.* 121. Eccum Juppiter, in Amphitruonis vertit sese imaginem omnesque eum censent esse servi, qui vident; ita versipellem se facit, quando lubet. *Id. Pers.* 2. 2. 48. Capillus versipellis. *h. e.* qui colorem mutat et canescit. ¶ 2. Speciatim *versipelles* præcipue dicti, qui in lupos verti credebantur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (81). Homines in lupos verti rursumque restitui sibi, falsum esse existimare debemus. Unde tamen ista vulgo infixa sit fama, in tantum ut in maledictis versipelles habeat, indicabitur etc. *Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burmann. sub fin.* Intellexi, illum versipellem esse, nec postea cum illo panem gustare potui. Adde *Apul.* 2. *Met. Gloss. Labb.* Versipellis, λυκάνθρωπος.

II.) Translate sumitur pro versuto, astuto, simulandi et dissimulandi artifice, qui modo unum, modo aliud ostendit. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 12. Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus, cui sapit: bonus sit bonis, malus sit malis: utcumque res sit, ita animum habeat. *Lucil.* apud *Non. p.* 38. 7. *Merc.* Quicum versipellis fio et quicum commuto omnia. — *Porc. Latro* in *Cat.* 9. *in fin.* Nihil fuit isto monstro versipellius aut mutabilius hominum memoria. — Cum abstractis, quæ dicuntur. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 91. Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis Plasma primum perculisse versipelli hortamine? *Augustin. Ep.* 194. *n.* 10. Versipellis astutia. Adde *Capell.* 4. *p.* 95 et *Arnob.* 5. *p.* 35. — Hinc

*Versipellis, is,* m. 3. absolute, chamæleon, in *Gloss. Philox.* V. CHAMÆLEON.

VERSĬPELLIS, is, m. 3. *V.* voc. præc.

VERSIPILLO. *V.* VERSIPELLIO.

VERSO (vorso), as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequent. a* verto) Infin. pass. *versarier* (*vorsarier*), parag. pro *versari,* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 64.

*Plaut. Pœn.* 1. 2. 23. et *Avien. Descr. orb.* 724. — Part. *Versans* sub *A* II. 2.; *Versatus* sub *A* I. 1. et *B* I. 1. et II. 6. et in fin.; *Versandus* sub *A* II. 3. — Verso duo præcipue significat pro duplici forma, qua usurpatur, activâ et passivâ cum mediorum sensu, vel, ut dedit *Forcellinus*, deponentis propriâ.

*A)* Active est sæpe verto, volvo, circumago, στρέφω, περιάγω (It. *voltare, rivoltare, girare;* Fr. *tourner souvent, remuer, retourner;* Hisp. *volver frequentamente, volver y revolver, girar;* Germ. *stark, viel herumdrehen, umkehren, umwenden;* Angl. *to turn often, turn, roll*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 10. Sisyphu' versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Qui cœlum versat stellis ardentibus aptum. *Tibull.* 1. 5. 3. Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo, Quem celer assueta versat ab arte puer. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 72. macros turdos dum versat in igne. *Id.* 3. *Od.* 6. 38. Ligonibus versare glebas. *Propert.* 4. 1. 129. tua quum multi versarent rura juvenci. *Ovid.* 4. *Met.* 221. Versare fusum. et *ibid.* 93. cardinem. *Horat.* 2. *Od.* 3. 26. Omnium versatur urna. *Id. Art. P.* 6. vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna. — Cum addito Acc. et præp. *in. Cic.* 4. *Verr.* 30. 74. Versabat se in utramque partem non solum mente, verum etiam corpore. — *Versari*, se versare. *Id. ibid.* 76. *ad fin.* Hærere homo, versari, rubere. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 52. Mundum versari circum axem cœli admirabili celeritate. *Seneca* 3. *Ira* 6. Pars superior mundi non versatur in turbinem. *Tibull.* 1. 6. 24. Versatur celeri Fors levis orbe rotæ. *Ovid.* 4. *Met.* 221. Levia versato ducentem stamina fuso. *Id.* 8. *ibid.* 667. Ovaque non acri leviter versata favilla. et 3. *Fast.* 373. Ecce levi scutum versatum leniter aura Decidit. *Id.* 1. *Amor.* 2. 4. Lassaque versati corporis ossa dolent. *Id. Remed. am.* 173. Obrue versata Cerealia semina terra. *h. e.* arata et subacta. ¶ 2. Speciatim est ago, agito huc illuc. *Virg.* 12. *Æn.* 664. to currum deserto in gramine versas. *Id.* 10. *Ecl.* 68. Æthiopum versemus oves sub sidere Cancri. Ubi *Servius:* pascamus: quoniam qui pascit, huc et illuc agit pecus: quod est versare. *Propert.* 2. 1. 45. Nos contra angusto versamus prœlia lecto. ¶ 3. *Versare citharam* habet *Hygin. fab.* 165. Quum jam Marsyas inde victor discederet, Apollo citharam versabat, quod Marsyas facere non potuit. *Gloss. MS.* ad *Fulgent.* Apollo versa cithara cantare cœpit: quod quum Marsyas versis tibiis agere non valeret etc. *Apollod. Bibl.* 4. 2. Τὴν κιθάραν στρέψας. quod *Clavier* male interpretatur in adnot. V. *Zannoni Illustr. di due urne Etrusche p.* 61.

II.) Translate. ¶ 1. Est muto, verto, flecto. *Cic. Cœl.* 6. 13. Versare suam naturam et regere ad tempus atque huc et illuc torquere et flectere. *Id. Cluent.* 26. 70. Ad omnem malitiam et fraudem versare mentem suam cœpit. ¶ 2. Item tracto, *trattare, maneggiare. Id. Orat.* 9. *a med.* Non ut in judiciis versaret causam, sed ut in historiis bella narraret. *Quintil.* 7. 3. 3. Finitio iisdem legibus, quibus conjectura, versatur. *Sueton. Galb.* 9. Nummulario non ex fide versanti pecunias manus amputavit. *Sil. It.* 8. 260. Martemque rudis versabat. ¶ 3. Item examino, perpendo. *Plaut. Trin.* 2. 1. 11. Multas res simitu in meo corde verso. *Propert.* 2. 3. 8. Quæ mea non decies somnia versat anus. *Quintil.* 5. 7. *ante med.* Testes multum domi ante versandi ac variis percontationibus, quales haberi ab adversario possunt, explorandi sunt. ¶ 4. Item cogito, meditor. *Virg.* 4. *Æn.* 563. Illa dolos dirumque nefas in pectore versat, Certa mori. *Horat. Art. P.* 39. versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri. *Liv.* 3. 34. Versarent in animis secum unamque rem, agitarent deinde sermonibus. ¶ 5. Item agito, exerceo. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. *in fin.* Sic Fortuna in contentione et certamine utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset. *Liv.* 1. 58. Tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum. et *ibid.* 17. Patrum animos certamen regni ac cupido versabat. *Id.* 2. 45. Multitudinis nunc indignatio, nunc pudor pectora versare. *Propert.* 3. 15. 12. Spesque timorque animum versat utroque meum. *Tac. Germ.* 46. Fortunas suas alienasque versare. *h. e.* mercaturam ac negotia exercere. V. *Kritz* ad *h. l.* ¶ 6. Item vexo, male habeo, fallo, ludificor. *Plaut. Bacch.* 4. 5. 6. Versabo ego illum hodie, si vivo, probe. Adde *Curc.* 4. 1. 23. et *Pers.* 5. 2. 17. *Seneca Ep.* 90. *a med.* Sollicitudo nos in nostra purpura versat. *Propert.* 3. 3. 19. Non est certa fides, quam non injuria versat. et *ibid.* 9. 1. Quid mirare, meam si versat femina vitam? — In his et similib. facile *versare* in *vexare* mutari potest. ¶ 7. Item muto, verto, misceo. *Virg.* 9. *Ecl.* 5. Fors omnia versat. *Cic.* 4. *Fin.* 20. 56. Homo igitur acutus causam non obtinens, repugnante natura, verba versare cœpit. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 29. Ille (*servus conscius*) placet versatque domum, neo verbera sentit. *h. e.* miscet, pro arbitrio imperat et veluti regnat. *fa in casa alto e basso.* ¶ 8. Item everto. *Virg.* 2. *Æn.* 61. in utrumque paratus Aut versare dolo seu certæ occumbere morti. Ubi *Servius:* dolo evertere: et subaudis Trojanos. Alii leg. *versare dolos*, h. e. exercere, assequi, perficere.

*B)* Passive mediorum sensu, est frequens sum alicubi, dego, moram traho, maneo, sum: nam qui in aliquo loco aut re immoratur, quodammodo in ea hac et illuc sese versat et quasi volutatur aut corpore aut mente, διατρίβω, διάγω (It. *trovarsi spesso, trattenersi, usare in qualche luogo, praticare, bazzicare, stare;* Fr. *se trouver dans, vivre, séjourner, se tenir habituellement;* Hisp. *quedar, morar, pararse, detenerse en alguna cosa ó lugar;* Germ. *sich aufhalten, sich befinden, leben;* Angl. *to be frequently, stay, remain, live*): construitur autem cum præp. *cum, in, inter, circa, ob* etc.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Amph. prol.* 128. Versari crebro hic quam viderent me domi. *Id. Cas. a.* 1. *v.* 52. Tum tu, furcifer, quasi mus, in medio pariete versabere. *h. e.* conclusus in fenestra. *Cic. Quinct.* 18. *ad fin.* Non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. *Id. Mil.* 20. 53. Quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium. *vi stava, vi capiva.* et *Nepos præf.* Versari in celebritate. ¶ 2. Speciatim vivo, consuesco, conversor. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 10. Nobiscum versari jam diutius non potes. *Id.* 10. *Att.* 8. Nec versari inter eos sine dedecore potero. *Nepos Con.* 2. *extr.* Apud præfectos regis versabatur.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro esse. *Ter. Andr.* 4. 1. 25. Nescis, quantis in malis verser miser. *Cic.* 2. *Off.* 13. 44. In clarissima luce versari. *Id. Orat.* 35. 122. Ipsæ res in perfacili cognitione versantur. *Id.* 8. *Phil.* 2. 6. Ergo illi nunc in pace versantur. *Id. Planc.* 10. *a med.* Minturnenses æterna in laude versantur. *Id.* 1. *Tusc.* 33. 80. Partes, in quibus ægritudines iræ libidinesque versantur. *Cels.* 4. 19. Morbus inter intestina stomachumque versatur. ¶ 2. Pro inesse, contineri. *Dig. fr.* 27. 2. In stipulationibus jus continetur, in pactis factum versatur. ¶ 3. Item exercere, agere. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Opificesque omnes in sordida arte versantur. ¶ 4. Item studere, operam dare. *Id.* 4. *Fam.* 3. *sub fin.* Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisque in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita versatur, ut excellat. ¶ 5. Item se gerere. *Quintil.* 1. *prooem.* Præclarissime in consiliis ac administratione reipublicæ versari. ¶ 6. Item occurrere, apparere. *Cic.* 7. *Verr.* 55. *sub fin.* Numquam tibi populi Romani absentis dignitas, numquam species ipsa hujusmodi multitudinis in oculis animoque versata est? *Id.* 14. *Fam.* 2. *a med.* Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris. *Id. Sext.* 21. 47. Mors, exsilium mihi ob oculos versabantur. ¶ 7. Item considerare, contemplari, occupatum esse. *Id.* 1. *Off.* 6. 19. Quæ omnes artes in veri investigatione versantur. *Quintil.* 2. 15. *ante med.* Versatur circa res omnes rhetorice. ¶ 8. Item inhærere, adhærere. *Cic. Cæcin.* 18. 50. In verborum errore versari, rem et causam et utilitatem communem relinquere. ¶ 9. Item dicendo in aliqua re immorari, agere, tractare. *Id.* 1. *Off.* 5. 14. Huic quasi materia, quam tractet et in qua versetur, subjecta est veritas. *Id.* 3. *Legg.* 15. 33. Dicam, Tite, et versabor in re difficili ac multum et sæpe quæsita. ¶ 10. De iis, quæ usurpantur, adhibentur. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. Nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum. — Hinc Part.

*Versatus, a, um*, etiam adjectivorum more occurrit de eo, qui diu in aliquo loco aut re moratus est: peritus, doctus, *pratico, versato. Cic. Quinct.* 1. 3. Homo et in aliis causis exercitatus et in hac multum et sæpe versatus. *Nepos Cat.* 1. Adulescentulus versatus est in Sabinis. *Id. Milt.* 8. Multum in imperiis magistratibusque versatus. *Vellej.* 1. 13. *a med.* Semper inter arma ac studia versatus. *Tac. Agric.* 7. Integre strenueque versatus. *diportatosi.* et *Cic. Arch.* 9. 21. Bellum magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum. *Quintil.* 2. 17. 12. Versatus in litteris.

VERSO, is. *V.* VERTO.

VERSOR, āris, ātus sum, ari. *V.* VERSO, as.

VERSŌRIA (vorsoria), æ, f. 1. (verto) pes veli, hoc est funiculus, quo extremus veli angulus religatur. Vox est adjectiva et subauditur *funis. Versoriam* dixere, quia prout hæc manu tenetur, ita velum profertur vertiturque. Alii *versoriam* dicunt simpliciter esse conversionem, τροπήν. Sed utcumque sit de vera vocis origine, quæ non satis nota est, certum est translate dici *versoriam capere* pro reverti, sententiam mutare, ab aliqua re desistere. *Plaut. Merc.* 5. 2. 34. Hac ventus secundus est; cape modo versoriam. *Id. Trin.* 4. 3. 19. Quin tu quod periit, periisse ducis? cape vorsoriam, recipe te ad herum.

VERSUM (vorsum). *V.* VERSUS, a, um.

VERSŪRA (vorsura), æ, f. 1. (verto) conversio, *conversione, voltamento*, στροφή.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 46. Quod ex quibusdam foliis propter eorum versuram, quod sit anni tempus, dici possit, ut olea et populus et salix: horum enim folia quum convertunt se, solstitium dicitur fuisse. Adde *eumd.* 7. *L. L.* 67. *Müll.*, cujus verba *V.* in CERASTIBOLA.

II.) Translate. ¶ 1. Concreto, ut ajunt, sensu. — *a)* Est locus, ad quem quum quis pervenerit, revertitur, *svolta. Sicul. Flacc. p.* 4. et 8. — *b)* Sic in agricultura *versura* vocatur, ubi sulcus unus desinit alterque incipit, a boum conversione, βουστροφή. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *sub fin.* Quum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellat et boves inhibeat. — *c)* In architectura est interior aut exterior angulorum in parietibus flexus: Græci καμπήν vocant. Usus est *Vitruv.* 3. 1. *a med.* et 5. 6. *sub fin.* et *ibid.* 12. ¶ 2. Abstractorum more est mutatio. *Arnob.* 5. *p.* 187. Si fabulas vultis more allegorico scriptas, quid - quas non videmus posse versuras in hujusmodi cogi? ¶ 3. *Versura* præcipue usurpatur de pecunia mutua ab aliquo sumpta vel gratuito vel cum fenore reddenda. Quid autem proprie significet versura, indicat *Salmas. De usur. p.* 297. et rectius *Niebuhr. t.* 5. *p.* 31. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 379. 14. *Müll.* Versuram facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo dictum est, quod initio, qui mutuabantur ab aliis, non ut domum ferrent sed ut aliis solverent, velut verterent creditorem. *Cic.* 1. *Tusc.* 42. 100. Ego vero illi (*Lycurgo*) maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multaverit, quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere, *h. e.* sine mutuo gratuito et sine usura. *Id.* 5. *Att.* 21. *a med.* Salaminii quum Romæ versuram facere vellent, non poterant, quia e syngrapha jus dici lex Gabinia vetabat. *Id.* 15. *ibid.* 20. Versuram scribis esse faciendam mensium quinque, id est ad Cal. Novemb.,

in eam diem cadere nummos, qui a Quinto debentur. *Id.* 16. *ibid.* 15. Iniquissimo fenore versuram facere Aurelius coactus est. *Id. Fontej.* 1. 1. A quibus versuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt. *Id. Flacc.* 20. 8. Negavit, sese omnino versuram ullam fecisse Romæ. *Nepos Att.* 2. Quum versuram facere publice necesse esset, neque ejus condicionem æquam (*Athenienses*) haberent, semper se interposuit atque ita ut neque usuram umquam ab iis acceperit. *Id. ibid.* 9. Quum Fulvia fundum secunda fortuna emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset; ille se interposuit pecuniamque sine fenore sineque ulla stipulatione ei credidit. *Tac.* 6. *Ann.* 16. Sane vetus Urbi fenebre malum. Nam primo XII. Tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret (V. *Liv.* 7. 16.), quum antea ex libidine locupletium agitaretur, deinde rogatione tribunicia ad semuncias redacta (V. *eumd. ibid.* 27.); postremo vetita versura (V. *eumd. ibid.* 42.). *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 15. Liberalitas sola excedebat modum et usuras (*Paula*) tribuens versuram quoque sæpius faciebat, ut nulli stipem rogantium denegaret. — Hinc metaphorice. *Seneca Ep.* 19. *a med.* Ab Epicuro versura facienda est. *h. e.* mutuo quasi accipienda sententia est. *Id.* 5. *Benef.* 8. Ut concedam, aliquem dare sibi beneficium; dum dat et recipit: ut concedam, aliquem a se accipere beneficium; dum accipit et reddit. Domi, quod ajunt, versura fit et velut lusorium nomen statim transit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (58). Pars hortensiorum ad condimenta pertinens fatetur, domi versuram fieri solitam. *h. e.* ab horto domestico, non aliunde, condimenta sumebant prisci. — *Versura* tamen a *feneratione* aliquid differt; feneratur enim qui dat, versuram facit qui accipit mutuo, teste *Fest. loc. cit.* Plura de hac re dabit *Sigonius* de *A. I. civ. R.* 2. 11. *p.* 118. ¶ 4. *Versuram*, et rectius *versurâ, solvere*, est pecuniam fenori accipere, ut aliud æs alienum dissolvatur: sic creditor quidem vertitur seu mutatur, sed debitor eadem hæret difficultate: nos *chiudere un buco coll' aprirne un altro* dicimus. *Cic.* 5. *Att.* 1. Quæ quidem DCCC. HS. ego utique vel versura solvi volo, ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur. *h. e.* malo solvi, quæ debeo, pecunia mutuo sumpta, quam exspectare, donec omnia, quæ mihi ab aliis debentur, exigam. *Id. ibid.* 15. Vereor, ne illud, quod tecum permutavi, versura mihi solvendum sit. *Id.* 16. *ibid.* 2. Quamquam reliqua satis apta sunt ad solvendum, tamen fit sæpe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. Si quid ejusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. Non modo versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. — Hinc metaphorice. *Ter. Phorm.* 5. 1. 15. in eodem luto hæsitas, vorsuram (*al.* vorsura) solvis, Geta; Præsens quod fuerat malum, in diem abiit, plagæ crescunt, Nisi prospicis. *h. e.* dubitas tandem pœnas dabis etiam cum fenore: simili condicione atque ii solent, qui ut syngrapham dissolvant et una cautione se liberent, pecuniam mutuam majore etiam fenore iterum accipiunt. In dies enim deteriorem condicionem suam faciunt. Hinc recte *Donat* ad hunc *Terentii* locum habet: *Creditorem mutas:* sed minus recte addit: *Versuram facere dicitur, qui æs alienum ex ære alieno solvit;* nam dicitur sane is quoque *versuram facere*, quatenus mutuum sumit, non quatenus filo mutuo aliud mutuum dissolvit. Idem fere dicendum de eo, quod *ibid.* addit: *Dicitur etiam versuram facere, quum minore fenore acceptam quis pecuniam majore occupat.* Ingeniose ita *Terentii loc. cit.* sibi accommodat *Lactant.* 2. 8. *ante med.* Deus ipsâ natura est. Quum igitur ortum rerum tribuis naturæ ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitans versura solvis. A quo enim fieri negas, ab eodem plane fieri, mutato nomine, confiteris.

Homonym. Quomodo differat *feneratio* a *versura*, V. supra.

VERSUS (vorsus), a, um, partic. *V.* VERRO et VERTO.

VERSUS (vorsus), adv. et præp. *V.* VERSUS, a, um.

VERSUS (vorsus), i, m. 2. *V.* voc. seq.

VERSUS (vorsus), us, m. 4. (verto) Scribitur *bersus* pro *versus*, solita litteram permutatione, in *Edict. Diocl.* 7. 40. et in *Gloss.* — Olim et *versus, i*, dixere. *Læv.* apud *Priscian.* 6. p. 712. *Putsch.* Omnes sunt denis syllabis versi. *Valerius ibid.* Quid hic cum tragicis versis et syrma facis? *Laber. ibid.* Versorum numerus. Adde *Inscr.* apud *De-Rossi Bullett. Crist. a.* 1875. *p.* 48. (V. *Corp. Inscr. Lat.* 5. 3513. 1.). — Versus est versio, conversio, ductus; speciatim et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Est, in re rustica, ductus in arando sive sulcus. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *ad fin.* Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet alternisque versibus obliquum tenere aratrum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (177). In arando versum peragi nec strigare in actu spiritus. ¶ 2. Et mensura agri. *Varro* 1. *R. R.* 10. In Hispania ulteriore metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos in agro Romano ac Latino jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possunt. Versum dicunt centum pedes quoquoversum quadratum. Jugerum, quod quadratum duos actus habet. — Aliter statuit *Hygin. De limitib.* p. 209. *Goes.*; ait enim, versum habere pedes 9600, h. e. esse tertiam partem jugeri, quod pedibus 28,800 constat. V. *Guarini Illustr. dell' ant. Campania p.* 82. ¶ 3. Significat etiam ordinem, rectam seriem seu tractum. *Virg.* 4. *G.* 144. Ille etiam seras in versum distulit ulmos. *Id.* 5. *Æn.* 119. triplici pubes quam Dardana versu Impellunt. *h. e.* triplici ordine remorum. Sic *Liv.* 33. 30. *ad fin.* Navis inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. *Sil. It.* 7. 657. laxa monilia crebro versu. *h. e.* crebra serie catenularum vel gemmarum margaritarumve. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 37. (122). Myrtus exotica senis foliorum versibus. Adde *Grat. Cyneg.* 144. *Solin.* 2. Rostro scrobes excavant, deinde surculis in versum superpositis imitantur texta cratium. ¶ 4. Item notat speciem quamdam motus sive saltus. *Plaut. Stich.* 5. 7. 2. Si hoc vorsu me viceris, alio me provocato.

II.) Translate est linea illa, quam in scribendo ducimus: et speciatim carmen poeticum. Nam versus nomen natura sua non minus solutæ, quam ligatæ orationi convenit. Cujus ratio ex agricultura optime intelligitur. Quemadmodum enim agricolæ vomere vertunt terram ac sulcum faciunt: ita in ceris quoque stilo sulcabant scribentes: ac ut ille in terra, sulco uno absoluto, vertit aratrum aliumque sulcum efficit; sic qui scribit, stilo sinistrorsum verso prolatoque novum in cera sulcum ducit. Sed quia poetæ versus suos certo absolvunt pedum numero, hinc factum, ut hi sibi *versus* nomen prope fecerint peculiare. Itaque ¶ 1. Est ductus vocum, qui fit a sinistra in dexteram vel a dextera in sinistram, vel a summo ad imum, secundum diversam diversarum gentium scribendi rationem, *riga o rigo, linea*, στίχος. *Cic.* 2. *Att.* 16. *a med.* Nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere possit. *Plin.* 4. *Ep.* 11. *extr.* Non paginas tantum epistolæ, sed etiam versus syllabasque numerabo. Tangit hic *Plin.* antiquum morem, quo solebant versuum inire numerum, ut de libri magnitudine constaret. *Nepos Epam.* 4. *in fin.* Uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere statuimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt. Adde *Quintil.* 7. 1. *a med.* ¶ 2. Hinc pro loco seu sententia. *Aquil. Rom. De fig.* 40. Ponam ipsum Demosthenicum versum. *il passo o tratto.* Adde *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 99. ¶ 3. Pro carmine, *verso, poesia*, ἔπος. *Cic. Arch.* 10. 23. Nam siquis minorem fructum gloriæ putat ex Græcis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat. *et mox.* Alterni versus longiusculi. *h. e.* elegiaci. *Id.* 3. *Orat.* 50. 194. In versum se mente ac voluntate conjicere. *porsi di proposito a far versi.* et *ibid.* Versus hexametros fundere ex tempore. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 52. Versus facere. *Virg.* 5. *Ecl.* 2. dicere. *Quintil.* 10. 3. 8. componere. *Paul. Diac.* p. 108. 6. *Müll.* pangere. *Enn. Sat. rel.* 3. *p.* 155. ed. *Vahl.* flammeos propinare. — Varia versuum nomina videsis apud Grammaticos et suis locis. ¶ 4. Interdum pro cantu. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (83). *de lusciniis.* Meditantur aliæ juniores versusque, quos imitentur, accipiunt. ¶ 5. Quandoque etiam pro titulo sepulcri. *Inscr.* apud *Gruter.* 703. 2. D. M. L. PVBLICII PRIMI O. V. ANN. XII. M. II. VERSVM SVPERPOSVIT P. SVCCESSVS PATER INFELICISSIMVS. — *NB.* Sæpe in antiq. monumentis sepulcralib. poeticis versus sunt aut syllaba aut pede breviores aut longiores. V. *Cavedoni Marmi Mod. p.* 282.

VERSŪTĒ, adverb. (versutus) Sup. *Versutissime.* — Versute est astute, callide, *astutamente*, πανούργως. *Cic. Brut.* 9. 35. Nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit. *Id. Orat.* 7. 22. Vidimus fuisse quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. *Augustin.* 15. *Trin.* 20. Acute respondit hæretico versutissime interroganti.

VERSŪTĬA, æ, f. 1. (versutus) calliditas, vafritia, astutia, ἀγχίνοια, πανουργία (It. *astuzia, sagacia, scaltrezza, malizia, furberia*; Fr. *astuce, adresse*; Hisp. *astucia, destreza*; Germ. *die Schlauheit, List, Listigkeit, Verschlagenheit*; Angl. *craftiness, archness*): cui *simplicitas* opponitur. Adhibetur autem tum in bonam tum in malam partem. *Apul. De mag.* Non est tua ista in accusando versutia. *et ibid.* Versutia tam insidiosa, tam admirabili scelere conflata. *Juvenc.* 1. 371. nec defuit ægro (*dæmoni*) Tentandi interea Christum versutia fallax. Adde *Ambros.* 3. *Off.* 6. 37. — In plur. num. *Liv.* 42. 47. Versutiæ Punicæ. *Vulg. interpr. Eccli.* 1. 6. sapientiæ. *le finezze.* et *ibid.* 39. 2. parabolarum. *le sottigliezze.* V. *Cornel. A-Lap.* in *h. l.*

VERSŪTĬLŎQUUS, a, um, adject. (versutus et loquor) qui versute loquitur, κερδαλεόφρων. *Cic.* 3. *Orat.* 38. 154. Vel conjungendis verbis, ut hæc (ex *Ennio*) Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat: (ex *Pacuc.* aut *Acc.* aut *Enn.*) Num non vis hujus me versutiloquas malitias? Videtis enim et versutiloquas et expectorat ex conjunctione facta esse verba, non nata. *Id. Orat.* 49. 164. Immo vero ista sequamur asperitatemque fugiamus: *Habeo istam ego perterricrepam.* Idemque: *Versutiloquas malitias.* Adde *Ambros.* in *Ps.* 43. 11.

VERSŪTUS (vorsutus), a, um, adject. (verto) Comp. *Versutior* I.; Sup. *Versutissimus* II. *a* et *b.* — Versutus est versilis, agilis, celer, dexter (It. *facile a svolgersi, agile, lesto, svelto*; Fr. *prompt à se retourner, agile, preste*; Hisp. *pronto para volverse, agil*; Germ. *gewandt, flink*; Angl. *agile, lithe, quick*).

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 3. 2. 35. Versutior es, quam rota figularis.

II.) Translate. ¶ 1. Est ingeniosus, sagax, promptus, qui facile mentem in quamlibet partem versat, recte peritus, multiplex, *ingegnoso, sagace, destro, scaltro*, πανοῦργος. — *a*) In bonam partem. *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 25. Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus et callidus. *Id. Brut.* 67. 236. Habuit a natura genus quoddam acuminis, quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers. *Id.* 2. *Orat.* 20. 84. Animus acer et præsens et acutus idem atque versutus invictos viros efficit. *Id.* 1. *Off.* 30. *ad fin.* Versutissimum et patientissimum Lysandrum accepimus. — *b*) Sæpe in malam partem accipitur pro eo, qui facile mentem ad malitiam vertit, qui ingenio est doloso et decipiendi artifice, vafer, malitiosus, subdolus, fallax, *furbo, mariuolo, malizioso*, ἐπίκλοπος. *Festus* p. 370. 10. *Müll.* Versuti dicuntur, quorum mentes crebro ad malitiam vertuntur. *Plaut. Asin.* 1. 1. 105. Non esse servus pejor hoc quisquam potest, Nec magis versutus, nec quo ab caveas ægrius. *Cic.* 2. *Off.* 3. 10. Hi sæpe versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam judicant. *et* 3. *ibid.* 13. *in fin.* Hoc est hominis non aperti,

non simpl'cis, non ingenui, non justi, non viri boni, versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, callidi, veteratoris, vafri. *Id.* 2. *Fin.* 16. *a med.* Omnia callide referens ad utilitatem, acutus, versutus, veterator, facile ut excogitet, quomodo occulte fallat. *et ibid.* 17. 54. Qui occultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur. quid est enim aliud esse versutum? *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 9. Viderat hoc in me vitium versuta Corinna: Quaque capi possem, callida norat opem. *Vellej.* 2. 118. 1. Illi (*Germani*) in summa feritate versutissimi natumque mendacio genus. — Cum genit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (56). Respondit versutus ingenii mango, ob id ipsum se tanti vendidisse etc. *Aur. Vict. Orig. G. R.* 6. Cacus nequitiæ versutus. ¶ 2. Est etiam versus per multos anfractus. *Grat. Cyneg.* 201. Aut versuta sequi leporis vestigia parvi.

Homonym. *Versutum* a *callido* ita distinguit *Cicero* 3. *Nat. D.* 10. 25.: « *Versutos* eos appello, quorum celeriter mens versatur: *callidos* autem, quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluit ». *Id. ibid.* Sic *Cæcin.* 19. 55. Dum versuti et callidi volumus esse. Adde 2. *Off.* 3. 10. Cf. *Plin.* 7. *Ep.* 6. et *Tac. Germ.* 22.

VERTĂGRA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VERTĂGUS, i, m. 2. Aliæ formæ sunt *vertragus, veltrahus* (Ital. *veltro*); *veltagra, vertagra, vertraga, vertraha.* — Vox est peregrina et cujus notationem frustra quæras in Latina lingua. Sunt tamen, qui a *verto* et *traho* derivant; alii, qui quasi *fertraha* a feris trahendis: alii alia comminiscuntur. Videtur esse vox Celtica seu Gallica, hinc etiam est, quod *Ovid.* 1. *Met.* 533. et *Martial.* 3. 47. vocant *Gallicum canem*, qui lepores venatur. — Vertagus itaque est canis venaticus miræ velocitatis: cujusmodi sunt qui planis et apertis campis non odore sed cursu lepores captant (It. *cane levriero, veltro*; Fr. *vautre, chien courant, lévrier*; Hisp. *lebrel, galgo*; Germ. *der Windhund*; Angl. *a grey - hound*). *Firmic.* 5. *Mathes.* 8. *ante med.* Nutritores canum, molossorum, vertagorum et qui sunt ad venationes accommodati. *Martial.* 14. 200. Non sibi, sed domino venatur vertagus acer, Illæsum leporem qui tibi dente feret. *Grat. Cyneg.* 203. Et pictum macula vertagram delige falsa. Alii leg. *vertragam*, alii *vertraham*. Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 176. Canis, veltagra. Cf. *Haupt* ad *Ovid. Halieut. præf. p.* XIV. et *seq.*

VERTAMNUS *et* vertannus. *V.* VERTUNNUS.

VERTĔBRA, æ, *et sæpius in plur. num.* Vertebræ, ārum, f. 1. (verto) Alia forma est *vertebrum*, i, neutr. gen., apud *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 1. Vertebrorum summitas coxarum initio terminatur. *et alibi sæpe.* Adde *Plin. Valer.* 2. 45. et 46. — Vox est a *vertendo*, quia vertebrarum beneficio homo se vertere flectereque potest. — Vertebræ sunt in animalibus eæ partes, quæ circa ipsam sitæ incisuram, corpori flexum præbent, verticulæ. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 46. 106. (255). Talus rectus est in articulo pedis, ventre eminens concavo, in vertebra ligatus, *h. e.* in flexura; nam latiore significatione significat etiam quemcumque articulum et nodum seu juncturam corporis. — In plur. num. *Id.* 11. *ibid.* 1. 1. (1). Imbricatis flexili incisura vertebris. *Seneca Ep.* 78. *ante med.* Podagra et chiragra et omnis vertebrarum dolor nervorumque interquiescit, quum illa, quæ torquebat, hebetavit. ¶ 2. Speciatim *vertebræ* dicuntur spinæ ossa in crassiores quosdam nodos conglobata et in medio sui concava, ut spinali medullæ transitum præbeant, firmissimis autem vinculis colligata, quorum beneficio interiores nodi cohærescunt. Harum munus est, ut corpori flectendi se incurvandique præbeant facultatem, quod sine illis prorsus rigidum esset et inflexibile, σπόνδυλοι (It. *vertebra, menatura*; Fr. *articulation, vertèbre*; Hisp. *vertebra*; Germ. *das Gelenk*; Angl. *a vertebre*). *Cels.* 8. 1. *ante med.* Spina constat ex vertebris quattuor et viginti. *Id. ibid.* Jam vertebra tertia tubercula, quæ inferiori inserantur, exigit.

VERTĔBRĀTUS, a, um, adject., participiorum formâ (vertebra), in modum vertebræ confectus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 67. (177). Quibus cervix e multis vertebratisque orbiculatim ossibus, flexilis ad circumspectum, articulorum nodis jungitur. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (75). Vertebrato dente, *h. e.* mobili et flexili facto.

VERTĔBRŌTĔNUS, adverb. (vertebra *et* tenus) vertebrarum tenus. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. 79. Erit adhibenda cucurbita nunc præcordiis atque pubetenus, prærasa capillatura, nunc capiti, nunc clunibus ac vertebrotenus, quod Græci ἴσχιον vocant. — Hinc apparet, inquit cl. *Furlanetto*, non improbandos esse, qui conjunctim *pubetenus*, *verbotenus*, pro *pube tenus, verbo tenus* divisim, scribunt. *V.* TENUS.

VERTĔBRUM, i, n. 2. *V.* VERTEBRA.

VERTENS, entis, particip. *V.* VERTO.

VERTEX (vortex), icis, m. 3. Scriptio *vortex* pro *vertex* vetustissima (Cf. *Quintil.* 1. 7. 25.) tempore *Cicer.* veri similius obsoleverat, ut monent *Osann* ad *Cic. Rep. p.* 442., *Drakenb.* ad *Liv.* 28. 30. et *Sil. It.* 3. 475., *Wagner* ad *Virg.* 1. *G.* 481. etc. — Vertex est universim id, quod vertitur, itemque id, circa quod aliquid vertitur. *Quintil.* 8. 2. 7. Secundo modo dicitur proprium inter plura, quæ sunt ejusdem nominis, id, unde cetera ducta sunt: ut vertex est contorta in se aqua vel quidquid aliud similiter vertitur: inde propter flexum capillorum, pars est summa capitis: et ex hoc, quod est in montibus eminentissimum. Recte, inquam, dixeris hæc omnia vertices: proprie tamen, unde initium est. Hæc *Quintil.* Itaque primo dicitur de aqua, quæ in se vertitur: item de vento in gyrum flante, qui et *turbo* aut *typhon* dicitur. Habemus in hac significatione passim exempla apud *Virgil., Horat., Ovid., Stat.* etc., sed quia *vortex* in libris plerumque legitur, in ea voce ponentur, inquit *Forcellinus*: quem nos sequemur, quamvis recentiores utriusque scriptionis loca promiscue afferant. Ceterum *Caper Orth. p.* 99. 11. *Keil.* ita distinguit: vortex fluminis est, vertex capitis.

I.) Proprie et in universum est id, circa quod aliquid vertitur vel quod in se vertitur. Hinc ¶ 1. Speciatim *vertices* sunt in cælo cardines seu poli, circa quos cælum ipsum verti dicitur, *i poli*, πόλοι. *Cic.* vertens *Arati* carmina 2. *Nat. D.* 41. 105. Extremusque adeo duplici de cardine vertex Dicitur esse polus. *Virg.* 1. *G.* 242. Hic vertex (*Arcticus*) nobis semper sublimis, at illum (*Antarcticum*) Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi. ¶ 2. Item *vertex mundi* apud *Colum.* 10. *R. R.* 53. videtur esse vertigo et revolutio, qua efficiuntur vices annuæ. ¶ 3. Item, et quidem præcipue, dicitur de capillis, qui in summo capite in circum volvuntur deque ipso summo capite, *cima del capo*, κορυφή. *Isid.* 11. *Orig.* 1. 26. Vertex est ea pars, qua capilli capitis colliguntur, et in qua cæsaries vertitur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 48. (132). Vertices bini hominum tantum aliquibus. *Cic. Rosc. Com.* 7. 20. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? *Ovid.* 3. *Pont.* 8. 12. Suppositoque gravem vertice portat aquam.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen est ipsum caput, *capo*. *Virg.* 11. *Æn.* 642. nudo cui vertice fulva Cæsaries. *Ovid.* 5. *Met.* 84. Et resupinus humum moribundo Vertice pulsat. *Id.* 10. *ibid.* 425. albaque toto Vertice canities rigidis stetit hirta capillis. *Catull.* 64. 309. Ambrosio niveæ residebant vertice vittæ. *Horat.* 1. *Od.* 1. 36. Sublimi feriam sidera vertice. *Id.* 2. *Ep.* 2. 4. talos a vertice pulcher ad imos, *da capo a piedi*. et *Virg.* 7. *Æn.* 783. Ipse inter primos præstanti corpore Turnus Vertitur arma tenens et toto vertice supra est. *Petron. Sat.* 137. tremulo deduxit vertice canos Consecuitque genas. *Stat.* 6. *Theb.* 607. Flavus ab intonso pendebat vertice crinis. *Martial.* 12. 7. Toto vertice quot gerit capillos, Annos si tot habet Ligia, trima est. *Val. Flacc.* 4. 307. sonat omni vulnere vertex Inclinis. ¶ 2. Transfertur etiam ad summitatem, cacumen, culmen cujuscumque rei, *sommità, cima*. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 106. Ignes, qui ex Ætnæ vertice erumpunt. *Tibull.* 1. 8. 15. ætherio contingens vertice nubes Taurus. *Ovid.* 10. *Met.* 103. Et succincta comas hirsutaque vertice pinus. *Virg.* 3. *Æn.* 679. vertice celso Aeriæ quercus aut coniferæ cyparissi. *Lucret.* 6. 749. Athenæis in mœnibus, arcis in ipso Vertice. *Horat.* 4. *Od.* 11. 11. Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum. *Val. Flacc.* 6. 604. Ora sub excelso jamdudum vertice coni Sæva micant. *Id.* 3. 487. illum ubi Juno videt poli summo de vertice. *et* 2. 88. prærupti Vulcanum vertice cæli Devolvit. *et* 1. 700. inimicaque vertice ab alto Vela videt. *da un' eminenza*. et *Martial.* 10. 19. Vertex theatri. *et* 8. 36. domus. *Petron. Sat.* 122. rupta tonabant, Verticibus lapsis, montis juga. *et ibid.* 134. *extr.* Idæos frutices in gurgite sistam Et rursus fluvios in summo vertice ponam. *Grom. p.* 302. *L.* Vertex agri. — *Ambros.* in *Luc.* 8. *sub fin.* sapientiæ. ¶ 3. *Vertex terræ* apud *Martial.* 13. 50. est ejus superficies. — Contra *vertex maris* est profunditas, fundus, non superficies, ut quidam perperam interpretantur apud *Apul.* 4. *Met.* Profundi maris udo resedit vertice. *Vertex* enim, ut *fastigium*, pro ima profunditatis parte sumitur. Cf. *Virg.* 2. *G.* 288. ¶ 4. Absolute de monte aut colle. *Seneca Herc. Fur.* 80. Siculi verticis laxa specum. *Lucan.* 2. 397. nullo qua vertice tellus Altius intumuit. *et* 9. 972. quo vertice Nais Luserit Œnone. ¶ 5. *Vertex civitatis* apud *Tertull. Apol.* 1. est Capitolium. ¶ 6. Hinc a *vertice* est a parte superiore, ab alto, *dall' alto*. *Virg.* 2. *G.* 310. si tempestas a vertice silvis Incubuit (Ubi *Servius:* ab Aquilone, ut (1. *G.* 242) Hic vertex nobis semper sublimis.) *Id.* 1. *Æn.* 118. ingens a vertice pontus In puppim ferit. (Ubi *Servius:* aut a puppi, quæ vertex navis est: aut ab Aquilone, qui flat a mundi vertice. Quidam verticem hic procellam accipiunt.) *Id.* 5. *ibid.* 443. Ostendit dextram insurgens Entellus et alte Extulit: ille ictum venientem a vertice velox Prævidit. ¶ 7. Ut *caput*, sic *vertex* principem significat in aliquo ordine. *Modestin. Dig.* 27. 1. 13. *ante med.* Scævola et Paulus et Ulpianus vertices legum prudentum. *capi de' legisti, corifei*, κορυφαῖοι, proceres. Hæc tamen non sunt *Modestini*, sed interpretis, qui e Græco transtulit. *Ammian.* 15. 5. *ante med.* Sensim cum principiorum verticibus secretius collocutus. *i capi dell' esercito, caporioni*. *Cic.* vertens carmina *Sophocl.* 2. *Tusc.* 9. 21. Nunc nunc dolorum anxiferi torquent vertices, Nunc serpit ardor. *h. e.* summi dolorum quasi apices. Rursus *Ammian.* 22. 16. 7. Alexandria, vertex omnium civitatum. *capo*. ¶ 8. Pro tumore usurpavit *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. *init.*

VERTĪBĬLIS, e, adject. (verto) qui verti potest. *Boeth.* 1. *Arithm.* 1. *sub init.* Quæ ipsa quidem natura incorporea sunt et immutabilis substantiæ ratione vigentia, participatione vero corporis permutantur et tactu variabilis rei in vertibilem inconstantiam transeunt. *Q. Soran. ep. ad Anton.* Vertibilis divitiarum copia.

VERTĪBŬLA, æ, f. 1. idem ac vertibulum. *Auson. Edyll.* 13. *præf. p.* 205. *Bip.* Alii leg. *verticula*.

VERTĪBŬLUM, i, n. 2. (verto) verticulus, junctura, nodus, vertebra, *giuntura, vertebra*. *Lactant. Opif. D.* 5. *circa med.* Crura non æqualiter porrecta finivit, sed summas eorum partes crassioribus nodis conglobavit, ut et substringi nervis facilius et verti tutius possent: unde sunt vertibula nominata.

VERTĪCĀLIS, e, adject. (vertex) qui recta verticem spectat, rectus. *Gromat. vet. p.* 225. 8. *L.* De meridie in septentrionem qui circulum secat, verticalis diagonalis appellatur.

VERTĪCELLUS. *V.* VERTICILLUS.

VERTĪCILLĀTUS, a, um, adject. (verticillus) Adstruxere quidam ex *Cels.* 8. 1. *a med.* Ver-

ticillatus scapularum ossibus inseritur. *Sed legendum omnino* Vertici lati scapularum ossis. V. *Morgagn. epist.* 2. *et* 3. *in Cels.*

VERTĬCILLUM. *V.* voc. seq.

VERTĬCILLUS, i, m. 2. (*deminut. a* verticulus) Scribitur et *verticellus* in *Gloss. Lat. Gr. p.* 266. *Vulc.* Verticellus, σφόνδυλος. — Etiam *verticillum* neutr. gen. in *Gloss. Cyrill.* Σφόνδυλος, verticillum. Adde *Gloss. Philox.* — Verticillus est parvus verticulus seu vertebra; sed per similitudinem sumitur ¶ 1. Pro instrumento, quod fuso adhibetur, ut facilius vertatur, *fusaiuolo o rotella del fuso*, στροφίγγιον. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (37). In Syria quoque feminas verticillos inde facere. *Apul. Herb.* 9. Radix batrachii verticillo est similis. ¶ 2. Et pro epitonio chordarum, clavicula, qua fides intenduntur, *martinetto*, κόλλαβος, ut docet *Cavedoni App. al Sagg. p.* 151. in adnot.

VERTĬCĬNOR. *V.* VERTIGINOR.

VERTĬCŎLUM. *V.* VERTICULUM.

VERTĬCORDĬA, æ, f. 1. (verto *et* cor) ἀποστροφία (*Pausan.* 9. 16. 2.), Veneris cognomen *a vertendis cordibus*, de quo ita *Ovid.* 4. *Fast.* 157. Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est. Cumæam, veteres, consuluistis anum. Templa jubet fieri Veneri: quibus ordine factis, Inde Venus verso nomina corde tenet. *Val. Max.* 8. 15. *n.* 12. Ut Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur, quo facilius virginum mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam converterentur. *Jul. Obseq.* tempus assignat, quo Veneri Verticordiæ ædes facta est, *de prodig.* 97. M'. Acilio Balbo, C. Porcio Catone Coss. *h. e.* ann. U. C. DCXL. — Hujus Veneris figuram habes in nummo G. Cordiæ *n.* 1. apud *Morell. Thes. numism. Fam. Rom.*, in quo Veneris, dextra bilancem, sinistra sceptrum tenentis, humero sinistro insidet Cupido, non noctua, ut hactenus falso putarunt nummorum periti ac præcipue in aenea statua, reperta, ubi fuerat vetus urbs Industria et a *Constantio Gazzera* illustrata peculiari commentario, edito Augustæ Taurinorum ann. 1838. Ita *Furlanetto* in *App.*

VERTĬCŌSUS *et* vorticosus, a, um, adject. (vertex) contortus, complicatus, ἑλιγμώδης. *Sall.* 4. *Hist. fragm.* 22. Vorticosum mare. *Liv.* 21. 5. Quidam verticoso amni delati in hostes ac elephantis obtriti sunt. Alii leg. *vorticoso. Auct. inc. pan. Constant. Aug.* 8. 2. Athesis ille gurgitibus verticosus. Adde *Ammian.* 16. 12. 55.

VERTĬCŬLA, æ, f. 1. (verto) articulus, *nodo, giuntura.* ¶ 1. De corpore animalium. — *a*) Generatim. *Fest. p.* 371. 21. *Müll.* Verticulas quum dixit Lucilius, articulos (*al.* vertebras) intelligi voluit. — *b*) Speciatim spondyli spinæ, h. e. vertebræ. *Lucil.* apud *Non. p.* 207. 24. *Merc.* Hæret verticulis adfixum in posteriore Parte, atque articulis, ut nobis talu' genusque. ¶ 2. In machinis *verticulæ* dicuntur vincula quædam lignea vel ferrea vel ex quavis alia materia, quibus pars una machinæ alteri adjungitur, ita tamen ut flecti et verti possit. *Vitruv.* 10. 13. *et Auson. præf. ad edyll.* 13. V. tamen VERTIBULA.

VERTĬCŬLUM (verticolum), i, n. 2. Idem ac verticula. *Cœl.* 3. *Acut.* 17. 138. Intestinorum verticula distentis cutibus apparent. *h. e.* flexus curvaturæ, sinus anphractus. *Gloss. Lat. Gr. p.* 265. *Vulc.* Verticolum, στρόφιγξ.

VERTĬCŬLUS, i, m. 2. Idem ac verticula. *Solin.* 4. *de belua marina.* Verticuli spinæ ipsius latitudine semipedem sunt supergressi. *h. e.* articuli. — *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *ante med.* Apponenda podici fistula dextera manu, usque ad ejus verticulum, quem Græci ἀσπίδισκον vocant. *h. e.* partem latiorem, quæ quasi nodum facit et verticillum fuso inditum refert.

VERTĬGĬNO, as, are, n. 1. (vertigo) circumferri, *girarsi. Tertull. Pall.* 3. *de chamæleonte.* Capitulum statim a dorso; nam deficit cervix itaque durum reflecti, sed circumspectu emissicii ocelli, immo luminis puncta vertiginant.

VERTĬGĬNOR (verticinor), aris, ari, dep. 1. (vertigo) torminibus vexari, σκοτοῦμαι, στροφοῦμαι. *Dosith. Gramm. p.* 61. 9. *Keil.* et *Gloss. Cyrill.*

VERTĬGĬNŌSUS, a, um, adject. (vertigo) qui vertigines patitur, *chi patisce vertigini*, σκοτωματικός. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 28. (59). *Jan.* Acetum vertiginosis perquam utile. *Dett.* et *Sill.* leg. *vertigini.*

VERTĬGO, ĭnis, f. 3. (verto) conversio in gyrum, versatio, rotatio, εἴλησις, περιστροφή (It. *girazione, giramento*; Fr. *tour, révolution, retournoiement*; Hisp. *vuelta, giro*; Germ. *das Herumdrehen, Wenden*; Angl. *a turning round, whirling*).

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Met.* 70. assidua rapitur vertigine cælum. (et *Sil. It.* 8. 173. Rapida (vertigo) qua cælum stellas volvit.) *Id.* 11. *ibid.* 548. Verum ubi sit, nescit: tanta vertigine pontus Fervet. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (150). Assidua vertigine rotare aliquem. *Lucan.* 6. 460. torti magica vertigine fili. *h. e.* rhombo, turbine circumacto. *Auson.* 15. 24. 13. *Sch.* Fortunæ sic se vertigo rotabat. *la ruota della Fortuna.* et *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 13. *circa med.* Ventus circumactus et se ipsa vertigine concitans, turbo est. *Pers.* 5. 76. quibus una Quiritem Vertigo facit. *h. e.* e servo liberum. Mos enim fuit in manumittendo per vindictam, alapa servum percutere, deinde dextera ejus apprehensa circumagere ac suæ veluti potestati dimittendo relinquere. *Solin.* 11. Creta equestres turmas prima docuit lascivas vertigine implicare. *Prudent. Psycom.* 414. et *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 2. 54. Vertigo rotarum.

II.) Translate. ¶ 1. Est morbus, quo affectis videntur omnia circumagi et stare perdifficile est, σκότωμα (It. *capogiro, vertigine*; Fr. *vertige, étourdissement*; Hisp. *vértigo, vaguido, vaido*; Germ. *das Kopfdrehen, der Schwindel*; Angl. *a giddiness, vertigo*). *Liv.* 44. 6. Rupes utrinque ita abscissæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 70. (117). Capite et naribus rosaceo perunctis, ne vertigo sentiatur. *Id.* 23. *ibid.* 1. 16. (23). Vertigine laborare. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (194). Vertigines discutere. *Id.* 36. *ibid.* 21. 40. (152). sedare. *Id.* 23. *ibid.* 1. 26. (53). Prodest paralyticis, tremulis, vertigini, torminibus. *Id.* 20. *ibid.* 15. 57. (161). Cuminum datur ad vertiginem. *Juvenal.* 6. 303. *de ebriis.* Quum bibitur concha, quum jam vertigine tectum Ambulat et geminis exsurgit mensa lucernis. *Macrob.* 7. *Saturn.* 9. Qui ita se vertunt, ut sæpe in orbem rotentur et vertiginem capitis et obscuritatem patiantur oculorum. ¶ 2. Item pila versatilis. *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* 86. (edente *A. Maio*) Impendebat autem sellam istam vertigo quædam ad modum mundi figurata etc. ¶ 3. Metaphorice. *Lucan.* 8. 16. Occursu stupuere ducis, vertigine rerum Attoniti. *per sì grande mutazione di cose.*

VERTĬLĀBUNDUS, a, um, adject. (verto) qui huc illuc vertitur. *Varro* apud *Non. p.* 356. 28. *Merc.* Sic ad vos citius opinione vertilabundus miser decidi. Alii leg. *ventilabundus.* Adde *Chalcid. Tim.* 92. (30). Cf. VERTILIS.

VERTĬLĀGO, ĭnis, f. 3. herba eadem, quæ carduus silvaticus. *Apul. Herb.* 109. *Akerm.* leg. *vernilago.*

VERTĬLIS, e, adject. (verto) qui vertitur, versilis. *Sidon. Paneg.* 5. 406. *de angue.* Quoties crassatur vertile tergum Flatibus. Cf. VERTILABUNDUS.

VERTĬPĔDĬUM, ii, n. 2. herba hierabotane, apud *Apul. Herb.* 3.

VERTĬPILLO. *V.* VERSIPILLO.

VERTO (vorto), vertis, verti, versum, vertere, a. 3. — *a*) *Vorto* pro *verto* antiquorum est, et comicorum: et ita in familiari sermone dixisse videntur Latini. *V.* VORTEX. — *b*) Præterit. *versi* pro *verti* (unde *versurus* et *versus*) sunt qui leg. apud *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 52. et in gelidos versit amoma rogos. Sed plerique alii *vertit* aut *vergit.* V. VERGO. — *Verses* pro *vertes*, quasi a *verso, is*, habet *Apic.* 7. 11. — Infin. *vertier* seu *vortier*, parag. pro *verti* seu *vorti*, apud *Lucret.* 1. 710., *Plaut. Rud. v.* 886., *Arnob.* 3. 35. et *Capell.* 4. *p.* 95. — *c*) Correptâ pænultimâ, *vertĕrunt* pro *vertērunt* usurpat *Horat. Epod.* 9. 17. Sic 1. *Ep.* 4. 7. *dedĕrunt.* — *d*) Ratione habita etymi, conferendum cum rad. Skr. *var* (*vars*) ejusd. significationis, unde et *verro* factum esse videtur. — Part. *Vertens* sub *A* I. 1. et in fin.; *Versus* sub *A* I. 1. *a*, 3. et 4.; II. 1. et in fin.; *Versurus* sub *A* I. 1. e et *B* I.; *Vertendus* sub *A* I. 2. et II. 1. — Verto est in aliam partem converto, torqueo, τρέπω, στρέφω (It. *voltare, rivoltare, girare, volgere*; Fr. *tourner, faire tourner, retourner, détourner*; Hisp. *girar, volver*; Germ. *drehen, wenden, kehren, umdrehen*; Angl. *to turn, turn round*). Usurpatur plerumque *A*) Transitive; aliquando etiam *B*) Neutrorum more seu absolute.

*A*) Transitive, et quidem sæpe cum addito Acc. et præp. *ad, in,* vel adverbio.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 21. Verte hac te, puere. *Lucret.* 5. 723. *de Luna.* eam partem, quæcumque est ignibus aucta, Ad speciem vortit nobis. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Pompejani impetum nostrorum non tulerunt primisque dejectis, reliqui se verterunt et loca cesserunt. *Cic.* 16. *Att.* 10. Verti me a Minturnis Arpinum versus. *Horat. Epod.* 2. 51. rhombus aut scari, Siquos Eois intonata fluctibus Hiems ad hoc vertat mare. *Propert.* 1. 16. 43. Ante tuos quoties verti me, perfida, postes! *Plaut. Merc.* 1. 2. 15. Animam nequeo vertere. *respirare*, spiritum ducere et emittere. *Lucan.* 3. 649. congesto pondere puppis Versa. *volta all' ingiù, rovesciata.* et *Ovid.* 14. *Met.* 782. Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit. *Horat.* 3. *Od.* 29. 2. Non ante verso lene merum cado Jamdudum apud me est. *Id.* 3. *Od.* 4. 26. Philippis versa acies retro. *Id.* 1. *Od.* 19. 11. Parthus versis animosus equis. *Virg.* 5. *Æn.* 141. adductis spumant freta versa lacertis. *h. e.* remis inversa et agitata. *Id.* 8. *ibid.* 438. Gorgona desecto vertentem lumina collo. *Sall.* in *Orat. Lepid. contra Sull. a med.* Arma ab externis in nosmet versa. *Plaut. Cas.* 2. 5. 36. Necessum est vorsis gladiis depugnarier. *h. e.* mutatis. *V.* GLADIATOR. *Tibull.* 1. 7. 12. Cardine tacito versere fores. *Propert.* 4. 1. 53. Vertite equum Danai: male vincitis. Ilia tellus vivet. *Id.* 2. 19. 6. Ille tuus pennas tam cito vertit amor. *h. e.* avolavit. *Virg.* 2. *Æn.* 250. Vertitur interea cælum et ruit Oceano nox. — *b*) *Vertere terga*, terga dare, convertere se in fugam, *voltare le spalle e darsi alla fuga. Cæs.* 3. *B. G.* 21. Confecti vulneribus hostes terga vertere. *Id.* 3. *B. C.* 63. *extr.* Nostros ex utraque munitione dejectos terga vertere coegerunt. Adde *Liv.* 1. 14. — Hinc *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 6. Versaque amicitiæ terga dedere meæ. — *c*) *Vertere in fugam*, fugare, *cacciare in fuga. Liv.* 30. 33. *in fin.* Ipsos Carthaginiensium equites in fugam verterunt. — *d*) *Vertere iter retro*, regredi, *ritornare sui suoi passi*, apud *Liv.* 28. 3. — *e*) *Non vertere manum*, proverbiali locutione, dicitur de eo, qui ne minimum quidem laborem sustinere vult ad aliquid obtinendum. *Cic.* 5. *Fin.* 31. 93. Ne manum quidem versuros fuisse. — *f*) *Vertere stilum.* V. STILUS. — *g*) *Vertere se aliquo*, confugere, amplecti. *Cic.* 2. *Phil.* 29. *ad fin.* Hærebat nebulo: quo se verteret, non habebat. *Id.* 2. *Divinat.* 72. 149. Superstitio instat et urget et quo te cumque verteris, persequitur. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 1. Perii: quid agam? quo me vertam? *Id. Heaut.* 5. 1. 73. Redigam, ut, quo se vertat, nesciat, *non sapra a che appigliarsi.* — *h*) *Verti*, mediorum apud Græcos more, se vertere, *volgersi, voltarsi. Lucret.* 5. 504. Sinit hæc violentis omnia vorti Turbinibus. *Id. ibid.* 511. Magnus cæli si vortitur orbis. *et alibi.* — *Virg.* 5. *Æn.* 626. Septima jam vertitur æstas. ¶ 2. Speciatim, in re rustica, est aro, subigo. *Colum.* 4. *R. R.* 5. Vertere solum bidentibus. *Id.* 3. *ibid.* 13. *circa med.* Præruptior collis in quattuor pedes vertundus. *Id.* 11. *ibid.* 2. *a med.* Lupinum nisi in flo-

rem verteris, nihil agrum stercoraveris. *h. e.* inaraveris, dum floret. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 28. gravem duro terram vertere aratro. *Propert.* 3. 5. 67. patrio bove agros. *Ovid.* 1. *Met.* 425. Versæ glæbæ. ¶ 3. Item transformo, muto. *Lucret.* 5. 279. Omnia jam resoluta forent et in aera versa. *Ovid.* 10. *Met.* 242. Propœtides in rigidum silicem versæ. *et* 13. *ibid.* 905. Nuper in Euboica versis Anthedone membris Glaucus adest. *Plaut. Most.* 1. 3. 61. In anginam nunc me velim verti, ut veneficæ illi fauces prehendam. *Propert.* 3. 24. 17. Io versa caput. — *Vertere capillum* apud *Tertull. De Virg. vel.* 12. est colore inficere, tingere. Cf. *eumd. De cult. fem.* 6. ¶ 4. Item everto, *rovesciare, atterrare, abbattere, rovinare. Cic.* 1. *Off.* 24. *a med.* Callicratidas quum multa fecisset egregie, vertit ad extremum omnia. *Ovid.* 12. *Met.* 138. Quem super impulsum resupino pectore Cycnum Vi multa vertit terræque afflixit Achilles. *Virg.* 10. *Æn.* 88. fluxas Phrygiæ res vertere fundo. *Horat.* 3. *Od.* 3. 18. Ilion Fatalis incestusque judex Et mulier peregrina vertit. *et ibid.* 25. 15. Bacchæ valentes Proceras manibus vertere fraxinos. Adde *Manil.* 4. 80. *Seneca Agam.* 190. Et post tropæa Troica ac versum Ilium. *Id. Troad.* 911. prostratum Ilium est, versi Penates. *Id. Hippol.* 562. Versa ab imo regna.

II.) Translate. ¶ 1. Est quocumque modo mutare. *Plaut. Truc.* 2. 1. 10. Nos divitem quum meminimus atque iste pauperes - verterunt se memoriæ. *Cæs.* 3. *B. C.* 26. *in fin.* Auster, qui per biduum flaverat, in Africum se vertit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 31. *sub fin.* Terra in aquam se vertit. *Virg.* 12. *Æn.* 891. Verte omnes te te in facies. *Id.* 1. *ibid.* 241. quæ te, genitor, sententia vertit? *et* 10. *ibid.* 34. cur nunc tua quisquam Vertere jussa potest? *Horat.* 2. *Ep.* 1. 148. sævus apertam In rabiem cœpit verti jocus. *Tibull.* 3. 4. 95. Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat. *Cic. Rosc. Am.* 36. 103. Videte nunc, quam versa et mutata in pejorem partem sint omnia. *Tac.* 1. *Ann.* 4. Versus civitatis status. *Id.* 2. *Hist.* 54. Cæsi victores, versa partium fortuna. *Justin.* 12. 6. 7. Eodem furore in pœnitentiam, quo pridem in iram, versus, mori voluit. *Ovid. Heroid.* 16. 89. versis ad prospera fatis. *Id. Heroid.* 3. 139. si versus amor tuus est in tædia nostri etc. *Liv.* 22. 51. *extr.* Miles ira in rabiem versus. *Seneca Herc. Œt.* 470. Versa vice. *V.* VICIS. — Hinc *vertere solum* est eadem ac locum mutare, migrare, *andar a stare, a metter casa altrove:* quod ab his præsertim fit, qui vitare pœnam volunt legibus in patria indictam. *Cic. Dom.* 30. 78. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant. *Juvenal.* 11. 49. Qui vertere solum (*metu creditorum*), Bajas et ad Ostiā currunt. *V.* SOLUM, i. — *Verti*, mediorum apud Græcos more, se mutare. *Propert.* 2. 21. 34. Et decus et durus vertitur ipse dies. *et ibid.* 7. 31. Omnia vertuntur: certe vertuntur amores. ¶ 2. Item transferre ex una in aliam linguam, *traslatare, tradurre. Cic.* 1. *Fin.* 3. 7. Si sic verterem Platonem, ut verterunt nostri poetæ fabulas. *Id.* 2. *Tusc.* 11. *a med.* Verti enim multa de Græcis. *Liv.* 25. 39. Annales Acilianos ex Græco in Latinum sermonem vertit. — Absolute. *Plaut. Trin. prol.* 19. Philemo scripsit, Plautus vertit barbare. ¶ 3. Ponitur et pro tribuere, *ascrivere. Cic.* 7. *Fam.* 6. Ne sibi illæ vitio verterent, quod abesset a patria. *Liv.* 28. 11. Quum omnium secundorum adversorumque causas in deos verterent. ¶ 4. Item pro convertere, trahere. *Ter. Hecyr.* 1. 2. *in fin.* Dii vertant bene quod agas. *Cic. in Q. Cæcil. Divin.* 17. *in fin.* Ex illa pecunia magnam partem ad se vertit. *Liv.* 3. 72. Vertere litem in rem suam. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). Usum olei ad luxuriam vertere Græci. *Cæs.* 1. *B. C.* 8. Ne ea, quæ rei publicæ causā egerit, in suam contumeliam vertat. *non si rechi ad ingiuria.* ¶ 5. Item pro versare, h. e. considerare, volvere, agitare, disceptare. *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 408. Exercitum more majorum vertere. Ita *Servius. Plaut. Most.* 5. 1. 10. Ubi ego video rem verti in meo foro etc. — Impersonaliter. *Liv.* 39. 48. Vertebatur, utrum manerent in Achaico concilio Lacedæmonii, an secretum ejus unius in Peloponneso civitatis jus esset. *si trattava.* ¶ 6. *Verti*, sensu medio, est etiam versari, esse. *Plaut. Merc.* 1. 2. 12. Res in periculo vortitur. *et Liv.* 6. 36. In majori discrimine domi res vertebantur. *Plaut. Most.* 3. 1. 109. Jam homo in mercatura vortitur. *s'impiega*, dat mercaturæ operam. ¶ 7. Item *verti in aliqua re*, summam rei in ea esse, *consistere. Virg.* 10. *Æn.* 528. non hic victoria Teucrum Vertitur. *Liv.* 37. 7. Iter, quod insistis, ego quoque approbo: sed totum id vertitur in voluntate Philippi. *tutto sta nel volere. Cic.* 2. *Verr.* 7. *extr.* Quid judices? non crimina, non testes, non existimationem populi R. sequentur? non: omnia in unius potestate ac moderatione vertentur. *Liv.* 4. 31. In dictatore verti spes civitatis. Cf. *Madvig Emend. Liv.* p. 236. et 323.

*B)* Neutrorum more seu absolute.

I.) Proprie est se vertere, *voltarsi, rivolgersi. Plaut. Merc.* 2. 3. 97. Quo vortisti? *Lucret.* 5. 616. Sol quo pacto - Brumales adeat flexus atque inde revortens Canceris ut vortat metas ad solstitiales. *Liv.* 38. 26. Si legionum signa ostendisset, versuros extemplo in fugam omnes, ratos. *Propert.* 1. 16. 27. O utinam trajecta cava mea vocula rima Percussas dominæ vertat in auriculas!

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 3. *B. C.* 73. *in fin.* Detrimentum in bonum verteret. *Virg.* 3. *G.* 365. Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ. *Liv.* 26. 6. *sub fin.* Ea ludificatio veri et ipsa in verum vertit. *Tac.* 11. *Ann.* 37. Verterat pernicies in accusatorem. *Liv.* 5. 49. Jam verterat fortuna. *Id.* 2. 3. Libertatem aliorum in sua vertisse servitutem conquerebantur. ¶ 2. Speciatim *bene* aut *male vertere* (subaudi *se*), bene aut male evenire, succedere. *Plaut. Pers.* 4. 1. 5. Si malus est, male res vertunt, quas agit; si autem frugi est, eveniunt frugaliter. *Ter. Adelph.* 2. 1. 37. Minis viginti tu illam emisti: quæ res tibi vertat male. *Liv.* 1. 28. Quod bene vertat, castra Albanos Romanis castris jungere jubet. Adde *Curt.* 5. 4. 12. *Virg.* 10. *Ecl.* 6. Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos. *Inscr.* apud *Orelli* n. 2139. ROTAE OMNES CAELESTES CONSENTIENTES BENE VERTENTESQVE. — Hinc Part.

*Vertens, entis*, etiam adjective, in sequentibus locutionibus. ¶ 1. *Vertens annus, mensis* est totius anni vel mensis vertentis seu procedentis et delabentis cursus, *il corso o lo spazio d'un anno, d'un mese. Cic. Quinct.* 12. 40. Si debuisset, Sexte, petisses statim: si non statim, paullo quidem post; si non paullo post, at aliquando: sex quidem illis mensibus profecto, anno vertente sine controversia. *Nepos Agesil.* 4. Tanta usus est celeritate, ut quod Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus. *Plaut. Pers.* 4. 4. 76. Numquam hercle hunc mensem vertentem servibit tibi. ¶ 2. Alia ratione *vertens annus*, prægnanti, ut ajunt, sensu, dicitur a *Cic.* 6. *Rep.* 22. 24.; ibi enim annum illum intelligit, qui a *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 11. vocatur *annus mundanus* et a *Platone* dictus est *magnus*, h. e. spatium multorum annorum, quorum cursu expleto, sidera stellæque omnes ad eam cæli positionem redeant, in qua initio mundi fuerunt; quæ quidem positio post quindecim milia annorum contingere putabatur, ut *loc. cit. Macrob.* docet: et jure *annus vertens* dictus est, quia, ut *Macrobii* verbis utar, conversione plenæ universitatis efficitur. Homines, inquit *Cic. loc. cit.*, populariter annum tantummodo solis, id est unius astri reditu metiuntur: quum autem ad idem, unde semel profecta sunt, astra redierint eamdemque totius cæli descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest. *V.* plura apud *Macrob. loc. cit.*

*Versus (vorsus), a, um*, item adjectivorum etiam more usurpatur, tum proprie tum translate. ¶ 1. Est mobilis, inconstans, et construitur cum Genet. *Tac.* 4. *Hist.* 84. Qui versus animi modo numen pavescere, modo minis populi terreri, sæpe donis flectebatur. *pro* versus animo. Ἑλληνιστικῶς. Alii plerique leg. *diversus.* ¶ 2. Item qui vergit vel spectat in aliquam partem. *Ovid.* 8. *Met.* 165. de *Mæandro.* Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum, Incertas exercet aquas. *Liv.* 1. 41. Fenestræ in viam versæ. *Id.* 36. 15. *a med.* Mare ad occidentem versum. Adde *Tac. Germ.* 1. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 30. (119). Squamarum series a cauda ad caput versa. ¶ 3. Hinc est inclinatus, propensus, favens. *Liv.* 40. 5. *a med.* Philippus totus in Persea versus, cum eo cogitationes ejus rei dies ac noctes agitabat. ¶ 4. *In rem versum* dicitur a JCtis, quidquid in rem seu facultates alicujus conversum est et augendæ rei familiari adjectum. *Cajus, Paul., Ulpian.* et alii *Dig.* 15. *toto tit.* 3. qui *De in rem verso* inscribitur: ubi *actio de in rem verso* et *de in rem verso teneri*, et *condemnari de in rem verso* etc. ¶ 5. *Versa*, et, comicorum more, *vorsa oratio*, metro ligata: cui respondet *prorsa*, soluta, *prosa. Apul. Florid.* n. 18. V. PRORSUS, a, um.

*Versum (vorsum)* et sæpius

*Versus (vorsus)*, absolute est adverbium et præpositio, et designat locum, ad quem tendimus, πρός (It. *verso*; Fr. *vers, envers, contre;* Hisp. *cerca, á cerca de, contra;* Germ. *gegen, nach;* Angl. *towards, against*). Adhibetur autem fere, ut est adverbium, cum addita præp. *ad, in* et raro *ab*, vel cum alio adverbio: quæ ut plurimum præcedunt; et occurrit tum proprie tum translate. ¶ 1. Qua igitur est adverbium, cum præp. *ad, in* et raro *ab.* — *a)* Forma *versus*, cum præp. *Cæs.* 6. *B. G.* 32. Labienum ad Oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci jubet. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12. Ille in Italiam versus navigaturus erat. Alii *in* omittunt. *Auct. B. Hisp.* 11. Equites nostri ad Cordubam versus prosecuti sunt eos. *Sall. Cat.* 59. Ad urbem modo, modo in Galliam versus castra movere. *Fest. in Septimontio* p. 351. 3. *Müll.* Ea pars Esquiliarum, quæ jacet ad vicum Patritium versus. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 5. *ante med.* et *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 82. *extr. Cæs.* 7. *B. G.* 8. In Arvernos versus. Adde *Curt.* 4. 7. 18. — *Varro* 1. *R. R.* 26. Ab septentrione versus. Cf. *Kritz* ad *Tac. Germ.* 1. — Cum alio adverb. *Cato R. R.* 156. Postea ubi deorsum versus ibit. *Cic. Orat.* 39. *a med.* Quum gradatim sursum versus reditur. *Id. Partit.* 7. 24. Et idem quasi sursum versus retroque dicatur. *Cæs.* 7. *B. G.* 4. Dimitti quoquo versus legationes. *Gell.* 5. 12. Ut quædam vocabula, quibus particula ista præponitur, ambigua sint et utroque versus dicantur. *h. e.* in utramque partem. *Id.* 12. 13. *a med.* Quum vero omnes terras omnifariam et undique versus circumfluat, nihil citra eum est. — *b)* Forma *versum*, cum præp. *Sall. Jug.* 62. Animadvortit, fugam ad se vorsum fieri. *et ibid.* 72. Ubi animadvertere ad se vorsum exercitum pergere. — Cum alio adverb. *Plaut. Capt.* 2. 3. 8. Utroque vorsum rectum est ingenium meum. *Gell.* 12. 13. Undique versum. ¶ 2. Qua præpositio est — *a)* Cum accusativo. *Cic.* 11. *Fam.* 27. Quum Brundusium versus ires ad Cæsarem. *Id.* 16. *Att.* 10. A Minturnis Arpinum versus. *Cæs.* 2. *B. C.* 3. Massiliam versus. *Liv.* 8. 20. Versus ædem Quirini. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (121). Corvus evolans in rostra forum versus. *Sillig.* in forum. — *b)* Cum adverbio. *Plaut. Epid.* 3. 2. 63. Cœpi sursum versum illos pauxillatim accedere.

VERTRĂGA, æ, f. 1. *et*

VERTRĂGUS, i, m. 2. *V.* VERTAGUS.

VERTUMNĀLĬA *et* Vortumnalia, ĭōrum *vel* ium, n. plur. 2. vel 3. (Vertumnus) festa in honorem Vertumni, de quo *V.* ONOM. *Varro* 6. *L. L.* 21. *Müll.* Vortumnalia a deo Vortumno, quojus feriæ tum. Alii leg. *Fortumnalia* vel *Volturnalia;* quam lectionem defendit *Mommsenius* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. p. 400. monetque esse festa in honorem Tiberis fluvii, qui et *Vol-*

furnus a volvendo dicatur, quum valde sit flexuosus, coll. *Serv.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 95. — Fiebant porro hæc VI. K. Sept., idest die XXVII. Aug., Kalendariis antiquis testibus. Hinc videtur errare *Forcellinus*, qui Octobri ea adsignat. Ceterum confer, quæ adnot. *Müller* et *Canal* ad *h. l.* V. VOLTURNALIA.

**VERTUMNUS** *et* vertunnus, i, m. 2. herba, quæ Græce dicitur heliotropion: a Lat. *verto*, et Gr. τρέπω, *girasole*. *Apul. Herb.* 50., ubi alii leg. *vertamnus* vel *vertannus*: a *verto* et *annus*.

**VERTUNNUS.** *V.* voc. præc.

**VĔRU**, us, n. 4. — *a*) *Verua* in plur. dici negat *Charis.* 1. *p.* 59. et 118, *Putsch.*, qui *vera* substituit; affirmat *Priscian.* 5. *p.* 672. *ibid.* Sane usurpat *Scribon. Compos.* 16. *sub fin.* Præterea habeat in brachio verua eborea. *h. e.* verucula ex ebore. et *Fest.* apud *Paul. Diac.* in *Veruta p.* 374. 9. *Müll.* Veruta pila dicuntur, quod veluti verua habent præfixa. Cf. *Serg.* in *Donat. p.* 541. 25. *Keil.* — *Veruum* in genet. plur. non esse in usu, docet *Priscian. loc.* supra *cit.*; at *Charis. p.* 66. 9. *K.* admittit. — *Veribus* et *verubus* dicitur in dat. et abl. plur. *Pier.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 216. et 5. *ibid.* 103. priorem formam præfert. Neque enim, ut ille ait, amphibologiam parit, ut in *artubus, arcubus, partubus*, quæ ita efferuntur, quod *artibus, arcibus, partibus* aliud significant. Hæc tamen *Pierii* non videtur ratio sufficiens. Ceterum ut *Benoist*, cui favet *Ribbeck*, in *Virg.* optt. codd. *veribus* pro *verubus* constanter leg. (2. *G.* 496.): sic *verubus* certe legendum in *Inscr.* apud *Fabretti* infra *adl.* V. plura de hac re apud *Voss. De Gramm. l.* 4. *c.* 18. et *Brambach Neug. p.* 115. et seq. — *b*) Alia est forma *verum*, *i*, n. 2. In nom. et acc. sing. *verum* dixit *Plaut. Rud.* 5. 2. 45. et *alibi*; unde genet. *veri* apud *Veget.* 3. *Milit.* 26. *p.* 123. 6. *L.* et *vero* abl. apud *Att. com.* in *Gloss. vet.* in *Class. Auct.* ed. *Mai T.* 6. *p.* 378. ubi tamen *Ribbeck mucrone* dedit. — *c*) Ratione habita etymi, *Varro* 5. *L. L.* 27. *Müll.* a *versando* derivat; sed melius confertur cum rad. περ, unde πείρω, transfigo, vel ἐρ, unde εἴρω, necto, præmisso digammate. — Veru est instrumentum ferreum aut ligneum oblongum cuspidatum, cui infiguntur carnes igni torrendæ, ὀβελός (It. *spiedo, schidione*; Fr. *broche, épieu*; Hisp. *asador, venablo*; Germ. *der Spiess*; Angl. *a spit or broach*).

I.) Proprie. *Acc.* apud *Non. p.* 210. 32. *Merc.* concoquit partem vapore flammæ: tribuit verubus lacerta in focos. *Varro* 5. *L. L.* 19. *Müll.* Exta in olla, non in veru, coquuntur. *Virg.* 1. *Æn.* 216. Pars in frusta secant veribusque trementia figunt. et 5. *ibid.* 103. Subjiciunt veribus prunas et viscera torrent. *Ovid.* 2. *Fast.* 363. sacerdotes verubus transuta salignis Exta parant. *Seneca Thiest.* 1063. gracili trajectas veru Mugire fibras vidi. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (88). Stellio in ligneis verubus inassatus. *Virg.* 2. *G.* 396. Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 646.

II.) Improprie, a similitudine ¶ 1. *Veru* dicitur brevis hasta aut jaculum aut gladius tenuis. *Virg.* 7. *Æn.* 665. Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello. Quidam apud *Serv.* hic volunt pilum significari: sed pilum est jaculum grave. *Tibull.* 1. 7. 55. Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus. *Sidon. carm.* 5. 413. equo ruit aclide fossus Ille veruque alius. ¶ 2. Item de columellis ferreis vel lapideis, quibus muniebantur sepulcra et aræ deorum. *Inscr.* apud *Fabretti p.* 684. *n.* 85. (*Orelli n.* 736.) HANC AREA INTRA HANC DEFINITIONEM CIPPORVM CLAVSA VERVBVS etc. Cf. *Promis, Vocaboli d'Archit. p.* 212. ¶ 3. Item de obelo, quo notantur loca dubia in libris. *Hieronym. Ep.* 106. *n.* 7. Ubi autem quod in Hebræo non est, in Græcis codicibus invenitur, obelon, id est jacentem præposuit virgulam, quam nos Latine veru possumus dicere: quo ostenditur, jugulandum esse et confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur. Hinc *Augustin.* 18. *Civ. D.* 43. *a med.* Quæ non habent Hebræi, habent autem Septuaginta, ad capita versuum jacentibus virgulis, sicut scribuntur unciæ, signaverunt.

**VĔRŪCŬLĀTUS**, a, um, adject. participiorum more effictum (veruculum), veruculo instructus, ut *veruculatæ falces* sunt, quæ Græce δορυδρέπανα, Italice *falci da lungo manico* appellantur; veruculo enim seu hastili sunt munitæ, quibus vulgo utuntur non fœnisecæ modo, sed etiam avenæ et brevioris cujuscumque culmi messores, qui præterea in frumentacea messe rastellum quoddam sive pectinem adjunctum habent falci, cujus ope ita sternunt ordinate culmos, quasi manu comprehenses manipulos deposuissent. *Colum.* 2. *R. R.* 21. Multi falcibus veruculatis atque iis vel rostratis vel denticulatis, medium culmum secant. Alii perperam leg. *verriculatis*, alii *vericulatis*.

**VĔRŪCŬLUM**, i, n. 2. *deminut. a* veru, exiguum veru, ὀβελίσκος: speciatim ¶ 1. Sic dicitur instrumentum ferreum, quo metallorum expurgatores spumam eximunt a reliqua materia. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (107). Spuma e superiori catino defluens in inferiorem et ex eo sublata veruculis ferreis atque in ipsa flamma convoluta veruculo, ut sit modici ponderis. Alii leg. *vericulum*: ut a *genu geniculum*, ab *artu articulus*, a *vultu vulticulus*. ¶ 2. *Veruculum* est etiam genus instrumenti missilis, quo utebantur milites. *Veget.* 2. *Milit.* 15. Aliud missile minus, ferro triangulo unciarum quinque, hastili trium pedum semis, quod tunc veruculum, nunc verutum dicitur. Alii pro *veruculum* leg. *vericulum*.

**VĔRŪĬNA**, æ, f. 1. (veru) idem ac verutum: vox quattuor, non tribus, syllabis enuntianda, quum sit a veru. *Fulgent. De prisco serm. n.* 33. Veruina jaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. Gavius Bassus in Satyris: Veruina confodiende, non te nauci facio. Plautus Bacchid. (4. 8. 46.) Si tibi est machæra et nobis veruina est domi, qua quidem te faciam, si tu me irritaveris, confossiorem soricina nænia.

**VĔRUM.** *V.* VERUS in fin.

**VĔRUM.** *V.* VERU init.

**VĔRUMTĀMEN** *et* veruntamen, adverb. Aliquando divisum per tmesin, alia voce interjecta, reperitur, ut apud *Cic.* 4. *Verr.* 41. *ad fin.* Mala et improba defensione, verum aliqua tamen uti videretur. et 1. *Fin.* 2. 5. Verum, opinor, scriptorem, tamen, ut legendus sit. — Verumtamen est sed tamen, *ma, nondimeno*, οὐ μὴν δή, οὐ μὴν οὔτε. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 45. Quum pugnabant maxume, ego fugiebam maxume. Verumtamen, quasi affuerim, simulabo atque audita eloquar. *Cic.* 7. *Verr.* 39. 101. Consilium capit primo stultum, verumtamen clemens. *Id.* 12. *Fam.* 30. Non dubitabam equidem, verumtamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Chærippus. *Ovid.* 9. *Met.* 464. verumtamen æstuat intus. Adde *Cic.* 2. *Tusc.* 11. 26. et *Quintil.* 8. 3. 32. — *b*) Ad resumendam orationem post interclusionem. *Cic.* 1. *Att.* 10. Quum essem in Tusculano (erit hoc tibi pro illo tuo, Quum essem in Ceramico); verumtamen quum ibi essem etc. — Etiam *sed* eodem hoc modo adhibetur. *V.* SED. ¶ 2. Speciatim aliquando, sequiore Latinitate, est quin potius, quin immo. *Vulg. interpr. Luc.* 12. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei et justitiam ejus. Adde *eund. ibid.* 19. 27.

**VĔRUNTĀMEN.** *V.* voc. præc.

**VĒRUS**, a, um, adject. Ratione habita etymi, recentiores etymologi alii derivant a Zend. *var*, credere; alii a Skr. *vas*, manere, vel *vara*, bonus. Cf. *A* II. At ego ducere malim a rad. Skr. *as*, unde *erus* pro *esus*, ita ut, præposito digammate, *verus* proprie esset *qui est*: quam notationem confirmatam repperi apud *Galvani Delle genti e favelle* etc. *p.* 347. Cf. etiam Germ. *wahr* et *wesen*. — Comp. *Verior* in omn. paragr.; Sup. *Verissimus* sub *A* I. et *B*. — Verus est sincerus, solidus, germanus, certus, non fucatus, non simulatus, non adumbratus, ἀληθής (It. *vero, sincero*; Fr. *vrai, véritable*; Hisp. *verdadero*; Germ. *wahr, wahrhaft, wirklich*; Angl. *true, real*): cui *fictus, simulatus, falsus* opponitur. Usurpatur porro *A*) Passive vel objective; et etiam *B*) Active vel subjective.

*A*) Passive vel, ut ajunt, objective: et quidem

I.) Proprie est, ut diximus, sincerus, germanus, certus etc. *Ter. Andr.* 5. 4. 19. Quæ dico, vera an falsa audieris, jam sciri potest. *Id. Eun.* 2. 3. 26. Color verus, corpus solidum et suci plenum. Ubi *Donat.*, quia non de cura est ac de fuco. *Id. Andr.* 5. 1. 19. Cum Davo vidi jurgantem ancillam vero vultu. *Plaut. Amph.* 1. 1. 45. Vera mea uxor. *legittima*. et *Cic.* 6. *Verr.* 66. 147. Verus et germanus Metellus. *Id.* 2. *Off.* 5. *a med.* Perspicere, quid in quaque re verum sincerumque sit. *Id.* 5. *Phil.* 18. 50. Vera, gravis, solida gloria. *Ovid.* 2. *Met.* 83. Vera progago. *Horat.* 3. *Od.* 5. 29. virtus. *Id.* 1. *Ep.* 17. 51. dolores. *Id.* 1. *Od.* 37. 15. timores. *Id. Art. P.* 425. Noscere mendacem et verum amicum. *Propert.* 2. 7. 55. veris gaudebat Græcia natis. *h. e.* legitimis, non adulterinis. *Martial.* 6. 30. Vis dicam tibi veriora veris? *et* 8. 76. Vero verius ergo quid sit, audi. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 10. Causa mihi videtur esse verissima. *Id. Amic.* 25. 95. Secerni blandus amicus a vero tam potest adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. *Quintil.* 11. 3. 61. Alii veri affectus, alii ficti et imitati. *Fronto* 2. *ad Amic.* 7. Vera res. *h. e.* veritas.

II.) Translate est justus, rectus. *Serv.* ad *Virg.* 12. *Æn.* 694. Veteres verum dicebant quod rectum et bonum esset. *Sall. fragm. ibid.* Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus. *Cic.* 3. *Legg.* 15. 34. Quum aliquid verum et rectum esse dicitur etc. *Id.* 2. *ibid.* 4. *extr.* Lex vera atque princeps, apta ad jubendum atque vetandum ratio est recta summa Jovis. *et ibid.* 5. 11. Assentior, frater, ut quod est rectum, verum quoque sit. — Absolute, cum infinito. *Liv.* 35. 8. Verius esse Ti. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato. *Virg.* 12. *Æn.* 694. Quæcumque est Fortuna, mea est: me verius unum Pro vobis fœdus luere et decernere ferro. *V.* dicta in *Verum* 2. sub fin.

*B*) Active vel, ut ajunt, subjective est qui verum dicit, veridicus, verax, candidus, *verace, veritiero, sincero*. *Ter. Andr.* 2. 5. 12. Sum verus? *Ovid. Heroid.* 16. 123. Vera fuit vates: dictos invenimus ignes. *Id.* 10. *Met.* 209. Talia dum vero memorantur Apollinis ore. *Plin.* 2. *Ep.* 9. *a med.* Habet avunculum C. Septicium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. *Id.* 4. *Ep.* 22. Quo vero nihil firmius. *Id.* 9. *Ep.* 25. Post judicium tuum viri gravissimi, eruditissimi ac super ista verissimi. *Auct.* in *epist. præfixa l.* 8. *B. G. ad fin.* Erat autem in Cæsare quum facultas atque elegantiæ summa scribendi, tum verissima suorum sciantia consiliorum explicandorum. — *Vulg. interpr. Joh.* 7. 28. Sed est verus qui misit me. Græce est ἀληθινός, *verax*, et hic vim habet Hebraici אמן *émun*, ejusd. significationis. Cf. *Apoc.* 3. 14. Hæc dicit Amen, testis fidelis et verus. Alii tamen interpretantur, ut orationis connexui convenientius, de eo, qui est, vere est. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc absolute

*Verum*, *i*, n. 2. substantivorum more ¶ 1. Est veritas, *il vero, verità*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 66. Qui enim possum non cupere verum invenire, quum gaudeam, si simile veri quid invenerim? *et ibid.* 11. *ad fin.* A vero longissime abesse. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. *ante med.* Si verum fateri volumus. *Id.* 12. *Att.* 41. *ad fin.* Si verum scire vis. *Id. Orat.* 34. *sub fin.* Res facit controversiam aut de vero aut de recto aut de nomine. *della verità del fatto*. et *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 27. Nec procul a vero est, quod etc. *Id.* 2. *Fast.* 859. Ex vero positum permansit Equiria nomen. *Lactant.* 1. 11. Illud in vero est, quod regnum partiti sortitique sunt, ut etc. *h. e.* illud verum est. *Pers.* 1. 107. teneras aures mordaci radere vero. *h. e.* veritate libere, acri, pungenti. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 22. Si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum omne judicium

veri et falsi putat. *Sall. Cat.* 51. Falsum pro vero credere. *Quintil.* 9. 2. 33. Falsa et incredibilia magis movent, quia supra vera sunt aut pro vanis accipiuntur. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 470. geminantur vera pavoris Ingenio. Alii *verba.* Adde *Ter. Andr.* 2. 6. 6., *Cic. Amic.* 25. 92. et *Martial.* 8. 76. — *Verum dicere, loqui,* sæpe occurrit, *dire il vero, parlare con verità. Plaut. Amph.* 1. 1. 89. Jam faciam, ut verum dicas. *Id. Capt.* 5. 2. 7. Vera loqui. Sic *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 16. *in fin.* Dic mihi verum: num aut res eum aut χαρακτὴρ non delectat? — *Vera obscuris involvere,* proverb. locutio, apud *Auct. Queroli* 1. 294. ¶ 2. *Verum est,* justum, æquum est, *è giusto, è di dovere.* — *a*) Seq. infinito. *Cæs.* 4. *B. G.* 8. Neque verum est, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare. *Cic. Dom.* 8. *extr.* Negas, esse verum, quemquam ulli reipublicæ extra ordinem præfici. *Id. Mur.* 35. *a med.* Negat verum esse, allici benevolentiam cibo. *Liv.* 2. 48. Verum est, agrum habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 98. Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est. « *Ognuno al proprio braccio si misuri* » (Pallavicini) — *b*) Vel conjunctivo cum part. *ut. Cic.* 3. *Tusc.* 29. 73. Rectum et verum (*est*), ut eos – æque ac nosmetipsos amemus. — Plura addi possent testimonia scriptorum, præsertim *Livii,* in quibus sicubi *æquum* legitur, fere interpretatio τοῦ *verum* censeri debet. Cf. dicta sub *A* II.

*Verum* usurpatur ¶ 1. Adverbiorum more: et est idem ac vere, vero, *veramente, certo che sì,* μάλιστα, ἀληθῶς: et adhibetur in responsionibus affirmando. *Ter. Heaut.* 5. 3. 11. Facies? CH. Verum. *Id. Adelph.* 4. 2. 4. Men quæris? SY. Verum. *Id. Eun.* 2. 3. 54. Comites secuti scilicet sunt virginem? CH. Verum: parasitus cum ancilla. ¶ 2. Sæpius est conjunctio adversativa et significat sed, *ma, anzi,* ἀλλά, καίτοι, δέ. — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 2. 1. 23. Merito maledicas mihi, si id ita factum est: Verum haud mentior. Adde *ibid.* 1. 2. 21. *Cic. Mur.* 29. 61. Ea sunt omnia, non a natura, verum a magistro. *Alii* sed. — Aliquando occurrunt *non modo, non solum, non tantum* - *verum etiam* vel *quoque, verum. Id. Cæl.* 19. 45. Non modo agendo, verum etiam cogitando. *Justin.* 21. 6. 7. Non ingrato tantum, verum etiam invido et crudeli animo. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 84. servavit ab omni Non solum pacto, verum opprobrio quoque turpi. *Cic.* 3. *Rep.* 30. 42. Ut ego non modo tecum Serv. Galbam, verum ne Atticorum quidem oratorum etc. — *b*) Inservit transitionibus, *ma, nondimeno. Id.* 4. *Verr.* 31. 76. Verum veniat sane. Adde *Quintil.* 12. 11. 26. — Ad majorem vim additur *enim, vero* et conjuncte *enimvero. Ter. Adelph.* 2. 1. 47. Verum enim, quando bene promeruit, fiat. *ma pure, tuttavia.* et *Cic.* 3. *Orat.* 14. *a med.* Verum enim oratori omnia quæsita, audita, lecta, tractata esse debent. *h. e.* sed enim: vel pro *enimvero* positum est. *Cato* apud *Gell.* 13. 17. Verum vero inter offam atque herbam ibi vero longum intervallum est. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 5. Verum hercle vero quum belle recogito etc. *Liv.* 4. 4. Nemo invitum pactionem nuptialem quemquam facere coegisset; verum enimvero lege id prohiberi, id demum contumeliosum est. Adde *Sall. Cat.* 21. — *c*) Item interruptioni. *Cic.* 5. *Phil.* 12. 31. Exspectabantur calendæ Jan., fortasse non recte. Verum præterita omittamus. Adde 3. *Tusc.* 34. *in fin.* et 2. *Orat.* 32. 140.

*Vero* item ¶ 1. Adverbiorum more, est certe, sane, quidem, *certamente, per certo, in verità.* — 1.°) Generatim. — *a*) Universim. *Ter. Andr.* 5. 2. 13. Immo vero indignum facinus faxo ex me audias. *et* 5. 4. 23. Itane vero obturbat? *Cic. Marcell.* 1. *sub fin.* Et vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pæne ad omnes, quam ad illum ventura sit, lætitia pervenerit. *Id. Cæl.* 30. 72. Cui neque proprium quæstionis crimen objicitur, nec vero aliquid ejusmodi quod etc. *Id. Senect.* 9. 27. Non vero tam isti, quam tu ipse nugator. *Liv.* 27. 19. *ad fin.* Vocatum eum interrogat, velletne ad Masinissam reverti? quum, effusis gaudio lacrimis, cupere vero, diceret, tum etc. — *b*) Inservit ironiæ. *Virg.* 4. *Æn.* 93. Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus. *grande lode per mia fè* etc. *Ter. Eun.* 1. 2. 9. Sane, quia vero hæ mihi patent semper fores. *Cic.* 7. *Verr.* 47. 124. Multum vero hæc his jura profuerunt in istius imperio ac potestate. Adde 13. *Phil.* 11. 25. — *c*) In responsionibus est etiam, maxime, *sì. Id. Brut.* 87. 300. Sed tu orationes nobis veteres explicabis? Vero, inquam, Brute. *certamente.* et *Mur.* 31. 65. In sententia permaneto. Vero. *Id.* 2. *Tusc.* 11. 26. Fuisti sæpe, credo, in scholis philosophorum. A. Vero, ac libenter. *Id. Brut.* 85. 292. Nunc, inquit, dicam, opinor, quod sentio. Tu vero, inquam, Tite. *Id.* 1. *Divinat.* 46. 104. Puellam defatigatam petiisse a matertera, ut sibi concederet paullisper, ut in ejus sella requiesceret: illam autem dixisse, Vero mea puella, tibi concedo meas sedes. — Cum particula negativa. *Id.* 3. *Off.* 6. 29. Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum homini ad nullam rem utili? Minime vero. *nulla meno.* et *Ter. Heaut.* 4. 5. 19. Vah, gloriare evenisse ex sententia? SYR. non hercle vero. — *d*) Est interdum instantis et urgentis. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 136. NIC. Cape hoc tibi aurum. CHRY. Non equidem accipiam. NIC. cape vero: odiose facis. *sì, ti dico, prendi.* et *Epid.* 1. 1. 3. Respice vero, Thesprio. *et* 5. 2. 57. PER. cedo tu, ut exsolvam, manus. EPID. Ne attigas. PER. ostende vero. EPID. nolo. — *e*) Etiam enumerationi et gradationi inservit. *Cic. Mur.* 22. 45. Qui et per se et per suos et vero etiam per alienos defendatur. *ed anzi.* et 1. *Orat.* 17. 76. Si quis esset aut si etiam umquam fuisset aut vero si esse posset. *od anzi.* et 1. *Rep.* 3. 4. In mediocribus vel studiis vel officiis vel vero etiam negotiis. *Id.* 2. *Verr.* 7. 19. Quod quum tum multi homines audissent: immo vero, ut quisque me videret etc. — 2.°) Speciatim pro vere, *veramente. Plaut. Most.* 1. 3. 21. Ebo, mavis vituperari falso, quam vero extolli? *Id. Capt.* 3. 4. 35. Eum sese ait, qui non est, esse: et qui vero est, negat. Adde *Merc.* 4. 1. 19. et *Truc.* 2. 2. 47. *Cic.* 14. *Fam.* 16. Ego vero cupio te ad me venire. *Id.* 4. *ibid.* 6. Ego vero vellem. ¶ 2. Sæpe conjunctionis vim habet, ut *autem, sed.* — *a*) Universim. *Id. Cæcin.* 2. *a med.* Quod reprehendendum fortasse minus, quærendum vero magis etiam atque etiam videtur. *Id. Brut.* 77. *a med.* Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo: de republica vero non minus vehemens orator, quam bellator fuit. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Tres copiarum partes Helvetios id flumen traduxisse, quartam vero partem citra flumen reliquam esse. *Cels.* 4. 6. *ad fin.* Ubi æger paullum se remisit, alimenta pleniora dari possunt. Si in refectione vero manserit tussis, intermittere oportebit. *Nepos Alcib.* 4. Postulabat, ut si quid de se agi vellent, potius de præsenti quæstio haberetur, quam absens invidiæ crimine accusaretur. Inimici vero ejus quiescendum in præsentia decreverunt. *Val. Flacc.* 5. 321. Adnuet ipse, reor: neque inexorabile certe Quod petimus: sin vero preces et dicta superbus Respuerit, jam nunc animos firmate repulsæ. *Stat.* 2. *Theb.* 187. et quæ Tu potior, Thebane, queri; nos vero volentes Expositique animis. — *b*) Servit transitionibus. *Nepos Epam.* 4. *a med.* Neque vero id satis habuit, sed etc. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 40. Age vero ceteris in rebus quali sit temperantia, considerate. *Id.* 2. *Phil.* 8. *ad fin.* Nec vero tibi de versibus respondebo. *Id. Marcell.* 4. *a med.* At vero hæc tua justitia et lenitas animi florescet quotidie magis. — *c*) *Jam vero, enimvero,* quæ huc pertinent, *V.* suis locis.

Homonym. Discrimen inter partic. *vero* et *autem* V. sub AUTEM.

VĔRŪTĀRĬUS, ii, m. 2. (verutum) miles, qui verutum jaculatur. *Lyd. De mag. Rom.* 1. 46.

VĔRŪTUM, i. *V.* voc. seq.

VĔRŪTUS, a, um, adject. (veru). ¶ 1. Est in verus formam confectus. *Grat. Cyneg.* 110. tum stricta verutis Dentibus et geminas subfere hastilia furcas. *h. e.* mucronibus longis et instar verus prominentibus additæque furcæ geminæ, quibus duplex feris vulnus inferri posset. ¶ 2. Est etiam veruto instructus, *armato di verretone. Virg.* 2. *G.* 168. Assuetumque malo Ligurem Volscosque verutos extulit. Ita leg. *Ribbeck;* minus recte *Lips.* aliique *veruto. Enn. Ann. rel.* 355. *Vahl.* cursus quingentos sæpe veruti. — Hinc

*Verutum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, genus jaculi, id est hastile, quod veru præfixum habet et etiam *veru* dicitur, *verretone,* ὀβελός, σαύνιον. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 555. 2. *Merc.* Axibus eminebant in modum ericii militaris veruta binum pedum. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Transfigitur scutum Pulfioni et verutum in balteo defigitur. Sunt qui leg. apud *Virg.* 2. *G.* 168.; sed *V.* supra. *Varro Sat. Menipp.* 63. *p.* 176. *Oehl.* Cervos sectari verutis. *Sil. It.* 3. 363. tenui pugnax instare veruto. — Verutum militare sui temporis definit *Veget.* 2. *Milit.* 15., cujus *loc. cit.* V. in VERUCULUM. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 14. et 4. *ibid.* 29.

VERVA, æ, f. 1. (vervex) significare videtur caput vervecis, *testa di castrone.* Hoc autem olim, ad ornatum, ut etiamnum fieri solet, in ædificiorum zophoris, præsertim in ararum frontibus, insculpebatur. *Inscr.* optimæ notæ, Patavii reperta ann. MDCXCVI., quæque ibidem exstat, mendosa apud *Fabrett.* p. 485. n. 160. (*Orelli* n. 3676.) M. IVNIVS SABINVS IIII. VIR. AEDILICIAE POTESTAT. E LEGE IVLIA MVNICIPALI PATRONVS COLLEGI CENTONARIORVM FRONTEM TEMPLI VERVIS ET HERMIS MARMOREIS PECVNIA SVA ORNAVIT ET TVITION. DEDIT HS. ∞ ∞. V. *Galleria di Minerva T.* 1. *p.* 130. Alii *vervis* pro *veruis,* sc. verubus, interpretati sunt (V. *Bullett. dell'Istit. arch. a.* 1848. *p.* 103.); sed vocem confirmat *Inscr.* apud *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 1019. *Siquis* MARMOREIS.... VERVA AQVA CASTELLO PVBLICO etc., h. e. *mascherone a foggia di testa d'ariete,* ut exponit *Promis Voc. di Arch.* p. 213.

VERVACTOR, ōris, m. 3. (vervago) qui vervagit. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 21. *V.* IMPORCITOR.

VERVACTUM. *V.* voc. seq.

VERVĀGO, āgis, actum, āgere, a. 3. Vox composita esse videtur ex *ver* et *ago,* euphoniæ gratia, digammate inserto (V. *Plin. loc.* infra *adl.*); nisi malis ab *arvum* et *ago* derivare. — Part. *Vervactus* et *Vervagendus.* — Vervago itaque est vere ago seu vere terram verto, proscindo, vel arvum subigo. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *sub init.* Agri uliginosi et mediocris habitus sub æstate vervagendi sunt: macerrimi vero et aridi post æstatem primo auctumno arandi. — Part. præt. absolute tantum, substantivorum more, adhibetur, et est

*Vervactum, i,* n. 2. quo significatur ager vere proscissus deindeque quiescens usque ad sequentem auctumnum, quo sementis fit: quasi *vere actum:* cui opponitur ager *restibilis,* νέατος, νεάτη. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (176). Quidam utique ab æquinoctio verno proscindi volunt. Quod vere semel aratum est, a temporis argumento vervactum vocatur. Hoc in novali æque necessarium est. *Varro* 1. *R. R.* 34. Illud quoque multum interest in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis; an in vervacto, quæ interdum requierit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Quæ mense Januario vervacta fecimus, nunc ultima parte Martii sunt iteranda. Ex his *Colum.* verbis sunt qui notationem *Plinii* improbant modo adlatam: quia mensis Januarius ad ver non pertinet. Sed dici potest *Plinium* posuisse *ver* lata significatione pro initio anni, quo labores suos resumunt agricolæ. *Vervactum* habet etiam *Cato R. R.* 27. et *Pallad.* 4. *R. R.* 2. Apud *Colum.* 2. *R. R.* 10. bis legitur *vervactum* in quibusdam editionibus; sed ibi legendum esse *veteretum,* ad hanc vocem monebimus.

VERVĔCEUS et vervecius, a, um, adject. (vervex) factus ad similitudinem vervecis, *da castrone,* ut *verveceus Juppiter* apud *Arnob.* 5.

p. 171., h. e. Jovis signum vervecis forma cultum sub Ammonis nomine. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VERVĒCĪNA, æ. *V.* voc. seq.

VERVĒCĪNUS (verbecinus *vel* berbecinus), a, um, adject. (vervex) qui est ex vervece, *di castrone. Lamprid. Commod.* 1. Vervecina pellis. *Arnob.* 5. *p.* 157. Capite vervecino, an suillo. *Edict. Diocl.* 4. 3. Caro caprina sive verbecina. — Hinc

*Vervecina, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, caro vervecis, ut *porcina* porci. *Cod. Theod.* 7. 4. 6. Repetita consuetudo monstrabit buccellatum ac panem - et vervecinam etiam. *Theod. Priscian. De diæt.* 6. Berbecina, ovillina, agnina digestibiles sunt. *Gloss. Cyrill.* Προβάτειον κρέας, hæc verbecina. — Parasiti, qui ventri tantum implendo operam dabant, præferebant vervecinam agninæ, quæ, ut tenerior, haud adeo saburrando abdomini idonea est. *Plaut. Capt.* 4. 2. 39. et 40. *V.* etiam VERVINUS.

VERVĒCŬLUS (berbeculus), i, m. 2. *deminut. a* vervex, exiguus vervex, *piccolo castrato.* Tribuitur a quibusd. *Petron. fragm. Tragur.* 37. et 67. *Burmann.* Sic *Reines.*, sed *Bücheler* aliter leg. *V.* BABÆCALUS.

VERVELLA (verbella), æ, f. 1. *deminut. a* vervex, parvus vervex, τιροβάτιον. Legitur in *Excerpt.* ex *Charis. p.* 553. 28. *Keil.* Adde *Gloss. Cyrill.* Cf. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 204.

VERVEX, ĕcis, m. 3. Scribitur et *verbex* vel *bervex, berbex, verbix* vel *berbix,* ut in *Gloss. Cyrill.*, apud *Bed. De orth. p.* 294. 5. *K., Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 336. 8. et in cod. opt. non. apud *Vopisc. Aurel.* 50. — Vervex est mas inter oves, cui inversi sive adempti sunt testiculi, κριὸς ἐκτετμημένος (It. *castrone, castrato;* Fr. *mouton, castrat;* Hisp. *carnero, castrado;* Germ. *der Hammel, Schöps;* Angl. *a wether*): nam qui ad generandam sobolem integer tenetur, *aries* dicitur.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 98. *Müll.* Is, cui ovi mari testiculi dempti, ideo, ut natura versa, vervex declinatur. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 55. Quod genus sacrificii Lare vervecibus fiet. *Plaut. Capt.* 4. 2. 40. Qui petroni nomen indunt verveci sectario. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 189. 30. *Merc.* et *Apul.* 8. *Met.*

II.) Translate dicitur de homine stupido, stolido, ignaro, *stupido, ciompo, babbeo. Plaut. Merc.* 3. 3. 6. Itane vero, vervex, intro eas? *Juvenal.* 10. 50. Vervecum in patria crassoque sub aere nasci. *Seneca Const. Sap.* 17. Chrysippus ait, quemdam indignatum, quod illum aliquis vervecem marinum dixerat. *Petron. Sat.* 57. Quid rides, vervex?

VERVĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VERVĪNUS, a, um, adject. (vervex) ad vervecem pertinens. Hinc *vervina, æ,* absolute, caro vervecis. *Ennod. Dict.* 2. Hic mactata per lanistas hostiarum multitudo, quidquid Deus est, effugavit, dum terra, sanguis, tora, vervinæ idolis exhibentur. Legitur et *in Not. Tir. p.* 175. Vervex, vervina, vervecina.

VĒSĀNĬA (væsania), æ, f. 1. (vesanus) vecordia, amentia, stultitia, παραφροσύνη, μανία (It. *pazzia;* Fr. *folie, démence;* Hisp. *locura, demencia;* Germ. *der Wahnsinn, die Raserei;* Angl. *madness, insanity*). *Horat.* 2. *Sat.* 3. 174. Extimui, ne vos ageret vesania discors. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (129). Ulysses simulata vesania bovem cum equo jungens. *Alii rectius leg.* insania. Adde *Val. Max.* 9. 2. *n.* 4., *Flor.* 3. 16. et *Ammian.* 14. 2. 15.

Homonym. Discrimen inter *insaniam* et *vesaniam* subtilius in eo statuit *Döderlein,* quod qui *insaniâ* laborat, rectam mensuram rectumque finem excedit; qui vero *vesaniâ,* a recto tramite aberrat sibique falsam metam consequi proponit. — Porro ab utraque distat *furor;* nam furiosus ita agitatur ut neque corpore neque animo consistat, *insanus* non habet mentem integram et ob hoc non servat modum minusque sapit quam stultus: *furor* est ad tempus, *insania* perpetua est: *furor* cadere potest in sapientem, non *insania.* Ad rem *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Furorem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatem; quod quum majus esse videatur quam insania, tamen ejusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania. Cf. *Liv.* 22. 39. *V.* FUROR et INSANIA, bisque ibi omissa suppleas.

VĒSĀNĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĒSĀNĬO, is, ire, n. 4. (vesanus) Part. *Vesaniens.* — Vesanio est stulte ago, vesanus sum, furore agitor, παραφρονέω, μαίνομαι (It. *impazzire, infuriare;* Fr. *être fou, être furieux;* Hisp. *estar loco, estar furioso;* Germ. *rasen,* v. *Wahnsinn ergriffen sein;* Angl. *to be or become mad, rage*).

I.) Proprie. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 30. At ille *(Ambrosius)* dicebat, contra Deum vesanire Theodosium.

II.) Translate. *Catull.* 25. 14. velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

VĒSĀNUS *et* væsanus, a, um, adject. Vox composita est ex particula *ve,* quæ hic vim habet minuendi (*V.* VE), et *sanus.* — Sup. *Vesanissimus* I. — Vesanus est male sanus, insanus, demens, παράφρων, μανιώδης (It. *pazzo, furioso;* Fr. *fou, insensé, furieux;* Hisp. *loco, furioso;* Germ. *wahnsinnig, unsinnig, rasend;* Angl. *mad, furious, insane*).

I.) Proprie. *Cic. Dom.* 2. 3. Illud a te, homine vesano ac furioso, requiro, quæ te tanta pœna scelerum tuorum vexet, ut etc. *et ibid.* 21. 55. Hæc furiosa vis vesani tribuni pleb. facile superari frangique potuit. *Horat. Art. P.* 455. Vesanus poeta. *Id.* 3. *Od.* 29. 19. leo. *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 114. remex. *Plaut. Men.* 3. 2. 51. Homo vesanissimus. Ita leg. *Schoell;* alii *insanissimus.*

II.) Translate. *Propert.* 1. 8. 5. vesani murmure ponti. Cf. *Virg.* 9. *Ecl.* 43. Sic *Manil.* 5. 543. Vesanum mare. *h. e.* furentibus ventis agitatum. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 25. In me vesanas habui dispendia vires. *Liv.* 7. 33. *ad fin.* Oculos sibi Romanorum ardere visos ajebant vesanosque vultus et furentia ora, *h. e.* turbatos, torvos, terribiles, quales dementium esse solent. *Id.* 9. 13. Omnia ira militaris prope vesano impetu egit. *Lucan.* 8. 401. spolia vesana meroque Regia. *Propert.* 2. 7. 48. Candida vesana verberat ora manu. *Virg.* 9. *Æn.* 340. Vesana fames. *h. e.* male suada et vesanos faciens. *Catull.* 100. 7. Quum vesana meas torreret flamma medullas.

VESCANDENS, entis, adject. pro *biscandens.* Legitur in *Inscr.* haud ita pridem reperta atque edita a cl. *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1876. *p.* 23. et est bipartitus, ut ibi exponitur.

VESCĬTUS et

VESCO, is, ere. *V.* voc. seq.

VESCOR, vescĕris, vesci, dep. 3. — *a*) *Priscian.* 11. *p.* 921. *Putsch.* tradit, præteritum non habere ideoque et participiis præteritis carere. Contra *Cledon. Art. p.* 1916. *ibid. Vescor,* dubium, utrum *vescitus* dicatur, aut forte ideo *vescor,* quia non facit *vescui.* At *Charis.* 3. *p.* 221. *Vescitus sum* nemo dicit. — *Vescier,* parag. pro *vesci,* apud *Sedul. carm. Pasch.* 3. 250. — *b*) *Vesco, is,* formâ activâ, *V.* infra. — *c*) Ratione habita etymi, videtur esse a voce *esca,* cum præposito digammate: at recentiores a rad. Skr. *ghas,* ejusd. significationis, derivatum putant. — Part. *Vescens* sub *A* I. 1. *a; Vescendus* sub *A* I. 1. *a* et *B* 1. et 2. — Vescor est cibo utor, pascor, ἐσθίω, ἔδομαι (It. *cibarsi, mangiare;* Fr. *se nourrir, manger;* Hisp. *comer, alimentarse;* Germ. *sich damit füllen, speisen, geniessen;* Angl. *to live or feed upon, eat*). Usurpatur duplex forma *vescor* et *vesco:* illa intransitive et etiam transitivorum more; hæc transitive.

*A*) Deponentium forma et quidem

I.) Intransitive *vescor* est cibo utor, pascor: et adhibetur absolute vel cum Abl. rei, qua quis vescitur, sine aut cum præp. *ex, de.* ¶ 1. Proprie. — *a*) Absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 15. Vescere, sodes. *Sueton. Aug.* 76. Vescebatur et ante cenam. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (26). Delphinus ex hominum manu vescens præbensque se tractandum. *Vulg. interpr. Thren.* 4. 5. Verci voluptuose. — *Vescendi causa,* alimentorum causa: phrasis JCtorum, *Ulp. Dig.* 28. 8. 7. et *ibid.* 37. 10. 5. § 3. et *Labeon. ibid.* 36. 4. 14. Etiam *Sall. Cat.* 13. Vescendi causa terra marique omnia exquirere. — Passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Qua pecude (sus), quia erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. Similiter *Plin.* 21. *Hist. nat.* 56. 16. (96). Radix ejus vescendo est decocta. *è buona da mangiare.* — *b*) Cum Abl. *Sall. Jug.* 94. *ad fin.* Numidæ plerumque lacte et ferina carne vescuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 59. Dii nec escis nec potionibus vescuntur. *Id.* 5. *Tusc.* 32. 90. Vesci lacte, caseo, carne. *Id.* 2. *Fin.* 28. 92. nasturtio. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 14. piris. *Id.* 2. *Od.* 14. 10. munere terræ. *i frutti della terra.* (Cf. Homericum οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι.) *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 32. (63). Iidem (*olores*) mutua carne vescuntur inter se. *Vulg. interpr. Dan.* 4. 9. Vesci ex aliqua re. — *Id.* 2. *Reg.* 9. 13. De mensa alicujus. Cf. *Curt.* 5. 2. 14. in mensa. ¶ 2. Translate seu per catachresin est uti, frui. *Pacuv.* apud *Non. p.* 416. 2. *Merc.* Qui veget, vescatur armis, ut percipiat præmium. *Acc.* apud *eumd. ibid.* Num pariter videor pasci vesci præmiis? *Lucret.* 5. 73. Quove modo genus humanum variante loquela Cœperit inter se vesci per nomina rerum. *convivere, trattare insieme. et ibid.* 855. vesci vitalibus auris. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 546. si vescitur aura Ætheria. *Cic.* 5. *Fin.* 20. *a med.* Si gerendis negotiis orbatus possit paratissimis vesci voluptatibus.

II.) Transitivorum more, cum Accusativo, est edo, comedo, *mangiare.* ¶ 1. Proprie. *Acc.* apud *Non. p.* 415. 17. *Merc.* Aut eamdem vescatur dapem. *Tibull.* 2. 5. 63. sic usque sacras innoxia lauros Vescar. *Tac. Agr.* 28. Uti infirmissimos suorum sorte ductos vescerentur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (203). Si caprinum jecur vescantur. *Phædr.* 1. 31. Illæ (*columbæ*) credentes, tradunt sese miluo, Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas. ¶ 2. Translate pro haurire oculis, visu usurpare, videre. *Acc.* apud *Non. p.* 56. 12. *Merc.* Priusquam infans esses, facinus oculi vescuntur tui. Ita leg. *Lips.* et *Turneb.* Alii omittunt *esses.* V. INFANS.

*B*) Forma activa est idem ac vescor transitivorum significatione. ¶ 1. Generatim. *Tertull. Jejun.* 5. ex *Num.* 11. 4. Quis nos vescet carne? Adde *Hieronym. contra Jovinian.* 2. et *Not. Tir. p.* 155. — Passive. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 20. (41). Cæpas coctas dysentericis vescendas dedere. *Isid.* 26. *Orig.* 2. 27. Pulpa dicta, quod cum pulte olim mixta vescebatur. ¶ 2. Specialim est alere, nutrire. *Ulp. Dig.* 42. 5. 33. Deminutio ex his bonis fieri debet, vescendi pupilli causa.

VESCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* vescus, aliquantum gracilis, macilentus, male curatus, *sottile, debole, macilento. Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 379. 4. *Müll.* Vesculi male curati et graciles homines. *Ve* enim syllabam rei parvæ præponebant, unde Vejovem parvum Jovem et vegrandem fabam, minutam dicebant. — Translate apud *Plaut. Trin.* 4. 2. 46. Est minusculum alterum, quasi vesculum vinarium. Ita *Ritsch.* et *Br.* pro vulg. *vasculum.*

VESCUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, vox composita videtur ex *ve* et *esca,* ut *vescor.* — Vescus ambiguam habet significationem, ut ait *Gell.* 5. 12. et 16. 5. Aliter enim, inquit, Lucretius (1. 326.) vescum salem dicit, ex edendi intentione; aliter Lucilius (apud *Non. p.* 186. 32. *Merc.*) vescum appellat cum edendi fastidio. Hæc *Gell.* Sic *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 368. 14. *Müll.* Vescus, fastidiosus; ve enim pro pusillo utebantur. Lucretius vescum dixit edacem, quum ait etc. Itaque modo significat edacem. *Lucret. loc. cit.* Nec mare quæ impendent vesco sale saxa peresa. Et modo edendi fastidio laborantem: atque adeo minutum, gracilem, parvum: quia qui cibum fastidit, junceus, macer exilisque fit. *Lucil. loc. cit.* Quam fastidiosum ac vescum cum fastidio

edendi vivere. Ita *Forcell.* Igitur *vescus* ¶ 1. Est edax: et translate qui absumit. *Lucret.* 1. 326. ¶ 2. Et etiam sine appetitu edendi, fastidiosus. *Lucil.* apud *Non. loc. cit.* Cf. *Gloss. Philox.* Vescus, ὀλιγόσιτος. ¶ 3. Hinc exilis, tenuis, macer, gracilis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (81). Corpore vesco sed eximiis viribus Tritannus in gladiatorio ludo. *Afran.* apud *Non. p.* 187. 3. *Merc.* At puer est vescis imbecillus viribus. *Ovid.* 3. *Fast.* 445. vegrandia farra coloni, Quæ male creverunt vescaque, parva vocant. Huc trahit *Servius* illud *Virg.* 3. *G.* 175. Nec vescas salicum frondes ulvamque palustrem. *h. e.* siccas et teneras, inquit *Servius,* ubi pro *siccas* quidam putant legendum *vietas.* Addit *Servius,* et telas aranearum *vescas* vocari. At in illo ejusdem 4. 131. verbenasque premens vescumque papaver, *vescum* interpretatur edule: quo sensu etiam *vescæ frondes* intelligi posse videntur in adl. *Virg.* loco. Cf. et *Philarg.* ad *Virg.* 3. *G.* 175. et 4. *ibid.* 131.

VĔSĪCA, æ, f. 1. Scribitur et *vensica,* ut est apud *Cap. p.* 2246. *Putsch.* et legitur in optt. codd.; hinc *vensicula* apud *Lucret.* 6. 130. *L.* — Etiam *vessica* duplici *s,* teste *Rose* ad *Plin. Valerian.* et *Gargil.* et optt. codd. *Martial.* 4. 49. — *Besica* cum *b* scribitur apud *Adamant.* apud *Cassiod. Orth.* 5. — Ad etymon quod attinet, *Isid.* 11. *Orig.* 1. 137. derivat a *vas,* quia, ut ait, sicut vas aqua, ita de renibus urina collecta completur. Cf. *Furlanetto* putat esse a Gr. φῦσα ejusd. significationis, vel a sono, quem efficit compressa, ut innuit *Caper loc. cit.* Recentiores vero conferunt cum Skr. *vasti* ejusd. significationis. — Vesica est urinæ receptaculum in corpore animalis, folliculus, in quo urina colligitur infra alvum a priore parte, κύστις, κύστη (It. *vessica* o *vescica;* Fr. *vessie;* Hisp. *vexiga;* Germ. *die Blase, Urinblase;* Angl. *the bladder*).

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 1. 3. 18. Nolo quod in vesicam est, in ventrem volo. *Cic.* 2. *Fin.* 30. 97. Tanti autem morbi aderant vesicæ et viscerum. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 46. displosa sonat quantum vesica, pepedi. *Apul.* 1. *Met.* Vesicam exonerare. *Spartian. Caracall.* 7. levare. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. 75. provocare. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 21. (67). Vesicæ difficultates. Adde *Apul. Herb.* 1. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. 60. Vesicæ collectio, ulcus, durities, scabies (ψωρίασις), capillatio, paralysis, calculatio etc. *Id. ibid.* 73. strictura. — *Vesica queritur,* proverbium est, quo significatur illud, quod Itali dicunt *scompisciarsi dalle risa.* Utitur eodem *Tertull. Apolog.* 48. At enim Christianus si de homine hominem ipsumque de Cajo Cajum reducem repromittat, statim illic vesica queritur. *h. e.* quisque sibi manu vesicam premit, ut solent pueri, qui mingendi necessitatem ulterius ferre nequeant.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro tumore instar vesicæ. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (51). Allium illinitur attritis corporum partibus, si in vesicas intumuerint. ¶ 2. Item pro muliebri inguine. *Juvenal.* 1. 38. qui testamenta merentur Noctibus, in cælum quos evehit optima summi Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ. Adde 6. 64. ¶ 3. Item pro podice. *Plaut. Cas.* 2. 8. 21. Ecfodere hercle hic volt credo vesicam villico. ¶ 4. Et pro pelle vesicæ tenui et pellucida. *Martial.* 14. 62., cujus lemma *Laterna ex vesica:* Cornea si non sum, numquid sum fuscior? aut me Vesicam, contra qui venit, esse putat? *Id.* 8. 33. Fortior intortos servat vesica capillos. *scil.* qua utebantur natantes, ne capilli madefierent. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). Qui minium poliunt, faciem laxis vesicis illigant, ne in respirando pernicialem pulverem trahant. — Alio usu apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 48. ¶ 5. Et pro crumena ex vesica. *Varro* 3. *R. R.* 17. Illæ autem piscinæ nobilium magis ad oculos pertinent, quam ad vesicam et potius marsupium domini exinaniunt, quam implent.

III.) Metaphorice. *Martial.* 4. 49. A nostris procul est omnis vesica libellis: Musa nec insano syrmate nostra tumet.

VĔSĪCĀLIS, e, adject. (vesica) ad vesicam pertinens. *Plin. Valerian.* 2. 38. Herba vesicalis. *V.* voc. seq.

VĔSĪCĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VĔSĪCĀRĬUS, a, um, adject. (vesica) ad vesicam pertinens, ut *vesicaria aqua* in Tuscia, *Marcell. Empir.* 26. *sub init.,* quæ scilicet vesicæ medetur. *V.* integrum *Marcelli* loc. Adde *Scribon.* 146. — Hinc

*Vesicaria, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, herba, quæ vesicæ medetur, ἁλικάκαβος. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (177). *de strychno.* Halicacabum vocant et alii callion: nostri autem vesicariam, quoniam vesicæ et calculis prosit.

VĔSĪCO, as, āvi, are, n. 1. (vesica) in vesicam excresco. *Theod. Priscian.* 1. 28. Quibus vero perniones jam vesicaverint, raphanos tundes, et ex eorum suco bene proderunt linimenta.

VĔSĪCŬLA (vensicula), æ, f. 1. *deminut. a* vesica, parva vesica, *vescichetta,* κυστίδιον. ¶ 1. Universim. *Lucret.* 6. 130. quum plena animæ vesicula parva Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente. *Lachm.* et *Bern.* leg. *vensicula. Gloss. Labb.* Vesicula, ὑδατίς. Adde *Theod. Prisc.* 4. et *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 103. ¶ 2. In herbis quibusdam vesiculæ dicuntur folliculi, quibus semen includitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Et pulejum aridum florescere brumali ipso die, et inflatas rumpi vesiculas et semina malorum, quæ in his mediis inclusa sint, in contrarias partes sese vertere. ¶ 3. De gutture dixit *Vulg. interpr. Lev.* 1. 16. Vesicula gutturis. *gozzo.*

VĔSĪCŬLŌSUS, a, um, adject. (vesicula) vesiculis, bullis seu tuberculis plenus. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. 171. Si quidquam per clysterem fuerit redditum, erit connexum pinguibus ac vesiculosis. *Hallerus* hic legendum putat *viscosis.*

VESPA, æ, f. 1. duo diversa significat.

*A) Vespa,* gen. femin., est insectum volucre aculeatum, apis simile, ἀνθρήνη (It. *vespa;* Fr. *guèpe;* Hisp. *abejorro;* Germ. *die Wespe;* Angl. *a wasp*).

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 16. *circa med.* Est lato ventre vespa, quæ similitudinem habet apis, neque socia est operis et nocere solet morsu, quam apes a se secernunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 21. 24. (71). Vespæ in sublimi e luto nidos faciunt et in his ceras: crabrones in cavernis aut sub terra. Et horum omnium sexangulæ cellæ etc. *Id.* 20. *ibid.* 13. 51. (133). Folia rutæ valent contra vesparum aculeos. *Phædr.* 3. 13. Lis (*apum et fucorum*) ad forum deducta est, vespa judice. — De remediis contra earum ictus *Plin.* 20. *Hist. nat.* 16. 65. (173). et 21. *ibid.* 20. 86. (149). et *alibi.* — De vespis, quæ ichneumones appellantur, *V.* ICHNEUMON.

II.) Translate. *Vulg. interpr. Sap.* 12. 8. Sed et his tamquam hominibus pepercisti et misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paullatim exterminarent.

*B) Vespa,* gen. masc., sic exponitur apud *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 368. 17. *Müll.* Vespæ et vespillones dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt; non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VESPER (vespĕrus), vespĕri, m. 2. *et* vespĕris, 3. — *a) Vesper* etiam neutr. gen. usurparunt veteres, ut *Varro* 9. *L. L.* 73. *Müll.* Novissimum vesper. Sic 7. *ibid.* 50. Alterum vesper. Ita leg. *Lachm.* V. *Mus. Rhen. a.* 1845. *p.* 612. — *Vespere* aptotum V. in *Anecd. Helv. p.* 178. ed. *Hag.* (et infra sub *B* II.) — Etiam *vesperum, i,* n. 2. *ibid.* — *b)* Duplex ablativi positio in *e* et *i* in usu est: sed in *i* frequentior, quum tempus diei significatur. *Cic.* 13. *Att.* 47. Lepidus ad me heri vesperi litteras misit. *jersera.* et 2. *Orat.* 3. *a med.* Quum ad me in Tusculanum heri vesperi venisset Cæsar de Tusculano suo. et 1. *Acad.* (*post.*) 1. 1. Venisse eum Roma pridie vesperi. Sic *Ter. Heaut.* 1. 1. 15. Numquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revertor, quin etc. *tanto tardi.* At *Cic.* 11. *Att.* 12. Mihi a te litteras reddidit a. d. VIII. Id. Mart. vespere. — *c)* Vox est a Gr. Ἕσπερος, converso spiritu aspero in *v* consonam, quæ ab ἕσπομαι, sequor, quasi solem sequens, ut Φωσφόρος, lucem ferens, Lucifer. Hinc *Terentian. De metr.* 650. Hesperum quem dico Græce, vesperum cognominat. Radix tamen videtur esse aliis Skr. *vas,* tegere, velare, addita terminatione; aliis *vas,* lucere, et *pr,* transire. Cf. etiam *Bopp Gr.* II. 190. — Quidquid sit de etymo, vesper duo præcipue significat; est enim

*A)* Stella ex errantibus, eadem quæ Venus, quæque etiam nomine a Græca lingua petito Hesperus dicitur, medium inter Solis et Mercurii sphæras situm obtinens.

I.) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (36). Infra solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum ipsisque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præveniens quippe et ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem vicemque Lunæ reddens. *Virg.* 1. *G.* 251. Illic sera rubens accendit lumina Vesper. *Horat.* 2. *Od.* 9. 10. Vespero surgente. — Cum casu adpositionis. *Manil.* 4. 597. In quo sinus pontum recipit, qui Vespere ab astro etc. — *Nescis, quid Vesper serus vehat,* titulus, quo a *Varrone* inscripta fuit una ex satiris Menippeis, ut auctor est *Gell.* 13. 11. et ex eo *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. Proverbialis est, sicut sunt et alii plerique, quo salubriter admonemur, ne præsentium successuum prosperitate sublati futuri curam abjiciamus, neque ulla de re securi simus, prius quam exitum viderimus. Nec dubium, quin eodem respexerit *Virg.,* quum 1. *G.* 461. de Solis prognosticis tractans ait: Denique quid Vesper serus vehat. *et Liv.* 45. 8. *ad fin.* qui scripsit, In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet nec præsenti credere fortunæ, quum quid Vesper ferat, incertum sit.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur pars cæli, qua sol occidit, *occidente. Ovid.* 1. *Trist.* 2. 27. modo purpureo vires capit Eurus ab ortu: Nunc Zephyrus sero vespere missus adest. ¶ 2. Et qui terram occidentis incolunt. *Sil. It.* 3. 325. Necnon totus adest vesper populique reposti. Cf. *Lucan.* 7. 17.

*B)* Tempus vespertinum, δείλη (It. *sera;* Fr. *le soir;* Hisp. *tarde;* Germ. *der Abend;* Angl. *the evening*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Cæs.* 2. *B. C.* 43. Magistris imperat navium, ut primo vespere omnes scaphas ad litus appulsas habeant. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Atque ibi se occultans perpotavit usque ad vesperum. *Virg.* 3. *G.* 336. Solis ad occasum quum frigidus aera vesper Temperat et saltus reficit jam roscida Luna. *Sall. Jug.* 56. et 114. Et jam diei vesper erat. Adde loc. *Ter.* et *Cic.* initio adlat. — *De vesperi suo vivere,* proverb. apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 5., h. e. de suo vivere, domicenio apud se uti, non indigere cena olim foris parta; vesper enim cenæ olim fuit tempus. Porro qui re familiari abundant nec opus habent aliorum mensas captare, otiosiores esse solent iis, quos res angusta domi cogit apud alios quærere, unde saturi fiant. Simile est illud *ejusd. Rud.* 1. 2. 91. Si tu de illarum cenaturus vesperi es, illis curandum censeo: si apud me esurus es, mihi dari operam volo. ¶ 2. *Vesper sabbati* apud *Vulg. interpr. Matth.* 28. 1. est idem ac transacto sabbato, seu quum nox sabbati magna ex parte jam esset transacta. Græce est ὀψὲ δὲ σαββάτων, quod idem est ac ὀπίσω δὲ σαββ. V. *Bretschn. Lex.* et *Van Steenkiste* in *h. l.* Hinc *Schol.* ad *Sedul.* 1. 164. Vespere, quod est aptotum, dicitur ante ortum solis, ut est: vespere autem sabbati. — Duplex apud Hebræos *vespera* erat: prima ab hora nostra II. vel, ut nunc dicimus, diei hora XIV. circiter ad solis occasum; altera ab occidente sole inchoabatur: inter utramque vesperam agnus Paschalis immolabatur. *Exod.* 12. 6. et 29. 41. Alii tamen aliter rem exponunt.

II.) Tropice sumitur pro ipsa cena, quæ et *vesperna* dicitur. *Plaut. Most.* 1. 1. 63. Ego ire in

Piræum volo, in vesperum parare piscatum mihi. *per la cena.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Homonym. Differunt inter se *vesper, vespere, vesperum, vespera,* si *Virgilio* grammatico credimus (*Anecd. Helv. p.* 178. ed. *Hag.*); nam *vesper* dicitur quotiescumque sol nubibus tegitur: *vespere* vocatur ab hora nona sole descensum inchoante: *vesperum* est, dum, sole occidente, dies deficit: *vespera* est, quum lucis oriente aurora nox finitur. Hæc tamen auctores non servant, V. *Traube* in *Archiv* etc. *E. Wölfflin.* 1889. VI. *p.* 263.

VESPĔRA, æ, f. 1. *V.* VESPERUS, a, um.

VESPĔRĀLIS, e, adject. (vesper) vespertinus, occidentalis. *Solin.* 9. Macedoniam præcingit Thracius limes: meridiana Thessaliæ Epirotæ tenent: a vesperali plaga Dardani sunt et Illyrii.

VESPĔRASCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VESPĔRASCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vesper) Part. *Vesperascens.* — Vesperasco est advesperascere, serum seu vesperum diei fieri, *farsi sera,* ἑσπεράζω. *Gloss. Cyrill.* Ὀψίζω, vesperasco. *Nepos Pelop.* 2. *ad fin.* Ut vesperascente cælo Thebas possent pervenire. *Tac.* 16. *Ann.* 34. Vesperascente jam die. Adde *Jul. Valer.* 1. *res gest. Alex. M.* 23. — Absolute *vesperascente,* pro vesperi seu vespere adveniente, apud *Chalcid. Tim.* 109. Interdum mane, interdum vesperascente. *subaud.* cælo vel die. — Impersonaliter. *Ter. Heaut.* 2. 2. 7. Et vesperascit, et non noverunt viam.

VESPĔRASCIT, impers. *V.* voc. præc.

VESPĔRAT, impers. *et*

VESPĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* VESPERO.

VESPĔRĔ. *V.* VESPER.

VESPĔRESCIT, ebat, ere, n. 3. (*inchoat. a* vesper) idem ac vesperascit; quamquam *Isid.* 1. *Diff.* 608. monet, dici *vesperescit,* quando sero fit; *vesperascit,* quando sol ad occasum declinat. Legitur et in *Gloss. Vatic.* VI. 550.

VESPĔRI. *V.* VESPER.

VESPERNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VESPERNUS, a, um, adject. (vesper), per contractionem ab inusit. *vesperinus,* vespere factus. *Apul.* 3. *Met.* Æstus invadit animum vesperni recordatione facinoris. *Alii leg.* vespertini. — Hinc

*Vesperna, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, ab antiquis appellata, quæ postea cena dicta est, quia vesperi eam sumere mos erat. *Fest.* in *Scensas p.* 339. 14. *Müll.* et *Paul. Diac.* ex *Festo* in *Cena p.* 54. 4. *ibid.* Adde *Isid.* 20. *Orig.* 2. 14.

VESPĔRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (vesper) Part. *Vesperatus.* — Vespero est vesperum fieri, *farsi sera. Onom. Lat.* in *Thes.* ed. *Vulc.* Vesperare, ἑσπερίζειν. — Part. *Vesperatus* transitive usurpatur pro ad vesperam perductus. *Solin.* 11. *ante med.* Die jam vesperato. — Ceterum impersonaliter adhibetur: ac.

*Vesperat, abat* etc. *Gell.* 17. 8. Taurus philosophus accipiebat nos Athenis cena plerumque ad id diei, ubi jam vesperaverat. Sic *Dict.* 5. 8. Ubi jam vesperarat.

VESPĔRO, ōnis. *V.* VESPILLO.

VESPERTĪLĬO, ōnis, m. 3. (vesper) Quæ sit mensura antepænultimæ, non satis constat, coll. *papilio, upilio;* nam *Ovidius* et *Sammonicus* per ambages notionem hanc declinarunt, inquit *Müller De re metr. p.* 353. *Auct.* tamen *carm. de Philom.* infra *adl.* producit. — Vespertilio est animal volatile incertæ naturæ, νυκτερίς (It. *pipistrello, nottola;* Fr. *chauve-souris;* Hisp. *murciélago;* Germ. *die Fledermaus;* Angl. *a bat or rear-mouse*); est enim mediæ cujusdam inter avem et murem speciei, ut mus alatus dici possit. Volat enim pellitis alis, sed inter volucres non est habendus, quod quattuor pedibus graditur pullosque parit, non ova, quos et lacte nutrit. Ita *Macrob.* 7. *Saturn.* 16. Sic *Plin.* 10. *Hist. nat.* 61. 81. (168). Volucrum animal parit vespertilio tantum: cui et membranaceæ pinnæ uni. Eadem sola volucrum lacte nutrit, ubera admovet. Parens geminos volitat amplexa infantes etc. Hæc *Plin.* qui 11. *ibid.* 37. 62. (164). uni volucrum dentes esse affirmat. — Nomen autem habet a *vespere,* quod vespere se ad volatum proferat, ut docet *Ovid.,* qui tacito nomine, ita eum describit, 4. *Met.* 407. parvos membrana per artus Porrigitur tenuique inducit brachia penna *etc.* non illas pluma levavit. Sustinuere tamen se perlucentibus alis: Conatæque loqui, minimam pro corpore vocem Emittunt peraguntque levi stridore querelas: Tectaque, non silvas, celebrans lucemque perosæ Nocte volant seroque tenent a vespere nomen. Adde *Seren. Sammon.* 671.

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 26. (83). Si vespertilio ter circumlatus domui vivus, per fenestram inverso capite infigatur, amuletum est. *Auct. carm. de Philom.* 39. Strix nocturna sonans et vespertilio strident. Adde *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 46. (132). et *alibi,* ubi de ejus usu in remediis agit. — Cultus divinis honoribus fuisse arguitur ex loc. *Vulg. interpr. Is.* 2. 20.

II.) Translate *vespertiliones* ab JCtis vocantur, qui *Senecæ* et *Apulejo* lucifugæ, hoc est qui noctu demum vespertilionum more prodeunt in publicum, ne forte in dominos notosve incidant. Hujusmodi sunt etiam, qui ære alieno obruti interdiu domi delitescunt, metu creditorum. *Ulp. Dig.* 21. 2. 31., ubi alii pro *vespertiliones* legunt *vespillones,* alii *versipelles,* et rectius plerique *vispelliones.* V. BISPELLIO. *Varro* apud *Non. p.* 47. 3. *Merc.* Factus sum vespertilio, neque in muribus plane, neque in volucribus sum.

VESPERTĪNUS, a, um, adject. (vesper) universim ad Vesperum pertinens, ἑσπερινός: speciatim vero et quidem

I.) Proprie est ad Vesperum situs, *occidentale. Horat.* 1. *Sat.* 4. 29. Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio. Adde *Vitruv.* 4. 5. Cf. *Prudent. loc.* infra *cit.*

II.) Translate. ¶ 1. Est ad vesperi tempus pertinens: aut qui vespere fit, *di sera. Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 52. Stella Saturni tum vespertinis temporibus delitescens, tum matutinis rursum se aperiendo. *Id.* 13. *Att.* 23. Antemeridianis tuis litteris rescripsi, nunc respondeo vespertinis. *Id.* 3. *Phil.* 10. 24. Vespertina senatusconsulta. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (203). Si caprinum jecur vescatur, restitui vespertinam aciem his, quos nyctalopas vocant. *h. e.* quæ vesperi minus videt. ¶ 2. Item, apud Poetas, qui vesperi aliquid facit. *Horat. Epod.* 16. 51. Nec vespertinus circumgemit ursus ovile. *Id.* 2. *Sat.* 4. 17. Si vespertinus subito te oppresserit hospes. *Id.* 1. *ibid.* 6. 113. Fallacem circum vespertinumque pererro Sæpe forum. *h. e.* homines vesperi in forum convenientes. *Prudent. Psycom.* 374. Angelicusne cibus prima in tentoria vestris Fluxit avis? quem nunc sero feliciter ævo Vespertinus edit populus de corpore Christi. *h. e.* qui tarde et post Hebræos veri Dei religionem suscepit. Alii aliter interpretantur. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vespertina, æ,* f. 1. ¶ 1. Est hora vespertina. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 24. (84). Qui a nocturnis diis agitantur, draconis felle perunctos matutinis vespertinisque liberari. ¶ 2. Item vesperna. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 14. Cena vespertinus cibus, quam vespertinam antiqui dicebant.

*Vespertinum, i,* n. 2. tempus vespertinum. *Varro* 2. *R. R.* 2. 11. Quoad refrigeratur aër et vespertino rursus pascunt. *di sera,* vesperi. Adde *Vulg. interpr. Ital. Is.* 5. 11. apud *Ambros. De Elia* 15. — *Vespertinum* pro vesperi. *Avien. Prognos.* 116.

*Vespertinus, i,* m. 2. ¶ 1. Est idem ac Vesper. *Vulg. interpr. It. Job* 9. 9. Qui facit Arcturum et Vespertinum et Plejadas. ¶ 2. Item *vespertini,* hymni seu laudes, quæ in Dei honorem vesperi canuntur. *Cassiod.* in *Ps.* 70. 8.

VESPĔRŪGO, ĭnis, f. 3. Ex *Quintil.* 1. 7., videtur *vesperu* antiquitus pro *vesperi* scriptum fuisse, deinde, *g* adjecta, factum *vesperug,* mox *vesperugo.* — Vesperugo duo diversa significat. ¶ 1. Est stella eadem quæ Vesper, Hesperus, Lucifer, Venus. *Vitruv.* 9. 4. *ante med.* Veneris stella, post occasum solis apparens in cælo, Vesperugo vocitatur, aliis autem temporibus eum antecurrens et oriens ante lucem Lucifer appellatur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 119. Nec Jugula neque Vesperugo neque Vergiliæ occidunt. ¶ 2. Usurpatur etiam pro vespertilione. *Tertull. Anim.* 32. Item contraria lumini, quæ cæca in totum vel solis tenebris habent oculos, talpas, vesperugines, noctuas.

VESPĔRUS, a, um, adject. (vesper) vespertinus. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 15. *a med.* Omnino igitur ratione caret vesperum cibo tempus eligere. *et mox ad fin.* Cum vespero tempore dandum jubet. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 60. (183). His horæ rigandi matutina atque vespera. *Forcellinus* substantive usurpatum putat; *recentiores* vero *leg.* matutino atque vespera. *di sera.* Cf. *eumd.* 32. *ibid.* 4. 14. (36). — Hinc

*Vespera, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est pars seu latus ad Vesperum, *ponente. Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (215). Ad vesperam jacentes terræ. *occidentali.* et *Ammian.* 22. 15. 2. A vespera Isiaco disjungitur mari. *a ponente.* ¶ 2. Hinc est extrema diei pars, *sera. Plaut. Curc.* 1. 1. 4. Sive est prima vespera. Sic *Cæs.* 1. *B. C.* 20. (et *Justin.* 18. 4. *ad fin.*) Milites prima vespera secessionem faciunt. Sunt qui leg. *vesperi.* et 1. *B. G.* 26. Quum ab hora septima ad vesperam pugnatum sit. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 6. Si accelerare volent, ad vesperam consequentur. *Id.* 3. *Fin.* 2. *a med.* (et *Marcell. Empir. c.* 16.) Heri, inquam, ludis commissis ex Urbe profectus veni ad vesperam. *Tac.* 3. *Hist.* 19. Inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. — *Vespera,* vesperi, *la sera. Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. (36). Hæc singula et matutina et vespertina (*Sillig.* vespera) dantur, dein post aliquot dies, bina, vespera. *Id.* 13. *ibid.* 18. 32. (109). Tradunt, florem vespera mergi usque ad mediam noctem. *Aurel. Cæsar* apud *Charis.* 2. *p.* 198. *Putsch.* Vespera fatigatus, luce dormitans. *Fronto ibid.* Ad eum vespera in triduum mittant. *Sueton. Aug.* 53. Vespera aut noctu. *Marcell. Empir. c.* 16. Et mane et vespera. Adde *Apul.* 1. *Met.* V. quæ congessit *Hildebr.* ad *h. l.*

VESPĪCES, fruteta densa a similitudine vestis. Ita *Paul. Diac. p.* 369. 3. *Müll.* V. VASPEX.

VESPILLA, æ, m. 1. *deminut. a* vespula, sepulcrorum visitator. *Isid.* in *Gloss.* V. voc. seq.

VESPILLĀTOR, ōris, m. 3. idem ac vespilla, τυμβώρυχος. *Gloss. Cyrill.*

VESPILLO *et* vispillo, ōnis, m. 3. Scribitur etiam *vespillio, vespilo, bispillo, bispellio,* pro diversa vocis notatione. Sunt enim qui a *vespera* vel a *vespa* (quam voc. *V.* sub paragr. 2.) ducunt. *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 143. Qui funeri præerant, a *vespera* primum *vesperones,* deinde *vespillones* dicti videntur. Alii tamen derivant a *vestis* et *spolio* vel *pilo,* quasi mortuorum spoliatores; alii vero a *bis et pellis,* quasi duplici veste tecti; alii aliter. — Vespillo ¶ 1. Est qui pauperiorum cadavera effert, νεκροθάπτης (It. *beccamorti, becchino;* Fr. *croque-mort;* Hisp. *sepulturero;* Germ. *der Leichenträger;* Angl. *a beaver*). *Martial.* 1. 48. Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus. Quod vespillo facit, fecerat et medicus. *Sueton. Domit.* 17. *ad fin.* Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum. Adde *Apul. Florid.* 19. *in fin.* et *Firmic.* 2. *Mathes.* 10. *Sidon.* 2. *Ep.* 8. Vespillonum sandapilariorumque ministeria. — Hinc *Vespillo* per jocum cognominatus est Lucretius ædilis (ejusque posteri *Vespillones*), quod Ti. Gracchi in turba occisi cadaver sua manu in Tiberim impulit et sepultura privavit. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 64. ¶ 2. Sumitur etiam in malam partem pro cadaverum spoliatore. *Fulgent. De prisc. serm.* 3. Vespillones dicti sunt bajuli, quamvis Antidamas Heracleopolites vespillones dixerit cadaverum nudatores. *h. e.* vestibus ea pilantes seu spoliantes. Cf. *Gloss.* apud *Mai* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 550. Vespillo, sepulcrorum violator. *V.* VESPILLA.

VESPŬLA, æ, m. 1. *deminut. a* vespa, quæ vespillonem significat. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 369. 1. *Müll.*

VESTA, æ, f. 1. dea, de qua *V.* ONOM. Origo nominis aliis videtur esse a Skr. *ves,* habitare; aliis vero a Skr. *vas,* lucere, ardere: hinc Græce *ἑστία,* ignis. — Vesta itaque ¶ 1. Pro igne etiam ponitur, et quidem, ut *Forcellinus* ait, *μετωνυμικῶς,* eadem ratione, qua Ceres pro pane et Bacchus pro vino; quippe cui sacer esset ignis, teste *Ovid.* 6. *Fast.* 267. *Virg.* 4. *G.* 384. Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam. Adde *Ovid.* 6. *Fast.* 291. ¶ 2. Item pro templo Vestæ: hinc *æditumus a Vesta* in *Inscr.* apud *Gruter.* 312. 4. V. ONOM.

VESTĀLĬA, ĭum, n. plur. 3. *V.* voc. seq. sub II.

VESTĀLIS, e, adject. *Vestallis* duplici *l* scribitur in *Inscr.* apud *Marini Frat. Arv. p.* 505. — In ablat. *Charis.* 1. *p.* 119. *Putsch.* vult in e desinere, quia «non personam, inquit, sed rem significat». *Nepos fragm. ibid.* A virgine Vestale. Sed et in *i* positionem habet. *Gell. loc. cit.* Qui de Vestali virgine capienda scripserunt. — Vestalis duo significat, prout ad Vestam deam vel ad Vestalem virginem refertur.

I.) *Vestalis* est ad Vestam pertinens. *Ovid.* 6. *Fast.* 395. Vestalia sacra. *Lucan.* 1. 549. Vestalis ara. *et ibid.* 597. chorus. *et ibid.* 199. (et *Tibull.* 2. 5. 54.) focus. *Varro* 6. *L. L.* 17. *Müll.* et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 11. (25). virgo. — Hinc

*Vestalis, is,* f. 3. absolute, substantivorum more, virgo Vestalis seu Vestæ dicata, ignis perpetui custos apud Trojanos, Albanos et Romanos (*V.* VESTA in ONOM.), memorata a *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (39). Fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos: qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 22. *Liv.* 1. 3. Legere Vestalem. — Etiam Tibure, præterquam Albæ et Romæ, fuisse virgines Vestales, ostendunt vetera monumenta. *Inscr.* apud *Marini Frat. Arv. p.* 654. PINGERE EFFIGIEM MA... SEVERINAE VIRGINIS ALBANAE MAXIMAE SORORIS SVAE *etc.* Adde *aliam* apud *eumd. ibid. p.* 663. *Alia* apud *Gruter.* 1088. 2. SAVFEIAE ALEXANDRIAE V. V. TIBVRTIVM CAPLATORES TIBVRTES. *Alia* apud *Fabretti p.* 436. *n.* 25. C. SEXTILIVS V. V. TIBVRTIVM LIB. EPHEBVS. — Vestales Albæ fuerunt exeunte etiam quarto Christi sæculo. V. *Borghesi* in *excerpt. Vatic.* ed. *Mai.* et *Cavedoni App. p.* 33. Adde *Symmach.* 2. *Ep.* 118. — Romæ initio sub Numa quattuor fuerunt, postea sub Tarquinio Prisco duæ additæ, ut ait *Fest.* in *Sex p.* 344. 20. *Müll.* et apud *Paul. Diac. p.* 349. 12. *ibid.* Nempe tot quot erant centuriæ equitum. V. *Niebuhr T.* 2. *p.* 131. Eligebantur a pontifice max. nobilissimæ quæque, patrimæ et matrimæ et nullo corporis vitio deformes aut debiles: ætatis inter sextum et decimum annum: jubebanturque virginitatem servare integros triginta annos, quorum decem primis mysteria et sacra discebant, decem sequentibus sacra faciebant, reliquis alias docebant. Expleto illo tempore, licebat illis nubere, si libuisset. Magna illis privilegia et honores habiti sunt, liberatio a patria potestate, jus testamenti faciendi, decessio in via etiam a magistratibus, summa autcoritas in deprecationibus, graves pœnæ inflictæ illas lædentibus. Sed gravibus pœnis etiam hæ virgines plectebantur, si earum incuria ignis esset exstinctus, aut si virginitatem stupro polluissent; nam prioris delicti rea flagris ad necem cædebatur: alterius viva sepeliebatur. In *Epit. Liv.* 63., apud *Val. Max.* 1. 1. *n.* 6. et 7., *Liv.* 8. 15. et 22. 57. et *Plin.* 4. *Ep.* 11. horum exempla habentur. V. *Gell.* 1. 12., ubi multa de ritu Vestalis capiendæ. — *Tertull.* 1. *Uxor.* 6. inquit: «Romæ quidem, quæ ignis illius inexstinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes, de virginitate censentur». Num Vestales Junoni Sispitæ, in cujus templo draco servabatur, offam offerebant? V. *Eckhel D. N. V. T.* 5. *p.* 294. — De Vestalibus qui plura scripserunt, præsertim legendi *Montfaucon Antiqu. T.* 1. *l.* 2. *c.* 4. et *Lips.* apud *Græv. Antiq. Rom.* 5. 619.

II.) *Vestalis* est ad virginem Vestalem pertinens, ut *oculi vestales* apud *Ovid.* 2. *Trist.* 311., h. e. oculi casti, pudici. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM. — Hinc

*Vestalia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, dies festi, quibus Vestales Vestæ sacrificabant, teste *Varron.* 6. *L. L.* 17. *Müll.* Celebrabantur autem IV. Kal. Maj. et V. Id. Jun., quo tempore etiam asini floribus coronati per urbem circum agebantur itemque molæ sertis ornabantur ac floribus, ut refert *Ovid.* 6. *Fast.* 311. Adde *Prob. App. p.* 196. *K.* et *De nom. exc. p.* 208. *ibid.* — Porro fiebant ad Janum in foro Romano, ut argui potest ex *Ovid.* 2. *Fast.* 395. Cf. *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1850. *p.* 114. et *seq.* et *Corp. Inscr. Lat.* 1. 395.

VESTER *et* voster, tra, trum, pron. possess. — *a*) *Voster, ἀρχαϊκῶς* pro *vester,* in usu est præsertim apud Comicos. V. *Mar. Victorin. p.* 2458. *Putsch.* et *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 208. et alibi. — *Bester* pro *vester* in *Inscr. Neapol. n.* 3137. — *b*) In genet. plur. est *vestrorum, ὑμετέρων;* nam *vestrum* est a recto *vos, ὑμῶν.* Illud est adjectivum, hoc pronomen. *V.* dicta in NOSTER. — Reperitur tamen *vestrorum* pro *vestrum. Pacuv.* apud *Non. p.* 85. 5. *Merc.* Is vestrorum uter sit, cui signum datum est, cette. *Ter. Heaut.* 2. 4. 5. Quum mecum in animo vitam tuam considero omniumque adeo vestrarum. *Plaut. Most.* 1. 3. 123. Maxima pars vostrorum intelligit. — Contra *vostrum* pro *vestrorum* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 34., *Plaut. Mil. glor. v.* 174. et *Enn. trag.* 124. *M.* — c) *Vester* syllabicam *met* non recipit. *Anecd. Helv. p.* 205. 1. ed. *Hag.* Sed aliquando *pte. Priscian.* 12. 24. et 30. *Keil.* V. MET et PTE. — *d*) Vox est a pron. *vos,* ut *noster* a *nos,* adjecta terminatione comparat. *ter* (τερος), ut in Græc. *ἡμέτερος,* ὑμέτερος. — Vester est qui ad vos pertinet, ὑμέτερος (It. *vostro;* Fr. *votre;* Hisp. *vuestro;* Germ. *euer;* Angl. *your*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Adjective, h. e. cum suo substantivo. *Plaut. Amph. prol.* 1. In vestris mercimoniis emundis etc. *Id. ibid.* 58. Teneo quid animi vostri super hac re siet. *Id. Pœn.* 3. 3. 18. Si bene dicetis, vostra ripa vos sequar: Si male dicetis, vostro gradiar limite. *Cic. pro leg. Manil.* 5. 11. Majores vestri sæpe bella gesserunt. Adde *Ovid. Heroid.* 17. 40. — *Liv.* 30. 44. Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. *h. e.* odio, quod in vos est. — Cum verbo num. singularis. *Ovid.* 2. *Trist.* 65. Invenies vestri præconia nominis illic. Sic *Sil. It.* 6. 202. a vestro, Serrane, tributa parente etc. *h. e.* tuo. Hinc *vestra indulgentia, vestra dominatio,* ut Itali (*la*) *vostra signoria* et similia dicimus, passim in *epist. Plin.* — *b*) Absolute. *Plaut. Stich.* 5. 2. 15. Apud nos est convivium: ibi voster cenat. *h. e.* herus vester. *Ter. Eun.* 5. 8. 36. non cognosco vostrum tam superbum. *Tac. Dial. de orat.* 28. Quamquam vestra vobis notiora sunt. *Liv.* 6. 15. Quid ego vos de vestro impendatis hortor? — *Ovid.* 4. *Fast.* 889. Vestrum dare, vincere nostrum est. *h. e.* ad vos pertinet, vestra res est. Adde *Vopisc. Tac.* 9. ¶ 2. Speciatim *vester* est carus, dilectus. *Virg.* 10. *Ecl.* 70. Hæc sat erit, vestrum, divæ, cecinisse poetam. *Horat.* 3. *Od.* 4. 21. Vester, Camœnæ, vester in arduos Tollor Sabinos. ¶ 3. Item vim habet obsequii et fidelitatis, et est devotus, addictus. *Inscr.* in *Annal. dell' Istit. archeol. a.* 1868. *p.* 104. CVRA MARCIANI TRIB. ET VRSICINI P. P. SEMP. (*h. e.* semper) VESTRI. ¶ 4. Item est aptus, opportunus. *Vulg. interpr. Luc.* 22. 53. Sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum. *h. e.* maxime opportuna.

VESTĬĀRĬA, æ, f. 1. *et*

VESTĬĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

VESTĬĀRĬUS, a, um, adject. (vestis) ad vestem pertinens, *da vesti, ἱματικός. Cato R. R.* 11. Mensas duas, abacum unum, arcam vestiariam unam. — *Vestiarius negotiator,* qui vestes facit aut vendit. *Scævola Dig.* 38. 1. 45. Libertus negotiatoris vestiarii an eamdem negotiationem exercere possit. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vestiaria, æ,* f. 1. ¶ 1. Est mulier, quæ vestes conficit et vendit. *Inscr.* apud *Gud.* 200, 1.; quam tamen *Minervini* in *Bullett. Arch. Nap. a.* 1859. *p.* 61. suspectam habet. ¶ 2. Est etiam ars vestium conficiendarum vel res vestiaria. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 5800. V. *Mommsen* ad *h. n.*

*Vestiarium, ii,* n. 2. ¶ 1. Est vestitus, *vestiario. Seneca* 3. *Benef.* 21. Est aliquid, quod dominus præstare servo debeat, ut cibaria et vestiarium. *Colum.* 1. *R. R.* 8. *ad fin.* Ne servi aut in vestiariis aut in ceteris præbitis injuriose tractentur. Adde *Ulp. Dig.* 35. 3. 3. et *Scævol. ibid.* 34. *tit.* 15. 16. 17. etc. ¶ 2. Item locus, in quo vestimenta servantur. *Cato R. R.* 98. Vestimenta ne tineæ tangant, amurca unguito fundum arcæ etc. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (33). Vestiarium contra teredines ac noxia animalia, amurca aspergi. *h. e.* arcam vestiariam. *Cassiod.* 1. *Variar.* 2. *ad fin.* Eoa Tyros est Hydron Italica, aulicum profecto vestiarium. *h. e.* ubi purpura in usum aulæ regiæ tingitur. Adde *Vopisc. Aurel.* 45. et *Augustin. Ep.* 211. *Gloss. Labb.* Vestiarium, *ἱματιοφυλάκιον.* — *Comes vestiarii,* qui præerat susceptioni vestium sacris largitionibus inferendarum. Cf. *Gothofr.* ad *Cod. Theod.* 11. 18. 1. *Notit. Imp. Oc. c.* 10.

*Vestiarius, ii,* m. 2. ¶ 1. Est negotiator vestiarius. *Ulp. Dig.* 14. 3. 5. Etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarii vel lintearii dant vestem circumferendam et distrahendam. *Inscr.* apud *Murat.* 950. 7. C. NONIVS C. I. HILARIO VESTIARIVS. *Alia* apud *Orelli n.* 4296. VESTIARIVS CENTONARIVS. *Alia* apud *Murat.* 944. 5. et 984. 9. VESTIARIVS TENVIARIVS. *et* 939. 6. VESTIARIVS TENVIARIVS MOLOCHINARIVS. quam tamen *Orellius n.* 4297. spuriam censet. Adde *aliam* apud *Henzen n.* 5683. et *n.* 7286. — *Vestiarius a compito* in *Inscr.* apud *Orelli n.* 4294. Cf. COMPITUM. ¶ 2. *Vestiarius* dictus videtur etiam servus vel libertus, cui vestium cura commissa. *Inscr.* apud *Brizzi Sepolcr. sull' Esquil. n.* 136. et apud *Orelli n.* 2970. — Hos etiam in exercitu fuisse, colligitur ex *Inscr.* mutila apud *Rénier n.* 2874.

VESTĪBŬLUM, i, n. 2. Videtur nonnullis esse origine vox adjectiva ex *Inscr.* apud *Rénier* in *Revue arch. a.* 1863. *v.* VII. *p.* 238., ubi legitur CELLAM VE... BVLAM., si *vestibulam* est legendum. — Ratione habita etymi, *Gell.* 16. 5. ex *Sulpic. Apollinari* docet, dictum esse a *ve* particula augente, et *stabulum,* quia grande spatium et lata stabulatio erat ante ædes relicta. Cf. *naustibulum, prostibulum.* Alii vero habere putant significationem negativam, quod non stationi sed transitioni ad interiores ædes inserviret; *ve* enim non modo augendi sed minuendi quoque vim habet. Sunt etiam qui a *Vesta* seu igne derivant, quod ignis, qui est in Vestæ potestate, in vestibulo antiquitus accenderetur. *Ovid.* 6. *Fast.* 301. At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus: Qui tamen in primis ædibus ante fuit. Hinc quoque vestibulum dici reor: inde precando Affamur Vestam, quæ loca prima tenes. *Mommsen* (*St. R. v.* 1. *p.* 211). ait dictum esse a *veste,* ut sit locus, ubi veteres solebant vestes induere, nam domi tunicam gestabant, togam tum solum quum domo exibant. — Quicquid sit de etymo, vestibulum videtur fuisse locus ante ædium januam, inter ædes ipsas et viam relictus, eum in usum, ut qui ædium dominum salutatum venissent, neque in via starent neque in ipsius essent ædibus. *Gell. loc. cit.* Animadverti, quosdam haudquaquam indoctos viros opinari, vestibulum esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat. C. Ælius (*al.* Cæcilius) Gallus in lib. de significatione verborum, quæ ad jus civile pertinent, secundo, vestibulum esse dicit, non in ipsis ædibus neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad ædes est, quum dextra sinistraque inter januam tectaque, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita. Adde *Macrob.* 6 *Saturn.* 8., qui integrum *Gellii* caput transcripsit. Græce est *πρόδρομος, πρόθυρον, προπύλαιον* (It. *vestibolo, ingresso;* Fr. et Angl. ve

*stibule;* Hisp. *vestibulo;* Germ. *der Vorhof, das Vorhaus*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Most.* 3. 2. 130. Viden vestibulum ante ædes hoc et ambulacrum ejusmodi? *Cic.* 4. *Verr.* 66. 160. Ante ipsum Serapim, in primo aditu vestibuloque templi. *Id. Cœl.* 26. 62. Si essent in vestibulo balnearum, non laterent. *Id. Cæcin.* 12. *a med.* Si te domum tuam redeuntem non modo limine tectoque ædium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohibuerint. *Juvenal.* 7. 125. hujus enim stat currus aheneus, alti Quadrijuges in vestibulis. — In eo accendebatur olim ignis, Vestæ sacer, de quo more loquitur *Ovid. loc. supra cit.* ¶ 2. Latiore sensu, vel, ut aliis magis placet, translaticio, dicitur de aditu aliorum locorum. *Gell.* 16. 5. *sub fin.* Vestibulum non semper a veteribus proprie, sed per quasdam translationes est dictum, sicut illud in sexto Virgilii (*v.* 273.) Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci etc., non enim vestibulum priorem partem domus infernæ esse dicit; sed loca duo demonstrat extra Orci fores; ex quibus vestibulum appellat ante ipsam quasi domum et ante ipsa Orci penetralia; fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur. Cf. tamen *Lersch Antiq. p.* 223. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 649. et 6. *ibid.* 555. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 61. Forum, id est vestibulum sepulcri usucapi vetat. *Varro* 3. *R. R.* 7. *ante med. de columbario.* Sub ordines singulos tabulæ fictæ ut sint bipalmes, quo columbæ utantur vestibulo. *Colum.* 8. *R. R.* 3. *circa med. de gallinario,* et *ibid.* 8. Parietibus cavatis, sine qualis vimineis præponenda erunt vestibula, per quæ matrices ad cubilia vel pariendi vel incubandi causa perveniant. *et* 9. *ibid.* 12. Quum sic apis evadit vestibulum, ut nulla latro revolet. *Inscr.* apud *Henzen n.* 2365. Vestibulum et ambitus monumenti. — Etiam urbes suum vestibulum habebant, ut describitur in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 3420. de *Carthagine Nova.* QVISQVIS ARDVA TVRRIVM MIRARIS CVLMINA VESTIBVLVMQVE VRBIS DVPLICI PORTA FIRMATVM DEXTRA LAEVAQVE BINOS PORTICOS ARCOS QVIBVS SVPERVM (*h. e.* super) PONITVR CAMERA CVRIA CONVEXAQVE etc. V. *Hubner* ad *h. n.* — In illo *Liv.* 36. 22. Deserta, quæ in vestibulo urbis erant, tecta. *vestibulum urbis* est suburbium. — Huc pertinet etiam illud *Cic.* 7. *Verr.* 67. *extr.* In conspectu Italiæ vestibulo Siciliæ. *h. e.* in prima Sicilia, scilicet extra urbem Messanam, qua fretum Siculum spectat, ut paullo supra dixit. Itaque hoc loco *vestibulum* non locum extra Siciliam (ut in ædibus extra domum), sed in ipsis Siciliæ finibus significat. ¶ 3. Item de ambitu intra tectum undique clauso. *Cod. Theod.* 9. 3. 1. Ubi vox geminaverit, custodiam, vestibulis carcerum recipi. Cf. *Paulin. Nolan. carm.* 24. 362.

II.) Metaphorice. *Cic. Orat.* 15. *ad fin.* Vestibula nimirum honesta aditusque ad causam faciet illustres. Adde *Quintil.* 1. 5. 7. *Fronto ep. ad M. Cæs.* 4. 3. In vestibulo artis obversari. *Donat.* in *Ter. Andr.* 1. 1. 50. Præparatio quasi vestibulum orationis est.

Homonym. Diversum fuit *vestibulum* ab *atrio,* quicum illud facile confunditur, ut clare satis patet ex loco *Gellii* adducto et manifeste distinguit *Vitruv.* 6. 8. His, qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica vestibula nec tablina neque atria, quod hi aliis officia præstant ambiundo, quæ ab aliis ambiuntur. Cf. tamen *Guhl-Köner, Vita de' Gr. e Rom. p.* 411. sqq.

VESTĬBŬLUS, a, um, adject. *V.* voc. præc. init.

VESTĬCEPS, ĭpis, adject. omn. gen. (vestis et capio) qui ad pubertatem pervenit, hoc est qui major est XIV. annis, quod pube vestiri incipiat, γενειῶν: cui *investis,* h. e. impubes, opponitur.

I.) Proprie. *Gell.* 5. 19. Sed arrogari non potest, nisi jam vesticeps. *Tertull. Anim.* 56. Puta nunc puer investis, puta vesticeps. *Auson. Edyll.* 4. 73. Idem vesticeps motu jam puberis ævi Ad mores artesque bonas produxi. Dixerat *ibid.* 67. multos lactantibus annis Ipse alui, et *mox* 70. Mox pueros molli monitu et formidine leni Pellexi.

II.) Metonymice est corruptus. *Apul. De mag.* Investem a nobis accepisti, vesticipem illico reddidisti. V. *Hildebr.* ad *eumd.* 5. *Met. n.* 28.

VESTĬCONTŬBERNĬUM, ĭi, n. 2. (vestis *et* contubernium) concubitus eorum, qui sub eadem veste cubant. *Petron. Sat.* 11. Quid vesticontubernium facis? *Bücheler* pro *vesticontubernium* leg. *diverti contubernium.*

VESTĬCŎLA, æ, adject. comm. gen. (Vesta *et* colo) qui vel quæ Vestam colit. *Dracont. carm. min.* 7. 21.

VESTĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* vestis, parva vestis, *vesticciuola,* ἱματίδιον. *Paul. Dig.* 33. 7. 18. *sub fin.* Quum in diem mortis ibi libros et vitreamina et vesticulam habuerit. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.,* at *Haloander* minus recte *vestispicam* habet. *Pelagon. Veterin.* 7. 3. Pedunculos tres humanos, sublatos de aliqua vesticula, in aurem dexteram equi mittito. Adde *Augustin. Serm.* 160. *n.* 3.

VESTĬENS, entis, particip. *V.* VESTIO.

VESTĬFEX, ĭcis, comm. gen. 3. (vestis *et* facio) qui vel quæ vestes facit. *Inscr.* in *Effemer. letter. Rom. T. II. p.* 44. (*Orelli n.* 5362.) DIPIRVS (*sic pro* Dipyrus) ANTIGONI VICAR. (*h. e.* vicarius) BENEFICIO HELICONIS SCRIBONIAE CAESARIS VESTICIFIS AN. XIX. *h. e.* Heliconis vestificis Scriboniæ uxoris Augusti.

VESTĬFĬCA, æ, f. 1. (vestis *et* facio) quæ vestes conficit. *Inscr.* apud *Reines. cl.* 9. *n.* 70. et *alia* apud *Gruter.* 578. 6.

VESTĬFĬCĪNA, æ, f. 1. (vestis *et* facio) vestium confectio vel conficiendarum vestium ars. *Tertull. Pall.* 3. *sub fin.* Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque vestificinæ prosecuta etc.

VESTĬFĬCĬUM, ĭi, n. 2. (vestis *et* facio) idem ac vestificina. *Gloss. Labb.* Vestificium, ὑματιοποΐα.

VESTĬFĬCUS, i, m. 2. (vestis *et* facio) qui vestes conficit. *Inscr.* apud *Gruter.* 578. 7. VESTIFICVS CAESARIS A VESTE SCAENICA.

VESTĬFLŬUS, a, um, adject. (vestis *et* fluo) qui fluentibus laxisque vestibus utitur. *Petron. Sat.* 133. quem Lydus adorat Vestifluus. Cf. *Propert.* 3. 17. 32. *Alii perperam leg.* Nilus adorat Septifluus. *Bücheler* leg. *septifluus* vel *semperfluvius,* alii *semperfluus.* Usum tamen vocis confirmat *Auson. Technopægn. de histor.* 24. Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.

VESTĬGĀBĬLIS, e, adject. (vestigo) qui vestigari potest. Legitur apud *Cassian.* 13. *Coll.* 17.

VESTĬGANS, antis, particip. *V.* VESTIGO.

VESTĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. (vestigo) investigatio, inquisitio. *Cic.* 1. *Off.* 6. 19. Quæ omnes artes in veri vestigatione versantur. Alii leg. *investigatione,* et quidem rectius. *Apul.* 6. *Met. init.* Psyche dies noctesque mariti vestigationibus inquieta.

VESTĬGĀTOR *et* vestigiator, ōris, m. 3. (vestigo) qui vestigat et venatur, *investigatore, cacciatore.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 5. *L. L.* 94. *Müll.* Vestigiator a vestigiis ferarum, quas indagatur. — Adde *Gloss. Cyrill.,* ubi adjective usurpatur. ¶ 2. Latiore sensu. *Colum.* 9. *R. R.* 8. *a med. de apib. capiend.* Nam statim sono territum (*examen*) vel in frutice vel in editiore silvæ fronde considet et a vestigatore præparato vase reconditur.

II.) Translate. *Seneca* 3. *Benef.* 26. *a med.* Quod factum simul et Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. *h. e.* delatoribus, qui vestigabant dicta et facta quæcumque, ut accusatos perderent.

Homonym. Differre *vestigatorem* a *venatore* arguitur ex loco *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. § 12. Si in agro venationes sunt, puto, venatores quoque et vestigatores et canes et cetera, quæ ad venationem sunt necessaria, instrumento contineri. Ubi *vestigator* non occidendis vel capiundis, ut *venator,* sed vestigandis tantum indagandisque feris intendere videtur.

VESTĬGĀTUS, a, um, partic. *V.* VESTIGO.

VESTĬGĬUM, ĭi, n. 2. Ratione habita etymi, *Forcellinus* putat esse a *vestis:* « nam, inquit, olim non feminæ modo, sed viri etiam longis utebantur vestibus, eoque non modo pedum, sed vestis etiam indicium relinquebatur ab incedentibus. Hæc causa, cur, etsi imprimis pedum relinqueretur signum, rei tamen a vestibus nomen daretur ». At ex recentioribus alii conferunt cum th. *vest,* unde ἵστημι, statuo, sisto; alii vero cum rad. Skr. *stigh,* scandere, incedere, gradi, præmissa particula *ve* augente, quasi ita vehementer gradi, ut signa pedum terræ impressa existant. Cf. etiam στείχω, vado, incedo. — Vestigium itaque est signum, quod a pede relinquitur, ἴχνος, στίβος (It. *vestigio, pedata, orma;* Fr. *trace, vestige, pista;* Hisp. *vestigio, huella, pista;* Germ. *der Schritt, die Spur, Fussspur, der Fusstritt;* Angl. *the trace or track, a footstep*).

I.) Proprie. *Plaut. Cist.* 4. 2. 29. Sed is hac iit: hac socci video vestigium in pulvere. *Cic.* 3. *Phil.* 12. *ad fin.* Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia! *Id.* 3. *Herenn.* 15. 26. Stare in vestigio, *non mutar sito col piede.* et *Liv.* 27. 4. Negans e republica esse, vestigium abscedi ab Hannibale. *scostarsi neppure un passo.* et *Ovid.* 1. *Met.* 372. Vestigia flectere ad locum. *Id. ibid.* 536. stringere. *Virg.* 6. *Æn.* 159. figere. *et* 6. *ibid.* 197. premere. *Stat.* 1. *Achill.* 262. verrere. *Sil. It.* 5. 180. terere. *Quintil.* 9. 4. *circa med.* Currentium pes, etiamsi non moratur, tamen vestigium facit. *Stat.* 2. *Theb.* 153. quibus ipse per imbres Has meus usque domos vestigia fecit Apollo. *fece strada.* et *Cic. Rabir. Post. in fin.* Ut sibi in hoc foro vestigium facere liceat. *metter piede.* et *Cæcin.* 14. 39. Facere vestigium in possessionem. *h. e.* ingredi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (112). Semitam vestigiis terere. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 105. Persequi alicujus vestigia. *seguire le sue pedate:* et translate *imitare.* et *Brut.* 90. 308. Ipsius vestigiis persequi aliquem. *eod. sensu.* Sic, alicujus vestigia sectari, sequi, vestigiis ingredi, h. e. eo modo procedere, quo ipse: et translate imitari, apud *eumd.* 6. *Rep.* 24. 26. et *Augustin. Tract.* 51. in *Joh.* et *alibi.* Sic *Liv.* 9. 45. *ad fin.* Vestigiis sequi hostem. *Tac. Agric.* 26. Vestigiis insequi. *Liv.* 27. 12. Instare vestigiis. *Seneca* 3. *Controv.* 30. *init.* Alicujus vestigia calcare. — *Post vestigia* alicujus, post tergum, *dietro le poste, dietro le spalle. Ovid.* 1. *Met.* 399. Et jussos lapides sua post vestigia mittunt.

II). Tropice. ¶ 1. Metonymice ponitur pro ima parte pedis. *Virg.* 5. *Æn.* 566. vestigia primi Alba pedis frontemque ostentans arduus albam. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis. *Id.* 6. *Verr.* 24. 53. Leviter presso vestigio aliquem persequi. *camminando in punta di piè.* Contra *Ambros.* in *Luc.* 5. Toto vestigio post aliquem incedere. ¶ 2. Et pro ipsis pedibus. *Catull.* 64. 162. Candida permulcens liquidis vestigia lymphis. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 28. Primaque patricia clausit vestigia luna. Adde *Senec. Thyest.* 1039. et *Œdip.* 812. *Auct. Ætn.* 630. Vestigia ferre. *h. e.* ire. ¶ 3. Item pro terra pede impressa vel pro arena, in qua sunt vestigia. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 4. 5. (9). Elephas, vestigio hominis animadverso, intremiscere, erutum proximo tradere etc. *Sil. It.* 8. 128. amplexa sinu late vestigia fovit. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 538. ¶ 4. Pro loco. *Tac. Agric.* 34. Desinere viam in his vestigiis. *h. e.* locis. Cf. 2. *Hist.* 78. 3. *ibid.* 72. et 4. *ibid.* 53. ¶ 5. Et pro odore vestigii. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. 114. Cervi, latratu canum audito, fugiunt secunda semper aura, ut vestigia cum ipsis abeant. ¶ 6. Item pro solea ferrea equi. *Id.* 28. *ibid.* 20. 81. (263). Vestigium equi excussum ungula, ut solet plerumque, siquis collectum reponat, singultus remedium esse, recordantibus, quonam loco id reposuerunt. ¶ 7. Per synecdochen usurpatur pro quacumque impressione corporis vel partis cor-

poris. *Cic.* 5. *Verr.* 34. *a med.* Præsertim quum in lectulo decumanæ mulieris vestigia viderent recentia. *Id.* 3. *Orat.* 2. 6. Post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. ¶ 8. Et pro impressione, quæ ferro fit, dum cædimus. *Colum.* 4. *R. R.* 25. Ea plaga, quæ ductim efficitur, uno vestigio allevatur. ¶ 9. Item pro ipsa persona, quæ vestigia servat. *Petron. Sat.* 126. Matronæ flagellorum vestigia osculantur. ¶ 10. *Vestigia montis,* radices montis, apud *Avien. Descr. orb.* 480. et *alibi.*

III.) Metaphorice. ¶ 1. Ponitur pro quocumque rei gestæ monumento, indicio, signo. *Cic. Font.* 1. 2. Unæ tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet pecuniam Fontejo datam. *Id. Mur.* 9. 20. Relinquere vestigium avaritiæ. Adde 3. *Verr.* 24. 62. *Id. Rosc. Am.* 22. *ad fin.* Exstant vestigia sceleris. Sic *Virg.* 4. *Ecl.* 13. si qua manent sceleris vestigia nostri. *et* 31. Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis. *Nepos Timol.* 3. Vestigia servitutis. ¶ 2. Similiter pro exemplo aut re imitabili: hinc locutiones *vestigia persequi, sectari* etc., quas *V.* sub I. ¶ 3. Item pro momento seu puncto temporis, sumptâ metaphorâ ab euntibus, qui vestigiis iisdem diu non insistunt, seu a vestigium facientis celeritate. *Cæs.* 2. *B. C.* 26. Eodemque tempore vis magna pulveris cernebatur et vestigio temporis primum agmen erat in conspectu. *Cic. Pis.* 9. *in fin.* Atque eodem in templo, eodem et loci vestigio et temporis, arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti. Cf. *Curt.* 4. 5. 2. Numquam diu eodem vestigio stare fortunam. — Hinc e *vestigio* et *vestigio,* est confestim, extemplo, maxima celeritate. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 27. *sub fin.* Repente e vestigio ex homine, tamquam aliquo Circæo poculo, factus est verres. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12. E vestigio eo sum profectus prima luce. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. *sub fin.* Pronuntiari jubet, se in hostium habiturum loco, qui non e vestigio ad castra Corneliana vela direxisset. *Varro* apud *Non. p.* 135. 24. *Merc.* Sigilla in mente impressa amoris digitulo, Vestigio demonstrent mollitudinem. — *Apul.* 6. *Met.* In ipso vestigio. *h. e.* illico. ¶ 4. *Nec vola nec vestigium,* proverb. est, quod habet *Varro* apud *Non. p.* 416. 20. *Merc.* et de quo *V.* VOLA.

VESTĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vestigium) Part. *Vestigans* et *Vestigandus* I. — Vestigo est quasi per vestigia inquirere. ἰχνεύω (It. *investigare, cercare;* Fr. *suivre à la trace, à la piste, cercher;* Hisp. *seguir la pista, rebuscar;* Germ. *die Spur verfolgen, nachspüren;* Angl. *to trace or search out, investigate*).

I.) Proprie. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Vestigare et quærere aliquem. *Seneca Thyest.* 497. Canis vestigat feras. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 25. (66). Tigris fota fertur præceps, odore vestigans. *seguendo la traccia dell' odore.* Adde *Liv.* 32. 26. *Tertull. Apol.* 2. Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur. *Virg.* 6. *Æn.* 145. Ergo alte vestiga oculis et rite repertum Carpe manu. Sic *Colum.* 8. *R. R.* 17. 14. Vestigare escam naribus magis quam oculis. *Curt.* 4. 6. 5. Omni cura vestigans. — *Val. Flacc.* 2. 116. Vestigare in umbra aliquid. *sc.* requirere vehementi animi intentione. — Absolute. *Curt.* 4. 16. 14. Vestigantium sitim fallere.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorice. *Cic. post red. in Senat.* 6. *ad fin.* Hi voluptates omnes vestigant atque odorantur. *Id.* 2. *Orat.* 39. *in fin.* Nam et conjuncta quæremus et causas rerum vestigabimus. ¶ 2. Metonymice vel prægnanti, ut ajunt, sensu, est invenire, *trovare.* *Liv.* 31. 19. Perfugas et fugitivos, quos inquirendo vestigare potuerint, reddidisse. Adde *eumd.* 39. 51.

VESTILIS, e, adject. (vestio) vestitui inserviens: ut *nexilis, textilis, tinctilis.* Vox a Lexico expungenda; occurrit enim in *Not. Tir.* 69. Vestis, vestilis.

VESTIMENTARIUS, a, um, adject. (vestimentum) ad vestimentum pertinens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim in *Not. Tir. p.* 69. Vestimentum, vestimentarius. *Kopp* pro *vestiarius.*

VESTĪMENTUM, i, n. 2. (vestio) vestis, vestitus, ἐπίβλημα (It. *vesti, abiti, vestimenti;* Fr. *vêtement, habit, couverture;* Hisp. *vestimento, cubierta;* Germ. *die Kleidung, Bedeckung;* Angl. *clothes, vestment*): nomen generale ad omne vestium genus significandum.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. Vestis an vestimenta legentur. Vestimentorum sunt omnia lanea lineaque vel serica vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi incubandive causa parata sunt. — *b*) De vestibus, quibus induimur. *Cic. Mil.* 10. 28. Domum venit, calceos et vestimenta mutavit. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 31. cuicumque nocere volebat, Vestimenta dabat pretiosa. *Auct. B. Afr.* 47. *a med.* Tentoriola facta ex vestimentis. — *Vestimenta lacerare* apud Orientales signum erat doloris maximi: item indignationis et horroris. *Vulg. interpr. Jos.* 7. 6. et alibi. — *Vestimenta sternere,* signum publicæ lætitiæ. *Id. Matth.* 21. 8. — *Nudo vestimenta detrahere,* proverb. de re, quæ fieri non potest, apud *Plaut. Asin.* 1. 1. 79. Sententiam habet eamdem Italorum: *cavar della rapa sangue.* — *c*) De stragulis. *Ter. Heaut.* 5. 1. 29. Est mihi in ultimis conclave ædibus; huc est intro latus lectus: vestimentis stratus est. *Auct. B. Hisp.* 33. Pyram sibi exstruxit, cenam afferri quam opimam imperavit, item optimis insternendam vestimentis. *Seneca Ep.* 67. *sub init.* Major pars (*temporis*) in vestimentis degitur. Ago gratias senectuti, quod me lectulo affixit. *h. e.* sub veste stragula, lodice, *sotto le coperte del letto.* Sic *Ep.* 78. *a med.* Est virtuti etiam in lectulo locus: et in vestimentis vir fortis apparet.

II.) Figurate *vestimentum* ponitur pro corpore. *Hieronym.* ad *Vulg. interpr. Mal.* 2. 16.

Homonym. Differre *vestem* a *vestimento* ita docet *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 368. 13. *Müll.* « Vestis generaliter dicitur, ut stragula, forensis, muliebris: vestimentum pars aliqua, ut pallium, tunica, pænula ». Ex his tamen, quæ adlata sunt, nihil dicere *Paulum* ex *Festo* ait *Forcellinus:* et vere quidem, nisi intelligamus, *vestimentum* ab eo sumi de singulis vestitus partibus, *vestem* collectivo sensu de omnibus, quæ ad vestitum pertinent. V. *Müller* ad *h. l.*

VESTĪO, is, īvi *et* ii, ītum, ire, a. 4. (vestis) *Vestibam* et *vestibo,* pro *vestiebam* et *vestiam,* sunt formæ in 4. conjugat. frequentes. *Virg.* 8. *Æn.* 160. Tum mihi prima genas vestibat flore juventa. Adde *Juvenc.* 3. 350. et *Venant.* 9. *carm.* 2. 124. — Etiam *vestibit* pro *vestivit,* solita litt. *v* in *b* permutatione, in *Inscr.* in *Bullett. arch. municip.* 1. *p.* 165. — *Vestirier,* parag. pro *vestiri,* apud *Prudent. Psych.* 39. — Part. *Vestitus* in omn. paragr. et in fin. — Vestio est veste tego, induo, amicio, ἐνδύω, ἱματίζω (It. *vestire;* Fr. *couvrir d'un vêtement, vêtir, habiller;* Hisp. *vestir;* Germ. *mit e. Kleide bedecken, kleiden;* Angl. *to clothe, cover*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Acc. *Plaut. Capt.* 4. 4. 4. Vir te vestiat, tu virum despolies. *Cic.* 2. *Att.* 9. Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant. *Virg.* 4. *Ecl.* 45. Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos. *Horat.* 2. *Od.* 16. 35. te bis Afro Murice tinctæ Vestiunt lanæ. *Juvenal.* 11. 155. Quales esse decet, quos ardens purpura vestit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 11. 22. (39). Indos suæ arbores vestiunt. *Martial.* 2. 46. unam vestire tribum tua vellera possunt. — *Plaut. Rud.* 1. 5. 7. Puellæ mœstiter vestitæ. *Quintil.* 6. 3. 84. Homo optime vestitus. *Nepos Cim.* 4. Quum aliquem offensum fortunæ videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. *Cic. Pis.* 25. *a med.* Ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Cœlimontanam sitiens pervenerim. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (42). Adduxit familiam validam, bene curatam ac vestitam. *Plaut. Cas.* 4. 1. 10. Villicus candide vestitus, laute exornatusque ambulat. — *b*) Cum addito Abl. rei, qua quis vestitur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Animantes aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (33). Hercules in foro boario per triumphos vestitur habitu triumphali. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Fasciæ, quibus crura vestiuntur. *Juvenal.* 6. 515. et Phrygia vestitur bucca tiara. — *c*) Absolute *vestio* est veste uti. *Apul. De mag.* Tu mihi vitio dabis, quod parcius pasco, levius vestio, minus obsono? *Tertull. Pall.* 1. Sic et in proximo soror civitas vestiebat. — *d*) *Vestiri,* mediorum apud Græcos more. *Cato* apud *Gell.* 11. 2. Vestiri in foro honeste, mos erat: domi, quod satis erat. — Cum Abl. *Mela* 3. 7. Lino alii vestiuntur aut lanis. — *Quintil.* 2. 16. *a med.* Pleraque animalia contra frigus ex suo corpore vestiuntur. *h. e.* ex vestibus suo corpori naturâ inhærentibus seu nativis. — Cum Acc. *Vulg. interpr. Ital. Matth.* 6. 31. Quid vestiemur.

II.) Translate, vel, si mavis, latiore significatione, est obduco, contego, velo, *coprire, ornare:* dicitur autem de rebus inanimis et construitur sæpe cum addito Abl. *Lucret.* 5. 887. juventas molli vestit lanugine malas. *Cæs.* 7. *B. G.* 25. Trabes in solo collocantur: eæ revinciuntur introrsus et multo aggere vestiuntur. *Cic.* 6. *Verr.* 55, 122. His tabulis interiores templi parietes vestiebantur. *Virg.* 2. *G.* 219. terra viridi se gramine vestit. *Id.* 6. *Æn.* 640. Largior hic campos æther et lumine vestit Purpureo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 11. 13. (39). Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire. *Lucan.* 10. 119. ebur atria vestit. *Val. Flacc.* 4. 665. effluit imber Spumeus et magno puppim procul æquore vestit. *Stat.* 5. *Theb.* 51. ingenti tellurem proximus umbra Vestit Athos. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 142. Natura oculos membranis tenuissimis vestivit et sæpsit. *Id. Tim.* 6. *ad fin.* Deus animum circumdedit corpore et vestivit extrinsecus. *Virg.* 2. *G.* 38. Ismara Baccho Conserere atque olea magnum vestire Taburnum. *coprire, empire d' olivi.* et *Colum.* 5. *R. R.* 6. *circa med.* Binæ vites, quo celerius ulmum vestiant, pedem inter se distantes scrobibus deponendæ. *Id.* 4. *ibid.* 27. Ubi se vites frondibus et uvis vestierint. *Stat.* 6. *Theb.* 847. Postquam oleo gavisa cutis, petit æquor uterque Procursu medium atque hausta vestitur arena. *Lucan.* 7. 538. Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros. *h. e.* operiat, consternat, impleat. *Tertull. Virg. veland.* 11. *de virgine.* Pudor ubique vestitur et menses tributa dependunt. *h. e.* pube pudendum contegitur. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 64. Sepulcrum sæptum undique et vestitum vepribus et dumetis. *Liv.* 32. 13. Montes vestiti frequentibus silvis sunt. *Cic.* absolute eod. sensu 2. *Nat. D.* 53. 132. Montes vestiti atque silvestres. *boscosi.* et *ibid.* 39. 98. Terra vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus. *Ovid.* 1. *Fast.* 402. Gramine vestitis accubuere toris. *Petron. Sat.* 135. Vestita putaminibus grana. *Propert.* 3. 11. 31. Et portare suis vestitas frondibus uvas. *Seneca Herc. Œt.* 213. Toxeu, Nondum teneras vestite genas. *h. e.* nondum barbate. Ἐλληνισμός. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (111). Allium in universum velatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis et his separatim vestitis. *Id.* 13. *ibid.* 4. 9. (40). Lignum pluribus vestitum tunicis. *et ibid.* 15. 29. (94). Mensa operimento laminæ vestita. *Ovid.* 4. *Fast.* 707. incendit vestitos messibus agros. *coperti e pieni.* et *Cic.* vertens carmina *Homeri,* 2. *Divinat.* 30. 63. Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis.

III.) Metaphorice — *a*) De oratione. *Cic.* 1. *Orat.* 31. *a med.* Inventa vestire atque ornare oratione. *Id. Brut.* 79. 274. Reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. — *b*) De aliis *Horat.* 1. *Ep.* 18. 22. Gloria quem supra vires et vestit et ungit. Adde *Quintil.* 8. *prooem.* — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus

*Vestitus, a, um,* etiam adjectivorum more usurpatur, unde Comp. *Vestitior* et Sup. *Vestitissimus.* *Tertull. Anim.* 38. Ab his autem annis (quartodecimo *nempe*) et suffusior et vestitior sexus est, *h. e.* pube magis vestitus. *Apul. De*

*mag.* Neque una pelle vestitior fuit, neque uno baculo comitatior. *Colum.* 7. *R. R.* 3. *ante med. de ovib.* Id pecus, quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est.

VESTIPLEX, icis, adject. comm. gen. (vestis *et* plico) qui vestes plicat, idem ac vestiplicus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 69. Vestis, vestiplex.

VESTĬPLĬCA, æ, f. 1. (vestis *et* plico) ancilla, quæ vestes plicat et servat, *Plaut. Trin.* 2. 1. 22. Vestiplica, unctor, auri custos etc. Ita leg. *Fleckeis.*; alii aliter. *Quintil. Declam.* 363. *in lemmate.* Vestiplicam dominæ habitu misit. *et ibid. in serm.* Adulter cum uxore locutus per vestiplicam. *Inscr.* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 91. IVCVNDA PEXSA VESTIPLICA. *V.* VESTISPICA.

VESTĬPLĬCUS, i, m. 2. (vestis *et* plico) famulus, qui vestes plicat et custodit. *Inscr.* apud *Reines. cl.* 9. *n.* 64. (*Orelli n.* 2838.) BATHYLLVS IMP. CAII CAESARIS GERMANICI VESTIPLICVS. Adde *cl.* 11. *n.* 90. *V.* voc. præc.

VESTIS, is, f. 3. Scribitur *bestis* in *Edict. Diocl.* 7. 48. et *Gloss. Labb.* Cf. *Inscr.* in *Atti dell' Accad. Rom. d' Arch.* 6. 43. — Ratione habita etymi, conferendum est cum rad. Skr. *vas*, vestio, et Gr. ἐσθής, vestis, præposito digammate. — Vestis est id, quo corpus tegitur. Est autem generale nomen, quodvis significans vestimentum tam virile, quam muliebre, laneum, lineum, sericum etc.: item pannum, telam, ex qua fit indumentum aut stragulum, velum. Græce est ἐσθής, ἔσθημα, ἱμάτιον (It. *abito, veste, vestito, drappo, panno*; Fr. *vêtement, habillement, habit*; Hisp. *vestimento, vestido*; Germ. *das Kleid, Gewand, die Körperbedeckung*; Angl. *a garment, vest, robe, vestment*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de veste, qua homo tegitur. *Plaut. Curc.* 2. 3. 69. Mulierem a lenone cum auro et veste abducere. *Id. Most.* 1. 3. 10. Contempla, satin hæc me vestis deceat. *Ter. Adelph.* 1. 2. 40. Discidit vestem? rescicietur. *Id. Heaut.* 2. 3. 45. Ipsam offendimus mediocriter vestitam veste lugubri. *Id. Eun.* 5. 2. 13. Ubi vestem illam esse eum indutum vidit. *et* 3. 5. 24. Vestem mutare cum aliquo. *Nepos Thrasyb.* 2. *sub fin.* Jacentem veste spoliare. *Id. Datam.* 3. Optima veste contegere aliquem. *vestire con un buon abito:* optimo ornatu induere. *Curt.* 9. 1. 29. Vestis auro purpuraque distincta crura velat. — In plur. num. *Sall. Hist. fr. inc.* 19. *D.* (3. 58. *Kr.*) Vestes de pellibus renones vocantur. — *Vestis libera*, toga virilis. *Ovid.* 3. *Fast.* 777. — Sic *vestis virilis, pura, candida, pulla, picta, longa, trita, fluxa, succincta, sinuosa, lanea, serica, regia* etc. *V.* suis locis. — *Vestis accubitoria, cenatoria* et *tricliniaris* eadem fuit quæ synthesis. *V.* SYNTHESIS. — *Vestem mutare*, est etiam obsoletam togam induere, intonsa barba et demisso capillo, mos erat in magna calamitate et gravi periculo, quum aliquis v. gr. capitalis criminis reus agebatur; tunc enim non is modo, sed propinqui omnes amicique illo habitu in publicum prodibant ad misericordiam movendam et *sordidati* dicebantur. Exempla habes apud *Cic. post red. ad Quirit.* 5. 13. et *in Senat.* 5. 12., *Planc.* 12. 29., *Sext.* 11. 26. *et* 14. 32. et 2. *ad Q. fr.* 3. et *Liv.* 6. 20. — *Servus a veste, ad vestem, supra veste*, fuit inter officia domus Augustæ, idem qui vestispex et vestispicus. *Inscr.* apud *Gruter.* 587. 4. L. TROPHIMVS AVG. LIB. A VESTE ITEM A LACVNA. Alia *ibid.* 2. T. STATILIVS MALCHIO AD VESTEM. *et* apud *Henzen Suppl. n.* 6373. CHRYAPSIS AGRIPPINAE SVPRA VESTE. — Speciatim *Inscr.* apud *eumd. n.* 2897. A veste matutina. *Alia* apud *Gruter.* 587. 7. scænica. *et* 577. 8. magna. *et* apud *Henzen Suppl. n.* 6374. forensi. *et n.* 6372. sacra. *et* apud *Gruter.* 577. 7. regia et Græcula. *h. e.* scænica. (V. *Schiassi Mus. Bol. p.* 77. not.) *et ibid.* 9. imperatoria. *et* in *Bullett. arch. Municip.* II. 16. et *seqq.* gladiatoria. *Alia* apud *Murat.* 925. 2. Imp. privata. *et* 901. 5. cubicularia. *et* 903. 2. castrensi. *et* 919. 6. venatoria. — Etiam in privatis familiis erant hujusmodi servi, ut in *Inscr.* apud *Brizzio Sepolcr. sull' Esquil. p.* 55. *n.* 133. — *Procurator vestis* albæ triumphalis, in *Inscr.* apud *Henzen n.* 6376. — *Comes sacræ vestis*, in *Cod. Theod.* 11. 18. 1. ¶ 2. Latiore sensu de tapetis, aulæis etc. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 66. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex. *Id.* 1. *Orat.* 35. 161. Tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste, neque proposito argento etc. *la drapperia.* ¶ 3. Item de stragulo. *Lucret.* 2. 36. plebeja in veste cubandum. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 102. rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos. *Ovid.* 8. *Met.* 657. Vestibus hunc (*lectum cenatorium*) velant, quas non nisi tempore festo Sternere consuerant: sed et hæc villisque vetusque Vestis erat, lecto non indignanda saligno. ¶ 4. Item de panno aut tela. *Id.* 6. *ibid.* 131. Et rupit pictam, cælestia crimina, vestem. *h. e.* telam ab Arachne contextam. *Cic.* 7. *Verr.* 56. *ad fin.* Ad deprecandum periculum proferebant alii purpuram Tyriam, tus alii atque odores vestemque lineam. *tele, telami. Stat.* 7. *Theb.* 244. Antigone teneras defenditur atra Veste genas. *con un negro velo. Ulp. Dig.* 34. 2. 23. Si quis vestem legaverit, neque stamen neque subtemen legato continebitur. — Apud *Lucret.* 3. 387. vieta vestis aranei. *tela di ragno.* et *ibid.* 614. vestemque relinquere, ut anguis.

II.) Translate. ¶ 1. Est lanugo, pubes, *prima barba. Lucret.* 5. 671. Nec minus in certo dentes cadere imperat ætas Tempore et impubem molli pubescere veste. Hinc *investis*, impubes. Sic in illo *Virg.* 8. *Æn.* 659. Aurea cæsaries ollis atque aurea vestis: Virgatis lucent sagulis, *Serv.* et *Non. p.* 45. 26. *Merc. barbam* intelligunt; at improbat *Heynius* ad *Virg. loc. cit.*, et vestem intelligit illa ipsa sagula virgata: nam de ead. re *Sil. It.* 4. 155. Auro virgatæ vestes. ¶ 2. De tegumentis naturalibus aliarum rerum. *Marcell. Empir. c.* 27. Vestis ovi. *h. e.* putamen. *Æmil. Mac. c.* 5. allii. Adde *Marcell. Empir. c.* 4.

Homonym. Discrimen inter *vestem* et *vestimentum* V. sub VESTIMENTUM. — Item discrimen inter *vestem* et *amictum* V. sub AMICIO et in AMICTUS, us.

VESTISPEX, icis, m. 3. (vestis *et* spicio) qui vestes inspicit vel curat, idem ac vestispicus. *Inscr.* apud *Murat.* 949. 7. DIANAE SANCTAE DAMIOCLES VESTISPEX.

VESTISPĪCA, æ, f. 1. (vestis et spicio) ancilla vestium custodiæ addicta. *Varro* apud *Non. p.* 12. 15. *Merc.* Vestispica, quod vestes spiciat. *Afran.* apud *eumd. ibid.* Novi non inscitulam ancillulam vestiplicam et vestispicam.

VESTISPĪCUS, i, m. 2. (vestis *et* spicio) qui vestem curat, ἱματιοφύλαξ. *Non. p.* 12. 16. *Merc.* Vestispici appellantur vestium custodes servi, quod frequenti diligentia vestes inspiciant. *Plaut. Trin.* 2. 1. 21. Ducitur familia tota: Vestispici, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ etc. Alii aliter leg. *V.* VESTIPLICA. *Inscr.* apud *Reines. cl.* 11. *n.* 95. PHILODAMVS C. SVLPICII VESTISPI. H. S. E. *Alia* apud *Murat.* 972. 1. P. POMPOSIDIO P. F. IANVARIO VESTISP. Hic legi etiam potest *vestispici*, a recto *vestispex*.

VESTĪTOR, ōris, m. 3. (vestio) ¶ 1. Est qui facit vestes, sartor, *sarto, sartore. Lamprid. Alex. Sev.* 41. Dignitates acciperent fullones et vestitores. *Inscr.* apud *Gruter.* 1111. 3. PHAEDIMO VESTITORI AVG. *Alia* apud *Murat.* 1842. 2. HIC DEPOSITVS EST BENEMERITVS VESTITOR IMPERATORVM. ¶ 2. Item qui vestit seu veste ornat. *Firmic.* 3. *Mathes.* 11. *n.* 9. Prophetas aut vestitores divinorum simulacrorum faciet. Adde *ibid.* 14. *n.* 3.

VESTĪTRĀHUS, a, um, adject. (vestis *et* traho) qui vestem trahit. *Laber.* apud *Tertull. Pall.* 1. *de ariete.* Reciprocicornis, lanicus, vestitrahus. *V.* TESTITRAHUS.

VESTĪTŪRA, æ, f. 1. (vestio) actus vestiendi sive ornandi. *Inscr.* apud *Gruter.* 98. 8. (*Orelli n.* 3272.) Vestituræ basium. *h. e.* anaglypta et scalpturæ ornandis basibus. Cf. *Promis Vocab. d'Archit. p.* 215.

VESTĪTUS, a, um, particip. *V.* VESTIO.

VESTĪTUS, us, m. 4. (vestio) Dat. sing. *vestitu* pro *vestitui* est apud *Ter. Adelph. loc. infra cit.* V. ASPECTUS. — Vestitus est idem ac vestimentum, vestis, *abito, vestito, veste*, ἐσθής, ἱματισμός.

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 4. 2. 8. Vestitum atque ornatum immutabilem habet hæc. *Cæs.* 7. *B. G.* 88. Cæsaris adventu ex colore vestitus cognito. *Plaut. Capt.* 2. 2. 72. Me saturum servire apud te sumptu et vestitu tuo. *h. e.* te præbente vestitum. *Ter. Adelph.* 1. 1. 38. Vestitu nimio indulges. *h. e.* nimis sumptuosa veste filium ornas. *Cic.* 1. *Att.* 13. Venisse eo muliebri vestitu virum. *Id. Rosc. Am.* 49. *sub fin.* Vestitum, quo ipse tectus erat, tibi tradidit. *Id. Quinct.* 15. *a med.* Cujus non modo amplissimæ fortunæ, sed etiam victus vestitusque necessarius sub præcone subjectus est. *Id.* 2. *leg. Agr.* 5. 13. Rullus vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante etc. *Nepos Agesil.* 8. Agesilaus et comites vestitu humili atque obsoleto. *Liv.* 29. 17. In hoc legato vestro nec hominis quidquam est, præter figuram et speciem; neque Romani civis, præter habitum vestitumque et sonum Latinæ linguæ. Rursum *Cic. Sext.* 14. 33. Vestitum mutare. (*V.* VESTIS) et *ibid. n.* 32. Ad suum vestitum redire.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Adde huc liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos. *h. e.* herbas. *et ibid.* 64. *sub fin.* Cernes vestitus densissimos montium, *h. e.* silvas. ¶ 2. Metaphorice de oratione. *Id. Brut.* 95. 327. Concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat.

VESTRAS, ātis, adject. omn. gen. (vester) qui spectat ad vestram gentem, patriam etc.: sic *nostras, cujas, Arpinas, Sarsinas* etc. Agnoscitur a *Charis.* 2. *p.* 133. *Putsch.*, a *Diomed.* 1. *p.* 317. et *Priscian.* 17. *p.* 1095.

VESTRĀTIM, adverb. (vestras) more vestro. *Gramm.* ed. ab *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 279. Cf. SUATIM.

VESTRĀTIS, e, adject. (vestras) idem ac vestras. *Priscian.* 12. 17.

VĔTANS, antis, particip. *V.* VETO.

VĔTĀTĬO, ōnis, f. 3. (veto) actus vetandi, prohibitio. *Serv.* ad *Virg.* 10. *Æn.* 9.

VĔTĀTĪVUS, a, um, adject. (veto) qui vetat, *proibitivo. Isid.* 2. *Orig.* 21. 25. Sententiæ vetativæ.

VĔTĀTUS, a, um, particip. *V.* VETO.

VĔTER. *V.* VETUS.

VĔTĔRĀMENTĀRĬUS, a, um, adject. (vetero) universim, qui circa res veteres occupatur, sarcitor, *che rattoppa le cose vecchie*; speciatim vero, qui veteres calceos reficit, *ciabattino, ciabattaio, ciabattiere*, παλαιοράφος. *Sueton. Vitell.* 2. Eumdem et sutorem veteramentarium prodiderunt. Adde *Gloss. Cyrill.*

VĔTĔRĀNĬCĬNUS, i, m. 2. (veteranus) idem ac veteranus, apud *Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 5834. nisi sit sphalma quadratarii.

VĔTĔRĀNA, æ, f. 1. *et*

VĔTĔRĀNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

VĔTĔRĀNUS, a, um, adject. (vetus) Scribitur varie in titulis, ut *veiteranus* in *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. arch. a.* 1876. *n.* 16.; item *vetæranus* cum secunda per diphthongum *ae* in *alia* apud *Momms. n.* 279. p. 58.; item *vetranus*, per syncopen, in *alia* in *Bullett. arch. Neap. a.* 1859. *p.* 72. — Veteranus est vetus, vetustus, antiquus, *veterano, vecchio*, πρεσβύτης.

*A)* In re militari, dicitur de militibus, qui legitima stipendia confecerunt. Hæ autem erant sub republica annorum XXV., ut constat ex *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 157.; ab Augusto, ut narrat *Tac.* 1. *Ann.* 36. et 78., ad annos XX. redacta. Iis opponuntur *tirones*; nam tirones sunt, qui nuper militare cœperunt; veterani, qui multis annis stipendia fecerunt et diuturno usu in re militari sunt exercitati. — 1.°) Adjective

cum suo substantivo. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Triplicem aciem instruxit legionum quattuor veteranarum. *Cic.* 3. *Phil.* 2. 3. Comparare firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum. — 2.°) Absolute, substantivorum more. — *a*) Universim. *Sall. Cat.* 63. Veterani pristinæ virtutis memores cominus acriter instare. *Vellej.* 2. 61. 2. C. Cæsar veteranos excivit paternos. *Lucan.* 1. 345. Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur, Quæ noster veteranus aret? *Inscr.* apud *Orelli n.* 3544. L. GEMINIVS MAXIMVS VET. LEG. PR. ADIVTR. P. F. *h. e.* veteranus legionis primæ adjutricis piæ fidelis. *et n.* 3597. T. GAVIVS EMINENS VET. CL. PR. M. *h. e.* veteranus classis prætoriæ Misenatium. — *b*) *Veteranus ex equite in alia* apud *eumd. n.* 3454. ex *Maffeii* emend. — *c*) *Veteranorum curator* dictus videtur, qui eorum curam gerebat, qui in aliquo oppido vel municipio degebant. *Inscr.* apud *Henzen Suppl. n.* 6854. — *d*) *Veteranus* idem ac evocatus in *Inscr.* apud *Kellerm. Vig. laterc. p.* 42. *n.* 81.

*B*) Extra rem militarem. ¶ 1. De personis. — 1.°) Adjective. *Liv.* 21. 16. Veteranus hostis. — *Veterana mancipia* dicuntur a *Martian. Dig.* 39. 4. 16. quæ anno continuo in urbe servierunt, sicut *novitia*, quæ annum servitutis nondum compleverunt. — 2.°) Absolute, substantivorum more. — *a*) Proprie. *Inscr.* apud *Orelli n.* 960. et *alia* apud *eumd. n.* 123. — *Veteranus* dicitur etiam qui civilis officii curricula absolvit. *Cod. Theod.* 8. 5. 46. — *Veteranorum collegia*, de re funeraticia et religiosa, *V.* apud *Halkin Coll. d. vét. dans l'empire Rom.* in *Rev. de l'instr. publ. Belg. v.* 38.-39. Cf. *Martian. Dig.* 47. 2. — *Veteranæ* mulieres habentur inter servitia. *Inscr.* apud *Brizzio Sepolcr. sull' Esquil. p.* 78. *n.* 277. — *Veteranum*, locus, ubi quid in vetustatem reponitur: v. gr. apothecæ, ubi vina vetera reponuntur, vel ut veterascant. *Seneca Ep.* 114. *sub fin.* Aspice veterana nostra et plena multorum sæculorum vindemiis horrea. Alii leg. *veteraria*. V. VETERARIUS. — *b*) Translate. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 8. *n.* 55. Quum veteranos devotione superaret. *Id. Ep.* 15. *n.* 3. Veteranos Christi. Adde *Vulg. interpr. Eccli.* 25. 7. ¶ 2. De brutis animantibus. *Colum.* 6. *R. R.* 2. Veteranum pecus. *Varro* 1. *R. R.* 20. boves. — *Veteranæ gallinæ* apud *Colum.* 8. *R. R.* 5. *ante med.* quæ sæpius excubarunt: ut *novellæ*, quæ semel. *V.* PUERUS. ¶ 3. Et de rebus. *Auson. Ep.* 11. *post. init.* Veterana calliditas. Adde *Ambros. De Cain et Ab.* 2. 10. *n.* 37. *Colum.* 3. *R. R.* 15. Veterana vitis.

VĔTĔRĀRĬUM, ĭi, n. 2. *V.* voc. præc.

VĔTĔRĀRĬUS, ĭi, m. 2. (vetus) sarcitor, veteramentarius. *Gloss. Philox.* Veterarius, παλαιοράφος.

VĔTĔRASCO *et* veteresco, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vetus) Etiam *veteresco* legitur apud *Porphyr.* in *Horat.* 3. *Od.* 16. 34., *Ennod. loc. cit.* et etiam in *Not. Tir. p.* 89. — Part. *Veterascens* I. — Veterasco est vetus fio, vetustatem contraho, παλαιόομαι (It. *invecchiarsi o invecchiare*; Fr. *devenir vieux, vieillir*; Hisp. *envejecer*; Germ. *altwerden*; Angl. *to grow or become old*).

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 15. Aptior est tamen surculis hominis urina, quam sex mensibus passus fueris veterascere. *Jul. Obseq.* 16. Carnes veterascentes. Adde *Ambros. De fide* 2. 2. et *Vulg. interpr. Ps.* 101. 27. — In illo *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 437. 32. *Merc.* In eo, quem veterascentem videat ad gloriam. *Halm, Kayser* et *Müller* leg. *inveterascentem*.

II.) Translate. *Ennod.* 2. *Ep.* 6. Quousque fama nobilis epistolaribus destituta commerciis veterescet? Adde 3. *Ep.* 12. *Vulg. interpr. Ps.* 48. 15. Auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum. *h. e.* brevi omnem impiorum potentiam et gloriam destruet mors.

Homonym. Discrimen ponitur a *Nigid.* apud *Non. loc. cit.* inter *veterascere* et *vetustescere* seu *vetustiscere*, ut hoc de iis dicatur, quæ vetustate deteriora fiunt: illud de iis, quæ meliora. Sed in usu non servatur, ut patet ex loco *Colum.* afferendo in VETUSTESCO.

VĔTĔRĀTOR, ōris, m. 3. (vetero) qui in aliqua re callidus est, uti longo rerum et hominum usu edoctus, πανοῦργος, παλίντριψ, τριβακός, ἀπατεών (It. *astuto, accorto, sagace, pratico, scozzonato*; Fr. *celui qui a vieilli dans, qui est habile ou versé dans, adroit, rusé*; Hisp. *versado en, práctico, diestro, hábil, fino, astuto*; Germ. *der in etwas alt-, ergraut-, geübt ist, durchtriebener Mensch*; Angl. *one long practised or exercised in, an old rogue or cheat*): quasi veter in astutia, ut scribunt *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 369. 11. *Müll.* et *Donatus* ad *Ter. Andr.* 2. 6. *in fin.*, nempe a multarum rerum gerendarum vetustate; et usurpatur tam in bonam, quam in malam partem. ¶ 1. Generatim. — *a*) In bonam partem. *Cic. Brut.* 48. 178. Ejus æqualis P. Cethegus in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur. *Gell.* 3. 1. Videbatur esse in litteris veterator, *h. e.* multa lectione exercitus, cui pleraque omnia veterum litterarum quæsita, meditata evigilataque erant, ut ipse loquitur 1. 7. — *b*) In malam partem. *Ter. loc. cit.* Quid hic vult veterator sibi? *Cic.* 2. *Fin.* 16. *a med.* Acutum, versutum, veteratorem facile ut excogitet, quomodo occulte sine teste, sine ullo conscio fallat. Adde *eumd.* 3. *Off.* 13. 57. et 5. *Verr.* 14. 35. et *Gann.* apud *Fest. loc. cit.* V. TREBAX. ¶ 2. Speciatim dicitur de servo, qui diuturna servitute ac sæpius fortassis commutata, astutus ac vafer evasit. Itaque veteratores et novitii opponuntur, ut ostendunt verba *Venuleji Dig.* 21. 1. 65. Servum tam veteratorem, quam novitium dici posse: novitium autem non tirocinio animi, sed condicione servitutis intelligi: ac veteratorem item non spatio serviendi, sed genere et causa æstimandum. Hoc genus servorum olim minore erat in pretio, quam novitiorum. Unde ab ædilibus præceptum erat, ne veterator pro novitio veniret. *Ulp. ibid.* 37. Præcipiunt ædiles, ne veterator pro novitio veneat.

VĔTĔRĀTŌRĬĒ, adverb. (veteratorius) astute, callide, *astutamente*, πανούργως. *Cic. Orat.* 28. 99. Ille enim summissus, quod acute et veteratorie dicit, sapiens jam etc. — In malum sensum apud *Apul. De mag.* 46. et *Donat.* in *Ter. Phorm.* 2. 3. 14.

VĔTĔRĀTŌRĬUS, a, um, adject. (veterator) astutus, vafer, subdolus, *astuto*, πανουργικός. *Cic. Brut.* 75. 261. *de Cæsare.* Splendidam quamdam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. *Id. ibid.* 67. 238. Accuratio citius veteratoria, quam oratoria. — In malum sensum. *Id.* 3. *Verr.* 54. *a med.* Nihil ab isto tectum, nihil veteratorium exspectaveritis: omnia aperta, omnia perspicua reperientur. *V. Ascon.* in *h. l.*

VĔTĔRĀTRIX, trīcis, f. 3. (veterator) femina in astutiis et fraudibus exercitatissima, *astuta*, πανοῦργος. *Apul.* 9. *Met.* Veteratrix quædam femina, quæ devotionibus et maleficiis quidvis efficere posse credebatur. Alii leg. *veratrix*, invito *Hildebr.* Adde *Onom. Lat. Gr.* in *Thes. ed. Vulc.*

VĔTĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* VETERO.

VĔTĔRES. *V.* VETUS.

VĔTĔRESCO. *V.* VETERASCO.

VĔTĔRĒTUM, i, n. 2. (vetus) Legitur bis apud *Colum.* 2. *R. R.* 10. in quibusdam probatæ antiquitatis libris: in aliis in *vervactum* mutatum est. Retinendum censet *Pontedera Antiqu. Lat. et Græc. p.* 477., adstipulante *Scalig.* in *not.* ad *Varron.* 1. *R. R.* 44., qui in MSS. *Columellæ* ita legi testatur. Itaque apud *Colum.* statuit *Pontedera*, dici *veteretum*, non arvum vere aratum, quod est *vervactum*; neque anno præcedenti per auctumnum aut sub hiemem satum, quod est *restibile*; sed terram, quæ a fructu diu cessavit, vel in pratum submissam, vel coloni socordia neglectam et quodammodo senio confectam et incultu veteratam. Itaque, quod ait *Varro* 1. *R. R.* 44. Illud quoque multum interest, in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis; an in vervacto, quæ interdum requierit: *rudi terra* dicendus est *veteretum* significasse. Hanc opinionem, quæ valde placet, validis rationibus firmat *Ponted.*, quem legisse erit pretium operæ, inquit *Forcellinus*. Cf. etiam *Döderlein*, cui *veteretum* est «brachfeld» ager novalis, *novale*, et cum Gr. ἀτειρής, non tritus, conjungendum.

VĔTĔRĬA. *V.* VETUS.

VĔTĔRĪNA et VĔTĔRĪNÆ. *V.* VETERINUS.

VĔTĔRĪNĀRĬUM. *V.* voc. seq.

VĔTĔRĪNĀRĬUS, a, um, adject. (veterinus) ad veterina animalia pertinens. *Colum.* 7. *R. R.* 3. *a med.* Veterinariæ medicinæ prudens esse debet pecoris magister. — Hinc absolute, substantivorum more

*Veterinarium, ii*, n. 2. locus in castris, in quo veterina saucia vel ægrotantia curantur. *Hygin. Gromat. p.* 12. *col.* 1. Fit numerus cum pedatura valetudinarii, veterinarii et fabricæ, quæ in unum ad sexcentos homines computantur. *V.* VALETUDINARIUS.

*Veterinarius, ii*, m. 2. qui veterina curat et medicinam veterinariam exercet, *maliscalco, veterinario*, ἱππίατρος (medicus equarius apud *Val. Max.* 9. 15.). Hæc etiam ad oves pertinet, ut ex *Colum. loc.* supra *adl.* colligitur. *V.* VETERINARIUS, a, um. *Id.* 6. *R. R.* 8. *init.* Solent ia stidia cibo afferre vitiosa incrementa linguæ, quas ranas veterinarii vocant. *Id.* 7. *ibid.* 5. *a med.* Ovem pulmonariam curare, inserta per auriculam quam veterinarii consiliginem vocant. Adde 11. *ibid.* 1. *ante med.*

VĔTĔRĪNĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præc.

VĔTĔRĪNUS, a, um, adject. Etymologi ducunt a *veho*, quasi pro *vehiterinus* per syncop. fiat. Aliter *Opilius* apud *Paul. Diac.* ex *Fest. loc. adl.* — Veterinus dicitur de jumentis ad portandum idoneis, ut equis, mulis, asinis, *di bestia da soma*, ὑποζύγιος. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 369. 12. *Müll.* Veterinam bestiam Cato appellavit a vehendo. Opilius veterinam dici putat, quasi venterinam vel uterinam, quod ad ventrem onus religatum gerat. *Lucret.* 5. 888. Ne forte ex homine et veterino semine equorum Confieri credas Centauros posse neque esse. Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 46. 106. (255). *Arnob.* 3. *p.* 139. Veterinum pecus. *Veget. Veterin. præf.* 1. ars. — Hinc substantivorum more

*Veterina, orum*, n. plur. 2. et

*Veterinæ, arum*, f. plur. 1. sunt ipsa jumenta, veterina. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 37. 64. (168). Ætas veterinorum dentibus indicatur. *et ibid.* 50 111. (265). Caudæ caulis asinis longior, quam equis, sed setosus veterinis. *h. e.* equis mulisque. Adde 10. *ibid.* 73. 93. (200). et 11. *ibid.* 37. 5. (149). *Varro* 1. *R. R.* 38. Stercus equinum in prata vel optimum, ut ceterarum veterinarum, quæ hordeo pascuntur.

VĔTERNŌSĬTAS, ātis, f. 3. (veternosus) veterni vitium seu morbus. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 4. *extr.* Torpidæ veternositatis senio algere. Adde *Hieronym.* in *Job* 20.

VĔTERNŌSUS, a, um, adject. (veternus) Sup. *Veternosissimus.* — Veternosus est qui veterno laborat, lethargicus, *letargico*, ληθαργικός: usurpatur autem etiam absolute.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 67. (230). Jecur aprinum veternosis datur. *Id.* 20. *ibid.* 4. 13. (24). Veternosis (*prodest*) quam acerrimos (*raphanos*) mandere. Adde *Marcellin. Empir. c.* 1. ¶ 2. Latiore sensu seu improprie dicitur de hydropico. *Gloss. Philox.* Veternosus, φθισικός, ὑδρωπικός. *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 369. 9. *Müll.* Veternosus dicitur, qui gravi premitur somno. Cato veternosum, hydropicum intelligi voluit quum ait: Veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit. *Varro* apud *Non. p.* 549. 22. *Merc.* Ut arquatis et veternosis lutea quæ non sunt, æque et lutea videntur. *Alii omittunt.* Hinc *Ter. Eun.* 4. 4. 21. Hic est vetus, vietus, veternosus, senex, colore mustelino. Ubi *Donatus*: Morbo vetere confectus, idest veterno: quales sunt, qui hydropen

patiuntur. Et recte; nam sæpe eunuchi in senecta veternosi fiunt et cito hoc laborant morbo. Sunt tamen qui heic *veternosum* eum intelligunt, qui languore ac torpedine laborat. ¶ 3. Utramque significationem junxit *Cato* apud *Gell.* 1. 15. Numquam tacet, quem morbus tenet loquendi, tamquam veternosum bibendi atque dormiendi. *Alii leg.* dormientem.

II.) Translate est languens, lentus, segnis, piger. *Seneca* 1. *Ira* 16. *a med.* Mihi videtur veternosi et infelicis animi, imbecillitatis sibi conscii, sæpe indolescere. *Sidon.* 1. *Ep.* 1. Veternosum dicendi genus imitari. *Augustin. Ep.* 48. *ad Vincent. post init.* Veternosa consuetudo. *Cassiod.* 1. *Variar.* 25. senectus. *Seneca Ep.* 82. *a med.* Non redigo ista ad legem dialecticam et ad illos veternosissimi artificii nodos. *h. e.* inanis, debilis et nihil conficientis.

VĔTERNUS, a, um, adject. (vetus) antiquus, vetus. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* in *carmine.* Quidquid Ascreus veterna Rupe pastor incinit. *Prudent.* 9. *Cathem.* 68. Lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia. *Apul.* 9. *Met. de mulis senib.* Totum corium veterna atque scabiosa macie exasperati. *h. e.* veterata. — Hinc

*Veternus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, duo diversa significat.

I.) Est, et quidem proprie, antiquitas, vetustas. *Stat.* 6. *Theb.* 93. *de silva.* stat sacra senectæ Numine nec solos hominum transgressa veterno Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes.

II.) Est morbus ex iis, qui cerebrum infestant, qui memoriam simul et rationem tollit inevitabilemque dormiendi necessitatem inducit, *letargo*, ληθαργος, καταφορά. *Priscian.* 2. *sub fin.* et *Donat.* in *Ter. Eun.* 4. 4. 21. putant esse a *vetus*, quia labes sit inveterata. ¶ 1. Proprie. *Plaut. Men.* 5. 4. 3. Num eum veternus aut aqua intercus tenet? *Ammian.* 16. 12. 66. Morbo veterni consumptus est. ¶ 2. Translate. — *a)* Interdum accipitur pro nimia dormitione. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (127). Primis diebus bis septenis tam gravi somno ursi premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant: tunc mirum in modum veterno pinguescunt. — *b)* Et quia veternus pigros homines facit et ad negotia inutiles, quemadmodum senectus, ideo quandoque pro pigritia, socordia, ignavia ponitur. *Virg.* 1. *G.* 124. Nec torpere gravi passus sua regna veterno. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. *a med.* Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset. *Cic.* 2. *ibid.* 13. *a med.* Erat in illa epistola veternus civitatis. *Catull.* 17. 24. stolidum excitare veternum. *Colum.* 7. *R. R.* 5. Pecudes mediocriter exercere et quasi torpentes excitare, nec pati veterno consenescere atque exstingui. — c) Dicitur etiam de situ et sordibus diu collectis ac veteratis. *Id.* 4. *ibid.* 24. *ante med.* Muscus, qui more compedis crura vitium devincta comprimit situque et veterno macerat, ferro destringendus est.

VĔTERNUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

VĔTĔRO, as, āvi, ātum, are, 1. (vetus) *Vetro* per syncopen in *Gloss. Cyrill.* Παλαιῶ, vetro, inveтro, invetresco. Hinc et *vetranus* pro *veteranus.* V. hanc voc. — Part. *Veteratus.* — Vetero usurpatur intransitive et etiam transitivorum more. ¶ 1. Intransitive, est idem fere ac veteresco, *invecchiare. Cels.* 3. 12. Quum febres veteraverunt, utilis fames non est. *Seneca Consol. ad Marc.* 1. *in fin.* Vulnera ubi corrupta in malum ulcus veterarunt, difficilius curantur. *Alii aliter leg.* ¶ 2. Transitivorum more, est veterem facio, antiquo. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 52. (141). Medetur alopeciis et ulceribus veteratis. *Scribon. Compos.* 140. Veteratum caseum mollem edere. — *Vulg. interpr. Hebr.* 8. 13. Dicendo autem (*Testamentum*) novum, (*Deus*) veteravit prius: quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.

VĔTĔRŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* vetus, aliquantum vetus. *Rufin.* 2. *Invectiv. in Hieronym. n.* 7. Doleo te suspicionem alieni perjurii in antiquis et veterulis chartulis perscrutari.

VĔTĬTUM, i, n. 2. et

VĔTĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĔTO, vĕtas, vĕtŭi *et raro* vĕtāvi, vĕtĭtum *et raro* vĕtātum, vĕtare, a. 1. — *a)* *Votare* pro *vetare* scripserant veteres. *Cassiod. Orth.* 1. *p.* 2283. *Putsch.* Hinc *votat, votet, votuit* apud *Plaut. Curc.* 1. 1. 33., *Trin.* 2. 4. 56. et 73. et *alibi.* Item *votitus* dictum est, ut *voster* pro *vester* etc. *Non. p.* 45. 5. *Merc.* Votitum veteres religione aliqua prohibitum vel interdictum dici voluerunt. *Plaut. Asin.* 4. 1. 44. Nolo habere illam causam et votitam dicere. *h. e.* vetitam moveri. — Etiam *vetuo, is,* videtur, saltem vulgo, usurpatum fuisse, unde præterit. *vetui. Petron.* 47. et 53. *Büch.* — *Beto* pro *veto* in *Inscr. Neap.* 6458. et apud *Fabretti* 61. 355. — *b)* De altero præterito *vetavi* auctorem habes *Pers.* 5. 90. Excepto si quid Nasuri rubrica vetavit. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 23. *a med.* Legatos in conspectum venire vetaveram. Ita multæ edit., *Victorii* quoque: at antiqu. *Vindelini* 1469. et *Aldi* 1533. vetueram. Sic et *Orell.* Adde *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 201., *Epit. Iliad.* 250. et *Vulg. interpr. Ital. Luc.* 11. 52. cod. *Cant.* — Item *vetatus* pro *vetitus,* quod *V.* suo loco. — c) Ratione habita etymi, recentiores ducunt a rad. Skr. *vat,* ejusd. significationis. — Part. *Vetans* 1. *f* et 2. *d*; *Vetitus* et *Vetatus* 1. *b* et *e,* supra et in fin. — Veto est impero ne fiat, prohibeo, abstineo, κωλύω (It. *non permettere, proibire, vietare;* Fr. *ne pas permettre, faire défense, défendre, interdire, prohiber;* Hisp. *vedar, defender, prohibir;* Germ. *nicht geschehen lassen, nicht lassen, widerrathen, verbieten;* Angl. *to forbid, prohibit*). ¶ 1. Generatim. Occurrit — 1.°) Universim. — *a)* Cum Infinito et Accusativo personæ vel rei. *Plaut. Epid.* 1. 1. 64. me vetuit domum venire. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. *sub fin.* Quum leges duos ex una familia non solum magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent. et 2. *ibid.* 20. *extr.* Ab opere legatos Cæsar discedere vetuerat. *Id.* 1. *B. C.* 41. *a med.* Castra vallo muniri vetuit. *Cic.* 5. *Fam.* 13. *circa med.* Rationes a te collectæ vetabant, me reipublicæ penitus diffidere. *Nepos Eumen.* 12. *ad fin.* Vetuit ad eum quemquam admitti. — Cum Infinito tantum. *Horat.* 3. *Od.* 27. 15. Nec vetat ire picus. *Martial.* 6. 91. Sancta ducis summi prohibet censura vetatque Mœchari. — *Quid vetat?* formula, qua utimur in re concessa aut facili. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 56. Quid vetat et nosmet quærere, cur etc.? *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 35. Quid vetat et nervos magicas torpere per artes? *Id.* 1. *Fast.* 295. Quid vetat et stellas, ut quæque oriturque caditque, Dicere? *Horat.* 1. *Sat.* 1. 25. ridentem dicere verum Quid vetat? — Passive *vetor,* mihi interdicitur, *mi vien proibito. Nepos Hamilc.* 3. Ut a præfecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse. *Lucan.* 4. 646. standum est tibi, dixit (*Alcides Antæo*) et ultra Non credere solo sternique vetabere terra. *Id.* 7. 371. vetitusque ætate senatus Arma sequi. *Tac.* 2. *Ann.* 59. Senatores vetiti ingredi Ægyptum. Adde *Liv.* 23. 16. et 34. 9. *Lucan.* 7. 316. agmina vetita virtute moveri. *et* 6. 470. æquor vetitum sentire procellas. *Ovid.* 4. *Fast.* 751. Nemus vetitum intrare. *Vulg. interpr. Act.* 16. 6. Vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei etc. — Impersonaliter. *Ter. Phorm.* 5. 6. 25. Ait, esse vetitum intro ad heram accedere. — Et subaudito Infinito. *Cic. Amic.* 22. *sub fin.* Acta agimus: quod vetamur veteri proverbio. *Tac.* 3. *Ann.* 26. Vetustissimi mortalium nihil per metum vetabantur. — *b)* Cum Conjunctivo et part. *ut, ne, quin. Horat.* 1. *Sat.* 4. 124. sive jubebat ut faceret quid, sive vetabat. *Tibull.* 2. 7. 18. Illius ut verbis sis mihi lenta, veto. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 239. Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem Tingeret. *Id.* 2. *Sat.* 3. 187. Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur? *Plaut. Curc.* 1. 1. 33. nemo hinc prohibet nec votat, Quin quod palam est venale, si argentum est, emas. — Et particulâ subauditâ. *Horat.* 3. *Od.* 2. 26. vetabo, qui Cereris sacrum Vulgarit arcanæ, sub isdem Sit trabibus. — c) Cum Acc. personæ tantum, ubi res, quæ vetatur, facile subauditur. *Stat.* 12. *Theb.* 558. Quos vetat igne Creon. *h. e.* rogis et igne supremo interdicit. — *Horat.* 1. *Sat.* 10. 31. Quum Græcos facerem versiculos, vetuit tali me voce Quirinus: in silvam ne ligna feras. — Et passive. *Virg.* 1. *Æn.* 39. Quippe vetor fatis. — d) Cum Acc. rei. *Ovid.* 2. *Fast.* 541. Nec majora veto: sed et his placabilis umbra est. *Id.* 11. *Met.* 493. Quid jubeatve vetetve. *Virg.* 2. *Æn.* 84. quia bella vetabat, Demisere neci. *Seneca Herc. Œt.* 1624. Stat vasta late quercus et Phœbum vetat. *h. e.* solis radios arcet. *et ibid.* 150. Et solem vetuit Delia tardior. *h. e.* solem morata est, ne suo tempore oriretur. *Lucan.* 9. 301. iter mediis natura vetabat Syrtibus. — Et passive. *Horat.* 3. *Od.* 24. 58. Ludere vetita legibus alea. *Virg.* 6. *Æn.* 623. Hic thalamum invasit natæ vetitosque hymenæos. *Seneca Herc. Œt.* 1584. Ante descendet glacialis Ursæ Sidus et ponto vetito fruetur. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *a med.* Factum vetitum quidem, non tamen inusitatum. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 21. Desinat in vetitas, quæso, contendere terras. *Lucan.* 3. 664. Robora quum vetitis prensarent altius ulnis. *h. e.* quum prohiberentur prenсare ulnis spondas navis. *Tac.* 1. *Hist.* 22. Mathematici, genus hominum, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur. — *e)* Absolute. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 67. fratrem Supposuit tumulo, rege vetante, soror. *Id.* 10. *Met.* 354. res ipsa vetat. *Id. Remed. Am.* 133. Quin etiam accendas vitia irritesque vetando. *Quintil.* 7. 5. 5. Lex vetat. — 2.°) Fuit verbum proprium prætoris. *Cic. Cæcin.* 13. 36. Prætor, qui dies totos aut vim fieri vetat, aut restitui factam jubet, aut etc. Adde *Cels. Dig.* 42. 1. 14. etc. — 3.°) Item tribunorum pleb. *Liv.* 3. 13., 6. 35., *Sueton. Tib.* 2. *extr.*, *Gell.* 13. 12. *V.* INTERCEDO. — 4.°) Item in re augurali. *Ter. Phorm.* 4. 4. 42. Haruspex vetuit. *Cic.* 2. *Divinat.* 38. 80. Volucres tum vetent agere, tum jubeant. *Ovid.* 6. *Fast.* 764. Si vetet auspicium. ¶ 2. Specialim est prohibeo, arceo, defendo, impedio ne quippiam fiat: construitur autem — *a)* Cum Acc. *Val. Flacc.* 8. 303. nec longius inter, Quam quod tela vetet, superest mare. *Tac.* 11. *Ann.* 20. Fossam præduxit, qua incerta Oceani vetarentur. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 173. Avertam luctus et tristia damna vetabo. — *b)* Cum Infinito. *Virg.* 10. *Ecl.* 56. non me ulla vetabunt Frigora Parthenios canibus circumdare saltus. *Propert.* 2. 22. 4. hos vetuit me numerare timor. — c) Cum Conjunctivo et part. *quo minus. Seneca Ep.* 9. *ab init.* Sapientia, quæ artem vitæ professa est, nulla re, quo minus se exerceat, vetari potest. *h. e.* impediri. — *d)* Absolute. *Ovid. Heroid.* 13. 131. Quo ruitis, Danai? ventos audite vetantes. *h. e.* adversos. Sic *ibid.* 128. pelago vetante. — Hinc

*Vetitum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est res vetita. *Ovid.* 5. *Fast.* 282. Sed jam de vetito quisque parabat opes. *Id.* 3. *Amor.* 4. 17. Nitimur in vetitum semper cupimusque negata. ¶ 2. Et interdictum, *proibizione, divieto. Cic.* 2. *Legg.* 4. *circa med.* (et 3. *ibid.* 3. *extr.*) Jussa ac vetita populorum vim habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi. *Virg.* 15. *Æn.* 8. Abnueram bello Italiam concurrere Teucris: Quæ contra vetitum discordia?

**Homonym.** Ita differunt *vetare, arcere* et *prohibere,* ut *vetare* proprie sit dictis interdicere, et *arcere, prohibere* factis. *Plaut. Curc.* 1. 1. 33. Nemo hinc **prohibet** nec **vetat,** quin emas. Sed hoc discrimen non semper servatur.

VĔTŌNĬCA. *V.* BETONICA.

VETRĀNUS. *V.* VETERANUS.

VETRO. *V.* VETERO.

VETTŎNĬCA. *V.* BETONICA.

VĔTŬLA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VĔTŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* vetus, de eo dicitur, qui senium et vetustatem ingressus est: tametsi et pro vetere et sene passim accipitur, antiquus, vetustus, senex, *vecchio:* usurpatur autem tum de personis, tum de rebus.

*Plaut. Merc.* 2. 2. 43. Vetulus, decrepitus senex. *Horat.* 4. *Od.* 13. 25. cornix. *Varro Sat. Menipp.* 1. *p.* 89. *Oehl.* canterius. *Cic. Quinct.* 7. 29. gladiator. *Id.* 13. *Att.* 29. Filia vetula sane et multarum nuptiarum. *Catull.* 27. 1. Minister vetuli puer Falerni. *Martial.* 13. 112. Vetuli cadi. *et ibid.* 55. Vetulus petaso. *Cic. Amic.* 19. 67. Equis vetulis teneros anteponere solemus. *Id.* 5. *Fin.* 14. 39. Arbor novella et vetula. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vetula, æ,* f. 1. anus, anicula, *vecchietta, vecchia. Juvenal.* 6. 240. utile porro Filiolam turpi vetulæ producere turpem. *Martial.* 8. 79. Omnes aut vetulas habes amicas Aut turpes vetulisque fœdiores. Adde *Plaut. Most.* 1. 3. 118. et *Hieronym.*, ubi *adulescentulæ* opponitur. — *Vetulam facere* quid sit, *V.* in VITULA.

*Vetulus, i,* m. 2. senex, *vecchietto, vecchio. Plaut. Epid.* 2. 2. 4. Conspicor quales volo, vetulos duo. — Lepidus est jocus, quo utitur Cicero, dum C. Trebatium Testam, multo illo juniorem, vetulum compellat; alludit enim ad ipsius nominis gentilicii significationem, quod senem et veteratorem indicat. *V.* TREBAX. *Cic.* 7. *Fam.* 16. Tu tamen, mi vetule, non sero (*sapis*).

VĔTŪLUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

VĔTŬO. *V.* VETO.

VĔTUS, vĕtĕris, adject. omn. gen. — *a*) In recto casu antiqui etiam *veter* dixere: unde obliqui casus et gradus. *Ennius* apud *Priscian.* 3. *p.* 607. *Putsch.* Quum veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo. *Accius ibid.* 6. *p.* 716. Veter fatorum terminus sic jusserat. — In ablativo sing. duplicem positionem habet *vetere*, quæ præstat, et *veteri*. *Nepos Att.* 7. *extr.* Sic vetere instituto vitæ effugit nova pericula. *Tac.* 1. *Ann.* 58. Vetere in provincia. Adde *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4. 4. 21. — *Stat.* 1. *Theb.* 360. et veteri spumavit Lerna veneno. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 11. veteri obruta morbo Corpora. — Plur. *veteria, ium,* videtur vulgo usurpatum. *Prob. De nom.* 11. — *b*) Ratione habita etymi, *Gell.* 16. 5. *ante med.* a *ve* et *ætas* contractum putat, quum *ve* particula intentionem significet, ita ut *vetus* ab ætatis magnitudine compositum elisumque sit. At recentiores conferunt cum Gr. ἔτος, annus, præposito digemmate, et utrumque cum Skr. *vet,* annus. — Comp. *Veterior* et Sup. *Veterrimus* I. 1. *a.* — Vetus proprie qui est multi temporis, antiquus, priscus, παλαιός (It. *antico, vecchio, vetusto;* Fr. *ancien, vieux, antique, d'autres fois;* Hisp. *viejo, antiguo;* Germ. *was schon lange Zeit besteht, alt, bejahrt;* Angl. *old, ancient, antique*): cui *juvenis* vel *novus* vel *præsens* vel *recens* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Absolute. *Plaut. Merc.* 2. 2. 20. Acheruntieus senex, vetus, decrepitus. *Id. ibid.* 5. 4. 15. Novus amator, vetus puer. *Id. Truc.* 1. 2. 50. Vetus maceria. *Ter. Heaut. prol.* 22. poeta. *Cæs.* 5. *B. G.* 15. navis. *Sall. Cat.* 24. consuetudo. *Id. Jug.* 87. nobilitas. *Cic.* 1. *Orat.* 37. 168. Vetus atque usitata exceptio. *Virg.* 5. *Æn.* 576. Veteres parentes. *Varro* 2. *R. R.* 11. 2. pecudes. *Liv.* 42. 47. senatores. *Ovid.* 7. *Met.* 333. Vetus cruor. *Tibull.* 1. 9. 4. caput. *et* 4. 1. 111. ætas. *Horat. Epod.* 8. 3. senectus. *Phædr.* 1. 21. Vindicare veterem injuriam. *Cic.* ad *Planc.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Paternæ magnæ et veteres et justæ necessitudines. *Id.* 2. *Orat.* 67. 194. Veteres heroum casus. Rursus *Plaut. Pers.* 1. 2. 1. Vetus atque antiquus quæstus. *Id. Most.* 2. 2. 45. Scelus antiquum et vetus. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 153. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves? *antiquam* obsoletam, translatitiam, pervulgatam; plus est enim *antiquus* quam *vetus.* Sic *Trin.* 2. 2. 100. Historiam veterem atque antiquam hæc mea senectus sustinet. *et Amph. prol.* 118. Veterem atque antiquam rem, novam ad vos proferam. (*V.* ANTIQUUS). *Cic.* 2. *Tusc.* 16. *a med.* Videmus ex acie afferri sæpe saucios: et quidem rudem illum et inexercitatum, quamvis levi ictu, ploratus turpissimos edere: at vero illo exercitatus et vetus ob eamque rem fortior etc. *Cato ibid.* Antemna veterior est, quam Roma. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 30. Senem illum tibi dedo veteriorem etc. Ita *Priscian. loc. cit.*, alii leg. *ulteriorem.* et *Truc.* 1. 2. 71. Quam veterrimus homini optimus est amicus. *Cic. Amic.* 19. 67. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetustatem ferunt) esse debent suavissima. *Liv.* 5. 54. Veterrimi populi. — *b*) Cum Genetivo. *Tac.* 4. *Hist.* 20. Illi veteres militiæ in cuneos congregantur, densi undique etc. *pratici, esperti:* (V. *Heräus* ad *h. l.*) quibus *tirones* opponuntur. Sic 1. *Ann.* 20. Vetus operis ac laboris. *pratico e assuefatto.* et *Sil. It.* 4. 532. gnaros belli veteresque laborum. *Tac.* 6. *Ann.* 44. Vetus regnandi. *et ibid.* 12. scientiæ et cærimoniarum. Adde *Sil. It.* 6. 616. et 17. 293. et *Inscr.* apud *Henzen Suppl. n.* 7416. — Hinc *bellivetus,* conjuncte, in *alia* apud *Rénier Inscr. Afr.* 36. — *c*) Cum Abl. et præp. *in. Donat.* in *Ter. Andr.* 2. 6. 26. Vetus in astutia. *invecchiato.* — *d*) Cum Infinito. *Sil. It.* 5. 565. Hinc Fadum petit et veterem bellare Labicum. ¶ 2. *Veteres* dicuntur senes, qui diu vixerunt, *vecchi. Sall. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Queis rebus aliquantam partem gloriæ dempserat, maxime apud veteres et sanctos viros. *Alii interpr.* graves, ob ætatem severiores. *Varro* 2. *R. R.* 11. *ab init.* Lac melius est a valentibus (*pecudibus*) et ab iis, quæ nondum veteres sunt, quam si est contra. — *Liv.* 42. 47. Hæc magna pars senatus approbabat: veteres et moris antiqui memores negabant, se etc. — De brutis animantibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (146). Gallinæ juvencæ plura, quam veteres etc. ¶ 3. *Vetus verbum* pro vulgari dicto seu proverbio. *Plaut. Truc.* 4. 4. 32. V. VERBUM. ¶ 4. *Veteres* etiam in aliquibus coloniis dicuntur ii cives, qui ante coloniam deductam ibidem morabantur et *novis* seu *novanis* opponuntur, qui sunt coloni in easdem urbes deducti. *Cic.* 4. *Verr.* 50. 123. Agrigentinorum duo genera sunt, unum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius prætor ex S. C. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum. *et mox.* Legesque similes de numero veterum ac novorum dedit. *V.* FABRATERNUS in ONOM. ¶ 5. In Romano foro duplex fuit tabernarum genus, veteres et novæ: illarum situs *sub veteribus* designatur; harum *sub novis. Plaut. Curc.* 4. 1. 19. Sub veteribus ibi sunt qui dant quique accipiunt fenore. *Varro* 6. *L. L.* 59. *Müll.* Sub novis dicta pars in foro ædificiorum: quod vocabulum ejus pervetustum, ut novæ viæ, quæ via jamdiu vetus. Adde *Liv.* 3. 48., 26. 27. et 44. 16. *in fin.* ¶ 6. *Vetera* ea quoque appellantur, quæ paullo ante fuerunt. *Nepos Eumen.* 11. Veniebant ad Eumenem, qui propter veterem amicitiam consolari cuperent. *Sueton. Vesp.* 8. Consulatus octo veteri addidit. *Ovid.* 1. *Met.* 236. Fit lupus et veteris servat vestigia formæ.

II.) Translate. ¶ 1. Est probatus, laudabilis. *Inscr.* apud *Fabretti p.* 31. *n.* 150. VETERIS SANCTITATIS MATRONA. Cf. ANTIQUUS. ¶ 2. *Vetus homo,* cui opponitur *novus,* non ad ætatem, sed ad vitam seu vitæ mores et religionem habito respectu. *Vulg. interpr. Col.* 3. 9. Exspoliare veterem hominem. Adde *Rom.* 6. 6. et *Eph.* 4. 22. *Tertull.* 5. *contra Marcion.* 19. Docebat exponere veterem hominem. *h. e.* deponere. Adde *Cyprian. Ep.* 11. et *Lactant.* 3. 26. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vetera, um,* n. plur. 3. ea, quæ jamdiu præterita sunt, vetusta. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 129. Vetera vaticinamini. *cose rancide,* sæpe jam dicta, vulgata, omnibus nota. *Cic.* 8. *Att.* 3. Illa vetera omittere. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 29. Vetera scrutari. *Tac. Dial. de orat.* 15. mirari. *Sall. Cat.* 37. Vetera odisse, nova exoptare. Rursum *Tac.* 1. *Ann.* 58. Vetera novis antehabeo. Adde *eumd. Dial. de orat.* 18. et 37.

*Veteres, um,* m. plur. 3. ¶ 1. Sunt majores, et qui longo ante nos tempore vixerunt, sive senes fuerint sive non, *i maggiori, gli antichi. Cic.* 5. *Phil.* 17. 47. Veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant. Ubi *veteres* ad tempus refertur, *antiqui* ad mores. *V.* ANTIQUUS. ¶ 2. De scriptoribus antiquis. *Quintil.* 9. 3. 1. Omnes veteres et Cicero præcipue. *Id.* 5. 4. 1. Orationes veterum et novorum. Adde *Fronton. Ep. ad amic.* 1. 18. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 12. (59). Onychen in Arabiæ montibus, nec usquam aliubi nasci putavere nostri veteres. — Ceterum ambigua est vocabulorum *vetus, vetustus* et *antiquus* notio, ubi de scriptoribus usurpantur, inquit *Weichert.* De hac re V. *Ernesti* ad *Sueton. Tib.* 70. et *Wolf* in *Prolog.* ad *Ps.-Cic. Or.* pro *Marc. p.* 22. et præcipue *Tac. Dial. de orat.* 16. et 17. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

H o m o n y m. Discrimen inter *veterem, vetustum* et *antiquum* V. sub ANTIQUUS. — Aliud discrimen addimus inter *veterem* et *priscum* ex *Cic. Tim.* 11. Credendum est v e t e r i b u s et p r i s c i s, ut ajunt, viris. Ubi *veteres* ad tempus refertur, et *prisci* ad mores simplices et integerrimos.

VĔTUSCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* vetus, aliquantum vetus, *antichetto. Fronto De eloqu.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 232. Ut figuram injiceres, prisco verbo adornares, colorem vetusculum adpingeres. Adde *Sidon.* 8. *Ep.* 16., ubi alii leg. *vetustulus.*

VĔTUSTAS, ātis, f. 3. (vetustus) longum decursi temporis spatium, antiquitas, senectus, γῆρας, ἀρχαιότης, παλαιότης (It. *vecchiezza, antichità, vetustà;* Fr. *vieillesse, antiquité;* Hisp. *vejez, vejedad, antiguedad;* Germ. *das Alter;* Angl. *antiquity, ancientness, oldness*). Occurrit tamquam nomen abstractum, et etiam concretum.

I.) Abstracto, ut ajunt, sensu. ¶ 1. Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Phil.* 6. 15. Municipium vetustate antiquissimum. *Id.* 2. *leg. Agr.* 21. *a med.* Qui agrum Recentoricum possident, vetustate possessionis se, non jure, defendunt. *Id. Amic.* 19. 68. Novitates, si *etc.* non sunt repudiandæ; vetustas tamen suo loco conservanda. *et ibid.* Maxima est vis vetustatis et consuetudinis. *Virg.* 3. *Æn.* 415. Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 11. exiguis prodest annosa vetustas: Grandibus accedunt tempore damna malis. *Id.* 12. *Met.* 182. Tum senior: quamvis obstet mihi tarda vetustas Multaque me fugiant etc. *la vecchiaia,* senectus. *Liv.* 2. 21. Ut nec qui consules, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum digerere possis. *Quintil.* 12. 10. 3. Pictores, quorum opera vetustatis gratia visenda sunt. *Ammian.* 16. 2. 1. Muri carie vetustatis invalidi. *Curt.* 3. 4. 10. Vetustas exederat multa monumenta. *Id.* 4. 1. 15. Vetustate inclita urbs. *Id.* 8. 10. 24. Longa vetustas. *Inscr.* quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCIL., apud *Fabrett. p.* 434. *n.* 14. VICTORIAE AVGVSTAE SACRVM RESTITVTAE POST ANTIQVISSIMAM VETVSTATEM ORDO VALENTIVM. — In plur. num. *Cic.* 1. *Rep.* 31. 47. Quæ familiarum vetustatibus et pecuniis ponderantur. — *b*) Speciatim est longinquitas temporis sive præteriti sive futuri, diuturnitas, duratio, *il lungo andare del tempo, lunga durata. Cato R. R.* 114. et *Colum.* 12. *R. R.* 28. Vinum in vetustatem servare. *Cic. Senect.* 18. 65. Ut non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. *Id.* 2. *Divinat.* 33. *a med.* Errabat multis in rebus antiquitas, quam vel usu jam vel doctrina vel vetustate immutatam videmus. *Id.* 14. *Att.* 9. *a med.* Quæ mihi videntur habitura etiam vetustatem. *h. e.* diu esse duratura. *Ovid.* 5. *Trist.* 9. 8. Scripta vetustatem si modo nostra ferent. *Id.* 15. *Met.* 871. Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira nec ignes Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas. *Quintil.* 10. 1. *ante med.* Auctores qui vetustatem pertulerunt. *h. e.* ætatem tulerunt, ut de vinis dicitur. *Colum.* 3. *R. R.* 2. *circa med.* Vinum vetustatem patitur. *h. e.* diu durat. *et* 12. *ibid.* 44. *sub fin.* Poma in vetustatem reponere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 6. 12. (54). Terebinthi materies admodum lenta ac fidelis ad vetustatem. — *c*) De longa notitia et consuetudine amicorum inter se. *Cic.* 13. *Fam.* 32. Velim existimes, hos mihi maxime esse conjunctos vetustate, officiis, benivolentia. *et* 11. *ibid.* 16. L. Lamia

utor uno omnium plurimum: magna vetustas, magna consuetudo intercedit. Adde 10. *ibid.* 10. *extr.* et *Q. Cic. Petit. cons.* 5. — d) *Vetustas ulcus occupare* dicitur a *Celso* 5. 26. *n.* 31., quum vulneri inducitur callus et circum oræ crassæ livent: post quæ quidquid medicamentorum ingeritur, parum proficit. Sic *Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 74. (127). Lilii flos et folia illinuntur ulcerum vetustati. ¶ 2. Translate. *Tertull. De pudic.* 20. Si vero post abolitionem in vetustatem aliquid ex illa revixerit. *h. e.* in veterem, *sc.* ethnicum, hominem. Cf. VETUS.

II.) Concreto, ut ajunt, sensu est ætas antiqua, et per metonymiam ipsi veteres. Cf. ANTIQUITAS. *Cæs.* 1. *B. C.* 6. Lictores habent in urbe privati contra omnia vetustatis exempla. *Sall.* 3. *Hist.* 64. Curetas vetustatem altores Jovis celebravisse. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 26. Historia nuntia vetustatis. — *Sil. It.* 1. 26. sic credidit alta vetustas. *Quintil.* 1. 5. 72. Judicio vetustatis. *Ammian.* 30. 4. 2. Vetustatis lectionibus ingenium expolitum. Adde *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 115. et *Claudian. De bell. Get.* 124. Cf. *Cic. Mil.* 35. 98. De me nulla umquam obmutescet vetustas. *h. e.* posteritas.

VĔTUSTĀTUS, a, um, particip. *V.* VETUSTO.

VĔTUSTĒ, adverb. (vetustus) Sup. *Vetustissime.* — Vetuste ¶ 1. Est more veterum, *anticamente, all' antica. Ascon.* in 4. *Verr.* 13. *ante med.* Quem commodum erat: Vetuste posuit pro eo, quem volebat. *et* in 3. *ibid.* 47. An vetuste bonos pro magnis, honestos pro divitibus posuit? ¶ 2. Item ex longo tempore. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (46). Vetustissime in usu est. *è gran tempo, che s' adopera.* At recentiores in opti. Codd. leg. *vetus sine usu est.*

VĔTUSTESCO et vetustisco, is, ere, n. 3. (*inchoat.* a vetustus) *Vetustisco* est *Nigidii* apud *Non. p.* 437. 25. *Merc.* — Vetustesco est inveterasco, vetustatem acquiro, *invecchiarsi, παλαιόομαι. Colum.* 1. *R. R.* 6. *a med.* Quoniam vina celerius vetustescunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt. Adde *Onom. Lat. Gr.* in *Thes.* ed. *Vulc.*

VĔTUSTISCO. *V.* voc. præc.

VĔTUSTO, as, ātum, are, a. 1. (vetustus) Part. *Vetustatus.* — Vetusto est vetustum facio. *Theod. Priscian.* 1. 10. Vetustatum (*medicamentum*) magis operabitur. — *Vetustari,* sensu medio, vel intransitive, deponentium more, ut vult *Furlanetto* in *App.,* est vetustum fieri. *Boeth.* in *Arist. De interpr.* ed. pr. 1. *p.* 238. *M.* Fortasse enim utendo vetustabitur (*tunica*).

VĔTUSTOR, āris. *V.* voc. præc.

VĔTUSTŌSUS, a, um, adject. (vetustus) valde vetustus. *Cassiod.* 1. *Variar.* 25. Vetustosa senectus. Alii leg. *veternosa.*

VĔTUSTŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a vetustus, aliquantum vetustus. *Sidon.* 8. *Ep.* 16. Siquidem maturo, ut es ipse, lector. vetustula, torosa et quasi mascula dictio placet. Alii leg. *vetuscula.*

VĔTUSTUS, a, um, adject. (vetus) Comp. *Vetustior* I. 1. et II.; Sup. *Vetustissimus* I. 1. et 2. — Vetustus est vetus, antiquus, *vecchio, antico, vetusto, ἀρχαῖος, παλαιός.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Curc.* 1. 2. 4. Veteris vetusti vini cupida sum. *Lucret.* 2. 1171. spatio ætatis defessa vetusto. *Cic.* 13. *Fam.* 36. Cum Demetrio mihi vetustum hospitium est. *Virg.* 2. *Æn.* 713. tumulus templumque vetustum Desertæ Cereris. *Horat. Epod.* 2. 43. Vetustis lignis focum exstruere. *di legna secche.* et 3. *Od.* 17. 1. Vetustum oppidum. *Ovid.* 11. *Met.* 360. templa luco umbrosa vetusto. *Liv.* 2. 23. *extr.* Vetustiores scriptores. *Quintil.* 1. 7. 11. Vetustissima tempora. *Colum.* 12. *R. R.* 23. Pix quanto facta est vetustior, eo melior in usu est. *et ibid.* 38. Vetustissimæ vineæ. *Id.* 8. *ibid.* 5. Aptissima ova ad excludendum recentissima quæque: possunt tamen etiam requieta supponi, dum ne vetustiora sint, quam dierum decem. *Juvenal.* 8. 34. canes pigri scabieque vetusta Leves. *rogna invecchiata. Virg.* 9. *Æn.* 284. genetrix Priami de gente vetusta Est mihi. *antica e nobile prosapia.* et *Ovid.* 6. *Fast.* 309. Mos vetustus. *et* 3. *Pont.* 3. 11. vetusta Pæne puer puero junctus amicitia. *Tac.* 5. *Ann.* 10. Vetustum commilitium. *Capell.* 5. *p.* 165. Propria sunt vetusta (*verba*) præcipue. *h. e.* obsoleta, nam *mox.* Sed quia verborum veterum jam exolevit usus, non sunt audacius usurpanda. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. *extr.* Vetustior memoria. *Sueton. Vesp.* 8. *extr.* Instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecit. *h. e.* commentarium, quo continebantur vetustissima quæque imperii acta pæne ab exordio Urbis. ¶ 2. Speciatim refertur ad annos ætatis. *Liv.* 23. 22. *sub fin.* Qui vetustissimus ex eis, qui viverent, censoriis esset. *Tac.* 2. *Ann.* 2. Venerunt legati, qui vetustissimum liberorum ejus accirent. *il più vecchio.* Adde *ibid.* 43.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 21. 83. Lælius vetustior et horridior quam Scipio: et quum sint in dicendo variæ voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur. — De loco *Gellii* 13. 21. V. *Müller De re metr. p.* 381.

Homonym. Hoc interest inter *vetus* et *vetustum,* ut docet *Isid. De diff.* in *App. n.* 36., quod *vetus* novo comparatur; e contrario *vetustus* ad antiquitatem refertur. Cf. *Plaut. Curc.* 1. 2. 4. Vetus vetustum vinum.

VEXĀBĬLIS, e, adject. (vexo) ¶ 1. Active, qui molestiam affert. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. 78. Noxium atque vexabile est. Adde 2. *ibid.* 9. 39. et 41. ¶ 2. Passive, qui molestiam suffert. *Lactant.* 7. 5. § 10. Vexabilia membra.

VEXĀBĬLĬTER, adverb. (vexabilis) molestiam afferendo, moleste. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. 41.

VEXĀMEN, inis. n. 3. (vexo) concussio, vexatio. *Lucret.* 5. 341. Aut cecidisse urbes magno vexamine mundi.

VEXANS, antis, particip. *V.* VEXO.

VEXĀTĬO, ōnis, f. 3. (vexo) concussio, quassatio, jactatio, quæ fit v. gr., quum aliquid sine cura portatur, ἐνόχλησις (It. *agitazione, sbattimento;* Fr. *agitation violente, ébranlement, secousse;* Hisp. *agitacion, bamboleo, sacudida;* Germ. *die starke Bewegung, Erschütterung;* Angl. *a shaking or tossing hither and thither*).

I.) Proprie. *Liv.* 44. 5. *a med.* Minimum pedibus itineris confectum, plerumque provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis processerunt. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (253). Sterilitatem ob partus vexationem fieri, certum est. *Petron. fragm. Tragur.* 60. *Burmann.* Omnes placentæ, omnia poma, etiam minima vexatione contacta, cœperunt effundere crocum. *Colum.* 1. *R. R.* 3. Vexationem viæ non reformidare.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Lactant.* 3. 29. § 26. Quæ (*virtus*) nisi agitatur, nisi assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta. ¶ 2. Speciatim est magna et infesta agitatio, jactatio, molestia, *molestia, travaglio, insolenza, oltraggio, battitura, vessazione, κάκωσις. Cic.* 4. *Tusc.* 8. *a med.* Afflictatio est ægritudo cum vexatione corporis. *Id.* 4. *Cat.* 1. *a med.* Ut virgines Vestales ex acerbissima vexatione eriperem. *et* 1. *ibid.* 7. *a med.* Vexatio direptioque sociorum. *Liv.* 38. 59. *sub fin.* Quod ex bonis redigi non possit, ex corpore et tergo per vexationem et contumelias L. Scipionis petituros inimicos. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (210). Putatæ vites alligentur alio loco; namque orbitas vinculi sentiunt vexatione non dubia. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (79). Dentes sine vexatione extrahere. *Id.* 31. *ibid.* 6. 35. (68). Sine vexatione stomachi. *Sueton. Tib.* 61. *a med.* Partim se domi vulneraverunt, ad vexationem et ignominiam vitandam. *Martial.* 10, 81. Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus, Mane vel a media nocte togatus ero. *la mia fatica, incomodo e disturbo.* et *Liv.* 7. 10. *ad fin.* Jacentis corpus ab omni alia vexatione intactum uno torque spoliavit. *senza usargli altro strapazzo o insolenza.*

VEXĀTĪVUS, a, um, adject. (vexo) qui vexat et affligit. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. 156. et 3. *Tard.* 4. 63.

VEXĀTOR, ōris, m. 3. (vexo) qui vexat, infestator, *chi molesta, infestatore, vessatore, ἐπηρεαστικός. Cic. Harusp. resp.* 22. *in fin.* Tam crudelis mei, tam sceleratus reipublicæ vexator esse potuisset? *Id. Sext.* 8. 18. Veteres vexatores ætatulæ suæ despiciens. *h. e.* stupratores suos. *Id.* 3. *Phil.* 11. 27. Custosne urbis, an direptor et vexator esset Antonius. Adde *Mil.* 13. 35.

VEXĀTRIX, tricis, f. 3. (vexator) quæ vexat et molestiam affert. *Lactant.* 3. 29. *circa med.* Fortuna generis hominum vexatrix perpetua. *Prudent. Psychom.* 58. Libido vexatrix hominum.

VEXĀTUS, a, um, particip. *V.* VEXO.

VEXILLĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq.

VEXILLĀRĬUS, ii, m. 2. (vexillum) *Vixillarius* pro *vexillarius* in *Inscr.* apud *Donati p.* 463. — Vexillarius est signifer, qui vexillum fert, σημειοφόρος (It. *alfiero;* Fr. *porte-enseigne;* Hisp. *abanderado, alferez;* Germ. *der Fähnrich;* Angl. *a standard-bearer*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Liv.* 8. 8. Ordo sexagenus milites et duos, centurionem et vexillarium unum habet. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 41. ¶ 2. *Vexillarii* dicti sunt etiam milites, qui plerumque veterani et emeriti erant, quique, sumpti lectique ex legionibus ab iisque divisi, aliis jungebantur, ut res postulabat, legionibus et cum iisdem militabant: quod factum videtur vel invidiæ vitandæ causa, quia exauctorati munerum vacationem habebant; vel ne ob stipendiorum diuturnitatem nimia præ aliis auctoritate pollerent; vel denique, si juniores, non veterani, erant, ut vigore ac levitate corporis velociores legionem, cujus pars erant, relictis post se signis, sub vexillo antecedere et paullo longius, ubi opus erat, progredi possent. Ita porro videntur appellati, quia separatim a legionum aquilis et cohortium signis, sub proprio vexillo erant, quam ob causam vexilla a cohortibus, quæ in legionibus erant, *Tac.* 1. *Hist.* 70. aperte distinguit. *Id.* 2. *ibid.* 83. Legio sexta et tredecim vexillariorum milia ingenti agmine sequebantur. *Id. ibid.* 100. Postremo agmine unaetvicesima legio Rapax et prima Italica incessere cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. *Veget.* 2. 110. *ad fin.* Magnus vexillariorum numerus ad internecionem cæsus. *Inscr.* apud *Fea, Framm. de' fasti cons. p.* 86. L. ROSCIO M. F. QVI. AELIANO MAECIO CELERI TRIB. MIL. LEG. IX. HISPAN. VEXILLARIOR. EIVSDEM etc. *V.* VEXILLUM. Cf. *Nipperd.* in *Tac.* 1. *Ann.* 17. et *Hein* in *Pauly Real-Enc.* 6. 2541.; item *Mommsen Ephem. epigr.* 1. 135. *n.* 1. et *Bötticher* in *Lex. Tac. p.* 489. — Apud *Vopisc. Prob.* 5. *in fin.* Salarium duplex feci, vexillarium deputavi. *vexillarium* ei. *Furlanetto* putat esse neutr. generis, non tamen interpretatur. ¶ 3. *Vexillarius* est etiam vexillorum fabricator. *Inscr.* apud *Gruter.* 753. 4. APPIVS EVTYCHIANVS MARITVS EIVSDEM VALERIANAE SCHOLAE VEXILLARIORVM LARGITVS EST HS. XXXX. N. EX CVIVS SVMMAE REDITV QVODANNIS DIE s. s. (*h. e.* supra scripta) NATALIS EIVS ANTE STATVAM LECTIST. EX ✠ CCL. PONANT.

II.) Translate. *Apul.* 4. *Met.* Tunc sublimis ille vexillarius latronum. *capo, antesignano,* antesignanus. *Eum. Paneg. Const.* 16. Vexillarius latrocinii.

VEXILLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vexillum) ¶ 1. Est manus militum, qui ab legionibus suis sejuncti sub vexillo, non sub aquilis legionum aut cohortium signis militabant. *V.* vocem præc. *Sueton. Galb.* 20. Illud mirum admodum fuerit, neque præsentium quemquam opem imperatori ferre conatum, et omnes, qui arcesserentur, sprevisse nuntium, excepta Germanicianorum vexillatione. *Inscr.* apud *Gruter.* 441. 4. L. NERATIO C. F. VEL. PROCVLO MISSO AB IMP. ANTONINO PIO AD DEDVCENDAS VEXILLATIONES IN SYRIAM OB BELLVM PARTHICVM. *Alia* apud *eumd.* 407. 1. L. FABIO M. F. GAL. CILONI SEPTIMINO DVCI VEXILL. PER ITALIAM PRAEPOSITO VEXILLATION. PERINTHI PERGENTIBVS *etc.* Alia apud *Murat.* 237. 2. VEXILLATIO LEG. VI. VICTR. P. F. et apud *Donat.* 281. 4. VEXILLATIO LEG. XX. VAL. VIC. et apud *Bertoli Ant. d'Aq. p.* 297. *n.* 414. VEXILLAT. LEG. I. ET II. ADIVTRIC. — Hinc distinguun-

tur legiones, auxilia et vexillationes, apud *Veget.* 3. *Milit.* 13. — *Vexillationes* fuerunt etiam Palatinæ et Comitatenses, prout ex militibus palatinis vel comitatensibus eligerentur: horum priores dignitate præstant tamquam custodiendi principis palatii honorem consecuti. *Cod. Theod.* 5. 4. 1. et *Notit. Dign. Imp. Or. c.* 4. ¶ 2. Est etiam ala equitum, *gonfalonata, squadra. Veget.* 2. *Milit.* 1. Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur, a velo, quia velis, hoc est flammulis, utuntur.

VEXILLĪFER, fĕra, fĕrum, adject. (vexillum et fero) vexillum ferens. *Prudent. Psychom.* 419. Hunc vexilliferæ quoniam fors obtulit ictum. *de Sobrietate loquitur crucis vexillum ferente.* — Hinc

*Vexillifer, eri,* m. 2. absolute, substantivorum more, idem ac vexillarius, qui signifer dicitur in militia. *Aurelian. Aug.* apud *Vopisc. Aurelian.* 31. Templum Solis, quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiæ cum vexilliferis et draconario et cornicinibus atque liticinibus diripuerunt, ad eam formam volo, quæ fuit, reddi.

VEXILLĪFER, ĕri, m. 2. *V.* voc. præc.

VEXILLUM, i, n. 2. Vox est a *veho, vexi:* porro a *vexillo* factum est *velum,* sicut ab *axilla ala,* a *maxilla mala* etc., fuga vastioris litteræ, uti *Cic. Orat.* 45. *a med.* docet, contra id, quod tradunt *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 377. 6. *Müll., Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 1. et *Priscian.* 3. *p.* 615. *Putsch.,* qui volunt esse deminut. a *velo.* Sic *Isid.* 18. *Orig.* 3. 5. nomen trahit a veli deminutione, quasi *velillum.* Nos vero a *Cicer.* stamus, inquit *Forcellinus.* — Vexillum est signum, præcipue in usu militiæ, σημεῖον (It. *bandiera, vessillo, insegna;* Fr. *enseigne, étendard, drapeau;* Hisp. *insigna, bandera;* Germ. *die Fahne, Kriegsfahne;* Angl. *a flag, banner, ensign, standard*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) In re militari. — *a)* Universim. *Cæs.* 6. *B. G.* 36. Trecenti sub vexillo. *Cic.* 2. *Phil.* 40. 102. Ut vexillum tolleres et aratrum circumduceres. Adde *Liv.* 25. 11. et 39. 40. *Tac.* 1. *Ann.* 20. Manipuli postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt. *Flor.* 3. 20. Servis ad vexillum vocatis, *h. e.* ut nomina militiæ darent. *Cic.* 5. *Phil.* 11. *circa med.* Numquando perditis civibus vexillum, quo concurrant, defuturum putatis? *h. e.* auctor turbarum et seditionum in republica. Sic 10. *Att.* 15. Vexillo opus est: convolabunt. — *b)* Per antonomasiam *vexillum* dicitur velum illud russi coloris (ut ait *Macrob.* 1. *Saturn.* 16.), quod imperator proponi supra prætorium (teste *Plutarch.* in *Fabio c.* 15.) jubet, quum certaminis tempus imminet. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Cæsari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, quum ad arma concurri oporteret; signum tuba dandum: ab opere revocandi milites etc. *Auct. B. Hisp.* 28. Renuntiatum est ab speculatoribus, Pompejum in acie stetisse: huc nuncio adlato, vexillum proposuit. *Auct. B. Alex.* 45. Vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum. — *c)* *Vexillum* fuit inter dona, quibus milites, qui virtutis bellicæ specimen singulare dedissent, cohonestabantur. *Inscr.* apud *Orelli n.* 3575. et in *Bullett. dell' Istit. arch. a.* 1851. — 2.°) Extra rem militarem, *vexilla* habuerunt etiam collegia artificum: apud nostrates *gli stendardi delle fraglie o delle confraternite ed associazioni* vocantur. *Trebell. Gallien.* 8. Præter ea vexilla, quæ collegiorum erant, dracones et signa templorum omniumque legionum ibant. *Vopisc. Aurelian.* 34. Jam vexilla collegiorum atque castrorum multum pompæ addiderant. — *Vexillum* etiam in coloniis reperitur; sub eo namque colonias deductas esse, notissimum est. *Seneca* 7. *Consol.* 7. Relictis aris suis trans maria sequebatur colonos vexillum. Ita legendum esse censet *Madvig* in *Advers. v.* 2. *p.* 404., ubi vulg. *senex.* ¶ 2. Est idem ac supparum. *Sueton. Cal.* 15. Præfixo in biremis puppe vexillo. ¶ 3. De cruce Christi usurpavit *Venant.* 2. *carm.* 7. 1. Vexilla regis prodeunt: Fulget Crucis mysterium. Similiter *Sedul.* 1. 321. crucis vexilla coruscant et *Prudent.* 9. *Cathem.* 84. Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.

II.) Translate. ¶ 1. Tropice *vexillum* ponitur interdum pro manu militum sub uno vexillo, *squadra. Stat.* 12. *Theb.* 782. Accedunt utrinque pio vexilla tumultu Permiscentque manus. ¶ 2. Item pro manu vexillariorum. *Cæs.* 6. *B. G.* 36. Complures erant in castris ex legionibus ægri relicti; ex quibus qui convaluerant, circiter trecenti sub vexillo una mittuntur. Adde *ibid.* 40. *Tac.* 1. *Hist.* 70. Præmissis Gallorum Lusitanorum Britannorumque cohortibus et Germanorum vexillis. *Inscr.* apud *Orell. n.* 2008. HERCVLI SAXANO ET IMP. VESPASIANO AVG. ET TITO IMP. ET DOMITIANO CAESARI M. VIBIVS MARTIALIS 7 LEG. X. GEM. ET COMMILITONES VEXILLI LEG. EIVSD. QVI SVNT SVB CVRA EIVS V. S. L. M. (*V.* VEXILLARIUS). ¶ 3. Metaphorice. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 41. Submittere vexilla fortunæ suæ. *h. e.* humiliter se gerere, de majestate sua aliquid demere civilitatis causa. Ducta est translatio a militia, in qua victi vexilla sua ante victores demittere solent. *abbassare le insegne.*

VEXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat.* vel *intens. a* veho *vel* vegeo) *Gell.* 2. 6. ad illud *Virg.* 6. *Ecl.* 76. Dulichias vexasse rates: *Vexasse,* grave verbum est: factumque ab eo videtur, quod est *vehere,* in quo inest jam vis quædam alieni arbitrii; non enim sui potens est, qui vehitur. *Vexare* autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu procul dubio vastiore est; nam qui fertur et raptatur atque huc illud distrahitur, is vexari proprie dicitur. Hæc eadem ex *Gell.* exscripsit *Macrob.* 6. *Saturn.* 7., quibus similia a *Servio* ad *Virg. loc. cit.* habemus. Hinc *Isid.* 10. *Orig.* 280. *Vexatus* id est portatus, ab eo quod est *veho, vexo, vecto.* At *Döderleinio Syn. Lat. v.* 5. *p.* 177. ducere magis placet a *vegeo,* commoveo, impello. — Part. *Vexans* et *Vexandus* sub *B* I. 1. *a; Vexatus* in omn. paragr. — Vexo duo præcipue significat; nempe

*A)* Est agito, concutio, jacto, quatefacio, ἐνοχλέω (It. *agitare, sbattere;* Fr. *ballotter, pousser, agiter fortement, ébranler;* Hisp. *agitar, sacudir, pujar;* Germ. *b. Fahren schütteln, rütteln, stark bewegen, erschüttern;* Angl. *to agitate, shake violently*). — *a)* Universim. *Lucret.* 1. 274. *de vi venti.* montesque supremos Silvifragis vexat flabris. *et ibid.* 1022. Sed quia multa modis multis mutata per omne Ex infinito vexantur percita plagis. *Ovid.* 11. *Met.* 435. venti vexant nubila cæli. *Justin.* 17. 1. 3. Regiones terræmotu vexatæ. *Vellej.* 2. 79. 3. Classis vexata tempestate. *Lucret.* 6. 429. Navigia in summum veniunt vexata periclum. *Sueton. Aug.* 55. *sub fin.* Nec prius dies cujusque sollemnes frequentare desiit, quam grandior jam natu et in turba quodam sponsaliorum die vexatus. — *b)* Turpi sensu. *Martial.* 8. 46. Felix quæ tenerum vexabit sponsa maritum. *Id.* 11. 81. Cum sene communem vexat spado Dindymus Æglen. Adde *Auson. Epigr.* 108. et *Petron. Sat.* 139.

*B)* Est sæpius lædo, dolorem affero, male habeo, *offendere, maltrattare, malmenare, strapazzare.*

I.) Proprie. ¶ 1. Sensu physico. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 3. valeo corpusque, quod ante laborum Impatiens nobis invalidumque fuit, Sufficit atque ipso vexatum induruit usu. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 32. (76). Herba stomacho utilissima, præcipue quem humor vexat. *Petron. Sat.* 136. Anser non dubitavit crus meum serrato vexare morsu. *Martial.* 11. 87. Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat Assidue tussis. *Sueton. Cal.* 50. Puer comitiali morbo vexatus. *Petron. Sat.* 128. Excussit vexatam solo vestem. *malmenata per terra.* et *Martial.* 11. 89. Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas? A te vexatas malo tenere rosas. *strapazzate dalle tue mani.* et *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 24. Heu male vexatæ quanta tulere comæ! Quam se præbuerunt ferro patienter et igni! Ut fieret torto flexilis orbe sinus. *Juvenal.* 6. 288. vellere Tusco Vexatæ duræque manus. *h. e.* lana trahenda attritæ. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49. (180). Dentes percussu vexati. *smossi, labefacti. Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (217). Vexatis frigore vitibus cacumina prima inarescunt. *offese.* et *Inscr.* apud *Gruter.* 1070. 8. ITEM SILVANVM ANTIQVM VEXATVM DE SVO REFECIT. *guasto dall' età,* vetustate corruptum. — *Vexata* in corpore sunt, quæ externa injuria læduntur, ut contusa, collisa, sugillata, convulsa; aut interno vitioso humore infestantur, ut in abscessibus: sed sine vulnere. In his enim, ut ait *Cels.* 7. *præf. sub fin.,* vulnus facit medicus, non accipit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (97). Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Adde *Scribon. Compos.* 101. — Absolute. *Cels.* 7. *præf.* 1. Vexata in quacumque parte corporis sint, quam primum sic curari debent. *Daremb.* leg. *luxata.* Cf. tamen *Cels.* transl. a *Schellero* 2. 233. ¶ 2. Universim est graviter infesto, molesto, *travagliare, molestare, infestare.* — *a)* Præsertim quum de belli injuriis et vastationibus sermo est. *Cato* apud *Gell.* 2. 6. Quum Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret. *Cæs.* 4. *B. G.* 15. *extr.* Supplicia Gallorum veriti, quorum agros vexaverant. *et* 6. *ibid.* 43. Cæsar ad vexandos hostes profectus. *Cic.* 2. *Fam.* 10. *a med.* Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses hostes sempiternos: multi occisi, capti, reliqui dissipati. Adde *eumd.* 1. *Cat.* 11. *in fin.* et 5. *Verr.* 54. 125., *Nepot. Datam.* 4. et *Eumen.* 5. et *Auct. B. Afr.* 25. *a med. Liv.* 42. 67. Vexantibus eos Coronæis. — *b)* Et de aliis rebus. *Cic.* 2. *Verr.* 4. *ad fin.* Siciliam iste per triennium ita vexavit ac perdidit, ut etc. Ubi *Asconius:* vexavit ingentis calamitatis usum significat. *Juvenal.* 1. 126. noli vexare: quiescit. *non la disturbare, che dorme.* et *Nepos Att.* 9. Quum Fulvia litibus distineretur magnisque terroribus vexaretur. *Cic. Dom.* 23. 59. Quid vos uxor mea misera violarat? quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis. *Id. Flacc.* 20. *ad fin.* Vexare aliquem probris omnibus et maledictis. *Id. Sext.* 1. 1. Qui omnia divina et humana violarint, vexarint, perturbarint, everterint. *Id. Mil.* 9. 24. Omni scelere vexare rem publicam. *Id.* 5. *Verr.* 52. *sub fin.* Agros vectigales vexatos atque exinanitos a Verre, populatam vexatamque provinciam. *Ascon.* in *Divin. Verr.* 1. Populati avaritia, vexati libidine et crudelitate. *Cic. Quinct.* 31. 98. Multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis. *Id.* 3. *Phil.* 9. *a med.* Honestissimis contentionibus et sæpe et jure vexatus. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 6. Clamore infesto et crebris totius contionis sibilis vexatus. *Nepos Timol.* 1. Sicilia multos annos bello vexata. *Justin.* 28. 3. 7. Populi intestina discordia vexati. *Id.* 12. 14. 3. Variis criminationibus vexatus. *Propert.* 2. 21. 17. Sed tibi vexatæ per multa pericula vitæ Extremo veniet mollior hora die. *Juvenal.* 1. 2. Vexatus toties rauci Theseide Codri. *h. e.* toties audiendo Codrum recitantem tragœdiam Thesei, obtusus et fatigatus. ¶ 3. Pro usurpare vel præsumere. *Cod. Theod.* 9. 24. 3. Insignem recenti flagitio vexet audaciam. ¶ 4. In illo *Martial.* 9. 60. Roma suas aurea vexat opes. *vexat* est profundit ac projicit, *profonde e gitta in ogni maniera.* Cf. *Sall. Cat.* 20.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 25. Vexatur Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod etc. *h. e.* incusatur, reprehenditur. *Id. Sext.* 28. *circa med.* Cato iis Pisonem verbis vexavit, ut etc. *Petron. Sat.* 132. *circa med.* Hac fere oratione contumacem vexavi. *Plin.* 4. *Ep.* 2. *ad fin.* Vexat ergo civitatem insaluberrimo tempore, et quod vexat, solatium putat. *incomoda, disturba, è gravoso.* V. integr. loc. *Cic. Dom.* 2. 3. Illud a te homine vesano ac furioso requiro, quæ tanta pœna tuorum scelerum flagitiorumque vexet, ut arbitrere etc. *h. e.* transversum agit, a recta mente declinare facit. *Juvenal.* 6. 610. philtris mentem vexare mariti. *h. e.* dementare. Cf. *Sall. Cat.* 5. *a med.* Civitatis mores luxuria atque avaritia vexabant. *Cic.* 1. *Legg.* 14. 40. Sollicitudo vexat impios. *h. e.* exa-

gitat, male habet angore conscientiæ. *Sall. Cat.* 15. Ita conscientia mentem excitam vexabat. *et ibid.* 3. *extr.* Me honoris cupido eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabat.

# VI

VIA, æ, f. 1. — *a*) *Vea* vel *veha* pro *via* rusticis dicta est, teste *Varrone* 1. *R. R.* 2. *circa med.* — *b*) In genet. sing. *vias*, Græcorum formâ, ut *familias*, *monetas* etc., apud *Enn. Ann.* 421. (485). — Et *viai* apud *eumd. ibid.* 209. (205). et *Lucil. Sat.* 11. 4. et 30. 65. et *Lucret.* 1. 406. etc. — *c*) Ratione habita etymi, a *vehendo* quasi *vehiam* vel *veham* ducit *Varro loc. cit.* Villicus agri colendi causa constitutus atque appellatus a villa: villa ab eo, quod in eam convehuntur fructus et evehuntur, quum veneunt: a quo rustici etiam nunc quoque viam, veham appellant, propter vecturas. *Id.* 4. *a med.* Ut quo agebant, actus, sic qua vehebant, viæ dictæ. Adde 5. *L. L.* 22. et 35. *Müll.* Alii a Lat. *eo, is*, derivant, præmisso digammate; alii vero a Skr. *vah*, ducere, ire. — Via igitur est quivis locus, qua vehiculo seu pedibus seu alia quacumque ratione ire licet, ὁδός, ἀγυιά (It. *via, strada, calle, sentiero;* Fr. *chemin, route, voie;* Hisp. *camino, via, ruta;* Germ. *die Strasse, Gasse;* Angl. *a way, road*). Construitur sæpe cum addito Acc. et præp. *ad, in*, vel cum Dat. aut etiam cum Genet. rei seu loci, ad quem ducit.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, et quidem frequentissime, usurpatur pro quovis loco, per quem ire licet, ut dictum est. — 1.°) Universim. *Plaut. Epid.* 2. 2. 24. Ego ire vidi milites plenis viis. *a strada piena.* et *Rud.* 1. 3. 30. aliquem velim qui mihi Aut viam aut semitam monstret. *Ter. Eun.* 13. 2. 42. Haud convenit una ire cum amica imperatorem in via. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. Viarum difficultas. *Id.* 5. *ibid.* 49. angustiæ. *Id. ibid.* 19. Omnibus viis nobis semitisque essedarios ex silvis emittebat. *Cic.* 12. *Phil.* 9. 22. Tres sunt viæ ad Mutinam - a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 1. Ibam forte via sacra, sicut meus est mos. (*V.* SACER) *Virg.* 1. *G.* 238. Via secta per ambas. *Id.* 6. *Æn.* 540. findit se in partes. *Id.* 9. *ibid.* 248. nos fallit euntes. *Ovid.* 11. *Met.* 515. Rima patet (*in navi*) præbetque viam letalibus undis. *Curt.* 5. 4. 11. Viæ ferentis in Persidem. *che conduce.* et *Vulg. interpr. Is.* 9. 1. et *Matth.* 4. 15. Via maris. *h. e.* ferens ad mare. Sic *Is.* 10. 24. Via Ægypti. *Liv.* 25. 9. Milites monuit, via omnes irent, nec diverti quemquam paterentur. *h. e.* qua via esset. *Tac.* 3. *Hist.* 82. *a med.* Per angusta et lubrica viarum flexerant. *Cic.* 9. *Att.* 9. *circa med.* Cursare huc illuc via deterrima. *et* 5. *ibid.* 14. Iter conficiebamus æstuosa et pulverulenta via. *Nepos Eumen.* 8. Via copiosa omniumque rerum abundans. *Quintil.* 10. 7. 16. recta. *Cæs.* 1. *B. C.* 27. transversæ. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (110). breviores et compendiariæ. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (125). inter montes excisæ. *Grom. vet.* 9. *p.* 24. 26. *Lachm.* vicinalis aut lignaria aut privata. *Apul. De mund.* 28. Maris viæ præpetes. *Ovid. Heroid.* 19. 160. æquoreæ. *h. e.* aereæ. *Varro Sat. Menipp.* 81. *p.* 206. *Oehl.* stelligeræ. *Inscr.* apud *Henzen n.* 5339. exhaustæ. *et n.* 6618. Via derecta per centurionem. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 16. 98. Viæ mente sensæ, quas λογοθεωρήτους appellant. *et* 5. *Tard.* 3. *ad fin.* urinales. *et ibid.* 7. seminales. *Ovid.* 1. *Met.* 168. Via lactea. *V.* LACTEUS. *Apul.* 2. *Met.* Maris et viæ iter. *per mare e per terra.* et *Cic.* 14. *Fam.* 12. In viam se dare. *mettersi in viaggio.* et 16. *ibid.* 4. Viæ se committere. *Id.* 5. *Fin.* 2. *circa med.* Declinare de via ad dexteram. *andar giù di strada a man destra.* et *Cæs.* 5. *B. G.* 19. Ex via excedere. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 27. Revertit ex itinere, quum jam progressus esset multorum dierum viam. *Id. Cæcin.* 10. 26. Dare alicui viam per fundum suum. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. Qua via, Sequanis invitis, propter angustias ire non poterant. *Plaut. Rud.* 4. 3. 88. tu abi tuam viam. *va per la tua strada. Seneca* 6. *Benef.* 6. Lex legi non miscetur: utraque sua via it. *va per la sua strada.* et *Cæs.* 6. *B. G.* 8. *extr.* Perquirere aditus viasque in aliquam regionem. *Tac.* 1. *Ann.* 32. Viam ferro patefacere. *et* 4. *Hist.* 20. invenire. *et* 1. *Ann.* 66. claudere. *et* 2. *ibid.* 21. aperire. *Inscr.* apud *Wilm. n.* 2138. explicare. *Varro Sat. Menipp.* 81. *p.* 206. *Oehl.* deformare. *et ibid.* 67. *p.* 188. mœnire. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 93. carpere. *Seneca Herc. Fur.* 318. habere ad superos. *Virg.* 6. *Æn.* 122. ire, redire. *Id.* 10. *ibid.* 273. ferro rumpere per hostes. *Id.* 1. *ibid.* 418. corripere. *Id.* 6. *ibid.* 900. secare ad naves. — 2.°) Hinc aliæ locutiones peculiares. — *a*) *Viam aperire* est, inquit *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. § 1. Ad veterem altitudinem latitudinemque restituere, sed et purgare refectionis portio est. Purgare autem proprie dicitur ad libramentum proprium redigere, sublato eo, quod super eam esset; reficit enim et qui aperit et qui purgat et omnes omnino, qui in pristinum statum reducunt. — *b*) *Viam dare*, via decedere: hac formula *viam date* a lictoribus monebantur cives, ut locum darent magistratibus advenientibus. *Plaut. Aulul.* 3. 1. 2. — *c*) *Viam facere*, est aperire, parare, *fare strada. Ovid.* 5. *Met.* 423. icta viam tellus in Tartara fecit. Sic *Tibull.* 1. 5. 24. Subjicietque manus efficietque viam. *h. e.* subter brachia manus ponet et populi turbam amovebit. — Significat etiam iter facere, proficisci. *Ovid. Heroid.* 16. 21. Sigeo dubias a litore feci Longa Phereclea per freta puppe vias. *Phædr.* 3. *prol.* Ego porro illius semita feci viam. — *d*) *Viam sternere, integere*, silice, saxo etc., vel absolute, est tegere, *inseliciare, lastricare. Liv.* 41. 27. et 10. 20., *Lucret.* 3. 1043. Adde et *Inscr.* apud *Orelli n.* 3850. et *Henzen n.* 7057. — *e*) *Viam munire*, eod. sensu. *Cic. Mil.* 7. 17., *Nepos Hannib.* 3. etc. *V.* MUNIO. — *f*) *Viam corruptam restituere*, in *Inscr.* apud *Gruter.* 152. 4. — *Viam ornare ac reficere*, in *alia* apud *eumd.* 150. 8. — *Viam reficere et restituere*, in *alia* apud *eumd.* 153. 3. et 6. — *g*) *Viam parare*, complanare, ornare, apud *Vulg. interpr. Matth.* 8. 3., dictum ex more regum Orientis, qui, iter facientes, legatos præmittebant, quorum operâ viæ sibi accommodarentur. — *h*) *Viam purgare* quid sit, docet *Ulp. loc.* supra adlato. — *i*) *De via decedere* est aberrare, *fallare la strada. Sueton. Cæs.* 31. Et quum luminibus exstinctis decessisset via, diu errabundus etc. — Hinc translate *Cic. Cæl.* 16. 38. Se nulla cupiditate inductum de via decessisse. *h. e.* ab honestatis et virtutis tramite declinasse. — Præterea est alicui obviam venienti honoris causa locum dare, *dare la strada. Sueton. Tib.* 31. Quum palam esset, ipsum quoque eis assurgere et decedere via. Hoc sensu *Seneca Ep.* 64. *sub fin.* dixit *semita cedere.* — *l*) *Tota errare via* est vehementer errare, *errare di gran lunga.* Translate apud *Ter. Eun.* 2. 2. 14. Tota erras via. *tu pigli un granchione, t'inganni in digrosso.* — *m*) *De via in semitam degredi*, proverb. locutio. *V.* in SEMITA. — *n*) *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam*, item proverb. *V.* in SEMITA. — *o*) *In agro ad viam*, formula in titul. sepulcr., apud *Cavedoni Marm. Mod. p.* 269., *h. e.* secundum viam, *lungo la strada.* — *In agro a via*, idem ac in agro. *Inscr.* apud *Fabretti p.* 169. *n.* 376. — 3.°) Porro *viarum* aliæ privatæ sunt, aliæ publicæ, aliæ vicinales. Et privatæ quidem sunt, quæ per privatorum agros ducuntur et agrariæ etiam appellantur: publicæ vero, per quas omnibus et in quemcumque publicum locum ire licet: quæ sunt in solo publico, publice muniuntur et curatores habent: vicinales sunt, quæ per vicos aut in vicos ferunt, quæ et ipsæ publicæ sunt, si non ex collatione privatorum sunt constitutæ; nam si ex privatorum collatione reficiantur, utique sunt privatæ, ut docet *Ulp. Dig.* 43. 8. 2. *ante med. V.* etiam *Sicul. Flacc. De cond. agr. p.* 9. *Goes.* et *Inscr.* in *Annal. dell' Istit. arch. T.* XVI. *p.* 85. — Publicæ viæ nunc *militares*, nunc *consulares*, nunc *prætoriæ* vocantur, *strade regie, strade maestre;* et a publica auctoritate et usu nomen sortiuntur. *Ulp. Dig. loc.* supra *cit.* Publicas vias dicimus, quas Græci βασιλικάς, nostri prætorias, alii consulares vias appellant. *Id. ibid.* 7. 3. Viæ militares exitum ad mare aut in urbes aut ad flumina publica aut ad aliam viam militarem habent: vicinalium autem viarum dissimilis est condicio; nam pars earum in militares vias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur. Hæc *Ulpian.* Ceterum, quod ad alias appellationes pertinet, viæ hæ publicæ dictæ sunt etiam *consulares* et *prætoriæ* ad significandum publicum earum usum; nam prætor erat summus Urbis magistratus, consul reipublicæ: legimus etiam multas publicas vias a consulibus, nonnullas a prætoribus aut deductas aut stratas fuisse. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (111). et *Grom. vet. p.* 147. 5. et 8. et 169. 4. *L.* — 4.°) Nomina viarum a variis casibus imposita sunt; aliæ enim ab auctoribus appellatæ sunt, ut *Appia* ab App. Claudio Crasso censore, *V.* APPIA et FLAMINIUS in ONOM., aliæ ab urbibus, ad quas ferebant, ut *Collatina;* aliæ a provinciis, ut *Campana;* aliæ a diversis eventibus, ut *Triumphalis, Fornicata* etc. — De viis publicis cf. *Borghesi Inscr. di Burbulejo p.* 28. et *seqq.* Earum seriem videre est in *Notit.* et *Curios. Urb. p.* 28. et 29. *Pr.* — 5.°) Primi omnium Pœni dicuntur lapidibus vias stravisse, ut affirmat *Isid.* 15. *Orig.* 16. 6.; deinde viæ publicæ a Romanis admirabili magnificentia non in Urbe solum, sed etiam tota Italia factæ et stratæ fuerunt; nulla enim gens fuit, quæ publicæ civium commoditatis et ornamenti tam urbis quam agri studiosior exstiterit. Eis faciendis vel reficiendis primarii cives præpositi erant: et primo quidem censores; deinde, his aliis in rebus occupatis, creati sunt proprii magistratus, qui *viarum curandarum* et *curatores viarum* vocabantur. *Plin.* 5. *Ep.* 15. De his *V. Ephem. epigr.* II. *p.* 201. et *seq.* Hinc et *procurator viarum* in *Inscr.* apud *Orelli n.* 2570. — 6.°) In viis constitutæ fuere columnæ lapideæ, quæ singulis intervallis positæ signum milliariorum præ se ferebant. *V.* LAPIS. ¶ 2. Speciatim sumitur pro transitu, canali, vehiculo: quod *Forcellino* translaticium est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 137. Sucus is, quo alimur, permanat ad jecur per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris ductas et directas vias.

II.) Improprie *viæ* in theatris erant plana præcinctionum loca: item scalæ, per quas ab uno ad alium ordinem graduum et ab uno ad alium cuneum per vomitoria transibatur. *Martial.* 5. 14. Et hinc miser dejectus in viam transit Subsellioque semifultus extremo etc. *Tertull. Spectac.* 3. *a med.* Nam apud spectacula et in via statur. Vias enim vocant et cardines balteorum per ambitum et discrimina popularium per proclivum. Vide *Maff. Veron. illustr. P.* 4. *l.* 1. c. 8.

III.) Translate. ¶ 1. Metonymice *via* sumitur pro ipso actu eundi, *viaggio. Cic.* 1. *Phil.* 5. 12. De via languere, *essere stanco dal viaggio.* et 1. *Divinat.* 15. 27. Multorum dierum viam progredi. *fare un viaggio di molte giornate.* et *Virg.* 5. *Æn.* 28. Flecto viam velis. — *Inter vias*, idem est ac in via, eundo, *per istrada. Plaut. Pœn.* 5. 3. 43. Ne inter vias præterbitamus, metuo. *Ter. Eun.* 4. 2. 1. Cœpi mecum inter vias aliam rem ex alia cogitare. Adde *Turpil.* apud *Non. p.* 538. 9. *Merc.* — *Viam perpetuam* veteres optabant inimicis suis, quos maximo habebant odio, quum aliquo illi profecturi essent: quibus verbis a diis petebant, ut numquam in ea loca redirent, sed quanto magis iter facere pergerent, tanto magis e conspectu se eriperent. *Id. Pis.* 14. *sub fin.* An quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam et perpetuam esse vellent? — *Viæ solis* apud *Manil.* 1. 444. pro Zo-

diaco. ¶ 2. Metaphorice, in universum. *Sall. Jug.* 1. Ad gloriam virtutis via grassatur. Sic *Sil. It.* 2. 578. Ardua virtutem profert via. *h. e.* quæ ducit ad virtutem. *et Rutil. De fig.* 2. 2. Virtutis viam gloriosam sed laboriosam sequebatur. Adde *Lactant.* 6. *Instit.* 3. *Sall. Cat.* 11. Ille vera via nititur. ¶ 3. Hinc speciatim pro ratione et modo aliquid faciendi, more, consuetudine. *Cic.* 2. *Verr.* 16. *a med.* Habeo autem certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim. *Id.* 1. *Fin.* 9. 27. Ratione et via procedit oratio. *Id.* 1. *Legg.* 6. 18. Et qui aliter jus civile tradunt, non tam justitiæ, quam litigandi tradunt vias. *Sall. Jug.* 19. Reliquos legatos eadem via aggressus, plerosque capit: paucis carior fides, quam pecunia fuit. *Virg.* 6. *Æn.* 367. si qua via est, si quam tibi diva creatrix Ostendit. Adde *Liv.* 38. 18. et *Tac.* 1. *Ann.* 54. — Ethico sensu. *Vulg. interpr. Prov.* 8. 13. Arrogantiam et viam pravam detestor. *h. e.* mores malos. ¶ 4. Item pro secta, *setta, professione*, ὁδός. *Id. Act.* 9. 2. Ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret. Adde *ibid.* 22. 4. ¶ 5. Item pro methodo sive ordine scribendi vel dicendi. *Cic. Brut.* 12. 46. Nam antea neminem solitum via nec arte, sed accurate tamen et de scripto plerosque dicere. ¶ 6. Item pro doctrina. *Vulg. interpr. Luc.* 20. 21. Viam Dei in veritate doces. *h. e.* doctrinam, vel vivendi rationem, quæ ad Deum ducit. Cf. *Hebr.* 9. 8. et *Jac.* 5. 20. ¶ 7. Hinc *via*, κατ' ἐξοχήν, dicitur Christus. *Id. Joh.* 14. 5. ¶ 8. *Ingredi viam* dicuntur, qui vera, non falsa, narrare incipiunt, vel bene et ex vero cœpisse. *Plaut. Amph.* 1. 1. 273. ME. Cadus erat vini. SO. ingressu 'st viam. Sic *Asin.* 1. 1. 39. Rectam instas viam: ea res est. *tu dici bene.* ¶ 9. Obsceno sensu, ludit in ambiguo *Plaut. Curc.* 1. 1. 35. ¶ 10. Denique ponitur pro virga aurea aut purpurea, qua virgatæ vestes ornantur, quia quasi semita quædam aut stria telas distinguit. *Tibull.* 2. 6. 35. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias.

Homonym. Discrimen inter *viam* et *semitam* V. sub SEMITA. — Item differunt *iter, actus, via*, quod *iter* hominis est; *actus* hominis et jumenti; *via* hominis, jumenti et vehiculi. Unde consequitur, iter esse angustius actu, actum via; nam angustiore spatio it homo, quam armentum, ac armentum angustius spatium requirit, quam vehiculum. Iter duorum pedum latitudine definitur, quantum requiritur, ut transire possint occurrentes: actus est iter quattuor pedes latum, ut *Festus* apud *Paul. Diac.* scribit in voce *Actus* p. 17. 13. *Müll.* at viæ latitudo lege XII. Tab. in porrectum pedes habet octo, in anfractum, idest ubi flexum est, pedes sedecim, ut *Cajus Dig.* 8. 3. 8. docet. Hæc trium harumce vocum proprietas est, quando de servitute agrorum loquimur. Nam alias *via* accipitur pro quovis loco, per quem ire omnibus licet. Nativam vocum vim spectavit quoque *Pomponius*, quum *Dig.* 8. 1. 13. ait, si tam angusti loci demonstratione facta, via concessa fuerit, ut neque vehiculum neque jumentum ea inire possit, iter magis, quam via aut actus acquisitus videbitur. Sed si jumentum ea duci poterit, non etiam vehiculum, actus videbitur acquisitus. Ad quem locum provocamus, siquis nobis opponere velit verba *Ulp.*, qui *ibid.* 3. 1. ait, Actus est jus agendi vel jumentum vel vehiculum. Ubi si proprietatem vocis spectasset, scribere debuisset, Actus est jus agendi jumentum, non etiam vehiculum. Sed popularem loquendi consuetudinem, non nativam vocabuli vim, spectavit *Ulpianus*: uti et *Paulus*, quum *ibid.* 7. ait: Qui actum habet et plaustrum ducere et jumenta agere potest: item *Modestin. ibid.* 12. Actus est, ubi et armenta trajicere et vehiculum ducere liceat. Qua ratione nihil inter viam actumque interesset, quia utrumque tam agendi pecoris, quam vehiculi ducendi jus contineret. Sed hæc lis ita facile componi posse videtur, si totus *Pauli* loc. citatus adducatur: Qui actum habet, et plaustrum ducere et jumenta agere potest; sed trahendi lapidem aut tignum ei jus non est. Hæc *Paul.* Patet igitur, licuisse per actum agere tam jumenta, quam plaustra seu vehicula, dummodo ne onusta fuerint, sed vacua.

VĬĀBĬLIS, e, adject. (via) qui transitum facile præbet. *Jul. Valer.* 2. *res gest. Alex. M.* 14. Fluvius viabilis.

VĬĀBUNDUS, a, um, adject. (via) viam habens. *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* 54. V. *Mai* ad *h. l.*

VĬĀCŬLUS. *V.* VIOCURUS.

VĬĀLIS, e, adject. (via) ad viam pertinens. *Plaut. Merc.* 5. 2. 24. Invoco vos, Lares viales, ut me bene juvetis. *V.* ANIMALIS et PERMARINUS. *Lares viales*, qui et *præstites* dicti, erant ii, quorum imagines in viis et compitis statuebantur, ut iis præessent et tutas euntibus præstarent. — Aram marmoream, in qua Lares viales repræsentantur, illustravit *Visconti* in *Museo Pio-Clem. T.* 4. *p.* 293. et *seqq.*

VĬANS, antis, particip. *V.* VIO.

VĬĀRĬUS, a, um, adject. (via) ad viam spectans. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. *ad fin.* Levissime enim Curio, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum et pro Cæsare loqui cœpit legemque viariam non dissimilem agrariæ Rulli et alimentariam, quas jubet ædiles metiri, jactavit. *h. e.* de viis muniendis vel faciendis, et etiam de pecunia solvenda ab iis, qui per easdem vehiculis, essedis, rhedis, equis iter fecerent. Cf. 6. *Att.* 1. *ad fin.* et V. *Schutz* in *Indice leg. p.* 292.

VĬĀSĬUS, ii, m. 2. (via) *Viasius* pro *viarius* antiquissima est Latinorum scriptio, ut *Fusius, Valesius* primitus pro *Furius, Valerius* scriptum fuit in vetustissimis monumentis. *V.* litt. R et S. — Viasius idem videtur esse ac viarius, scilicet qui juxta viam aliquam habitat, ut vicanus, qui in vico. *Legis Thoriæ fragm.* seu *Inscr.* apud *Lips.* in *Auctar. Smet. p.* 7. et *Gruter.* 202. *lin.* 12. QVI AGER LOCVS AEDIFICIVM EI QVEM IN VIASIEIS VICANEISVE EX S. C. ESSE OPORTET OPORTEBIT.

VĬĀTĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĬĀTĬCO, as, ātum, are, a. 1. (viaticum). Part. *Viaticatus.* — Viatico est viatico instruo, *provvedere per il viaggio*, ἐφοδιάζω, ἐπισιτίζω. *Plaut. Men.* 2. 1. 29. Quum inspicio marsupium, Viaticati hercle admodum æstive sumus. *V.* ÆSTIVE. — Passive. *Onom. Lat. Gr.* in *Thes.* etc. *Vulc.* Viaticor, ἐφοδιάζεσθαι.

VĬĀTĬCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* viaticum, exiguum viaticum. *Ulp. Dig.* 5. 1. 18. *in fin.* Et egestate Romæ laboret, viaticulo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei destinavit. *Apul.* 7. *Met.* Viaticulum mihi corrasi.

VĬĀTĬCUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

VĬĀTĬCUS, a, um, adject. (via) ad viam et iter pertinens, viatorius, *da viaggio*, ὁδοιπορικός. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 61. Ego sorori meæ cenam hodie dare volo viaticam. *h. e.* adventiciam peregre redeunti. — Hinc

*Viaticum*, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, quidquid itineris agendi causa necessarium est, sive pecunia sive cibus sive vasa, vestis etc., ἐφόδιον (It. *provvisione da viaggio, viatico*; Fr. *argent pour un voyage, frais de voyage*; Hisp. *dinero, gastos por el viage*; Germ. *das Reisegeld, die Reisezehrung*; Angl. *provision for a journey*).

I,) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Capt.* 2. 3. 89. Sequere me, viaticum ut dem a trapezita tibi. *Id. Epid.* 5. 1. 9. Adornare alicui ad fugam viaticum. *Varro Sat. Menipp.* 82. *p.* 213. *Oehl.* Viaticum eddere (*al.* abdere) in bulgam. *Plin.* 7. *Ep.* 12. *in fin.* Vide ut mihi viaticum reddas, quod impendi, data opera cursore dimisso. *la spesa del viaggio.* Eodem modo 3. *Ep.* 17. locutus est *Plaut. Pœn. prol.* 71. Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico. *Id. Pseud.* 2. 3. 1. Dii immortales! conservavit me illic homo adventu suo: suo viatico reduxit me usque ex errore in viam. *a sue spese.* et *Cic. Senect.* 18. *extr.* Potest quidquam esse absurdius, quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere? *Plin.* 4. *Ep.* 13. *ante med.* Impendere quippiam in viatica. *Inscr.* Lanuvii reperta, edita vero in *Atti dell' Accad. Rom. arch. T.* 2. *p.* 462. *l.* 30. DABITVR HOC AMPLIVS VIATICI NOMINE VLTRO CITRO SINGVLIS HS. XX. N. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de pecunia militari, quam quis stipendia faciens et ex præda acquisivit. *Sueton. Cæs.* 68. Ingresso civile bellum centuriones cujusque legionis singulos equites e viatico suo obtulerunt. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 26. Luculli miles collecta viatica multis Ærumnis *etc.* ad assem Perdiderat. ¶ 3. Item de ea, qua quis procul a patria in alimenta sua utitur. *Ulp. Dig.* 12. 1. 17. Quum filius familias viaticum suum mutuum dederit, quum studiorum causa Romæ ageret.

II.) Translate. ¶ 1. Pro itinere. *Venant.* 6. *carm.* 7. 127. Deducit dulcem per amara viatica natam. ¶ 2. Per metaphoram. *Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 17. 2. M. Manlius simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter præcellebat: ut facile intelligeretur, magnum viaticum ex se atque in se ad rempublicam evertendam habere. *Gell. ibid.* Magnum viaticum pro magna facultate et paratu magno nove positum est: videturque Græcos secutus, qui ἐφόδιον a sumptu viæ ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt: ac sæpe ἐφοδίασον pro eo dicunt quod est, institue et instrue.

VĬĀTOR, ōris, m. 3. (vio) duo præcipue significat.

I.) *Viator* est qui iter facit, ὁδίτης, ὁδοιπόρος (It. *viaggiatore, passeggiere, viandante, peregrino*; Fr. *voyageur*; Hisp. *viajador, viajante*; Germ. *der Reisende, Wanderer, Wandersmann*; Angl. *a traveller, wayfaring man, passenger*). *Cæs.* 4. *B. G.* 5. Est autem hoc Gallicæ consuetudinis, uti et viatores, etiam invitos, consistere cogant. *Cic. Fat.* 15. *a med.* Viator bene vestitus causa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur. *Id. Mil.* 21. 55. Non semper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur. *Virg.* apud *Donat.* in *ejus vita n.* 7. Nocte, die tutum carpe viator iter. *Id.* 4. *G.* 96. ceu pulvere ab alto Quum venit et sicco terram spuit ore viator Aridus. Adde *Horat.* 3. *Od.* 4. 32. *Martial.* 2. 6. Lassus tam cito deficis, viator. *et* 11. 13. Quisquis Flaminiam teris, viator. *Juvenal.* 10. 22. Cantabit vacuus coram latrone viator. *Sympos. ænigm.* 93. *Wernsd. v.* 2. *p.* 570. *de funambulo.* Aera per medium docta meat arte viator. — *Vale* vel *ave, viator*, formula satis frequens in lapidib. sepulcralibus. *Inscr.* apud *Henzen n.* 7246. HOSPES RESISTE ET ASPICE... VIATOR VALE. Adde *aliam* in *Ephem. epigr.* II. *p.* 298. *n.* 358. Cf. *Inscr.* in *Ann. dell' Istit. arch. a.* 1868. *p.* 19. BONAS VIAS VIATOR. *V.* VALEO.

II.) *Viator* dicitur de ministro publico. ¶ 1. Et quidem præcipue de ministro seu apparitore publico magistratus, *fante, messaggiere*: qui itineri se committebat, quoties aliquis Romam ab eo vocaretur. *Cic. Senect.* 16. 56. A villa in senatum arcessebantur et Curius et ceteri senes: ex quo qui eos arcessebant, viatores nominati sunt. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (20). — Differt a lictore, tum quia hic a *via*, ille a *ligando* est dictus: tum quia hujus officium erat viæ se dare arcessendi causa; illius ligare crura et manus, virgis aut securi cædere: tum quia viatoribus utebantur magistratus ii, qui potestatem, non imperium, habebant, cujusmodi fuerunt censores et tribuni pleb.; at viatoribus et lictoribus simul, qui imperium habebant, ut consul, dictator, proconsul in provincia. *Varro* apud *Gell.* 13. 12. In magistratu habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum: vocationem, ut consules et ceteri, qui habent imperium: prehensionem, ut tribuni pleb. et alii, qui habent viatorem: neque vocationem neque prehensionem, ut quæstores et ceteri, qui neque lictorem habent neque viatorem. *Liv.* 2. 56. Ardens ira tribunus viatorem mittit ad consulem, consul lictorem ad tribunum. *Id.* 39. 34. *de Catone cens.* Ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quæ pluris, quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatorem jussit. — Tribuni pleb. viatore ute-

bantur ad prehendendum, non ad vocandum aut ligandum; nam aliud est prehendere, aliud ligare: prehendimus manibus aut veste; ligamus fune aliove quo vinculo. — *T.* tamen *Valgius* apud *Gell.* 12. 3. viatorem cum lictore ejusdem ordinis esse ait: fuisse nempe ex corpore viatorum unum, qui ligandi officium haberet et ob id lictorem dictum. Hinc interdum *viator* pro lictore ponitur. *Liv.* 3. 56. Appius tribunos appellavit, et nullo morante, arreptus a viatore, provoco, inquit. *Cic. Vatin.* 9. 3. Quæro, miserisne viatorem, qui M. Bibulum domo vi extraheret. — Viatoris consularis et prætorii mentio fit in *Inscr.* apud *Gruter.* 627. 1. et 2. et 1033. 5.; quæstorii 627. 4. 5. 6. et 7. (contra id, quod scribit *Varro* apud *Gell.* 13. 12.; sed hæ *Inscr.* longe posteriores ætate sunt); tribun. pleb. *ibid.* 9.; pullarii *ibid.* 5. Hic aderat consuli vel prætori auguria e pullis captanti; nisi mavis eumdem fuisse ac viatorem augurum, qui habetur apud *Murat.* 718. 3. Mihi videtur viator pullarius esse pullarii minister, qui ejus nomine magistratui nunciabat, quodnam augurium ex pullis pascentibus extitisset. ¶ 4. Præterea viator VII. Vir. Epulonum legitur apud eumd. *Murat.* 174. 5.; item viator et scriba Librar. apud *Don. cl.* 3. *n.* 1. — Apud *Gruter.* 630. 12. et *Reines. cl.* 11. *n.* 21. DECVRIA LICTORVM VIATORVM QVAE EST NARBONE. ¶ 5. Denique apud *Justinian.* 4. *Institut. tit.* 6. viatores dicuntur *executores causarum*, h. e. nuncii, qui indicunt litigantibus, ut compareant, et sententiam judicis iisdem notam faciunt et exsequi curant, *fanti, comandatori.* — *Ulp. Dig.* 5. 1. 82. Nonnumquam solent magistratus populi R. viatorem nominatim vice arbitri dare; quod raro et non est nisi re urgente faciendum. — Hujusmodi *viatores* etiam collegium efficiebant, ut constat ex *Inscr.* apud *Orelli n.* 3256. — De viatoribus cf. *Mommsen De apparit. p.* 26. *et seq.* et in *Rhein. Mus. Jahrg.* 6. 26. et *Marquardt Handb. d. Röm. Alterth.* 4. 176. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**Homonym.** Discrimen inter *viatorem* et *lictorem* V. supra.

**VIĀTŌRIUS**, a, um, adject. (viator) ¶ 1. Est ad viam seu iter pertinens, *da viaggio*, ὁδοιπορικός. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 20. (50). *de taxo.* Vasa viatoria, ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est. *h. e.* vasa, quibus iter agentes ferendi potius gratia utuntur. *Scævola Dig.* 34. 2. 40. Argentum viatorium. *argenteria da viaggio.* et *Veget.* 1. *Veterin.* 61. Viatorium medicamentum. *h. e.* quod in ipsa via haberi potest. *Vitruv.* 9. 9. Horologia viatoria pensilia. ¶ 2. Item ad viatorem pertinens. *Inscr.* apud *Gruter.* 631. 2. DECVRIAE DVAE VIATORIA ET LICTORIA. Adde *aliam* apud *Orelli n.* 2204. et 4076.

**VIĀTRIX**, tricis, f. 3. (viator) quæ iter facit. *Capell.* 6. *p.* 190. Viatrix infatigata. *Inscr.* apud *Murat.* 1058. 8. VECTIA VICTORIA VIATRIX PIISSIMA. — Sunt qui leg. apud *Venant.* 3. *carm.* 4.; sed ibi rectius legend. *præviatrix.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VĪBEX** et vibix, icis, f. 3. *Vibix* pro *vibex*, fortasse rectius, apud *Priscian. v.* 1. *p.* 167. 5. ed. *Hertz.* Cf. tamen *eumd. p.* 657. *P.* et *Cassiod.* 193. 2. *K.* — Etymon alii petunt a *vis*, ut *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 369. 22. *Müll.* Vibices plagæ verberum in corpore humano, dictæ, quod vi fiunt; alii ducunt ab ἴβυκες, quæ *Hesychio* sunt στιγμοί; alii conferunt *vibex* cum rad. Skr. *vadh* (*vidh*), percutere, ut *ruber* cum *rudh*, rubere. — Quidquid sit de etymo, vibex est signum verberis in corpore remanens, μώλωψ, πελίωμα (It. *lividezza, lividura*; Fr. *meurtrissure*; Hisp. *magulladura, contusion*; Germ. *die Schwiele*; Angl. *a weal*).

I.) Proprie. *Varro* 7. *L. L.* 63. *Müll.* Plautus in Fugitivis: Age respecta, vide vibices quantas! jam inspexi quid esset. Vibices, alii excitatum verberibus corpus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 39. (118). Verberum vulnera atque vibices, pellibus ovium recentibus impositis, obliterantur. *Pers.* 4. 48. Si potes! multa cautus vibice flagellas. *Apul.* 9. *Met.* Homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti. Adde *Caton.* apud *Non. p.* 187. 26. *Merc.*

II.) Figurate. *Ambros.* 1. *Off.* 12. 46. Introspice ulcera et vibices animæ ejus.

**VĪBĪA**, æ, f. = *V.* VARA.

**VĪBO**, is, *pro* vivo, is. *V.* VIVO.

**VIBO** et bibo, ōnis, m. 3. ¶ 1. Est herba Britannica, quam, teste *Apul. Herb.* 30., Itali britannicam, alii betam plantaginis, alii bibonem vocant. ¶ 2. Aliis *vibones* sunt flores herbæ Britannicæ, qui devorati ante tonitrua a fulminibus securos reddere existimantur, teste *Plin.* 25. *Hist. nat.* 3. 6. (21). — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

**VĪBRĀBĬLIS**, e, adject. (vibro) ¶ 1. Passive est qui vibrari potest. *Auson. Epist.* 24. 108. Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulyxi Aut præter dominum vibrabilis ornus Achilli. ¶ 2. Active est qui vibrat, *scintillante.* *Capell.* 1. *p.* 11. *extr.* Cyllenius in sidus vibrabile astrumque convertitur. *h. e.* lucis vibrantis. *V.* STILBON.

**VĪBRĀBUNDUS**, a, um, adject. (vibro) vibrans. *Capell.* 8. *p.* 297. *de stella Mercurii.* Radiis solaribus liberatus vibrabundus apparet. *V.* STILBON.

**VĪBRĀMEN**, inis, n. 3. (vibro) vibratio. *Apul.* 6. *Met.* Trisulca vibramina draconum.

**VĪBRANS**, antis, particip. *V.* VIBRO.

**VĪBRĀTĬO**, ōnis, f. 3. (vibro) actus vibrandi, *vibrazione.* *Festus* apud *Paul. Diac.* in *Gradivus p.* 97. 7. *Müll.* Gradivus Mars appellatus est a vibratione hastæ; quod Græci dicunt κραδαίνειν. Adde *Diomed. p.* 477. 9. *K.* — *Jun. Calpurn.* apud *Vopisc. Car.* 8. Tonitruum continuata vibratio. *rumoreggiare.*

**VĪBRĀTUS**, a, um, particip. *V.* VIBRO.

**VĪBRĀTUS**, us, m. 4. (vibro) vibratio. *Capell.* 1. *p.* 17. Crebri vibratus ignium. *Id.* 8. *p.* 300. Proprii luminis vibratum amittunt planetæ.

**VĪBRISSÆ**, ārum, f. plur. 1. (vibro) pili in naribus hominum, ut exponunt *Gloss. Philox.*, *peli delle narici*, τρίχες ῥινός. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 370. 1. *Müll.* Vibrissæ pili in naribus hominum dicti, quod his evulsis caput vibratur.

**VĪBRISSO**, as, are, n. 1. (vibro) vocem in cantando crispare. *Titin.* apud *Paul. Diac. p.* 370. 2. *Müll.* Si erit tibi cantandum, facito usque ex vibrisses. *Müller* velit *ex eo vibrisses.* *Ribbeck* vero ad *Titin. Com.* 170. leg. *exvibrisses*, quod et *Forcellinus*: qui etiam *vibrissere* tert. conjug. proponit.

**VĪBRO**, as, āvi, ātum, are, 1. Ratione habita etymi, conferri potest cum rad. Skr. *vip*, tremere et, causative, tremulum facere. — Part. *Vibrans* sub *A* I. 1. et *B* I. et II. et in fin.; *Vibratus* sub *A* I. 2. et 3. et in fin.; *Vibrandus* sub *A* I. 2. — Vibro usurpatur *A)* Transitive; et etiam *B)* Neutrorum more seu absolute, vel, ut alii volunt, mediorum sensu.

*A)* Transitive est cum tremore tracto, agito, concutio, πάλλω (It. *maneggiare crollando, scuotere, agitare, far tremolare*; Fr. *secouer rapidement, agiter, brandir*; Hisp. *sacudir, agitar, brandir*; Germ. *in zitternde Bewegung setzen, schnell hin- u. herbewegen, schütteln, schwingen*; Angl. *to brandish, shake, vibrate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 80. 325. Qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur. *Id.* 2. *Cat.* 10. *a med.* Hi non solum cantare et saltare, sed etiam sicas vibrare et spargere venena didicerunt. *Ovid.* 1. *Met.* 528. Obviaque adversas vibrabant flamina vestes. *Id. Heroid.* 11. 75. Ut mare fit tremulum, tenui quum stringitur aura: Ut quatitur tepido fraxina virga noto; Sic mea vibrari pallentia membra videres: Quæsus ab imposito corpore lectus erat. *tremare.* et *Val. Flacc.* 1. 61. Draco multifidas linguas vibrans. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 152. imis vibrat tremor ossa medullis. *Id.* 2. *Eutrop.* 25. infernas rabies arcana cavernas Vibrat. *Id.* 2. *in Rufin.* 356. Et tremulos humeris gaudent vibrare colores, Quos operit formatque chalybs. *Id. Epithal. Pallad. et Celer.* 97. Vibrare faces. ¶ 2. Speciatim est jacio, projicio, *lanciare, scagliare, vibrare.* *Ovid. Heroid.* 4. 43. Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto. *Liv.* 34. 39. Vibrare tela. Adde *Curt.* 3. 11. 4. *Virg.* 8. *Æn.* 524. Namque improviso vibratus ab æthere fulgor Cum sonitu venit. *Ovid.* 8. *Met.* 374. vibrata per auras Spicula. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 23. 35. (86). *de angue jaculo.* Jaculum ex arborum ramis vibrari. *Seneca Œdip.* 440. thyrsum levem vibrante manu. et *Herc. Œt.* 1254. serpens squalidum crista caput vibrans. *Lucan.* 9. 613. Juppiter fulmina vibrans. *Claudian. II. cons. Stilich.* 167. fulmina vibrat Juppiter. *Id. IV. cons. Honor.* 179. Insuetosque palus radios Mæotia vibrat. et 520. Jam cornua avita Tentatur vibranda tibi. — *Tac.* 4. *Hist.* 15. Impositus scuto more gentis et sustinentium humeris vibratus, dux eligitur. *h. e.* in altum jactatus. ¶ 3. Item est crispo, torqueo. Hinc *vibratus capillus* est tortus, crispatus, *arricciato.* *Virg.* 12. *Æn.* 99. et fœdare in pulvere crines Vibratos calido ferro myrrheque madentes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 78. 80. (189). Barba et capillo vibrato. *Colum. De cult. hort.* 186. Vibratum discrimen (*capillorum*).

II.) Translate. *Catull.* 36. 5. Desissemque truces vibrare iambos.

*B)* Neutrorum more seu absolute, vel, ut alii volunt, mediorum sensu, est micare, coruscare, tremere, vibrari.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 2. *Æn.* 211. Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. *Ovid.* 3. *Met.* 34. *de angue.* Tresve vibrant linguæ: triplici stant ordine dentes. *Id.* 12. *ibid.* 79. Concutiensque suis vibrantia tela lacertis. *Virg.* 10. *Æn.* 484. Vibranti clipeum cuspis transverberat ictu. *Val. Flacc.* 8. 449. fugit infestos vibrantibus hastis Terrigenas. *Seneca Phœniss.* 439. ferrum vibrat in fratrum manu. *Sil. It.* 1. 539. Ultrix injusti vibravit lancea belli. *Petron. Sat.* 27. Numerabat pilas, non quidem eas, quæ inter manus lusu expellente vibrabant, sed eas, quæ in terram decidebant. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 80. 82. (194). Terræ motus non simplici modo quatitur, sed tremit vibratque. *Seneca Provid.* 3. *ante med.* Inter multa magnifica Demetrii nostri et hæc vox est, a qua recens sum: sonat adhuc et vibrat in auribus meis. ¶ 2. Speciatim est celeriter moveo. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 15. Multa supercilio vidi vibrante loquentes. *con le sopracciglia mosse celeremente.* ¶ 3. Item dicitur de iis, quæ tremulum splendorem emittunt, rutilant, micant, radiant, *brillare.* *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 105. Mare, quia a sole collucet, albescit et vibrat. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 2. tremulis vibravit in undis Ardor. *Val. Flacc.* 2. 583. sacris ignibus Ide Vibrat. *Sil. It.* 2. 664. in tremulo vibrant incendia ponto. *Id.* 11. 329. vibrabat ab ore Ignis atrox. *Id.* 4. 155. manicæque rigebant Ex auro et simili vibrabat crista metallo. *Val. Flacc.* 2. 342. Tyrio vibrat torus igneus ostro. *Id. ibid.* 66. memorat, qui vultus Olympi quo sidere vibret Ensis et Actæus niteat qua luce Bootes. *Sil. It.* 2. 398. galea, vibrant cui vertice coni Albentis niveæ tremulo nutamine pennæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (122). Sapphiri fundunt colorem aspectu leniter blandum, neque in oculos, ut carbunculi, vibrant. *Sillig.* vibrantem. *Val. Flacc.* 8. 56. Quum subito ingentem media inter nubila flammam Conspicit et sæva vibrantes luce tenebras. *Id.* 3. 142. Cingula sublustri vibrantia detrahit umbra. *brillanti, lucentia.* *Flor.* 3. 11. *a med.* Signa auro sericeisque vexillis vibrantia.

II.) Translate refertur ad orationem. *Cic. Orat.* 70. *extr.* Demosthenis non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur. *Val. Max.* 5. 3. *n.* 2. Priore adhuc querela vibrante, alia deinceps exsurgit. *h. e.* adhuc in auribus hominum sonante. *Petron. fragm. Tragur.* 47. *Burmann.* Ejusmodi fabulæ vibrabant, quum Trimalchio intravit. *h. e.* hinc inde jactatæ sonabant. — Hinc Part., cujus exempla retulimus.

*Vibrans, antis*, etiam adjective adhibetur, et quidem translate, de oratione et voce. *Cic. Brut.* 95. *a med.* Et erat oratio quum incitata et vi-

brans, tum etiam accurata et polita. *discorso veemente e di grande impressione. Quintil.* 10. 1. 60. Breves vibrantesque sententiæ. *acute e penetranti. Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (82). Sonus lusciniæ vibrans. *h. e.* tremulus. *canto con gorgia.*

*Vibratus, a, um*, item adjectivorum more. *Capell.* 1. p. 14. Vibratius lumen. *più lucente.* — *Auson. Epist.* 21. 5. Iambus Flammis corusci fulminis vibratior. *Cf. Catull.* 36. 5.

VĪBURNA, æ, f. 1. idem ac viburnum. *Gloss. Philox.* V. voc. seq.

VĪBURNUM, i, n. 2. genus fruticis lentum imprimis et flexibile: a *vieo*, quia ad viendum, hoc est ligandum, idoneum est: vel ab ἰβύω, cædo, verbero, quod aptum sit ad cædendum: videtur esse idem ac nerion, rhododaphne et rhododendron, Italis *oleandro* et *lentaggine* (*Viburnum Lentana* Linn.), cujus flos ab *Apul.* 4. *Met. sub init.* dicitur *laurea rosa* et accurate describitur. Hinc *Gloss. Philox.* Ῥοδοδάφνη, laurea, viburna. *Virg.* 1. *Ecl.* 26. Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi. Adde *Calpurn. Ecl.* 9. 85. et *Paulin. Nolan. ep.* 3. ad *Auson.* 35. — De hoc frutice videsis plura apud *Bubani Flor. Virg.* p. 124. et *seqq.*

VĪBUS. *V.* VIVUS.

VĪCĀNĔUS, a, um. *V.* VICANUS.

VĪCANS, antis, particip. ab inusit. *vicor*, quod est a *vicus*, per vicos discurrens, vicatim iens. *Minuc. Octav.* 24., ubi tamen alii aliter leg.

VĪCĀNUS *et* vicaneus, a, um, adject. (vicus) ¶ 1. Est ad vicum pertinens, qui in vico degit. *Cic. Flacc.* 8. 8. Tmolites ille vicanus. — Hinc *vicani dii* sunt appellati, qui vicorum custodiæ præerant. *Inscr.* apud *Romanell. Topogr. Nap. T.* 2. *p.* 359. DIIS VICANIS COMPITALIBVS ET HORTENSIBVS EX VOTO. *V.* plura huc pertinentia apud *eumd. ibid.* ¶ 2. Item qui per vicos discurrit. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divin.* 58. 132. Non habeo denique nauci Marsum augurem, Non vicanos haruspices, non de circo astrologos. *h. e.* qui vicatim quæstus causa vagantur, prædictiones suas credulis venndituri. — Hinc

*Vicanus, i, m.* 2. absolute, substantivorum more, qui in vico habitat. *Liv.* 38. 30. *sub fin.* Vicani quique ibi exsules habitabant, primo inopinata re territi sunt, *h. e.* vici incolæ; qua ratione sæpe in *Inscr.* apud *Gruter.* et *Murat.* legitur. *Imp. Zeno Cod.* 11. *tit.* 56., qui inscribitur *Ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum teneatur.* Idcirco hujusmodi iniquitates circa omnes vicaneos perpetrari modis omnibus prohibemus. Ita *Dirksen*; alii leg. ubique *vicanus.*

VĪCĀNUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

VĪCĀRĬA, æ, f. 1. *V.* VICARIUS.

VĪCĀRĬĀNUS, a, um, adject. (vicarius) ad vicarium pertinens. *Sidon.* 1. *Ep.* 3. Civium desidiam vicariano apice transcendit. *h. e.* honore et dignitate vicarii. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 1. 35. 1. Vicariani apparitores. *Cassiod.* 2. *Var.* 24. Arca vicariana.

VĪCĀRĬĀTUS, us, m. 4. (vicarius) officium vicarii, vicaria. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 1. 29. 3. Vicariatus gerere.

VĪCĀRĬĔTAS, ātis, f. 3. (vicarius) actus reddendi vices alicujus rei. *Venant.* in *epist. præf. carm.* 6. *l.* 5. *ad fin.* Tribuentes petita cum fidenti vicarietate servitii.

VĪCĀRĬUS, a, um, adject. (vicis) qui alicujus vices gerit, *che fa le altrui veci*, ἀμοιβαῖος. *Quintil. Declam.* 6. 21. *sub fin.* Qui vicarias pro patre manus obtulerit. *Id. Declam.* 9. 22. Perituri vitam mariti vicaria morte sua redemit. et *Declam.* 16. 7. Ut, si tyrannus exegerit, vicarium corpus opponam. *Ammian.* 28. 5. *sub init.* Vicariam Romæ præfecturam regens. et *ibid. a med.* Curans vicariam præfecturam in Urbe. *Inscr.* apud *Orelli n.* 3202. Monimentum vicarium. — Similiter *Cic. Rosc. Am.* 38. *a med.* Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur. *Nov. Th.* 1. 18. 11. Vicaria pœnitudo. *reciproca. mutua.* — Hinc absolute

*Vicaria, æ, f.* 1. ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) Generatim est officium sive munus vicarii, *vicaria, vicariato. Vopisc. Aurelian.* 10. Habuit vicarias ducum. — *b*) Speciatim officium vicarii præfecti prætorio. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 6. 26. 4. Præponendi, qui vicarias postea administrarunt. — *c*) Item officium vicarii præfecti urbi. *Inscr.* Romæ reperta ann. 1827., quamque vidit et exscripsit *B. Borghes.* MARTIALIS NVMERARIVS VICARIAE VRBIS AETERNAE QVI VIXIT P. M. ANNIS LXX. DEPOSITVS IN PACE DIE V. KAL. DEC. FL. MALLIO THEODORO V. C. COS. *scil.* ann. a Chr. n. CCCXCIX. V. *Ammian. loc. cit.* in VICARIUS. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, est quæ vicem alicujus gerit. *V.* infra sub I. 2.

*Vicarius, ii, m.* 2. qui vicem alicujus obtinet, ἀμοιβαῖος (It. *vicario, sostituto*; Fr. *remplaçant, suppléant*; Hisp. *sustituto, vicario*; Germ. *der Stellvertreter, Vicarius*; Angl. *a substitute, vice-gerent, vicar*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 37. 81. Succedam ego vicarius tuo muneri. *Id. Mur.* 37. *in fin.* Nolite mihi subtrahere vicarium diligentiæ meæ. *Id. Sull.* 9. 26. An hoc regnum appellabitur, cujus vicarius qui velit esse, inveniri nemo potest? *Id.* 16. *Fam.* 22. Itaque te do vicarium: tu eum observabis. *Liv.* 29. 1. *ante med.* Quoniam quid sentires, non dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu arma equumque et cetera instrumenta militiæ tradas. et *mox.* Se quisque excusare et vicarium accipere. *Horat.* 3. *Od.* 24. 15. defunctumque laboribus Æquali recreat sorte vicarius. ¶ 2. Speciatim vocabatur vicarius, qui in familia atriensi servo, id est majori, serviret, ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης, ut interpretatur *Theophilus.* Apud *Plaut.* ita loquitur Leonida servus *Asin.* 2. 4. 28. scio, mihi vicarium esse, Neque eo esse servum in ædibus heri, qui sit pluris. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 79. Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos Vester ait, seu conservus. *Martial.* 2. 12. Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse. *Paul. Dig.* 9. 4. 19. Si servus tuus navem exercuerit ejusque vicarius et idem nauta in eadem nave damnum dederit. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 687. ANDRONICVS HERMAE TI. CLAVDII CAESARIS SERVI VICARIVS — Etiam feminæ fuerunt vicariæ aliorum servorum. *Inscr.* apud *Murat.* 972. 11. PRIVATA ADMETI ET IVLI VICARIA V. A. XXII. *Alia* apud *Fabrett. p.* 304. *n.* 297. ASCLEPIADI ATHICTVS VICARIAE CARISSIMAE FECIT. — Etiam vicariorum vicarii erant. *Alia* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 775. FELICI ONESIMI AVG. DISPENSATORIS VICARIO FORTVNATVS VICARIVS FECIT. Adde *aliam* apud *Gruter.* 579. 10. — Opponuntur autem vicarius et servus ordinarius, ac ille in hujus quasi domini peculio est. *Ulp. Dig.* 15. 1. 17. Si servus meus ordinarius vicarios habeat, id, quod vicarii mihi debent, an deducam ex peculio servi ordinarii? *V.* NARCISSIANUS in ONOM. ¶ 3. Item, tempore imperii, *vicarius* dictus est præsertim qui præfecti urbi aut prætorio locum tenet et vices ejus gerit, munere etiam proprio, *luogotenente, vicario, vicerente. Gest.* in *Senat. de recip. Cod. Theod. init.* Junius Pomponius Publianus vicarius urbis æternæ. Adde *Notit. Dign. Imp. Or.* 1., 22. etc. *Inscr.* apud *Cavedoni Marm. Mod. p.* 163. CAECILIANI P. V. (*leg.* perfectissimi viri) VIC. PRAEF. PER ITAL. *h. e.* vicarii præfecti per Italiam.

II.) Translate. *Papinian. Dig.* 26. 7. 38. *ad fin.* Vicarius damni. *h. e.* qui pro alio damnum facere cogitur.

Homonym. Differt *vicarius alicujus* ab illo, qui *agens vices* vel *vice alicujus* dicitur, ut docet *Cledon. p.* 1865. *Putsch.* Sæpe quæsitum est, utrum vicarius dici debeat etiam is, cui magnificentissimi præfecti vices suas in speciali causa mandaverunt: nequaquam, nam vicarius dicitur is, qui ordine codicillorum vices agit amplissimæ præfecturæ; ille vero, cui vices mandantur propter absentiam præfectorum, non vicarius, sed vices agens, non præfecturæ, sed præfectorum dicitur tantum. *V.* loca id ipsum probantia apud *Marin. Frat. Arv. p.* 547. et 622. coll. *Mommsen* in *Memorie dell' Istit. arch. v.* 2. *p.* 309. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VĪCĀTIM, adverb. (vicus) ¶ 1. Est sparsim per vicos urbis. *Cic. Dom.* 50. 129. Servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio. *Horat. Epod.* 5. 97. Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens, Contundet obscenas anus. *Sueton. Cæs.* 41. *a med.* Recensum populi vicatim per dominos insularum egit. et *Cal.* 35. *circa med.* Vicatim circumducere aliquem. *Tac.* 2. *Hist.* 95. Editis tota urbe vicatim gladiatoribus. Adde *Sisenn.* apud *Non. p.* 188. 26. *Merc. Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 46. (132). Vicatim statuas dicare. Cf. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 456. ¶ 2. Significat etiam per pagos seu per vicos rusticos. *Liv.* 9. 13. Samnites in montibus vicatim habitantes. κωμηδόν. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (117). Mesopotamia tota Assyriorum fuit, vicatim dispersa, præter Babylona et Ninum.

VĪCĀTIM, adverb. (vicis) per vices, vicissim. *Gramm. De re gramm.* apud *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 522. Dactylici hexametri regulas, litterarum characteribus (*sc.* M. magister et Δ. διδάσκαλος, discipulus) vicatim et alternatim positis, pandamus.

VĪCĔ. *V.* VICIS.

VĪCĔA. *V.* VICIA.

VĪCĔCŎMES, itis, m. 3. (vicis *et* comes) comitis vicarius. *Comm. Eins.* in *Donat.* in *Anecd. Helv. p.* 246. 12. *Hag.*

VĪCĔDŎMĪNUS, i, m. 2. (vicis *et* dominus) qui domini vices explet. *Cassiod.* 5. *Var.* 14. et *Edict. Theod. reg. extr.*

VĪCEM. *V.* VICIS.

VĪCĒNĀLIS, e, adject. (viceni) idem ac vicenarius. *Apul. Dogm. Plat.* 1. *ante med.* Vicenalis sphæra est loco tertio. *Alii aliter leg. Id.* hanc eamdem paullo ante dixerat *vigintiangulam*, quam vocem vide suo loco.

VĪCĒNĀRĬUS, a, um, adject. (viceni) qui continet viginti, *di venti*, εἰκοσιακός. *Frontin. Aquæd.* 30. et *Pallad.* 9. *R. R.* 12. Fistula vicenaria. *h. e.* quæ luminis in rotundum coacti digitos habet quadratos viginti. *V.* VICENIQUINI. *Inscr.* apud *Herzog Gall. Narb. n.* 283. Columnæ vicenariæ. *h. e.* quæ viginti pedum sunt. Cf. *Bullett. dell' Istit. arch. a.* 1862. p. 143. — *Lex quina vicenaria* est lex data in minores viginti quinque annis. Macedoniano enim SCto cautum fuit, ne quid minori XXV. annis crederetur; si contra fieret, ejus rei nulla esset actio, nisi forte in rem minoris esset conversa. V. *Dig.* 14. *tit.* 6. *qui* de S. C. Macedoniano *inscribitur.* Hinc *Plaut. Pseud.* 1. 3. 69. Tum lex me perdit quina vicenaria: metuunt credere omnes. — Hinc

*Vicenarius, ii, m.* 2. absolute, substantivorum more, viginti annos natus. *Arnob.* 2. *p.* 58. Quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? — *NB.* Sunt qui in hac significatione scribunt *vicennarius*, ut sit a *viceni* et *annus*, quod minus placet.

VĪCĒNI (vigeni). *V.* VICENUS.

VĪCĒNĪQUĪNI *et divisim* viceni quini, æ, a, adject. numerale proprie distributivum, viginti quinque, *venticinque*, εἴκοσι πέντε. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (164). Annorum centenum vicenumquinum homines duo. *pro* vicenorum quinorum. *Al.* divisim. *V.* VICENI. *Frontin. Aquæd.* 29. *et* 47. Fistula, quæ habet areæ, id est luminis in rotundum coacti, digitos quadratos vigintiquinque, vicenum quinum appellatur. *Colum.* 12. *R. R.* 18. *in fin.* Sunt autem satis sesquiculleàribus doliis picis duræ pondo vicenaquina. — Ordine inverso. *Liv.* 41. 7. Militibus denarios quinos vicenos diviserunt.

VĪCENNĀLĬA. *V.* voc. seq.

VĪCENNĀLIS, e, adject. (vicennium) vicenos annos continens. In nummo *Alex. Sev.* apud *Eckhel D. N. V. T.* 7. p. 275. Votis vicennalibus. — Hinc

*Vicennalia, orum* vel *ium, n. pl.* 2. et 3. absolute, substantivorum more, ludi, qui vicesimo quoque anno celebrabantur. *Lactant. Mort.*

*persecut.* 17. Diocletianus perrexit Romam, ut illic vicennalium diem celebraret. *h. e.* ludos, qui vicesimo quoque anno celebrandi erant. In nummo Constantini Jun. apud *Eckhel D. N. V. T.* 8. *p.* 108. Vota Vicennalior. *V.* DECENNALIS.

VĪCENNĀRĪUS. *V.* VICENARIUS.

VĪCENNIS, e, adject. idem ac vicennalis. *Porphyr. Optatian. Paneg. ad Constantin. carm.* 10. 35. Virtutum meritis vicennia præcipe vota.

VĪCENNĪUM, ĭi, n. 2. (vicies *et* annus) viginti annorum spatium, *spazio di vent'anni*, εἰκοσετία. *Modestin. Dig.* 50. 8. 8. Calculali erroris retractatio etiam post decennii aut vicennii tempus admittetur.

VĪCENSĪMUS et deriv. *V.* VICESIMUS.

VĪCĒNUS, a, um, *et sæpius plur.* viceni, æ, a, adject. numerale distributivum. — *Vigeni* pro *viceni* habet *Colum.* 4. *R. R.* 30. 2.; et in sing. num. *Anthol. Lat. loc. cit.* — Antepænultimam licenter corripit *Alcim.* 4. 243. Bis quinis late claudetur (*arca cubitis*) bisque vicenis. — Vicenus et plerumque viceni sunt viginti, *venti*, εἴκοσι. — *a*) In plur. num. *Varro* 10. *L. L.* 5. *Müll.* Si duæ res, quæ conferuntur, vicenas habent partes. *venti parti per una.* et *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Nonnulli annos vicenos in disciplina permanent. *Colum.* 3. *R. R.* 3. *circa med.* Amphoras vicenas percipient ex singulis jugeribus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (114). Annua vicena milia Neapolitanis numerari jussit. *Id.* 6. *ibid.* 23. 26. (98). Hydri marini vicenum cubitorum adnatantes terruerunt classem. *pro* vicenorum. *Id.* 7. *ibid.* 49. 50. (163). Centeni viceni anni. *Id.* 8. *ibid.* 51. 77. (205). Partus (*suum*) bis anno: numerus fecunditatis ad vicenos. *di venti per volta.* et 18. *ibid.* 7. 12. (66). Frumentum Gallicum atque e Chersoneso advectum non excedunt in modium vicenas libras. *venti al moggio.* — Extra distributionem. *Id.* 25. *ibid.* 8. 49. (88). Diebus vicenis interpositis idem fiat. *Martial.* 4. 26. Tricenos, puto, bis, vicenos ter, puto, nummos. — *Viceni singuli, vicenibini, viceniterni, vicenideni* etc. V. apud *Priscian. De fin. num. p.* 1383. Cf. TERNI. At *Putsch.* rectius sejunctis vocibus usurpantur. — *b*) In sing. num. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211). Vicenum spatium. *Anthol. Lat.* 741. 16. *Riese.* Vigena quarta pars.

VĪCEŎPĔRUM. *V.* VICIS.

VĪCĔPRÆFECTUS *et divisim* vice præfectus, i, m. 2. (vicis *et* præfectus) vice agens præfecti. *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* 462. 2. CATIO ALCIMO FELICIANO VICEPRAEF. PRAET. etc. *h. e.* vicepræfecto prætorio. *et ibid. mox.* VICEPRAEF. VIGILVM. *Alia* apud *Murat.* 725. 3. L. NONIVS VERVS VIC. PRAEF. PER ITALIAM.

VĪCĔQUÆSTOR, ōris, m. 3. (vicis *et* quæstor) vice agens quæstoris, proquæstore. *Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 38. Cf. voc. seq.

VĪCĔQUÆSTŪRA, æ, f. 1. (vicis *et* quæstura) munus ejus, qui vice quæstoris fungitur: quem *proquæstore* appellat *Cic.* 3. *Verr.* 38. 95., quod Italice verti potest *carica del luogotenente del camerlingo. Ascon.* in *argum. Verr.* 3. *a med.* Capita sunt hæc: primum in quæsturam: deinde in legationem et vicequæsturam: tertio in præturam urbanam etc.

VĪCES. *V.* VICIS.

VĪCĒSĬES. *V.* VICIES.

VĪCĒSĬMA, æ. *V.* VICESIMUS.

VĪCĒSĬMĀNI, ōrum, m. plur. 2. (vicesimus) milites legionis vicesimæ. *Tac.* 1. *Ann.* 51. et 64. — *Vexillarii vicesimani*, eod. sensu, apud *eumd.* 14. *ibid.* 34.

VĪCĒSĬMĀRĬUS (vicensimarius *et* vicensumarius), a, um, adject. (vicesimus) ad vicesimam spectans, εἰκοσταχός. *Liv.* 27. 10. *ad fin.* Cetera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit. *h. e.* aurum, quod ex vicesima collectum fuerat. — *Duumvir vicesimarius* dictus videtur, qui vicesimam exigeret. *Inscr.* apud *Rénier n.* 1976. — Hinc

*Vicesimarius, ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, sæpius usurpatur et est qui vicesimam exigit, εἰκοστώνης. *Petron. fragm. Tragur.* 65. *Burmann. ad fin.* Servum mortuum manumiserat: et puto cum vicesimariis magnam rixam habet. Quinquaginta enim millibus existimant mortuum. Hinc patet, servos a dominis suis manumissos æstimari solitos fuisse, quanti valerent, a vicesimariis. Adde *Inscr.* apud *Bortolotti Spic. epigr. Moden. p.* 193. *V.* VICESIMUS. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM. et Cf. VICESIMUS init.

VĪCĒSĬMĀTĬO (vicensimatio), ōnis, f. 3. (vicesimus) supplicium militare, quo vicesimus quisque puniebatur. *Capitolin. Macrin.* 12. Quando eos centesimaret, qui digni essent decumatione atque vicesimatione. *V.* DECIMATIO.

VĪCĒSĬMUS (vicesumus) *et* vigesimus, a, um, adject. (viginti) Scribitur et *vigesimus* (*vigesumus*): utraque scriptio proba est; sunt tamen qui *vicesimus* recte præferunt. *V.* TRICESIMUS et etiam *Archiv Lex. Wölfflin* a. 1893. *H.* 4. *p.* 569. et *seqq.* — Item *vicensimus* apud *Tac.* 1. *Ann.* 51. et *Dial. de orat.* 34. et in *Inscr.* apud *Murat.* 1551. 4. et *alibi*; unde et *vicensimarius* (quod apud *Marini Fr. Arv. p.* 590. nomen est gentilitium): et *vicensumus* apud *Plaut. Capt. loc. cit.* et in *fragm.* leg. *Serv.* apud *Haubold Monum. leg. p.* 38., unde et *vicensumarius* in *Inscr.* apud *Rénier n.* 1976. V. VICESIMARIUS. — *Vicesmus*, syncop. pro *vicesimus*, in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 187. — Vicesimus est ultimus ex viginti, *ventesimo, vigesimo*, εἰκοστός. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 5. 3. 3. Hic annus incipit vicensumus. *Varro* 3. *R. R.* 9. *extr.* Ut vicesimus dies et primus sit par. *Sall. Cat.* 48. Ab incenso Capitolio illum esse vicesimum annum. *Auct. Paneg. ad Pis.* 249. et nondum vicesima venerit æstas. *Manil.* 4. 462. Septima post decimam luctum et vicesima portat. *Cic.* 2. *Fin.* 31. *circa med.* Vicesimo die lunæ. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Vicesima luna sacrificant. — *b*) Cum aliis adject. numer. *Cæs.* 3. *B. C.* 34. Legio vicesima septima. *Cic. pro leg. Manil.* 3. 7. Annum jam tertium et vicesimum regnat. *Liv.* 10. 47. Censores vicesimi sexti a primis censoribus: lustrum undevicesimum fuit. — *Cic.* 12. *Fam.* 25. Litteras mihi Cornificius altero vicesimo die reddidit. *V.* ALTER. — Hinc

*Vicesima*, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, *subaud.* pars, est alicujus rei integræ pars vicesima: et quidem speciatim. — *a*) *Vicesima* seu *vicesima libertatis*, vectigal, quod in manumissionibus servorum solvebatur reipublicæ a domino, nempe pro singulis viginti assibus unus atque adeo quinque asses pro centum, *un cinque per cento.* Institutum hoc fuit ann. U. C. CCCXCVII., Cn. Manlio et C. Marcio Coss., quod usque ad seriora imperatorum tempora perdurasse constat ex *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 37. *n.* 179. sub Alexandro Sev., in qua ejus fit mentio. Illud vero vectigal, nisi a domino volente solveretur, a manumisso exigendum fuisse, multis argumentis evincit *P. Burmann. De vectigal. P. R. c.* 10. et ex *Petronii loc. cit.* in VICESIMARIUS constat, pretium cujusque servi qui manumitteretur, a vicesimariis fuisse constitutum. Interdum vero domini, una cum libertate servis concessa, donabant eis vectigal solvendum vicesimariis. Hinc *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann.* Ad summam omnes illos (*servos*) in testamento meo manumitto: Philargyro etiam fundum lego et contubernalem suam: Carrioni quoque insulam et vicesimam et lectum stratum. *Liv.* 7. 16. Consul Cn. Manlius legem novo exemplo in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parum inopi ærario additum esset, auctores fuerunt. *Cic.* 2. *Att.* 16. Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum præter vicesimam? *Inscr.* apud *Gruter.* 890. 14. et *Maff. Mus. Ver.* 129. 5. LOC. SEPVLTVRAE FAMILIAE XX. LIB. REG. TRANSPAD. etc. *h. e.* vicesimæ libertatis regionis Transpadanæ. *Alia* apud *Gruter.* 591. 2. M. LVCIO PVB. XX. LIB. PR. ABR. P. H. C. etc. *h. e.* publicano vicesimæ libertatis, procuratori ærarii provinciæ Hispaniæ citerioris. *Alia* apud *eumd. ibid.* 4. VICTORI ARK. (*h. e.* arcario) XX. LIB. P. H. C. QVINTILIA PROCVLA CONIVGI. — *b*) *Vicesima portorii* est ipsum portorium, cujus nomine solvebatur vicesima pars rerum, quæ exportabantur. *Cic.* 4. *Verr.* 75. 185. His exportationibus scribit HS IX. socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. — *c*) *Vicesima* et *vicesima hereditatum* ab Augusto instituta fuit, an. 759. et confirmata an. 766. quum ærarium militare conderet, ut ex quacumque hereditate solveretur vectigal, exceptis arcta sanguinis necessitudine conjunctis et pauperibus, quod *Dion l.* 55. *c.* 25. narrat, cui aliquot postea remissiones adjectæ sunt. *V. Plin. Paneg.* 37. et *seqq.*, *Jul. Capitol. Antonin.* 11. et cf. *Drakenb.* in *adnot.* ad *Liv.* 43. 3. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 119. *n.* 4., apud *Murat.* 478. 5. et apud *Visc. Op. var. T.* 2. *p.* 99. Q. MANLIVS Q. F. SERG. RVFVS DEC. IVDEX EX QVINQ. DECVRIIS EQVO PVBLICO TESTAMENTO HERI IVSSIT ET EPVLO DEDICARI: IN HOC OPVS STATIA SEX. F. FIDA MATER ADIECIT HS. XXXV. ET SVMMAE OPERI ET EPVLIS RELICTAE XX. FISCO INTVLIT HS XIII. CC. SOLO PVBLICO. *h. e.* adjecit sestertium triginta quinque milia et vicesimam fisco intulit sestertium tredecim milia, ducentos. *Alia* apud *Gruter.* 389. 7. TI. CLAVDIO ILO PROC. XX. HEREDITATIVM etc. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 128. 1. M. VLPIO CADMO AVG. LIB. QVI FVIT PRINCEPS TABVLARIVS IN STATIONE XX. HEREDITATIVM etc. *V.* DEDUCTIO et PRÆSIGNATOR. — Vicesimam viro tam libertatis quam hereditatis in decimam mutavit Caracalla, ut tradit *Dion* 77. 9. et innuit etiam *Auct.* in *Collat. leg. Mos. et Rom. tit.* 16. § 9. *Macrinus* autem, ut narrat *Dion* 78. 12., vicesimam reduxit. Tandem *Imp. Justinian. Cod.* 6. 33. 3., eam quoque vicesimam sustulit. — Varia ac plura erant officia vicesimæ hered. administrandæ, ut *magistri, procuratoris, tabularii, scribæ, exactoris, adjutoris, dispensatoris* etc., quæ videre est in *Inscr. Gruter., Murat., Fabrett.* etc., quæque ad centesimam hered. pertinuisse censent *Reines. cl.* 6. *p.* 423. et *Burmann De vect.* Verum *Dalla Torre Mon. vet. Ant. c.* 6. et *Gervasio Due iscr. Messin.* putant, hæc ad privatum Augustorum patrimonium esse referenda. — *d*) Aliud fuit vectigal *quintæ et vicesimæ*, quod in venditionibus servorum ab emptore solvebatur reipublicæ, *un quattro per cento. Tac.* 13. *Ann.* 31. Vectigal quoque quintæ et vicesimæ venalium mancipiorum (*a Nerone*) remissum, specie magis quam vi; quia quum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat. At *Dion l.* 55. *c.* 31. hoc idem vocat τὸ τέλος τὸ τῆς πεντηκοστῆς, vectigal quinquagesimæ: ubi *Lipsius* in *Admir. l.* 2. *c.* 4. levissima immutatione pro πεντηκοστῆς legit πενταικοστῆς. *h. e.* quintæ et vicesimæ, a πέντε, quinque, et εἰκοστή, vicesima; atque ita *Dionem* cum *Tacito* concordem facit et cum *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 36. *n.* 176. PVBLICI XX. LIB. ET XXV. VENALI . . . *h. e.* venaliciorum. *et ibid. n.* 177. SOCIORVM PVBLICI XXV. VENALIVM. At cf. *Orelli n.* 3333. *et* 3336. et *Burmann. De vect.* 5. 69. Hinc *Marcian. Dig.* 39. 4. 16. *init.* Interdum nec vendendus est is servus, qui in commissum cecidit, sed pro eo æstimatio a domino danda. *et mox.* Quum (*servus*) in commissum cecidisset, venire non debuisse rescripserunt Divi Severus et Antoninus, sed pro eo viri boni arbitratu æstimationem oportuisse dari. Cf. *Quintil. Declam.* 340. *a med.* Videtur mangoni puer pretiosus: timuit, ne magno æstimaretur. — *e*) *Vicesima frumenti*, vicesima pars frumenti, quod quisque in agris suis messuit. *Liv.* 43. 2. *in fin.* Cf. tamen *Drakenb.* in *adnot.* ad *h. l.*

VĪCESSIS (vigessis), is, m. 3. (vicies *et* as) viginti asses. *Priscian. De fig. num. p.* 1350. *Putsch.* In denario numero hoc mutat, quod primum ab decem assibus decussis, secundum ab duobus decussibus vicessis. *Capell.* 7. *p.* 241. Quater seni vigessis quadrussis faciunt. Alii rectius leg. *vicessis.* Adde *Martial.* 12. 76. *V.* BICESSIS.

VĬCĬA, æ, f. 1. — *a*) *Viccia* cum duplici

*e* scribitur in *Gloss. Philox.*; et *vicsa* in *Kalend. rustic.* apud *Orelli T.* 2. *p.* 380. — Etiam *bicia* in *Edict. Diocl.* 1. 30. *Wadd.* — *b*) Alia forma est *vicium, ii,* n. 2. in *Not. Tir. p.* 111. — *c*) Ratione habita etymi, *Varro loc. cit.* ducit a *vincio;* et *Isid.* 10. *Orig.* 211. a *vinco.* Qui vero a βίκιον derivant, non animadvertunt hoc ab illo esse potius derivandum. — Quidquid sit de etymo, vicia est leguminis genus, jumentorum pabulo nobilissimum, cubitali altitudine, foliis fere petroselini, amplioribus tamen, minutis nigrantibusque in siliqua granis, *veccia,* βίκιον. *V.* CRACCA. *Varro* 1. *R. R.* 31. *ad fin.* Vicia dicta a vinciendo, quod item capreolos habet, ut vitis, quibus quum sursum vorsum serpit ad scapum lupini aliumve quem, ut hæreat, id solet vincire. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 15. 37. (137). Et vicia pinguescunt arva, nec ipsa agricolis operosa: uno sulco sata, non sarritur, non stercoratur nec aliud quam deoccatur. *Colum.* 2. *R. R.* 14. Stercorari et juvari agros lupino, faba, vicia etc. *Virg.* 1. *G.* 75. Aut tenues fetus viciæ tristisque lupini Sustuleris fragiles calamos. — In plur. num. *Ovid.* 5. *Fast.* 267. Flore semel læso, pereunt viciæque fabæque. — De locis apud *Vulg. interpr.* V. *Cultrera Flor. Bibl. p.* 151. et *seqq.*

**VĬCĬA**, æ, f. 1. (vinco) idem ac victoria. *Isid.* 10. *Orig.* 211. Antiqui viciam dicebant, quam nos victoriam: credo, quod inde dicatur herba vicia, id est victorialis.

**VĬCĬĀLIS**, e, adject. (vicia) ad viciam pertinens, viciarius, *di veccia.* — Absolute tantum usurpatur ab *Colum.* 6. *R. R.* 30. 5. Crepusculo aqua datur parumque hordei cum vicialibus. *Vicialia* hic dicuntur viciarum culmi, *gambi di veccia,* ut apud *Varron.* 1. *R. R.* 23. et alibi *fabalia* sunt fabales culmi siccati. Ita *Schneiderus* edidit ex opt. MSS., at *Gesnerus* antea *cum viciæ lib. II. S.,* scil. libris duabus semis; sed hoc ex vitiata, ut cuique patet, codicum lectione.

**VĬCĬĀRĬUS**, a, um, adject. (vicia) ad viciam pertinens. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 16. Cribro viciario vel etiam loliario pulli superponantur.

**VĬCĬENS** et

**VĬCĬES**, adverb. *Vigies* per *g* apud *Capell.* 6. *p.* 194. — Vox est a *viginti* per syncopen facta pro *vicesies* seu *vigesies:* immo sunt qui pro *vicies* leg. *vicesies* apud *Cic.* 11. *Att.* 1. et *vigesies* apud *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* — Vicies sunt viginti vices vel vicibus, *venti volte,* εἰκοσάκις. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (53). Maroneum vinum vicies tanto addito aquæ miscendum. *Martial.* 12. 77. Et pedit deciesque viciesque. — *b*) Cum aliis adverb. numer. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. *extr. de Britannia.* Omnis insula est in circuitu viciens centena milia passuum. *due mila miglia.* et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Viciens centum milia versuum a Zoroastro condita. *due milioni di righe.* et 7. *ibid.* 28. 29. (104). Stipendiis duobus ter et viciens vulneratus. *ventitre volte.* et *ibid.* Centies vicies prœliatus. *cento e venti volte.* et *Colum.* 5. *R. R.* 3. Quinquies et vicies duceni quadrageni singuli fiunt sex milia et viginti quinque. *dugento e quarant' uno moltiplicati venticinque volte fanno sei mila e venticinque.* Sic *ibid.* Has summas inter se multiplicabis, vicies et semel, ducentos et unum: atque ita efficies quattuor milia ducentos et viginti unum. *moltiplicherai dugento e uno per ventuno e farai quattro mila dugento e ventuno.* — 2.°) Quum de pecunia sermo est, post *vicies* subintelligitur *centena milia.* V. TRICIES. *Cic.* 4. *Att.* 2. *a med.* Superficiem ædium æstimarunt HS. vicies. *subaudi* centena milia. *due milioni di sesterzi.* Sic 11. *ibid.* 1. Ego in cistophoro in Asia habeo ad HS. bis et vicies. (*Grævius* hic leg. *vicesies.*) Adde *Nepot. Att.* 14. *Martial.* 1. 100. Non plenum modo vicies habebas.

**VĬCĬLĪNUS**, i, m. 2. Jovis epitheton apud *Liv.* 24. 44. Et in Jovis Vicilini templo, quod in Compsano agro est, arma concrepuisse. Quidam, ut *Georges,* legendum putant *Vigilini,* nempe custodis, a *vigil;* alii fortasse rectius, ut *Forcellinus* ait, *Viculini,* a *vicus,* quia vicorum aut viculorum numen esset, quemadmodum etiam *Paganicus* eadem de causa dicebatur. Hinc *dii vicani* in *Inscr.* adiata in VICANUS et *dii vicini* apud *Plaut. Bacch.* 2. 1. 3.

**VĬCĬMĂGISTER.** *V.* VICOMAGISTER.

**VĪCĪNA**, æ, f. 1. *V.* VICINUS.

**VĪCĪNĀLIS**, e, adject. (vicinus) ad viciniam pertinens, *del vicinato, circonvicino. Liv.* 21. 26. *ad fin.* Ingens vis navium et lintrium temere ad vicinalem usum paratarum. *h. e.* ad trajiciendum Rhodanum. *Justin.* 41. 1. 9. Parthi gravibus Scythicis et vicinalibus bellis assidue vexati etc. — *Vicinalis via* apud *Ulp. Dig.* 43. 8. 2. *ante med.* Viæ vicinales sunt, quæ in vicis sunt, vel quæ in vicos ducunt. *et ibid.* 7. 3. Viæ vicinales, quæ ex agris privatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non exstat, publicarum viarum numero sunt. *strade consortive.* et *ibid.* Vicinalium viarum pars in militares vias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur. *Seneca* 5. *Benef.* 24. *extr.* Agellos, in quibus vicinalis via causa rixæ ac litium fuerat, militi suo donavit. Adde *Frontin. Aquæd.* 126.

**VĪCĪNANS**, antis, particip. *V.* VICINOR.

**VĪCĪNĀRĬUS**, a, um, adject. (vicinus) idem ac vicinalis. Hinc *vicinaria via* in castris dicitur minor illa et intercurrens, quæ ex majoribus, prætoria scilicet, principali, quintana et sagulari in strigas seu vicos ducit. Erat enim omnis castrorum metatio vicorum admodum similis propter intercurrentes vias. *Hygin. Gromat. p.* 5. *col.* 2. Viæ vicinariæ ideo dantur, percurrentes proximam singularem, ut ad eruptionem exercitus expediti progredi possint. *Id. ibid. p.* 12. *col.* 2. Ut nunc via vicinaria super cohortem primam.

**VĪCĪNĒ**, adverb. (vicinus) Comp. *Vicinius* et Sup. *Vicinissime.* — Vicine est prope vel proxime, apud sequioris ævi scriptores. *Venant.* 3. *carm.* 12. 11. Quantum crescit aquis (*fluvius*), pisces vicinius offert: Exhibet hinc epulas, unde rapina venit. Adde *Boeth.* 4. *De consol. phil.* 6. *p.* 89. 19. *Augustin.* 2. *Doctr. Chr.* 33. *ad fin.* Vicinissime frui.

**VĪCĪNĬA**, æ, f. 1. (vicinus) vicinitas, γειτονία (It. *vicinanza, vicinità;* Fr. *voisinage, proximité;* Hisp. *vecindad;* Germ. *die Nachbarschaft, die Nähe;* Angl. *a neighbourhood, vicinage*).

I.) Proprie. *Fronto De diff. voc. p.* 2200. *Putsch.* Vicinia, vicorum conjunctio: vicinitas, hominum conversatio est. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 27. Proximæ viciniæ habitat. *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Inde in vicinia nostra Averni lacus. *Virg.* 4. *G.* 290. Quaque pharetratæ vicinia Persidis urguet. *Colum.* 7. *R. R.* 3. In vicinia urbis. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (7). Mons elatus super nubila atque in viciniam lunaris circuli. *Sillig.* vicina. Adde 6. *ibid.* 26. 30. (119). *Seneca* apud *Lactant.* 6. 17. *sub fin.* Mortem in vicinia videre. *in vicinanza.* — In genet. partit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 2. Certo scio, me vidisse hic proximæ viciniæ Philocomasium sibi alium quærere. *Ter. Andr.* 1. 1. 42. Mulier quædam commigravit huc viciniæ. *Id. Phorm.* 1. 2. 45. Modo quamdam vidi virginem hic viciniæ suam matrem lamentari mortuam. Cf. *Spengel* ad *Ter. Andr. v.* 70. *p.* 150.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de hominibus, *vicinato. Horat.* 2. *Sat.* 5. 105. funus Egregie factum laudet vicinia. *Id.* 1. *Ep.* 16. 44. Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota. *Petron. Sat.* 93. Viciniam totam concitare. ¶ 2. De propinquitate cujusque rei. *Id. ibid.* 115. Mirati quod illi vacaret in vicinia mortis poema facere.

III.) Metaphorice est similitudo, cognatio. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (123). *de amethyst.* Quintum genus ad viciniam crystalli descendit. *Sillig.* vicina. et 31. *ibid.* 3. 22. (37). Aqua ad viciniam lactis accedens. *Quintil.* 8. 6. *ante med.* Est huic tropo quædam cum synecdoche vicinia. *Id.* 2. 12. 4. Est quædam virtutum vitiorumque vicinia. — *Minuc. Octav.* 29. De vicinia veritatis errare. *dai confini del vero.*

**VĪCĪNĬTAS**, ātis, f. 3. (vicinus) loci propinquitas, vicinia, *vicinanza, vicinità,* γειτονία.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Ter. Heaut.* 1. 1. 4. Vel virtus tua me vel vicinitas facit, ut te audacter moneam etc. *Auct. B. G.* 8. 7. *a med.* Comium discessisse ad auxilia Germanorum adducenda, quorum et vicinitas propinqua et multitudo esset infinita. *Cic. Rosc. Am.* 16. *ad fin.* In Umbria atque in ea vicinitate. *Id.* 5. *Att.* 10. *in fin.* Propter vicinitatem totos dies simul eramus. ¶ 2. Pro compito. *Gloss. Lat. p.* 63. *n.* 202. et *p.* 392. *n.* 139. Vicinitas, compitum. V. *Hildebr.* ad *hh. ll.*

II.) Translate. ¶ 1. De hominibus, qui in vicinia habitant, *vicinato. Cato R. R.* 4. Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes; operas facilius locabis, operarios facilius conduces. *Sall. Cat.* 37. Dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Caritas serpit foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus etc. *Id. Rosc. Am.* 6. 15. Sex. Roscius non modo sui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile primus. *Id. ad Quirit. post redit.* 1. *a med.* Amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. *Nepos Alcib.* 10. Clam vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. ¶ 2. De tempore. *Cod. Theod.* 2. 27. 1. Sub mortis vicinitate. ¶ 3. Pro actu appropinquandi, *l'approssimarsi,* apud *Prudent.* 1. *Cathem.* 41.

III.) Metaphorice est similitudo. *Quintil.* 8. 7. *ad fin.* Est quædam virtutibus ac vitiis vicinitas. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69. (115). Multi cyperon non discernunt a cypiro vicinitate nominis.

**VĪCĪNĬTUS**, adverb. (vicinus) in vicino, prope, *da vicino. Imp. Constantin. Cod. Theod.* 15. 1. 4. Omnes intra centum pedes vicinitus, quantum ad horrea pertinet, arceantur.

**VĪCĪNOR**, āris, ari, dep. 1. (vicinus) Part. *Vicinans.* — Vicinor est vicinus sum, *essere vicino.*

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Sidon.* 2. *Ep.* 11. Si nobis pro situ spatiisque regionum vicinaremur. *Id.* 7. *Ep.* 2. Forte accidit, ut diversorio, cui ipse successerat, quædam femina non minus censu, quam moribus idonea vicinaretur. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 6. *ante med.* Loca capiti vicinantia. — *b*) Absolute. *Id. ibid.* 13. 90. Vicinantia latera. *Id. ibid.* 34. 181. Vicinans corpus. *Capell.* 6. *p.* 197. plaustrum.

II.) Figurate. *Sidon.* 6. *Ep.* 9. Vicinabatur innocentiæ festinata correctio.

**VĪCĪNUS**, a, um, adject. (vicus) Comp. *Vicinior* I. c et II. *b;* Sup. *Vicinissimus* afferunt nonnulli ex *Beda De mund. const. T.* 1. *p.* 382. V. *Quicherat. p.* 310. — Vicinus est propinquus, proximus loco vel etiam tempore, quasi in eod. vico positus, ὁ ἐγγύς, πλησίος (It. *vicino, confinante;* Fr. *voisin, proche, prochain;* Hisp. *vecino, próximo;* Germ. *in d. Nachbarschaft befindlich, benachbart;* Angl. *neighbouring, adjacent, contiguous*).

I.) Proprie. — *a*) Sine regimine. *Cic. Sull.* 20. *a med.* Cujus pater, quum ceteri deficerent finitimi ac vicini, singulari exstitit in rempubl. nostram officio et fide. *Virg.* 1. *G.* 510. Vicinæ ruptis inter se legibus urbes Arma ferunt. *Phædr.* 3. *epil.* Quum mors vicina flagitabit debitum. — *b*) Cum Genet. *Cic.* 3. *Off.* 29. 104. Fidem in Capitolio vicinam Jovis O. M. majores nostri esse voluerunt. *Ovid.* 6. *Fast.* 399. Sensit anus vicina loci. Adde *Lucan.* 9. 432. *Hieronym. De script. Eccl. n.* 7. Tertullianus vicinus eorum temporum. — *c*) Cum Dat. *Ovid.* 6. *Fast.* 275. Ni convexa foret, parti vicinior esset Nec medium terram mundus haberet onus. *Id.* 3. *Trist.* 4. 52. Heu quam vicina est ultima terra mihi! *Tibull.* 4. 1. 131. et cælo vicinum liquit Olympum. — *d*) Cum Acc. et præp. *ad. Cic.* 3. *Verr.* 18. *a med.* Latonam gravidam et jam ad pariendum vicinam confugisse Delum. Recentiores tamen aliter leg. — *Vicini dii,* vicorum præstites, apud

Græcos θεοὶ ἀγυιεῖς. *Plaut. Bacch.* 2. 1. 3. Saluto te, vicine Apollo. *Prostaterium* Apollinem intelligit, quem veluti præsidem in vestibulo domus Athenienses colebant. Cf. VIALES.

II.) Metaphorice est similis, prope accedens. — *a*) Cum Genet. *Cic. Orat.* 32. 113. Dialecticorum scientia vicina ejus et finitima eloquentiæ. — *b*) Cum Dat. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (143). Ferrum molle plumboque vicinius. *Sillig.* vicinum. *et* 21. *ibid.* 9. 29. (53). Sertulæ Campanæ odor croco vicinus est. *et ibid.* 18. 69. (115). Cypiro Cretico candor odorque vicinus nardo. — *c*) Absolute. *Id.* 24. *ibid.* 10. 48. (81). Græci vicino vocabulo cisthon appellant fruticem majorem thymo, foliis ocimi. *h. e.* hederam κισσόν, hunc fruticem κισθόν dicunt. — *Id.* 37. *ibid.* 9. 41. (125). Multum ab amethysto distat hyacinthos, tamen e vicino descendens. — Hinc substantivorum more

*Vicinus, i,* m. 2. et *Vicina, æ,* f. 1. qui et quæ prope nos habitat, *vicino, vicina, della stessa contrada. Ter. Andr.* 1. 1. 78. Fere in diebus paucis Chrysis vicina hæc moritur. Adde *Hecyr.* 4. 4. 98. *Cic. Rosc. Am.* 16. 47. Multos nominatim proferre vel tribules vel vicinos meos, qui etc. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 132. bonus sane vicinus, amabilis hospes. *Id.* 1. *Sat.* 1. 85. omnes Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ. *Virg.* 3. *Ecl.* 53. vicine Palæmon. *Phædr.* 1. 6. Vicini furis celebres vidit nuptias Æsopus. *Horat.* 3. *Od.* 19. 24. Et vicina seni non habilis Lyco. — *Vicinus proximus,* qui e vicinis propius me habitat. *Ulp. Dig.* 50. 15. 4. Agri sic in censum referantur: nomen fundi cujusque et in quo pago sit et quos duos vicinos proximos habeat. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 21. Si stare non possunt, corruant, sed ita ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. *V.* PROXIMUS. — Sic *vicinus interior* apud *eumd.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. *sub fin.* — *Res mala vicinus malus,* proverb. apud *Auct. Queroli* 1. 2. 155.

*Vicinum, i,* n. 2. locus vicinus: occurrit autem absolute vel cum genet. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (123). Rex aliud oppidum in vicino condidit. *Id.* 23. *ibid.* 8. 75. (145). Vulpes, si ederint amygdalas, nec contingat e vicino aquam lambere, mori. *Id.* 16. *ibid.* 32. 59. (135). In Syriæ vicina pervenire. *Id.* 6. *ibid.* 18. 22. (65). Amnis rigans vicina. *Colum.* 7. *R. R.* 2. *a. med.* Quum in municipium Gaditanum ex vicino Africæ arietes deportarentur. *Seneca Brevit. vit.* 15. *a med.* In vicino versatur invidia: simplicius longe posita miramur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (68). Stellarum motum augeri, quamdiu in vicino sint terræ. *in vicinanza.* et *Cels.* 2. 6. *ad fin.* In vicino sæpe quædam notæ positæ non bonos sed imperitos medicos decipiunt.

Homonym. Differunt *vicinus* et *finitimus* eo quod hic dicitur de regionis vel territorii, ille de urbis vel vici aut domus incolis confinibus. *Cic. Sull.* 20. 58. Quum ceteri deficerent, finitimi ac vicini.

VICIS, vici, vicem, vice, *et in plur.* vices, vicibus, f. 3. — *a*) Caret recto singulari et patrio plurali, tametsi *Charis.* 1. *p.* 27. *Putsch.* agnoscit *vix, vicis;* et in opt. MSS. *Schol.* ad *Juvenal.* 9. 82. *Cr.* et *Heinr.* in recto sing. legitur *vices,* ubi tamen *Jahn* legit *merces.* — *b*) *Veces* pro *vices* scribitur in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1261. — *c*) *Vicem* et *vice* in antiquis MSS. et editis libr. promiscue adhibita reperiuntur. V. *Zumpt* ad *Curt.* 7. 11. 20. — *d*) Ratione habita etymi, recentiores conferunt cum rad. Skr. *vik',* secernere, disjungere; hinc mutare. — Vicis tria præcipue significat: et quidem

*A)* Designat mutationem vel alternationem rei et est vicissitudo, alternatio, ἀμοιβή, ἐναλλαγή (It. *mutazione, vicenda;* Fr. *changement, succession, tour;* Hisp. *mutacion, vuelta, vez, vicisitud;* Germ. *die Abwechselung, der Wechsel, die Wechselseitigkeit;* Angl. *a change or turn, vicissitud*). Usurpatur autem

I.) Universim. *Ovid.* 11. *Met.* 502. his agitur vicibus Trachinia puppis Et modo sublimis *etc.* nunc etc. *Id.* 4. *Trist.* 4. 79. vice sermonis fratrem cognovit. *et* 2. *Pont.* 10. 35. Sæpe brevis nobis vicibus via visa loquendi. *col parlare a vicenda.* et 4. *Fast.* 353. Vicibus factis inire convivia. *convitarsi vicendevolmente.* et 15. *Met.* 238. Peragere vices. *Horat.* 4. *Od.* 7. 1. Diffugere nives: redeunt jam gramina campis: Mutat terra vices. *Plin. Paneg.* 5. *in fin.* Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. *et ibid.* 12. *sub fin.* Non secus ac si mutatæ temporum vices essent. *Curt.* 4. 14. 19. Vices rerum breves, mutabiles. *et* 5. 8. 15. mitiores. *Petron. fragm. p.* 682. *Burmann.* Non uno contenta valet natura tenore, Sed permutatas gaudet habere vices. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 30. (54). Per vices annorum. *h. e.* alternis annis. *Phædr.* 2. 8. Spatium diei noctis excipiunt vices. *Auson. Griph.* 24. trimestres Annorum cælique vices. *Apul. De mund.* Vices temporum. *h. e.* vicissitudines. Alio sensu apud *eumd. De dogm. Plat.* sumitur pro tempestatibus, *stagioni.* — *Vicibus* et *per vices,* alternatim, alternis, *a vicenda, l'un dopo l'altro,* ἀνὰ μέρος. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. *extr.* de *elephantis.* Fessos vulneratosque in medium agmen recipiunt ac veluti imperio ac ratione per vices subeunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 483. Perque vices modo, Persephone, modo, filia, clamat. *Tac. Germ.* 26. Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur. *h. e.* nunc ab his, postea ab illis, eo modo quo *Cæs.* 4. *B. G.* 1. et 6. *ibid.* 21. tradit. *Justin.* 2. 4. 12. Duæ reginæ *(Amazonum)* vicibus gerebant bella. *Stat.* 12. *Theb.* 388. et cara vicibus cervice fruuntur. *Colum.* 2. *R. R.* 2. Quæ qualitates, inter se mixtæ vicibus et alternatæ, plurimas efficiunt agrorum varietates. *tra loro a vicenda.* et *Manil.* 3. 553. Et modo deest aliud, modo adest vicibusque recedit. — *In vicem,* vicissim, invicem. *Ovid. Heroid.* 17. 180. Inque vicem mea te, me tua forma capit. *Id.* 6. *Met.* 631. Inque vicem spectans ambos etc. *or l'uno or l'altro.* et 8. *ibid.* 473. dubiis affectibus errat Inque vicem ponit positamque resuscitat iram. Adde *Virg.* 3. *G.* 188. et 4. *ibid.* 166. — *In vices,* eod. sensu. *Ovid.* 4. *Met.* 191. Inque vices illum tectos qui læsit amores, Lædit amore pari. *scambievolmente.* et 12. *ibid.* 161. Inque vices adita atque exhausta pericula sæpe Commemorare juvat. *a vicenda.* — Et *vice* absolute, eodem sensu. *Stat.* 2. *Theb.* 427. vice dicta reporta. — *Pari* aut *mutua vice,* in vices, pariter, æque. *Colum.* 4. *R. R.* 24. *ante med.* Id maxime vitem infestat, ubi non omnis pars brachii pari vice laborat. *del pari.* et *ibid.* 16. Ridica contingens vitem mutua vice sustinetur et sustinet. — *Versa vice,* contra, e contrario. *Justin.* 6. 5. 11. Fatum illud Athenarum fuit, ut versa vice nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerant. Adde *eumd.* 13. 1. 7., *Senec. Herc. Œt.* 470. et *Apul. Florid.* 4. — *Reddere, referre, exsolvere, retribuere vicem* aut *vices,* par pari referre, *rendere la pariglia, ricompensare:* tum in bonam, tum in malam partem. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 23. Redde vicem meritis. *Id.* 14. *Met.* 35. spernentem sperne, sequenti Redde vices. *Id.* 1. *Art. am.* 370. non poteris ipse referre vicem. *Tac.* 4. *Hist.* 3. Tanto proclivius est injuriæ, quam beneficio vicem exsolvere. *Tertull.* 4. *contra Marcion.* 31. Vicem retribuere non possint. Cf. *Cic. Sext.* 4. 10. — *Exigere vices,* exigere ut par pari reddatur. *Propert.* 1. 13. 10. Vices exigere. *et Plin. Paneg.* 85. Neque est ullus affectus tam liber et dominationis impatiens (*quam amor*), nec qui magis vices exigat. *esiga corrispondenza.*

II.) Refertur ad tempus, quo quippiam fit. *Horat.* 4. *Od.* 14. 12. et arces Alpibus impositas tremendis Dejecit acer plus vice simplici. *più d'una volta.* et *Colum.* 3. *R. R.* 21. Vites, quibus alma tellus annua vice velut æterno quodam puerperio læta, mortalibus distenta musto demittit ubera. *ogni anno.* et *Pallad.* 1. *R. R.* 3. *sub fin.* Tribus per diem vicibus *tre volte al dì.* et 10. *ibid.* 1. Ager pinguis tertia vice arabitur. *per la terza volta.* et *Colum.* 3. *R. R.* 2. *a med.* Alterna vice annorum. *un anno sì e un no.* et *Eumen. Paneg. Constant.* 6. Portus, quem statis vicibus æstus alternat. *Capitolin. M. Aurel.* 7. Diversis vicibus. *in diversi tempi.* et *Sil. It.* 7. 53. de *CCC. Fabiis.* sæpe et per devia passim Dispersi subiere, vicis meritique labor Æquato. *Gell.* 18. 13. Tesserulas in medium vice sua quisque jaciebamus. — *Vicem,* pro vice sua, *alla sua volta. Liv.* 3. 36. Quum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium, suam cujusque vicem, per omnes iret. *ognuno la sua volta.* — *Vice quadam,* quodam tempore, quondam, *una volta. Sidon.* 7. *Ep.* 1. *circa med.* Quum vice quadam civitas conflagrare cœpisset. — *Per vicem hanc,* hac vice, hoc tempore. *Vulg. interpr. Jer.* 16. *extr.*

*B)* Designat substitutionem alicus rei pro alia, et est locus, *luogo, vece.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Legg.* 19. *a med.* Heredum causa justissima est; nulla est enim persona, quæ ad vicem ejus, qui e vita emigraverit, propius accedat. *Liv.* 6. 34. Pœna in vicem fidei cesserat. *Justin.* 1. 2. 7. Murum urbi cocto latere circumdedit, arenæ vice bitumine interstrato. *Colum.* 3. *R. R.* 14. *extr.* Potest tamen malleolus in vicem viviradicis conseri. *Id.* 4. *ibid.* 26. Pedamenta cariosa submovenda eorumque in vicem idonea reponenda. *et* 5. *ibid.* 6. Primam quamque (*arborem*) senio afflictam submoveat et in vicem novellam subolem substituat. *Id.* 6. *ibid.* 2. *ante med.* Jugo ramus illigatur et temonis vice trahitur. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (115). In pane salis vice utuntur nitro. *Id.* 36. *ibid.* 22. 44. (159). In Belgica provincia candidum lapidem serra, qua lignum, secant ad tegularum et imbricum vicem. *Pallad.* 3. *R. R.* 28. Sublata medulla, ad ejus vicem theriacæ medicamen addatur. *et* 4. *ibid.* 10. *ad fin.* Si, pluviis abundantibus, crates non possis expandere, sub tecto eas ita ponis, ut semipede erigantur a terra, et eas ad vicem solis cinis calidus subjectus vaporet. *Inscr.* apud *Gruter.* 193. 10. Vice sacra judicans. *h. e.* loco principis. *et* eod. sensu. 246. 3. Vice sacra cognoscens. *Seneca Herc. Œt.* 105. mortis habet vices, Lente quum trahitur vita gementibus. *sc.* est instar mortis: habet casus morti similes. — *Vicem,* absolute, eod. sensu, pro *ad, in vicem. Plaut. Rud.* 3. 5. 33. Si appellabit quempiam, vos respondetote istinc istarum vicem. *Liv.* 34. 32. *ante med.* Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris. *h. e.* ne quod nos facere debemus, ut irascamur, tu ipse facias et irascendi vicem pro nobis subeas. *Tiro Tull.* apud *Gell.* 10. 1. Quum Pompejus ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vicem theatri essent. *Gell.* 16. 10. *a med.* Quoniam res familiaris obsidis vicem esse apud rempublicam videbatur.

II.) Translate. ¶ 1. Est ministerium, munus, officium, partes. *Horat. Art. P.* 304. fungar vice cotis. *Liv.* 1. 20. Ne sacra regiæ vicis desererentur. *et ibid.* 41. *ad fin.* Per speciem alienæ fungendæ vicis opes suas firmavit. *Petron. Sat.* 89. neuter auxilio sibi: Uterque fratri transtulit pias vices. *Plin. Paneg.* 80. *sub fin.* Postquam (*Juppiter*) te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris. *Phædr.* 3. *epil.* Tuæ prius sunt partes, aliorum dein: Similique gyro venient aliorum vices. *Quintil. Declam.* 6. 4. *a med.* Commendavit amicis custodiam matris, substituit vici curæ suæ propinquos. *Stat.* 12. *Theb.* 353. Contractæ vices. *h. e.* custodiæ militum. *Phædr.* 3. *prol.* Vicem adsuetam præstare. *fare le sue incombenze, le sue parti.* et *Tac.* 4. *Ann.* 8. *in fin.* Vestram meamque vicem explete. — *Vice* cum addito nomine magistratus vel muneris dicitur de eo, qui pro alio agit in hoc munere. *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. arch.* a. 1848. p. 155. Vice præsidis. — Conjuncte *ibid.* a. 1849. *p.* 95. Viceoperum publicorum. ¶ 2. Hinc *vicem* et *vice* interdum est instar, ritu, modo, more. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 497. 27. *Merc.* Ceteri vicem pecorum obtruncabantur. *a guisa di.* Alii leg. *vice:* sed *Nonius* certe *vicem,* quum ibi agat de accusativo posito pro ablativo

*Cic.* 10. *Att.* 8. *a med.* Sardanapali vicem in suo lectulo mori. *Alii leg.* vice. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 68. (147). Jactari se passa ductu algæ vice. *Sueton. Ner.* 31. Diebus ac noctibus vice mundi circumagi. *Tac.* 6. *Ann.* 21. *extr.* Quæque dixerat, oraculi vice accipiens etc. *Quintil.* 6. 2. *sub fin.* Qui illa cogitare debemus, ut moveri periclitantium vice possimus. *h. e.* tamquam simus periclitantes: vel nomine periclitantium. Adde *Avien. Descr. orb.* 1059. — *Ad vicem,* ad instar. *Gell.* 1. 15. Majores natu a majoribus colebantur ad deum prope et parentum vicem.

*C)* Designat statum, in quo quis versatur. ¶ 1. Hinc est discrimen, periculum. *Virg.* 2. *Æn.* 432. Testor in occasu vestro nec tela nec ullas Vitavisse vices Danaum. ¶ 2. Item sors, conditio, casus: et fere quum in pejus mutatio fit. *Ter. Heaut.* 4. 5. 1. Menedemi vicem miseret me, tantum devenisse ad eum mali. *Cic.* 12. *Fam.* 23. Tuam vicem sæpe doleo, quod nullam partem, per ætatem, sanæ et salvæ reipublicæ gustare potuisti. *la tua sfortuna.* et *Liv.* 8. 35. Stupentes tribunos et suam jam vicem magis anxios, quam ejus, cui auxilium parabatur, liberavit onere consensus populi R. *Id.* 2. 31. *sub fin.* Apparuit causa plebi, suam vicem indignantem magistratu (*dictatorem*) abisse. *Phædr.* 5. 1. Tacite gementes tristem fortunæ vicem. *Cic. Dom.* 4. 8. Mihi necesse erit et meam et aliorum vicem pertimescere. *Sueton. Aug.* 66. Vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci. *Seneca Med.* 286. regnorum status, Fortuna varia dubia quos agitat vice. *Id. Octav.* 480. Jactare aliquem Terra marique per dubias Martis vices. ¶ 3. *Vicis merito* V. in INJUNCTIVUS. ¶ 4. *Vice,* absolute, pro ratione seu ordine. *Manil.* 1. 482. Quid tam confusus specie, quid tam vice certum est? ¶ 5. *De vice,* de ordine seu classe. *Vulg. interpr. Luc.* 1. 5. Sacerdos de vice Abiæ.

VĬCISSĀTIM, adverb. (vicis) idem ac vicissim. *Plaut. Pœn. prol.* 46. Ad argumentum nunc vicissatim volo remigrare. *Id. Stich.* 4. 1. 27. Nosmet onoremus vicissatim voluptatibus. Adde *Nævium* apud *Non. p.* 183. 15. *Merc.*

VĬCISSIM, adverb. (vicis) per vices, alternatim, ἀμοιβαδόν (It. *a vicenda, vicendevolmente, scambievolmente;* Fr. *alternativement, tour à tour;* Hisp. *alternativamente;* Germ. *wechselsweise, Eines um's Andere;* Angl. *alternately, by turns*). ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Asin.* 3. 3. 92. Nunc mihi vicissim supplicabunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 1. *a med.* Quod si haberem aliquid, quod liqueret, tamen te audire vicissim vellem, quum ipse tam multa dixissem. *Id. ibid.* 7. 19. Terra uno tempore florere, deinde vicissim horrere potest. *Virg.* 12. *Æn.* 462. versique vicissim Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros. *Cic.* 16. *Att.* 3. *ante med.* Exspecto, quid ille tectum, quid tu vicissim. *Id. Senect.* 16. *ad fin.* Calescere vel apricatione vel igni; aut vicissim umbris aquisve refrigerari. *Horat. Art. P.* 11. hanc veniam petimusque damusque vicissim. ¶ 2. Latiore sensu, quandoque significat secundo loco, sive similiter, sive ex altera parte. *Ter. Heaut.* 4. 3. 10. sed nunc, Clinia, da te mihi vicissim; Nam amici quoque res est videnda. *Cic.* 3. *Fam.* 6. Hoc ego meo facto delector: nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc vicissim tuum. *Virg.* 5. *Ecl.* 50. Nos tamen hæc quocumque modo tibi nostra vicissim Dicemus. *Id.* 11. *Æn.* 123. Drances infensus Turno sic ore vicissim Orsa refert.

VĬCISSĬTAS, ātis, f. 3. (vicis) idem ac vicissitudo. *Accius* apud *Non. p.* 185. 18. *Merc.* Vicissitatemque imperandi tradidit. *Aquil. Rom. De fig. sent.* 43. Vicissitas verborum.

VĬCISSĬTŪDO, ĭnis, f. 3. (vicis) alternatio, mutatio ex alio in aliud, commutatio, ἀμοιβή, μεταβολή (It. *mutazione, vicenda, scambievolezza;* Fr. *alternative, mutation, changement;* Hisp. *sucesion alternativa, mudanza, mutacion;* Germ. die *Abwechselung, Wechselseigkeit;* Angl. *the reciprocal succession of things, alternation, a changing*). ¶ 1. Generatim. *Ter. Eun.* 2. 2. 45. Omnium rerum vicissitudo est. *Cic.* 5. *Tusc.* 24. *ad fin.* Quæ vita, quis interitus, quæque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio. *Id.* 5. *Fam.* 12. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunæque vicissitudines. *Id.* 2. *Legg.* 7. 16. Vicissitudines dierum ac noctium. *Id.* 1. *Off.* 37. *a med.* Quum in reliquis rebus, tum in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet. *il parlare e lasciar parlare.* ¶ 2. Speciatim idem est aliquando ac remuneratio, *corrispondenza. Id. Amic.* 14. 49. Nihil est enim remuneratione benevolentiæ, nihil vicissitudine studiorum officiorumque jucundius. ¶ 3. Item corporis alternatio. *Apul.* 10. *Met.* Utrinquesecus jactatæ crebriter laterum mutuæ vicissitudines. *le spesse voltazioni or su uno, or su l' altro fianco.*

VĪCĬUM. *V.* VICIA et VITIUM.

VĪCŎCĂPĬTIS et

VĪCŎCĂPUT et

VĪCŎCASTRÆ et

VĪCŎCASTRORUM. *V.* VICUS.

VĪCŎMĂGISTER *et* vicimagister, tri, m. 2. (vicus *et* magister) præfectus alicui vico, *capo di contrada.* Legitur sæpe in *Cur. Urb.* et *Notit.* ed. *Preller* in *Reg. d. Stadt Rom.* V. MAGISTER.

VICTĬMA, æ, f. 1. Scribitur et *victuma* in *Kal. Prænest.* ad mens. *Jan. d. XVII.* Cf. *victumarius* in *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 677. *n* 34. et 35. *V.* voc. seq. — Vox vulgo a particip. *victus* ducitur. Hinc *Ovid.* 1. *Fast.* 333. Victima, quæ cecidit dextra victrice, vocatur: Hostibus a domitis hostia nomen habet. Triplicem etymologiam adducit *Festus p.* 371. 6. *Müll.* Victimam Ælius Stilo ait esse vitulum ob ejus vigorem: alii autem, quæ vincta ducatur ad altare: aut quæ ob hostes victos immolaretur. *Isid.* 6. *Orig.* 19. 34. ab *ictu,* quia hoc percussa caderet, ait ab aliis derivatam censeri. Recentiores a rad. Skr. *ug* (*vag*), fortem esse, unde et *vigeo, vigilo,* ducunt, secundum illud Ælii Stilonis apud *Fest. loc. cit.* — Quidquid sit de etymo, victima est animal sacrificio destinatum.

I.) Proprie. *Horat.* 3. *Od.* 23. 12. Victima Pontificum secures Cervice tinguet. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Pro victimis homines immolant. *Virg.* 2. *G.* 147. melior victima data divis. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 162. *Seneca Herc. fur.* 923. Victimam mactare Jovi. *Juvenal.* 12. 113. cadat ante Lares victima. Adde *Lucan.* 1. 611. — Pro holocausto, apud Christianos. *Venant.* 2. *carm.* 1. 3. *de Christo.* pro nobis victima factus, Traxit ab ore lupi, qua sacer agnus, oves.

II.) Translate. *Cic. Flacc.* 38. 95. Quam potestis P. Lentulo mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos odium saturaveritis? *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 22. Victima deceptus decipientis ero. *Seneca Octav.* 145. Mactata soceri concidit thalamis gener Victima. *et Herc. Œt.* 348. Me nuptiali victimam feriat die.

**Homonym.** Differunt *victima* et *hostia* trifariam. Primo *hostia* a quovis sacerdote immolabatur, *victima* ejus tantum manu, qui hostem ipse vicisset, ut patet ex loco allato *Ovidii.* Atque hinc alterum quoque discrimen consequitur. Nam si *victima* victoris unius dextra mactabatur, non potuit victima cædi, nisi hostibus victis: at *hostia* quoque esse poterat, quæ, quum iretur in hostes, cædebatur. *Serv.* in *Virg.* 1. *Æn.* 338. Hostiæ dicuntur sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt: victimæ vero sacrificia, quæ post victoriam fiunt. Sed hæc licenter confundit auctoritas. Hæc *Serv.* Tertium discrimen est, quod *victima* est major, ut vitulus; *hostia* minor, ut agnus. Itaque *Cornel. Fronto* his verbis differentiarum libellum claudit: Victima major est, hostia minor. Hinc *Plaut. Pseud.* 1. 3. 95. Nolo victimas, agninis me extis placari volo. — Sæpe tamen ponitur pro hostia, ut hostia pro victima, neglectis illis discriminibus. *Cic.* 1. *Att.* 13. Ego enim te arbitror, cæsis apud Amaltheam tuam victimis, statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum

VICTĬMĀRĬUS *et* victumarius, a, um, adject. (victima). In duabus *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 677. *n.* 34. *et* 35. scriptum est *victumarius.* — Victimarius est ad victimam pertinens. Hinc *victimarius negotiator* apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (54). est, qui victimas venales comparat et vendit. *Alii tamen aliter leg.* V. *Sillig.* adnot. — Hinc

*Victimarius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est qui victimas facit vel sacrificat, victimator. *Val. Max.* 9. 14. *n.* 3. ¶ 2. Item sacrorum minister, qui victimam ligabat et cultrum, aquam et molam parabat et reliqua, quæ sacris erant necessaria, ἱερουργός: hic a *Sueton. Cal.* 32. cultrarius dicitur, qui nempe popæ ministrabat. *Liv.* 40. 29. *extr.* Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt. Adde *Val. Max.* 1. 1. *n.* 12. — *Victimariorum collegium* memoratur in *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 450. *n.* XIII. — *Castra victimariorum* Romæ fuerunt, ut traditur in *Cur. Urb.* et *Notit. p.* 30. et 31. ed. *Prell.*

VICTĬMĀTOR, ōris, m. 3. (victimo) idem ac victimarius. *Lactant.* ad *Stat.* 4. *Theb.* 463. Sacerdotum consuetudo talis est, ut aut ipsi percutiant victimas, et agones appellantur: aut sic tenentes cultrum, alter impingat, ideo dicitur, *In vulnus cecidere* greges, quia victimatores dicuntur.

VICTĬMO, as, are, a. 1. (victimo) victimas facio, sacrifico. *Apul.* 7. *Met.* Hircum Marti victiment. *Id. ibid.* Quin publicum istum maritum (*h. e.* asinum) illis suis monstruosis nuptiis condignam victimamus hostiam? Adde *Vulg. interpr. Eccli.* 34. 24. et *Gloss. Cyrill.*

VICTĪTO, as, āvi, are, n. 1. (*frequentat.* vel *intens. a* vivo) victu utor, alor, vescor, *alimentarsi, mantenersi, vivere,* σιτέομαι. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Truc.* 2. 3. 26. Victitare parce. *Ter. Eun.* 5. 8. 43. Tu cum illa et libenter vivis: etenim bene libenter victitas. *ti piacciono i buoni bocconi.* — Cum addito Abl. *Plaut. Rud.* 3. 4. 59. Nullum habemus ignem, ficis victitamus aridis. *Id. Truc.* 2. 2. 60. Si hic homo sinapi victitet, non censeam, tam esse tristem posse. *Id. Capt.* 1. 1. 12. Cochleæ in occulto latent: suo sibi suco vivunt, si ros non cadit. Item parasiti rebus prolatis latent in occulto: miseri victitant suco suo. Alii hic leg. *victant;* at *Claud. Sacerd.* 1. *Gramm.* 23. negat verbum *victo* inveniri. ¶ 2. Latiore sensu pro simplici *vivo. Plaut. Men.* 5. 1. 27. Mea quidem causa vidua victita vel usque dum regnum obtinebit Juppiter. *Varro* 5. *L. L.* 61. *Müll.* In hieme natura ad nascendum victitare non vult et potius ver exspectat. *Alii aliter leg.*

VICTO, as. *V.* voc. præc.

VICTOR, ōris, m. 3. duo diversa significat.

*A) Victor* a *vincendo* est qui in certamine superior evasit, νικητής (It. *vincitore;* Fr. *vainqueur;* Hisp. *vincedor;* Germ. *der Sieger;* Angl. *a vanquisher*).

I.) Proprie. ¶ 1. Substantivorum more. — *a)* De animantibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Quod victores victis imponere consuerit. *Cic.* 4. *Fam.* 9. *a med.* Multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (101). L. Sicinius Dentatus centiens viciens prœliatus, octies et provocatione victor. — Cum genet. *Stat.* 9. *Theb.* 624. Victor belli. *h. e.* in bello. Sic *Liv.* 6. 4. trium bellorum. *et Cic. Harusp. resp.* 23. 49. bellorum hostiumque. *Id. Pis.* 7. *a med.* Neque resistente Cn. Pompejo, omnium gentium victore etc. — *Victores* dicti sunt ii gladiatores, qui aliquot victorias ideoque tesseras etiam retulerant (V. SPECTATUS et TESSERA), quibus tamen donati nondum fuerant. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (120). et *Inscr.* apud *Gruter.* 374. 5. V. *Bullett. arch.* a. 1846. *p.* 191. *in fin.* et *Henzen Expl. mus. p.* 80. — *b)* De rebus inanimis. *Lucan.* 9. 333. Abstulit has (*naves*) ventis contraria volvens Æstus et obnixum victor detrusit in Austrum. ¶ 2. Adjective sive per appositionem. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. et *Nepos Ages.* 4. Victor exercitus.

*Virg.* 3. *G.* 449. equus. *Lucan.* 2. 605. taurus. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 47. currus. *h. e.* triumphalis, in quo victor sedet. — Et cum nomine femin. *Plaut.* *Amph.* 1. 1. 33. Victores legiones. — *Victor* est epitheton Jovis in multis *Lapidibus* apud *Gruter.* 23. 8. *et* 9. et *Gud. p.* 7. *n.* 7. 8. 9. *et* 10. et *p.* 8. *n.* 1. 2. 3. etc. et *Murat.* 11. 1. — Item Herculis, cujus epitheti causa exponitur a *Macrob.* 3. *Saturn.* 6., ubi sic appellatum ait et propter veteres victorias et propter commemorationem novæ historiæ de M. Octavio Herennio, quam ibidem narrat.

II.) Translate *victor* significat etiam eum, qui opus aliquod ad optatum finem perduxit, et qui voti compos factus est. *Virg.* 2. *Æn.* 329. victorque Sinon incendia miscet. *Id.* 10. *ibid.* 409. Ille (*pastor*) sedens victor flammas despectat ovantes. (Adde 11. *ibid.* 565.) *Horat.* 1. *Ep.* 13. 11. Victor propositi simul ac perveneris illuc. *Ovid.* *Heroid.* 16. 87. ex æquo donis formaque probata, Victorem cælo rettulit illa pedem. *h. e.* Venus habita pulcherrima dearum a Paride. *Sall.* *Jug.* 67. Animus lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus. *Martial.* 8. 43. *victorem* dicit virum multis uxoribus suis superstitem. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

*B) Victor* a *vinciendo* seu *viendo* est qui vincit seu viet; de quo *V.* VIEO et VIETOR.

VICTŌRĬA, æ, f. 1. (victor) hostium superatio, νίκη (It. *vittoria;* Fr. *victoire;* Hisp. *victoria;* Germ. *der Sieg;* Angl. *a victory*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Enn.* apud *Non.* p. 511. 9. *Merc.* Sæviter fortuna ferri cernunt de victoria. *Cic.* *Marcell.* 3. 9. Victoria, quæ natura insolens atque superba est. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 8. concurritur: horæ Momento cita mors venit aut victoria læta. *Sall.* *Cat.* 61. *extr.* Victoria cruenta. *h. e.* in qua magna cædes etiam victorum fit. *Nepos* *Epam.* 10. Civilis victoria funesta. Rursus *Sall.* *Jug.* 84. Eripere alicui victoriam. *Cæs.* 5. *B. G.* 38. *extr.* Victoriam adipisci. *Id.* 6. *ibid.* 56. *a med.* conclamare. *gridar vittoria.* *Liv.* 30. 30. habere in manibus. *Cic.* *pro leg.* *Manil.* 3. *ad fin.* reportare. *Auct.* *B. Afr.* 51. *ad fin.* Tot tam claris partis victoriis. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 20. (34). Victoriam facere. *h. e.* parere. Alii aliter leg. *Tac.* 13. *Ann.* 41. *ad fin.* patrare. *Liv.* 4. 10. referre. ex hoste. *Nepos* *Timol.* 2. Eam victoriam præclaram ducebat, in qua plus esset clementiæ, quam crudelitatis. — In certamine ludicro. *Virg.* 3. *G.* 112. Tantus amor laudum, tanta est victoria curæ! *Auct.* *epit.* *Iliad.* 494. geminat victoria cives. — *Victoria navalis* in nummis Vespasiani apud *Eckhel D. V. N. T.* 6. p. 330. est ea, quam ipse imperator retulit ex Judæis in lacu Genesareth. — *b*) Cum Abl. et præp. *de, ex.* *Liv.* 5. 15. Victoria de Vejentibus. *Id.* 30. 30. de Romanis ducibus. *Id.* 21. 46. Egregia victoria de Hannibale Pœnisque. Adde 8. 12. et *Justin.* 31. 3. 9. *Vellej.* 2. 10. 2. Domitii ex Arvernis et Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. — *c*) Cum Acc. et præp. *ad.* *Liv.* 23. 11. Nuntius victoriæ ad Cannas. *riportata presso.*

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Cic.* *Cæl.* 7. 18. *de re forensi.* Victoriam gloriosam consequi. Adde *Divin.* *in Cæcil.* 14. 41. *Liv.* 4. 50. *extr.* Victoria penes patres fuit. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 12. (54). Victoriæ litium. Adde *Cod.* *Theod.* 9. 27. 6. *Ovid.* 2. *Fast.* 810. Quid, victor, gaudes? hæc te victoria perdet. *h. e.* triumphus. ¶ 2. *Victoria,* apud Romanos, deæ nomen erat, cujus simulacrum effingebatur lauro coronatum, altera manu palmæ, altera oleæ ramum præferens. Pinnata etiam et aligera pingebatur, ut e cælo devolans ad eos, quos suis ornare successibus vellet, pexo crine, nudo pede suspensa, strophio revincta, sinu vestis fluitante. *Varro* 5. *L. L.* 62. *Müll.* At Romæ fuisse Victoriam sine alis, arguit *epigr.* *Anthol.* *Gr. Lat.* t. 2. *p.* 237. *n.* 647. et not. *p.* 612. V. *Cavedoni* *Saggio* *p.* 59. — Poetæ fabulantur fuisse filiam Acherontis ex Styge, affuisse Jovi in bello adversus Gigantes, Jovem illi pro munere dedisse, ut dii per Stygem ejus matrem jurarent; si quis eorum juramento non stetisset, quoddam temporis spatium nectare abstineret. V. *Hygin.* *præf. fab.* et *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 134. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. *a med.* Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine Deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit. *Claudian.* 6. *cons.* *Honor.* 557. Adfuit ipsa suis ales Victoria templis, Romanæ tutela togæ. *Prudent.* 2. *contra* *Symmach.* 23. Non aris, non farre molæ Victoria folia Exorata venit. *V.* integrum loc. atque adeo carmen. ¶ 3. Victoriarum ipsa simulacra aurea una cum coronis, quæ ad triumphum ornandum offerebantur, *victoriæ* dicta sunt. *Auct.* *organ.* 18. ed. *Wernsd.* Auro ferens coruscas Victorias triumphis. ¶ 4. *Victoria* fuit etiam navium insigne, tum triremium, tum quadriremium, tum quinqueremium, unde et illis nomen est impositum. *Inscr.* apud *Maff.* *Mus.* *Ver.* 124. 5. T. VEEINIVS CASTOR $\overline{\text{III}}$. VICT. NAT. SARD. etc. *h. e.* triremi Victoria, natione Sardus. *Alia* apud *Murat.* 2035. 2. . . . DEL. VIX. AN. XXV. M. AN. V. $\overline{\text{IIII}}$. VICTORIA. *h. e.* natione Delmata, vixit annis quinque et viginti, militavit annis quinque quadriremi etc. *Alia* apud *Donat.* 281. 6. D. M. L. IDASIMI VALENTIS ARMORVM CVSTODIS $\overline{\text{V}}$. VIC. NAT. DELMATA etc. ¶ 5. *Victoria* dicitur etiam nummus aureus ex aureis statuis Victoriæ conflatus. *Quintil.* 9. 2. 92. Qui victorias aureas in usum belli conflari volebat, ita declinavit, victoriis utendum esse. Cf. *Cavedoni* *Osserv.* *sulle monete di Atene* *p.* 3. V. VICTORIATUS. ¶ 6. Denique est herba, quæ alio nomine Latine dicitur pervinca. *Apul.* *Herb.* 58., ubi alii leg. *victorialis.* V. voc. seq.

VICTŌRĬĀLIS, e, adject. (victoria) ad victoriam pertinens, ut Victorialis dies, quo victoria aliqua celebratur. *Trebell.* *Gallien.* 3. Populumque, quasi victorialibus diebus, ad festivitatem ac plausum vocavit. *Cassiod.* 6. *Variar.* 1. *ad consulem.* Consulatus te decoramus insignibus. Pinge vastos humeros vario colore palmatæ, validam manum victoriali scipione nobilita etc. *h. e.* scipione, quem, Victoriæ signo superne decoratum gestasse, manu dextra consules in processu consulari ex nummis aliisque veteribus monumentis constat. *Ammian.* 22. 4. 5. Pro victorialibus epulares triumphi. — Hinc

*Victorialis, is,* f. 3. absolute, substantivorum more, dicitur herba eadem, quæ et Idæa daphne et daphne Alexandrina apud *Apul.* *Herb.* 58. V. voc. præc. sub III. 2. — De vicia. *Isid.* 10. *Orig.* 210. Herba vicia, id est victorialis.

VICTŌRĬĀTUS, a, um, (victoria) deæ Victoriæ effigie signatus: et dicitur de nummo. *V.* infra. *Pompon.* *Com.* 15. Quæ tuleram mecum milia decem victoriata. Adde *Inscr.* apud *Wilmans* *n.* 872. *l.* 50. — Alio sensu *V.* in VICTORIOR. — Hinc

*Victoriatus, i,* m. 2. (*subaud.* nummus) absolute. — *Victoriatum* syncop. pro *victoriatorum,* apud *Liv.* 41. 13. ¶ 1. Est nummus argenteus lege Clodia percussus, ut ait *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (46). (fortasse a C. Clodio Centone una cum M. Sempronio Tuditano Coss. ann. U. C. DXIV. lata), qui dimidiam denarii partem pondere et pretio exæquabat, ut docet *Varro* 10. *L. L.* 41. *Müll.* Causa nominis est, quia signatus erat Victoria, ut est apud *Plin.* *loc. cit.* Valebat autem quinque assibus; hinc et quinarius dictus est, ut *Varro* *ibid.* indicat. Ceterum hujusmodi pondus et pretium fuisse victoriato postremis reipublicæ temporibus quidam putant, non item a primordio; nam olim peregrinus nummus fuit et denario Romano minor, quinario autem major, ut patet ex *Volus.* *Mæcian.* *De asse loc. cit.* ab *Eckhel.* *D. N. V. T.* 5. *p.* 21. et ex *Liv.* 41. 13., ubi *victoriatorum* mentio est in triumpho de Istris, mox in præda victi Gentii regis Illyrici narrat *id.* 45. 43. translata in triumpho fuisse centum viginti milia Illyrii argenti. *Cic.* *Font.* 5. 9. Itaque Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse; Croduni Porcium et Numium ternos victoriatos Narbone; Servæum binos sestertios. Alii aliter leg. V. *Cavedoni* *Saggio* *p.* 135. et *App.* *p.* 30. ac præcipue n *Bullett.* *arch.* a. 1839. *p.* 183. *Liv.* *loc.* prius *cit.* Tulit in eo triumpho victoriatum octoginta quinque milia septigentos duos. *Quintil.* 6. 3. 80. Dicente quodam, victoriato se uno in Sicilia quinque pedes longam murænam emisse. Adde *Tertull.* *De veland. virg.* 13. ¶ 2. Item a medicis etiam pro pondere accipitur, ut denarius, quam vocem *V.*, et est dimidia pars drachmæ. *Marcell.* *Empir.* 15. *sub init.* Hoc medicamentum compositum sic: git fricti X̶. II., pyrethri X̶. I., sagapeni victoriati pondus etc. *Scribon.* *Compos.* 26. Lapidis hæmatitis X̶. P. II. et victoriati. Adde *eumd.* 14. 23. et 70. et *Plin.* *Valer.* 2. 23. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 24. 100. (264). Hæc deguruntur in pastillos victoriati pondere. — Jocculariter *Seneca* 7. *Controv.* 4. Antequam te viderem, nesciebam rhetoras victoriatos esse. — De victoriatis V. *Borghesi* *Dec.* *num.* 17.

VICTŌRĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* a victoria, parvum Victoriæ deæ simulacrum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. *a med.* Idem Victoriolas aureas et pateras coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat.

VICTŌRĬOR, āris, ātus, sum, ari, dep. 1. (victoria) victoriam consequor. — Impersonaliter. *Tertull.* *advers.* *Gnost.* 6. Plus victoriatum est, quam injuriatum. Alii leg. *plus victoriarum est quam injuriarum.* — *Victoriatus* alio sensu *V.* in VICTORIATUS, a, um.

VICTŌRĬŌSUS, a, um, adject. (victoria) Sup. *Victoriosissimus.* — Victoriosus est vincere assuetus seu qui plures et varias victorias reportavit, νικητικός. Vox est *Catonis,* ut *Gell.* 4. 9. *a med.* testatur. *Augustin.* 11. *Confess.* 23. Victoriosum prœlium. et 4. *ibid.* 2. loquacitas. *Ammian.* 25. 4. 14. cursus. — *Anecd.* *Helv.* *p.* 221. 2. *Hag.* Nicostrata, id est victoriosa. — In nummo *Probi,* apud *Eckhel* *D. N. V. T.* 7. *p.* 505. Victorioso semper. *Sidon.* 5. *Ep.* 6. Victoriosissimo viro. *Inscr.* apud *Gruter.* 170. 5. SALVIS DOMINIS NOSTRIS HONORIO ET THEODOSIO VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS. *Alia* *ibid.* 278. 1. 2. *et* 3. VICTORIOSISSIMO PRINCIPI IVVENTVTIS M. AVRELIO CARINO NOBILISSIMO CAESARI. *Jul.* *Valer.* 2. *res gest.* *Alex.* *M.* 36. Alexander victoriosissime. — Epitheton videtur legionis VI. in *Inscr.* apud *Henzen* *Suppl.* *n.* 6767. M. VETIO... EXTREC. LEG. $\overline{\text{VI}}$. VICTOR. *h. e.* extrecenario legionis VI. victoriosæ. *Gruterus* et *Henzen* mallent scribere VICTRICIS. Cf. voc. seq.

VICTRIX, tricis, 3. (victor) Abl. sing. duplicem habet positionem *e* et *i.* *Cic.* 13. *Phil.* 3. 7. et *Liv.* 28. 6. — Item genet. plur. *um* et *ium,* apud *Senec.* *Ep.* 120., *Tac.* 2. *Hist.* 59., *Sueton.* *Tib.* 14. et *Fest.* *loc.* infra *cit.* — Victrix adhibetur *A)* Substantivorum more; et *B)* Adjective. — Victrix

*A)* Substantivorum more, femin. gen. ¶ 1. Universim est quæ vicit, quæ certamine superior evasit; *vincitrice,* νικήτρια. — *a*) Proprie. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Erat victrix respublica, cæsis Antonii copiis, ipso expulso. *Id.* 1. *Tusc.* 48. *sub fin.* Oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. *Id.* *Cluent.* 5. *sub fin.* Victrix filiæ, non libidinis. *Ovid.* 1. *Fast.* 525. Urite victrices Neptunia Pergama flammæ. *Seneca* *Thyest.* 46. Victrix libido. *Id.* *Octav.* 433. luxuria. *Lucan.* 1. 128. Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni. *Festus* in *October* *p.* 178. 26. *Müll.* Equus bigarum victricum dexterior. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (57). Adamantis ignium victrix natura et numquam incalescens. — *b*) Translate interdum sumitur pro voti compote. *Virg.* 7. *Æn.* 544. Junonem victrix affatur voce superba. *V.* VICTOR. ¶ 2. *Victrices litteræ* sunt victoriam nunciantes. *Cic.* 5. *Att.* 21. Quo autem die Cassii litteræ victrices in senatu recitatæ sunt. Cf. *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 25. victrices lauro redimire tabellas. ¶ 3. Apud *Senec.* *Agam.* 936. Victrix frons. laurus est, qua coronantur victores.

*B)* Adjective, cum neutris quoque conjungitur,

ut etiam *ultrix:* eorumque positionem sumit. *Claudian. VI. cons. Honor.* 24. et certius omina surgunt Victrici concepta solo. *Virg.* 3. *Æn.* 54. Res Agamemnonias victriciaque arma secutus. Sic *Justin.* 44. 5. 8. Victricia ad eos arma transtulit. *Ovid.* 10. *Met.* 151. Sparsaque Phlegræis victricia fulmina campis. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 150. victricia bella. *Lucan.* 1. 347. signa. *Minuc. Fel. Octav.* 20. *ad fin.* tropæa. — In nummo Diocletiani apud *Eckhel D. N. V. T.* 8. *p.* 6. Fatis victricibus. (*V.* FATA) *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* 170. 2. HEV FACINVS VICTRIX. — *Serv.* in *loc. Virg. cit.* docet, nomina feminina in *ix* in plur. tantum numero neutra fieri. Sed *Claudiani* verba et *Inscr. Maff.* etiam in sing. id fieri posse ostendunt. Nam quod ex *Lucano* 1. 3. affert *Voss. l.* 2. *De analog.* c. 12. et ex eo *Huetius* ad *Manil.* 5. 631. *victrici ferro,* pro *ferro* legitur ab omnibus *dextra:* et quod ex *Minuc. Fel. Octav.* 29. *ad fin. victrix tropæum,* ibi in plurali habetur, ut dictum est. — Epitheton est etiam quarumdam legionum. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6499. et *alià* apud *Orelli n.* 1740. *V.* voc. præc. — *Victrix* Venus, quæ et armata. Cf. ARMATUS, a, um.

VICTŬĀLĬA, ium. *V.* voc. seq.

VICTŬĀLIS, e, adject. (victus) ad victum, nutritionem, alimentum et vitam pertinens. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Membra corporis inferiora reguntur optimatium præstantia et ipsa ministerium suggerunt victuale. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 8. 51. 20. In servitutem a barbarica feritate transvectis si quidquam in usum vestium vel alimoniæ impensum est, humanitati sit præstitum nec maneat victualis sumptus repetitio. Adde *Cod. Theod.* 9. 3. 7. *Cassiod.* 12. *Variar.* 24. Moneta illis (*Venetiis*) quodammodo percurritur victualis. *Auct.* hic loquitur de salinis Venetiarum, quæ pecuniam affatim præbent. — Hinc

*Victualia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, res victui inservientes. *Cassiod.* 3. *Variar.* 44. Victualia quoque fecimus præparari, ut vobis destinentur, quum tempus navigationis arriserit. *Id.* 4. *ibid.* 5. Gallicana regione victualium cognovimus caritatem. Adde *Itin. Alex. M.* 36. (83)., *Cledon. p.* 12. 29. *Keil. Commodian.* 71. 10. matronæ victualia ferre.

VICTŬĀRĬUS, a, um, adject. (victus) ad victum pertinens, idem ac victualis. *Tertull. Monog.* 8. Victuaria exhibitio. h. e. præstatio eorum, quæ victui sunt idonea.

VICTUS, a, um, particip. *V.* VINCO.

VICTUS, us, m. 4. (vivo) Olim et *victi* et *victuis* in patrio dixere. *Plaut. Capt.* 4. 2. 75. Tui quotidiani victi ventrem ad me afferas. Hæc verba etiam a *Non. p.* 484. 10. *Merc.* afferuntur. *Varro fragm. ibid. p.* 494. 11. De victuis consuetudine primigenia. *V.* FRUCTUS. — *Victu* in dativo pro *victui. Virg.* 4. *G.* 158. *de apib.* Namque aliæ victu indulgent. *Lucil.* apud *Gell.* 4. 16. et *Non. p.* 501. 24. *Merc.* Quod sumptum atque epulas victu præponis honesto. *V.* ASPECTUS, us. — Victus est cibus, quo alimur quotidie ac vivimus, σιτίον, τροφή (It. *vitto;* Fr. *nourriture, aliments;* Hisp. *alimento, vida;* Germ. *der Lebensunterhalt, Nahrung, Lebenmittel;* Angl. *a food, sustenance*). ¶ 1. Stricto sensu. *Cic. Amic.* 23. 86. Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat. *Id. Quinct.* 15. 49. Cujus victus vestitusque necessarius sub præcone subjectus est. *Id.* 5. *Tusc.* 34. *a med.* Persarum a Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quidquam præter nasturtium. *Cic.* 1. *Orat.* 54. *a med.* Victum quotidianum publice præbere alicui. *Id.* 1. *Off.* 4. *ante med.* Parare ea, quæ suppeditent et ad cultum et ad victum. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 17. 48. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Major pars victus eorum lacte et caseo et carne consistit. *Colum.* 10. *R. R. præf.* Lactis copia farinaque ac domesticarum pecudum carne victum tolerare. *Cels.* 1. 10. Ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutare. *Phædr.* 3. 16. Victum quærere. *et* 4. 21. rogare. *andar mendicando.* et *Plaut. Pseud.* 5. 1. 8. Victus excuratus. *Id. Pers.* 1. 1. 32. basilicus. *Id. Most.* 1. 1. 43. facetus. *Id. Capt.* 1. 2. 75. assiduus. *et v.* 85. asper. *et ibid.* 4. 2. 75. quotidianus. *Liv.* 41. 2. liberalis. *Quintil.* 5. 10. 27. frugi. et 5. 10. 27. sordidus. *Sil. It.* 3. 280. Sed mensis asper populus victuque maligno. *Id.* 15. 813. Quum vires parco victu somnoque reducunt. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. *circa med.* Victus ferus et rudis ante fruges cognitas. ¶ 2. Latiore sensu est omne id, quo vivimus. *Ulp. Dig.* 50. 16. 43. Verbo victus continentur quæ esui, potui cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem, Labeo ait. Et cetera quoque, (subdit *Cajus ibid.* 44.) quibus tuendi curandique corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur. ¶ 3. Latissimo sensu interdum significat totam rationem vivendi tam in victu, quam in cetero cultu. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. *a med.* Neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victus cum illa comparandam. *Cic.* 1. *Invent.* 25. 35. In victu considerare oportet, apud quos et quo more et cujus arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi præceptores etc. *Nepos Dion.* 4. *in fin.* Appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent.

VĪCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* vicus, parvus vicus. *Cic.* 1. *Rep.* 2. 3. Equidem quemadmodum urbes magnas atque imperiosas, ut appellat Ennius, viculis et castellis præferendas puto etc. *Liv.* 21. 33. *sub fin.* Castellum viculosque circumjectos capit. Adde *Diomed. p.* 488. 11. *K. Hieronym. Ep.* 82. *n.* 11. In viculo Bethlehem.

VĪCUS, i, m. 2. Scribitur et *veicos* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1472. et *vecos* in *alia* in *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1861. *p.* 162. — Ratione habita etymi, conferendum est cum Skr. *veças,* ejusd. significationis, et Gr. οἶκος, domus, præmisso digammate. — Vicus dicuntur multæ domus junctæ, κωμίδιον (It. *contrada, borgo;* Fr. *quartier d'une ville, rue;* Hisp. *quartel ó barrio de una ciudad, calle;* Germ. *e. Häuserreihe in d. Stadt, Stadtviertel, Gasse;* Angl. *several houses joined together*): et dicitur de iis, qui intra urbem vel oppidum sunt, aut extra urbem et etiam pagi dicuntur. *Cæs.* 2. *B. G.* 7. Omnibus vicis ædificiisque, quos adire poterant, incensis. *Cic. Font.* 5. 9. Si qui Cobiamacho, qui vicus inter Tolosam et Narbonem est, deverterentur. *Vulg. interpr. Luc.* 14. 21. Exi cito in plateas et vicos. — *Vicus urbanus* est pars minor urbis, quæ ex multiplicatis domibus constat, ut Romæ *vicus Cyprius, vicus Africus, vicus sceleratus* etc. — *Vicus paganus* seu *rusticus* sunt plures villæ seu domus rusticanæ conjunctæ, in aliquo pago, aliquo spatio remotæ ab urbe nullisque mœnibus cinctæ. Nam ædificia urbi contigua, suburbia dicuntur; quæ mœnibus clauduntur, appellantur castella. *Cic.* 14. *Fam.* 1. *de vico rust.* Quod ad me, mea Terentia, scribis, te vicum vendituram, quid, obsecro te (me miserum!), quid futurum est? *Horat.* 2. *Ep.* 1. 269. *de vico urban.* Deferar in vicum vendentem tus et odores. *Ovid.* 6. *Fast.* 609. Certa fides facti, dictus sceleratus ab illa vicus et æterna res ea pressa nota. — Singulis Romæ vicis quattuor præficiebantur viri, qui *Magistri vicorum* et etiam *Vicomagistri* dicebantur. *V.* MAGISTER. — Etiam vici decreta condebant, ut constat ex *Inscr.* apud *Momm. Inscr. Helv. n.* 149. et 241. — Triplex porro fuit vicorum genus, de quo V. *Fest.* in *Vici p.* 371. *Müll.* et *Borghesi Lett.* 10. *Ott.* 1843. § 2. De vicis *V.* etiam *Nardi* in *Giorn. Arcad. sett.* 1824. — *NB.* In compositione cum aliis vocibus aliqua monet *Prob.* in *App. p.* 198. *K.,* ut v. c. dicatur *vicocapitis* Africæ, non *vicocaput* Africæ; *vicocastrorum,* non *vicocastræ,* et alia hujusmodi.

Homonym. Differt *vicus* a *pago;* nam *pagus* de rure tantum dicitur, *vicus* et de rure et de urbe. Deinde *vicus* est pars pagi. *Tac. Germ.* 12. Eliguntur in eisdem comitiis et principes, qui jura per pagos vicosque reddant. *Kritz* ad h. l. hæc habet: *Pagi* sunt regiones sive terræ partes majoris minorisve ambitus, in quas singulæ quæque gentes dividebantur (*Bezirke, Districte*). Cf. *Tac. Germ.* 6. et 1. *Ann.* 57. *Vici* sunt singula habitationum loca (*Ortschaften*), pluribus quidem compositæ ædificiis sed inter se discretis et spatio circumdatis. Cf. *Tac. Germ.* 16. et 1. *Ann.* 50. — Item *vicus* differt a *villa,* quæ pars vici est. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Frugi quidem homini sufficit etiam vicus, quem una villa discernit.

VICXIT pro vixit. *V.* VIVO init.

VĪDĒLĪCET, adverbium conflatum ex *videre* et *licet,* quomodo *scilicet* ex *scire* et *licet.* — Duplex est hujus particulæ vis; est enim

I.) Adverbium confirmandi, teste *Donato* in *Ter. Adelph.* 3. 4. 4., et proprie significat, apud Veteres præsertim, licet videre, *si può vedere, si può argomentare;* idcirco licet affirmare. ¶ 1. Stricto sensu, et quidem cum suæ originis casu Accusativo et Infinito. *Plaut. Stich.* 4. 1. 49. Videlicet, parcum illum fuisse senem. *si può ben vedere che* etc. perspicuum est. *Id. ibid.* 51. Videlicet, illum fuisse nequam adulescentem. *Lucret.* 1. 210. Esse videlicet in terris primordia rerum. *Gell.* 17. 5. *ad fin.* Sed videlicet, eum vocabula rerum ignorasse. ¶ 2. Latiore sensu et sæpius est certe, quidem, vere, nimirum, *certamente, sicuramente,* δηλαδή, δηλονότι. — *a*) Universim. *Ter. Adelph.* 3. 4. 4. Videlicet de psaltria hac audivit. *Id. Heaut.* 2. 3. 22. Hic de nostris verbis hic errat videlicet, quæ hic sumus locuti. *Plaut. Asin.* 3. 3. 9. Nunc enim est Negotiosus interdius: videlicet Solon est. *Alii leg.* Solonem. Adde *Capt.* 2. 2. 36. et *Cic. Cluent.* 54. 138. *Id.* 1. *Rep.* 17. *in fin.* Quæ videlicet ille non ex agri consitura sed ex doctrinæ judiciis interpretabatur. — *b*) Eleganter usurpatur in ironia sive irrisione. *Id.* 2. *Phil.* 6. *extr.* Tuus videlicet salutaris consulatus, perniciosus meus. *Id.* 3. *Cat.* 6. 24. Homo enim videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit. — *c*) In concessionibus locum habet. *Curt.* 5. 11. 10. Cludant videlicet, quibus forte temere humana negotia volvi agique persuasum est. — *d*) Elliptice adhibetur, et quidem eleganter, in responsionibus. *Cic. Cæcin.* 15. *ad fin.* Quid metuebant? vim videlicet. *Id.* 4. *Verr.* 33. 60. Quid horum se negat fecisse? illud videlicet unum, quod necesse est, pecuniam accepisse. *Id. Cluent.* 54. 148. Qui eorum? quorum? videlicet qui supra scripti sunt.

II.) Adverbium explanandi pro scilicet, nempe, *cioè. Cic. Sext.* 12. *a med.* Venisse tempus iis, qui in timore fuissent, conjuratos videlicet dicebat, ulciscendis. *Id. Cluent.* 46. 128. Ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. *Id.* 2. *Legg.* 10. 24. Caste lex jubet adire ad deos, animo videlicet. Adde *eumd.* 1. *Rep.* 38. 60. et 6. *ibid.* 10. 10.

VĪDEN. *V.* VIDEO.

VĪDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĬDĔO, vides, vīdi, vīsum, vĭdēre, a. 2. — *a*) Forma *videam* etc. pro *videbo* legitur apud *Vulg. interpr. Ital. Num.* 23. 13. et *Job* 21. 20. — *Viderier* parag. pro *videri* apud *Plaut. Curc.* 2. 2. 10., *Ter. Hecyr. v.* 759., *Cic. Dom.* 53. 136., *Gell.* 3. 7. et *Sedul. carm. Pasch.* 3. 289. — *b*) *Vidĕ* in imperativo, ultimâ correptâ, præsertim apud Comicos. Sic *Phædr.* 3. 6. 3. Vide ne dolone collum compungam tibi. Cf. *cavĕ, jubĕ, valĕ* etc. et etiam *Virg.* 6. *Æn.* 780. et quæ adnot. *Serv.* V. infra et CAVEO init. — *c*) Cum adjectione partic. *sis,* ut *vidĕsis,* pro *vide sis* sejunctim, apud *Caton. rel. p.* 37. ed. *Jord.* et *Plaut. Pseud. v.* 48. et 153. et *Amph.* 2. 2. 155. etc. — Item syllabica *nĕ,* ut *viden?* pro *videsne?* De usu vocis et de quantitate ultimæ syllabæ *V.* sub *A* 1. 2.° Sic *vidistin* pro *vidistine,* apud *Propert.* 2. 13. 49. — *d*) Ratione habita etymi, *Varro* 6. *L. L.* 80. *Müll.* a *vi* derivat, quæ sensui oculorum præcipue inest, unde et *vigil* etc.; sed rectius ducitur a rad. Skr. *vid,* cognoscere, dijudicare; unde et Gr. εἴδω, video. Hinc *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. 16. Quod Græce ἰδεῖν dicunt,

nos *v* littera addita, *videre* dicimus. — Part. *Videns* sub *A* I. 1. 1.° et in fin.; *Visus* sub *A* I. 1. 4.° et *B* 1. et 2. et in fin.; *Visurus* sub *A* I. 1. 1.° *b* et II. 1.; *Videndus* sub *A* II. 4. *c*, 5. et 6. *c*. — Video est oculorum sensu percipio, cerno, perspicio, βλέπω, ὁράω (It. *vedere;* Fr. *voir, percevoir par la vue, apercevoir;* Hisp. *ver, percebir, descubrir con la vista, mirar;* Germ. *mit d. Augen wahrnehmen, sehen, bemerken;* Angl. *to see, behold, lookat*). Duplici forma usurpatum distincte exhibemus, videlicet *A)* Active; et *B)* Deponentium more.

*A) Video*, active, est, ut diximus, oculorum sensu percipio, cerno, perspicio. Occurrit autem

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Cic. Mur.* 40. *extr.* Videre est perspicere aliquid. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 36. Videre clare oculis. *Ter. Eun.* 5. 1. 19. THA. Ubi is est? PY. hem ad sinistram. videsne? THA. video. *Sall. Jug.* 99. *ad fin.* Mulieres et pueri, qui visum processerant. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. *a med.* Videre acriter. *essere di vista acuta.* et *Virg.* 1. *Ecl.* 70. mea regna videns mirabor aristas. *Id.* 6. *ibid.* 21. Jamque videnti Sanguineis frontem moris et tempora pingit. *che ha gli occhi aperti, sveglio.* — *b*) Cum Acc. *Varro* 6. *L. L.* 80. *Müll.* Attianum illud: Oculis violavit qui vidit invidendum. Ita leg. *Müller;* at V. *Canal* in h. l. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 15. Tun me vidisti? sc. atque his quidem oculis. *Virg.* 3. *Æn.* 107. læto complerant littora cœtu Visuri Æneadas. Adde *Horat. Epod.* 2. 62. et 1. *Sat.* 8. 35. — *Me vide*, formula fidejubendi et recipiendi in se eventum cujuspiam rei, *sta sulla mia fede. Ter. Andr.* 2. 2. 13. Istuc ipsum nihil pericli est: me vide. *Plaut. Merc.* 5. 4. 53. LY. Certon scis, non succensere mihi tuam matrem? EV. scio: me vide. LY. satis habeo. Adde *Trin.* 3. 3. 79. et *Ter. Phorm.* 4. 4. *in fin.* Sic Græci βλέπειν εἴς τινα, πρός τινα. — *Vidi ego, vidi ipse*, formulæ, de quibus V. *Broukh.* ad *Tibull.* 1. 4. 29. — *c*) Cum Infinito. *Virg.* 6. *Ecl.* 27. In numerum Faunosque ferasque videres Ludere. *Horat.* 3. *Od.* 5. 21. vidi ego-arva Marte coli populata nostro. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 10. et 26. — Pro quo participium eleganter adhibetur. *Id.* 7. *ibid.* 49. Si nostros loco depulsos vidisset etc. Adde 5. *ibid.* 58. et 3. *B. C.* 24. et *Tac. Agric.* 45. — Et minus eleganter, seq. *quod, quia, quoniam*, apud *Vulg. interpr.* passim. — *d*) Cum particulis *ut, ubi* etc. *Ter. Eun.* 4. 4. 3. Illud vide, os ut sibi distorsit carnufex! *mira, guarda.* et *ibid.* 5. 1. *in fin.* Vide, amabo, si non, quum aspicias, os impudens videtur. et *Plaut. Most.* 1. 3. 151. Vide, tali ubi sunt. *Horat.* 1. *Od.* 9. 1. Vides ut alta stat nive candidus Soracte. — *e*) Passive. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 32. Siquidem centies hic visa sit, tamen inficias eat. *Ter. Andr.* 3. 5. 10. Ohe. DA. visus sum. *Varro* 1. *R. R.* 2. Ubi sol sex mensibus continuis non videtur. *Virg.* 4. *Ecl.* 15. divisque videbit Permixtos heroas, et ipse videbitur illis. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 18. Consulis ante pedes ire viderer eques. *Seneca Ep.* 114. Quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. *sub fin.* Considium timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renuntiasse. *Horat.* 1. *Od.* 15. 30. Visum lupum fugere. *Cic.* 13. *Phil.* 21. *extr.* Hoc potest separatim perscribi, ut proprio senatusconsulto Pompejus collaudatus esse videatur. *affinchè si vegga, che* etc. *Liv.* 4. 40. Equites procul visi tantam lætitiam fecere, ut etc. *Id.* 7. 34. Ab hoste visus est. — Impersonaliter. *Plaut. Merc.* 2. 2. 52. Vide sis modo etiam. LYS. visum est. *Id. Asin.* 3. 3. 94. vides me amantem egere. LIB. videbitur. *si vedrà, si penserà.* et *Cic. Rosc. Com.* 7. *a med.* Qui quamobrem Roscium similem sui in fraude et malitia existimarit, nihil videtur. *non si vede il perchè.* et 3. *Orat.* 55. *a med.* Et quales ipsi quoque oratores, qua sint ætate, honore, auctoritate, debet videri. *bisogna vedere, si dee considerare.* — 2.°) *Viden?* pro *videsne?* aliquando admirationem continet, et interdum etiam indignationem. *Ter. Eun.* 2. 2. 10. Viden me ex eodem ortum loco? *Tibull.* 2. 2. 17. Vota cadunt, viden, ut trepidantibus advolet alis? *Virg.* 6. *Æn.* 780. viden, ut geminæ stant vertice cristæ? ubi *Servius:* Naturaliter *den* longa est: brevem tamen eam posuit, secutus Ennium: et adeo ejus est immutata natura, ut jam ubique brevis inveniatur. *Ter. Eun.* 2. 2. 34. Viden, otium et cibus quid faciat alienus? *Catull.* 61. 98. viden? faces Aureas quatiunt comas. *Plaut. Epid.* 2. 2. 37. viden veneficam? ¶ 2. Speciatim ponitur interdum pro visere, convenire, *visitare, andar a trovare*, proprie ire visum, *andare a vedere*, colloquendi et agendi causa. *Cic.* 12. *Att.* 37. *extr.* Loco valde opus est; quare etiam Othonem vide. *Supra dixerat:* Othonem, si Romæ est, convenias pervelim. *Id.* 4. *ibid.* 12. Graviter se acturum cum Aquilio confirmavit; videbis ergo hominem, si voles. *et* 12. *ibid.* 14. Quemcumque appellaris, nemo negabit. Sed Septimium vide et Lænatem et Statilium; tribus enim opus est. *Plin.* 1. *Ep.* 5. *ante med.* Rogo, mane videas Plinium domi et quoquo modo efficias, ne mihi irascatur. ¶ 3. Per catachresim seu improprie dicitur de sensu aurium pro audire, et de aliis. *Augustin.* 10. *Confess.* 35. Ad oculos proprie videre pertinet. Utimur autem hoc verbo etiam in ceteris sensibus, quum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus, audi quam rutilet; aut olfac quam niteat; aut gusta quam splendeat; aut palpa quam fulgeat. Videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non solum, vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt, sed vide etiam quid sonet, vide quod sapiat, vide quam durum sit. *Virg.* 4. *Æn.* 490. mugire videbis Sub pedibus terram et descendere montibus ornos. *Propert.* 2. 13. 49. Vidistin toto sonitus procurrere cælo? — *Plaut.* ridicule *Mil. glor.* 4. 6. 44. Naso pol jam hæc quidem videt plus quam oculis.

II.) Translate. ¶ 1. A poetis tribuitur rebus inanimis. *Virg.* 2. *G.* 68. et casus abies visura marinos. *h. e.* expertura. (quo sensu *Ter. Adelph.* 5. 4. 13. Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi!) *Seneca Agam.* 885. sanguinem extremæ dapes Domini videbunt. *Id. Herc. Œt.* 462. Nox media solem vidit et noctem dies. *Id. Hippol.* 285. Quæque nascentem videt ora solem. *Id. Med.* 212. Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt. *Lucan.* 2. 428. *de Apennino.* Longior educto qua surgit in aera dorso, Gallica rura videt devexasque aspicit Alpes. ¶ 2. Metonymia est in his. *Cic.* 14. *Fam.* 1. *circa med.* Quem ego diem si videro, et si in vestrum conspectum venero. *Id.* 7. *ibid.* 30. Qui suo toto consulatu somnum non viderit. *Seneca Phœniss.* 245. Videram nondum diem. *h. e.* nondum natus eram. ¶ 3. Transfertur ad animum et sumitur pro intelligere, cognoscere, scire, *intendere, conoscere, vedere.* — 1.°) Universim. *a*) Absolute vel, si placet, seq. Acc. cum præp. *ad, in*, aut Abl. et *in. Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 123. nimiumque ad te et tua multum vides. *h. e.* in rebus ad te et tua pertinentibus plus intelligis vel sapis quam opus est. *Liv.* 6. 12. Dii vatesque eorum in futurum vident. *Cic.* 8. *Tusc.* 35. 112. Cn. Aufidius Græcam scribebat historiam et videbat in litteris. *avea nelle cose di scienza uno sguardo acuto.* V. *Gnesotto* in *h. l.* Cf. 5. *Fin.* 19. 50. et 53. — *b*) Cum Acc. *Id.* 6. *Fam.* 3. Quem exitum ego tam video animo, quam ea, quæ oculis cernimus. *Id.* 1. *Orat.* 25. *a med.* Acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videre. — *c*) Cum Infinito. *Id. Senect.* 23. 83. Animus, qui plus cernit et longius, videt, se ad meliora proficisci. *Nepos Alcib.* 9. *a med.* Ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione: sed videbat, id sine rege Persarum non posse fieri. *Id. Hannib.* 9. Vidit vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid prævidisset. — *d*) Cum partic. *Cic.* 9. *Fam.* 6. Quod ego cur nolim, nihil video. — 2.°) *Plus videre*, plus sapere, melius consulere. *Id.* 2. *Phil.* 15. *in fin.* Quum me vidisse plus fateratur, se speravisse meliora. *Id. pro leg. Manil.* 22. 64. Sin autem vos plus in republica vidistis etc. Sic *Ter. Heaut.* 3. 1. 97. Ita comparatam esse hominum naturam, aliena ut melius videant et dijudicent. — 3.°) De somniantibus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. *a med.* Si dormientes aliquid animo videre videamur. *Id.* 2. *Divinat.* 71. *ad fin.* Videre somnia. *Id.* 1. *Nat. D.* 29. *sub fin.* aliquid in somnis. *Justin.* 1. 4. 2. per somnum. *et ibid.* 9. 4. per quietem. *Cic.* 2. *Divinat.* 61. 124. secundum quietem. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Nox lætam Germanico quietem tulit viditque se operatum etc. ¶ 4. Item est futurum intueri ac prædicere, prophetare. Absolute *Vulg. interpr. Am.* 7. 12. Qui vides, gradere, fuge in terram etc. Cf. *Videns* in fin. ¶ 5. Frequenter est animadvertere, considerare, perpendere, cogitare. — *a*) Cum Acc. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 13. 40. Nunc ea videamus, quæ contra ab his disputare solent. — *b*) Cum Infinito. *Cæs.* 6. *B. G.* 38. Vidit imminuere hostes. *s' accorse.* — *c*) Cum Conjunctivo et partic. *ne*, aut cum partic. interrogativis vel relativis. *Pompej. ad Domit.* 2. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Diligentius nobis est videndum, ne distracti pares esse adversario non possimus. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 118. Duæ condiciones sunt: utram tu accipias, vide. *Cic. Amic.* 11. 36. Id primum videamus, quatenus amor in amicitia progredi debeat. *Petron. Sat.* 94. Vide, quam non conveniat his moribus. *et ibid.* 102. Videte, numquid hoc placeat. Cf. *Cic.* 3. *Orat.* 55. *a med.* sub I. 1. 1.° *e*. — *Vide quid agas*, quum eos monemus, qui magna aggrediuntur. *Ter. Phorm.* 2. 2. *in fin.* Senex adest: vide quid agas. (Ubi *Donat.* non terrentis est, sed excitantis.) *Cic.* 7. *Verr.* 68. 174. Te moneo: videas etiam atque etiam et consideres, quid agas, quo progrediare, quem hominem et qua ratione defendas. *guarda ben qual che fai.* Hic est deterrentis. Adde *Plaut. Epid.* 1. 2. 58. ¶ 6. Item cavere. *Cic.* 1. *Off.* 20. 68. Quamobrem et hæc videnda et pecuniæ fugienda cupiditas. *Alii leg.* vitanda, contra MSS., *Grævio* teste. — Cum conjunctivo et partic. *ne. Id. ibid.* 14. 42. Videndum est, ne obsit benignitas. ¶ 7. Item curare, procurare, providere, parare. — *a*) Cum Acc. *Ter. Heaut.* 3. 1. 50. Asperum (*vinum*) hoc est: aliud lenius, sodes, vide. *Cic.* 5. *Att.* 1. Antecesserat Statius, ut prandium nobis videret. *Id.* 3. *Tusc.* 19. *ad fin.* Demus scutellam dulciculæ potionis, aliquid videamus et cibi. *Id.* 7. *Fam.* 22. *ad fin.* Sed valebis meaque negotia videbis. — *b*) Cum Conjunctivo et part. *ne, ut*, quæ altera aliquando subauditur. *Plaut. Cas.* 2. 6. 28. Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aqua. *guarda bene.* et *Cic.* 7. *Verr.* 40. *extr.* Post aliquid videbimus, ne ista nobis obstare possit. — *Ter. Andr.* 2. 6. 25. Ego istæc recte ut fiant, videro. *Cic.* 16. *Fam.* 1. *a med.* Et comites et tempestates et navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. — *Plaut. Amph.* 2. 1. 82. Vide, e navi efferantur quæ imperavi omnia. *Id. Asin.* 4. 1. 10. Scribas, vide, plane et probe. — *c*) Cum Infinito. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 1. Philippum dixisse constabat, videndum sibi aliud esse consilium: illo senatu se rempublicam gerere non posse. — *d*) *Videre sibi*, sibi consulere, providere. *Ter. Phorm.* 1. 4. 11. Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem et senis essem ultus iracundiam. — *e*) *Videris, -it, -int*, dicimus, quum aliis rei cujuspiam curam relinquimus. *Cic.* 12. *Att.* 21. Legi Bruti epistolam non prudenter rescriptam: sed ipse viderit. *Ovid.* 2. *Art. am.* 371. Viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo. *Id.* 5. *Trist.* 2. 43. Viderit: ipse sacram, quamvis invisus, ad aram Confugiam. *Petron. Sat.* 87. Videris tamen, inquit: non ero tui similis. — Et cum casu. *Stat.* 3. *Theb.* 212. Viderit hæc bello viridis manus. *Ovid. Heroid.* 12. 211. Viderit ista deus, qui nunc mea pectora versat. *Cic. Quinct.* 17. 55. Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia? viderint ista officia viri boni. ¶ 8. Contra pro negligere. *Liv.* 22. 14. Tantum pro! degeneramus a parentibus nostris ut oram-nos nunc plenam hostium jam factam videamus. *non ci curiamo, veggiamo con indifferenza.* Addo eumd. 6. 14. et 48

*D) Videor*, deponentis more. ¶ 1 Generatim et sæpissime est apparere, speciem habere, *parere, sembrare*, εἴδομαι: sive illa species vera sit, sive non. — *a)* Universim. *Cic.* 1. *Off.* 24. 83. Numquam periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. *Cæs.* ad *Cic.* 10. *Att.* 8. Si non fortunæ obsecutus videbere. (Hinc corrig. *loc.* male *cit.* in SI) *Cic.* 4. *Verr.* 17. 42. Multo rem turpiorem fore et iniquiorem, visum iri intelligebant. *et* 3. *Orat.* 11. *a med.* Et illud quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum. *Id.* 3. *Off.* 7. *ad fin.* Induxit eam, quæ videretur esse, non quæ esset, repugnantiam. *et ibid.* 2. *circa med.* Si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 60. pulcra Laverna, Da mihi fallere, da justo sanctoque videri. — *b) Videor posse contendere*, formula asseverationis cum modestia stabiliendæ, apud *Nepot. Att.* 12. — *c) Videtur, visus est mihi, tibi* etc. — *α)* Cum vel sine infinito, qui fere subauditur, et casu recto. *Plaut. Stich.* 1. 2. 7. Non homines habitare mecum mihi hic videntur, sed sues. *mi pare, abitar qui meco non uomini, ma porci. Id. Most.* 3. 3. 2. Num nimio emptæ tibi videntur? *Id. Rud.* 4. 7. 4. Æquum videtur tibi, ut ego alienum quod est, meum esse dicam? *Id. Pers.* 5. 2. 58. Nec satis liber sibi videtur, ni etc. *et ibid.* 4. 4. 5. Ut munitum muro tibi visum est oppidum? *Cic.* 2. *Fin.* 13. *ad fin.* Quæ Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo. *Plaut. Epid.* 4. 2. 29. Quid si servo aliter visum est? — In somniis. *Virg.* 2. *Æn.* 271. mœstissimus Hector Visus adesse mihi. — *β)* Sequente accusativo rara constructio est. *Cic.* 5. *Tusc.* 5. 12. Non mihi videtur, ad beate vivendum satis posse virtutem. (*Lambin.* et *Bentlej.* leg. *virtus.*) — *γ) Ego videor, tu videris* etc. *mi pare che* etc., sequente etiam altero recto casu vel infinito: et opinationem atque assensionem non firmam sæpe significat. *Id.* 9. *Att.* 10. Amens mihi fuisse videar a principio. *et ibid.* 17. *a med.* Objurgari senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate. *et ibid.* 12. *a med.* Quibusdam aut sapiens videor, quod una non ierim, aut felix fuisse: mihi contra. *Ter. Eun.* 3. 2. 1. Audire vocem visa sum modo militis. *Id. Andr.* 4. 4. 18. Adeon videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis? — De somniantibus. *Plaut. Merc.* 2. 1. 5. Mercari visus mihi sum formosam capram. *Id. Curc.* 2. 2. 10. Hac nocte in somnis visus sum viderier, procul sedere longe a me Æsculapium. — *NB.* Frequens adeo est apud *Ciceronem* hujus verbi usus, in hac potissimum significatione, ut nonnumquam ab eo per pleonasmum tantummodo adhibeatur, ita tamen ut non sine vi et elegantia. Exemplum sit illud *ejusd. pro leg. Manil.* 10. 27. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo dicendum videatur. — Sequioris vero Latinitatis tempore *videtur* idem significat ac *est.* V. *Zirard. Ediz. Rav. p.* 62. ¶ 2. Speciatim, interdum, significat firmum animi judicium et ponitur pro censere, statuere, placere: qua ratione impersonaliter usurpatur — *a)* Cum Infinito expresso. *Cic. Senect.* 1. 1. Nunc mihi visum est de senectute aliquid ad te conscribere. — *b)* vel tacito. *Ter. Phorm.* 4. 3. 14. Visum est mihi, ut ejus tentarem sententiam. *mi è paruto bene.* supple *visum est mihi facere*, ut etc. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 9. *sub fin.* Eam quoque, si videtur, correctionem explicabo. *se ti par bene.* Sic 14. *Fam.* 7. *ad fin.* Tibi si videbitur, villis iis utere, quæ longissime aberunt a militibus. *Id.* 1. *Off.* 32. *ad fin.* Qui imitamur, quos cuique visum est, *supple* imitandos esse. Sic 12. *Att.* 28. *extr.* Velim Lentulum puerum visas eique de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas. *Liv.* 31. 3. Ut consul, quem videretur ei, cum imperio mitteret, qui etc. *Id.* 29. 20. Sibi placere consules decem legatos, quos iis videretur, ex senatu legere, quos cum prætore mitterent. — Hac ratione in decretis et senatusconsultis et sententiis judicum adhibebatur: ut modeste suam sententiam ostenderent et imperiose jubendi invidiam vitarent. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. *sub fin.* Majores nostri voluerunt, quæ jurati judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri, pronuntiarent. *Id.* 4. *Verr.* 38. 93. Iste pronuntiat, Sthenium litteras publicas corrupisse videri. *Id.* 4. *Att.* 2. Quum pontifices decrevissent, videri, posse sine religione eam partem areæ mihi restitui. *Liv.* 30. 17. *a med.* Scipionem recte atque ordine videri fecisse, quod eum regem appellaverit. *Id.* 38. 44. Consul adjecit senatusconsultum, Ambraciam non videri vi captam esse. In *Decreto cens.* apud *Sueton. Rhet.* 1. Et iis, qui eos ludos habent, et iis qui eo venire consueverunt, videtur faciendum ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. Adde *Cic.* 7. *Verr.* 6. *a med.* et 4. *ibid.* 41. 101., *Phædr.* 1. 10., *Cæs.* 1. *B. C.* 2. et quæ congessit *Brisson. De Formul. p.* 217. Cf. etiam *Vulg. interpr. Act.* 15. 28. — Hinc Part.

*Videns, entis* ¶ 1. Adjective usurpatur, et quidem ad ornatum jungitur cum *vivus:* significat autem vigilantem et optime cernentem ea, quæ fiunt. *Ter. Eun.* 1. 1. 28. Prudens et sciens, vivus vidensque pereo. *Cic. Quinct.* 15. *sub fin.* Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur. *Id. Sext.* 27. *ad fin.* Vivus, ut ajunt, est et videns cum victu et vestitu suo publicatus. *V.* SCIENS. *Lucret.* 3. 1060. Mortua cui vita est prope jam vivo atque videnti. Sic *Plaut. Most.* 2. 1. 80. Ludos ego hodie vivo præsenti hic seni faciam: quod credo mortuo numquam fore. ¶ 2. Et absolute, substantivorum more, est propheta, *profeta, veggente. Vulg. interpr.* 1. *Reg.* 9. 9. Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns. *et ibid.* 18. Ubi est domus videntis? Adde 2. *Par.* 9. 22. *Is.* 30. 20. Dicunt videntibus: nolite videre.

*Visum, i*, absolute, substantivorum more. ¶ 1. Generatim accipitur pro re quavis, quæ spectanda proponitur. *Propert.* 2. 5. 19. Quæ manus obscenas depinxit prima tabellas Et posuit casta turpia visa domo. *oggetti.* ¶ 2. Speciatim est species illa alicujus rei, quæ oculis nostris, diurno tempore dum vigilamus, vel phantasiæ in somniis objicitur, *visione, fantasma, sogno*, ὅραμα, φάσμα. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 40. De sensibus ipsis quædam dixit nova, quos junctos esse censuit e quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille φαντασίαν, nos visum appellemus licet. *et* 4. *ibid.* 6. *a med.* Quum enim ita negaret, quicquam esse, quod comprehendi posset, si illud esset, sicut Zeno definiret, tale visum (jam enim hoc pro φαντασίᾳ verbum satis hesterno sermone trivimus), visum igitur impressum effictumque ex eo, unde esset, quale esse non posset, ex eo, unde non esset; id nos a Zenone definitum rectissime dicimus. *et ibid.* 24. *a med.* Quale igitur visum? tum illum ita definivisse, ex eo, quod esset, sicut esset, impressum et signatum et effictum. *Id.* 1. *Tusc.* 41. 97. Qui nonnumquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem affert. *Virg.* 4. *Æn.* 456. Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori est. *Propert.* 2. 20. 20. Quum mihi discussit talia visa metus. *et ibid.* 22. 29. Talia visa mihi somno dempta recenti. *Tibull.* 3. 4. 3. dii vanum falsumque avertite visum. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 31. Dic, age, nocturnæ quicumque es imaginis augur, (Si quid habent veri) visa quid ista ferant. Adde *Inscr.* apud *Henzen Suppl. n.* 7180. — *Ex viso* et *ex visu* quippiam facere ii dicuntur, qui in somnis se a diis admonitos credunt. *Inscr.* apud *Gruter.* 2. 4. D. D. O. SAC. M. VLPIVS SERVATVS ET PECCI. PRIMITIVA EX VISV PRO SE ET SVIS OMNIBVS POSVERVNT. *Alia* apud *Murat.* 76. 4. EX IMPERIO GENII ALOTIANI EVARISTVS SERVITOR DEORVM EX VISO LIB. AN. *Alia* apud *Gruter.* 65. 1. SILVANO SALVTARI L. MANLIVS SATVRNIVS EX VISO POSVIT. Adde 66. 9., 67. 9., 83. 2. etc., quæ formula aliis verbis effertur in aliis Lapidib. *ex jussu, monitu, præcepto* etc., ut videre est in Indice *c.* 15.

Homonym. Quid *video* a *cerno* differat, *V.* sub CERNO. — Item differt *video* ab *aspicio;* illud enim est simpliciter tueri, *vedere:* hoc attente et prope mirando, *guardare, mirare. Hygin. fab.* 165. In aqua aspexit et vidit se merito irrisam. *Apul.* 5. *Met.* Quum vultus ejus aspexi, video mirum spectaculum. Cf. *Tac. Agric.* 45. Videre et aspici. — Item discrimen inter *visum* et *visionem* V. sub VISIO.

VĬDŬA, æ. f. 1. *V.* in VIDUUS.

VĬDŬĀLIS, e, adject. (viduus) ad viduam pertinens, *vedovile.* In *Inscr.* apud *Murat.* 75. 2. PERMANSIT BIS DENIS IN VIDVALIBVS ANNIS IAM IAM SANCTA PARENS. *Augustin. Ep.* 262. *n.* 9. Vidualis habitus. *cui opponitur* matronalis. *Id.* 15. *Civ. D.* 26. pudicitia. *Ambros.* in *Ps.* 40. 27. Depeculator depositi vidualis *h. e.* viduarum.

VĬDŬĀTUS, a, um, particip. *V.* VIDUO.

VĬDŬĀTUS, us, m. 4. (viduo) idem fere ac viduvium, *stato vedovile, vedovanza. Tertull. Virg. veland.* 9. Scio, alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam. *h. e.* in sacro viduarum ministerio.

VIDUBĬA, æ. *V.* voc. seq.

VIDUBĬUM, ii, n. 2. ¶ 1. Est genus armorum. *Gloss. Isid.* Sica genus armorum est simile vidubii. Hoc maxime utuntur, qui apud Italos latrocinia exercent. Cf. *Gloss.* apud *Mai* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 545., ubi pro *vidubii* est *vidubiæ;* sed prior forma, ut ait cl. *De-Vit*, fortasse præferenda, qui citat *Excerpt. Gloss. Lat. Gr. p.* 270. *Vulc.*, ubi legitur *vidobium.* An pro *bidobium* a *bidens*, Græce δίκελλα, ut *ibid.* exponitur? ¶ 2. Apud *Schol.* ms. ad *Juvenal.* 3. 311. Mariæ vulgo vidubia dicuntur. ¶ 3. Alia significatione, *V.* in VIDUVIUM.

VĬDŬERTAS, ātis, f. 3. (viduus) calamitas, apud veteres, *calamità*, συμφορά. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 369. 15. *Müll.* Viduertas calamitas dicta, quod viduet bonis. *Cato R. R.* 141. Uti tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiesque prohibessis.

VĬDŬĬTAS, ātis, f. 3. (viduus) privatio, inopia, *privazione, mancanza.* ¶ 1. Generatim. *Plaut. Rud.* 3. 3. 1. Nunc demum est, quum omnium copiarum atque opum, Auxilii, præsidii viduitas nos tenet. ¶ 2. Speciatim et frequenter est vita cælebs post nuptias, *vita vedovile*, χηρεία, χήρευσις. *Cic. Cæcin.* 5. 13. Æbutius iste, qui jam diu Cæsenniæ viduitate ac solitudine aleretur. *Liv.* 40. 4. In viduitate relictæ filiæ singulos parvos filios habentes.

VĬDŬLĀRĬA, æ, f. 1. (vidulus) nomen unius ex amissis *Plauti* comœdiis, cujus fragmenta afferunt *Non.* et *Priscian.* Dicta est a vidulo; sed cujus præcipue argumenti fuerit, ignoratur. Similis *Rudenti* fuisse creditur. Cf *Fulg. Exp. serm. ant. n.* 53.

VĬDŬLUS, i, m. 2. ¶ 1. Est sacculus ex corio, quo pecunia vel aliud quidpiam itineris causa reponitur, *bolgia, valigia*, φυλακτήριον, πήρα: et deminut. ab οἶδος, tumor, *Döderleinio* videtur; quamquam *Furlanetto* putat *vidulus* pro *vitulus* dici, nam *vitulina* est pera e corio vitulino. *Plaut. Rud.* 4. 4. 86. Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse ajebas? *Id. Men.* 5. 7. 47. Recte obsignatum in vidulo est marsupium. Adde *Rud.* 4. 3. 60. *et* 61., unde colligitur, ex corio fuisse. ¶ 2. Dicitur fortasse de bracis, ob aliquam similitudinem vel quia hæ plerumque ex corio fiebant apud plebejos homines. *Id. Men.* 2. 2. 12. V. loc. in PENICULUS. Plerique tamen in priorem sensum interpretantur.

VĬDŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (viduus) Part. *Viduatus* I. 1. et II.; *Viduandus* I. 1. 1.° *a.* — Viduo est viduum facio, orbo, privo, χηρόω, ἀποστερέω (It. *privare, spogliare;* Fr. *rendre vide, vider, priver, dépouiller;* Hisp. *privar, quitar, despojar;* Germ. *leer machen, berauben;* Angl. *to deprive or bereave*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a)* Cum Acc. *Stat.* 2. *Theb.* 385. viduare Penates, Finitimas adhibere manus. — Passive. *Sil. It.* 11. 91. sedes viduata. *h. e.* sella

curulis vacua, mortuo consule. — *b*) Cum addito Abl. *Virg.* 8. *Æn.* 571. tam multis viduasset civibus urbem. *Horat.* 2. *Od.* 29. 8. Et foliis viduantur orni. *Seneca Hippol.* 866. Ense viduare dexteram. *Seren. Sammon.* 55. 989. febris pergit viduare sopore. *Virg.* 4. *G.* 518. Arvaque Riphæis numquam viduata pruinis. *Colum. Arbor.* 1. *a med.* Vitis viduata pristino alimento deficiet. *Id.* 10. *R. R. præf. a med.* Aggressi sumus tenuem admodum et pæne viduatam corpore materiam. *Sil. It.* 3. 601. Nec Stygis ille lacus viduataque lumine regna. *Martial.* 11. 21. Culcita viduata Leuconico. *materasso votato di borra.* Rursus *Sil. It.* 12. 370. Serpentum tellus pura ac viduata venenis. *Dracont.* 8. 45. Græcia - magnis viduanda viris. — *c*) Aliquando cum Genet. *Lucret.* 5. 838. Orba pedum partim, manuum viduata vicissim. Etiam apud *Sil. It. loc.* modo *adl.* alii pro *viduata venenis* leg. *veneni.* — 2.°) De nuptis. *Seneca Med.* 581. conjux viduata tædis. *h. e.* deserta, repudiata. *Inscr.* apud *Rénier n.* 378. Viduata marito. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 18. *n.* 6. Non immaturo nuptæ viduatus consortio. Adde *Martial.* 9. 31. et *Tac.* 16. *Ann.* 30. — *Sueton. Galb.* 5. Agrippina viduata morte Domitii. *restata vedova.* ¶ 2. Speciatim est viduam vitam ago, *vedovare* nostrates vulgo dicunt. *Tertull. Monog.* 17. Cereris sacerdotes, viventibus etiam viris et consentientibus, amica separatione viduantur. *h. e.* ita separatim degunt ac si viduæ essent.

II.) Translate. *Vulg. interpr. Jer.* 51. 5. Non fuit viduatus Israel et Juda a Deo suo Domino exercituum. *h. e.* derelictus.

VĬDŬUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, ducunt alii ab *iduare,* quod Etrusca lingua dividere est: unde *vidua* (inquit *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. *a med.*) quasi valde divisa aut a viro divisa. Cf. DIVIDO et IDUS. Aliam notationem affert *Jabolen. Dig.* 50. 16. 242., ubi ut vecors, vesanus, sine corde aut sanitate, sic viduam dicit sine dulitate. At recentiores derivant a rad. Skr. *vidh,* vacuum esse, carere, unde *vidhava,* vidua. — Viduus itaque est privatus, orbatus, spoliatus, carens, χῆρος (It. *privo, spogliato, privato;* Fr. *vide, privé, qui manque de;* Hisp. *privado, falto;* Germ. *leer, beraubt, ohne;* Angl. *deprived or bereft*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Stat.* 2. *Theb.* 542. Hasta super lævos humeros vicina cruori Effugit et viduo jugulum ferit irrita ligno. *h. e.* qua parte ferro caret. *Id.* 10. *ibid.* 183. Viduus clavus. *h. e.* sine gubernatore. *Apul.* 4. *Met.* Aræ viduæ, frigido cinere fœdatæ. — *b*) Cum Genet. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 18. nec viduum pectus amoris habet. *Sil. It.* 2. 247. viduus teli et frustrato proditus ictu. *Avien. Perieg.* 939. Cæspes herbæ viduus. — *c*) Cum Abl. sine præp. aut cum præp. *ab. Stat.* 10. *Theb.* 13. Ceu mare per tumidum viduæ moderantibus alni. *Colum.* 9. *R. R.* 4. Pabulationes pecudibus viduæ. *Id.* 2. *ibid.* 2. *ad fin.* Viduum arboribus solum. — *Virg. Cul.* 372. Cogor adire lacus viduos a lumine Phœbi. ¶ 2. Speciatim dicitur de conjugibus, hoc est de muliere orbata viro, aut contra. *Plaut. Stich.* 1. 1. 1. Credo miseram fuisse Penelopam, quæ tam diu vidua viro suo caruit. *Id. Merc.* 4. 6. 13. Faxim, plures viri sint vidui, quam nunc mulieres. *Cic. Cæcin.* 5. 14. Mulierum assentator, cognitor viduarum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 102. Quum juvit viduos rapta Sabina viros. Adde *Heroid.* 8. 86. — Absolute, substantivi ritu. *Plaut. Curc.* 1. 1. 37. Dum te te abstineas nupta, vidua, virgine. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 78. sunt qui Crustis et pomis viduas venentur avaras. — Apud Christianos stricto sensu est mulier ex morte viro orbata. *Venant.* 4. *carm.* 25. 11. — Porro, apud scriptores Ecclesiasticos, viduæ sunt mulierum cœtus, qui viduitatem ultro profitebantur et sacris aliquando templis inserviebant. *Vulg. interpr.* 1. *Tim.* 5. 3. Hæ et diaconæ vel diaconissæ vocitabantur. *Venant. Vit. S. Rad.* 12. et *Hieronym. Ep.* 51. *n.* 2. Cf. *Cod. Theod.* 16. 2. 28. Lex quæ de diaconissis vel viduis nuper est promulgata. ¶ 3. Item de non nupta. *Jabolen. Dig.* 50. 16. 242., non solum eam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset, appellari ait Labeo: quia vidua sic dicta est, quasi vecors, vesanus, qui sine corde aut sanitate esset; similiter viduam esse dictam, sine dulitate. *Liv.* 1. 46. *ad fin.* Se rectius viduam et illum cælibem futurum fuisse contendere, quam cum impari jungi. *Seneca Herc. Fur.* 245. cælibis semper tori Regina gentis vidua Thermodontiæ. *et ibid.* 542. Viduæ gentes. *h. e.* Amazones. Adde *Med.* 215. ¶ 4. Item quæcumque seu nupta sive innupta sine viro cubat, *vidua* dicitur: et etiam quæ virum quidem habet, sed absentem. *Plaut. Cist.* 1. 1. 46. *de meretrice.* Numquam ego hanc viduam cubare sivi. *Propert.* 2. 24. 17. Quid tibi, quid prodest viduas dormire puellas? Adde *Ovid.* 2. *Fast.* 557. — Huc et illa pertinent *Propert.* 2. 7. 54. Scyria nec viduo Deidamia toro. *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 17. Hostibus eveniat viduo dormire cubili. *Id. Heroid.* 19. 69. Cur ego tot viduas exegi frigida noctes? *et ibid.* 1. 9. Nec mihi, quærenti spatiosam fallere noctem, Lassaret viduas pendula tela manus. *h. e.* manus ejus, quæ virum habet absentem. *Id. ibid.* 8. 21. Vidua aula. *h. e.* in qua regina conjux abest. Sic *ibid.* 9. 35. et 1. *Fast.* 36. Vidua domus. *Seneca* 1. *Benef.* 9. *a med.* Viduus cælibatus. *Martial.* viduam Cybelem dicit 7. 73. propter Atyn puerum, quem deperibat, exsectum. *Seneca Agam.* 156. Decem per annos vidua respiciam viduum? ¶ 5. De deo Viduo hæc *Cyprian. De idolor. vanit. ante med.* In tantum vero deorum vocabula apud Romanos finguntur, ut sit apud illos et Viduus deus, qui anima corpus viduet; qui quasi feralis et funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur et nihilominus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione, quam colitur. In multis tamen optim. MSS. hæc verba desunt.

II.) Improprie dicitur de bestiis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (104). Columba, nisi cælebs aut vidua, nidum non relinquit.

III.) Translate, metaphorâ a super. paragr. 2. ductâ. *Horat.* 4. *Od.* 5. 30. Et vitem viduas ducit ad arbores. *Catull.* 62. 49. Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo. *Juvenal.* 8. 78. Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos. *Martial.* 3. 58. Vidua platanus. *Colum.* 5. *R. R.* 6. *a med.* Viti novellæ pampinarium dimitti non oportet, nisi necessario loco natus est, ut viduum ramum maritet.

VĬDŬVĬUM *et* vidubium, ĭi, n. 2. idem fere ac viduatus (It. *stato vedovile, vedovanza;* Fr. *veuvage;* Hisp. *viudez;* Germ. *der Wittwenstand;* Angl. *widowhood*). *Sidon.* 6. *Ep.* 2. Cui filii, nec post multo nepotis amissi, duæ pariter plagæ recentes ad diuturni viduvii vulnus adduntur. *Inscr.* apud *Don. cl.* 10. *n.* 51. *a med.* VIRO CARISSIMA POST EVM LONGISSIMO VIDVVIO IN EXIMIO FLORE SVMMA PVLCHRITVDINE FORMAE CASTISSIMA etc. *Gloss. Philox.* Vidubium, πρόστιμον χηρίας. — Hinc figurate de arboribus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (35)., cui lectioni favet *Silligius.*

VĬĔO, vies, vĭētum, viere, a. 2. Ratione habita etymi, conferri potest cum rad. Skr. *va,* texere, contexere, conserere. — Part. *Vietus* (quod pænultimam videtur corripere apud *Horat. Epod.* 12. 7. Cf. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 37. Sed probabilius duæ priores syllabæ hic per synæresin in unam contrahuntur. Cf. *Müller De re metr. p.* 256.) in fin. et *Viendus* II. — Vieo est flexili vinculo ligo, vincio, λυγόω (It. *legare;* Fr. *lier, attacher, entrelacer:* Hisp. *ligar, atar, enlazar;* Germ. *binden, flechten;* Angl. *to bind, hoop*).

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 62. *Müll.* Dicitur vieri id est vinciri: a quo est in Asoto Ennii: Ibant malam viere Veneriam corollam. *Id.* 1. *R. R.* 23. *a med.* Sic alia et alio loco serunda, ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates. Adde *Fest. p.* 375. 21. *Müll.* et *Non. p.* 189. 20. *Merc.*

II.) Translate. *Varro* 7. *L. L.* 36. *Müll.* Antiquos poetas vates appellabant a versibus viendis. — Hinc Part. præt. pass.

*Vietus, a, um,* adjective usurpatur et est mollis, languidus, flaccidus, *molle, languido, di poche forze,* πάρετος, μαλακός. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 4. 4. 21. Hic est vetus, vietus, veternosus senex: Vietus, *inquit,* mollis flaccidusque et flexibilis corpore: unde et vimina et vimenta et vites et vietores dicuntur; et viere religare dicitur: quia vietis virgis magis religare possumus quidlibet. *Lucret.* 3. 386. *de tela aranei.* Nec supra caput ejusdem cecidisse vietam Vestem sentimus. *h. e.* putrem. *Cic.* 2. *Divinat.* 16. 37. Vel suspicari contractum aliquo morbo bovis exile et exiguum et vietum cor, et dissimile cordis fuisse. *Id. Senect.* 2. 5. Necesse fuit, esse aliquid in arborum baccis terræque frugibus, maturitate tempestiva quasi vietum et caducum. *Horat. Epod.* 12. 7. Qui sudor vietis et quam malus undique membris Crescat odor. *Colum.* 12. *R. R.* 15. *init.* Ficus porro neque nimium vieta neque immatura legi debet.

VĬESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĬESCO, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vieo) Part. *Viescens.* — Viesco est aresco, inaresco: et dicitur de fructibus maturis et caducis, *appassire, avvizzire. Colum.* 12. *R. R.* 15. 5. Alii pinguissimam quamque viridem ficorum in sole viescere patiuntur. *Id. ibid. n.* 1. Crates inter se acclines testudineato tecto more tuguriorum viescentem ficum a rore et interdum a pluvia defendat. Ita edidit *Schneiderus* ex *Cod. Sangerman.* pro *inarescentem.* V. *Colum. loc. cit.* in VIETUS. — At *Forcellinus,* qui hunc modo locum affert, *viesco* significare ait idem ac *vieo.*

VĬESSIS pro vicessis habet *Capell.* 7. *p.* 241. Quater seni viessis quadrussis faciunt. Alii tamen leg. *vigessis* vel *vicessis.* V. VICESSIS.

VĬĔTOR *et rectius* vitor, ōris, m. 3. (vieo) *Forcellinus* eum esse ait, qui vasa vinaria curat, circulis ligneis et viminibus religando, stipando etc. Agnoscitur a *Donat.* ad *Ter. Eun.* V. VIETUS. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. *in fin.* Si vietori locaveris lacum vino plenum curandum et ille eum pertuderit. Pro *Haloander* edidit et legi vult *Budæus.* At *Torrentin.* habet *tectori,* quod defenditur a *Cujac. l.* 10. *Observat. c.* 9., sive quia in *Basilicis* est κονιατῇ, sive quia lacus non est hic vas ligneum, quod vieri debeat, sed cisterna vini (ut vocat *Ulp. Dig.* 47. 2. 21. *circa med.*) seu receptaculum vini in terra depressum et tectorio incrustatum, cujusmodi ab Atheniensibus et aliis Græcis adhiberi morem fuisse, *Suidas* docet, ad vina servanda. Addit *Cujac.,* Latinos non dixisse *vietorem* a *viendo,* sed *victorem,* adlato illo *Gellii* loco 12. 3. *extr.* A ligando lictor, a legendo lector, a viendo victor, a tuendo tutor, a struendo structor, productis quæ corripiebantur vocalibus, dicta sunt. Nam qui *a vivendo victor* legunt, contra *Gellii* mentem faciunt. Quæ quum vera esse videantur, legendum erit etiam apud *Arnob.* 2. *p.* 70. Vannorum sirpiarumque vietores. *panierai, cestai,* quod e viminibus inflexis et intextis ea vasa compingunt. Alii leg. *vitores* eod. sensu. Sic in multis MSS. *Plauti Rud.* 4. 3. 51. Et vitorem et piscatorem te esse, impure, postulas. *h. e.* vasorum, quæ religantur (qualis est vidulus), artificem. Alii leg. *vietorem.* Sic in *Inscr.* apud *Gruter.* 1178. 4. T. LVCCEIVS T. L. AVCTVS VITOR SIBI ET SVIS etc. Hucusque *Forcellinus.* At recentiores legunt omnino *vitor,* h. e. qui sirpeas cistas ex viminibus inflexis contextisque compingit, ut dictum est. Hinc et *Gloss. Philox.* Vitor, καλοπλόκος. Adde *Prob. De nom.* ab *A. Maio* ed. *p.* 204. *b. Hertz* vero apud *Gell. loc. cit.* leg. *a vivendo victor.*

VĬĔTRIX *et* vitrix, trīcis, f. 3. (vietor *v.* vitor) quæ viet corollas. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (125). Pausias amavit in juventa Glyceram municipem suam, vitricem coronarum. Ita pro *vietricem* legit *Salmas.* in *Solin. p.* 240. *Harduinus* autem et *Silligius* leg. *inventricem;* quod minime probandum videtur, inquit cl. *Furlanetto;* coronarum enim plectendarum ars antiquissima

fuit: etenim idem *Plin. mox.* Postremo pinxit illam sedentem cum corona, quæ e nobilissimis ejus tabula appellata est Stephaneplocos, ab aliis Stephanepolis, quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. — *Vietricis* figuram habes apud *Gor. Inscr. Etr. T.* 3. *tab.* 9. p. LXXX. *V.* STEPHANEPLOCOS et STEPHANEPOLIS.

**VĬĔTUS**, a, um, particip. *V.* VIEO.

**VĪGĒNI.** *V.* VICENI.

**VĬGENS**, entis, particip. *V.* VIGEO.

**VĬGENTĬĀNA**, æ, f. 1. herba millefolium ita a Gallis appellata, fortasse a *vigeo*, quod vigere faciat vel quod foliis vigeat tam multis. *Apul. Herb.* 80.

**VĬGĔO**, vĭges, vĭgŭi, vĭgere, n. 2. Olim et *vigo* dictum fuit, teste *Charis.* 3. *p.* 216. *Putsch.* — Ratione habita etymi, hæc habet *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 371. 33. *Müll.* « *Viget* dictum a *vi agendo*, sed non in agendis hostilibus rebus, verum iis, quæ concitato animo ad bonum tendunt ». At rectius ducitur a rad. Skr. *vig*, ejusd. significationis, unde et Gr. ὑγιής, sanus, florens, digammate præfixo. Cf. *vegeo*, quicum aliquando in MSS. et edit. libris confunditur. — Part. *Vigens* in fin. — Vigeo est vigorem habeo, valeo, polleo, θάλλω, ἀκμάζω (It. *essere in vigore, in forze, essere robusto, gagliardo;* Fr. *être vigoureux, être en vigueur;* Hisp. *estar vigoroso, en vigor;* Germ. *lebenskräftig sein, in Kraft sein, sich regen;* Angl. *to be in force, be strong*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 5. *L. L.* 61. *Müll.* Omne corpus, ubi nimius ardor aut humor viget, aut interit aut manet sterile. At *Müll.* omittit. *Sall. Cat.* 21. Victoria in manu nobis est: viget ætas, animus valet. *Lucret.* 3. 151. Animus lætitia viget. *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 83. Quæ a terra stirpibus continentur, arte naturæ vivunt et vigent. *Id.* 1. *Tusc.* 27. 66. Quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste et divinum est. *Ovid.* 4. *Fast.* 541. Pallor abit subitæque vigent in corpore vires. *Virg.* 4. *Æn.* 175. Fama Mobilitate viget viresque acquirit eundo. *Horat.* 1. *Od.* 12. 17. *de Jove.* nil majus generatur ipso, Nec viget quidquam simile aut secundum. *Tibull.* 4. 1. 88. Laudis et assiduo vigeat certamine miles. *Cic.* 2. *Orat.* 87. 356. Vigere memoria. *Id.* 1. *Tusc.* 43. *in fin.* Humatio tota ad corpus pertinet sive occiderit animus sive vigeat. *Liv.* 6. 22. *a med.* Vegetum ingenium in vivido pectore vigebat. *Cic.* 4. *Att.* 3. *sub fin.* Nos animo dumtaxat vigemus, etiam magis, qua quum florebamus: re familiari comminuti sumus. *Val. Flacc.* 1. 55. Tu, cui jam curæque vigent animique viriles. *Quintil.* 7. *præf.* Artus etiam leviter loco moti, perdunt, quo viguerunt, usum. *Seneca Hippol.* 620. Tu, qui juventæ flore primævo viges. ¶ 2. Speciatim pro vivere. *Horat.* 3. *Od.* 9. 7. Romana vigui clarior Ilia.

II.) Translate. — *a*) Dicitur de iis, quæ prospera sunt, quæ florent, quæ magni æstimantur. *Næv.* apud *Gell.* 6. 8. *sub fin.* Qui res magnas manu sæpe gessit gloriose, cujus facta viva nunc vigent. *Sall. Cat.* 3. *ad fin.* Pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. *Cic. Cœl.* 5. *sub fin.* Vigebant studia rei militaris. *Horat. Art. P.* 61. verborum vetus interit ætas Et juvenum ritu florent modo nata vigentque. *Virg.* 2. *Æn.* 88. Dum stabat regno incolumis regumque vigebat Conciliis. *Ovid.* 15. *Met.* 426. Clara fuit Sparte: magnæ viguere Mycenæ. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 74. urbes stant populisque vigent. *Seneca Hippol.* 435. prospero regnum in statu est Domusque florens sorte felici viget. *Nep. fragm.* apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 39. 63. (136). Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 1. *extr.* Tui politici libri omnibus vigent. *Colum.* 8. *R. R.* 17. *circa med.* Murænæ, quarum pretia vigent. — *b*) Item de hominibus florentibus opinione litterarum, doctrinæ, probitatis, divitiarum etc. *Lucret.* 4. 1149. Esse in deliciis summoque in honore vigere. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 45. Vigebat auditor Panætii Mnesarchus. et 3. *ibid.* 28. *a med.* Philonem in Academia maxime vigere audio. *Id.* 7. *Fam.* 33. Nos nihil sumus, gregalibus illis, quibus te plaudente vigebamus, amissis. *Id.* 1. *Tusc.* 38. *in fin.* Multa sæcula sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. *Nepos Alcib.* 5. *a med.* Tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedæmonii, qui paullo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent. *Alii pro* fuerant. *Tac.* 4. *Ann.* 20. Auctoritate et gratia vigere apud aliquem. *et* 14. *ibid.* 19. Vigere summis honoribus et multa eloquentia. *et* 3. *ibid.* 30. opibus. *Seneca Consol. ad Marc.* 1. *ante med.* Cujus viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognosci. — Hinc Part. præs.

*Vigens, entis,* adjective usurpatur et est fortis, vegetus, *forte, vigoroso,* ἀκμάζων, ἀκμαῖος. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 45. Homines rationem habent a natura mentemque datam et acrem et vigentem. *Lucret.* 2. 361. Herbæ rore vigentes. *Sueton. Ner.* 20. Terpnum citharœdum vigentem tum præter alios arcessit. *h. e.* florentem et præter alios in sua arte peritum.

H o m o n y m. Discrimen inter *vigeo* et *vegeo* V. sub VEGEO. — Item hoc interesse ait *Non. p.* 434. 2. *Merc.* inter *vegetum* et *vigentem,* quod *vegetus* sit incolumis, *vigens* fortis: *vegetum* corporis, *vigentem* animi etiam dici posse: quæ quidem differentia non usquequaque vera est. *Liv.* 21. 43. A tergo Alpes urgent, vis integris vobis ac v i g e n t i b u s transitæ. *Quintil. Declam.* 3. 4. V i g e n t i b u s lacertis humum scindere. *V.* VEGEO.

**VĬGESCO**, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vigeo) vigere incipio. *Lucret.* 1. 757. De niloque (*al.* de nihiloque) renata vigescere copia rerum. *Catull.* 46. 8. Jam læti studio pedes vigescunt. Ita *Lachm.*; alii *virescere.*

**VĪGĒSĬES.** *V.* VICESIES.

**VĪGĒSĬMUS.** *V.* VICESIMUS.

**VĪGESSIS.** *V.* VICESSIS.

**VĬGETUS**, a, um. *V.* voc. seq.

**VĬGĬDUS**, a, um, adject. (vigeo) qui viget vel floret, alacer. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. an.* 9. Penes consilii vigidos. *et ibid.* 11. Penes intellectus vigidos. Alii leg. in primo loc. *vigiles;* in altero *rigidos,* sed minus recte, inquit cl. *De-Vit,* qui putat hinc emendandum loc. *Cl. Marii Vict.* 1. *Comm.* in *Gen.* 375. Vigiti animis, nullius egeni etc., ubi pro *vigidi* aut probabilius pro *vegeti* dictum existimat. Cl. *Furlanetto* hic leg. *vigeti.* Recentiores tamen voc. *vigidus* rejiciunt.

**VĪGĬES.** *V.* VICIES.

**VĬGIL**, ĭlis, adject. comm. gen. — *a*) *Vigul* pro *vigil* scribitur in *Inscrr.* nuper Romæ detectis editisque ab *Henzen* in *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1874. *p.* 127. et *seqq.* et apud *Gori Inscr. Etr. T.* 1. *p.* 189. Sic *vigulo* pro *vigilo* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 858. et apud *Momms. n.* 5113. — *b*) *Vigil,* per apocopen, pro *vigilia* apud Veteres. Cf. *cœl, do, gau* pro *cœlum, donum, gaudium.* V. VIGILIA. — *c*) Vox non a *vi,* uti vult *Varro* 6. *L. L.* 80. *Müll.,* sed a *vigeo* est ducenda, ut etymologis recentioribus videtur. — Vigil est vigilans, hoc est qui non est torpens, quales sunt dormientes, sed in vigore et actu suo est, γρήγορος, ἄγρυπνος (It. *vigilante;* Fr. *qui veille, éveillé, vigilant;* Hisp. *despertado, vigilante;* Germ. *wach, wachend, munter;* Angl. *watchfull, waking, vigilant*).

I.) Proprie. *Virg.* 4. *Æn.* 181. Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ, Tot vigiles oculi. *Horat.* 3. *Od.* 16. 2. Canum vigilum excubiæ. *Ovid.* 12. *Met.* 148. Dumque vigil Phrygios servat custodia muros. *et* 2. *ibid.* 112. ecce vigil rutilo patefecit ab ortu Purpureas Aurora fores. *Stat.* 1. *Achill.* 543. Animus vigil. *Virg.* 4. *Æn.* 200. vigilemque sacraverat ignem, Excubias divûm æternas. *h. e.* qui numquam exstinguitur. *Stat.* 2. *Achill.* 119. Aspicit intentum vigilique hæc aure bibentem. *h. e.* attenta.

II.) Translate. *Ovid.* 3. *Met.* 396. Curæ vigiles. *h. e.* quæ nocturno quoque tempore mordent et somnum impediunt. *Horat.* 3. *Od.* 8. 14. Vigiles lucernas perfer in lucem. *h. e.* ad quas vigilatur. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 196. Vigiles questus. *h. e.* qui per noctem vigilando emittuntur. *Tac.* 4. *Ann.* 48. Noctem vigilem capessere. *h. e.* vigilias agendo. — Hinc

*Vigiles, um,* m. plur. 3. absolute, substantivorum more, excubitores nocturnique custodes, *guardie, sentinelle notturne,* φρουροί.

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 1. 1. 195. Rex Creon vigiles nocturnos singulos semper locat. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 94. Clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur. *V.* NYCTOSTRATEGUS. — Romæ septem erant *vigilum* cohortes ab Augusto institutæ an. U. C. 749., teste *Dione* 55. 26., quibus omnibus præfectus et subpræfectus præerat, unicuique autem tribunus, qui septem regebat militum centurias cum suis centurionibus. Circa portas et muros dispositæ erant in excubitoriis XIV., quot nempe erant Urbis regiones. *Curios. Urb.* et *Not. p.* 30. et 31. *Pr.* Cohortes prætoriæ X., Urbanæ IIII., Vigilum VII., quorum sunt excubitoria XIIII. Hinc *Inscr.* apud *Orelli n.* 3499., quæ VIII cohortem Vigilum memorat, spuria est. Cf. *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1850. *p.* 367. Adde *Cod. Theod.* 1. 2. 2. § 33. et *Inscr.* apud *Cavedoni Marm. Moden. p.* 276. — *Vigiles* erant etiam in exercitu, ut constat ex *Tac.* 5. *Hist.* 22. et *Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 32. et 38. Cf. et *Virg.* 9. *Æn.* 159. V. *Rich* ad *h. v.* — Præterquam Romæ, *vigiles* erant Ostiæ et Puteolis, quia ibidem classis erat ideoque et armamentarium. V. *Bullett. arch. Nap.* a. V. *p.* 114. — Plura de vigilibus *V.* apud *Marini Iscriz. Alb. p.* 200. et *seqq.*, *Fea Framm. de' fast. cons. p.* 82. et in v. PRÆFECTUS; præsertim vero apud *Henzen* in *Annal. cit.* a. 1874. *p.* 111. et seqq., *Kellermann* et *Borghesi* in *Estr. degli Excerpta e Codd. Vatic.* ab *A. Maio* ed. *n.* 60.

II.) Translate. *Lucret.* 5. 1435. Solem et Lunam *mundi vigiles* dixit. Similiter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (46). gallos gallinaceos *vigiles nocturnos.*

H o m o n y m. Differunt *insomnis* et *vigil;* hoc enim plus est quam illud, quod mere negativum est; ita ut somnum capere *insomnis* non possit, *vigil* nolit. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 65. in INSOMNIS et *Sall. Cat.* 27.

**VĬGĬLĀBĬLIS**, e, adject. (vigilo) qui vigilat. *Varro* apud *Non. p.* 100. 2. et *p.* 158. 24. *Merc.* O stulta nostri pectoris dormitio Vigilabilis, quæ me puellum impuberem Cepisti. *oxymoron.* Alii *invigilabilis,* sed perperam.

**VĬGĬLANS**, antis, particip. *V.* VIGILO.

**VĬGĬLANTER**, adverb. (vigilo) Comp. *Vigilantius;* Sup. *Vigilantissime.* — Vigilanter est cum vigilantia et sollicitudine, ἐγρηγορότως, ἐπιμελῶς (It. *vigilantemente, attentamente con diligenza;* Fr. *avec vigilance, avec soin;* Hisp. *con vigilancia, con cuidado;* Germ. *wachsam, sorgfältig;* Angl. *vigilantly, attentively*). *Cic.* 15. *Fam.* 2. *circa med.* Vigilanter se tueri. *Planc.* ad *Cic.* 10. *ibid.* 23. *a med.* Tu, mi Cicero, præsta, ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subornes. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. 180. Vigilanter silere. *Cic.* 6. *Rep.* 24. 26. Enitar multo vigilantius. *Id. Mur.* 15. 32. Quem L. Murena pater hujusce vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum, reliquit. — Joculariter *Cic.* 6. *Verr.* 64. *ad fin.* Quod vigilanter provinciam administrasset: cujus omnes vigilias in stupris constat adulteriisque esse consumptas.

**VĬGĬLANTĬA**, æ, f. 1. (vigilo) somni parcitas, ἀγρυπνία (It. *vigilanza;* Fr. *vigilance;* Hisp. *vigilancia;* Germ. *die Wachsamkeit;* Angl. *a wathchfulness*).

I.) Proprie. *Plin.* 3. *Ep.* 5. *de avunculo suo.* Erat incredibile studium, summa vigilantia: lucubrare a Vulcanalibus incipiebat etc. — Joculariter *Cic.* 7. *Fam.* 30. Caninius consul fuit mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.

II.) Translate. *Ter. Adelph.* 3. 4. 34. Vigilantiam tuam tu mihi narras? *h. e.* diligentiam, curam. Sic *Cic.* 8. *Att.* 9. *extr.* Horribili vigilantia, celeritate, diligentia est. Adde *Quintil.* 5. 7. 10.

**VĬGĬLĀRĬUM.** *V.* VIGILIARIUM.

**VĬGĬLĀTĒ**, adverb. (vigilatus) idem ac vigilanter. *Gell.* 3. 14. *a med.* Vigilate et attente verbum non probum mutavit.

**VĬGĬLĀTĬO**, ōnis, f. 3. (vigilo) ¶ 1. Est actus vigilandi, *il vegliare. Augustin. Serm.* 362. *n.* 28. Quemadmodum ex morte innovatio futura est, sic nunc ex somno vigilatio fieret. Adde *Boeth. De divis. p.* 881. *in fin.* ¶ 2. Item insomnia, vigiliæ. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 101.

**VĬGĬLĀTUS**, a, um, particip. *V.* VIGILO.

**VĬGĬLAX**, ācis, adject. omn. gen. (vigilo). ¶ 1. Passive est sagaciter multumque vigilans, *vigilante*, ἀγρυπνητικός. *Colum.* 7. *R. R.* 12. *ante med. de canib.* Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei sed assidui et circumspecti magis quam temerarii. *Schneid.* leg. *vigilantes.* et *Claud. Mamert.* 3. *Stat. an.* 9. *ante med.* Vigilacem vigilantemque quæro lectorem. *Auson. Eph. init.* Vigilax hirudo. ¶ 2. Active est qui vigilare facit. *Ovid.* 2. *Met.* 779. Nec fruitur somno vigilacibus excita curis. Alii translaticie accipiunt. Cf. VIGIL.

**VĬGĬLĬA**, æ, f. 1. *Vigil* apocop. pro *vigilia* apud veteres. *V.* LABOR et VIGIL init. — *Vigelia* scribitur in *Inscr.* apud *Boissieu Inscr. de Lyon. p.* 559. *n.* 16.; item *viglia* syncop. pro *vigilia* in *alia* in *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1855. *p.* 87. (*Corp. Inscr. Lat.* 1. 1139.) — Vigilia est vigilatio, insomnia, ἀγρυπνία (It. *veglia, vigilia;* Fr. *veille;* Hisp. *vela ó vigilia;* Germ. *das Wachen;* Angl. *a watching*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 19. *a med.* Cui non sunt auditæ Demosthenis vigiliæ? *Id. Parad. procem.* Illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit. *h. e.* longiorum lucubrationum. *Cels.* 2. 6. Ut neque vigilia præcesserit neque ventris resolutio neque inedia. *Apul.* 6. *Met.* Inconniva vigilia. ¶ 2. Speciatim, in re militari, *vigilia* dicitur, quæ fit a militibus custodiendi causa. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 93. Præcipitur et negotium datur quæstoribus et ædilibus, ut noctu vigilias agerent ad ædes sacras. *Id.* 2. *Cat.* 12. 26. Vestra tecta custodiis vigiliisque defendite. *Liv.* 5. 48. Exercitus stationibus vigiliisque fessus. Adde 44. 43. *Id.* 39. 16. Cura vigiliarum nocturnarum. — Vigiliæ militares quattuor erant, prima, secunda, tertia, quarta. Singulæ tribus horis constabant. Noctes enim in duodecim horas dividebantur, quæ æstivo tempore breviores erant, hiemali autem longiores. *Hieronym. Ep.* 140. *n.* 8. Nox in quattuor vigilias dividitur, quæ singulæ trium horarum spatio supputantur. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. De tertia vigilia cum legionibus tribus ex castris profectus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (46). Castrensis vigilia. Adde *Auct. B. Afric.* 47. et *Apul.* 8. *Met.* — Hæc militaris divisio noctis etiam in rebus urbanis observabatur. *Cic.* 3. *Fam.* 7. Quum puer tuus ad me secunda fere vigilia venisset. Adde *Vulg. interpr. Luc.* 12. 38. *Id.* 2. 8. Pastores custodientes vigilias noctis. ¶ 3. Item, in re sacra, *vigiliæ* erant nocturna sacra, quibus in æde Cereris mulieres pervigilabant, quæ et *mysteria* et *initia* dicebantur. *Plaut. Aulul. prol.* 35. et 4. 10. 65. Qui illam stupravit noctu Cereris vigiliis. — Etiam apud Ecclesiasticos scriptores *vigilia* est, quæ peragitur in honorem ejus cælitis, cujus festum in crastino celebratur, ut est apud *Cassian.* 3. *Instit.* 8.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice dicuntur ipsi custodes, qui vigilant, *guardie, sentinelle,* φρουροί. *Cic. Mil.* 25. 67. Si Capitolinæ cohortes, si excubiæ, si vigiliæ, si delecta juventus, quæ tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est. *Sall. Cat.* 33. Et ab incendio intelligebat Urbem vigiliis munitam. *Id. Jug.* 40. Vigilias crebras ponere. *et ibid.* 105. circuire. ¶ 2. Item cohortes vigilum. *Tac.* 1. *Hist.* 20. Exauctorati ex urbanis cohortibus Æmilius Pacensis, e vigiliis Julius Fronto. V. *Bötticher Lex. p.* 494. ¶ 3. Item locus, ubi sunt vigiliæ, seu vigiliarium. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1139. ¶ 4. Metaphorice sumitur pro diligentia, cura, officio. *Cic.* 11. *Fam.* 24. Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita, ut ne desim constantiæ meæ. *h. e.* mei muneris partes. Alludit autem ad vigilias militares; nam qui in castris exploratorum et excubiarum partes noctu obeunt, ubi sua vigilia perfuncti sunt, aliis vigiliam quasi per manus tradunt. *Id.* 7. *Phil.* 7. 19. Idcirco in hac custodia, tamquam in specula, collocati sumus, ut vacuum populum R. metu nostra vigilia et providentia redderemus. *et* 1. *ibid.* 1. 1. Manendum mihi statuebam quasi in vigilia quadam consulari et senatoria.

Homonym. Discrimen inter *vigilias* et *excubias* in eo consistit, quod *vigiliæ* sunt nocturnæ tantum, *excubiæ* vero et nocturnæ et diurnæ. *Cic. Mil.* 25. 67., *Liv.* 39. 16. etc.

**VĬGĬLĬĀRĬUM**, ii, n. 2. (vigil) *Vigilarium* est in *Not. Tir.;* sed ibi legendum *vigiliarium.* — Vigiliarium ¶ 1. Est locus, in quo nocturnæ excubiæ aguntur, *luogo della sentinella, vedetta. Seneca Ep.* 57. *a med.* Quid interest, utrum supra aliquem vigiliarium ruat, an mons? Adde *Inscr.* in *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1859. *p.* 230. et apud *Henzen Suppl. n.* 6660. ¶ 2. Est etiam parvum monumentum, quod a formæ similitudine cum excubiarum statione hoc nomen cepisse videtur, quodque translaticie alii accipiunt: vel quia ibidem excubabat, qui monumenti custodiæ præerat. *V.* CUSTODIARIUM et EXCUBITORIUM. *Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 28. *p.* 357. HOC VIGILIARIVM PERTINET AD HEREDEM AELIAE HEVRESIDIS L. GELLIVM AMANDVM IS L. GELLIO HILARIANO FILIO ET HEREDI ET LIB. LIB. POST. EOR. IN F. P. XXVI. IN AG. P. XXXII. s. Cf. *Visconti* in *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1857. *p.* 301.

**VĬGĬLĬCĬUS**, ii, m. 2. (vigil) fortasse qui vigilias patitur, *chi patisce l' insonnia,* ἄγρυπνος. *Gloss. Cyrill.*

**VĬGĬLĬUM**, ii, n. 2. (vigil) idem ac vigilia. *Varro* apud *Non. p.* 232. 4. *Merc.* Animum mitto speculatum toto orbe, uti quid facerent homines, quum experrecti sient, me faceret certiorem; si quis melius operam sumeret, ut ejus consilio potius vigilium adminicularem nostrum. Adde *eumd.* 6. *L. L.* 80. *Müll. Gloss. Labb.* Vigilium, ἀγρυπνία.

**VĬGĬLO** (vigulo), as, āvi, ātum, are, n. 1. (vigil) Part. *Vigilans* sub *A* I. et II. 1. et in fin.; *Vigilatus* sub *B* I. et II. 2; *Vigilandus* sub *B* II. 1. — Vigilo est abstineo a dormiendo, vigilias ago, excubo, γρηγορέω, ἀγρυπνέω (It. *vigilare, vegliare o vegghiare;* Fr. *veiller, être éveillé;* Hisp. *velar;* Germ. *wachen, nicht schlafen;* Angl. *to watch*). Occurrit sæpius *A)* Intransitive; aliquando vero etiam *B)* Transitivorum more.

*A)* Intransitive et quidem

I.) Proprie. *Ter. Eun.* 2. 2. 47. Vigilare usque ad lucem. *Cic.* 6. *Rep.* 10. 10. Me, qui ad multam noctem vigilassem, artior, quam solebat, somnus complexus est. *et mox.* Sæpissime vigilans solebat cogitare. *Id.* 3. *Cat.* 3. 6. Tardissime autem Lentulus, credo, quod litteris dandis præter consuetudinem proxima nocte vigilarat. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. 2. Properando etiam citius, quam si de multa nocte vigilassent. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 17. noctes vigilabat ad ipsum Mane, diem totum stertebat. *Ter. Andr.* 5. 6. 8. Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit? — Passive impersonaliter. *Martial.* 12. 68. Otia me somnusque juvant, quæ magna negavit Roma mihi: redeo, si vigilatur et hic. — *Hic vigilans somniat,* proverbium est apud *Plaut. Capt.* 4. 2. 68. de iis, qui multa sibi bona et gaudia fingunt et in votis suis sibi valde blandiuntur. — *Vigilans dormit,* proverbialiter dicitur ab eodem *Pseud.* 1. 3. 152., qui in re aliqua segnis, remissus et socors est. Cui simile est illud *Lucret.* 3. 1062. Qui somno partem majorem conteris ævi Et vigilans stertis nec somnia cernere cessas. *V.* STERTO.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de rebus: hinc *vigilare* etiam dicitur ignis, qui inextinctus servatur, ut Romæ in templo Vestæ: de quo igne *Stat.* 1. *Silv.* 1. 35. An tacita vigilet face Troicus ignis. *et Flor.* 1. 2. Ut ad similitudinem cælestium ignium custos imperii flamma vigilaret. — *Vigilantia lumina* dixit *Ovid. Heroid.* 18. 31. accensam noctu facem in pharo ad monstrandum iter navigantibus. ¶ 2. Per metaphoram est providere, studium et diligentiam adhibere. — *a)* Absolute. *Accius* apud *Cic. Planc.* 24. 59. Vigilandum est semper: multæ insidiæ fiunt bonis. *Cic.* 6. *Phil.* 7. 18. Quamobrem, Quirites, consilio quantum potero, labore plus pæne quam potero, excubabo vigilaboque pro vobis. *Id. Fat.* 6. Vigila, Chrysippe, ne tuam causam deseras. — *Mars vigila,* dicebant, indicto bello, imperatores templum Martis ingressi ejusque hastam commoventes. *V.* ANCILE. — *b)* Cum Dativo est vigilanter operam dare. *Propert.* 2. 2. 9. si possem studiis vigilare severis. — *c)* Cum Acc. et præp. *ad. Vulg. interpr. Ps.* 62. 2. Ad te de luce vigilo. Adde *Prov.* 8. 17. et *Sap.* 6. 15. *Cf. Job* 24. 5.

*B)* Transitivorum more.

I.) Proprie est vigilando transigere. *Ovid.* 4. *Fast.* 167. Semustamque facem vigilata nocte viator Ponet. *Id. Heroid.* 12. 169. Non mihi grata dies; noctes vigilantur amaræ.

II.) Translate. ¶ 1. Est vigilanter providere, diligenter conficere, lucubrando persequi. *Virg.* 1. *G.* 312. Atque ubi jam breviorque dies et mollior æstas, Quæ vigilanda viris? *Gell. præf. a med.* Qui in lectitando, scribendo, commentando nullas hoc genus vigilias vigilarunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 109. Primus amans carmen vigilatum, nocte negata, Dicitur ad clausas concinuisse fores. μέλος παρακλαυσίθυρον. *Id.* 2. *Trist.* 11. Hoc pretium curæ vigilatorumque laborum Cepimus. ¶ 2. Est etiam diligenter curare, inspicere, animadvertere. *Vulg. interpr. Thr.* 1. 11. Vigilavit Deus jugum iniquitatum mearum. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

*Vigilans, antis,* etiam adjective usurpatur, unde Comp. *Vigilantior* et Sup. *Vigilantissimus;* et est diligens, providus, intentus. *Cic. Rosc. Am.* 48. 139. Nostri isti nobiles, nisi vigilantes et boni et fortes et misericordes erunt etc. *Id.* 2. *Verr.* 11. 32. Perficiam, ut nemo umquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad judicium venisse videatur. *Id. ad Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Homo vigilans et industrius. *Val. Max.* 9. 1. *n.* 1. *extern.* Hannibal vigilantissimus dux. — *Augustin. Tract.* 120. in *Joh.* Vigilanti verbo usus est evangelista. *usò parola accorta od espressiva, accortamente od acutamente disse.*

**VĪGINTI**, adject. numerale cardinale indecl. — *a)* Scribitur *vigenti* in *Inscr.* apud *Momms. Inscr. Neap. n.* 4070. et per syncop. *vinti* in *alia* in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 8573., unde Ital. *venti.* — Item *biginti* in *alia* apud *Fabretti* in *Gloss. It. p.* 253. et in *Edict. Diocl.* 12. *n.* 7. et 8. — *b)* Ratione habita etymi, ducitur a Skr. *vi-çati* pro *dvi-daçati,* quasi *duo decem,* unde et Dorice εἴκατι: hinc *duoviginti* apud veteres; et apud *Frontin.* 2. *De limit. p.* 28. *Lachm.* etiam *duiginti* vel *deviginti,* ut quidam leg. — *c)* Ultimam habet longam, quam *Furlanetto, Klotz,* alii in compositione corripiunt; quod nobis non placet; eadem enim ratio non est in hujusmodi, quæ in aliis compositis, ubi pars prior sejuncta consistere potest: hinc ī in *vigintīviri,* ut in *ternīdeni* et similibus, producimus; in *bellĭpotens* vero corripimus. — Viginti est decem et decem seu bis decem, *venti,* εἴκοσι. *Plaut. Asin.* 1. 1. 76. Viginti jam usu 'st filio argenti minis. *Cic. Planc.* 37. 90. Quæ, si viginti quiessem dies, in aliorum jugulum consulum recidissent. — Cum aliis numeralib. *Id.* 3. *Orat.* 20. 74. Annos natus unum et viginti. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 86. Quattuor hinc rapimur viginti et mille rhedis. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6.

39. (141). Blattas diebus viginti uno impositas panos sanare. *Id.* 30. *ibid.* 10. 27. *extr.* Viginti unam muscas rufas in potu dare. *Colum.* 5. *R. R.* 3. Asses efficies quattuor milia, ducentos et viginti unum. *Id. ibid.* Dandæ sunt vites latitudini viginti una. — *Viginti quinque pœnæ* in *Leg. XII. Tab.* significant, ut ait *Fest. p.* 371. 5. *Müll.*, viginti quinque asses. Cf. *Gell.* 20. 1.

VĪGINTĪANGŬLUS, a, um, adject. qui viginti angulis constat, *di venti angoli*, ut Vigintiangula sphæra, apud *Apul.* 1. *Dogm. Plat. ante med.* Male autem hic *Apulejus* interpretatur εἰκοσάεδρον *Platonis*, etenim sphæra εἰκοσάεδρος est, quæ viginti superficies habet triangulares æquilateras, sed duodecim tantum angulos solidos ex quinque planis angulis quemque constantes.

VĪGINTĪSĒVIR *et* vigintisexvir, i, *et sæpius plur.* vigintiseviri *et* vigintisexviri, ōrum, m. 2. (viginti, sex *et* vir) magistratuum minorum collegium, quod viginti sex viris constabat, nimirum III.viris rerum capitalium, III.viris monetalibus, X.viris stlitibus judicandis, IIII.viris viarum curandarum in Urbe, II.viris viarum curandarum extra Urbem et IIII.viris præfectis Campaniæ. Hos omnes in unum collegium collectos fuisse primum ab Augusto a. U. C. 733. vel insequ. contra *Mommsen* (V. *Corp. Inscr. Lat. v.* 1. *p.* 186. et 187.) aliosque demonstrat *Mancinius* in *Giorn. d. scavi di Pomp.* a. 1872. *p.* 307. et seqq., *Dione* 54. 26. emendato; *Inscriptt.* enim, quæ collegium hoc memorant, ad Augustæam ætatem omnes pertinent. *Inscr.* apud *Kellermann Vig. Rom. lat. p.* 68. *n.* 250. C. PAPIRIVS C. F. CLV. CARBO TRIB. MIL. XXVI.VIR Q. PRO PR. Hæc eadem mendosa habetur, inquit cl. *Furlanetto* apud *Murat.* 839. 9.; at V. *Orelli n.* 3375. Adde *aliam* apud *Marini Fr. Arv. p.* 806. et *Henzen Suppl. n.* 6010. *Fest. p.* 233. 17. *Müll.* Præfecti quattuor vigintisexvirum numero. — Verum Augustus a. U. C. 740. vel 741., ut *Furlanetto* videtur, eosdem ad vigintiviros reduxit. V. *Mancini loc. cit. p.* 314. et VIGINTIVIRI.

VĪGINTĪSEXVIR. *V.* voc. præc.

VĪGINTĪVIR, i, *et sæpius plur.* vigintiviri, ōrum, m. 2. magistratus viginti virorum apud Romanos. ¶ 1. C. Julius Cæsar in consulatu legem tulerat, ut ager Campanus iis, qui ternos pluresve liberos haberent, divideretur, quod narrant *Vellej.* 2. 44. 4., *Sueton. Cæs.* 20. et *Aug.* 4. et *Frontin. De colon. p.* 137. *Goes.* Hujus divisionis curatores viginti viros constituerat, quorum uno mortuo, in ejus locum Ciceronem invitaverat: quem honorem et munus, tamquam odiosum ac turpe, is repudiavit, ut apparet ex *eod.* 2. *Att.* 19., non sine offensa Cæsaris, ut *id.* innuit 9. *ibid.* 2. et *Vellej.* 2. 45. Hanc ejus recusationem *Quintil.* 12. 1. *ante med.* laudat et inter alia optimi civis argumenta recenset. *Cic.* 2. *Att.* 6. Ubi nemo sit præter me, qui quemquam ex vigintiviris vivum et salvum velit. — In sing. num. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 52. (176). Varro auctor est, XX.viro se agros dividente Capuæ etc. Ita *Harduin.* ex suis MSS. omnib., cui favet *Sillig.* Sic *Inscr.* apud *Gruter.* 372. 8. AVRELIO VICTORI XV.VIRO SACR. FAC. *V.* QUINDECIMVIRI. ¶ 2. Fuerunt etiam *vigintiviri* magistratus ante quæsturam geri solitus, veluti aditus ad eam et ceteros honores. Fuere primum vigintisex: deinde ab Augusto ad viginti redacti, quorum decem erant hastæ decemvirali seu stlitibus judicandis præpositi, quattuor curatores viarum, tres monetales, totidem capitales. Duumviros curatores viarum extra Urbem et quattuorviros, qui in præfecturas Campaniæ mittebantur, Augustus sustulit. *V.* voc. præc. Cf. *Dion. l.* 54. *c.* 26. Ita autem statuit *Augustus* a. U. C. 741. *Tac.* 3. *Ann.* 29. Tiberius Neronem jam ingressum juventam commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur, et quinquennio maturius, quam per leges, quæsturam peteret, non sine irrisu audientium postulavit. — *Spartian. Julian.* 1. Inter viginti viros electus est suffragio matris Marci (*Aurelii Aug.*). *h. e.* inter X viros stlitibus judicandis, ut patet ex *Inscr.* apud *Reines. cl.* 6. *n.* 42. Adde *Inscr.* apud *Orelli n.* 2761. Cf. etiam *Henzen* in *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1873. *p.* 132. et *seqq.* ¶ 3. Item *vigintiviri ex S. C. reipublicæ curandæ* fuerunt consulares ann. a Chr. n. CCXXXVII. a senatu contra Maximinum creati. *Capitolin. Gordian.* 10. Ut non solum gesta hæc probarent (*senatores*), sed etiam vigintiviros eligerent. *et mox.* Illos sane viginti senatus ad hoc creaverat, ut divideret his Italicas regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendas. *Inscr.* apud *Gruter.* 381. 3. L. CAESONIVS C. F. QVIRINA LVCILLVS XX.VIROS (*sic pro* vir) EX SENATVS CONSVLTO R. P. CVRANDAE etc. V. *Marin. Frat. Arv. p.* 799. Cl. *Henzen* corrigit XX.VIR COS. *sc.* consulares. ¶ 4. Alii etiam fuerunt *vigintiviri* in municipiis. *Inscr.* Ostiensis apud *Marin. loc. cit. p.* 806. . . CORNELIVS STATIVS XX. VIR H. A. H. S.

VĪGINTĪVĪRĀTUS, us, m. 4. (vigintivir) ¶ 1. Est magistratus viginti virorum, munus quoddam in republica gubernanda, cui viginti viri præerant. De vigintiviris agris dividundis *Cic.* 9. *Att.* 2. Repudiari se totum, magis etiam, quam olim in vigintiviratu putabit. Adde *Quintil.* 12. 1. *ante med.* V. voc. sequ. ¶ 2. Etiam de vigintiviris ante quæsturam usurpat *Tac. loc. cit.* in voc. præc.

VIGLĪA. *V.* VIGILIA init.

VĪGO. *V.* VIGEO init.

VĪGOR, ōris, m. 3. (vigeo) vis illa, qua aliquis vivit vigetque, robur, firmitas, vires, ἀκμή (It. *forza, gagliardia, vigore;* Fr. *vigueur, force;* Hisp. *vigor, fuerza;* Germ. *die Lebenskräftigkeit, Kraft;* Angl. *vigour, strength*).

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 730. Igneus est ollis vigor et cælestis origo Seminibus. *Id.* 9. *ibid.* 610. nec tarda senectus Debilitat vires animi mutatque vigorem. *Phædr.* 5. 7. *de tibicine.* cujus flatibus Solebat excitari saltantis vigor. *Liv.* 21. 4. Eumdem vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri. (Adde *Albinov.* 1. 260. et *Curt.* 10. 10.) *Auct. B. Afr.* 10. *sub fin.* Imperatoris vultus, vigor mirabilisque hilaritas. *Liv.* 9. 16. *a med.* et *Ovid. Heroid.* 16. 51. Vigor animi. *Id.* 8. *Met.* 254. ingenii. *Horat.* 4. *Od.* 4. 5. juventas et patrius vigor. *Justin.* 1. 4. *ad fin.* Tantus in illo vigor et dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit. Adde 5. 5. *in fin.* — In plur. num. *Vitruv.* 6. 1. *ad fin.* Temperatissimæ ad utramque partem et corporum membris animorumque vigoribus pro fortitudine sunt in Italia gentes. *Sil. It.* 15. 355. Vincis, ait, nostros mirando ardore vigores. *Chalcid. Tim.* 54. Vigores vitales.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 64. Lectus est liber Q. Sextii patris, magni viri. Quantum in illo, dii boni! vigoris est, quantum animi! — De rebus inanimis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (54). Vigor vini indomitus. *Harduin.* in MSS. suis *rigor* reperit: ita et *Sillig.* leg. *Id.* 9. *ibid.* 35. 54. (109). Margaritæ flavescunt senecta rugisque torpescunt; nec nisi in juventa constat ille, qui quæritur, vigor. *Id.* 37. *ibid.* 7. 28. (101). Gemma quodam vigore apposita tinguens. *h. e.* colore splendido ac vivido.

VĪGŌRANS, antis, *et*

VĪGŌRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĪGŌRO, as, ātum, are, 1. (vigor) Part. *Vigorans* et *Vigoratus.* — Vigoro ¶ 1. Transitive est vigorem addo, affero, *rinvigorare, rinforzare. Tertull. Pudic.* 2. Effeminantia magis quam vigorantia disciplinam. *Apul.* 9. *Met.* Vigoratus juvenis. *arrobustito, vigoroso, forte.* Adde *Chalcid. Tim.* 67. ¶ 2. Neutrorum more est vigorem sumo, *rinvigorire. Tertull. Resurr. carn.* 26. *a med.* Vinum animæ vigorantis ex vite Christi.

VĪGŌRŌSUS, a, um, adject. (vigor) qui vigore abundat, *vigoroso, gagliardo, robusto,* ἀκμαῖος. *Thes. nov. Latinit. p.* 621. ed. *Mai.*

VĪGUL et

VĪGŬLO. *V.* VIGIL init.

VĪLE. *V.* VILIS.

VĪLĔFĂCĬO, făcis, fēci, făcere, a. 3. (vilis *et* facio). Sunt qui *vile facio* separatim scribunt. *V.* infra. — Vilefacio est vilem reddo, φαυλίζω (It. *avvilire;* Fr. *dégrader, flétrir, avilir;* Hisp. *envilecer, degradar;* Germ. *gering achten;* Angl. *vilify, lessen*). *Lactant.* ad *Stat.* 5. *Theb.* 28. Fletu non indecenti, non nimio, qui formam deturparet, dignitatem ejus vilefaceret. Alii *vile* a *faceret* sejungunt. Legitur et apud *Eugypp. Thes.* 20. Omnia carendo vilefecit.

VĪLĔO, es, ŭi, ere, n. 2. (vilis) vilis fio, vilesco, *diventar vile,* φαυλίζομαι. *Avien.* in *Arat.* 318. At postquam argento deformis viluit ætas. *Augustin. Tract.* 24. *in Joh. n.* 1. Miracula ejus *etc.* assiduitate viluerunt.

VĪLESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĪLESCO (vilisco), is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vileo) Part. *Vilescens.* — Vilesco est idem fere ac vileo. *Paulin. Nolan. carm.* 22. 56. Vilescit pretio depretiatus homo. *Hieronym. Ep.* 66. *n.* 7. Quamvis clarus homo vilescit in turba. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in conc. a med.* Vir non indiscreta familiaritate vilescens. *Veget,* 3. *Milit.* 26. *p.* 121. 7. *L.* Usitata viliscunt. *Alii leg.* vilescunt.

VĪLĬCA, æ, et

VĪLĬCUS, i. *V.* VILLICUS.

VĪLĬFĬCO, as, are, a. 1. (vilis *et* facio) idem quod vilefacio, sperno. *Hieronym.* in *Is.* 54. 6. Hic amici Judæorum vilificant mulierem derelictam etc. *Tertull. adv. Psych.* 15. Qui manducat, ne vilificet non manducantem. Alii leg. *nullificet.* V. ANNIHILO.

VĪLĬPENDO, is, ere, a. 3. (vilis *et* pendo) contemno, parvi facio, *vilipendere, sprezzare. Plaut. Truc.* 2. 6. 58. Etiamnum me vilipendit. Alii leg. *nihili pendit;* alii aliter.

VĪLIS, e, adject. Ratione habita etymi, *Isid.* 10. *Orig.* 278. ducit a *villa* « nullius enim, inquit, urbanitatis est ». At recentiores ab inusit. *vehilis* per syncop. factum putant, unde et *Vehilius,* cogn. apud *Cic.* 3. *Phil.* 10. 25. — Comp. *Vilior* I. et II. 1.; Sup. *Vilissimus* I. — Vilis est qui parvo pretio emitur, εὔωνος (It. *di buon mercato, di poco prezzo;* Fr. *qui est à vil prix, à bon marché;* Hisp. *lo que es baxo de precio;* Germ. *wohlfeil;* Angl. *cheap, of small price*): cui *pretiosus, carus* opponitur.

I.) Proprie. *Plaut. Trin.* 1. 1. 10. Neque quidquam vile nunc est, nisi mores mali. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 137. Qui probi homines essent, esset bis annona vilior. *Ter. Phorm.* 5. 3. 6. Ex his prædiis talenta bina capiebat: ac rebus vilioribus multo. *e ciò in tempo, che i viveri erano a molto minor prezzo.* et *Adelph.* 5. 9. 24. Si tuum officium facies atque huic paullulum præ manu Dederis, unde utatur; reddet tibi cito. MI. istoc vilius. Ubi *Donat.* quasi *nihil minus.* negatio enim est floccum ostendentis aut quid tale, cum ἐλλείψει, quia subauditur *quicquam* et *non dabo.* Vult hoc *Donatus:* non dabo ne rem quidem ista, quam tango, viliorem. Simile est illud *Charis.* 2. *p.* 180. *Putsch.* Rex, qui vocabat ad cenam, si sibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non posset, respondit, ut Tranquillus refert: Isto vilius hominis erit cena. *h. e.* minore pretio parabitur cena alicui, quam constet quod mihi indicitur exhibendum. *Cic.* 5. *Verr.* 84. *in fin.* Frumentum, quoniam vilius erat, ne emisses. *Id.* 2. *Fin.* 28. 91. Non minor voluptas percipitur ex vilissimis rebus, quam ex pretiosissimis. *Martial.* 1. 77. curarum pretium non vile mearum. — Hinc absolute *vili* (subaud. *pretio*) est parvo pretio, *a buon mercato. Plaut. Epid.* 1. 1. 49. Istam quanti emit? THES. vili. *Martial.* 12. 66. Instructam vili vendis, Amœne, domum. *Apul. De mag.* Prædia vili æstimata. *Ulp. Dig.* 43. 24. 11. § 8. Quod viliori prædium distraxerit, etsi non viliori vendidit. *Id. ibid.* 13. 4. 2. *sub fin.* Res stipulatoris vilissimo distracta est.

II.) Translate. ¶ 1. Est vulgaris, contemptus, humilis, levis, minimi pretii, *vile, disprezzevole,* ἄτιμος, τριοβολαῖος. — *a*) Absolute. *Cic.*

Rosc. Am. 26. 71. Nibil tam vile neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. Id. 7. Fam. 20. Velia non est vilior, quam Lupercal. Id. Flacc. 42. a med. Etiam si honor noster vobis vilior fuisset, salutem certe caram futuram. Sall. Cat. 16. Fidem, fortunas, pericula vilia habere. Ovid. 2. Art. am. 29. Da reditum puero, senis est si grátia vilis. Id. Heroid. 7. 48. Si, dum me careas, est tibi vile mori. Horat. 2. Sat. 5. 8. Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est. Nepos Datam. 3. ad fin. Quod non vilis rex in potestatem inopinanti venerat. Liv. 40. 9. Nec adeo tibi vilis vita esset nostra, ut nec præterito periculo meo moveteris neque futuro. — Γνώμη est illud Petron. Sat. 93. Vile est, quod licet. Et illud Claudian. IV. cons. Honor. 220. Vile latens virtus. h. e. virtus, quæ latet, vilis res est et digna contemni. — b) Cum infinito. Sil. It. 8. 436. Stat fucare colos nec Sidone vilior Ancon etc. ¶ 2. Poetice, per metonymiam, est abundans, frequens. Virg. 1. G. 273. oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. Servius huc trahit et illud ibid. 227. viciamque seres vilemque faselum. quia quæ abundant, vili emuntur. Huc addit Non. p. 529. 9. Merc. et loc. in Varron. fragm., cujus lectio valde dubia est. — Hinc

Vile, adverbii more, viliter. Claudian. IV. cons. Honor. 37. et vile virentes Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos. h. e. non aureos, ut fabulæ jactant, sed vulgari viriditate.

**VĪLISCO.** V. VILESCO.

**VĪLĬTAS**, ātis, f. 3. (vilis) exiguitas pretii, φαυλότης (It. buon mercato, poco prezzo; Fr. bon marché, bas prix, vileté; Hisp. baxo precio; Germ. die Wohlfeilheit, d. geringe Preis; Angl. cheapness, lowness of price): cui caritas opponitur.

I.) Proprie. Cic. pro leg. Manil. 15. a med. Tanta repente vilitas annonæ ex summa inopia et caritate rei frumentariæ consecuta est, quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset. Id. 5. Verr. 98. 227. Si ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis. Plin. 33. Hist. nat. 3. 14. (50). Vilitatem alicui rei facere. Sillig. utilitatem. Id. 35. ibid. 6. 28. (47). Solebant libræ ejus tricenis nummis taxari. Inventa per Hispanias arena est similem curam recipiens; itaque ad denarios senos vilitas rediit. Id. 14. ibid. 2. 4. (35). Uva tantum vilitatis ciberiæ. h. e. escæ tantum utilis, nullo pretio in vino. Id. 8. ibid. 3. 4. (7). de dentib. eleph. Cetero et in his quoque, quæ corpus intexit, vilitas ossea. h. e. materies exigui pretii. Lamprid. Commod. 14. Vilitatem proposuit, ex qua majorem penuriam fecit. h. e. pretia rerum venalium imminuit. Id. Alex. Sev. 22. Quum vilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam speciem caram putaret. Ammian. 22. 14. sub init. Popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum, quæ nonnumquam secus, quam convenit, ordinata inopiam gignere solet et famem. — Hanc autem vilitatem publice omnium primi jusserunt Impp. Diocletianus et Maximianus eo edicto, quod ann. a Chr. n. CCC. taxationi rerum venalium præposuerunt, quodque Romæ edidit et illustravit Alois. Cardinalius a. 1825. ac deinde accuratius Hieronym. Amatius in Giorn. Arcad. T. 33. p. 41. 65. Illius edicti mentionem habet his verbis Idatius in Fast. cons. ad ann. a Chr. n. CCCII. Hic consulibus vilitatem jusserunt imperatores esse. In quo tamen fallitur, quum ex ipsius edicti initio constet, id factum fuisse duobus ocius, ut diximus, annis. Huc vero pertinent verba Lactant. Mort. persec. 7. Idem Diocletianus quum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua et vilia multus sanguis effusus, nec venale quidquam metu apparebat et caritas multo deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa, post multorum exitium, solveretur. Hactenus Lactant., qui dixit multus sanguis effusus et post multorum exitium, quia, ut habet Edictum p. 6. Si quis contra formam statuti hujus connisus fuerit audenter, capitali periculo subjiciatur. — In edicto autem, quod proposuit Cassiodorius, præf. prætorio, ut est apud eumd. 11. Var. 11. et 12., per singulos excessus multa sex solidorum et fustuarius ad supplicium sumendum statuitur. Id. ibid. Venalitas victualium rerum temporis debet subjacere rationi, ut neque in vilitate caritas nec in caritate vilitas expetatur; sed, æqualitate perpensa, et murmur ementibus et gravamen querulis negotiatoribus auferatur.

II.) Translate. ¶ 1. Objective, ut ajunt, est alicujus rei levitas, humilitas, parvum aut nullum pretium. Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (119). Vilitas animarum. h. e. vitæ hominum. Id. 20. præf. nominum. Apul. Florid. 1. morum. Petron. Sat. 118. Effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate et sumendæ voces a plebe submotæ. Ammian. 14. 7. 21. Vilitas barbarica. h. e. viles barbari. — In plur. num. Cassiod. 7. Variar. 24. Nullis vilitatibus accuseris. h. e. rebus vel factis, quibus vilis habearis. ¶ 2. Subjective, uti dicitur, est parva aut nulla sui existimatio: hinc vilitas sui, id est quum quis se vilissimum putat et contemni ac negligi dignum. Seneca 1. Clem. 4. a med. (et Ep. 121. extr.) In nullo (animali) deprehendes vilitatem sui, ne negligentiam quidem. Curt. 5. 9. circa med. Sæpe tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi.

**VĪLĬTER**, adverb. ab adject. vilis; unde Comp. Vilius I.; Sup. Vilissime I. et II. — Viliter est cum vilitate, vili pretio, εὐώνως (It. a buon prezzo; Fr. à bon marché, à vil prix; Hisp. á baxo precio; Germ. wohlfeil; Angl. at a mall price, cheaply).

I.) Proprie. Plaut. Curc. 2. 1. 28. (et Macrob. 2. Saturn. 9.) Venire poteris intestinis vilius. Plin. 10. Ep. 46. Aliqua pars testaceo opere agenda erit; id enim et facilius et vilius. con più facilità e meno spesa. et Sueton. Tib. 35. Ædes vilius conducere. Plin. 18. Hist. nat. 6. 8. (45). et Colum. 9. R. R. 1. 6. Quidquid per asellum fieri potest, vilissime constat. Adde Veget. 1. Milit. 28.

II.) Translate. Apul. Florid. 7. Viliter se ipsum colere sui contemptus est. Eutrop. 9. 21. Vilissime natus.

**VĪLĪTO**, as, are, a. 1. (frequentat. a vilis) ¶. Est vilem facio vel reddo, far vile, avvilire, φαυλίζω. Turpil. apud Non. p. 185. 31. Merc. Quin moneam, quin clamem et querar tua vitia, quæ te vilitant. ¶ 2. Est etiam parvi pendo, vilipendo. Onom. Lat. Gr. in Thes. etc. ed. Vulc. Vilito, εὐτελίζω.

**VILLA**, æ, f. 1. Veteres vella pro villa, ut vea pro via, dixisse, testatur Varro 1. R. R. 2. circa med. — Putat Dausqu. posse vila unico l scribi, quod sit ab ὕλη, manipulus. Cf. VILLICUS. — Ratione habita etymi, a vehendo, quasi vehilla, quod in eam fructus ex arvis convehantur, ducit Varro 5. L. L. 35. Müll. et 1. R. R. 2. circa med.; alii a vallo, quod pro limite constituitur, ut Auct. De limitib. p. 292. Goes.; alii a vicus, quasi sit contractum a vicula, quod probabilius videtur. — Villa est domus extra urbem, in agro, agri colendi et fructuum colligendorum aut etiam habitationis causâ constituta, ἔπαυλις, ἀγροικία (It. casa di villa; Fr. maison de campagne, ferme; Hisp. heredad, casa de campo; Germ. Landhaus, Landgut, Meierhöf; Angl. a country-eat, country-house).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cic. Rosc. Com. 12. 33. Qui ager neque villam habuit neque ex ulla parte fuit cultus. et mox. Tum erat ager incultus, sine tecto, nunc est cultissimus cum optima villa. Nepos Att. 14. Suburbana aut maritima sumptuosa villa. Horat. 3. Od. 22. 5. Imminens villæ tua pinus esto. Ovid. 8. Met. 684. Unicus anser erat, minimæ custodia villæ. Plin. 18. Hist. nat. 6. 7. (32). Modus hic probatur, ut neque fundus villam neque villa fundum quærat. Poll. ad Cic. 10. Fam. 33. Frumenta aut in agris aut in villis sunt. — Tripartito a Columella distribuitur, in rusticam, urbanam et fructuariam. Villa rustica, ea est pars villæ, quam villicus, colonus, vinitor, arborator habitandam sibi obtinet et familiæ villaticæ atque instrumento omni rustico condendo aut continendo est accommodata. Villa urbana, est ea pars, quam dominus sibi, quum ruri est, habitandam recipit. Dicitur urbana, quia elegantius amœniusque ædificari solet et instrui, quasi urbani nitoris et elegantiæ plus habens, quam rustica. Villa fructuaria dicitur, ubi fructus reconduntur. V. ipsum Colum. 1. R. R. 6. Sic Cato R. R. 4. Villam urbanam pro copia ædificato. Cf. Nepot. Att. 14. ¶ 2. Speciatim villa publica erat ædes in campo Martio publicis officiis assignata, quemadmodum describitur a Varron. 3. R. R. 2. Villa publica ad rem-publ. administrandam est utilis, ubi cohortes ad delectum consuli adductæ considant; ubi arma ostendant; ubi censores censu admittant populum. Hæc Varro. Dicta est autem villa, quia posita erat extra Urbem. Nam Martius campus situs erat inter Urbem et Tiberim, ut habet Liv. 2. 5. Scribit Flor. 3. 21., L. Sullam quattuor milia deditorum inermium in villa hac publica interfecisse. Hoc idem narrans Val. Max. 9. 2. n. 1. quattuor legiones fuisse dicit. Seneca autem 5. Benef. 16. duas legiones. Id. 1. Clem. 12. septem milia civium. At octo milia sunt in Epit. Liv. 88., novem milia apud Aurel. Vict. Vir. illustr. 75. Ex quibus intelligimus amplissimam et spatiosissimam fuisse. Facta est a censoribus C. Furio Pacilo et M. Geganio Macerino ann. U. C. CCCXX. Liv. 4. 22. Ejus imaginem et nomen VIL. PVB. videre est in nummis gentis Didiæ et Fontejæ apud Morell. Numism. Fam. Rom. — Alia villa publica erat ad nova Septa, de qua Cic. 4. Att. 16. In campo Martio septa tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi etc. simul adjungetur huic operi villa etiam publica. Cf. Becker Handb. d. Röm. Alth. 1. 624. — De villis apud Romanos V. Fiorelli in App. ad Rich Diz. delle Antich. etc.

II.) Tropice. ¶ 1. Villæ nomine etiam singulæ rusticarum ædium partes significantur. Hinc Plin. 9. Hist. nat. 54. 79. (168). ostrearum vivaria, quæ sunt villæ rusticæ partes, villas vocat. — Similiter apud Varron. loc. cit. villæ sumuntur pro cohortibus avium altilium. — In illo etiam loco Plinii 5. Ep. 19. sub fin. Rogo ergo, scribas tuis, ut illi villa, ut domus pateat: videtur villa poni pro parte villæ rustica, domus vero pro parte urbana. ¶ 2. Apud veteres villa hortus erat. Plin. alter 19. Hist. nat. 4. 19. (50). In XII. Tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus, in horto vero heredium etc. Jam quidem hortorum nomine in ipsa urbe delicias, agros villasque possident etc. ¶ 3. Hinc villa pro rure. Plin. 7. Ep. 25. Athenis vivere hominem, non in villa putes.

Homonym. De discrimine, quod interest inter villam et vicum, V. VICUS. — Item villa differt a rure: hoc enim latius patet et significat agrum sive cultum sive incultum et domum ipsam in agro positam. Itali: un podere con una casa di campagna. Apul. De mag. Miror quod tu a villa tantopere abhorreas, qui plerumque rure versere. Cf. Ter. Eun. 2. 1. 10. et Cic. Rosc. Com. 12. 33.

**VILLĀNUS**, i, m. 2. (villa) ad villam pertinens, rusticus. Onom. Lat. Gr. in Thes. ed. Vulc. Villanus, ἀγροῖκος.

**VILLĀRIS**, e, adject. (villa) idem quod villaticus, di villa, ἀγροικικός. Plin. 10. Hist. nat. 41. 57. (116). Villares gallinæ. h. e. quæ in villa aluntur. Ennod. 8. Ep. 4. Tu villares delicias expetisti, et nos apud te inter mœnium mala remansimus. — Villaris etiam dicitur terminus coctus testaceus apud Var. auct. de limit. p. 305. Goes. Ita Goesius pro ullageris, quod significatione caret, inquit cl. Furlanetto. At Lachmannus tenuit: alii ollaris conjiciunt. Cf. Rudorff ibid. T. 2. p. 273. 20.

**VILLĀTĬCUS**, a, um, adject. (villa) ad villam pertinens, ἀγροικικός (It. villesco, villareccio, di villa; Fr. de maison de campagne, de métai

*rie, de ferme;* Hisp. *de la casa del campo;* Germ. zu *Landhause, zu Villa gehörig;* Angl. *of country-seat, villatic*). *Varro* 3. *R. R.* 2. Duo sunt pastionum genera; unum agreste, in quo pecuariæ sunt; alterum villaticum, in quo sunt gallinæ ac columbæ et apes et cetera, quæ in villa solent pasci. *et ibid.* 9. Villaticæ gallinæ. *Colum.* 7. *R. R.* 13. *extr.* Villaticæ pastiones, quæ continent volucrum pisciumque et silvestrium quadrupedum curam. *Id.* 9. *ibid.* 4. *sub fin.* Villaticum mel. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49. *extr.* Villatici quadrupedes. *Varro* 2. *R. R.* 2. *ante med.* greges. *h. e.* qui in villa remanent, illis oppositi, qui in saltibus pascuntur et a tectis absunt longe. *Colum.* 7. *R. R.* 12. De villatico cane igitur et pastorali dicendum est, nam venaticus nihil pertinet ad nostram professionem. *h. e.* qui villæ servandæ gratia alitur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 17. (28). Ajunt, si quis villam ea cinxerit, fugere accipitres tutasque fieri villaticas alites. *h. e.* quæ in ædibus seu casis rusticis nutriuntur, uti sunt gallinæ, anates, columbi etc. *Cf. Varron. loc. cit.*

VILLĀTOR, ōris, m. 3. Ita, truncato vocis capite, pronuntiat rusticus pro *cavillator*, apud *Plaut. Truc.* 3. 2. 15. Dicax sum factus, jam sum villator probus. Ita leg. *Muretus*, alii perperam *cavillator;* rustici enim homines *conia* pro *ciconia* et *rabo* pro *arrhabo* pronuntiabant. *V.* RADO, onis. Ita *Furlanetto*, cui *Klotz* suffragatur. At *Lipsius* leg. *cauliator; Weise* vero *caullator;* alii aliter.

VILLĀTUS, a, um, adject. participiorum more factum (villus), villis abundans, villosus. *Gloss. Isid.* Bigera, vestis gufa vel villata.

VILLĬCA et vilica, æ, f. 1. *V.* VILLICUS.

VILLĬCANS, antis, particip. *V.* VILLICO.

VILLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (villico) villæ dispensatio seu administratio, negotiatio rustica, ἀγρονομία (It. *fattoria di villa;* Fr. *gouvernement d'une métairie, d'une ferme;* Hisp. *administracion de una hacienda;* Germ. *d. Verwaltung d. Landguts;* Angl. *a management of country-seat, of villa*). *Colum.* 11. *R. R.* 1. *ante med.* Qui susceperit officium villicationis, in primis convicium domesticum, multo etiam magis externum vitet. *Petron. fragm. Tragur.* 69. *Burmann.* Servum in villicationem relegavit. Adde *Vulg. interpr. Luc.* 16. 2. *Id. ibid.* 3. Auferre ab aliquo villicationem. *et mox.* Amovere a villicatione. — *Hieronym. Ep.* 121. *c.* 6. *p.* 867. *Vall.* Projici de villicatione sua.

VILLĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* VILLICO.

VILLĬCĀTUS, us, m. 4. (villico) villicatio. Legitur apud *Eugypp. Thes.* 185. Cf. *Augustin.* 2. *Quæst. Euang.* 34. et 45.

VĬLLĬCO et vilico, as, āvi, ātum, are, 1. et villicor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (villicus) De scriptione *V.* VILLICUS. — *Villicarier* parag. pro *villicari* apud *Pompon. loc. cit.* — Part. *Villicans* I. 1. *a; Villicatus* II. 2. — Villico est villicum ago, villæ negotia guberno, ἀγρονομέω (It. *fare il fattore di villa;* Fr. *gouverner une ferme, être fermier;* Hisp. *administrar una hacienda;* Germ. *e. Landgut verwalten, Verwalter sein;* Angl. *manage a farm*). Usurpatur aliquando etiam transitivorum more.

I.) Forma activa. ¶ 1. Intransitive. — *a*) Proprie. *Inscr.* in *Bullett. dell'Istit. arch.* a. 1855. *p.* 26. (*Henzen n.* 6281.) C. OBINIVS *etc.* HIC VILICARVNT ANNOS XIIII. *Vulg. interpr. Luc.* 16. 2. Jam enim non poteris villicare. — *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (39). Quorum prædia colenda suscipiebat respublica: exercitusque ducebant, senatu illis vilicante. — *b*) Translate. *Cic.* 5. *Rep.* 3. 5. Sic noster hic rector quasi dispensare rem publicam et in ea quodam modo villicare possit. ¶ 2. Transitivorum more cum Acc. *Apul.* 8. *Met.* Servus, cui familiæ tutelam dominus commiserat, quique possessionem maximam villicabat.

II.) Forma deponentis. ¶ 1. Est, ut diximus, villicum ago. *Pompon.* apud *Non. p.* 186. 7. *Merc.* Longe ab urbe villicarier, quo herus rarenter venit. *Id. ibid.* Non villicarier, sed dominari mea est sententia. *Afran ibid.* In Arpinos jam, quantum pote, explodam hominem, ut villicetur. ¶ 2. Significat etiam ruri vivere, rusticari, *stare in villa, villeggiare. Turpil. ibid.* Ego nondum etiam hic vilicabar, Phædria. *Id. ibid.* hic vilicor ante urbem: Nunc rus eo. *Auson. Epist.* 22. 1. Philon, meis qui villicatus prædiis etc.

VILLĬCO, ōnis, m. 3. (villa) idem ac villicus, idest præfectus villicationis. *Apul. De mag.* Negat eam rationibus villiconum et opinionum et equisonum sollertissime subscripsisse. Alii leg. *villicorum.* At *Hildebr.* priorem lectionem defendit.

VILLĬCOR, āris etc. *V.* VILLICO.

VILLĬCUS et vilicus, a, um, adject. (villa) Ad scriptionem quod attinet, quamvis ratio duo *ll* postulet, tamen adeo frequens est in antiquis monumentis unico scribi, ut pæne præferri debeat, certe improbari non possit. In *opt. cod. Varronis* et in *Pandect. Florentinis* ita semper scribi, testatur *P. Victor.* ad *Cic.* 16. *Fam.* 21. Sex vet. Lapides affert *Manut.* in *Orthogr.*, quindecim *Fabrett. p.* 2., unum *Don. cl.* 1. *n.* 140. et tres *cl.* 7. *n.* 138. 152. *et* 205. simplici *l. Dausqu.* tamen et *Manut.* retinent *villicus.* V. *Lachmann* ad *Lucret. p.* 32. et seq., *Osann* ad *Cic. De rep. p.* 122. et 339. et *Brambach Hülfsb. p.* 66. ed. alt. — Villicus est villaticus, ruralis. *Auson. Epist.* 4. 56. Et jacula et fundas et villica nomina lini. — Hinc sæpius absolute, substantivorum more

*Villica, æ,* f. 1. uxor villici, οἰκονόμου γυνή. *Martial.* 1. 56. Pinguis inæquales onerat cui villica mensas. *Juvenal.* 11. 69. Asparagi, posito quos legit villica fuso. *Inscr.* apud *Zaccaria Stor. lett. d'Ital. T.* 3. *p.* 415. CANIAE VRBANAE VILICAE QVAE VIXIT AN. LV. *V.* VILLULUS. — De officiis villicæ V. *Colum.* 12. *R. R.* 1. et *Caton. R. R.* 133.

*Villicus, i,* m. 2. præfectus villæ, procurator rei rusticæ, cui tota rerum villaticarum cura ab hero commissa est, ἀγρονόμος, αὐλείτης (It. *fattore di villa, castaldo;* Fr. *régisseur d'une propriété rurale, économe;* Hisp. *factor de campo;* Germ. *der Verwalter;* Angl. *the overseer of a farm, a steward*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 2. *circa med.* Villicus agri colendi causa constitutus atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus et evehuntur, quum veneunt. *Cic.* 5. *Verr.* 50. 119. Si quis villicus ex eo fundo excisis arboribus ac venditis, demptis tegulis, instrumento, pecore abalienato etc. *et paullo post.* Putat, se bonum in arationibus fructibusque suis habuisse custodem ac villicum. Adde 5. *Rep.* 3. 5. *Colum.* 12. *R. R. procem. sub fin.* Villicis successerunt in locum dominorum, qui quondam prisca consuetudine non solum coluerant, sed habitaverant villas. *Cato* apud *Colum.* 11. *ibid.* 1. *ab init.* Male agitur cum domino, quem villicus docet. — *Horat.* 1. *Ep.* 14. 1. Villice silvarum et mihi me reddentis agelli. At *Forcellino* videtur hic sumi pro ipso agri cultore, *coll. v.* 4. 19. et 26. — Villici officia describit *Cato R. R.* 5. *et* 142. Qualis esse debeat, docet *Colum.* 11. *R. R.* 1. *sub init.* et *ante med.* et 12. *ibid.* 1., idemque undecimum librum suum *villicum* inscripsit, ut habemus 12. *ibid.* 18. ¶ 2. Latiore sensu pro dispensatore et procuratore cujuscumque rei. *Auct. Priap.* 82. 4. Villicus ærari quondam, nunc cultor agelli. *Alii leg.* Ærari quondam custos etc. Sed prior lectio magis *Scalig.* probatur. *Inscr.* apud *Gruter.* 640. 10. EVTYCHVS VILLIC. A PLVMBO. *Alia* 1033. 9. VIL. AB ALIM. *h. e.* villicus ab alimentis. *Alia* 602. 3. FELICI CAES. SERV. VILLICO HORTORVM MAIANOR. *Alia ibid.* 4. VILLICVS IN HORTIS SALVSTIANIS. *Frontin. Aquæd.* 117. in ministeriis aquæductuum ponit et *villicos*, quorum officium erat calices et fistulas impetratas ab imperatoribus ad privatos usus aptare et collocare, ut habetur *ibid.* 112. *Inscr.* apud *Spon. Miscell. antiq. p.* 235. SPORVS CAES. N. S. VILIC. AQVAE CLAVDIAE. *Alia* apud *Fabrett. p.* 5. *n.* 13. VILICVS AMPHITHEATRI. Adde *Orelli n.* 1789.

II.) Translate. *Lamprid. Alex. Sev.* 15. Malum villicum esse imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios nec reipubl. utiles pasceret. Ita leg. *Salmas.* et *Peter;* alii aliter. — *Juvenal.* 4. 77. Pegasus attonitæ positus modo villicus urbi. *h. e.* præfectus. Adde *Tertull. Præscript.* 27.

VILLĬCUS et vilicus, i, m. 2. *V.* voc. præc.

VILLŌSUS, a, um, adject. (villus) Comp. *Villosior* et Sup. *Villosissimus.* — Villosus est villis plenus, hirsutus, hirtus, τριχώδης, τριχωτός (It. *peloso;* Fr. *couvert de poils, âpre;* Hisp. *velloso;* Germ. *voll Zotteln, zottig;* Angl. *hairy*). *Virg.* 8. *Æn.* 177. villosi pelle leonis. *et ibid.* 266. *de Caco.* villosaque setis Pectora semiferi. *Ovid.* 10. *Met.* 22. *de Medusa.* villosa colubris Guttura. *h. e.* densis cincta serpentibus, *collo attortigliato di serpenti.* et *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (45). Radix villosa. *h. e.* capillamentis vel fibris instructa. *Id.* 27. *ibid.* 8. 45. (69). Spongia villosæ densitatis. *Id.* 16. *ibid.* 10. 19. (46). Arbor folio villosior. *Id.* 11. *ibid.* 39. 94. (229). Villosissimus animalium lepus.

VILLŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* villa, parva villa, *picciola casa in villa, casino. Cic.* 8. *Att.* 9. Ego Arpini volo esse pridie Kalendas, deinde circum villulas nostras errare. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 45. Proxima Campano ponti quæ villula tectum Præbuit.

VILLŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* villus, lanugo. *Catull.* 61. 136. Sordebant tibi villuli, Concubine, hodie atque heri. Ita leg. *Doering.*, quod unice probandum videtur, inquit cl. *Furlanetto.* At *Lachmann* leg. *villicæ.*

VILLUM, i, n. 2. *contract. a* vinulum, exiguum vinum, *vinetto*, οἰνίσκος, οἰνάριον. *Ter. Adelph.* 5. 2. 11. Interea in angulum aliquo abeam atque edormiscam hoc villi. *questo poco di vino che ho bevuto.*

VILLUS, i, m. 2. Scribitur etiam *vellus:* hinc *vellis* apud *Lucil. Sat.* 1. 28. *Müll.*, ubi tamen aliter *Lachm.* — Ratione habita etymi, *Forcellinus* ait esse a *vinnus*, idest cincinnus, molliter flexus, ut exponit *Isid.* 3. *Orig.* 19. *sub fin.*: vel a *vellendo*, qua ratione ab eodem *vellus* venit. Ex recentioribus etymologis alii conferunt cum *vellus*, alii cum *pilus.* — Villus est potius, quam pilus, multorum pilorum collectio et quidam quasi floccus, quales in jubis leonum et luporum et nonnullorum etiam canum separatos videmus propendere, quales item sunt in vestibus flocci illi prominentes, qui ornatus causa arte fullonia pannis inducuntur. Græce est θρίξ, λάχνη, τρίχωμα (It. *fiocco, peli messi insieme;* Fr. *touffe de poils;* Hisp. *vedija de pelos;* Germ. *das zottige Haar, die Zottel;* Angl. *toufts of hair*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Animantium aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ etc. *Virg.* 3. *G.* 446. udisque aries in gurgite villis Mersatur. *Ovid. Heroid.* 6. 49. Non erat hic aries villo spectabilis aureo. *Martial.* 14. 136. Calfaciunt villi pallia vestra mei. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. *a med.* Linteum villis onustum.

II.) Translate. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (77). *de bombycibus.* Papiliones fieri parvos nudosque: mox frigorum impatientia villis inhorrescere. *Id.* 12. *ibid.* 23. 50. (108). Cani arborum villi.

VĪMEN, ĭnis, n. 3. (vieo) omne virgultum lentum seu molle, flexile et aptum ad viendum, id est ligandum, οἰσύα, ῥίψ, λύγος (It. *vimine, vinco, venco, stroppa;* Fr. *tout bois dont on peut faire des liens, branche, verge;* Hisp. *mimbre, utadero;* Germ. *das Flechtwerk, Bindwerk;* Angl. *a wicker rod, twig, osier*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 23. *a med.* Ut habeas vimina, unde viendo quid facias. *Fest. p.* 375. 23. *Müll.* Viere, alligare, unde vimina et vasa viminea. — Fiunt autem vimina ex virgis populi, ulmi, sanguinei fruticis, betulæ, coryli, vitis et salicis, quæ principatum obtinet. *Cæs.* 1. *B. C.* 54. Reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur. *Virg.* 6. *Æn.* 137. latet arbore opaca Aureus et foliis et lento vimine ramus. *Tibull.* 2. 3. 15. Tum fiscella levi detexta est vimine junci. *Ovid.* 6. *Met.* 344. fruticosa legebant Vimina cum juncis. *Colum.* 4. *R. R.*

30. Nec refert, cujus generis vimen seras, dum sit lentissimum. *Id.* 10. *ibid.* 364. sano jam vimine textum Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis. *Calpurn. Ecl.* 3. 71. Vimen tortum.

II.) Translate. ¶ 1. Tropice. *Ovid. Remed. am.* 186. Ut relevent dempti vimina torta favi. *h. e.* alvearia viminea. *synecdoche.* Sic *Martial.* 4. 89. Nec rugosarum vimen breve Picenarum. *h. e.* fiscella viminea. *et Ovid.* 12. *Met.* 436. concretum vimine querno Lac fuit. ¶ 2. Pro virga, quæ manu gestatur. *Stat.* 2. *Theb.* 30. *de caduceo Mercurii.* Ni deus horrentem (*Cerberum*) Lethco vimine mulcens Ferrea tergemino domuisset lumina somno. ¶ 3. Item pro caule positum, docet *Philarg.* in illo *Virg.* 4. *G.* 122. nec sera comantem Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi.

**VĪMENTUM**, i, n. 2. (vimen) idem quod vimen. *Tac.* 12. *Ann.* 16. Mœnia non saxo sed cratibus et vimentis ac media humo, adversus irrumpentes invalida erunt. *Alii aliter leg.*

**VĪMĬNĀLĬA**, ium, n. pl. 3. *V.* voc. seq.

**VĪMĬNĀLIS**, e, adject. (vimen) ad vimina pertinens. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 32. (143). Salicis viminalis singula jugera sufficiunt viginti quinque vineæ jugeribus. *h. e.* ex qua vimina fiunt. Cf. VIMINEUS. Sic *Colum.* 4. *R. R.* 30. Quare salices viminales atque arundineta vulgaresque olivæ vel consulto consitæ e castaneis prius faciendæ sunt. — Hinc

*Viminalia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt arbores, quæ vimina ferunt. *Plin. loc.* supra *cit.* Hæc est viminalium cultura. — *NB.* De Viminali colle et porta *R. V.* ONOM. et *v.* VIMINETUM.

**VĪMĬNĀRĬUS**, ii, m. 2. (vimen) qui viminea opera facit vel in viminibus negotiatur. *Inscr.* apud *Gruter.* 642. 3. (*Orelli n.* 4298.) A. TVRRANIVS NIGER VIMINARIVS etc.

**VĪMĬNĒTUM**, i, n. 2. (vimen) locus viminibus consitus, *vincheto. Varro* 5. *L. L.* 51. *Müll.* Viminalis collis a Jove Viminio, quod ibi aræ sunt ejus aut quod ibi vimineta fuerunt.

**VĪMĬNEUS** *et* viminius, a, um, adject. (vimen) ex viminibus factus, *di vinchi*, λυγινός. *Plaut. Epid.* 1. 1. 25. Unum a prætura tua abest, lictores duo, duo viminei fasces virgarum. *At recentiores leg.* ulmei fasces. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. *a med.* Viminea tegumenta galeis imposita. *Auct. B. G.* 8. 9. Pontium frontes viminea loricula munirentur. *Virg.* 1. *G.* 95. Vimineæ crates. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 69. (177). Viminea salix. *h. e.* ex qua vimina fiunt. *Sillig.* viminalis. — *NB.* De Jove Viminio *V.* ONOM. et voc. præc.

**VĪMĬNĬUS**. *V.* voc. præc.

VIN pro visne? *V.* VOLO.

**VĪNĀCEA**, æ, f. 1. *et*

**VĪNĀCEUM**, i, n. 2. *V.* voc. seq.

**VĪNĀCEUS** *et* vinacius, a, um, adject. (vinum) ad vinum pertinens, *di vino. Cic. Senect.* 15. 52. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur e terra, quæ ex fici tantulo grano aut ex acino vinaceo aut ex ceterarum frugum aut stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. Alii rectius leg. *ex acini vinaceo.* — Hinc absolute, substantivorum more

*Vinacea* et *vinacia, æ,* f. 1. (*subaud.* bacca) granum uvæ jam passæ (It. *vinaccia;* Fr. *marc de raisin;* Hisp. *burujo de uvas;* Germ. *die Weinbeehülse;* Angl. *the husks or kernels of grapes*). *Colum. Arbor.* 4. *ad fin.* Præterea post hæc vinaceæ heminam uvæ albæ in nigra, uvæ nigræ in alba ponito. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (197). Circum capita addito stercus, paleas, vinaceas, aliquid horum.

*Vinaceus, i,* m. et *vinaceum, i,* sæpius plur. *vinacea* (*vinacia*), *orum,* n. 2. semen seu granulum illud lignosum, quod in uvæ acino nascitur, γίγαρτον (It. *vinacciuolo;* Fr. *pépin du raisin;* Hisp. *pepita;* Germ. *der Weinbeerhern;* Angl. *a grape-stone*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Colum.* 3. *R. R.* 1. Humido loco sciet non recte mandari fructus teneri et amplioris acini, sed callosi et angusti frequentisque vinacei. *Id.* 11. *ibid.* 2. *a med.* Naturalis autem maturitas est, si, quum expresseris vinacea, quæ acinis celantur, jam infuscata et nonnulla propemodum nigra fuerint. Adde 6. *ibid.* 3. ¶ 2. Latiore sensu, nonnumquam vinacei et vinacea, *vinaccie,* dicuntur pro totis uvæ expressæ reliquiis, hoc est, non solum pro hisce granulis, verum etiam pro ipsis folliculis, qui Græce στέμφυλα. *Varro* 2. *R. R.* 2. *a med.* His (*præsæpibus*) quæcumque jubentur, vescuntur (*oves*), ut folia ficulnea et palea et vinacea. *Id.* 3. *ibid.* 11. Pabulum his (*anatibus*) datur triticum, hordeum, vinacei, uvæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Uvæ doliis inclusæ, stipatæ vinaceis circumsudantibus. *Colum.* 12. *R. R.* 36. Tortivum mustum dicimus, quod post primam pressuram vinaceorum, circumciso pede, exprimitur. Adde *eumd. ibid.* 43. *sub fin.* et *Caton. R. R.* 7.

II.) Translate de re inani et contemptibili ideoque abjicienda. *Vulg. interpr. Os.* 3. 1. Respiciunt ad deos alienos et diligunt vinacia uvarum. Hebraice est אשישי *ashishe,* œnophora vel lagenæ uvarum, quasi notetur hic idololatrarum gula et ebriositas, ut ait *Cornelius A-Lapide.*

**VĪNĀCEUS**, i, m. 2. *V.* voc. præc.

**VĪNĀCĬŎLA**, æ, f. 1. *deminut. a* vinacia, genus vitis, apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (38)., fortasse ita dictæ a granis exiguis.

**VĪNĀCĬUS**. *V.* VINACEUS.

**VĪNĀLĬA**. *V.* voc. seq.

**VĪNĀLIS**, e, adject. (vinum) ad vinum pertinens. *Macrob.* 7. *Saturn.* 7. Si qua vinalis fortitudo in homine resedit. *spirito e forza del vino bevuto.* — Hinc

*Vinalia, orum* vel *ium,* n. plur. 2. et 3. absolute, substantivorum more, festa, quæ a veteribus celebrabantur, quum vinum novum e doliis defunditur, Græce πιθοίγια, h. e. doliorum apertio. Duplex fuit vinaliorum nomine festum, alterum celebratum IX. K. Majas, alterum XIV. K. Septembr. Prius dictum *vinalia priora* sive *urbana;* posterius *vinalia altera* sive *rustica.* In illo vinum novum degustabant et Jovi libabant; in hoc vinum, h. e. uvas, legebant et Jovi sacrificabant. Prius Veneris festum proprie dicebatur, quia posterius Jovis erat, licet ob duo templa Veneri eodem die dicata et ob tutelam hortorum Veneri tributam, etiam dies Veneris vocaretur. De *vinalibus prioribus* sive *urbanis* ita *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (287). Vinalia priora, quæ ante hos dies sunt IX. Kal. Maji, degustandis vinis instituta, nihil ad fructus attinent. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 374. 13. *Müll.* Vinalia diem festum habebant, quo die vinum novum degustabant et Jovi libabant. *Id.* Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Jovi enim prius sua vina libabant, quæ appellabant festa Vinalia. *Ovid.* 4. *Fast.* 863. Dicta Pales nobis; idem Vinalia dicam, Una tamen media est inter utramque dies. *Id. ibid.* 877. Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant, Quæritis, et quare sit Jovis ista dies? etc. Adde *Cic.* 4. *Phil.* 6. 14. *Kalend. Maffej.* apud *Gruter.* 133. IX. KAL. MAI. VIN. NP. *Kalend. Prænestin.* apud *Foggin.* IX. KAL. MAI. VIN. F. — De *Vinalibus alteris* sive *rusticis* ita *Varro* 6. *L. L.* 16. *Müll.* Vinalia a vino. His dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio: nam aliquot locis vindemiæ primum a sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiam nunc. Nam flamen Dialis auspicatur vindemiam et, ut jussit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæsa et porrecta flamen prorsus (*al.* primus) vinum legit. In Tusculanis sacris est, vinum novum ne vehatur in urbem, ante quam Vinalia kalentur. *et mox.* Vinalia rustica dicuntur ante XII. (*corrige* XIV.) Kal. Septembris, quod tum Veneri dedicata ædis et horti ejus tutelæ assignantur ac tum sunt feriati olitores. *Id.* 1. *R. R.* 1. Veneris procuratio hortorum, quo nomine rustica Vinalia instituta. *Plin. loc. cit.* Sunt Vinalia altera, quæ aguntur a. d. XIII. (*corrige* XIV.) Kal. Septembris. *Festus p.* 265. 28. *Müll.* Rustica Vinalia appellantur mense Augusto, XIV. Kal. Sept. Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei deo dedicaverunt; eodem autem die Veneris templa sunt consecrata, alterum ad Circum maximum, alterum in luco Libitinensi, quia in ipsius deæ tutela sunt horti. *Masurius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Vinaliorum dies Jovi sacer est, non, ut quidam putant, Veneri. *Ovid. loc. cit.* 897. Venerat Auctumnus calcatis sordidus uvis: Redduntur merito debita vina Jovi. Dicta dies hinc est Vinalia. Juppiter illam Vindicat et festis gaudet inesse suis. — Hujus porro festi mentio est ad diem XIV. Kal. Septembris in quattuor Kalendariis, Maffejorum nempe apud *Gruter.* 133., in altero Capranicorum et Amiternino et Antiatino apud *Foggin.* in *Fragm. Fastor. Verrii Flacci,* quorum *Kalendariorum* et *Festi* apud *Paul. Diac.* p. 264. 5. *Müll.* auctoritate corrigenda esse *Varronis* et *Plinii* loca citata, constat; quod etiam *Pontedera* in *Antiquit. Græc. et Rom.* p. 318. jam viderat.

**VĪNĀRĬA**. *V.* VINARIUS.

**VĪNĀRĬĀRĬA**. *V.* voc. seq.

**VĪNĀRĬĀRĬUS**, a, um, adject. (vinarius) idem ac vinarius: vox in usu apud scriptores sequioris ætatis. Cf. *De-Rossi* in *Bullett. Crist.* a. 1864. p. 59. *Inscr.* apud *Gruter.* 624. 3. NEGOTIATOR VINARIARIVS. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vinariaria, æ,* f. 1. ars vel officina vinaria. *Inscr.* in *Bullett. arch. Napol.* a. 1854. p. 53.

*Vinariarius, ii,* m. 2. qui vinum vendit. *Inscr.* apud *Gruter.* 1116. 7. et *Marin. Iscriz. Alb.* p. 89. P. RAGONIVS DAPHNVS VINARIARIVS IN CASTRIS PR. *h. e.* prætoriis. *Alia* apud *Donat.* 315. 10. TI. CLAVDIVS DOCIMVS NEGOTIANS SALSAMENTARIVS ET VINARIARIVS MAVRARIVS.

**VĪNĀRĬUM**. *V.* voc. seq.

**VĪNĀRĬUS**, a, um, adject. (vinum) ad vinum pertinens, *di vino,* οἰνηρός. *Cato R. R.* 25. Lacus vinarius picatus. *Plaut. Trin.* 4. 2. 46. Vinarium vasculum (*al.* vesculum). *Cic.* 6. *Verr.* 27. *a med.* Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi. *Vitruv.* 1. 4. et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (89). Claves cellæ vinariæ. *Id.* 24. *ibid.* 1. 1. (3). Saccus vinarius. *h. e.* colum, quo vina percolantur. *Id.* 28. *ibid.* 18. 73. (240). Hircinus uter vinarius. *otre.* et *Colum.* 12. *R. R.* 18. Tum lacus vinarii et torcularii omniaque vasa eluenda sunt. *Varro Sat. Menipp.* 30. p. 117. *Oehl.* Vinariæ cupæ. *Inscr.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 11. coactor. *Alia* apud *Murat.* 521. 4. forum. *Salvian.* 1. *Gub. D.* 10. domus. *cantina.* — *Vinarium crimen* appellat *Cic. Font.* 5. 9., quo accusabatur Fontejus, quod portorium vini in Gallia instituerat. — *Vinarius palmes* in vite, apud *Caton. R. R.* 33. est idem, qui *fructuarius* dicitur a *Colum.* 5. *R. R.* 6. V. PAMPINARIUS. — *Vinarius minister* est pincerna, οἰνοχόος. *Hieronym. Chron. Euseb.* ad ann. MDLXX. *ab Abraham.* Neemias Hebræus minister vinarius Artaxerxis regis. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vinaria, æ,* f. 1. ¶ 1. Est cella vinaria, ubi vinum reconditur, *cantina. Gloss. Cyrill.* Οἰνών, ὁ τόπος, vinaria. Cf. CELLA. ¶ 2. Item, quæ vinum vendit, *cantiniera, tavernaia. Inscr.* apud *Guarini Fast. duumv. Pomp.* p. 179. SVAVIS VINARIA SITIT ROGO VOS VALDE SITIT.

*Vinarium, ii,* n. 2. ¶ 1. Est locus, ubi torcularia aliaque utensilia vinaria reponuntur. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 3. ¶ 2. Est etiam vas vinarium. *Petron. fragm. Tragur.* 70. et 78. *Burmann.* — In plur. num. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 37. Invertunt Allifanis vinaria tota Vibidius Balatroque. « *Voltando a bocca in giù l' anfora intera Ne arrubinano i tònfani Alifani* » (Gargallo). Adde *Plaut. Pœn.* 4. 2. 16.

*Vinarius, ii,* m. 2. ¶ 1. Est qui vinum vendit, *mercatante da vino, vinattiere, bettoliere,* οἰνοπώλης. *Plaut. Asin.* 2. 4. 30. Vina, quæ heri vendidi vinario. *Sueton. Claud.* 40. Quum de laniis ac vinariis ageretur. *Sall.* 1. *Hist. fr.* 43. Lenones et vinarii laniique.

¶ 2. Est etiam vinosus, ebriosus, bevitore, beone, ἐποίνιος. Ulp. Dig. 21. 1. 4. Aleatores et vinarios non contineri edicto. Adde ibid. 25.

VĪNĀRĬUS, ĭi, m. 2. V. voc. præc.

VĪNAX, ācis, m. 2. (vinum) idem ac vinaceus. Augustin. Serm. 151. n. 4. ed. Mai. In Cod. Ita Maius, quem penes sit fides.

VINCA. V. voc. seq.

VINCĂPERVINCA et divisim vinca pervinca, æ, f. 1. herba topiaria, pervinca, κληματίς, δαφνοειδής, χαμαιδάφνη: est autem perpetuo virens, lauri foliis geniculatim vestita, humi serpens et in modum funiculi sese porrigens, tenuibus sarmentis obvia quæque vinciens, veteribus inopiam florum supplere solita, quæ etiam centunculus, clematis et chamædaphne appellatur, ita dicta, quia semper vireat aerisque injurias vincat et pervincat. Dicitur chamædaphne, quasi humilis laurus, propter foliorum similitudinem. Plin. 21. Hist. nat. 11. 39. (68). et ibid. 27. 99. (172)., ubi Jan. et Detl. leg. vicapervica. Adde Marcell. Empir. 15. — Dicitur pervinca tantum apud Apul. Herb. 59. — Cl. Fée (Op. cit. v. 3. p. 287.) hanc exhibet synonymiam: « Κληματὶς δαφνοειδὲς καὶ πολυγονοειδὲς καὶ μυρσινοειδές, Diosc., IV, 7; Κληματὶς φιλεταίριον, Ejusd., in Nothis. — Clematis ægyptia (?), Plin., XXIV, 15; Vinca major et Vinca minor, L., Spec. plant. 304.: la grande et la petite pervenche ».

VINCENS, entis, particip. V. VINCO.

VINCENTER, adverb. (vinco) ratione firma ad evincendum seu probandum, manifeste, convincentemente, evidentemente. Schol. vet. ad Cic. Mil. 18. ed. Mai in Class. Auct. T. 2. p. 118. Vincenter posuit. Id. ad eumd. Sull. 13. ibid. p. 264. Vincenter subjicit responsum Cæsii, illud etc.

VINCEUS, a, um, adject. (vincio) ad vinciendum aptus. Jocose Plaut. Stich. 4. 2. 56. Nam mihi intus potione vincea onerabo gulam. h. e. laqueo me vinciendo gulam frangam. V. tamen JUNCEUS.

VINCĬA, æ, 1. Paul. Diac. ex Fest. p. 379. 17. Müll. Vinciam dicebant continentem. Alii ex MSS. leg. Viciam dicebant continentiam. Sed « vincia, inquit Muellerus ad h. l., masculinum nomen esse videtur, dictum a vinciendo; nam a vincendo debebat esse vicia et significare hominem infibulatum præligatumve ad Venerem coercendam, cujus generis multi in antiquæ artis, præcipue Etruscæ, operibus conspiciuntur. Nomen vincia ad eamdem normam formatum est, qua Græca θλιβίας, τομίας. C. Barthius Advers. 39. 5. codicem Basileensem hæc addere narrat: et est cognomen Jovis. Ipse corr. Junonis, ut Vincia idem sit quod Cinxia ». Ita Muellerus.

VINCĬBĬLIS, e, adject. (vinco) ¶ 1. Passive. — a) Generatim est qui vinci potest, superabilis, vincibile, νικητός. Ter. Phorm. 1. 4. 48. Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam. h. e. quæ obtineri potest. — b) Speciatim, qui subigi potest, arabilis. Colum. 3. R. R. 12. Gravem terram, vix ulla cultura vincibilem. ¶ 2. Active, qui vincit. Vet. Poeta in Anthol. Lat. T. 2. p. 329. Burmann. Vincibilemque petit clangorem. scil. æris crepitum, qui lunæ defectioni remedio esse putabatur. Adde Apul. De mag.

VINCĬENS, entis, particip. V. VINCIO.

VINCĬO, vincis, vinxi, vinctum, vincire, a. 4. Ratione habita etymi, recentiores ducunt ab eadem radice, unde et vinco. Cf. etiam vieo. — Part. Vinciens I. b; Vinctus I. a; II. 1. et in fin.; Vincturus I. a; Vinciendus II. 1. — Vincio est ligo, constringo, δέω (It. legare; Fr. lier, attacher; Hisp. ligar, enlazar; Germ. binden, umwinden, umbinden; Angl. to bind, tie).

I.) Proprie. — a) Cum Acc., cui additur Abl. rei, qua quis vincitur. Virg. 1. Æn. 341. Purpureoque alte suras vincire cothurno. Horat. 4. Od. 1. 32. Vincire novis tempora floribus. Ovid. 15. Met. 601. si dignus erit, gravibus vincite catenis. Tibull. 1. 10. 69. auro lacertos Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu. h. e. ornet armillis aureis. Apul. De mag. Venus corpora complexu vinciens. — Passive. Cæs. 1. B. G. 53. Quum trinis catenis vinctus traheretur, in ipsum Cæsarem hostis incidit. Cic. vertens carmina Sophoclis, 2. Tusc. 10. 23. aspicite religatum asperis Vinctumque saxis. Ovid. Heroid. 5. 47. oppositis vincitur vitibus ulmus. Id. 7. Met. 429. Boves vincti cornua vittis. Propert. 4. 3. 52. sacerdos Puniceo canas stamine vincta comas. Quintil. 1. 5. 8. Ferrum, quo rotæ vinciuntur. — b) Sine additis. Ovid. 2. Amor. 15. 1. Annule, formosæ digitum vincture puellæ. Virg. 11. Æn. 81. Vinxerat et post terga manus. Colum. 2. R. R. 22. Fœnum secare aut vincire aut vehere. Tac. 15. Ann. 58. Ut me et Arminium et conscios vinciret, flagitavi. h. e. in vinculis haberet. Adde Justin. 2. 15. 8. et Tac. 1. Ann. 23., et 3. Hist. 36. Sic Seneca Agam. 998. ultimo in regni angulo Vincite sæptam nocte tenebrosi specus. — Passive. Plaut. Truc. 4. 3. 63. Reus solutus causam dicit: testes vinctos attines. Ter. Eun. 2. 3. 21. Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient. stretta in busto. et Andr. 5. 2. 24. et Plaut. Bacch. 4. 4. 95. et 98. Asservare aliquem vinctum domi. h. e. in vinculis retinere. Ovid. 3. Trist. 10. 61. Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Ovid. 2. Pont. 2. 96. undaque vincta gelu. Sall. Cat. 58. Camera lapideis fornicibus vincta. — Metaphorice. Plaut. Trin. 3. 2. 32. Vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi. Cic. Marcell. 8. 23. Omnia quæ delapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Id. 3. Orat. 49. a med. Membra orationis vincire numeris. Propert. 3. 3. 43. Vincire mentem multo Lyæo. h. e. impedire, opprimere. Id. ibid. 19. 11. lectum certo fœdere. Tac. 4. Ann. 10. donis animum alicujus. h. e. devincire. Sic 6. ibid. 45. pacto matrimonii aliquem. Cic. 7. Att. 18. Cæsarem ajunt acerrime delectum habere, loca occupare, vinciri præsidiis. h. e. sæpiri et muniri. Alii leg. vincire, ut referatur ad oppida. Id. 2. Tusc. 21. 48. Si turpissime se illa pars animi geret, vinciatur et constringatur amicorum propinquorumque custodiis. Ovid. 1. Trist. 7. 30. Temporis et longi vinctus amore tibi. h. e. junctus. Cic. Harusp. resp. 11. 22. Quum ille servorum et ludiorum multitudini senatum populumque R. vinctum ipso consessu et constrictum spectaculis atque impeditum turba et angustiis tradidisset. Id. 6. Verr. 42. 90. Ut cujus ad statuam Siculi, te prætore, alligabantur, ejus religioni te eumdem vinctum adstrictumque dedamus. Ovid. 11. Met. 238. somno vincta jacebas. Id. Heroid. 20. 212. Esse tuam vinctam numine teste fidem. Id. 5. Trist. 9. 31. Sic mea lege data vincta atque inclusa Thalia etc. h. e. mea Musa impedita, adstricta, coercita. Tibull. 1. 1. 55. Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ. Manil. 1. 47. sacerdotes in publica vota Officio vinxere Deum. Sulpic. Sever. 1. (2) 9. 6. Crederes vinctos, immo potius affixos in suis hærere vestigiis. h. e. retentos. ¶ 2. Speciatim, interdum, est magicis artibus devincire, ligare, defigere et in aliqua functione impedire. Ovid. 2. Fast. 581. Hostiles linguas inimicaque vinximus ora. — Hinc

Vinctus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, dicitur de captivis et servis, qui in vinculis haberi solent, ne fugiant.

I.) Proprie. Tibull. 2. 6. 25. Spes etiam valida solatur compede vinctum. Plin. 3. Ep. 19. a med. Nec ipse usquam vinctos habeo, nec ibi quisquam. h. e. servos in compedibus ad colendos agros.

II.) Translate. Vulg. interpr. Zach. 9. 11. de Christo. Tu in sanguine testamenti tui emisti vinctos tuos etc. Convertimini ad munitionem vincti spei. Id. Philem. 1. Paulus vinctus Christi.

Homonym. Differunt ligare et vincire; qui enim ligat, copulat, qui vincit, coercet. Gell. 12. 3. Ligare et vincire crura et manus. Cf. Acc. apud Cic. 2. Tusc. 10. 23. Adspicite religatum asperis vinctumque saxis. Adde Plin. Paneg. 82.

VINCĬPES, ĕdis, adject. omn. gen. (vincio et pes) vinctos pedes habens. Tertull. Pall. 5. Quem non expediat in algore et ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem? inceppato nelle scarpe. Alii perperam leg. uncipedem.

VINCĬTUS et VINCĬTURUS. V. VINCO.

VINCLUM. V. VINCULUM.

VINCO, vincis, vici, victum, vincere, a. 3. — a) Vinci parag. pro vincier apud Catull. 61. 68. Ita Lachm. et Bähr.; at Heyse leg. nitier et Haupt præfert cingier. — Vinicas, absolute, pro vincas habetur in nummo apud Cavedoni in Not. delle Op. di M. Caved. p. 571. — Part. vincĭtus fortasse, certe vinciturus in usu fuit. Petron. fragm. Tragur. 45. Burmann. ad fin. Scias, plenis velis vinciturum. Jul. Val. 4. res gest. Alex. M. (edente A. Maio) 3. ad fin. Perfacile multos eum populos vinciturum. — b) Etymon recentiores petunt a rad. Skr. vik, ejusd. significationis; at Döderlein (Op. cit. v. 6. p. 405.) conjungit cum Gr. εἴκω, cedo, cujus vinco (rad. vic) sit causativum: vel a νικάω per metathesin factum putat. — Part. Vincens II. 1. a et 4.; Victus I. 1. a; II. 1. a, c, d et 6.; Victurus I. 1. b et Vinciturus supra; Vincendus II. 8. — Vinco est supero, in certamine superior sum, victoriam reporto, νικάω (It. superare, vincere, soggiogare; Fr. vaincre, avoir le dessus, triompher de; Hisp. vencer, superar; Germ. siegen, überwinden, gewinnen; Angl. to vanquish, conquer, overcome).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur, et fere in prœliis et certamine. — a) Cum Acc. Ter. Adelph. 4. 2. 27. Miseram mulierem et me servulum, qui referire non audebam, vicit. Cæs. 1. B. G. 36. Jus esse belli, ut qui vicissent, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent. Cic. pro leg. Manil. 18. 55. Majores nostri omnibus navalibus pugnis Carthaginienses vicerunt. Sall. fragm. apud Non. p. 526. 12. Merc. Validam urbem multos dies restantem pugnando vicit. espugnò. et Nepos Agesil. 4. a med. Quos omnes gravi prœlio vicit. Liv. 37. 53. Vincere aliquem in certamine. — Enn. apud Cic. Senect. 5. 14. Equus vicit Olympia. Justin. 41. 1. a med. Vincere bella longinqua. Adde Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 4. 1111. (Orelli n. 4909.) — Passive. Cic. Font. 12. a med. Ut velint isti quiescere: id quod victi et subacti solent. Cæs. 7. B. G. 9. extr. Boji Helvetico prœlio victi. et 1. ibid. 45. extr. Gallia bello victa. Horat. Epod. 9. 27. terra marique victus hostis. Virg. 2. Æn. 367. Quondam etiam victis redit in præcordia virtus. et ibid. 354. Una salus victis nullam sperare salutem. — Væ victis, proverb. V. VÆ. — b) Absolute. Liv. 3. 71. Romanos sibimetipsis victuros, non ut decemvirorum victores præmium essent. Lucan. 9. 644. Amphitryoniades vidit, quum vinceret, Hydram. Id. 1. 145. et 366. vincere bello. Val. Max. 7. 3. 7. Fabius Maximus, cujus, non dimicare, vincere fuit. — In hoc signo vinces, formula, quæ et proprie initio et postea translate adhibita est. Cf. De-Rossi De tit. Carthag. apud cl. Pitra Spic. Solesm. T. 4. p. 518. et seq. et in Bullett. Crist. a. 1875. p. 80. et seqq. — Vincas, item brevius, in nummo apud Eckhel D. N. V. T. 8. p. 297. Cf. NICA. — Passive. Cic. 15. Fam. 5. Ut ipsum vinci contemnerent. Seneca Phœniss. 401. Id bellum gerere cupitis, in quo est optimum vinci.

II.) Translate, seu latiore sensu juxta alios, valet quocumque modo, cuicumque superiorem esse: et occurrit cum Acc. aut absolute, sive de personis sive de rebus. ¶ 1. Generatim. — a) Universim de animantibus atque inanimis. — α) Cum Acc. Plaut. Trin. 2. 2. 29. Si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas. h. e. cupiditates coercuisti. Cic. 3. Cat. 12. Mihi vivendum est cum illis, quos vici ac subegi. Id. Parad. 4. 1. Sapientis animus, virtutibus omnibus sæptus, vincetur et expugnabitur? Seneca Octav. 221. Graves dolores vincere Justin. 9. 8. 14. I-

ram dissimulare, plerumque etiam vincere. *Cic.* 6. *Verr.* 50. *extr.* Qui indignitate servos, temeritate fugitivos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit. *Id.* 1. *Orat.* 14. *ad fin.* Vincere ceteros eloquentia. *Nepos Alcib.* 11. omnes parsimonia. *et Eumen.* 1. omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii. *Cic. Dejot.* 4. *sub fin.* superiores gloria. *Id.* 1. *Off.* 20. *circa med.* Non est consentaneum, qui invictum se a labore præstiterit, vinci a voluptate. *Auct. B. G.* 8. 41. Labore atque operibus locorum vincere difficultates. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 5. cursu aliquem. *Propert.* 1. 9. 5. Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ Dicere, quos juvenes quæque puella domet. *h. e.* dicendo superent. *Horat.* 3. *Od.* 27. 36. Victus furore. *Id. Epod.* 17. 43. *et Liv.* 23. 8. patris precibus lacrimisque. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 48. Ira victa per preces. *Id.* 4. *Trist.* 8. 39. delictis clementia. *Id.* 6. *Fast.* 44. forma Idæo judice. *Id.* 9. *Met.* 164. malis patientia. *Id.* 2. *Amor.* 5. 12. Victa rea. *rea convinta.* *Id.* 3. *ibid.* 10. 29. Victus amore pudor. *Id.* 1. *Met.* 544. labore fugæ. *h. e.* lassitudine confectus. *Id.* 3. *Fast.* 19. Blanda quies victis furtim subrepit ocellis. *et* 1. *ibid.* 422. Corpora victa sopore. *Tac.* 1. *Ann.* 57. Filia Segestis neque victa in lacrimas neque etc. *h. e.* non eo usque demissa animo, ut lacrimas mitteret. *Id.* 4. *ibid.* 8. Senatum, victo gemitu, simul oratione continua erexit. *compresso.* et 11. *ibid.* 2. Victo silentio. *rotto.* *Id. Agric.* 1. Vincere ignorantiam. *h. e.* tollere. *Ovid.* 1. *Fast.* 676. Quernaque glans victa est utiliore cibo. *Id.* 1. *Trist.* 4. 12. Victa ratis. *scil.* vi maris et ventorum. *Id.* 2. *Fast.* 220. nix Zephyro victa fluit. *et* 1. *ibid.* 221. Æra dabant olim; melius nunc omen in auro est: Victaque concedit prisca moneta novæ. *Virg.* 1. *Æn.* 731. noctem flammis funalia vincunt. *Id.* 9. *Æn.* 92. ne naves turbine venti Vincantur. *Ovid.* 4. *Met.* 178. non illud opus (*rete æreum a Vulcano factum*) tenuissima vincant Stamina, non summo quæ pendet aranea tigno. *Id.* 3. *Amor.* 6. 42. Vincere gurgitibus flammam. *Sil. It.* 6. 390. campum turba vincente, propinqui Implentur colles. *h. e.* quum major turba esset, quam campi spatium. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (11). Hi casses (*linei*) vel ferri aciem vincunt. *Id.* 31. *ibid.* 6. 34. (67). Si plus quam sextarius salis *etc.* mergatur, vinci aquam salemque non liquari. — β) Part. *victus* cum Genet. *Virg.* 4. *G.* 490. Eurydicenque suam jam luce sub ipsa Immemor heu! victusque animi respexit. Ubi *Servius:* Sic hoc loco dixit, ut (12. *Æn.* 19.) O præstans animi juvenis. — γ) Et cum Infinito. *Sil. It.* 6. 141. Bagrada non *etc.* Victus limosas extendere latius undas. *Id. ibid.* 5. 552. vir nulli victus vel ponere castra Vel junxisse ratem duroque resolvere muros Ariete et in turrim subitos immittere pontes. — δ) Absolute. *App. Sent.* 176. *p.* 379. *Ribb.* Malo humilis vinci quam superbus vincere. — b) De ludentibus. *Vet. Poeta* apud *Sueton. Aug.* 70. *extr.* Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam. *August.* in *epist.* apud *Sueton. Aug.* 71. Ego perdidi XX. milia nummum: si *etc.* vicissem vel L. milia. — *Vincere sponsione* et *sponsionem* est quod Itali dicunt: *guadagnare la scommessa.* *Cic. Quinct.* 27. 84. Numquid est causæ, quin ego sponsione vicerim? *Id. Cæcin.* 31. *sub fin.* Ostendo eum vincere sponsionem si etc. *Alii leg.* sponsione. — c) De litigantibus, qui in judicio causam obtinent. *Ter. Phorm.* 1. 2. 83. Quum tu horum nihil refelles, vincam scilicet. *et ibid.* 85. Factum est: ventum est: vincimur. *Cic. Rosc. Com.* 18. 53. Vincere judicio. *Ovid. Heroid.* 16. 75. Vincere erant omnes dignæ; Judexque verebar, Non omnes causam vincere posse suam. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 134. Deprendi miserum est, Fabio vel judice vincam. *Apul. Florid.* 18. Aut enim vinco et judicio dimittor, aut vincor et pacto absolvor, ex quo non debeo mercedem, si hanc primam causam fuero penes judices victus: ita me omni modo liberat si vincor, conditio; si vinco, sententia. — d) De eo, qui voti compos factus est. *Propert.* 1. 8. 28. rumpantur iniqui. Vicimus: assiduas non tulit illa preces. *Ovid.* 6. *Met.* 513. Vicimus, exclamat. mecum mea vota feruntur. Adde 3. *Trist.* 9. 23. et *Cic.* 14. *Att.* 20. *a med.* Contra *Virg.* 9. *Ecl.* 5. Nunc victi, tristes etc. ubi *Servius:* voti impos, ἀκρατής, *victus;* at contra *victor*, qui voti compos. — e) In senatu *vincere* dicitur sententia, in quam omnes vel pars major eunt: item is, qui pro ea verba fecit. *Sall. Jug.* 19. Vicit tamen in senatu pars illa, qui vero pretium aut gratiam anteferebant. *Liv.* 2. 4. Quum in senatu vicisset sententia, quæ censebat reddenda bona. *Id.* 2. 30. Sed factione respectuque privatorum, quæ semper offecere publicis consiliis, Appius vicit. Cf. *Tac.* 12. *Ann.* 60. Quæ vicerant, publice valebant. ¶ 2. Speciatim *vincere* dicitur quicumque verbis quippiam probat, permovet, persuadet, evincit, *convincere, provare ad evidenza, far vedere.* — a) Cum Acc. *Quintil.* 1. *præf.* 3. Vincebat me non tam præstandi fiduciâ quam etc. — b) Cum Infinito. *Plaut. Amph.* 1. 1. 277. Vincon argumentis, te non esse Sosiam? *Cic. Cluent.* 44. *circa med.* Vince deinde, bonum virum fuisse Oppianicum, hominem integrum etc. *et ibid.* 23. *sub fin.* Si doceo, corruptum illud esse judicium non ab Avito, vinco ab Oppianico. *Matius* ad *Cic.* 11. *Fam.* 28. Perinde ac si jam vicerint, obitum ejus reipublicæ fuisse utilem. *et a med.* Id me cupere, dicendo vincere non possum. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 225. Vincet enim stultos ratio insanire nepotes. *Plaut. Most.* 1. 2. 12. Profecto ita esse, ut prædico, vero vincam. — c) Sequent. *ut* et Conjunctivo. *Id. Mil. glor.* 2. 2. 31. Ut eum, qui hic se vidit, vero vincat, ut ne viderit. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 115. Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet idemque Qui etc. *Id. Epod.* 17. 27. Ergo negatum vincor ut credam miser, Sabella pectus increpare carmina. *sono convinto e costretto a credere quel che negai, che etc.* ¶ 3. *Vincere aliquid verbis* est etiam æquare dicendo, explicare, exprimere, *significar bene:* aliis tamen est idem ac vincere, persuadere. *Virg.* 3. *G.* 289. Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quam sit et angustis hunc addere rebus honorem. ¶ 4. *Vincere opinionem, exspectationem,* dicitur, qui plus præstat, quam putabatur, sperabatur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 1. Opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat. *Id.* 7. *Verr.* 5. 11. Exspectate facinus quam vultis improbum, vincam tamen exspectationem omnium. — *Vincere se,* eod. sensu. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 532. Cf. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. *init.* Ipsa se vincente natura. — Alio sensu. *App. Sent.* 192. *p.* 381. *Ribb.* Se vincere ipsum longe est difficillimum. ¶ 5. *Vince, viceris,* formulæ irati et cum stomacho concedentis. *Ter. Andr.* 5. 3. 19. Adducti qui illam civem hinc dicant: viceris. Ubi *Donat.* Verbum est ejus, qui vix sibi extorquet, ut abjiciat curam: et proprium patribus ac familiare iratis. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Vincite, si ita vultis. *abbiatevela vinta.* Sic *Sueton. Cæs.* 1. *sub fin.* Vincerent ac sibi haberent, dummodo scirent etc. ¶ 6. Dicitur de eo, qui a proposito recedit. *Virg.* 2. *Æn.* 699. Hic vero victus genitor se tollit ad auras. *Servius.* ¶ 7. Item de iis, quæ diu durant et temporis injurias veluti superant. *Id.* 2. *G.* 297. *de æsculo.* immota manet multosque nepotes Multa virum volvens durando sæcula vincit. *Id.* 11. *Æn.* 160. Contra ego vivendo vici mea fata, superstes Restarem ut genitor. ¶ 8. Pro ascendere, superare, *sormontare.* *Martial.* 5. 22. Alta Suburani vincenda est semita clivi. *Claudian. III. cons. Honor.* 46. ascensu vincere montes. *Virg.* 2. *G.* 123. ubi aera vincere summum Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ. ¶ 9. Et domare igni, mollire, coquere aut concoquere, *cuocere o digerire.* *Id.* 3. *ibid.* 559. nec viscera quisquam (*corrupta morbo*) Aut undis adolere potest aut vincere flamma. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 118. (283). Pervigilio præcipue vincuntur cibi. ¶ 10. Item flectere, *piegare, guadagnare.* *Horat.* 1. *Sat.* 9. 55. Expugnabis (*Mæcenatem*) et est qui vinci possit; eoque difficiles aditus primos habet.

VINCŎLUM. *V.* VINCULUM.

VINCTIM, adverb. (vincio) conjunctim. *Favon.* in *Somn. Scip. p.* 411. 21. *Bait.*

VINCTĬO, ōnis, f. 3. (vincio) actus vinciendi, ligatio, vinctura, δέσις. ¶ 1. Universim. *Varro* 5. *L. L.* 62. *Müll.* Horum vinctionis vis Venus. Adde *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. et *Amic.* 7. 23., ubi tamen rectius alii aliter leg. *Arnob.* 2. *p.* 87. Quando animæ corporibus alligatæ? quis auctor vinctionis istius? *et* 6. *p.* 203. Vinctionis vi colligati. — Concreto, ut ajunt, sensu. *Tertull. Car. Chr.* 4. Infans pannis dirigitur, vinctionibus formatur. *Arnob.* 6. *p.* 203. Vinctiones plumbeæ. *impiobature.* ¶ 2. In re medica et chirurgica. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. 138. Vinctiones atque tormenta efficere.

VINCTOR, ōris, m. 3. (vincio) qui ligat, *chi lega.* *Arnob.* 6. *p.* 199. Quum Phidias Jovem, quem fecerat, sciret, aurum fuisse, lapides atque ossa informia seque horum omnium congregatorem atque vinctorem.

VINCTŪRA, æ, f. 1. (vincio) ligamentum, δέσις, δεσμός (It. *legatura;* Fr. *lien, bandage, ligament;* Hisp. *ligamento, ligadura;* Germ. *das Verband;* Angl. *a binding or tying*). ¶ 1. Universim. *Varro* 5. *L. L.* 62. *Müll.* Ipsa a vinctura dicitur vieri, id est vinciri. — In plur. num. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 68. (174). Salices pariunt virgas sequacis ad vincturas lentitiæ. ¶ 2. In re medica et chirurgica. *Cels.* 8. 10. *n.* 1. *a med.* Ea vinctura talis esse debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa visa sit; secundo laxior; tertio jam pæne resoluta. Adde eumd. 7. 20., ubi de vinctura agit, qua succurritur intestino in scrotum lapso laborantibus, *allacciatura.*

VINCTUS, a, um, particip. *V.* VINCIO.

VINCTUS, us, m. 4. (vincio) vinctura. In sexto casu sing. habet *Varro* 1. *R. R.* 8. *V.* CESTUS.

VINCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vinculo) actus vinciendi, vinculum. Legitur apud *Cassian.* 4. *Incarn.* 11.

VINCŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VINCŬLO, as, ātum, are, a. 1. (vinculum) Part. *Vinculatus.* — Vinculo est vinculis constringo, vincio. *Capell.* 1. *p.* 21. Huic (*Veneri*) rosis decussatim vinculatis sertata contextio. *h. e.* redimiculum; quam vocem vide suo loco. *Kopp* leg. *vinctis.* et *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. 108. Lumbrici mutuo amplexu vinculati. *Varro Sat. Menipp.* 86. *p.* 221. *Oehl.* Mihi facies mæandrata et vinculata. *Oehler* leg. *vermiculata.* *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 3. Multa animalia redimiculis gaudent et phalerari sibi magis quam vinculari videntur. Adde *Augustin. Ep.* 121. *n.* 17. — Hinc

*Vinculatus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, vinctus, *schiavo,* apud *Ambros.* in *Eccl. p.* 1051. *Mign.*

VINCŬLUM *et per syncop.* vinclum, i, n. 2. (vincio) Veteres *vincolum* per o quoque scribebant. V. *Ritschel* apud *Minervini* in *Bullett. arch. Nap.* a. 1858. *p.* 19. — *Vinclum,* syncop. pro *vinculum,* non soli poetæ usurparunt. *Cato R. R.* 41. Medias vites vinclis in terram defigito. *Cic.* 6. *Att.* 2. Dixerim, me vel plurima vincla tecum summæ conjunctionis optare, etsi sunt amoris artissima. Ita *Petr. Victor., Ald.* et *Verburg.* edidere; alii *vincula.* Adde *Cæs.* 3. *B. G.* 9., *Nepot. Paus.* 4., *Tac.* 15. *Ann.* 56. et rursus *Cic.* 5. *Verr.* 24. 59. et 3. *Legg.* 3. 6. et *Liv.* 2. 29., 4. 37. et *alibi* in plurim. MSS. Cf. de hac re *Osann* ad *Cic. De rep. p.* 17. — Vinculum est quidquid connectit et adstringit, ligamen, nodus, δεσμός (It. *legame, vincolo;* Fr. *lien, attache;* Hisp. *liga, atadura;* Germ. *das Band, der Strick, die Fessel;* Angl. *a bond, band, tie*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. *Colum.* 4. *R. R.* 29. *a med.* Vinculi genus ad insitionem non unum est: alii viminibus obstringunt; nonnulli circumdant libro fissuram; plurimi ligant junco. *Cic.* 1. *Orat.* 52. *ad fin.* Etiam si corpora capta sint armis aut constricta

vinculis. *Propert.* 3. 5. 24. Omnia detrito vincula fune cadunt. *Virg.* 1. *Æn.* 146. viro manicas atque arta levari Vincla jubet Priamus. *Id.* 5. *ibid.* 510. nodos et vincula rupit. *Id.* 1. *ibid.* 172. hic fessas non vincula naves Ulla tenent. et 2. *ibid.* 236. stuppea vincula collo (*equi*) Intendunt. *Ovid.* 3. *Fast.* 293. Vincula adhibere captis. *Propert.* 2. 22. 6. parare alicui. *Virg.* 6. *Ecl.* 19. injicere. et *ibid.* 23. nectere. *Id.* 4. *G.* 399. tendere. *Seneca Med.* 463. Vinculis onerare manus. *Ovid.* 8. *Met.* 332. Vincula adimere canibus. et *Tibull.* 4. 3. 14. Et demam celeri ferrea vincla cani. *h. e.* collare, copulam. *Id.* 2. 1. 28. Chio solvite vincla cado. *Id.* 1. 7. 44. Vincla pedum. *h. e.* compedes. Sic *Lucan.* 2. 72. vincula ferri Exedere senem longusque in carcere pædor. *Ovid.* 10. *Met.* 381. Aptare pallenti vincula collo. *un laccio.* et 2. *Fast.* 321. tunicarum vincla relaxat. *Id.* 9. *Met.* 77. summo digitorum vincula collo Injicit: angebar, ceu guttura forcipe pressus. *Id.* 4. *Trist.* 7. 7. Chartæ vincula demere. *aprire una lettera.* Claudebatur enim epistola cera et lino. Sic 3. *Pont.* 7. 5. Nostra quid apportet, jam nostis, epistola, quamvis Charta sit a vinclis non labefacta suis. *Nepos Pausan.* 4. Vincula epistolæ laxare. *Alii* vincla. *Vulg. interpr. Is.* 5. 18. Vinculum plaustri. *h. e.* crassus funis nectendo jugo aptum. Cf. *Hieronym.* in *h. l.* — *b*) De tegmine capitis, ut diademate, pileolo, calvatica, corona etc., his enim vinciuntur capilli. *Seneca Thyest.* 544. Imposita capiti vincla venerando gere. *Id. Med.* 70. Præcinges roseo tempora vinculo. et *ibid.* 752. more gentis vinculo solvens comam. — *c*) De calceo, socco, solea etc., quibus constringuntur pedes. *Virg.* 8. *Æn.* 458. Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis. *Tibull.* 1. 6. 30. Vinclaque de niveo detrahit ipse pede. *Ovid.* 5. *Fast.* 432. Surgit: habent gemini vincula nulla pedes. Adde 1. *ibid.* 410., 2. *ibid.* 326. et 3. *ibid.* 823. et 3. *Amor.* 1. 14. et 3. *Art. am.* 272. et 3. *Met.* 168. — *d*) Sæpe dicitur de iis, quibus noxii constringuntur in carcere: et tropice de ipso carcere, *ceppi, prigione.* *Cic.* 5. *Verr.* 24. 59. Mitto vincla, mitto carcerem, mitto verbera, mitto secures. *Id.* 4. *Cat.* 4. *a med.* Rumpere vincula. *Id.* 4. *Cat.* 5. *ad fin.* Æternis tenebris vinculisque mandare aliquem. *Cæs.* 4. *B. G.* 27. Conjicere in vincula. *Cic.* 6. *Verr.* 10. *sub fin.* Quem obtorta gula de convivio in vincula atque in tenebras abripi jussit. *Liv.* 5. 9. Ducere in vincula. *Nepos Pausan.* 2. Hos clam Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Ex vinculis causam dicere. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. Magistratus noxium civem multa, vinclis verberibusque coerceto. *et mox.* Vincula sontium servanto. *Liv.* 6. 16. Hæc dextra, qua Gallos fudi a delubris vestris, jam in vinculis et catenis erit?

II.) Translate elegantes habet usus. — *a*) Concreto, ut ajunt, sensu. *Cic.* 6. *Rep.* 14. 14. Qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere, evolaverunt. *Ovid.* 8. *Met.* 226. Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras. *Petron. De mut. reip. R.* 188. *Wernsd.* quadrupes undarum vincula rupit. *h. e.* glaciem. — *b*) Abstractorum more. *Cic. Cæcin.* 25. 70. Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit non modo judiciorum, sed etiam utilitatis vitæque communis. *Id.* 3. *Off.* 31. 111. Nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores artius esse voluerunt. *Id.* 2. *Fin.* 35. 117. Beneficium et gratia sunt vincula concordiæ. *Id. Planc.* 11. 27. Qui est cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis conjunctus. *Virg.* 7. *Æn.* 203. Saturni gentem haud vinclo nec legibus æquam. Sic *Lucan.* 5. 283. nec fas nec vincula juris Hoc audere vetant. *Virg.* 4. *Æn.* 16. Ne cui me vinclo vellem sociare jugali. *Propert.* 3. 13. 9. nec femina post te Ulla dedit collo dulcia vincla meo. *h. e.* amplexata me est. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 67. Excusare laborem et mercenaria vincla. *l'impegno mercenario.* et *Liv.* 10. 13. *in fin.* Plerisque dies dicta ab ædilibus, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent: vinculumque ingens immodicæ cupiditatis injectum est. *Id.* 8. 28. *ad fin.* Ingens vinculum fidei. et 10. 41. His vinculis fugæ obstricti stabant, civem magis, quam hostem timentes.

VINDĒMĬA, æ, f. 1. Scribitur *vendemia* pro *vindemia* in *Inscr.* apud *Mommsen n.* 3571. — Notationem exhibet *Varro* 5. *L. L.* 37. *Müll.* « Vitis a *vino*, id a *vi*; hinc *vindemia*, quod est *vinidemia* aut *vitidemia* ». et *ibid.* 18. Inde est vindemiator, vel quod vinum legere dicitur vel quod de viti dematur ». Est ergo vox contracta a *vinum* et *demo.* — Vindemia est collectio uvarum, τρυγητός (It. *vendemmia;* Fr. *vendange;* Hisp. *vendimia;* Germ. *die Weinabnahme;* Angl. *a vintage*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 54. In vinetis uva quum erit matura, vindemiam ita fieri oportet. *Plin.* 9. *Ep.* 20. Ipse quum maxime vindemias graciles quidem, uberiores tamen, quam exspectaveram, colligo. Adde *Sueton. Cæs.* 40. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (309). *Colum.* 11. *R. R.* 2. 67. Vindemiam facere. *Ulp. Dig. fr.* 4. *de fer.* 2. 12. Messium vindemiarumque tempus.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Improprie de aliarum rerum collectione, *raccolta.* *Plin.* 15. *Hist nat.* 1. 2. (5). Olearum vindemia. *Id.* 11. *ibid.* 14. 14. (et *Colum.* 9. *R. R.* 15.) mellis. *Id.* 12. *ibid.* 14. 32. (58). turis. ¶ 2. Tropice, nonnumquam, *vindemiæ* plur. num. usurpantur pro ipso vindemiæ tempore, ut etiam Itali *le vendemmie* dicunt. *M. Aurel.* ad *Front.* 5. *ad M. Cæs.* 23. Vindemias lætas quam firmissimo corpore agere te, mi magister, opto. *Id. ibid.* 47. Vindemiarum autem gratiam nunc demum integram sentiam, quum tua valetudo placatior esse nobis cœperit. ¶ 3. Item *vindemia* pro ipsis uvis. *Virg.* 2. *G.* 89. Non eadem arboribus pendet vindemia nostris. *Id. ibid.* 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *Ulp. Dig. fr.* 25. 19. 1. Pendentem vindemiam emere. *Vulg. interpr. Jer.* 40. 10. Colligere vindemiam. *Id. Mich.* 7. 1. Racemi vindemiæ. *Id. Is.* 24. 7. Luxit vindemia. ¶ 4. Item pro vino. *Varro* 2. *R. R. præf.* 3. et *Colum.* 1. *præf.* 20. ¶ 5. Figurate. *Tertull. Apol.* 35. Post vindemiam parricidarum. *h. e.* supplicium multorum parricidarum. Cf. RACEMATIO.

VINDĒMĬĀLĬA. *V.* voc. seq.

VINDĒMĬĀLIS, e, adject. (vindemia) ad vindemiam pertinens. *Macrob.* 7. *Saturn.* 7. *a med.* Vindemiales fructus. *Inscr.* apud *Murat.* 867. 8. escæ. *V.* ROSALIS. *Cod.* 3. 12. 2. feriæ. — Hinc

*Vindemialia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, ipsæ feriæ vindemiales. *Augustin.* 9. *Confess.* 2.

VINDĒMĬANS, antis, partic. *V.* VINDEMIO.

VINDĒMĬĀRĬUS. *V.* VINDEMIATORIUS.

VINDĒMĬĀTOR, ōris, m. 3. (vindemia) *Horat.* 1. *Sat.* 7. 30. vocales *ia* per synizesin in unam syllabam contrahit, coll. *ibid. v.* 34. Sic *dein, prout* et alia: vel *i* pro *j* usurpat per synæresin, ut ait *Forcellinus.* — Vindemiator est qui vindemiam peragit, *vendemmiatore,* τρυγητήρ.

I.) Proprie. *Horat. loc. cit.* durus Vindemiator et invictus, cui sæpe viator Cessisset etc. Adde *Varron. loc. cit.* in VINDEMIA, et etiam *Næv. trag.* 2. et *Senec. Apocol.* 2., apud quos tamen alii leg. *vindemitor.*

II.) Improprie *Vindemiator* est signum cœleste. Hic fuit Ampelus puer, filius Satyri et Nymphæ, natus in Ismaro monte Thraciæ, apud Hebrum fl. et Maroneam urbem, Baccho carissimus, cui Bacchus vitem tradidit. Quum uvas colligeret, ex ulmo decidit. Exstinctum Bacchus in cælum transtulit. Ita narrat *Ovid.* 3. *Fast.* a *v.* 407. Ἄμπελος Græce vitis est. De ejus ortu alii alia dicunt. Secundum *Ovidium loc. cit.* oritur III. Non. Martii: secundum *Colum.* 11. *R. R.* 2. 24. apparet VI. Non. Mart., at *n.* 58. dicitur exoriri VII. vel VI. Cal. Sept.: secundum *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (309). exit XI. Cal. Sept., sed Ægypto Nonis. *V.* PROVINDEMIATOR et VINDEMITOR. Non tamen solum apud *Ovid.*, sed etiam apud *Colum.* et *Plin.* alii leg. *vindemiator.*

VINDĒMĬĀTŌRĬUS, a, um, adject. (vindemiator) ad vindemiam pertinens, τρυγητικός. *Varro* 3. *R. R.* 2. *ante med.* Nihilo magis ibi se vidisse torcula vasa vindemiatoria aut serias olearias aut trapetas. *Ursino* videtur *vindemiatoria* insiticium; alii vero leg. *vindemiaria:* sed *vindemiatoria* tenendum est. Ceterum locus *Varronis* firmatur *Ulp. Dig.* 33. 7. 8.

VINDĒMĬĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VINDĒMĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vindemia) Part. *Vindemians* I. *b* et II. 1.; *Vindemiatus* I. *a; Vindemiaturus* I. *b.* — Vindemio est uvas colligo, τρυγάω (It. *vendemmiare;* Fr. *vendanger;* Hisp. *vendimiar;* Germ. *weinleschalten;* Angl. *to gather grapes, vindemiate*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Acc. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (30). Vindemiare uvas. *Colum.* vero 12. *R. R.* 33. vinum. *Vulg. interpr. apocr.* 4. *Esdr.* 16. 31. Sicut in vinea vindemiata racemi relinquuntur. — *De rubo vindemiare uvam,* prov. apud *Vulg. interpr. Luc.* 6. 44. de re, quæ fieri nequit; fructus enim rubi subsimilis est uvæ botro. — *b*) Absolute. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (319). Sed jam et Calendis Januarii, defectu vasorum, vindemiantes vidi. Adde *Arnob.* 7. 34. et *Salvian.* 7. *D. gub.* 9. *Vulg. interpr. apocr.* 4. *Esdr.* 16. 44. Qui vineam putat, quasi non vindemiaturus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (116). Venantes aut etiam vindemiantes sunt in ejus (*picturis*) exemplaribus.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Improprie dicitur de aliis rebus. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 7. 27. Vindemiantes arbusta. ¶ 2. Translate. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 1. Seminibus pietatis utilissimum vindemiavit fructum. Adde *Vulg. interpr. Thren.* 1. 22.

VINDĒMĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* a vindemia, parva vindemia; et translate dicitur de fructu studiorum. *Cic.* 1. *Att.* 10. *a med.* Ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem.

VINDĒMĪTOR, ōris, m. 3. idem ac vindemiator. *Seneca Apocoloc. post init.* visoque senescere Baccho, Carpebat raras serus vindemitor uvas. — De signo cælesti. *Ovid.* 3. *Fast.* 405. Bootes Mergetur, visus effugietque tuos. At non effugiet Vindemitor. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (309). Stella, quæ Vindemitor appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens. *V.* VINDEMIATOR.

VINDEX, icis, m. et f. (vindico) Scribitur et *vindis* in *Orth. Bern.* III. *p.* 299. *Hag.* — Vindex duo præcipue significat: scil.

I.) Est qui vindicat seu punit, ultor vel ultrix injuriæ, *vendicatore, vindice,* τιμωρός, ἔκδικος. — *a*) De personis: et quidem absolute vel cum Genetivo. *Cic.* 5. *Fam.* 6. Sed partim odio inducti me excludunt et aperte vindicem conjurationis oderunt. *Id.* 3. *Nat. D.* 18. *a med.* Furiæ deæ sunt, speculatrices, credo et vindices facinorum et sceleris. *Id.* 2. *leg. Agr.* 9. *extr.* Timebat, ne, si accepta lex esset, illum sibi collegam adscriberetis, custodem ac vindicem cupiditatum. *h. e.* punitorem avaritiæ. *Sall. Cat.* 58. Vindices rerum capitalium. *Ovid.* 5. *Met.* 237. vindex ultorque parentis. *Albinov.* 1. 185. Jura silent mutæque tacent sine vindice leges. *h. e.* sine eo, qui violantes puniat. *Stat.* 1. *Theb.* 80. Tu saltem (*Tisiphone*) debita vindex Huc ades et totos in pœnam ordire nepotes. — Jopulariter *Sueton. Ner.* 45. Galli crebro vindicem poscebant. *h. e.* C. Julium Vindicem, qui Galliæ rebellionem fecerat contra Neronem. — De Deo vindice. *Paulin. Nolan.* 23. 238. Cf. *Alcim.* 4. 353. — *b*) De rebus. *Catull.* 64. 192. facta multantes vindice pœna Eumenides. *Ovid.* 1. *Met.* 230. vindice flamma In domino dignos everti tecta Penates.

II.) Est etiam qui vindicat seu defendit, assertor, *vendicatore, difensore.* ¶ 1. Generatim. — *a*) De personis: et quidem absolute vel cum Genetivo. *Boeth.* in *Top. Cic. p.* 773. Vindex

est, qui alterius causam suscipit vindicandam, veluti quos nunc procuratores vocamus. *Cic.* 2. *Att.* 1. *ad fin.* Nisi quod me illum ipsum vindicem æris alieni, ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt. *h. e.* defensorem et servatorem creditorum adversus Catilinam et alios conjuratos, qui æs alienum solvi nolebant. *Id.* 3. *Legg.* 17. 39. Habeat sane populus tabellam quasi vindicem libertatis. *Horat. Art. P.* 191. Nec deus intersit (*in fabula*), nisi dignus vindice nodus inciderit. *h. e.* solutore et quasi liberatore rei adeo involutæ, ut ope humana bonus exitus inveniri non possit. — *Vindex terræ* vocatur Hercules ab *Ovid.* 9. *Met.* 241., quia illam purgavit a monstris. — *Vindex honorum* dicitur a *Plauto* is, qui aliorum honores contaminat, violat ac tollit. Hæc autem locutio ducta est ab iis, qui aliquid vindicant et suum asserunt proindeque alteri auferunt, *Trin.* 3. 2. 16. Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui, Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes; Atque honori posterorum tuorum vindex ut fieres? *V.* quæ ad *h. l.* disputat *Ritschelius Proleg. p.* 324. — *Vindex belli,* qui bellum sibi vindicat. *Vellej.* 2. 25. 1. Non belli vindex, sed pacis auctor. — *b*) De rebus: et quidem adjective vel per appositionem. *Ovid. Heroid.* 9. 13. vindicibus pacatus viribus orbis. Adde *Liv.* 3. 56. et *Cod. Theod.* 3. 11. 1. § 1. ¶ 2. Speciatim est custos. *Justin.* 17. 3. *in fin.* Pyrrhus, filia Ptolemæi in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit, ne, abducta in Italiam juventute, prædam hostibus regnum relinqueret. *Seneca Hippol.* 261. Castitatis vindicem armemus manum. ¶ 3. Item *vindex* appellatus est, qui, quum cuipiam esset injecta manus, ut ad prætorem judicemve duceretur, eum liberabat. *Fest. p.* 376. 11. *Müll.* Vindex ab eo, quod vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur. In *Leg. XII. Tab.* apud *Gell.* 16. 10. Assiduo vindex assiduus esto: proletario cui qui volet, vindex esto. *h. e.* homini assiduo sive locupleti solum locupletem fieri posse vindicem seu sponsorem; at proletario ac nullius classis homini, quisquis velit, hoc est non locupletem tantum, utpote meliorem, sed etiam proletarium tamquam parem. Hæc interpretatio colligitur ex *Festo* apud *Paul. Diac.* in voce *Adsiduus p.* 9. 9. *Müll.* et *Gell. loc. cit.* — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

Homonym. Teste *Isid. Diff.* 179., inter *ultorem* et *vindicem* discrimen ex hoc est, quod *ulciscimur* acceptâ injuriâ, *vindicamus,* ne accipiamus: vel ea ita differunt, ut *vindicta* et *ultio;* illa namque est actus justitiæ et pœna, hæc actus iracundiæ. Hinc *Vellej.* 2. 7. 6. Visa ultio privato odio magis quam publicæ vindictæ data. Cf. itaque *Ovid.* 5. *Met.* 237. vindex ultorque parentis. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 12. et *Liv.* 2. 11.

VINDĬCANS, antis, particip. *V.* VINDICO.

VINDĬCĀTĬO et vendicatio, ōnis, f. 3. (vindico) duo diversa significat. Nam

I.) *Vindicatio* est actus vindicandi seu ulciscendi, ἐκδίκησις (It. *vendetta;* Fr. *vengeance, punition;* Hisp. *venganza, punicion;* Germ. *das Rächen, die Abwehr, die Beschützung;* Angl. *an avenging, punishing*). *Cic.* 2. *Invent.* 22. 66. Vindicatio est, per quam vim et contumeliam, defendendo aut ulciscendo propulsamus a nobis et a nostris, qui nobis esse cari debent: et per quam peccata punimus. *et ibid.* 53. *sub fin.* Vindicatio est, per quam vis et injuria et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur.

II.) *Vindicatio* est etiam apud JCtos assertio alicujus rei et probatio, qua ostenditur, rem illam esse ejus, a quo asseritur, *pretesa su qualche cosa.* ¶ 1. Proprie. *Ulp. Dig.* 44. 7. 24. Actionum duo sunt genera, in rem, quæ dicitur vindicatio; et in personam, quæ condictio appellatur. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 88. Qui intestatorum civium suorum concessam vindicationem bonorum affirmant. *l' appropriarsi.* Huc pertinet in *Dig.* 6. *tit.* 1., qui *de rei vindicatione* inscribitur. — *Per vindicationem,* sollemnis formula legatorum, qua in legatarium confertur ipsum jus vindicandæ rei legatæ. *Ulp. Dig.* 24. 2. *seqq.* ¶ 2. Hinc translate est usurpatio. *Apul. Herb. præf.* Dicimus, medicorum omnes ferme vindicationes potius esse, quam curas: hos etiam homines inertia plerumque et imperitia enixos, certe lucripetas veros nuncupari, qui etiam a mortuis mercedem expetunt per occasionem. *V.* VINDICO.

VINDĬCĀTOR, ōris, m. 3. (vindico) qui vindicat, vindex, ultor. *Vulg. interpr. Ital. Ps.* 8. 4. Inimicus et vindicator. Adde *Augustin.* in *Ps.* 102. *n.* 14. in *l. c. Charis. p.* 50. 4. *K.* Ab eo quod est vindico, vindicator, vindicatrix.

VINDĬCĀTRIX, trīcis, f. 3. *V.* in voc. præc.

VINDĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* VINDICO.

VINDĬCĬA, æ, *et sæpius in plur. num.*

VINDĬCĬÆ, ārum, f. 1. (vindico) *Vendicia* pro *vindicia* in *Gloss. Labb.* 191. — *Vindicia,* sing. num., apud *Gell.* et *Fest. loc.* infra *cit.* et *Ser. Sulpic.* apud *eumd. ibid.* — Vindiciæ ¶ 1. Abstractorum more, sunt sententiæ sive assertiones seu adjudicationes, quæ a prætore fiunt de re aliqua, de qua controversia est. Nam lis vindiciarum ea dicitur, qua controversæ rei possessionem petimus, non quidem justam et absolutam, sed fiduciariam et veluti depositariam rei et fructibus reddendis obnoxiam, dum lis de re ipsa aut de possessione ejus disceptatur. Nam quum de re aliqua inter duos aut plures apud prætorem controversia est, et incertum est, uter litigatorum, pendente lite, rei controversæ possessor esse debeat, uterque a prætore vindicias postulat, h. e. ejus rei possessionem. Dat autem judex, cui æquum esse videatur. Ille, cui dederit, satisdat adversario suo, se nihil in re, de qua lis est, deterius facturum: adversarius vero pollicetur certam pecuniam aut æstimationem, quam amittat, nisi ea res, de qua contendit, sua sit. Ita *Ascon.* ad illud *Cic.* 3. *Verr.* 45. Aut prædes litis vindiciarum quum satis accepisset, sponsionem faceret. *Alii leg.* pro præde. *Id. Mil.* 27. *circa med.* Qui non calumnia litium, non injustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat. — *Vindiciæ secundum libertatem* dicuntur, quæ sunt a servitute in libertatem: *vindiciæ secundum servitutem,* quæ sunt a libertate in servitutem. Unde prætor dicitur decernere vindicias secundum libertatem, quando aliquem in libertatem asserit: inde dicitur dare vindicias secundum servitutem, quando pronuntiat, eum servi loco habendum, donec, dicta causa, de statu constiterit. Igitur utræque vindiciæ proprie dantur, pendente lite. *Liv.* 3. 44. Neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias. *et infra.* Lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem. *et ibid.* 47. Decresse vindicias secundum servitutem. *Id. ibid.* 57. Proinde ut ille iterum ac sæpius provocet, sic se iterum ac sæpius judicem illi ferre, ni (*Appius*) vindicias ab libertate in servitutem dederit. *h. e.* a libertate in servitutem duci decreverit. — *Vindicias dicere,* est vindicias pronuntiare de re aliqua controversa. *Id. ibid.* 56. *de eodem Appio.* Vox una vindex libertatis ex eo missa ore, quo vindiciæ nuper ab libertate dictæ erant. *Cato* apud *Fest. p.* 376. 20. *Müll.* Prætores secundum populum vindicias dicunt. — *Vindicias ferre,* est sententia decretoque obtinere rem. Dicebat enim vindicias judex, ferebat vindicias, qui rem obtinebat. *Lex XII. Tab.* apud *Festum loc. cit.* Si vindiciam falsam tulit rei sive litis. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, ipsæ res, quarum possessio per vindicias petitur, vindiciæ dicebantur, ut habet *Ser. Sulpic.* apud *Fest. loc. cit.* Hinc vindiciæ etiam appellabantur glebæ, quæ ex fundo sumptæ in jus afferebantur, ut in iis, velut in ipso fundo, vindicias prætor daret. *Cincius ibid.* ¶ 3. *Gell.* 20. 10., exponens illud *Ennii,* Non ex jure manum consertum etc. hæc habet: Vindiciæ, id est correptio manus in re atque in loco præsenti, apud prætorem ex duodecim Tabulis fiebat: in quibus ita scriptum est: Si qui in jure manum conserunt etc.

VINDĬCĬUM, ĭi, n. 2. (vindico) defensio ab injuria, oppressi tutatio. *Inscr.* apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *p.* 33. *ed. Mediol.* POSTVMIO IVLIANO C. M. V. (*h. e.* clarissimæ memoriæ viro) DIGNISSIMO PATRONO CVIVS OMNES REQVISIVIMVS DEFENSIONEM ET VINDICIVM STATVAM ERIGENDAM CENSVIMVS etc. Hæc *Inscr.* pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXXVI. Cf. *Orelli Inscr. n.* 4360., *Foggini Fast. p.* 7. et *Petrini,* qui *Prænest. p.* 320. vidit et paullo emendatiorem protulit. *Gloss. Philox.* Ἐκδίκησις, defensio, vindicium.

VINDĬCO et vendico, as, āvi, ātum, are, a. 1. Vulgo etiam *vendico* scribitur: immo multi duo verba distinguunt, *vindico* et *vendico,* et origine differre volunt: nempe, ut judico *Varroni* 6. *L. L.* 61. *Müll.* est a *jus* et *dico,* ita vindico esse a *vim* et *dico,* sed vendico esse a *venum,* unde et *veneo* ac *venundo* eoque vendicare proprie dici de dominio, quod emptione nobis acquirimus. Nos semper *vindico* dicendum censemus, quomodo et ea vox scribitur in Pandectis Florentinis et lapidibus antiquis, quos affert *Manut.* in *Orthogr.* — Etiam *vindicit,* tertiæ conjug., in *Leg. XII. Tab.* III. 3. *Schoell* apud *Gell.* 20. 1. In jus ducito, ni judicatum facit aut quis endo em jure vindicit. h. e. *eum endo jure,* eum in jure. Ubi « *vindicit,* inquit cl. *Furlanetto,* pro *vindicarit* per syncop., ut *verberit* pro *verberarit* in *Leg. Servii Tull.* apud *Fest.* in *Plorare* ». Tribuitur et *Lucret.* 3. 895. Ipse sui miseret neque enim se vindicit hilum. Ubi tamen alii leg. *vindicat;* alii aliter. V. *Lachm.* ad *h. l. p.* 189. — Part. *Vindicans* sub *B* 1. *a; Vindicatus* sub *A* I. 1. *a,* b et 2. et II.; *B* 1. *a,* c et 2.; *Vindicaturus* sub *B* 3.; *Vindicandus* sub *A* I. 1. *a; B* 1. *a* et 4. — Vindico duo præcipue significat, teste *Diomed.* 1. *p.* 361. *Putsch.* Hoc verbum non pro defendo veteres dicebant, sed pro animadverto et punio, ut Sallustius (*Jug.* 36.): Nisi vindicatum fuerit in noxios. et in Catilina (*ibid.* 9.): Vindicatum in eos, qui contra imperium pugnaverant. Itaque

*A) Vindico* est punio, τιμωρέω (It. *castigare, punire;* Fr. *venger, punir, châtier;* Hisp. *vengar, punir;* Germ. *rächen, strafen, ahnden, bestrafen;* Angl. *to punish, chastise*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Acc. *Cic.* 1. *Fam.* 9. Vindicare seditionem. *et Rosc. Am.* 5. 12. acerrime maleficia. *et Quinct.* 7. *a med.* vehementer injuriam. *Justin.* 21. 4. 4. scelus. *Tac.* 3. *Ann.* 12. facinus. — Passive. *Cic. Amic.* 12. *ad fin.* Improborum consensio omni supplicio vindicanda est. *Id.* 5. *Verr.* 84. 194. Improbum facinus nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum. *Id.* 3. *Off.* 15. 61. Dolus malus etiam legibus erat vindicatus. *Seneca Hippol.* 1187. Vindicatus torus. *scil.* punito adultero. — *b*) Cum Acc. et præp. *in.* Cf. ANIMADVERTO. *Cic.* 7. *Verr.* 50. *extr.* Fateor, non modo in socios, sed etiam in cives persæpe esse severe ac vehementer vindicatum. *Cæs.* 3. *B. G.* 16. In quos eo gravius Cæsar vindicandum statuit. Adde *Sall. Cat.* 9. et *Jug.* 31. — *c*) Absolute. *Sall. Jug.* 30. Populum hortari ad vindicandum. ¶ 2. Speciatim est ulcisci, vindictam sumere, *vendicare, vendicarsi.* — *a*) Cum Acc. *Ovid.* 6. *Fast.* 468. Quique necem Crassi vindicet, ultor erit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (123). Scipionis nemo vindicaverat mortem. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 40. Quod non offensas vindicet (*Cæsar*) ense suas. *Tac.* 2. *Ann.* 71. *a med.* Flebunt Germanicum etiam ignoti, vindicabitis vos, si me potius, quam fortunam meam fovebatis. *Justin.* 3. 1. *extr.* Vindicare cædem patris. — Passive. *Martial.* 2. 83. Credis, te satis esse vindicatum? — *b*) Cum addito Abl. et præp. *ab, in, de. Seneca* 6. *Benef.* 5. *a med.* Quum idem homo beneficium mihi dedit et postea fecit injuriam, utrum et beneficium illi reddere debeam et me ab illo nihilominus vindicare. *Cic.* 5. *Verr.* 9. 4. Omnia, quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. *Plin.* 4. *Ep.* 11. *ad fin.* In Sicilia profitetur seque de fortuna præfationibus vindicat.

II.) Translate accipitur pro sibi assumere, sed

cujuspiam jus ac dominium ad se trahere, asserere, attribuere, *usurparsi, attribuire, far suo*, ἰδιοποιεῖσθαι, ἀντιλαμβάνειν. — a) Cum Acc. *Cic.* 1. *Off.* 1. *a med.* Quod est oratoris proprium, si id mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare. *et ibid.* 7. 22. Non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria vindicat. *Id. Arch.* 8. *sub fin.* Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant. *Curt.* 3. 12. *a med.* Libertatis in admonendo eo non alius jus habebat: quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur. *h. e.* assumptum, adscitum sibique attributum. — b) Cum addito Dat. vel Acc. et præp. *ad. Tac. Agric.* 27. Iniquissima hæc bellorum conditio est; prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. *Plin.* 10. *Ep.* 3. Inter amicos sibi vel præcipuum locum vindicat Voconius. *Justin.* 3. 2. 5. Vindicare sibi regnum. *Id.* 14. 5. 2. Abutens valetudine viri, cujus officia sibi vindicabat. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 19. 34. (112). Africa Punicum malum sibi vindicat. *Id.* 24. *ibid.* 17. 101. (159). Hoc volumen Pythagoræ fama antiquitasque vindicant. *Liv.* 9. 43. Decus belli ad se vindicare. *Id.* 44. 14. *a med.* Victoriæ majore parte ad se vindicata. — c) Cum Infinito. *Lucan.* 8. 675. Vindicat hoc Pharius dextra gestare satelles.

*B) Vindico* est etiam defendo ab injuria, libero, eripio, assero, ἀπαλλάττω (It. *mettere in libertà, sottrarre, liberare, esimere*; Fr. *defendre, affranchir, mettre en liberté, délivrer, exempter*; Hisp. *defendar, franquear, libertar, eximir*; Germ. *beschützen, freimachen, befreien*; Angl. *to defend, preserve, vindicate, free*). ¶ 1. Generatim. — a) Cum Acc., cui additur Abl. et præp. *ab. Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. *a med.* Præstare nihil debeo teque item ab eo vindico et libero. *Id. Rabir. perduell.* 5. *a med.* An servos nostros horum suppliciorum metu dominorum benignitas una vindicta liberabit; nos a verberibus, ab unco, a crucis terrore neque res gestæ neque acta ætas neque nostri honores vindicabunt? *Id. Brut.* 96. 329. Illum videtur felicitas ipsius ab eis miseriis morte vindicasse. *Auct. B. Alex.* 46. *extr.* Naves, quas casus ab illo periculo vindicavit. *Cic.* 2. *Orat.* 2. 7. Laudem summorum oratorum ab oblivione hominum atque a silentio vindicare. *et* 1. *ibid.* 45. *a med.* Domum suam vindicare a solitudine. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. 2. Te innocentia tua et misericordia hominum vindicat a molestia. *Id. Sull.* 9. 26. Neque ætatis excusatio vindicat a labore. *h. e.* immunem reddit. *Id.* 1. *Fin.* 14. 46. Sapientia sola nos a libidinum impetu et formidinum terrore vindicat. *Vellej.* 2. 126. *sub fin.* Vindicatæ ab injuriis provinciæ. — Huc et illa pertinent. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (98). Sal corpora a putrescendo vindicans. *preservante. et* 17. *ibid.* 19. 31. (140). Hieme cumulis (*terræ*) a gelu (*radices*) vindicant. *et* 15. *ibid.* 7. 7. *in fin.* Vetus oleum ebori vindicando a carie utile est. *Id.* 28. *ibid.* 11. 46. (164). Vindicare capillum a canitie. — b) vel Abl. sine præp. *Varro Sat. Menipp.* 7. *p.* 95. *Oehl.* Me suis mystagogis vindicassent. — c) Absolute. *Cic. Rabir. Post.* 9. 25. Perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos vindicaret. *h. e.* a damnis fortunarum suarum se liberaret et ad suos indemnem se reciperet. *Grævius* mallet legi *et suos vindicaret*. Adde *Curt.* 3. 4. 5. *Vellej.* 2. 120. *a med.* Vivi ab eo vindicati. *et ibid.* 73. *extr.* Vindicatum armis mare. *Plin.* 4. *Ep.* 9. Tandem absolutus vindicatusque est. ¶ 2. Speciatim *vindicari* dicitur, qui vindicias fert alicujus rei, h. e. possessionem obtinet, quam aliquis eripere judicio volebat. *V.* VINDICIÆ. *Liv.* 3. 46. Se a M. Claudio petiturum, ut decederet jure suo vindicarique puellam in posterum diem pateretur. *et infra.* Ita vindicatur puella spondentibus propinquis. ¶ 3. *Vindicare in libertatem*, a servitute eximere et in libertatem asserere. *Cæs.* 1. *B. C.* 22. *ad fin.* Ut se et populum R. paucorum factione oppressum in libertatem vindicaret. *Cic.* 2. *Fam.* 5. *extr.* Qui sit rempublicam afflictam et oppressam in veterem dignitatem ac libertatem vindicaturus. Adde *Brut.* 58. *a med.* In illo *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 31. *a med.* Qui et me et rempublicam in libertatem vindicare paratus sum. *in libertate* alii leg. Adde *August. Mon. Ancyr. tab.* 1. ¶ 4. *Vindicare libertatem* est oppressam asserere, amissam recipere. *Cæs.* 7. *B. G.* 76. Tanta universæ Galliæ consensio fuit libertatis vindicandæ, ut etc. ¶ 5. *Vindicare* est etiam ablata restituere. *Ovid.* 2. *Met.* 523. de *Calypso.* Vindicet (*Juppiter*) antiquam faciem etc.

Homonym. Discrimen inter *vindico* et *ulciscor* V. sub VINDEX.

VINDICTA, æ, f. 1. (vindico) duo præcipue significat. Cf. voc. præc. ¶ 1. Est ultio vel animadversio pro delicto, vindicatio, *vendetta, castigo*, ἐκδίκησις, τιμωρία. *Juvenal.* 13. 180. At vindicta bonum jucundius ipsa. *et ibid.* 191. vindicta nemo magis gaudet, quam femina. *et* 16. 22. ut sit vindicta gravior, quam injuria. Adde *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (18). *Tac.* 6. *Ann.* 32. *Petron. Sat.* 136. et *Phædr.* 1. 29. — *Varro* 3. *R. R.* 9. *a med.* Gallinas (*saginandas*) includunt in locum tepidum et angustum et tenebricosum, quod motus earum et lux pinguitudini vindicta. Alii leg. *inimica* pro *vindicta*: alii *pinguitudinis vindicta*. h. e. noxa, detrimentum; nam *vindicta* ultio et pœna est. Ita quidam exponunt: alii paullo aliter, *h. e.* lux est detractio et deminutio pinguitudinis; nam *vindicta* apud veteres fuit ἀφαίρεσις et ἐξαίρεσις, et vindicare ἀφελεῖν, ἐξαιλεῖν, quia qui sibi vindicat, alteri adimit: sed *vindicare* hoc sensu negant alii usurpari. V. *Turneb. l.* 19. *c.* 28. *Scalig.* ad *Varron.* et *Gronov. observat. l.* 4. *c.* 3. ¶ 2. Est etiam sæpe defensio, assertio. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 33. Quum tibi suscepta est legis vindicta severæ. Alii aliter interpr. *Vellej.* 2. 64. 1. *ad fin.* Utrique vindicta libertatis morte stetit. Cf. *Liv.* 2. 5. et *Cod. Theod.* 1. 5. 9. ¶ 3. Hinc *vindicta* dicebatur virgula quædam, quam lictor manumittendi servi capiti imponens, eumdem servum in libertatem vindicabat, dicens quædam verba sollemnia. Nam libertatem donandi tres sunt species. Una, quum quis servus, consentiente populo vel jubente domino, nomen detulisset in censum; tunc enim civis Romanus fiebat, et servitutis vinculo solvebatur. Altera per virgam, quæ *vindicta* vocabatur, quum prætoris urbani jussu lictor manumittendi servi capiti virgam imponens, eumdem in libertatem vindicabat, dicens quædam verba sollemnia. Tertia, si quis suprema voluntate in testamenti serie servum liberum scripsisset. Vindictæ rationem intulisse fertur P. Valerius Poplicola, quum ad populum tulisset de præmiis Vindicis servi, qui patefecit nobilium adulescentum de reducendo Tarquinio conjurationem: qua lege Vindex et libertate et civitate donatus est. Hinc *Liv. loc. cit.* Secundum pœnam nocentium, ut in utramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmium indici pecunia ex ærario, libertas et civitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus. Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindicio ipsi nomen fuisse. Post illum observatum, ut, qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur. Hæc *Liv.* Quo loco pro *Vindicio* legendum *Vindici*, ut ex *Plutarcho* in *Problem.* et *Dionys. Halic. l.* 5. constat. Verba sollemnia ex *Constantino Harmenopulo* hæc erant: *Profitemur, hunc præsentem hominem esse liberum et civem Romanum.* Φαμὲν, τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον, καὶ πολίτην Ῥωμαῖον. Hæc potestas primo consulum fuit, post ab iis ad prætorem urbanum est translata. *Cic. Top.* 2. *sub fin.* Si neque censu neque vindicta nec testamento liber factus est, non est liber. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 76. quem ter vindicta quaterque imposita haud umquam misera formidine privet. *Pers.* 5. 88. Vindicta postquam meus a prætore recessi. *Plin.* 7. *Ep.* 16. Vindicta liberare aliquem. Adde *Plaut. Curc.* 1. 3. 56.

Homonym. Discrimen inter *vindictam* et *ultionem* V. sub VINDEX.

VINDICTUM, i, n. 2. idem ac vindicta, ἐκδικία. *Auct. De idiom. gen. p.* 584. 58. *Keil.*

VINDIX. *V.* VINDEX.

VĪNĔA, æ, f. 1. (vineus) *Vinia* pro *vinea* est in *Inscr.* apud *Fabretti p.* 223. *n.* 594. et in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 5543. Ad rem *Cornut.* apud *Cassiod. Orth.* 1. *post med.* eos redarguit, qui *vineas* agrestes per *e* et castrenses per *i* scribendas tradiderunt, quum machinæ hujusmodi ob similitudinem ab illis nomen acceperint. Cf. VINEOLA. — Vinea est locus vitibus consitus vel multitudo vitium simul consitarum, ἀμπελών, οἰνόπεδον (It. *vigna, vignale*; Fr. *vigne*; Hisp. *viña*; Germ. *der Weinberg*; Angl. *a vineyard*): est autem proprie adjectivum, sed etiam substantive sæpius usurpatum.

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 1. 2. 50. Vineam pro aurea statua statuam, quæ tuo Gutturi sit monimentum. *Cic. Senect.* 15. *sub fin.* Nec vero segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticæ lætæ sunt. *Virg.* 2. *G.* 390. Hinc omnis longo pubescit vinea fetu. *Vulg. interpr. Matth.* 21. 33. Vineam plantare. *Id. Marc.* 12. 1. pastinare. — *Via vinearum*, ut via ampla et commoda, translate apud *eumd. Job* 24. 16. Maledicta sit pars ejus in terra nec ambulet per viam vinearum. — Hinc etiam per allegoriam, *vinea* dicitur de populo Dei sive Ecclesia. *Id. Jer.* 2. 21. et *Ps.* 70. 9. et *Joel* 1. 7. — Et in malam partem. *Id. Deut.* 32. 32.

II.) Tropice, per synecdochen, dicitur de una vite. *Colum.* 4. *R. R.* 10. Ea levis et recta sine cicatrice vinea est, quæ se primi anni flagello supra jugum extulit. *et ibid.* 22. *circa med.* Tales vineas supra quartum pedem detruncant. (Adde *Arbor.* 14.) *Phædr.* 4. 2. vulpis alta in vinea Uvam appetebat, summis saliens viribus. — Vinearum quinque sunt genera, unum sparsis palmitibus humi repens, alterum vite per se subrecta, tertium cum adminiculo sine jugo, quartum pedatæ simplici jugo, quintum compluviatæ quadruplici. Ita *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (164). Sed *Colum. Arbor.* 4. tria facit, jugatam, humi projectam et a terra subrectam, more arborum in se consistentem. — *Vinea tripalis* apud *Varron.* 1. *R. R.* 8. Cf. *Schneid. Id. Sat. Menipp.* 36. *p.* 1301. *Oehl.* Vides in vineis, quod tria pala habeant, tripales dici. Codd. *tripelles*.

III.) Improprie, *vinea* est machina bellica, *galleria, cammin coperto*, ad similitudinem vitis compluviatæ, sub qua tecti milites oppugnatæ urbis muros subruunt. *Veget.* ita describit sui temporis vineas, 4. *Milit.* 15. Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoque usu causias vocant. E lignis levioribus machina colligatur alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sexdecim. Hujus tectum munitione duplici, tabulatis cratibusque contexitur. Latera quoque vimine sæpiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concrematur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Quum plures factæ fuerint, junguntur in ordine: sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta. Hæc *Vegetius*: quibus adde, quæ hunc eumdem locum referens, illustrandæ rei gratia, *Lipsius l.* 1. *Poliorcet. dial.* 7. adscripsit. — a) In re militari. *Cæs.* 2. *B. C.* 2. Tanta erat multitudo tormentorum, ut eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent. *Id.* 2. *B. G.* 12. *ad fin.* et 7. *ibid.* 17. Vineas ad oppidum agere. *Cic.* 15. *Fam.* 4. *a med.* Oppidum aggere, vineis, turribus oppugnare. *Id.* 8. *Phil.* 6. 17. Res geritur; conductæ vineæ sunt; pugnatur acerrime. *Liv.* 37. 26. Utrinque vineas et aggerem muro injunxit. *Lucan.* 3. 506. et mediis subrepit vinea muris. *Sil. It.* 13. 110. Hic gravida armato surgebat vinea dorso. — *Festus* in *Sub p.* 310. 8. *Müll.* Sub vineam jacere dicuntur milites, quum adstantibus centurionibus jacere coguntur sudes. Cf. *Müll.* ad *h. l.* — b) Extra rem militarem. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 111. Si invenio qui videt, ad eos vineas pluteosque agam.

Homonym. Discrimen inter *vineam* et *vinetum* V. sub VINETUM.

VĪNĔĀLIS, e, adject. (vinea) ad vineam pertinens, *di vigna*, ἀμπέλιος. *Colum.* 3. *R. R.* 12. Vinealis terra. *h. e.* serendis vitibus idonea.

VĪNĔĀRĬUS, a, um, adject. (vinea) idem ac vinealis. *Colum.* 5. *R. R.* 6. *sub fin.* Vinearios colles præcipitare. *Ulp. Dig.* 50. 16. 198. Horti vinearii vel olitorii.

VĪNĔĀTĬCUS, a, um, adject. (vinea) idem ac vinealis. *Colum.* 7. *R. R.* 3. *ante med.* Vineaticus fructus. *h. e.* vindemia. *Id.* 4. *ibid.* 1. semina. *et ibid.* 33. *extr.* cultus. *Cato R. R.* 11. *sub fin.* Falces et falculæ vineaticæ.

VĪNĔĀTUS, a, um, adject. participiorum more effictum (vinea), vinea aut vineis consitus. *Inscr. Chr.* in *Gloss. nov. Lat.* p. 74. In horto vineato.

VĪNĔŎLA *et* viniola, æ, f. 1. *deminut. a* vinea, parva vinea, *piccola vigna. Inscr.* apud *Fabrett.* p. 223. *n.* 59. V. *aliam* in TRICHILA. Utrobique autem *viniola* scriptum est.

VĪNĒTUM, i, n. 2. (vinum) locus vineis abundans, *vigna, vignale*, ἀμπελόφυτον. *Cic.* 2. *Nat. D. sub fin.* Si segetibus aut vinetis cujuspiam tempestas nocuerit etc. *Virg.* 2. *G.* 319. Optima vinetis satio est, quum vere rubenti etc. *Colum.* 3. *R. R.* 4. Cui vineta facere cordi est, faciat vitiarium, ex quo possit agrum vineis vestire. — *Vineta sua cædere*, sibi ipsi malum creare, sibi ipsi damno esse, *aguzzarsi il palo sul ginocchio*, proverb. apud *Horat.* 2. *Ep.* 1. 219. Multa quidem nobis facimus mala sæpe poetæ (Ut vineta egomet cædam mea), quum tibi librum Sollicito damus aut fesso.

Homonym. Differre videtur *vinetum* a *vinea*, ut totum a parte. Est enim *vinetum* plures vineas continens, v. gr. collis undique vitibus consitus, in quo plures vineæ propriis limitibus et sæptis distinctæ. *Colum. loc. cit.*

VĪNĔUS (vinius) a, um, adject. (vinum) qui ex vinea est, *di vino*, οἴνινος. *Vitruv.* 10. 1. Vineus fructus. Ita *Schneid.*, at *Rose* leg. *vitium. Solin.* 5. *circa med.* latex. — *Apic.* 2. 1. *in fin.* In vineo infusu. At *Schuch* emendat: *in vino infusi.* — De Vinia gente *V.* ONOM. — Hinc

*Vinea*, æ, f. 1. absolute, substantivorum more. *V.* suo loco.

VĪNĬA. *V.* VINEA.

VĪNĬBŬÆ. *V.* BUA.

VĪNĬDĒMĬA. *V.* VINDEMIA

VĪNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (vinum *et* fero) vini ferax, *abondante di vino. Apul. Herb.* 66. Vinifera vitis. Adde *Sil. It.* 7. 207., ubi alii leg. *vitifer*, alii *uvifer*. — *Gloss. Cypr.* Βαυκίς, hoc viniferum.

VĪNĬFŪSOR *et divisim* vini fusor, ōris, m. 3. (vinum *et* fundo) qui vinum fundit, pincerna. Legitur in *Leptogen.* 39. 17.

VĪNĬŎLA. *V.* VINEOLA.

VĪNĬPŌTOR *vel divisim* vini potor, ōris, m. 3. (vinum *et* potor) potor vini, vinolentus, *bevitore*, οἰνοπότης. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 54. 75. (153). Scitum de quodam vinipotore reperitur Syracusis, tamdiu potare solitum, donec etc. Ita edition. veteres a. 1470. et 1472. Antiquior bis a. 1469. omittit alteram vocem *vini:* utramque *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS. Si retineas, rectius divisim scribes, inquit *Forcellinus.*

VĪNĬTO, as, are, a. 1. (vinum) invito aliquem ad bibendum vinum. *Varro Sat. Men.* 115. Non vides, ipsos deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana; et tamen tum ipsi illi Libero simpuvio vinitari? Alii legend. putant *invitari*. V. INVITO. *Oehlerus* leg. *minitari;* at *Riese* retinet.

VĪNĬTOR, ōris, m. 3. (vinea) rusticus vinearum cultor, ἀμπελουργός (It. *vignaiuolo;* Fr. *vigneron;* Hisp. *viñador;* Germ. *der Winzer;* Angl. *a vine-dresser, viner*). *Cic.* 5. *Fin.* 14. *circa med.* An (*vitis*) ea, quæ per vinitorem antea consequebatur, etiam per seipsam curabit? *Virg.* 10. *Ecl.* 36. vestrique fuissem Aut custos gregis aut maturæ vinitor uvæ. Alii hic est calcator vindemiæ. Cf. *Schol.* MSS. ad *Sedul.* 1. 91. Vinitor est vel custos vineæ vel calcator vindemiæ.

VĪNĬTŌRĬUS, a, um, adject. (vinitor) ad vinitorem pertinens, ἀμπελουργικός, ut Vinitoria falx, *Colum.* 4. *R. R.* 25., ubi eam accurate describit.

VĪNĬVŎRAX, ācis, adject. omn. gen. (vinum *et* vorax) idem ac vinipotor. *Commodian.* 18. 16. Monstra adeo ista ficta sunt per vinivoraces.

VINNĪCUS, a, um, adject. segnis, piger, invalidus. *Gloss. Philox.* Vinnicus, νωχελής.

VINNŌLĀTUS. *V.* VINNULATUS.

VINNŎLUS. *V.* VINNULUS.

VINNŬLĀTUS (vinnolatus), a, um, adject. participiorum more confectum (vinnulus), idem ac vinnulus. *Isid.* 3. *Orig.* 20. 13., ubi alii aliter leg. *V.* voc. seq.

VINNŬLUS (vinnolus), a, um, adject. (*deminut. a* vinnus) Sunt qui scribunt *vinulus* unico *n;* et qui *vinnolus* per *o*. V. infra. — Vinnulus est flexuosus instar vinni, *h. e.* cincinni: translate autem dicitur de oratione suaviter inflexa et molli, qualis est in minuritionibus cantus sive in chromatica musica, ut *Boethius* appellat. *Isid.* 3. *Orig.* 20. *sub fin.* Vinnula vox est levis et mollis atque flexibilis: dicta a vinno, hoc est cincinno molliter flexo. *Alii leg.* vinnolata. *Plaut. Asin.* 1. 3. 70. Compellando blanditer, osculando, oratione vinnula, venustula. Ita legit *Jan. Douza* et ita interpretatur; sed alii aliter. *Paulus Diac.* apud *Fest.* p. 377. 7. *Müll.* interpretatur mollem, his verbis: Vinnulus dicitur molliter se gerens et minime quid viriliter faciens. Plautus: Oratione vinnula ac venustula. Eadem habet *Non.* p. 186. 10. *Merc.* Sunt qui legunt *vinulus* unico *n* et vocem derivant a *vinum* accipiuntque pro blando, venusto, illecebroso et ad sensus permanante, ut vinum in venas. Cf. *Inscr.* apud *Gruter.* 922. 4. RVTILIAE RVFINAE VINVLAE. — Additur etiam a quibusdam locus *Cic.* 4. *Att.* 16. *ante med.* Profecto rem habes vinnulam. Sed alii *tinnulam*, alii pleriqua *nullam* reponunt.

VINNUS, i, m. 2. cincinnus molliter flexus. *Isid. loc. cit.* in voc. præc.

VĪNŎLENTĬA *et* vinulentia, æ, f. 1. (vinolentus) ebrietas, vitium ebrietatis, μέθη, οἰνοφλυγία (It. *ubbriachezza;* Fr. *ivresse, ivrognerie;* Hisp. *embriaguez, borrachera;* Germ. der *Weinrausch;* Angl. *drunkenness*).

I.) Proprie. *Cic. Top.* 20. 75. Cujus etiam generis illa sunt, ex quibus verum nonnumquam invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania. *Id.* 2. *Phil.* 39. *a med.* Quid furiosam vinolentiam tuam proferam? Adde *eumd.* 4. *Tusc.* 11. 26., *Sueton. Vitell.* 17., *Solin.* 9. 1., *Augustin. Ep.* 35. *n.* 2. et *Porphyr.* in *Horat.* 1. *Od.* 18. 9

II.) Translate. *Cassiod.* in *Ps.* 22. 7. *De mensa Domini.* Hæc vinolentia sobrios reddit. Adde *eumd.* in *Ps.* 35. 8.

VĪNŎLENTĬES et vinulenties, ēi, f. 5. (vinolentus) idem ac vinolentia. *Catull.* 2. 5. *B.*, ubi alii aliter leg.

VĪNŎLENTUS *et* vinulentus, a, um, adject. (vinum) vino plenus: specialim ¶ 1. De personis est ebriosus, vino se ingurgitans, vinosus, *ubbriacone*, ἔξοινος, πάροινος. *Ter. Phorm.* 5. 8. 28. Vinolentus mulierculam compressit. *Cic.* 2. *Phil.* 28. 68. Quamvis sis vinolentus et furens. *Nepos Alcib.* 11. Vinolenti homines. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 250. anus. — *Cic.* 12. *Fam.* 25. *circa med.* Omnemque suum vinolentum furorem in me unum effunderet. *h. e.* vinolenti proprium. — Absolute, *Id.* 5. *Tusc.* 41. 118. Ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat. *Id.* 1. *leg. Agr.* 1. *init.* Hæc per deos immortales utrum esse vobis consilia siccorum, an vinolentorum somnia; et utrum cogitata sapientum, an optata furiosorum videntur? ¶ 2. De rebus est ex vino confectus. *Id. Pis.* 6. *a med.* Meministine, quum isto ore fœtido taeterrimam nobis popinam inhalasses, excusatione te uti valetudinis, quod diceres, vinolentis te quibusdam medicamentis solere curari? *h. e.* medicamenta, in quibus potior pars vinum est. — Hinc

*Vinolentus*, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more. *V.* supra.

VINOPOCILLUM, i, n. 2. (vinum *et* pocillum) pocillum ad vinum bibendum. *Varro Sat. Menipp.* 30. p. 117. *Oehl.* ubi alii aliter leg., sed *V.* quæ *Oehl.* adnot.

VĪNŌSĬTAS, ātis, f. 3. (vinosus) sucus vinosus. *Tertull. Jejun.* 1. *ad. fin.* Siccantes cibum ab omni jurulentia, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus.

VĪNŌSUS, a, um, adject. (vinum) Comp. *Vinosior* et Sup. *Vinosissimus.* — Vinosus ¶ 1. Est vino plenus, ebrius, *ubbriaco. Liv.* 41. 4. Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerunt fugæ. *Weissenb.* modice vino usi. ¶ 2. Item vini cupidus, *bevitore, beone. Plaut. Curc.* 1. 1. 77. Lena multibiba atque merobiba — quid opu' st verbis? vinosissima est. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 6. Laudibus arguitur vini vinosus Homerus. *Ovid.* 3. *Fast.* 765. Cur anus hoc faciat, quæris? vinosior ætas Hæc est et gravidæ munera vitis amans. *Id.* 3. *Amor.* 1. 17. Nequitiam vinosa tuam convivia narrant. *Scipio Afric.* apud *Gell.* 7. 12. Qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit. ¶ 3. Est etiam vini saporem habens, *che sa di vino*, οἰνώδης, οἰνόεις. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 19. 24. (113). Punicorum quinque species, dulcia, acria, mixta, acida, vinosa. *Id.* 15. *ibid.* 24. 27. (96). Moris sucus in carne vinosus. *Id.* 12. *ibid.* 13. 27. (47): Nardi semen saporis calidi ac vinosi. *Id.* 21. *ibid.* 18. 72. (120). Juncus vinosæ mordacitatis ad linguam. *Id.* 27. *ibid.* 4. 11. (28). Semen ambrosiæ odore vinoso. ¶ 4. Denique est vini colorem referens. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. *ante med.* Sucus colore vinosus.

VINTI. *V.* VIGINTI.

VĪNŬLENTĬA. *V.* VINOLENTIA.

VĪNŬLENTUS. *V.* VINOLENTUS.

VĪNŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* vinum, villum seu parum vini. Agnoscitur a *Charis.* 1. p. 73. *Putsch.*

VĪNŬLUS. *V.* VINNULUS.

VĪNUM, i, n. 2. Etiam *vinus, i*, masc. gen. reperitur apud *Petron. Sat.* 41. 12. *Vulg. interpr. Ital.* (Veron.) *Joh.* 2. 10. et (Fuld. et Amiat.) *Apoc.* 14. 10. et *Schol. Bern.* ad *Virg.* 2. *G.* 98. — Ratione habita etymi, conferri potest cum Hebr. יין *jajin*, ejusd. significationis: vel cum Skr. *venas*, suavis potio, et Gr. οἶνος, cui geminum est, si digamma præponatur. — Vinum est liquor ex uvis expressus, οἶνος (It. et Hisp. *vino;* Fr. *vin;* Germ. *der Wein;* Angl. *wine*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cato R. R.* 156. *a med.* Vinum atrum, durum. *Ter. Heaut.* 3. 1. 49. asperum, lene. *Varro* apud *Non.* p. 344. 12. *Merc.* merum. *Cic. Senect.* 18. *sub fin.* Ut non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. *Id.* 3. *Off.* 23. 91. Qui vinum fugiens vendat sciens. *h. e.* parum durans. cui *firmum* opponitur. *Id. Brut.* 83. 287. Si quis Falerno vino delectetur, nec ita novo, ut *etc.* nec ita vetere, ut etc. *Ovid.* 5. *Fast.* 511. Vinum rubens. *Id.* 7. *Met.* 594. purum. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 18. (*Martial.* 13. 115.) generosum et lene. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. *circa med.* album, candidum, fuscum, nigrum, limpidum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80). dulce, odoratum, fulvum, sanguineum, nigrum. *Cels.* 3. 19. austerum, tenue, meraculum: nullarum virium aut ingentium. *Cic.* 5. *Tusc.* 5. 13. leve. *Colum.* 12. *R. R.* 27. dulce, suave, firmum, corpori salubre. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (134). imbecillum, validum. *et ibid.* 9. 11. (82). excellens. *et ibid.* (83). aiglaucos. *Id.* 17. *ibid.* 23. 35. (212). torvum. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (35). Vina in vetustate rufescentia. *Id.* 20. *ibid.* 9. 40. (104). Vinum ex aqua cælesti temperatum. *Cels.* 1. 3. *ad fin.* dilutum. *Colum.* 12. *R. R.* 5. vapidum. *Martial.* 8. 6. mucidum. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 68. lymphatum. *et* 1. *Acut.* 17. 182. primo aquatum, secundo meracum. *Id.* 2. *ibid.* 39. 230. inflabile. *Id.* 2. *Tard.* 14. 214. flavum. *Id.* 5.

*ibid.* 10. 125. protropum. *h. e.* sponte defluens. Cf. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (75). (et *Colum.* 12. *R. R.* 27.) *Id. ibid.* (74). vetustius. *Colum. De cult. hort.* 28. vetulum. *Procul. Dig.* 33. 6. 16. § 2. amphorarium. *V.* AMPHORARIUS. *Ulp. Dig.* 18. 1. § 4. doliare. *V.* DOLIARIS. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 10. 12. (86). operarium. *Edict. Diocl.* c. 2. *de pretiis vini.* vetus, rusticum, decoctum, conditum, rosatum etc. *et ibid.* Picenum, Tiburtinum, Sabinum, Amineum, Surrentinum, Falerinum. *Seneca Ep.* 36. Vinum fieri bonum, quod recens durum et asperum visum est: non pati ætatem, quod in dolio placuit. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. *ante med.* Suave vinum de duro facere. *et a med.* ex molli forte. *Inscr.* apud *Wilmanns n.* 2835. bimum bisfusum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (126). Vina instaurare. *h. e.* acescentia, vapida facta aut fugientia reficere: *Id. ibid.* condere. *h. e.* in cella vinaria reponere servandi gratia. *Id.* 16. *ibid.* 10. 16. (38). condire. *h. e.* medicari. *Id.* 14. *ibid.* 14. 16. (94). diffundere. *V.* DEFUNDO. — *Vino rogum ne respergito*, antiqua Numæ lex, apud *eumd. ibid.* 12. 14. (88)., quæ inferiore ævo in desuetudinem abiit. *Virg.* 5. *Æn.* 77. — *A vinis* dicitur servus vel libertus in domo Augusta, cui curæ erat vina fundere in mensa et alia huc pertinentia providere. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6377. — *Adjutor a vinis.* V. ADJUTOR. — *Vinorum procurator,* qui vina pro mensa Augusti curabat. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6344. — Apud Græcos olim veluti lege statutum, ut in convivio primis cum epulis merum degustaretur; deinceps aqua temperatum quisque pro lubitu biberet. V. *Athen. II.* 2. Cf. *Martial.* 1. 27. et *V.* MISCEO II. 2. — Huc spectat illud *Vulg. interpr. Joh.* 3. 10. Omnis homo primum bonum vinum ponit et, quum inebriati fuerint, tum id, quod deterius est. — De vini vi et effectis lege sis *Lucret.* 3. 476. et *seqq.* — De vini laudibus *Varr. Sat. Menipp.* 30. p. 117. *Oehl.* — Celebriora apud veteres vina *Plin.* 14. *Hist. nat. c.* 6. *et* 7. recenset. — b) Refertur ad compotationes et ebrietatem. *Plaut. Truc.* 4. 4. 2. Vino madere. *Ter. Heaut.* 3. 3. 7. Vel heri in vino quam immodestus fuisti! *Titius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. Vix præ vino sustinet palpebras. *Cic. post redit. in Senat.* 6. 13. Vini, somni, stupri plenus. *Id.* 2. *Phil.* 3. *sub fin.* Vino lustrisque confectus. *et* 13. *ibid.* 11. 24. In lustris, popinis, alea, vino tempus ætatis omne consumere. *Id. fragm.* apud *Quintil.* 8. 3. *a med.* Vacillare ex vino. *Id.* 8. 16. Vino epulisque sopiti. *Cic.* 5. *Verr.* 35. *a med.* In vino et luxu ridere. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 16. *ad fin.*, *Liv.* 40. 7. *extr.* et *Plaut. Aulul.* 4. 10. 65. Per vinum. *h. e.* in ebrietate. *Cic. Cæl.* 28. *a med.* In conviviis faceti, dicaces, nonnumquam etiam ad vinum diserti sint. *h. e.* inter pocula. *Ovid.* 6. *Fast.* 673. Nox erat et vinis oculique animique natabant. *Id.* 12. *Met.* 220. Vino ardet pectus. *et ibid.* 317. Sopitus vinis et inexperrectus Aphidas. *Id.* 1. *Pont.* 5. 45. Nec juvat in lucem nimio marcescere vino. *Id.* 2. *Fast.* 333. comites somno vinoque soluti. *Id.* 7. *Met.* 432. nec non et carmina, vino ingenium faciente, canunt. *Id.* 2. *Fast.* 636. Vina sumere. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 5. olere. *Virg.* 2. *Æn.* 265. Vino sepulti. *Liv.* 41. 3. *extr.* mersi. *Cic.* 5. *Verr.* 12. *ad fin.* Vino vigiliisque languidus. *Liv.* 45. 23. *a med.* In vinum proniorem esse. *Id.* 1. 57. Incalescere vino. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 38. Vino aliquem deponere. *h. e.* ebrium facere.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de uva, vindemia. *Cato R. R.* 147. Hac lege vinum pendens venire oportet. *Plaut. Trin.* 2. 4. 125. Tum vinum, priusquam coactum est, pendet putridum. *Varro* 5. *L. L.* 94. *Müll.* Vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demit. *Id.* 1. *R. R.* 25. Vinum serere. ¶ 2. De aliis liquoribus vini similibus. Memorat *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 26. (52). vinum e napis et palmeum: 13. *ibid.* 4. 9. (44). ex caryotis: 14. *ibid.* 16. 19. (101). ex milii semine, ex loto, ex fico, e Punicis et cornis, mespilis, sorbis, moris, nucleis pineis etc. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. ex piris etc. Alia facticii vini genera enumerat *Plin. cit.* 14. *Hist. nat. c.* 16.

III.) Translate, apud Ecclesiasticos scriptores. *Vulg. interpr. Ps.* 59. 5. Potasti nos vino compunctionis. *Id. Prov.* 4. 17. Bibere vinum iniquitatis. — Proverb. est apud *eumd. Eccli.* 9. 15. Vinum novum, amicus novus.

VĪNUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

VĬO, as, are, n. 1. (via) *Quintil.* 8. 6. *ante med.* reponit inter verba infeliciter ficta. Ex quo apparet, ejus quoque ætate in usu fuisse, sed non omnibus probatum. — Part. *Vians* I. et in fin.; *Viaturus* I. et etiam *Viandus*, si ita legendum apud *Plaut. Truc.* 1. 1. 7. quot pericula vianda! *h. e.* adeunda. Sed probatiores critici aliter legunt. — Vio est viam eo, ambulo, iter facio, βαίνω (It. *camminare;* Fr. *aller, marcher;* Hisp. *andar, caminar;* Germ. *gehen, reisen;* Angl. *to walk, to amble*).

I.) Proprie. *Itin. Alex. M.* 104. Qui (*Taxilis*) partes, quibus viandum primas Indiæ tunc tenebat. Adde *ibid.* 120. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 16. *init. de ciconiis.* Exercitum credas cum signis suis pergere, si omnes viandi comitandique et præeundi ordinem servant. *Apul.* 10. *Met.* Vianti marito expugnationem nuntiare. *Ammian.* 20. 9. 1. Legati intenti ad viandum. *Sidon.* 4. 8. Longinquitas viæ viaturos exspectatione terrebat.

II.) Translate. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 772. affirmans iter esse viandi Multifidum variumque, Deus quum quæritur unus. *Juvenc.* 1. 126. dominum mox prægrediere viando. Adde *Boeth.* 1. *Arithm.* 1. — Hinc Part. præs.

*Vians, antis,* etiam absolute pro viatore usurpatur. *Solin.* 29. *ad fin.* Submovere accessus viantium. *Prudent. Hamartig.* 209. incautum spoliare viantem. *Id.* 5. *Cathem.* 65. Præbent rupta locum stagna viantibus. *Apul.* 6. *Met.* Quis viantium vectorem suum non libenter auferat secum? *Id. Florid. init.* Ut ferme religiosis viantium moris est. *h. e.* religionis causa iter habentibus. Græca syntaxis: τοῖς εὐσεβέσι τῶν πορευομένων.

VĬŎCŪRUS, i, m. 2. (via *et* curo) viarum curator, seu, ut ait *Venulej. Dig.* 43. 23. 2., cui viarum publicarum cura est, *chi ha cura delle strade. Gloss. Philox.* Viaculus (*leg.* viocurus), ὁδῶν ἐπιμελητής. *Varro* 5. *L. L.* 7. *Müll.* Quis non videt, unde ærifodinæ et viocurus? *Alii leg.* unoculus. *Id. ibid.* 158. Simili de causa Publilius vicus et Cosconius vicus, quod ab his viocuris dicuntur ædificati. Ita ex *Turnebo, Scalig.* et *Muell.*, nam alii *viris* habent. *Inscr.* apud *Gruter.* 383. 8. M. BABBIO M. F. ROM. SECVNDO II. VIRO VIOCVRO EX S. C. *Alia* apud *Murat.* 667. 1. A. EGNATIVS A. F. POM. STRABO VIOCVRVS. *V.* CESTIFER. Adde *aliam* in *Mem. dell' Istit. t.* 1. *p.* 290.

VĬŎLA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, videtur esse a Gr. ἴον, præmisso digammate, deminutorum forma. — Viola est flos primus fere verni temporis, ἴον (It. *viola, violetta;* Fr. *violette;* Hisp. *viola, violeta;* Germ. *die Viole, das Veilchen;* Angl. *a violet*).

I.) Proprie. *Terentian. De metr. p.* 2397. *Putsch.* Et viola flos nuncupatur, quem Græci vocant ἴον. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 14. (27). Violis honos proximus (*post lilia*) earumque plura genera: purpureæ, luteæ, albæ. Ex iis quæ sponte apricis et macris locis proveniunt, purpureæ latiore folio, statim ab radice carnoso, exeunt: solæque Græco nomine a ceteris discernuntur, appellatæ ia et ab his ianthina vestis. E sativis maxima auctoritas luteis. Genera iis Tusculana et, quæ marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum vero sine odore minutoque folio calathiana, munus auctumni: ceteræ veris. *Id. ibid.* 11. 38. (64). Florum prima ver nuntiantium viola alba. Tepidioribus vero locis etiam hieme emicat. Postea quæ ion appellatur, et purpurea. Proxime flammea, quæ et phlox vocatur. *Virg.* 2. *Ecl.* 47. Pallentes violæ. *et* 10. *Ecl.* 39. nigræ. *h. e.* purpureæ. *Id.* 5. *Ecl.* 38. et 11. *Æn.* 69. mollis. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 92. vaccinia nigro Induit et dulci violas ferrugine pingit. *Colum.* 10. *R. R.* 101. Tum quæ pallet humi, quæ frondens purpurat auro, Ponatur viola. *Id.* 9. *ibid.* 4. Violæ luteolæ et Sarranæ. — *Viola rustica* est chrysanthemum. *Gloss. Philox.*, qui flos *Plinio* ignotus. — Violæ *nigræ* et *purpureæ*, quæ Græcis est μελάνιον, hanc exhibet synonymiam cl. *Fée* (*Op. cit. v.* 3. *p.* 13.): « Ἴον; Hom., *Odyss.* I. V. v. 70; Theoph. VI, 6; Diosc. IV, 122. – *Viola nigra,* Virg., Ecl. X, 39; *Viola mollis,* ejusd. Ecl. V, 38.; *Viola purpurea,* Plin. loc. comm., *Viola,* Colum. *De re rust.* X, 102., Pallad. *Jan.* 37.; *Viola odorata* L. *Spec. pl.* 1324 ». Dein loquitur de viola *pallenti,* quam confert cum *primula acauli:* de *flammea,* quam dicit esse violam *tricolorem hortensem:* deque aliis. Cf. etiam *Bubani Flor. Virg. p.* 177. et *Molin Flor. poet. p.* 282. — *Violæ dies.* V. VIOLARIS.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorice. *Cic.* 5. *Tusc.* 26. 73. Etiamne in cruciatu atque tormentis *sapientes beati sunt?* M. An tu me in viola putabas aut in rosa dicere? ¶ 2. Tropice de colore violæ. *Horat.* 3. *Od.* 10. 14. tinctus viola pallor amantium. *Id.* 2. *Ep.* 1. 207. Lana Tarentino violas imitata veneno. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (121). Amethysti color in violam desinit. *Id.* 34. *ibid.* 12. 32. (124). Candidus color violam sentiens. ¶ 3. Item dicitur locus violis consitus. *Colum. Arbor.* 30. Violam qui facturus est, terram stercoratam et repastinatam ne minus altepedem in pulvinos redigat. *Morgagnius* legere mallet *saturus* pro *facturus*, at *Schneiderus* pro *violam* legendum putat *violarium.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VĬŎLĀBĬLIS, e, adject. (violo) ¶ 1. Est qui violari potest, *violabile. Ovid. Heroid.* 16. 79. Molle meum levibusque cor est violabile telis. *h. e.* quod violari potest. ¶ 2. Item qui aptus est, ut violetur. *Virg.* 2. *Æn.* 155. Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen, ait. *Stat.* 5. *Theb.* 258. nullis violabilis armis Turba, senes. *h. e.* quæ violari non debet. Adde *Augustin. De mor. Manich.* 12.

VĬŎLĀCEUM. *V.* voc. seq.

VĬŎLĀCEUS (violacius *et* violatius), a, um, adject. (viola) violæ colorem habens, ἰοειδής, ἰάνθινος (It. *violato, violetto, pavonazzo;* Fr. *violet;* Hisp. *violado, morado;* Germ. *violettfarben;* Angl. *like a violet, violaceous*). *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. (47). Herba, cui flos violaceus. *Id.* 37. *ibid.* 10. 61. (170). Ion (*gemma*) apud Indos violacea est. *Nep. fragm.* apud *eumd.* 9. *ibid.* 39. 63. (136). Me juvene, violacea purpura vigebat. — Hinc

*Violaceum (violacium), ii,* n. 2. absolute, substantivorum more, sucus violarum vel vinum violarum suco conditum. *Apic.* 1. 4. De viola violacium facies. *Schuch* leg. *violatum;* sed vocis usum confirmant *Theod. Priscian. De diæt.* 11. et *Solin.* 30.

VĬŎLĀCĬUM et

VĬŎLĀCĬUS. *V.* voc. præc.

VĬŎLANS, antis, particip. *V.* VIOLO.

VĬŎLĀRIS, e, adject. (viola) ad violas pertinens. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 724. *n.* 443. ITEM XI. K. APR. DIE VIOLARI EODEM LOCO PRAESENTIBVS DIVIDERENTVR SPORTVLAE. *Die violari* est *die violæ,* ut in *alia* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 639. DIE ROSATIONIS ET VIOLAE. *V.* ROSALIS.

VĬŎLĀRĬUM, ii, n. 2. (viola) locus, ubi nascuntur violæ, *violaio,* ἰωνιά. *Varro* 1. *R. R.* 1. *ante med.* Sub urbe colere hortos late expedit, sic violaria ac rosaria. *et ibid.* 35. Violaria in fundo facere non est utile, quod necesse est terra adruenda pulvinos facere, quos irrigationes abluunt et agrum faciunt macriorem. *Virg.* 4. *G.* 32. irriguumque bibant violaria fontem. *Ovid.* 4. *Fast.* 437. Illa legit calthas, huic sunt violaria curæ.

VĬŎLĀRĬUS, ii, m. 2. (viola) violacei coloris infector, *tintore di pavonazzo,* ἰοβάφης. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 36. Flammearii, violarii, carinarii. *Inscr.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 78. SEX. ANTONIVS SEX. L. STENESIVS VIOLARIVS. V. *Wilm. n.* 35.

**VĬŎLĀTĬO**, ōnis, f. 3. duo diversa significat.

I.) *Violatio*, a *violo*, est actus violandi, violentiæ illatio, profanatio, corruptio, βιασμός, ὕβρισμα (It. *violazione*; Fr. *violation*; Hisp. *violacion*; Germ. *die Verletzung, Schändung*; Angl. *a violation, wronging, profaning*). *Liv.* 29. 8. *in fin.* Tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem injecit. *Seneca Ep.* 104. *a med.* Violatio religionum. *Vellej.* 2. 1. *extr.* fidei. Rursum *Liv.* 31. 12. Expiare violationem templi.

II.) *Violatio*, a *viola*, violarum sparsio, quæ in mortuorum honorem fieri solebat certo anni die. *V.* VIOLARIS. *Inscr.*, descripta olim a *Jo. Zaratino Castellinio*, et quidem mutila sed illustrata et suppleta a *Phil. Eduard. Huschke* et *B. Borghesi*, apud *Henzen Suppl. n.* 7321. V. quæ ibi adnot.

**VĬŎLĀTĬUS.** *V.* VIOLACEUS.

**VĬŎLĀTOR**, ōris, m. 3. (violo) qui violat, violentiæ illator, ruptor, corruptor, *violatore*, βιαστής. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 27. Confugit interdum templi violator ad aram. *Liv.* 4. 19. Hicine est, inquit, ruptor fœderis humani violatorque gentium juris? *Tac.* 1. *Ann.* 58. Violator fœderis. *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. *a med.* Cassius dictatoris violator. *h. e.* C. Cæsaris interfector. — Cum femin. gen. *Lucan.* 9. 720. Et natrix violator aquæ. *h. e.* veneno inficiens.

**VĬŎLĀTRIX**, trīcis, f. 3. (violator) quæ violat. *Augustin. De mor. Manich.* 12. Natura una inviolabilis, altera violabilis, tertia violatrix.

**VĬŎLĀTUS**, a, um, particip. *V.* VIOLO.

**VĬŎLENS**, entis, adject. (vis) Comp. et Sup. *V.* in VIOLENTUS, cum quo *violens* aliquando in MSS. confunditur. — Violens est idem ac violentus, *violento*, βίαιος. *Horat.* 3. *Od.* 30. 10. Dicar, qua violens obstrepit Aufidus. Adde 1. *Ep.* 10. 37. et *Pers.* 5. 171., ubi, ut *Forcellino* videtur, pro feroci et forti ponitur. *Cic. fragm.* apud *Terentian. De syll. p.* 2397. *P.* Jolaus violens fit. Alii leg. *violeus*. Adde *Capell.* 1. *p.* 7. Cf. *Hildebr.* ad *Apul.* 6. *Met.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VĬŎLENTĒ.** *V.* voc. seq.

**VĬŎLENTER**, adverb. Qui *violente* pro *violenter* adstruunt ex *Ovid.* 9. *Met.* 121. et *Senec. Med.* 605., frustra sunt; quia utrobique est vocativ. sing., tum quia ultima in *violente*, quamvis esset adverbium, longa est, quum tamen hic brevis sit. — Est autem ab adject. *violentus*, unde Comp. *Violentius* et Sup. *Violentissime.* — Violenter est per vim, injuriose, vehementius, quam par est, βιαίως (It. *con violenza, violentemente*; Fr. *violemment, avec impétuosité*; Hisp. *violentamente, impetuosamente*; Germ. *gewaltsam, ungestüm, heftig*; Angl. *with violence, violently*). ¶ 1. Generatim. *Sall. Jug.* 44. *ad fin.* Quæstio exercita aspere violenterque ex rumore et libidine plebis. *Liv.* 5. 1. Quia sollemnia ludorum, quos intermitti nefas est, violenter diremisset. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Proconsulatum non minus violenter, quam sordide gesserat. *Sueton. Tit.* 6. Præfecturam prætorii egit aliquanto incivilius et violentius. *Tac.* 3. *Hist.* 11. Violenter aliquem ad supplicium deposcere. *Id.* 6. *Ann.* 3. increpare aliquem. *Sueton. Aug.* 51. *sub fin.* Violentius conqueri. *Justin.* 11. 7. *sub fin.* Violentius oraculo usus, gladio loramenta cædit. *Colum.* 7. *R. R.* 3. Aries rivalem violentissime persequitur. ¶ 2. Speciatim est magna vi et impetu, *con grand' impeto e forza. Horat.* 1. *Od.* 2. 13. Vidimus flavum Tiberim retortis Litore Etrusco violenter undis, Ire dejectum monumenta regis. *Colum.* 7. *R. R.* 12. *circa med.* Advenientem latratu conterrent vel constantius appropinquantem violenter invadunt. *Justin.* 25. 5. 1. Inter confertissimos violentissime dimicans. ¶ 3. Item iniquo animo, graviter, ægre. *Ter. Phorm.* 5. 1. 4. Patrem adulescentis facta hæc tolerare audio violenter. Ubi *Donatus:* quod Græci dicunt δεινῶς.

**VĬŎLENTĬA**, æ, f. 1. (vis) vis major, impetus, βία (It. *violenza, forza*; Fr. *violence, impétuosité*; Hisp. *violencia, impetuosidad*; Germ. *das gewaltsame, heftige, ungestüme Wesen, die Heftigkeit*; Angl. *violence, force*). — *a*) De personis. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 26. Novi hominis furorem, novi effrenatam violentiam. Adde 5. *Tusc.* 41. 118. *Ovid.* 1. *Met.* 237. Fit lupus et veteris servat vestigia formæ: Canities eadem est, eadem violentia vultu. *h. e.* ferocia. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 63. Violentia gentium. *Sall. Jug.* 57. Fortunæ violentiam tolerare. *h. e.* adversa casuum. *Lactant.* 3. 29. Si dolo nihil profecerit, vi et violentia (*eos*) dejicere conantur. ubi *violentia* opponitur *dolo*. — In plur. num. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 22. — *b*) De rebus. *Lucret.* 3. 483. vehemens violentia vini Conturbare animam consuevit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 38. 38. (104). Quoniam et tonitruum et fulminum jactus horum (*ventorum*) violentiæ plerique assignant. *Colum.* 1. *R. R.* 1. Hiemis assidua violentia. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (70). Radii solis violentia. — In plur. num. *Apul. Herb.* 128.

**VĬŎLENTUS**, a, um, adject. (vis) Comp. *Violentior* et Sup. *Violentissimus* 1. et 2. — Violentus est qui vim nimiam affert, βίαιος (It. et Hisp. *impetuoso, violento*; Fr. *violent, fort, impétueux*; Germ. *heftig, gewaltsam, hitzig*; Angl. *impetuous, violent*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Phil.* 12. 29. Opes violentas et populo minime ferendam potentiam concupisse. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 38. seu quod Lucania bellum Incuteret violenta. *Virg.* 2. *G.* 107. ubi navigiis violentior incidit Eurus. *et* 4. *ibid.* 373. In mare purpureum violentior effluit amnis. *Ovid.* 8. *Met.* 338. aper excitus medios violentus in hostes Fertur. *et* 12. *ibid.* 24. Nereus violentus in undis. *Cic. Cluent.* 49. *extr.* Violentissimæ tempestates. *Colum.* 5. *R. R.* 5. *ad fin.* Violentissimus cæli status. *Val. Flacc.* 5. 15. Violenta lues. *h. e.* vis pestilentiæ. *Seneca Troad.* 1172. Mors infantibus violenta, virginibus cæva venis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (139). Cupressus folio amara, odore violenta. *h. e.* graveolens. *Id.* 37. *ibid.* 4. 15. (59). Duæ res violentissimæ, ferrum et ignis. — Absolute. *Tibull.* 4. 2. 3. At tu, violente, caveto. Adde *Ovid. Heroid.* 3. 61. ¶ 2. Speciatim impotens, injuriosus: et refertur ad animum. *Cic.* 2. *Phil.* 28. 68. Quamvis sis violentus et furens. Sic *Harusp. resp.* 22. *a med.* Alicujus furentes ac violenti impetus. *Id.* 5. *Phil.* 7. 19. Homo vehemens et violentus. *Ovid.* 8. *Met.* 106. Violenta ira. *Id.* 3. *Trist.* 5. 47. Non aliquid dixi violentaque lingua locuta est: Lapsaque sunt nimio verba profana mero. *Id.* 3. *Met.* 717. Verba violenta loqui. *Id.* 2. *Amor.* 17. 7. Dat facies animos: facie violenta Corinna est. *h. e.* animosa, superba et dura. *Liv.* 1. 46. Violentum ingenium. *Tac.* 2. *Ann.* 43. Piso ingenio violentus. *h. e.* ferox. (quo sensu 15. *ibid.* 68. Vestinus violentus et infensus. *V.* integr. loc.) *Liv.* 34. 32. Tyrannus sævissimus et violentissimus in suos. *Seneca Phœniss.* 347. Violentus impetus doloris. *soperchievole, eccessivo.* et *Liv.* 45. 12. Obstupefactus tam violento imperio. *Seneca Troad.* 258. Violenta nemo imperia continuit diu: Moderata durant. *tirannici.* et *Thyest.* 691. Ipse est sacerdos: ipse funesta prece Letale carmen ore violento canit. *Juvenal.* 4. 86. sed quid violentius aure tyranni? *h. e.* iracundius et offendi facilius. *Liv.* 9. 34. Tenuit Æmilia lex violentos illos censores, C. Furium et M. Geganium, qui etc. *h. e.* impotentes et severos. — *Violentum est*, contra rationem est. *Cic.* 5. *Fin.* 24. *a med.* Atque hoc ut vere dicitur, parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum, sic nimis violentum est, nulla esse dicere. ¶ 3. Item dicitur et simpliciter de eo, qui multa vi et omni conatu quippiam facit: et videtur etiam in bonam partem sumi posse. *Martial.* 12. 14. Parcius utaris, moneo, rapiente veredo, Prisce, nec in lepores tam violentus eas. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 33. Quum tibi suscepta est legis vindicta severæ, Verba velut tinctum singula virus habent. Hostibus eveniat, quam sis violentus in armis, Sentire et linguæ tela subire tuæ. *h. e.* terribilis, metuendus. — Absolute. *Vulg. interpr. Matth.* 11. 12. Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

**VĬŎLĒTUM**, i, n. 2. (viola) locus violis consitus. *Thes. utr. ling. p.* 811. *Vulc.* Ἰωνία, ἡ, Jonia regio: Ἰωνιά ἡ, violetum.

**VĬŎLĔUS**, a, um, adject. (viola) ad violam pertinens. *Terentian. De syll. p.* 2397. *Putsch.* Viola flos qui nuncupatur, hunc Graji vocant ἴον, Et Iolaus violeus fit, crede Marco Tullio. Alii leg. *violens*; at *Halm* priorem lectionem defendit ad *Cic. fr. T.* 4. *p.* 1061. *n.* 22. et in not. idque confirmat *Cassiod.* 12. *Variar.* 4. *de vino acinaticio.* Hiemale mustum, uvarum frigidus sanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, violeum nectar.

**VĬŎLO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vis) Part. *Violans* I. 1.; *Violatus* I. 1. 2. 4. et II.; *Violaturus* I. 4.; *Violandus* I. 1. — Violo duo diversa significat.

I.) *Violo*, a *vis*, est vi illata, quæ integra sunt, corrumpo, imminuo, lædo, offendo, temero, polluo, βιάζομαι (It. *offendere, guastare, corrompere, profanare, violare*; Fr. *faire violence à, attaquer par violence, violer, outrager, profaner*; Hisp. *hacer violencia, violar, ultrajar, ofensar, profanar*; Germ. *gewaltsam behandeln, verletzen, verwunden, schänden, entehren*; Angl. *to hurt, harm, injure, mar, sully, violate*). ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 3. *B. C.* 15. Induciæ per scelus violatæ. *Cic. Rosc. Am.* 38. 109. Nullum esse officium, nullum jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit et imminuerit. *Id. Harusp. resp.* 5. 8. Bonæ deæ sacra non solum aspectu virili, sed flagitio stuproque violare. *Id.* 3. *Nat. D.* 23. *a med.* Violare virginitatem alicujus. *Id. Rabir. perduell.* 2. *ad fin.* loca religiosa et lucos. *et Sil. It.* 17. 13. aras cælicolum. *Tibull.* 1. 5. 37. numina verbo. *Sall. orat. Philippi contra Lepid. ad fin.* Tu neque hominum neque deorum pudet, quos perfidia aut perjurio violasti. *Virg.* 4. *Æn.* 27. et *Ovid. Heroid.* 7. 97. Violare pudorem. *Catull.* 67. 23. cubile alicujus. *Cic. fragm. contra C. Anton.* apud *Ascon.* leges, quæstiones, judicia. *Tibull.* 1. 10. 2. (et *Liv.* 28. 44.) Fœdera violanda. *Ovid. Heroid.* 7. 57. et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (104). Violare fidem. *Cic.* 2. *Phil.* 1. *in fin.* amicitiam. *Id. Quinct.* 23. 73. existimationem absentis. *Liv.* 2. 7. *a med.* virtutem alicujus suspicione. *Nepos Alcib.* 10. clementiam. *h. e.* crudelem esse. *Vulg. interpr. Mal.* 2. 10. Violans pactum. *Cic.* 3. *Verr.* 32. *sub fin.* Quum tu apud exteras nationes imperii nominisque nostri famam tuis probris flagitiisque violaris. *Id.* 1. *Fam.* 6. Violare dignitatem alicujus in aliqua re. *Id. post redit. in Senat.* 3. *ad fin.* Optimi viri corpus non solum tactum ac violatum manu, sed vulneratum ferro confectumque vidistis. *Lucan.* 7. 852. violabis vomere Manes. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 45. Getico peream violatus ab arcu. *Id.* 4. *Fast.* 649. Silva vetus nullaque diu violata securi. *Cic.* 7. *Verr.* 72. *ante med.* Violata religio. *et ibid. a med.* Sacra polluta et violata. *Id. Harusp. resp.* 11. *sub fin.* Ludi violati, polluti. *Id.* 2. *Legg.* 9. *sub fin.* Pœna violati juris esto. *Juvenal.* 13. 6. Violata fides. *Lucan.* 8. 125. potestas. *Ovid.* 1. *Art. am.* 675. Quæcumque est subita Veneris violata rapina. *Stat.* 9. *Theb.* 712. mitis subit alta Dianæ Corda dolor fletuque genas violata, quod inquit etc. — *Varro* 6. *L. L.* 80. *Müll.* Violavit virginem, pro vitiavit, dicebant. *Tibull.* 1. 7. 57. Violare puellam. *Lactant.* 1. 19. *ante med.* puerum. ¶ 2. Speciatim est damno, contumelia, verberibus, vulnere afficio, *maltrattare*, ubi de personis sermo est. *Cæs.* 6. *B. G.* 23. *in fin.* Hospites violare fas non putant: qui quaque de causa ad eos venerint, ab injuria prohibent. *Cic.* 3. *Fin.* 9. *ad fin.* Prodere patriam, violare parentes, fana depeculari. *Id. Parad.* 3. *ad fin.* Violare vitam patris. *h. e.* patrem necare. *Id. Harusp. resp.* 22. 46. Clarum hominem impurissimi voce hominis violari. *Virg.* 11. *Æn.* 591. sacrum violarit vulnere corpus. *Nepos Dion.* 3. Quum Plato a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset, quippe quem venumdari jussisset. *Justin.* 34. 1. *extr.* Peregrinum

populum trucidant: legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi etc. ¶ 3. Item pro vulnerare: et quidem absolute. *Cels.* 7. 12. *n.* 4., *Ovid.* 3. *Met.* 712., *Sil. It.* 10. 261. et 5. 601. ¶ 4. Item nativa integritate spolio, corrumpo, *guastare. Virg.* 7. *Æn.* 114. Et violare manu malisque audacibus orbem Fatalis crusti. *Id.* 11. *ibid.* 255. Iliacos ferro violavimus agros. *abbiamo dato il guasto.* et *Cæs.* 6. *B. G.* 31. Fines eorum se violaturum negavit. *Ovid.* 8. *Met.* 741. Cereale nemus violare securi. *h. e.* adhuc intactum cædere. *Liv.* 26. 31. Violare urbem. *h. e.* vi et armis capere et diripere. *Justin.* 44. 3. *a med.* In hujus gentis finibus mons est, quem ferro violari nefas habetur. *h. e.* fodi aut proscindi. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 63. *de Alecto.* (et *Lucan.* 9. 462.) Flatu violare diem. *infoscare.* et 1. *Rapt. Pros.* 190. præsaga mali violavit oborto Rore genas. *h. e.* lacrimis corrupit ocellos, ut *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 57. dixit. *Juvenal.* 3. 18. quanto præstantior esset Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum. *et* 11. 116. Fictilis et nullo violatus Juppiter auro. *Stat.* 1. *Theb.* 149. nec cura mero committere gemmas Atque aurum violare cibis. *macchiare.* et *Cels.* 7. 4. *n.* 2. Solent fistulæ, ubi costas transierunt, sæptum transversum violare. *Juvenal.* 15. 9. Porrum et cæpe nefas violare et frangere morsu. ¶ 5. Et nativum colorem corrumpo. *Virg.* 12. *Æn.* 67. Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur. Ubi *Servius:* Homeri comparatio unde et *violaverit* transtulit; ille enim (*Iliad.* *l.* 4. *v.* 141.) ait: Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ. Sic *Stat.* 1. *Achill.* 307. Lactea Massagetæ veluti quum pocula fuscant Sanguine puniceo vel ebur corrumpitur ostro. ¶ 6. *Violare oculos, aures,* re aliqua turpi aut dicto lædere. *Ovid. Heroid.* 17. 1. Nunc oculos tua quum violarit epistola nostros. *Petron. Sat.* 85. Violari aures meas obsceno sermone nolui.

H o m o n y m. Discrimen inter *violare* et *offendere* eruitur ex illo *Cic.* 1. *Off.* 28. 99. Justitiæ partes sunt non v i o l a r e homines, verecundiæ non o f f e n d e r e. Ubi patet, gravius esse *violare,* quam *offendere.*

II.) *Violo,* a *viola,* est condire violarum suco. *Pallad.* 3. *R. R.* 32. Conditum vel absinthiatum vel rosatum vel violatum. *V.* VIOLACIUS et VIOLATIO.

**VĪPĔRA**, æ, f. 1. Dicta quasi *vivipara,* quia sola e serpentium genere dicitur parere vivum animal; quamquam *Döderlein* confert cum Gr. ὑπέρα, funis, vel ἕρπω, serpo. — Vipera est serpentis venenati genus (*Coluber Berus* Linn.), ἔχις, ἔχιδνα (*It. vipera; Fr. vipère; Hisp. vibora; Germ. die Viper; Angl. a viper*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 62. 82. (169). Terrestrium sola vipera intra se parit ova unius coloris et mollia, ut pisces. Tertia die intra uterum excludit, deinde singulos singulis diebus parit, viginti fere numero. Itaque ceteræ tarditatis impatientes perrumpunt latera, occisa parente. ¶ 2. Latiore sensu, dicitur de quolibet serpente. *Virg.* 3. *G.* 416. sub præsepibus mala tactu Vipera delituit. *Ovid.* 2. *Art. am.* 376. Nec brevis ignaro vipera læsa pede. *Id.* 3. *Pont.* 3. 102. latens ima vipera serpit humo. *Horat.* 3. *Od.* 4. 17. Atræ viperæ. *Id. Epod.* 16. 52. intumescit alta viperis humus. *Propert.* 4. 7. 53. si fallo, vipera nostris Sibilet in tumulis et super ossa cubet. *Martial.* 3. 19. Vipera scelerata. *Ovid. Remed. am.* 421. Parva necat morsu spatiosum vipera taurum. — *Vipera est in veprecula,* proverb., de quo *V.* VEPRECULA.

II.) Translate est convicium moleste loquacis, iracundi, crudelis. Ad illud *Ter. Eun.* 5. 1. 8. Quid ais, venefica? *Donatus:* Aptum convicium et comicum in ancillas, venefica, lupa, vipera et sacrilega. *Flor.* 4. 12. *circa med.* Recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit, vipera, sibilare desiste. *Juvenal.* 6. 641. Tune duos (*filios veneno sustulisti*) una, sævissima vipera, cena? — *Viperam nutricare sub ala,* proverbialiter apud *Petron. fragm. Tragur.* 77. *Burmann.* est suum sibi malum fovere. Sic *Cic. Harusp. resp.* 24. 50. Etiamne in sinu atque in deliciis quidam optimi viri viperam illam venenatam atque pestiferam habere potuerunt?

**VĪPĔRĀLIS**, e, adject. (vipera) ad viperam pertinens. *Apul. Herb.* 89. Memorant etiam ad Olcimum (*lege* Aliacmonem) fluvium (*rutam hortensem*) appellari viperalem, eo quod interfectibilis earum comprobetur. *h. e.* quod contra serpentium ictus pro antidoto valet, ut ait *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. *ante med.*

**VĪPĔRĔUS**, a, um, adject. (vipera) ad viperam pertinens, viperinus.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ovid.* 2. *Met.* 768. videt intus edentem Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum, Invidiam. *Id.* 4. *ibid.* 572. Viperei dentes. *et* 7. *ibid.* 203. Vipereas fauces carmine rumpere. *Lucan.* 9. 635. Vipereum venenum. — *Seneca Herc. Œt.* 169. *de Briareo.* Supra Thessalicos quum stetit aggeres, Ut cælo insereret vipereas manus. *h. e.* viperas in digitis aut pro digitis habens, ut olim finxere. *Ovid.* 4. *Met.* 614. Vipereum monstrum. *h. e.* caput Medusæ, viperas pro crinibus. ¶ 2. Latiore sensu. *Id.* 6. *Met.* 662. Vipereæ sorores. *h. e.* Furiæ anguibus caput cinctæ. *Id.* 7. *ibid.* 391. pennæ. *h. e.* pennati serpentes, quibus per aera Medea ferebatur. *Id.* 4. *Pont.* 7. 36. vipereo tela cruore madent. *h. e.* veneno. *Seneca Œdip.* 597. Vipereum genus fratrum. *h. e.* qui nati fuerant ex dentibus serpentinis a Cadmo satis. *Virg.* 7. *Æn.* 351. Vipeream inspirans animam. *h. e.* halitu venenato afflans.

II.) Translate. *Augustin.* 6. *Op. imperf. contra Julian.* 28. Vipereæ astutiæ.

**VĪPĔRĪNA**, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

**VĪPĔRĪNUS**, a, um, adject. (vipera) ad viperam pertinens, vipereus, *di vipera, viperino;* ἐχιδναῖος.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Accius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 29. 94. et 2. *Tusc.* 7. 19. Cui viperino morsu venæ viscerum Veneno imbutæ tetros cruciatus cient. *Horat.* 2. *Od.* 19. 19. Bistonidum crines nodo viperino coercere. *Id. Epod.* 3. 6. Viperinus cruor. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 115. (279). Viperina sanie tingere sagittas. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (27). Viperina carne ali. ¶ 2. Speciatim est in modum viperæ, seu formam habens viperæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (121). *de chamæleone.* Cauda implicans se viperinis orbibus.

II.) Translate. *Prudent. præf. alt.* in Ἀποθ. 3. An viperina non cavemus dogmata? — Hinc *Viperina, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, dicitur ab *Apul. Herb.* 5. herba, quæ aliis serpentaria, tortuosa radice, ἐχίδνιον Græcis, efficax contra serpentes.

**VĪPĬO**, ōnis, m. 3. Vox fortasse Ibericæ originis, qua significatur minor grus, *grue minore,* γερανίς. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 49. 69. (135). Ibi (*in Balearibus insulis*) et buteo accipitrum generis in honore mensarum est: item vipiones. Sic enim vocant minorem gruem. *Alii* pipiones. *Id.* tamen in *Ind. libr.* 10. *sect.* 69. De novis avibus: vipiones. Ita *Sillig.; alii* cum vett. editt. *bibiones.* Cf. PIPIZO.

**VĬR**, viri, m. 2. — *a*) *Virum* pro *virorum* usurpatur a Poetis, et quidem sæpenumero. Sic et *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 14. 2458. et 2502. — *b*) Ratione habita etymi, alii factum putant a Gr. ἴς et, addito digammate, Lat. *vis* (*Cf. Lucret.* 5. 962.); alii vero conferunt cum Skr. *vira,* homo, et speciatim homo fortis, heros. — *c*) De quantitate syllabæ prioris, tam in recto quam in obliquis casibus, apud *Plaut. V. Weise* in *Lex. Plaut.* — Vir universim est masculus in genere hominum, cui respondet *mulier, femina,* et Italice τῷ *uomo* opponitur τὸ *donna.* Græce est ἀνήρ (*It. uomo; Fr. homme; Hisp. hombre; Germ. der Mann; Angl. a man*). Adhibetur autem *A*) Sensu physico de sexu; *B*) Sensu morali, de virtute, fortitudine aliisque hujusmodi, quæ illi insunt, dotibus; *C*) Sensu generali, de homine quocumque, et loco pronominis. Vir itaque

*A*) Sensu physico indicat sexum masculinum et dicitur de homine, cui opponitur *mulier, femina.*

I.) Proprie de animantibus ratione præditis. ¶ 1. Generatim. *Ter. Phorm.* 5. 3. 9. Virum me natam vellem: ego ostenderem. *Lucret.* 5. 1010. mulier conjuncta viro. *Ovid.* 3. *Met.* 326. Deque viro factus (mirabile!) femina. *Tibull.* 2. 2. 2. lingua vir mulierque fave. *Justin.* 25. 4. 6. Majore mulierum, quam virorum virtute exceptus. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 170. sequimur, quecumque vocaris, Seu tu vir seu numen, ait. *Ovid. Heroid.* 9. 106. Quod tu non esses jure, vir illa fuit. *Id.* 4. *Met.* 280. Ambiguus fuerit modo vir, modo femina Sithon. ¶ 2. Speciatim refertur aliquando ad ætatem virilem, *uomo fatto. Ovid.* 13. *Met.* 397. Littera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis. ¶ 3. Et ad generandi vim aut virilia. *Catull.* 63. 6. ut relicta sensit sibi membra sine viro. *Lucan.* 10. 133. ferro mollita juventus Atque execta virum. *h. e.* castrata. *Alii leg.* exacta. Adde *Apul.* 2. *Met.* ¶ 4. Hinc sæpe maritum significat, *marito. Ter. Hecyr.* 4. 1. 1. Quid viro meo respondebo, misera? *Ovid.* 4. *Pont.* 13. 3. *de Livia Aug.* Ambiguum natu dignior, anne viro. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 127. nec vereor, ne vir rure recurrat. *Petron. Sat.* 111. Matrona quum virum extulisset etc. ¶ 5. Sæpe *vir,* conjunctum cum adject. numeralib., indicat magistratus, officia, ut *duumvir, tresviri* etc. *V.* suis locis.

II.) Improprie de brutis, *il maschio,* nam et *maritus* et *uxor* de his dicuntur. *Virg.* 7. *Ecl.* 7. Vir gregis ipse caper deerraverat. *Theocrit. Edyll.* 8. *v.* 49. Ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ. *Martial.* 3. 93. Et illud oleas, quod viri capellarum. *Solin.* 23. Equæ aspirante Favonio vento concipiunt et sitientes viros aurarum spiritu maritantur. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 660.

*B*) Sensu morali significat non tam sexum, quam constantiam animi, fortitudinem, virtutem: quibus feminæ fere carent aut longe inferiores sunt: cui *homo* et etiam *femina* opponitur.

I.) Generatim. — *a*) Absolute. *Ter. Eun.* 1. 2. 74. Heus noster! laudo: tandem perdoluit: vir es. *Sall.* 2. *Hist. fr.* 73. Neque inermis ex prœlio viros quemquam agnoturum. *h. e.* viros fortes. *Cic.* 10. *Att.* 7. *a med.* Si vir esse volet, præclara συνοδία; sin autem, erimus nos qui solemus. *Ovid.* 6. *Fast.* 595. Si vir es, i, dictas exige dotis opes. *Horat. Epod.* 15. 12. Nam si quid in Flacco viri est. Non feret etc. *Quintil. Declam.* 3. 6. Hoc ipsum, quod primus ante signa procurrit, quod veteranos tiro præcedit, quod redit pulvere et cruore concretus: istud, istud, quod tam vir est, *Martial.* 2. 69. Grandia verba ubi sunt? si vir es, ecce nega. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. *a med.* Marius rusticanus vir, sed plane vir, quum secaretur, vetuit se alligari. *et mox.* Et tamen fuisse acrem morsum doloris, idem Marius ostendit; crus enim alterum non præbuit. Ita et tulit dolorem, ut vir: et, ut homo, majorem ferre sine causa necessaria noluit. *Id.* 5. *Fam.* 17. Ut te rogarem, ut et hominem te et virum esse meminisses: id est ut et communem incertumque casum sapienter ferres et dolori fortiter ac fortunæ resisteres. Ubi *Manut.* Ab homine sapientiam, a viro fortitudinem postulat. *et ibid.* 18. Te oro, te colligas virumque præbeas. *Virg.* 1. *Æn.* 1. Arma virumque cano. *eroe. Tac. Germ.* 27. Feminis lugeri honestum est, viris meminisse. *Seneca Consol. ad Polyb.* 36. *ante med.* Non sentire mala sua, non est hominis: et non ferre, non est viri. *Justin.* 11. 13. *sub fin.* Et quemadmodum Dario majorem turbam hominum esse, sic virorum sibi. — *b*) Hinc fere jungitur cum epithetis laudis. *Cic. Cœl.* 5. *ad fin.* Catilina utebatur hominibus improbis multis: et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. *Id.* 3. *Fin.* 8. *a med.* Quem stabili et firmo et magno animo, quem fortem virum dicimus? *et paullo post.* Vir altus et excellens. *Id.* 4. *Tusc.* 25. *sub fin.* con-

stans ac sapiens. *Id. Senect.* 23. 82. præstans, et *ibid.* 7. 22. clarus et honoratus. *Id. Brut.* 85. 293. summus et singularis. *Id.* 3. *Fin.* 19. *a med.* bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii non ignarus. *Id.* 7. *Verr.* 58. 153. fortissimus et clarissimus. *Inscr.* apud *Momms. n.* 3606. doctissimus et rarissimus. — Sic *viri ingentes* apud *Stat.* 6. *Theb.* 832. h. e. humana quodammodo sorte majores. et *Vet. Schol.* ad *Plin. l.* 2. Viri ingentes supraque mortalium natura etc. — Hinc translate *viri fortissimi* apud *Vulg. interpr. Eccle.* 12. 3. sunt pedes, qui totam corporis molem portant. *V.* integr. loc. — *c*) Rarius cum adjunctis vituperationis. *Sall. Jug.* 90. Viri turpissimi. *Virg.* 4. *Æn.* 497. Vir nefandus. *Ovid.* 2. *Fast.* 688. injustus. *Lucan.* 2. 87. ferus. *Seneca Hippol.* 273. immitis. *Id. Thyest.* 211. humilis. — *d*) Apud *Vulg. interpr.*, ex usu linguæ Hebraicæ, additur genet. substantivi loco adjectivi. Sic *viri virtutis* in 1. *Mach.* 5. 50. pro viris virtute præditis, *viri divitiarum* in *Ps.* 75. 6. pro divitibus, *viri sanguinum* in *Ps.* 138. 19. pro sanguinariis etc. — *e*) *Vir clarissimus* honoris causa dicebatur. *V.* CLARUS. Sic et *ornatissimus, perfectissimus* etc., ut in suis loc. videre est. — *f*) *Vir bonus* dicitur — α) Generatim homo justus, probus, liberalis, *dabbene*, qui prodest quibus potest, nocet nemini, ut ait *Cic.* 3. *Off.* 15. *sub fin.*: nos dicimus *galantuomo. Id.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Ut eum, quem bonum civem semper habuisset, bonum virum esse pateretur. Apud *Senec. var. in loc. cit.* est idem qui sapiens Stoicorum, optimis moribus præditus, virtutibus ornatus, sanctus. — β) Mos erat candidatos sic appellare. *Seneca Ep.* 3. Sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus: quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. Hinc Itali etiam nunc *buonuomo* eodem sensu appellant virum inferioris conditionis. — γ) Item feneratores. *Cic.* 9. *Att.* 12. Stat urbs ista? prætores jus dicunt, ædiles ludos parant, viri boni usuras perscribunt? *Id.* 2. *Off.* 25. 90. Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus, quam a philosophis disputatur. — *g*) *Bonus vir* εἰρωνικῶς dicitur dolosus, malus aut insipiens, *buon uomo. Ter. Eun.* 4. 3. 18. Ille autem bonus vir nusquam apparet. *h. e.* qui se eunuchum simulaverat. *Id. Adelph.* 3. 5. 30. Ille bonus vir nobis psaltriam, si diis placet, paravit, quicum vivat. *Id. Andr.* 3. 5. 10. Ehodum bone vir, quid ais? viden, me tuis consiliis miserum impeditum esse? Adde *ibid.* 5. 2. 5., *Eun.* 5. 2. 11. etc. — *h*) *Bonus vir* est aliquando vir bonus. *Id. Phorm.* 4. 3. 33. Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba hodie inter vos. Quidam MSS. habent *vir bonus*. — *i*) Interdum *vir* de eo dicitur, qui turpia refugit, flagitia aversatur. Licinium Mucianum notæ impudicitiæ retaxans Vespasianus dicere solebat, ut est apud *Sueton. Vesp.* 13. Ego tamen vir sum. De eod. *Sex. Aur. Victor. Epit.* 9. Nosti me virum esse. *Ovid.* 1. *Art. am.* 524. Et si quis male vir quærit habere virum.

II.) Speciatim *viri*, in re militari, nonnumquam sunt pedites, *fanti.* — *a*) Universim. *Liv.* 21. 27. Omnibus comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverso hostes, omnem ripam equites virique obtinentes. *Petron. Sat.* 123. passim turmæque virique Armaque congesta strue deplorata jacebant. *Sil. It.* 9. 559. Magna voce trahens equitemque virosque. Sic *Cæs.* 2. *B. C.* 39. *a med.* Multa spolia præferebantur: capti homines equitesque producebantur. — *b*) Hinc *viris equisque*, omni conatu, proverbialis locutio. *V.* EQUUS. — *c*) *Vir virum legere* similiter — α) In militia dicebatur, quum in acie instruenda duces potestatem faciebant militibus, ut sibi quisque socium notum sibi et spectatæ virtutis adjungeret, a quo latus sibi tegeretur vicissimque is ejus tegeret accenderenturque ambo proprio exemplo ad acrius pugnandum: quod fieri maxime solebat, quum periculum aliquod majus instabat et cum fortissimo hoste erat congrediendum. *Liv.* 9. 39. Etrusci, coacto exercitu, quum vir virum legisset, quantis numquam antea simul copiis, simul animis dimicarunt. Huc allusit *Cic. Mil.* 21. 55., ubi de comitatu Clodii loquens: Ille, inquit, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres. Apud *Virgil.* quoque hic mos innuitur 11. *Æn.* 631., ubi tamen significatur, non socium sibi a milite comitemque in pugna lectum fuisse, sed delectum destinatumque oculis et ictibus hostem, in quem irrueret. Verba *Virgilii* sunt: Tertia sed postquam congressi in prœlia, totas Implicuere inter se acies legitque virum vir. Ex *Homer. Iliad. l.* 4. *v.* 472. ἀνὴρ δ' ἄνδρ' ἐδνοπάλιζεν. — β) In senatu etiam legendo hic mos est aliquando usurpatus, ut senator senatorem eligeret. *Sueton. Aug.* 35. Senatorum affluentem numerum ad modum pristinum redegit duabus lectionibus: prima ipsorum arbitratu, quo vir virum legit.

*C*) Sensu generali: et quidem ¶ 1. Pro homine quocumque: hinc *viri* opponuntur *pecudibus* apud *Ovid.* 1. *Met.* 286. — Item *diis* apud *Virg.* 6. *Æn.* 553. ¶ 2. Et pro incola, *abitante d'un paese. Horat.* 3. *Od.* 16. 14. diffidit urbium Portas vir Macedo. Sic *Vulg. interpr. Act.* 16. 9. *Ovid. Heroid.* 16. *ad fin.* Nec minor est Asiæ, quam vestræ copia terræ: Illa viris dives, dives abundat equis. ¶ 3. Sæpe loco pronominis, eadem ratione qua *homo* pro *is, ille* etc. *Ter. Andr.* 2. 6. 5. Præter spem evenit: sentio. hoc male habet virum. *Cic.* 9. *Att.* 18. Vidisti igitur virum, ut scripseras? *Virg.* 4. *Æn.* 3. Multa viri virtus animo multusque recursat Gentis honos. Adde *Val. Flacc.* 1. 30. — Similiter *Vulg. interpr.* 3. *Reg.* 12. 24. Revertatur vir in domum suam. *h. e.* unusquisque. Adde *Jon.* 1. 7., *Is.* 63. 2. etc. Sic *Ezech.* 14. 1. Viri seniorum Israel. *h. e.* quidam ex senioribus. et *Os.* 2. 10. Vir non eruet eam. *h. e.* nemo. ¶ 4. *In viros* pro viritim. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 30. Dividere argenti dixit nummos in viros.

Homonym. Discrimen inter *virum* et *hominem* satis constat ex loc. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. et 5. *Fam.* 17. et *Senec. Cons. ad Pol.* 36., quæ sub *B* I. adlata sunt. Alia vide sis apud *Döderlein* (*op. cit. v.* 5. *p.* 131.). — Item inter *virum* et *masculum* hoc interest, quod *vir* dicitur de specie, *masculus* de genere: et *vir* quattuor modis intelligitur, idest specie, natura, nuptiis, virtute; *masculus* vero etiam ab homine segregatur, ut in animalibus. Ita in *Anecd. Helv. p.* 284. 17. *Hag.*

VĪRA, æ, f. 1. (vir) femina. *V.* QUERQUETULANUS.

VĪRĀCĔUS (viracius), a, um, adject. (vir) virilis, vel magnarum virium. *Varro Sat. Men.* 55. *p.* 159. *Oehl.* Vir viraceus. *V.* VIRATUS, a, um.

VĪRĀGO, inis, f. 3. (vir) femina, quæ animo et robore virum refert, mulier fortis, quæ viro similis sit et virilia opera faciat, *donna d'animo virile e maschio,* ἀρρενωπός, ἀντιάνειρα. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Merc.* 2. 3. 79. Ego emero matri tuæ ancillam viraginem aliquam, non malam, forma mala. *h. e.* robustam, laboris patientem instar viri. *Virg.* 12. *Æn.* 468. Juturna virago. *Poet.* apud *Cic.* 1. *Off.* 18. 61. Illa virago viri. Sed rectius *Lachm.* ad *Lucr. p.* 227. leg. *virgo.* — Speciatim. *Lactant.* 1. 9. Hercules viraginem vicit. *h. e.* Amazonem. *Seneca Hippol.* 54. Ades en comiti diva virago. *h. e.* Diana. *Ovid.* 2. *Met.* 765. Huc ubi pervenit bello metuenda virago. *h. e.* Pallas, quæ sæpe a poetis hoc nomine indigitatur, ut ab eodem *Ovid.* 6. *Met.* 130., a *Stat.* 4. *Silv.* 5. 23. et 11. *Theb.* 414. et *Capell.* 6. *p.* 188. *in carm.* Sic *Auct. Epit. Iliad.* 533. Sancta virago. — V. *Vet. interpr. Virg.* ab *A. Maio* ed. *p.* 72., ubi multa de hujus vocis significatione invenies. ¶ 2. Latiore sensu. *Vulg. interpr. Gen.* 2. 23. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Sic Hebr. אישה *ishà*, mulier, ab איש *ish*, vir.

VĪRĀTUS, a, um, adject. participiorum more factum, a *viro, as,* quod vulgo fortasse usurpatum fuit, est virili animo præditus, vel magnarum virium, *virile, maschio. Varro* apud *Non. p.* 187. 14. *Merc.* Si non malit vir viratam uxorem habere Atalantam. Alii leg. *viratiam* eodem sensu. *Oehl.* leg. *viratus:* at recentiores *viraceus* (*viracius*). V. hanc voc. Ceterum vocis usum firmat *Vulg. interpr. Eccli.* 28. 19. Lingua tertia mulieres viratas ejecit. *h. e.* ἀνδρείας, ut legitur in textu Græco. Sic in *Thes. n. Lat. p.* 161. Juno domiduca dicebatur, quia in domum puellas viratas introducere videbatur.

VĪRĀTUS, us, m. 4. (vir) ¶ 1. Est virtus, constantia virilis, vel officium, quod a bono viro præstari solet. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in conc. a med.* Bono viratu æmulis suis magis prodesse cupiens, quam placere. ¶ 2. Est etiam idem ac seviratus, *in Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 3335., fortasse, ut ait cl. *De-Vit*, ex syllabarum VI viratus contractione ortum.

VIRDESCO. *V.* VIRIDESCO.

VIRDĬĀRĬUM. *V.* VIRIDARIUM.

VIRDĬCO. *V.* VIRIDICO.

VIRDIS. *V.* VIRIDIS.

VIRE. *V.* VIRERE.

VĪRECTUM. *V.* VIRETUM.

VĪRENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĬRĔO, vires, virŭi, virere, n. 2. *Vire* pro *virere* legunt nonnulli apud *Veget.* 4. *Mil.* 36. At *Lange* et *Schwebel* tribuunt librariorum arbitrio. — Vox est probabiliter a *vis* (*vires*) seu *vigor*; nam virent plantæ, quæ needum aruerunt, sed in suo sunt vigore: et hæc videtur esse primitiva vocis significatio, quamquam prioris quantitas in *vires* differt. Cf. VIRESCO. *V.* etiam *Döderlein* et *Vanicek op. cit.* ad *h. v.* — Part. *Virens.* — Vireo est viridis sum, θάλλω, χλοάζω (It. *essere verde, verdeggiare;* Fr. *être vert ou verdoyant, verdir;* Hisp. *estar verde, verdear, verdecer;* Germ. *grün sein, grünen;* Angl. *to be green or verdant, bloom*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de plantis vel ex plantis. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 37. Itaque et arbores et vites et ea, quæ sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt, alia semper virent, alia hieme nudata, verno tempore tepefacta frondescunt. *Virg.* 6. *Æn.* 206. Fronde virere nova. *Ovid.* 5. *Fast.* 382. Summa (*montis*) virent pinu. *Propert.* 2. 25. 77. Ascræi præcepta poetæ, Quo seges in campo, quo viret uva jugo. *Virg.* 4. *G.* 18. At liquidi fontes et stagna virentia musco. *Horat. Art. P.* 117. Mercatorne vagus cultorne virentis agelli. *Id.* 1. *Od.* 25. 17. Hedera virens. *Virg.* 5. *G.* 146. mons ilicibus virens. — *b*) De aliis. *Ovid.* 2. *Met.* 777. Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno. *Martial.* 6. 42. Illic Taygeti virent metalla. *h. e.* marmor Lacedæmonium viride. *Id.* 9. 76. quod (*marmor*) virenti fonte lavit Eurotas. *h. e.* aqua viride marmor faciente.

II.) Translate. ¶ 1. Est vigere, pollere, in vigore esse, florere, vegetum esse. *Horat. Epod.* 13. 4. Dum virent genua. *Ovid.* 5. *Fast.* 273. quum juvenilibus annis Luxuriant animi corporaque ipsa virent. *Liv.* 6. 22. Exactæ jam ætatis Camillus erat, sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat virebatque integris sensibus. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 15. Per fasces numerantur avi semperque renata Nobilitate virent. *Flor.* 1. 22. Hæc est secunda ætas populi Romani et quasi adulescentia, qua maxime viruit et quodam flore virtutis exarsit. *Sil. It.* 1. 60. ævi Flore virens. *Justin.* 43. 5. 4. Virium gloria virente florere. *Stat.* 3. *Theb.* 453. Jam senior, sed mente virens. *Justin.* 30. 4. 15. Virens recentibus experimentis virtutis flos. *h. e.* virtus bellica vigens. *Ovid.* 2. *Met.* 795. conspicit arcem Ingeniis opibusque et festa pace virentem. *h. e.* florentem. *Alii leg.* nitentem. ¶ 2. Est etiam lucere, nitere. *Plaut. Men.* 5. 2. 76. Viden tu illi oculos virere. *Ovid.* 9. *Met.* 266. Utque novus serpens posita cum pelle senecta Luxuriare solet squamaque virere recenti. *h. e.* nitere. Sic *Horat. Epod.* 17. 33. Virens in Ætna flamma. Ita *Peerlkamp* leg. et interpr. *Forcellino* tamen hic *virens* est numquam intermoriens sed per-

petuis vigent ignibus. Verum alii leg. *urens*, alii *vibrans*, alii *furens*, quod posterius placet *Bentlejo*. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

*Virens, entis*, usurpatur etiam ¶ 1. Adjective, et quidem duplici sensu. — *a*) Est enim viridis. *Stat.* 4. *Theb.* 825. Silvarum regina virentum. — Translate. *Horat.* 4. *Od.* 13. 6. (*Chia*) virens. *giovinetta, fresca*. Cf. alia exempla supra allata. — *b*) Item ad virum pertinens. *Hygin. fab.* 184. Juppiter ne infamiam virentis, id est masculini, concubitus subiret, versus in aquilam ex Ida monte Ganymedem rapuit et fecit eum pincernam in cælo. ¶ 2. Absolute, substantivorum more. — *a*) In sing. num. *Horat.* 1. *Od.* 9. 17. Donec virenti canities abest. *h. e.* juveni. ubi tamen facile subaudies *tibi*. — *b*) In plur. num. *virentia* sunt viridia, arbores atque herbæ. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *ad fin.* Hæc perniciem afferunt hominibus, armentis et virentibus. *Id.* 5. *ibid.* 8. Natura parem legem fecunditatis dixit virentibus atque hominibus ceterisque animalibus.

**VĪRĔO** *et* virio, ōnis, m. 3. (vireo) avis, quæ et *chlorion*, Græce χλωρίων, a χλωρός, viridis, quia viridis est coloris, *verdone, frisone, rigogolo*. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (292). E diverso vireonem prodire ipso die solstitii. *Sillig.* virionem. Adde *Vet. Schol.* in *Germ. Progn. ad fin.*, ubi *virio* pro *vireo* occurrit. *V.* CHLORION et GALBULA.

**VĪRES**, ium, f. plur. 3. *V.* VIS.

**VĪRESCO**, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vireo) viridis fio, *verdeggiare*, θάλλω.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 252. rami virescunt arboris. *Virg.* 1. *G.* 55. Arborei fetus alibi atque injussa virescunt Gramina. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 394. et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 29. (101). *Seneca Thyest.* 54. Lauro fores lætæ virescunt. *Ambros.* in *Luc.* 7. *n.* 127. Quum foliorum puberum caulem videas aruisse, floris natura virescit.

II.) Translate. *Lucret.* 1. 674. De nihiloque renata virescat copia rerum. Alii rectius *vigescat*. V. VIGESCO. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 63. prima quum parte viresceret ævi.

**VĪRESCO**, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vires) robur et vires acquiro, *rinforzarsi, pigliar vigore*. *Furius* apud *Gell.* 18. 11. et *Non. p.* 188. 9. *Mere*, Increscunt animi, virescit vulnere virtus. *Gell. ibid.* hoc verbum probat; *Cæsell. Vindex* improbat; alii a *vireo, es*, viridis sum, deducunt, cujus tamen prima brevis est, nisi etiam hoc a *vis* (*vires*) derivare velint. *V.* VIREO init.

**VĪRĒTUM** *et* virectum, i, n. 2. (vireo) Sunt qui *virectum* scribunt, quasi sit a *vires* inusit., ut a *frutex frutectum*. Sane ita legitur in *Not. Tir. p.* 9. V. *Muncker* apud *Fulg. Myth.* 1. *præf. p.* 12., *Oudend.* ad *Apul.* 4. *Met.* 2. *p.* 238., *Wagner Orth. Vergil. p.* 481. et in *Inscriptt.* Cf. etiam *Burmann Ungedr. Inschr. p.* 17. Huic scriptioni favet *Forcellinus* noster, qui affert illud *Prudent.* 3. *Cathem.* 101. Tunc per amœna vireeta jubet Frondicomis habitare locis. *Hild.* tamen ad *Apul.* 4. *Met.* 1. *ad fin.* eam improbat. — Viretum est locus herbarum arborumve viriditate amœnus, *luogo di verdura*, παράδεισος.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 638. Devenere locos lætos et amœna vireta Fortunatorum nemorum. *Apul.* 4. *Met.* Vireta lætissima. *et ibid.* Mons consitus viretis.

II.) Translate. *Capell.* 1. *p.* 18. Diadema, cui neque Scythidis vireta *etc.* nec fluctieolor hyacinthi credebatur abesse profunditas. *h. e.* smaragdi Scythici, qui sunt gemmæ coloris viridis, et quibus nihil omnino viridius comparatum viret, ut ait *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 16. (62). *V.* SCYTHIS in ONOM.

**VIRGA**, æ, f. 1. *Verga* pro *virga* scribitur ἀρχαϊκῶς. *V.* VERGILIÆ. — Ratione habita etymi, *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 242. ducit a *vis* et *rego*. V. infra. Cf. et *Isid.* 5. *Orig.* 27. 18. et 17. *ibid.* 6. 18. At ex recentioribus alii a rad. Skr. *varg*, volvere, torquere, stringere; alii vero cum *Vossio* in *Etym.* a Lat. *vireo* derivant. — Virga est oblongus ac tenuis ramulus, flagellum, vimen aut surculus sive arbori adhærens sive recisus, ῥάβδος (It. *ramuscello, bacchetta, verga;* Fr. *branche mince et verte, verge, baguette;* Hisp. *ramito, vara, verga;* Germ. *e. dünner und grüner Zweig, Reis, Ruthe;* Angl. *a long twig, young or small branch, rod*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Cato R. R.* 101. Virgas murteas si voles cum baccis servare etc. *Varro* 1. *R. R.* 59. *sub fin.* Punica mala, etiam immatura, quum hærent in sua virga, si demiseris in ollam etc. *Ovid. Heroid.* 11. 76. Ut quatitur tepido fraxina virga Noto. *Id.* 3. *Met.* 29. specus virgis ac vimine densus. *Id.* 11. *ibid.* 109. (*Midas*) non alta fronde virentem Ilice detraxit virgam. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 112. (172). Herba caulem habet virgæ ficulneæ modo geniculatum. *Id.* 17. *ibid.* 18. 30. (136). Genistam in siccis semine, salicem in humidis virga seri. *Id.* 19. *ibid.* 10. 58. (180). et 24. *ibid.* 10. 43. (73). virgam sanguineam memorat, quæ idem est ac sanguineus frutex; de quo *V.* SANGUINEUS. *Ovid.* 15. *Met.* 474. volucrem viscata fallere virga. *Virg.* 1. *G.* 266. Nunc facilis rubea texatur fiscina virga. Apud *eumd.* 2. *ibid.* 117. turea virga est ramusculus ex arbore turis resectus; nam commerciis non solum turis lacrima, sed etiam virgæ Romam portabantur, ut *Plin.* narrat 12. *Hist. nat.* 14. 31. (57). — Hinc allegorice apud *Vulg. interpr. Is.* 11. 1. Virga de radice Jesse. ¶ 2. De surculo aut malleolo in insitionibus. *Ovid.* 14. *Met.* 630. fissa modo cortice virgam Inserit, et sucos alieno præbet alumno. ¶ 3. De calamo, quo viola, papaver et lilium sustentatur. *gambo del fiore* Itali dicunt. *Id.* 10. *ibid.* 190. Ut si quis violas riguoque papaver in horto Liliaque infringat fulvis hærentia virgis.

II.) Metonymice. ¶ 1. Pro bacillo et verbere; ex virga namque resecta et polita fiebant. *Ovid.* 2. *Art. am.* 131. Ille levi virga (virgam nam forte tenebat) Quod rogat, in spisso littore pingit opus. *Liv.* 45. 12. Popilius legatus, virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regem etc. (Hanc eamdem rem narrant *Vellej.* 1. 10., *Cic.* 8. *Phil.* 8. 23. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 11. (24)., sed hic nomen perperam mutat et Cn. Octavium appellat, cujus aliam fuisse ac Popillii legationem, constat ex *Cic.* 9. *Phil.* 2.) *Ovid.* 2. *Fast.* 706. Tarquinius virga lilia summa metit. *Juvenal.* 7. 210. metuens virgæ jam grandis Achilles Cantabat patriis in montibus. *Id.* 8. 316. Sed jumenta vocant et sol inclinat: eundum est. Nam mihi commota jamdudum mulio virga Innuit. *vincastro*. et *Martial.* 9. 23. virga gubernat equum. (Adde *Lucan.* 4. 683.) *Vulg. interpr. Mich.* 7. 14. Pasce gregem tuum in virga tua. *h. e.* pastorali pedo. ¶ 2. Item pro plectro. *Apul. Florid.* 2. Poemata apta virgæ. Ubi tamen alii volunt dici de poematis, quæ in theatris recitabantur ab actoribus lauri ramum seu virgam manu tenentibus. V. *Oudend.* ad *h. l.* ¶ 3. Item *virgæ* sunt bacilli, quibus in servos sæviebatur a dominis. *Plaut. Asin.* 3. 2. 28. Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo Validos lictores, ulmeis affectus lentis virgis. *et fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 482. ulmeis corpus inscribere. Antiquitus enim virgæ erant ulmeæ, postea ex betulla. *V.* infra. Adde *Asin.* 2. 2. 74. Cf. *ibid.* 96. Interminatus est, nos futuros ulmeos. *Id. Capt.* 3. 4. 117. Væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo. *Id. Cas.* 5. 4. 24. Virgis pendentem verberare. *Id. Epid.* 1. 1. 85. dorsum depolire. *Id. Bacch.* 4. 6. 10. lacerare latera. *Id. Men.* 5. 5. 40. sub furca cædere. *Id. Pœn. prol.* 26. variare. *Id. Rud.* 3. 4. 27. circumvincire. *et ibid.* 53. sauciare. — Hinc translate de supplicio divino. *Vulg. interpr. Ezech.* 7. 10. ¶ 4. Item *virga*, inquit *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 242., insigne potestatis est; nam ideo ea magistratus utuntur: dicta quod *vi regat*. Hac et vates plerumque utuntur. Et hodieque tam athletarum, quam gladiatorum certamina virga dirimuntur: et præfecti gentium, quum fiunt, virgam accipiunt et gestant. — In fascibus Romani lictoris virgæ erant ex betulla arbore (ut *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (75). tradit), quibus cædebantur noxii. *Cic.* 5. *Phil.* 29. *ad fin.* Virgis aliquem ad necem cædere. *Id.* 7. *Verr.* 62. 162. Hominem nudari ac deligari et virgas expediri jubet. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (136). Habere jus virgarum in aliquem. — Pulsabantur virga a lictore januæ, si quo magistratus accederet. *Liv.* 6. 34. Forte incidit, ut lictor Sulpicii, quum is de foro se domum reciperet, forem, ut mos est, virga percuteret. *Martial.* 8. 66. nobilique virga Vatis (*Silii poetæ et consulis*) Castaliam domum sonare. ¶ 5. Hinc *virga* pro fascibus et honore magistratus: singulari numero poetice. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 31. et quos prætexta verendos Virgaque cum verbis imperiosa facit. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 47. dum fervent agmine postes Atriaque et multa pulsantur limina virga. *h. e.* a multis magistratibus aditur domus. *Juvenal.* 8. 7. multa deducere virga Fumosos equitum cum dictatore magistros. ¶ 6. Etiam pro sceptro apud *Vulg. interpr. Ps.* 44. 7. Virga regni tui. Adde *Ps.* 109. 2. ¶ 7. De bacillo magorum. *Virg.* 7. *Æn.* 189. Picus equum domitor, quem capta cupidine conjux Aurea percussum virga versumque venenis Fecit avem Circe. Adde *Ovid.* 14. *Met.* 278., 295. et 300. ¶ 8. *Virga* dicitur etiam de scopis: hinc *virga humum verrere* apud *Ovid.* 4. *Met.* 736. est humum verrere scopa ex virgis colligatis composita. ¶ 9. *Damnatæ spongia virgæ* apud *Martial.* 12. 48. est ligno præfixa spongia, qua in latrinis obscena mundabant: de ea et *Seneca* verba facit *Ep.* 70. *a med.* ¶ 10. *Virga* est præcipuum Mercurii gestamen. *Virg.* 4. *Æn.* 242. Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit: Dat somnos adimitque et lumina morte resignat: Illa fretus agit ventos et turbida tranat Nubila. Adde *Horat.* 1. *Od.* 10. 18. *et ibid.* 24. 16., *Ovid.* 1. *Met.* 671. et 2. *ibid.* 735. et *Sil. It.* 3. 149. *Capell.* 2. *p.* 32. Virga memor. *V.* CADUCEUS. ¶ 11. *Virga hereditatis* apud *Vulg. interpr. Ps.* 73. 2. est pars. Nam virgâ mensurabantur agri.

III.) Improprie. ¶ 1. *Virga* est in cælo imperfectus arcus, facie quidem picta, sed minime curva; in rectum enim jacet, *verga*. Fit autem juxta solem fere in nube humida et jam se spargente. Itaque idem est in illa, qui in arcu color, tantum figura mutatur. Arcus non fiunt nisi contra solem: virga non nisi in vicinia solis. Hæc *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 9. et 10. ¶ 2. Dicitur de fuco, quo tinguntur a barbaris corpora. *Ovid.* 3. *Art. am.* 269. Pallida purpureis tingat sua corpora virgis. *V.* VIRGATUS. ¶ 3. Item de mentula. *Cassiod. De anim.* 9. V. PRÆJUDICIALITER. ¶ 4. Item de lingua, ut videtur, apud *Vulg. interpr. Is.* 11. 4.

Homonym. Ex sententia *Isid.* 17. *Orig.* 6. 18. ita differunt *virgultum, ramus* et *virga*, ut *virgultum* sit, quod de radice pullulat; *ramus*, qui de ipso robore arboris; *virga*, quæ de ramis.

**VIRGĀRĬUS**, ii, m. 2. (virga) qui virgas fert. *Gloss. Cyrill.* Ῥαβδοῦχος, lictor, virgarius. Adde *Inscr.* apud *De-Rossi Inscr. Christ. n.* 975.

**VIRGĀTOR**, ōris, m. 3. (virga), qui virgis cædit, ῥαβδίζων. *Plaut. Asin.* 3. 2. 19. Audaces viri, valentes virgatores.

**VIRGĀTUS**, a, um, adject. participiorum more factum (virga). ¶ 1. Proprie qui est ex virgis seu viminibus confectus, *fatto o intrecciato di verghette, di vimini, di giunchi pieghevoli*. *Catull.* 64. 319. Vellera virgati custodibant calathisci. *h. e.* texti e virgis varii coloris. ¶ 2. Translate est lineis, quasi virgis, in longum extensis distinctus, variegatus, *listato, divisato, addogato, vergolato, vergato*, ῥαβδωτός. *Virg.* 8. *Æn.* 660. Virgatis lucent sagulis. *h. e.* maculis et plagulis in modum retis et cancellorum distinctis, *scaccati;* alio nomine *scutulatis*. Sic *Sil. It.* 4. 155. Auro virgatæ vestes. *Id.* 5. 148. stat sonipes Caucasiam instratus virgato corpore tigrim. *h. e.* pelle maculosa. (*virgatam. tigrim* dicunt etiam *Seneca Hippol.* 344. et *Herc. Œt.* 146. et *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 66., *varias*

appellat *Seneca Hippol.* 63.) *Val. Flacc.* 2. 159. nostrosque toros virgata tenebit Et plaustro derepta nurus. *h. e.* corpore picto fucata. Quo pertinet illud *Ovidii loc. cit.* in VIRGA.

**VIRGĔA**, ōrum. *V.* VIRGEUS.

**VIRGĒTUM**, i, n. 2. (virga) locus plantis recentibus consitus, ῥαβδών. *Cic.* 2. *Legg.* 8. *ad fin.* Sacerdotes vineta virgetaque et salutem populi inauguranto. *h. e.* vineas et pomaria, oliveta *etc.* recens instituenda et conserenda.

**VIRGĔUS**, a, um, adject. (virga) ex virgis factus, *di verga*, ῥαβδινός. *Virg.* 1. *G.* 165. Virgea supellex. *h. e.* vasa ex vimine facta. *Id.* 7. *Æn.* 463. flamma. *h. e.* ex virgis accensis facta. *Ausonio Edyll.* 4. 27. est virgarum fascis ad pueros verberandos. *Cato R. R.* 152. Facito scopas virgeas ulmeas aridas. *Colum.* 1. *R. R.* 6. Superpositis virgeis cratibus tegunt. *Id.* 11. *ibid.* 3. Virgea sæpes. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 37. (124). Virgei anuli ex myrto. — Hinc

*Virgea, orum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, idem ac virgæ, ramusculi. *Calpurn. Ecl.* 5. 114. Virgea turgentia suco.

**VIRGĬDĒMĬA** (virgindemia), æ, f. 1. Vox joculariter efficta a *Plauto*, quasi *virgarum vindemia*, apparatus et collectio virgarum ad cædendos servos, *Rud.* 3. 2. 20. At ego te per crura et talos tergumque obtestor tuum, Si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam Et tibi eventuram hoc anno uberem messem mali. *Varro* apud *Non.* p. 187. 14. *Merc.* Ideoque scapulæ metuunt virgindemiam.

**VIRGĬLIÆ**. *V.* VERGILIÆ.

**VIRGĬLIĀNĒ** *et* Vergiliane, adverb. (Virgilius) more Virgilii. Agnoscitur a *Diomed.* 1. *p.* 402. *Putsch.*, nullo tamen auctoris loco laudato.

**VIRGĬLIĀNUS** *et* Vergilianus, a, um, adject. (Virgilius) qui ad Virgilium pertinet, de quo *V.* ONOM. Hinc *Virgilianæ sortes*, ῥαψῳδομαντεία, Virgilii versus in schedulis descripti, in sitellam conjecti et inde sorte educti. Tanta enim fuit Virgilii carminum auctoritas, ut divinam voluntatem et futurorum arcana continere crederentur et pro sortibus haberentur. Exempla hujus sortilegii habes apud *Spartian. Hadrian.* 2., *Lamprid. Alex. Sev.* 14. et *Trebell. Claud.* 10. Cf. *Comparetti, Virgil. nella tradiz. lett.* etc. — *Virgilianus poeta*, is, qui ex Virgilii versibus centones consarcinat, quales fuerunt *Hosidius Geta, Ausonius* et *Falconia Proba* aliique. *Inscr.* apud *Gruter.* 64. 5. et emendatior apud *Amadut. Monum. Matth. T.* 3. *p.* 94. SILVANO CAELESTI Q. CERSIVS FELIX VIRGILIANVS POETA D. D. Consule *Letronne La statue vocale de Memnon p.* 217. et *seqq.* V. OCIDIANUS. Cf. *aliam* apud *Gruter.* 446. 8.

**VIRGĬLIŎCENTO** *et* vergiliocento, ōnis, m. 3. (Virgilius *et* cento) cento Virgilianus. *Hieronym. Ep.* 103. *n.* 7.

**VIRGĬLIŎMASTIX** *et* vergiliomastix, īgis, m. 3. (Virgilius *et* mastix) mastix seu censor Virgilianus. *Serv.* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 23.

**VIRGĬNAL**, ālis, n. 3. (virgo) Vox est per apocopen pro *virginale*, ut *animal* aliaque id genus: quam integram usurpat *Phædr.* 4. 14. *V.* VIRGINALIS. — Virginal ¶ 1. Est pudendum muliebre. *Solin.* 1. *a med.* Feminis perinde est infausta nativitas, si concretum virginal fuerit. *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 8. Intactum ab omni crimine virginal. V. *Apul. loc. cit.* in VERETILLUM. — Etiam in plur. num. usurpatur. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 8. Dominus Jesus per integra virginalia matris enixus. *Gloss. Isid.* Virginal, membrana, in qua virginitas habitat. ¶ 2. Item signa virginitatis. *Vulg. interpr. It. Deut.* 22. 15. coll. *Augustin.* 5. *Quæst.* in *Hept.* 33.

**VIRGĬNĀLE**. *V.* voc. seq.

**VIRGĬNĀLIS**, e, adject. (virgo) ad virginem pertinens, virgineus, *verginale, di vergine*, παρθενικός. — *a)* Universim. *Cic.* 6. *Verr.* 2. 5. Erant aenea præterea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu. *Gell.* 14. 4. Imago justitiæ forma atque filo virginali, aspectu vehementi etc. *Cic. Quinct.* 11. *sub fin.* Homo virginali verecundia. *Vet. Poeta* apud *eumd.* 1. *Divinat.* 31. 66. Virginalis modestia. *Cic.* vertens carm. *Sophocl.* 2. *Tusc.* 8. *a med.* ploratus. *h. e.* femineus, mollis, languidus, qualem edere puellæ solent. — *Plaut. Rud.* 3. 4. 43. Feles virginalis. *h. e.* virginum raptor. — *b)* *Fortuna virginalis* est Venus, puellarum virginum præses, quemadmodum *Fortuna muliebris* matronarum, quæ est Juno. *Arnob.* 2. *p.* 91. Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem. Cf. *Varr.* apud *Non. p.* 189. 26. *Merc.* Et a quibusdam dicitur esse virginis Fortunæ simulacrum, ab eo quod duabus undulatis togis est opertum, proinde ut olim reges nostri undulatas et prætextas togas soliti sunt habere. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 11. et 6. *ibid.* 9. videtur hanc eamdem significare, quum *Deam Virginiensem* memorat. Itaque puellæ nupturæ virginalem ornatum Fortunæ virginali suspendebant, ad muliebrem statum transeuntes. Simile quidpiam de Pallade habes apud *Stat.* 2. *Theb.* a *v.* 251. et de Venere apud *Pers.* 2. 70. — *c)* De virgine Maria: et est integer, purus, sine læsione virginitatis. *Prudent.* 7. *Cathem. init.* Verbum Patris, Quem partus alvi virginalis protulit. — Hinc absolute, substantivorum more

*Virginale, is*, n. 3. idem ac virginal (*subaud.* membrum). *Phædr.* 4. 14. Huc spectare videtur locus cit. *Augustini* in VIRGINAL.

*Virginalis, is*, f. 3. idem ac virginia sive uxor virgo ducta. *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. arch.* a. 1862, *p.* 220.

**VIRGĬNĀLĬTER**, adverb. (virginalis) virginum more. *Rufin.* 3. *Recognit.* 9.

**VIRGĬNĀRĬUS**, a, um, adject. (virgo) ad virginem pertinens. *Plaut. Pers.* 4. 9. 14. Sequere hac, scelesta feles virginaria. *h. e.* quæ virgines rapit. Cf. *Rud.* 3. 4. 43.

**VIRGINDĒMĬA**. *V.* VIRGIDEMIA.

**VIRGĬNĔUM**. *V.* voc. seq.

**VIRGĬNĔUS** et virginius, a, um, adject. (virgo) Scribitur et *virginius*, apud *Vulg. interpr. It.* (fr. *Weingart*) *Joel.* 1. 8. p. 72. *Rank.* Hinc *virginius* et *virginia* absolute, ut in fin. — Prosæ scriptorem, qui hac voce usus sit, vix invenies. Nam quod affertur ex *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 23. (79). Si purgatio illa post virginitatem prima sit aut in virginea ætate spontanea: *Harduin.* (et *Sillig.*) ex MSS. legit: *aut in virgine ætatis sponte*. Ita *Forcellinus*. Verum occurrit etiam apud solutæ orationis scriptores, qui tamen ad ætatem sequiorem pertinent, et in *Inscriptt.* — Virgineus est ad virginem pertinens, virginalis, παρθένειος, παρθενικός (It. *di vergine, verginale*; Fr. *de vierge, virginal*; Hisp. *de virgen, virginal*; Germ. *jungfräulich*; Angl. *virginal, maidenly*). — *a)* Universim. *Virg.* 1. *G.* 430. et *Tibull.* 1. 4. 74. Virgineus pudor. *Ovid.* 4. *Fast.* 731. ara. *h. e.* ara Vestæ. *Horat.* 3. *Od.* 4. 72. Tentator Orion dianæ Virginea domitus sagitta. *Tibull.* 3. 4. 89. Scyllaque virgineam canibus succincta figuram. *Propert.* 3. 12. 2. Virgineum gymnasium. *h. e.* in quo exercebantur virgines apud Spartanos, *et ibid.* 11. 30. Virginei calathi. *Id.* 4. 4. 42. Virgineus focus. *h. e.* ignis Vestæ. *Seneca Med.* 75. decor. *Martial.* 1. 71. domus. *h. e.* ædes Vestalium. *Ovid.* 13. *Met.* 697. favilla. *h. e.* rogi, in quo virginis cadaver crematum est. *Propert.* 2. 1. 69. urna. *h. e.* Danaidum. *Val. Flacc.* 5. 134. bellum. *h. e.* Amazonum. *Petron. Sat.* 134. *ad fin.* Virginea sacra. *h. e.* quæ fiunt a virgine. *Ovid.* 7. *Met.* 4. volucres. *h. e.* Harpyiæ, quibus, ut ait *Virg.* 3. *Æn.* 216., virginei vultus, fœdissima ventris Proluvies uncæque manus etc. — *b)* *Virgineum aurum* vocat *Martial.* 9. 24. auream coronam, quæ dabatur victori in ludis Minervæ. — *c)* *Virgineum Tritona* appellat *Claudian. IV. cons. Honor.* 36. Tritonidem paludem, in qua Minerva nata est. — *d)* De aqua Virgine dicta, qua utebantur virgines Vestales. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 38. Stagnaque et Euripi Virgineusque liquor. *Id.* 1. *Fast.* 464. Hic ubi Virginea Campus obitur aqua. — Hinc absolute, substantivorum more

*Virginea* et *virginia, æ*, f. 1. uxor virgo ducta; ita namque appellabat maritus uxorem suam, quam virginem duxerat: eadem ratione *virginium* uxor maritum suum dicebat, cui virgo ipsa nupsisset. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 31. *n.* LX. BENE MERENTI VIRGINIAE L. REMMIAE SERVANDAE L. CALPVRNIVS RVFINVS QVAE VIXIT AN. XXI. M. VI. D. XIII. *Alia* apud *Murat.* 1411. 10. IVL. INGENVAE CONIVGI CL. VALERIVS VIRGINIAE SVAE CVM QVA VIXIT ANN. I. M. VIII. T. F. I. *Alia* apud *Gruter.* 932. 8. ARRIAE THELESPHORIDI (*scribendum* Telesphoridi) CONIVGI VIRGINEAE Q. V. ANNIS XXXXV. FECIT CN. ARRIVS ABASCANTVS etc. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

*Virgineum* et *virginium, i*, n. 2. ¶ 1. Est locus, ubi virgines commorantur, conclave virginum. *Gloss. Cyrill.* Παρθενεών, virgineum. ¶ 2. Item virginitas. *Gloss. Cyrill.* Παρθενία, virginium.

*Virgineus* et *virginius, i*, m. 2. vir, qui uxorem virginem duxit; *virginium* enim appellabat uxor maritum suum, cui ipsa virgo nupsisset. *Inscr.* apud *Gruter.* 1060. 4. IVNCIA FELICITAS PRAECILIO MARINO VIRGINIO DVLCISSIMO FECIT. *Alia* apud *eumd.* 1143. 3. C. IVSIO LVCIFERO VALERIA IVSTINA VIRGINIO ET CONIVGI CARISSIMO etc. *Alia* apud *Murat.* 815. 1. FL. VICTORI AVR. MAVRA VXOR CONIVGI CARISS. QVOD DEBVERAT VIRGINIVS VIRGINIAE SVAE FECISSE MODO VIRGINIA FECIT etc. *Alia* apud *Fabrett. p.* 258. *n.* 86., emendatior apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2439. T. AELIO AVG. LIB. TITIANO MARITO VIRGINIO DVLCISSIMO FL. AMPELIS CONIVX etc. — Hinc apud *Homer. Il.* 5. *v.* 414. κουρίδιος πόσις vocatur qui apud *Vulg. interpr. Joel.* 1. 8. dicitur *vir pubertatis meæ* et apud LXX. ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ὁ παρθενικός. Ex his itaque patet, virum, utrum esset conjugio sociatus adhuc ἀμύητος τῶν τῆς Ἀφροδίτης μυστηρίων, necne, dummodo duxisset uxorem ἀταύρωτον, virginium vocatum fuisse. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VIRGĬNESVENDŌNĬDES**. *V.* VIRGINISVENDONIDES.

**VIRGĬNĬA**, æ. *V.* VIRGINEUS, a, um.

**VIRGĬNIS**, e, adject. (virgo) ad virginem pertinens, virgineus: et translate intactus, novus. *Inscr.*, quæ nunc in *Mus. Vaticano* est, apud *Lup. Epit. S. Sev. p.* 159. SEPTIMIVS IVBENALIS 7. COHORT. PRIMAE VIGILVM TRALA (*h. e.* tralaticius) XI. VRBANAE HOC MONIMENTVM VIRGINE etc. Ita *Furlanetto*. Cf. tamen *Inscr.* apud *Fabretti p.* 53. *n.* 309. in VIRGO adlat., unde conjici potest, litteram finalem *m* hic excidisse. *Alias ibid.* affert idem cl. *Furlanetto*, quæ ad v. VIRGO commode referri possunt.

**VIRGĬNISVENDŌNĬDES**, æ, m. 1. (virgo et vendo) Vox ficta a *Plaut. Pers.* 4. 6. 20., qua significatur aliquis virgines vendens. At *Ritsch.* leg. *virginesvendonides*.

**VIRGĬNĬTAS**, ātis, f. 3. (virgo) castitas et integritas virginis, cui nullum fuit cum viro commercium, παρθενία, κορεία (It. *virginità*; Fr. *virginité*; Hisp. *virginidad*; Germ. *die Jungfräulichkeit*; Angl. *virginity, maidenhood*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. *ad fin.* Quæ patrem dicitur interemisse virginitatem suam violare conantem. *Virg.* 12. *Æn.* 140. hunc illi rex ætheris altus honorem Juppiter erepta pro virginitate sacravit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (154). Anaxilaus auctor est, mammas a virginitate illitas (*cicuta*) semper staturas. *Ovid.* 3. *Met.* 254. *de Diana*, laudant dignamque severa Virginitate vocant. *scil.* quia Actæonem, qui se nudam vidisset, in cervum mutaverat et canibus discerpendum objecerat. *Val. Flacc.* 6. 449. Medea opibus magicis et virginitate tremenda. *h. e.* terribilis ob virginitatem, qua dilecta erat Hecate magicæ artis deæ. *Flor.* 2. 6. *a med.* Ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. *Stat.* 1. *Achill.* 292. Virginitas matura toris. *Apul.* 5. *Met.* Virginitas interfecta. Similiter *Tertull. Pall.* 4. Occisa castitas. Adde *Inscr.* apud *Marini Iscr. Alb. p.* 113. — In plur. num. *Cassiod.* in *Ps.* 44. Conjugium in virginitatibus perseverans.

II.) Metonymice pro ipsa virgine. *Ammian.* 31. 8. 8. Adulta virginitas.

VIRGĬNĬA, æ, f. 1. *et*

VIRGĬNĬUM, ĭi, n. *et*

VIRGĬNĬUS, ĭi, m. 2. *V.* VIRGINEUS, a, um.

VIRGĬNO, as. *V.* voc. seq.

VIRGĬNOR, āris, ari, dep. 1. (virgo) Etiam *virgino* videtur in usu fuisse ex *Gloss. Cyrill.* Παρθενεύω, vigrino (*leg.* virgino). et *Thes. nov. Latin.* ed. *A. Maio* in *Class. Auct. T.* VIII. Virginare, caste vivere. — Virginor est virginem me esse profiteor, virginem me præbeo. *Tertull. Virg. veland.* 12. *extr.* Virginari volunt sola capitis nuditate, uno habitu negantes, quod toto suggestu profitentur.

VIRGĬNŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* virgo, virguncula. *Gloss. Cyrill.* Παρθενισκάριον. vigrinula (*leg.* virginula).

VIRGO, ĭnis, f. 3. — *a*) Scribitur etiam *vergo, vigro, birgo* et etiam *firgo,* digammate pro *v* præfixo, apud veteres, ut testatur *Cornut.* apud *Cassiod. Orth.* 1. — *b*) Ratione habita etymi, alii a *vir* seu *vira,* ut sit *virgo* pro *virago;* alii a *vireo* ob viridem ætatem, ita ut *virigo* prius, mox *virgo* per syncopen; usurpatur enim etiam de ea, quæ non tam integra, quam viridis est ætatis, ut apud *Virg.* et alios infra. Cf. et VIRGA. — *c*) Ultima modo *brevis* adhibetur, ut apud *Stat.* 1. *Silv.* 2. 116., *Juvenal.* 3. 110. et 8. 265. et *Auson. Epigr.* 103. 2.; modo *longa,* ut apud *Virg.* 6. *Æn.* 45., *Ovid.* 14. *Met.* 135. etc. — Virgo est femina integra et virum non experta, παρθένος, κόρη (It. *vergine, donzella, pulcella;* Fr. *vierge;* Hisp. *virgen;* Germ. *Jungfrau;* Angl. *virgin, maid*): cui *mulier, uxor* opponitur, quæ virum passa est. Occurrit autem tum substantivorum, tum etiam adjectivorum more: et plerumque dicitur de feminis, aliquando de viris.

*A)* Substantivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — 1.°) De homine. — *a*) Universim. *Cæs.* 2. *B. C.* 4. Omnium seniorum, matrumfamiliæ, virginum precibus et fletu excitati. *Sall. Cat.* 50. *ante med.* Quæ victis acciderent, enumeravere; rapi virgines, pueros etc. *Varro* apud *Non. p.* 247. 19. *Merc.* et *Tertull. Virg. vel.* 11. Virgo acerba. *h. e.* nondum matura. *Cic.* 2. *Rep.* 7. 12. Sabinas virgines rapi jussit. *Horat.* 1. *Od.* 21. 1. Virgines teneræ. *Id.* 3. *ibid.* 2. 8. adulta. *Ovid. Heroid.* 18. 117. Virginis æquor: *h. e.* Hellespontus. *Id.* 6. *Fast.* 383. Virgo Saturnia. *h. e.* Vesta. *Id.* 12. *Met.* 28. et *Martial.* 10. 92. dea. *h. e.* Diana. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 82. Tempora Phœbea virgine nexa tulit. *h. e.* lauro, in quam versa est Daphne virgo a Phœbo dilecta. *Nepos Epam.* 3. *a med.* Virginem nubilem collocare. *Quintil.* 6. 3. 75. Cicero objurgantibus, quod sexagenarius virginem duxisset, Cras mulier erit, inquit. *Colum.* 12. *R. R.* 4. *a med.* Hic necessarium esse pueri vel virginis ministerium, per quos promantur. *Sil. It.* 7. 459. Virgo bellica. *h. e.* Pallas. Hanc armigeram vocat *Auct. Epit. Iliad.* 400. *Martial.* 3. 58. Grandes virgines. *Seneca* 1. *Benef.* 3. *de trib. Gratiis* et *Stat.* 4. *Theb.* 457. *de Furiis. Hieronym.* 1. in *Matth.* 1. Non de virgine, sed de uxore generatum putat. *Vulg. interpr. Luc.* 1. 27. Virgo desponsata viro. — *b*) *Virgines divæ* videntur esse Nymphæ in *Act. Arv.* n. 183. et 224. apud *Henz. p.* 145. Cf. *Preller* apud *eumd.* et *Marini Fr. Arv. p.* 371. — *c*) *Virgines* per antonomasiam sunt Vestales. *Cic.* 3. *Cat.* 4. *ad fin.* Qui esset decimus annus post virginum absolutionum. Adde *Horat.* 1. *Od.* 2. 27. *Inscr.* apud *Orelli n.* 4393. QVAE ADVERSVS FECERIT VIRGINIBVS DAMNAS ESTOD. — *d*) *Virgo,* absolute, de Astræa. *Virg.* 4. *Ecl.* 6. Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna. — *e*) De Fortuna virgine *V.* VIRGINALIS. — *f*) *Virgo* κατ᾽ ἐξοχήν, apud Ecclesiasticos scriptores, dicitur Beata MARIA, secundum *Vulg. interpr. Matth.* 1. 23. ex *Is.* 7. 14. (ubi perperam Judæi et increduli voc. Hebr. *álmah,* quam *virginem* interpretatur *Vulg.*, de puella non virgine dici volunt. V. *Proph. d'Is. trois. lettr. d'un Rabbin conv.* Rom. 1833.) *Venant.* 2. *carm.* 2. 14. *de conc. Virg.* Vitam datam per Virginem, Gentes redemptæ plaudite. Adde *Prosp Epigr.* 60. 7. — *g*) Hinc etiam *virgines dictæ,* quæ castitatem profitentur sive in sua domo privata sive in communi, et *sacræ, sacratæ, devotæ* vel *Dei* appellantur, apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist.* a. 1863. *p.* 73. et *alib.* et *Bruzza Iscr. Vercell. p.* 269. et *seqq.* et *p.* 316. et *seqq.* — *h*) *Virgo* est titulus fabulæ *Afranii* in *Scæn. Rom. poet. fragm.* ed. *Ribb. p.* 208. coll. *Fest. p.* 141. 23. *Müll.* et etiam *Laberii ibid. p.* 294. coll. *Non. p.* 543. 26. *Merc.* — Item *Virgo prægnans* nomen est fabulæ *Novii ibid. p.* 269. coll. *Non. p.* 508. 20. *Merc.* — Virginum vitiatores lege jubebantur eas dotare aut uxores ducere. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 63. — 2.°) De bestiis feminis, quibus nondum mares admissi. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 41. (147). Sanguis equarum virginum. *Stat.* 12. *Theb.* 357. virginis ira leæ. *Martial.* 13. 56. vulva de virgine porca. *Arnob.* 7. *p.* 224. Virgines buculæ. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 35. *in fin.* ¶ 2. Latiore sensu, qui fortasse est primitivus vocis, interdum dicitur de ea, quæ virum passa est et quæ peperit. Notat enim non tam integritatem, quam viridem ætatem et sexum, ut illud *Virg.* 1. *Æn.* 497. *de Penthesilea.* audetque viris concurrere virgo. *Id.* 6. *Ecl.* 47. *et* 52. virginem dicit Pasiphaen trium filiorum matrem. *Sil. It.* 3. 435. eam, quæ ab Hercule vitiata fuerat. *Justin.* quoque 1. 3. 2. et *Curt.* 5. 1. 38. de corruptis usurpasse videntur.

II.) Improprie. ¶ 1. *Virgo* est unus ex duodecim Signis cælestibus in Zodiaco, inter Leonem et Libram, constans XVIII. stellis: quæ dicitur fuisse Erigone, Icarii filia, de qua *V.* suo loco. Alii dicunt Jovis et Themidis filiam esse, alii Astræi et Auroræ et eamdem ac Astræam seu Justitiam faciunt: quæ aurea mundi ætate cum hominibus versata sit, invectis postea omne genus sceleribus, in cælum aufugerit. Alii tradunt esse Fortunam, alii Cererem, alii denique filiam Apollinis ex Chrysothemi et infantem Parthenon appellatam: quæ quod parva interierit, a patre in cælum translata sit. Quæ omnia traduntur ab *Hygin.* 2. *Astron.* 25. et 3. *ibid.* 24. Pingitur virginis habitu, spicas aliquot dextra tenens, sinistra caduceum. Quam in dextera manu stellam habet, majorem et clariorem reliquis, spicam vocant. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 42. *extr.* Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo. — Hæc eadem a poetis dicitur *alma* in *Anthol. Lat. n.* 621. *Ries., justa* ibid. *n.* 621., *optima* ibid. *n.* 623., *pia* ibid. *n.* 625. ¶ 2. *Aqua Virgo* seu tantum *Virgo,* quæ Italice *Acqua Vergine* o *fontana di Trevi,* una ex iis, quæ per aquæductum urbem Romam influebant, nomen ex eo habuit, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc originem pictura ostendit. Ita *Frontin. Aquæd.* 10., cui potius credam, quam *Plinio* obiter scribenti 31. *Hist. nat.* 3. 25. (42). ideo sic appellari, quia juxta sit Herculaneus rivus, quem refugiat: vel aliis affirmantibus, ut *Cassiod.* 7. *Var.* 6., ita dici, quod sit purissima omnium; vel, quod gelidissima: vel aliis aliud. V. *Bernart.* ad *Stat.* 1. *Silv.* 5. 26. *Martial.* 6. 42. Cruda Virgine Martiaque mergi. *Id.* 7. 32. Sed curris niveas tantum prope Virginis undas. *Ovid.* 3. *Art. am.* 385. Nec vos Campus habet, nec vos gelidissima Virgo. Adde *Senec. Ep.* 83., *Stat.* 1. *Silv.* 5. 26. et *Martial.* 11 47. et 14. 163.

III.) Translate. *Vulg. interpr. Zach.* 9. 17. Vinum germinans virgines. — Figurate *Cic. Orat.* 19. 64. Oratio philosophorum *etc.* casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo.

*B)* Adjectivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Dicitur de femina et etiam de viro, conjugii et Veneris expertibus. — *a*) De feminis. *Cic.* 2. *Rep.* 37. 63. Quum Decimus quidam Virginius virginem filiam in foro sua manu interemisset. *Vulcat. Avid. Cass.* 10. et *Marcell. Empir. p.* 379. *St.* Puella virgo. Adde *Capitolin. M. Aurel.* 12. — *b*) De maribus. *Marcell. Empir. p.* 262. *St.* Puer virgo. Adde *Vulg. interpr. Apoc.* 14. 4., *Tertull. Virg. veland.* 8., *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 4. *Ep.* 22. *n.* 21. et *Paulin. Nolan. carm.* 22. 2., quibus adde *Inscr.* apud *Spon. de reb. Lugdun. c.* 3. ¶ 2. De rebus. *Inscr.* apud *Orelli n.* 4322. Virgo ætas. *h. e.* virginalis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 10. (43). carnes. *Tertull. Apol.* 9. continentia.

II.) Translate est intactus, integer, purus, non usurpatus, novus: conjungitur autem rerum nominibus cujusque generis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (52). Qui terram virginem nactus plurimum argenti aurique eruisse dicitur. *h. e.* quæ fodientem non est passa. *Martial.* 1. 67. Secreta quære carmina et rudes curas, Quas novit unus virginis pater chartæ. *h. e.* libelli nondum editi lective auctor. *Tertull. Jejun.* 6. Virgo saliva. *h. e.* jejuni hominis. *Id. advers. Valentin.* 5. senecta. *h. e.* cælebs. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 53. *n.* 308. HOC MONVMENTVM VIRGINEM COMPARAVERVNT. Adde *alias* apud *eumd. p.* 53. *n.* 307. et 309. *V.* VIRGINIS. *Marcell. Empir. c.* 9. *p.* 98. *retro.* Virgines porri. *h. e.* non plantati.

VIRGŌSUS, a, um, adject. (virga) virgis abundans. *Pallad.* 1. *R. R.* 24. Frutex virgosus. Plerique putant hæc duo verba *Palladii* non esse. *Isid.* 17. *Orig.* 9. *ad fin.* Spartus frutex virgosus sine foliis.

VIRGŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* virga, parva virga seu ramulus, *piccolo ramuscello, verghetta*

I.) Proprie. *Nepos Thras.* 4. Corona facta duabus virgulis oleaginis. Adde *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 10. 12. *M.* — Hinc translate *Vulg. interpr. Cant.* 3. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus?

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Cic.* 8. *Phil.* 8. 33. Quum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit. *Colum.* 3. *R. R.* 13. *a med.* In cujus latere virgula prominens ad eam altitudinem. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 7. Virgula vitrea striata vel pluribus angulis in modum clavæ tortuosa. *h. e.* id, quod Itali *il prisma* vocant ¶ 2. *Virgula normalis,* norma vel linea. *Manil.* 2. 289. ¶ 3. *Virgula divina,* proverbii speciem habet, quo utebantur, quoties aliquid non humana ope, sed numinis alicujus favore contigisse, volebant significare. Antiquitas enim existimavit, quemadmodum in anulis, ita et in virgis ferendis aliquam fatalem seu magicam inesse virtutem. Adagium autem natum videri potest potissimum ab illa virga, quam *Homerus* Palladi tribuit, adeo celebri, ut de ea Antisthenes, Cynicæ sectæ conditor, librum conscripserit, eam cum suo baculo conferens. Nota est etiam ex *Virg.* 7. *Æn.* 190. *virga Circes* ejusque vis. *Cic.* 1. *Off.* 44. *ad fin.* Quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur. — Citatur *Varro* in *virgula divina* apud *Non. p.* 550. 12. *M.* et *alibi,* ut appareat, hunc fuisse titulum alicujus ex *Menippeis.* ¶ 4. *Virgula censoria,* brevis linea, quæ appingitur vocis alicujus ex scriptura delendæ gratia: v. gr. grammatici in recensendis auctorum scriptis virgulam seu obelum adscribebant iis locis, qui minus placerent: similiter censores, si quem ex albo senatorio eradi volebant, ejus nomen in senatorum laterculo virgula signabant. *Quintil.* 1. 4. 2. Judicium, quo ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, submovere etc. *V.* OBELUS. ¶ 5. Est etiam accentus. *Capell.* 3. *p.* 62. Acutus accentus notatur virgula a sinistra parte in dextram ascendente; gravis autem a sinistra ad dextram descendens (*corr.* descendente). ¶ 6. Est etiam linea transversa, quæ superducebatur litteris, quoties iisdem uterentur veteres Latini pro numeris. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. *a med.* Solebat Licinius libertus ejus (*Augusti*) inchoanti opera patrono magnas pecunias conferre: quem morem secutus, centum promisit per libellum, in quo virgulæ superductæ pars ultra pecuniæ defectionem protendebatur, vacante infra loco. Ce-

sar occasione usus priori alterum centies sua manu junxit, spatio diligenter expleto et affectata litteræ similitudine. *Scil.* Licinius scripserat HS. $\overline{C}$. Cæsar addidit HS. $\overline{CO}$. V. *Suetonii loc. cit.* in PERSCRIPTUS, ubi $\overline{D}$., erasa virgula, factum est D. *h. e.* ex quingenties, 50,000,000 factum est quingenta, 500. Hinc patet Romanos ad numeros adnotandos litteris alphabeti usos fuisse. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VIRGŬLĀTUS, a, um, adject. participiorum ritu confectum (virgula), virgulis distinctus, virgatus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). *de concharum generibus.* Jam distinctione virgulata, crinita, crispa etc.

VIRGULTŌSUS, a, um, adject. (virgultum) virgultis abundans. *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 516. *V.* VIRGULTUS.

VIRGULTUM, i, n. 2. (virgula) multitudo virgarum pullulantium, βλάστημα, φρύγανον (It. et Hisp. *virgulto*; Fr. *rejetons, broussailles*; Germ. *Gebüsch, Buschwerk*; Angl. *a shrub, bush*): quasi virguletum, ut simili syncope a *carice* dicitur carectum, a *salice* salictum; nisi malis esse a *virgultus, a, um*, pro virgulatus.

I.) Proprie. *Varro* 7. *L. L.* 44. *Müll.* Argei fiunt e scirpeis virgultis: simulacra sunt hominum triginta. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. *extr.* Sarmentis virgultisque collectis, quibus fossas Romanorum compleant, ad castra pergunt. *Virg.* 2. *G.* 346. quæcumque premes virgulta per agros, Sparge fimo pingui. *Id.* 10. *Ecl.* 7. Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ. *Liv.* 1. 14. Partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis jussit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ad fin.* Si regio virgultorum ferax est, fieri debent corbes ex vimine.

II.) Translate. *Cic. Cæl.* 18. 42. Ergo hæc deserta via et inculta atque interclusa jam frondibus et virgultis relinquatur.

VIRGULTUS, a, um adject. (virgula) virgultis obsitus, virgultosus: fortasse per sync. a virgulatus. *V.* voc. præc. *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 516. Consedit in valle virgulta nemorosaque. Ubi *Servius.* Virgulta pro virgultosa. *Sil. It.* 12. 354. Virgulta tegitur valle ac frondentibus umbris. Alii leg. *occulta.*

VIRGUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* virgo, parva virgo, *verginella*, παρθενισκάριον.

I.) Proprie. *Juvenal.* 13. 40. tunc quum virguncula Juno. *Seneca* 1. *Quæst. nat. sub fin.* Libertinorum virgunculæ. Adde *Petron. Sat.* 18. *et* 20. *Inscr.* apud *Murat.* 1689. 9. IVLIA C. L. APHAE VIRGVNCVLA ANNORVM XI. — Adjectivi vel adpositivi ritu. *Frontin. Aqued.* 10. Puella virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. Græce παῖς κόρη. *V.* VIRGO. Adde *Marcell. Empir. c.* 28. *p.* 128.

II.) Translate. *Hieronym.* ad illud *Is.* 47. 1. *sede in pulvere, virgo filia Babylonis.* virgo appellatur et filia vel ob luxuriam et ornatum urbis *etc.* quæ virgunculam et puellam se esse jactabat.

VĬRĬA, æ, f. 1. (vir) ornamentum brachii, armilla ex ebore, auro et gemmis vel alia quapiam pretiosa materia, proprium virorum gestamen, quamquam et feminis tributum legitur, ψέλιον, περιχείριον (It. *braccialetto*; Fr. *bracelet*; Hisp. *brazalete*; Germ. *e. Armschmuck*; Angl. *a bracelet*). *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (40). Viriolæ Celticæ dicuntur, viriæ Celtibericæ. *Tertull. Pall.* 4. *ante med.* Sicuti vestigia cæstuum viriis occupavit, ita et endromidis solocem aliqua multicia synthesi extrusit. *Alii leg.* viriolis, *alii* viria. Adde *Ambros. De Abr.* 1. 9. *n.* 88.

VĬRĬĀTUS, a, um, adject. participiorum more effictum (viria), virilis instructus: atque hinc strenuus, viribus potens, cujusmodi sunt, qui armillis ob virtutem donantur, ut interpretatur *Non. p.* 186. 30. *Merc.* Viriatum dictum est magnarum virium. Lucil. libro XXVI. Contra flagitium nescire bello vinci a barbato viriato Hannibale. Alium loc. *Varronis* apud *Non. p.* 187. 14. *Merc.* laudat *Freund*, ubi alii aliter leg. At *Muellerus* putat esse nomen proprium viri fortissimi apud Lusitanos, de quo *V.* ONOM. et aliter legit loc. *Lucilii.* Ceterum usum vocis, ut sit nomen commune, confirmat *Onom Lat. Gr.* Viriatus, κραταιός, nisi velis hoc ex *Nonio* esse deprømptum.

VIRĪCA, æ, f. 1. genus teli. *Massur. Sabinus* apud *Gell.* 10. 15. Virica surculum de arbore felici habet. Loquitur de flaminica Diali, atque eam in telo, quod gestat, habere surculum seu ramulum de arbore felici. Ita interpretari videntur, qui ita legunt; nam alii rectius *in rica* pro *virica.*

VĪRĪCŬLÆ, ārum, f. plur. 1. *deminut. a* vires, vires extenuatæ et infirmæ, *forzette, picciole forze. Apul.* 11. *Met.* Nam et viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impensæ. *h. e.* tenues facultates. Adde *Pseud.-Cyprian. De dupl. mart.* 15.

VĪRĪCŬLUM, i, n. 2. Fortasse pro *vericulum* seu *veruculum*, deminut. a *veru*: quod vide. — Vericulum videtur esse genus scalpelli aut alterius ferramenti ad insculpendum aut excavandum apti, idem ac cestrum, *bulino. Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 41. (149). Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera constat, cera, et in ebore cestro, id est viriculo, donec classes pingi cœpere. *Sillig.* et *Jan.* leg. *vericulo.*

VĪRĬDANS, antis, particip. *V.* VIRIDO.

VĪRĬDĀRĬUM *et* viridiarium, ii, n. 2. (viridis) Etiam *virdiarium* per syncop. legitur in MSS. apud *Lamprid. Elagab.* 33. et apud *Torrentin.* in *Dig. loc. cit.* et in *Inscr.* apud *Fabrett. ibid. n.* LXI. QVIDQVID IVRIS HABVIT IN HOC MONVMENTO ET VETRINO ET VIRDIARIO ET OLLAS CN. PAPIVS CHILO EA OMNIA etc. — Hinc et *verdiarium* in *alia* in *Bullett della Comm. arch. Municip.* I. *p.* 271. — Viridarium est locus virentibus arboribus herbisque amœnus, παράδεισος, ἀλσώ (It. *orto, giardino, verziere*; Fr. *jardin, verger, bosquet*; Hisp. *vergel, jardin*; Germ. *e. Baumpflanzung, Lustgarten*; Angl. *a green garden, a green*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Att.* 3. Cyrus ajebat viridariorum διαφάσεις latis luminibus, non tam esse suaves. Alii rectius pro *viridariorum* leg. *radiorum. Petron. Sat.* 9. *extr.* Cujus eadem ratione in viridario frater fui, quo nunc in diversorio puer est. *Sueton. Tib.* 60. Militem prætorianum, ob surreptum e viridario pavonem, capite punivit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (7). Contemptis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores. *Sillig.* viridiariis. *Ulp. Dig.* 7. 1. 13. *circa med.* Prædium viridaria vel gestationes vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amœnas habens. Alii leg. *viridiaria.* ¶ 2. Speciatim est sepulcrum subdivale seu cepotaphium. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 225. *n.* LXII. A. DVLPIVS A. L. CERDO IN VIRIDIARIO OLLAS TRES CONTINENTES MONVM. OLLAS VI. *V.* aliam *Inscr.* initio adlatam.

Homonym. Differunt *viridaria* et *viridia*: illa sunt loca virentibus plantis consita, ut dictum est: hæc ipsæ, quæ ibi sunt, arbores atque herbæ virentes. Quare quod ait *Cels.* 1. 2. *a med.* Ambulatio in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt: *Morgagnius* monet, *viridia* in duob. cod. MSS. haberi, atque ita in aliis multis *Leon. Targa.* — Videntur tamen interdum etiam *viridaria* plantas significare. *Jabolen. Dig.* 33. 7. 26. Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra aggesta est, et in his viridaria posita. Alii leg. *viridiaria.* Adde locum *Cels.* adlatum, si *viridaria* retineas, quod in multis editionibus legitur. — Item differunt ab *hortis*; illa enim sunt locus virentibus arboribus et plantis consitus atque herbis amœnus, *verziere, orto botanico*; hi vero sunt qui, deliciarum causa parati, statuis, diætis, piscinis, ambulacris et topiario opere instruuntur, *giardino.* Ita *Vallaur.* ad *Popm.*

VĪRĬDĀRĬUS *et* viridiarius, ii, m. 2. (viridis) servus curæ viridarii præpositus, *giardiniere. Inscr.* apud *Gruter.* 602. 2. et 621. 2. et *Don. cl.* 5. *n.* 153. L. CORNELII L. L. SASAE MAG. VICI VIRIDIARII MONVMENTVM. *Lipsius* in *Auctar.* ad *Smet. p.* 52., qui se eam vidisse testatur, legit *viridarii.*

VĪRĬDE, adverb. *V.* VIRIDIS in fin.

VĪRĬDESCO (virdesco), is, ere, n. 3. (*inchoat.* a viridis) viridis fio aut virere incipio.

I.) Proprie. *Ambros.* 2. *De exc. fr.* 55. Non miraris, quomodo semina vapore et compressa terræ soluta viridescant. Adde 5. *Hexaem.* 1. *n.* 1. Sic *Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 481. *v.* 136. *R.*, ubi alii *virdesco*, alii *virdisco* leg.

II.) Translate. *Ambros.* in *Luc.* 7. *n.* 16. Utinam, Domine Jesu, mens mea pluviæ tuæ humore viridescat. *Alii* virdescat.

VĪRĬDĬA, ōrum, *V.* VIRIDIS.

VĪRĬDĬĀRĬUM. *V.* VIRIDARIUM.

VĪRĬDĬĀRĬUS. *V.* VIRIDARIUS.

VĪRĬDĬCANS, antis, *et*

VĪRĬDĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĪRĬDĬCO (virdico), as, ātum, are, n. 1. (viridis) Part. *Viridicans* et *Viridicatus.* — Viridico est idem ac viresco, *verdeggiare. Gloss. Lat. p.* 293. *n.* 161. Virdicat, germinat. — Hinc Part. *viridicans* pro viridanti et *viridicatus* pro viridi, adjectivorum more, usurpantur. *Tertull. Pudic.* 20. Viridicantes et rubescentes cavositates. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. Equidem hoc, quod melius intelligo, affirmo mirifica suavitate te villam habiturum, piscina et salientibus additis, palæstra et silva viridicata. *Alii leg.* palæstra silvis et viridibus aucta: *alii* aliter. *Fortasse legend.* palæstra et silva viridi juncta. *V.* RIDICATUS.

VĪRĬDIS, e, adject. (vireo) *Virdis* pro *viridis* improbatur a *Prob. App. p.* 199. 9. *K.*; occurrit tamen *virdarium, virdesco* etc. — *Viridum*, genet. plur. pro *viridium*, apud *Stat.* 2. *Theb.* 279. viridumque draconum Lucentes a fronte jubas. — Comp. *Viridior* I. *a*; II. 1. et 4.; Sup. *Viridissimus* I. *a*; II. 1. — Viridis est herbacei coloris, χλωρός (It. et Hisp. *verde*; Fr. *vert*; Germ. *grün*; Angl. *green*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic.* 1. *Legg.* 5. 15. In viridi opacaque ripa inambulantes. *Lucret.* 2. 805. Virides smaragdi. *Virg.* 2. *G.* 219. Quæque suo viridi semper se gramine vestit. *Id.* 4. *ibid.* 291. Viridis Ægyptus. *h. e.* ferax plantarum et frugum. *Cic.* 5. *Verr.* 18. *a med.* Quos ego campos antea collesque nitidissimos viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc ac desertos videbam, ut etc. *h. e.* gramine vestitos et arboribus consitos. *Id.* 3. *ibid.* 17. 45. Ignem ex lignis viridibus atque humidis facere. *Horat.* 2. *Od.* 6. 15. viridique certat Bacca Venafro. *h. e.* oleis Venafri. *Stat.* 9. *Theb.* 769. Virides Amyclæ. *h. e.* oleo abundantes. *Ovid. Heroid.* 15. 38. Viridis avis. *h. e.* psittacus. *Petron. Sat.* 133. Thasos. *h. e.* viridis et maculosi marmoris ferax. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (185). Viridiores herbæ. *Virg.* 3. *G.* 144. viridissima gramine ripa. *Id.* 2. *Ecl.* 9. virides occultant spineta lacertos. *Horat.* 1. *Od.* 17. 8. Virides colubræ. *et ibid.* 21. 8. mons. *h. e.* gramine et arboribus vestitus. *Ovid.* 2. *Amor.* 17. 39. Britanni. *h. e.* qui vitro (herbæ genus est) se inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, inquit *Cæs.* 5. *B. G.* 14. — *b*) *Viride cœlum* dicitur a *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (74). quum sudum serenumque est, quia tunc maxime ad viridem colorem accedit. — *c*) Est etiam epithetum tigridis et pardi, propter maculas tergoris: vel propter colorem viridem oculorum. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 303. fulminei properent ad vulnera pardi, Semine permixto geniti, quum forte leænæ Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter. *Id. II. cons. Stilich.* 345. Tum virides pardos et cetera colligit Austri Prodigia. Sic 3. *Rapt. Pros.* 266. tigridi virentes maculas tribuit. — *d*) Item rerum marinarum et fluviorum, tum propter algas, tum propter aquæ colorem, qui sæpe viridis apparet ad nigrum accedens. *Horat.* 3. *Od.* 28. 10. Virides Nereidum comæ. *Ovid.* 2. *Art. am.* 92. Clausernat virides ora loquentis aquæ. *Id.* 1. *Trist.* 2. 59. viridesque dei, quibus æquora curæ. et 5. *Met.* 574. *de Arethusa.* Dea sustulit alto Fronte caput viridesque manu siccata capillos etc. et 9. *ibid.* 32. *de Acheloo.* rejeci viridem de corpore vestem. *Virg.* 7. *Ecl.* 12. Hic viridis tenera prætexit arundine ripas Mincius. Adde *Stat.* 9. *Theb.*

354. *Claudian. III. cons. Honor.* 197. Vobis Ionia virides Neptunos in alga nutrit equos. — *e*) Ut Græci ὤχρον et χλωρόν promiscue usurpant, sic Latini aliquando *viridem* et *pallidum*, quia color viridis dilutus est pallori similis. *Virg. Cir.* 225. viridis per viscera pallor Ægrotas tenui suffudit sanguine venas. Cf. *Claudian.* 2. *Rapt. Proserp.* 291. Fulgentes viridi ramos curvata metallo. *h. e.* ramos aureos.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim refertur ad juventam, vigorem, robur. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 17. Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo. *Virg.* 5. *Æn.* 295. Euryalus forma insignis viridique juventa. *Id.* 6. *ibid.* 304. *de Charonte.* (et *Tac. Agric.* 29.) Jam senior, sed cruda deo viridisque senectus. *Colum. R. R. præf. ante med.* Defectissimum annis et viribus in agrum relegat, quum istud opus viridem ætatem cum robore corporis ad labores sufferendos desideret. *Stat.* 11. *Theb.* 741. qualis leo rupe sub alta, Quem viridem quondam silvæ montesque tremebant, Jam piger at longo jacet exarmatus ab ævo. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Octogesimo ætatis anno decessit, usque ad novissimam valetudinem viridis. *h. e.* vigens et suci plena, ut plantæ virentes. *Val. Flacc.* 1. 76. tu sola animos mentemque peruris Gloria: te viridem videt immunemque senectæ Phasidis in ripa stantem juvenesque vocantem. *Stat.* 3. *Theb.* 212. bello viridis manus, *h. e.* ætate florentes et bello idonei. *Sil. It.* 1. 187. Hinc virides annis anni ferventque decorus. Alii leg. *animi*, sed minus recte. Loquitur enim de Hannibale juvene. Aptius esset, si de sene loqueretur, ut *Seneca Ep.* 66. *init.* Senex, sed mehercule viridis animo ac vigens. *Sil. It.* 3. 255. Consilio viridis, sed belli serus Ilertes. *Cod. Theod.* 16. 5. 65. Semper viridis observantia (*legum*). h. e. vigorem retinens. — *Vulg. interpr. Luc.* 23. 34. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? — Cum genet. *Sil. It.* 5. 569. in arma Ille quidem crude mente et viridissimus iræ Ibat: sed vani frigentem in Marte senectam Prodebant ictus. *h. e.* plenus iræ atque impetus. — Absolute *Eutrop.* 9. 27. Viridiores junioresque. ¶ 2. Speciatim est recens. *Pers.* 3. 22. maligne respondet viridi non cocta fidelia limo. *Colum.* 7. *R.R.* 8. Caseus si tenui liquore conficitur, quam celerrime vendendus est, dum adhuc viridis sucum retinet. *Id.* 12. *ibid.* 47. *a med.* Hæc maxime nota etiam post annum repræsentat viridem saporem olivarum. *Quintil.* 12. 6. 3. Fructum studiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et venia et spes est et audere non dedecet etc. ¶ 3. Item dicitur de colore vivido et vegeto. *Id. Declam.* 10. 5. Non ille pallens nec acerbo languore consumptus, sed viridis et sane pulcher habitu. ¶ 4. Item de sono. *Gell.* 2. 3. H litteram inserebant veteres plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset viridior vegetiorque. *Id.* 13. 20. *a med.* Firmior ei, credo, et viridior sonus esse vocis visus est *rectos* dicere *cupressos*, quam *rectas*. — Hinc

*Viride*, adverbii ritu, unde Comp. *Viridius*. — Viride est viridi colore, *di color verde. Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 33. (110). Callai viride pallens. *Harduin.* et *Sillig.* leg. *e viridi pallens. Id. ibid.* 5. 16. (62). *de smaragdis.* Nihil omnino viridius comparatum illis viret.

*Viride, is*, n. 3. absolute, substantivorum more.

I.) In sing. num. ¶ 1. Est color viridis, viriditas. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (127). Baccis a viridi rubentibus. Cf. 37. *ibid.* 8. 33. (110). ¶ 2. Et ipsæ plantæ, arbores, herbæ virides. *Vulg. interpr. Eccli.* 43. 23. Et (*ventus*) exuret desertum et exstinguet viride sicut igne. Adde *Apoc.* 9. 4. et *Ambros.* in *Luc.* 7. 16. ¶ 3. Dicitur et de frugibus nondum maturis. *Liv.* 34. 26. Viride protritum et corruptum.

II.) In plur. num. — De genetivo *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. *ante med. Viridia*, quum ἀντὶ ἐπιθέτου accipiuntur, genetivum in *ium* faciunt, ut *viridia prata, viridium pratorum:* quum vero ipsam loci viriditatem significare volumus, *viridiorum* dicimus: ut quum dicitur *formosa facies viridiorum.* — Viridia itaque ¶ 1. Sunt arbores et gramina virentia, *verzura*, ἄλσεα. *Seneca Ep* 86. Cisterna ædificiis ac viridibus subdita. *Vitruv.* 5. 9. *circa med.* Media spatia, quæ erunt sub divo inter porticus, adornanda viridibus videntur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Ambulatio pressis varieque tonsis viridibus inclusa. *V.* VIRIDARIUM. ¶ 2. De herbis viridibus universim. *Colum.* 8. *R. R.* 15. *ante med.* Media terrena pars colocasiis conseratur aliisque familiaribus aquæ viridibus. *Id.* 12. *ibid.* 57. Quum viridia, quæ supra dicta sunt, contriveris. *h. e.* saturejam, mentam, rutam etc., quæ supra enumeraverat. ¶ 3. Item locus ipse viridibus plantis consitus, viridarium, *giardino. Phædr.* 2. 5. Perambulante læta domino viridia, Alveolo cœpit ligneo conspergere Humum æstuantem. *Inscr.* in *Annal. dell' Istit. T.* 1. *p.* 37. C. VOLVMNIVS C. F. FLAVVS A. VOLVMNIVS Q. F MARSVS IIII. VIR. I. D. CRYPTAM ET LOCVM VBI CRYPTA EST ET AREAM VBI VIRIDIA SVNT MVNICIPIO SIGNINO DE SVA PEQ. DEDER. *h. e.* pecunia dederunt.

Homonym. Discrimen inter *viridia* et *viridarium* V. sub VIRIDARIUM.

VĬRĬDĬTAS, ātis, f. 3. (viridis) color viridis, χλωρότης (It. et Hisp. *verdura, color verde;* Fr. *couleur verte, verture;* Germ. *das Grün, die grüne Farbe;* Angl. *greenness, verdure*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 15. 51. Terra semen tepefactum vapore et complexu suo diffundit et elicit herbescentem ex eo viriditatem. *Id. ibid.* 16. *a med.* Pratorum viriditas. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (76). maris.

II.) Translate accipitur pro fortitudine et flore illo ætatis, quem ἀκμήν vocant Græci. *Cic.* 3. *Tusc.* 31. 75. Sed quamdiu in illo opinato malo vis quædam insit et vigeat et habeat quamdam viriditatem, tamdiu appelletur recens. *Id. Amic.* 3. *a med.* Senectus aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio.

VĬRĬDO, as, are, 1. (viridis) Part. *Viridans.* — Virido ¶ 1. Transitive est viridem facio. *Ovid. Halieut.* 90. Num vada subnatis imo viridentur ab herbis. *Val. Flacc.* 6. 136. Thyrsagetem nexas viridantem floribus hastas. ¶ 2. Neutrorum more est idem ac vireo, floreo. *Inscr.* metrica apud *Rénier n.* 2132. HIC VIRIDAT TVMVLIS LAVRVS PROPE DELIA NOSTRIS. *Gloss. Cyrill.* Ἀνθέω, virido, floreo, floresco etc. — Hinc Part. præs.

*Viridans, antis*, adjective quoque usurpatur et est idem ac virens seu viridis. ¶ 1. Universim. *Virg.* 5. *Æn.* 539. Sic fatus cingit viridanti tempora lauro. *Id. ibid.* 388. Proximus ut viridante toro consederat herbæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 34. (113). Viridantium (*gemmarum*) plura sunt genera. *Id.* 8. *ibid.* 32. 50 (118). Viridans hedera. *Seneca Hippol.* 1036. Cærulea taurus colla sublimis gerens, Erexit altam fronte viridanti jubam. *viridanti* dicit, quia viridis color marinis rebus tribuitur (*V.* VIRIDIS): hic enim de tauro, monstro marino contra Hippolytum immisso a Neptuno, sermo est. ¶ 2. *Claudian. VI. cons. Honor.* 561. Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu. *h. e.* fulgentia, fortasse ob smaragdos insertos. Cf. VIREO.

VĬRĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. a *viridis*, aliquantum viridis, *verdetto.* Translate *Næv.* ex conject. *Ribb.* in *Scæn. Rom. poet. fr.* Vel quæ sperat se nupturam viridulo adulescentulo. Cf. *eumd. ibid.* in *Coroll. p.* XIX. et *Müll.* ad *Fest.*

VĬRĬDUS, a, um, adject. (vireo) idem ac viridis. *Septim. Seren.* apud *Non. p.* 467. 23. *Merc.* Adde *Vulg. interpr. Ital. Is.* 27. 10. ed. *Cozza.*

VĬRĬFŬGA, æ, f. 1. (vir et fugio) quæ virum fugit. In *lemmate epigr.* in *Anthol. Lat.* 3. 222. *Burmann.* At *Riese* aliter leg.

VĬRĬLIS, e, adject. (vir) Comp. *Virilior* in fin.; Sup. *Virilissimus* II. — Virilis est ad virum pertinens, ut *muliebris, femineus* ad feminam, ἀνδρεῖος (It. *da uomo, virile;* Fr. *d'homme, masculin, mâle;* Hisp. *masculino;* Germ. *männlich;* Angl. *virile*).

I.) Proprie. ¶ 1. Refertur ad sexum. — *a*) Universim. *Plaut. Rud.* 1. 2. 19. Virile secus. Adde *Men.* 4. 2. 97. Sic *Sall. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus. *Lucret.* 5. 1356. Virile genus. *Id.* 4. 1205. semen. *Ovid.* 4. *Met.* 382. vox. et 1. *ibid.* 412. facies. *Id.* 1. *Art. am.* 282. flamma. *h. e.* amor viri in mulierem. *Id.* 3. *Met.* 403. cœtus. et 8. *ibid.* 392. Discite, femineis quid tela virilia præstent. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. In balneis virilibus lavari, *h. e.* ubi soli lavantur viri. Sic *Vitruv.* 6. 10. *ante med.* Virilia convivia. *h. e.* in quibus feminæ non intersunt. *Liv.* 1. 3. *in fin.* Amulius stirpem fratris virilem interimit. *Nepos Agesil.* 1. Si is virilem sexum non reliquisset. *Augustin. Serm.* 13. Virilis complexus. συνουσία. — *b*) *Virilis pars* est penis, τὸ αἰδοῖον. *Lucret.* 6. 1207. Vivebant ferro privati parte virili. Cf. *Porphyr.* in *Horat.* 1. *Sat.* 9. 70. Membrum virile. *Tertull. advers. Valentin.* 1. Simulacrum membri virilis. *Jun.* legendum putat *viralis*, ut sit a *vira*, femina, nam *virile* fuit Orgiorum. *Oros.* 5. 6. Natura virilis. — *c*) *Virilis pars* est etiam unus e testiculis. *Colum.* 7. *R. R.* 11. Quum virilem partem unam ferro resectam detraxeris, alterum quoque testiculum educito. — *d*) *Virile genus*, in re grammatica, est masculinum, *genere maschile. Gell.* 1. 7. et 4. 1. et 11. 1. etc. — *e*) *Fortuna virilis*, Τύχη ἀνδρεία, Romæ ædem habuit in ripa Tiberis (ut *Dionys. Halic.* docet *l.* 4. *c.* 27.) positam a Ser. Tullio. Eo conveniebant mulieres K. April. depositoque velamine tus eidem adolebant atque adeo supplicabant, ut vitium omne nudi corporis tegeret celaretque viros; quod ipsa Fortuna virilis præstare credebatur, ut constat ex *Ovid.* 4. *Fast.* 145. et *seqq.* V. *Verr. Flacci loc. cit.* in GRATIA. ¶ 2. Refertur etiam ad ætatem, *h. e.* ad virum jam factum, id quod viri proprium est. *Horat. Art. P.* 176. ne forte seniles Mandentur juveni partes pueroque viriles. Adde *Vulg. interpr. Deut.* 3. 11. — Hinc *virilis toga*, sc. toga pura, vestis communis civium Rom., quam, prætexta deposita, induebant viri anno ætatis decimo sexto vel inchoato vel expleto, ut tamquam viri inter viros versari inciperent, quum ante id tempus domi continerì et sub pædagogis esse solerent. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 44. Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. ¶ 3. *Pars virilis*, latiore sensu, est id, quod unus vir agere potest vel debet, ut *pars civilis*, quæ cujusque civis propria est. *V.* CIVILIS. *Cic.* 6. *Verr.* 37. *ad fin.* Est aliqua mea pars virilis, quod ejus civitatis sum, quam ille amplam claramque reddidit. *tocca anche a me la mia parte.* et 5. *ibid.* 3. *extr.* Qui plus etiam, quam pars virilis postulat, pro voluntate populi R. oneris ac muneris suscipere debeam, *più di quel che a me s' aspetta: più del mio obbligo.* et *Liv.* 6. 11. Quum illius gloriæ pars virilis apud omnes milites sit, qui simul vicerint: suæ victoriæ neminem omnium mortalium socium esse. *la loro parte a tutti i soldati etc.* — Hinc *pro virili parte*, pro eo quod officii mei est, *per quel che a me s' aspetta:* minime vero idem est ac *pro viribus*, pro eo quod meæ vires valent, ut perperam quidam interpretantur. *Cic.* 13. *Phil.* 4. 8. Me ejus beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto. *più di quello, che a me privatamente s' aspetta.* h. e. non solum pro me privato homine, sed etiam pro ipsa republica, quum non solum privato mihi, sed etiam reipublicæ profuerit. *Id. Sex.* 66. 138. Hæc qui pro virili parte defendunt, optimates sunt. *per quanto è di loro dovere.* et *Liv.* 3. 71. *in fin.* Quem agrum miles pro parte virili manu cepisset, eum senex quoque voce, qua una posset, vindicaret. (Adde 10. 8.) *Ovid.* 5. *Trist.* 11. 23. Jure igitur laudes, Cæsar, pro parte virili Carmina nostra tuas qualiacumque canunt. — *Pro virili portione*, idem. *Tac. Agric.* 45. *a med.* Tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. *Id.* 3. *Hist.* 20. Ut pro virili portione,

armis ac manu, victoriam dux juverit; ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum. *Quintil. Declam.* 3. 12. Miles, cui pro virili portione salutem suam patria commisit. *Lactant.* 2. 7. *sub init.* Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam. *V. Bünem. ad h. l.* Adde *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 17. et *Götz* in *Corp. Gloss. Lat.* V. 8. — Dici solet passim etiam *pro virili*, absolute. Exempla ego nondum vidi, inquit *Forcellinus.* — *Pars virilis* in sepulcris videtur ea, quæ in sepulcro ædificando curatoribus tribuebatur pro rata portione. *Inscr.* apud *Henzen n.* 7274. ¶ 4. In re forensi, *virilis portio* aut *pars* item dicitur a JCtis pars hereditatis, quæ viritim heredibus distribuitur, quibus bonorum possessio contra tabulas testamenti data est, præter legata et fideicommissa. *Ulp. Dig.* 37. 5. 8. Virilis portio quomodo accipienda sit, videamus. Pone, duos esse ex liberis parentibusque: virilis tertia erit portio: sed si tres sint, quarta erit virilis. *Paul.* 3. *Sentent. tit.* 2. Si unius patroni duo sint liberti et alterius quattuor, singuli viriles, id est æquales portiones habebunt, *Ulp. Dig.* 37. 5. 8. *ad fin.* Quum dotis nomine legatum est, non puto ad virilem (*partem*) uxorem utramve redigendam. *Papinian. ibid.* 31. 1. 79. Viriles (*partes*) autem inter eos fieri, qui eo tempore vixerint, quum de aliis eligendi potestas non fuerit. *Cajus Inst.* (ed. *Goeschenio*) 3. § 42. Lege Papia cautum est ut, si libertus testamento facto sive intestato mortuus erit, virilis pars patrono debeatur. Itaque quum unum filium unamve filiam heredem reliquerit libertus, perinde pars dimidia patrono debetur ac si sine ullo filio filiave moreretur: quum vero duos duasve heredes reliquerit, tertia pars debetur: si tres relinquat, repellitur patronus. — *Pars virilis* et *hereditaria* differunt. *Pompon. Dig.* 30. 1. 54. *in fin.* Si pars heredum nominata sit in legando, viriles partes heredes debent: si vero omnes, hereditarias. *h. e.* pro portione, qua quis heres est institutus. *Cajus ibid.* 66. Heredes non pro hereditaria portione, sed pro virili id legatum habere possunt. *Id.* 3. *Inst.* (ed. *Goeschenio*) § 70. Javolenus ait, tantum eam partem ex S. C. (*Largiano*) libertos patroni pro virilibus partibus habituros esse, quam extranei heredes ante S. C. lege Junia habituri essent; reliquas vero partes pro hereditariis partibus ad eos pertinere. Adde *Martian. ibid.* 111. *sub fin.* et *Nerat. ibid.* 121. et *Julian. ibid.* 28. 6. 30. — Interdum *virilis* appellatione etiam totam hereditatem contineri, ait *Ulp. ibid.* 50. 16. 145. *h. e.* quum decesserint aut hereditatem repudiaverint, qui in liberti testamento pro virili parte heredes erant, ejus patronus loco virilis partis totam consequitur hereditatem.

II.) Translate est fortis, strenuus, virum decens, minime effeminatus aut mollis. *Cic.* 2. *Fin.* 14. *extr.* Veretur quidquam aut facere aut loqui, quod parum virile videatur. *Id.* 3. *Orat.* 59. 220. Laterum inflexio fortis ac virilis, non ab scæna et histrionibus. *et* 1. *ibid.* 54. 231. Illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri. *Id.* 3. *Tusc.* 10. 22. Stoicorum sententiis utendum, qui maxime forti et, ut ita dicam, virili utuntur ratione atque sententia. *Id.* 14. *Att.* 21. Acta illa res est, animo virili, consilio puerili. *Sall. Cat.* 21. Quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, nobis rem familiarem deesse? *Ovid.* 2. *Fast.* 847. animi matrona virilis. *Seneca Med.* 267. Cui feminea nequitia, ad audendum omnia virile robur est. *Justin.* 2. 12. *ad fin.* Ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres. *Tac.* 1. *Hist.* 72. Virilia scelera exercere. *Inscr.* optimæ notæ apud *Gud. p.* 148. *n.* 5. ALINIAE SABINAE MATRI VIRILISSIMAE FILIS. etc. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc

*Virile, is,* et sæpius plur. *virilia, ium,* n. 3. absolute, substantivorum more ¶ 1. Membrum seu membra virilia, verenda maris, τὰ αἰδοῖα ἀρσενικά, quæ et *virilitas* dicitur. *Apul. De mag.* Virile marinum. Adde *Petron. Sat.* 108. et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 16. 61. (169). et *ibid.* 22. 89. (242). etc. et *Vulg. interpr. Gen.* 9. 25. — Quo pertinet illud *Lamprid. Elagab.* 8. *sub fin.* Diligenter curatum est, ut ex tota urbe monobelos quærerent; sic eos appellabant, qui viriliores videbantur. *h. e.* majori peculio instructi. ¶ 2. *Virilia* sunt etiam res viro dignæ. *Sall. in orat. Macri Licin. ad pleb. ante med.* Ne vos ad virilia illa vocem, quæ majores vestri paravere.

VĬRĪLĬTAS, ātis, f. 3. (virilis) natura seu qualitas propria viri seu maris (It. *maschiezza, virilità;* Fr. *virilité;* Hisp. *virilidad;* Germ. *die Männlichkeit;* Angl. *manliness*).

I.) Abstracto, ut ajunt, sensu. ¶ 1. Est natura seu proprietas maris. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). Jam vero pædagogia ad transitum virilitatis custodiuntur argento. *h. e.* pubertatis, qua puer fit generationi idoneus. Adde *Tac.* 6. *Ann.* 5. ¶ 2. Item vires et robur viri proprium, *robustezza,* ἀνδρεία. — *a*) Proprie. *Val. Max.* 2. 4. *n.* 2. Senatusconsulto cautum est, ne quis in Urbe propiusve passus mille subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum juncta standi virilitas, propria Romanæ gentis, nota esset. — *b*) Translate. *Quintil.* 1. 8. *ante med.* Sanctitas certe et, ut sic dicam, virilitas a veteribus Latinis petenda, quando nos in omnia deliciarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione, defluxerimus.

II.) Concreto sensu *virilitas* dicuntur τὰ αἰδοῖα ἀρσενικά, virilia. — *a*) De hominibus. *Auct. B. Alex.* 70. *a med.* Neque interfectis amissam vitam neque exsectis virilitatem restituere posse. Adde *Plin.* 7. *Hist. nat.* 4. 3. (36)., *Martial.* 9. 7., *Tac.* 6. *Ann.* 31., *Quintil.* 5. 12. *a med.* et *Ulp. Dig.* 48. 8. 4. *ad fin.* — *b*) De bestiis. *Colum.* 6. *R. R.* 26. Juvencus non in totum effeminatur, adempta omni virilitate. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (44). Utiliter fovetur vino calido virilitas jumentis.

VĬRĪLĬTER, adverb. ab adject. *virilis,* unde Comp. *Virilius.* — Viriliter est fortiter et magno animo, ἀνδρικῶς (It *virilmente, fortemente;* Fr. *virilement, avec courage, avec bravoure;* Hisp. *virilmente, con corage, con valantia;* Germ. *männlich, muthig;* Angl. *manfully, valiantly*). *Cic.* 2. *Tusc.* 27. 65. Itaque barbari quidam et immanes ferro decertare acerrime possunt, ægrotare viriliter non queunt. *Id.* 1. *Off.* 27. *circa med.* Quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro et decorum videtur. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 38. Viriliter facere. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55). Polycletus fecit et Doryphorum, viriliter puerum. *Ovid.* 1. *Fast.* 479. Fortuna viriliter, inquit, Ista ferenda tibi est. *Seneca Brevit. vit.* 6. *a med.* Omnes isti (*avari, iracundi etc.*) virilius peccant: in ventrem ac libidinem projectorum inhonesta labes est. *Cic.* 4. *Herenn.* 11. 17. Genus dicendi, quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmate neque viriliter sese expedire. *Seneca* 5. *Controv.* 33. *ad fin.* Hanc sententiam Latro Porcius virilius dixit.

VĬRĬO, ōnis, m. 3. *V.* VIREO, onis.

VĬRĬŎLA, æ, *et sæpius plur.* viriolæ, ārum, f. 1. *deminut. a* viria, exigua viria, idest parva armilla. *Isid.* 19. *Orig.* 31. 16. Armillæ proprie virorum sunt, collatæ victoriæ causa militibus; unde et quondam vulgo viriolæ dicebantur. *Ulp. Dig.* 18. 1. 14. Ut puta coheredes viriolam, quæ aurea dicebatur, pretio exquisito uni heredi vendidissent eaque inventa esset magna ex parte aenea. Adde *Auct. De idiom. gen. p.* 582. *Keil. Scævola Dig.* 34. 2. 40. Funerari me arbitrio viri mei volo et inferri mihi quæcumque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis et viriolas ex smaragdis. *V.* VIRIA.

VĬRĬŌSĒ, adverb. (viriosus) fortiter, valide. Occurrit tantum Comp. apud *Tertull. Anim.* 19. *ante med.* Vitis si quid attigerit, ultro ambit et quidem viriosius de suo ingenio, quam de tuo arbitrio.

VĬRĬŌSUS, a, um, adject. (vir) virum appetens, libidinosus. *Apul.* 9. *Met.* Mulier sæva, sæva, viriosa, ebriosa, pervicax. Alii rectius leg. virosa. V. VIROSUS et VIS in fin.

VĬRĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Viriosior,* h. e. validior, legitur apud *Novatian. De Trin.* 2. — Viriosus duo diversa significat. ¶ 1. *Viriosus,* a *vires,* est viribus validus, *forte, robusto,* δυναμικός. *Tertull. advers. Valentin.* 16. *a med.* Vitia usu viriosa. Adde *Dar. Phryg.* 13. *Gloss. Cyrill.* Δυναμικός, viriosus. ¶ 2. *Viriosus,* a *virus,* est venenatus, exitialis. *Apul.* 7. *Met.* Spinæ punctu venenato viriosæ. *Alii* virosæ. *V.* eumd. loc. et al. in VIROSUS.

VĬRĬPLĂCA, æ, f. 1. (vir et placo) cognomen deæ apud Romanos, quæ præerat jurgiis et litibus sedandis inter virum et uxorem. *Val. Max.* 2. 1. *n.* 6. Quoties inter virum et uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum deæ Viriplacæ, quod est in Palatio, veniebant et ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita, concordes revertebantur. Dea nomen hoc a placandis viris fertur assecuta.

VĬRĬPŎTENS, entis, adject. (vir et potens) Secundam alii producunt, ut sit vox, quæ et divisim *viri potens* usurpari queat. — Viripotens est nubilis, viro matura, *da marito,* ὡραία γάμου. *Labeo Dig.* 24. 1. 65. Quod vir ei, quæ nondum viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo. *Papinian. ibid.* 35. 1. 99. Nondum viripotens puella diem suum obiit. Adde *Scævolam ibid.* 26. 7. 58. Cf. *Fest. p.* 250. 8. et *Paul. Diac. ex Fest. p.* 251. 2. *Müll.*

VĪRĬPŎTENS, entis, adject. omn. gen. (vires et potens) viribus potens vel maxime potens. *Plaut. Pers.* 2. 3. 1. Jovi opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti. At *Horst. Comment. Plaut. p.* 175. vult esse idem ac virorum potens, ἀνδροδάμας, ut *astripotens, cœlipotens* etc., primâ correptâ. *V.* voc. præc.

VĪRĪTĀNUS, a, um, adject. (viritim) ager dicitur, qui viritim populo distribuitur. *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 373. 3. *Müll.*

VĪRĪTIM, adverb. (vir) per singula capita, in viros, singillatim, κατ᾽ ἄνδρα, καθ᾽ ἕνα, ἕκαστον (It. *ad un per uno, a testa;* Fr. *par homme, par tête;* Hisp. *por cabeza, por persona;* Germ. *Mann für Mann, jeder einzeln;* Angl. *from man to man*).

I.) Proprie. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 378. 3. *Müll.* Viritim dicitur dari, quod datur per singulos viros. Cato: Præda, quæ capta est, viritim divisa. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 26. Dispertire aliquid populo viritim. *Cæs.* 6. *B. G.* 71. *ad fin.* Pecus viritim distribuit. *Cic. Brut.* 14. *sub fin.* Qui legem de agro Gallico viritim dividendo tulerit. *Auct. B. Alex.* 65. *ad fin.* Præmia benemeritis et viritim et publice tribuit. *Nepos Pausan.* 1. Cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat. *Sueton. Tib.* 76. Dedit et legata militibus universis plebique R. viritim atque etiam separatim vicorum magistris. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Cohortibus civium R. trecenos nummos viritim dedit. *Id.* 11. *ibid.* 24. Ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 7. 7. (22). Populi viritim deleti. *h. e.* ad unum omnes. *Sil. It.* 17. 478. præsens adstare viritim Creditur intento perculsis Juppiter igni. *h. e.* singulis.

II.) Translate est separatim, seorsum: etiam de rebus. *Sall. Jug.* 53. *circa med.* Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 91. quid haberet, Quod legeret tereretque viritim publicus usus. *Colum.* 1. *R. R.* 9. *a med.* Nec viritim malefactum deprehenditur, quod fit a multis. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 7. In universum de ventis diximus: nunc viritim incipiemus illos discutere. *Curt.* 7. 4. *ad fin.* Si quis viritim dimicare vellet, provocavit ad pugnam. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (89). Domus iis, nemora et deorum cultus viritim gregatimque. *Tac.* 3. *Ann.* 43. Ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis, *h. e.* nondum publice et universim conspiraverant, sed multi

pro se quisque privato studio. Adde *Senec.* 7. *Benef.* 6. et 7. — *Inscr.* in *Berl. Monatsber.* a. 1871. *p.* 741. CORNELIO VIRITIM A DIVO CLAVDIO CIVITATE DONATO. h. e. privatim, pro se solo, ut *Henzen* ad *n.* 6405. adnotat.

VĪRO, as, are, 1. (vir) virum facio vel virilem ætatem consequor, virum ago. *Thes. utr. ling.* ed. *Vulc.* Viro, ἀνδρέω. Cf. VIRATUS, a, um.

VĪROPS, fortasse pro *viripos*, quæ jam opus habet viro. *Gloss. Isid.* Cf. VĪRIPOTENS.

VĪROR, ōris, m. 3. (vireo) viriditas, color viridis, *verdura, color verde*, χλωρότης. *Pallad.* 7. *R. R.* 12. Hordeum seminaturum, cui adhuc superest aliquid de virore, per manipulos ligabis. *Vopisc. Prob.* 19. Circus ad silvæ consitus speciem gratia novi viroris effronduit. — In plur. num. *Apul. Florid. n.* 10. Pratorum virores.

VĪRŌSUS, a, um, adject. (vir) viri appetens, sicut *mulierosus*, mulieris appetens, φίλανδρος. *Scipio African.* apud *Gell.* 7. 12. Qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit. *Lucil.* apud *Non. p.* 21. 30. *Merc.* vetulam atque virosam Uxorem cædam potius, quam castrem egomet me. *Afran. ibid.* Virosa non sum, et si sum, non desunt mihi, Qui ultro dent; ætas integra est, formæ satis. *Apul.* 9. *Met.* Mulier scæva, sæva, virosa, ebriosa. *Alii minus recte* viriosa.

VĪRŌSUS, a, um, adject. (virus) Sup. *Virosissimus* I. 2. — Virosus est venenatus, veneno infectus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 7. *Met. p.* 483. *Oudend.* Spinas acerrimas et punctu venenato virosas, tortili modo in fascem constrictas, caudæ meæ pensilem deligavit cruciatum. *Alii rectius* viriosas. *V.* VIRIOSUS. Adde *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 113. et *Seren. Sammon. loc. cit.* in STRIX. ¶ 2. Speciatim est fœtidus, graveolens, qui est mali odoris vel mali saporis: *virus* enim, a quo derivatur, modo venenum, modo ingratum odorem vel saporem significat. *Scribon. Compos.* 103. Virorosissimum adversus stomachum medicamentum. *Id. ibid.* 163. Virosi odoris sordes. *Virg.* 1. *G.* 58. At Chalybes nudi ferrum virosaque Pontus (*mittit*) Castorea. Constat enim castoreum fœdi et exsecrandi odoris esse, adeo ut prægnantes ejus olfactu ejiciant fetum. *Servius* tamen ibi interpretatur aut fortia aut venenata. Alii exponunt medicamentosa, *medicinali:* qua ratione etiam *Nemesian.* videtur usurpasse in *Cyneg.* 223. Disce igitur potus medicos curamque salubrem: Tunc virosa tibi sumes multumque domabis Castorea, attritu silicis lentescere cogens. Quamquam nihil vetat, hoc quoque loco pro fœtido accipere. *Cels.* 2. 21. Virosi pisces. *Grat. Cyneg.* 355. eluvies. *h. e.* urina.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ a super. paragr. 1. sumptâ. *Sidon.* 5. *Ep.* 6. *sub fin.* Aures virosa susurronum fæce completæ. Adde *Capell.* 4. *p.* 96. ¶ 2. Pro libidinoso. *Cato R. R.* 157. *a med.* Et, si mulier eo lotio locos fovebit, numquam virosi fient. At *Forcellinus* pro fœtido interpretator. ¶ 3. *Virosus* exponitur austerus in *Gloss. Lat. p.* 293. *n.* 168. V. *Hild.* ad *h. l.*, ubi et *viriosus* legitur.

VIRTICA. *V.* URTICA.

VIRTŬŌSĒ, adverb. (virtuosus) cum virtute, *virtuosamente*. *Inscr.* apud *Gruter.* 807. 3. QVAE MVLTIS CVM SVDORIBVS MATVRA AETATE VIXIT VIRTVOSE. (Eruditi spuriam existiment.)

VIRTŬŌSUS, a, um, adject. (virtus) qui virtute excellit. *Vet. Schol.* ad *Cic. Invent. rhet.* apud *Suringar Hist. Schol. P.* 1. *p.* 237. Ex rudi virtuosus. Adde *Augustin. Serm.* 161. *n.* 2. ed. *Mai.*

VIRTUS, ūtis, f. 3. — *a*) *Vertus* pro *virtus* in *Inscr.* apud *Gruter.* 1056. 2. et in *cista Prænest.*, de qua V. *Annal. dell' Istit. arch. a.* 1861. *p.* 161. — Item *urtus* in nummo Theodos. II. apud *Mionnet Méd. Rom. T.* 2. *p.* 362. — *b*) In genet. plur. *virtutium* pro *virtutum*, ut *civitatium* et alia. *Paulin. Nolan. carm.* 10. 52. Magister hic virtutium. Sic et *Mela* 2. 45., *Apul. De mag.* 73., *Jul. Val.* 2. 21. ed. *Mai* (et 2. 7. ed. *Paris.* virtutum) et *Itin. Alex.* 48. — *Virtutuum* in *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 688. *n.* 99. — *c*) Vox est a *vir*, ut docet *Cic.* 2. *Tusc.* 18. 43. Appellata est a viro virtus; vel a *vires*, ut *Isid.* 18. *Orig.* 22. 1. Virtus est immensitas virium in labore et pondere corporis. — Virtus est id quod hominis proprium est, vel summa omnium humanarum facultatum aut perfectionum: et dicitur etiam de quacumque hominis perfectione, tam corporis quam animi, sed præcipue animi, ἀρετή (It. *virtù, forza, valore, capacità, proprietà;* Fr. *vertu, force, propriété, perfection;* Hisp. *virtud, capacidad, valor, propriedad;* Germ. *die Mannheit, Tüchtigkeit, Vorzüglichkeit, Tugend;* Angl. *virtue, force, power, efficacy*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Abstractorum more. *Cic.* 5. *Fin.* 13. 38. Ita fiet, ut animi virtus corporis virtuti anteponatur. *Sall. Jug.* 6. Existumans Jugurthæ virtutem gloriæ regno suo fore. *Cic.* 4. *Phil.* 5. *ad fin.* Omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ numquam ulla vi labefactari potest, numquam demoveri loco. *Id.* 2. *Orat.* 27. 120. In quo oratoris illa vis divina virtusque cernitur. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu. *Vulg. interpr. Eccli.* 38. 33. Figulus ante pedes suos curvabit virtutem suam. *h. e.* corpus suum. ¶ 2. Speciatim est bona animi dispositio, quæ rem, cui inest, in genere bonam perfectamve ejusque operationem excellentem reddit, *virtù*. *Cic.* 2. *Tusc.* 18. *ad fin.* Atqui vide, ne, quum omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab ea una, quæ ceteris excellat, omnes nominatæ sint. Appellata est enim a viro virtus: viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. *Cic.* 2. *Invent.* 53. 159. Virtus est animi habitus naturæ modo rationi consentaneus. *Id.* 1. *Legg.* 8. *a med.* Est autem virtus nihil aliud quam in se perfecta et ad summum perducta natura. *et* 1. *Acad.* 5. (*post.*) *a med.* Quod autem absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturæ. *Id. Font.* 13. 29. Qui tanta virtute atque integritate fuit, ut solus Frugi nominaretur. *Id. post redit. in Senat.* 3. 5. Singularis et præstantissima virtus. *Id. Dom.* 15. 39. Vir singulari virtute, constantia, gravitate præditus. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 52. Oderunt peccare boni virtutis amore. *Publil. Syr.* 538. *p.* 352. *R.* Quidquid fit cum virtute, fit cum gloria. *Id.* 641. *p.* 358. Virtuti melius quam fortunæ creditur. *Ovid. Heroid.* 17. 98. Virtus est placitis abstinuisse bonis. *cosa lodevolissima.* et 2. *Art. am.* 3. Nec minor est virtus quam quærere, parta tueri. *bravura. Cic.* 1. *Off.* 15. 46. Ut quisque maxime his virtutibus lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, justitia. *Id. Mur.* 10. *ad fin.* Aliis ego te virtutibus continentiæ, gravitatis, justitiæ, fidei, ceteris omnibus, consulatu dignissimum judicavi. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 115. Quæ (*Livia Aug.*) præstat virtute sua, ne prisca vetustas Laude pudicitiæ sæcula nostra premat. *Ammian.* 25. 4. *sub init.* Virtutes quattuor præcipuæ, temperantia, prudentia, justitia, fortitudo. Nos *le virtù cardinali* dicimus. *Inscr.* apud *Orelli n.* 1139. Omnium virtutum vir. — Proverbii loco est illud *Hieronym.* 3. *in Rufin.* 2. Quin potius habeo gratiam, quod facis de necessitate virtutem. Unde Itali nunc *far della necessità virtù* dicunt. — In hac acceptione virtutes animi sive mentis varie dividuntur: sed de his *V.* philosophos. ¶ 3. Hinc sæpe accipitur pro fortitudine militari, et latius pro animi constantia in periculis et rebus adversis. — *a*) Abstractorum more. *Cæs.* 1. *B. G.* 2 Perfacile esse, quum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Adde *Horat.* 4. *Od.* 15. 29. *Virg.* 2. *Æn.* 390. dolus an virtus, quis in hoste requirat? *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 23. Subruere est arces et stantia mœnia virtus. *Nepos Reg.* 2. Siculus Dionysius quum virtute tyrannidem sibi peperisset etc. — *Macte, macti virtute*, locutio ad animos addendos, *bravo! bene!* V. MACTUS. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu pro exercitu optime instructo. *Vulg. interpr.* 1. *Mach.* 1. 4. *de Alexandro M.* Congregavit virtutem. *h. e.* robur copiarum. Adde *Ps.* 32. 16. et 43. 10. — *c*) Item de Angelis, qui militia Dei sunt. *Id. Ps.* 148. 2. — *d*) Item *virtutes* dicitur unus ex choris Angelorum. *Id. Rom.* 8. 38. et 1. *Petr.* 3. 22. — *e*) Et *virtus Dei* est ipse Deus omnipotens. *Id. Matth.* 26. 64. ¶ 4. Item, in malam partem, est ferocia, feritas, *fierezza*. *Stat.* 9. *Theb.* 4. quin te, Divum implacidissime (quamquam Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas) Offensum virtute ferunt. *Id.* 11. *ibid.* 1. Postquam magnanimus furias virtutis iniquæ Consumpsit Capaneus. ¶ 5. Nonnumquam pro merito seu præstantia. *Plaut. Most.* 1. 3. 17. Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quicquid habeas.

II.) Translate. ¶ 1. Per catachresim dicitur etiam de bestiis et de rebus quibuscumque pro ea vi, qua res, cujus est virtus, perfecta redditur, vel pro vi et facultate rei unicuique insita, *virtù, valore, forza, proprietà*. *Cic.* 1. *Legg.* 16. 45. Nam nec arboris nec equi virtus (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura. *Cato R. R.* 1. Prædium solo bono, sua virtute valeat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 130. Sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat. *Cic. Brut.* 17. 65. In Catonis orationibus omnes oratoriæ virtutes reperientur. Sic *Quintil.* 4. 2. *ante med.* Sunt quidem hæ, quas supra retuli, virtutes aliarum quoque partium (*orationis*). *Ovid.* 14. *Met.* 356. si non evanuit omnis Herbarum virtus. *Propert.* 3. 15. 20. Virtus Bacchi. *la forza e virtù del vino*. et *Liv.* 37. 24. Momento temporis et navium virtus et usus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempsit. *Justin.* 11. 14. *in fin.* Quum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quæratur. *Curt.* 9. 7. 16. Pugil nobilis et ob eximiam virtutem virium pernotus. *h. e.* præstantiam. ¶ 2. Metonymice pro opere virtutis seu potentiæ et quidem divinæ, miraculo, prodigio. *Tertull. Præscr.* 29. Tot virtutes, tot charismata perperam operata. Adde *Apolog.* 18. et *Vulg. interpr.* passim. *Sulpic. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 43. *a med.* Ut si cujus hostiam missus cælo ignis absumeret, rata esset religio, quæ virtutem edidisset. ¶ 3. Item aliquando etiam accipitur pro ope, auxilio. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 81. Deûm virtute eumdem hospitio accipiam. — Sæpius apud *Vulg. interpr.* pro divino auxilio, gratia ac potentia Dei sumitur, ut *Gal.* 3. 5., *Act.* 1. 8. etc. ¶ 4. Item pro medicamento. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. 47. Curare simplicibus virtutibus. ¶ 5. Item pro titulo honorario. *Cod. Theod.* 12. 13. 15. Ejus relatione tuis virtutibus intimata. ¶ 6. *Virtus* ab antiquis dea putata est, cui templum dedicavere. Virtutis autem templum cum æde Honoris conjunctum fuit, ita ut in hanc non nisi per illud pateret aditus. Quo significare voluerunt, veram unicamque parandi honoris viam esse virtutem. *Cic.* 2. *Nat. D.* 31. 79. Vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum. *et ibid.* 31. 79. Ob eamque causam majorum institutis Mens, Fides, Virtus, Concordia consecratæ et publice dedicatæ sunt. Adde *Juvenal.* 1. 115. et *Liv.* 27. 25. *et* 29. 11. *sub fin.* — Hinc *Virtus*, præcipue bellica, in nummis exhibetur tamquam mulier stans, dexterâ hastam tenens, sinistrâ parazonium et pede galeam calcans, ut in nummo M. Aurelii apud *Eckhel D. N. V. T.* 7. *p.* 46. — Sic *Virtus* et *Felicitas* in *alio* apud *eumd. ibid. p.* 436. ¶ 7. Improprie sumitur de signo picto Virtutis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (137). Aristolaus e severissimis pictoribus fuit, cujus sunt Virtus etc.

Homonym. Differt plurimum *virtus* a *probitate*. Unde *Ovidius* probitatem in uxore agnoscit: at requirit virtutem, quia non auderet pro marito apud Augustum aut Liviam intercedere. Ita enim scribit 3. *Pont.* 1. 93. Nota tua est probitas testataque tempus in omne: Sit virtus etiam non probitate minor. *Cic.* 13. *Fam.* 28. Est in eo virtus et probitas et summum officium summaque observantia. Cf.

Sall. Cat. 52. Virtus atque sapientia major in illis fuit. — Item differt a *fortitudine;* nam, ut docet *Isid.* 1. *Diff. n.* 570., *virtus* in animi vigore et habitu est, cujus pars *fortitudo* mentis. Quæ ex quattuor virtutibus una est, licet et corporis robur *fortitudo* vocetur.

**VĪRŬLENTĬA**, æ, f. 1. (virulentus) ¶ 1. Concreto, ut ajunt, sensu est virus, hoc est nativus cujusque rei vitalisque succus aut humor. *Tertull. Apolog.* 8. Panis, quo sanguinis virulentiam colligas. Alii rectius leg. *jurulentiam.* ¶ 2. Abstractorum more est fœtor, graveolentia. *Sidon.* 8. *Ep.* 14. *circa med.* Hircorum vos obtulisse virulentiam Christus sibi computat. — In plur. num. *Hieronym. Ep.* 108. Virulentiæ carnium. — Hinc translate. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. orat.* in *Clod.* et *Cur.* 5. 1. Asperitatis virulentia non sine lenitie. Ita *Beier p.* 104.; aliter *Maius p.* 20. V. LENITIES.

**VĪRŬLENTUS**, a, um, adject. (virus) Sup. *Virulentissimus.* — Virulentus est plenus veneno, ἰώδης (It. *velenoso;* Fr. *venimeux;* Hisp. *venenoso;* Germ. *voll Gift, giftig;* Angl. *poisonous, venomous*).

I.) Proprie. *Gell.* 16. 11. Ut serpentium virulentorum domitores sint.

II.) Translate. *Cassiod. De amic.* 14. Simulatio et assentatio, duæ virulentissimæ pestes.

**VĪRUS**, i, n. 2. — *a*) In genet. sing. *virus* pro *viri*, instar nomin. 4. declin., apud *Ammian.* 18. 4. 4. Copia virus. — *b*) Positio est masc. gen.; sed, ut *pelagus, vulgus*, usurpatur in neutr. gen. et caret plurali num.; non tamen tres aut quattuor tantum habet casus, uti vult *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 129.; nam et in genet. et etiam in abl. adhibet *Lucret.* et fortasse *Seren. Sammon.* V. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 124. et 395. — *c*) Ratione habita etymi, recentiores conferunt cum Skr. *vishá*, ejusd. significationis, unde Gr. (Ϝισος) ἰός. — Virus tria diversa significat, sed quæ affinia sunt.

*A*) Est, juxta primitivum vocabuli sensum, succus nativus et vitalis cujusque rei, χυμός (It. *sugo, umore, liquore;* Fr. *suc, jus, humeur;* Hisp. *suco, zumo;* Germ. *der Schleim;* Angl. *juice, humour*). Vox est mediæ significationis, uti docet *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 129., et tam de salubri, quam de noxio succo dicitur, ut *venenum, valetudo* etc.; fere autem usurpatur de crassis, lentis ac viscidis humoribus.

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem. — *a*) Generatim. *Colum.* 2. *R. R.* 14. Obesse solo virus ciceris et lini: alterum, quia sit salsæ; alterum, quia sit fervidæ naturæ. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 27. (89). Pastinacæ virus intractabile. *Id.* 30. *ibid.* 6. 15. (44). Virus cochlearum. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 103. jungam ipse manus atque omne benigne Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi. — *b*) De semine animalis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 50. 74. (157). *de piscib.* Nec satis est generationi per se coitus, nisi editis ovis interversando mares, vitale aspersserint virus. *Id.* 28. *ibid.* 11. 48. (175). Virus verrinum e scrofa exceptum. Adde *Virg.* 3. *G.* 281. et *Marcell. Empir. c.* 9. *p.* 100. ¶ 2. In malam partem sæpissime dicitur de succo noxio et venenato, *veleno, tossico.* — *a*) Stricto sensu. *Cic. in Arat.* 436. Mortiferum in venas figens per vulnera virus. *Virg.* 3. *G.* 419. coluber Pestis acerba boum pecorique aspergere virus. *et* 1. *ibid.* 129. Ille malum virus serpentibus addidit atris. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 64. Nam volucri ferro tinctile virus inest. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 17. 48. (160). Stannum illitum aeneis vasis compescit æruginis virus. *Id.* 8. *ibid.* 22. 34. (83). Virus amatorium, *h. e.* amorem inducens. *Martial.* 7. 12. vipereum. — *b*) Latiore sensu, est radix seu principium morbi, *il principio morboso*, ut videtur, apud *Seren. Sammon. c.* 9. et *alibi.*

II.) Translate. *Cic. Amic.* 23. 87. Is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. *h. e.* odium, invidiam, rabiem. *Sil. It.* 9. 476. nam virus et æstus Flammiferæ novi mentis. *et* 11. 560. virus futile linguæ. *Martial.* 13. 2. qui se mirantur, in illos Virus habe. *h. e.* illos carpe, morde, dictis lacera.

*B*) Est etiam malus odor, graveolentia, *cattivo odore, puzza. Lucret.* 2. 852. mixtos in corpore odores Concoctosque suo contactos perdere viro. *Martial.* 1. 88. olet gravius mixtum diapasmate virus. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *circa med.* Nec paludem vicinam esse oportet ædificiis, quod caloribus noxium virus eructat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 115. (277). Animæ leonis virus grave. *Id.* 27. *ibid.* 12. 83. (107). Radix evulsa virus hirci redolet. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (185). Virus alarum. *Id.* 28. *ibid.* 3. 6. (31). et *ibid.* 7. 23. (79). Virus odoris. *h. e.* gravitas.

*C*) Denique est sapor: et quidem ¶ 1. Dicitur de sapore gravi, aspero et injucundo, *sapore ingrato:* v. gr. aquæ marinæ. *Lucret.* 2. 475. Linquit enim supra tetri primordia viri aspera. *Manil.* 5. 683. Et pontum coquere et ponti secernere virus. *h. e.* sal. *mox ibid.* 690. venenum vocat. — Hinc translate. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 158. et grave virus Munditiæ pepulere. ¶ 2. Item est sapor acer, *piccante. Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (124). Crapula compesci feritatem (*vini*) nimiam frangique virus: aut, ubi pigra lenitas torpeat, virus addi.

**VĪS**, vis, vi, vim, *et in plur. num.* vires, ium, f. 3. — *a*) In Genet. et Dat. sing. rarissime adhibetur, ut apud *Tac. Dial. de orat.* 26. *circa med.* In magna parte librorum suorum plus vis habet, quam sanguinis. (Ubi tamen alii aliter leg., ut *Müll.;* at *Orelli* defendit.) Sic *Ulp. Dig.* 4. 2. 1. Detracta est vis mentio. *et Paul. Sentent. tit.* 30. Vis publicæ reus. *Auct. B. Afr.* 69. Equitibus suis hostium vi oppositis. Adde *Victorin.* in *Rhet. Cic.* 1. 44. *p.* 251. 41. *Halm.* et *Corp. Inscr.* 5. 837. V. et sub *A* II. — In plur. num. *vis* pro *vises*, unde ajunt quidam *vires*, pro *vises*, descendere, alii negant. In recto. *Lucret.* 3. 265. Sed quasi multæ vis unius corporis exstant. In accus. *Messala* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 9. Duas vis dispares colligavit. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 6. *p.* 707. *Putsch.* Male jam assuetum ad omnes vis controversiarum. *V.* HIR. *Lucret.* 2. 586. multas vis possidet in se. Adde 3. 266. Cf. *Prob. Inst. gramm. p.* 1461. *Putsch.* et *Müll. De re metr. p.* 381. — *b*) Quod ad notationem attinet, conjungi potest cum Gr. (Ϝις) ἴς, ἰνός, fibra, robur, quod recentiores conferunt cum rad. Skr. *gi* (*gvi*), cui vincendi notio inest. — *c*) *Vis*, et etiam plur. *vires*, pro *vises*, unum idemque sunt, quamvis aliter sentire videatur *Forcellinus*, qui seorsim duo hæc exposuit, innixus loco *Nepot. Thrasyb.* 1. In prœlii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium. *h. e.* impetum et contentionem. *vires* enim a corpore sunt, impetus et contentio ab animo, ut ille interpretatur: vel ad copias (*vires*) virtutemque (*vim*), ut alii. Sunt tamen qui pro *vimque* leg. *virtutemque.* Huc facit etiam illud *Liv.* 9. 16. Vis virium. (De utroq. loc. V. *Madvig Emend. Liv. p.* 209.) Huic discrimini favet etiam *Isid.* in *Diff. App. n.* 199. « Inter *vim* et *vires* hoc interest, quod *vis* impetu et injuria constat, *vires* ad bonum et fortitudinem corporis referuntur: ita *vis* facit violentiam, *vires* vitiosum ». Verum, licet aliquid interdum usu differant et copulentur simul, non est cur ita proponantur, ut duo diversa sint censenda: quod quidem ex iis, quæ exponentur, patebit. Cf. *copia* et *copiæ* et hujusmodi. — Vis est potentia, facultas, efficacia, virtus, nervi, δύναμις, ἰσχύς (It. *forza, vigore, lena, possa, virtù;* Fr. *force, vigueur;* Hisp. *fuerza, vigor;* Germ. *die Kraft, Stärke, Gewalt;* Angl. *force, power, vigour*).

*A*) Proprie.

I.) Generatim. — *a*) In sing. num. *Paul. Sent. recept.* 1. 7. 7. Vis est major rei impetus, qui repelli non potest. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Contra vim atque impetum fluminis. *Id.* 2. *B. C.* 14. Vis tempestatis. *Id.* 6. *ibid.* 27. *de uris.* Magna vis est eorum et magna velocitas. *Id.* 4. *ibid.* 3. *et* 4. Vis hostium. *Cic. Rabir. Post.* 15. *ad fin.* frigorum. *Id.* 3. *Nat. D.* 36. *extr.* omnis deorum et potestas. *Lucret.* 4. 327. solis. *Nepos Alcib.* 10. *a med.* flammæ. *Id. Att.* 21. morbi. *Id. Milt.* 5. Summa vi prœlium committere. *Cic.* 1. *Divinat.* 70. 114. Celeritas et vis equorum. *Id. Cæl.* 24. 58. Vim veneni experiri in aliquo. — Hinc translate seu morali sensu. *Id.* 2. *Orat.* 27. 120. Vis illa divina et virtus oratoris. et 1. *ibid.* 31. *a med.* Oratoris vis ac facultas. *Id.* 5. *Phil.* 18. 49. Summa vis ingenii. *Id. Mil.* 23. 61. Magna vis est conscientiæ in utramque partem. *Id.* 2. *Off.* 6. 19. Magna vis est in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas. *Id.* 1. *Orat.* 44. 196. Patriæ tanta est vis ac tanta natura, ut Ithacam sapientissimus vir immortalitati anteponeret. *Horat.* 2. *Od.* 17. 6. Maturior vis. *h. e.* mors. — *Plaut. Truc.* 4. 2. 40. Vis est experirier. — *b*) In plur. num. *Id. Asin.* 2. 2. 30. Jubeo, te valere voce summa, quoad vires valent. *Cæs.* 6. *B. G.* 20. Alere vires, confirmare nervos. *et* 7. *ibid.* 50. *ad fin.* Me jam sanguis viresque deficiunt. *et* 3. *B. C.* 99. *extr.* Quum vires eum lassitudine defecissent. *Cic. Senect.* 6. *circa med.* Non viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia. *et ibid.* 9. 27. Nec nunc vires desidero adulescentis, non plus quam adulescens tauri aut elephanti desiderabam. *Nepos Eumen.* 11. *extr.* Esse viribus ad laborem ferendum firmis. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. Perpauci viribus confisi transnatare contenderunt. *Id.* 1. *B. C.* 52. Militum vires inopia frumenti diminuerat. *Cic.* 4. *Fam.* 7. Lacertis et viribus pugnare. *Id.* 3. *Tusc.* 3. 6. Omnibus opibus, viribus elaborandum est. *et ibid.* 11. *ad fin.* Omnibus viribus atque opibus repugnandum est. *Id.* 1. *Orat.* 33. 150. Exercere vires in aliqua re. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 33. adimere. *et* 2. *ibid.* 2. 70. alicui facere. *Id.* 4. *Met.* 150. et 1. *Fast.* 17. dare cuipiam in rem aliquam. *Cels.* 4. 25. recipere. *Seneca Herc. Œt.* 1418. reparare. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 27. capere. *Virg.* 3. *G.* 209. firmare. *Propert.* 1. 14. 17. infringere. *Ovid.* 1. *Met.* 273. et 12. *ibid.* 107. effundere. *Id.* 1. *Pont.* 7. 51. inhibere. *et* 3. *ibid.* 6. 24. temperare. *et* 1. *ibid.* 4. 3. quasso languent in corpore vires. *Cæs.* 3. *B. G.* 4. *et* 10. Milites integris viribus. *freschi.* et *Ovid.* 10. *Met.* 658. totis viribus uti. *Virg.* 2. *Æn.* 50. Validis viribus hastam contorquere. *Id.* 5. *ibid.* 226. summis adnixus viribus urget. *et* 9. *ibid.* 431. sed viribus ensis adactus Transabiit costas. *et* 10. *ibid.* 811. Audere majora viribus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 85. Et neglecta solent incendia sumere vires. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 24. Increpuit quantis viribus unda latus! *Seneca Thyest.* 588. suæ ventis cecidere vires. *Virg.* 2. *G.* 360. aptare sudes et furcas, viribus eniti quarum et contemnere ventos Ediscant vites. *h. e.* firmitate: *saldezza.* et 1. *ibid.* 86. occultas vires et pabula terræ Pinguia concipiunt. *h. e.* vim gignendi. *Cato R. R.* 61. In radices vires oleæ abibunt. *Ovid.* 13. *Met.* 942. has vires habet herba. *questa virtù.* Sic *Juvenal.* 12. 41. egregius fons occultis viribus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. (129). Magnes sine viribus. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 4. Plurimum virium habet stella Saturni. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 69. Quam miserum, porta vitam muroque tueri Vixque sui tutum viribus esse loci! *fortezza.* et 4. *Pont.* 15. 12. Nil opus est legum viribus. — Sequente infinito. *Ovid. Heroid.* 1. 109. Nec mihi sunt vires, inimicos pellere tectis. — *Uti viribus suis*, pro summo jure et potentia facere, vim omnem adhibere. *Seneca* 3. *Ira* 40. *ad fin.* Fuit Cæsari sic castigandus amicus: bene usus est viribus suis. *Petron. Sat.* 108. Usurum me viribus meis, libera voce clamavi, ni abstineret a Gitone injuriam. — *Pro viribus*, ut vires ferunt, *come portano le forze, secondo le forze. Cic. Senect.* 9. 27. Quid agas, decet agere pro viribus. — *Supra vires*, e contrario, est plus quam vires patiantur, *oltre le forze, più di quello che uomo può. Horat.* 1. *Ep.* 18. 22. — Exempla aliquot hominum prodigiosis viribus habes apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19.

II.) Speciatim est violentia. — 1.°) Est sæpi

quæ injuriâ fit, et ab hominibus infertur, *violenza, prepotenza, βία*. — *a*) Universim. In *S. C.* apud *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 5. Ut qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur. *Ter. Eun.* 4. 7. 37. *et* 5. 5. 21. Edico tibi, ne vim facias ullam in illam. *Cic. Sext.* 17. 39. Vim vi repellere. *Id. Mil.* 4. 9. Cum vi vis illata defenditur. *Vellej.* 2. 45. *ad fin.* Vitæ suæ vim intulit. *si diede la morte. Cic. Cæcin.* 14. *a med.* Hoc interdicto Æbutius non tenetur, quod vis Cæcinæ facta non est. (*h. e.* interdicto, quod JCti appellant *Unde vi.* Ait enim prætor apud *Ulp. Dig.* 43. 15. 1. Unde tu illum vi dejecisti aut familia tua dejecit, de eo etc.) *Venulej. ibid.* 43. 18. 4. Vim facere, quo minus aliquid fiat. *Cic. Cæcin.* 21. *extr.* et 3. *Verr.* 24. 62. *et* 6. *ibid.* 65. *a med.* alicui afferre. (quod interdum est idem ac occidere, ut apud *Nepot. Dion.* 10.) *Id.* 2. *Off.* 30. *a med.* et 1. *Cat.* 8. 10. adhibere, *et ibid. a med.* et manus inferre cuipiam. *Sall. loc.* init. *cit.* Vis controversiarum. *h. e.* violentia, qua controversiæ exercebantur. *Liv.* 9. 16. Vim inferre. Alii aliter. — *Vi* et *per vim*, vi adhibita, *a forza, per forza, βίᾳ κατὰ κράτος. Ter. Eun.* 4. 6. 14. Hæc ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Quod eo invito iter per provinciam per vim tentassent. *Cic.* 7. *Att.* 9. *ad fin.* Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et factionem datos. *Ter. Eun.* 2. 3. 27. Hanc tu mihi vel vi vel clam vel precario fac tradas. *Inscr.* seu *lex Thoria*, apud *Lips.* in *Auct. p.* 7. et *Gruter.* 202. *lin.* 18. QVOD NEQVE VI NEQVE CLAM NEQVE PRECARIO POSSEDERIT. (*Vi, clam, precario,* formula est, qua comprehenduntur inhonesti tituli possidendi aliquid. *Donat.* ad *loc. cit.* Hæc tria sunt, quibus non rite res agitur et mala fide aliquid possidetur. Adde *Cic. Cæcin.* 32. 92. et *Ulp. Dig.* 41. 1. 22. Justum titulum admiscet *Horat.* 2. *Ep.* 2. 173. Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema Permutet dominos.) *Sall. Cat.* 10. Populi ingentes vi subacti. — *b*) In re obscena *vim afferre, parare, pati* sæpe apud *Ovid.* V. etiam 1. *Art. am.* 673. *et* 679. etc. — *c*) Quæ est ab homine vis, duplex est, privata et publica: hæc est, quæ armatis hominibus coactis committitur: illa, quæ sine armis. Cautum enim fuit lege Julia, ne quis privatus armis uteretur, excepta itineris vel venationis causa: qui contra faceret et in vi adhibenda armis usus esset, non pro privato, sed pro publico homine se gessisse censebatur eaque vis publica dicebatur. *Martian. Dig.* 48. *tit.* 6. *qui est* de vi publica, 1., *Ulp. ibid.* 2. et *tit.* 7, *qui est* de vi privata, 5. et *Justinian.* 4. *Institut. tit.* 14. *ad fin.* — *d*) *Ista vis est,* formula querentis cogi se et invitum agi. *Cæsar* apud *Sueton. Cæs.* 82. Deinde clamantem, Ista quidem vis est, alter Cassius adversum vulnerat infra jugulum. *Plaut. Capt.* 3. 5. 92. Vis hæc quidem hercle est, et trahi et trudi simul. Adde *Ter. Adelph.* 5. 8. 20. — 2.°) Præterea *vis* dicitur violentia et calamitas, quæ de cælo venit. Ea quoque duplex est, *major* et *minor*. De his ita *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 69. (278). Ante omnia autem duo genera esse cælestis injuriæ, meminisse debemus. Unum quod tempestates vocamus: in quibus grandines, procellæ ceteraque similia intelliguntur: quæ quum acciderint, vis major appellatur. Hæc ab horridis sideribus exeunt, veluti Arcturo, Orione, Hædis. Alia sunt illa, quæ silente cælo serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi quum facta sunt. Publica hæc et magnæ differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus vero sterilitatem. Hæc *Plin.*, qui de satis et cultu agrorum tantum eo loco verba facit. Sed latius patet et ad alia quoque vis hæc cælestis refertur, incendia nempe, terræ motus aut labes ingentes, vim aquarum, morborum pestilentiæ: et dicitur etiam a JCtis *vis magna, divina, naturalis* et *cui resisti non potest, Θεοῦ βία. Cic. Planc.* 42. 101. Si vitam mihi sors ademisset aut aliqua vis major reditum peremisset. Adde *Senec.* 4. *Benef.* 39. *extr.* et *Colum.* 1. *R. R.* 7. Hinc *Inscr.* apud *Gruter.* 94. 5. VI DIVINAE SACRVM C. VETTIVS C. F. GAVOLVS. *h. e.* tempestatibus. V. *Mazoch. Archit. Camp. p.* 170. *col.* 1. et *alia*, cl. *Furlanetto* communicata a *V. Lazzari, n.* 45. HILEROS VIRIBVS ARAM V. S. L. M. *h. e.* voto solvit libens merito. V. sub *B* I. 7.

*B*) Translate.

I.) Physico sensu. ¶ 1. *Vires* sunt milites, pecunia, opes, illud, quo quis potens est. *Cæs.* 3. *B. C.* 57. Præesse exercitui, ut, præter auctoritatem, vires quoque ad coercendum haberet. *Ovid. Heroid.* 16. 340. Concitat et vires Græcia magna suas. *Horat. Epod.* 16. 2. Suis et ipsa Roma viribus ruit. *Justin.* 21. 4. 1. Hanno opes suas, quibus vires reipublicæ superabat, ad occupandam dominationem intendit. *Id.* 30. 1. 5. Ptolemæus legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. *h. e.* exercitum. *Id.* 5. 1. *ad fin.* Quum ad opprimendam unam urbem totius Orientis vires concurrerent. — Huc pertinent *Inscr.* plures in *Bullett. dell'Istit. arch. a.* 1872. *p.* 62. et a. 1874. *p.* 24. et *seqq.*, ubi pro *fisco dare* aliquid adhibetur formula *viribus fisci dare.* Sic et in *Cod. Theod.* 8. 8. 4. Fisci viribus inferre. *et mox.* solvere. ¶ 2. Item *vis* pro multitudine, numero, copia, abundantia ponitur, *quantità, moltitudine, numero, abbondanza, copia.* — *a*) Cum adjectivo. *Cic.* 7. *Fam.* 18. *ad fin.* Vis maxima ranunculorum. *Id. Harusp. resp.* 11. 22. Vis innumerabilis servorum. *Id.* 5. *Tusc.* 32. 91. In pompa quum magna vis auri argentique ferretur. *Virg.* 4. *Æn.* 132. et odora canum vis. *Nepos Cim.* 2. Vis maxima barbarorum. — *b*) Et sine adjectivo. *Cic. prov. cons.* 2. *sub fin.* Gentes eæ, quæ, ut pace uterentur, vim argenti dederant præclaro nostro imperatori. *Id.* 6. *Rep.* 14. 14. Quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi. *Tac.* 3. *Hist.* 5. Vis equitum. *et* 1. *ibid.* 12. frumenti. *Id.* 4. *Ann.* 62. mortalium. ¶ 3. Item *vis* est genitale virus, semen animalis, σπῆρμα. *Id.* 6. *ibid.* 28. *a med.* Phœnicem struere nidum eique vim genitalem effundere, ex qua fetum oriri. *Arnob.* 5. *p.* 164. Quum vis illa telluris coopertæ esset gremio. — Hinc *vis Lucilii* in re obscena. *Id. ibid. p.* 169. et *Varro* 5. *L. L.* 63. *Müll.* ¶ 4. Et *vires*, οἱ ὄρχεις, quia in his stat gignendi vis, et quia animalis robur servant. *Inscr.*, in quibus de taurobolio sermo est, apud *Gruter.* 30. 3. et 5. VIRES TAVRO CONSACRAVIT. *h. e.* testes tauri mactati. *Alia* de eodem apud *Murat.* 333. 4. VIRES EXCEPIT ET CONSACRAVIT. *Alia* de eodem apud *Fabrett. p.* 609. *n.* 79. LOCO VIRES CONDITAE. *Murat. loc. cit.* id confirmat ex Actis S. Symphoriani, qui occisus est sub M. Aurelio apud *Ruinart. c.* 6. In cujus (*Berecynthiæ*) sacris excisas corporum vires castrati adulescentes infaustæ imagini exsultantes illudunt. Adde illud *Arnob.* 5. *p.* 158. Suis ipse se viribus, eo, quo fuerat, privat sexu. *et p.* 163. Ut mero madidaretur multo et viribus spoliaretur abscissis. Alii tamen in taurobolio *vires* accipiunt pro tauri cornibus, ut *Salmas.* ad *Lamprid. Elagab.* 7., alii pro sanguine. Simile est illud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (60). Apes aculeo adacto fucos postea esse, nec mella facere, veluti castratis viribus. ¶ 5. Per metonymiam *vis* est ictus, *colpo, percossa, urto,* quo vis affertur. *Virg.* 3. *Æn.* 242. Sed neque vim plumis ullam nec vulnera tergo Accipiunt. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Naves totæ factæ ex robore, ad quamvis vim et contumeliam perferendam. ¶ 6. Et prodigium. *Tertull. Apolog.* 71. Cf. VIRTUS. ¶ 7. In fabulis *Vis* dea est eademque ac Juno. *Auson. Edyll.* 12. *de deis,* 4. Et soror et conjux fratris regina deûm Vis. *Serv.* ad illud *Virg.* 7. *Æn.* 432. Cælestum vis magna jubet: Aut per definitionem, inquit, ipsa Juno est vis deorum; aut per augmentum suasit. Cf. *Capell.* 2. *p.* 33. et *Kopp.* adnot. Apud *Hygin. præf.* est Pallantis gigantis et Stygis filia, Scyllæ, Invidiæ, Potestatis etc. soror Adde *Hesiod.* in Θεογον. *v.* 385. — Item plur. num. *Vires* tamquam deas cultas fuisse, præcipue a venatoribus, observavit *Gudius* ad *Phædr.* 1. 11. Hinc *Inscr.* apud *Gruter.* 89. 9. VIRIBVS SACRVM. *et* 1011. 1. DIANAE ET VIRIBVS SACRVM etc. *V.* alia in ONOM.

II.) Morali sensu. ¶ 1. *Vis* sæpe dicitur natura, substantia, forma, ratio intima cujusque rei, *natura, sostanza, essenza. Cic. Amic.* 4. *a med.* Id, in quo est omnis vis amicitiæ, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. *Id. Orat.* 31. *ad fin.* Eloquentiæ vim et naturam explicemus. *Id.* 1. *Off.* 6. 18. Ex quattuor locis, in quos honesti naturam vimque divisimus. *Id.* 1. *Fin.* 16. 50. Justitia semper ali aliquid vi sua atque natura, quod tranquillet animos. *Varro* 3. *R. R.* 2. *extr.* Villaticæ pastionis vim formamque exponere. *Cic.* 9. *Fam.* 16. *circa med.* Philosophi mihi soli videntur vim virtutis tenere. *Horat.* 4. *Od.* 4. 33. Doctrina vim promovet insitam. — Opponitur aliquando *inani nomini, speciei, imagini,* ut apud *Tac.* 3. *Ann.* 30. Speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit. *et* 13. *ibid.* 31. Vectigal remissum specie magis, quam vi. *Id.* 9. *ibid.* 60. Vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui præbebat. *Id.* 6. *ibid.* 43. Inane nomen apud imbellem, vim (*imperii*) in Abdagesis domo. ¶ 2. *Vis* et *natura verborum* apud *Cic. Orat.* 32. *ad fin.* est sententia, sensus, significatio, *senso, significato.* Sic 6. *Fam.* 2. *a med.* Quæ vis insit in his paucis verbis, si attendes, intelliges. *Id. Balb.* 8. *ad fin.* Hæc vis est istius et juris et verbi, ut etc. *Id. Dom.* 20. *ad fin.* Quæ est quasi alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis, nisi etc? *Id. Top.* 8. *ante med.* Quum ex vi nominis argumentum elicitur. *Cæs.* apud *Sueton. Vit. Terent. ad fin.* Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis. ¶ 3. In aliis quoque rebus efficaciam, potestatem significat. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *post med.* Has litteras velim existimes fœderis habituras esse vim, non epistolæ. *Id.* 1. *Divinat.* 33. *extr.* Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare cœperit. *et* 2. *ibid.* 20. *extr.* Herbarum causas ignorare, vim et effectum videre. *Julian. Dig.* 43. 25. 12. Nulla vis est hujus conventionis, ut rem alienam domino invito possidere liceat. *Ulp. ibid.* 10. 4. 1. Hæc actio perquam necessaria est et vis ejus in usu quotidiano est. ¶ 4. Denique sæpe refertur ad animum, ingenium, eloquentiam. *Quintil.* 1. 2. *a med.* Pueris ordinem dicendi secundum vires ingenii dare. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 242. Amentatas hastas oratoris lacertis viribusque torquere. *Martial.* 8. 73. Si dare vis nostræ vires animosque Thaliæ. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 13. 47. (168). Exercenda juventus nostra corpora vires animorum perdidit.

Homonym. Differre *vim* et *vires* putant quidam, inter quos *Forcellinus* noster, freti loc. *Nepot. Trasyb.* 1., cui addi potest *Liv.* 9. 16. Sed vide, quæ de hac re initio diximus.

VIS. *V.* VOLO.

VĪSĀBUNDUS. *V.* VISIBUNDUS.

VĪSĀLIS. *V.* VISUALIS.

VISCĀRĀGO, īnis, f. 3. (viscum) genus herbæ. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 70. Chamæleon, quæ Latine viscarago vocatur, eo quod viscum gignat in quo hærent aves.

VISCĀRĬUM, ĭi, n. 2. (viscum) genus medicaminis, quod ex visco conficitur. Translate apud *Augustin. Serm* 72. *n.* 2. ed. *Mai.* Viscarium serpentis (*h. e.* diaboli) est femina.

VISCĀRĬUS, ĭi, m. 2. (viscum) qui aves visco capit, ἰξευτής. *Gloss. Cyrill.*

VISCĀTŌRĬUS, a, um, adject. (viscum) ad viscandum pertinens. Absolute et translate usurpat *Julian.* apud *Augustin.* 3. *Op. imp. contra Julian.* 174. Viscatorium diaboli. *h. e.* viscarium.

VISCĀTUM, i, n. 2. *V.* VISCO.

VISCĀTŪRA, æ, f. 1. (visco) idem ac viscatum. *Venant.* 5. *carm.* 6. 11., ubi rectius leg. *viscata.* V. QUINQUIFIDUS.

VISCĀTUS, a, um, particip. *V.* VISCO.

VISCELLĀTUS, a, um, adject. (viscellum) ex visceribus avium pisciumque conditus aut confectus. *Plin. Valer.* 1. 24. Pisces viscellati. *et* 2. 17. *ante med.* Viscellatus pullus. Alii utro-

duo loco corruptam lectionem putant. *Schneid.* ad *Apic.* 8. *n.* 394. vult *juscellatus.* Cf. voc. seq.

VISCELLUM, i, n. 2. *deminut. a* viscus, eris, Jusculum, quod ex visceribus seu carnibus vitulinis, gallinaceis et similibus fit, quodque Itali nunc *stillato, consummato,* nos (*Veneti*) vulgo *brodo tirato*, Etrusci *brodo ristretto* dicunt. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. *a med.* Ait succumbente passione dandum viscellum simplex gallinaceum vel sucum etc. *Id.* 2. *ibid.* 8. *ad fin.* Heraclides viscellum tenue dat anseris vel perdicis aut gallinæ. *Id.* 3. *ibid.* 8. *ad fin.* Ausi etiam quidam viscellum ranarum dare. His omnibus locis sunt qui *juscellum* scribendum putant; at *Hallerus* in sua editione ubique *viscellum* usurpandum esse existimavit. Tu videris. Hæc *Furlanetto* in *App.* Ceterum vocis usum confirmat *Theod. Priscian. De diæt.* 8. Viscella eorum (*piscium*) ventrem deducunt. Adde *Æmil. Mac.* c. 57. et *Plin. Val.* 5. 25., ut leg. *Georges*, et cf. voc. præc. Alii tamen ubique volunt *juscellum*, quod et mihi arridet.

VISCĔRA. *V.* VISCUS, eris.

VISCĔRĀLIS, e, adject. (viscus) ad viscera pertinens. *Vulg. interpr. Ital.* 1. *Tim.* 1. 2. Visceralis filius. *Vulg.* habet *dilectus. Augustin. Serm.* 28. *n.* 4. ed. *Mai.* motus.

VISCĔRĀLĬTER, adverb. (visceralis) ex visceribus, visceratim. *Vulg. interpr. Ital. Jac.* 5. 11. Visceraliter Dominus misericors est.

VISCĔRĀTIM, adverb. (viscus) per singula viscera, κατὰ σπλάγχνα. *Enn.* apud *Non. p.* 183. 17. Dissipat visceratim membra.

VISCĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (viscus) Dicta est a *visceribus*, quo nomine non solum intestina, sed etiam totam carnem sub corio veteres intelligebant. *V.* ARTOCREAS. *Serv.* in *Virg.* 1. *Æn.* 215. Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio: ut in Latinis visceratio dabatur, id est caro. *V.* VISCUS, eris. — Visceratio est epulum, quod fiebat ex visceribus sive carnibus immolatis, quæ distribuebantur inter eos, qui sollemni alicui sacrificio adessent, præcipue in Latinis feriis vel in funere alicujus excellentis viri, κρεωδαισία. Nam olim, quoties victimam mactabant, vel convivium celebrare moris erat vel e victima partem ad amicos mittere. — Hujusmodi epulum describit *Virg.* 8. *Æn.* 180. Tunc lecti juvenes certatim aræque sacerdos Viscera tosta ferunt taurorum etc.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Off.* 16. 55. Prodigi, qui epulis et visceratinibus et gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt. *Liv.* 8. 22. Et populo visceratio data a M. Flavio in funere matris. *Inscr.* apud *Fabrett. p.* 242. *n.* 656. M. VALERIO M. F. MVNICIPES COMPITENSES VEICORVM QVINQVE QVOD POPVLO VISCERATIONem GLADIATORES DEDIT etc.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad sportulam nummorum, quæ distribuebatur. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 21. PROMISIT MVNICIPIBVS RVDINIS HS. LXXX. N. VT EX REDITV EORVM DIE NATALIS FILII SVI OMNIBVS ANNIS VISCERATIONIS NOMINE DIVIDATVR DECVRIONIB. SING. HS. XX. N. AVGVSTALIBVS HS. XII. N. etc. ¶ 2. Et per metaphoram. *Seneca Ep.* 19. *ad fin.* Sine amico visceratio, leonis ac lupi vita est. Quod tamen *Forcellinus* inter propria recensuit.

VISCĔRĔUS, a, um, adject. (viscus) viscera habens. *Prudent. Apotheos.* 1093. quum vas componeret arvo Nondum viscereo. Loquitur de prima hominis e limo compositione, et *nondum viscereum arvum* intelligere videtur terram nondum vitalibus præditam visceribus nec animatam.

VISCĪDUS, a, um, adject. (viscum) Comp. *Viscidior.* — Viscidus est idem ac viscosus, *viscido. Theod. Priscian.* 1. 2. *et* 16. Viscidum acetum. *Id. de diæta.* 18. Viscidiores cibi. *Gargil. De pom.* apud *Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 421. Mespila viscida et constrictiva sunt matura.

VISCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (viscum) Part. *Viscatus.* — Visco est visco oblino, implico (It. *invischiare*; Fr. *frotter de glu, engluer*; Hisp. *enligar, untar de liga*; Germ. *mit Mistel bestrichen*; Angl. *to smear with bird-lime*).

I.) Proprie. *Theod. Priscian.* 2. 21. Quum se inter articulorum conjunctiones usu commotionum viscaverit (*sanies*). *Varro* 3. *R. R.* 7. *circa med.* Quos columbarii interficere solent, duabus virgis viscatis defixis in terram, inter se curvatis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 391. Non avis utiliter viscatis effugit alis.

II.) Translate. *Juvenal.* 6. 463. Spirat et hinc miseri viscantur labra mariti. *Plin.* 9. *Ep.* 30. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere. *h. e.* quibus majora captantur, quam quæ dantur. *Seneca Ep.* 8. Viscata beneficia devitare. *Lucil.* apud *Non. p.* 332. 31. *et p.* 396. 5. *Merc.* Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet: Crede mihi, auferet omnia. — Hinc

*Viscatum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, pro virga visco illita. *V.* QUINQUIFIDUS et VISCATURA.

VISCŌSUS, a, um, adject. (viscum) visco plenus, ἰξιώδης (It. et Hisp. *viscoso*; Fr. *gluant, visqueux*; Germ. *kleberig*; Angl. *viscous, glutinous*).

I.) Proprie. *Prudent. Hamartig.* 824. aves multas viscosus inescat Pastus.

II.) Translate est tenax, glutinosus. *Pallad.* 1. *R. R.* 14. Si quod asciæ adhæret, fuerit molle atque viscosum, constat, albariis operibus convenire. *Theod. Priscian.* 2. 21. Viscosa quædam pinguedo.

VISCUM, i, n. 2. — *a*) Etiam *viscus, i,* masc. gen. in usu fuisse, patet ex *Gloss. Labb.* 195. c. Ἰξός, viscum: singulariter tantum declinatur et dicitur hic viscus. *Auct. De dub. nom. p.* 593. 7. *K.* Viscus ad capiendum generis masculini, ut illud *in quercu viscus exstat*; sed consuetudo *viscum* quasi neutri dicit. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 16. Viscus merus mea est blanditia. — *b*) *Viscum, i,* pro *viscus, eris,* dici apud *Apul.* 2. *Met.* coll. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 27. censet *Hildebr.* — *c*) Ad etymon quod attinet, vox conferenda cum Gr. ἰξός, quæ per metathesin ab ἴσκος facta videtur, cui additum sit digamma, ejusd. significationis. — Viscum est genus fruticis ex turdorum maxime et palumborum merdis super arborum quarumdam, præsertim roboris, ramos delapsis et a sole cum humore aliquo fervefactis nascens et ad cubitalem altitudinem excrescens et virens etiam per hiemem. Græca est ὕφεαρ, ἰξός (It. *vischio o visco*; Fr. *glu*; Hisp. *liga*; Germ. *der Mistel*; Angl. *birdlime*). Fert acinos crocei seu aurei aut fulvi coloris, qui colliguntur messium tempore immaturi: siccantur deinde et aridi tunduntur ac conditi in aqua putrescunt; inde in profluente rursus malleo tusi, amissis corticibus, interiore carne lentescunt. Hoc est viscum pennis avium tactu ligandis, oleo subactum, quum libeat insidias moliri. Hæc ex *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 94., ubi et alia in hanc rem. *Id.* addit etiam *ibid.* Druidas Gallorum nihil habere visco et arbore, in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius; et 24. *ibid.* 4. 6. persequitur visci utilitates in medicina.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Virg.* 6. *Æn.* 205. Quale solet silvis brumali sidere viscum Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos, Et croceo fetu teretes circumdare truncos. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. *a med.* Provisum etiam, ut siqua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tamquam in visco, inhæresceret. *Val. Flacc.* 6. 263. Illa (*avis*) dolis viscoque super correpta sequaci Implorat ramos atque irrita concitat alas. — Habebat usum etiam in fucis inficiendo corpori. *Juvenal.* 9. 13. nullus tota nitor in cute, qualem Præstabat calidi circumlita fascia visci. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 6. (11). tradit, viscum cum resina et cera mitigare panos omnis generis. *Seren. Sammon.* 4. 54. contra canitiem docet uti Resina ex facili cera viscoque coacta. Potest tamen apud *Juvenal.* intelligi quicumque fucus viscosus et tenax. ¶ 2. Latiore sensu est quicumque humor glutinosus. *Rutil. De fig. sent.* 2. § 7. *de ebrioso.* Oculi mero madidis, visco gravidis lucem constanter intueri non potest.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice, si *Nonio p.* 451. 24. *Merc.* credimus, ponitur etiam pro rete. *Varro ibid.* et *p.* 28. 11. Lepusculi timentes hoc quadrangulum Deduat se in rete nexile aut Viscum, sagenam lineamque compedem. Huc trahi posse videtur illud *Virg.* 1. *G.* 139. Tum laqueis captare feras et fallere visco. Sed locus *Varron.* aliter ab aliis legitur. *Virg.* autem tum venationem, tum aucupium complexus est. Certe proprio sensu *viscum* posuit *Martial. Spectac.* 11. Præceps sanguinea dum se rotat ursus arena, Implicitam visco perdidit ille fugam. Male *Non. p.* 184. 16. *Merc.* fallere visco. *h. e.* inquit, tractu visceris: nempe carnis, cujus odore trahuntur feræ in laqueos. ¶ 2. Metaphorice. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 39. Tactus sum vehementer visco. Adde loc. ejusd. *ibid.* initio adlatum. — *NB.* De cogn. *R. V.* ONOM.

VISCUS, ĕris, *et sæpius plur.* viscera, um, n. 3. Ratione habita etymi, *Isid.* 11. *Orig.* 1. 116. ducit a *visco*; ita et recentiores, qui conferunt etiam cum Gr. ἰξύς et ἰσχία, quæ quasdam partes corporis molles significant. V. *Döderlein* et *Vanicek op. cit.* ad *h. v.* — Viscus est intestinum quodcumque in corpore animalis, σπλάγχνον (It. *viscere, interiora*; Fr. *viscères, entrailles*; Hisp. *viscera, entrañas*; Germ. *die Eingeweide*; Angl. *a bowel or entrail*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Lucret.* 3. 719. Unde cadavera rancenti jam viscere vermes Exspirant. *Ovid.* 6. *Met.* 290. trahens hærentia viscere tela. *et* 15. *ibid.* 364. de putri viscere passim Florilegæ nascuntur apes. *Tibull.* 1. 3. 75. Tityus Assiduas atro viscere pascit aves. *h. e.* jecore. (Adde *Val. Flacc.* 7. 359.) *Seneca Hippol.* 818. tela tepido viscere condita. *Id. Herc. Œt.* 1249. Quæcumque pestis viscere in nostro lates. *Cels. præf. a med.* Itaque demum mortui præcordia et viscus omne in conspectum latrocinantis medici dari. *Quintil. Declam.* 1. 14. *in fin.* Assiduus visceris pulsus. *h. e.* cordis. Adde *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (142). et *Petron. Sat.* 119. — *b*) In plur. num. *viscera* sunt quæcumque in ventre et pectore latent. *Ovid.* 12. *Met.* 389. mediam ferit ense sub alvum. Prosiluit terraque ferox sua viscera traxit. Tractaque calcavit calcataque rupit et illis Crura quoque impediit et inani concidit alvo. *et* 15. *ibid.* 314. Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit Viscera. *et* 7. *ibid.* 601. tristes penetrant ad viscera morbi. *Seneca Œdip.* 191. intima creber viscera quassat geminus. ¶ 2. Speciatim dicitur de utero. *Ovid.* 3. *Fast.* 23. jacet illa gravis: jam scilicet intra Viscera Romanæ conditor Urbis eras. *Id.* 1. *ibid.* 624. (et *Heroid.* 11. 42.) Visceribus crescens excutiebat onus. *Seneca Med.* 1012. In matre siquod pignus etiamnum latet, Scrutabor ense viscera et ferro extrabam. *Ulp. Dig.* 48. 8. 8. Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit. — Hinc metonymice de ipso partu et de liberis: quod et matres vulgo apud nos usurpant, quæ natos *viscere* appellant. (Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 836.) *Ovid. Heroid.* 11. 118. Diripiunt avidæ viscera nostra feræ. *Id.* 6. *Met.* 651. Tereus inque suam sua viscera congerit alvum. Adde 10. *ibid.* 465. *Quintil.* 6. *proœm.* Infaustum opus super immaturum funus consumpturis mea viscera flammis injicere. ¶ 3. Item de ventre. *Ovid.* 8. *Met.* 846. tandem demisso in viscera censu, Filia restabat. *h. e.* devorato patrimonio. Adde 15. *ibid.* 88. et 4. *Fast.* 205. ¶ 4. De intestinis siccatis in usum funiculorum. *Claudian. Edyll.* 2. 37. cornua subjectis lentescere cogunt Ignibus: intendunt taurino viscere nervos. ¶ 5. De ubere lactente. *Nemesian. Cyneg.* 138. catulos videbis pugnantes diu, quisnam prior ubera lambat, Distrahere invalidum lassato viscere matrem. ¶ 6. De testibus. *Petron. Sat.* 119. Subripuere viros exsectaque viscera ferro etc. *Plin.* 20. *Hist. nat* 13. 51. (142). Imponunt rutam testium epiphoris, adeo peculiari in visceribus his effectu, ut etc. ¶ 7. De carnibus.

*Lucret.* 5. 993. Viva videns vivo sepeliri viscera busto. *Virg.* 6. *Æn.* 253. Et solida imponunt taurorum viscera flammis. Ubi *Servius:* Non exta dicit, sed carnes; nam viscera sunt quidquid inter ossa et cutem est, unde etiam visceratio dicitur convivium de carnibus factum, ut diximus supra (ad *Virg.* 1. *Æn.* 215. V. loc. in VISCERATIO). Ergo *solida viscera* holocaustum significat, quod detractis extis aræ superimponebatur. Hæc *Servius.* Confirmant hoc loca *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. Quum Herculi Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset inhæsissetque ea visceribus. *et ibid.* 14. *ad fin.* Spartæ pueri sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat. *Virg.* 8. *Æn.* 180. Viscera tosta ferunt taurorum onerantque canistris Dona laboratæ Cereris Bacchumque ministrant. Vescitur Æneas, simul et Trojana juventus Perpetui tergo bovis et lustralibus extis. *Ovid.* 15. *Met.* 88. Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi! *h. e.* carnes animalium in ventrem demitti: quod et *Cic.* dicit 2. *Nat. D.* 63. *extr.* — In illo tamen *Lucret.* 5. 993. Viva videns vivo sepeliri viscera busto. *viscera* non caro sed intimæ corporis adesi partes intelliguntur. V. *Lachm.* ad h. l. *p.* 323. ¶ 3. Etiam de pelle dici videtur in illo *Ambros.* 6. *Hexaem.* 9. Venæ quum toto diffusæ sint corpore neque nudæ atque intectæ sunt et ita levibus operiuntur visceribus *etc.* Ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere etc. Cf. *Apul. De dogm. Plat.* 1., unde hæc sumpsit *Ambrosius.*

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur respectu habito ad affectum, amorem, pietatem. *Venant.* 6. *carm.* 7. 79. lacerentur viscera luctu. Adde 4. *Vit. S. Martin.* 569. — Hinc *Vulg. interpr. Luc.* 1. 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri. *h. e.* per tenerrimam misericordiam vel per misericordiam amantissimi Dei nostri. *Id.* 2. *Cor.* 7. 15. Viscera ejus abundantius in vobis sunt. *h. e.* mirifico vos amore prosequitur. Adde *Phil.* 1. 8. et *alib.* ¶ 2. Per metaphoram vel a similitudine *viscera* referuntur ad res et dicitur de partibus interioribus et penitioribus cujuscumque rei. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 31. Periculum residebit et erit inclusum penitus in venis atque visceribus reipublicæ. *Id.* 4. *Tusc.* 11. 24. Permanat in venas et inhæret in visceribus id malum. *Id.* 1. *Phil.* 15. 36. Aderant et in medullis populi R. ac visceribus hærebant. *Id.* 6. *Att.* 1. *ante med.* Noli me putare ἐγκαλύμματα illa tua abjecisse, quæ mihi in visceribus hærent. *Id.* 2. *Orat.* 78. *a med.* Hæc in dicendo non extrinsecus alicunde quærenda, sed ex ipsis visceribus causæ sumenda sunt. *Virg.* 3. *Æn.* 575. *de Ætna.* (et *Sil. It.* 5. 396.) scopulos avulsaque viscera montis Erigit eructans. *Ovid.* 1. *Met.* 138. itum est in viscera terræ Quasque recondiderat, Effodiuntur opes. *Quintil. Declam.* 172. *ad fin.* Totus subito in visceribus ipsius urbis hostis apparuisset exercitus. *Juvenal.* 3. 72. Viscera magnarum domuum dominique futuri. *confidenti e intrinsechi delle gran case.* ¶ 3. *Viscera patriæ,* ipsi ejus cives. *Virg.* 6. *Æn.* 834. Neu patriæ validas in viscera vertite vires. *h. e.* ne suscipiatis bella civilia. Sic *Justin.* 3. 2. 1. Græcia omnis in duas divisa partes, ab externis bellis, velut in viscera sua, arma convertit. *et* 13. 6. *ad fin.* Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur. ¶ 4. *Viscera ærarii,* pecunia in ærario recondita. *Cic. Dom.* 47. *in fin.* Cur ille gurges helluatus tecum simul reipublicæ sanguinem, ad cælum tamen exstruxit villam in Tusculano visceribus ærarii? Simile est illud *ejusd.* 1. *ad Q. fr.* 3. *a med.* Sentio, quid sceleris admiserim, quum de visceribus tuis et filii tui satis facturus sis, quibus debes. *h. e.* de tuis facultatibus.

Homonym. Differt *viscus* ab *intestino;* etenim *viscus* de superioribus dicitur, quæ sunt cor, pulmones, jecur, lien et renes, quibus addunt alii ventriculum, quia carnosa sunt; (idemque etiam de carne adhibetur, ut dictum est) *intestinum* de inferioribus. *Cels. præf. ante med.* Neque enim, quum dolor intus incidit, scire, quid doleat, eum, qui qua parte quodque viscus intestinumve sit, non cognoverit. *Id.* 4. 11. A visceribus ad intestina veniendum est. *Id.* 7. 4. *n.* 2. Sæptum transversum a superioribus visceribus intestina discernit. Sed hoc discrimen passim negligitur. — Item *viscera* ab *extis* differre *V.* in EXTA.

VISCUS, i, m. 2. *V.* VISCUM init.

VĪSENDUS, a, um, *et*

VĪSENS, entis, particip. *V.* VISO.

VĪSĬBĬLIS, e, adject. (video) ¶ 1. Passive est qui videri potest, sub aspectum cadens, *visibile,* ὁρατός. *Apul. De mund.* Exhalationes tenues vixque visibiles. *Id. De deo Socrat.* Dæmonum corpora nulli hominum temere visibilia. *Prudent. Apotheos.* 146. Visibilis de fonte Deus, non ipse Deus fons Visibilis. Adde *Juvenc.* 1. 494. — Absolute. *Vulg. interpr. Col.* 1. 16. In ipso condita sunt universa, visibilia et invisibilia. Adde *Hebr.* 11. 3. ¶ 2. Active est videndi facultatem habens, *visivo.* *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (146). Animo videmus, animo cernimus: oculi, ceu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt atque transmittunt.

VĪSĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (visibilis) ratio, qua aliquid visibile est. *Tertull. Car. Chr.* 12. *extr.* Quid invisibile ejus fuit, quod visibilitatem per carnem desideraret? *Fulgent. Contin. Virgil.* p. 750. ed. *Staver.* In picturis est visibilitas, deest sensibilitas. *V.* INTELLECTUALITER.

VĪSĬBĬLĬTER, adverb. (visibilis) palam, *visibilmente,* θεωρητῶς. *Paulin. Nolan. ep.* 20. (*al.* 16.) *ante med.* Visibiliter et invisibiliter operaris salutem nostram: invisibiliter nos ædificas in orationibus tuis, visibiliter autem nobis operaris in fabricis Ecclesiarum. Adde *Augustin.* 3. *Quæst.* in *Hept.* 84. V. TRACTABILITER.

VĪSĬBUNDUS, a, um, adject. (viso) qui facile visitur. *Auct. Itin. Alex. M.* 24. *Volkm.* Hostis visibundus erat. At *Mai* leg. *visabundus.*

VĪSĬFĬCUS, a, um, adject. (visus et facio) qui visionem præbet. *Theod. Priscian.* 4. 2. *ad fin.* In visu sensifica virtus in similitudinem radii per visificas vias irruit.

VĪSĬO, vīsis, vīsire, n. 4. peditum ventris sine crepitu emitto. *Lucil.* apud *Non.* p. 515. 3. *Merc.* visire minutim Per commissuras rimarum noctis nigrore. *C. J. Ch. Reuvensius* in *Collect. litter.* p. 17. ita locum corrigit ex MS. Paris. *dic, quam cogat tussire minutim* etc. et putat, hic sermonem haberi de adultero viro aut uxore, qui vel quæ tussiret, ut signum daret, de quo inter adulteros convenerat. Ita *Lachm.;* alii tamen aliter legunt, ut *Muellerus,* qui *vis* ab *ire* sejungit. At vocis usum confirmat *Gloss. Cyrill.* Βδέω, visso (*leg.* visio). Cf. VISIUM.

VĪSĬO, ōnis, f. 3. (video) actus videndi, visus, ὄψις (It. *vista;* Fr. *vision, vue, regard;* Hisp. *vision, vista;* Germ. *das Sehen, der Anblick;* Angl. *sight, vision*).

I.) Proprie. — *a*) Abstractorum more. *Apul. De mund.* Ignes pernicitate sui dicto citius nostræ visioni occurrunt. *et* 8. *Met.* Civitas cuncta vacuatur studio visionis. *et* 2. *ibid.* Attonitus repentinæ visionis stupore. *Vulg. interpr. Gen.* 46. 2. Audivit eum (*Deum*) per visionem noctis vocantem. Adde 1. *Reg.* 3. 1. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu dicitur de rebus ipsis, quæ videntur: ac præsertim de earum imaginibus seu spectris, quæ a Græcis φαντασίαι et φαντάσματα appellantur, *visione, immagine in sogno.* *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 3. Omnium, quæ videre sibi dormientes videntur, quinque sunt principales et diversitates et nomina; aut enim est ὄνειρος secundum Græcos, quod Latini somnium vocant; aut est ὅραμα, quod visio recte appellatur; aut est χρηματισμός, quod oraculum nuncupatur; aut est ἐνύπνιον, quod insomnium dicitur; aut est φάντασμα, quod Cicero, quoties opus hoc nomine fuit, visum vocavit. *et infra.* Visio est, quum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, eveniet. Amicum peregre commorantem, quem non cogitabat, visus est sibi reversum videre etc. *Vulg. interpr. Exod.* 3. 3. Vadam et videbo visionem hanc magnam. Adde *Deut.* 4. 34. — *c*) Hinc tropice est liber ipse, quo visiones continentur. *Id. Is.* 1. 1. Visio Isaiæ filii Amos. Adde 2. *Par.* 32. 32.

II.) Translate refertur ad intellectum. ¶ 1. Est notio, quæ extra somnium in animo habetur de aliqua re, *idea, concetto, nozione:* oriturque ex intenta animi agitatione et cogitatione. *Quintil.* 6. 2. *a med.* Quas φαντασίας Græci vocant, nos sane visiones appellemus, per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis ac præsentes habere videamur. *Cic.* 2. *Tusc.* 18. 42. Falsa doloris visione et specie moveri homines dico vehementius. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 11. 33. Nec potest is, cui est visio veri falsique communis, ullum habere judicium aut ullam omnino veritatis notam. *Quintil.* 12. 10. *ante med.* Cura Protogenes, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus Theon Samius, ingenio et gratia Apelles est præstantissimus. *idee di capriccio o d'invenzione.* ¶ 2. Apud JCtos *visiones* sunt θεωρίαι et θεωρήματα, quæstiones, inspectiones, considerationes, species, casus. *Paul. Dig.* 22. 3. 25. *ad fin.* In omnibus visionibus, quas proposuimus, licentia concedenda est ei, cui etc. *Ulp. ibid.* 5. 3. 25. *a med.* Sed in proposita quæstione tribus visionibus relatis etc. Adde *ibid.* 16. 1. 8. et 17. 1. 29. *a med.* (Ita enim ubique habet *Torrentin.* agnoscuntque *Gothofred.* et *Cujac.,* nam *Haloander* ubique mutavit.) Sic *Tertull. Anim.* 9. Prout Scripturæ leguntur aut Psalmi canuntur aut adlocutiones proferuntur, ita inde materiæ visionibus subministrantur.

Homonym. Distinguit *Macrob.* inter *visionem* et *visum,* ut illa de veris sit, hoc in falsis: sed hoc discrimen alii negligunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 120. Utrum igitur censemus, dormientium animos per se ipsos in somniando moveri, an externe et adventitia visione pulsari? Cf. *Vulg. interpr. Eccli.* 34. 3.

VĪSĬTANS, antis, particip. *V.* VISITO.

VĪSĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (visito) duo præcipue significat.

*A*) Est apparitio, actus quo quis se visibilem facit (It. *apparizione, il farsi vedere;* Fr. *apparition, vue;* Hisp. *aparecimiento, aparicion, vision;* Germ. *der Anblick;* Angl. *an appearance*). ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 9. 4. *ad fin.* Luna quoniam cum sole est, nova vocatur, postero autem die, quo numeratur secunda, præteriens a sole, visitationem facit tenuem extremæ rotundationis. ¶ 2. Speciatim est apparitio Dei ejusque conversatio inter homines cum assumpta humana natura. *Tertull. advers. Jud.* 13. *ad fin.* Nec intellexissent, Christum in tempore suæ visitationis inveniendum. Adde *Vulg. interpr. Luc.* 19. 44. ¶ 3. Et visio. *Id. Eccli.* 34. 6. Ab Altissimo emissa visitatio.

*B*) Est actus invisendi aliquem, inspectio (It. *visita, ispezione;* Fr. *visite;* Hisp. *visita;* Germ. *die Besichtigung;* Angl. *a visit, visitation*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cassiod.* 5. *Variar.* 19. *ad archiatrum.* Visitatio tua sospitas sit ægrotantium, refectio debilium, spes certa fessorum. Habet etiam *Cassian.* 21. *Coll.* 19. ¶ 2. Hinc speciatim, apud Medicos, curatio. *Theod. Priscian.* 2. 4. Sub hac visitatione ægritudinis argumenta recesserint. Cf. VISITO.

II.) Translate dicitur de pœna seu calamitate. *Vulg. interpr. Job* 10. 12. Et visitatio tua (*Deus*) custodivit spiritum meum. Adde *Is.* 10. 3. — Hinc *dies* et *tempus visitationis* potest etiam intelligi de die extremi judicii. *Id.* 1. *Petr.* 2. 12. et 5. 6. coll. *Jer.* 51. 18.

VĪSĬTĀTOR, ōris, m. 3. (visito) qui visitat, *visitatore.* *Augustin. Serm.* 1. *in fer.* 2. *Pentec.* Si ergo promereri cupimus tanti visitatoris ingressum etc. Adde *Vulg. interpr.* 2. *Mach.* 3. 39.

VĪSĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĪSĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat. a* viso) Part. *Visitans* II. 2.; *Visitatus* I. 1. — Visito est frequenter viso aut tantum viso, ἐπισκήπτομαι (It. *vedere spesso;* Fr. *voir sou-*

vent; Hisp. ver amenudo; Germ. oft sehen; Angl. to seen often).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, frequenter viso aut simpliciter viso seu conspicio. Plaut. Curc. 2. 3. 64. Ibi me interrogat, Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim? Dico me novisse: quid lenonem Cappadocem? annuo. Visitasse. Id. Epid. 4. 1. 12. et 24. Dii boni! visitavi antehac, certe ea est. Adde Pers. 1. 1. 20. Vitruv. 9. 4. Omnia visitata et invisitata temporum necessitudine sunt constituta. Apul. 4. Met. Immani forma tantæ bestiæ, noctu præsertim, visitata. Id. De deo Socrat. Forma dæmonis Socrati visitata. ¶ 2. Latiore sensu est visum ire, invisere, visitare. Cic. 5. Fin. 31. sub fin. Quum arderet podagræ doloribus visitassetque eum Carneades. Sueton. Claud. 35. Neque ægrum quemquam visitavit, nisi explorato prius cubiculo. Hieronym. Ep. 7. n. 1. Et licet supradictus frater sæpe me visitet. Arat. 2. 40. Antiochi dictam de nomine visitat urbem. — Ambros. Ep. 5. n. 21. Coram se inspici et visitari virginem. ¶ 3. Hinc apud Medicos pro curare. Theod. Priscian. 1. 21. Aliter in eo, cui febres superveniunt, visitatur. Adde eumd. 2. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur — a) In bonam partem pro faveo, auxilior, beneficiis afficio. Vulg. interpr. Ps. 79. 15. Respice de cælo et vide et visita vineam istam. Adde Luc. 7. 16. — Et absolute. Id. ibid. 1. 68. Quia (Dominus) visitavit et fecit redemptionem. — b) In malam partem pro ulciscor. Id. Exod. 20. 5. Visitans (Deus) iniquitatem patrum in filios. Adde Lev. 18. 25. — Et absolute. Id. Jer. 27. 8. In gladio et in fame visitabo. ¶ 2. Est etiam repetere, iterare. Id. Ezech. 23. 21. Visitasti scelus adulescentiæ tuæ.

VĪSĬTOR, ōris, m. 3. (viso) qui visitat. Apul. De mag. ad fin. In ludo quoque gladiatorio frequens visitor. Alii rectius leg. visitur. V. Hild. ad h. l.

VĪSĬUM, ii, n. 2. (visio, is) peditus, flatus ventris tacitus. Gloss. Cyrill. Βδέσμα, visium. Cf. Parei Lex. crit. et Meurs. Exerc. crit. 2. 5. et v. VISIO, is.

VĪSĪVUS, a, um, adject. (video) ad visum pertinens. Mar. Victorin. 3. adv. Ar. 5. Visiva potentia.

VĪSO, visis, visi, visum, visere, a. 3. (frequentat. a video) Visso pro viso cum duplici s legit Fleckeisen apud Plaut. Bacch. v. 900. et 901. — Part. Visens I. 1.; Visurus I. 2. a; Visendus in fin. — Viso est sæpe video, specto, inspicio (It. vedere spesso o attentamente; Fr. voir attentivement, voir souvent; Hisp. ver atendatamente, ver amenudo; Germ. genau ansehen, oft sehen; Angl. to seen often, to seen attentively).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Plaut. Capt. 5. 1. 2. Commode eximus ludos visere. Virg. 8. Æn. 157. visens regna. Liv. 1. 31. Missi ad id visendum prodigium. Id. 3. 68. Ex muris visite agros vestros ferro ignique vastatos. Id. 45. 33. Præda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita. Plin. 5. Hist. nat. 8. 8. (45). Neque insomnia (Sillig. somno) visunt, qualia reliqui mortales. Adde Senec. 1. Quæst. nat. 7. a med. et Ot. Sap. 32., Nepot. Alcib. 6., Tac. 14. Ann. 1. sub fin. etc. — Absolute. Cic. 5. Tusc. 3. ad fin. Qui nec plausum nec lucrum quærerent, sed visendi causa venirent studioseque perspicerent. Virg. 2. Æn. 63. Undique visendi studio Trojana juventus Circumfusa ruit. Sall. Cat. 64. Qui e castris visundi aut spoliandi gratia processerant. ¶ 2. Latiore sensu sæpe est venire ad videndum, invisere, andare o venire a vedere, visitare, ἐπισκέπτομαι. — a) Cum Acc. Juvenal. 6. 312. magnos visurus amicos. Plaut. Bacch. 4. 5. 59. Ille in arcem abivit ædem visere Minervæ. — Passive. Cic. 3. Verr. 2. sub fin. Cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiæ visuntur. Id. 1. Off. 39. 138. Cn. Octavii domus quum vulgo viseretur. Adde Apul. De mag. supra cit. — b) Cum altero aut uno tantum Acc. et præp. ad, in. Plaut. Rud. 5. 1. 6. Nunc alteram illam visam huc in Veneris fanum. — Id. Capt. 4. 2. 113. Si parva jurijurando est fides, vise ad portum. Id. Mil. glor. 2. 6. 40. Vise ad me intro, jam scies. Varro 6. L. L. 88. Müll. Accensus dicit: Omnes Quirites inlicium visite huc ad judices. — c) Cum particula interrogativa vel dubitativa. Plaut. Stich. 2. 2. 4. Ego, quid me velles, visebam. Ter. Eun. 3. 4. 7. et Heaut. 1. 1. 118. Ibo ad eum, visum, si domi est. Id. Phorm. 2. 4. 5. Abi tu, vise, redieritne jam, an nondum, domum. Id. Mil. glor. 3. 1. 113. Apud me edunt, me curant, visunt, quid agam et quid velim. ¶ 3. Hinc frequenter de iis dicitur, qui ad ægrotum veniunt officii causa. Ter. Hecyr. 3. 2. 6. Non visam uxorem Pamphili, quum in proximo hic sit ægra? PAR. Non visas, ne mittas quidem visendi causa quemquam. Id. ibid. 1. 2. 113. Ægram esse simulant mulierem: nostra illico it visere ad eam. Ubi Donat. Visere officii est: videre quærentis aliquem. Ovid. 2. Amor. 2. 21. Ibit ad affectam, quæ non languebit, amicam Visere. Lucret. 6. 1236. suos fugitabant visere ad ægros. L. Piso apud Gell. 6. 9. sub fin. Cn. Flavius dicitur ad collegam venisse visere ægrotum. Adde Tac. 15. Ann. 60. et Petron. Sat. 101. a med. — Hinc Part.

Visendus, a, um, etiam adjective usurpatur, et est dignus videri, spectabilis, admirandus, degno d' essere veduto, θεατός. Cic. Vatin. 13. 31. Epulum omni apparatu ornatuque visendo. Plin. 16. Hist. nat. 44. 91. (242). Vicina luco est ilex et ipsa nobilis, XXXIV. pedum ambitu caudicis, decem arbores mittens, singulas magnitudinis visendæ. Plin. alter Paneg. 51. Digna populo victore gentium sedes (Circus), nec minus ipsa visenda, quam quæ ex illa spectabuntur: visenda autem cum cetera specie, tum quod æquatus plebis ac principis locus.

VĪSOR, ōris, m. 3. (viso) inspector, explorator, inspettore, ὁρατής. Tac. 16. Ann. 2. Nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera assererentur. Ernestius, Oberlinus, Burnouf et ipse Orellius vocem visoribus e textu sustulerunt tamquam insiticiam et barbarum glossema: sed contra retinendam putant Bötticher et Hildebr. ad Apul. De mag. ad fin. ejusque usum confirmant Augustin. 2. c. Acad. 19. et Gloss. Isid.

VĪSŌRĬUM, ii, n. 2. (viso) locus, ad quem videndi seu spectandi causâ convenitur, theatrum. Cassiod. 4. Variar. 51. Theatrum Græco vocabulo visorium nominantes, quod eminus adstantibus turba conveniens sine aliquo impedimento videatur. Id. 5. ibid. 42. Quum theatrum, quod est hemisphærium, Græce dicatur; amphitheatrum, quasi in unum juncta duo visoria, recte constat esse nominatum.

VISPELLIO V. BISPELLIO.

VISPILIĀTOR, ōris, m. 3. idem ac vispilio. Gloss. Cyrill. Τυμβωρύχος, sepulcri violator, vispiliator.

VISPILLĬO. V. BISPELLIO.

VISPILLO. V. VESPILLO.

VĪSŪĀLĬA. V. voc. seq.

VĪSŪĀLIS, e, adject. (visus) ad visum pertinens, visuale. Cassiod. De geom. Geometria est documentum visuale philosophorum. Id. 12. Variar. 14. a med. Quod non alio referente cognovimus, etsi visuali probatione retinemus. — Hinc

Visualia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, vires visionis. Theod. Priscian. 4. 2. a med. Quum enim vivus (infans) in suis visualibus fuerit constitutus, visus perficitur; quum in audibilibus, auditus; quum in odorantibus, odor; quum in linguæ partibus, sapor; quum in toto corpore, tactus. Alii pro visualibus leg. visalibus.

VĪSŪĀLĬTAS, ātis, f. 3. (visualis) habitus videndi, vista. Tertull. Anim. 29. Contrarietates visualitatis et cæcitatis.

VĪSŪĀLĬTER, adverb. (visualis) visibiliter. Cassiod. in Ps. 16. 5. et alibi.

VĪSŬLA, æ, f. 1. Forma ex scriptorum usu videtur deminutiva: fortasse vox contracta est ex viticula, t in s abeunte, ut sæpe fit. — Visula est genus vitis. Colum. 3. R. R. 2. a med. Visula deinde ab his et minor Argitis terræ mediocritate lætantur. Nam in pingui nimiis viribus luxuriant, in macra tenues et vacuæ fructu veniunt. et paucis interjectis: Visula brevem materiam et latum folium exigit, cujus amplitudine fructus suos optime adversus grandinem tuetur; qui tamen nisi primo quoque tempore maturæ legantur, ad terram decidunt, humoribus etiam, priusquam defluant, putrescunt. Adde Plin. 14. Hist. nat. 2. 4. (31). — NB. De nom. propr. V. ONOM.

VĪSUM, i, n. 2. V. VIDEO in fin.

VISUMARUS, i, m. 2. Vox Gallica, qua herba significatur, quæ Latine trifolium dicitur. Marcell. Empir. 3. ad fin.

VĪSUS, a, um, particip. V. VIDEO.

VĪSUS, us, m. 4. (video) Etiam visuus in casu recto pro visus. Prob. App. 97. p. 450. Endl. coll. Isid. 1. Diff. 600. — Et in dat. visu pro visui. Lucret. loc. cit. V. ASPECTUS. — Visus ¶ 1. Active est facultas, sensus et actus videndi. Lucret. 5. 102. Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu. Cic. apud Plin. 7. Hist. nat. 2. 2. (18). Feminas omnes visu nocere, quæ duplices pupillas habent. et Plin. ibid. Esse homines, qui visu effascinent interimantque quos diutius intueantur. Ovid. 3. Fast. 406. Bootes Mergetur visus effugietque tuos. Val. Flacc. 7. 121. Frui visu alicujus rei. Quintil. 10. 1. ante med. Qualis est ferri fulgor, quo mens simul visusque perstringuntur. Id. 1. 2. ante med. Visus oculorum obtutu continuo fatigatur. Sil. It. 2. 621. Versare visus obliquos. h. e. oculos. Rursus Plin. 9. Hist. nat. 50. 74. (157). Tanta celeritate, ut visum fallant. Id. 8. ibid. 22. 34. (80). Luporum visus noxius esse creditur. Stat. 6. Theb. 277. Spectat inocciduis stellatum visibus Argum. h. e. oculis semper apertis. Sil. It. 3. 157. Consumpsit visus pontus tellusque recessit. tolse la vista. ¶ 2. Passive, interdum, pro eo, quod videtur, sive per diem sive in somniis, visione. Cic. 1. Nat. D. 5. sub fin. Ex quo exsistit et illud, multa esse probabilia, quæ quamquam non perciperentur, tamen, quia visum quemdam haberent insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur. Virg. 3. Æn. 36. Rite secundarent visus omenque levarent. Ovid. 4. Met. 232. inopino territa visu. Liv. 8. 9. a med. Conspectus ab utraque acie aliquanto augustior humano visu. h. e. humana specie. Tac. 12. Ann. 13. in fin. Deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat. in visione, in sogno. et Liv. 8. 6. a med. Hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt etc. Adde Sil. It. 1. 64. Horat. 1. Sat. 5. 84. immundo somnia visu. — Ex visu, idem ac ex viso, ex monitu divino in somnis habito. Inscr. apud Gruter. 2. 4. D. D. O. SAC. VLPIVS SERVATVS ET PECCI. PRIMITIVA EX VISV PRO SE ET SVIS OMNIBVS POSVERVNT. V. Visum sub VIDEO.

_VIT pro vixit. V. VIVO.

VĪTA, æ, f. 1. (vivo) Vitai pro vitæ usurpat Lucret. 1. 416., 2. 78. et alibi sæpe. — Vita est actus vivendi, animæ et corporis conjunctio: quemadmodum contra eorumdem dissolutio mors est, βίος, ζωή (It. vita; Fr. vie; Hisp. vida; Germ. das Leben; Angl. life).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — a) Universim. Cæs. 6. B. G. 19. Vitæ necisque potestatem habere in aliquem. Cic. 2. Nat. D. 53. in fin. Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potu, spiritu. Id. 2. Phil. 3. 5. Quod est aliud beneficium latronum, quam ut commemorare possint, his se vitam dedisse, quibus non ademerint? Id. 5. Att. 20. a med. In vita mea nulla umquam voluptate tanta sum affectus. in tutta la mia vita. et 9. Phil. 7. 15. (et Ter. Andr. 1. 1. 48.) Agere vitam honestissime. Id. Sull. 27. 75. degere. Virg. 2. Æn. 92. trahere. Cic. Senect. 17. 60. perducere ad annum centesimum. Id. 5. Fam. 15. Manere in vita. Id. 1. ad Q. fr. 3. circa med. Diutius in vita esse. Id. 4. Cat. 4. 11. Vita frui. Id. 1. Fin. 4. 11. Si vita sup-

petet. Similiter *Vulg. interpr. Gen.* 18. 10. Vita comite. *et* 4. *Reg.* 4. 16. Si vita comes fuerit. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 14. Si mihi vita contigerit. *Ter. Heaut.* 1. 1. 84. Vitam colere. *Virg.* 2. *Æn.* 637. (et *Nepos Att.* 21.) producere. *Id.* 6. *ibid.* 663. excolere per artes. *Id.* 8. *ibid.* 509. tolerare. *Id. ibid.* 579. abrumpere. *Cic.* 14. *Phil.* 11. 30. pro aliquo profundere. *Id. Rosc. Am.* 11. 30. per summum dedecus amittere. *et ibid.* appetere. *Id.* 3. *Orat.* 3. 9. Vita se privare. et *Varro Sat. Menipp.* 4. p. 191. *Oehl.* se levare. Rursus *Cic Mur.* 16. 34. aliquem expellere. *ammazzare.* et *Senect.* 19. *sub fin.* Vitam alicui auferre. *Id.* 1. *Tusc.* 34. 84. et 2. *Fam.* 2. 6. Vita discedere. et *Rabir. perduell.* 11. 30. De vita decedere. *et Brut.* 1. 4. E vita cedere. *et ibid.* 20. 80. excedere. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 74. abire. *Id. Senect.* 20. 73. De præsidio et statione vitæ decedere. *Id.* 9. *Fam.* 24. (et *Nepos Paus.* 1.) Vitam ponere. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 49. et *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 23. (66). finire. *Papinian. Dig.* 49. 17. 14. Vita fungi. *h. e.* mori. Sic *Virg.* 4. *G.* 475. Vita defunctus. *Apul.* 4. *Met.* evadere. h. e. mori. *Cic. Rabir. perduell.* 10. *extr.* Vitæ curriculum. *Varro Sat. Menipp.* 35. *p.* 130. *Oehl.* cursus. *Id. ibid.* 56. *p.* 162. modulus. *Cic.* 1. *Fam.* 1. *init.* Vita acerba. *Id.* 1. *Tusc.* 34. 83. misera. *Id. Rosc. Am.* 11. 30. infesta. *Id.* 10. *Att.* 8. 8. exigua. *Virg.* 6. *Æn.* 428. dulcis. Adde *Senec. Ep.* 123. — In plur. num. *Quintil.* 12. 11. 20. Ut plures quasdam vitas ad plura discenda desideremus. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 728. — *b*) *Vivere vitam* seu *vita,* est idem ac vivere. *Cic.* 4. *Verr.* 47. *ad fin.* Vivere vitam tutam. *Plaut. Pers.* 4. 3. 24. Faciam, ut mei memineris, dum vita vives. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 34. Tamne tibi diu videor vita vivere? Utroque tamen loco itemque aliis, qui afferuntur a *Pareo* in *Lex. Crit.*, alii reponunt *vitam,* — c) *Bona vita* — α) Est quæ laute, in deliciis et cum voluptate degitur: contra *mala,* quæ parce ac duriter. *Plaut. Cas.* 4. 4. 17. Venus multipotens, bonam vitam mihi dedisti. *Id. Pers.* 4. 8. 3. Næ ego hodie tibi bonam vitam feci. *Seneca Ep.* 123. *a med.* Virtus et philosophia et justitia, verborum inanium crepitus est: una felicitas est bona vita. *il darsi bel tempo.* et *paullo post.* Nec dubitaveris, bonam vitam, quam opinionem bonam, malle. — *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 31. Hæc mihi verba malæ minuerunt tædia vitæ. — β) Est etiam vita proba, sancta. *Inscr.* sequioris ætatis apud *Donat.* 394. 9. FEMINAE CASTE BONE BITE (*castæ bonæ vitæ*). — Vitam philosophi tripartitam diviserunt, nempe theoreticam, practicam et philargicam, idest contemplativam, activam et voluptuariam, ut tradit *Fulgent.* 2. *Myth.* 1. V. PHILARGICUS. — Et aliter apud *Claud. Mamert.* 1. *Stat. an.* 21. Vita seminalis herbarum, sensualis animalium, rationalis hominum. *V.* SEMINALIS. ¶ 2. Latiore sensu est spatium vivendi, perduratio, *durata. Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 90. (241). Brevissima vita est punicis, fico, malis. *Id. ibid.* 44. 85. (234). Vita arborum quarumdam immensa credi potest. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 17. Castanea *etc.* ita ægra est, ut biennio de ejus vita sæpe dubitetur. ¶ 3. Dicitur etiam de vita supernaturali. *Cyprian. ep. ad Donat.* 1. In novam vitam animatus. Adde *Vulg. interpr. Matth.* 19. 17. — *Vita tibi,* acclamatio in vasis vitreis cœmeterialibus, apud *De-Rossi Bullett. Crist.* a. 1864. p. 82. n. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice pro ipsa vi, qua res vivunt, id est pro anima. — In plur. num. *Virg.* 6. *Æn.* 292. tenues sine corpore vitæ. ¶ 2. Item pro alimento seu victu. *Plaut. Stich.* 3. 2. 9. Reperire sibi vitam. Adde *Trin.* 2. 4. 76. *Ter. Phorm.* 2. 3. 15. Cui opera vita erat. *Donat.* ad *h. l.* Vita et mores significat et animam et alimentum et spatium vivendi. *V.* OPERA. ¶ 3. Item pro instituto et ratione vivendi. *Cic. Rosc. Am.* 27. 48. Vita rustica honestissima atque suavissima. *Nepos Tim.* 4. Vita moderata sapiensque. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 14. (74). Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit: quadrupedumque fere cibus est. *Cels.* 1. 4. Otiosa vita utilis non est. — In plur. num. *Cic. Amic.* 23. 87. Serpit enim, nescio quo modo, per omnium vitas amicitia. ¶ 4. Item pro moribus, actis et rebus gestis. *Cic.* 2. *Herenn.* 3. 4. Deinde vita hominis ex antefactis spectabitur. *Seneca Ep.* 20. Facere docet philosophia, non dicere *etc.* ne orationi vita dissentiat. — In plur. num. *Ter. Adelph.* 3. 3. 51. Denique inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium jubeo. *Virg.* 6. *Æn.* 438. Concilium (*Minos*) vocat vitasque et crimina discit. *Firmic.* 8. *Mathes.* 7. Alicujus vitas amari sermonis licentia pulsare. *leggere la vita altrui,* ut vulgo dicitur. ¶ 5. Concreto, ut ajunt, sensu, *vita* dicitur de re valde cara et in qua deliciæ et gaudia nostra sunt. *Ter. Adelph.* 3. 2. 32. Nostrumne Æschinum, nostrarum vitam omnium, in quo nostræ spes opesque omnes sitæ erant? *Plaut. Asin.* 3. 3. 24. Certe enim tu vita es mihi. — *Vita* et *mea vita,* blanda est et amatoria compellatio. *Propert.* 1. 2. 1. Quid juvat ornato procedere, vita, capillo? *et* 2. 16. 17. Me tibi ad extremas mansurum, vita, favillas. *Plaut. Stich.* 4. 2. 6. O mea vita, o mea voluptas! salve. *Cic.* 14. *Fam.* 2. *et* 4. Ego te quamprimum, mea vita, cupio videre. Similiter ζωή κ. ψυχή de rebus caris usurpant Græci. ¶ 6. Sic *Vita* κατ' ἐξοχήν dicitur ipse Dei Filius, caro factum, qui vitam impertit omnibus rebus et vitam supernaturalem hominibus per fidem. *Vulg. interpr. Joh.* 14. 6. Cf. 1. 4. *V.* VERITAS. ¶ 7. Item ipsi homines viventes, ut Gr. βίος. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. *ad fin.* Neque ante philosophiam patefactam hac de re communis vita dubitavit. *Tibull.* 2. 1. 37. Rura cano rurisque deos: his vita magistris Desuevit querna pellere glande famem. *Martial.* 8. 3. Agnoscat mores vita legatque suos. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (48). Serpentes extrahi cantu cogique in pœnam, verum falsumne sit, vita non decrevit. Adde 13. *ibid.* 13. 27. (89). ¶ 8. Denique *vita* est historia vitæ alicujus. *Nepos præf. in fin.* In hoc exponemus libro vitas excellentium imperatorum. *et Epam.* 4. *in fin.* Uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere constituimus. Utroque loco in MSS. legitur *vitam,* testib. *Buchnero* et *Bosio.* Confirmat hoc *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 372. Hujus rei, inquit, testis est Cornelius Nepos in eo libro, qui Vita illustrium inscribitur. *vita* dixit non *vitæ.* Ita et *Halm.,* qui in priore loco leg. *de vita.* Attamen *Gell.* 1. 3. et 23. 2. Qui vitas resque gestas clarorum hominum memoriæ mandaverunt.

**VĪTĀBĬLIS**, e, adject. (vito) vitandus, *da schifarsi. Ovid.* 4. *Pont.* 14. 31. Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra, Ausa est agricolæ Musa docere senis. Alii aliter leg. *Arnob.* 5. p. 165. Illum fœtor vitabilem reddidit fugiendumque caprinus.

**VĪTĀBUNDUS**, a, um, adject. (vito) summo studio devitans, *chi schiva quanto mai può. Sall. Jug.* 107. Solus inter tela hostium vitabundus erupit. *Id. ibid.* 42. Quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ducit. *Id. fragm.* apud *Diomed.* 1. *p.* 397. *Putsch.* Vitabundus per saltuosa loca recedebat. *Vitabundus,* inquit *Diomed.,* non utique vitans, sed vitare simulans. *Tac.* 3. *Hist.* 37. Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. — Cum accusativo. *Liv.* 25. 13. Hanno vitabundus castra hostium consulesque etc. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 186. 17. *Merc.* Inter molem atque insulam, vitabundus classem hostium, ad oppidum pervenit.

**VĪTĀLĬA**, ium. *V.* voc. seq.

**VĪTĀLIS**, e, adject. (vita) Sup. *Vitalissimus* in fin. — Vitalis

I.) Est qui vitam dat aut in quo vita consistit. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pœn.* 3. 4. 14. Juppiter, per quem colimus vitale ævum. *Virg.* 1. *Æn.* 391. Vitales auras carpere. *Lucret.* 3. 561. edere motus. *et ibid.* 1117. Vitales venæ. *et* 2. 948. Vitales animæ nodos e corpore solvit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. *a med.* Caloris natura vim habet in se vitalem. *et ibid.* 45. *sub fin.* Aer vitalem et salutarem spiritum præbet animantibus. *Ovid.* 14. *Met.* 175. Lumen vitale relinquere. *h. e.* mori. *et* 2. *ibid.* 828. Vitales viæ. *h. e.* meatus spiritus. *Lucan.* 9. 435. Temperies cœli vitalis. *Inscr.* apud *Gruter.* 690. 5. ET (*Parcæ*) NEVERE SVPER VOBIS VITALIA FILA ¶ 2. Speciatim de vita supernaturali. *Cyprian.* ad *Jub. de hær. bapt.* 3. Lavacrum vitale.

II.) Est etiam qui vitam habet. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 1. 202. Multaque vivendo vitalia vincere sæcla. *h. e.* multa sæcula vitæ. *Cic. Amic.* 6. *circa med.* Cui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? *h. e.* quæ vere vita sit et non in vivente homine mortis genus. *Hieron. Columna* ad hoc *Ennii* dictum ita adscribit: βιωτὸς βίος. Philemon. Ἡμεῖς δ' ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον. ¶ 2. Speciatim qui diu vivere potest. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 74. Ducentos Philippos, quæso, Chrysalo da, si esse salvum me vis aut vitalem tibi. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 60. o puer, ut sis Vitalis, metuo. *Albinov.* 1. 419. Vix etiam fueras paucas vitalis in horas. *Seneca* 1. *Controv.* 1. *ad fin.* Ajebat, tam immaturæ magnum ingenium non esse vitale. ¶ 3. Apud *Petron. fragm. Tragur.* 42. *Burmann.* Vitalis lectus. *h. e.* quo quis vivens usus est. ¶ 4. *Vitalis herba* apud *Apul. Herb.* 123. est eadem ac sempervivа. — *NB.* De cogn. R., quæ sunt *Vitalis* et *Vitalissimus,* V. ONOM. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vitalis, is,* m. 3. animal sive omnis vivens. *Vulg. interpr. Eccli.* 16. 31. Anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius (*terræ*).

*Vitalia, ium,* n. plur. 3. ¶ 1. Sunt partes corporis, in quibus præcipue vita consistit, ut viscera, cor, cerebrum et hujusmodi; vel principia vitæ. — *a*) Proprie. *Seneca* 2. *Ira* 1. In corpore nostro ossa nervique et articuli, firmamenta totius et vitalia minime speciosa visu, prius ordinantur. *Lucan.* 7. 620. fusa solo vitalia calcet. *et* 9. 743. Ebibit humorem circum vitalia fusum Pestis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (20). Pilum sub oculo adactum in vitalia capitis venerat. *Id.* 17. *ibid.* 27. 42. (251). Vitalia arborum. — *Lucret.* 2. 575. Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum. *h. e.* principia vitæ. — *b*) Translate. *Ambros. De parad.* 12. Vitalia divinarum lectionum. Adde 6. *Hexaem.* 4. *Prudent.* 9. *Cathem.* 63. Qui tuam (*Christe*) sumit dapem, Nec locum ventris implet sed fovet vitalia. — Apud *Petron. fragm. Tragur.* 77. *in fin.* Stiche, profer vitalia, in quibus volo me efferri. *h. e.* stragula et vestes, quibus ornatus sepeliri volo. et *vitalia* dixit pro *mortualia,* melioris ominis gratia; nam *mortem* et *mortualia* dicere fere abstinebant.

**VĪTĀLĬTAS**, ātis, f. 3. (vitalis) vis et potentia vitalis, τὸ βιωτικόν, ζωτικόν (It. *forza vitale, vita;* Fr. *force vitale, vitalité, la vie;* Hisp. *fuerza vitale, vida;* Germ. *die Lebenskraft, das Leben;* Angl. *vital power or force, life, vitality*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 69. (182). Ceteris corruptis, vitalitas in corde durat. *Id. ibid.* 45. 103. (250). *de genib.* Hæc ut aras adorant, fortasse quia inest iis vitalitas. Adde *ibid.* 38. 90. (221).

**VĪTĀLĬTER**, adverb. (vitalis) cum vita, ζωτικῶς. *Lucret.* 5. 146. Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

**VĪTĀMENTUM**, i, n. 2. (vito) id quod vitandum est, nocumentum. *Theod. Priscian. De diæt.* 4. Lac caninum infantis magnum est vitamentum.

**VĪTANS**, antis, particip. *V.* VITO.

**VĪTĀTĬO**, ōnis, f. 3. (vito) actus vitandi, declinatio, εὐλάβεια, ἐκφυγή (It. *schifamento;* Fr. *action d'éviter, fuite;* Hisp. *efugio, huida;* Germ. *das Vermeiden, die Vermeidung;* Angl. *a shunning, avoiding*). *Cic.* 5. *Fin.* 7. *sub fin.* Vitatio doloris. *Id.* 3. *Phil.* 10. 24. oculorum, lucis, urbis, fori. *Id.* 3. *Herenn.* 2. 4. periculi. *Theod. Priscian.* 2. 8. lavacrorum.

**VĪTĀTOR**, ōris, m. 3. (vito) qui vitat. *Boeth.* 2. *Music.* 30. *in fin.* Vitator fastidii.

**VĪTĀTUS**, a, um, particip. *V.* VITO.

**VITAXA**, æ, m. 1. nomen, quo vocabantur principes regi Persarum subjecti, βίσταξ, πιτιάξης. *Ammian.* 23. 6. 14. In Perside hæ regiones maximæ, quas vitaxæ, id est magistri equitum, curant et regis satrapæ. V. *Vales.* adn. ad *h. l.* et *Visc. Iconogr. Gr. T.* 2. *p.* 359. ed. *Mediol.*

**VĪTELLĬĀNUS**, a, um, adject. ad vitellum vel potius ad Vitellium imperatorem pertinens, qui gulæ magister fuit, de quo *V.* ONOM. Hinc Vitelliana pisa sive faba, *Apic.* 5. 3. *Sch.*, ubi alii leg. *vitullina.* et Vitellianus porcellus, 8. 7. *ibid.* — Hinc

*Vitelliani, orum,* m. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicti sunt pugillares lutei, vitello illiti, in quibus res lascivæ et amatoriæ scribebantur. Quidam ita dictos putant, quod a Vitellio imp. inventi sint. *Martial.* 2. 6. Hæc sunt quæ relegente me solebas Rapta exscribere, sed Vitellianis. *Id.* 14. 8. Nondum legerit hoc licet puella, Novit, quid cupiant Vitelliani.

**VĪTELLĪNUS**, a, um, adject. (vitellus) ad vitellum pertinens, qua parvum vitulum significat. *Plaut. fragm.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 67. *Müll. ad fin.* Caro strebola vitellina est: cenabis. Ita *Scalig.* in *Conjectan.*, nam alii omnino aliter. — Absolute *Apic.* 8. 5. In vitellina fricta. *et ibid.* In vitellinam sive bubulam. Mox *vitulinam* dicit: quæ Latina et certa vox est.

**VĪTELLUM**, i, n. 2. idem quod vitellus, h. e. ovi pars lutea. *Apic.* 4. 1. Mel, acetum, liquamen, ovorum vitella. Adde *eumd.* 5. 3. et 10. 2. et *Varron.* apud *Prob.* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. (*p.* 19. 3. et 5. *Keil.*) *Theod. Priscian.* 1. 10. Vitellum ovi.

**VĪTELLUS**, i, m. 2. duo diversa significat. ¶ 1. Est enim deminut. a *vitulus*, parvus vitulus: sic ab *agnus agnellus. Plaut. Asin.* 3. 3. 77. Agnellum, hædillum me tuum dic esse vel vitellum. ¶ 2. Est etiam ovi pars lutea, λέκιθος, τὸ ὠχρὸν τοῦ ὠοῦ (It. *tuorlo, rosso di uovo*; Fr. *jaune d'œuf*; Hisp. *yema de huevo*; Germ. *der Dotter, Eidotter*; Angl. *yolk*). *Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134. Tum ille Nihilne, inquit, de vitello? Id enim ei ex ovo, videbatur aurum declarasse, reliquum argentum. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 12. Longa quibus facies ovis erit, illa memento, Ut succi melioris et ut magis alba rotundis, Ponere; namque marem cohibent callosa vitellum. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (148). Omnibus ovis medio vitelli parva inest velut sanguinea gutta, quod esse cor avium existimant. *Cels.* 6. 6. *n.* 1. *a med.* Ovi et album et vitellus in vas defundendum est. *Petron. Sat.* 33. *extr.* Pinguissima ficedula piperato vitello circumdata.

**VĪTĔUS**, a, um, adject. (vitis) qui est ex vite, *di vite*, ἀμπέλινος. *Varro* 1. *R. R.* 31. Coliculus viteus intortus. *Solin.* 3. *ad fin.* Vitea ligna super aras struere. *Prudent. Hamartig.* 228. Vitea rura, *h. e.* vitibus consita. *Cyprian. Ep.* 1. *sub init.* Dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. *una pergola.* — *Virg.* 3. *G.* 380. et pocula læti Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis. Ubi *pocula vitea* pro vino posuit. *V.* POCULUM.

**VĪTEX**, icis, f. 3. (vieo) genus fruticis, *vetrice, agnocasto*, ἄγνος, λύγος: est autem a *viendo*, quia lenta et flexibilis est et ad viendum idonea (*Vitex agnus castus* Linn.). *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (59). Non multum a salice vitilium usu distat vitex, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset. Græci lygon vocant, alii hagnon, quoniam matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitum sibi sternunt. Duo genera ejus: major in arborem salicis modo assurgit: minor ramosa, foliis candidioribus, lanuginosis. Prima album florem mittit cum purpureo, quæ candida vocatur: nigra, quæ tantum purpureum. Nascuntur in palustribus campis. Hæc *Plin.*, qui deinceps usus ejus varios in medicina persequitur. Cf. VIBEX apud *Schol.* in *Pers.* 4. 49.

**VĬTĬĀBĬLIS**, e, adject. (vitio) ¶ 1. Passive est qui vitiari potest. *Prudent. Apoth.* 1113. Tellurem nostro vitiatam primitus usu, Esse suam voluit, ne jam vitiabilis esset. Adde *Hamartig.* 216. et *Apul. De mund.* 3. ¶ 2. Active, qui vitiat. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 110.

**VĬTĬANS**, antis, particip. *V.* VITIO.

**VĪTĬĀRĬUM**, ii, n. 2. (vitis) seminarium vitium seu locus vitium alio transferendarum plantis consitus, *semenzaio di viti*, ἀμπελών, ἀμπελόφυτον. *Varro* 1. *R. R.* 31. Ideo in vitiario, primitus quum exit vitis, tum resecari solet, ut firmiore sarmento e terra exeat. *Colum.* 3. *R. R.* 4. Cui vineta facere cordi est, genus surculi probatissimum domi conserat faciatque vitiarium, ex quo possit agrum vineis vestire. Adde *ibid.* 5.

**VĬTĬĀTĬO**, ōnis, f. 3. (vitio) actus vitiandi, φθορά, διαφθορά (It. *corruzione, violazione*; Fr. *action de violer, de souiller, violation*; Hisp. *violacion, deshonra*; Germ. *die Schändung, Verletzung*; Angl. *corruption, violation*). *Seneca* 3. *Controv.* 23. *ante med.* Antea legem vitiationis evertere conatus est, nunc transferre vult. Adde *Frontin.* 7. in *lemmate.*

**VĬTĬĀTOR**, ōris, m. 3. (vitio) qui vitiat, stuprator, *corruttore, violatore*, φθορεύς. *Seneca* 3. *Controv.* 23. *sub init.* Occide jam non vitiatorem, sed virum.

**VĬTĬĀTUS**, a, um, particip. *V.* VITIO.

**VĪTĬCA**, æ, f. 1. genus herbæ apud *Theod. Priscian. De diæt.* 9.

**VĪTĬCĂPĬFER**. *V.* voc. seq.

**VĪTĬCARPĬFER**, fĕra, fĕrum, adject. qui facit vites fructiferas: vox hybrida, a *vitis*, καρπός, fructus, et *fero*; verum *Forcellino*, aliud etymon secuto, *viticarpifer* est ad carpendas seu putandas vites aptus. *Varro Sat. Menipp.* 51. 1. *Oehl.* Detotonderat forcipibus viticarpiferis. *Popma* dederat *viticapiferis*: at *Riese* et *Hertz* leg. *vitiarium feris* et *Bücheler n.* 245. not. cr. *vinitor vites feris.*

**VĪTĬCELLA**, æ, f. 1. *deminut. a* vitica, genus herbæ, de qua *Isid.* 17. *Orig.* 9. *ad fin.* Viticella herba appellata, quod sicut vitis, quidquid proximum habuerit, apprehendat corymbis, quos anulos appellamus.

**VĪTĬCĬŌNĬA**. *V.* VITISCIONIA.

**VĪTĬCŎLA**, æ, comm. gen. (vitis et colo) qui vitem colit. *Sil. It.* 7. 196. Viticolæ nomen pervulgatura Falerni.

**VĪTĬCŎMUS**, a, um, adject. (vitis et coma) ¶ 1. Est qui comas pampinis intextas habet; estque epitheton Bacchi. *Avien.* in *Arat.* 70. Et quum (*conveniat*) viticomo crinem tondere Lyæo. ¶ 2. Dicitur etiam de ulmo, quæ vitem sustinet. *Sidon. carm.* 2. 328. Viticomam retinens baculi vice flectit ad ulmum.

**VĪTĬCŬLA**, æ, f. 1. (*deminut. a* vitis) Licenter antepænultimam producit *Val. Cato Dir.* 115. Dulci namque tumet nondum viticula Baccho. — Viticula est exigua vitis, *viticella*, ἀμπελίς.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 35. *ad fin.* At enim minora dii negligunt, neque agellos singulorum nec viticulas persecuntur. *Tertull.* 2. *carm. advers. Marcion.* 230. Viticulæ in gracili latet ingens corpore botrys. *V.* infra.

II.) Translate *viticulæ*, κληματίδα, in herbis dicuntur flagella quædam, quæ vitium palmites imitantia longe lateque proserpunt et obvia quæque prehendunt iisque quasi pedaminibus abutuntur: cujusmodi videre est in cucurbitis, cucumeribus aliisque nonnullis id genus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 58. (98). Frutex est folio hederæ, molliore tamen et minus longis viticulis. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. *circa med.* Aliqui florem cucumeris cum viticulæ suo capite cannæ inserunt.

**VĪTĬDĒMĬA**. *V.* VINDEMIA.

**VĪTĬFER**, fĕra, fĕrum, adject. (vitis et fero) qui fert vites, ἀμπελοφόρος (It. *vitifero*; Fr. *qui port ou produit la vigne*; Hisp. *el que lleva ó produce la vid*; Germ. *Weinstöcke hervorbringend od. tragend*; Angl. *bearing or producing vines*). *Martial.* 13. 107. Hæc de vitifera venisse picata Vienna, Ne dubites. *Sil. It.* 4. 349. Vitiferi sacro generatus vertice montis Massicus. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (60). Colles vitiferi. *Id.* 6. *ibid.* 16. 18. (46). regio. *Pallad.* 3. *R. R.* 13. Ita formandi sunt rami vitiferarum arborum, *h. e.* quæ vitibus adseruntur sustinendi gratia, ut fraxinus, ulmus, populus.

**VĪTĬGĔNUS**, a, um, adject. (vitis et gigno) a vite genitus, vitigineus. *Lucret.* 5. 15. Vitigenus liquor, *h. e.* vinum. *Id.* 6. 1070. Vitigeni latices.

**VĪTĬGĬNEUS**, a, um, adject. (vitis et gigno) viteus, *di vite*, ἀμπέλινος. *Cato R. R.* 41. Vitiginei surculi. *Colum.* 12. *R. R.* 16. Alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semivietas uvas contegunt. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 16. (50). Pulmo vulturinus vitigineis lignis combustus. *Id.* 14. *ibid.* 1. 2. (9). Vitigineæ columnæ. *Id.* 16. *ibid.* 50. 79. (214). simulacrum.

**VĪTĬLĒNA**, æ, f. 1. (vitium et lena) vitiosa et pessima lena. *Plaut. Most.* 1. 3. 56. Illa hanc corrumpit mulierem malesuada vitilena.

**VĪTĬLĪGĀTOR**. *V.* VITILITIGATOR.

**VĪTĬLĪGĬNŌSUS**, a, um, adject. (vitiligo) ad vitiliginem pertinens, vitiligine affectus. *Gloss. Cyrill.* Ἐλεφαντιῶν. vitiliginosus.

**VĪTĬLĪGO**, as. *V.* VITILITIGO.

**VĪTĬLĪGO**, inis, f. 3. Ad etymon quod attinet, hæc habet *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 369. 15. *Müll.* « Vitiligo in corpore hominis, macula alba, quam Græci ἀλφὸν vocant, a quo nos album: sive a vitio dicta, etiam si non lædit; sive a vitulo, propter ejus membranæ candorem, qua nascitur involutus. Lucilius: Hæc odiosa mihi vitiligo est, non dolet, inquit ». — Vitiligo sunt diversi coloris maculæ per omnia membra dispersæ, fœdus cutis color ex malo corporis habitu proveniens, qui nutrimentum recte paraxare non potest, *morfea, vitiligine*, ἀλφός, μέλας λεύκη.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cels.* 5. 28. *n.* 19. Vitiligo, quamvis per se nullum periculum affert, tamen fœda est et ex malo corporis habitu fit. Ejus tres species sunt. Alphos vocatur, ubi color albus est fere subasper et non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur. Μέλας colore ab hoc differt, quia niger est et umbræ similis: cetera eadem sunt. Λεύκη habet quiddam simile alpho, sed magis albida est et altius descendit in eaque albi pili sunt et lanugini similes. Omnia hæc serpunt, sed in aliis celerius, in aliis tardius. Hæc *Celsus. Plin.* 20. *Hist. nat.* 15. 59. (165). Vitiligines tollere. *Id.* 21. *ibid.* 19. 75. (129). emaculare. *et* 22. *ibid.* 25. 74. (156). emendare. *Id.* 30. *ibid.* 4. 10. (28). extenuare. *et* 27. *ibid.* 12. 90. (112). concorporare. *Id.* 30. *ibid.* 13. 41. (120). ad colorem reducere. ¶ 2. Latiore sensu *vitiligo* ipsæ etiam lepræ vocantur. *Arnob.* 1. *p.* 30. Ille (*Christus*) notas albicantium vitiliginum manu admota detersit. Adde *ibid. p.* 26. et 28. *Justin.* 36. 2. 12. Quam (*Judæi*) scabiem et vitiliginem paterentur, Ægyptii eum (*Mosem*) cum ægris terminis Ægypti pellunt.

II.) Translate de vitiosa loquendi ratione. *Capell.* 3. *p.* 50. Grammatice protulit limam quamdam, ex qua scabros dentes vitiliginesque linguarum et sordes levi sensim attritione purgabat. *V.* integrum hunc locum in SOLŒCISMUS.

**VĪTĬLĬA**, ium. *V.* voc. seq.

**VĪTĬLIS**, e, adject. (vieo) ex viminibus factus seu ex quocumque ligno flexili et ad ligandum apto, πλεκτός (It. *fatto di vinchi o vimini*; Fr. *tressé, pliant*; Hisp. *tejido de mimbres, doblegable*; Germ. *geflochten*; Angl. *made of twigs or wicker, pliant*). *Cato R. R.* 11. Cola vitilia. *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* Vitilia (*alvos apum*) fimo bubulo oblinunt. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (70). Cucurbita omni modo fastigatur, vaginis maxime vitilibus. *Id.* 15. *ibid.* 17. 18. (60). Vitiles cistæ. *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. (206). naves corio circumsutæ. *et* 13. *ibid.* 4. 7. (29). circulus. — Hinc

*Vitilia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, vimina et quidquid ex vimine factum est. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (59). Non multum a salice vitilium usu distat vitex. *Id.* 13.

*ibid.* 4. 9. (39). Palmæ folio latiore ac molli ad vitilia utilissimo. *Id.* 21. *ibid.* 18. 59. (114). Junci usus ad nassas marinas, vitilium elegantia.

**VĬTĬLĪTĬGĀTOR**, ōris, m. 3. (vitilitigo) Alia scriptio *vitiligator* est in *Gloss. Lat. Gr.* in *Thes.* ed. *Vulc.* Vitiligatores, συκοφάνται. Cf. *ibid.* Vitiligo, as, συκοφαντέω. *V.* et infra. — Vitilitigator est qui sola pravitate contentionem quærit, cui studium est lites e litibus serere eoque aliena omnia anxie observat indeque calumniandi ansam captat, vitiosus litigator, calumniator, obtrectator, *litigioso, critico, beccalite,* συκοφάντης. *Plin. præf. Hist. nat. sub fin.* Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis et litigatoribus composuit, (quid enim illi aliud, quam litigant aut litem quærunt?) exsequemur reliqua propositi. Adde *Firmic.* 2. *Mathes.* 5. et 8., quibus tamen locis alii leg. *vitiligator.*

**VĬTĬLĪTĬGO**, as, are, n. 1. (vitium et litigo) Scribitur et *vitiligo.* V. voc. præc. — Vitilitigo est vitio litigare: et per metaphoram calumniari, carpere, criminari, damnare, reprehendere. *Cato* apud *Plin. præf. Hist. nat. sub fin.* Scio ego, quæ scripta sunt: hæc si palam proferantur, multos fore, qui vitilitigent: sed ii potissimum, qui veræ laudis expertes sunt. Eorum ego orationes sine præterfluere. Adde *Firmic.* 6. *Math.* 27. et *Gloss.* apud *Löwe Prodr.* p. 5.

**VĪTILLA**, æ, f. 1. *deminut. a* vita, exigua vita; et usurpatur in blanditiis. *Inscr.* apud *Gruter.* 663. 5. DESTITVISTI VITILLA MEA MISERAM MAMMAM TVAM.

**VĬTĬMĂGISTRĀTUS**, us, m. 4. (vitium et magistratus) magistratus vitio factus. *V.* tamen VITIOSUS. *Sall.* 3. *Hist. fr.* 90. *Kr.* Ita leg. *Palmer;* alii rectius aliter.

**VĪTĬNEUS**, a, um, adject. (vitis) vitigineus, *di vite,* ἀμπέλινος. *Flor.* 3. 20. Per fauces cavi montis vitineis delapsi vinculis. Alii leg. *vitigineis,* alii aliter.

**VĬTĬO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vitium) Part. *Vitians* I. 1.; *Vitiatus* fere in omn. paragr. — Vitio est vitium infero, deterius reddo, corrumpo, fœdo, φθείρω (It. *guastare, infettare, corrompere;* Fr. *corrompre, gâter, altirer, endommager, vicier;* Hisp. *corromper, viciar, dañar, depravar;* Germ. *fehlerhaft machen, verderben, verletzen;* Angl. *to spoil, mar, corrupt, infect*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 15. *Met.* 626. Dira lues quondam Latias vitiaverat auras. *Id.* 6. *Fast.* 136. *de strigibus.* Et vitiant cunis corpora rapta suis. *Id.* 1. *ibid.* 691. Et careant loliis oculos vitiantibus agri. *Id.* 7. *Met.* 366. oculi vitiantes omnia visu. et 15. *ibid.* 286. amnis, Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris. *Id.* 3. *Trist.* 7. 3. Ista decens facies longis vitiabitur annis. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *a med.* Sæpius inspiciat ferramentum, siquod in opere vitiatum fuerit. *Id.* 8. 11. *ante med.* Vixdum concepta in alvo vitiat ova. *Pallad.* 4. *R. R.* 12. Boves aliqua offensa vitiantur. *Martial.* 12. 74. *de vitreis calicib.* Et nimium calidis non vitiantur aquis. *Cels.* 8. 2. Vitiata ossa. *Martial.* 8. 75. Expulit offenso vitiatum pollice talum. *slogato.* et *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 3. curis vitiatum corpus amaris. *Id.* 3. *Met.* 76. quique halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras. *Id.* 1. *Pont.* 1. 69. Estur ut occulta vitiata teredine navis. ¶ 2. Speciatim est stupro polluo, vitium affero, *violare, sverginare.* *Cato* apud *Gell.* 17. 13. Neque satis habuit, quod eam in occulto vitiaverat, quin ejus famam prostitueret. *Ter. Adelph.* 4. 5. 52. Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere. *Cic.* 1. *Att.* 18. M. Luculli uxorem Memmius suis sacris vitiavit. Alii rectius leg. *initiavit,* eadem nihilominus manente sententia. *Sueton. Aug.* 71. Ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior etc. *Ter. Eun.* 4. 4. 36. Vitiata virgo. *Ovid. Heroid.* 11. 37. vitiati pondera ventris. — Hinc absolute *vitiata* apud *Tac. Dial. de orat.* 35.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Sext.* 54. 115. Comitiorum et contionum significationes interdum veræ sunt, nonnumquam vitiatæ et corruptæ. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 17. ut limus venas excæcat in undis, Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum. *Liv.* 3. 55. Senatusconsulta arbitrio consulum supprimebantur vitiabanturque. *Ulp. Dig.* 50. 17. 94. Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas. *Lucan.* 9. 424. Libye In nullas vitiatur opes: non ære nec auro Excoquitur. *Liv.* 8. 40. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis. ¶ 2. Speciatim *vitiare auspicia* apud *Gell.* 13. 15. ex *Messala,* h. e. per obnunciationem comitia, censum turbare, impedire. *V.* OBNUNCIO et VITIOSUS. Sic apud *Cic.* 4. *Att.* 9. 1. Vitiare dies. Adde *Fest.* p. 234. 27. *Müll.*

**VĪTĬO**, is, ire, a. 4. (vitis) vites sero et colo. *Cic.* 2. *Off.* 25. 89. Quid tertium? vitire. quid quartum? arare. Ita quidam leg., sed frustra, quum reponendum sit *male pascere,* ut est apud *Colum.* 6. *R. R. præf.* et leg. *Orellius.*

**VĬTĬŎLUM**, i, n. 2. *deminut. a* vitium, parvum seu leve vitium. *Gloss. Cyrill.* Ἐλαττωμάτιον, vitiolum.

**VĬTĬŌSĒ**, adverb. (vitiosus) Comp. *Vitiosius* et Sup. *Vitiosissime* II. — Vitiose est cum vitio (It. *difettosamente;* Fr. *avec défaut;* Hisp. *con defect;* Germ. *fehlerhaft, nicht recht;* Angl. *defectively*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Tusc.* 9. 19. Membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet? *h. e.* vitio aliquo affectum est. ¶ 2. Speciatim apud *eumd.* 5. *Phil.* 4. 10. Vitiose ferre. *h. e.* leges ferre vitio aliquo auspiciorum alteriusve rei interveniente. *V.* VITIO et VITIOSUS.

II.) Translate est male, *viziosamente,* κακῶς: cui *recte* opponitur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. *ad fin.* Si recte conclusit, teneo: sin vitiose, minam Diogenes reddet. *Id. Senect.* 8. 25. Illud vero idem Cæcilius vitiosius. *supple* dixit. *Colum.* 4. *R. R.* 24. *a med.* Quod etiam usurpari vitiosissime, animadverto.

**VĬTĬŌSĬTAS**, ātis, f. 3. (vitiosus) corruptio, vitium (It. *guasto, corruzione, difetto;* Fr. *défectuosité, vice, corruption;* Hisp. *defecto, vicio, corrupcion;* Germ. *die Fehlerhaftigkeit, Verdorbenheit;* Angl. *viciousness, defectiveness, vice*).

I.) Proprie, vel sensu physico. *Macrob.* 7. *Saturn.* 10. *a med.* Ille humor, qui aut de ætatis frigore nascitur aut cujuslibet vitiositatis occasione contrahitur, ut superfluus, ita et noxius est.

II.) Translate, vel sensu morali, est pravitas, *viziosità, vizio,* κακία. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 29. Vitiositas autem est habitus aut affectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. *Id. ibid.* 15. 34. Hujus igitur virtutis contraria est vitiositas. Sic enim malo, quam malitiam appellare eam, quam Græci κακίαν appellant. Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium.

Homonym. Qui differat *vitiositas* a *malitia,* V apud *Cic. loc.* supra *cit.*

**VĬTĬŌSUS**, a, um, adject. (vitium) Comp. *Vitiosior* II. 2. *a;* Sup. *Vitiosissimus* II. 1. et 2. *a* et 3. — Vitiosus est vitio vel morbo affectus, corruptus, non incolumis, non integer, non sincerus (It. *guasto, affetto da morbo, corrotto, difettoso, viziato;* Fr. *plein de défauts, défectueux; gâté, corrompu;* Hisp. *defectuoso, corrompido, dañado;* Germ. *voll Mängel, mangelhaft, fehlerhaft, verderbt;* Angl. *full of blemishes or defects, faulty*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 45. Non ego emam nunc vitam tuam vitiosa nuce. *Varro* 2. *R. R.* 1. *a med.* Morbosum pecus et vitiosum, et quando non valet, sæpe magna gregem afficit calamitate. *Colum.* 7. *R. R.* 5. *ante med.* Vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt aut cornu vel ungula tundunt. — *Vitiosæ ædes,* apud JCtos, sunt corruptæ. *Dig. fr.* 7. 2. et *alibi.*

II.) Translate. ¶ 1. Universim, de quibuscumque rebus, quæ incolumes, integræ, sinceræ non sunt, *cattivo, vizioso,* depravatus. *Cic.* 2. *Att.* 1. 7. Vitiosas partes reipublicæ exsecare, sanare. *Id.* 3. *Orat.* 26. 103. Vitiosissimus orator. *h. e.* vitio aliquo corporis in actione laborans. *Id.* 3. *Legg.* 15. *extr.* Vitiosum suffragium. *Id.* 2. *Herenn.* 29. 46. exemplum. — Cum infinito. *Lactant.* 6. 16. Esse aliquid, ubi non tantum modicum, sed vel punctum gaudere, vitiosum sit. — *Vitiosi magistratus* dicebantur, qui vitio creati erant, quum ex legitimis auspiciis ceterisve sollemnitatibus aliquid esset omissum, aut quum in campo aliquid vitii intervenisset, quo ex augurum disciplina solebant dirimi comitia: ut si quis interim comitiali morbo fuisset correptus, aut si fulmen esset visum aut tonitru auditum vel aliud quippiam esset obnunciatum, quod infausta futura ille comitia portenderet. Tunc enim *vitiosa comitia* dicebantur et *magistratus vitiosi* vel vitio creati: cogebanturque, qui designati essent, se magistratu abdicare. *Cic.* 2. *Phil.* 33. *ad fin.* Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella: rursus quum voles, salvis auspiciis creatus. — In illo *Sall.* 3. *Hist. fr.* 90. *Kr.* His præter solita vitiosis magistratibus etc. *vitiosus* non videtur hoc sensu intelligendus, quasi vitio creatus, sed officii immemor, flagitiosus. V. *Kritz* ad *h. l.* — *Vitiosus dies* dicitur XIX. K. Febr. in *Kalend. Prænestin.* et *Maffejor.* apud *Foggin.* in *Fast. Verrii Flacci,* qui idem videtur fuisse ac religiosus. *V.* hanc vocem. — Absolute *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 28. In dira et vitiosa incurrimus. ¶ 2. Speciatim transfertur ad animum. — *a)* Passive est vitiis contaminatus, vitiis deditus, depravatus, πονηρός, μοχθηρός. *Cato* apud *Gell.* 11. 2. Avaritiam omnia vitia habere putabant: sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur. Adde *Plaut. Curc.* 4. 1. 8. *Cic.* 2. *Fin.* 28. *extr.* Vitiosa et flagitiosa vita. *Id.* 3. *Nat. D.* 31. *a med.* Si qui audierunt philosophos, vitiosi essent discessuri. *Horat.* 3. *Od.* 6. 46. Ætas parentum pejor avis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem. *Vellej.* 2. 97. 1. Homo in omnia pecuniæ, quam recte faciendi, cupidior et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimus. *Martial.* 11. 92. Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit: non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium. *Cic.* 3. *Tusc.* 30. 73. Non sunt vitiosiores, quam etc. — Absolute *Ambros.* in *Ps.* 43. *n.* 14. Vitiosa eradicentur. — *b)* Active est qui corrumpit. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 25. vitiosa libido Fecerit auspicium. Adde *eumd.* 2. *Od.* 16. 21. ¶ 3. De his, qui peccant in studiis litterarum. *Sueton. Aug.* 86. Cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit. *Boeth. in Categ. Arist.* 2. p. 235. *M.* Id, quod diffiniri oportuerat, hoc in diffinitione esse sumptum, quod est vitiosissimum.

Homonym. Quomodo, si de morbo affectis usurpatur, *vitiosus* a *morbosus* differat, *V.* sub VITIUM.

**VĪTĬPARRA**, æ, f. 1. avicula quædam, *codibugnolo,* quam nostrates *pendolino* vocant *(Parus caudatus* Linn.): ex earum genere, quas Itali *cingallegre* appellant. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (96). In genere vitiparrarum est, cui nidus ex musco arido ita absolute perficitur pila, ut invenire non possit aditus. Acanthyllis appellatur eadem figura ex lino intexens. — *Vitiparra* quibusdam videtur esse eadem ac œnanthe et acanthyllis, quas voces vide.

**VĪTIS**, is, f. 3. Positio ablativi sing. est duplex, in e et in i; quæ altera rarior, ut apud *Varron.* 5. *L. L.* 94. *M.*, *Apul.* 9. *Met.* et, ἀρχαϊκῶς, vitei apud *Lucil. Sat. fr. inc.* 107. *M.* — Ratione habita etymi, est a *vieo,* alligo, vincio, quia, ut stet, pedamento indiget, cui adalligetur: vel quia lenta est et facile flectitur, ut ea, quibus utimur ad vinciendum. Cf. *Isid.* 17. *Orig.* 5. 2. — Vitis est arbor nota, uvam et vinum ferens et apud veteres Baccho sacra, ἄμπελος (It. *vite;* Fr. *vigne;* Hisp. *vid, viña;* Germ. *der Weinstock;* Angl. *a vine*).

I.) Proprie. *Colum.* 3. *R. R.* 1. Ex surculo vel arbor procedit, ut olea: vel frutex, ut pal-

ma campestris; vel tertium quiddam, quod nec arborem nec fruticem proprie dixerim, ut est vitis. Hinc *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 2. (9). Vites jure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. *et Ulp. Dig.* 47. 7. 3. Vitem arboris appellatione contineri, plerique veterum existimaverunt. *Virg.* 7. *Ecl.* 61. Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho. *Cic. Senect.* 15. 52. Vitis, quæ natura caduca est, et nisi fulta sit, ad terram fertur, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, comprehendit: quam serpentem multiplici lapsu et erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum. *et mox.* Vitis non utilitas me solum, sed etiam cultura delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium sarmentorumque aliorum immissio. *Virg.* 9. *Ecl.* 42. lentæ texunt umbracula vites. *et* 1. *ibid.* 74. Insere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites. *et* 5. *ibid.* 32. Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ. *Id.* 1. *G.* 2. ulmis adjungere vites. *et* 2. *ibid.* 190. vites prævalidæ multoque fluentes Baccho. *et* 233. almæ. *Tibull.* 1. 1. 7. et *Martial.* 4. 13. teneræ. *Ovid.* 3. *Fast.* 766. gravidæ munera vitis. *Id.* 3. *Pont.* 8. 13. pampineis amicitur vitibus ulmus. *Id.* 8. *Met.* 676. de purpureis collectæ vitibus uvæ. *Id.* 1. *Amor.* 10. 55. Carpite de plenis pendentes vitibus uvas. *Catull.* 62. 49. Vitis vidua, *h. e.* sine fulcimento ulmi. Contra *ibid.* 54. ulmo conjuncta marito. *Juvenal.* 9. 56. Fecundæ vites. *Vopisc. Prob.* 18. Gallis omnibus et Hispanis ac Britannis permisit, ut vites haberent. Ipse Almam montem in Illyrico lecta vite consevit. *Cic.* 3. *Rep.* 9. 16. Nos Transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus, quo pluris sint nostra oliveta nostræque vineæ. — Vitis membra singula vel minutiora pictis tabulis accurate describit *Pontedera* ad *Colum.* 3. *R. R.*, ubi præcipue (item *l.* 4. *et* 5. *ibid.*) colendæ vitis rationem *Colum.* tradit: cui adde *Varron.*, *Plin.*, *Pallad.*, apud quos sunt locutiones *vites serere, putare, propagare, reparare, oblaqueare, pampinare, pastinare, fodere, pedare, palare, alligare, jugare, pulverare, inserere, transferre* etc. — Nomina vitium plura Romanis cognita earumque qualitates enarrat *Colum.* 3. *R. R.* 2., uti est *Argitis, Biturica, Libyca, Marœotica, opiana, turica* etc. — Species vitium item plures, ut *ceraunia, helvola, inerticula, prœcoqua, purpurea, unciaria, visula* etc. *V.* suis loc. et v. UVA. — *Vitis alba* et *nigra* apud *Colum.* 4. *R. R.* 29. *sub fin.* est quæ albas et nigras uvas producit. — *Vitis non facit ficus*, proverb. de re, quæ fieri nequeat, apud *Vulg. interpr. Jac.* 3. 12. — *Unusquisque sub vite sua*, proverb. de opulentia et felicitate, qua quis fruatur, apud *eumd.* 3. *Reg.* 4. 25. et 1. *Mach.* 14. 12.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est uva aut etiam vinum. *Martial.* 8. 51. Ipse tua pasci vite, Lyæe, velis. ¶ 2. Figurate. *Vulg. interpr. Os.* 10. 1. Vitis frondosa, Israel. Adde *eumd. Is.* 24. 7. — *Vitis* κατ᾽ἐξοχὴν dicitur Christus. *Id. Joh.* 15. 1. Ego sum vitis vera *etc.* Ego sum vitis. vos palmites. Cf. *De-Rossi Bullett. Crist.* a. 1865. *p.* 42.

III.) Improprie. ¶ 1. *Vitis* seu viteus bacillus, ut virga lictorum, gestamen fuit centurionum in peditatu R., eoque milites peccantes cædere solebant. Fuit inventum Bacchi, qui Indiam armis subegisse dicitur primusque triumphasse. *Ovid.* 3. *Art. am.* 527. Dux bonus huic centum commisit vite regendos, Huic equites. *Plin.* 14. ~~*Hist. nat.* 1. 3.~~ (19). Quid quod insertæ (*vites*) castris summam rerum imperiumque continent? Centurionum in manu vitis et opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. *Lucan.* 6. 146. Latiam ~~longo gerit ordine~~ vitem. *Epit. Liv.* 57. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, fustibus cecidit. *Juvenal.* 8. 247. Nodosam post hæc frangebat vertice vitem, Si lentus pigra muniret castra dolabra. (Adde 14. 193.) — Narrat *Tac.* 1. *Ann.* 23. de quodam Lucilio centurione, cui militaribus facetiis vocabulum *Cedo alteram* indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. ¶ 2. Hinc metonymice ponitur pro ipso centurionatu. *Juvenal.* 14. 193. aut vitem posce libello. *Sil. It.* 6. 43. Lævinus vitis Latiæ præsignis honore. *et* 12. 465. vitis honore Perfunctus Latiæ. (Adde *ibid.* 395.) *Spartian. Hadrian.* 10. *a med.* Nulli vitem, nisi robusto et bonæ famæ, dedit. Adde *Quintil. Declam.* 3. 9. *a med.*, item *Tac.* 1. *Ann.* 23. ¶ 3. *Vitis* etiam dicta machina militaris, quæ *vinea* vocabatur. *Fest.* in *Sub p.* 309. 35. *Müll.* Sub vitem bastas jacere dicitur veles, quum eas sub manu' sursum mittit. Lucilius: Ut veles bonu', sub vitem qui subjicit bastas. *Id. ibid.* Sub vitem prœliari dicuntur milites, quum sub vinea militari pugnant. Lucilius: neque prodire in altum: prœliari procul sub vite. ¶ 4. *Vitis alba*, ἀμπελολεύκη, est etiam herba, cujus sarmenta longis et exilibus internodiis geniculata scandunt: folia pampinosa, ad magnitudinem ederæ, dividuntur ut vitium: radix alba, grandis, raphano similis initio, ex qua caules asparagi similitudine exeunt: semen in uvas raris acinis dependet suco rubente, postea croci. Norunt id qui coria perficiunt; illo enim utuntur. Hæc *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16., qui pergit inde præclaras ejus in medicina utilitates recensere. Meminit et *Colum.* 10. *R. R.* 347., ubi significat, vim habere contra fulmina, *et* 12. *ibid.* 7., ubi reponit inter eas herbas, quæ conditura aceti et muriæ in usum ciborum diu servantur. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. monet, contra grandinem omne horti spatium alba vite præcingere. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 165. docet, ex ejus sarmentis vasa fieri non secus ac ex junco et genistis. Sequax certe valde est et flexibilis: unde et in plur. num. *Ovid.* 13. *Met.* 800. Lentior et salicis virgis et vitibus albis. ¶ 5. *Vitis nigra* itidem herba est apud *Plin. loc. cit.* 17., quæ et bryonia dicitur, radice foris nigra, intus buxeo colore. ¶ 6. *Vitis cana* eadem est, quæ saxifraga. *Apul. Herb.* 97. ¶ 7. *Vitem* et *viticulam* appellat *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 7. ramulos cucumeris, et *ibid.* 10. 16. cucurbitæ.

VĪTĬSĂTOR, ōris, m. 3. (vitis *et* sator) qui vites serit, ἀμπελοφύτης. *Virg.* 7. *Æn.* 177. Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum Antiqua e cedro: Italusque paterque Sabinus Vitisator, curvam servans sub imagine falcem Saturnusque senex etc. — Tribuitur et Saturno. *Arnob.* 3. *p.* 117. Iste, quem Cælo esse editum patre, magnorum esse procreatorem deorum, vitisatorem, falciferum, vetustas edidit prisca. — Et Baccho. *Accius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. O Dionyse, pater optime, vitisator, Semela genitus.

VĪTISCĬŌNĬA, æ, f. 1. genus vitis, de qua *Isid.* 17. *Orig.* 5. 28. Vitiscionia uvas grandes magis quam multas habet: nomen inde quod multum vini fluat. Alii leg. *Viticionia;* at *Lindemann* rectius *Vitis Spionia.*

VĪTISCO, is, ere, n. 3. in vitem cresco. *Gloss. Lat. Gr.* Vitisco, ἀμπελόω.

VĬTĬUM, ĭi, n. 2. — *a*) *Vicium* pro *vitium* qui scribunt, minus recte id faciunt, teste *Dausq.*, inquit *Forcellinus;* at in Codd. MSS. haud raro occurrit. Sic *ocium* pro *otium* et alia hujusmodi. — *b*) *Vitius, ii*, gen. masc., legitur in *Decret.* a. 532. *Bouq.* 4. 111. *B.* — *c*) *Vitiûm*, genet. plur. pro *vitiorum*, habet *Titin.* apud *Non.* p. 495. 13. *Merc.* Omnium vitiûm expertem, consilii plenum. — *d*) De etymo minus apte *Cic.* 3. *Fin.* 12. 40. Quod vituperabile est per seipsum, id eo ipso vitium nominatum puto: vel etiam a vitio dictum vituperari. Recentiores a *vieo* ducunt, quasi sit nexus: et translate, debitum, culpa. — Quidquid sit de etymo, vitium est pravitas seu corruptio, deformitas, quod in quaque re malum est, βλάβη (It. *difetto, magagna, guasto, vizio;* Fr. *défaut, vice, imperfection, mauvaise qualité;* Hisp. *defecto, imperfeccion, vicio;* Germ. *der Fehler, Mangel, das Gebrechen;* Angl. *defect, blemish, vice*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Virg.* 1. *G.* 87. illis omne per ignem Excoquitur vitium atque exsudat inutilis humor. *Id.* 7. *Ecl.* 57. vitio moriens sitit aeris herba. — *b*) De ædificiis. *Cic.* 9. *Fam.* 15. *extr.* Si enim nihil est in parietibus aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur. Adde *eumd. Top.* 4. 22. — *Vitium facere* dicuntur ædificia, dum aliqua sui parte labefactantur, dum rimas agunt et ruinam minantur, *far pelo. Id. Top.* 3. *a med.* Si ædes eæ corruerunt vitiumve fecerunt. — *c*) De corpore. *Plaut. Most.* 1. 3. 118. Vetulæ edentulæ vitia corporis fere occultant. *Ovid.* 4. *Fast.* 147. Accipit ille locus posito velamine cunctas Et vitium nudi corporis omne videt. *V.* Homonym.

II.) Translate. ¶ 1. Universim dicitur de quavis depravatione animi, ut de loquacitate senum, de erroribus in dicendo, de culpa in disputando etc. *Cic. Senect.* 16. 15. Et senectus est natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. *Id.* 1. *Orat.* 25. *a med.* Adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videat. *Id.* 1. *Off.* 7. *ad fin.* In vitio esse. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 49. Huc si perveneris, meum vitium fuerit. *avrò io fallato.* — Sequente *quo minus. Id.* 4. *Herenn.* 12. 17. Vitia in sermone, quo minus is Latinus sit, duo possunt esse. — Et cum infinito. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 39. An vitium est, non parere rationi? ¶ 2. Hinc pro culpa, *colpa, mancanza. Plaut. Aulul.* 4. 10. 55. Vitio vini et amoris feci. *Cæs.* 3. *B. C.* 67. Nihil adhuc arbitrari factum vitio eorum. *Id.* 1. *ibid.* 81. Adverso vitio castrorum. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 44. Quamvis quis fortunæ vitio, non suo decoxisset. *Id.* 1. *Divinat.* 52. 118. Male conjecta falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. Adde *Harusp. resp.* 26. *a med.* — Et in plur. num. *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Milites confiictati tempestatis et sentinæ vitiis. ¶ 3. In re sacra usurpatur de auguriis et auspiciis, pro impedimento, malo auspicio. *Cic.* 2. *Phil.* 33. 83. Id igitur obvenit vitium, quod tu jam Cal. Jan. futurum esse prævideras et tanto ante prædixeras. *Id.* 1. *Divinat.* 16. 29. P. Clodius ejusque collega classes maximas perdiderunt, quum vitio navigassent. *h. e.* neglecta auspiciorum religione. *Id.* 2. *Nat. D.* 4. 11. Recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse. *h. e.* quod auspicari esset oblitus, ut *ibid.* addit. *Id. ibid.* Vitio creatos consules esse. *Cato* apud *Fest.* in *Prohibere p.* 234. 4. *Müll.* Si cui servo aut ancillæ dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne is (*al.* id) quidem mihi vitium facit. ¶ 4. Per excellentiam, sensu ethico, *vitium* dicitur de pravitate animi: cui *virtus* opponitur. *Cic.* 3. *Fin.* 12. 40. Omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. *Id.* 1. *Orat.* 58. 249. Legibus et præmia proposita sunt virtutibus et supplicia vitiis. *Ter. Heaut.* 5. 3. 47. Illi nil vitii est relictum. *Cic. Cluent.* 48. 133. Nullam quidem ob turpitudinem, nullum ob totius vitæ non dicam vitium, sed erratum. *Id. Cæl.* 19. 44. Vitium ventris et gutturis non modo non minuit ætas hominibus, sed etiam auget. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 41. Virtus est vitium fugere. *Seneca Consol. ad Helv.* 13. Quorum (*majorum nostrorum*) virtus olim nunc vitia nostra sustentat. *Cic.* 1. *Off.* 19. 62. Animi elatio, si justitia vacat, in vitio est. — *Vitio alicui dare, vertere*, vitium imputare, tribuere, *ascrivere a colpa, imputare. Id.* 7. *Fam.* 6. Ne sibi vitio verterent, quod abesset a patria. *Id. Rosc. Am.* 16. *extr.* Summam laudem Sex. Roscio vitio et culpæ dedisti. *Matius* ad *Cic.* 11 *Fam.* 28. Vitio mihi dant, quod mortem hominis necessarii graviter fero. ¶ 5. In illo *Ter. Heaut. prol.* 30. Novarum (*fabularum*) qui spectandi faciunt copiam Sine vitiis. *vitium* aliis est error, *sproposito, errore;* aliis vero, ut *Westerovio*, inopinatum incommodum, *inatteso disturbo.* ¶ 6. Denique usurpatur de injuria, quæ virgini infertur, virginitatem eidem adimendo. *Tac. Germ.* 19. Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur. — Hinc *afferre* vel *offerre vitium virgini* est eam stuprare. *Plaut. Epid.* 1.

2. 7. Pudicitiæ ejus numquam nec vim nec vitium attuli. *Ter. Adelph.* 3. 1. 9. Cui miseræ indigne per vim vitium obtulerat. *Plaut. Amph.* 2. 2. 179. vitium alicui addere. *eod. sensu.*

Homonym. Differunt *vitium* et *morbus*: nam *morbus* est totius corporis, ut febris; *vitium* est partis, ut cæcitas, claudicatio etc.: deinde *morbus* est temporalis, sive, ut ait *Gell.* 4. 2., est cum accessu discessuque; *vitium* vero est perpetuum corporis impedimentum. Potest tamen, qui morbosus est, etiam vitiosus dici, sed non e contrario. Equus mordax et calcitrosus, vitiosus, non morbosus est: claudus vero et morbosus et vitiosus dici potest. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 28. Quomodo autem est in corpore morbus, ægrotatio et vitium, sic in animo. *Morbum* appellant totius corporis corruptionem: *ægrotationem* morbum cum imbecillitate: *vitium*, quum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo morbus et ægrotatio ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur: vitium autem, integra valetudine, ipsum ex se cernitur. Ita *Cic.*, qui *morbum* et *vitium* etiam ab *ægrotatione* distinguit. Adde *Ulp. Dig.* 21. 1. 1. *circa med.* Sed *Sabinus* apud *Gell. loc. cit.* posuit morbum et in toto corpore et in parte: distinxit autem *morbum* a *vitio*, quod morbus pravitas major sit et cum corruptione; vitium imperfectio quædam levior et sine læsione organi seu instrumenti. *Ulp. loc. cit.* Si intelligatur vitium morbusque mancipii, ut plerumque signis quibusdam demostrari solent vitia, potest dici edictum cessare. Hoc enim tantum intuendum est, ne emptor decipiatur. Sed sciendum est, morbum apud Sabinum sic definitum esse, habitum cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus ad id faciat deteriorem, cujus causa natura nobis ejus corporis sanitatem dedit, id autem alias in toto corpore, alias in parte accidere. Namque totius corporis morbum esse, puta φθίσιν, febrem; partis, veluti cæcitatem, licet homo ita quoque natus sit. Vitiumque a morbo multum differre, ut puta, si quis balbus sit, nam hunc vitiosum esse magis quam morbosum. *Id. ibid.* 38. Ædiles ajunt, Qui jumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in unoquoque eorum morbi vitiive sit.

VĪTO, as, āvi, ātum, are, 1. *Forcellinus* deductum putat a *vis*: at recentiores etymologi conferunt cum rad. Skr. *val*, veto, prohibeo, arceo: vel *vik*, separo, sejungo, quasi sit *vito* per syncop. a frequentat. inusit. *vicito*. — Part. *Vitans* et *Vitatus* I. 1. *a*; *Vitandus* I. 2. *a* et *c*. — Vito est effugio, declino, devito, ἐκκλίνω, φεύγω (It. *schivare o schifare, sfuggire, schermirsi o guardarsi da qualche cosa*; Fr. *éviter, fuir, se dérober à*; Hisp. *evitar, huir*; Germ. *meiden, vermeiden, ausweichen*; Angl. *to avoid, to shun, to displace*). Usurpatum fere transitive, aliquando tamen neutrorum more.

I.) Transitive: et quidem ¶ 1. Proprie. — *a*) Cum Acc. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Prœlio excedere ac tela vitare. *Horat.* 1. *Od.* 15. 18. Vitare hastas. *Id.* 1. *ibid.* 14. 20. æquora. *Id. Epod.* 2. 7. forum. *Id. Art. P.* 298. balnea. *Id.* 2. *Ep.* 135. rupem et puteum patentem. *Cæs.* 2. *B. C.* 24. *in fin.* Longe lateque is lacus restagnat: quem si quis vitare voluerit, sex millium circuitu in oppidum perveniat. *Phædr.* 1. 19. Vitare insidias. *et* 5. 4. lucrum periculosum. *Id.* 2. 4. Aper rapinam vitans. — *Ovid.* 13. *Met.* 38. timidi commenta retexit Naupliades animi vitataque traxit in arma. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 115. sapiens, vitatu quidque petitu Sit melius causas reddet tibi. — *b*) Sequente Infinito. *Id.* 1. *Ep.* 5. 16. tangere vitet Scripta. Adde *Lucret.* 4. 322. et *Sulp. Sever. Vit. S. Martin.* 17. ¶ 2. Translate. — *a*) Cum Acc. *Sall. Jug.* 79. Vitare proditionem celeritate. *Cæs.* 1. *B. C.* 70. periculum. *Id.* 1. *B. G.* 20. *sub fin.* et *Nepos Att.* 6. suspiciones. *h. e.* cavere, ne male de nobis homines suspicentur. *Cic. post redit. in Senat.* 8. 20. Nullum vitæ discrimen vitandum umquam putavit. *h. e.* timendum. *Sueton. Cal.* 23. *sub fin.* Vitare impatientiam nauseæ et molestiam navigandi. — *Vitare se* est non sibi constare, sibi ipsi displicere. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 112. Non horam tecum esse potes, non otia recte Ponere teque ipsum vitas fugitivus et erro. — *b*) Cum Conjunctivo et partic. *ne*. *Cic. Partit.* 17. *sub fin.* Erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriæ suscepta videatur esse puerilis. *Cels.* 2. 17. *a med.* Vitare debet, ne experiatur. — *c*) vel Infinito. *Seneca Ep.* 114. Non vitasset intelligi. *Id. Ep.* 81. Ingrati esse vitemus. Adde *Gell.* 10. 21.

II.) Neutrorum more construitur cum Dativo. *Plaut. Curc.* 2. 3. 19. et *Pœn. prol.* 25. Domum abeant, vitent ancipiti infortunio. *Id. Cas.* 2. 2. 35. Semper tu huic verbo vitato abs tuo viro. *h. e.* cave, ne aliquando abs tuo viro hoc verbum tibi dicatur. Sic *Petron. Sat.* 82. Ponere jussit arma et malo cavere.

Homonym. Inter *vitare* et *cavere* discrimen est. *Cic.* 3. *Verr.* 15. *circa med.* Eum qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis. *V.* CAVEO.

VĪTOR. *V.* VIETOR.

VĪTRĀGO, inis, f. 3. (vitrum) herba eadem quæ vitraria dicitur. *Plin. Valer.* 2. 18.

VĪTRĀRĬA, æ, f. 1. *et*

VĪTRĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

VĪTRĀRĬUS, vitrearius *et* vitriarius, a, um, adject. (vitrum) ad vitrum pertinens. *Comp. Vitruv.* 30. Vitraria malthâ. *Cur. urb. leg.* 1. p. 2. *Preller.* vicus. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vitraria* et *vitriaria*, æ, f. 1. herba eadem quæ parietaria. *Apul. Herb.* 81. *V.* VITRAGO.

*Vitrarium*, ii, n. 2. officina vitraria. *Gloss. Cyrill.* Ὑαλουργεῖον, vitrarium.

*Vitrarius*, *vitrearius* et *vitriarius*, ii, m. 2. vitri conficiendi artifex, ὑαλουργός (It. *vetraio*; Fr. *verrier*; Hisp. *vidriero*; Germ. *der Glasblaser, Glasmacher*; Angl. *glassman, glazier*). *Seneca Ep.* 90. *a med.* Cuperem Posidonio aliquem vitrarium ostendere, qui spiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur. Alii leg. *vitriarius*, alii *vitrearius*. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 24., ubi *Peter* vitrarios. *Gloss. Labb.* Vitriarius et vitrarius, ὑαλουργός.

VĪTRĔA et vitria, orum. *V.* VITREUS.

VĪTRĔĀMEN, inis, n. 3. (vitrum) vas vitreum, *vaso di vetro*. Occurrit tantum in plur. num. *Paul. Dig.* 33. 7. 18. *in fin.* Quum in diem mortis ibi libros et vitreamina et vesticulam habuerit.

VĪTRĔĀRĬUS. *V.* VITRARIUS.

VĪTRĔĀTUS. *V.* VIVATUS.

VĪTRĔŎLUS, a, um, adject. *deminut.* a vitreus, ut *lacteolus* a *lacteus*, *ligneolus* a *ligneus*, qui ex vitro est. *Paulin. Nolan. carm.* 26. 413. Pendebant per ahena cavi retinacula lychni (*lumiere*), Qui specie arborea lentis quasi vitea virgis Brachia jactantes summoque cacumine rami Vitreolos gestant, tamquam sua poma, caliclos.

VĪTRĔUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

VĪTRĔUS *et* vitrius, a, um, adject. (vitrum) I.) Est vitrarius, ad vitrum pertinens. *Inscr.* apud *Donat.* 335. 5. et *Orelli n.* 4299. OPIFEX ARTIS VITRIAE.

II.) Significat qui ex vitro est. ¶ 1. Proprie. *Ovid.* 2. *Art. am.* 207. Sive latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus. *Martial.* 7. 72. Vitreus latro. *Colum.* 12. *R. R.* 4. *a med.* Vasa autem fictilia vel vitrea plura potius, quam ampla. *Juvenal.* 2. 95. Vitreus Priapus. *h. e.* calix Priapum referens. ¶ 2. Metaleptice est vitri colorem referens, pertenuis, clarus, pellucidus, ὑαλοειδής. — *a*) Sæpe tribuitur aquis. *Virg.* 7. *Æn.* 759. Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda, Te liquidi flevere lacus. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 55. vitreo madentia rore Tempora noctis eunt. *Id. Heroid.* 10. 7. Vitrea pruina. *Id.* 5. *Met.* 48. antra. *scil.* Najadum sub fluminibus. Sic *Virg.* 4. *G.* 350. sedilia. — *b*) De aliis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (100). Nec omnibus idem vitreus color. *Capell.* 6. *p.* 191. Vitreæ aure. *Pers.* 3. 9. turgescit vitrea bilis. *h. e.* splendida, ut ait *Horat.* 2. *Sat.* 3. 141. *Varro* apud *Non.* p. 448. 30. *Merc.* et p. 536. 33. *ibid.* Quorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos. ¶ 3. Metaphorice pro fragili, inconstante, instabili. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 222. Et furiosus erit quem cepit vitrea fama. *h. e.* fragilis, ut *Acron* exponit; at *Porphyrio* splendidam interpretatur. *Publil. Syrus* in *Mim.* Fortuna vitrea est; tum quum splendet, frangitur. Eodem modo quidam putant dictam ab *Horat.* 1. *Od.* 17. 20. vitream Circen. *h. e.* cujus in Ulyssen amor quasi fragilis fuit et parum durans. Alii aptius exponunt, splendidam, formosam. — De vasis vitreis inscriptis in cœmeteriis *V. De-Rossi Bullett. Crist. a.* 1873. p. 141. et *seqq.* et *alibi.* — Hinc

*Vitreum* et *vitrium*, i, n. 2. absolute, substantivorum more, vas vitreum, vitreamen, *vaso di vetro*. *Seneca* 1. *Ira* 13. Si vitreum fractum est. — Sæpius in plur. num. *Martial.* 1. 42. Qui pallentia sulphurata fractis Permutat vitreis. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 73. quique comminutis Permutant vitreis gregale sulphur. *Petron. Sat.* 10. An videlicet audirem sententias, id est vitrea fracta et somniorum interpretamenta? *h. e.* nugas, res frivolas et nullius pretii. *Gromat. vet.* p. 359. 26. *Lachm.* Aut vitria fracta aut cineres etc.

VĪTRĬĀRĬA et

VĪTRĬĀRĬUS. *V.* VITRARIUS, a, um.

VĪTRĬCUS, i, m. 2. matris meæ maritus, πατρικός et πατρωός (It. *padrigno*; Fr. *beau-père*; Hisp. *padrastro*; Germ. *der Stiefvater*; Angl. *step father*), cui respondet *privignus*: ita dictus quasi *patricus* seu πατρικός, quia in patris locum succedit ac privignum, ut pater filium, amare debet. Hinc *Gloss. Isid.* Vitricus, patricus. *Cic.* 15. *Att.* 12. Vitricus quidem nihil censebat, quem Asturæ vidimus. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 24. *ad Cupidinem.* Necte comam myrto, maternas junge columbas. Qui deceant, currus vitricus ipse dabit. *h. e.* Vulcanus, alter maritus Veneris, postquam ex Jove Cupidinem pepererat.

VĪTRĬUS. *V.* VITREUS.

VĪTRIX. *V.* VIETRIX.

VĪTRUM, i, n. 2. Vox videtur esse a *video*, perinde ac sit *vitrum* pro *vidtrum*, quod visui perspicuitate translucеat, ut ait *Isid.* 16. *Orig.* 16. *init.* Cf. *aratrum* ab *aro*, *feretrum* a *fero*; h. e. instrumentum, quo aratur, fertur: sic *vitrum*, quo videri possit. — Vitrum est materia translucida, quæ ex arena splendenti vel ex calculis pellucidis admixto nitro percoctis et in liquorem fusis conficitur, ὕαλος (It. *vetro*; Fr. *verre*; Hisp. *vidrio*; Germ. *das Glas*; Angl. *glass*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic. Rabir. Post.* 14. 40. Ductæ naves Postumi Puteolos sunt, auditæ visæque merces, fallaces quidem et fucosæ, chartis et linteis et vitro celatæ. *Horat.* 3. *Od.* 13. 1. O fons Blandusiæ splendidior vitro. *Propert.* 4. 8. 37. vitrique æstiva supellex. *h. e.* vitrea pocula capaciora, quibus æstiva sitis restinguitur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (114). Ima pars scenæ (*in theatro Scauri*) e marmore fuit: media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (51). Et ne quid desit ovorum gratiæ, candidum ex his admixtum calci vivæ glutinat vitri fragmenta. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 42. Effulgent cameræ vario fastigia vitro. — Post M. Agrippæ tempora vitrum cameris adhiberi cœptum esse, et *Seneca* et alii auctores sunt; quin operum, quæ ex vitro fiebant, tanta fuit vilitas apud Romanos, ut *vitrea fracta* pro rebus nihili frivolisque usurparentur. *V.* VITREUS. — Sæculo quarto a. Chr. usum fuisse vitri in fenestris, patet ex *Lactant. Opif. D.* 8. Per fenestras perlucente vitro aut speculari lapide obductas. Sic *Hieronym.* 12. in *Ezech.* 41. 16. Fenestræ erant in modum retis, ut non speculari lapide nec vitro, sed lignis interrasilibus clauderentur. — *b*) *Vitrum Obsidianum*, est vitrum nigri coloris, ita dictum ab Obsidio cive Romano, apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (196). Alii leg. *Obsius* et *Obsianus* pro *Obsidius* et *Obsidianus*. *V.* OBSIANUS et OBSIDIANUS. — *c*) De

crystallo, quod cristallo di rocca Itali dicunt, apud Sidon. Pan. 1115. — d) Item de crystallo vel adamante fortasse est illud Vulg. interpr. Job 28. 17. Non adæquabitur ei (sapientiæ) aurum vel vitrum. Cf. Prov. 23. 31. — De vitro lege Tac. 5. Hist. 7. et Plin. 36. Hist. nat. c. 26., ubi pluribus vitri origo et ejus conficiendi ratio describitur. Præterea de usu vitri apud veteres confer Annali dell' Istit. arch. a. 1865. p. 49. et a. 1873. p. 43. et seq. coll. De-Rossi in Bullett. Crist. a. 1873. p. 21. et Mus. Borb. T. 11. tab. 28.

II.) Improprie genus herbæ est, sic dictæ quia tinxit colore vitri, hoc est hyalino seu viridi. Græci vocant ἰσατιν, teste Vitruv. 7. 14., Itali vero guado, deducta ab Germanorum waid voce. V. GLASTUM et ISATIS. Sed vitri vox hac significatione crebro est corrupta, dum nunc ultro pro ea, nunc aliud substituunt, ut Turneb. l. 6. c. 17. docet. Cæs. 5. B. G. 14. Omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem. Mela 3. 6. circa med. Britanni, incertum ob decorem, an quid aliud, vitro corpora infecti. Vitruv. loc. cit. Item propter inopiam coloris Indici cretam Selinusiam aut anulariam vitro, quod Græci ἰσατιν appellant, inficientes, imitationem faciunt coloris Indici. Alii aliter leg.

VITTA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, duci potest a vieo, vel a vincio, ut est apud Isid. 19. Orig. 31. 6. et ibid. 33. 7. — Vitta est ligamentum, fascia, cingulum, quo antiqui aliquid religabant, ταινία (It. striscia, legame, benda, fascia; Fr. ruban, bandelette; Hisp. cinta, tirilla; Germ. die Binde; Angl. band, bond, tyting, bandage, fillet, weil). — a) Generatim. Plin. 18. Hist. nat. 31. 74. (317). Vitta lorea. — b) Specialim vitta est fascia, qua pectus vincitur. Isid. 19. Orig. 33. 7. — c) Item, qua aræ ornabantur. Virg. 8. Ecl. 64. molli cinge hæc altaria vitta, h. e. lanea. Id. 3. Æn. 63. stant Manibus aræ Cæruleis mœstæ vittis atraque cupresso. — d) Item, qua utebantur in supplicando. Id. 7. ibid. 237. Præferimus manibus vittas et verba precantia. Id. 8. ibid. 28. cui me Fortuna precari Et vitta comptos voluit prætendere ramos. Horat. 3. Od. 14. 7. et decoræ Supplice vitta Virginum matres. — e) Præcipue vitta dicebatur ligamentum capitis, hoc est fascia, qua antiqui crines cingebant et colligebant, et quæ etiam adhibebatur in sacris. Ovid. 2. Met. 413. Vitta coercuerat neglectos alba capillos. Lucan. 5. 142. torta priores Stringit vitta comas. Virg. 2. Æn. 133. Et salsæ fruges et circum tempora vittæ. Ubi Servius: Vittæ, quibus victimæ coronabantur. Juvenal. 12. 117. pueris vel frontibus ancillarum Imponet vittas. h. e. aræ destinabit. Inscr. apud Wilm. n. 2879. Vittæ spiceæ (Arvalium). — Vittæ aliæ fuerunt virginales, aliæ matronales, quod alio virgines cultu capitis et ornatu, quam nuptæ matronæ uterentur. Val. Flacc. 8. 6. de Medea mox nuptura. Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis. Propert. 4. 11. 33. Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis, Vinxit et aspersas altera vitta comas. — Hinc vitta est pudicarum et castarum, quales esse debent virgines et matronæ. Cf. Tibull. 1. 6. 67. Ovid. 1. Art. am. 31. Este procul vittæ tenues, insigne pudoris. et Remed. am. 386. Nil mihi cum vitta: Thais in arte mea est. Adde 2. Trist. 252. et 3. Art. am. 483. Cato Dir. 157. Juratamque meæ vittam tentare puellæ. — Varium vittarum genus ac figuram V. apud Rich op. cit. ad h. v.

VITTĀTUS, a, um, adject. participiorum more (vitta), vitta redimitus, bendato, ταινιωθείς. Ovid. 1. Amor. 7. 17. vittatis Cassandra capillis Procubuit templo, casta Minerva, tuo. Id. 12. Met. 151. Pallada vittatæ placabat sanguine vaccæ. Plin. 7. Hist. nat. 30. 31. (110). Vittatam navem Dionysius tyrannus Platoni misit obviam. V THALAMEGUS. Lucan. 1. 597. Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos. Stat. 5. Silv. 5. 28. nec solitæ mihi vertice laurus Nec fronti vittatus honos.

VITTEUS, a, um, adject. (vitta) ad vittam pertinens, di benda. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in Not. Tir. p. 161. Vitta, vitteus.

VĬTŬLA, æ, f. 1. (vitulus) vacca viridis ætatis, bucula, vitella, δαμάλη, μόσχος.

I.) Proprie et quidem — a) De vacca, quæ annum primum ætatis nondum explevit; nam post primum annum juvenca dici incipit. V. VITULUS. — Vitula facere est sacrificium vitulæ facere. Virg. 3. Ecl. 77. Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito. — b) Aliquando tamen pro juvenca vel vacca novella seu viridioris ætatis accipitur. Id. ibid. 29. ego hanc vitulam (ne forte recuses: Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus) Depono.

II.) Translate. ¶ 1. De muliere. Vulg. interpr. Judic. 14. 18. de problemate Samsonis. Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. — Allegorice apud eumd. Jer. 46. 20. Vitula elegans atque formosa Ægyptus. Adde Os. 10. 11. ¶ 2. De Vitula dea V. in VITULOR.

VĬTŬLĀMEN, ĭnis, n. 3. (vitulus) vitulorum multitudo, bradume: nostrates vulgo vedelame dicunt. — Translate usurpatur de multitudine surculorum et stolonum, qui et pulli appellantur (V. PULLUS): ita etiam eosdem μοσχεύματα nuncupant, a μόσχος, vitulus. Ambros. Ep. 37. n. 37. Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar? quæ tamquam vitulamina pullulantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt. — Hinc in Vulg. interpr. Sapient. 4. 3. Spuria vitulamina non dabunt radices altas.

VĬTŬLANS, antis, particip. V. VITULOR.

VĬTŬLĀRĬUS, a, um, adject. (vitulus) ad vitulos pertinens. Hinc vitularia via fuit in agro Arpinati, et ejus loci propria, quæ hodieque appellatur ibidem Via delle Vitula. Cic. 3. ad Q. fr. 1. 2. Ex eo loco recta Vitularia via profecti sumus in Fufidianum fundum. — Hinc

Vitularius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, vitulorum custos, mandriano di vacche. Thes. nov. Latin. p. 627. ed. Mai.

VĬTŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vitulor) actus vitulandi. Macrob. 3. Saturn. 2. V. in VITULOR.

VĬTŬLĪNA, æ, f. 1. V. voc. seq.

VĬTŬLĪNUS, a, um, adject. (vitulus) Vitlinus syncop. pro vitulinus est in Gloss. Labb. 26. d. — Vitulinus dicitur qui ex vitulo est, di vitello, μοσχιναῖος, μόσχειος. Cic. 2. Divinat. 24. 52. An tu, inquit, caruncula vitulinæ mavis, quam imperatori veteri credere? Cels. 5. 19. n. 9. et 13. Vitulinum sevum. Id. 5. 27. jus. — Nepos Ages. 8. Ille præter vitulina et hujusmodi genera obsonii, nihil accepit. — Hinc

Vitulina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est caro vitulina. Plaut. Aulul. 2. 8. 5. Rogito pisces: indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam. la carne di vitello. ¶ 2. Item vidulus e corio vitulino, valigia, carniere. Grat. Cyneg. 329. Sit famulis vitulina seis aut tergore fulvo Mantica. ¶ 3. Quam Macrobius vocat Vitulam deam lætitiæ, ut dicetur in voce seq., alii leg. Vitulinam.

VĬTŬLOR, āris, ari, dep. 1. De verbi etymo alii aliter. Non. p. 14. 19. Merc. ducit a vita et Varro 7. L. L. 107. Müll. ab inusit. vitula deminut. vitæ. Porro hæc notatio firmari videtur versibus Ennii et Nævii, quos vide infra, ubi prima syllaba producitur. At Rostius de hoc etymo disputans in Comment. Plaut. p. 176. et seq., favet Fest. apud Paul. Diac. p. 369. 14. Müll., qui a vitulus derivat, quantitate primæ syllabæ repugnante. — Part. Vitulans. — Vitulor est lætor, gaudio efferor, lubentiis diffluo (It. allegrarsi, vivere in allegrezza, essere pieno di contentezza; Fr. être transporté de joie, se réjouir beaucoup; Hisp. alegrarse mucho; Germ. e. Frendenfest begeyen, fröhlich sein; Angl. to skip, leap or frisk about, be merry). Non. loc. cit. Vitulantes veteres gaudentes dixerunt a bono vitæ commodo; sicuti qui nunc est in summa lætitia, vivere eum dicimus. Nævius: Ut in venatu vitulantes ex suis Locis nos mittant pennis decoratos feris. Paul. Diac. ex Fest. loc. cit. Vitulans lætans gaudio, ut pastu vitulus. Ennius: Habet is coronam vitulans victoria. Plaut. Pers. 2. 3. 1. Jovi opulento, inclito, opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor, h. e. summa cum voluptate et gaudio gratias ago. — Macrob. 3. Saturn. 2. Primo pontificii juris libro apud Pictorem verbum hoc positum est, vitulari. De cujus verbi significatu Titius ita retulit: Vitulari est voce lætari. Varro etiam in libro quintodecimo rerum divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Græci παιανίζειν vocant. Has tot interpretationis ambages quam paucis verbis docta eloquentia Maronis expressit (6. Æn. 657). Lætumque choro pæana canentes. Nam si vitulari est voce lætari, quod est παιανίζειν, nonne in cantu læti παιάνος enarratio verbi perfecta servata est? Et, ut huic vocabulo diutius immoremur, Hyllus libro, quem de diis composuit, ait, Vitulam vocari deam, quæ lætitiæ præest. Piso ait, Vitulam victoriam nominari Cujus rei hoc argumentum profert, quod postridie Nonas Julias re bene gesta, quum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit, unde Populifugia vocantur; post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio. Quidam nomen ejus animadversum putant, quod potens sit vitæ tolerandæ. Ideo huic deæ pro frugibus fieri sacra dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. Unde hoc esse animadvertimus, quod ait Virgilius (3. Ecl. 77.) Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito. Hactenus Macrobius.

VĬTŬLUS, i, m. 2. Etiam vitlus et viclus per sync. apud Prob. App. p. 197. 21. Keil. V. VITULINUS. — Dictus videtur ab ἰταλός, bos. V. ITALIA in ONOM. — Vitulus est fetus masculinus in bubulo genere, μόσχος (It. vitello; Fr. veau; Hisp. ternero; Germ. das junge Rind, Kalb; Angl. calf, veal).

I.) Proprie et quidem — a) De fetu bubulo ex maribus, qui primum ætatis annum nondum explevit; nam deinde juvencus vocari incipit. Varro 2. R. R. 5. Primum in bubulo genere ætatis gradus dicuntur quattuor: prima vitulorum; secunda juvencorum; tertia boum novellorum; quarta vetulorum. Discernuntur in prima vitulus et vitula, in secunda juvencus et juvenca, in tertia et quarta taurus et vacca. Ovid. 10. Met. 227. Lactentes vituli. Martial. 3. 58. Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam. — b) Non semper tamen discrimen id observatur, ut argumento est, quod etiam post partum juvenca appellatur vitula, apud Virg. 3. Ecl. 29. ego hanc vitulam (ne forte recuses: Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus) Depono. Id. 4. G. 299. Tum vitulus bima curvans jam cornua fronte. — De signo vituli. Plin. 34. Hist. nat. 8. 19. (80). et Vulg. interpr. Act. 7. 41. et Ps. 8. 5.

II.) Translate. Vulg. interpr. Os. 14. 3. Et reddemus vitulos labiorum nostrorum. h. e. hostiam laudis. Cf. Hebr. 13. 15. Adde Ps. 21. 13.

III.) Improprie. ¶ 1. Generatim dicitur de fetu equorum, elephantorum aliorumque quadrupedum, immo etiam balænarum. Virg. 3. G. 164. de equis: Jam vitulos hortare viamque insiste domandi. Plin. 8. Hist. nat. 1. 1. (2). de elephantis. Atque ita salutato sidere, in silvas revertuntur, vitulorum fatigatos præ se ferentes. Id. 9. ibid. 6. 5. (12). de balænis. Irrumpunt orcæ in secreta, et vitulos earum ac fetas, vel etiam gravidas, lancinant morsu. ¶ 2. Specialim vero in mari hoc nomine vocatur belua quædam corio et pilis tecta, ex genere amphibiorum, id est tam in terra, quam in mari vitam agentium, quæ et phoca dicitur, vitello marino. Plin. 9. Hist. nat. 13. 15. (41). Quæ pilo vestiuntur, animal pariunt, ut pristis, balæna, vitulus. Ille parit in terra pecudum more: secundas partus reddit. In initu canum modo cohæret: parit nonnumquam geminis plures. Educat mammis fetum. Non ante duodecimum diem deducit in mare, ex eo subinde assuefaciens. Interficiuntur

difficulter, nisi capite eliso. Ipsis in somno mugitus, unde nomen vituli. Accipiunt tamen disciplinam voceque pariter et visu populum salutant, incondito fremitu: nomine vocati respondent. Nullum animal graviore somno premitur etc. Hinc *Juvenal.* 3. 237. stantis convicia mandræ Eripient somnum Druso vitulisque marinis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 55. 56. (146). Homines pavidi tutissima putant tabernacula e pellibus beluarum, quas vitulos appellant, quoniam hoc solum animal ex marinis fulmen non percutiat. Adde *Sueton. Aug.* 90. *Calpurn.* 7. *Ecl.* 66. æquoreos Spectavi vitulos. *Inscr.* apud *Murat. præf. p.* 16. PELLIS VITVLI MARINI SEMESTRIS. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**VĬTŬPĔRĀBĬLIS**, e, adject. (vitupero) vituperatione dignus, ἐπιψόγος (It. *vituperevole*; Fr. *blâmable, répréhensible*; Hisp. *vituperable, reprehensible*; Germ. *tadelnswerth*; Angl. *blameable, reprehensible*). *Cic.* 3. *Fin.* 12. 40. Quod vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto. Adde *eumd.* 3. *Legg.* 10. 23. *Mos.* et *Augustin.* 1. *Op. imperf. contra Julian.* 127. *Capell.* 5. *p.* 152. Quisquis laudabilis non est, vituperabilis habeatur. *Cassiod.* 9. *Var.* 19. Vituperabilis excessus.

**VĬTŬPĔRĀBĬLĬTER**, adverb. (vituperabilis) cum vituperatione. *Cassiod.* 6. *Variar.* 11. Vituperabiliter tractare aliquid. Adde *Augustin.* 4. *Doctr. Chr.* 24.

**VĬTŬPĔRANS**, antis, particip. *V.* VITUPERO, as.

**VĬTŬPĔRĀTĬO** (vituperacio), ōnis, f. 3. (vitupero) vituperandi actus, reprehensio, μέμψις, ψόγος (It. *biasimo*; Fr. *blâme, reproche, reprimande*; Hisp. *répréhension, vituperacion*; Germ. *der Tadel, das Tadeln, das Schelten*; Angl. *a blame, reproach*): cui *laus* seu *laudatio* opponitur. ¶ 1. Active est, ut diximus, vituperandi actus. *Cic.* 7. *Verr.* 18. 46. Nunc non modo te hoc crimine non arguo, sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. *Quintil.* 8. *proœm. ante med.* His adjiciebamus, demonstrativum laude et vituperatione constare. *Id.* 3. 6. 55. Laudis simulatione detrahere, vituperationis laudare. — In plur. num. *Id.* 3. 4. 5. Laudes ac vituperationes. — Definitio per vituperationem est illa, quam Græci κατὰ ψόγον vocant, inquit *Cassiod. De dial.* ¶ 2. Passive quoque sumitur, præsertim si jungatur cum verbis *venio, cado, subeo, vito, effugio, adduco* et similibus. *Cic.* 6. *Verr.* 7. 13. Ut propter eum in sermonem hominum atque in tantam vituperationem veniret. *Id.* 13. *Fam.* 73. *sub fin.* Sed mihi ita persuadeo, eam rem laudi tibi potius, quam vituperationi fore. *et* 7. *Verr.* 38. *sub fin.* Hæc autem vituperatio atque infamia confirmabatur eorum sermone, qui etc. *Id.* 5. *ibid.* 61. 140. Adductus erat in sermonem, invidiam, vituperationem. *Id. Prov. cons.* 18. *sub fin.* Vituperationem vitare. *Id.* 14. *Att.* 21. *circa med.* subire. *et ibid.* 13. *circa med.* In vituperationem cadere. *Id. Harusp. resp.* 23. *ad fin.* Liberare aliquem vituperatione timiditatis. *Sueton. Tit.* 1. Ne odio quidem, nedum vituperatione publica, caruit. — In plur. num. *Cic.* 16. *Att.* 7. *a med.* Maximas vituperationes effugere.

**VĬTŬPĔRĀTĪVUS**, a, um, adject. (vitupero) qui vituperat. *Priscian.* 18. *p.* 1162. *Putsch.* Laudativa vel vituperativa (*verba*). Adde *Serv.* in *Virg.* 3. *Æn.* 547.

**VĬTŬPĔRĀTOR**, ōris, m. 3. (vitupero) qui vituperat, qui proclivis est ad vituperandum, reprehensor, *biasimatore, riprensore*, ψέκτης. *Cic.* 1. *Fin.* 1. 2. Quamquam philosophiæ quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, quum esset accusata et vituperata ab Hortensio. *Id.* 1. *Nat. D.* 3. 5. Benevolos objurgatores placare et invidos vituperatores confutare. Adde 7. *Fam.* 3. *ad fin.* et *Augustin. contra Crescon.* 1. § 3. *extr.* et *contra Julian.* 4. 13.

**VĬTŬPĔRĀTUS**, a, um, particip. *V.* VITUPERO, as.

**VĬTŬPĔRĬUM**, ĭi, n. 2. (vitupero) vituperatio, dedecus, infamia, ψόγος (It. *vituperio*; Fr. *vitupère, mépris*; Hisp. *desprecio, vituperio*; Germ. *der Schimpf, die Schande, Verachtung*; Angl. *a blame, dispraise*). *Cic.* 3. *Fin.* 12. 40. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto vel etiam a vitio dictum vituperium. Emendatiores Cod. habent *vituperari*. *Id.* 3. *Legg.* 10. 23. Isto quidem modo vel consulatus vituperio est. Alii plerique leg. *vituperabilis*. — Monent critici *Goeclen., Scalig., Cellar.* a *vituperio* abstinendum, si vituperationem doctorum hominum effugere velimus. Unius aut alterius testimonium, qui in adlatis *Cicer.* loc. hanc vocem defendunt, tum denique vim aliquam habiturum, quum ostenderint, scriptorem aliquem mediæ aut infimæ Latinitatis usurparse. Ita *Forcellinus.* Vulgo tamen usurpatum esse, liquet ex *Gloss. Lat. Gr.* in *Thes.* etc. *Vulc.* Vituperium, ψόγος. At recentiores *Ciceroni* omnino abjudicant.

**VĬTŬPĔRO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vitium et paro) *Vituperarier* parag. pro *vituperari* apud *Plaut. Most.* 1. 3. 21. Mavis vituperarier falso, quam vero extolli. Ita leg. *Ritschl.* — Part. *Vituperans*; *Vituperatus*; *Vituperaturus* et *Vituperandus* I. — Vitupero est vitio do, reprehendo, improbo, de dignitate alicujus vel auctoritate detraho, ψέγω (It. *biasimare, disapprovare, riprendere*; Fr. *blâmer, reprendre, gourmander*; Hisp. *reprehender, vituperar*; Germ. *mit e. Tadel belegen, tadeln, schelten*; Angl. *to blame, to dispraise, to disparage*): cui *laudo* opponitur. Adhibetur autem fere transitive; aliquando tamen etiam neutrorum more cum Dativo: qui alter videtur primitivus verbi usus, quasi sit *vitium* vel *vitio parare, dare* alicui, juxta etymon vocis.

I.) Transitive. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 138. Qui deorum consilia culpet, stultus inscitusque sit, Quique eos vituperet. Adde *Most.* 3. 2. 21. *Ter. Phorm.* 3. 1. 1. Enimvero multis modis cum istoc animo es vituperandus. *Cic.* 2. *Herenn.* 27. *a med.* Vitiosum est, artem aut scientiam aut studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo studio sunt, veluti qui rhetoricam vituperant propter alicujus oratoris vituperandam vitam. *Id. Mur.* 29. 60. Ego tuum consilium, Cato, propter singulare animi mei de tua virtute judicium, vituperare non audeo. *Sueton. Rhet.* 1. *a med.* Illustres viros laudare vel vituperare. *Curt.* 8. 6. 24. Puerorum sermonibus vituperantium criminantiumque regem faciles aures præbere. *Vellej.* 2. 101. 1. Ut nec laudaturum magna nec vituperaturum mediocris materia deficiat. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 83. (132). Herba in pratis vituperata nobis. — *Vituperare cœlum* proverbialiter illi dicuntur, qui ut soli sapere videantur, ea etiam damnant, quæ ab omnibus probantur. *Phædr.* 4. 6. Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant, Et, ut putentur sapere, cælum vituperant. — Absolute *M. Aurel.* inter *ep. Front.* ad *M. Cæs.* 2. 6. Ego, si fas est dicere, nec M. Porcium tam bene vituperantem, quam tu laudasti, umquam advorti, *h. e.* tam admirabilem in vituperando quam tu es laudando.

II.) Neutrorum more construitur cum Dativo: et occurrit speciatim de re sacra. *Plaut. Cas.* 2. 6. 58. Cur omine mihi vituperat malo? *Alii leg.* Cur omen mihi vituperat? *h. e.* omen contrarium reddit? vel omen religiose captanti vitium facit seu inauspicatum objicit? *Weise* monet in quibusd. vett. edd. deesse.

**VĬTŬPĔRO**, ōnis, m. 3. (vitupero, as) vituperator, momus, in reprehensionem proclivis, *biasimatore*, ψέκτης: cf. *epulo* ab epulando, *manduco* a manducando. *Gell.* 19. 7. *in fin.* Lævius vituperones suos, subducti supercilii sarptores appellavit. Adde *Sidon.* 4. *Ep.* 22. et 8. *Ep.* 1.

**VĬTUS**, us, m. 4. Usurpatur abl. sing. *vitu*, ut docet *Prob. App. p.* 193. 23. *K.*; item dat. et abl. plur. *vitibus* vel *vitubus*, ut apud *eumd. Inst. p.* 116. 22. et *Rhem. Palæm. p.* 537. 27. *K.* — Alia forma *uitus, i*, ut videtur, apud *Mar. Victorin.* 1. 15. 1. Viere connectere est; unde vimen, virgulti species, et viti in rotis. Sed *Furlanetto* corrig. *vitys* et *Keil* leg. *vitis* a vite. — Vitus est circumferentia et curvatura rotæ, Græcorum ἴτυς. *Prob. Inst. p.* 116. 22. *Keil.* et *Rhem. Palæm. loc. cit.* Cf. *Terentian.* 658. Quamque ἴτυν dicunt Achæi, hanc *vitym* gens Æoli.

**VITUTĬĀRĬI**, ōrum, m. plur. 2. nomen personarum certi cujusdam collegii. *Cod. Theod.* 14. 7. 2. Collegiati et vitutiarii, nemesiaci, signiferi et cantabrarii.

**VĬTYS**, yos. *V.* VITUS.

**VĪVĀCĬTAS**, ātis, f. 3. (vivax) naturalis vigor ac robur, vitæ diuturnitas, εὐζωΐα, μακροβιότης (It. *vivacità*; Fr. *force de vie, longue vie*; Hisp. *fuerza de vida, vida larga ó diuturna*; Germ. *das lange, zähe Leben*; Angl. *natural vigour or strength, long life*).

I.) Proprie. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med. de lepidio.* Multis etiam locis vivacitatem suam usque in annos decem prorogat. *Quintil.* 6. *proœm.* Hanc impiam vivacitatem novis insuper fatigare. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (100). Panthera vivacitatis adeo lentæ, ut ejectis interaneis diu pugnet. *Val. Max.* 8. 13. *n.* 4. *extern.* Nervosa vivacitas. *Tertull. Anim.* 25. Respondete, prægnantes, an aliquam in fetu sentiatis vivacitatem alienam de vestro.

II.) Translate. *Arnob.* 5. *p.* 179. Rationes miræ atque altæ, nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere. *h. e.* ingenii experrecti et minime stupidi vi et acumine. *et* 2. *p.* 45. Unde, quæso, est vobis tantum sapientiæ traditum? unde acuminis et vivacitatis tantum? *et* 5. *p.* 157. Vivacitas cordis. *accortezza.*

**VĪVĀCĬTER**, adverb. ab adject. *vivax*, unde Comp. *Vivacius* et Sup. *Vivacissime.* — Vivaciter est cum vivacitate (It. *con vigore, franchezza e spirito*; Fr. *vivement, avec force, avec ardeur*; Hisp. *vivamente, con fuerza*; Germ. *lebhaft*; Angl. *vigorously, with lifeliness or spirit*). *Fulgent.* 1. *Mythol. præf. a med.* Res secretas mysticasque vivaciter pertractare. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 332. vivacius abdita sollers Quærere et æternæ tandem invigilare saluti. Adde *Cassiod.* 7. *Variar.* 14. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. *p.* 7. Vivacissime ab aliquo culpari.

**VĪVĀRĬUM**, ĭi, n. 2. *V.* voc. seq.

**VĪVĀRĬUS**, a, um, adject. (vivus) ad viva animalia pertinens, ut Vivariæ naves, boriæ aut scaphæ multis foraminibus pertusæ, quibus includuntur capti pisces et vivi, alio transferendi: quæ a nostratibus vulgo *copani*, scil. *cofani da pesce* dicuntur. *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. *circa med.* Præfectus classis sciens, scarum Italicis litoribus ignotum, incredibilem scarorum multitudinem vivariis navibus huc advectam, inter Ostiam et Campaniæ litus in mare sparsit. Eamdem rem aliis verbis narrat *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 29. — Hinc

*Vivarium, ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, locus, ubi viva animalia inclusa servantur, id est quadrupedes, aves, pisces, cochleæ, glires, sive ad quæstum sive ad voluptatem, ζωγρεῖον, ζωοτροφεῖον (It. *parco, serraglio, vivaio, serbatoio*; Fr. *réservoir d'animaux, parc, vivier*; Hisp. *receptáculo de animales, vivar, parque*; Germ. *e. Thierbehälter*; Angl. *a vivary, reservoir, park*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Seneca* 1. *Clem.* 18. Eos, qui se aliquid offenderant, in vivarium (quid aliud quam serpentium?) abjici jubebat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 52. 78. (211). Vivaria aprorum ceterorumque silvestrium primus invenit Fulvius Lupinus, qui in Tarquiniensi feras pascere instituit. *Id.* 9. *ibid.* 54. 79. (168). Ostrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano. *Id.* 8. *ibid.* 32. 50. (116). Et in vivariis cervi cornua mutant omnibus annis. *Id.* 9. *ibid.* 55. 81. (171). Vivaria murænarum. *peschiere.* et *ibid.* 56. 82. (173). cochlearum. *et* 8. *ibid.* 57. 82. (224). glirium in doliis. *Juvenal.* 4. 50. Non dubitaturi fugitivum dicere piscem Depastumque diu vivaria Cæsaris. *Inscr.* apud *Murat.*

251. 3. CVSTOS VIVARII COHH. PRAETT. ET VRBB. *h. e.* cohortium prætorianarum et urbanarum, quibus feræ in spectaculorum usum custodiendæ tradebantur. Hæc inscriptio pertinet ad ann. a Chr. n. CCXLI. ¶ 2. Latiore sensu, a similitudine, de quolibet receptaculo. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 18. *a med.* Da mihi in manus vas vitreum, in quo mullus exsultet, in quo trepidet. Ubi multum diuque laudatus est, ex illo perlucido vivario extrahitur etc. ¶ 3. Item, tempore *Gellii*, ut ipse tradit 2. 20. vulgus *vivaria* dicebat, quos παραδείσους Græci appellant: qua voce tum horti conclusi, tum sæpta ferarum significantur. Porro *vivarium* quo sensu posuimus, *leporarium* a *Varrone* et *roborarium* a *Scipione Afric.* dictum est: quæ *V.* suis locis. Hinc *Sicul. Flacc. De condit agr.* p. 12. *Goes.* Aut vivaria aut pomaria aut *etc.* maceriis includunt. *Inscr.* (quæ pertinet ad ann. a Chr. n. LXXXI.-XCVI.) in *Bullett. dell' Istit. di corrisp. Arch. T.* 7. *p.* 153. LOCVS SIVE PARS AGRI SILVAEQVE EST IN VIVARIO QVAE CIPPIS POSITIS etc. *et mox.* EX FVNDO GALLICIANO ET AQVA SACRIFICIO HAVSTA ET DE VIVARIO PROMISCVE LICEBIT VTI.

II.) Translate. *Juvenal.* 3. 308. Sic inde huc omnes tamquam ad vivaria currunt. *h. e.* Romam conveniunt, ubi facilior et paratior victus, velut piscibus in vivario. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 78. sunt qui Crustis et pomis viduas venentur avaras Excipiantque senes, quos in vivaria mittant. *h. e.* munusculis capiunt, ut heredes scribantur et ditescant, quemadmodum in vivaria mittuntur pisces quæstus gratia.

VĪVARRA. *V.* VIVERRA.

VĪVĀTUS, a, um, adject. *Festus p.* 376. 14. *Müll.* Vivatus et vividus a poetis dicuntur, a *vi* magna. Alii rectius ducunt a *vivus.* — Vivatus est vigens, vegetus, vividus, *vivace, vegeto. Lucret.* 3. 559. Denique corporis atque animi vivata potestas Inter se conjuncta valent vitaque fruuntur. *et ibid.* 680. si jam perfecto corpore nobis Inferri solita est animi vivata potestas. Item *ibid.* 409. Et lacerato oculo circum, si pupula mansit Incolumis, stat cernendi vivata potestas. Alii hoc loco leg. *vitreata,* h. e. pellucida.

VĪVAX, ācis, adject. omn. gen. (vivo) Comp. *Vivacior* I. 1. *a* et II.; Sup. *Vivacissimus* I. 2. *a* et II. — Vivax duo præcipue significat: scil.

I.) Est diu vivens, diuturnus, longævus, μακρόβιος (It. *di lunga vita, vivace;* Fr. *qui vit longtemps;* Hisp. *el que vive largo tiempo;* Germ. *lang lebend;* Angl. *living long, long-lived*). ¶ 1. Proprie. — *a*) De concretis. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 53. Scævæ vivacem crede nepoti Matrem. *et ibid.* 2. 132. expellet certe vivacior heres. *Ovid.* 13. *Met.* 518. Quid, dii crudeles *etc.* Vivacem differtis anum? *Id.* 2. *Fast.* 625. Cui pater est vivax: qui matris digerit annos. *Id.* 2. *Amor.* 6. 54. Vivax phœnix. *Virg.* 7. *Ecl.* 30. cervus. *Auson. Gryph.* 11. *Wernsd. v.* 6. *p.* 583. totiens terno cornix vivacior ævo. — *Vivax infans* dicitur ab *Ovid. Heroid.* 11. 43., qui in utero positus resistit medicaminibus abortum facientibus. — *b*) De abstractis. *Seneca Herc. Fur.* 1027. Vivax senectus. ¶ 2. Translate est diu durans, diuturnus, *durevole.* — *a*) De concretis. *Virg.* 2. *G.* 181, silva vivacis olivæ. *Horat.* 1. *Od.* 36. 16. vivax apium et breve lilium. *Ovid.* 4. *Fast.* 397. carpebant vivaci cæspite gramen. *Id.* 3. *Met.* 374. Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam. *h. e.* quæ accensa difficile extinguuntur. *Seneca Med.* 826. Vivax flamma. *Lucan.* 3. 681. pinguibus ignis Affixus tædis et tecto sulphure vivax. *Colum.* 4. *R. R.* 32. Arundo quum sit vivacissima, nec recuset ullum locum. — *b*) De abstractis. *Horat. Art. P.* 68. mortalia cuncta peribunt, Nedum sermonum stet honos et gratia vivax. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 47. Carmine fit vivax virtus expersque sepulcri. *Pacat. Paneg. Theodos.* 3. Quum per se vivax sit recordatio calamitatum.

II.) Est etiam vividus, vegetus, vigens, alacer, validus: quasi vivere faciens. *Ovid.* 1. *Met.* 419. semina rerum Vivaci nutrita solo. *Gell.* 9. 4. *a med.* et 15. 22. Homines saltuatim currentes, vivacissimæ pernicitatis. *Id.* 5. 2. *de bucephalo.* Moribundus tamen ac prope exsanguis, e mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit. *Quintil.* 2. 6. 3. Si qui (*discipuli*) paullo sunt vivaciores, in his præsertim moribus, etiam irascuntur admonitioni et taciti repugnant. *h. e.* alacriores, animosiores. Similiter *Vopisc. Aurel.* 4. A prima ætate ingenio vivacissimus.

VĪVĒ, adverb. (vivus) vivide, valide. *Plaut. Epid.* 2. 2. 98. Vive, ut sapis et placet. Ita *Bothius* recte ex MSS. Alii, ut *Götz,* leg. *vive sapis.* Nimirum risus captandi gratia servus, quasi *vive* non verbum, sed adverbium esset, ita respondet: Tum tu igitur callide, quidquid acturus 's, age. Etiam *Quicherat* adverbium putat firmatque *Thes. nov. Latinit. p.* 596. ed. *Mai.* Vivo, vivis: inde vivus, vive, adverbium.

VĪVĔFĂCIENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĪVĔFĂCIO, făcis, factum, făcere, a. 3. et vivefio, fis, fieri, pass. anom. (vivus *et* facio) — Part. *Vivefaciens* et *Vivefactus.* — Vivefacio est vivere facio, vitam reddo, vivifico, *vivificare. Mar. Victorin.* 1. *adv. Ar.* 19. Alio igitur modo Christum viventem dicimus imaginem et vivefacientem. *et ibid.* 26. Secundum quod vita (*est*), et vivefacit et revivefacit. *et ibid.* Non esset vivefacere, nisi esset materia ad potentiam vivefaciendi: effecta est materia mortua naturæ, quæ vivefacta etc. — *Id.* 4. *ibid.* 11. Ubique confitendum est, esse vim quamdam, qua cuncta vivefiant.

VĪVĔFACTUS, a, um, *et*

VĪVĔFĪO. *V.* in VIVEFACIO.

VĪVENS, entis, particip. *V.* VIVO.

VĪVENTĬA, æ, f. 1. (vivo) actus vivendi. *Mar. Victorin.* 4. *adv. Ar.* 4.

VĪVERRA (vivarra), æ, f. 1. animal exiguum domesticum, paullo majus mustela, colore etiam candidiore, *furetto,* γαλῆ κατοικίδιος (*Mustella furo* Linn.). Dicitur mel aversari adeo, ut, si gustet, pæne intereat. *Albert. M.* vocat furonem et furunculum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 109. (261). Ossea genitalia sunt lupis, vulpibus, mustelis, viverris. *Id.* 30. *ibid.* 6. 16. (47). Jocinoris doloribus medetur mustela silvestris in cibo sumpta: item viverra porcelli modo inassata. *Plin. Valer.* 2. 21. *Rose.* Viverra sumpta in cibo prodest. Alii leg. *vivarra.* — Inimica est cuniculis eosque in antris suis persequitur et ejicit et necat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (218). *de cuniculis.* Magna propter venatum cum viverris gratia est. Injiciunt eas in specus, qui sunt multifores in terra, atque ita ejectos superne capiunt. Cf. *Marcell. Empir. c.* 22. *p.* 118.

VĪVERRĀRĬUM, ii, n. 2. (viverra) locus, ubi viverræ aluntur, γαλεάγρα. *Gloss. Cyrill.*

VĪVESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VĪVESCO *et* vivisco, is, ere, n. 3. (*inchoat. a* vivo) Ubique est qui leg. *vivisco.* Sic apud *Prudent. Apotheos.* 970. rudem fecit viviscere limum. — Part. *Vivescens.* — Vivesco est vivus fio, vitam acquiro, ἔμψυχος γίνομαι (It. *farsi vivo;* Fr. *prendre vie, commencer à vivre;* Hisp. *empezar á vivir;* Germ. *lebendig werden, zu leben anfangen;* Angl. *to become alive, get life*).

I.) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (161). Anguillæ atterunt se scopulis: ea strigmenta vivescunt. *Id.* 16. *ibid.* 25. 39. (93). Favonio maritantur vivescentia e terra *et* 17. *ibid.* 10. 10. (59). Semen decidens exceptumque terra vivescit. Adde *Prudent. loc.* supra *adl.*

II.) Translate est vires acquirere, vigescere, invalescere. *Lucret.* 4. 1131. verbum, Quod cupido affixum cordi vivescit, ut ignis. *et ibid.* 1061. Ulcus enim vivescit et inveterascit alendo. *Sulpic. Sev. Vit. S. Martin.* 8. Mox vivescente vultu marcescentibus oculis defunctus erigitur. Alii rectius leg. *livescente.*

VĪVĬCOMBŪRĬUM, ii, n. 2. (vivus *et* comburo) supplicium, quo homines vivi comburuntur. *Tertull. Anim.* 1. *ad fin.* Sed de patibulo et vivicomburio per omne ingenium crudelitatis (*mortem*) exhauriat. *et ibid.* 33. *a med.* Si cogitemus patibula, vivicomburia, culleos et uncos et scopulos.

VĪVĬDĒ, adverb. (vividus) Occurrit tantum Comp. *Vividius.* — Vivide est valide (It. *vigorosamente, con spirito;* Fr. *vivement, avec force;* Hisp. *vivamente, con fuerza;* Germ. *lebhaft, munter;* Angl. *vigorously, briskly*). *Gell.* 7. 3. *ad fin.* Omnia distinctius numerosiusque ac comptius fortasse dici potuerunt; fortius atque vividius potuisse dici non videntur. *Ammian.* 30. 1. 7. Milites perterrefacti, vividius, quam venerant, remearunt ad muros. *h. e.* majore vi ac celeritate.

VĪVĬDO, as, are, a. 1. (vividus) vividum reddo. *Capell.* 9. *p.* 309. in *carm.* Complexuque pio sidera colligans, Natos perpetuo corpore vividas.

VĪVĬDŬLUS. *V.* UVIDULUS.

VĪVĬDUS, a, um, adject. (vivo) Comp. *Vividior* I. *a* et II.; Sup. *Vividissimus* apud *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 379. 7. *Müll.* Vividissimus, superlativus a vivido. In libr. editis est *vivissimus. V. Müller* ad *h. l.* — Vividus est vita et vi præditus, vigens, validus, ζωτικός (It. *vegeto, vivace, avente vitalità e vigore, vigoroso;* Fr. *plein de vie, vivant, animé, vivide;* Hisp. *lleno de vida ó viveza, animado;* Germ. *Leben enthaltend, belebt;* Angl. *lively, vigorous*).

I.) Proprie. — *a*) De concretis. *Lucret.* 1. 178. vivida tellus Tute res teneras effert in luminis oras. *Ovid.* 3. *Fast.* 238. Vivideque e tenero palmite gemma tumet. Alii leg. *uvida,* sed contra *Heins.,* qui multa affert, quibus eam lectionem confirmet; inter quæ illud *Colum.,* quod geminum est loci modo ex *Lucret.* adlati. 5. *R. R.* 8. *sub fin.* Sed et densior terra, si vivida et læta est, commode recipit hanc arborem. Adde 3. 11. *sub fin.* Quamquam utroque loco alii *uvida* vel *humida* legunt. *Id.* 9. *ibid.* 13. Apes vivido habitu caloris animatæ, resumpto spiritu etc. *Plin.* 3. *Ep.* 1. *ad fin.* Illi post septimum et septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer: inde agile et vividum corpus solaque ex senectute prudentia. *Virg.* 12. *Æn.* 753. at vividus Umber (*canis*) Hæret hians, jam jamque tenet. *et* 10. *ibid.* 609. vivida bello Dextra viris animusque ferox. *h. e.* valens, fortis. *Martial.* 8. 6. misceri jussit amicis Largius Æacides vividiusque merum. *h. e.* meracius. *il vino più puro o più generoso.* Alii leg. *et bibit ipse:* alii *et bibit usque.* — *Vivida imago* est ad vivum expressa, *ritratto al vivo. Propert.* 2. 23. 8. Quattuor artifices, vivida signa, boves. *Martial.* 7. 44. Cujus adhuc vultum vivida cera tenet. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 848. spirantia æra et vivos de marmore vultus. *Claudian. B. Get.* 468. vivida Martis imago. *vera e viva.* — *b*) De abstractis. *Lucret.* 1. 72. vivida vis animi pervicit et extra Processit longe flammantia mœnia mundi. *Tac.* 6. *Ann.* 27. Vivida senectus. *Sil. It.* 6. 306. vigor.

II.) Translate. *Virg.* 5. *Æn.* 754. Exigui numero, sed bello vivida virtus. *Liv.* 9. 48. Nimia gloria luxuriare et evanescere vividum quondam illud Kæsonis ingenium. *vivace.* Sic *Plin. Paneg.* 44. *a med.* Rectos et vividos animos non, ut alii, contundis ac deprimis, sed foves et attollis. *spiritosi,* alacres. *Martial.* 11. 42. Vivida quum poscas epigrammata, mortua ponis Lemmata. quid fieri, Cæciliane, potest? *spiritosi. et* 12. 62. breve vividumque carmen In te ne faciam, times etc. *h. e.* acre, *che tocca sul vivo.* et *Tac.* 15. *Ann.* 49. Vividis odiis. *Id.* 13. *ibid.* 42. Vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercere. *forte, vigorosa.* et *Val. Max.* 5. 1. *n.* 1. *extern.* Dextra, quæ maximi exercitus complexui, humanitate, quam spiritu, vividiore suffecit. — *Vivida littera,* quod ad sonum attinet, *lettera forte,* dicitur σίγμα apud *Terentian. De syll.* 910. *p.* 352. *K.*

VĪVĬFĬCANS, antis, particip. *V.* VIVIFICO.

VĪVĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (vivifico) actus vivificandi, *vivificazione. Tertull. Resurr. carn.* 23. *extr.* et 5. *advers. Marcion.* 9. et *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm* 11.

VĪVĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. (vivifico) qui vi-

vificat, *vivificatore*. *Tertull. Resurr. carn.* 37. *a med.* et 2. *advers. Marcion.* 9. Adde *Augustin.* 7. *Civ. D.* 3. *Inscr.* metr. apud *Gruter.* 2. 1173. MORTALEMQVE DOMVM VIVIFICATOR HABET. *V.* SENSIFICATOR.

VĪVĬFĬCĀTŌRĬUS, a, um, adject. (vivifico) qui vivificat. *Ambros. De Spir. S.* 2. 9. *n.* 92.

VĪVĬFĬCĀTRIX, tricis, f. 3. (vivificator) quæ vivificat. *Prosper Aquitan. De ingrat.* 21. Dicite plectentes apices mortisque ministros Hoc expresse operis, quod gratia vivificatrix. Adde *Cassiod.* in *Ps.* 33. 8. et 109. 5. et *alibi*.

VĪVĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VĪVĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vivificus) Part. *Vivificans* I. et II.; *Vivificatus* et *Vivificandus* I. — Vivifico est vivum facio, vitam vigoremque do, ζωοποιέω (It. *vivificare, dar vita;* Fr. *vivifier, ranimer;* Hisp. *vivificar, avivar;* Germ. *lebendig machen, wiederbeleben;* Angl. *to vivify, animate*).

I.) Proprie. *Prudent. Apotheos.* 234. Deus mortalia vivificans. *Augustin.* 2. *contra Pelag.* 10. *n.* 33. Mortuus in Adam, vivificandus in Christo. Adde *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 9. *Vulg. interpr.* 1. *Petr.* 3. 18. Christus mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. Adde *Tertull. advers. Valentinian.* 14. *extr.* — Absolute *Vulg. interpr. Ital. Lev.* 11. 47. Instruere filios Israel inter vivificantia, quæ manducantur. *V.* VIVIGIGNENS.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad res inanimas. *Avien. Arat.* 300. de *Aganippe fonte*. Areas donec vaga gurgite valles Vivificet. Adde *Chalcid. Tim.* 2. et 31. et *alibi*. ¶ 2. Sensu morali. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 11. Contemnens occidentem litteram, repererat spiritum vivificantem. *Paulin. Nolan. carm.* 26. 207. Vivificans animam, vitiis in carne peremptis.

VĪVĬFĬCUS, a, um, adject. (vivus et facio) vivum faciens, *vivifico*. *Ammian.* 21. 1. 8. Vivificus vigor. *Apul. Trismeg.* Quod sursum versus fertur vivificum. Adde *Theod. Prisc.* 4. *p.* 316. et *Capell.* 2. *p.* 44.

VĪVĬGIGNENS, entis, particip. ab inusit. *vivigigno*, qui vivos fetus gignit, viviparus. *Augustin. Quæst.* in *Hept.* ad *Lev.* 11. 47. Quæ Græcus ζωογονοῦντα, nostri quidam *vivificantia* interpretari maluerunt, quia utcumque hoc verbum noster usus recepit, quam facere novum insolitum, si dici posset vivigignentia. Non enim quæ vivificant, sed quæ vivos fetus gignunt, id est non ova, sed pullos, dicuntur ζωογονοῦντα.

VĪVĬPĂRUS, a, um, adject. (vivus et pario) qui vivos fetus parit, ζωοτόκος: cui opponitur *oviparus* seu is, qui ovum educit. *Apul. De mag.* Discrevit natura (*pisces*) viviparos et oviparos.

VĪVĪRĀDIX (viveradix), icis, f. 3. (vivus et radix) planta, quæ cum radice seritur, vivam radicem habens, ad differentiam malleoli et talearum, μόσχευμα (It. *barbatella;* Fr. *plant, marcotte;* Hisp. *planta, acodo, mugron;* Germ. *die Wurzel versehener, der Ableger, Setzling, Senker;* Angl. *layer, sprig shoot, twig*). *Cato R. R.* 33. Si vinea a vite calva erit, sulcos interponito ibique viviradicem serito. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (170). In arido solo viviradix quoque frustra seritur. *Colum.* 3. *R. R.* 14. Sationis autem duo sunt genera, malleoli vel viviradicis, quod utrumque ab agricolis usurpatur et in provinciis magis malleoli. Neque enim seminariis student, nec usum habent faciendæ viviradicis. *Cic. Senect.* 15. 52. Malleoli, plantæ, sarmenta, viviradices etc. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 35.

VĪVISCO. *V.* VIVESCO.

VĪVO, vivis, vixi, victum, vivere, n. 3. — *a*) Scriptio varia est. Occurrit namque *veivo* in *Corp. Inscr. Lat.* 9. 5207.; *vibo* in *alia* apud *De-Rossi Inscr. Christ. p.* 64. et *Henzen n.* 7358.; *bibo* in *alia* apud *Orelli n.* 4708. et in *Inscr. Neap.* 3157. 3. et apud *Fabretti* 546. 4. — *b*) Præterit. *vici* et *vixsi* pro *vixi*, in *Inscr.* apud *Gruter.* 1059. 5. — Sic *vixsi* et *vicsi*, ut ex *Apul. De orth.* (ed. *A. Mai*) *p.* 133. Unde vixi, vicxi et vixsi in libris auctorum manu scriptis et in monumentis vetustisque lapidibus ll. Hujus scriptionis exempla plura exhibet *Marini Inscr. Alb. p.* 90. et *Fr. Arv. p.* 269. — *Vixe* syncop. pro *vixisse* apud *Serv.* in *Donat.* 444. 23.; hinc *vixet* pro *vixisset* apud *Virg.* 11. *Æn.* 118. et *Varron. Sat. Menipp.* 321. — Fut. *vivebo* pro *vivam* in *Ps.-Cyprian. De Sina et Sion.* 8.; quod et *Novium* scripsisse ait *Voss.* 4. 5. *De Gramm. c.* 35. *a med.* — Etiam perf. fut. *viveritis* pro *vixeritis* apud *Vulg. interpr. Ital. Col.* 3. 7. cod. *Amiat.* — *c*) *Quixit* pro *qui vixit* est in *Corp. Inscr. Lat.* 9. 4785. — *d*) Etymon vocis petunt a Græco βιόω, ejusd. significationis, unde et *vio* aliquando legitur pro *vivo*, ut in *Inscr.* in *Bullett. arch. Nap. a.* 1853. *p.* 82.; quamquam utraque vox, Græca et Latina, conferri potest cum Skr. *giv* (*gviv*), vel Chald. הוה *hava*, quæ idem significant. — Part. *Vivens* sub *A* I. 1. 1.° *a β*; II. 1. et 2. *a* et in fin.; *Victurus* sub *A* I. 2. 2.° — Vivo est vita fruor, in vita sum, vitam ago, ζάω, βιόω (It. *vivere;* Fr. *vivre;* Hisp. *vivir;* Germ. *leben;* Angl. *to live*). Adhibetur autem *A*) Stricto sensu; et *B*) Latiore sensu. — Vivo itaque

*A*) Stricto sensu est vitam ago.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De animantibus. — *a*) Intransitive. — α) Universim. *Plaut. Trin.* 1. 2. 17. Tua uxor quid agit? MR. immortalis est: vivit victuraque est. *Ter. Heaut.* 3. 1. 20. Numquidnam de gnato meo audisti? CHR. valet atque vivit. *Id. Eun.* 4. 6. 19. Egon formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus. *fra quanti vivono.* et *Cic. Sext.* 50. *in fin.* Quis non indignissimum facinus putavit, illum non dicam loqui sed vivere ac spirare? *Sall. Cat.* 2. Illi mihi vivere et frui anima videtur, qui etc. *Cic. Brut.* 48. *a med.* Aufidius vixit ad summam senectutem. *Id. Senect.* 6. *a med.* Si ad centesimum annum vixisset. *Id. Flacc.* 26. 63. Lacedæmonii septingentos jam annos unis moribus et numquam mutatis legibus vivunt. *Id. Senect.* 7. *ad fin.* Nemo est tam senex, qui se annum non putat posse vivere. *Seneca Ep.* 93. Octoginta annis vixit. *Cic.* 3. *Off.* 2. 8. Triginta annis vixisse Panætium. (*Ita omnes fere opt. edit.*) *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (154). Arcadum reges CCC. annis vixisse. *et infra.* Vixit annos XCVIII. *Id.* 30. *ibid.* 16. 53. (147). In culicum genere muliones non amplius quam uno die vivere. — *Vivere*, infinit. pro vita, apud *Pers.* 1. 9. nostrum illud vivere triste. — Passive impersonaliter. *Cic.* 3. *Tusc.* 20. 49. Negat Epicurus, jucunde posse vivi, nisi cum virtute vivatur. *Horat.* 2. *Od.* 16. 13. Vivitur parvo bene. *Ovid.* 1. *Met.* 144. Vivitur ex rapto. — β) *Vivens et videns*, formula, quæ Græcæ ζῶν καὶ ὁρῶν respondet. *Apul. De mag.* Tibi acerbiores morsus viventi et videnti efferuntur. Cf. VIVUS. — γ) *Vixit*, mortuus est: ominis causa; ut dicebant *fuit, abiit ad plures, siquid humanitus acciderit* etc. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 43. Vixisse nimio satius est jam, quam vivere. *Id. Most.* 4. 3. 9. Unum vidi mortuum efferri foras. modo eum vixisse ajebant. — δ) *Ita vivam*, affirmantis est. *Cic.* 16. *Fam.* 20. Sollicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valitudo. *così Dio mi dia vita.* Adde 2. *ibid.* 13. *a med.* et 5. *Att.* 15. et *Senec. Ep.* 82. *ante med.* — ε) *Ne vivam*, imprecantis sibi mortem, si fallat, *possa io morire*, dispeream, ne sim salvus. *Cic.* 4. *Att.* 16. *circa med.* Quid poteris, inquis, pro iis dicere? ne vivam, si scio. — ζ) *Si vivo*, minitantis, *se Dio mi dà vita*, *Plaut. Cas.* 1. 1. 27. Væ tibi! quot te modis, si vivo, habebo in nuptiis miserum meis! *Id. Pseud.* 5. 2. 26. Erit ubi te ulciscar, si vivo. *Ter. Andr.* 5. 2. 25. Jam ego pol hodie, si vivo, tibi ostendam, herum quid sit pericli fallere. *Id. Eun.* 5. 6. 19. Ego te, furcifer, si vivo, ἀποσεισώσῃς. — η) *Vivat, vivite*, dicimus iis, quibus renuntiamus. *Catull.* 11. 18. Cum suis vivat valeatque mœchis. *Virg.* 8. *Ecl.* 58. vivite silvæ, *addio selve*, valete. *Ter. Andr.* 5. 3. 18. Immo habeat, valeat, vivat cum illa. Adde *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 4656. et apud *Orelli n.* 4060. — ϑ) *Vive valeque* dicimus etiam iis, quos dimittimus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 110. et 1. *Ep.* 6. 67. — ι) *Vivas* et similia, adclamantis est, sæpe in Lapidibus et instrumentis domesticis, præsertim apud Christianos. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 6016., 6019., 6021. et apud *De-Rossi Bullett. Crist. a.* 1874. *p.* 78. — κ) *Vivo, vivit*, formula jurisjurandi apud *Vulg. interpr. Ezech.* 5. 11. Vivo ego, dicit Dominus. Adde 1. *Reg.* 2. 2. — *b*) Transitivorum more cum Acc. seu objecto, ut ajunt, interno. *Plaut. Pers.* 3. 1. 18. Modice et modeste vitam vivere. *Ter. Adelph.* 5. 4. 5. Ego vitam duram, quam vixi usque adhuc, mitto. *Cic.* 4. *Verr.* 47. *ad fin.* Quo tutiorem vitam sese meo præsidio victuros esse arbitrarentur. *Id. Cluent.* 61. *circa med.* Adeone stultus erat, ut illam, quam tum ille vivebat, vitam esse arbitraretur? *Alii legunt* qua. Certe ablativus est in illo *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 34. Tamne tibi diu videor vita vivere? — Passive. *Ovid.* 12. *Met.* 187. vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur ætas. — 2.°) De plantis. *Cic.* 5. *Fin.* 14. 39. Vivere vitem et mori dicimus. *Ovid.* 3. *Fast.* 427. bene vivitis ignes (*Vestæ*): Vivite inexstincti flammaque duxque, precor. *Id. Remed. am.* 732. pæne exstinctum cinerem si sulphure tangas, Vivet. *Colum. Arbor.* 16. In eamdem scrobem ulmum et opulum vel fraxinum deponunt, ut, si ulmus defecerit, opulus vel fraxinus locum obtineant: si autem utraque vixerit, altera eximatur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 13. (67). Avulsi arboribus vixere stolones. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 3. *sub init.* ¶ 2. Speciatim est ali, vitam tolerare, *sostentarsi*: construitur sæpe cum addito Abl. et præp. *de, ex*, vel absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 36 Esse parcum et misere vivere. *h. e.* miseris modis victitare; ut *Most.* 1. 1. 51. ait. *Id. Truc. a.* 5. *v.* 61. Noster esto: sed de vestro vivito. *mantienti del tuo.* et *Cæs.* 3. *B. C.* 49. Prius se cortice ex arboribus victuros, quam Pompejum dimissuros. *Id.* 4. *B. G.* 10. *in fin.* Piscibus atque ovis avium vivere existimantur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 123. vivit siliquis et pane secundo. *Virg.* 7. *Æn.* 749. Convectare prædas et vivere rapto. ¶ 3. *Cajus Dig.* 50. 16. 234. Verbum vivere quidam putant ad cibum pertinere: sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis et vestimenta et stramenta contineri: sine his enim neminem vivere posse.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 4. *Fast.* 553. Inque foco pueri corpus vivente favilla Obruit. *Stat.* 9. *Theb.* 974. Purgatura malum fluvio vivente soporem. *V.* VIVUS. *Inscr.* apud *Gruter.* 660. 1. et apud *De-Lama Iscriz. Parm. p.* 119. QVAM SI QVA PIETAS INSITAST (*h. e.* insita est) CAELESTIBVS VIVENTI INGENIO SOLE ET LVCI REDDITE. ¶ 2. Speciatim sæpe notat modum actæ vitæ. — *a*) Absolute est in otio et tranquillitate vitam agere, lætitiæ et ingenio indulgere, *darsi bel tempo*, ἡδυπαθεῖν. *Varro* apud *Non. p.* 156. 14. *Merc.* Properate vivere, pueræ, quas sinit ætatula ludere, esse, amare. *Lucil.* apud *Non. p.* 11. 9. *ibid.* Vivite lurcones, comedones, vivite ventres. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. Quod me cohortaris ad ambitionem et laborem, faciam equidem, sed quando vivemus? *quando avrem noi un' ora di bene? Catull.* 5. 1. Vivamus, mea Lesbia, atque amemus. *Martial.* 1. 104. Aut vive aut decies, Scævola, redde deis. et *ibid.* 16. Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam. Sera nimis vita est crastina: vive hodie. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 10. Rure ego viventem, tu dicis, in urbe, beatum. *Inscr.* apud *Gruter.* 609. 3. AMICI DVM VIVIMVS VIVAMVS. — Huc trahi potest formula illa dimittentium *vive valeque*, apud *Horat.* 2. *Sat.* 5. 110. et 1. *Ep.* 6. 67. *Inscr.* apud *Gruter.* 799. 8. VIVE HOSPES DVM LICET ATQVE VALE. — *b*) Cum additis, quæ sensum determinent, tam in bonam quam in malam partem. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 11. Vixit, quum vixit, bene. (Ubi *Donatus:* Plane unum *vixit* aliud significat et alterum aliud.) h. e. dum vita fuit, fruitus est bonis, ætatem egit sibi indulgendo. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 66. vivas in amore jocisque. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 68. Vivere e natura. h. e. convenienter naturæ. *Id.* 3. *Off.* 1. 3. Qui in ma-

xima celebritate et in oculis civium quondam viximus. *Nepos Alcib.* 11. Luxuriose vivere *Id. Att.* 14. Tanta usus est moderatione, ut neque in HS. vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit, neque in HS. centies affluentius vixerit, quam instituerat. *si trattò con più lusso.* — Passive impersonaliter. *Id.* 1. *Fin.* 18. 57. O præclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! *etc.* Clamat Epicurus, non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste justeque vivatur: nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde. — c) Cum Acc. *Id.* 13. *Fam.* 28. Studia illa nostra, quibus antea delectabamur, etiam nunc vivimus. *passiamo la vita in quegli studi* etc. *Juvenal.* 2. 3. Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt. *h. e.* dissolute vivunt — *Vivere asinum* dicitur, qui vitam asinalem ducit. *Boeth. Consol. philos.* 4. *pros.* 3. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit? — d) Hinc locutiones — *Vivere ex alicujus more, alieno more,* vivere ad voluntatem alicujus. *Ter. Heaut.* 1. 2. 29. et *Andr.* 1. 1. 124. — *Vivere de lucro.* V. LUCRUM. — *Vivere alicui,* in obsequium et commodum alicujus vitam agere. *Ter. Eun.* 3. 2. 27. et *Claudian.* 1. *Eutrop.* 31., ubi tamen alii aliter leg. — *Vivere sibi,* sui tantum ipsius curam habere, publicis aut alienis negotiis abstinere, *vivere a sè stesso. Cic. Marcell.* 8. 25. Tum id audirem, si tibi soli viveres aut si tibi etiam soli natus esses. — *Vivere secum,* simile est. *Id. Senect.* 14. *a med.* At illa quanti sunt! animum, tamquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse secumque, ut dicitur, vivere. Sic *Pers.* 4. 52. Tecum habita et noris, quam sit tibi curta supellex. — *Vivere in se* et *inter se,* h. e. simul. *Inscr.* apud *Marini Fr. Arv.* p. 117. *de Conjugalibus.* et *alia* apud *Visconti Mon. Gabin.* p. 133. — *Vivere intus ad aliquem* pro in alio vel quod attinet ad alium. *Poeta* apud *Gell.* 19. 11. *in fin.* Et mira prorsus res fieret, Ut ad me fierem mortuus, Ad puerulum intus viverem. — *Vivere in diem* vel *in horam.* V. DIES et HORA. — *Vivere cum aliquo,* versari, consuetudinem habere, amicum, familiarem esse. *Cic. Orat.* 3. *ad fin.* Quibuscum privatus conjunctissime vixerat, has in tribunatu spoliare instituit omni dignitate. *Id.* 6. *Att.* 6. Decreram cum eo valde familiariter vivere. *et* 14. *ibid.* 20. *a med.* Hirtius optime loquitur: sed vivit habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur. *Nepos Att.* 10. Cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeo conjuncte vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. *Id. Alcib.* 10. *ad fin.* Mulier, quæ cum eo vivere consueverat, muliebri sua veste contectum ædificii incendio mortuum cremavit. — De consuetudine parvi temporis. *Cic.* 14 *Att.* 20. *a med.* Cum Pansa vixi in Pompejano. is mihi probabat se bene sentire et cupere pacem. — *Vivere in litteris* aut *in libris* est *insenescere libris,* ut ait *Horat.* 2. *Ep.* 2. 82. *Cic.* 9. *Fam.* 26. Vivas, inquis, in litteris. An quidquam me aliud agere censes? aut possim vivere nisi in litteris Viverem. *Sympos.* 16. *de tinea.* In libris vixi, nec sum studiosior inde. *V.* IMMORIOR. — *Vivere in Christo* pro Christianam vitam ducere. *Inscr.* apud *Orelli n.* 962 ¶ 3. Signa et tabulæ *vivere* dicuntur, quæ vivum referunt. *Claudian. IV. cons. Honor.* 589. picturatumque metallis Vivit opus.

*B)* Latiore sensu. ¶ 1. Usurpatur pro degere, habitare. *Nepos Timol.* 3. *ad fin.* Privatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit. *Id. Chabr.* 3. *sub fin.* Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi. ¶ 2. Item pro esse. *Plaut. Amph. prol.* 75. Virtute dixit vos victores vivere, non ambitione, neque Perfidia. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 20. Morem antiquum atque ingenium obtines, ut unus hominum homo te vivat nusquam quisquam blandior. *Id. Eun.* 5. 9. 1. Ecquis me vivit hodie fortunatior? *Catull.* 10. 33. Sed tu insulsa male et molesta vivis. *Cic.* 3. *Att.* 5. Ego vivo miserrimus et maximo dolore conficior. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 157. Viveret si quis avarior. *h. e.* esset avarior et ideo sapientior. *Gell.* 2. 18. Theophrasti servus et Zenonis servus philosophi non incelebres vixerunt. ¶ 3. Item pro durare, manere, *durare. Cic.* vertens carm. *Homer.* apud *Gell.* 15. 6. Fabitur hoc aliquis: mea semper gloria vivet. *Iliad. l.* 7, *v.* 91. τὸ δ' ἐμὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται. *Virg.* 4. *Æn.* 67. tacitum vivit sub pectore vulnus. *Id.* 3. *G.* 454. alitur vitium vivitque tegendo. *Petron. Sat.* 137. et languidus Auster Non patitur glaciem resoluta vivere terra. *Stat.* 6. *Theb.* 364. unde animi fluviis, quæ pabula ventis, Quo fonte immensum vivat mare. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (65). Cucumeres vivunt hausti in posterum diem, nec perfici queunt in cibis. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 65. Altera das nostro victurum nomen amori. *Stat.* 12. *Theb.* 446. vivunt odia improba. *Ovid.* 1. *Trist.* 7. 25. scripta. *Albinov.* 1. 265. facta ducis operosaque gloria rerum. *et* 3. 17. Vivere sermonibus hominum. Cf. *Stat.* 9. *Theb.* 574. — Hinc Part. præs.

*Vivens, entis,* absolute, substantivorum more, qui vivit, vivus. *Petron. Sat.* 125. *extr.* Quam male est extra legem viventibus! *Auson. Prof.* 26. 7. Et si qua cunctis cura viventum placet. *Vulg. interpr. Ps.* 26. 13. Credo videre bona Domini in terra viventium. *h. e.* in hac terra, ubi vivitur. — *Vivens* per antonomasiam est Christus, Dei filius. *Id. Apoc.* 4. 10. *et* 10. 6.

VIUS. *V.* voc. seq.

VĪVUS, a, um, adject. (vivo) Scriptio varia est, nam in Inscriptt. occurrit *veivos, vius, vibus, bivus, bibus.* V. *Inscr.* apud *Mommsen* et in *Bullett. arch. Nap.* — Sup. *Vivissimus* apud *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 379. 7. *Müll.* in libr. edit. *V.* tamen VIVIDUS. — Vivus est vita præditus, vivens, ζωός, ἔμψυχος (It. *vivente, vivo;* Fr. *vivant, vif;* Hisp. *viviente, vivo;* Germ. *lebend, lebendig;* Angl. *living, lively*).

I.) Proprie. — 1.°) De animalibus. — *a)* Universim. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Membra vivis hominibus complent. *Sall. Jug.* 65. *sub fin.* Si Jugurtham vivum aut necatum sibi traderet. *Cic. Mil.* 33. *a med.* Qui quum tantum ausus sit ultor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Roges Fabium, ut et patrem et filium vivos comburat. *et ibid.* 5. Adeo ut Cato vix vivus effugerit. *Virg.* 9. *Ecl.* 2. O Lycida, vivi pervenimus; advena nostri - ut possessor agelli Diceret: hæc mea sunt. *h. e.* vivendo ad hæc venimus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 74. (154). Ulcera atra lupini aridi decorticatique triti, supposito linteolo ad vivum corpus redigunt. *Phædr.* 2. 3. Devorare aliquem vivum. — *b) Vivus vidensque,* ζῶν καὶ παρών, qui plane sentit ac videt quod patitur. *Cic. Quinct.* 15. 50. *V.* VIDENS. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 47. 48. (152). Consecratus est vivus sentiensque oraculi jussu Euthymus pycta, semper Olympiæ victor. — *c) Vix vivus metu* vel *dolore* vel *frigore,* dicitur, qui præ metu vel dolore attonitus, vel frigore adstrictus jam mortuo similis videtur. *Cic.* 4. *Verr.* 77. *a med.* Itaque illum in jure metu conscientiaque peccati mutum atque exanimatum ac vix vivum relinquo. *Id.* 6. *Verr.* 40. 87. Quum Sopater esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. *et mox.* De statua, quum jam pæne obriguisset, vix vivus aufertur. *Inscr.* Patavina apud *Gruter.* 784. 1. FLAVIAE QVINTILLAE P. Q. F. (*h. e.* P. Quintilii filiæ) P. QVINTILLVS VIX DOLORE VIVVS ET SIBI *etc.* Similis huic locus in *alia* apud *eumd.* 660. 1. et *De-Lama Inscr. Parm.* p. 119. QVOD (*nomen*) EXPRIMENS DOLORE FVGIT ANIMA CORPORE. — *d) Me, te vivo,* formula pro me, te vivente. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. *ad fin.* Quum leges duos ex una familia, vivo utroque, magistratus creari vetarent. *Nepos Hannib.* 12. Qui, Hannibale vivo, numquam se sine insidiis futuros existimabant. *Auct. B. G.* 8. 21. *extr.* Numquam senatum tantum in civitate, illo vivo potui. *vivente lui.* — Sæpe est formula graviter affirmantis aut subirati. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 15. Neque illum me vivo corrumpi sinam. *et* 3. 4. 17. Numquam edepol, viva me, irridebit. *Id. Most.* 1. 3. 73. Siquidem vendundum est, pater vænibit multo potius, quam te, me vivo, umquam sinam egere. *Cic.* 4. *Att.* 16. *a med.* Cato affirmat, se vivo, illum non triumphare. — In Lapidibus sepulcralibus. *Inscr.* apud *Henzen Suppl. n.* 5092. CVCVMIO ET VICTORIA SE VIVOS FECERVNT. Adde *aliam* apud *Fabretti* p. 82. *n.* 115. et p. 84. *n.* 147. — 2.°) De plantis. *Ovid.* 15. *Met.* 891. Vivaque per rimas proceraque surgit arundo. *et* 4. *ibid.* 300. stagni ultima vivo Cæspite cinguntur. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *sub init.* Vivam sæpem prætulerunt. *h. e.* quæ constat ex virgultis et spinis radice viventibus.

II.) Translate dicitur de rebus vita carentibus. — *a)* Universim. *Plaut. Most.* 1. 3. 84. Vivum argentum. *h. e.* pecunia a danista fenore sumpta. Cf. *Rost. Comm. Plaut.* p. 134. Apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 32. (100). est hydrargyrus, *argento vivo, mercurio.* et *Horat.* 3. *Od.* 21. 23. Vivæ lucernæ, *ardenti.* et *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (19). *de lino asbestino.* Inventum est etiam quod ignibus non absumeretur. vivum id vocant. *incombustibile. Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (51). Viva calx. *h. e.* quæ postquam cocta fuit, aqua non est exstincta. *Id.* 36. *ibid.* 19. 30. (138). Vivi lapides. *h. e.* qui ferro percussi scintillas edunt. *Id.* 35. *ibid.* 15. 50. (175). Vivum sulphur, quod Græci apyron vocant, nascitur solidum, hoc est glæba: quo solum ex omnibus generibus medici utuntur Solum (cetera enim liquore constant et conficiuntur oleo incocta) vivum effoditur translucetque et viret. *Cels.* 5. 18. *n.* 13. Sulphur ignem non expertum, quod ἄπυρον vocatur. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 59. Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum. *Alii leg.* durum; sed perperam, est enim nativum, purum, solidum. *et* 2. *Fast.* 315. Antra laqueata tophis et pumice vivo. *h. e.* nativo, non factitio. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 181. vivoque sedilia saxo. *Id.* 2. *ibid.* 719. et *Liv.* 1. 45. *sub fin.* flumen vivum. *acqua corrente.* et *Varro* 5. *L. L.* 123. *Müll.* Fons, unde funditur e terra aqua viva. *Ovid.* 2. *Fast.* 250. Vivi fontes. *et* 4. *ibid.* 778. vivo proluе rore manus. *Virg.* 2. *G.* 469. Speluncæ vivique lacus. *Ovid.* 4. *Met.* 248. Vivus calor. *h. e.* qui est in vivo corpore. *Martial.* 12. 63. Greges ovium tincti colore vivo. *h. e.* nativo, non fucato. *Id.* 6. 49. Viva cupressus. *h. e.* vivax et quæ tempore non corrumpitur. *Id.* 10. 30. Nec languet æquor, viva sed quies ponti Pictam phaselon adjuvante fert aura. *h. e.* mare aura leniter agitatum. *Id.* 13. 79. Spirat in advecto, sed jam piger, æquore, mullus Languescit: vivum da mare, fortis erit. *vivum* opponit *advecto.* — *b)* In signis et tabulis *vivum* dicitur, quod eum plene refert, cujus est simile, *ritratto al vivo. Virg.* 6. *Æn.* 848. Excudent alii spirantia mollius æra, Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 47. Vidi artes veterumque manus variisque metalla Viva modis. — *c) Viva vox* est, quam auribus nostris ab ipso, qui loquitur, percipimus: et opponitur scriptis, lectioni et narrationi aliorum, *viva voce,* ἔμψυχος λόγος. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 2. *circa med.* Meis comitiis non tabellam vindicem libertatis, sed vivam vocem præ vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum, tulistis. *Quintil.* 2. 2. 8. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius præcipueque ejus præceptoris, quem discipuli et amant et verentur. *Seneca Ep.* 6. *a med.* et *Ep.* 33. *ad fin.* Plus tamen tibi et viva vox et convictus, quam oratio proderit. *Plin.* 2. *Ep.* 3. *ad fin.* Multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit. Adde *Senec.* 1. *Controv. præf. ante med.* — *d) Viva facta,* res gestæ, quarum durat memoria. *Nævius* apud *Gell.* 6. 8. Qui res magnas manu sæpe gessit gloriose, cujus facta viva nunc vigent. — *e) Vivi pectoris homo* apud *Arnob.* 3. p. 103. est minime stupidus aut fatuus, sed præstantis in-

genii, acuti, vividi et perspicacis. Sic *Plin.* 8. *Ep.* 6. *extr.* Scio, quam sit tibi vivus et ingenuus animus. Alii leg. *verus.* — Hinc absolute, substantivorum more

*Vivum*, i, n. 2. res, pars viva. ¶ 1. Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 39. (97). Scillæ bulbo aridis tunicis direptis quod reliquum e vivo est, consectum suspenditur. *Colum.* 4. *R. R.* 24. *ante med.* Vitem falce eradere vivo tenus. *sin sul vivo.* — Hinc *ad vivum resecare*, altius et usque ad vivam carnem. *Id.* 6. *ibid.* 12. Si sanguis in inferiore parte ungulæ est, extrema pars ipsius unguis ad vivum resecatur. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 43. (156). Vulnera circumcidere ad vivas usque partes. ¶ 2. Translate. *Cic. Amic.* 5. 18. Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse: neque id ad vivum reseco, ut illi, qui hæc subtilius disserunt. *h. e.* altius et accuratius expendo seu exigo. Similiter *Liv.* 22. 17. Dolor ad vivum adveniens. ¶ 3. Item *de vivo aliquid detrahere*, de ipso rei corpore. *Cic. Flacc.* 37. 91. Dat de lucro: nihil detrahit de vivo. *h. e.* de sorte et capite, *del capitale.* et 5. *Verr.* 50. 118. De vivo igitur erat aliquid resecandum, ut esset unde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur.

*Vivus*, i, m. 2. quilibet vivens. *Vulg. interpr. Luc.* 20. 38. Deus non est mortuorum sed vivorum. Adde *Ambros. De Parad.* 3. *n.* 43. — *Inscr.* apud *Cavedoni Marm. Mod.* 245. VIVVS VIVIS FECIT. Adde *alias* apud *Gruter.* 426. 3. et *Orelli n.* 494.

VIX, adverb. Ratione habita etymi factum videtur a *vis:* cf. μόγις, ejusd. significationis, a μόγος, labor. Alii tamen conjungunt cum ἦκα, sensim; alii cum *vigeo.* — Vix est cum vi, ægre, difficulter, μόγις, μόλις, σχολῇ (It. *appena, a mala pena, a stento;* Fr. *à peine;* Hisp. *a penas, apenas;* Germ. *kaum;* Angl. *hardly, scarcely, with difficulty*). Duplex præcipue est vocis usus, prout refertur I.) Ad modum; et II.) Ad tempus.

I.) *Vix* refertur ad modum. ¶ 1. Universim imminuendi ac pæne negandi vim habet. — *a) Plaut. Amph.* 1. 1. 174. Vix incedo inanis. *Lucil.* apud *Donat.* in *Ter. Eun.* 3. 2. 19. carcer vix carcere dignus. (*V.* tamen sub 2.) *Ter. Adelph.* 3. 2. 12. Vix sum compos mentis. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Iter angustum et difficile, quo vix singuli carri ducerentur. *et* 2. *ibid.* 28. Ex hominum millibus sexaginta vix ad quingentos esse redactos, dixerunt. *et* 3. *ibid.* 4. Brevi spatio interjecto, vix ut his rebus administrandis tempus daretur. *Cic.* 9. *Fam.* 8. *sub fin.* Quid est, sine his cur vivere velimus? mihi vero cum his ipsis vix; his autem detractis, ne vix quidem. *Id.* 2. *Nat. D.* 7. *sub fin.* Profluens amnis aut vix aut nullo modo; conclusa autem aqua facile corrumpitur. *Id.* 3. *Att.* 23. Scis, Clodium sanxisse, ut vix aut omnino non posset nec per senatum nec per populum infirmari sua lex. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 2. 2. Ego teneo ab accusando vix me hercule: sed tamen teneo. *Id. Pis.* 12. 27. Gabinius collegit ipse se vix; sed collegit tamen. — *b)* Sequente *nedum. Id.* 16. *Fam.* 8. Vix in ipsis tectis frigus vitatur: nedum in mari et via sit facile abesse ab injuria temporis. *nonchè.* Sic 34. 21. Vix clamorem eorum, nedum impetum tulere. — *c)* Interdum assumit *dum*, fortasse ad vim augendam, quicum etiam unam vocem conflat *vixdum.* Quum vix dum triginta dies in Syria fuisses. *appena trenta giorni.* — Duo hæc conjungit *Liv.* 24. 4. Puer vixdum libertatem, nedum dominationem, modice laturus. — *d)* Aliquando postulat *quin*, rarius *ut. Plaut. Most.* 1. 3. 46. Vix comprimor, quin involem illi in oculos. *Ter. Eun.* 5. 2. 20. Vix me contineo, quin involem in capillum. *Cic.* 16. *Fam.* 24. Ego vix teneor, quin accurram. — *Cajus Dig.* 41. 1. 7. *ante med.* Sed vix est, ut id obtineat. *appena si dà il caso, che* etc. — Eodem modo locuti sunt *Martian. ibid.* 30. 1. 111. et *African.* 16. 1. 19. — *e)* Pleonasmus est in illo *Plauti Pœn.* 1. 2. 27. Vix ægreque amatorculos invenimus. *Alii leg.* vix ægre. *Apul.* 1. *Met.* Vix et ægerrime. Similiter *Quintil.* 6. 4. *a med.* Illud vix saltem præcipiendum videtur, ne turbidus et clamosus tantum sit altercator. — *f)* Repetitum significationem auget. *Albinov.* 1. 167. Quin etiam corpus matri vix vixque remissum Exsequiis caruit, Livia, pæne tuis. — *g)* Cum genetivo. *Plaut. Cist.* 1. 3. 2. Satine vix reliquit deo, quod loqueretur, loci? Cf. *Lucan.* 2. 62. Vix tanti fuerat civilia bella movere. ¶ 2. Si *Donato* ad *Ter. Eun.* 3. 2. 19., ad *Adelph.* 3. 2. 12. et ad *Phorm.* 2. 3. 26., creditur, est pro *non* in illo *Lucil.* carcer vix carcere dignus.

II.) *Vix* refertur etiam ad tempus. ¶ 1. Universim. — *a)* Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Advenio Acherunte vix — *b)* Sequente *tandem. Ter. Andr.* 3. 1. 12. Ah, vix tandem sensi, stolidus? *Cic.* 3. *Fam.* 9. Vix tandem legi litteras dignas Appio. *Catull.* 62. 2. Vesper Olympo Exspectata diu vix tandem lumina tollit. — *c)* Conjungitur sæpe particulæ *quum*, ad successionem significandam duarum rerum, quæ simul fiunt. *Cæs.* 6. *B. G.* 7. Vix agmen novissimum extra munitiones processerat, quum etc. *Cic.* 6. *Verr.* 40. 86. Vix erat hoc plane etiam imperatum, quum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres. *Id.* 12. *Fam.* 4. *a med.* Dolabella valde vituperabatur, quod tibi tam cito succederet, quum vix dum triginta dies in Syria fuisses. *Id.* 9. *Att.* 2. *ad fin.* Vix dum epistolam legeram, quum etc. — *d)* Et *dum. Ter. Phorm.* 4. 2. 4. Vix dum dimidium dixeram: intellexerat. Adde *Cic.* 1. *Cat.* 4. 10. — *e)* Sequente *et* vel *que* pro *quum*, apud Poetas. *Virg.* 5. *Æn.* 857. Vix primos inopina quies laxaverat artus, Et super incumbens etc. *Stat.* 5. *Theb.* 263. vix primus ab ira Pallor et impulsis surgunt ad prœlia mensis. *Val. Flacc.* 4. 508. *de Vesuvio.* vix dum ignes montem Torsit hiems jamque Eoas cinis induit urbes. — Et omissa particula. *Virg.* 3. *Æn.* 90. Vix ea fatus erat: tremere omnia visa repente. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 659. et *Apul.* 3. *Met.* ¶ 2. Pro *statim*, si *Nonio* 4. 407. creditur. *Varro ibid.* Vix vulgus confluit, non furiarum, sed puerorum atque ancillarum.

**Homonym.** Differt *vix* ab *ægre;* hoc enim est modo gravi, molesto, laborioso, et opponitur τῷ *facile:* illud imminuit ac pæne negat, et opponitur τῷ *omnino non, nullo modo. Cic. Senect.* 20. 72. Conglutinatio recens ægre, inveterata facile divellitur. *Id.* 2. *Nat. d.* 7. *sub fin.* Profluens amnis aut vix aut nullo modo,

VIX, vicis. *V.* VICIS.

VIXDUM. *V.* VIX.

VIXET et

VIXSIT. *V.* VIVO init.

# VO

VOBISCUM. *V.* TU.

VŎCĀBĬLIS, e, adject. (voco) Comp. *Vocabilior.* — Vocabilis est idem quod vocalis. *Firmic.* 4. *Math.* 12. Facit homines vocabiles. *Gell.* 13. 20. *a med.* Sonus vocabilior est visus et amœnior. Alii leg. *vocalior.*

VŎCĀBŎLUM. *V.* VOCABULUM.

VŎCĀBŬLĀRĬTER, adverb. (vocabulum) secundum vocabulum, appellative. *Gloss. Cyrill.*

VŎCĀBŬLUM, i, n. 2. (voco) Etiam *vocabolum* scribitur in *Inscr.* apud *Boissieu Inscr. de Lyon p.* 578. *n.* 34. — Vocabulum est dictio, qua res singulæ vocantur aut voce efferuntur, λέξις (It. *vocabolo, voce, nome;* Fr. *dénomination, appellation, mot, terme;* Hisp. *denominacion, apelacion, vocablo;* Germ. *die Benennung, Bezeichnung, Name;* Angl. *word, term, denomination*). ¶ 1. Stricto sensu. *Ter. Eun.* 2. 2. 33. Habent discipline vocabula. *Lucret.* 5. 1041. Proinde putare, aliquem tum nomina distribuisse Rebus et inde homines didicisse vocabula prima, Desipere est. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 62. Cui nomen neniæ, quo vocabulo etiam Græcis cantus lugubres nominantur. *Id.* 3. *Orat.* 40. 159. Si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut pes in navi etc. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 280. Vocabula rebus imponere. Adde 2. *Ep.* 2. 116. *Id. Art. P.* 71. Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque Quæ nunc sunt in honore vocabula. *Plin.* 2. *Ep.* 14. *sub fin.* Neque enim alio vocabulo potest exprimi. ¶ 2. Strictiore sensu pro nomine proprio. *Tac.* 12. *Ann.* 66. Deligitur artifex talium, vocabulo Locusta. *Id.* 13. *ibid.* 12. Liberta, cui vocabulum Acte fuit. *Ovid.* 3. *Fast.* 511. Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sumes. ¶ 3. Et pro cognomento. V. *Tac. loc. cit.* in VITIS. ¶ 4. Item sumitur etiam pro nomine, ut accipitur a grammaticis, et a verbo distinguitur. *Varro* 8. *L. L.* 11. *Müll.* Aristoteles duas partes orationis esse dicit, vocabula et verba, ut homo et equus, et legit et currit. *Seneca Ep.* 58. Cogor verbum pro vocabulo ponere: sed si id necesse est, ponam.

**Homonym.** Differunt *nomina* et *vocabula*, ut docet *Varro* 8. *L. L.* 80. *Müll.*, quia nomina finita sunt et significant res proprias, ut *Paris, Helena;* vocabula autem infinita et res communes designant, ut *vir, mulier. Id.* 10. *ibid.* 20. Non enim idem oppidum et Roma, quum oppidum sit vocabulum, Roma nomen. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 23., *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (121). et *Non. p.* 354. 14. *Merc.* Non est tamen res ita intelligenda, ut *nomen* indicet omnino quod proprium et singulare est, ut Tullius, Roma etc., sed quod ita proprie rem exprimat, ut ne ab alio vox sumatur et illi accommodetur. Hinc *Cic.* 3. *Orat.* 40. 159. Si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut pes in navi. — Item *vocabulum* distinguitur *a verbo*, ut supra dictum est. *Varro* 8. *L. L.* 11. *M., Gell.* 3. 12. et *Quintil.* 9. 4. 24. V. VERBUM. — Fuerunt, qui *vocabulum* ab *appellatione* diducerent, ut esset *vocabulum* corpus visu tactuque manifestum, ut domus, lectus: *appellatio*, cui vel alterum deest vel utrumque, ut ventus, cælum, virtus. *Quintil.* 1. 4. *a med*,

VŎCĀCĬO. *V.* VOCATIO.

VŌCĀLIS, e, adject. (vox) Comp. *Vocalior* et Sup. *Vocalissimus* sub *A* I. 1. — Vocalis adhibetur *A)* Active; et *B)* Passive.

*A)* Active duo præcipue significat.

I.) *Vocalis* dicitur, qui est magnæ vocis, sonorus, φωνήεις, εὔφωνος (It. *risonante, sonoro;* Fr. *sonore, retentissant;* Hisp. *sonoro, resonante;* Germ. *ertönend, tönend, sprechend;* Angl. *resounding, sonorous*). ¶ 1. Proprie. *Horat.* 1. *Od.* 12. 7. vocalem temere insecutæ Orphea silvæ. *h. e.* fidibus præstantem. *Ovid.* 11. *Met.* 317. Carmine vocali clarus citharaque Philammon. *Tibull.* 2. 5. 3. vocales impellere pollice chordas. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 29. Vocaliora sunt vacua, quam plena. *Quintil.* 8. 3. *ante med.* Ut syllabæ e litteris melius sonantibus clariores sunt, ita verba e syllabis magis vocalia. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 58. 83. (227). Ranæ vocales et mutæ. *Id.* 9. *ibid.* 19. 34. (70). Piscis vocalis. *Id.* 11. *ibid.* 28. 34. (98). Scarabæi nocturno stridore vocales. *Id.* 10. *ibid.* 51. 72. (141). Aves cantu aliquo aut humano sermone vocales. *Calpurn.* 3. *Ecl.* 61. Vocalis aedon. *Plin.* 4. *Ep.* 7. Eligere vocalissimum aliquem, qui legeret. ¶ 2. Translate. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 6. et 5. *ibid.* 5. 2. Vocales undæ (*Castaliæ*). *h. e.* quæ vocem et carmina iis, qui biberint, tribuere dicuntur. — *Vocales pedes*, in versibus, sunt qui alte producta locutione sonantibus litteris universam dictionem illustrant, ut ait *Diomed.* 3. *p.* 498. 26. *Keil.*

II.) *Vocalis* ponitur etiam simpliciter pro eo qui vocem habet, qui est in numero loquentium. ¶ 1. Generatim. — *a)* Proprie. *Cic. Brut.* 69. 242. Addamus huc etiam, ne quem vocalem præteriisse videamur, C. Cosconium. *Val. Max.* 1. 8. *extern. n.* 4. *de miraculis.* Ægles Samius athleta mutus, quum ei victoriæ, quam adeptus

erat, titulus et præmium eriperetur, indignatione accensus vocalis evasit. — *b)* Translate. *Stat.* 1. *Theb.* 492. monitusque datos vocalibus antris. *h. e.* in quibus oracula et responsa dantur. ¶ 2. Speciatim pro eo, qui humana voce loquitur. *Tibull.* 2. 5. 78. Fataque vocales præmonuisse boves. *Propert.* 2. 25. 37. vocalis equus. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 716. — Tria sunt instrumenti villatici genera: vocale, semivocale et mutum: vocale, in quo sunt servi: semivocale, in quo sunt boves: mutum, in quo sunt plaustra. *Varro* 1. *R. R.* 17.

*B)* Passive. ¶ 1. *Vocales litteræ*, sive absolute *vocales*, apud Grammaticos, γράμματα φωνήεντα, sunt illæ, quæ per se sine consonantibus pronuntiari possunt, quia per se quasi vocem faciunt, ut *a, e, i, o, u*, et in Græcis dictionibus etiam *y*. *Cic. Orat.* 23. *a med.* Habet enim ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam. *Quintil.* 1. 4. *ante med.* Veteres geminatione earum (*vocalium*) velut apice utebantur. *Id. ibid.* 7. *ante med.* Usque ad Accium et ultra, porrectas syllabas geminis vocalibus scripserunt. *Scaurus p.* 2255. *Putsch.* Illa videntur esse vitiosa, quod Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit, quum alioqui adjecto vel sublato apice longitudinis et brevitatis nota posset ostendi. V. *Borghesi Dec.* 16. 2. *sub init.* Adde *Quintil.* 1. 7. 26. et *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. — *Vocales biformes* dicuntur *e* et *o*, quia pro binis Græcis apud Latinos ponuntur, ut tradit *Mar. Victorin.* 1. 3. 16. *p.* 7. 23. *Keil.* — *Vocales dichronæ*, quæ corripi et produci possunt, ancipites. *Comm.* in *Donat. p.* 224. *Hag.*, quas *Priscian. p.* 324. 5. *Keil.* vocat *bitempores*. — Aliæ sunt *breves, longæ, mediæ, liquidæ, mobiles, stabiles* etc. de quibus V. *Grammat. vet.* ¶ 2. *Vocalis* est etiam qui voce effertur seu pronuntiatur, apud *Veget.* 3. *Milit.* 5. qui docet, tria esse in exercitu signorum militarium genera. Vocale dicitur signum, quod voce humana et verbis pronuntiatur: semivocale, quod voce sine verbis, tuba scilicet, buccina, cornu: mutum aquilæ, dracones, vexilla, pinnæ etc. — Hinc

*Vocalis, is*, 3. absolute, substantivorum more. ¶ 1. *Vocalis*, masc. gen., est qui voci et cantui operam dat, *musico*. *Lamprid. Alex. Sev.* 34. Vocales exoletos et omnia acroamata et pantomimos populo donavit. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *ad fin.* Nec sub phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat. ¶ 2. *Vocalis*, fem. gen., apud Grammaticos, *V.* supra.

VŌCĀLĬTAS, ātis, f. 3. (vocalis) consonantia, *consonanza*, εὐφωνία. *Quintil.* 1. 5. 4. Sola quæ notari possit, velut vocalitas, quæ εὐφωνία dicitur: cujus in eo delectus est, ut inter duo, quæ idem significant ac tantumdem valent, quod melius sonat, malis. *Prob. Inst. gramm. p.* 387. *Putsch.* Quod semivocales per se proferentur, vocalitatis nomen attingunt. *Dosith. Gramm. p.* 40. 7. *K.* Ratio exigit *certe*, vocalitas vero *certo*. et *Max. Vict. Erot. Gramm.* 16. *de semivocalibus.* Habent partem vocalitatis, sed per se syllabam facere non possunt. Adde *Donat.* in *Ter. Andr.* 3. 2. 25.

VŌCĀLĬTER, adverb. (vocalis) ¶ 1. Est magna voce. *Apul.* 1. *Met.* Januam firmiter oppessulatam pulsare vocaliter incipio. *h. e.* pulsare simul clamando et vocando. ¶ 2. Est etiam per vocem seu vocabulum. *Tertull. advers. Prax.* 3. Μοναρχίαν, inquiunt, tenemus, et ita sonum ipsum vocaliter exprimunt etiam Latini.

VŎCĀMEN, ĭnis, n. 3. (voco) nomen, appellatio, *nome, vocabolo*, ὄνομα. *Lucret.* 2. 655. Bacchi nomine abuti Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen. *Solin.* 5. *a med.* Tibiæ puellatoriæ, quibus a sono clariore vocamen datur. Adde *Arnob.* 4. *p.* 128. et 7. *p.* 251.

VŎCANS, antis, particip. *V.* VOCO.

VŎCĀTĬO (vocacio), ōnis, f. 3. (voco) *Vocatio* pro *vacatio*. V. VACO, VACATIO. — Vocatio est actus vocandi, κλῆσις (It. *chiamata*; Fr. *action d'appeler, appel*; Hisp. *el acto de llamar, nombrar*; Germ. *das Rufen, Anrufen*; Angl. *calling, nomination, vocation*). ¶ 1. Generatim. *Gloss. Cyrill.* Κλῆσις, citatio, invitatus, vocatus, vocacio. ¶ 2. Speciatim est invitatio ad cenam, *invito*. *Catull.* 47. 5. Vos convivia lauta sumptuose De die facitis: mei sodales Quærunt in trivio vocationes. *h. e.* eo miseriæ sunt redacti, ut quærant, a quibus vocentur ad cenam. *Justin.* 37. 4. 1. Non in convivio, sed in campo, non in vocationibus, sed in exercitationibus. Alii leg. *vacationibus*. ¶ 3. Item actio vocandi in jus, *citazione*, πρόσκλησις. *Varro* apud *Gell.* 13. 12. In magistratu habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum. Adde *Atejum Capiton. ibid.* et rursus *Varron. ibid.* 13. Ubi *Gell.* Non pauci existimabant, jus vocationis in eum prætori non esse. ¶ 4. Item, apud Ecclesiasticos scriptores, actio divina, qua quis ad veram religionem vocatur ac proinde ad vitam æternam, *vocazione*: cui *abjectio* opponitur. *Hieronym.* in *Is.* 7. 17. et *Augustin. Don. persev.* 33. ¶ 5. Item electio divina ad aliquod munus, dos divinitus immissa. *Vulg. interpr.* 1. *Cor.* 7. 20. et *Alcim. Avit. ep.* 28.

VŎCĀTĪVĒ, adverb. (vocativus) ¶ 1. Est vocando. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 114. 2. *Müll.* ¶ 2. Item casu vocativo. *Gell.* 13. 22. Varro, Nerienes, vocative dicit in his versibus.

VŎCĀTĪVUS, a, um, adject. (voco) ad vocandum spectans, vocando inserviens, κλητικός. *Boeth.* in *Arist. De interpr.* ed. pr. *p.* 216. Vocativa oratio. *Priscian.* 18. *p.* 1164. *Putsch.* verba. — *Vocativus casus* vel *vocativus* absolute, κλητικὴ πτῶσις, per quem aliquem vocamus. *Gell.* 14. 5. In casu vocativo *vir egregi* dicendum contenderet. — *Charis. p.* 23. 23. *Keil.* Vocativus pluralis. Adde *Diomed. p.* 330. 6. *ibid.*

VŎCĀTOR, ōris, m. 3. (voco) universim qui vocat, κλήτωρ, κλητήρ: speciatim vero ¶ 1. *Vocatores* dicti sunt, quibus datum erat invitandi negotium, sive qui ipsi vocabant ad cenas. *Seneca* 3. *Ira* 37. *a med.* Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi præferebatur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (89). Invitatus ad regis cenam venit, indignantique Ptolemæo et vocatores suos ostendenti, ut diceret, a quo eorum invitatus esset etc. *Sueton. Cal.* 39. Compererat, provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur. *V.* VOCATIO. ¶ 2. Apud Ecclesiasticos scriptores, qui ad vitam supernaturalem seu ad veram religionem invitat. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 461. Paulus vocator gentium. Adde *Ambros.* in *Luc.* 3. 33.

VŎCĀTŌRĬUS, a, um, adject. (voco) ad vocandum pertinens, ἐκλητικός. *Tertull. Anim.* 47. Si qua (*somnia*) honesta, sancta, revelatoria, ædificatoria, vocatoria.

VŎCĀTUS, a, um, particip. *V.* VOCO.

VŎCĀTUS, us, m. 4. (voco) vocatio, appellatio, κλῆσις. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 2. Mane Idib. Septembr. et ille et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Adde *Apul.* 10. *Met.* ¶ 2. Speciatim est invitatio. *Sueton. Cal.* 39. Misit qui diceret, cenaturum apud Cæsarem vocatu ipsius. ¶ 3. Item invocatio. *Virg.* 12. *Æn.* 95. o numquam frustrata vocatus Hasta meos. *h. e.* invocationes et preces.

VŌCĬDUCTUS, us, m. 4. (vox *et* duco) fistula, quæ sonum ducit. *Hieronym. Ep.* ad *Dardan.* ed. *M.* II. *p.* 542.

VŌCĬFĔRĀRĬUS, ĭi, m. 2. (vox *et* fero) qui artem canendi docet. *Gloss. Cyrill.*

VŌCĬFĔRANS, antis, particip. *V.* VOCIFEROR.

VŌCĬFĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (vociferor) actus vociferandi, clamor, κραυγή, βοή (It. *grido*; Fr. *grand cri, clameur, vociferation*; Hisp. *grito, clamor*; Germ. *das laute Rufen, Schreien*; Angl. *clamour, cry*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 60. 156. An te L. Flavii ceterorumque de L. Herennio vociferatio commovebat? *Id. Cluent.* 10. *sub fin.* Nam in ipso sermone hoc et vociferatione mortua est. *Id.* 3. *Herenn.* 12. *ad fin.* Acuta exclamatio habet quiddam illiberale et ad muliebrem potius vociferationem, quam ad virilem dignitatem, in dicendo accommodatum. *Sueton. Claud.* 36. Lacrimis et vociferatione miseratus est condicionem suam. *Petron. Sat.* 14. *a med.* Magna vociferatione clamare. ¶ 2. Speciatim est oratio vehementer prolata. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 14. (31). Exstant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni etc.

VŌCĬFĔRĀTOR, ōris, m. 3. (vociferor) qui vociferatur. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 11. Johannes vociferator in solitudine.

VŌCĬFĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* VOCIFEROR.

VŌCĬFĔRĀTUS, us, m. 4. (vociferor) idem quod vociferatio, clamor. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 79. (164). Cum vociferatu sanguinem profundunt.

VŌCĬFĔRO, as, are. *V.* voc. seq.

VŌCĬFĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *et* vocifero, as, atum, are, n. 1. (vox *et* fero) Part. *Vociferans* sub *A* I. 1. 1.° *b* et II. et *B*; *Vociferatus* sub *A* I. 1.° *e* et 2.° et *B*. — Vociferor est vehementer exclamo, majorem vocem emitto, κράζω, βοάω (It. *gridare forte*; Fr. *crier fort*; Hisp. *gritar mucho*; Germ. *laut rufen, schreien*; Angl. *to cry greatly*). Usurpatur tum intransitive, tum transitivorum more.

*A) Vociferor*, deponentis forma, et quidem

I.) Intransitive. ¶ 1. Proprie. — 1.°) De hominibus. — *a)* Absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 18. *ad fin.* Militari absenti Diodoro, vociferari palam, lacrimas interdum vix tenere. — *b)* Cum Infinito. *Ascon. in Divin. Verr.* 5. Siculi accusatorie vociferantes. *Cic. Rabir. Post.* 8. 21. Quid vociferabare, decem milia talentum Gabinio esse promissa? *Liv.* 10, 29. Pontifex Livius vociferari, vicisse Romanos. — *c)* Cum partic. interrog. *Id. ibid.* 28. *a med.* Vociferari Decius, quo fugerent? quamve in fuga spem haberent? — *d)* Cum partic. *ut* et Conjunctivo. *Id.* 3. 41. Vociferari, ut de re publica liceret dicere. Adde 7. 12. — *e)* Cum Abl. et præp. *de*. *Id.* 6. 14. Vociferatus de superbia patrum ac crudelitate feneratorum. — 2.°) De brutis animantibus. *Colum.* 8. *R. R.* 13. Adventu Gallorum (*anser*) vociferatus est canibus silentibus. Adde *Plin.* 32. *Hist. nat.* 8. 29. (92). ¶ 2. Translate. *Lucret.* 2. 1049. res ipsaque per se vociferatur. *h. e.* loquitur, testatur, ostendit. Sic 1. 732. Carmina quin etiam divini pectoris ejus Vociferantur et exponunt præclara reperta. *Id.* 2. 450. Æraque quæ claustris restantia vociferantur. *h. e.* sonitum edunt, strident.

II.) Transitivorum more. *Virg.* 2. *Æn.* 679. Talia vociferans. Adde *Vulg. interpr.* 2. *Reg.* 19. 28. *Id. Jer.* 11. 6. Vociferare omnia verba hæc in civitatibus.

*B) Vocifero*, activa forma, idem ac vociferor. *Varro* 3. *R. R.* 9. *de gallis gallinaceis.* Item qui elati sunt ac vociferant sæpe, in certamine pertinaces. Tribuitur etiam *Livio* 7. 12. *in fin.* 8. 38. *ad fin.* et *alibi*, ex MSS. et *Cicer.* 4. *Verr.* 21. 52. et 6. *ibid.* 18. 39., sed plerique alii his locis *vociferari*. Cf. *Cassiod.* 9. *Variar.* 19. — Passive impersonaliter. *Liv.* 24. 21. Vociferatum fortiter.

VŌCĬFĬCANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

VŌCĬFĬCO, as, are, n. 1. (vox *et* facio) Part. *Vocificans*. — Vocifico est idem quod vociferor, voce declaro. *Varro* 3. *R. R.* 16. *de apib.* A se ejiciunt fucos, quos vocificantes persequuntur. Alii leg. *vociferantes*. — Etiam cum Acc. *Gell.* 9. 3. Demosthenis orationes contionesque vocificant. Alii leg. *notificant*.

VOCIMUS. *V.* VOCONIUS.

VŎCĬTANS, antis, particip. *V.* VOCITO.

VŎCĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (vocito) actus vocitandi. *Fulgent. Virg. Cont. p.* 144. *Munck.* Nominis vocitatio.

VŎCĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

VŎCĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (voco) Part. *Vocitans* II.; *Vocitatus* I. — Vocito

I.) Est frequentat. a voco et significa voco frequenter vel ex more voco, appello (It. *chia-*

mare, nominare, chiamare spesso, di solito; Fr. nommer habituellement, dénommer; Hisp. nombrar, llamar habitualmente, amenudo; Germ. zunennen pflegen, nennen; Angl. to name, to call frequently, as usual). Lucret. 6. 297. quod patrio vocitamus nomine fulmen. Varro 5. L. L. 162. Müll. Ubi cenabant, cenaculum vocitabant. Cic. in Arat. 2. Nat. D. 43. 111. Has Græci stellas Hyadas vocitare suerunt. Nepos Dion. 10. Qui vivum eum tyrannum vocitarant, eumdem liberatorem patriæ prædicabant. — Passive. Varro 6. L. L. 58. Müll. Ab eo (verbo Græco νέος) itaque Neapolis illorum Novapolis ab antiquis nostris vocitata. Cic. Rabir. Post. 9. 23. Demetrius, qui Phalereus vocitatus est. Liv. 4. 51. extr. Servius Romanus vocitatus. Plin. 3. Hist. nat. 9. 14. (93). Lipara antea Melegonis vocitata. Tac. 5. Hist. 2. Accolas Idæos, aucto in Barbarum cognomento, Judæos vocitari. Inscr. apud Orelli n. 4430. II QVI PLAVTI VOCITABVNTVR.

II.) Est etiam intens. a voco et significat alte, vehementer voco, chiamare ad alta voce, gridando e con impeto. — Absolute Tac. 2. Hist. 41. Incertus undique clamor occurrentium, vocitantium. Alii tamen aliter leg. V. VOCO.

**VŎCĬTUS**, a, um, particip. pro vocatus, ut probitus, rogitus loco probatus, rogatus. Inscr. apud Gruter. 378. 1. et apud De-Rossi Inscr. Christ. T. 1. n. 211. V. Fabrett. c. 5. n. 380.

**VŎCĪVUS**. V. VACIVUS.

**VŎCO**, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vox) Vocarier, parag. pro vocari, apud Plaut. Capt. v. 1024. — Vocitus pro vocatus V. suo loco. — Part. Vocans sub A I. 1. et 3. et B; Vocatus sub A I. 2. a, d, h et 3.; Vocaturus sub A I. 1.; Vocandus sub A I. 4. — Voco tria præcipue significat.

A) Voco sæpius est voce arcesso, advoco, καλέω, φωνέω (It. chiamare; Fr. appeler; Hisp. llamar; Germ. rufen; Angl. to call): construitur autem sæpe cum addito Acc. et præp. ad, in; rarius cum Infinito.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Plaut. Curc. 2. 3. 24. Heus Curculio! te volo. CVRC. quis vocat? quis nominat me? Id. Capt. 2. 2. in fin. Vin vocem patrem huc ad te? TYN. voca. Cæs. 5. B. G. 42. Nutu vocibusque hostes, si introire vellent, vocare cœperunt. Id. 3. B. C. 105. Ejus rei causa senatores omnes ex provincia vocasse, ut iis testibus uteretur. Id. 1. B. G. 20. ad fin. Dumnorigem ad se vocat. et 2. B. C. 1. Ad ea perficienda opera magnam jumentorum atque hominum multitudinem ex omni provincia vocat. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 47. 144. Vocare in contionem. Virg. 10. Æn. 2. Conciliumque vocat Divum pater. Id. 11. ibid. 730. variis instigat vocibus alas, Nomine quemque vocans. Ovid. 1. Met. 167. Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos. Liv. 5. 47. a med. Vocare classico ad concilium milites. Id. 36. 20. senatum. Alii in senatum. et 44. 20. Extemplo senatum vocaturi consules. Tac. 4. Hist. 14. Vocare juventutem ad delectum. Id. 1. Ann. 29. contionem. Justin. 14. 1. 10. milites ad contionem. ¶ 2. Speciatim est invitare, invitare. — a) Sollemne verbum est invitandi ad cenam. Plaut. Stich. 4. 4. 19. Solus cenabo domi? GEL. non enim solus, me vocato. Id. ibid. 1. 3. 28. Nulli negare soleo, si quis esum me vocat. Ter. Phorm. in fin. Me ad cenam voca. NAVS. pol vero voco. Cic. 6. Att. 3. sub fin. Hunc ego patris causa vocavi ad cenam, quo die venit. Adde Nepot. Att. 14. — Plaut. Capt. 1. 2. 69. Numquo foras vocatus ad cenam? invitato. V. VOCATOR. Adde Ter. Andr. 2. 6. 22. — Et absolute. Plaut. Capt. 1. 1. 7. Nos parasiti, quos numquam quisquam neque vocat neque invocat. Ter. Phorm. 4. 4. 21. Spatium apparandis nuptiis, vocandi, sacrificandi dabitur paululum. Plaut. Asin. 4. 1. 23. Vocet convivam neminem illa: tu voces. Sueton. Tib. 53. Quondam inter cenam porrecta a se poma gustare non ausam, etiam vocare desiit. — b) Vocare ad sacra, idem est ac inaugurare; nam quum novus sacerdos electus et cooptatus esset in aliquo sacerdotio, ad sacra, h. e. ad sacrificia, vocabatur, ut nempe eorum, quæ ipsius collegæ fecerant, particeps esset. Inscr. Frat. Arv. apud Marin. n. 1. Cn. Lentulus augur magister in locum L. Pauli Drusum Cæsarem Ti. F., Augusti N. arvalem cooptavit et ad sacra vocavit. — c) Vocare in jus, ad magistratum, Italice citare, chiamare in giudizio, προσκαλεῖν. Cic. Quinct. 19. ad fin. Vadari vis: promittit. in jus vocas: sequitur. Varro apud Gell. 13. 12. a med. Tribuni etiam consulem in rostra vocari jusserunt. ego triumvir vocatus a Porcio trib. pleb. non ivi auctoribus principibus; et vetus jus tenui. Item tribunus quum essem, vocari neminem jussi, neque vocatum a collega parere invitum. — Sic vocare in judicium, adducere, ut de eo a judicibus sententia feratur. Cic. 1. Orat. 57. 241., 3. Verr. 12. ad fin. et Balb. 28. 64. Sic Ovid. 1. Pont. 5. 20. sub judicium singula verba vocem. — d) Similia sunt et illa Cic. 2. Orat. 72. 291. Rem in disceptationem aut controversiam vocare. et pro leg. Manil. 5. 12. Salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur. et 7. Verr. 4. sub fin. Leonidæ familia in suspicionem vocata est conjurationis. — e) Vocare aliquid ad judicem, quod dixit Quintil. 2. 4. ad fin., est referre ad judicem, ut de eo sententiam ferat. — Hinc Cic. 4. Acad. (2. pr.) 18. 56. Me ad Democritum vocas, cui non assentior. Sic Tac. 1. Ann. 6. extr. Ne Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando. — f) Vocare in crimen, reum facere, insimulare, accusare. Cic. Rabir. perduell. 8. extr. et 7. Verr. 50. ad fin. et Nepos Tim. 3. ad fin. Sic Ovid. 4. Pont. 14. 41. At malus interpres populi mihi concitat iram Inque novum crimen carmina nostra vocat. — g) Simile est vocare in invidiam, odium, adducere, invidiam conflare. Cic. 2. Phil. 24. a med. Ne me apud milites in invidiam voces. Id. 1. Off. 25. 86. Falsis criminibus in odium aut invidiam quemquam vocare. Adde Sext. 43. 93. — h) Vocata est opera vel res, dicit apud Plaut. Stich. 3. 2. 17. et Curc. 4. 4. 7. qui vocatus ad cenam excusat se, quod alteri jam promisit. — i) Casus vocandi, qui et vocativus, est quintus inter casus nominum: ita dictus, quia illo utimur, quum vocamus. Nigid. apud Gell. 13. 25., ipse Gell. 14. 5., Charis., Diomed. Priscian. etc. ¶ 3. Item invocare, implorare, quæsere, invocare: præsertim deos. Virg. 6. Æn. 247. Voce vocans Hecaten cæloque Ereboque potentem. (voce vocare dixit idem etiam 4. ibid. 680. et 12. ibid. 638., item Tibull. 2. 1. 83. et Justin. 38. 7. a med: ubique autem est invocare, in auxilium vocare.) et 5. 686. Auxilioque vocare deos et tendere palmas. Horat. 1. Od. 14. 10. Non tibi sunt dii, quos iterum pressa voces malo. Virg. 5. Æn. 234. Vocare deos in vota. Adde 1. G. 157. Cf. ibid. 388. Horat. Epod. 5. 5. si vocata partubus Lucina veris affuit. — Cum infinito. Id. 1. Od. 18. 38. hic levare functum Pauperem laboribus vocatus atque non vocatus audit. ¶ 4. Item nomine suo appellare, nominare, appellare. Virg. 4. Æn. 171. Nec jam furtivum Dido meditatur amorem: Conjugium vocat: hoc prætexit nomine culpam. Ovid. 14. Met. 246. neque enim finito Marte vocandus Hostis es. Cæs. 5. B. G. 21. Oppidum Britanni vocant, quum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt. Sall. Cat. 57. Alii alios increpantes, timidos vocant. et Jug. 21. circa med. Ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant. Cic. fragm. apud Augustin. 2. contra Acad. 11. Quæ si tu alio nomine vis vocare, nihil repugno. Liv. 45. 33. sub fin. Ad Spelæum, quod vocant, biduum moratus. Justin. 15. 4. 8. Urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit. Tac. 12. Ann. 34. Vocabatque nomina majorum, qui dictatorem Cæsarem pepulissent. h. e. memorabat, recitabat. — Et passive vocari, nomen habere, appellari, nominari. Plaut. Aulul. 4. 10. 49. Meus fuit pater Antimachus: ego vocor Lyconides. Ter. Adelph. 5. 6. 3. O qui vocare? GE. Geta. Id. ibid. 7. 13. Euge, jam lepidus vocor. Id. Eun. 2. 2. 33. Parasiti ut Gnathonici vocentur. Id. Phorm. prol. 25. Epidicazomenon quam vocant comœdiam Græci Latini Phormionem nominant. Adde Horat. carm. sæcul. 15. — Vocare nomen suum, h. e. insigne et perpetuum reddere, apud Vulg. interpr. Ps. 48. 12.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — a) De rebus inanimis, quæ ad aliquid invitare videntur. Virg. 3. Æn. 70. lenis crepitans vocat Auster in altum. Ovid. Remed. am. 532. Quoque vocant fluctus, hac tibi remus eat. Liv. 28. 15. a med. Carthaginienses fessos nox imberque ad necessariam quietem vocabat. Id. 24. 36. sub fin. Ut quocumque vocasset defectionis ab Romanis spes, admoveret exercitum. Auct. B. Hisp. 24. Hæc res necessario vocabat, ut ad dimicandum descenderet. Phædr. 3. prol. aliquæ venient feriæ, Quæ me soluto pectore ad studium vocent. — Cum infinito. Lucret. 5. 943. sedare sitim fontes fluviique vocabant. — b) Vocare offensas apud Tac. 4. Hist. 80. a med. est provocare. — Similem sensum habere videtur in ludo talorum. Ovid. 3. Art. am. 355. modo cogitet apte, Quam subeat partem callida, quamque vocet. Mazzonius ita exponit, ut subire partem sit eligere punctum aliquod, ut vincaris, si exierit; vocare, ut vincas. — c) Vocare aliquem in partem, invitare, ut particeps sit cujuspiam rei. Cic. Cæcin. 4. extr. Itaque in partem (hereditatis) mulieres vocatæ sunt. Virg. 3. Æn. 223. ipsumque vocamus In prædam partemque Jovem. Tac. 1. Ann. 11. Vocare aliquem in partem curarum. Sic Justin. 5. 2. a med. in portionem muneris. — d) Vocare aliquem ad cælum, est laudare. Catull. 6. 16. volo te ac tuos amores Ad cælum lepido vocare versu. h. e. summis laudibus efferre. — e) Vocare ad calculos, ad computationem, adigere ad ineundas rationes, chiamare a conti. Cic. Amic. 16. a med. Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. (Adde Liv. 5. 4. circa med.) Plin. Paneg. 38. Nemo recentem et attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, scire. — f) Vocare in dubium, dubiam rem facere. Cic. 2. Invent. 28. ante med. Injuria ita perspicua, ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur. ¶ 2. Speciatim est trahere, pertrahere. Id. 1. Cat. 5. a med. Templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium et vastitatem voces. Id. 3. Att. 7. Ne et meum mœrorem exagitem et te in eumdem luctum vocem. ¶ 3. Item invitare, allicere. Id. ibid. Quod me ad vitam voces, unum efficis, ut a me manus abstineam. Planc. ad Cic. 10. Fam. 7. sub fin. Quarum rerum spe ad laudem me vocasti. Cic. 3. Att. 15. a med. Hæc nisi vides expediri, quam in spem me voces? ¶ 4. Poetice est præsagire in illo Virg. 1. G. 388. Tum cornix rauca pluviam vocat improba voce. Ubi Servius: vocat, poetice ait, non enim vocat, sed denuntiat pluviam. Et notandum, cornicem et rauca voce, et solam, pluviam prædicere. Id. ibid. 157. votisque vocaveris imbrem. Lucret. 5. 1083. cornicum ut secla vetusta Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbres Poscere et interdum ventos aurasque vocare. ¶ 5. Pro appellare, h. e. alloqui. Petron. Sat. 113. a med. Nec Giton me aut tralaticia propinatione dignum judicabat, aut quod minimum est, sermone communi vocabat. ¶ 6. Item revocare, avocare. Cic. Dejot. 11. 30. Dejotarus vestram familiam abjectam et obscuram e tenebris in lucem vocavit. Alii leg. evocavit; alii revocavit. Id. 12. Att. 37. sub fin. Quod me a mœstitia vocas, multum levaris, si etc. Plerique alii leg. avocas. ¶ 7. Apud Ecclesiasticos scriptores est ad veram religionem suscipiendam allicere, invitare. V. VOCATIO. Vulg. interpr. Rom. 8. 30. et Eph. 1. 11. ¶ 8. Et ad aliquod munus in ipsa religione destinare. Id. 1. Cor. 7. 17.

B) Voco rarius est vocem edo, clamo: gridare, vociare: quæ videretur primitiva vocis

significatio, si certus foret usus. *Tac.* 3. *Hist.* 41. Incertus undique clamor adcurrentium, vocantium. Alii *vocitantium* vel *volitantium*: at *Gronov.* et *Meiser* leg. *clamantium*, quod *Valmaggio* glossema videtur. (V. *Heräus Herm.* XXI. p. 424. et seqq.) Cf. *Vulg. interpr. Exod.* 33. 19. Vocabo in nomine Domini. *pronuncierò ad alta voce.* — Huc facit vocis etymon, quod cl. *Furlanetto* petendum censet a Gr. βοῶ, clamo, ut a σπέος fit specus, c inserta.

*C*) *Voco*, apud Ecclesiasticos scriptores, est idem ac sum: sed hoc sensu passive usurpatur. *Vulg. interpr. Luc.* 1. 32. Et filius Altissimi vocabitur. Adde *Is.* 1. 26. Cf. *Joh.* 3. 18. Qui credit in nomine unigeniti Filii Dei. *h. e.* qui credit in eum, ut *ibid.* dicitur: *nomine* pro re ipsa.

VŎCŌNĬUS, a, um, adject. Dictum a *Voconia*, quod nomen gentis Romanæ est, de qua *V.* ONOM. Hinc *Voconia pira* a Voconio aliquo, qui ea primus severit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56). ubi dicuntur viridia et oblonga. *Harduin.* tamen leg. *vocima.*

VŎCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* vox, parva vox, *voce piccola, vocina,* φωνίον.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Att.* 23. Quum recreandæ voculæ causa necesse esset mihi ambulare. *per ricuperare la voce.* et *Propert.* 1. 16. 27. O utinam trajecta cava mea vocula rima Percussas dominæ vertat in auriculas! ¶ 2. Hinc latiore sensu dicitur de parvo sono. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 98. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones ac falsæ voculæ, quam certæ et severæ? ¶ 3. Item de parva seu brevi dictione, *paroletta.* *Gell.* 12. 14. de voce *saltem*. Significatio hujus voculæ. Adde *Terentian. De syll.* 32.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Incurrere in malevolorum voculas. *h. e.* detractiones, *dicerie, maldicenze.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

VŎCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (vocula) vocis quantitas, accentus, pronunciatio dictionis alicujus juxta accentum, *accentazione. Nigid.* apud *Gell.* 13. 25. Voculatio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi, an vocandi (*casus*) sint? nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est, quam prima etc. *Gell. ibid.* Quem accentum nos dicimus, voculationem appellat. *Id.* 13. 6. Quas Græci προσῳδίας dicunt, has veteres docti tum notas vocum, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant.

VŎCŬUS. *V.* VACUUS.

VOISGRA, æ, f. 1. avis, quæ se vellit: Augures fucillantem (*al.* felicitram *vel* fulicitram, *ut fuerit a* fulica) appellant. Ita *Fest.* p. 371. 3. *Müll.* Alii leg. *volsgra.*

VŎLA, æ, f. 1. duo diversa significat.

I.) *Vola* est cava pars manus et pedis, *palma della mano e cavità di sotto al piede,* θέναρ. *Isid.* 12. *Orig.* 7. 4. ducit a *volando*, nam in avibus *vola* media pars alarum, quarum motu pennæ agitantur. Recentiores vero, qui etyma et ipsi haud raro per vim extundunt veterum more, putant esse a rad. Skr. *gu*, curvo; unde factum *guola* et hinc *vola*, curvatura; idque sane in vocis significationem quadrat. *Fest.* apud *Paul. Diac.* p. 370. 7. *Müll.* Vola, vestigium medii pedis concavum: Sed et palma manus vola dicitur. *Serv.* in *Virg.* 2. *G.* 88. Vola, medietas palmæ et pedis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 105. (253). Vola homini tantum, exceptis quibusdam; namque et hinc cognomina inventa, Planci, Plauti, Scauri. *h. e.* qui planis pedibus essent et vola carentibus. *Prudent. Apotheos.* 927. numquid manus articulatim Est digesta Dei? numquid vola, numquid et ungues? — *Nec vola nec vestigium*, proverb. quo significamus, alicujus rei nullum indicium, nullum monumentum exstare omnemque memoriam abolitam esse. *Varro* apud *Non.* p. 416. 19. *Merc.* Hæc Numa Pompilius fieri si viderit, sciet, suorum institutorum nec volam nec vestigium apparere. *et ibid.* Quoniam in sepulcris nec vola nec vestigium exstat.

II.) *Vola* est etiam terra. *V.* VOLATICA.

VŎLĀBĬLE, adverbii more, a *volando*, positum videtur et idem esse ac velociter, celerrime volantis modo, in illis *Varronis* verbis, quæ refert *Non.* p. 553. 30. et p. 554. 21. *Merc.* Aut ille cervum qui volabile currens, Sparo secutus tragulaque trajicit. Alii tamen rectius leg. *volabilem*, ut intelligat *volantem cervum*, alii *volatilem.*

VŎLÆMUS. *V.* VOLEMUS.

VŎLANS, antis, particip. *V.* VOLO, as.

VŎLĀRĬA, æ, f. 1. (vola) ferula, qua volæ manuum puerilium verberantur. *Gloss. Isid.* Ferula, palmatoria, volaria.

VOLĀRĬUM, ĭi, n. 2. legitur in fragmento carminis *Sereni* apud *Diomed.* p. 516. *Putsch.* Pingere collibitum, est graphidem date, promite volarium. *Wernsd. Poet. min.* v. 2. p. 286. leg. *colobium*; dein *Müll.* in calce *Rutil. Namat.* p. 45. dedit *chromatium*; alii denique et rectius putant esse pro *bolarium*, coll. *Gloss. Cyrill.* Βωλάριον, glebula. Nempe terrula ad pingendum. fortasse quam dicunt Itali *pastello.*

VŎLĀTĬCA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

VŎLĀTĬCUS, a, um, adject. (volo) qui volat et cito transit, velox, *volatico, volante, volabile,* πτερόεις.

I.) Proprie. *Hygin. fab.* 141. Sirenes Cereris voluntate volaticæ factæ sunt. *h. e.* in aves conversæ.

II.) Translate est inconstans, levis, instabilis. *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 29. An obsecro, usquam sunt homines volatici? *Cic.* 13. *Att.* 25. *ad fin.* O Academiam volaticam et sui similem, modo huc, modo illuc etc. *Id. Harusp. resp.* 22. 46. Illius furentes ac volaticos impetus in se ipsos posse converti. *Alii hic leg.* violentos. *Seneca Ep.* 42. *ante med.* Volaticum esse ac levem. *Tertull. Pœnit.* 11. magistratus Romanos vocat *unius anni volaticum gaudium.* Adde *Apul.* 8. *Met.* — Hinc

*Volatica*, æ, f. 1. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est lamia, venefica, strix: ita dicta quia veteres putarunt, veneficas se in striges aves convertere. *Fest.* in *Strigas* p. 314. 33. *Müll.* Striges, aves nocturnas, ut ait Verrius, Græci στρίγγας appellant: a quo maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. ¶ 2. Exstat præterea apud *Tertull. Pall.* 6. Et grammaticus, *inquit*, et rhetor et sophista et medicus et poeta et qui musicam pulsat et qui stellarem conjectat et qui volaticam spectat. Alii eum, *qui volaticam spectat*, intelligunt haruspicem, qui ex volatu avium conjectat; alii maleficum, ut *volatica* sit etiam maleficium, incantatio; alii geometram sic appellatum volunt a *vola* manus, qua res dimetitur: vel potius bariolum, qui *volas* manuum inspicit: vel denique a *vola* derivant, qua significat *terram* in Etrusca disciplina, ducta origine a lingua Phœnicia.

VŎLĀTĬLE. *V.* voc. seq. in fin.

VŎLĀTĬLIS, e, adject. (volo) qui volat, πτηνός, πτερόεις (It. *volatile, volante*; Fr. *qui vole, volatil*; Hisp. *volatil*; Germ. *fliegend, geflügelt*; Angl. *flying, volant, volatile*).

I.) Proprie. *Boeth.* in *Top. Cic.* 3. p. 332. *Orell.* Animalis ad plures differentias pertinet, ad rationale etc. ambulabile, reptibile, volatile, natabile etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Præterea vescimur bestiis et terrenis et aquatilibus et volatilibus, partim capiendo, partim alendo. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 27. pueri volatilis arcus. *h. e.* Cupidinis.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe sumitur pro celeri, veloci, ut *ferrum volatile* est sagitta, ferrea cuspide præmunita, quæ ex arcu emissa celeriter fugit, velocitatem adjuvantibus pennis. *Virg.* 4. *Æn.* 70. *de cerva.* Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit Pastor agens telis liquitque volatile ferrum Nescius. *Lucret.* 1. 968. et *Ovid.* 1. *Art. am.* 169. volatile telum. ¶ 2. *Volatilis lepra* est per totum corpus discurrens apud *Vulg. interpr. Lev.* 13. 57. Lepra volatilis et vaga. ¶ 3. *Volatile linum* est velum navis apud *Cassiod.* 5. *Variar.* 17. ¶ 4. Denique *volatilis* accipitur et pro fluxo, caduco, quod facile præterit, transit, elabitur. *Ovid.* 10. *Met.* 519. Labitur occulte fallitque volatilis ætas, Et nihil est annis velocius. — Figurate *Seneca Ep.* 123. *sub fin.* Gloria vanum et volatile quiddam est auraque mobilius. — Hinc

*Volatile*, *is*, et sæpius plur. num. *volatilia, ium*, n. 3. absolute, substantivorum more, sunt volucres.

I.) Proprie. *Vulg. interpr. Gen.* 1. 20. Producant aquæ reptile animæ viventis et volatile. *et mox.* Et præsit (*homo*) volatilibus cæli. — In Cod. Cryptæferratæ *Vulg. Ital. Is.* 18. 6. legitur *volatiliis* pro *volatilibus*, perinde ac sit *volatilia, orum.*

II.) Translate. *Ambros.* 2. *Hexaem.* 4. Volatilia cæli. *h. e.* angeli.

VŎLĀTĬO, ōnis, f. 3. (volo) actus volandi. *Augustin. Serm.* 55. *n.* 2. ed. *Mai.* Magi Simonis falsa volatio.

VŎLĀTOR, ōris, m. 3. (volo) qui volat. *Augustin. Serm.* 164. *n.* 5., ubi pro *volatori* alii rectius leg. *volaturi.*

VŎLĀTŪRA, æ, f. 1. (volo) idem quod volatus.

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 5. *ante med.* Ibi in prima volatura quum veniunt, morantur dies paucos requiescendi causa.

II.) Metonymice ipsi volucres. *Colum.* 8. *R. R.* 9. Turtur a volatura, ita ut capitur, farturæ destinatur. *et ibid.* 10. *a med. de turdis.* Fere etiam in agris ab ejusmodi volucribus hæc appetuntur: quæ in aviariis quoque desidentium detergent fastidia faciuntque avidiorem volaturam, quod maxime expedit; nam largiore cibo celerius pinguescit. *h. e.* ipsos turdos, qui advolarunt et capti sunt.

VŎLĀTUS, us, m. 4. (volo) volatio, actus volandi, πτῆσις, πτῆμα (It. *volo, volamento*; Fr. *vol, volée*; Hisp. *vuelo*; Germ. *der Flug, das Fliegen*; Angl. *a flight, volley*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. *in fin.* Aer et volatus alitum sustinet, et spiritu ductus alit et sustentat animantes. *Id.* 1. *Divinat.* 1. *ad fin.* Volatibus avium cantibusque declarari res futuras putant. *Catull.* 55. 24. Non si Pegaseo ferar volatu. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 138. *Müll.* ¶ 2. Speciatim volandi facultas seu vis. *Apul. Florid.* 10.

II.) Translate. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 270. Nuntia votorum celeri jam fama volatu Moverat etc. *et* 2. *in Eutrop.* 168. illa (*hasta*) per auras Tot freta, tot montes, uno contenta volatu, Transilit. *Id. Gigantom.* 47. Incem insolitam mirantur equi trepidoque volatu Spissas cæruleis tenebras e naribus efflant. *h. e.* celeri cursu. *Martial.* 11. 91. Si tam præcipiti fuerant ventura volatu, Debuerant alia fata venire via. *h. e.* si mors tam cito ventura erat. Adde *Sil. It.* 3. 368. — Metaphorice *Ambros. De Cain et Ab.* 1. 5. Spiritales volatus. *V.* VAGATUS, us.

VOLCĀNUS. *V.* VULCANUS.

VOLCĀNĀLĬA. *V.* VULCANALIA.

VŎLĒMA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq.

VŎLĒMUS, a, um, adject. *Volœmus* cum diphthongo legit *Ribb.* apud *Virg. loc. cit.* — Dictum a *vola* manus putat *Serv.* in *Virg.* 3. *Æn.* 233. et 2. *G.* 88. apud *Isid.* 17. *Orig.* 8. 67., qui etiam tradit ex quorumdam sententia esse vocem Gallicam, quæ *bonum* et *grande* significat. Quod si est, non e Latio vox arcessenda, sed ex Gallia Cisalpina, quæ sæpe Gallia absolute dicitur. Cf. Germ. *viel*, multus, magnus, nimius, et *voll*, plenus. — Volemus itaque est prægrandis vel qui volam magnitudine sua implet: et occurrit tantum ut epitheton piri. Hinc *volema* seu *pira volema* dicta sunt bona et magna, seu pira prægrandia, ut sit genus quoddam pirorum, apud *Virg.* 2. *G.* 88. nec surculus idem Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis. *Cato R. R.* 7. Pira volema, Aniciana et sementiva. Adde *Colum.* 5. *R. R.* 10. *a med.* et 12. *ibid.* 10. — [illegible] sing. num. *Cloatius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. *in fin.* Pirum Turranianum, præcox, volemum etc.

VŎLENS, entis, particip. *V.* VOLO, vis.

**VŎLENTER**, adverb. (volens) voluntarie, libenter. *Apul.* 6. *Met.* Perrexit Psyche volenter.

**VŎLENTĬA**, æ, f. 1. (volens) idem quod voluntas, favor, *volontà, intenzione*, βούλησις. *Apul.* 11. *Met.* Mea volentia fretus. *Solin.* 36. Volentia resistendi prompta. *Mommsen* leg. *violentiam*. *Fronto ep.* ad *Ver. Imp.* 2. 8. *p.* 137. 5. *N.* Bona volentia.

**VŎLĒTAR.** *V.* BOLETAR.

**VOLGĬŎLUS** *et* vulgiolus, i, m. 2. rusticum instrumentum. *V.* VALGIUM.

**VOLGUS** et deriv. *V.* VULGUS.

**VŎLĬTANS**, antis, particip. *V.* VOLITO.

**VŎLĬTĀTĬO**, ōnis, f. 3. (volito) idem ac volitatus. *Augustin.* 1. *De ordin.* 5. *ad fin.* Volitatio foliorum in agro. — Translate pro cursu celeri apud *Isid.* 18. *Orig.* 57.

**VŎLĬTĀTUS**, us, m. 4. (volito) idem ac volatus. *Venant.* 4. *Vit. S. Martin.* 223. Ecce repens oritur variante fragore procella, Stridula sidereo volitatu et multa tumultu.

**VŎLĬTO**, as, āvi, ātum, are, n. 1. (*frequentat.* vel *intens. a* volo, as) Part. *Volitans* I. 1. et II. 2. — Volito est frequenter volo, ἀναπέτομαι (It. *volare, volar qua e là, volare spesso*; Fr. *voler, voltiger, voleter*; Hisp. *volar, voltear, volar amenudo*; Germ. *umherfliegen, herfliegen, herumflattern*; Angl. *to fly about or up and down, flutter*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 23. Easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 258. *Liv.* 1. 34. Aquila cum magno clangore volitans. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (98). *de scarabæis.* Volitant alii cum murmure. *Ammian.* 22. 15. *extr.* Avicula volitans blande. ¶ 2. Latiore sensu pro discurrere instar volitantis, huc atque illuc currere, vagari. — *a*) De animantibus. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. Volitare in foro. *Id.* 2. *Agr.* 22. 59. Volitat enim ante oculos istorum Jubæ regis filius, adulescens non minus bene nummatus, quam bene capillatus. *Id.* 11. *Phil.* 2. *in fin.* Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex. *Id. Dom.* 19. 49. Quum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares. — *b*) De rebus. *Lucret.* 4. 30. Quæ (*simulacra rerum*) volitant ultro citroque per auras. *Virg.* 5. *Æn.* 666. Volitare favillam. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum. *Lucret.* 4. 222. Volitare voces per auras.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro libere agere, relaxari. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 23. Sic nostri animi forensibus negotiis atque urbano opere defessi gestiunt ac volitare cupiunt vacui cura atque labore. ¶ 2. Item pro animos altos gerere, efferri, magna aggredi. *Id. Pis.* 25. 59. Valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus et constans. *Martial.* I. 4. Ætherias, lascive, cupis volitare per auras: I, fuge, sed poteras tutior esse domi. ¶ 3. Item pro celebrari, laudari, nominari. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 34. Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu Faxit. Quur? volito vivu per ora virum. ¶ 4. Item pro molestum esse, jactare sese, efferri. *Cic. Flacc.* 16. 38. Nunc vero non insultabo vehementius, nec volitabo in hoc insolentius.

**VOLNUS** et deriv. *V.* VULNUS.

**VŎLO**, as, āvi, ātum, are, n. 1. Ratione habita etymi, recentiores ducunt a rad. Skr. *val*, cui *volvo* origine et significatione conjungitur. *V.* VOLVO. — Part. *Volans* I. 2. et 3.; II. et in fin.; *Volaturus* I. 1. 1.° *a.* — Volo est per aerem feror: proprium alas habentium. Græce est πέτομαι (It. *volare*; Fr. *voler*; Hisp. *volar*; Germ. *fliegen*; Angl. *to fly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — 1°.) Universim. — *a*) Absolute. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divin.* 48. 108. Et simul ex alto longe pulcherrima præpes Læva volavit avis. Sic *Lucret.* 6. 742. Volant aves. *et* 2. 822. corvi. *Ovid.* 2. *Art. am.* 69. *de Dædalo.* Jamque volaturus parvo dedit oscula nato. *Vulg. interpr. Deut.* 32. 11. Aquila provocans ad volandum. — *b*) Cum addito termino per Acc. et præp. *ad, in, per* etc., aut per Abl. *Propert.* 3. 23. 30. Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis. *Lucret.* 1. 1082. Volare in cæli templa. *Virg.* 1. *Æn.* 304. volat ille per aera magno Remigio alarum. *Id.* 1. *G.* 364. altam supra volat ardea nubem. *Id.* 4. *Æn.* 254. avis volat circum littora. *Ovid.* 1. *Art. am.* 96. *de apibus.* nactæ Pascua, per flores et thyma summa volant. *Juvenal.* 8. 251. corvi ad Cimbros stragemque volabant. — 2.°) Jlocaliter. *Cic.* 10. *Phil.* 5. 11. Ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda est, quem nisi in via caducæ hereditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse, diceres. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 52. Is odos demissis pedibus in cælum volat. — 3.°) *Sine pennis volare haud facile est*, proverbium apud *eumd. Pœn.* 4. 2. 49. — Varias in avibus volandi rationes accurate persequitur *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de aliis rebus, quæ per aera sine alis feruntur. *Lucret.* 2. 213. Transversosque volare per imbres fulmina cernis. *Virg.* 7. *Æn.* 466. volat vapor ater ad auras. *Sall. Jug.* 64. Strepitus armorum ad cælum ferri: tela utrinque volare. *Liv.* 26. 44. *a med.* Ingens vis telorum e muris volabat. *Virg.* 9. *Æn.* 699. volat hasta per aera. *et* 12. *ibid.* 596. ignes ad tecta volare. *Id.* 3. *G.* 201. ventus volat. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 61. morte carens vacuam volat altus in auram Spiritus. *Virg.* 1. *G.* 301. culmumque levem stipulasque volantes. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 55. Hostis equo pollens longeque volante sagitta. *Lucan.* 7. 489. Sed quota pars cladis jaculis ferroque volanti Exacta est? *h. e.* sagittis: ἓν διὰ δυοῖν. ¶ 3. Item est celeriter ire instar volantis: et dicitur tum de rebus, tum de animantibus. *Plaut. Pers.* 2. 2. 17. I sane, vola curriculo. *Ovid.* 10. *Met.* 587. passu volat alite virgo. *Virg.* 3. *G.* 107. volat vi fervidus axis. *Id.* 5. *Æn.* 819. per summa levis volat æquora curru. *et* 7. *ibid.* 808. Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas. *et* 12. *ibid.* 650. medios volat ecce per hostes Vectus equo spumante Saces. *Ovid. Heroid.* 6. 65. Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo: Illa volat. *Catull.* 4. 4. Phaselus palmulis sive lintea volat. *Horat. Epod.* 16. 40. Etrusca præter et volate litora. *Id.* 1. *ibid.* 37. 16. Ab Italia volantem Remis adurgens. *h. e.* propere fugientem. *Virg.* 3. *G.* 181. currus agitare volantes. *et ibid.* 41. pelagoque volans da vela patenti. *Val. Flacc.* 6. 631. Ille volat campis immensaque funera miscet. *Id.* 1. 741. volat ille mari. *h. e.* celeriter navigat. — Cum Infinito. *Id.* 4. 407. Ast Erebi virgo ditem volat æthere Memphim Præcipere et Pharia venientem pellere terra.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Att.* 19. *a med.* Litteræ Capuam ad Pompejum volare dicebantur. *h. e.* crebro et cito proferri. *Petron. Sat.* 137. *extr.* Volabant inter hæc potiones meracæ. *h. e.* crebra circumferebantur pocula. — Metaphorice pro celeriter labi. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. *circa med.* Veniet tempus, et quidem celeriter; volat enim ætas. *Seneca Hippol.* 1141. Volat ambiguis mobilis alis hora. *Virg.* 3. *Æn.* 121. Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 71. Et semel emissum volat irrevocabile verbum. — *Horat.* 2. *Od.* 16. 11. curas laqueata circum Tecta volantes. — Hinc Part. præs.

*Volans, antis*, absolute, substantivorum more, est avis, ales: et in plur. num. occurrit. *Virg.* 6. *Æn.* 728. Inde hominum pecudumque genus vitæque volantum. *et ibid.* 239. *de Averno.* Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis. *Lucret.* 2. 1081. Squamigerûm pecudes et corpora cuncta volantum. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. 160. Volantium non pinguia, ut sunt pectora turdorum.

**VŎLO**, vis, vult, vŏlŭi, velle, anom. — *a*) Scribitur etiam *bolo*, ut et *boluntas*, ex solita litterarum *b* et *v* permutatione, ut in *Inscr.* apud *Orelli n.* 4331. et 4360. — Etiam *volt* et *voltis* pro *vult* et *vultis* dixere: et legitur apud *Plaut.* et alios sæpe. Ejusdem generis sunt *volgus, volnus, Volcanus, volsus, voltus* etc., in quibus duabus *u* illa, quæ est vocalis, in *o* mutatur: itaque legitur in MSS. etiam *Horatii, Virgilii* etc. et in quibusd. Lapidib. *Quintil.* 1. 7. *a med.* Nostri præceptores *cervom servomque*, *u* et *o* litteris scripserunt etc., nunc *u* gemina scribuntur. Cf. litt. *V.* — *Vellit, vellitis* etc. cum duplici *l* pro *velit, velitis* etc. in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 80. et apud *Gruter.* 672. 1. et 786. 9. et *Murat.* 337. 5. etc. Contra *velet* cum simplici *l* pro *vellet* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 176. *lin.* 4. 7. 11. *seqq.* et *ibid.* 21. — *b*) Forma *volim* pro *velim* est apud antiquos. Cicero in II. de natura Deorum: Quo facilius id, quod docere volimus, intelligi possit. Ita *Priscian.* 9. *p.* 848. *Putsch.* Locus autem *Cicer.* est *c.* 32., ubi nunc plerique omnes leg. *volumus*, quidam *velimus*. Sic *Vulg. interpr. Ital. Matth.* 12. 38., ubi *volimus* pro *volumus* occurrit. — Et sæpius *volam* item pro *velim* est *Plaut. Asin.* 1. 1. 95. et *Lucil. Sat.* 28. 15. — *Volendi* gerund. habet *Augustin. Ep.* 186. et *Prosp. Aquit. De ingrat.* 190. — Et *volendo* apud *Augustin. Serm.* 127. ed. *Mai.* — *Voliturus*, part. fut., apud *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 712. — *Vultus* videtur tamquam forma participialis poni a *Priscian.* 11. *p.* 571. 20. *Keil.* — *c*) *Velim* frequenter pro *vellem* aut *volo* ponitur. *Cic.* 15. *Fam.* 3. *in fin.* et *Plaut. Truc.* 2. 5. 28. V. infra. — *d*) Ad quantitatem quod attinet, *vis* syllaba producta effertur, ut docet *Mar. Victorin.* 18. *p.* 465. *Endl.*; hinc *veis* aliquando occurrit pro *vis*, ut apud *Plaut. Merc.* 3. 1. 12. Cf. *Priscian.* 9. 6. — *Velis* ultima correpta usurpasse *Avian.* 23. 10. et *Venant.* 3. 15. tradit *Muellerus De re metr. p.* 342. — *e*) *Vin*, ἀρχαϊκῶς *vein*, contracte pro *visne*, est *Plaut. Capt.* 2. 2. 110. et *Pœn.* 5. 2. 155. et *Ter. Heaut.* 3. 3. 24. et 4. 1. 11. — *Sis* pro *si vis* et *sultis* pro *si vultis* V. suis locis. — *f*) Ratione habita etymi, conjungi potest cum rad. Skr. *var* (*val*), eligo, opto, et Gr. βούλομαι ejusd. significationis. — Part. *Volens* I. 3. et II. 1. *d*, *e* et in fin.; *Vultus* et *Voliturus* supra. — Volo est voluntas mihi est, opto, studeo, βούλομαι, θέλω (It. *volere, aver voglia, bramare*; Fr. *vouloir*; Hisp. *querer*; Germ. *wollen*; Angl. *to will*). Construitur autem *a*) Absolute; aut *b*) Cum Accus. rei vel personæ; aut *c*) Sequente Infinito vel Conjunctivo et partic. *ut, ne*, quæ etiam subauditur. — Volo itaque

I.) Generatim est, ut diximus, voluntas mihi est, opto, studeo: et occurrit — 1.°) Absolute. — *a*) Universim. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 8. *a med.* Velit nolit, scire difficile est. *se voglia o no.* Adde 1. *Nat. D.* 7. 17. et *Plin. Paneg.* 20. Præterea futuri principes, velint nolint, sciant etc. *vogliano non vogliano.* et *Liv.* 8. 2. Seu velint seu nolint. — *Ulp. Dig.* 50. 17. 3. Ejus est nolle qui potest velle. *et ibid.* 4. Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini. — *b*) *Velle* sæpe loco substantivi nominis adhibetur, addito pronomine possessivo, apud sequioris præsertim ævi scriptores, ut Itali *il volere* dicunt. *Augustin. De divers. quæst.* 1. 10. Nihil valet velle nostrum, nisi, ut perficiamus, adjuvet Deus. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. Meum velle id exigit. *Martial.* 5. 83. Velle tuum nolo, Dyndime, nolle volo. *Macrob.* 3. *Saturn.* 1. Contra suum velle. *Cassiod.* 5. *Var.* 1. Velle nostrarum gentium. *Capell.* 1. § 21. Ab omni velle. Cf. *Lucan.* 4. 280. et *Manil.* 2. 570. — *c*) *Ut volo*, ex mei animi sententia, ex voto, *a mio modo*. *Plaut. Most.* 3. 2. 47. Nos profecto probe, ut voluimus, viximus. *Ter. Andr.* 4. 5. 10. Ut quimus, quando, ut volumus, non licet. *Cic.* 6. *Att.* 7. Confido rem, ut volumus, esse. *Id.* 1. *Off.* 20. *extr.* Libertatis proprium est, sic vivere, ut velis. *Pers.* 5. 84. licet, ut volo, vivere, non sim Liberior Bruto? — 2.°) Cum Acc. rei vel personæ. — *a*) Sine additione. *Plaut. Asin.* 1. 2. 25. Hic ante ostium meo modo loquar quæ volam. *Cic. Cluent.* 66. *circa med.* Nibil est enim mali, quod illa non ab initio filio voluerit.

optaverit, cogitaverit, effecerit. *Tibull.* 4. 13. 21. Jam faciam quodcumque voles: tuus usque manebo. *Horat.* 1. *Od.* 9. 5. cupio omnia quæ vis. *Juvenal.* 6. 222. Hoc volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas. *Cic.* 1. *Rep.* 24. 38. Faciam quod vultis. *Horat. Epod.* 17. 30. Quid amplius vis? Adde *eumd. Art. P.* 348. — *Volo te,* interdum est volo te convenire, tecum colloqui. *Plaut. Capt.* 5. 2. 24. Philocrates, per tuum te ingenium obsecro, exi: te volo. *Ter. Andr.* 1. 1. 2. Sosia adesdum: paucis te volo. *et* 5. 3. 1. Quis me vult? — *Cicero* integre locutus est 10. *Att.* 16. *a med.* Centuriones trium cohortium me velle postridie convenire. Alii tamen plerique τὸ *convenire* omittunt. — *b*) Cum addito participio vel adjectivo. *Plaut. Cist.* 4. 2. 33. Mulier, mane: sunt Qui volunt te conventam. *Ter. Heaut. prol.* 26. Omnes vos oratos volo. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 27. Nunc illos commonitos velim. Adde *Rosc. Am.* 1. 2. et *Liv.* 3. 58. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 27. Te magis salvum velit. — 3.°) Cum Infinito. *Plaut. Amph.* 1. 3. 35. Exire extra urbem volo. *Cic.* 13. *Att.* 14. Si volent proferre diem. *Virg.* 4. *G.* 501. multa volentem dicere. *Id.* 6. *Æn.* 86. non venisse volent. *Horat.* 1. *Od.* 27. 9. Vultis severi me quoque sumere Partem Falerni? *Id.* 2. *Sat.* 6. 92. Vis tu præponere? Adde *Ovid.* 2. *Met.* 463. et *Liv.* 3. 8. — *Cic. Ligar.* 4. *a med.* Qui quum a te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam. — Interdum in hac constructione *velle* redundat, sed cum quadam elegantia. *Cato R. R.* 5. Villicus ne quid emisse velit insciente domino, neu quid dominum celavisse velit. *Tibull.* 1. 5. 50. Et manibus canas fingere velle comas. *Id.* 3. 4. 4. Desinite in vobis quærere velle fidem. *Ovid.* 2. *Fast.* 262. et audes Fatidicum verbis fallere velle Deum? *et* 1. *Amor.* 4. 38. Oscula præcipue nulla dedisse velis. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 1. 19. *Phædr.* 1. 29. et quærit, cur sic mentiri velit. *Petron. Sat.* 98. Si Gitonem tuum amas, incipe velle servare. — Aliquando etiam infinitus, rectus a *volo,* subauditur. *Cic.* 14. *Att.* 7. Volo mense Quintili in Græciam. *sc.* proficisci. — Huc spectat locutio *si quid me vis,* si quid me vis facere, si aliquid a me vis. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 32. Redeo ad te, Megadore, si quid me vis. Cf. *Asin.* 1. 1. 75. Nunc verba in pauca conferam, quid te velim. *Ter. Andr.* 1. 1. 18. Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Si quid ille se velit, illum ad se venire oportere. — 4.°) Et cum partic. *quam* in altero membro, ut malo. *Liv.* 3. 68. Malæ rei se quam nullius, turbarum ac seditionum duces esse volunt. Adde 25. 29. Ita et Græc. βούλομαι ἤ. — 5.°) Cum Conjunctivo et partic. *ut, ne. Plaut. Bacch.* 1. 1. 44. Ut ille te videat, volo. *Id. Truc.* 2. 5. 28. Nunc ecastor, ut veniret miles, velim. Adde *Ter. Andr.* 3. 3. 18. *Cic. Vatin.* 7. 17. Volo, uti mihi respondeas, num etc. *Pacuv.* apud *Gell.* 1. 24. Hoc volebam, nescius ne esses. — Et partic. subaudita. *Plaut. Amph. prol.* 56. et *Ter. Eun.* 5. 9. 24. Quid vis, faciam? *Cic. fragm.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Visne, ea, quæ restant, in illis alnorum umbraculis prosequamur? *Id. Brut.* 84. 290. Volo, hoc oratori contingat, ut etc. *Catull.* 61. 216. Torquatus, volo, parvulus Matris e gremio suæ Dulce rideat ad patrem. *Virg.* 3. *Ecl.* 28. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim Experiamur? *Plaut. Capt.* 2. 2. 110. Vin, vocem huc ad te? *Cic.* 1. *Rep.* 10. 15. Visne, hoc primum videamus? *Id.* 15. *Fam.* 3. *in fin.* Tu, velim, ut consuesti, nos absentes diligas et defendas.

II.) Speciatim. ¶ 1. Sæpe est cupio, desidero, *desiderare,* præsertim quum *tua* aut *ejus causa* additur. — *a*) Universim. *Plaut. Asin.* 3. 1. 38. Sine me amare unum Argyrippum, animi causa, quam volo. *Alii* quem. Adde *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 60. *Cic. pro leg. Manil.* 16. *ad fin.* Quod ut illi proprium ac perpetuum sit, quum communis salutis, tum ipsius hominis causa velle et optare debetis. *Id.* 12. *Fam.* 19. Eam rem tibi volo bene et feliciter evenire. *et* 13. *ibid.* 22. Varro magnopere ejus causa vult omnia. *et* 16. *ibid.* 17. *extr.* Cuspio quod operam dedisti, valde gratum est. Valde enim ejus causa volo. *et* 13. *ibid.* 71. Etsi omnium causa, quos commendo, velle debeo, tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. *Seneca* 6. *Benef.* 11. *sub fin.* Et volem illi aliquid præstare; nam et ille voluit mihi. — *b*) *Velle alicui,* prægnanti, ut ajunt, sensu, est favere. *Sall.* apud *Non. p.* 186. 19. *Merc.* V. alia loc. in fin. Sic *voluntas* est benevolentia. — *c*) *Bene* aut *male alicui velle,* bona aut mala cupere, amare aut odisse, *voler bene o male. Plaut. Pseud.* 1. 3. 4. Jamdiu ego huic et hic mihi volumus bene et amicitia est antiqua. *Id. Trin.* 2. 4. 36. Quid agit filius? PHIL. bene vult tibi. STAS. Nequam illud verbum est, bene vult, nisi qui bene facit. *Id. Asin.* 5. 1. 13. Utinam male qui mihi volunt, sic rideant. *Ter. Heaut.* 5. 2. 6. Tibi bene ex animo volo. *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burmann. circa med.* Est tamen sub alapa et non sibi male vult. *non si tratta male:* genio indulget. — *d*) Ad *velle* pro cupere pertinent etiam illa, quibus impetus quidam volendi et ardenter optandi significatur. *Virg.* 7. *Æn.* 340. Arma velit poscatque simul rapiatque juventus. *Val. Flacc.* 1. 67. nunc aerii plantaria vellet Perseos. *Stat.* 3. *Theb.* 664. Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti Obvius ire pares. *Sil. It.* 13. 318. Ne flammam tædasque velint. — *e*) *Velle alicui aliquid,* cupere aut parare. *Stat.* 11. *Theb.* 509. Hasta subit velox equitis femur inter equique Ilia, letum utrique volens. Adde *Cic. Cluent.* supra adlatum. — *f*) *Vellem* et *velim quæ velles,* formula, qua significamus ægre esse nobis, quod alteri male sit, et optare, ut feliciter ei succedat. *Plaut. Most.* 3. 2. 53. Velim, ut velles, Tranio. *Seneca Ep.* 67. *sub fin.* Aspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus admoventem et vulnera parum demissa laxantem; utrum illi dicturus es, Vellem quæ velles; et, Moleste fero; an, Feliciter quod agis. — *g*) *Quam vellem!* aut *velim!* magnopere optantis. *Ter. Adelph.* 4. 1. 16. Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari! Ubi *Donatus:* Proprie dicimus in his, quæ non videmus fieri. *Cic.* 14. *Att.* 15. *extr.* Quam velim, Bruto persuadeas, ut Asturæ sit! *Id.* 3. *Fin.* 3. 10. Quam vellem, te ad Stoicos inclinavisses! — *h*) *Factum volo,* cupio feliciter evenire. *Plaut. Asin.* 3. 3. 94. Da mihi istas viginti minas. LIB. Videbitur: factum volo. *Ter. Adelph.* 5. 7. 19. Dii tibi - Bene faciant, quum te video nostræ familiæ Tam ex animo factum velle. *Gell.* 7. 3. *ante med.* Quum et utiles essent et vellent regi esse factum. ¶ 2. Prægnanti, ut dicitur, sensu est statuere, decernere. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 11. 26. Majores de singulis magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. — Hinc *velle* dicitur populus, quum leges sibi latas probat; itaque sic rogatur: *Velitis, jubeatis, Quirites? Liv.* 38. 54. Velitis, jubeatis, Quirites, quæ pecunia capta, ablata est, uti de ea re, Ser. Sulpicius prætor Urbis ad senatum referat etc.? Adde *eumd.* 21. 10., 22. 10. *et* 31. 6., *Cic. Dom.* 17. 44. et *Pis.* 29. 72. ¶ 3. *Quid sibi vult,* quid significat, *che vuol dire. Cic.* 3. *Legg.* 14. *extr.* Nec satis intellexi, quid sibi lex aut quid verba ista vellent? *Id.* 4. *Verr.* 61. 150. Quid ergo illæ sibi statuæ equestres inauratæ volunt? ¶ 4. Alio sensu. *Ter. Andr.* 2. 3. 1. Quid sibi volt pater? cur simulat? *h. e.* quid parat, molitur, quærit? Cf. *Vulg. interpr. Act.* 2. 12. Quidnam vult hoc esse? ¶ 5. *Velle in aliqua re* est delectari, tutum esse. *Id. Ps.* 111. 1. In mandatis ejus volet nimis. ¶ 6. In illo *ejusd. Joh.* 6. 21. Voluerunt ergo accipere quum in navim. *volo* est studeo, curo, festino, *adoperarsi, affrettarsi.* Cf. 1. *Reg.* 18. 22. et *Col.* 11. 18. et etiam *Cic.* 1. *Off.* 31. 113. ¶ 7. Denique *volo* est affirmo, defendo, *asserire, sostenere. Cic. Brut.* 56. 206. Ælius Stoicus esse voluit: orator nec studuit umquam nec fuit. *et alib.* — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

*Volens, entis,* adjective quoque usurpatur. ¶ 1. Active est sponte et non invite faciens, libenter faciens benevolus, propitius, *chi vuole o fa spontaneamente o volentieri, favorevole,* ἑκών. *Virg.* 10. *Æn.* 676. vos o potius miserescite venti: In rupes et saxa (volens vos Turnus adoro) Ferte ratem. *Ovid.* 2. *Met.* 128. *de equis Solis.* Sponte sua properant: labor est inhibere volentes. *vogliosi di correre.* et *Virg.* 3. *G.* 129. Ipsa autem macie tenuant armenta volentes. *a bella posta.* et *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. *ante med.* Facite, si volentibus vobis erit, diem communibus et fabulis et epulis exigamus. *Liv.* 3. 40. Si a volentibus nequeat, ab invitis jam expetituram (*remp.*). Adde *Apul.* 3. *Met. Liv.* 7. 26. Si divus, si diva esset, qui sibi præpetem misisset, volens, propitius adesset. *h. e.* benevolus, favens. Sic *Sall. Jug.* 17. Virtute ac diis volentibus magni estis et opulenti. *et ibid.* 111. Munificus nemo putabatur, nisi pariter volens. *h. e.* benevolus, amicus et qui vellet omnia ejus causa, cui munificus esset. Largitio enim ipsius causa facta, qui largiretur, ignota erat. Adde *Inscr.* apud *Orell. n.* 2489. et *n.* 2490. — Absolute. *Seneca Ep.* 107. *sub fin.* Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. *Vellej.* 2. 62. 3. Pecunias etiam a volentibus acceperant. ¶ 2. Passive et absolute *volentia* alicui dicuntur, quæ grata, accepta jucundaque sunt. *Tac.* 3. *Hist.* 52. Muciano volentia rescripsere. *Sall. Jug.* 76. Litteris, quæ de Metello ac Mario missæ erant, cognitis volentia de ambobus acceperant. *Alii leg.* volenti animo. *Id.* 4. *Hist.* apud *Non. p.* 186. 19. *Merc.* Volentia plebi facere. V. *Kritz* ad *h. l.*

Homonym. *Velle, cupere, optare,* idem fere sunt: *cupere* tamen, et etiam *optare,* aliquid plus valet, nempe præter voluntatem, conatum etiam et operam. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 34. Invenies, vere si reperire voles. Velle parum est: cupias, re potiaris, oportet: Et faciat somnos hæc tibi cura leves. Velle reor multos, quis enim mihi tam sit iniquus etc. *Seneca Ep.* 95. Sæpe aliud volumus, aliud optamus. Cf. *Cic. pro leg. Manil.* 16. *ad fin.*

VŎLO, ōnis, m. 3. (volo, vis) miles voluntarius et speciatim adhibetur fere absolute de servis Romanorum, qui post Cannensem cladem voluntarie militiam susceperunt. — *a*) Fere in plur. num. *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *a med.* Bello Punico, quum deessent qui scriberentur, servi pro dominis pugnaturos se polliciti, in civitatem recepti sunt et volones, quia sponte hoc voluerunt, appellati. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 370. 8. *Müll.* Volones dicti sunt milites, qui post Cannensem cladem, usque ad octo millia, quum essent servi, voluntarie se ad militiam obtulerunt. *Liv.* 23. 35. Ut tirones (ea maxima pars volonum erat) discerent signa sequi. V. *eumd.* 22. 57. *sub fin.* et *Macrob. loc. cit.,* ubi et aliarum nationum exempla refert, quæ volonum opera in bello usæ sunt. V. *Capitolin. loc. cit.* in VOLUNTARIUS. — *b*) In sing. num. *Liv.* 23. 35. Vetus miles tironi, liber voloni sese exæquari sineret.

Homonym. Inter *volones* et *voluntarios* hoc discrimen statuit *Salmas.* ad *Flor.* 2. 6. 23. *R.* Erant *volones,* qui bello Punico secundo militare volebant interrogati: *voluntarii* vero erant emeriti qui iterum militare volebant.

VŎLŌNÆ. *V.* BOLONÆ.

VŎLOP. *V.* VOLUP.

VOLPĔCŬLA. *V.* VULPECULA.

VOLPES. *V.* VULPES.

VOLSCĒ, adverb. (Volscus) Volscorum more, de quibus *V.* ONOM. *Titin.* apud *Fest.* in *Oscum p.* 189. 29. *Müll.* Osce et Volsce fabulantur: nam Latine nesciunt.

VOLSELLA *et* vulsella, æ, f. 1. (vello) instrumentum pilis e corpore radicitus evellendis idoneum: item ad varios chirurgorum usus, τριχολαβός (It. *mollette, tanaglia da cerusico;* Fr. *pincette, tenette;* Hisp. *pinzas, tenacillas;* Germ. *die Zange, das Zängelchen;* Angl. *pincers, nippers, tweezers*).

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 4. 4. 21. Volsellæ, pecten, speculum, calamistrum etc. *Martial.* 9. 28. Purgentque sævæ cana labra volsellæ. — De chirurgis. *Cels.* 7. 12. *n.* 1. Specillo conquiren-

da est testa, quæ recessit, et vulsella protrahenda est. *et* 6. 18. *n.* 3. Oræ cutis vulsella prehendendæ, tum quidquid corruptum est, excidendum.

II.) Translate, proverbii ritu, apud *Varron.* 9. *L. L.* 33. *Müll.* Pugnare volsellis, non gladio. *h. e.* leviter et parum damni inferendo.

VOLSGRA. *V.* VOISGRA.

VOLSŪRA. *V.* VULSURA.

VOLSUS. *V.* VULSUS.

VOLTA, æ, f. 1. ignoti monstri nomen apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (140). Vetus fama Etruriæ est, impetratum fulmen, Volsinios urbem, agris depopulatis, subeunte monstro, quod vocavere voltam. *Volam* Tusci terram vocabant, inde *volta* fortasse terrigena est bellua. *V.* VOLATICA.

VOLTUM. *V.* VULTUS.

VOLTUR. *V.* VULTUR.

VOLTURNĀLĬA et

VOLTURNĀLIS. *V.* VULTURNALIS.

VOLTURNUS. *V.* VULTURNUS.

VOLTUS. *V.* VULTUS.

VŎLŪBĬLIS, e, adject. (volvo) qui facile volvitur, fluit et circumagitur, εὔστροφος, ἐπίτροχος, ἑλικός (*It. girevole, scorrevole, volubile; Fr. qui peut être tourné, mobile;* Hisp. *movible, mobil, voluble;* Germ. *kreisend, rollend;* Angl. *rolling or turning*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 190. movetur aqua et tantillo momine fluctuat, Quippe volubilibus parvisque creata figuris. *et* 2. 454. Et procursus item in proclive volubilis exstat. *Cic. Tim.* 6. *ad fin.* et *Lucan.* 6. 447. Volubile cœlum. *et Prudent. Cathemer. præf.* 3. Sol volubilis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 17. *a med.* Volubilis et rotundus deus. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 43. amnis Labitur et labetur in omne volubilis ævum. *Ovid. Heroid.* 20. 209. et 10. *Met.* 667. Aurum volubile. *h. e.* malum aureum. *Virg.* 7. *Æn.* 382. Impubesque manus mirata volubile buxum. *h. e.* trochum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (43). *de electro.* In litora expellitur, ita volubile, ut pendere videatur. *Apul.* 2. *Met.* Pila volubilis. *Arnob.* 5. *p.* 169. Volubiles rotulæ. *Veget.* 4. *Milit.* 7. Saxa forma volubilia. *h. e.* rotunda. *Ovid.* 3. *Met.* 41. *de angue.* Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet et immensos saltu sinuatur in arcus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (77). *de bombycib.* Lanuginem foliorum ab his cogi: postea apprehensam corpori involvi nido volubili, *h. e.* ovalis figuræ et facilis volvendo.

II.) Translate. — *a*) Dicitur de oratione copiosa, fusa, concitata et simul facile fluenti. *Cic. Brut.* 28. 108. Appii Claudii volubilis, sed paullo fervidior erat oratio. *Id.* 3. *Herenn.* 14. 25. Quum contendere oportebit, vocem quoque adaugere et celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio consequi possit. *Gell.* 11. 13. Cursus hic et sonus rotundæ volubilisque sententiæ eximie nos et unice delectabat. — *Volubilis* is quoque dicitur, qui tali oratione utitur. *Cic. Brut.* 27. 105. Canorum oratorem et volubilem et satis acrem, atque eumdem et vehementem et valde dulcem et perfacetum esse dicebat. *Id. Flacc.* 20. *ad fin.* Quum se homo volubilis quadam præcipiti celeritate dicendi illa oratione jactaret. *Id. fragm.* apud *Priscian.* 8. *p.* 617. Etenim est ad Lucii Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis. — *b*) Item de fortuna, quæ est inconstans, mutabilis. *Id. Mil.* 26. 69. Vide, quam sit varia commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna. Hinc *Plin.* 4. *Ep.* 24. Quod potest esse documento, nihil desperare, nulli rei fidere: quum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi. *Maximian.* 1. *El.* 109. Cuncta trahit secum vertitque volubile tempus.

VŎLŪBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (volubilis) aptitudo ad volvendum, facilitas, qua aliquid movetur, vel celer motus circularis, εὐτροχία, τὸ εὔστροφον (It. *volubilità; Fr. mouvement rapide, mouvement circulaire, tour;* Hisp. *facilidad de moverse, volubilidad, vuelta;* Germ. *die schnelle, kreisende Bewegung;* Angl. *volubility*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Mundi volubilitas, quæ nisi in globosa forma esse non posset. *Ovid.* 6. *Fast.* 269. Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa, Aere subjecto tam grave pendet onus. Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem. *Forcellinus* ita intelligit, ut sit rotunda aut ovalis figura, qua terra volubilis est. Cf. *Apul. Florid.* 23. V. tamen *Heins.* in *h. l.* Adde *Apul. Asclep.* (*Trism.*) *p.* 100. 41. *Cic. Fat.* 19. 43. Qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit. — *Ovid.* 12. *Met.* 433. Phœnolenidem a summo vertice fregit: Fracta volubilitas capitis latissima. Recentiores tamen hæc uti spuria omnino rejiciunt.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de oratione et est promptitudo dicendi cum verborum copia conjuncta. *Cic. Planc.* 25. *a med.* Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. *Id.* 1. *Orat.* 5. 17. Verborum volubilitas, *h. e.* copia, apta connexio et facilitas. *Plin.* 5. *Ep.* 20. Mos est plerisque Græcorum, ut illis sit pro copia (*rerum*) volubilitas: tam longas tamque frigidas periodos uno spiritu, tamquam torrente, contorquent. *Quintil.* 10. 1. 8. Nobis copia (*verborum*) cum judicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem, spectantibus. *verbosità. Val. Max.* 2. 2. 2. Magistratus prisci Græcis numquam nisi Latine responsa dabant; quin etiam linguæ volubilitate qua plurimum valent, excussa per interpretem loqui cogebant. et 11. 3. 52. Volubilitas nimia vocis. ¶ 2. Item de fortuna et est inconstantia. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 15. Quomodo ergo id, quod temere fit, cæco casu et volubilitate fortunæ præsentiri et prædici potest! Adde *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 1. (3).

VŎLŪBĬLĬTER, adverb. (volubilis) cum volubilitate, εὐστρόφως (It. *volubilmente;* Fr. *avec tour, rapidement;* Hisp. *con volubilidad, rapidamente;* Germ. *leichtweglich:* Angl. *volubly*).

I.) Proprie. *Ammian.* 20. 11. 26. Supinentur volubiliter contra igneum orbem. Adde *Non. p.* 4. 1. *Merc.*

II.) Translate dicitur de oratione et est varie, copiose et facile. *Cic. Orat.* 62. 210. Sæpe etiam in amplificanda re, concessu omnium, funditur numerose et volubiliter oratio. *Diomed. p.* 477. 24. *Keil.* Quippe ejus modulationem poematum atque metrorum compositioni accommodatam rotatim et volubiliter dicebant.

VŎLŬCER, vŏlŭcris, vŏlŭcre, et volucris, cre, adject. (volo, as) — *a*) *Volucer* occurrit etiam in femin. gen. apud *Prob. Inst. gramm. p.* 83. 19. *K.* et *Petron. Sat.* 123. *ante med.*; contra *volucris* in masc. gen. apud *Tibull.* 4. 1. 209. et *Sil. It.* 10. 471., ubi tamen alii aliter leg. *V.* infra. — In Abl. *volucre* pro *volucri*, sed absolute, habet *Vulg. interpr. Jer.* 9. 10. et *alibi.* — In genet. plur. etiam *volucrium* dici potest. Dixit enim *Cic. de Finib.*, item *Fabian. natural. caussar. l.* 2. *et* 3., teste *Charis.* 1. *p.* 119. *Putsch.* — *b*) De quantitate mediæ syllabæ V. *Quintil.* 1. 5. 28. et *seqq.* — Volucer est volans, volatilis, πετεινός, πτερόεις (It. *volante;* Fr. *qui vole;* Hisp. *volante, volandero;* Germ. *fliegend, geflügelt;* Angl. *flying, winged*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de alatis. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 38. Alias bestias nantes aquarum incolas natura esse voluit: alias volucres cœlo frui libero. *Id.* 1. *Nat. D.* 36. *a med.* Volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectæ. Sic *Ovid.* 7. *Met.* 218. Volucres dracones. *Virg.* 6. *Æn.* 488. columba. *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* Meum erat, eas novisse volucres etc. *h. e.* apes. *Stat.* 2. *Theb.* 55. Volucer deus. *h. e.* Mercurius, de quo *Ovid.* 5. *Fast.* 88. Ætherium volucri qui pede carpit iter. *Id.* 5. *Met.* 301. Volucris turba. *h. e.* aves. *Id.* 7. *ibid.* 770. volucri non segnius alite ludit. — Hinc *Tibull.* 4. 1. 209. Sive ego per liquidum volucri vehar aera penna. et *Propert.* 1. 20. 30. Volucres insidiæ, *h. e.* quas tendebant Hylæ Zethes et Calais Boreæ filii alati. ¶ 1. Latiore sensu de iis, quæ alata non sunt et per aera feruntur, apud Poetas: quamquam hæc ut translata rectius haberi possunt. *Virg.* 2. *G.* 217. tenuem exhalat nebulam fumosque volucres. *Id.* 5. *Æn.* 242. Noto citius volucrique sagitta. *et ibid.* 544. Volucris arundo. *h. e.* sagitta: quæ ab *Ovid.* dicitur 3. *Trist.* 10. 64. et a *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 39. (138). volucre ferrum. *Virg.* 11. *Æn.* 795. Volucres auræ. *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 33. procellæ.

II.) Translate est velox, celer, citus, *veloce, presto, celere.* — *a*) De iis, quæ concreta dicuntur. *Virg.* 1. *Æn.* 321. volucremque fuga prævertitur Hebrum. *Martial. Spectac.* 15. Et volucrem longo porrexit vulnere pardum. *Ovid.* 2. *Met.* 154. Volucres equi. *et* 7. *ibid.* 460. volucri freta classe pererrat. *Horat.* 1. *Od.* 34. 7. per purum tonantes Egit equos volucremque currum. *Cic. Quinct.* 25. *sub fin.* O nuntium volucrem! Administri Sex. Nævii Roma trans Alpes biduo veniunt. *Sil. It.* 10. 471. quum rapta volucris Transigeret cursu sonipes certamina campi. *Est qui leg.* volucri. — *b*) De aliis. *Virg.* 2. *Æn.* 794. Par levibus ventis volucrique simillima somno. *Horat.* 3. *Od.* 28. 6. Volucris dies. *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 18. astrorum motus. *Id. Planc.* 23. *ad fin.* Nihil est tam volucre, quam maledictum: nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius d[iss]ipatur. *Id. Sull.* 33. 91. O falsam spem! o volucrem fortunam! *Ovid. Heroid.* 17. 207. Non ita contemno volucris præconia Famæ. Sic *Petron. Sat.* 123. *ante med.* Interea volucer motis conterrita pennis Fama volat. *V.* ACER. *Tac. Dial. de orat.* 9. *a med.* Volucre gaudium. — Hinc absolute

*Volucris, cris,* aliquando m. et sæpius f. 3. ¶ 1. Proprie est avis, *uccello, volatile,* ὄρνις. *Cic.* vertens *Homeri* locum 2. *Divin.* 30. 64. Hunc ubi tam teneros volucres matremque peremit etc. *Id.* 2. *Orat.* 6. 23. Volucres videmus procreationis atque utilitatis suæ causa construere nidos. *Ovid.* 13. *Met.* 607. Et primo similis volucri, mox vera volucris. *Id.* 15. *Met.* 385. et *Medic. fac.* 33. Junonia volucris. *h. e.* pavo. *Sueton. Aug.* 13. Suppliciter sepulturam precanti respondisse dicitur jam istam in volucrum fore potestatem. *h. e.* vulturum. Sic *Propert.* 2. 16. 31. Tityi volucres. *et ibid.* 5. Attica volucris funesta. *h. e.* Philomela vel Progne. *Martial.* 13. 45. Libyca. *h. e.* gallina Africana seu Numidica: quam *Petron.* dicit *Sat.* 93. Afram volucrem. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 82. Tyrrhenæ volucres. *h. e.* Sirenes. Sic *Coripp.* 1. *Laud. Justin.* 199. Exactam primi noctem sensere volucres Et lætum cecinere diem. *Lucan.* 6. 129. Tot simul e campis Latiæ fulsere volucres. *h. e.* aquilæ, signa legionum. *Sil. It.* 14. 22. Et matutini cantus volucrum. *Varro* 3. *R. R.* 5. 7. Volucres partim advenæ sunt, ut hirundines et grues, partim vernaculæ ut gallinæ ac columbæ. ¶ 2. Improprie sidus cæleste, fortasse idem ac Cycnus. *Vitruv.* 9. 4. Cf. *Hygin.* 3. *Astr.* 8. et v. AVIS.

*Volucer, cris,* m. 3. ¶ 1. Fuit nomen proprium equi, a velocitate fortasse illi inditum, quem præcipue dilexit L. Verus Aug. *Capitolin. Ver.* 6. Volucri, equo Prasino, aureum simulacrum fecerat, quod secum portabat *etc.*, cui mortuo sepulcrum in Vaticano fecit. ¶ 2. Etiam calicem eodem nomine in ejusdem equi honorem nuncupavit idem Augustus. *Id. ibid.* 10. Habuit inter alium luxuriæ apparatum calicem crystallinum nomine Volucrem, ex ejus equi nomine, quem dilexit, humanæ potionis modum supergressum.

Homonym. Quomodo *volucris, ales* et *avis* differant, in his vocibus dictum est.

VŎLŪCRA, æ, f. 1. *et* volucris, is, f. *vel* volucre, is, n. 3. (volvo) Media longa est, ut in *involucre* et *involucrum*, quamvis licenter in hac voce corripuerit *Prudent.* 5. *Cathem.* 36. V. INVOLUCRUM. At brevem adhibuit *Colum.* 10. *R. R.* 332., nisi aliud sit ibi etymon et potestas vocis. *V.* infra. — Volucra est genus animalis, quod aliis nominibus *volvox, convolvulus, involvulus* vocatur. *V.* CONVOLVULUS. *Colum. Arbor.* 15. Genus est animalis, volucra ap-

pellatur: id fere prærodit teneros adhuc pampinos et uvas; quod ne fiat, falces, quibus vineam putaveris, peracta putatione sanguine ursino linito; vel, si pellem fibri habueris, in ipsa putatione, quoties falcem acueris, ea pelle aciem detergito. — De eodem insecti genere loqui videtur *Id.* 10. *ibid.* 332. Ex quibus (*imbribus pestiferis*) infestæ Baccho glaucisque salictis Nascuntur volucres. *scil.* volucræ, vitibus infestæ, et *cerambyces moschati*, ut appellantur ab *Hist. nat.* scriptoribus, qui circa salicta versari solent. — Et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 38. 47. (265). Aliqui volucre appellant animal prærodens pubescentes uvas, ubi alii multi *volvocem* leg.; sed *Harduin.* et *Sillig.* priorem lectionem tenent. Cf. *eumd.* 11. *ibid.* 34. 40. (116).

VŎLŬCRE et

VŎLŬCRIS. *V.* voc. præc.

VŎLŬCRĬPES, pĕdis, adject. omn. gen. (volucer et pes) qui vel quæ volucri pede est, velox, celer. *Auson. Ep.* 21. 14. Fer hanc salutem præpes et volucripes Paulini ad usque mœnia. Adde *Sidon. loc. cit.* in TRIMETRIA.

VŎLŬCRIS, e. *V.* VOLUCER.

VŎLŬCRIS, is, f. 3. *V.* VOLUCRA.

VŎLŬCRĬTAS, ātis, f. 3. (volucer) volubilitas volucrium propria. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 9. Philosophi vulturem in modum mundi posuerunt, quod mundus et celeri quadam volucritate versetur, et cadaverum nascentium occidentiumque perennitate depascitur.

VŎLŬCRĬTER, adverb. (volucer) velociter, *velocemente*, ταχέως. *Ammian.* 17. 1. *ad fin.* Volucriter congregati. *Id.* 29. *ante med.* Nocentes innocentesque maligna insectatione volucriter perurgebat.

VŎLŪMEN, inis, n. 3. (volvo) quidquid in gyrum volvitur, flectitur et simul procedit, εἵλιξ, στροφίς (It. *giro, aggiramento*; Fr. *tour, tournoiement*; Hisp. *vuelta*; Germ. *die Windung, Krümmung*; Angl. *turn, turning*).

I.) Generatim et quidem fere de iis, quæ actu in gyrum volvuntur. ¶ 1. Proprie. *Ovid.* 2. *Met.* 71. assidua rapitur vertigine cælum Sideraque alta trahit celerique volumine versat. *Virg.* 3. *G.* 191. *de equo.* Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare Compositis, sinuetque alterna volumina crurum. *Id.* 5. *Æn.* 407. *de cæstib.* et pondus et ipsa Huc illuc vinclorum immensa volumina versat. *Ovid.* 13. *Met.* 601. nigrique volumina fumi Infecere diem. *Lucan.* 3. 505. nigri spatiosa volumina fumi. *Id.* 5. 565. longo per multa volumina tractu Æstuat unda minax. Sic *Rutil.* 1. *Itin.* 540. grande volumen. *sc.* aquæ. Adde *Apul.* 5. *Met. Virg.* 2. *Æn.* 208. *de anguib.* sinuantque immensa volumine terga. *et* 5. *ibid.* 84. adytis quum lubricus anguis ab imis Septem ingens gyros, septena volumina traxit. *et* 11. *ibid.* 753. Saucius at serpens sinuosa volumina versat. ¶ 2. Translate. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (147). In divo quoque Augusto magna sortis humanæ reperiuntur volumina. *h. e.* varii casus et volubilitas fortunæ, *peripezie*. *Vellej.* 2. 106. 1. Quanti voluminis opera sub duce Ti. Cæsare gessimus. *quante illustri imprese.*

II.) Speciatim est opus scriptum, syntagma, liber, βιβλίον (It. *libro, volume*; Fr. *volume, livre*; Hisp. *volumen, libro*; Germ. *die Schriftrolle, die Rolle, das Buch*; Angl. *a volume, book*): quia antiqui libros, id est cortices arborum, membranas et hujusmodi, in quarum altera tantum parte fere scribebant, quæ commodius ferrent, convolvere solebant ad cylindri similitudinem et umbilicis ornare. *V.* UMBILICUS. et *Tibull.* 3. 1. 9. et *seqq.* Hinc dicimus *libros evolvere.* h. e. convolutos explicare lectitandi gratia. V. *Rich op. cit.* ad *h. v.* ¶ 1. Universim. *Cic.* 10. *Att.* 10. Evolvi volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo servoque diligentissime. Erat igitur in eo, quam X. cal. Februar. dederas, hæc modo etc. *Volumen* dicit, non quia singulæ epistolæ involutæ clauderentur (hæ enim plicabantur), sed quia multæ quum essent, unum quasi corpus et librum simul compactæ convolutæque conficerent. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 26. annosa volumina vatum. Adde *Tibull.* 4. 1. 34., *Propert.* 2. 1. 6. et *Martial.* 5. 78. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 21. (69). Publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici cœpta aut ceris. *h. e.* laminis plumbeis inscriptis et convolutis. *Plin. jun.* 3. *Ep.* 18. volumen appellat Panegyricum suum ad Trajanum. — Hinc illa apud *Plin. alter.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (147). Volumen edere de aliqua re. *un libro, un trattato.* et 25. *ibid.* 1. 3. (6). componere. *et* 6. *ibid.* 17. 20. (55). condere. et 18. *ibid.* 7. 15. (75). dicere laudibus ptisanæ. *et* 19. *ibid.* 11. 31. (56). scribere ad aliquem. ¶ 2. Quos dicimus *libros*, h. e. partes, in quas opus aliquod dividitur, sæpius *volumina* appellantur, quam *libri*. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Libri studiosi tres in sex volumina propter amplitudinem divisi. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 19. Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ. *Rutil.* 2. *Itiner.* 1. Nondum longus erat nec multa volumina passus, Jure suo poterat longior esse liber. *Justin.* 1. 10. *extr.* Post hæc Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine referetur. *Colum.* 3. *R. R. in fin.* Superest, ut præcipiamus cultus vinearum: de quibus sequenti volumine pluribus disseremus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 34. (171). Hæc est regio secundo volumine a nobis significata. Sic *Vitruv.* 7. *præf. extr.* Sexto volumine privatorum ædificiorum rationes perscripsi. *Quintil.* 9. 4. *sub fin.* Finem imponere egresso destinatum modum volumini festino. Adde *Cels.* 7. *præf. extr.* ¶ 3. Interdum *volumen* est totum ipsum opus, quod in libros dividitur, *un corpo di libri*. *Ulp. Dig.* 32. 1. 50. Si cui centum libri sint legati, centum volumina ei dabimus, non centum, quæ quis ingenio suo metitus est: ut puta quum haberet Homerum totum in uno volumine, non quadraginta octo libros computamus, sed universum Homeri volumen pro libro accipiendum est. *Nepos præf. in fin.* Plura persequi magnitudo voluminis prohibet; quare in hoc exponemus libro vitas excellentium imperatorum. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (58). Theophrastus in eo volumine, quod scripsit etc. *h. e.* in opere de historia plantar., quod in decem libros distribuitur. *Sueton. Gramm.* 2. Nævii Punicum bellum, quod, unico volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros. ¶ 4. *Volumen arcanum* est sacra Scriptura apud *Juvenal.* 14. 102. Tradidit arcano quodcumque volumine Moses. — Idem *sanctum* vocat *Prudent.* 'Αμαρτ. 625. sanctum, lector, percurre volumen.

Homonym. Discrimen inter *librum* et *volumen* elucet ex iis, quæ modo exposuimus; quamquam et promiscue adhibentur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 26. *al.*

VŎLŪMĬNŌSUS, a, um, adject. (volumen) qui pluribus gyris volvitur, *pieno di piegature o giri*. *Sidon. carm.* 9. 76. Angues corporibus voluminosis.

VŎLUNTĀRĬĒ, adverb. (voluntarius) sponte, animo libenti, non coacto, ἑκοντί, ἑκουσίως (It. *volontariamente*; Fr. *volontairement*; Hisp. *voluntariamente*; Germ. *freiwillig, mit Willen*; Angl. *voluntarily*). *Hygin. fab.* 41. Voluntarie se ad Minotaurum pollicitus est ire. Adde *Oros. prol.* § 3. et *Boeth.* 3. *Consol. phil.* 12. p. 68. 5. *Obb.*, ubi *Peiper* leg. *voluntaria*. *Hieronym.* in *ep. ad Phil.* 14. Si enim Deus voluntarie et non ex necessitate. — Apud *Senec.* 1. *Clem.* 3. *Hertz* et *Haase* pro *voluntarie* leg. *voluntaria*. Sic in illo, quod *Forcellinus* affert ex *Arnob.* 2. p. 74. Ut nihil intersit, voluntarie venerint, an illius obtemperaverint jussioni. *Oehler* et *Reifferscheid* leg. *voluntariæ.*

VŎLUNTĀRĬUS, a, um, adject. (voluntas) *Voluntarius* et *voluptarius*, ut *voluntas* et *voluptas*, in antiqu. MSS. et edit. libris aliquando inter se confusa occurrunt. Cf. *Lucret.* 4. 984. et *Ter. Andr.* 5. 5. 3. *Umpf.* — Voluntarius generatim est qui ad voluntatem pertinet: speciatim vero duo præcipue significat, scil.

*A)* Est qui voluntatem exprimit, voluntativus. *Priscian.* 17. p. 130. 24. *Keil.* Voluntaria (id est affectiva) quoque (*verba*) videmus solere infinitis adjungi, ut *volo legere, cupio scire, discere.* *V.* VOLUNTATIVUS.

*B)* Est sæpius qui pro voluntate sua sponte agit, ἑκών, ἑκούσιος, αὐτόματος (It. *volontario*; Fr. *volontaire*; Hisp. *voluntario*; Germ. *freiwillig*; Angl. *voluntary*).

I.) Proprie. *Cæs.* 3. *B. C.* 91. Voluntarii milites. *h. e.* qui sponte sua nomina dant. *Cic.* 1. *Rep.* 43. 67. servi. *Id.* 15. *Fam.* 4. Et populorum liberorum regumque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. *h. e.* quæ sponte dantur. *Liv.* 1. 59. Ferocissimus quisque juvenum cum armis voluntarius adest. *Cic. Sext.* 1. 1. Eos, qui omnia divina et humana violarint, non solum alacres lætosque volitare, sed etiam voluntarios optimis civibus periculum moliri. *h. e.* ipsos ultro. *et* 13. *Phil.* 13. 28. Est Asinius quidam, senator voluntarius, lectus ipse a se. *et Brut.* 4. *extr.* Voluntarius procurator. *h. e.* qui ultro se præbet.

II.) Translate dicitur de rebus. ¶ 1. Est qui sponte fit vel occurrit aut eligitur. *Cic.* 7. *Fam.* 3. *circa med.* Aut capiendus tamquam exsilio locus aut consciscenda mors voluntaria. *Tac. Germ.* 24. Voluntariam servitutem adire. *Id. Dial. de orat.* 41. Voluntariæ accusationes. *Petron. Sat.* 107. Voluntaria lex. *h. e.* quam sibi aliquis sponte imposuit. *Justin.* 5. 7. 3. Atheniensium civitates voluntarias recepit. *h. e.*, ut ait *Tac.* 2. *Hist.* 45., voluntaria deditione. *Id.* 2. 8. 7. Voluntariis verberibus domi effectus. *Val. Max.* 1. 8. *n.* 3. Nec minus voluntarius Junonis in urbem nostram transitus. *Martian. Dig.* 1. 16. 2. Jurisdictio voluntaria. *h. e.* quæ in volentes exercetur et *contentiosæ* opponitur. — Absolute *Vulg. interpr. Ps.* 118. 108. Voluntaria oris mei. *h. e.* quæ voluntarie offeruntur. Adde *Exod.* 35. 29. ¶ 2. Per catachresim ponitur pro naturali, ut *herba voluntaria*, quæ sua sponte nascitur, cui *sativa* opponitur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 90. (245). *de serpyllo.* Sativum non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit. Pinguius voluntarium et candidioribus foliis. ¶ 3. In illo *Vulg. interpr. Ps.* 67. 10. Pluviam voluntariam segregabis Deus. *voluntaria* aliis est non naturalis, prodigiosa, *sc.* ex omnipotenti et bona Dei voluntate unice exorta; aliis vero est abundans, copiosa. — Hinc

*Voluntarii, orum,* m. plur. 2. absolute, substantivorum more, milites, qui sponte nomina dabant, *volontari.* *Cæs.* 5. *B. G.* 56. Neque de voluntariorum copiis defore, si ex finibus suis progredi cœpisset. *Capitolin. M. Aurel.* 21. Servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos voluntarios, exemplo volonum, appellavit. *Gran. Licinian. fr.* 35. 7. *Pertz.* Legio voluntaria. *Alii leg.* voluntaria. *Inscr.* apud *Murat.* 1101. 1. TRIB. MILIT. COH. XXXII. VOLVNTARIORVM. — Præcipue animadvertendum est, inquit cl. *Furlanetto*, fuisse *voluntariorum cohortes* appellatas, quæ constabant ex militibus Italici generis et ingenuis et civibus Romanis ac propterea in vetustis lapidibus sine mentione cujusque provinciæ habentur *cohortes civium Romanorum* aut *voluntariorum* aut *civium Romanorum voluntariorum* aut *Italicorum voluntariorum* aut *ingenuorum* aut denique *civium Romanorum ingenuorum*: quæ singulæ appellationes unum idemque significant eæque fere omnes simul leguntur in *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* p. 113. n. 2. Coh. I. C. R. *ingenuorum* et apud *Murat.* p. 1053. n. 1. *Cohors I. Italica civium Romanorum ingenuorum.* Porro ex lapidibus cohortes voluntariorum XXXII. tantummodo hactenus innotescunt, quarum prima memoratur in *Inscr.* modo allatis, tricesima vero secunda in alia, quæ modo habetur in Mus. Obiciano prope Patavium, relata a *Murat.* p. 1101. n. 1. Hic autem monemus, Caracallam fortasse primum permisisse senatorum filiis honores sumere sine prævia militia: Gallienum vero vetuisse senatum militia, ut est apud *Aur. Vict. Cæs.* 33. *ad fin.* V. *Borghesi Dipl. mil.* p. 57. His ita constitutis, insuper constat ex *Herodiano* l. 2. c. 11., vigente Romana

republica, Italicos tantum homines in armis habitos fuisse; postea vero quam Augustus rerum potitus est, illum Italis et militiæ laborem ademisse et arma detraxisse ac mercenarios solum milites ex exteris nationibus ad Romanum tutandum imperium auctoramentis quibusdam sibi adjunxisse eosque paucos Italici generis homines, qui sponte militiæ nomen deinceps dederant, voluntariorum nomine rite appellatos fuisse. Hæc deprompta sunt ex iis, quæ attulit *Borghesius* in *Annal. dell' Istit. di corrisp. arch. T.* XI. *p.* 137. At *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *a med.* Cæsar Augustus in Germania et Illyrico cohortes libertinorum complures legit, quas voluntarias appellavit.

Homonym. Quomodo a *volonibus* differant *voluntarii*, V. sub VOLO, onis.

VŎLUNTAS, ātis, f. 3. (volo) De scriptione *V.* VOLO, vis; et de quantitate apud *Plaut.* V. *Ritsch.* in *Proleg. p.* 151. — Voluntas est facultas seu potentia, qua animus hominis bonum eligit atque complectitur, βουλή, θέλημα (It. *volontà, voglia, volere, intenzione*; Fr. *volonté*; Hisp. *voluntad*; Germ. *das Wollen, der Wille*; Angl. *will, wish*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 12. Natura enim omnes ea, quæ bona videntur, sequuntur fugiuntque contraria. Quamobrem simul objecta species cujuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura: id quum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem: eam illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt: Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat. Quæ autem adversus rationem incitata est vehementius, ea libido est vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus stultis invenitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 109. Quod esset suæ voluntatis, ostenderet. *Ovid.* 2. *Met.* 53. non est tua tuta voluntas. *Cic.* 1. *Rep.* 45. 69. Placet esse quasdam res servatas judicio voluntatique multitudinis. *Id.* 1. *Fam.* 8. Verumtamen ipse me conformo ad ejus voluntatem, a quo honeste dissentire non possum. *Id. pro leg. Manil.* 20. 61. Summa Catuli voluntate. *Liv.* 38. 14. Bona voluntas. *Gell.* 7. 3. Voluntas nuda inanisque. *senza effetto.* — In plur. num. *Cic.* 6. *Fam.* 6. Non inanibus aut ambitiosis voluntatibus. — *Voluntate,* absolute vel adjecto *sua* aut *alicujus,* pulcre ponitur pro eo, quod est. bona cum gratia, sponte, voluntarie. *Plaut. Mil.* 2. 5. 40. Nisi voluntate ibis, rapiam te domum. *Ter. Adelph.* 3. 5. 44. Fidem vestram implorat, quod vos jus cogit, id voluntate ut impetret. *Cic.* 1. *Divin. in Q. Cæcil.* 9. 27. Ego jam tibi ipse istud, quod expetis, mea voluntate concedam. *Id.* 13. *Fam.* 5. Reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur. *Liv.* 29. 38. Aliæ civitates voluntate in ditionem venerunt. — *Ex et de voluntate,* est secundum voluntatem. *Cic. Pis,* 20. 46. Illud accidit præter optatum meum, sed valde ex voluntate. *Id.* 13. *Fam.* 29. *ad fin.* Siquid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate. *Id.* 4. *Att.* 2. *a med.* Vix tamen ei de mea voluntate concessum est. — *Ad voluntatem loqui,* est assentari. *Id. Quinct.* 30. *circa med.* Se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse. Est qui leg. *voluptatem*, cod. sensu. Adde *Parad.* 5. 2. *in fin.* Sic *Q. Cic. Petit. cons.* 11. 42. Vultum et sermonem ad aliorum sensum et voluntatem commutare. *Rutil. De fig. sent.* 2. 19. Dictum ad voluntatem auditoris obscuratum erat quæstione utilitatis. ¶ 2. Speciatim, aliquando, ponitur pro intentione, proposito, sententia. *Cic.* 3. *Cat.* 9. *a med.* Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi. *Id. Ligar.* 2. 4. Profecto voluntatem habuit non turpem. *Id. pro leg. Manil.* 16. *a med.* Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. ¶ 3. Item pro amore, benevolentia, propensione in aliquem. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. Quod de sua erga Cæsarem voluntate humanissime diligentissimeque locutus esses. *Id.* 5. *Fam.* 2. Timuissent, ne qua mihi pars abs te voluntatis mutuæ tribueretur. *Id. Ligar.* 2. *ad fin.* Nullum habes signum alienæ a te voluntatis. *Nepos Datam.* 5. *extr.* Qua voluntate esset in rege, celans. — *Vellej.* 2. 30. 3. Ad voluntatem invidiam rerum dirigere. *h. e.* ad benevolentiam et malevolentiam. ¶ 4. Item pro favore, studio. *Ter. Phorm. prol.* 29. Voluntas vestra si ad poetam accesserit. *Cic. Rabir. perduell.* 3. 8. Quum tanto studio C. Rabirius totius Apuliæ, singulari voluntate Campaniæ vicinitatis ornetur. ¶ 5. Dicitur etiam de testamento: et absolute et cum adjecto *ultimæ*. *Plin.* 5. *Ep.* 7. Mihi defuncti voluntas antiquior jure est. *Id.* 4. *Ep.* 10. Religiosissime custodire defunctorum voluntatem. *Ammian.* 28. 1. *a med.* Finxit, maritum in voluntate, quam condiderat nuper, argenti tria milia pondo eidem reliquisse. *Pompon. Dig.* 33. 1. 6. Qui ex ultima voluntate aliquid lucratur. — In plur. num. *Plin.* 2. *Ep.* 16. Defunctorum voluntates. *Ammian.* 28. 4. *a med.* Subsident alii copiosos homines, ad voluntates condendas allicientes eos præstigiis miris.

II.) Translate refertur ad res et est significatio, sensus, vis. *Quintil.* 7. 10. 6. Verbis legum standum sit, an voluntate. *Id.* 12. 2. 19. Quæstio juris omnis aut verborum proprietate aut voluntatis conjectura continetur. Adde 6. 2. 9. *Id.* 7. 10. *init.* In finitione quæ sit voluntas nominis, quæritur. *il significato.*

VŎLUNTĀTĪVUS, a, um, adject. (voluntas) ad voluntatem pertinens, ut Verba voluntativa apud *Priscian.* 18. *p.* 1129. *Putsch.*, quæ voluntatem aliquam significant. *V.* VOLUNTARIUS.

VŎLUP. *V.* voc. seq.

VŎLŬPE, n. indecl. tum adject. tum substant. Videtur esse ab inus. *volupis, pe,* cujus forma contracta per apocopen est *volup,* ut *capital, facul.* Sane *Plaut. Asin. Grex.* 1. Hic senex si quid suo animo fecit volup. Ita leg. *Non.* *p.* 187. 5. *Merc.* et cum eo alii multi; sed in pluribus MSS., teste *Grutero,* est *voluptatis:* quod quidem minime recipiendum esse, patet ex his verbis *Fronton. De fer. Als.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. Nam qua te dicam gratia Alsium maritimum et voluptarium locum, et, ut ait Plautus, locum lubricum delegisse, nisi ut bene haberes genio, utique verbo vetere faceres animo volup? Qua malum volup? *et mox.* Tu umquam volup? volpem facilius quis tibi, quam voluptatem conciliaverit. (*V.* LABOR, oris.) Hinc liquet, etiam in locis infra citatis abstinendum esse ab intemperanti criticorum hominum licentia, qui aliquo MS. perperam freti veterum scriptorum verba paullo obsoletiora pro arbitrio passim immutando corrumpunt magis, quam corrigunt. Immo *Ritsch. Opusc.* 2. 450. et *seqq.* (quem *Brix* ad *Plaut. Mil. glor.* 277. *v.* et *Dziatzko* ad *Ter. Phorm. v.* 610. secuntur) negat, alteram formam *volupe* demonstrari posse: contra *Bücheler Grundr. p.* 5. defendit. Porro utriusque formæ exstant exempla, ut infra videre est. — In synalœphe *volupest* rectius vocem divides in *volupe* et *'st,* quam in *volup* et *est.* — Ratione habita etymi, alii conferunt cum Gr. βούλομαι, volo; vel ex duplici rad. *vel,* unde volo, et *op,* unde *opto,* malunt esse confectum; alii jungunt cum Gr. ἔολπα ab ἔλπω, spero. — Utramque formam separatim proponimus.

I.) *Volup,* quod alii nomen putant et exponunt gratum, delectabile, jucundum, voluptatem afferens; alii vero adverbium esse volunt et interpretantur cum voluptate, *con piacere, con diletto:* cui ægre opponatur. Sed hoc discrimen ex diversa legendi ratione proficisci arbitror. Cf. tamen et voc. seq. *Plaut. Men.* 4. 3. 3. Scio, ut tibi ex me sit volup. *Alii leg.* voluptas. *Enn.* apud *Gell.* 12. 4. Quocum multa volup ac gaudia clamque palamque. *Lips.* ex libr. Vatican. leg. *Quocum multa volutat gaudia* etc., sed vulgatam lectionem non respuit. Addunt alii ex *Plauto Mil. glor.* 3. 1. 127. Suis amicis est volup. *Alii leg.* volupe. *Id. ibid.* 4. 1. 1. Volup est quod agas, si id procedit lepide et ex sententia. *Alii leg.* voluptas. Addunt et alia ex eod. *Plaut.,* in quibus alii *volupe.* V. et locum *Terent.* in voce seq.

II.) *Volupe,* item significat delectabile, jucundum, gratum, *cosa grata, piacere. Plaut. Amph.* 5. 3. 3. Quis vos tranquillos video, gaudeo et volupe est mihi. *ho gusto. Ter. Phorm.* 4. 3. 5. Venire salvum volup' est. *Donatus* legendum putat sine ulla apostrophes nota et dici *volup,* quemadmodum *facul. Plaut. Cas.* 4. 2. 5. Facite vostro animo volupe. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 149. Si illis ægre est, mihi quod volupe est. *et Pœn.* 5. 4. 20. Bene factum! gaudeo et volupe est mihi. *Id. Rud.* 4. 4. 132. Volupe est, quum istuc ex pietate vestra vobis contigit. *Id. Stich.* 4. 1. 2. Ut mihi volupe est, quia vos in patriam domum redisse video! Adde *Augustin. Ep.* 3. *n.* 5., *Arnob.* 7. *p.* 34. et *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 41., ubi tamen pro *volupe est* quibusdam placet *volo se esse,* cui dictioni adhæret *Weitzius;* ceterum illud habent præstantiores MSS. et Vatic. et Heins. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *Sav.* Quam volupe auribus insonare cicadas. — Videtur esse adverb. in illo *Plaut. Most.* 1. 2. 74. Cursu, armis, equo victitabam volupe.

VŎLUPTĀBĪLIS, e, adject. (voluptas) voluptuosus, gratus, ἡδύς. *Plaut. Epid.* 1. 1. 19. Voluptabilem mihi nuntium tuo adventu attulisti. Adde *Ammian.* 23. 6. 67. *et* 31. 2. 22. et *Cyprian. Ep.* 75. *n.* 1.

VŎLUPTĀRĬĒ, adverb. (voluptarius) cum voluptate, *voluttuosamente. Apul.* 3. *Met.* Transactis voluptarie paucis noctibus.

VŎLUPTĀRĬUS, a, um, adject. (voluptas) Scribitur etiam *voluptuarius. V.* infra sub I. — Voluptarius est ad voluptatem pertinens: usurpatur autem tum de rebus, tum de personis.

I.) De rebus est qui ad voluptatem pertinet. ¶ 1. Active, qui voluptatem affert. *Cic.* 3. *Fin.* 10. *in fin.* Quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονὴν appellant, ego malo lætitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam. *Id.* 12. *Att.* 25. Voluptariæ possessiones. *luoghi da delizia, da piacere.* V. *Frontonis loc. cit.* in VOLUP. *Id.* 1. *Fin.* 11. 37. Voluptaria, delicata, mollis disciplina. *h. e.* effeminata. voluptuosa. *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Od.* 15. 7. Voluptarius odor. *Tertull. Apol.* 140. visio. — *Voluptaria ædificia,* locus voluptarius, *case di delizie. Inscr.* in *Annal. dell' Istit. arch.* a. 1852. *p.* 314. *n.* 36. — *Voluptuaria vita,* quæ et *philargica,* a philosophis dicitur ea, quæ libidini tantummodo obnoxia nullum honestum reputat bonum, sed solum vitæ adpetit corruptelam etc. Ita *Fulgent.* 2. *Mythol.* 1. — Absolute *Ambros. De fug. sæc.* 1. Voluptuaria ingerere. ¶ 2. Passive sumitur pro eo qui recipit seu percipit voluptatem. *Cic.* 3. *Orat.* 25. *a med.* Gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius. *Capitolin. Ver.* 2. Fuit voluptuarius et nimis lætus. *Capell.* 2. *p.* 37. Voluptuariæ Veneris filius. *Inscr.* apud *Marini Frat. Arv. p.* 92. PEDISECVS RATIONIS VOLVPTVARIAE.

II.) De personis ponitur pro eo, qui voluptatibus deditus est. *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 18. Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis afficias, quibus Epicurus voluptatem, homo, ut scis, voluptarius. *Id.* 5. *Fin.* 25. 74. Quin etiam ipsi voluptarii deverticula quærant.

VŎLUPTAS, ātis, f. 3. (volup) In genet. plur. duplex positio est, *voluptatum* et etiam *voluptatium,* ut apud *Cic.* 5. *Tusc.* 26. 74., *Liv.* 7. 38. et *alib., Senec. Ep.* 12. et *alib.* et *Tertull. Spect.* 1. — Voluptas duo præcipue significat.

*A)* Objective, ut ajunt, est lætitia præter modum elata ex opinione præsentis alicujus boni; omne id, quo gaudemus. Dicitur tam de animo, quam de corpore; tum de bona voluptate, tum de mala, ἡδονή (It. *piacere, gusto, diletto, voluttà;* Fr. *plaisir, contentement, joie;* Hisp. *placer, gusto, contento, deleite;* Germ. *das Vergnügen, die Lust, der Genuss;* Angl. *a pleasure, delight, sport, joy*).

I.) Abstractorum more, vel proprie. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Omne autem id, quo gaudemus, voluptas est; ut omne, quo offendimur, dolor. *Id.*

2. *ibid.* 4. 13. Voluptatis verbo omnes, qui Latine sciunt, duas res subjiciunt: lætitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore. *Id. Senect.* 13. 44. Divinus (*al.* divine) Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces. *Ter. Heaut.* 1. 2. 10. Voluptatem magnam nuntias. *h. e.* rem, ex qua magnam capio voluptatem: Gallice *maître de plaisir. Cic. Senect.* 12. 39. Nulla capitalior pestis, quam voluptas corporis. *Id. Brut.* 50. 188. Voluptate perfundi. *Id.* 1. *Fin.* 11. 38. Esse in voluptate. *Id.* 1. *Nat. D.* 30. 84. Voluptatibus frui. *Id.* 1. *Fam.* 7. *sub fin.* Voluptati esse alicui. *Id.* 5. *Fin.* 19. 51. Fabulas cum voluptate legere. *Id.* 1. *ibid.* 18. 57. Voluptatibus perfrui, *et mox.* Voluptatibus deditum esse. *Id.* 1. *Legg.* 11. 31. Capi voluptate. *Id.* 5. *Fam.* 7. Voluptatem accipere ex aliqua re. *Plin. Hist. nat.* 66. *procem.* afferre. *Quintil.* 2. 12. 6. P mulcere aures alicujus pravis voluptatibus. *Varro Sat. Menipp.* 38. *p.* 137. *Oehl.* Voluptatem auribus aucupari. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 55. Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas. *Tac. Agric.* 21. Quieti et otio per voluptates assuescere. *Id.* 4. *Hist.* 61. Abruptis voluptatibus, quibus etc. *Publil. Syr.* 650. *p.* 358. *R.* Voluptas tacita metus est magis quam gaudium. — Cum Infinito. *Tac. Dial. de orat.* 6. Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quam spectare homines etc. — Inter officia domus Augustæ fuit etiam *procurator voluptatum* in *Inscr.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 26., cujus munus erat perscribere pecunias, quæ impendebantur a principe in rebus voluptariis quibuscumque. V. *Sueton. Vesp.* 22. Huc etiam trahendus videtur locus *ejusd. Tib.* 42. Novum officium instituit a voluptatibus, præposito equite Romano T. Cæsonio Prisco. — Hinc etiam *servus a ration. voluptat.* in *Inscr.* apud *Murat.* 903. 1., 921. 10., 934. 4., et *scriba a ration. volupt.* apud *eumd.* 890. 7.

II.) Concreto, qui dicitur, sensu, vel metonymice. — *a*) Interdum voluptatis nomine intelliguntur spectacula et ludi scænici et circenses et venationes et similia, etenim ipse *Cic. Mur.* 35. 74. videtur de ludis et spectaculis *voluptates* usurpasse. — Hinc aliquando qui ludis præessent, *tribuni voluptatum* dicti sunt, quorum officii formulam habet *Cassiod.* 7. *Variar.* 10. ejusque 6. *ibid.* 19. meminit, ubi eum *lascivæ voluptatis tribunum* appellat. *Trebell. Gallien.* 9. Ecquæ voluptates paratæ sunt, et qualis cras erit cena? *Vopisc. Aurelian.* 34. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scænicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ. *Id. Prob.* 19. Dedit Romanis etiam voluptates, et quidem insignes, delatis etiam congiariis. *Inscr.* apud *Don. cl.* 20. *n.* 63. FL MAXIMVS V. C. TRIBVNVS VOLVPTATVM. — *b*) Item dicitur de conviviis. *Gell.* 2. 1. *de Socrate.* Dicitur et a voluptatum labe cavisse. *et* 19. 2. Gustus voluptatum. Adde *Firmic.* 4. *Mathes.* 5. et *Apul.* 7. *Met.* — *c*) *Mea voluptas*, blanda et amatoria compellatio est. *Virg.* 8. *Æn.* 581. mea sera et sola voluptas. *Plaut. Truc.* 2. 4. 2. Quo introire meruas, mea voluptas?

*B*) Subjective est ipsa libido, hoc est voluntas percipiendi ex aliqua re voluptatem.

I.) Proprie. *Plaut. Amph. prol.* 114. Dum ille illam, quicum vult, voluptatem capit. *Ter. Hecyr.* 1. 1. 10. Nam nemo quisquam illorum, scito, ad te venit, quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis quam minimo pretio suam voluptatem expleat. *Liv.* 30. 14. *a med.* Qui voluptates sua temperantia frenavit ac domuit, multo majus decus sibi peperit, quam etc. Adde *Gell. præf.* 14.

II.) Translate. ¶ 1. Est effectus voluptatis, hoc est semen genitale. *Hygin.* 2. *Astron.* 13. *ante med.* Vulcanum ferunt cœpisse Minervæ vim afferre: et quum plenus cupiditatis ad eam, ut complexui se applicaret, ferretur, repulsus effudit in terram voluptatem. *Arnob.* 5. *p.* 158. ...piter voluptatem in lapidem effudit. ¶ 2. ...cundum fabulas *Voluptas* in dearum numero habita est: narrant autem fuisse filiam Cupidinis primi ex Psyche filia Apollinis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 61. Cupidinis et Voluptatis et Lubentinæ Veneris nomina consecrata sunt. — Huc pertinet illud *Sil. It.* 15. 95. et *seqq.* Quantum sola noces animis, illapsa Voluptas! Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus et atris Circa te semper volitans Infamia pennis. Cf. *Claudian. De nupt. Honor.* etc. 82. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

VŎLUPTĀTĪVUS, a, um, adject. (voluptas) idem ac voluptarius. *Fronto* 2. *ad Anton. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. *ad fin.* Sed . . . et voluptatiba . . . Ita scribitur pro *voluptativa.* At *Naber p.* 110. 15. leg. *voluptatibus.*

VŎLUPTĬFĬCUS, a, um, adject. (voluptas *et* facio) voluptatem afferens. *Apul. Florid. n.* 10. Jovis stella benefica, Veneris voluptifica.

VŎLUPTOR *et* voluptuor, āris, ari, dep. 1. (voluptas) Part. *Voluptuans.* — Voluptuor est voluptatibus indulgeo. *Quintil. Declam.* 3. 13. *in fin.* Tribunus inter scorta voluptabitur. Alii leg. *volutabitur.* Addunt et *Apul.* 9. *Met.*, *Petron. Sat.* 79. *a med.*, *Justin.* 12. 16. 2. et *Sueton. Cal.* 42., quibus locis quidam *voluptuor*, plerique *volutor* reponunt, quod multo rectius est. Ita *Forcellinus.* Alium locum dubius addit cl. *Furlanetto* ex *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (140). Clesides, nullo honore exceptus ab regina Stratonice, pinxit voluptuantem cum piscatore, quem reginam amare sermo erat. At *Sillig.* leg. *volutantem;* immo recentiores critici vocem a tota Latinitate extrudunt.

VŎLUPTŬANS, antis, particip. *V.* voc. præc.

VŎLUPTŬĀRĬUS. *V.* VOLUPTARIUS.

VŎLUPTŬOR. *V.* VOLUPTOR.

VŎLUPTŬŌSĒ, adverb. (voluptuosus) Comp. *Voluptuosius.* — Voluptuose est voluptarie, μεθ' ἡδονῆς (It. *con piacere;* Fr. *avec plaisir, avec beaucoup de plaisir ou de joie;* Hisp. *con placer, con mucho placer;* Germ. *vergnügt, wonnevoll;* Angl. *with much delight or pleasure*). *Sidon.* 5. *Ep.* 20. Ad patriæ solum voluptuose venire. Adde *Augustin.* in *Ps.* 39. 21. et *Cassiod.* 12. *Variar.* 15. *Fulg. interpr. Thr.* 4. 5. Voluptuose vesci. *Sidon.* 1. *Ep.* 9. *a med.* Voluptuosius relegendis versibus immorabere.

VŎLUPTŬŌSUS, a, um, adject. (voluptas) Sup. *Voluptuosissimus.* — Voluptuosus est voluptate plenus (It. *pieno di piacere, dilettevole, grato;* Fr. *agréable, délicieux, charmant;* Hisp. *agradable, gustoso, delicioso, hechizo;* Germ. *voller Lust, v. Wonne, v. Vergnügen, wonnevoll;* Angl. *pleasing, agreeable, delightful, delicious*). *Sidon.* 2. *Ep.* 9. Voluptuosissimum tempus exegi. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 4. Contionator voluptuosissimus. — Cum Infinito. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Voluptuosum est, posse utraque eadem opera invisere. *Quintil. Declam.* 260. *ante med.* Voluptuosum est, alere et pascere. — Et sequente partic. *si. Sidon.* 4. *Ep.* 11. Voluptuosissimum (*esse*) reputans, si forte etc.

VŎLŪTA, æ, f. 1. (volvo) capreolus in columnarum capitulis, ex herbæ foliis enascens et, ubi abacum jam propemodum contingit, in orbem circumvolutus, unde tam apud Græcos, quam apud Latinos nomen invenit, ἕλιξ (It. et Hisp. *voluta;* Fr. et Angl. *volute;* Germ. *die Schnecke, Voluta*). *Vitruv.* 4. 1. Quæ ex cauliculorum foliis natæ procurrant ad extremos angulos volutæ minoresque helices floribus subjectæ, scalpuntur. *Id.* 3. 3. De volutarum autem descriptionibus, ut ad circinum sint recte involutæ, quemadmodum distribuantur, in extremo libro forma et ratio earum est descripta. *Id.* 7. 5. Pro columnis statuuntur calami, pro fastigiis harpaginetuli striati, cum crispis foliis et volutis. V. *Baldum* in *Lex. Vitruv.*

VŎLŪTĀBRUM, i, n. 2. (voluto) locus, in quo sues volvuntur, κυλίστρα, βόλισμα (It. *pozzanghera;* Fr. *bourbier;* Hisp. *cenagal, pantano;* Germ. *der Morast, die Schweineschwemme;* Angl. *a puddle, dirty plash, slough*). *Virg.* 3. *G.* 411. Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens. *Arnob.* 7. *p.* 224. Quum ad ultimum porculi cœnum vobis profunderent ex volutabris horrentibus, lutosis et voraginibus sumptum. — Proverb. de eo, qui, a prava vita ad bonam conversus, in pristina flagitia relabitur. *Fulg. interpr.* 2. *Petr.* 2. 22. Sus lota in volutabro luti.

VŎLŪTĀBUNDUS, a, um, adject. (voluto) qui se valde volutat. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 491. 15. *Merc.* Lubidinosus et volutabundus in voluptatibus.

VŎLŪTANS, antis, particip. *V.* VOLUTO.

VŎLŪTĀRĬUM, ii, n. 2. (voluto) instrumentum, quod in se revolvitur, cylindrus. *Gloss Cyrill.* Κυλινδρος, volutarium.

VŎLŪTĀTIM, adverb. (voluto) iterum atque iterum volvendo, διὰ κυλίσματος. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 40. Volutatim domum te rapiam. *Alii rectius leg.* Nisi voluntate ibis, rapiam te domum.

VŎLŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (voluto) actus volutandi, *volgimento, rivoltolamento,* κύλισμα.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (207). Volutatio in luto. *Seneca Provid.* 1. *a med.* Certa aliqua volutatione modo contrahi undas, modo erumpere. *Pallad.* 7. *R. R.* 1. Area premenda est rotundo lapide, cujus volutatio possit ejus spatia solidare. *Tertull. Pall.* 4. Volutatio pulverea athletarum. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. 133. Volutatio in palæstra varia, quam Græci *celadian* (κελαδίαν) atque *chiromachiam* (χειρομαχίαν) vocaverunt. — In plur. num. *Cic. Pis.* 34. 83. An vero tu parum putas investigatas esse a nobis labes imperii tui stragesque provinciæ? quas quidem nos non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis et cubilibus persecuti sumus. ¶ 2. In re obscena est συνουσιασμός. *Seneca* 1. *Controv.* 2. *ante med.* Numquid hoc negas, colluctatam te tamen, cum viro? quem in illa volutatione necesse est prius super te fuisse: adjiciebat, obscene. *Petron. Sat.* 95. Contemplatus fœdissimam jacentium volutationem.

II.) Translate. ¶ 1. Est jactatio, *agitazione, inquietudine. Seneca Tranquill.* 2. *a med.* Tædium et displicentia sui et nusquam residentis animi volutatio. ¶ 2. Item inconstantia, mutabilitas. *Id. Ep.* 99. *ante med.* In tanta volutatione rerum humanarum nil cuiquam, nisi mors, certum.

VŎLŪTĀTUS, a, um, particip. *V.* VOLUTO.

VŎLŪTĀTUS, us, m. 4. (voluto) idem quod volutatio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 4. 5. (17). Multum pulverem volutatu collectum insidens cornibus excutit in oculos. *Apul.* 4. *Met.* Lassitudinem, vice lavacri, pulvereis volutatibus digerebam.

VŎLŪTĬLIS, e, adject. (volvo) qui volutari potest. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 124. Volutat, volutilis, volubilis.

VŎLŪTIM, adverb. (volvo) volubiliter. *Non. p.* 4. 1. *Merc.* Tolutim quasi volutim vel volubiliter.

VŎLŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat. a* volvo) Part. *Volutans* I. 2. et 3.; *Volutatus* I. 1. a et 3.; II. 1. — Voluto est sæpe et multum volvo, κυλινδέω (It. *voltolare, voltare e rivoltare, avvolgere, ravvolgere;* Fr. *rouler, faire tourner, enrouler;* Hisp. *rodar, hacer girar, volver, arrollar;* Germ. *herumwälzen, h. drehen, h. rollen;* Angl. *to roll, to wallow*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Cum Acc. *Lucan.* 1. 412. Ventus volutat pelagus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (98). Scarabæi, qui e fimo ingentes pilas aversi pedibus volutant parvosque in iis contra rigorem hiemis vermiculos fetus sui nidulantur. — *b*) Sæpius cum addito Abl. et præp. *in* vel absolute, aut Acc. et præp. *per, super* etc. *Id.* 30. *ibid.* 16. 53. (148). Pulvis, in quo se mula volutaverit. *Colum.* 12. *R. R.* 48. *a med.* Amphoras per terram volutare. *Sidon.* 9. *Ep.* 7. Ne lingua per cameram palati volutata balbutiat. — *Pallad.* 1. *R. R.* 30. *in fin.* Tunsas caricas et aqua maceratas, in offas volutabis exiguas. — *Volutari,* mediorum apud Græcos more. *Varro* 3. *R. R.* 9. *ante med.* Ut gallinæ possint in pulvere volu-

tari. *Colum.* 7. *R. R.* 10. *a med.* Sus gaudet cœnoso lacu volutari. *Sueton. Cal.* 42. Super immensos aureorum acervos et nudis pedibus spatiatus et toto corpore aliquamdiu volutatus est. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 56. (133). Volutati supra jacentia poma. ¶ 2. *Volutare se* vel *volutari ad pedes alicujus* est procumbere, advolvi, *prostrarsi a' piedi*. *Cic.* 4. *Herenn.* 24. 33. Quum tibi pueri ad pedes volutarentur etc. *Virg.* 3. *Æn.* 607. et genua amplexus genibusque volutans Hærebat. *subaudi se*. ¶ 3. *Volutari cum aliqua*, συνουσιάζειν. *Cic. Harusp. resp.* 27. *a med.* Quis umquam nepos tam libere est cum scortis, quam hic cum sororibus, volutatus? *Seneca* 1. *Controv.* 2. *a med.* Meretrix citra stuprum cum viris volutata. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (140). Clesides Stratonicem pinxit volutantem cum piscatore, quem reginam amare sermo erat. *Alii leg.* voluptuantem. *V.* VOLUPTOR. *Tertull. ad Uxor.* 9. Atquin vere duo in carne una: simul orant, simul volutantur. Adde *Justin.* 12. 16. 2. (*V.* VOLUPTOR) et *Petron. Sat.* 79.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Seneca Herc. Fur.* 1081. Fusus humi sæva feroci corde volutat Somnia. *h. e.* dormiens somniis agitatur. *Liv.* 9. 17. Mentio tanti regis sæpe tacitis cogitationibus volutavit animum. *h. e.* versavit, distraxit. *Jul. Val.* 2. 15. Quum inter spem metumque animum volutaret. — Mediorum apud Græcos more. *Cic.* 9. *Fam.* 3. Quum omnes in omni genere et scelerum et flagitiorum volutentur. *Id.* 4. *Herenn.* 13. 19. In omni dedecore volutatus es. *Seneca Vit. beat.* 24. *a med.* Inter mala plurima volutari. *h. e.* versari. Sic *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13. *a med.* Itaque ad Callisthenem et Philistum redeo, in quibus te video volutatum. *h. e.* cum labore versatum. ¶ 2. Speciatim pro edere, volvendo emittere: ea ratione, qua dicimus *volvere verba, ignem* etc. *Virg.* 1. *Æn.* 729. Fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant Atria. *et* 5. *ibid.* 149. Consonat omne nemus vocemque inclusa volutant Litora. *et* 10. *ibid.* 97. ceu flamina prima Cum deprensa fremunt silvis et cæca volutant Murmura. ¶ 3. Item mente volvere, cogitare, *pensare e ripensare*. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 4. 2. 1. Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto. *Lucret.* 3. 241. Volutare aliquid mente. *Virg.* 4. *Æn.* 533. secumque ita corde volutat: En, quid ago? etc. *et* 6. *ibid.* 185. Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat. *Liv.* 28. 18. *sub fin.* in animo. *Id.* 40. 5. multa secum animo. — *Tac.* 1. *Ann.* 36. Volutatis inter se rationibus — *b*) Sequente Abl. et præp. *de*, vel particula interrogativa. *Auson. Grat. act.* 18. 4. Quum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem. *Virg.* 9. *Ecl.* 37. tacitus mecum ipse voluto, si valeam meminisse. *Tac.* 4. *Ann.* 12. Volutare secum, quonam modo etc. ¶ 4. *Volutare quippiam cum aliis*, de re quapiam cum aliis agere. *Liv.* 34. 36. Has conditiones quamquam ipse in secreto volutaverat cum amicis, tamen etc.

VŎLŪTUS, a, um, particip. *V.* VOLVO.

VŎLŪTUS, us, m. 4. (volvo) actus se volvendi. *Apul. Florid. n.* 10. Dedit volatus avibus, volutus serpentibus, cursus feris, gressus hominibus.

VOLVA. *V.* VULVA.

VOLVENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

VOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. *Volvier*, infinit. parag. pro *volvi*, apud *Acc. tr.* 395. et *Lucret.* 5. 714. — Præterit. *volui* per diæresim pro *volvi* usurpant poetæ. *V.* EVOLVO et SOLVO. — Etymologi vocem conjungunt cum rad. Skr. *var* ejusd. significationis, unde *vara*, circuitus, et cum Gr. ἐλύω. Cf. Germ. *wölben*. — Part. *Volvens* I. 1. *a, b, c*; II. 2. et 3.: *Volutus* I. 1. *b, c*; *Volvendus* I. 4. et II. 1. — Volvo est verso, in orbem torqueo, in gyrum ago, convolvo, provolvo, κυλίω, πολέω (It. *voltare in giro, girare, volgere, voltare*; Fr. *rouler, faire tourner, enrouler*; Hisp. *volver, girar, rodear*; Germ. *wälzen, rollen, drehen, winden*; Angl. *to turn, to roll, to bend*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Virg.* 1. *G.* 163. Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra. *h. e.* se volventia. Cf. 10. *Æn.* 362. saxa rotantia late Impulerat torrens. *h. e.* quæ rotantur. — Sic translate 1. *ibid.* 238. Certe hinc Romanos olim volventibus annis etc. *h. e.* se volventibus seu vertentibus et perpetuo cursu serieque succedentibus. *et* 2. *G.* 295. *de æsculo*. multosque per annos Multa virum volvens durando sæcula vincit. *h. e.* temporis cursu se velut circumagens et veluti cum eo se volvens. — *b*) Cum Acc. *Varro* 5. *L. L.* 114. *Müll.* Volvere filum. *annaspare e scannellare*. *Horat.* 2. *Od.* 9. 22. Flumen volvit vortices. *Id.* 3. *ibid.* 29. 37. *de flum.* nunc lapides adesos Stirpesque raptas et pecus et domos volvens. *Ovid. Ib.* 177. Sisyphus est illic saxum volvensque petensque. *h. e.* de monte dejiciens: quod decurrendo se volvit. *Virg.* 11. *Æn.* 529. Sive instare jugis et grandia volvere saxa. *h. e.* devolvere, *gettar giù, far rotolare*. *et* 3. *G.* 85. *de equo*. Collectumque premens volvit sub naribus ignem. *h. e.* exspirat, efflat. Sic *Tibull.* 3. 4. 86. flammam volvens ore Chimæra fero. *et Virg.* 1. *G.* 472. Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa. *h. e.* eructare, evomere et provolvere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 3. 2. (5). Procellæ ab imo vertunt maria pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt. — Hinc metonymice. *Id.* 30. *ibid.* 11. 30. (99). Scarabæus, qui pilas volvit. *h. e.* lutum pedibus in pilas cogit easque versat. *Liv.* 22. 29. (*et* 4. 28.) Qui terga dederant, conversi in hostem volventesque orbem, nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare. *Id.* 27. 49. Volvere errorem per tortuosi amnis sinus. Nos dicimus *errare o andare a zig-zag*. Cf. Græcum κυκλοῦν. — Proverb. *Ter. Eun.* 5. 9. 55. Satis diu jam hoc saxum volvo. *V.* SAXUM. — Mediorum apud Græcos more. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 31. *de saltatore*. Occepi denuo hoc modo volvi *etc.* ubi circumvertor, cado. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 20. Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus. *Cic. Fat.* 18. *extr.* Cylindrum volvi et versari turbinem putant. *Id.* 6. *Rep.* 17. 17. Illi, qui volvuntur, stellarum cursu sempiterni. *Virg.* 4. *Æn.* 449. lacrimæ volvuntur inanes. *h. e.* ex oculis defluunt. *Id.* 1. *ibid.* 119. excutitur pronusque magister Volvitur in caput. *cade col capo in giù*. (Similiter dixit *Tassus Gerus.* 11. 81. *E cade in giù, come paleo, rotando.*) Cf. *Sisenn.* apud *Non. p.* 57. 33. *Merc.* Romanis præcipitatis, ipsi supra voluti in caput. — *c*) Cum addito Abl. sine aut cum præp. *in*, vel Acc. et præp. *per, ad, circa* etc.; vel adverb. motus ad locum. *Virg.* 8. *Æn.* 618. oculos per singula volvit. *et* 4. *ibid.* 363. Huc illuc volvens oculos. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 68. (116). Herba circa arbores se volvens. — Mediorum apud Græcos more. *Virg.* 11. *Æn.* 590. moribundus volvitur arvis. *Id.* 6. *ibid.* 581. Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo. *et* 11. *ibid.* 888. Pars in præcipites fossas, urgente ruina, Volvitur. *Propert.* 3. 6. 12. Et Veneris magnæ volvitur ante pedes. *si prostra*. *Lucan.* 7. 379. Volverer ante pedes. Contra *Virg.* 2. *Æn.* 758. ignis edax summa ad fastigia vento Volvitur. *h. e.* volvendo se scandit. *Id.* 7. *ibid.* 349. *de angue*. Ille inter vestes et levia pectora lapsus Volvitur. *Sil. It.* 17. 122. turbidus amnis, Qui, silvas ac saxa trahens, per devia præceps Volvitur. *h. e.* volvendo se decurrit. *Virg.* 3. *G.* 521. per saxa volutus Purior electro campum petit amnis. *Id.* 10. *Æn.* 790. lacrimæ per ora volutæ. *et* 12. *ibid.* 906. lapis vacuum per inane volutus. *h. e.* missus, jactus. *et ibid.* 672. flammis inter tabulata volutus Ad cælum undabat vortex. *Capell.* 8. *p.* 273. Ecce globus quidam lucis ætheréæ miti vertigine sensim volutus illabitur. ¶ 2. Speciatim est sternere, prosternere, *rovesciare, atterrare*. *Virg.* 11. *Æn.* 329. Semineces volvit multos aut agmina curru Proterit. — Et *volvi*, sterni, concidere et stratum versare se humi, *cadere e rivoltolarsi*. *Id.* 10. *ibid.* 390. Excussus curru moribundus volvitur arvis. *et* 11. *ibid.* 640. Volvitur ille excussus humi. *h. e.* excussus equo procumbit humi. *et ibid.* 634. permixti cæde virorum Semianimes volvuntur equi. *Id.* 9. *ibid.* 433. Volvitur Euryalus leto. *Id.* 10. *ibid.* 403. Volutus curru. *rovesciato, caduto*. ¶ 3. Item *volvi* est versari, agitari. *Id.* 5. *ibid.* 629. Italiam sequimur fugientem et volvimur undis. ¶ 4. *Volvere libros*, evolvere, versare, *leggere*. *Cic. Brut.* 87. 298. Volvendi sunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 1. *Æn.* 26. populum Venturum excidio Libyæ: sic volvere Parcas. *h. e.* disponere. Et respicit ad Parcarum officium, quæ dicuntur vitæ hominum fila nere et fusos volvere. *et* 3. *ibid.* 375. sic fata deum rex Sortitur volvitque vices. *h. e.* disponit, ut una post aliam succedant, instar amnis undas suas unam post aliam volventis. Sic *Seneca Troad.* 387. Quo cursu properat sæcula volvere Astrorum dominus. *Horat.* 4. *Od.* 6. 40. Luna celeris pronos Volvere menses. *Virg.* 9. *Æn.* 6. quod optanti divum promittere nemo Auderet, volvenda dies en attulit ultro. *Id.* 1. *ibid.* 273. Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit. *h. e.* volubilibus, et qui perpetuo cursu se volvent, et unus post alium succedent. *Id.* 6. *ibid.* 748. Has (*animas*) omnes, ubi mille rotam volvere per annos. *h. e.* mille annorum cursum exegerunt. *Id.* 1. *ibid.* 12. Musa, mihi causas memora, quo numine læso Quidve dolens regina deum, tot volvere casus Insignem pietate virum, tot adire labores Impulerit. *h. e.* unum post alium subire et experiri. *Servius* vult esse hypallagem, pro *casibus volvi*. Sic *Seneca Octav.* 926. Per quæ casus volvit varios Semper nobis metuenda dies. ¶ 2. Speciatim sæpe est cogitare, versare animo, multa secum mente agitare, reputare, *rivolger nell'animo, pensare e ripensare, fantasticare*: cui additur sæpe *secum* vel *animo, cum* seu *in animo, in pectore* et hujusmodi. *Sall. Jug.* 6. *a med.* Vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. *Id. Cat.* 33. Multa secum ipse volvens. *Id. orat.* 2. *in Cæs. de rep. ordin.* 7. Æstuat multaque in pectore volvit. *Id. Cat.* 42. Hæc illis volventibus, tandem vicit fortuna reipublicæ. *Virg.* 7. *Æn.* 254. Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem. *Liv.* 2. 49. Nihil medium nec spem nec curam, sed immensa omnia volventes animo. *Id.* 42. 5. Perseus jam bellum vivo patre cogitatum in animo volvens. *Id.* 34. 18. *ad fin.* Ingentes jamdiu iras in pectore volvens. *Id.* 26. 7. Multa secum, quonam inde ire pergeret, volventi, subiit animum impetus, caput ipsum belli Romam petendi. *Tac.* 3. *Ann.* 38. Qua tempestate bellum adversus nos volverat. *Curt.* 10. 5. 15. Volvere cogitationes. ¶ 3. *Volvere verba* refertur ad orationem, et significat verba proferre, profundere, non intermisso cursu, æquabiliter et copiose. *Cic. Brut.* 70. 246. M. Pontidius celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis. *et ibid.* 81. 280. Facile solutaque verbis volvere sententias. *Id.* 3. *Orat.* 47. 182. Longissima est complexio verborum, quæ volvi uno spiritu potest. *Seneca Œdip.* 561. Carmenque magicum volvit et rabido minax Decantat ore quidquid etc. *Lucan.* 9. 927. Plurima tunc volvit spumanti carmina lingua Murmure continuo.

VOLVŎLA, æ, f. 1. herba eadem ac convolvulus. *Hieronym. Comm.* in *Nah.* 1. 10. Volvola, quæ Græce dicitur σμίλαξ, herba est similis hederæ, quæ vitibus et virgultis circumdari solet et in longum serpere.

VOLVOX, ŏcis, m. 3. insectum teneros vitium pampinos erodens, quod alias dicitur volucra, convolvulus, involvulus (*V.* has voces), ἴψ, ἴουλος. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (265). Alii volvocem appellant animal prærodens pubescentes uvas: quod ne accidat, falces quum sint exacutæ, fibrina pelle detergent atque ita putant. Ita multi leg., sed invito *Harduino*, qui *volucre* invenit in omnib. suis MSS. et *Sillig.* Etiam *Colum. Arbor.* 15. habet *volucra*.

VOLVŬLA. *V.* VULVULA.

VOLVUS *et* vulvus. *V.* BULBUS.

VŎMAX, ācis, adject. omn. gen. (vomo) qui sæpe vomit. Occurrit tantum Comp. apud *Sidon.* 8. *Ep.* 3. Anus, quibus nihil litigiosius, bibacius, vomacius.

VŎMENS, entis, particip. *V.* VOMO.

VŎMER, ĕris, m. 3. — *a*) *Vomis* in recto casu. *Cato R. R.* 135. Vomis indutilis optimus erit. *Virg.* 1. *G.* 162. Vomis et inflexi primum grave robur aratri. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *sub fin.* In radicem vomis impactus. Cf. *Prob. Cathol.* p. 1456. et 1468. — In loco tamen *Caton.* allato legitur in MSS. non unis *vomeris indutilis*, in recto casu. — *b*) Ratione habita etymi, *Varro* 5. *L. L.* 135. *Müll.* scribit, ita dictum esse a *vomendo*, quamquam prior in *vŏmo* est brevis: cf. tamen (*rex*) *rēgis* a *rĕgo*, *lāterna* a *lătro*, *lūcerna* a *lūceo* et hujusmodi. Ceterum *Atta* apud *Isid. loc.* infra *cit.* primam corripit. At *Vanicek* conjungit cum Skr. *vasni* ejusd. significationis, ut *vŏmis* sit syncop. pro (*vosnis*) *vosmis*; et *Schweizer-Sidler* cum rad. *vag*, rumpere, ut sit pro *vag-mer*, unde per syncop. *vōmer*. — Quidquid sit de etymo, vomer est ferramentum aratri, quo sulci fiunt, ὕνις et ὕννις (It. *vomere o vomero*; Fr. *soc de la charrue*; Hisp. *reja de arado*; Germ. *die Pflugschar*; Angl. *a coulter, ploughsshare*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 45. Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere et sulco attritus splendescere vomer. *Cic.* 2. *Phil.* 40. 102. Ut aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ pæne perstrinxisti. *Ovid.* 4. *Fast.* 927. Sarcula nunc durusque bidens et vomer aduncus, Ruris opes, niteant. *Catull.* 64. 40. glæbam prono convellit vomere taurus. *Tibull.* 2. 1. 5. Luce sacra requiescat humus, requiescat arator Et grave suspenso vomere cesset opus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (30). Vomerem imprimere. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *a med.* Exiguis vomeribus et dentalibus terram subigere. *et ibid.* Vomere levi summam terræ partem sauciare. *Ovid.* 1. *Art. am.* 725. Vomere versare humum. *et* 2. *ibid.* 671. findere terras. *Id. Heroid.* 12. 40. premere colla boum. *Sil. It.* 14. 34. vertere rura. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (171). Vomerum plura genera; culter vocatur, prædensam, priusquam proscindatur, terram secans futurisque sulcis vestigia præscribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer: alterum genus est vulgare rostrati vectis: tertium in solo facili, nec toto porrectum dentali, sed exigua cuspide in rostro: latior hæc quarto generi et acutior, in mucronem fastigata eodemque gladio scindens solum et acie laterum radices herbarum secans. Hæc *Plin.*

II.) Improprie. ¶ 1. Est membrum virile apud *Lucret.* 4. 1266. *V.* SULCUS. ¶ 2. Est etiam stilus, quo scribimus, graphium. *Atta* apud *Isid.* 6. *Orig.* 9. 2. Vertamus vomerem in ceram mucronequе aremus Osseo. (*V.* STILUS.)

VŎMĔRIS. *V.* voc. præc. init.

VŎMEX, ĭcis, m. 3. (vomo) idem ac vomica, apud *Priscian.* 4. *p.* 638. *Putsch.*, qui tamen nullum affert exemplum.

VŎMĬCA, æ, f. 1. (vomo) Primam licenter produxit *Seren. Sammon.* 40. 743. Sunt alii, quos dira vomit natura, tumores: Vomica qualis erit vel eidem proxima quædam. — Vomica est tumor in aliqua parte corporis, abscessus maturus et pure manans vel ad suppurationem spectans: ita dicta, quia pus vomit et emittit, ἀπόστημα, ἐμπύημα (It. *postema, tumore con marcia, enfiagione*; Fr. *abcès, apostème, vomique*; Hisp. *abceso, tumor, apostema*; Germ. *Geschwür, Blutgeschwür, Beule*; Angl. *abscess, imposthume, tumour*).

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 2. 5. 11. Quid hoc hic in collo tibi tumet. SAG. vomica est: pressare parce. (Per jocum intelligit crumenam argenti plenam e collo pendentem.) *Juvenal.* 13. 95. Et phthisis et vomicæ putres et dimidium crus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 28. 70. Nec prodesse voluit Pheræo Iasoni is, qui gladio vomicam ejus aperuit, quam sanare medici non potuerant. *Cels.* 4. 8. *sub fin.* Si jecur vomica laborat. *Id.* 2. 8. *ante med.* Vomica erumpit: quæ quo cruentior, eo melior est. *Scribon. Compos.* 264. Vomicas discutere aut aperire. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (62). Viticis semen vomicas panosque difficile concoquentes mollit. (*Sillig.* facile concoquit) *Id.* 20. *ibid.* 22. 89. (244). Vomicas rumpere, purgare, persanare. — *Lucil.* apud *Non.* p. 188. 27. *Merc.* Affectus vomica et vulnere. Non facile intelliges, inquit *Forcellinus*, quid sibi velit *Nonius*, qui his verbis significari ait concava loca, vetustate exesa. *L. Müller* dedit *vomicai volnere* et ait *Nonium* hic nugari.

II.) Improprie et metaphorice. ¶ 1. Improprie. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 32. (99). Est et lapis in his venis (*argenti*), cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur, venenum rerum omnium. *h. e.* tumor liquore semper fluido manans. *Id.* 37. *ibid.* 2. 10. (28). Crystalla infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica. *h. e.* tumore guttam aquæ non concretam continente. ¶ 2. Metaphorice dicitur de quocumque malo, calamitate, detrimento. In *vet. carm.* apud *Liv.* 25. 12. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. Hostem, Romani, si expellere vultis vomicamque, quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos. *Quintil.* 8. 6. *ante med.* improbat, ut sordidam, metaphoram illam veteris cujusdam oratoris: Persecuisti reipublicæ vomicas. *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 65. Agrippam nepotem et Julias filiam et neptem, omnibus probris contaminatas, appellare solebat tres vomicas aut tria carcinomata sua.

VŎMĬCŎFLŬUS. *V.* VOMIFLUUS.

VŎMĬCŌSUS, a, um, adject. (vomica) vomicis laborans. Absolute *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 17. 102. Empyci, id est vomicosi. Adde 5. *Tard.* 10. 93.

VŎMĬCUS, a, um, adject. (vomica) nocens, pestilens, gravis. *Seneca* 2. *Controv.* 12. *a med.* Fabianus Maximus primus foro Romano hunc vomicum morbum, quo nunc laborat, intulit.

VŎMĬFĬCUS, a, um, adject. (vomo *et* facio) vomitum provocans, *vomitorio*, ἐματικός. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. 32. et 17. *ante med.* Vomificum medicamen. *un emetico*. et *ibid.* 4. virtus. *Apul. Herb.* 108. sucus.

VŎMĬFLŬUS, a, um, adject. (vomica *et* fluo) ut Vomiflua passio, apud *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. 210. *h. e.* morbus, quo vomica et pus movetur. Est qui leg. *vomicoflua*.

VŎMIS. *V.* VOMER.

VŎMĬTANS, antis, particip. *V.* VOMITO.

VŎMĬTĪNA, æ, f. 1. (vomo) vomitus vel quod vomitu est ejectum. *Gloss. Lat. Gr. p.* 228. *Vulc.* Vomitina. ἔματος.

VŎMĬTĬO, ōnis, f. 3. (vomo) ¶ 1. Abstractorum more, est actus vomendi, *vomito*, ἐξέρευγμα. ἔμεσις. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 126. Quæ medicorum ingeniis reperta sunt, vomitione et dejectione purgare, ex eo quod vomitione canes, alvo se ibes Ægyptiæ curant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 117. (282). Vomitiones homini ad hæc in remedium excogitatæ, frigidiora corpora faciunt, inimicæ oculis, maxime autem dentibus. *Id.* 32. *ibid.* 3. 13. (30). Vomitione cibos reddere. *Id.* 26. *ibid.* 8. 46. (73). Vomitione biles extrahere. *Id.* 25. *ibid.* 5. 23. (56). Dare ea, quæ vomitiones concitent. *et* 21. *ibid.* 20. 83. (142). Iris vomitiones ciet. *et* 22. *ibid.* 25. 73. (153). Ervum vomitiones movet. *et ibid.* 24. 52. (112). Aqua mulsa calefacta vomitiones invitat. *Id.* 34. *ibid.* 10. 23. (105). Æs ipsum vomitiones facit, e melle sumptum. *Id.* 26. *ibid.* 7. 25. (40). Faciles præstat vomitiones radix vettonicæ. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (189). Vomitiones cohibere. *et* 22. *ibid.* 25. 64. (132). inhibere. *et* 21. *ibid.* 20. 83. (144). sistere. *Id.* 23. *ibid.* 1. 23. (43). Quorum stomachus in vomitiones effunditur. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu est illud ipsum, quod vomitione redditur. *Id.* 25. *ibid.* 5. 23. (57). Varii colores vomitionum.

VŎMĬTĬUM, ĭi, n. 2. (vomo) idem ac vomitio. *Capell.* 2. *p.* 35. Nausea et vomitio laborare. Ita *Forcellinus*; at perperam, nam reapse est *vomitio, onis*; locus enim *Capell.* ita se habet: Tunc vero illa nausea ac vomitio laborata in omnigenum copias convertitur litterarum.

VŎMĬTĪVUS, a, um, adject. (vomo) vomitui inserviens. Absolute *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. 5. Utitur vomitivis jejunus. Cf. 2. *ibid.* 1. 31.

VŎMĬTO, as, are, a. 1. (*frequentat. a* vomo) Part. *Vomitans*. — Vomito est sæpe vomo, *vomitare*, ἐξεμέω, πολλάκις ἐμέω. *Colum.* 7. *R. R.* 10. *circa med.* Quam quum pecudes biberunt, nausea correptæ vomitant atque expurgantur. *Seneca Ep.* 18. Ebrio et vomitante populo. — *Sueton. Vitell.* 13. Vomitandi consuetudo. *V.* VOMITUS, us.

VŎMĬTOR, ōris, m. 3. (vomo) qui vomit, *rigittatore*, ἐμετής. *Seneca Ep.* 88. *ante med.* Quid enim, oro, liberale habent jejuni vomitores, quorum corpora in sagina, animi in macie ac veterno sunt?

VŎMĬTŌRĬUM. *V.* voc. seq.

VŎMĬTŌRĬUS, a, um, adject. (vomo) qui habet vim vomitum faciendi, ἐμετικός (It. *che fa vomitare, vomichevole, vomitorio*; Fr. *vomitoire, vomitif*; Hisp. *vomitivo, vomitorio*; Germ. zu *Erbrechen gehörig, zum Brechen reizend*; Angl. *vomitive, causing vomits*). *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 41. (107). Bulbus, quem vomitorium vocant ab effectu, folia habet nigra, ceteris longiora. *Id.* 21. *ibid.* 19. 75. (128). Hunc stomacho inutilem et ideo vomitorium. — Hinc

*Vomitorium*, *ii*, et plur. *vomitoria*, *orum*, n. 2. absolute, substantivorum more, in theatris et amphitheatris erant ostia seu aditus, per quos populus ab internis porticibus et scalis exibat in gradus et sedilia. *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. in illud *Virg.* 2. *G.* 462. Mane salutantum totis vomit ædibus undam: Pulcre, inquit, *vomit*, et antique; nam Ennius ait: et Tiberis flumen vomit in mare salsum. Unde et nunc vomitoria in spectaculis dicimus, unde homines glomeratim ingredientes, in sedilia se fundunt. *V. Scip. Maffej. De amphith. l.* 2. *c.* 8. et *A. Rich* ad *h. v.*

VŎMĬTUS, a, um, particip. *V.* VOMO.

VŎMĬTUS, us, m. 4. (vomo) idem fere quod vomitio, ἐμετός (It. *il rigettare, nausea, vomito*; Fr. *action de vomir, vomissement*; Hisp. *vomito*; Germ. *das Brechen, Erbrechen, Vomiren, Speien*; Angl. *a vomit, vomiting*).

I.) Abstractorum more. ¶ 1. Proprie. *Plaut. Rud.* 2. 6. 26. Animo male fit: contine, quæso, caput. CHARM. Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas. *Id. Merc.* 3. 3. 14. Plenus ætatis animaque fœtida Senex hircosus, tu osculere mulierem? Utine adveniens vomitum excutias mulieri? *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (50). Vomitu aliquid reddere. *Curt.* 7. 5. 8. egerere. *Seneca Ep.* 68. levare stomachum. *Id.* 13. *Hist. nat.* 23. 44. (127). Capparis vomitus facit, stomachum et alvum movet. *Id.* 9. *ibid.* 48. 72. (155). Vomitum dissolutionemque stomachi protinus creat. *Id.* 25. *ibid.* 5. 23. (56). Vomitus tardiores aut longiores, exigui aut nimii. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 6. 182. Vomitus inanis. *Id.* 3. *Acut.* 1. 4. conabiles atque laboriosi. *V.* VOMITIO. — Vomitus voluntarii consuetudo fuit apud Romanos; ut enim cenæ multiplici et largis poculis gulæ studiosi sufficere possent, inter cenandum, petito secreto, vomitum provocabant, digito aut pinnula in gulam immissa, et novas rursus epulas repetebant. Morem hunc tangit *Seneca Consol. ad Helv.* 9. *ad fin.* Vomunt, ut edant: edunt, ut vomant: et epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. *V. Cels.* 1. 3. *a med.*, *Sueton. Claud.* 33. et *Vitell.* 13., *Plin.* 14. *Hist. nat. c.* 22. et *Juvenal.* 6. a v. 425. ¶ 2. Translate. *Vulg. interpr. Hab.* 2. 16. Vomitus ignominiæ. Adde *Jer.* 48. 26.

II.) Concreto, ut ajunt, sensu. ¶ 1. Est id ipsum, quod vomitur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 27. (86). Vomitus araneosos concitare. *Id.* 23. *ibid.* 8. 80. (158). Folium lauri pituitas extrahit et vomitus. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 6. 182. Vomitus nunc fellosus vel ferrugineus aut niger.

— Proverb. apud Vulg. interpr. 2. Petr. 2. 22. Canis reversus ad vomitum suum. Adde Prov. 26. 11. V. VOLUTABRUM. ¶ 2. Item dicitur de homine impuro et molesto. Plaut. Most. 3. 1. 119. Absolve hunc, quæso, vomitum, ne hic nos enecet. Lucil. apud Non. p. 2. 30. Merc. In quorum numero nunc primu' Trebelliu' multo Obmarcescebat, febris, senium, vomitus, pus.

VŎMO, vŏmis, vŏmŭi, vŏmĭtum, vŏmere, 3. Vomerit pro vomuerit, tamquam a præterit. vomi, habet Fronto De eloq. (edente iterum A. Maio) p. 233. Neque quisquam ad mensam cenarit, prandio vomerit, sapientiam ructarit. — Ratione habita etymi, duci potest a rad. Skr. vam ejusd. significationis, unde et Gr. ἐμέω. — Part. Vomens sub A I.; B I. et II. a; Vomitus in fin.; Vomiturus sub A I. — Vomo est ejicio, rejicio: et proprie de cibo et potu dicitur, qui per os e stomacho egeritur, ἐμέω (It. recere, rigettare, vomitare; Fr. vomir, rendre, rejeter; Hisp. vomitar, rendir; Germ. brechen, erbrechen, vomiren; Angl. to vomit, to throw): usurpatur autem intransitive sæpius et transitivorum more.

A) Intransitive.

I.) Proprie. Cic. Dejot. 7. a med. Quum post cenam vomere te velle dixisses, in balneum te ducere cœperunt. Id. 2. Phil. 25. 63. Is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit. Id. 2. Fin. 8. 23. Asoti, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur. Seneca Consol. ad Helv. 9. Vomunt ut edant, edunt ut vomant. Cels. 1. 3. a med. Qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum debet. — Passive impersonaliter. Cic. 2. Phil. 41. 104. Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur.

II.) Translate. Plin. 3. Hist. nat. 13. 20. (119). de Pado. Qua largius vomit. sc. effundit aquas in mare.

B) Transitivorum more.

I.) Proprie. Plin. 26. Hist. nat. 13. 84. (139). Vettonicæ succus vomentibus sanguinem datur. Petron. fragm. Tragur. 67. Burmann. De quo quum imprudens Scintilla gustasset, pæne intestina sua vomuit. — Plaut. Rud. 2. 6. 26. Vomitum vomere.

II.) Translate est large ejicere, effundere, ejectare, emittere, mandar fuori. — a) Universim. Virg. 5. Æn. 682. Stuppa vomens tardum fumum. et 8. ibid. 680. geminas cui tempora flammas Læta vomunt. scil. Augusto, qui valde claros ac nitidos oculos habuit, ut a Sueton. Aug. 79. narratur. Ovid. Heroid. 12. 125. de Charybdi. vomit fluctus totidemque resorbet. Stat. 12. Theb. 536. Armatæque vomunt stridentia tela fenestræ. Claudian. 1. Rapt. Pros. 161. Nunc vomit indigenas nimbos piceaque gravatum Fœdat nube diem. Petron. fragm. Tragur. 56. Burmann. Apes mel vomunt. Pers. 5. 181. pinguem nebulam vomuere lucernæ. Virg. 2. G. 462. Mane salutantum totis vomit ædibus undam. Claudian. IV. cons. Honor. 52 Danubii totæ vomerent quum prœlia ripæ. Id. cons. Prob. et Olybr. 49. Aurea dona vomens. h. e. munifice largiens. — b) De morte. Lucret. 6. 828. Vomere vitam. h. e. efflare animam. Virg. 9. Æn. 349. Purpuream vomit ille animam. h. e. vitam cum sanguine. — c) De oratione. Martial. 11. 90. Attonitusque legis terrai frugiferai, Accius et quidquid Pacuviusque vomunt. h. e. rancidum effutiunt. — Hinc Part.

Vomita, orum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, quæ vomitu ejiciuntur, vomitiones. Cœl. Aurel. 3. Acut. 20. 195. Egestio vomitorum similis, hoc est, spumosa et acerrima.

VOPA, æ, f. 1. genus quoddam corii, ut videtur, quod in Lege coriaria occurrit. Inscr. apud Wilm. n. 2738. l. 25. et Rénier n. 4111. VOPA pondo centum semisse.

VŎPISCUS, a, um, adject. qui, ut ait Isid. 9. Orig. 5. 21., de geminis, uno aborto, legitime natus fuerit: est ab ὀπίσω seu ουοπίσκος vel οὐοπίσκος, ut legitur in nummis; ita etiam satyriscus a satyro derivatur. Plin. 7. Hist. nat. 10. 8. (47). Vopiscos appellabant e geminis, qui retenti utero nascerentur, altero interempto abortu. Solin. 1. circa med. E geminis si, remanente altero, alter abortivo fluxu exciderit; alter, qui legitime natus est, vopiscus nominatur. Non. p. 557. 3. Merc. Vopiscus dicitur, qui ex duobus conceptis, uno abortu excluso, ad partum legitimum deducitur. — NB. De præn. et cogn. R. V. ONOM.

VOPTĒ, pro vos ipsi, Cato posuit. Paul. Diac. ex Fest. p. 379. 10. Müll. V. PTE.

VŎRĀCĬTAS, ātis, f. 3. (vorax) edacitas, inexplebilis edendi aviditas, πολυφαγία (It. voracità; Fr. voracité, avidité, grand appétit; Hisp. voracidad, golosina; Germ. die Gefrässigkeit; Angl. voracity, greediness, avidity).

I.) Proprie. Apul. 7. Met. Asinus incumbens præsepio voracitati suæ deservit. Adde Augustin. Ep. 36. n. 3. et Eutrop. 7. 18.

II.) Translate. Plin. 2. Hist. nat. 107. 111. (239). de igne. Quæ est illa natura, quæ voracitatem in toto mundo avidissimam sine damno sui pascit? Adde Salvian. 5. Gub. D. 11. Cod. Theod. 2. 13. 1. Credentium voracitas, qui etc. h. e. cupido divitiarum inexplebilis.

VŎRĀCĬTER, adverb. (vorax) cum voracitate (It. voracemente; Fr. avec voracité, avidement; Hisp. golosamente, con voracidad; Germ. gefrässig; Angl. with voracity). Macrob. 7. Saturn. 5. a med. Insanus fit ille, cui merus sal cibus, si hoc ipsum voraciter invaserit.

VŎRĀGĬNŌSUS, a, um, adject. (vorago) plenus voraginibus, βαραθρώδης (It. voraginoso; Fr. plein d'abîmes, de gouffres; Hisp. lleno de abismos, de vorágines; Germ. voll Abgründe, voll Schlünde; Angl. full of bogs or morasses, voraginous). Auct. B. Hisp. 29. Nam palustri et voraginoso solo currebat ad dexteram partem. Apul. 9. Met. Voraginosa via. Ammian. 24. 6. ante med. amnis.

VŎRĀGO, ĭnis, f. 3. (voro) locus immensæ profunditatis, διαχώρημα, βάραθρον, χάσμα (It. voragine, baratro; Fr. gouffre, abîme, trou; Hisp. abismo, vorágine, Germ. der Schlund, Abgrund, Tiefe; Angl. abyss, gulf): et quidem a vorando, quia in eam cadentia non emergunt, sed absorbentur. Döderlein confert cum v. Uragus.

I.) Proprie. — a) De tellure. Liv. 7. 6. Neque eam voraginem conjectu terræ expleri potuisse. Curt. 8. 14. 4. Imber violentius, quam alias, fusus campos lubricos et inequitabiles fecerat, gravesque et propemodum immobiles currus illuvie et voraginibus hærebant. Id. ibid. 11 7. Voragines eluviesque præruptæ sunt. et ibid. 14. 8. Voragines lacunæque. et ibid. 10. 24. Voragines cavatæ jacent. et ibid. 2. 23. Voraginem vastam explere. — b) De aquis. Cic. 1. Divinat. 33. 43. Quum equum demisisset in flumen, submersus equus voraginibus non exstitit. vortici, gorghi. et Virg. 6. Æn. 296. vastaque voragine gurges Æstuat. Curt. 8. 10. 24. Cavernæ et voragines. — Hinc figurate Lactant. 2. 8. Explicet se Cotta, si potest ex hac voragine. — c) De cœno. Catull. 17. 26. Et supinum animum in gravi derelinquere cœno, Ferream ut soleam tenaci in voragine mula. pantano.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. Cic. Pis. 18. 41. Vos geminæ voragines scopulique reipublicæ. Id. 5. Verr. 9. 23. Vorago aut gurges vitiorum. Val. Max. 9. 4. init. Avaritia manifestæ prædæ avidissima vorago. ¶ 2. Speciatim transfertur ad hominem insigniter prodigum, cujus gula, vel amplissimis patrimoniis in ventrem, tamquam in barathrum quoddam, conjectis, expleri non potest. Cic. Sext. 52. 111. Tu meo periculo, gurges et vorago patrimonii, helluabare? Ovid. 8. Met. 843. Jamque fame patrias altique voragine ventris Attenuarat opes. Ammian. 14. 6. 16. Mensarum voragines.

VŎRANS, antis, particip. V. VORO.

VŎRĀTOR, ōris, m. 3. (voro) qui vorat, divoratore. ¶ 1. Generatim. Tertull. 2. Nat. 12. de Saturn. Vorator suorum. Adde Ambros. 5. Hexaem. 5. et Paulin. Nolan. ep. 19. ¶ 2. Speciatim est helluo, mangione, pacchione: cui potator opponitur. Tertull. Monog. 8. in fin.

VŎRĀTRĪNA, æ, f. 1. (voro) quasi vorandi officina, popina.

I.) Proprie. Tertull. Apolog. 39. de Ecclesiæ censu Hæc stips inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque.

II.) Translate idem ac vorago. Ammian. 17. 7. sub fin. de terræ motib. Patefactis subito voratrinis terrarum partes absorbent.

VŎRĀTUS, a, um, particip. V. VORO.

VŎRĀTUS, us, m. 4. (voro) actus vorandi. Julian. apud Augustin. 5. Op. imp. contra Julian 4. Fornax accensa in religiosorum voratu.

VŎRAX, ācis, adject. omn. gen. (voro) Comp. Voracior II. 1. et 2. — Vorax est qui vorat, multa absumens, inexplebilis edacitatis, gurges, helluo, πολυφάγος (It. vorace; Fr. qui dévore, dévorant, vorace, glouton; Hisp. voraz, gloton; Germ. gefrässig, viel od. gern verschlingend; Angl. voracious, ravenous).

I.) Proprie. Ovid. 15. Met. 94. Nec - placare voracis Et male morati poteris jejunia ventris. Vulg. interpr. Matth. 11. 19. Homo vorax et potator vini.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. Cic. 2. Phil. 27. 67. Quæ Charybdis tam vorax tot res tam cito absorbere potuisset? Ovid. 8. Met. 838. de igne. quo copia major Est data, plura cupit; turbaque voracior ipsa est. Lucan. 2. 663. omnia pontus Haurit saxa vorax. Sil. It. 4. 685. Flamma vorax. ¶ 2. Obsceno sensu. Catull. 33. 9. de cinædo. ¶ 3. Metaphorice. Lucan. 1. 181. Hinc usura vorax avidumque in tempora fenus. Val. Max. 7. 1. in fin. Exercitus et arma et equitatus voracibus impensis onerosus. Cod. Theod. 8. 1. 4. Vorax et fraudulentum præpositum (numerariorum). h. e. avaritia plenum.

VŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Voratus, sensu activo, quasi a voror dep., est Alcim. 2. 231. de Eva. pomumque vorata momordit. — Vox, ratione habita etymi, conjungi potest cum rad. Skr. gar (gvar), edere, et cum Gr. βορά, esca, et βρώσκω, edo. Cf. etiam os, oris. — Part. Vorans I. 1. b; Voratus I. 1. b et II. 1.; Voraturus II. 2. a. — Voro est cibum integrum et non confectum dentibus in ventrem dejicio, ut multa animalia faciunt, v. gr. pisces et aves carnivoræ etc., βρογχιάζω, δάπτω (It. ingoiare, trangugiare, divorare, mangiare con avidità e in prescia; Fr. dévorer, avaler; Hisp. engullir, devorar; Germ. verschlingen, verschlucken, verzehren; Angl. to swallow, to devour, to ingulf).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — a) Absolute. Cic. 2. Nat. D. 47. ad fin. Animalium alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. et Plin. 10. Hist. nat. 71. 91. (196). Alia sugunt, alia lambunt, sorbent, mandunt, vorant. Plaut. Trin. 2. 4. 73. At pol ego, etiamsi vetet, edim atque ambabus malis expletis vorem. scuffierò a quattro palmenti. — b) Cum Acc. Id. Rud. 2. 6. 61. Quænam balæna meum voravit vidulum? Alii vitulum. Plin. 11. Hist. nat. 19. 21. (67). Apes mella avide vorantes. Martial. 6. 11. Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris. Juvenal. 1. 135. Optima silvarum interea pelagique vorabit Rex horum. Martial. 5. 18. Avidum vorata decipit scarum musca. Arnob. 7. p. 249. Mansa et vorata viscera. ¶ 2. De his, quæ medicinæ causa sumuntur: quia ejusmodi mandi non solent. Plaut. Merc. 1. 2. 28. Resinam ex melle Ægyptiam vorato: salvum feceris. Martial. 1. 88. Pastillos Cosmi luxuriosa voras. Cœl. Aurel. 2. Acut. 24. 137. Si nausea occurrerit, apium vorare jubet ægrotantes. ¶ 3. Proverbii modo. Plaut. Truc. 1. 1. 19. Amator si id, quod oratur, dedit, adduntur noctes: interim ille hamum vorat. Sic Curc. a. 3. v. 61. Meus hic est: hamum vorat.

II.) Translate. ¶ 1. Est absorbere. Ovid. 13. Met. 731. Charybdis vorat raptas revomitque carinas. Claudian. B. Get. 337. Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphitrite. h. e. recipit in

se et absorbet. Absorbendi vim habet et in illo *Virg.* 1. *Æn.* 120. navem ter fluctus ibidem Torquet agens circum et rapidos vorat æquore vortex. *Aurel. Vict. Epit.* 40. *ante med.* Voratumque limo pondere thoracis, corpus vix repertum. ¶ 2. Item consumere, absumere, destruere. — *a*) De rebus universim. *Cels.* 5. 28. *n.* 3. Ulcus, quod ἕρπητα ἐσθιόμενον (al. φαγέδαιναν) Græci vocant, quia celeriter serpendo corpus vorat. *Seneca Hippol.* 282. Amor tacitas vorat penitus medullas. Adde 641. *Albinov.* 1. 134. Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 4. 5. (9). *de Peloponneso.* In eo loco (*in Isthmo*) erumpentia e diverso maria ejus omnem ibi latitudinem vorant. *h. e.* exedunt, absumunt. *Sil. It.* 4. 230, qua medius pugnæ vorat agmina vortex. *h. e.* ubi pugna sævit et milites absumit. *Justin.* 30. 4. 4. Vates cecinere, oriens Romanorum imperium vetus Græcorum ac Macedonum voraturum. — *b*) De pecunia vel patrimonio. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. (19). Idem in reliquis generis ejus (*murrhinorum vasorum*) quantum voraverit, licet existimare etc. *h. e.* quantum pecuniæ absumpserit, *sprecare, dissipare.* — Figurate. *Catull.* 35. 7. Quare si sapiet, viam vorabit. *h. e.* celeriter conficiet. *Cic.* 4. *Att.* 11. Nos hic voramus litteras cum homine mirifico Dionysio. *h. e.* avide perdiscimus. ¶ 3. Obsceno sensu usurpat *Catull.* 80. 5. de fellatore, *et Martial.* 2. 51. de cinædo pathico, *et* 7. 67. de femina cunnos lingente.

VORSĬCĂPILLUS pro capillus versipellis, apud *Plaut. Pers.* 2. 2. 48. ex cod. *Ritsch.* V. VERSIPELLIS.

VORSĬPELLIS. *V.* VERSIPELLIS.

VORSŌRĬA. *V.* VERSORIA.

VORSŪRA. *V.* VERSURA.

VORSUS. *V.* VERSUS.

VORSŪTUS. *V.* VERSUTUS.

VORTEX, ĭcis, m. 3. Nomen a *vorto,* quod prisci illi Latini pro *verto* dixere; et, ut critici testantur, promiscue in MSS. per *o* et per *e* invenitur in Latinis scriptoribus. Quare vertex et vortex nec significatione nec origine differre possunt: quidquid dicat *Charisius,* qui 1. *p.* 68. *Putsch.* autumat, *verticem a vertendo* dici, *vorticem a vorando:* additque, *Plinii* opinionem esse, verticem immanem vim impetus habere, ut (*Virg.* 1. *Æn.* 118.) *Ingens a vertice pontus:* vorticem vero circumactionem undæ esse, ut (*ibid.* 121.) *Et rapidus vorat æquore vortex.* Sed ea promiscue usurpari, omnium argumentorum illud fortissimum, quod *Quintil.* 1. 7. *a med.* scribit, Scipionem Africanum primum in *vortices* et *vorsus* litteram *o* vertisse in *e.* Hoc tamen animadvertendum est, quod non quidem ratio, sed usus quidam obtinuit, ut Latini libri sæpe scribant *vertex* per *e,* quum volunt notare summitatem alicujus rei; *vortex* per *o,* quum aeris aut aquæ in gyrum vertentis impetum turbinemque significant. Vide *Zumpt* ad *Curt.* 8. 13. 16. et v. VERTEX. — Vortex sæpius est aeris aut aquæ in gyrum vertentis impetus ac turbo.

I.) Proprie. *Apul. De mund.* Vortex ille est, vel, uti dicitur, dine (δίνη), quum torquetur humus arida et ab infimo erigitur ad summum. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 13. Ut aquæ circumlatæ in se sorbeantur et vorticem efficiant. *Virg.* 7. *Æn.* 567. fragosus et torto vortice torrens. *Alii leg.* vertice. *Horat.* 2. *Od.* 9. 22. flumen minores volvere vortices. *Alii* vertices. *Ovid.* 8. *Met.* 555. torrens nivibus de monte solutis Corpora turbineo juvenilia vortice mersit. *Id.* 6. *Fast.* 502. vorticibus densus Tibris. *Lucret.* 6. 296. igneus Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen. *et ibid.* 442. involvit venti se nubibus ipse Vortex. *Liv.* 23. 19. Amnis transverso vortice dolia impulit ad ripam. *Alii leg.* vertice. *et* 28. 30. Navis retro vortice intorta. *et mox.* Pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices. *Alii* vertices.

II.) Translate. *Catull.* 68. 107. tanto te absorbens vortice amoris Æstus. *Seneca Ep.* 82. Non satius est sic jacere (*in otio*), quam istis officiorum vorticibus volutari? — *Vertex medius pugnæ* apud *Sil. It.* 4. 230. est, ubi maxime fervet pugna et cædes fiunt et periculum est mortis: sicut vortex fluminis, ubi maxime fervent undæ, mersionis periculum majus habet. Alii tamen leg. *vertex.*

VORTĬCŌSUS, a, um, adject. (vortex) vorticibus abundans, verticosus. *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 121. Charybdis mare vorticosum. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 8. Turbinum motus vagus et disjectus et, ut Sallustii utar verbis, vorticosus. *V.* VERTICOSUS.

VORTĬCŬLŌSUS, a, um, adject. deminut. ab inus. *vorticulus,* aliquantum vorticosus, εἰλιγγώδης. *Gloss. Cyrill.*

VORTĪGO. *V.* VERTIGO.

VORTO. *V.* VERTO.

VORTUMNĀLĬA. *V.* VERTUMNALIS.

VOS, vostrum etc. *V.* in TU.

VOSTER. *V.* VESTER.

VŌTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (votum *et* fero) votum ferens, votivus. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 92. Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas. *Alii inepte leg.* pomifera. *Auct. Epithal. Laur. et Mar.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 633. *Burmann.* v. 14. Florigenas plenaque decens lanugine malas Mollia votifero dempsisti vellera ferro. *h. e.* novacula, qua primam barbam diis offerendam, votis conceptis, dempsisti. et in *Anthol. Lat. n.* 1119. *Meyer.* Congrua votiferæ submittit pabula flammæ. *V.* BARBA.

VŌTĬFĬCANS. *V.* voc. seq.

VŌTĬFĬCO, as, are, a. 1. (votum *et* facio) Part. *Votificans.* — Votifico est votum facio vel nuncupo. *Gloss. Isid.* in *Add. Lex.* p. 312. ex *Quich.* Votificantibus, dona libantibus.

VŌTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (votum *et* gero) votum gerens, votifer, votivus. *Anthol. Lat. n.* 742. ed. *Meyer.* atria larga Votigerique ignes, stellantia lumina, complent. *h. e.* lampades, quæ vota et bona omina significant.

VŌTĬTO, as, are, n. 1. (*frequentat. a* voveo) sæpe voveo. Legitur in *Thes. nov. Latin. p.* 626. ed. *Mai.*

VŌTĬTUS, a, um, particip. *V.* VETO.

VŌTĪVĒ, adverb. (votivus) ex voto, grate, jucunde. *Ennod.* 1. *Ep.* 5. Ut taceam Fabios, Torquatos, Camillos, Decios fuisse superatos, te ipsum, mi domine, qui universos vicisti, ejus primordiis existimo votive cessisse.

VŌTĪVĬTAS, ātis, f. 3. (votivus) obligatio, qua voto suscepto tenemur. *Inscr.* quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXV. apud *Gruter.* 1018. 8. et *Murat.* 386. 5. (*Orelli n.* 1120.) VOTIVITATE ET TOTA MENTE DEVOTA GENIVM CVRIAE DEDICATVM etc.

VŌTĪVUS, a, um, adject. (votum) ad votum spectans, εὐκτός (It. *votivo, di voto;* Fr. *voué, promis, consacré, votif;* Hisp. *votado, votivo, consagrado, prometido;* Germ. zu *Gelübde gehörig, gelobt, geweiht;* Angl. *devoted, votive*): ut *votivæ preces,* quibus aliquid cum voto poscimus: *votiva verba,* quibus in faciendis votis utimur: *votiva tabella,* quæ ex voto Superum aris vel simulacris suspenditur in testimonium accepti beneficii: *votiva tura,* quæ voti causa incenduntur: *votivum animal,* quod ex voto dari promittitur: *votivi ludi,* qui ex voto celebrabantur etc.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic.* 2. *Verr.* 10. *post med.* Votivi ludi. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 9. Accipit ara preces votivaque tura piorum. Adde *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (158). *Horat.* 1. *Od.* 5. 13. me tabula sacer Votiva paries indicat, uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris deo. *Id.* 1. *Ep.* 3. 36. Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca. *Ovid. Heroid.* 20, 236. et 21. 93. Votivus sanguis. *h. e.* victimæ votivæ. *Id.* 1. *Art. am.* 205. Auguror en: vinces: votivaque carmina reddam. *h. e.* promissa. *Val. Flacc.* 2. 487. cui candentes votivo in gramine pascit Cornipedes genitor. *Hypallage:* votivos equos in gramine pascit: sed et gramen ipsum votivum est, utpote addictum equis votivis. — *b*) *Votivæ noctes,* quibus ex voto et sacrorum causa secubabant. *Propert.* 2. 21. 62. — *c*) *Votiva legatio,* de qua *V.* in LEGATIO.

II.) Translate interdum sumitur: et quidem — *a*) Passive pro eo, quod ex voto succedit, quod gratum et jucundum et exoptandum est. *Apul.* 7. *Met.* Tota civitas ad votivum conspectum effunditur. *et* 5. *ibid.* Votivæ nuptiæ. *et* 8. *ibid. ad fin.* Deam votivo suscipiens hospitio. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 330. Votiva mors est martyri. εὐκτέον. *Tertull. Apolog.* 9. *sub init.* Ipsos Saturni sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum, votivis crucibus, Tiberius proconsul vivos exposuit. — *b*) Active pro eo, qui aliquid cupit. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 10. 31. 52. Votiva curialium numerositas. *numero di decurioni aspiranti alla curia.* — Hinc *aures votivæ,* quæ aliquid cupiunt audire. *Plaut. Cas. prol.* 29. Aures votivæ si sunt, animum advortite. Alii tamen leg. *vacivæ,* et sane rectius. — Hinc

*Votivum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, res votiva. — *a*) Proprie. *Tac. Germ.* 31. 31. *de Catthis.* Ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere, nec, nisi hoste cæso, exuere, votivum obligatumque virtuti oris habitum. *Gloss. Lat. p.* 293. *n.* 232. Votivum, quod promissum est votis. — *b*) Translate. *Trebell. Gallien.* 3. Constabat, votivum illi fuisse, quod imminentem cervicibus suis gravitatem patriam non haberet. *h. e.* votivum fuisse non habere, *sc.* rem ex voto, gratam, jucundam.

VŌTO pro veto. *V.* VETO.

VŌTO, as, are, a. 1. (votum) idem fere ac voveo. *Inscr.* incertæ ætatis apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist.* a. 1871. *p.* 95. *Thes. utr. ling.* ed. *Vulc.* Voto, as, voveo, ὁμολογέω. Adde *Thes. nov. Latin. p.* 626. ed. *Mai.*

VŌTUM, i, n. 2. (voveo) *Votus, i,* masc. gen., usurpatum fuisse videtur. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 1642., ubi *botus* pro *votus* scribitur, ex solita litterarum *b* et *v* permutatione. — Votum duo præcipue et quidem affinia significat (*V.* VOVEO init.); scil.

*A*) *Votum* dicuntur preces cum sponsione alicujus rei, qua Deo obligamur, si quippiam obtinuerimus, εὐχή, εὐχωλή (It. *promessa fatta a Dio, voto;* Fr. *vœu;* Hisp. *voto, dadiva;* Germ. *das Gelübde;* Angl. *vow, vote*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 1. *Nat. D.* 14. 36. Zeno æthera Deum dicit esse: si intelligi potest nihil sentiens Deus, qui numquam nobis occurrit, neque in precibus neque in optatis neque in votis. *Auct. B. Alex.* 15. *extr.* Precibus et votis victoriam suis ab diis immortalibus exposcere. *Cic. Cluent.* 68. *ad fin.* Quia etiam nocturna sacrificia sceleratasque ejus preces et nefaria vota cognovimus. *Id.* 3. *Nat. D.* 37. 89. Nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multis voti vim tempestatis effugerint? *Id.* 12. *Att.* 48. *sub fin.* Voti religione obstrictum esse. *et ibid.* 18. Sed jam quasi voto quodam et promisso me teneri puto. *Lucret.* 6. 1201. nec votis nectere vota. *Horat.* 2. *Od.* 8. 5. Obligare votis caput. *Cic.* 7. *Fam.* 2. *in fin.* Quotidie vota facimus, ne intercaletur. *Id. Mil.* 15. *extr.* Quum vos vota faceretis, ut Miloni uti sua virtute liceret. *Id.* 2. *Cat.* 8. *extr.* Vota facere contra rempublicam. *et* 8. *Att.* 16. facere de aliquo ægroto. *Cæcina* ad *Cic.* 6. *Fam.* 7. Nemo nostrum est, quin vota victoriæ suæ fecerit. *et Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (91). L. Papirius dimicaturus votum fecit, si vicisset, Jovi pocillum vini. *Cic.* 7. *Verr.* 13. *sub fin.* Vota nuncupare pro imperio populi R. *Id.* 3. *Nat. D.* 40. *a med.* suscipere. *Ovid.* 7. *Met.* 594. concipere. *Inscr.* apud *Wilm. n.* 2395. promittere. *Tac.* 15. *Ann.* 23. exsolvere. *Cic.* 3. *Phil.* 4. *ad fin.* solvere. *Id.* 2. *Legg.* 9. *sub fin.* reddere. *Virg.* 5. *Æn.* 53. exsequi. *Plin.* 10. *Ep.* 101. persolvere. *et Ep.* 44. signare. *Petron. Sat.* 85. *extr.* Voto se exsolvere. *Justin.* 21. 3. 4. fungi. *h. e.* votum exsequi. *Cic.* 6. *Verr.* 55. *a med.* Vota diis debere. *Liv.* 7. 28. et 27. 45. *a med.* Voti damnari. *Virg.* 5. *Æn.* 237. reus. *Liv.* 7. 40. com-

potem facere. Id. 5. 28. liberari. Virg. 5. Æn. 234. Divos in vota vocare. Tac. 1. Ann. 11. In questus, lacrimas, vota effundi. Ovid. 2. Pont. 10. 40. vota ferre ad deos. Inscr. apud Gruter. 18. 6. IOVI OPT. MAX. P. AELIVS CHRESTVS EX VOTO SVSCEPTO ARAM CONSACRAVIT. Alia ibid. 34. 10. S. I. M. TVRRANVS ET SENECIO EX VOTO POSVERVNT. (Adde Horat. 1. Sat. 5. 65.) et 1072. 8. FORTVNAE SANCT. SACR. VOTO SVSCEPTO MERITO LIBENS TERENTIA TALLVSA FECIT. Alia in Corp. Inscr. Lat. 5. 489. VOTO COMPOS. et apud Rénier n. 2547. VOTVM COMPOS. V. COMPOS. Alia in Bullett. arch. Municip. a. III. p. 86. VOTO FECI ET POSIVI. — Voti reus et voti damnatus quomodo differant, V. in REUS. Cf. etiam Popm. p. 429. Vall. — Vota facere et vota concipere vel suscipere ita distinguit Richter, ut illud sit sine multa cognitione in periculo præsenti; hoc etiam extra periculum, re antea bene considerata. — Vota erant publica et privata, annua et quinquennalia, decennalia, vicennalia etc. Inscr. apud Orelli n. 1075., 1119., 1256. etc. Cf. Henzen Act. Arv. p. 218. et Eckhel D. N. V. T. 8. p. 473. et seqq. — Inscr. apud Orell. n. 2139. VOTIS CAELESTIBVS CONSENTIENTIBVS BENEVERTENTIBVSQVE L. PARIVS HERMES. et Wilm. n. 2138. VOTVM SOLEMNE. ¶ 2. Latiore sensu aliquando sunt solæ preces, sine ulla promissione, preghiera. Ovid. 1. Trist. 2. 1. Dii maris et cæli (quid enim nisi vota supersunt?) Solvere quassatæ parcite membra ratis. Trajan. ad Plin. 10. Ep. 90. Agnosco vota tua, mi Secunde carissime. quibus precaris, ut etc. V. Epist. Plinii præced. Inscr. Lat. apud Dessau n. 3579. VOTIS PLVRIMIS ET LONGISSIMIS PRECATA. ¶ 3. Vota nuptiarum, sponsio nuptiarum. Cod. Theod. 3. 5. 6.

II.) Tropice. ¶ 1. Est ipsa res, quæ voto promittitur. Virg. 3. Æn. 279. Lustramurque Jovi votisque incendimus aras. h. e. ture et victimis. Servius interpretatur, vota facientes. Petron. Sat. 89. stipant graves Equi recessus Danai et in voto latent. ¶ 2. Item id ipsum, quod voto petitur et optatur. Ovid. 1. Art. am. 671. Quantum defuerat pleno post oscula voto! et 1. ibid. 737. Ut voto potiare tuo, miserabilis esto. Petron. Sat. 11. Frui votis. Claudian. B. Gild. 6. Horret adhuc animus manifestaque gaudia differt, Dum stupet et tanto cunctatur credere voto. Apul. Florid. init. Religiosis viantium moris est, quum aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, donum apponere. h. e. quippiam a diis, voto facto, petere. ¶ 3. Voti nomine venit etiam dies, quo vota publica nuncupantur. Capitolin. Pertin. 6. Denique tertium Nonarum diem, votis ipsis, milites Triarium Maternum ducere in castra voluerunt. Vopisc. Tac. 9. Divorum templum fieri jussit, in quo essent statuæ principum bonorum: ita ut iisdem natalibus suis et Parilibus et cal. Januariis et votis libamina ponerentur. Cajus Dig. 50. 16. 233. docet, hunc diem fuisse tertium post cal. Januar., quo die vota pro salute principis suscipiebantur. V. NUNCUPO.

B) Votum est optatum, desiderium, voluntas (It. desiderio; Fr. souhait, désir; Hisp. deseo; Germ. der Wunsch, das Verlangen; Angl. wish, desire).

I.) Proprie. — a) Absolute. Cic. 7. Verr. 54. extr. Sic etiam fortunis hominum abutebatur ad nocturna vota cupiditatum suarum. Horat. 2. Sat. 6. 1. Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus etc. Id. 1. Ep. 11. 5. An venit in votum Attalicis ex urbibus una? Ovid. 1. Art. am. 90. Hæc loca sunt voto fertiliora tuo. Id. 2. Met. 89. Nate, cave, dum resque sinit, tua corrige vota. Sall. apud Serv. ad Virg. 2. Æn. 169., Justin. 23. 3. 12. et Tac. 3. Hist. 46. Rebus supra vota fluentibus. Plin. 6. Ep. 26. Spondeo habiturum te generum, quo melior fingi ne voto quidem potest. Plin. alter 37. Hist. nat. 9. 40. (122). Indicæ amethysti absolutum felicis purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Quintil. Declam. 3. 12. in fin. Ad omne votum fluente fortuna, lascivit otium. Petron. Sat. 115. Hæc sunt consilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum. Pers. 3. 48. quid dexter senio ferret, Scire erat in voto. Sueton. Aug. 51. Neque votum sibi neque animum deesse confodiendi eum. Curt. 4. 13. a med. Darius votum meum implevit. h. e. quod optabam, plane præstitit. — Huc pertinet formula, quæ legitur in vetustis epitaphiis, contra votum, præter voluntatem aut desiderium, ut apud Gruter. 696. 10. FILIO DVLCISSIMO MEMORIAM POSVERVNT CONTRA VOTVM. h. e. a quo sibi faciendum optaverant, ut est in alia 536. 1. Sic in alia 697. 7. QVOD DOCVIT NATAM PATRI PRAESTARE SEPVLTO HOC CONTRA NATAE PRAESTITIT IPSE PATER. Similem sententiam habes 699. 1. et 707. 8. et 536. 1. et 683. 5. et 695. et alibi. — Hæc autem non modo in iis occurrit, quæ filiis posita a parentibus sunt, ut affirmat Morcell. in Inscr. comm. subject. p. 119. ed. Patav., sed passim in iis etiam, quæ uxoribus a maritis, ut apud Murat. 1835. 11. IVLIANAE CONIVGI SANCTISSIMAE QVAE VIXIT ANNIS XX. AVRELIVS EVSEBIVS CONTRA VOTVM.; aut maritis ab uxoribus, ut apud Gruter. 1139. 13. AVRELIA EVSEBIA CAERELLIO PEregrino CONIVGI DVLCISSIMO QVI VIXIT CVM CONIVGE SVA ANN. XXIIII. CONTRA VOTVM FECIT.; aut parentibus a filiis, ut apud Murat. loc. cit. AVRELIAE VITALIAE MATRI PIISSIMAE QVAE VIXIT ANNIS XL. AVRELIVS EVSEBIVS CONTRA VOTVM.; aut fratribus a fratribus, ut apud Gruter. 1050. 1. C. CAELIO QVI VIXIT ANNOS P. M. XXXV. FRATER EIVS RENATVS POSVIT CONTRA VOTVM.; aut sororiis a cognatis, ut apud Murat. 1873. 3. FLAV. HIGGO QVI VIXIT ANNOS XXV. MENS. V. COGNATVS DVLCISSIMVS SORORIO AMANTISSIMO C. V. M. P. h. e. contra votum memoriam posuit; aut patronis a libertis, ut apud Gruter. 1025. 5. FL. AVRELIO QVI VIXIT ANNOS L. M. IIII. D. IIII. (h. e. quinquaginta, mensibus quattuor, diebus quattuor) ARCVTIO LIBERTVS EIVS POSVIT CONTRA VOTVM. V. plura huc spectantia apud Jo. Labus. in Monum. epigr. Crist. p. 12. — b) Sequente Conjunctivo et partic. ut. Cels. 6. 6. n. 1. ante med. Sub his oculus plerumque rumpitur: votumque est, ut tantum exulceretur. è desiderabile. — c) Et Infinito. Prudent. Psychom. 303. vobis vinci et succumbere votum est. Cels. 2. 5. Post hæc indicia votum est, longum morbum fieri.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de rebus, ut de arboribus apud Plin. 17. Hist. nat. 2. 2. (14). Vota arborum frugumque communia sunt, nives diutinas sedere. ¶ 2. Et per metonymiam pro nuptiis et matrimonio: quia ex voto, h. e. desiderio utriusque conjugis plerumque fiunt. Hinc nostrates vulgo dicunt rimogliarsi et rimaritarsi in secondi voti. Impp. Honor. et Theodos. Cod. 5. 9. 4. Nec prosit liberis ex priore susceptis matrimonio, quod mulier ad tertia minime vota migraverit. Imp. Justinian. ibid. 5. 24. sub fin. Ex quo vota nuptiarum re ipsa processerint. Impp. Constantin. et Constans, ibid. 1. 2. Nihil fraudis ei sit, quæ, nuptias maturando, vota sua diutius eludi non passa est. Apul. Florid. n. 4. Togam parari et voto et funeri. Id. 4. Met. Votis nuptialibus pacto jugali pridem destinatus. In ludicro testamento M. Grunnii Corocottæ (de quo V. in BUBULARIUS). Sorori meæ Quirinæ, in cujus votum interesse non potui, do, lego etc. ¶ 3. Et etiam de liberis, quæ maxime sunt vota parentum, apud Apul. 4. Met., ut monet Hild. V. ibid. adnot.

VŌTUS, a, um, particip. V. VOVEO.

VŌTUS, i, m. 2. V. VOTUM.

VŎVENS, entis, particip. V. voc. seq.

VŎVĔO, vŏves, vōvi, vōtum, vŏvere, a. 2. Gerund. vovendi habet Apul. Doctr. Plat. 3. Alii leg. fovendi. — Ratione habita etymi, alii conjungunt cum Gr. ὄω pro οἴω, fero, quasi animo vel voce effero, digammate adjecto; alii vero cum rad. Skr. vagh seu va, desiderare. Hinc fit, ut primitiva vocis significatio nunc ea putetur, quam nos posuimus secundo loco; contra plerique hanc ab altera translatam censent. — Part. Vovens I. d; Votus I. a et in fin.; Vovendus I. a. — Voveo duo affinia significat; scil.

I.) Est Deo aliquid sancte promittere, εὔχομαι, ἐπεύχομαι (It. far voto, promettere, votare; Fr. faire un vœu, s'engager par un vœu, vouer; Hisp. votar, hacer un voto; Germ. geloben, weihen; Angl. to give one's vote, to devote): qui videtur sensus derivatus; quamquam ex frequentiore usu primitivus habetur. V. supra. — a) Cum Acc. tum personæ, tum rei. Cic. 3. Nat. D. 36. 88. Neque Herculi quisquam decumam vovit umquam, si sapiens factus esset. Sall. in orat. Cottæ ad pop. ad fin. Voveo dedoque me pro republica. Liv. 1. 27. Tullus in re trepida decem vovit Salios fanaque Pallori ac Pavori. Cic. 5. Fin. 22. ad fin. Nostri imperatores pro salute patriæ sua capita voverunt. Alii leg. devoverunt. Ovid. 13. Met. 88. sortemque meam vovistis, Achivi. h. e. vota fecistis, ut ex pluribus sors mea ex urna exiret. — Passive. Cic. 3. Nat. D. 17. 43. At earum templa sunt publice vota et dedicata. Liv. 4. 12. Ludi ab decemviris per secessionem plebis a patribus ex S. C. voti, eo anno facti sunt. Ovid. 2. Amor. 11. 46. pro reditu victima vota cadet. Id. 4. Fast. 893. Hostica Tyrrheno vota est vindemia regi. h. e. promissa Mezentio. Inscr. lamnæ aeneæ apud Liv. 23. 19. in fin. MANICIVM PRO MILITIBVS VOTVM VOVISSE. In vet. carm. apud Liv. 25. 12. et Macrob. 1. Saturn. 17. Apollini vovendos censeo ludos. V. VOMICA. — b) Cum Conjunctivo et partic. ut. Justin. 21. 3. 2. Locrenses voverunt, si victores forent, ut virgines suas prostituerent. — c) Cum Infinito præs. Plaut. Curc. 1. 1. 72. Me inferre Veneri vovi jam jentaculum. Albinov. 1. 179. Mœsta domus plangore sonat, cui figere lætus Parta sua dominus voverat arma manu. — Et cum Infinito fut. Cæs. 6. B. G. 16. Se immolaturos vovent. Cic. 1. Divinat. 17. 31. Quum sues puer pasceret, una ex his amissa, vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se Deo daturum, quæ maxima esset in vinea. Liv. 39. 9. Bacchis eum se initiaturam vovit. Adde fragm. Tab. Fr. Arv. n. XXIV. I. O. M. BOVEM AVRATVM VOVIMVS ESSE FVTVRVM. (Ita legendum censet Marin. ibid. p. 147. pro auratam – futuram, ut est aliquoties in eo lapide ex quadratarii negligentia vel imperitia, quamvis rectius ipse putat bove aurato – futurum, quod sæpius in eodem legitur; septies enim ibidem ea formula habetur, ut etiam in alia Tabula apud Gruter. 119. 3. et apud Marin. ibid. n. XIX. itidemque apud Tertull. Cor. mil. 12.) — d) Absolute. Sil. It. 4. 203. Sed Parcæ intonsa non exaudita voventem Ad manes traxere coma. Quintil. 11. 3. 100. Manus leviter pandata, qualis voventium est. Vulg. interpr. Eccle. 5. 4. Multo melius non vovere, quam post votum promissa non reddere. — Liv. 31. 9. sub fin. Vovit in eadem verba consul, præeunte maximo pontifice, quibus etc.

II.) Est optare, desiderare, cupere (It. desiderare; Fr. desirer, souhaiter; Hisp. desear, apetecer; Germ. sich sehnen, wünschen; Angl. to desire, to wish). — a) Cum Acc. Ovid. 12. Met. 200. Sint tua vota licet, dixit, secura repulsæ: Elige quid voveas. et 11. ibid. 128. quæ modo voverat, odit. — b) Cum addito Dat. Horat. 1. Ep. 4. 8 Quid voveat dulci nutricula majus alumno. — c) Sequente Conjunctivo et partic. ut. Ovid. 14. Met. 35. Ut tua sim, voveo. Id. 9. ibid. 675. Quæ voveam, duo sunt: minimo ut relevere labore, Utque marem parias. — Hinc

Votum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. V. suo loco.

VOX, vōcis, f. 3. — a) Ad scriptionem quod attinet, veteres etiam vocs seu vogs scripsisse, testatur Scaur. p. 2256. et 2466. P. — Box pro vox, ex solita harum litterarum commutatione, in Inscr. apud Murat. 377. 2. — b) Ratione habita etymi, Forcellinus noster a βόω, clamo, vel a βῶξ (quod pariter a βόω), piscis marini vocalis genus; vel etiam a vocando derivatum ait, ut dux a ducendo: at potius voco a vox dictum puto et utrumque a rad. Skr. vak, loqui. Alii alia subtiliora, quam veriora, docent. — Quidquid sit de etymo, vox est sonus animalium ore aut alia collisione corporum expressus, φωνή, βοή (It. suono, voce, pronun-

*zia*; Fr. *voix, son, cri*; Hisp. *voz, son, grito*; Germ. *der Laut, die Stimme, der Zuruf*; Angl. *a voice, sound, cry*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 5. 3. *a med.* Vox est spiritus fluens et aeris ictu sensibilis auditui. Ea movetur circulorum rotundationibus infinitis, uti, si in stantem aquam lapide immisso, nascantur innumerabiles undarum circuli crescentes a centro etc. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 29. Vox nihil aliud est, quam ictus aer. *et ibid.* 6. Quid est vox, nisi intensio aeris, ut audiatur, linguæ formata percussu? *Ter. Phorm.* 5. 7. 92. enim vero voce 'st opus: Nausistrata, exi. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Ut nostrorum militum vocibus non nihil carperetur. *Lucret.* 6. 1148. ulceribus vocis via sæpta coibat. *Catull.* 63. 21. Ubi cymbalum (*scil.* cymbalorum) sonat vox. *Virg.* 6. *Æn.* 646. Obloquitur numeris septem discrimina vocum: Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 48. Mugiet et veri vox erit illa bovis. *Id.* 2. *Amor.* 6. 18. *de psittaco.* vox mutandis ingeniosa sonis. *Id.* 1. *Met.* 337. *de buccina Tritonis.* quæ medio concepit ut aera ponto, Litora voce replet. Sic *Virg.* 7. *Æn.* 519. ad vocem celeres, qua buccina signum Dira dedit, raptis concurrunt undique telis. *Id.* 3. *ibid.* 555. Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa Audimus longe fractasque ad litora voces. *Id. ibid.* 669. ad sonitum vocis vestigia torsit. *h. e.* remorum aquas pulsantium. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 7. 31. *Liv.* 39. 3. Vox quiritantium. *Phædr.* 1. 12. Cervus venantum vocibus conterritus. *Id.* 5. 5. Porcelli vocem imitari. — *In voce dentes relinquere* est frendendo verba truncare. *Manil.* 5. 225. Morsibus et crebris dentes in voce relinquit. V. *Jacob* ad *h. l.* — Adjuncta *vocis* plurima sunt. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 216. Omnes voces hominis, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsæ. Nam voces, ut chordæ, sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva: quas tamen inter omnes est suo quæque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, leve, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono, attenuatum, inflatum. *et ibid.* 12. Loqui sono vocis recto et simplici, non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et æquabiliter et leniter. *Id. Orat.* 17. *ad fin.* Contenta voce atrociter dicere; et summissa leniter; et inclinata videri gravis et inflexa miserabilis. Mira est enim quædam natura vocis, cujus quidem e tribus omnino sonis (h. e. *accentibus*) inflexo, acuto, gravi, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus. *et ibid.* 18. Æschinem voce dulci et clara fuisse. *Quintil.* 11. 3. 14. Natura vocis spectatur quantitate et qualitate. Quantitas simplicior est, in summa enim grandis aut exigua est. Qualitas magis varia est. nam est et candida et fusca; et plena et exilis; et lenis et aspera; et contracta et fusa; et dura et flexibilis; et clara et obtusa. (Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 58. *ad fin.*) *et post multa.* Ornata est pronuntiatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aera, auribus sedens. *et infra.* Vox lætis in rebus plena, simplex et ipsa quodammodo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus et velut omnibus nervis intenditur: atrox in ira et aspera et densa et respiratione crebra: paullulum in invidia facienda lentior: at in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando lenis et summissa: suadentium et monentium et pollicentium et consolantium gravis: in metu et verecundia contracta; adhortationibus fortis; disputationibus teres; miseratione flexa et flebilis et consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa et securæ claritatis; in expositione et sermonibus recta et inter acutum et gravem sonum media. *Cic.* 3. *Herenn.* 12. 20. Figura vocis dividitur in tres partes, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem. Magnitudinem vocis etc. *Id. ibid. n.* 21. Arteriæ leni voce permulsæ. *et mox.* Recreatur enim vox spiritu. *Id. ibid. n.* 22. Sedata vox in principio. Quid insuavius, quam clamor in exordio causæ? Intervalla vocem confirmant. *et mox.* In extrema oratione continens vox remedio est voci. Rursus *ibid. n.* 21. Vox depressa. *et ibid.* 13. 23. remissa. *et ibid.* 14. 25. tremebunda. Apud *Ovid. variis in loc.* resona, sonans, ingens, tremens, fessa loquendo, infragilis, summa, sicca, rauca, fera, insana, virilis, tristis. Apud *Senec. Tragic. variis in loc.* alta, horrenda, blandiloqua, infanda, luctifica, gravior et attonita. Apud *Val. Flacc.* mœsta, sæva. Apud *Sil. It.* 1. 67. trux. Apud *Quintil.* præpinguis, dura, rigida, recta, erecta, concitata. Apud *Cicer.* rustica, agrestis, absona, absurda, subrauca, mollis, suavis, canora, splendida. Apud *Catull.* tinnula. Apud *Senec. Apocoloc. ante med.* qualis esse marinis belluis solet, rauca et implicata. Apud *Pers.* 1. 19. serena. Apud *Lucret. et Virgil.* liquida. Apud *Plin.* modulata, robusta, truculenta. — Multi etiam loquendi modi. *Cic.* 1. *Orat.* 61. *ad fin.* Contentio vocis et remissio. *et* 2. *ibid.* 46. 193. Vox inflexa ad miserabilem sonum. *Id. Senect.* 5. *a med.* Legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasi. *Sall. Cat.* 32. Demisso vultu, voce supplici postulare. *Plaut. Most.* 3. 1. 49. Scio, te bona esse voce: ne clama nimis. *Petron. Sat.* 108. clara liberaque clamare. *et ibid.* 96. rabiosa barbaraque perorare in ebrios et fugitivos. *et fragm. Tragur.* 70. *Burmann.* tremula teterrimaque cantare. *Seneca Brevit. vit.* 12. (*Cic.* 3. *Herenn.* 11. 20.) Vocem inflexu modulationis torquere. *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 25. dulce canit flectitque facillima vocem. *Id.* 9. *Met.* 583. lingua icto aere dat voces. *et* 15. *ibid.* 657. Vocem emittere. *Plaut. Pœn. prol.* 33. Matronæ canora hic voce sua tinnire temperent. *Virg.* 8. *Æn.* 70. Effundere vocem ad sidera. *et* 5. *Ecl.* 62. jactare ad sidera. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 390. anhelam expromere. *Plaut. Pseud.* 1. 4. 16. comprimere. *Ovid.* 1. *Met.* 715. supprimere. *Quintil.* 1. 8. *init.* attollere vel submittere. *Phædr.* 1. 12. edere. *et* 2. 26. præcludit metus. *Catull.* 64. 125. imo e pectore fundere. *et ibid.* 202. mœsto pectore profundere. *Virg.* 1. *Æn.* 378. imo a pectore trahere. *et* 4. *ibid.* 463. longas in fletum ducere voces. *et* 12. *ibid.* 929. vocem late nemora alta remittunt. *et ibid.* 638. Voce vocare aliquem. *Quintil.* 11. 3. 20. Fauces tumentes strangulant vocem, obtusæ obscurant, rasæ exasperant. *et ibid.* Vocem urgere ultra vires. *Plaut. Pœn. prol.* 13. Præco exerce vocem, per quam vivis. *Id. Rud.* 1. 4. 5. Voce quærere aliquem. *h. e.* identidem vocando. *Id. Bacch.* 5. 2. 22. Humana nos voce appellant oves. *Id. Asin.* 2. 2. 30. Jubeo te salvere voce summa, quoad vires valent. *Id. Amph.* 5. 1. 12. maxima voce exclamare. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. 75. Vocis silentium. ἀφωνία. *et mox.* depressio. *Sueton. Ner.* 20. Vocem reficere. *et ibid.* 25. conservare. — Poetice in Bibliis *vox Domini* est tonitru, apud *Vulg. interpr. Ps.* 28. 3. Cf. *Ps.* 67. 35. et 76. 18. Sic *vox molæ* apud *eumd. Jer.* 25. 10. ad significandum silentium post urbis excidium, ex more sumptum Hebræorum, qui in sua quisque domo quotidie sub vesperam molere solebant. — *Vox corvina* apud *Augustin. Serm.* 6. ed. *Mai.* et *alib.* dicitur de iis, qui rem vitiose differunt seu procrastinant, ex corvis, qui crocitando vocem *cra cra* efferunt. — Ad curam servandæ vocis pertinent hæc. *Cels.* 5. 25. *n.* 15. Vocem adjuvat turis P. 1. in duobus cyathis vini datum. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 18. 103. (168). Eriphia (*herba*) ad vocem nihil præstantius esse tradunt. *Id.* 20. *ibid.* 6. 23. (54). Allium voci plus confert. *et* 22. *ibid.* 25. 69. (141). Faba voci plus prodest. *et* 20. *ibid.* 14. 53. (149). Voci mentæ succus utilis. *et ibid.* 6. 21. (47). Porrum voci splendorem affert. — Huc spectat etiam illud *Cic.* 3. *Herenn.* 12. 22. Intervalla vocem confirmant. *et mox.* Conservat vocem continui clamoris remissio. Contra *ibid.* Acuta exclamatio vocem et fauces vulnerat.

II.) Translate. ¶ 1. Est sæpe verbum, dictum, sententia, oratio, sermo, *parola, detto, sentenza, motto, formula.* — *a*) Universim. *Cic. Scaur.* 2. 16. Argumentum rerum vox est, naturæ vestigium, veritatis nota. *Id.* 2. *Fin.* 2. *in fin.* Dico, Epicurum non intelligere, quid sonet hæc vox voluptatis, id est quæ res huic voci subjiciatur. *Lucret.* 1. 912. Quum ligna atque ignes distincta voce notemus. *Ovid.* 5. *Fast.* 484. Is verbi sensus, vis ea vocis erat. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Quum ab iis sæpius quæreret, neque ullam omnino vocem exprimere posset. *cavar neppure una parola.* *Virg.* 1. *Æn.* 68. Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est: Æole etc. et *Cic.* 7. *Verr.* 65. 168. Constitue, nihil esse opis in hac voce, Civis R. sum. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 92. longe mea discrepat istis Et vox et ratio. *et ibid.* 3. 103. Donec verba, quibus voces sensusque notarent Nominaque invenere. *Id.* 1. *Ep.* 1. 34. Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem Possis. *Cic. Sext.* 19. 42. Quum viderem, vocem pro me ac pro republica neminem mittere. *dire una parola, aprir bocca a favor mio.* et *Cluent.* 32. *a med.* Hodierno die primum veritas vocem contra invidiam misit. *Id. Flacc.* 3. 6. Fuit quæstor in Hispania: vox de quæstura nulla missa est. *et paullo post.* Quæ est umquam jacta, non suspicio, sed iracundiæ vox aut doloris? et *Seneca Thyest.* 1072. Vocibus nostris vaca. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (36). Temerarium videatur unam vocem antiquorum posuisse: Nihil minus expedire, quam agrum optime colere. *Tac.* 2. *Ann.* 29. Libo veste mutata vocem adversus pericula poscere. *h. e.* defensionem. *Anecd. Helv.* XXV. ed. *Hag.* Vox articulata, quæ litteris scribi et articulis comprehendi potest, ut ars, pars etc. Confusa, quæ nec litteris scribi potest. *et mox.* inarticulata, quæ cum nulla ratione profertur, ut est rusticorum locutio. Litterata et inlitterata etc. *V.* loc. — *Vocem tollere* est gravi stilo et grandioribus verbis uti, apud *Horat. Art. P.* 93. Interdum tamen et vocem comœdia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore. — *Viva vox.* *V.* VIVUS. — *Una vox,* communis opinio et consensus. *Cic.* 9. *Fam.* 15. Atque hæc una vox omnium est. *Id.* 1. *Orat.* 11. 46. A quibus omnibus una pæne repelli voce oratorem a gubernaculis civitatum videbam. *h. e.* uno ore, consensu omnium. *Martial.* 7. 6. Certus auctor abest: sed vox hoc nuntiat omnis. *tutti ne parlano.* — *b*) In re divinatoria. *Horat. Epod.* 5. 45. sidera excantata voce Thessala. *detti magici.* Sic *ibid.* 17. 78. Deripere lunam vocibus. Cf. *ibid.* 4., *Virg.* 8. *Ecl.* 69. et *Petron. Sat.* 31. Has *Horat. Epod.* 17. 6. dicit *voces sacras.* — *c*) In re forensi. *Cic. pro Cornel. or.* 1. *fr.* 22. *p.* 14. *Kays.* Extremi ac difficillimi temporis vocem illam consulem mittere coegistis. ¶ 2. Item imperium, jussum, *comando, ordine.* *Id. Rabir. perduell.* 8. 23. Consulum voci atque imperio non obedire. *Val. Max.* 2. 2. 4. Cujus voci continuo Fabius obsecutus. ¶ 3. Item lingua, sermo, *lingua, idioma.* *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 39. Graja sive Latina Voce loqui. *Horat.* 1. *Od.* 10. 3. Mercuri *etc.* Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti catus. *Justin.* 11. 15. 6. Applicito captivo, quem civem ex voce cognovisset etc. ¶ 4. Interdum *voces* sunt litteræ, vocales præsertim, quæ solæ sonum habent. *Cic. Orat.* 44. 149. Verba sint quam suavissimis vocibus. *et in fin.* In ea oratione est crebra ista vocum concursio, quam magna ex parte, ut vitiosam, fugit Demosthenes. ¶ 5. Item accentus, *accento,* προσῳδία. *Id. Orat.* 18. 58. Ipsa natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus nec a postrema syllaba citra tertiam. ¶ 6. *Vocem non habere* est quod Itali dicunt *non aver autorità di parlare.* Hinc *Lactant. Mort. persecut.* 13. 6. Propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius (*Christianæ*) homines carerent omni honore ac dignitate *etc.* libertatem denique ac vocem non haberent.

Homonym. Ita differt *verbum* a *voce,* ut illud sit dictio articulata et significabilis, hæc quilibet sonus ore prolatus: vel etiam, ut illud sit hominis cogitantis, hæc sentientis propria. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 35. Illic nec voces nec verba juvantia cessent. *et* 5. *Fast.* 484. Is verbi sensus, vis ea vocis erat. *Plin. Paneg.*

26. Adulantia verba blandasque voces edocere. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 65. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 34. Sunt verba et voces, quibus etc. sc. verba, sermones arcana quadam potentia præditi; voces cantiunculæ (ἐπῳδαί) idem efficientes, ut interpretatur *Ritter.*

VOXOR. *V.* UXOR.

# VU

VULCĀNAL et

VULCĀNĀLE, is, *et*

VULCĀNĀLIA, ium *et* ōrum, n. plur. 3. *V.* voc. seq.

VULCĀNĀLIS *et* Volcanalis, e, adject. ad Vulcanum pertinens. *Varro* 5. *L. L.* 84. *Müll.* Vulcanalis flamen. Adde *Macrob.* 5. *Saturn.* 1. — Hinc

*Vulcanale* et *Vulcanal, is,* n. 3. absolute, substantivorum more.

I.) In sing. num. est locus Romæ supra Comitium, teste *Festo* in *Statua p.* 290. 14. *Müll.* Fuit autem templum et area Vulcano sacra, ubi antequam comitium ædificaretur, contiones ad populum haberi solitæ. *Plin* 16. *Hist. nat.* 44. 86. (236). Altera lotos in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis, æquæva Urbi intelligitur. Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant. (Ex his verbis satis intelligi datur, fuisse haud procul ab hodierna æde, quæ vulgo dicitur *chiesa di S. Lorenzo in Miranda,* sive templum Antonini et Faustinæ.)

II.) In plur. num. *Vulcanalia, ium* et *orum.* ¶ 1. Est festum in honorem Vulcani, quod Augusto mense X. cal. Septembr. celebrabatur. *Varro* 6. *L. L.* 20. *Müll.* Vulcanalia a Vulcano, quod ei tum feriæ et quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 489. 36. *Merc.* Curio Vulcanaliorum die ibidem moratus. *Pompei Comm. p.* 196. 2: *Keil.* ad *h. l.* malit *Vulcanalium. Inscr.* apud *Orelli n.* 736. PRAETOR LITATVRVM SE SCIAT VOLCANALIBVS X. KAL. SEPT. OMNIBVS ANNIS VITVLO ROBIO ET VERRE. — De hoc festo *V. Mommsen* in *Corp. Inscr. Lat.* I. *p.* 400. — Aliud fuit Vulcani festum, de quo *V.* in TUBILUSTRIUM. ¶ 2. Sæpius dies, quo Vulcanalia habebantur. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 18. et 47. Augusto circa Vulcanalia tertia satio est. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 47. (260). Fici, quum Vulcanalibus tonuit, cadunt. Adde *Atej.* apud *Fest. p.* 154. 30. *Müll. Plin.* 3. *Ep.* 5. *ante med.* Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi gratia, sed studendi. His tamen locis priorem sensum tribuit *Forcellinus.*

VULCĀNIUS *et* Volcanius, a, um, adject. ad Vulcanum seu ignem pertinens. *Lucil.* apud *Non. p.* 528. 10. *Merc.* Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam. *h. e.* ignem. Sic *Virg.* 10. *Æn.* 407. extenditur una Horrida per latos acies Vulcania campos. *h. e.* incendium: quod est *Silio It.* 14. 423. Vulcania pestis. *Cic.* 2. *Tusc.* 14. *a med.* Pungit dolor, vel fodiat sane. si nudus es, da jugulum: sin tectus Vulcaniis armis, id est fortitudine, resiste.

VULCĀNŌSUS *et* Volcanosus, a, um, adject. idem ac Vulcanius vel Vulcano similis, *vulcanico. Auct. Queroli* 1. 3. *sub fin.* Cohors fuliginosa, vulcanosa, atra.

VULCĀNUS *et* Volcanus, i, m. 2. nomen filii Jovis et Junonis (de quo *V.* ONOM.), qui præesse igni credebatur; quare metonymice ponitur pro igne, ut Bacchus pro vino, Ceres pro frugibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 185. Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris? *h. e.* ignem geris in laterna cornea. *Virg.* 7. *Æn.* 77. totis Vulcanum spargere tectis. *Ovid.* 7. *Met.* 104. Volcanum naribus efflant. Adde *Quintil.* 8. 6. 24.

VULGA. *V.* BULGA.

VULGĀGO, inis, f. 3. herba eadem ac asarum. *Æmil. Macer* 46. 6. Est asarum Græce, vulgago dicta Latine.

VULGĀRE et

VULGĀRIĒ. *V.* in VULGARITER.

VULGĀRIS *et* volgaris, e, adject. (vulgus) ad vulgus pertinens, pervulgatus, communis, protritus, vilis, δημώδης (It. *del volgo, che si usa con tutti, comunale, vile, volgare;* Fr. *qui concerne la foule, général, vulgaire, ordinaire;* Hisp. *comun, vulgar, ordinario;* Germ. *z. grossen Menge gehörig, allgemein, gemein, gewöhnlich;* Angl. *common, vulgar*). ¶ 1. Universim. *Cic.* 3. *Fin.* 1. *ad fin.* In omni arte, cujus usus vulgaris communisque non sit. *Id.* 1. *Orat.* 58. 248. In communi vita et vulgari hominum consuetudine. *et ibid.* 23. *a med.* Genera forensis dictionis ad vulgarem popularemque sensum accommodata. *Id.* 1. *Off.* 16. *extr.* Vulgaris liberalitas. *h. e.* quæ in vulgus seu in omnes exercetur. *Id. Planc.* 19. 47. Vulgari et pervagata declamatione contendere. *Id. Orat.* 57. *ad fin.* Ut pervagatum et vulgare videatur. *Id. Quinct.* 18. 56. Hæc vulgaria et obsoleta sunt: res autem nova et inaudita. *Id. Rosc. Am.* 26. 71. Nihil tam vile neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. *Id.* 1. *Orat.* 23. 109. Vulgaris opinio. *Horat.* 3. *Od.* 2. 23. Virtus cœtus vulgares et udam Spernit humum fugiente penna. *Cic.* 1. *Fam.* 3. *extr.* Ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuisse. *h. e.* translaticiam et levem. *Quintil.* 1. *præf.* Ne vulgarem viam ingressus alienis vestigiis insisterem. *h. e.* usitatam, consuetam, tritam. *Id.* 10. 1. 9. Humilia et vulgaria verba. Sic *Cic.* 14. *Phil.* 4. 10. Eos hostes appellare dubitamus? gravius si quis attulerit nomen, libenter assentiar: hoc vulgari contentus sum, leviore non utar. Adde *Rutil. De fig. sent.* 2. 10. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (118). *de picis.* Nec vulgaris illis forma, quamvis non spectanda. *h. e.* quotidiana et qualis vulgo videri solet. *Cic. Rosc. Am.* 46. *circa med.* Mitto artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios. *et Tac.* 16. *Ann.* 22. Vulgaria patrum consulta. *decreti ordinari.* et *Lucan.* 5. 219. Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur Ad vulgare jubar etc. *h. e.* ad lumen solis, quod vulgo patet et vulgat omnia. *Plin.* 3. *Ep.* 20. *ad fin.* Quousque illa vulgaria? Ebo quid agis? Ecquid commode vales? *quei complimenti comuni e soliti.* — *Vulgare est,* vulgo fit, passim usurpatur, usitatum, translaticium est, *si usa comunemente:* cum Infinito. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 57. (131). Prostratas arbores restitui plerumque et quadam terræ cicatrice vivescere, vulgare est. *Id.* 14. *ibid.* 19. 24. (120). Resina condire musta, vulgare est Italiæ provinciisque finitimis. ¶ 2. In re obscena. *Ovid.* 4. *Fast.* 865. Vulgares puellæ. *h. e.* quæ prostant. *Sueton. Vitell.* 2. Vulgaris mulier. — Hinc absolute, substantivorum more

*Vulgares, ium,* m. plur. 3. homines vulgares, populares, *la gente del volgo, il volgo. Augustin. Ep.* 60. *n.* 1. Sicut vulgares dicunt.

*Vulgaria, ium,* n. plur. 3. res solitæ, communes. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 38. Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. *Cic. Top.* 18. 69. Ut anteponantur rara vulgaribus.

VULGĀRĬTAS, ātis, f. 3. (vulgaris) conditio ejus, qui vulgaris vel communis est. ¶ 1. Abstractorum more. *Porphyr.* in *Horat. Art. P.* 47. Vulgaritas verbi. Adde *Pseud.-Cyprian. Sing. cl.* 39. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, est idem ac vulgus. *Arnob.* 3. *p.* 123. Palem, sed non feminam illam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis. Adde *p.* 102. et *Capitolin. Anton. phil.* 28.

VULGĀRĬTER *et* volgariter, adverb. (vulgaris) vulgo, e vulgo, κοινῶς (It. *volgarmente;* Fr. *communément, d'une manière ordinaire, vulgaire;* Hisp. *comunmente, vulgarmente;* Germ. *gemein, auf gemeine Art;* Angl. *vulgarly, commonly*). *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (13). Ne quis vulgariter electam putet. *scelta dal volgo.* et 28. *ibid.* 14. 58. (204). Vituli quoque jus vulgariter datum inter auxilia cœliacorum tradunt. *comunemente.* In illo *Cic.* 13. *Fam.* 69. Ut intelligeres, me non vulgariter nec ambitiose, sed ut pro homine intimo ac mihi pernecessario scribere: alii leg. *vulgarie,* alii *vulgare,* quæ item sint adverbia, pro *vulgariter;* at *Klotz* nec vulgari more.

VULGĀRĬUS *et* volgarius, a, um, adject. (vulgus) idem ac vulgaris. *Turpil.* apud *Non. p.* 488. 26. *Merc.* Non est mediocris res neque vulgaria fallacia hæc. *Gell.* 3. 16. *a med.* Verbum vulgariæ significationis. *Id.* 12. 10. In libris vulgariis scriptum est. Adde *Nœv.* et *Afran.* apud *Non. ibid.* et *Gell.* 1. 22. et 16. 5. *Arnob.* 6. *p.* 195. Vulgariis proverbiis. *Alii leg.* vulgaribus. — *Apul. De mag.* Geminam esse Venerem deam — alteram vulgariam, quæ sit percita populari amore. *h. e.* quæ corpus vulgat. Cf. VULGARIS.

VULGĀTĒ *et* volgate, adverb. (vulgatus) per vulgus, vulgando. Occurrit tantum Comp. apud *Ammian.* 15. 3. 6. Hæc augente vulgatius fama. Adde 31. 3. *init.*

VULGĀTOR *et* volgator, ōris, m. 3. (vulgo) qui vulgat, id est aliquid in vulgus disseminat, enuntiator, *divolgatore,* διαφημιστής. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 51. Sic aret mediis taciti vulgator in undis Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet. *h. e.* Tantalus, qui, deorum mensæ adhibitus, illorum arcana enuntiavit. — *Ennod. Paneg. Theod.* 5. Campus est vulgatur natalium.

VULGĀTUS, a, um, particip. *V.* VULGO.

VULGĀTUS, us, m. 4. (vulgo) vulgandi actus. In sexto casu *Sidon.* 8. *Ep.* 1. Sufficere suspicabantur, si quid superiore vulgatu protulissemus.

VULGĪVĂGUS *et* volgivagus, a, um, adject. (vulgus *et* vagor) vulgaris et vagus, εἰκαιοπλάνης. *Lucret.* 4. 1064. Vulgivagaque vagus Venere. *h. e.* secutor plebejæ popularisque Veneris, non certæ mulieris amore captus. *Id.* 5. 930. Volgivago vitam tractabant more ferarum.

VULGO *et* volgo, adverb. *V.* VULGUS.

VULGO *et* volgo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (vulgus) Part. *Vulgans* 2. *a; Vulgatus* 1. et in fin.; *Vulgaturus* 2. *a; Vulgandus* 5. — Vulgo est aliquam rem vulgo communem facio, in vulgus spargo, δημοσιεύω (It. *divolgare, spargere;* Fr. *répandre dans le public, rendre général, propager;* Hisp. *divulgar, derramar, publicar, esparcir;* Germ. *allgemein machen, veröffentlichen;* Angl. *to divulge, to publish, to spreading*). ¶ 1. Generatim. *Liv.* 3. 6. Ministeriaque invicem ac contagio ipsa vulgabant morbos. — Cum addito Acc. et præp. *in. Id.* 5. 47. Vulgati velut in pecua morbi. *Curt.* 9. 10. 10. Contagium morbi etiam in alios vulgatum est. ¶ 2. Speciatim est in vulgus enuntio, rem occultam in lucem profero, patefacio, *divulgare, pubblicare, manifestare, palesare,* διαφημίζω. — *a*) Absolute. *Virg.* 10. *Æn.* 63. quid me alta silentia cogis Rumpere et obductum verbis vulgare dolorem? *Tac.* 13. *Ann.* 7. Hæc atque talia vulgantibus. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 295. nec littera venit Vulgatura nefas. *Liv.* 3. 24. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas. — *b*) Cum addito Acc. et præp. *in, per. Varro* apud *Non. p.* 230. 31. *Merc.* Vulgare aliquid in vulgus. *Alii* in vulgum. Aliter *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 44. Vulgare aliquem vulgo. *Liv.* 28. 27. Non quod ego vulgari facinus per omnes velim. — *Vulgare locum aliquem,* notum facere. *Val. Flacc.* 4. 419. Bosporon hinc veteres errantis nomine divæ Vulgavere. ¶ 3. Item rem communem omnibus facio. *Liv.* 2. 29. P. Virginius rem non vulgabat: de iis tantum, qui Volsco bello militassent, agendum censebat. ¶ 4. In illo *ejusd.* 3. 35. Vulgari cum privatis: *vulgari,* mediorum apud Græcos more, est permiscere se, *frammischiarsi e trattare.* ¶ 5. Item in lucem edo, publici juris facio, *dar fuori, publicare. Sueton. Gramm.* 8. Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris. Adde *Quintil.* 1. *proœm.* ¶ 6. In re turpi est prostituere, *prostituire. Liv.* 4. 2. Quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgen-

tur concubitus plebis patrumque. *Aurel. Vict. De orig. gent. R.* 21. Pretio vulgare corpus. — Hinc Part. præter. perf., cujus exempl. retulimus

*Vulgatus, a, um,* etiam adjectivorum more usurpatur, unde Comp. *Vulgatior* et Sup. *Vulgatissimus.* — Vulgatus ¶ 1. Generatim est communis, consuetus, vulgaris, *comune, solito, di comune uso, usitato. Cic. Harusp. resp.* 27. *a med.* Quæ navis umquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam istius ætas fuit? *Quintil.* 2. 4. *a med.* Nam quid hi possint in causis proprium invenire, qui etiam in his, quæ sunt communia et in plurimis causis tractantur, vulgatissimos sensus verbis, nisi tanto ante præparatis, persequi nequeant? ¶ 2. Speciatim est notus, manifestus, publicus, *noto, notorio, manifesto, pubblico. Horat.* 4. *Od.* 9. 3. Artes non ante vulgatæ. *Virg.* 1. *Æn.* 461. Bellaque jam fama totum vulgata per orbem. *Ovid.* 4. *Met.* 276. Vulgati amores. *Lucan.* 9. 22. vulgata per orbem Fabula. *Id.* 8. 312. Vulgatus mundus. *conosciuto.* et *Liv.* 1. 7. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros. *Quintil.* 10. 1. *ad fin.* Vulgata falso opinio de aliquo. ¶ 3. Item, obsceno sensu, est prostitutus. *Liv.* 1. 4. Femina vulgato corpore. *Sueton. Domit.* 22. Vulgatissimæ meretrices.

VULGUS *et* volgus, i, m. *et* n. 2. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *vulgus* qui amant, sequi videntur usitatiorem consuetudinem, quam tamen et antiqui libri non uni fulciunt: qui *volgus,* antiquitati magis adhærent. Utraque scriptio proba, inquit *Forcellinus.* Ita et in aliis hujusmodi, concurrentibus litteris *v* et *u,* de quibus *V.* suo loco. — *b*) Duplicis generis est. Masc. apud *Virg.* 2. *Æn.* 98. et spargere voces In volgum ambiguas. *Varro* apud *Non. p.* 230. 28. *Merc.* Quem si vulgus secutus esset, dispeream, si etc. Adde *Phædr. loc. cit.* et *Sisenn.* et *Acc.* apud *Non. ibid.* etc. — Sæpius tamen neutr. gen. exempla occurrunt. — In sing. num. tantum usurpatur, sed masc. positione, ut *pelagus, virus.* — Etiam quartæ declinationi adscribit *Priscian.* 6. *p.* 715., nullo allato exemplo; at genet. *vulgus* habet. *Varro* apud *Charis. p.* 147. 1. et abl. *volgu* idem *Varro* et *Oppius* apud *eumd. ibid.* 4. *K.* — *c*) Ratione habita etymi, ex recentioribus alii conjungunt cum rad. Skr. *varg (valg),* volvere et etiam premere, quod hominum multitudinis proprium est; alii vero cum Cret. πόλχος, Att. ὄχλος et Æol. ὄλχος, turba, populus. — Vulgus est populus, plebs, turba, τὸ πλῆθος, οἱ πολλοί, ὄχλοι (It. *popolo, volgo, moltitudine;* Fr. *le commun des hommes, la multitude, le peuple, le vulgaire, le public;* Hisp. *el vulgo, el pueblo, el comun;* Germ. *die grosse Menge, das Volk, die Leute;* Angl. *a vulgar, common people, multitude*): et fere ita accipitur, ut a sapientibus et nobilibus distinguatur. Construitur autem cum verbo tum in sing., tum etiam aliquando in plur. num., utpote nomen collectivum seu multitudinis. Porro occurrit

I.) Proprie vel stricto sensu. ¶ 1. Universim seu indefinite. *Cic. Brut.* 53. *extr.* Sapientis judicium a judicio vulgi discrepat. *Id.* 2. *Divinat.* 41. *sub fin.* Fani pulcritudo et vetustas Prænestinarum etiam nunc retinet sortium nomen: atque id in vulgus: quis enim magistratus aut quis vir illustrior utitur sortibus? *Sall. Cat.* 20. *a med.* Postquam respublica in paucorum potentium jus atque ditionem concessit, semper illis reges vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere: ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii. *Cic. Planc.* 4. 9. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperque sapientes ea, quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. *Virg.* 2. *Æn.* 39. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. *Horat.* 2. *Od.* 16. 39. malignum Spernere vulgus. *Id.* 1. *ibid.* 36. 25. Vulgus infidum. *Id.* 3. *ibid.* 1. 1. profanum. *Ovid.* 2. *Fast.* 554. inane. *Virg.* 1. *Æn.* 153. ignobile. *Claudian.* 8. 302. (et *Stat.* 2. *Silv.* 2. 123.) Mobile mutatur semper cum principe vulgus. *Justin.* 41. 1. 4. Veluti vulgus sine nomine, præda victorum fuere. *Sall. Jug.* 70. Vulgus, uti plerumque solet, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum, erat cupidum rerum novarum, quieti et otio advorsum. *Lucan.* 9. 159. Spargere aliquid per vulgus. *Phædr.* 4. 14. Prometheus auctor vulgi fictilis. *h. e.* hominum e luto factorum. *Cod. Theod.* 8. 1. 8. Quos plebe confusa, vulgus abscondit. — Cum verbo plur. *Virg.* 1. *Æn.* 153. et *seq.* Cf. *Jul. Rufinian. De schem.* 31. — *In vulgus,* apud volgus, vulgo. *Cic. Parad. procem.* Cato ea sentit, quæ non sane probantur in vulgus. *Id.* 2. *Att.* 22. *circa med.* Quod in vulgus gratum esse sentimus. *et* 9. *ibid.* 5. Alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. *Liv.* 22. 3. *in fin.* Miles in vulgus lætus ferocia ducis. *Tac.* 1. *Hist.* 71. *in fin.* Celebrata in vulgus Celsi salus. *et* 2. *ibid.* 93. Crebræ in vulgus mortes. *et ibid.* 26. *extr.* Apud paucos ea ducis ratio probata: in vulgus adverso rumore fuit. *Lucan.* 1. 131. famæque petitor Multa dare in vulgus. *Claudian.* 21. 168. in vulgus manant exempla regentum. — *In vulgo,* idem. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 44. (112). Apio gratia in vulgo est. ¶ 2. Speciatim, seu de aliqua determinata hominum multitudine. *Ter. Andr.* 3. 4. 4. Quod volgus servorum solet. *Cic. Brut.* 97. 332. Numerari in vulgo patronorum. *Horat.* 2. *Od.* 13. 32. Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus (*umbrarum*). et *Lucan.* 7. 38. lacerasset crine soluto Pectore femineum, ceu Bruti funere, vulgus. Sic *Ter. Hecyr.* 4. 2. 24. Vulgus mulierum. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 23. In vulgus insipientium opinio honestatis. *Liv.* 3. 23. Vulgus militum. *Id.* 7. 8. armatorum. *Nepos Alcib.* 8. Atheniensium. *Capell.* 3. *p.* 136. minorum Cælicolum.

II.) Translate vel latiore sensu dicitur de brutis animantibus. *Virg.* 3. *G.* 468. culpam ferro compesce, priusquam Dira per incautum serpant contagia vulgus. *h. e.* totum gregem ovium. *Seneca Hippol.* 957. vulgus æquoreum cie. *h. e.* marina monstra. — Hinc

*Vulgo* et *volgo,* adverb., seu ablativus casus, adverbii more positus, est apud vulgus, ab omnibus, passim, *comunemente, da tutti,* κοινῇ, πανδημεί. *Cic. Mur.* 35. 73. Ad prandium invitare vulgo, passim: quid est vulgo? universos. *Ter. Andr.* 2. 5. 15. Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet, Omnes sibi malle melius esse quam alteri. *Id. Heaut.* 3. 1. 37. Ea coacta ingratiis Postilla cœpit victum vulgo quærere. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. *a med.* Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. *et* 5. *ibid.* 33. *ad fin.* Accidit, quod fieri necesse erat, ut vulgo milites ab signis discederent. *a frotte.* et *Virg.* 4. *Ecl.* 25. Assyrium vulgo nascetur amomum. *da per tutto.* et 3. *G.* 494. Hic lætis vituli vulgo moriuntur in herbis. *h. e.* catervatim, universim, *Id.* 3. *Æn.* 643. Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgo Infandi Cyclopes. *h. e.* passim per hæc litora. *Liv.* 26. 27. *ante med.* Juvenes nobiles Campanos id incendium fecisse: vulgoque facturos alia, ni comprehendantur. *h. e.* multis aliis in locis. *Nepos Alcib.* 6. Illum unum omnes prosequebantur: coronis aureis æneisque vulgo donabatur. *Cic.* 16. *Att.* 10. Vulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. *Quintil.* 9. 2. 8. Ut vulgo uti solemus. *Cels.* 4. 4. *n.* 1. *sub fin.* Vulgo audio, si quis pullum hirundininum ederit, angina toto anno non periclitari. *Phædr.* 3. 3. Usu peritus hariolo velocior Vulgo esse fertur. *Cic. Rosc. Am.* 29. 80. Ejusmodi tempus erat, ut homines vulgo impune occiderentur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 31. (76). Arbor Alpina nec vulgo nota. *Cic.* ad *Dolabell. post ep.* 17. *l.* 14. *ad Att.* Vulgo hominum opinio socium me adscribit tuis laudibus. *Id.* 6. *Verr.* 28. 64. Vulgo ostendere ac proferre aliquid. *a tutti.* et 1. *Invent.* 28. *ad fin.* Quæritur, natura ejus evenire vulgo soleat, an insolenter ac raro. *h. e.* persæpe, fere. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. *ad fin.* Hisce litteris, quas vulgo ad te mitto, nihil fere scribo, quod, si in alicujus manus inciderit, moleste ferendum sit. *h. e.* palam, publice, in vulgus. *Modestin. Dig.* 1. 5. 23. Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet. Adde *Papinian. Dig.* 34. 9. 16. § 1. et *Cod. Theod.* 6. 30. 15.

Homonym. Ita differunt *vulgus* et *populus,* ut *vulgus* sit infimi generis homines, *populus* vero cives honesti quidem sed mediocritatem numquam egressi. *Tac. Agr.* 43. Vulgus quoque et hic aliud agens populus etc. *Id.* 1. *Hist.* 89. Vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus. *et Dial. de orat.* 7. Vulgus imperitum et tunicatus hic populus. — Differunt etiam *vulgus* et *plebs* in illo *Cod. Theod.* 8. 1. 8. Quos, plebe confusa, vulgus abscondit: ubi *plebs* videtur aliquid inferius *vulgo.*

VULNĔRĀBĬLIS *et* volnerabilis, e, adject. (vulnero) qui vulnerat. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *ad fin.* Intestina plurima materia et acerrima et vulnerabili onerata. *h. e.* rodente, lancinante.

VULNĔRANS, antis, particip. *V.* VULNERO.

VULNĔRĀRĬUS *et* volnerarius, a, um, adject. (vulnus) ad vulnera pertinens, *da ferite,* τραυματικός. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 40. (81). Vulnerariis emplastris utile. *h. e.* emplastris, quæ vulneribus imponuntur. Sic 34. *ibid.* 11. 27. (115). Cruda autem ærugo vulnerariis emplastris miscetur. — Hinc

*Vulnerarius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est qui vulnera curat, medicus. *Gloss. Lat. Gr. p.* 261. *Vulc.* ¶ 2. Item chirurgus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 6. (13)., ubi scribit, *vulnerarium* vocatum fuisse Romæ Archagathum Lysaniæ filium medicum, quia secare et urere sæpe consueverat; mox a sævitia id sæpius factitandi *carnificem* dictum.

VULNĔRĀTĬO *et* volneratio, ōnis, f. 3. (vulnero) actus vulnerandi, *ferita,* τραῦμα, τρῶσις.

I.) Proprie. *Cic. Cæcin.* 16. *in fin.* Sin autem vim sine cæde, sine vulneratione, sine sanguine nullam intelligetis. Adde *Auct. B. G.* 8. 47., *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 27. et *Theod. Prisc.* 2. 18. — In plur. num. *Plin. Val.* 1. 19. Vulnerationes nervorum.

II.) Translate. *Cic. Pis.* 20. *ad fin.* Major hæc est vitæ, famæ, salutis suæ vulneratio. Adde *Theod. Prisc.* 3. 9.

VULNĔRĀTOR *et* volnerator, ōris, m. 3. (vulnero) qui vulnerat, *feritore.* Translate *Hieronym.* 5. in *Isai.* 14. 12. Sed cecidisti in terram gentium vulnerator.

VULNĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc seq.

VULNĔRO *et* volnero as, āvi, ātum, are, a. 1. (vulnus) Part. *Vulnerans* II.; *Vulneratus* in omnib. fere paragr.; *Vulnerandus* I. 1. *a.* — Vulnero est vulnus infligo, saucio, ferio, τιτρώσκω, οὐτάζω (It. *ferire, impiagare;* Fr. *blesser, frapper;* Hisp. *herir, golpear;* Germ. *verwunden, durch e. Wunde verletzen;* Angl. *to strike, to wound*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De personis. *Cæs.* 5. *B. G.* 58. Ne quis quemquam prius vulneraret, quam illum interfectum videret. *Id.* 5. *ibid.* 35. L. Cotta in adversum os fundâ vulneratur. *Sall. Jug.* 61. *sub fin.* Pleraque jacula tormentis aut manu emissa vulnerabant. *Auct. B. Alex.* 30. Plurimum autem proficiebant hostes in repellendis vulnerandisque nostris. *Cic. Sext.* 10. *a med.* Acie ipsa et ferri viribus vulnerari. *Ovid.* 11. *Met.* 372. aper Vulnerat armentum sternitque hostiliter omne. *Nepos Eumen.* 4. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur. *Justin.* 15. 3. *ad fin.* Lysimachum hastæ cuspide ita in fronte vulneravit ut etc. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 311. Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes. *scil.* quia lac concretum cum sanguine potat equino, ut ait de Gelono *Virg.* 3. *G.* 463. *Cic. redit. in Senat.* 3. 7. Sanctissimum corpus vulneratum ferro confectumque vidistis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 72. (237).

Sic et quadrigis agendis tractos rotave vulneratos (*curant*). *Id.* 11. *ibid.* 39. 93. (227). Cutis ubicumque sine carne est, vulnerata non coit. *Id.* 7. *ibid.* 28. 29. (103). Vulneratus humerum ac femur. — *b*) De rebus. *Liv.* 37. 24. Ipsius Eudami multis ictibus vulnerata navis erat. *maltrattata.* ¶ 2. Speciatim est cædere, frangere. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 16. (64). *de smaragd.* Scythicorum tanta duritia est, ut non queant vulnerari.

II.) Translate. *Cic. Harusp. resp.* 1. *ad fin.* Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est a gravissimo viro confectus ac trucidatus. *Id.* 1. *Cat.* 4. 9. Quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. *Id.* 3. *Herenn.* 12. 22. Vulnerare vocem. *Ovid. Heroid.* 19. 105. Ah potius peream, quam crimine vulnerer isto! *et ibid.* 21. 37. Nunc laudata gemo *etc.* et proprio vulneror ipsa bono. *Id.* 2. *Pont.* 7. 41. continuo Fortunæ vulneror ictu. *Id.* 1. *Art. am.* 21. *de Amore.* mea vulnerat arcu Pectora. *Virg.* 8. *Æn.* 583. gravior ne nuntius aures Vulneret. *Quintil.* 7. 2. *circa med.* Læsum et vulneratum reum speravere hac invidia opprimi posse. *Lactant.* 7. 1. *a med.* Qui libidinum stimulis incitati *etc.* vulnerant aures eorum præcepta continentiæ. — Absolute. *Julian.* apud *Augustin.* 2. *Op. imperf. contra Julian.* 136. A loco medicantis locum intellige vulnerantis.

VULNĬFER (volnifer) *et* vulniferus, fĕra, fĕrum, adject. (vulnus *et* fero) ¶ 1. Est qui vulnus fert, vulnificus. *Prudent. Psychom.* 173. Illa globos legionum et concurrentia rumpit Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres. *Maximian. Gall.* 5. 98. Quo tibi cristatum vulniferumque caput? ¶ 2. Est etiam qui vulnus facit, vulnificus. *Gloss. Cyrill.*-τραυματοποιός, vulniferus.

VULNĬFERUS. *V.* voc. præc.

VULNĬFĬCO, as, āvi, are, a. 1. (vulnus *et* facio) vulnere afficio, *vulnerare, ferire,* τιτρώσκω. Translate *Venant. Misc.* 10. 2. Vulnificavit cunctos infelicis arboris acquisita possessio.

VULNĬFĬCUS, fĭca, fĭcum, adject. (vulnus *et* facio) qui vulnus infligere potest, *che può ferire.*

I.) Proprie. *Virg.* 8. *Æn.* 446. Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit. *Ovid.* 8. *Met.* 359. In juvenes vasto sic impete vulnificus sus Fertur. *Val. Flacc.* 1. 420. *de cæstib.* Taurea vulnifico portat celataque plumbo Terga Lacon. *Capell.* 1. *p.* 6. Apollo hinc quoque sagittarius, hinc quoque Vulnificus, quod possit radiorum jaculis icta penetrare.

II.) Translate *vulnificas Camenas* appellat *Rutil.* 1. *Itiner.* 600. Lucilii poetæ satyras.

VULNUS *et* volnus, ĕris, n. 3. De scriptione recurrunt eadem, quæ in VULGUS dicta sunt. — Notatio est incerta: recentiores conferunt cum Indico *vrana* ejusd. significationis et cum Gr. οὐλή, cicatrix; mihi vero liceat etiam conjungere cum *vulsus* a *vello.* — Vulnus est hians et patens apertura in corpore ex ictu aut morsu, τραῦμα, πληγή (It. *ferita, piaga;* Fr. *blessure, plaie, coup;* Hisp. *herida, llaga;* Germ. *die Wunde;* Angl. *a wound, cut*).

I.) Proprie. — 1.°) De personis. *Plaut. Truc.* 2. 5. *v.* 50. Mihi homo cave faxis volnus, tibi jam cui sunt dentes ferrei. *Cic. Mil.* 24. *a med.* Mirabar, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. *Phædr.* 2. 3. Remedium vulneris. *h. e.* morsus canis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Aurium vulnera. *i fori delle orecchie.* et *Stat.* 5. *Theb.* 160. Vulnus mortem sperans. *h. e.* mortiferum. *Grat. Cyneg.* 109. proni moderatus vulneris iram. *h. e.* vulneris, quod ipse venator pronus infert. *Ovid.* 12. *Met.* 491. capuloque tenus demisit in armos Ensem fatiferum cæcamque in viscera movit Versavitque manum vulnusque in vulnere fecit. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 44. et *Seneca Troad.* 676. et *Thyest.* 1057. Vulnus ferro dare. *Val. Flacc.* 6. 193. spargere funda. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. inferre. *Id.* 1. *ibid.* 45. *ad fin.* sustinere. *Cic. Sext.* 10. 23. excipere. *Id. Harusp. resp.* 19. 40. Ut tamquam fortis in pugna vir, acceptis a forti adversario vulneribus adversis, cadere videatur. *Liv.* 24. 26. *ad fin.* (et *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 41.) Confectus vulneribus. *et ibid.* 7. Vulneribus confodi. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Vulneribus defessi pedem referre cœperunt. *Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 33. *a med.* Mori ex vulneribus. *Cic.* 2. *Orat.* 61. 249. Claudicare ex vulnere ob rempublicam accepto. *Ter. Eun.* 4. 7. 9. Vulnus abstergere. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 39. et 3. *Nat. D.* 22. 57. obligare. *Cels.* 5. 26. *n.* 24. deligare. *Id.* 7. 26. *ad fin.* fovere aqua calida. *Id.* 5. 26. *n.* 23. glutinare. *et ibid. n.* 29. purgare. *et n.* 30. implere. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 71. (139). ad cicatricem perducere. *Hieronym.* in *Rufin.* 1. 11. Vulneri manum adhibere. — *Chironeum vulnus*, apud *Lucil.* 29. 84. dixere alii letale, ideo quia Chiron Centaurus sagitta Nessi sanguine tincta ictus mortiferum vulnus fertur contraxisse; alii eo, quod posset sanari, sed ab egregiis medicis tantum: οἷα τοῦ Χείρωνος αὐτοῦ δεόμενα πρὸς ἴασιν, ut ait *Paul. Æginet.* V. *L. Müll.* ad *Lucil.* — 2.°) De rebus et quidem — *a*) Dicitur de ictu et cæsura arboris, lapidis et hujusmodi. *Virg.* 2. *Æn.* 630. *de orno.* Vulneribus donec paullatim evicta supremum Congemuit traxitque jugis avolsa ruinam. *colpi.* et *Juvenal.* 6. 246. quis non vidit vulnera pali? *Ovid.* 9. *Met.* 383. ab acutæ vulnere falcis, A pecoris morsu frondes defendite nostras. *Id.* 4. *Pont.* 7. 38. Parsque fere scuti vulnere nulla vacet. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (142). Pruinæ, nisi obliquo vulnere defendatur medulla, plurimum nocent. *taglio.* — *b*) Et de scissura. *Juvenal.* 3. 49. si rupta calceus alte Pelle patet: vel si consuto vulnere crassum Atque recens linum ostendit non una cicatrix. *Ovid.* 1. *Fast.* 665. Rusticus emeritum palo suspendat aratrum: Omne reformidat frigida vulnus humus. — *c*) De balsamis, quæ veteribus in nuptiis adsueta erant. *Claudian. Epith. Pall. et Celer.* 123. dare quæ (*balsama*) saucius ungue Niliacus pingui desudat vulnere cortex.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est ipsum telum, quo vulnus fit. *Virg.* 10. *Æn.* 140. Vulnera dirigere et calamos armare veneno. *Sil. It.* 5. 251. Ac simul infesto Lateranum vulnere truncæ Arboris urgebat. *et* 1. 397. Hunc miseratus adest infesto vulnere Ladmus. Adde *Stat.* 9. *Theb.* 345. ¶ 2. Et ipse ictus, quo vulnus infligitur. *Ovid.* 12. *Met.* 103. *de tauro.* Quum sua terribili petit irritamina cornu, Puniceas vestes elusaque vulnera sentit. *Propert.* 1. 1. 13. Hylæi percussus vulnere rami. *Seneca Herc. Œt.* 160. vulnera dirigit Parthus Gnossiacis certior ictibus. *Sil. It.* 2. 92. Dirigit aligero letalia vulnera ferro. *Val. Flacc.* 6. 653. Æsonia vulnus fatale sed hastæ Per clipeum, per pectus abit. *Lucan.* 3. 567. Jam non excussis torquentur tela lacertis, Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro. ¶ 3. Et etiam pro sanguine ex vulnere, in illo *Stat.* 2. *Theb.* 124. et undanti perfundit vulnere somnum. ¶ 4. Metaphorice est calamitas, casus adversus, pernicies, damnum. *Cic.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 3. *ad fin.* et *Lucan.* 8. 72. Fortunæ gravissimo percussus vulnere. *Cic.* 4. *Fam.* 6. *a med.* Hoc tam gravi vulnere etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescunt. *Id.* 4. *Fin.* 24. 66. et 5. *Att.* 17. *ad fin.* Quæ hic reipublicæ vulnera imponebat, eadem ille sanabat. *Id. Sext.* 7. *sub fin.* Scelera et vulnera inusta reipublicæ. *Id. post red. in Senat.* 4. 9. Consulari vulnere concidere. *Ammian.* 27. 1. 1. Post ærumnosas jacturas et vulnera. *Quintil.* 6. *procem.* Illum, in quo spem senectutis meæ reponebam, repetito vulnere orbitatis amisi. *Auct. carm. buc.* 7. *v.* 2. *p.* 219. *Wernsd.* Nam vulnus reserat qui mala publicat, Claudit qui tacitum premit. ¶ 5. Item dolor animi, qui vulnus seu calamitatem sequitur, angor, mœstitia. *Virg.* 12. *Æn.* 160. et *Sil. It.* 5. 647. Incertam et tristi turbatam vulnere mentis. *Lucret.* 2. 638. Æternumque daret matri sub pectore vulnus. *Ovid.* 5. *Met.* 426. inconsolabile vulnus Mente gerit tacita. ¶ 6. Ita dicitur de amore. *Virg.* 4. *Æn.* 1. At regina gravi jamdudum saucia cura Vulnus alit venis et cæco carpitur igni. Adde *Propert.* 2. 20. 32. et *ibid.* 23. 18. et *Ovid.* 1. *Art. am.* 257. *Apul.* 4. *Met.* Dulcia vulnera sagittæ. Cf. *Lucret.* 1. 34. æterno devinctus vulnere amoris. *V.* LOCUS et LUDO.

Homonym. Discrimen inter *vulnus* et *plagam* V. in PLAGA.

VULNUSCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* vulnus, exiguum vulnus. *Ulp. Dig.* 21. 1. 1. § 8. Proinde levis febricula aut vetus quartana vel vulnusculum modicum nullum habent in se delictum. Adde *Hieronym. Ep.* 12. *n.* 13., *Veget.* 1. 16., *Augustin. Ep.* 75. *n.* 13. et *Sulpic. Sev. Dial.* 1. 2.

VULPĔCŬLA, volpecula *vel* vulpicula, æ, f. 1. (*deminut. a* vulpes) Scribitur etiam *volpecula* apud *Horat.* 1. *Ep.* 7. 29. *Keller.;* et *vulpicula* apud *Porphyr.* in *eumd. ibid.* V. VALLIS init. — Vulpecula est parva vulpes, *volpetta, volpicella,* ἀλωπέκιον.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 88. In qua lepusculos vulpeculasque sæpe vidisses. *Auct. carm. de Philom.* 59. fallax vulpecula gannit. — Apud *Horat. loc.* supra *cit.* nitedula pro *vulpecula* leg. *M. Haupt* et *L. Müller* cum *Bentley* (Cf. *Lachm.* ad *Lucr. p.* 204.); at *Holder* et *Krüger* cum MSS. *vulpecula.*

II.) Figurate de homine astuto. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 10. *n.* 11. Peccantem autem non hominem, sed - vulpeculam aut jumentum vocare consuevit.

VULPES *et* volpes, is, f. 3. — *a*) In plerisque *Plauti* et alior. codicib. legitur *volpes* antiquo efferendi more. *V.* VULGUS. In recto sing. *vulpis* sæpe apud *Phædr.* legitur in multis libr., v. gr. 4. 2. Fame coacta vulpis alta in vinea Uvam appetebat. *Avian.* 40. 7. Hunc arguta novo gaudentem vulpis amictu. Alii leg. *vulpes dum gaudet amictu.* Multa sunt nomina duplicis hujus positionis, *torques* et *torquis, apes* et *apis, ædes* et *ædis, canes* et *canis* etc. Ita *Forcellinus;* apud *Phædr.* tamen recentiores ubique legend. docent *vulpes.* V. *Orelli* 1. 7. 1. *not. crit.* — Etiam *vulpex* legitur in *Corp. Gloss.* 2. 507. *n.* 43. — *b*) *Vulpes masculus* est apud *Marcell. Empir. c.* 36. *p.* 143. *ad fin. Plin. loc.* infra *cit.* dicit *vulpes mascula.* — *c*) Ad etymon quod attinet, *Varro* 5. *L. L.* 101. *Müll.* a celeritate dictam ait, per syncopen quasi sit *volipes:* ita enim Ælium Stilonem putare. *et Quintil.* 1. 6. 33. hanc notationem neque probat neque rejicit. Verum *Pott* confert cum Skr. *lôpâças*, ejusd. significationis. (Cf. tamen *Curt. Grundz. p.* 360.) Hinc etiam videtur esse Gr. ἀλώπηξ, pro qua Æoles Fαλώπηξ, unde *valopes* et postea *volpes*, ut ait *Forcellinus* noster. — Vulpes est animal ferum, singulari astutia, ἀλώπηξ (It. *volpe;* Fr. *renard;* Hisp. *zorro, vulpeja;* Germ. *der Fuchs;* Angl. *a fox*).

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 73. Olim quod vulpes ægroto cauta leoni Respondit, referam. Adde *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 46. (165). et *Phædr.* 1. 7., 4. 2. et *alib.* — *Jungere vulpes*, proverb. apud *Virg.* 3. *Ecl.* 91. de re valde absurda; neque enim vulpes aptæ umquam jugo esse possunt. — *Vulpes pilum mutat, non mores*, aliud proverb. apud *Sueton. Vesp.* 16. diciturque de iis, qui vitia alte infixa animo habent, quæ non facile tollunt temporum ætatisve mutatione. Itali hoc dicunt de lupo: *il lupo perde o cangia il pelo, ma non il vizio:* Gr. ὁ λύκος τὴν τρίχα, οὐ τὴν γνώμην ἀλλάττει. — *Quam facile vulpes pirum comest*, aliud proverb. de iis rebus, quæ facillime fieri possunt; nam vulpes, dentatissimæ quum sint, nullo negotio pirum conficiunt. *Plaut. Most.* 3. 1. 32. Tam facile vinces, quam pirum vulpes comest. — *Sæpe condita luporum fiunt rapinæ vulpium*, aliud proverb. de astutis, qui potentiores vincunt, vel de astutis astutos fallentibus. *Auct. Querol.* 1. 2. *in fin.*

II.) Improprie. ¶ 1. *Vulpes marina* piscis dicitur vulpis similitudine ejusdemque, ac terrestris, velocitatis et astutiæ (*Squalus Alopecia* Linn.). *Plin.* 9. *Hist. nat.* 43. 67. (145). ¶ 2. Est etiam genus vulpium (Hebr. *shu'al*, Pers.

*shagal*, Turc. *dshakal*, Fr. *chacal*), quæ et *vulpes parvæ* et *canes aurei* dicuntur, inter canem, lupum et vulpem medium, pilis flavis in extremitate nigrescentibus et cauda pilosa in nigrum colorem desinente. Gregales sunt, interdiu in antris latent, noctu gregatim vagantur et ululant et cum ululatu se ipsas produnt; domos quoque irrepunt, vineas demoliuntur, cadaveribus delectantur; facile tamen capiuntur. Harum magna copia in Palæstina, præsertim in Galilæa, ad Gazam et Joppen. *Vulg. interpr. Judic.* 15. 4. *de Samsone*. Cepit trecentas vulpes caudasque earum junxit etc. *Id. Ps.* 62. 11. Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt, *h. e.* devorabuntur a vulpibus. *Id. Cant.* 2. 15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. V. *Gesen.* in *Thes.* ad *h. v.* coll. *Rosellini Mon. Civ. T.* 3. *p.* 464-466. et *Ackerm.* § 51.

III.) Translate. *Horat. Art. P.* 437. Numquam te fallant animi sub vulpe latentes. *Pers.* 5. 117. Astutam rapido servas sub pectore vulpem.

VULPĪNĀRIS *et* volpinaris, e, adject. (vulpes) ad vulpem pertinens. V. *Apul.* in voc. seq.

VULPĪNOR *et* volpinor, āris, ari, dep. 1. (vulpinus) mendaciis ac fraudibus vera perverto sive effugio: tractum ab intorto vulpium cursu, ut placet *Nonio p.* 46. 26. *Merc.* Græce est ἀλωπεκίζω (It. *volpinare, volpeggiare, operare in modo di volpe*; Fr. *être rusé*; Hisp. *sutilizar, usar de astucia*; Germ. *fuchsschlau sein, schlau, listig sein*; Angl. *to play the fox, to be crafty*). *Varro* apud *Non. loc. cit.* Vulpinere modo et concursa: qualibet erras. *Apul.* 3. *Met.* An vulpinaris, amasio? *Ah così mi tradisci, il mio amante?* Ita recte vertit vetus interpres Italus: alii perperam putant, *vulpinaris* esse adjectivum, et cum *amasio* conjungunt.

VULPĪNUS *et* volpinus, a, um, adject. (vulpes) pertinens ad vulpem, *volpino, di volpe*, ἀλωπεκινος. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 47. (172). Vulpinam linguam habentes in armilla lippituros negant. *Id.* 32. *ibid.* 5. 16. (44). Vulpinus sanguis. *Id.* 28. *ibid.* 13. 55. (197). Vulpinum jecur. Adde *Marcell. Empir. c.* 15. *p.* 106. *retro. Julian.* apud *Augustin.* 4. *Op. imperf. contra Julian.* 69. Cervino metu et vulpino dolo.

VULPĬO, ōnis, m. 3. (vulpes) callidus, astutus, fallax, mendax, *volpone*. *Apul. De mag.* Jam tum vulpionem et impium fuisse.

VULPIS. *V.* VULPES.

VULSELLA. *V.* VOLSELLA.

VULSĬO *et* volsio, ōnis, f. 3. (vello) convulsio, *bolsaggine*. *Veget.* 3. *Veterin.* 65. *a med. de equis.* Si tussis ex ruptura vel vulsione provenerit, anagallicum (*corrige* arum Gallicum) primo tundes etc. *V.* VULSUS.

VULSO *et* volso, as, are, n. 1. (*frequentat.* vel *intens. a* vello) vulsione laboro, *esser bolso*. *Veget.* 5. *Veter.* 41. Jumenta nimio saltu vel cursu aut ruina, quum aliquid intrinsecus ruperint, vulsant.

VULSŪRA *et* volsura, æ, f. 1. (vello) vellendi actus, τιλμός, τίλμα (It. *svellimento*; Fr. *déracinement*; Hisp. *desarraigo*; Germ. *das Rupfen, Zupfen*; Angl. *a pulling, uprooting*). *Varro* 2. *R. R.* 11. *a med.* Lanam demptam et conglobatam alii vellera, alii vellumina appellant: ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram, quam tonsuram, inventam. *Gloss. Cyrill.* Τίλμα, volsura.

VULSUS, a, um, particip. *V.* VELLO.

VULTĬCŬLUS *et* volticulus, i, m. 2. *deminut. a* vultus, parvus vultus, *visetto*. *Cic.* 14. *Att.* 20. *sub fin.* Epicuri mentionem facis et audes dicere, μὴ πολιτεύεσθαι? non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret? *h. e.* gravis et severus vultus; nam 15. *ibid.* 12. μαλα σεμνὸς dicitur. Usus est autem deminutivo, quia erat non plenus, sed macilentus.

VULTŬĀTUS *et* voltuatus, a, um, partic. ab inusit. *vultuo*, in vultus figuram formatus. *Mar. Victorin. De gener. Verb.* 8. Omne τὸ ὂν in existentia et qualitate figuratum et vultuatum est.

VULTUM, i, n. 2. *V.* VULTUS.

VULTŬŌSUS *et* voltuosus, a, um, adject. (vultus) qui vultum sæpe commutat vel qui nimius est in ostentando aliquo affectu contractione aut remissione vultus: ut si quis in tristitia plus, quam decet, vultum contrahat, quod quidam efficere solent, ut tristiores videantur; aut in lætitia frontem nimis exporrigat, προσωπώδης. ¶ 1. Universim. — *a*) De personis. *Capell.* 2. *p.* 33. Ecce quædam matronæ sobrio decore laudabiles, nec, conquisitis pigmentis circa faciem, vultuosæ. — *b*) De rebus. *Cic. Orat.* 18. *sub fin.* In quo quum effeceris, ne quid ineptum aut vultuosum sit, tum oculorum est quædam magna moderatio. *Quintil.* 11. 3. *sub fin.* Quare non immerito reprehenditur pronuntiatio vultuosa et gesticulationibus molesta et vocis mutationibus resultans. ¶ 2. Speciatim de eo, qui est vultu severo, nimis gravi, *cipiglioso*. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 171. Nec terret ista, qua tumes, insania, Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens Tormenta leti comminaris asperi. — *Apul.* 3. *Met.* Non læta facie, sed vultuosa fronte rugis insurgentibus asseverabat. *h. e.* tetrica et ad severitatem nimis composita. *Ammian.* 29. 2. 7. Os vultuosum civium ferens. *oscuro, fosco.*

VULTUR *et* voltur, ŭris, m. 3. — *a*) *Vulturis* in recto sing. *Ennius* apud *Charis*, 1. *p.* 120. et *Priscian.* 6. *p.* 683. *Putsch.* et *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 595. Vulturis in silvis miserum mandebat homonem. Sunt qui leg. *vulturus* seu *volturus*. — Alia forma est *vulturius*, quæ in MSS. et editis libris sæpe cum altera confusa reperitur. *V.* suo loco. — *b*) Ratione habita etymi, a *volando* ducit *Forcellinus* noster, et quidem « ob crebrum volatum, quasi *voltur*, quomodo a *volendo* est *voltus* seu *vultus* »; verum, ut puto, vox rectius conjungitur cum *vello*, quod horum avium proprium est. — Vultur est avis rapax et carnivora, γύψ (It. *avoltoio*; Fr. *vautour*; Hisp. *buitre*; Germ. *der Geier*; Angl. *a vulture*). Mirum in modum corporibus jam putrefactis delectatur; unde non invenuste ex Græcis nonnulli τάφους ἐμψύχους appellarunt, hoc est sepulcra animata. Eximie autem est huic avi odorandi facultas, adeo ut cadaverum putorem ultra maria percipiat: quod *Isid.* 12. *Orig.* 7. 12. scribit. Hæc res occasionem præbuit fabulæ, qua quattuor ei narium spiracula tribuere, adeo ut et idcirco τετράπνους appelletur. Æque fabulosum, quod triduo circumvolare dicitur loca, ubi cadavera sunt futura: quod *Plin.* scribit 10. *Hist. nat.* 6. 7. (19). ex Umbricii haruspicis sententia. V. *Plauti loc. cit.* in VULTURIUS.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 597. rostroque immanis vultur obunco Immortale jecur tundens. *Liv.* 1. 7. Priori Remo augurio venisse fertur sex vultures. Adde *eumd.* 41. 21. — *Vultur profert cornua*, proverb. de his, quæ fieri non possunt. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 352. Jam testudo volat, profert jam cornua vultur, Prona petunt retro fluvii juga. *Auct. carm. de Phil.* 27. vultur pulpare probatur.

II.) Figurate, a rapaci hujus avis natura, *vultures* ¶ 1. Dicti sunt homines rapaces. *Cic. Sext.* 33. 71. Exierunt malis ominibus atque exsecrationibus duo vultures paludati. Alii rectius leg. *vulturii*. Intelligit Gabinium et Pisonem consules inimicos suos, provinciarum (ut sæpe eos nominat) voragines. *V.* VULTURIUS. ¶ 2. Item heredipetæ. *Seneca Ep.* 95. *a med.* Amico ægro aliquis adsidet: probamus; at hoc si hereditatis causa facit, vultur est, cadaver exspectat. *Martial.* 6. 62. Cujus vulturis hoc erit cadaver? — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

VULTŬRĪNUS *et* volturinus, a, um, adject. (vultur) qui est vulturis, *di avoltoio*, γυπινός. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (8). Quarti generis est percnopterus, vulturina specie, alis minimis etc. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (123). Eadem vis et in vulturino felle est. *Id.* 30. *ibid.* 4. 10. (30). Vulturinus sanguis. *Martial.* 9. 28. Vulturinum collum.

VULTŬRIS. *V.* VULTUR init.

VULTŬRĬUS *et* volturius, ii, m. 2. idem ac vultur.

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 2. 3. 16. quasi vulturii triduo Prius prædivinant, quo die esuri sient. *Lucret.* 4. 680. Mellis apes quamvis longe ducuntur odore Vulturiique cadaveribus.

II.) Figurate. ¶ 1. Dicitur de homine insatiabilis rapacitatis. *Cic. Pis.* 16. *in fin.* Appellatus est hic vulturius, illius provinciæ (si diis placet) imperator. *V.* VULTUR. ¶ 2. Item captator hereditatum. *Catull.* 68. 124. Suscitat a cano vulturium capite. ¶ 3. In talis *vulturius* dictus jactus is, qui alio nomine vocabatur *canis*: quia vulturis instar hominem spoliaret; erat enim damnosus. *Plaut. Curc.* 2. 3. 77. Provocat me in aleam, ut ego ludam. pono pallium: Ille suum anulum opposivit: invocat Planesium: - Jacit vulturios quattuor. Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem; Jacto basilicum.

VULTURNĀLĬA. *V.* voc. seq.

VULTURNĀLIS *et* Volturnalis, e, adject. ad Volturnum pertinens, de quo *V.* ONOM. Hinc Volturnalis flamen apud *Varron.* 7. *L. L.* 45. *Müll.* ex antiquo carmine. — Hinc etiam

*Vulturnalia* et *Volturnalia, ium* vel *iorum*, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, festa in honorem Vulturni apud *Paul. Diac. p.* 379. 2. *Müll.* Volturnalia Volturno deo suo sacra faciebant, cujus sacerdotem Volturnalem vocant. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 21. *Müll.*, ubi alii leg. *vortumnalia*. V. VERTUMNALIA. — Ea sacra fiebant VI. Kal. Sept., ut constat ex vet. *Kalend.* apud *Gruter.* 133. *V.* voc. seq.

VULTŪRNUS *et* Volturnus, i, m. 2. ventus spirans ab ortu brumali, qui in octonaria et duodenaria ventorum apud veteres divisione etiam Eurus dicitur, quique medius est inter duos ab Italis *Sirocco-Levante* et *Sirocco* appellatos (*V.* VENTUS). Ejus mentio est apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119)., *Senec.* 5. *Quæst. nat.* 16., *Gell.* 2. 22: et *Colum.* 5. *R. R.* 5. *a med.* et 11. *ibid.* 2. *a med.* — Unus *Vitruvius* 1. 6. *a med.*, qui XXIV. numerat ventos, eumdem Vulturnum ponit infra Eurum, meridionalem potius, quam orientalem, plagam versus. — Appellationem autem traxisse videtur a Vulture monte Apuliæ, unde idem spirat, ac propterea, ne agris noceret, divinum cultum apud Romanos habuisse, die etiam festo Vulturnalium in ejusdem honorem instituto. Hinc *Inscr.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1649. VOLTVRNO SANCTO SAC. L. VETTIVS L. F. *etc.* Alii tamen putant hujusmodi monumentum ad Vulturnum amnem pertinere. *V.* hanc voc. in ONOM.

VULTUS *et* voltus, us, m. 4. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, antique *voltus* pro *vultus*, ut in hujusmodi vocibus fieri solebat. *V.* VULGUS init. — *b*) Abl. plur. *vultubus*, pro *vultibus*, est *Stat.* 6. *Theb.* 38. apud *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 36. — *c*) Forma alia est *vultum* seu *voltum, i*, n. 2., unde abl. sing. *volto* apud *Apul.* 4. *Met.* (*Eyss.*) et plur. *volta* apud *Lucret.* 4. 1206. justim miscentes volta parentum. et *Enn. Ann.* 536. (*Non. p.* 230. 15. *Merc.*) Aversabantur semper nos nostraque volta. — *d*) Ratione habita etymi, dicunt esse per syncopen a *volitum* verbi *volo*: quia voluntatis et animi significatio est; unde et *voltus* sæpe legitur, inquit *Forcellinus*; quamquam verius ex alia causa scribitur *voltus*, de qua dictum est. Sic et *Priscian. De doct. nom. p.* 1302. *Putsch.* (*Krehl. T.* 2. *p.* 464. § 8.) Vultus quoque ipsa res esse videtur a verbo *volo*, quomodo *cultus* a *colo*. Adde 11. *p.* 930. *ibid.* At *Döderlein* cum *volvo* conjungit. Cf. *Virg.* 4. *Æn.* 363. et 8. *ibid.* 618. — Vultus est habitus sive status faciei, qui pro animi affectibus alius atque alius ostenditur: indicatio illa in homine, quæ pro motu animi in facie ostenditur, πρόσωπον (It. *volto, faccia, viso*; Fr. et Angl. *visage*; Hisp. *cara, vulto*; Germ. *der Gesichtsausdruck, das Gesicht*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 27. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur; et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores: cujus

vim Græci norunt, nomen omnino non habent. *Id. Pis.* 1. 1. Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. *Id.* 3. *Orat.* 59. 221. Imago animi vultus est, indices oculi. *Id.* 1. *ibid.* 28. 127. Quæ nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. *Virg.* 5. *Æn.* 649. Qui vultus vocisque sonus vel gressus eunti. Adde 6. *ibid.* 195. *Horat. Art. P.* 106. Vultus mœstus. *Ovid. Heroid.* 17. 55. vultus mihi tristis in ore. *Id.* 8. *Met.* 677. vultus sumit acerbos. *Sueton. Ner.* 37. Tristior et pædagogi vultus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 19. 18. (79). Socratem eodem semper visum vultu, nec aut hilaro magis aut turbato. *Sueton. Aug.* 79. Vultus tranquillus et serenus. *Id. Tib.* 68. adductus. *h. e.* in rugas contractus. *Tac.* 2. *Hist.* 46. Flectere aut indurare vultum. *Sil. It.* 15. 29. Vultus stans. *h. e.* constans, semper idem et compositus. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. 16. conductus atque concurrentibus superciliis caperatus. *Id.* 1. *ibid.* 3. 38. mortuosus. *h. e.* mortuo similis. *Id. ibid.* 15. 122. furialis. *Vulg. interpr. Prov.* 21. 29. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum. *Cic.* 12. *Fam.* 15. Vultus tuos mihi expressit omnes. *sc.* oris conformationes ex animi habitu ortas. *Id. Dom.* 52. 133. *de subito perterritis.* Vultus cadit. (*V.* CADO.) *Ovid.* 8. *Met.* 677. super omnia vultus Accessere boni. *Cic. Planc.* 18. *a med.* Non modo severitatem illorum, sed ne vultus quidem ferre possemus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 9. vultus multa et præclara minantis. *Seneca Herc. Fur.* 724. vultus est illi Iovis, Sed fulminantis. *Ovid.* 4. *Pont.* 1. 5. Vultus trahere. *et Martial.* 1. 41. ducere. *h. e.* contrahere et fastidii aut molestiæ signa dare. Adde *Eumen. Paneg. Constantin. Aug.* 4. et *Mamertin. Gratiar. act. Julian.* 5. *Curt.* 5. 8. 14. Vultum superbum ferre. *Vulg. interpr. Ezech.* 27. 35. mutare. — *b*) Absolute aliquando vultum iratum significat, *cera brusca, cipiglio. Horat.* 3. *Od.* 3. 3. vultus instantis tyranni. *Id.* 2. *Sat.* 7. 44. aufer me vultu terrere. *Tac.* 1. *Ann.* 12. Vultu offensionem conjectaverat. Sic *Vulg. interpr. Ps.* 20. 10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. *h. e.* iræ tuæ, quam præcipue ostendes extremi judicii die. Adde *eumd. Ps.* 33. 17., *Esth.* 7. 6., *Jerem.* 1. 17. etc. — *c*) *Lumen vultus* (Dei) est oris hilaritas, benignitas, favoris et clementiæ indicium. *Id. Ps.* 4. 7. Cf. *Ps.* 66. 2. etc. Alii de ratione vel lege naturali accipiunt juxta *Vulg.* — *d*) *Vultu alicujus regi,* est ad nutum ejus se componere. *Seneca* 6. *Benef.* 7. Tuus vultus, cui regendum me tradidi, colligit rugas et attrahit frontem, quasi longius exeam. — *e*) *Vultu sæpe læditur pietas,* dictum celebre, quo significatur, pietatem in parentes adeo facile violari posse, ut non factis modo aut verbo, sed et contumaciore vultus habitu lædatur. *Cic. Rosc. Am.* 13. 37.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum accipitur pro facie. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 12. *circa med.* Malui collegæ ejus, homini alienissimo mihi et propter amicitiam tuam non æquissimo, me obligare, quam illius simiæ vultum subire. *Martial.* 1. 32. Dum nulla teneri sordent lanugine vultus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 2. (2). Mentagra occupans in multis totos utique vultus. Adde *Petron. Sat.* 111. *et* 113. *Vulg. interpr. Is.* 49. 23. Vultum demittere. *Id. Dan.* 10. 15. dejicere. *Id. Luc.* 24. 5. declinare. ¶ 2. Hinc et pro imagine aut signo vultum alicujus referente ponitur. *Vopisc. Prob.* 23. Dignitatem Probi imperatores nostri prudenter et consecrandam vultibus et ornandam templis et celebrandam ludis Circensibus judicarunt. *nei ritratti.* et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Vultus Epicuri (*al.* Epicurios) per cubicula gestant ac circumferunt secum. *Id.* 37. *ibid.* 2. 6. (15). E margaritis fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 12. 7. 1. Si quis solidos appendere voluerit auri cocti, septem solidos quaternorum scripulorum nostris vultibus figuratos appendat. ¶ 3. Et metaphorice sumitur pro externa cujusque rei specie, ut *facies. Ovid.* 1. *Met.* 6. Unus erat toto naturæ vultus in orbe. *Virg.* 5. *Æn.* 848. Mene salis placidi vultum fluctusque quietos Ignorare putes? Cf. *Vulg. interpr. Job* 26. 9.

Homonym. Differt *vultus* a *facie,* quæ est oris species, nam eadem semper manet: *le fattezze;* at *vultus* pro motu animi mutatur. Cf. *Isid.* 1. *Diff.* 589. et v. VULTUOSUS. *Cic. Cluent.* 96. *ad fin.* Recordamini faciem atque illos fictos simulatosque vultus. *Lucil. fragm.* 1. 30. *M.* Quæ facies, qui vultus viro. *Sall. Cat.* 15. Prorsus in facie vultuque vecordia inerat. Rursus *Cic. Brut.* 66. 234. Quamquam et ex facie et ex vultu videbatur. — Aliud discrimen *V.* in FACIES. — Item differt *vultus* ab *ore,* ut *os* sit pars inferior faciei, ubi risus insidet, *vultus* pars superior, ubi oculi elucent: vel etiam, ut *os* sit idem ac facies et proinde immutabile, *vultus* vero varium aliquid et mutabile. *Liv.* 2. 60. Idem habitus oris; eadem contumacia in vultu. *Virg.* 10. *Æn.* 821. Ut vultum vidit morientis et ora. Adde *Cic. Dejot.* 2. 5. et *Liv.* 5. 16.

VULVA *et* volva, æ, f. 1. — *a*) Scribitur et *volva,* quæ scriptio nonnullis rectior videtur; sive spectatur harum vocum sonus apud veteres, ut in VULGUS dictum est; sive vocis probabilius etymon, ut infra. — Etiam *bulba* pro *vulva* legitur in illo *Nævii* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. Quis apud te heri? Præneste et Lanuvio hospites. Suopte utrosque decuit acceptos cibo: Alteris inanem bulbam madidam dari, Alteris nuces in proclivi profundere. Ita leg. *Forcellinus,* alii aliter. Adde tamen et *Edict. Diocl* 4. 4. — *b*) Etymon vocis petunt a *volvo;* quamquam aliud tradit *Isid.* 11. *Orig.* 1. 137., cui *vulva* est quasi *valva,* janua ventris. — Volva est involucrum, quo aliquid continetur. Dicitur autem ¶ 1. De vegetalibus et quidem — *a*) De fungis, et est album illud, quo boleti integuntur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (93). Volvam terra prius gignit, ipsum (*boletum*) postea in volva, ceu in ovo est luteum. — *b*) De pomis. *Scribon. Compos.* 104. *ad fin.* Pelorides, volva pomorum, sorba, mala orbiculata etc. *Rhodius* in *Lex.* adscribit, a quibusdam putari esse pomi medium, ubi semina continentur; ab aliis pro *volva pomorum* legi *volema.* ¶ 2. De animantibus est involucrum fetus in utero, *matrice.* — *a*) Proprie de bestiis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (209). Feminis eadem omnia præterque vesicæ junctus utriculus, unde uterus appellatur, quod alio nomine locos appellant: hoc in reliquis animalibus vulvam. — Vulvam suillam Romani in deliciis ciborum habuere, præsertim ejecticiam; nam quæ effetis a partu eximebatur, tamquam livida et macra, nullo in pretio fuit. *Plin. ibid.* Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejecticia vocatur illa, hæc porcaria: primiparæ suis optima: contra effetis. A partu, præterquam eodem die suis occisæ, livida ac macra. Nec novellarum suum, præter primiparas, probatur: potiusque veterum, dum ne effetarum, nec biduo ante partum aut post partum aut quo ejecerint die. Proxima ejecticiæ est occisæ uno die post partum. Hæc *Plin. Martial.* 13. 56. Te fortasse magis capiet de virgine porca: Me materna gravi de sue vulva capit. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 15. 41. — *b*) Etiam de mulieribus *vulva* dicitur, ut *uterus* de brutis animantibus. *Cels.* 4. 1. *et* 20. et 5. 21. *et* 25. et 7. 29. etc., *Plin.* plurimis in loc., *Juvenal.* 6. 128. et *Martial.* 11. 61. Sic *Vulg. interpr. Gen.* 20. 18. Vulvam concludere. *et* 29. 31. aperire. *Id. Rom.* 4. 19. Vulva emortua. ¶ 3. Per similitudinem dicitur etiam de podice viri, qui muliebria patitur. *Pers.* 4. 35. penemque arcanaque lumbi Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.

VULVŬLA, volvola *et* bulbula, æ, f. 1. *deminut.* a vulva vel bulba, parva vulva. *Apic.* 2. 3. Vulvulæ isiciata sic fiunt. Adde *Næv.* apud *Macrob.* 3. *Sat.* 18., ubi alii *bulbula* vel *bulba* leg. V. *Ribbeck Com. rel.* ad *h. l.* et *Müller De re metr. p.* 252.

# DE LITTERA X

X, x est *A*) Littera vicesima prima alphabeti Latini; et *B*) Romanorum nota vel sigla.

*A*) X est littera vicesima prima alphabeti Latini, respondens litteræ Ξ, ξ Græcorum, quæ, ut tradit *Isid.* 1. *Orig.* 4. 14., apud Romanos usque ad Augusti tempus non adhibebatur, sed pro ea scribebatur *cs;* verum in nummis ante eum sæpe reperitur una cum Y et Z. Videsis *Cavedoni* in *Ragguaglio Storico* etc. p. 125. — *a*) Semivocalis est et ex earum numero, quæ duplices appellantur, ut est apud *Mar. Victorin.* 1. 3. Vim enim duarum consonantium habet, id est *cs* vel *gs,* ut est apud *eumd. ibid.* Sane veteres pro *x* modo *cs,* modo *gs* utebantur, ut *apecs, gregs,* pro quibus nunc *apex* et *grex* dicimus. At *Pier.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 648. contendit, non semper esse duplicem: tum ex veterum monumentis, in quibus *vixsit, Alexsander, auxsilium, Cappadoxs* et in nummo Galbæ *paxs* legitur; tum auctoritate *Probi* in *Arte* idem docentis. Disserit de hac re etiam *Voss.* 1. *De gramm.* c. 21. Hoc tamen, ut recte ait cl. *De-Vit,* videtur discrimen tantum orthographicum; nam eadem ratione *ucxor, conjuncx, sacxum* pro uxor, conjunx, saxum scriptum occurrit. — *b*) Finitiva dicitur, quia in fine vocum sæpe reperitur. *Quintil.* 1. 4. 9. Et nostrarum ultima X. — *c*) Et superflua vocatur a *Mar. Victorin.* 1. 3. 11. et 13., quia per *c* et *s* potest scribi. Hinc *Quintil. loc. cit.* Ea carere potuimus, si non quæsissemus. — Quin *Nigidio Figulo* e numero litterarum expungenda videbatur, velut signum supervacaneum. *Mar. Victorin.* 1. 4. Cf. *Pezzi Gramm. Stor.-Comp. p.* 45. — Docet idem *Mar. Victor.* 1. 4. Latinos voces, quæ in *x* litteram incidunt, si in declinatione earum appareret *g,* scripsisse per *g* et *s,* ut *conjungs, legs.* — *d*) Ad enunciationem quod attinet, hæc habet *id. ibid.* 6. « Duæ supremæ *s* et *x* jure jungentur, nam vicino inter se sonore attracto sibilant rictu, ita tamen, si prioris ictus pone dentes excitatus ad medium lenis agitetur: sequentis autem crasso spiritu hispidum sonet, qui per conjunctionem c et *s,* quarum et locum implet et vim exprimit, ut sensu aurium ducamur, efficitur ». Cf. *Terentian. De litt.* 332. 226. — *e*) Ad usum quod spectat, Latini hoc elementum, quod vastioris soni videretur, quibusdam dictionibus exemerunt, unde pro vexillo *velum,* pro axilla *alam,* pro paxillo *palum* dicere maluerunt. Quod et ipse testatur *Cic. Orat.* 45. 153. Quomodo enim, inquit, noster Axilla, Ala factus est, nisi fuga vastioris litteræ, quam litteram etiam e maxillis et taxillis et vexillo et paxillo consuetudo elegans Latini sermonis evellit? — *f*) Ad permutationem quod attinet, aliquando hæc littera prioris partis substantiam exuit, ut simplex *s.* Sic *xancta* seu *xanta* pro *sancta* apud *Commodian.* 35. 24. Xanta (*al.* Xancta) Dei lex est, quæ mortuos vivere docet. Adde *Inscr.* apud *De-Rossi Roma sotterr. T.* 1. *p.* 337. Contra *Terentian. De syll.* 912. *de x.* Tantum apud Græcos videmus inchoantem nomina. — Verum sequiore ætate, saltem in fine vocis, *x* pro *s* usurpatum esse, tradit *Prob. App. p.* 197. et 199. *Keil.,* ut *milex* pro *miles, poplex* pro *poples* et alia. — *g*) In compositione quotiescumque præcedit dictionem incipientem a vocali vel *c, p, t,* utraque compositionis pars remanet integra, ut *exaro, exeo, exigo, exoleo, exuro, excutio, expers, explodo, extraho, extundo.* Sed si præcedat *s* litteram, *s* vel abjicitur vel retinetur; scribitur enim *exurgo* et *exsurgo, exequor* et *exsequor* etc., quamquam posterior scriptio priori præstat.

*B*) X est Romanorum nota vel sigla. — *a*) Nota est numeri denarii. Sic et V, quæ dimidiata pars est ejus, nota fit numeri quinarii; est enim X duplex V, alterum alteri superpositum. *Auson. Idyll.* XII. 24. In Latio numerus denarius,

Argolicum X *(ichs)*. Hinc factum est, ut in vetustis codicibus hæc nota aliquando inveniatur pro denario Romano, quod quattuor valebat nummis sestertiis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (44). Quod minore folio est, mesosphærum appellatur, emitur X. LX. Laudatissimum microsphærum e minimis folium; pretium ejus X. LXXV. — Si vero lineola superducatur, ut sit X̄, decem milia valet, teste *Auct. De Not. num.*, qui vulgo adjicitur *Probo* p. 1683. 6. — *b)* Apud Gromaticos casis designandis inservit. *Innocent. Cas. litt.* p. 317. 24. *Lachm.-Rud.* et p. 330. 12. *et* 337. 16. *ibid.* — *c)* Denique est nota prænominis *Decimi*.

# XA

**XANCTUS** (xantus), a, um. *V.* litt. X sub *A.*

**XANTHĒNES**, is, m. 3. Vox censetur orientalis originis, quæ gemmam significet; quamquam sunt, qui eam conferunt cum Gr. ξανθός, flavus, quia est electri colore. — Xanthenes est igitur gemmæ genus, de qua *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 70. (185). Zanthenem in Media nasci Democritus tradit electri colore et, siquis terat in vino palmeo et croco, ceræ modo lentescere, odore magnæ suavitatis. Alii leg. *zanthenem* vel *zathenem*, ut *Sillig.*

**XANTHĬCUS**, i, m. 2. (Ξανθικός). Scribitur et *Xanticos* sine aspiratione cum positione Græca. *V.* infra. — Xanthicus est mensis apud Macedones et Antiochenos, qui fere respondet Latinorum Aprili, cujus mentio est apud *Hesychium. Vulg. interpr.* 2. *Mach.* 11. 30. Usque ad diem tricesimum mensis Xanthici. Adde *ibid.* *v.* 33. et 38. et *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 38. *Polem. Silv. Kalend.* Aprilis vocatur apud Græcos Xanticos. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

**XANTHOS**, i, m. 2. ξανθός, gemmæ genus, ita a colore fulvo appellatæ, quem vox Græca significat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (169). Est et alia ejusdem generis, quæ vocatur menui ab Indis, xanthos appellata Græcis, e fulvo candicans. — *NB.* Est etiam nom. pr., de quo *V.* ONOM.

**XANTĬCOS.** *V.* XANTHICUS.

**XANTUS**, a, um. *V.* XANCTUS.

# XE

**XĔNĬŎLUM**, i, n. 2. *deminut.* *a* xenium, parvum xenium. *Apul.* 2. *Met.* Commodum meridies accesserat et mittit mihi xeniola, porcum opimum et quinque gallinulas et vini cadum in ætate pretiosi. *Ulp. Dig.* 1. 16. 6. *in fin.* Ad xeniola non pertinet. *Alii leg.* Ad xenia jam non pertinet.

**XĔNĬUM**, ii, n. 2. (ξένιον) Scribitur et *exenium* pro *xenium*, apud *Augustin.* in *Ps.* 25. *enarrat.* 2. *n.* 13. et *Venant. Vit. S. German.* 37. Cf. *Marini Papir. Dipl.* p. 370. — Xenium est munus hospitibus dari solitum, *regalo che si fa agli ospiti:* a ξένος, hospes: unde ab *Apul.* vocatur munus hospitale. Latini, *Festo* teste, vocant *Lautia;* quam vocem exponens *Plutarchus* non simpliciter ξένια dicit, sed τὰ πεμπόμενα τοῖς πρέσβεσι ξένια.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Martial.* 13. 3. Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello Constabit nummis quattuor empta tibi. *et infra.* Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas, Si tibi tam rarus, quam mihi nummus erit. — *Xenia* est titulus, quo *Martial.* librum 13. inscripsit, quod in eo ejusmodi res distichis describit, cujusmodi hospitibus mitti solent, et quod versus ipsi pro xeniis mitti possint. ¶ 2. Latiore sensu *xenia* sunt dona, quæ dabantur convivis post cenam. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *a med.* Adbibebamur quotidie cenæ. erat modica, si principem cogitares: interdum ἀκροάματα audiebamus; interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur. Summo die abeuntibus nobis, (tam diligens in Cæsare humanitas) xenia sunt missa. Adde *Vitruv.* 6. 10. *a med.* — Hinc tropice apud *eumd. ibid.* 7. dicuntur ipsæ picturæ, ubi hujusmodi xenia repræsentabantur. Cf. *Philostr. Imag.* 1. 31. et 2. 25. ¶ 3. Item quæcumque munera amicis domi suæ degentibus mittebantur, *regali, presenti*, de quibus etiam intelligenda sunt *Martialis* xenia. ¶ 4. Item munera, quæ a provincialibus dabantur proconsulibus et aliis provinciarum rectoribus; quorum mentio est apud *Ulp. Dig.* 1. 16. 6. ¶ 5. Item quæ ultro largiri solebant rei causidicis et advocatis pro causarum actionibus. *Plin.* 5. *Ep.* 14. Quam me juvat, quod in causis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis semper abstinui! Cf. *Vulg. interpr. Eccli.* 20. 31. Xenia et dona excæcant oculos judicum.

II.) Translate. *Vulg. interpr. Ital. Os.* 10. 6. apud *Rufin.* in *Symb. Ap.* 20. Et alligantes adduxerunt eum xenium regi Jarim.

**XĔNĬUS**, a, um, adject. ξένιος, hospitalis. Hinc *Balneæ xeniæ* dictæ ab hospitibus, qui recipiebantur, apud *Cic. Cœl.* 25. 62; ubi tamen alii rectius leg. *Seniæ*. — *NB.* De nom. R. *V.* ONOM.

**XĔNŎDŎCHEUM**, i, *et*

**XĔNŎDŎCHĬUM**, ii, n. 2. ξενοδοχεῖον, locus publicus, quo hospites, id est peregrini, excipiuntur: a ξένος. hospes, et δέχομαι, suscipio. *Hieronym.* in *Reg. S. Pachom.* *n.* 51. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, deducent eos ad locum xenedochii præbebuntque omnia, quæ apta sunt usui monachorum. h. e. *alla foresteria.* Adde *eumd. Ep.* 66. *n.* 11., *Impp. Leon. et Anthem. Cod.* 1. 2. 17. et *ibid.* 3. 33. et 35. — Quum *Hegesippi* (qui scripsit quarto aut quinto a Chr. n. sæculo) auctoritas levis admodum sit, quippe qui *Josephi Flavii* historiam de bello Judaico parum accurate ex Græco in Latinum sermonem verterit, quumque insuper *Jos. Flavius l.* 1. *B. Jud.* 2. § 5. narret, Hyrcanum, ab Antiocho rege Hierosolymis obsessum, Davidis sepulcrum aperuisse atque inde tria milia et amplius talentorum traxisse, quorum trecenta ipsi dederit Antiocho, ut ab obsidione liberaretur eumdemque ξενοτροφεῖν πρῶτον Ἰουδαίων ἐκ τῆς περιουσίας ἄρξασθαι, *h. e.* primum ex Judæis de reliqua pecunia peregrinos milites alere cœpisse; perperam vero verterit *Hegesippus:* Fertur ea pecunia Hyrcanus instituisse primus xenodochia, quibus adventum susciperet pauperum peregrinorum; patet, hoc in loco nullam fieri xenodochii mentionem. At potius existimandum est, xenodochia prius instituta fuisse Constantinopoli a Zotico senatore Romano, qui Constantinum M. secutus est, dum hic Roma Byzantium sedem imperii transtulit, cujus urbis dedicatio V. Id. Majas an. CCCXXX. celebrata est, ut his verbis narratur in *Cod.* 1. 3. 35. Ad similitudinem Zotici beatissimæ memoriæ, qui primus hujusmodi pietatis officia invenisse dicitur. *Julianus* insuper *Aug.* apostata, qui regnavit ab ann. CCCXCI. ad CCCXCIII., hæc habet apud *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 29. Julianus Aug. Arsatio pontifici Galatiæ. Xenodochia constitue per singulas civitates, ut nostra peregrini clementia perfruantur, non tantum nostri sed etiam extranei pecuniis indigentes. Turpe namque est, ut Judæos quidem non abjiciant, sed potius nutriant impii Galilæi et suos pariter necnon etiam nostros; nostri vero nostro solatio deserantur. Hactenus *Cassiod.* Romæ vero ann. CCCXC. scribit *Hieronym. Ep.* 66. *n.* 11. *ad Pammachium.* Audio, te xenodochium in Portu fecisse Romano et virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse litore. Primus inter monachos in prima urbe primum sequeris patriarcham. Ubi hæc adnotat *Vallarsius:* Arborem illam xenodochii instar habet, sub qua Abraham (*Gen.* 18. 4.) hospitio excepit tres Angelos in valle Mambre; ac virgam de illa arbore xenodochium ad Abrahami exemplum elegantissime vocat, quod in Ausonio litore Pammachius exstruxerat. *Id.* in Palæstina aliud hujusmodi diversorium a se constructum affirmat *ibid. n.* 11. Aliud item ibidem xenodochium ædificasse matronam Paulam, narrat *in Ep.* 108. *n.* 14. Hæc ex *Cavedoni* in *Mem. di relig. T.* 7. *p.* 155.

**XĔNŎDŎCHUS**, i, m. 2. ξενοδόχος, qui advenas inopes hospitio excipit, *spedalingo. Impp. Leo et Anthem. Cod.* 1. 3. 33. *ad fin.*

**XĔNON**, ōnis, m. 3. ξενών, ῶνος, idem quod xenodochium. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 3. 49. et *ibid.* 7. 6. 1. § 3.

**XĔNŎPĂRŎCHUS**, i, m. 2. ξενοπάροχος, idem qui parochus, qui legatis publice missis ceterisque alicujus dignitatis hospitibus salem et ligna præbebat: unde et nomen accepit, παρὰ τὸ τοῖς ξένοις τὰ ἐπιτήδεια παρέχειν, quod hospitibus necessaria suppeditaret. *Arcad. Dig.* 5. 4. 18. Tabularii vel xenoparochi, ut in quibusdam civitatibus etc.

**XĒRAMPĔLĪNUS**, a, um, adject. ξηραμπέλινος, qui vitem siccam imitatur, ut Xerampelinus color, *colore di rosa secca*, ξηραμπέλινον χρῶμα, quem videre est in arefactis vitium foliis: a ξηρός, aridus, et ἀμπέλινος, viteus, quod ab ἄμπελος, vitis. Quamquam quæri potest num xerampelino colori a vitis foliis id nomen impositum sit, quæ adulto jam auctumno velut cruentata rubent, an a vitibus ipsis, quarum color pullus est. Sane quidam censent, xerampelinum colorem potius esse pullum sive atrum, idque adducti verbis *Suidæ*, qui χλαμύδας ξηραμπέλινας etiam ἀτραβατικὰς dictas ait: at has idem a colore atro dictas arbitratur, quemadmodum apud eum in Ἀτραβατικὰς videre potes. Hinc Xerampelinæ vestes, quæ colore xerampelino tinctæ sunt. *Juvenal.* 6. 518. Et xerampelinas veteres donaverit ipsi. Est etiam in *Not. Tir.* p. 159. Xerampinus, xerampininus. *Lege* xerampelus, xerampelinus.

**XERAMPELUS.** *V.* in voc. præc.

**XĒRANTĬCUS**, a, um, adject. ξηραντικός, exsiccandi vim habens, *disseccativo, essiccativo:* a ξηραίνω, exsicco, ut Xerantica decoctio. *Macer* 1. 88. et *Theod. Priscian.* 2. 3.

**XĒRŎCOLLȲRĬUM**, ii, n. 2. ξηροκολλύριον, collyrium ex aridis constans: a ξηρός. aridus. *Marcell. Empir.* 8. § 3. sub init. *V.* HYGRA.

**XĒRŎLŌPHUS**, i, m. 2. ξηρόλοφος, tumulus aridus et siccus, ex congestis nempe lapidibus: a ξηρός, aridus, et λόφος, tumulus. Hujusmodi locus fuit Bysantii, ubi cochleæ sexdecim et Dianæ columna structilis et tripodes, quibus multa epigrammata erant inscripta, cujus adhuc non obscura vestigia superesse dicuntur. *Priscian.* 1. p. 547. *Putsch.* Et epigrammata, quæ egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis, qui stat in Xerolopho Byzantii. Adde 6. *p.* 709. *ibid.* et *Just. instit.* 4. 18. § 5.

**XĒRŎMȲRON**, i, n. 2. ξηρόμυρον, compositio odorifera, siccis aromatibus constans: a ξηρός, siccus, et μύρον, unguentum. *Plin. Valerian.* 1. 11., ubi alii leg. *xyromira* vel *xyromiron* vel etiam *xyromyrrham*, sed perperam. — In plur. num. usurpavit *Sedul. Hymn.* 2. 81., uti leg. recentiores. *V.* voc. seq.

**XĒRŎMYRRHA**, æ, f. 1. myrrha non recens, sed arida. a ξηρός, aridus. Ita veteres Lexicographi vocem interpretati sunt, quæ perperam irrepserat apud *Sedul. Hymn.* Xeromyrrham post sabbatum Quædam vehebant compares, Quas allocutus Angelus, Vivum sepulcro non tegi. Sed alii rectius, quos inter *Arevalus*, pro *xeromyrrham* legendum probarunt *Xristo myron;* scilicet *Xristo* pro *Christo*, ut nempe constaret ratio carminis illius acrostichi seu potius abecedarii, in quo quilibet versus primus trium et viginti stropharum incipit ab una ex alphabeti Latini litteris. Ea vero sententia ibidem exprimitur, quæ exstat in *Euang. S. Lucæ* 23. 55. et 24. 1.; *myron* porro pro *unguentum* habet etiam *Hieronymus*. V. MYRON. Ita cl. *Furlanetto;* sed *xeromyra* præferunt recentiores.

**XĒRON**, i, n. 2. ξηρόν, aridum medicamen-

tum, quod in modum pulveris inspergitur. *Plin. Valer.* 3. 22. *a med.* Xeron diatessaron, quod facit ad nomas. *et mox.* Quæ omnia teres, donec sicca efficiantur et in pulverem perveniant.

XĒRŎPHĂGĬA, æ, f. 1. ξηροφαγία, usus ciborum aridorum, post quos non opus esset lavare manus: a ξηρός siccus, et φάγω, comedo; quo vescendi genere utebantur tum athletæ apud Gentiles ad robur corporis, tum Christiani ad vivendi parsimoniam et sobrietatem. *Tertull. advers. Psych.* 1. *ad fin.* Arguunt nos, quod jejunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus, quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne et omni jurulentia et uvidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus. *et ibid.* 5. Illis xerophagia panis Angelici displicebat. Legitur et apud *Cassian.* 4. *Instit.* 21.

XĒRŎPHĂGUS, i, m. 2. ξηρόφαγος, qui sicca edit. *Thes. nov. Latinit. p.* 629. ed. *Mai.* Xerophagi, fructus tantum comedentes.

XĒROPHTHALMĬA, æ, f. 1. ξηροφθαλμία, lippitudo arida, qua neque tument neque fluunt oculi, sed rubent tantum et cum dolore quodam gravescunt et noctu prægravi pituita inarescunt: a ξηρός, siccus, et ὀφθαλμία, lippitudo. *Cels.* 6. 6. *n.* 29. Græcis litteris scribit: Latinis *Marcell. Empir.* 8. § 3. *init.* Ad caliginem et asperitudinem oculorum siccamque perturbationem sine tumore, quam xerophthalmiam Græci appellant, facit hoc collyrium, quod psoricon dicitur.

# XI

XI, indecl. n. littera decima quarta alphabeti Græci ξι, apud Gromaticos, ut *Innocent. Cas. litt. p.* 323. 14. *Lachm.-Rud.* Casa per Ξ, xi, nomen habens etc.

XĪLŎPHIRON. *V.* XILOPHYTON.

XĪPHĪAS, æ, m. 1. duo diversa significat. ¶ 1. *Xiphias,* Græce ξίφιος et sæpius ξιφίας, est piscis genus, rostrum habens mucrone armatum: unde et Latini, Græcos imitati, gladium appellant, *spada, pesce spada* (*Xiphias Gladius* Linn.): a ξίφος, ensis. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 6. (15). Xiphiam, id est gladium, rostro mucronato esse, ab hoc naves perfossas mergi in Oceano ad locum Mauritaniæ, qui Cotta vocetur, non procul Lixa flumine. *Ovid. Halieut.* 97. Et durus xiphias ictu non mitior ensis. — Dictus est etiam thranis. *Id. Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). *V.* THRANIS. ¶ 2. *Xiphiæ* sunt etiam stellæ ex genere cometarum, figura gladii. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (89). Easdem breviores et in mucronem fastigiatas xiphias vocavere, quæ sunt omnium pallidissimæ et quodam gladii nitore ac sine ullis radiis.

XIPHĬON, ii, n. 2. ξιφίον, herba folio mucronato, iridi non dissimilis, quam Romani gladiolum, vulgus herbariorum *spatulam fœtidam* appellat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 88. (137). Xiphion et phasganion in humidis (*nascitur*); quum primum exit, gladii præbet speciem, caule duum cubitorum, radicis ad nucis avellanæ figuram fimbriatæ, quam effodi ante messes oportet, siccari in umbra. Adde *eumd.* 26. *ibid.* 8. 28. (44). et *alib.* et *Apul. Herb.* 79.

XISTĬCI. *V.* XYSTICUS.

# XU

XŪTHOS, m. 2. ξουθός, gemma quædam dicta a colore flavo, ut videtur; nam Græce ξουθός idem est ac ξανθός, flavus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 45. (128). India et xuthon parit, plebejam sibi gemmam. Alii leg. *xythion* vel *xystion.* V. *Sillig.* in adnot. ad *h. l.*

# XY

XȲLĬGLȲCON, i, n. 2. ξυλόγλυκον, arbor eadem ac glycyrrhiza, de qua *Isid.* 17. *Orig.* 7. 29. Xyliglycon, quam Latini corrupte *siliquam* vocant, ideo a Græcis tale nomen accepit eo quod ligni ejus fructus dulcis, ξύλον quippe dicunt *lignum,* γλυκύ, dulce. Hujus arboris pomo sucus expressus *acatia* a Græcis dicitur.

XȲLĪNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

XȲLĪNUS, a, um, adject. ξύλινος, ligneus, ex ligno seu arbore; hinc Xylinum linum, genus lini candidissimi et mollissimi, nascens in frutice, cui nomen xylon, pomis quibusdam inclusum barbatæ nuci non dissimilibus, quæ maturitate hiscentia globum lini ostendunt, *bambagia, cotone. Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (14). Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon (*Sillig.* xylion) et ideo lina inde facta, xylina. Parvus est similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiave præferenda. Vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ. Hæc *Plinius.* Ubi per *bombycem* minime intelligere oportet fila bombycum, sed lanuginem fructu xyli contentam, quam sic vocat, quia et mollitie similis est bombycum operi, et similiter ex ea telas nent vestesque texunt. *Forcellinus* noster *xylina* accipit absolute, quod rectius videtur. De loco *Plin.* V. *Rossi Etym. Ægypt. p.* 320. et *seq.*

XȲLĪON. *V.* XYLON.

XȲLŎBALSĂMUM, i, n. 2. ξυλοβάλσαμον, balsami arbusculæ lignum, cujus sucus *opobalsamum* est, *zilobalsamo:* a ξύλον, lignum. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (118). Et sarmenta quoque in merce sunt. DCC HS. amputatio ipsa surculusque veniit intra quintum devictæ (*Judææ*) annum, xylobalsamum vocatur et coquitur in unguentis: pro suco ipsum substituere officinæ. Adde *Scribon. Compos.* 110. et 269. et *Marcell. Empir.* 22. *p.* 118.

XȲLŎCĂSĬA et

XȲLŎCASSĬA, æ, f. 1. ξυλοκασσία, lignum cassiæ seu casiæ, ut *xylobalsamum,* lignum balsami. Enumeratur inter species vectigales a *Martian. Dig.* 39. 4. 16. § 7.

XȲLŎCINNĂMŌMUM, i, n. 2. ξυλοκιννάμωμον, cinnami lignum. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (91). Ipsum vero lignum in fastidio est propter origani acrimoniam; xylocinnamomum vocant. Adde *Martian. Dig.* 39. 4. 16. § 7. Cf. voc. seq.

XȲLŎCINNĂMUM, i, n. 2. idem ac xylocinnamomum: unde contractum est. *Scribon. Compos.* 271. Sumere oportet xylocinnami pondo quadrantem etc.

XȲLŎLŌTHON et rectius

XȲLŎLŌTON, i, n. 2. ξυλολωτον, herba eadem ac pentaphyllon. *Apul. Herb.* 3. Græci pentaphyllon (*vocant*), alii xyloloton (*al.* xylolothon), alii xylopetalon etc.

XȲLŎLYCHNŪCHUS, i, m. 2. ξυλολυχνοῦχος, candelabrum ligneum, *lucerniere di legno:* a ξύλον, lignum, et λυχνοῦχος, candelabrum. *Inscr.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2512. PLISTHENES LEOPHRONIS CERYCIBVS ET POP. PRAESENTIBVS ANTE PORTICVM XYLOLYCHNVCHVM PROSERPINAE. At *Mommsen Inscr. Neap.* 21. spuriam eam putat. — Hunc *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 7. *lychnuchum ligneolum* appellat.

XȲLON, i, n. 2. ξύλον, lignum seu arbor gossypii, *legno che produce la bambagia.* Græce lignum significat, sed præcipue hoc nomine dictus est frutex, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon, et ideo lina inde facta, xylina, ut ait *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (14).; ubi tamen *Sillig.* leg. *xylion* pro *xylon.* Plura de hoc frutice *V.* in XYLINUS.

XȲLŎPĔTĂLON. *V.* XYLOLOTHON.

XȲLŎPHŎRON, i, n. 2. idem ac xylophyton. *Apul. Herb.* 127.

XȲLŎPHȲTON vel xylophytum, i, n. 2. herba, quæ et consolida dicitur. *Apul. Herb.* 59. Alii leg. *xilophiron.*

XȲRIS, idis, *acc.* im, f. 3. ξυρίς, iris silvestris. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 83. (143). *V.* IRIS.

XȲRŎCOLLȲRĬUM. *V.* XEROCOLLYRIUM.

XȲRŎMĬRA et

XȲRŎMȲRON. *V.* XEROMYRON.

XYSTARCHA et

XYSTARCHES, æ, m. 1. ξυστάρχης, qui athletarum exercitiis et certaminibus, in xysto fieri solitis, præerat, idem ac gymnasiarcha.

I.) Proprie. *Ammian.* 21. 1. *ante med.* Quinquennalia Julianus Aug. jam ediderat et ambitioso diademate utebatur lapidum fulgore distincto, quum inter exordia principatus assumpti vili corona circumdatus erat, xystarchæ similis purpurato.

II.) Translate. *Tertull. ad Martyr.* 3. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus vivus est, xystarches Spiritus Sanctus.

XYSTĬCUS, a, um, adject. ξυστικός, ad xystum pertinens, vel ad ludos et certamina, quæ in xysto fiunt. *Tertull. Pudic.* 7. *a med.* Spectaculum quadrigarii furoris et gladiatorii cruoris et scænicæ fœditatis et xysticæ vanitatis. — Hinc

*Xysticus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, athleta, qui se in xysto exercebat. *Inscr.* apud *Gruter.* 332. 6. ATHENODORVS XYSTICVS PARIDI THYMELICO BENE MERENTI FECIT. — In plur. num. *Sueton. Aug.* 45. *a med.* Nec tamen eo minus xysticorum concertationes aut gladiatorum pugnas severissime semper exegit. (Adde *Galb.* 15.) *Ulp. Dig.* 3. 2. 4. Neque thymelici neque xystici nec agitatores ignominiosi habentur.

XYSTĬOS. *V.* XUTHOS.

XYSTRA, æ, f. 1. ξύστρα, strigilis: a ξύω, rado. *Vet. Schol.* in *Juvenal.* 3. 263. Strigula autem est, quod xystram dicunt, unde oleum deteritur. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

XYSTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

XYSTUS, i, m. *et* xystum, i, n. 2. ξυστός et ξυστόν, Græcis erat porticus tecta, Latinis vero ambulatio hypæthra seu subdialis (It. *passeggio scoperto, viale;* Fr. *allée;* Hisp. *calle de árboles;* Germ. *die Allee, der Spaziergang;* Angl. *alley, avenue*). Vocis etymon et rei origo apud *Pausan. l.* 6. *c.* 23. Ὁ σύμπας περίβολος καλεῖται ξυστός, ὅτι Ἡρακλεῖ τῷ Ἀμφιτρύωνος ἐς ἄσκησιν ἐγίνετο, ὅσαι τῶν ἀκανθῶν ἐφύοντο ἐνταῦθα, ἐπὶ ἑκάστῃ ἡμέρᾳ σφᾶς ἀναξύειν. Xystum itaque dictum est a ξύω, rado, quia quotidie a sentibus purgabatur et radebatur. ¶ 1. De prima apud Græcos significatione. *Vitruv.* 5. 11. Hæc autem porticus ξυστός apud Græcos vocitatur, quod athletæ per hiberna tempora in tectis stadiis exercentur. Proxime autem xystum et duplicem porticum designentur hypæthræ ambulationes, quas Græci παραδρομίδας, nostri xysta appellant, in quas per hiemem ex xysto sereno cœlo athletæ prodeuntes exercentur. Adde 6. 10. — Huc pertinet illud *Cic. De opt. gen. orat.* 3. 8. Ita ut palæstrice spatiari in xysto iis liceat, non ab Olympiis coronam petant. ¶ 2. Ad Romanam vero consuetudinem hæc spectant loca. *Seneca* 3. *Ira* 18. *de Caligula.* In xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam cum matronis atque senatoribus ad lucernam decollavit. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Ante cryptoporticum xystus violis odoratus. *Tertull. Apolog.* 38. Nihil nobis est cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum xysti vanitate. — Hujusmodi xysti apti erant ambulationibus et collocutionibus hominum, et circa villas exstruebantur ornatus causa, consitis ordine arboribus ad umbram, floribus ad odorem et sedilibus ad quietem, *viali.* Hinc *Vitruv.* 5. 9. Media vero spatia, quæ erant sub divo inter porticus, adornanda viridibus videntur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Ante porticum xystus concisus in plurimas species distinctusque buxo. *Phædr.* 2. 5. Perambulante læta domino viridia, Procurrit alium in xystum, sedans pulverem. *Cic.* 1. *Att-*

3. Hermas et signa et cetera, quæ tibi ejus loci et nostri studii et tuæ elegantiæ esse videbuntur, quam plurima quam primumque mittas, et maxime, quæ tibi gymnasii xystique videbuntur esse. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 3. 9. Quum pauca in xysto locuti essemus, tum eodem in spatio consedimus. *Sueton.* *Aug.* 72. Prætoria sua, quamvis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis et nemoribus excoluit. *Inscr.* apud *Cavedon.* *Marm.* *Moden.* p. 206. *Qui* PECVNIAM CONTVLERVNT *in* CAESAREVM FACIVNDVM IN XYSTOS AVGVSTOS NOVIS OPERIBVS CONSTRVENDOS ORNANDOSQUE etc. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

# DE LITTERA Y

Y, y, est I.) Littera alphabeti; et II.) Nota.

I.) Y, n. indecl. est littera vicesima secunda alphabeti Latini, et quidem vocalis. *Mar. Victorin.* p. 196. 6. et *Terentian.* *De litt.* 135. et *De syll.* 369. *Keil.* — a) Ratione habita originis, est littera alphabeti Græci, sero a Romanis adhibita nominibus Græcis efferendis. Hinc *Mar. Victorin.* p. 8. 12. *K.* Accius nec z litteram, nec y in libros suos rettulit, quod ante fecerunt Nævius et Livius. — b) Ratione habita pronunciationis, docet *Capell.* 3. p. 58. Y appressis labris spirituque procedere. h. e. eo sono efferri, quo Galli et etiam Brixiani et Bergomates suum u. — Hujus loco antiqui, qui peregrinam litteram nullam recipiebant, quintam Latinorum vocalem substituebant. *Cic.* *Orat.* 48. 160. Burrum semper Ennius, numquam Pyrrhum: Vi patefecerunt Bruges, non Phryges, ipsius antiqui declarant libri. Nec enim Græcam litteram adhibebant. Nunc autem etiam duas. Et quum Phrygum et Phrygibus dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus Græcam litteram adhibere aut recto casu solum Græce loqui: tamen et Phryges et Pyrrhum aurium causa dicimus. In Inscriptt. antiquioribus littera γ repræsentatur per υ (u) et raro per i. Fallitur tamen *Isid.* 1. *Orig.* 4. 15., qui tradit apud Romanos usque ad Augusti tempus non fuisse scriptam, sed u pro y; nam in nummis ante eum sæpius occurrit Y una cum X et Z, aliquando etiam cum puncto supra aut infra addito, ut monet *Cavedoni* in *Ragguaglio Stor.* etc. p. 125. n. 110., quamquam ejus usus communis non fuit. Siquidem ex nummis Ti. Quinctii et C. Vibii Pansæ apparet, inde ab an. 650. U. C. circiter in alphabetum Latinum eas litteras invectas fuisse: quod etiam cl. *Riccius* confirmat, qui docet C. Publicium Q. F. triumv. an. 680. U. C. peregrinas easdem litteras in fine alphabeti Latini admisisse. V. *eumd.* in *Bullett. dell'Istit. arch.* a. 1852. p. 135. et *seqq.* et a. 1853. p. 175. et *seq.* Cf. etiam *Friedländer Die Osk. Münz.* p. 87. — c) Ratione habita quantitatis, et produci et corripi potest, ut ait *Prob.* *De syll.* p. 222. 7. *K.* — Hinc vocalis dichrona dicta est *Diomed.* 2. p. 421. et *Prob.* p. 1390. *Putsch.* — d) Mutata est hæc littera aliquando in i in antiq. MSS. Codd. et edit. libris, ut *Jan.* ad *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (28). monet, ubi *carsinum* pro *caryinum* alii habent; hinc *Macrob.* 3. *Saturn.* 18. Qui Carsitani vocantur ἀπὸ τῶν καρύων. — e) *Littera Pythagoræ* dicitur non quod ab eo inventa fuerit (est enim inventum Palamedis ex volatu gruum), sed quod ejus figura utebatur ad significandum bivium vitæ humanæ per virtutes aut per vitia. *Auson.* *Edyll.* 12. *de litter. monosyll.* 9. Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y. *Lactant.* 6. 3. Dicunt, humanæ vitæ cursum Y litteræ esse similem, quia unusquisque hominum, quum primum adulescentiæ limen attigerit et in eum locum venerit, partes ubi se via findit in ambas (*Virg.* 6. *Æn.* 540.), hæreat nutabundus etc. Adde *Hieronym.* *Comm.* in *Eccl.* p. 1049. *M.* *Anthol.* *Lat.* n. 1016. *Meyer.* Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni, Humanæ vitæ speciem præferre videtur. *V.* PYTHAGORAS in ONOM. — *NB.* Proprium est hujus litteræ, ut initio dictionum perpetuo aspiretur; quare quæ ab ea incipiunt voces, in littera H quærendæ sunt, inquit *Forcellinus;* sed recentiores critici in quibusdam MSS. Codd. nonnulla vocabula, quæ hic subjicimus, sine nota aspirationis repererunt; quod ceteroqui dedita opera aliquando factum est in acrostichis. Cf. *Müller De re metr.* p. 461.

II.) Y est etiam nota: et quidem — a) Casis designandis inservit apud Gromaticos. *Innocent.* *Cas.* *Litter.* p. 318. 5. *L.* Casa per Y nomen habens fines grandes habet etc. Adde *ibid.* p. 324. 21. et *alib.* — b) In numeris Y centum quinquaginta significat, et, lineola superaddita ($\overline{Y}$), centum quinquaginta millia. *Auct.* *De not. num.* p. 1685. *Putsch.* — c) Fuit etiam nota in breviculis militum ad designandum superstitem seu incolumem, pro integro ὑγιής, sanus, incolumis. *Isid.* 1. *Orig.* 24. 1. coll. c. 3. n. 7. et 8. Sic loc. *Isid.* intelligit *Th. Reinesius.* Cf. aliam litt. V. et v. THETA.

---

ŸĂDES. *V.* HYADES.

ŸÆNA. *V.* HYÆNA.

ŸDRA. *V.* HYDRA.

ŸDRUS. *V.* HYDRUS.

YI, diphthongus Græcorum, teste *Priscian.* apud *Cassiod.* *Orth.* 12. *ad fin.*, quamquam *Rutil.* 1. *Itin.* 608. in *Harpyias* vocales *yi* sejunctas corripuit ambas; *Victorin.* vero p. 2474. et *Vel. Long.* p. 2220. *Putsch.* volunt etiam i consonæ vice poni, ut apud *Virg.* 4. *Æn.* 301., ubi *Thyias* pro *Thyas* legendum est. Cf. *Müller De re metr.* p. 264.

YMNĬFĬCO pro hymnifico apud *Commodian.* 60. 21. V. HYMNIFICO.

YMNOS pro hymnus, et

ŸMĔNÆUS pro hymenæus. V. *Brambach Die Neugestalt.* d. *Lat. Orth.* p. 284. et *seq.*

YNITALŎPĔCA, æ, f. 1. et

YNITALŎPEX, ĕcis, f. 3. genus murium Indicorum videtur esse apud *Jul. Valer.* 3. *Gest.* *Alex.* *M.* 35. Tenebris enim post occasum lunæ omnia obumbrantibus ynitalopicas (*leg.* ynitalopecas) viseres de harenis profundissimis emergere non minus longitudinis cubitis X.

ŸPÆTHRUS. *V.* HYPÆTHRUS.

ŸPŎGÆUM et

ŸPŎGEUM. *V.* HYPOGÆUM.

ŸRIS pro iris, apud *Veget.* V. *Ind. Script.* *R. R.*

YSSŌPUM. *V.* HYSSOPUM.

# DE LITTERA Z

Z, z, est I.) Littera alphabeti; et II.) Nota.

I.) Z, n. indecl. est littera vicesima tertia et ultima alphabeti Latini, ut constat ex *Inscr.* in *Bullett. dell'Istit. arch.* a. 1852. p. 29.; quam inter semivocales recenset *Serg.* in *Donat.* p. 520. 22. *K.;* et inter consonantes duplices *Mar. Victorin.* p. 6. 22. et *Prob.* *De ult. syll.* p. 222. 10. *ibid.;* quamquam *Pier.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 648. pluribus contendit hanc litteram non semper esse duplicem. V. *Voss.* *l.* 1. *Gramm.* c. 21. coll. *Diomed.* 2. p. 415. *Putsch.* et *Auct.* *De final. metr.* p. 229. 14. *Keil.* Hinc fuerunt qui vocalem ante z contraherent, quum, teste *Capell.* 3. p. 64., ex iis sit, quæ syllabas communes reddit; præterea geminata occurrit in *gazza* et *Mezzentius* pro *gaza* et *Mezentius* in quibusd. Codd. *Virg.*, scripturam hanc improbante *Scauro* p. 2257. *Putsch.* — a) Ratione habita originis, Latinitas, ut docet *Prob.* *loc. cit.*, hanc litteram de Græco fonte derivavit non suorum necessitate verborum, quam Græcorum nominum causa. Antiquitus enim alphabetum Latinum una et viginti litteris constabat, ut ex nummis patet tempore belli socialis cusis, videlicet an. U. C. 664.-672. *V.* etiam quæ ex *Cavedonio loc. cit.* in litt. Y retulimus. — b) Ratione habita pronunciationis, hæc habet *Capell.* 3. p. 59. « Z idcirco Appius Claudius detestatur, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitatur. *Scalig.* fatetur hunc loc. se numquam assequi potuisse. Sed, ut ait *Fabric.*, juxta Verrium aliosque grammaticos, Z componitur ex D et S; itaque DS pronuntiatum imitatur dentes mortui compressos. — c) Ratione habita mutationis, antiquitus loco ejus unicum s scribebant, ut *Sacynthus* pro Ζάκυνθος, *Setus* pro Ζῆθος. Sed postea in ejus locum substitutum est geminum *ss*, ut *patrisso* pro πατρίζω, *pitisso* pro πιτίζω. Ceterum littera z in nominibus Græcis sæpe a Latinis in s mutata est, ut in *smaragdus* pro *zmaragdus*, *smilax* pro *zmilax*, *smyrna* pro *zmyrna* etc.; interdum vero in *sd*, ut *Esdras* pro Ἔζρας. — Nonnumquam etiam d litteram ejus vice usurpabant, ut *Medentius* pro *Mezentius;* sed hoc tantum apud antiquissimos, qui peregrinas nullas litteras recipiebant. Contra sequiore ætate z pro *di* posita est, ut *zaberna* pro *diaberna*, *zabulus* pro *diabolus*, *zaconus* pro *diaconus*, *zametrus* pro *diametrus* etc. Cf. Æol. præp. ζά pro διά. Sic *zes* et *zebus* pro *die* et *diebus* in *Inscr.* apud *Fabretti* *cl.* 8. n. 43. coll. *Marini Pap. Dipl.* p. 325. Cf. Ζεύς ex them. Δι, unde Διός etc. — Denique pro z adhibita est aliquando littera *j*, ut *Josimus* pro *Zosimus*. Contra *Zesus* pro *Jesus*. V. *Boldetti Oss.* p. 124., 205. etc.

II.) Z est etiam nota: et quidem — a) Casis designandis adhibita, apud Gromaticos. *Innocent.* *Cas.* *litt.* p. 318. 15. *Lachm.* Casa per Z nomen habens fines parvos habet etc. Adde *ibid.* p. 330. 28. et *alib.* — b) Item est terminalis apud eosdem *Auct.* *incert.* *De limit.* p. 359. 8. *Lachm.* Z limes hujus litteræ habet in longo ped. MCCC. — c) Item apud eosdem exponitur *sonto*, id est angulo. V. *Lachmann* ad *Gromat. vet.* p. 357. 10. — d) Numerum denique designat, h. e. duo millia et, lineola superaddita ($\overline{Z}$), bis millies mille, ut apud *Auct.* *De not. num.* *cit.* sub litt. Y.

# ZA

ZABA, æ, f. 1. ζάβα, lorica. *Julian.* *Antecess.* *Const.* 79. 4. Cf. *Justinian.* *Nov.* 85. 3. Τὰς λεγομένας ζάβας ἤτοι λωρίκια. *V.* in voc. seq.

ZABERNA, æ, f. 1. Scribitur et *diaberna*. Scriptionis autem differentia in *diaberna* et *zaberna* est ex Æolica præpositione ζά pro διά. *V.* litt. Z et v. AVERTA, quæ aliquam habet quum formæ, tum significationis cum hac nostra analogiam. — Vox barbara videtur, et ejusdem originis ac apud *Suidam* ζάβα, loricæ, et ζαβαρεῖον, zabarum seu loricarum repositorium, unde fortasse v. *tabarro* Italorum. — Zaberna est igitur mantica seu pera, in qua, juxta *Papiam*, vestes ponuntur et quidquid aliud. *Edict.* *Diocl.* p. 25. Pilii neti ad diabernas vel saccos P. 1., Ӿ decem. *et mox.* Zabernarum vel saccorum par habens pondo triginta, Ӿ quadragentis (*lege* quadragenis). h. e. *un paio di bisaccie.*

ZĂBŎLĬCUS, a, um, adject. (zabolus) idem ac diabolicus. *Commodian.* 35. 23. Zabolicam legem omnes omnino vitate. *Id.* 73. 12. Germine zabolico facitis, ut turbæ pronatæ.

ZĂBŎLUS vel

ZĂBŬLUS, i, m. 2. Ζάβολος, idem qui diabolus: a ζα particula intentiva: vel potius Æolice pro διά. *Lactant.* *Mort.* *persecut.* 16. Nolite prœliis zabulum cum satellitibus suis debellasti. V. *Bünem.* ad *eumd.* 2. 24. — Convicium est in *Anthol.* *Lat.* 204. 7. (1133. 7.) Servande infamis, Servande, zabule, pestis.

ZĂCHON. *V.* voc. seq.

ZĂCON et zachon, ŏnis, m. 3. *et*

ZĂCŎNUS, i, m. 2. Primam licenter corripuit *Commodian. loc. cit.* — Zaconus vel zacon ¶ 1. Est idem quod diagonalis, a Gr. διάγων et διαγώνιος, ut putat *Lachmann* apud *Nips. Varat. repos* p. 288. et 289., ubi alii leg. *tactonem* et *tactono* pro *zachonem* et *zachono.* ¶ 2. Est etiam idem ac diaconus. *Commodian.* 68. 1. Mysterium Christi, zacones, exercite caste. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM

ZÆNIS et zenis, indecl. nomen Ægyptium herbæ cynoglossæ. *Apul. Herb.* 96.

ZÆS. *V.* ZEUS.

ZÆTA. *V.* ZETA.

ZAI. *V.* voc. seq.

ZAIN *et* zai, indecl. littera septima alphabeti Hebraici, quæ respondet Græco ζ; est autem formâ ז et pronunciatione זַיִן *Zajin*, quod significat *telum*, ut ex figura apparet. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 7. *init.* Littera secundum Hebræos *zain.* et *Hieronym. Ep.* 30. *n.* 5. Secunda connexio est He, Vau, Zai etc. Adde *Vulg. interpr. Thr.* 1. 7. et *alib.*

ZĂMĔTRUS, i, m. 2. idem ac diametrus. *Gromat. vet. p.* 296. 11. et 24. *Lachm.*

ZĀMĬA, æ, f. 1. ζημία et Dorice ζαμία, detrimentum, jactura, *danno, perdita. Plaut. Aul.* 2. 2. 19. Nemini credo, qui large blandu' st dives pauperi. Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam. *Hypallage.* h. e. aliqua zamia pauperem onerat. Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 195. At *Salmasio* est imponere et inferre zamiam, ut *onerare* est ἐπιφορτίζειν καὶ ἐμβάλλειν. — Alio sensu *zamiæ* quidam leg. apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 44. (107)., ut sint nuces pini arboris, quæ maturescentes se dividunt: et appellationis ratio est, quia, nisi decerpantur, ceteras lædunt. *Harduin.* et *Sillig.* rectius leg. *azaniæ.*

ZĀNA, æ, f. 1. Legitur et exponitur a *Macrob.* 3. *Saturn.* 7. Animus sacratorum hominum, quos zanas Græci vocant, diis debitas existimabant (*veteres*). Alii tamen leg. Græce ζωάνας pro *zanas.* Hujusmodi homines etiam ἀναθέματα dicti sunt. V. *Jan.* ad *h. l.*

ZANCA. *V.* voc. seq.

ZANCHA, æ, f. 1. (ζάγχη) Scribitur et *zanca, zanga, tzanga:* et videtur esse ab ἄγχω, constringo: unde recentiorum Gallorum *sangle,* cinctorium. — Zancha est genus calceamenti, quo pedes et media crura constringuntur, unde Italorum *stivale,* scilicet a στείβω, premo, constringo, et Latinorum *stipo, as* et *stiva, æ,* pars aratri. Fiebant autem ex pelle Parthica, quæ a Parthis mollissima et delicatissima conficiebatur. *Imp. Gallien.* apud *Trebell. Claud.* 17. Misi autem ad eum zanchas de nostris Parthicis paria tria. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 14. 10. 2. Usum tzangarum atque bracarum intra Urbem venerabilem nemini liceat usurpare. Adde *ibid.* 3. *Acron* ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 6. 27. Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus: Nigris pellibus, inquit, zangis. *Gloss. Isid.* Zanga, pellis.

ZANCLA, æ, f. 1. ζάγκλη, falx. *Varro* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Has (*falces*) zanclas Chersonesiæ dicunt. At *De-Vit Varron. Sent. p.* 49. *n.* 173. locum sic emendat: Falculas zanclas germinisecæ dicunt. Plura de hac lectione vide apud cl. *Canal* in adnot. ad *h. l.* et in v. GERMINISECA.

ZANGA. *V.* ZANCHA.

ZANTHĒNES. *V.* XANTHENES.

ZAPLŪTUS, a, um, adject. ζάπλουτος, valde dives: a ζα, particula, quæ intensionem significat et est multum, valde, ut in ζάθεος, ζαμενής etc., et πλοῦτος, divitiæ. *Petron. fragm. Tragur.* 37. *Burmann.* Ipse nescit, quid habeat: adeo zaplutus est. Legitur et in *Not. Tir. p.* 157.

ZATHĒNES. *V.* XANTHENES.

ZATHESĬE, es, f. 1. herba eadem quæ artemisia. *Apul. Herb.* 11.

# ZE

ZĔA, æ, f. 1. ¶ 1. Est genus frumenti simile farri (*Triticum Spelta* Linn.), Græce ζέα, pro quo et ζειά dicitur, *spelta.* Far sic vocari, scribit *Hieronym.* 9. in *Isai.* 28. 25. et in *Ezech.* 4. 9. Manifeste distinguit *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 19. (81). — Duo ejus genera tradit *Dioscor. l.* 20. *c.* 80.: alterum simplex et unius tantum grani, alterum, quod dicoccon, hoc est gemini et duplicis grani appellant, duobus utriculis conjunctum semen habens; ex quo fit sorbitio vel puls, quæ vocatur alica. *Plin. loc. cit.* Ægypto ac Syriæ Ciliciæque et Asiæ ac Græciæ peculiares zea, olyra, tiphe. Qui zea utuntur, non habent far. Est et hæc Italiæ, in Campania maxime semenque appellatur. ¶ 2. Est etiam zea rorismarini species. *Apul. Herb.* 97.

ZĒBUS. *V.* litt. Z.

ZEGMA. *V.* ZEMA.

ZĒLĀBĬLIS, e, adject. (zelo) idem ac zelotes. *Vulg. interpr. Exod.* 34. 14. Lugd.

ZĒLANS, antis, particip. *V.* ZELO.

ZĒLANTER, adverb. (zelo) cum zelo. *Venant. Vit. S. Patern.* 3. Hortari zelanter.

ZĒLĀTĬO, ōnis, f. 3. (zelo) idem ac zelotypia. *Vulg. interpr. Num.* 5. 14. et *alib.* Lugd.

ZĒLĀTOR, ōris, m. 3. (zelo) qui zelat et invidet, *zelatore. Venant.* 5. *carm.* 6. 12. Serpens elatus, zelator, larveus hostis. Adde *Ambros.* in *Ps.* 51. 15.

ZĒLĀTUS, a, um, particip. *V.* ZELO.

ZĒLĪVĬRA, æ, f. 1. (zelus *et* vir) mulier dicitur, quæ cum alieno viro cubans, justæ uxoris amorem suo præferri timet. *Tertull. Exhort. ad castit.* 9. Omnis mulier zelivira est, quamdiu aliena. Cl. *Furlanettus* monet, alios pro *zelivira* rectius legere *cœlibi alia.*

ZĒLO, as, āvi, ātum, are, 1. *et* zelor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ζηλόω) Part. *Zelans* I. 1. *b; Zelatus* II. *a* et *b.* — Zelo est æmulor, cupide aliquid imitor, tam vehementer amo, ut neminem in partem amoris admitti patiar (It. *zelare; Fr. avoir du zèle, de la jalousie;* Hisp. *zelar, estar zeloso;* Germ. *mit Eifersucht lieben;* Angl. *have a zeal, to be fond or jealous*).

I.) *Zelo,* forma activa. ¶ 1. Proprie. — *a*) Transitive. *Tertull. carm.* 4. *advers. Marcion.* 36. Qui zelat populum summo pietatis amore. *Vulg. interpr. Ps.* 36. 1. Neque zelaveris facientes iniquitatem. *h. e.* noli invidere fortunas impiorum. Adde *Eccli.* 9. 16. — *b*) Intransitive seu absolute. *Augustin.* 1. *Confess.* 7. Vidi ego zelantem parvulum, nondum loquebatur et intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum. *Vulg. interpr. Jac.* 4. 2. Occiditis et zelatis et non potestis adipisci. — *Qui non zelat, non amat,* proverb. apud *Augustin. contra Adimant.* 13. b. e. qui sinit rem amatam ab altero amari et possideri, satis ostendit se eam sincero vehementique amore non prosequi. ¶ 2. Translate. *Id. Judith* 9. 3. Servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum. Adde *eumd.* 2. *Mach.* 2. 54. — *Zelare mortem* apud *eumd. Sap.* 1. 12. est sibi accersere, ea faciendo vel sectando, quæ mortem afferunt.

II.) *Zelor,* deponentis more, eod. sensu. — *a*) Transitive. *Fulgent.* 2. *Myth.* 12. Circe zelata Scyllam. *h. e.* invidens. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 595. *Burmann.* Zeleris nimium cur mea, Marcie, Tamquam si pereas, liminis, nescio, Quum sis proximior una velut domu, Et nostros paries dimidiet lares. *Vulg. interpr. Joel* 2. 18. Zelatus est Dominus terram suam. Adde *eumd. Zach.* 1. 14. et *al.* — *b*) Intransitive. *Id.* 3. *Reg.* 19. 10. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum. *h. e.* vehementer zelatus sum.

ZĒLOR, āris. *V.* voc. prec.

ZĒLOS. *V.* ZELUS.

ZĒLŌSUS, a, um, adject. (zelus) plenus zelo. — Passive. *Thes. nov. Latinit. p.* 632. ed. *Mai.* Zelosus, de quo potest haberi zelus.

ZĒLŌTES, æ, m. 1. ζηλωτής, accipitur pro amatore, qui nullum in amore fert rivalem, *geloso, zelante.* In hac significatione frequenter occurrit in sacris Litteris præcipueque apud Prophetas, qui Deum zelotem esse prædicant, hoc est zelotypum, et ferre non posse, ut amor ille cultusque sibi uni debitus ad idola dæmoniave transferatur. Adde *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 28. et 4. *ibid.* 25. — *NB.* De cogn. *V.* ONOM.

ZELOTICUS, a, um, adject. ζηλωτικός, æmulus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 59. Zelet, zelotypus, zeloticus.

ZĒLŌTOS et

ZĒLŌTUS, a, um, adject. ζηλωτός, desiderabilis, expetendus. Græca positione in *Inscr.* metr. apud *Murat.* 1769. 1. .ZELOTOS IACEO VIXI DVM FATA SINEBANT. *Zelotos* tamen videtur fuisse nomen proprium pueri immature defuncti, nam additur *mox.* BIS MIHI SEPTENIS FINIS DATVR VLTIMVS ANNIS NOMINE ME RAPVIT MORS INIMICA MEO. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

ZĒLŌTŸPA. *V.* ZELOTYPUS.

ZĒLŌTŸPĬA, æ, f. 1. ζηλοτυπία, ægritudo animi, quum, ne quis possideat, timemus, quod possidere soli cupimus (It. *gelosia;* Fr. *jalousie;* Hisp. *celosia;* Germ. *die Eifersucht;* Angl. *jealousy*). *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 18. Obtrectatio autem est ea, quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit. *Orell.* leg. Græce ζηλοτυπίαν. Sic *Anton.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Judicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra, quæ magis a ζηλοτυπία mea, quam ab injuria tua nata est. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 37. (75). Nympha zelotypia erga Herculem mortua. — *Sacrificium zelotypiæ,* quod fiebat occasione, qua vir de adulterio uxoris in suspicionem venisset, memoratur ac describitur *Num.* 5. 14. et *seqq.*

ZĒLŌTŸPUS, a, um, adject. ζηλότυπος. æmulus, invidus, suspiciosus in amore: a ζῆλος, et τύπος, quia in zelotypis non amor verus sit, sed ejus solum typus ac imago quædam, vel quasi ζήλῳ τυπείς, zelo percussus, quia qui sic affectus est, rivalem in amore metuit, nec pati potest (It. *geloso;* Fr. *jaloux;* Hisp. *zeloso;* Germ. *eifersuchtig;* Angl. *jealous*).

I.) Proprie. *Martial.* 1. 93. Nec me zelotypum nec dixeris esse malignum. *Juvenal.* 5. 45. zelotypo juvenis prælatus Iarbæ. *Id.* 6. 277. Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ. *Petron. fragm. Tragur.* 69. *Burmann.* Noli zelotypa esse. *Vulg. interpr. Eccli.* 26. 8. Luctus, mulier zelotypa. et *ibid.* 9. In muliere zelotypa flagellum linguæ. — Absolute. *Quintil.* 4. 2. 30. Quid exponet, qui zelotypum malæ tractationis accusat? *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Videbis populi rixam inter zelotypos et amasiunculos, *chi in favore de' mariti gelosi, chi de' zerbini.*

II.) Translate. — Cum genet. *Cyprian. Ep.* 21. (*al.* 22.) *post init.* Amatores fidei et zelotypi disciplinæ Christi.

ZĒLUM. *V.* voc. seq.

ZĒLUS *et* zelos, i, m. 2. (ζῆλος) Etiam *zelum,* neutr. gen., in *Gloss. Paris. p.* 296. *Z. n.* 2. et *Osbern thes.* 631. — Zelus est fervor ille animi, qui in æmulatione cernitur, qui interdum vitiosus est, interdum cum virtute, quatenus scilicet vel ad honesta studiosius capessenda incitat vel invidiam de alterius bonis odiumque interdum parit (It. *emulazione, zelo;* Hisp. *zelo;* Fr. *zèle;* Germ. *die Nacheiferung, Eifersucht;* Angl. *a zeal*). Sumitur ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) In bonam partem de amore boni et recti erga se et alios. *Vulg. interpr.* 1. *Mach.* 2. 27. Omnis qui zelum habet legis. Adde *Ps.* 68. 10. — Deo tribuitur apud *eumd. Ezech.* 39. 25. Assumam zelum pro nomine sancto meo. Hinc apud *eumd. ibid.* 8. 3. Idolum zeli ad provocandam æmulationem. *h. e.* simulacrum Baal, quod vindicem Deum ad iram et pœnam provocabat. — *b*) In

malam partem. *Prudent. Hamartig.* 188. Arsit enim scintilla odii de fomite zeli. *Vitruv.* 7. *præf.* Ptolemæus infinito zelo cupiditatisque incitatus studio ad eumdem modum contenderat bibliothecam Alexandriæ comparare. *Auson. Epigr.* 77. Quin etiam cupio, junctus quia zelus amori, Ut videare aliis fœda, decora mihi. Adde *Vulg. interpr. Is.* 11. 13. *Cyprian. De zel.* et *liv.* 5. Zelus multiplex et fecunda pernicies, radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu, *Zelos* fuit ex Æonibus Gnosticorum, ut apud *interpr. Iren.* 1. *Hær.* 29. legitur.

ZĔMA, æ, f. 1. ζέμα, vas culinarium, olla, cacabus, in quo coquuntur carnes: a ζέω, ferveo, bullio. *Apic.* 8. 1. *in fin.* Mittitur in zemam, elixatur in aqua marina etc. (Adde *ibid.* 6.) *Valerian. Imp.* apud *Trebell. Claud.* 14. Caucos et scyphos et zemas pondo undecim. Plerique alii hic leg. *zuma* neutr. plur. eod. sensu. Sunt etiam, qui *zyma*, ζύμη, h. e. fermentum, quod hic locum habere non videtur. Adde *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 466. — Apud *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. 135. pro *zegma* legendum videtur *zema*.

ZĔMA, ătis, n. 3. ζέμα, decoctum: a ζέω, ferveo, bullio. *Apic.* 4. § 147. Cf. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 32., ubi recte ex Codd. acc. *zema* ponit *Gud.* 1. 2. pro *zemam*, uti leg. *Salmas.*; non enim jus coquinæ, de quo *Isid.* loquitur, olla dici potest, nisi malis *zemam* hunc quoque sensum habere, ut nonnullis testimoniis *Du-Cange* ostendit. Sic et loc. *Apicii* 8. 1. alii interpretantur. *V.* voc. præc.

ZĔNIS. *V.* ZÆNIS.

ZĔPHȲRĬCUS, a, um, adject. Zephyrius. *Priscian. Anecd. Gr. Lat.* I. p. 57. 20.

ZĔPHȲRĬUS, a, um, adject. Ζεφύριος, ad Zephyrum spectans. Hinc *ova Zephyria*, ᾠὰ Ζεφύρια, eadem ac hypenemia et urina, ὑπηνέμια, id est ventosa, sterilia: a *Zephyrus*, quod vento putentur generari seu potius quod inania sint instar venti. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 80. (167). Irrita ova, quæ hypenemia diximus, quidam et vento putant generari: qua de causa etiam Zephyria appellantur. *V.* HYPENEMIUS et URINUS.

ZĔPHȲRUS *et* Zephyros, i, m. 2. (Ζέφυρος). In bonis MSS., ut *Virg.* 5. *Eccl.* 5., est etiam *Sephyrus* pro *Zephyrus*. V. *Rhein. Mus.* 12. 422. — *Zephyrûm* contracte pro *Zephyrorum* occurrit apud *Augustin. Ep.* 26. *v.* 57. — Zephyrus est unus ex quattuor ventis cardinalibus, qui flat ab occasu æquinoctiali, adversus Subsolanum, *Gell.* 2. 22. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 57. (337). testibus, *Zefiro, Ponente.* Sic dictus videtur quasi ζωηφόρος, sive τὸ ζῆν φέρων, h. e. ferens vitam seu vivere, quia nempe τῷ θέρει πνέοντος αὐτοῦ οἱ καρποὶ αὔξονται, calore ipsius flantis fructus augentur: unde et genitalis mundi spiritus a *Plinio* appellatur. Idem est qui Latine Favonius. Sed *Vegetius* Zephyrum et Favonium diversos ventos esse vult. *V.* FAVONIUS et VENTUS.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 43. Vere novo, gelidus canis quum montibus humor Liquitur et Zephyro putris se glæba resolvit. *Ovid.* 2. *Fast.* 148. En etiam, si quis Borean horrere solebat, Gaudeat: a Zephyris mollior aura venit. *Virg.* 2. *G.* 330. Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus. *Id. Cir.* 25. Zephyrus levis. *Poeta Lat. min.* ed. *Wernsd.* v. 3. p. 371. Jam pontus ac tellus renident, Jam Zephyris Aquilo refractus. *h. e.* Zephyri tepore mitigatus et mollitus vel victus. Cf. *Stat.* 4. *Silv.* 6. 67. et *Horat.* 3. *Od.* 3. 27. *Colum. De cult. hort.* 78. Post ubi Riphææ torpentia frigora brumæ Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 60. — Hic ventus quum flat, ver inchoat, ut *Plin. loc. cit.* testatur. — Secundum fabulas fuit filius Astræi et Auroræ ferturque Chlorin Nympham adamasse eique concessisse, ut floribus præesset, quæ deinceps Flora dicta est. Narrat etiam *Serv.* in *Virg.* 5. *Ecl.* 48. unam ex Horis Zephyro tributam uxorem fuisse, ex qua susceperit filium Carpon nomine, longe pulcherrimi corporis, qui post ab Jove in rerum omnium fructus conversus sit. Hac autem fabula designantur effectus hujus venti, omnes fructus genitali aura fecundantis et ad maturitatem perducentis, ut dictum est. — Hujus officium est portare nuntios deorum, quos celeriter aliquo pervenire opus sit. *Virg.* 4. *Æn.* 222. Tum sic Mercurium alloquitur et talia mandat: Vade age, nate, voca Zephyros et labere pennis. — Huic divini honores tribuuntur, apud *eumd.* 3. *ibid.* 120. Sic fatus, meritos aris mactavit honores: Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen accipitur pro quolibet vento. *Virg.* 4. *Æn.* 562. nec Zephyros audis spirare secundos? ¶ 2. Metonymice pro vere. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 13. te, dulcis amice, reviset Cum Zephyris, si concedas, et hirundine prima. ¶ 3. Personæ instar repræsentatur apud *Virg.* 1. *Æn.* 131. Eurum ad se Zephyrumque vocat (*Neptunus*): dehinc talia fatur. Adde 1. *G.* 372. Sic *Lucret.* 5. 736. It Ver et Venus et Veneris prænuntius ante Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

ZERNA, æ, f. 1. genus quoddam impetiginis. *Æmil. Macer* 63. 5.

ZEROS, i, m. 2. genus gemmæ similis iridi. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 53. (138). Similis est aspectu, sed non ejusdem effectus, quæ vocatur zeros, alba nigraque macula in transversum distinguente crystallum. — *Furlanettus* noster in *App.* hæc addit: « Quum *zeros* apud solum *Plinium* hoc tantum in loco habeatur, nec in lingua Græca aliquid simile reperiatur, non improbabile videtur, *zeros* hic perperam scriptum fuisse pro *psaros*; etenim ψαρός Græce significat varium et sturnino similem, quemadmodum alibi *Plinius* vocat alium lapidem *psaronium*, quam voc. vide suo loco ». At *Sillig.* et *Jan.* leg. *leros* coll. *Indice* ipsius *Plin. lib.* 37., ubi item *leros*, quamquam sunt qui etiam hic aliter leg. V. *Sillig.* in *h. l.*

ZES pro dies. *V.* litt. Z.

ZESES, indecl. formula acclamationis in monumentis pro Græca ζήσεις, *vivas*. In vase vitreo apud *Murat.* 1723. 2. PARTENOPE (*sic*) CVM FAVSTINA FILIA ZESES. Adde *Visconti Opp. Var.* T. 1. p. 217. et *De-Rossi Bullett. Crist.* a. 1864. p. 40.

ZESŎPUM. *V.* ZIZYPHUM.

ZĔSUS pro JESUS. *V.* litt. Z.

ZĔTA *et* zæta, indecl. (ζῆτα) ¶ 1. Est nomen litteræ, quæ sexta est alphabeti Greci, ultima Latini. *Auson. Edyll.* 12. *de litter. monosyll.* 11. Zeta jacens si surgat, erit nota, quæ legitur N. *Terentian. De metr.* 920. Σύγμα quis possit negare quod det adjunctum sonum, quum sonis utrisque constet zæta, quod Græcum duplex? ¶ 2. Apud Gromaticos casis designandis inservit. *Innocent. Cas. litt.* p. 320. 21. *Lachm.-Rud.* Casa per Z, zeta, nomen habens etc. ¶ 3. Apud Musicos notas quasdam designat. *Boeth.* 4. *Mus.* 3. Proslambanomenos, qui acquisitus dici potest, zeta non integrum ℸ et tau jacens ⊢, hypate hypaton, quæ est principalis principalium. Adde *eumd. ibid.*

ZĔTA, æ, f. 1. idem omnino ac diæta, *appartamento. Lamprid. Elagab.* 31. Odores Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi. *profumare le stanze.* — In plerisque scriptorum locis, ut ab eruditis observatum est, quædam editiones habent *zeta*, quædam *diæta*: nam *zeta* ea ratione a diæta facta est, qua a *diabolus zabulus*, ut ζαβάλλειν a διαβάλλειν etc. V. *Voss.* in *Etymol.* et litt. Z. — Immo et *ceta* scribebatur, ut est in *Inscr.* Aponensi apud *Maff. Mus. Ver.* 127. 4. LVSOR EPIDIXIBUS ET CETAES I. II. III. IN GREG. VETVRIAN. etc. *h. e.* zetæ I. II. III. In hac autem voce vel errore quadratarii sive potius idiotismo Patavinorum pro littera Z posita est C.

ZĔTĀRĬUS, ĭi, m. 2. (zeta) idem qui diætarius, *cameriere*. Sic *Paul.* 3. *Sentent.* 6. 58. zetarios vocat, quos *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. *a med.* diætarios.

ZĒTĔCŬLA. *V.* ZOTHECULA.

ZĒTĒMA, ătis, n. 3. (ζήτημα) *Zethema* cum aspiratione est in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1778. — Zetema est quæstio. *Inscr.* apud *Murat.* 1282. 11. ZETEMA PLENVM ET INANE. Adde *aliam* Pompejan. in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1877. — Græcis litteris usurpat *Quintil.* 3. 11. 4.

ZĒTHĒMA. *V.* voc. præc.

ZEUGĪTES, æ, m. 1. ζευγίτης, genus calami seu arundinis in Orchomenio lacu: nomen habens ex eo, quod capiendis avibus usum habet. *Hesychio* enim ζεῦγοι sunt βρόχοι ὀρνίθων, laquei avium. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (169). Quum igitur anno permanserit inundatio, proficiunt (*calami*) in aucupatoriam quoque amplitudinem: vocabantur zeugitæ.

ZEUGMA, ătis, n. 3. (ζεῦγμα) *Zeuma* pro *zeugma* scribitur in *Anecd. Helv.* CXIV. ed. *Hag.* V. infra. — Zeugma, Græca vox, a ζεύγνυμι, jungo, idem est quod adjunctio, hoc est figura verborum per detractionem, qua plures sententiæ uno connectuntur verbo, seu per quam ponitur aliquod verbum vel in principio vel in medio vel in fine periodi, quod alia etiam membra ejusdem periodi regere debeat, sine ulla mutatione generis vel numeri vel alterius accidentis. In *Anecd. Helv. loc. cit.* de *Comm. Eins. in Donat.* Zeuma est conclusio idest conjunctio et dicitur figura, quando multa deponentia uno verbo vel una sententia clauduntur. — Latine dicitur ligatio sive adnexio; at Græca usurpat *Jul. Rufin. De schem. lex.* § 3. *Cic. Rosc. Am.* 8. 22. Quum eodem tempore et ea, quæ præterita sunt, et ea, quæ videntur instare, præparet. V. *Charis.* 4. p. 250. *Putsch.* et *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 144. — Triplex est, *protozeugma, mesozeugma, hypozeugma*, secundum tres illos modos, quibus fit. (Cf. *Isid.* 1. *Orig.* 36. 3.) *Protozeugma* vel primus modus est, quum illud vocabulum, unde membra orationis pendent, ponitur in principio. *Cic. Cluent.* 6. 15. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. *Mesozeugma* est secundus modus, quum vocabulum in medio ponitur. *Id.* 4. *Herenn.* 27. *ad fin.* Formæ dignitas aut morbo deflorescit aut vetustate. *Hypozeugma*, vel tertius modus, est, quum princeps illa vox in fine ponitur. *Id.* 1. *Cat.* 9. 22. Nec enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocaverit. *Ascon.* in 2. *Verr.* 18. Figura zeugma. ad singula enim subaudiendum est, *puto esse oportere.* — Similiter, quamvis non idem sit verbum, est zeugma in illo apud *Rutil. De fig. sent.* 2. 15. Nam dando beneficium, extemplo benivolentiam; non faciendo injuriam, dumtaxat odium vitamus. ubi τῷ *vitamus* evidenter opponitur in antecedenti τὸ *consequimur.* V. *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* § 22. et *Zumpt Gr. Lat.* § 775. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

ZEUMA. *V.* voc. præc.

ZEUNĪTOR, ōris, m. 3. junctor, qui mulas jungit ad rhedam: a ζεύγνυμι, jungo. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 250. et 824. GENIVS COLLEGII ZEVNITORVM. *Marini* ad *h. l.* p. 824. *Zeunitores* sive *zeugnitas*, quos ipse vocat, componit cum *junctoribus.* V. JUNCTOR.

ZĒUS (zæus), i, m. 2. piscis præstantissimi genus in Oceano Atlantico et circa Gades, inter omnes, qui in eo mari capiuntur, bonitatis palmam obtinens. Gaditani alio nomine fabrum appellant; a colore, opinor, fuligineo, quo fabri plerumque nigricant. *Hesych.* Ζαιός, εἶδος ἰχθύος. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 18. 32. (68). Est et hæc natura, ut alii alibi pisces principatum obtineant: coracinus in Ægypto, zeus, idem faber appellatur, Gadibus, circa Ebusum salpa etc. *Colum.* 8. *R. R.* 16. *sub fin.* Ut Atlantico faber, qui et in nostro Gadium municipio generosissimis piscibus adnumeratur eumque prisca consuetudine zeum appellamus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (148). Faber sive zæus. *Alii aliter leg.*

ZEZIPĀRUM, i, n. 2. idem fortasse ac zizyphum. *Gargil. De pomis* 9. V. ZIZYPHUM.

# ZI

ZĪĀBŎLUS, i, m. 2. idem ac zabulus. *Vulg. interpr. Ital. Matth.* 13. 39. Taurin.

ZIBYNA, æ, f. 1. genus teli seu jaculi. *Hieronym.* 1. *in Mich.* 4. V. SIBĪNA et voc. seq.

ZIBYNNI, ōrum, m. plur. 2. genus quoddam telorum. *Julian. Antecess. Constit.* 79. 4. Nemo privatus faciat spathas vel gladios *etc.* vel zibynnos, quos missibilia vocant.

ZIGENA. *V.* ZYGÆNA.

ZIMICUM, i, n. 2. herba eadem Punice, quæ peristereon. *Apul. Herb.* 65.

ZIMPĪBĔRI et

ZINGĪBER. *V.* voc. seq.

ZINGĪBĔRI et zimpiberi, indecl. et zingiber (gingiber), ĕris, n. 3. Ζιγγίβερις, genus aromatis, parvas habens radices, albescentes, odoratas, sapore piperis, *zénzero, zéngiovo* (*Amomum Zingiber* Linn.). *Plin.* 12. *Hist. nat.* 7. 14. (28). *de pipere.* Non est hujus arboris radix, ut aliqui existimavere, quod vocant zimpiberi, alii vero zingiberi, quamquam sapore simile. Id enim in Arabia atque Troglodytica in villis nascitur, parvæ herbæ radice candida. Adde *Cels.* 5. 23. *extr.* et *Pallad.* 11. *R. R.* 20. *in fin.* Sic et *Apic.* 1. 29. et 2. 50. et *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. 99., ubi *gingiber* pro *zingiber* occurrit.

ZINZĀLA, æ, f. 1. genus culicum, quos *zanzare* nostrates dicunt. *Cassiod.* in *Ps.* 104. 31. Cinipes genus est culicum fixis aculeis permolestum, quas vulgus consuevit vocare zinzalas. Cf. voc. seq.

ZINZAR, ăris, m. 3. fortasse idem ac zinzala. *Carm.* in *Anthol. Lat. n.* 1132. *Meyer.*

ZINZĪLO, as, are, n. 1. verbum, quo exprimitur vox merulæ, per onomatopœiam effictum. *Poet.* in *Anthol. Lat. n.* 733. *Riese.* Hæc inter merulæ dulci modulamine cantus Zinzilat. *Gloss.* apud *Reiffersch. Suet. rel. p.* 249. Meruli zinzilant. *V.* ZINZITO.

ZINZĪLŬLO, as, are, n. 1. verbum exprimens cantum quarumdam avium submissiore voce et crebris flexionibus canentium, per onomatopœiam fictum. *Auct. carm. Philom.* 43. Regulus atque merops et rubro pectore progne Consimili modulo zinzilulare sciunt. Quidam leg. *zinzizulare.* Cf. *Anthol. Lat. n.* 762. *Riese.*

ZINZINNO, as, are, n. 1. verbum, per onomatopœiam fictum, vocem pardorum exprimens. *Thes. nov. Latinit. p.* 632. ed. *Mai.*

ZINZĪNO et

ZINZĪO. *V.* voc. seq.

ZINZĪTO, as, are, n. 1. idem ac zinzilo. *Auct. carm. Philom.* 13. in *Anthol. Lat. n.* 762. *R.* Et merulus modulans tam pulcris zinzitat odis. Alii leg. *zinzinat*, alii *zinzilat.* — Contra *Sueton.* apud *Reiffersch. Suet. rel. p.* 252. Merulorum frendere vel ziziare.

ZIRBUS, i, m. 2. idem quod omentum. *Apic.* 8. 6. *ad fin.* Hædum in zirbe componere. *Schuch* leg. *in giro* seu *gyro.*

ZIZĀNĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

ZIZĀNĬA, ōrum, n. plur. 2. (ζιζάνια) *Zizanium* sing. num. tantum apud *Osb. Thes.* 631. — Alia forma *zizania, æ*, f. 1. est *Augustin. Serm.* 134. *n.* 2. et 3. ed. *Mai.* — Antepænultima longa est apud *Prudent. Apoth. præf.* 68. Zizaniorum semina. et *Venant.* 5. *carm.* 2. 41. De satione Dei zizania vulsit amara. Brevis apud *Prosper. Aquit. De ingratis* 962. Spinis fulta subit seges horrida zizaniorum. — Zizania dicitur vitium tritici hordeique nimia loci uligine corrupti jugibusve pluviis diluti, quod Latine *lolium* appellatur, *zizzania, loglio.* Effigiem habet hordeo haud dissimilem, sed folium angustius, pinguius et hispidius, semen exilius in cortice aculeato, florem autem subpurpureum. (*Lolium temulentum* Linn.)

I.) Proprie. *Vulg. interpr. Matth.* 13. 25. Inimicus superseminavit zizania in medio tritici. Adde *Ambros.* in *Luc.* 8. 49. — De zizaniis V. *Cultrera Flor. Bibl. p.* 93. et *seqq.*

II.) Translate. *Vulg. interpr. Matth.* 13. 37. Qui seminant zizania, filii sunt nequam. *h. e.* scandala vel male viventes, ut exponit *Eucher. Form.* 4. *p.* 743. *M.*; vel errores seu pravas doctrinas. *Augustin.* in *Ps.* 149. Per mundum seminatum est bonum semen et per mundum seminata sunt zizania. Numquid in parte triticum et in parte zizania? Per totum triticum et per totum zizania. Ager Domini mundus est.

ZIZĀNĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. præc.

ZIZĪBER, ĕris, n. 3. idem videtur ac zingiber. *Prob. App. p.* 199. 8. *Keil.*

ZIZĪPHUM. *V.* ZIZYPHUM.

ZIZĪPHUS. *V.* ZIZYPHUS.

ZIZŪFUM. *V.* voc. seq.

ZIZȲPHUM, i, n. 2. (ζίζυφον) Etiam *ziziphum* scribitur et *zizufum* (V. PSITTACIUM): immo et *zesopum* in *Not. Tir. p.* 170. et *zeziparum* apud *Gargil. De pomis* 9. ed. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 421. et *zizuforum* in *Edict. Diocl. p.* 17. — Zizyphum est fructus ziziphi arboris, quæ novissimis Augusti temporibus ex Syria in Italiam translata est (*V.* TUBER), *giùggiola, zìzziba, zìzzifa. Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 14. (47). Æque peregrina sunt zizypha et tuberes, quæ et ipsa non pridem venere in Italiam: hæc ex Africa, illa ex Syria. Sex. Papinius, quem consulem vidimus, primus utraque attulit divi Augusti novissimis temporibus, in castris sata, baccis similiora, quam malis, sed aggeribus præcipue decora. Adde 17. *ibid.* 10. 14. (74). et 21. *ibid.* 9. 27. (51)., *Colum.* 9. *R. R.* 4. et *Edict. Diocl.* 6.

ZIZȲPHUS, i, f. 2. (ζίζυφος) Scribitur et *ziziphus* apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 24. 51. (109). — Zizyphus est arbor, quæ zizypha fert (*Rhamnus jujuba* Linn.), Italice *giuggiolo*, Gallice *gigeolier, jujuber. Colum.* 9. *R. R.* 4. 3. et *Pallad.* 1. *R. R.* 37. 2. et 5. *ibid.* 4. 1., qui ejus serendæ rationem docet. Cf. *Molin Flor. poet. p.* 166.

# ZM

ZM initio plurium vocum reperitur adhibitum, quas tamen præter nonnullas hic non subjicimus, quia quum *z* in *s* fere mutatum sit, sub hac littera illæ sunt collocatæ. Ceterum scripturam ZM pro SM temporibus Philippi invaluisse, *Lucianus Ind. Vocal.* 9. aliique testantur apud *Passov.*

ZMĂRAGDĂCHĀTES. *V.* SMARAGDACHATES.

ZMĂRAGDUS. *V.* SMARAGDUS.

ZMĂRIS, idis, f. 3. *V.* SMARIS.

ZMECTĬCUS. *V.* SMECTICUS.

ZMEGMA. *V.* SMEGMA.

ZMILĂCES, is, m. 3. ζμίλαχις, gemmæ genus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 70. (185). Zmilaces in Euphrate nascitur, Proconnesio marmori similis, medio colore glauco. *Harduin.* leg. *zmilampis* ex MSS. suis omnibus, cui *Silligius* suffragatur. *Solino* 37. est *smilantis.*

ZMILAMPIS. *V.* voc. præc.

ZMĪLAX, ăcis, f. 3. *V.* SMILAX.

ZMINTHA, æ, f. 1. idem ac mintha. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 10. 57. (176). V. MINTHA et CALAMINTHE.

ZMYRNĬON. *V.* SMYRNION.

ZMȲRUS, i, m. 2. μύρος, murena mas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 23. 39. (76). et 32. *ibid.* 11. 53. (151).

# ZO

ZŌDĬĂCĒUS. *V.* voc. seq.

ZŌDĬACTĒUS et zodiaceus, a, um, adject. (zodiacus) ad zodiacum pertinens. *Capell.* 1. *p.* 3. Annua peragratio zodiactea. *Alii leg.* zodiacea; sed *Kopp* rectius *zodiaca.* Cf. voc. seq.

ZŌDĬĂCUS, a, um, adject. ζωδιακός, ad zodiacum pertinens. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *a med.* Zodiacum diastema. *Capell.* 1. *p.* 4 Zodiaca hospitia. *et p.* 16. Zodiacus tractus. *Id.* 8. *p.* 277. cyclus. et *Chalcid. Tim.* 86. orbis.

ZŌDĬĂCUS, i, m. 2. ζωδιακός, ζωΐδιος, ζωοφόρος, *zodiaco*, circulus in cælo ex numero maximorum, vel potius zona aut armilla quædam, quæ duodecim illa signa continet, quæ Sol, Luna et alii planetæ motu proprio percurrunt. Dixi, vel potius zona aut armilla: nam quum omnes circuli sine latitudine et profunditate esse intelligantur, hic habet latitudinem duodecim graduum et secundum nonnullos quattuordecim, secundum alios sexdecim, et ex una parte tropicum Cancri, ex altera Capricorni attingit. Dictus est ab illis signis, quæ complectitur, quæque ζώδια seu ζωΐδια appellantur, id est parva animalia. Idem a duodecim signis a *Cicer.* in *Arat.* 317. et ab aliis *signifer orbis* vocatur, a *Manilio* dicitur *balteus stellatus*, ab aliis aliter. Signa autem hujus circuli sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. V. *Auson. Ecl.* 3. 6. *Cic.* 2. *Divinat.* 42. 89. Vim quamdam esse ajunt signifero in orbe, qui Græce ζωδιακός dicitur, talem, ut ejus orbis unaquæque pars alia alio modo moveat immutetque cælum. *Gell.* 13. 9. Stellæ istæ ita circulo, qui zodiacus dicitur, sitæ locatæque sunt, ut etc. *Capell.* 8. *p.* 282. Qui quidem Zodiacus æquales duodecim signorum integrat portiones, sed undecim habet signa; Scorpius enim tam suum spatium corpore quam chelis occupat Libræ, cujus superiorem partem pedes Virginis occupant, majorem vero Scorpius. Chelas, quam Libram dicimus, quidam dixere Graji. Sane *Manetho Apotel.* 2. 136. Χηλαὶ δ' ἃς καὶ δὴ μετεφήμισαν ἀνέρες ἱροὶ Καὶ Ζυγὸν ἐκλήισσαν ἐπεὶ τ' ἐτάνυσσ' Οἷαί περ πλάστιγγες ἐπὶ ζυγοῦ ἑλκομένοιο. Cf. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 33. Adde *Capell.* 8. *p.* 277. et 287.

ZŌDĬUM, ii, n. 2. ζώδιον, parvum animal, deminut. a ζῷον, animal: signum cæleste in zodiaco. *Censorin. De die natal.* 8. Plures proximantia sibimet zodia invicem se videre omnino negaverant. *et mox.* Nam si, ut a primo zodio ad tertium, sic a tertio ad quintum etc.

ZŌE, es, f. 1. ζωή, vita. ¶ 1. Est blanda compellatio inter amantes. Græce scribunt *Martial.* 10. 68. Ζωὴ καὶ ψυχή lascivum congeris usque. et *Juvenal.* 6. 194. quoties lascivum intervenit illud Ζωὴ καὶ ψυχή. Nunc Itali dicunt *vita mia, anima mia.* V. ANIMA et VITA. ¶ 2. Est item hoc nomine unus ex Æonibus Valentini. *Tertull. advers. Valentin.* 12. Et quæ feminæ, refunduntur in Sigas, in Zoas, in Ecclesias, in Fortunatas. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

ZŌMŎTĒGĀNĪTE, es, f. 1. ζωμοτηγανίτη, patina piscium in suo jure coctorum: a ζωμός, jus, et τήγανον, sartago. *Apic.* 4. 2.: ita restituit *Humelbergius*, nam alii aliter leg. V. *Schuch* ad *h. l.*

ZŌNA, æ, f. 1. (ζώνη) *Sona* pro *zona* leg. *Ritsch.* in illo *Plaut. Merc.* 5. 2. 84. Sonam sustuli. Sic *sonarius* pro *zonarius* apud *Nov. Com.* 34. — Zona est vinculum, quo cingimur, cinctus, balteus (It. *cinta, cintura*; Fr. *ceinture*; Hisp. *cenidor, cinta*; Germ. *der Gurt* od. *Gürtel*; Angl. *a girdle*).

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Fast.* 320. Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit. *Horat.* 1. *Od.* 30. 5. et solutis Gratiæ zonis properentque Nymphæ. *Id.* 3. *Od.* 27. 59. potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta Lædere collum. *Augustin.* in *Apoc.* 1. 13. *Præcinctus ad mamillas zona aurea.* zona aurea multitudo sanctorum est. — Veteres in zonis pecuniam deferebant. *C. Gracchus* apud *Gell.* 15. 12. Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. *Sueton. Vitell.* 16. Zona se aureorum plena circumdedit. *Apul.* 7. *Met.* Uxor Plotina pretiosissimis monilium et auro monetali zonis refertis incincta. *Vulg. interpr. Matth.* 10. 9. Nolite possi-

dere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris. *sc.* cingulis duplicatis, margine consutis, quæ loculorum usum apud Judæos præstabant: et commodius quidem, præcipue ad iter faciendum, adhibitis, quum multi nummi portandi erant. — Hinc *zonam perdidit*, proverbialiter dicitur in eum, qui omni pecunia destitutus est. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 40. Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit. — *Zonam solvere* dicuntur novæ nuptæ, quæ viro traduntur et primum cum eo concumbunt. Virgines enim non nisi cinctæ procedebant, sed novæ nuptæ in cubiculum mariti deductæ a pronuba cingulum, quod ex ovilla lana contextum et nodo etiam (quem Herculaneum vocabant, *V.* NODUS) nexum gerebant, solvebatur et Dianæ dicabatur: fortasse autem ex lana ovis erat confectum, quia sicut illa, in glomos sublata, conjuncta inter sese est, sic vir cum nova nupta cinctus quodammodo vinctusque esset. *Catull.* 2. 11. Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ Pernici aureolum fuisse malum, Quod zonam solvit diu ligatam. *V.* ATALANTA in ONOM. — Hinc *zona* est symbolum virginitatis. *Ovid. Heroid.* 2. 115. Cui mea virginitas avibus libata sinistris Castaque fallaci zona recincta manu.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Improprie Est fascia seu linea, quam gemmæ ostendunt a similitudine cinguli. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 24. (90). Irtacus et Arabicam tradit onychem distare, quod Indica igniculos habeat, albis cingentibus zonis singulis pluribusque aliter quam in sardonyche Indica; illic enim momentum esse, hic circulum. Adde *ibid.* 6. 23. (89). et 11. 73. (189). ¶ 2. Item limbus vel segmentum in vestibus ad ornatum. *Isid.* 19. *Orig.* 22. 18. Segmentata dicitur vestis zonis quibusdam et quasi præcisamentis ornata. ¶ 3. Item *zona* appellatur herpetis genus, quod etiam *zoster* dicitur, *érpete:* quia medium cingit hominem. *Scribon. Compos.* 63. Facit hoc medicamentum ad carbunculos et ad ignem sacrum et ad zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt. Adde *Plin. Valer.* 3. 33. ¶ 4. Item *zonæ* dicuntur circuli quidam lati, cælum terramque veluti cingula quædam ambientes. Sunt autem numero quinque, ex quibus media, quæ inter Tropicos est, nimio calore, parum apta habitationi olim credita fuit; quæ vero extremæ sub Arctico et Antarctico circulis sitæ, nimio frigore horrent: unde et ipsæ inhabitabiles habitæ sunt: reliquæ autem, ut quæ medium inter torridam et gelidam situm obtinent, temperatæ sunt, humanæ vitæ accommodatissimæ. — Primus de zonis, inquit *Achilles Tatius Isag. c.* 31., Parmenides dicere instituit, de quarum numero magna dissensio est. Nam alii sex numerant, ut *Polybius* et *Possidonius*, qui torridam in duas dividunt; quinque malunt alii, e quibus *Eratosthenes*. — De his *Virg.* 1. *G.* 233. Quinque tenent cælum zonæ, quarum una corusco Semper sole rubens et torrida semper ab igni: Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur Cæruleæ glacie concretæ atque imbribus atris. Has inter mediamque duæ mortalibus ægris Munere concessæ divum et via secta per ambas, Obliquus qua se signorum verteret ordo. *Ovid.* 1. *Met.* 45. Utque duæ dextra cælum totidemque sinistra Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis: Sic onus inclusum numero distinxit eodem Cura Dei totidemque plagæ tellure premuntur; Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu; Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma. *Capell.* 6. *p.* 196. Orbis terræ in quinque zonas sive melius fascias dico, pro rerum diversitate discernitur, quarum tres intemperies multa a contrariorum nimietate relegavit. Nam duæ, quæ axi utrique confines, algore immenso et frigoribus occupatæ; media vero flammis atque anhelis ardoribus torridata eto. *Lucan.* 4. 106. Zona nivalis. *Id.* 9. 314. perusta. et *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 15. usta. Adde *Cic.* 6. *Rep.* 20., ubi eadem dicit, at *zonæ* vocabulo abstinet: item *Tibull.* 4. 1. a *v.* 151. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 68. 68. (172). *Varro Sat. Menipp.* 24. *p.* 100. *Oehl.* Mundus domus est maxima homuli, quam quinque altitonæ flammeæ Zonæ cingunt. Adde *Melam* 1. 1. ¶ 5. Hinc speciatim zona est etiam stella, quam in cælo habere dicuntur Orion et Zetus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (268). et *Ovid.* 8. *Fast.* 787. Cf *Schol.* ad *Germanic. p.* 127. et 206. *Breys.* ¶ 6. *Zona* est sphæra apud *Capell.* 7. *p.* 243. In mundo novem sunt zonæ id est sphæræ. *Zonas* appellat, quas cunctæ alias *sphæræ* dicuntur, ut apud *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 4. Ergo universi mundani corporis sphæræ novem sunt; prima illa stellifera, quæ proprio nomine cælum et *aplanes* apud Græcos vocetur; subjectæ, quas *vagas* dicimus; nona *terra* sine motu. Adde *Apul. De doctr. Plat. p.* 203. *Oudend.* ¶ 7. Translate. *Vulg. interpr. Eccli.* 45. 9. Et circumcinxit eum zona gloriæ.

ZŌNĀLIS, e, adject. (zona) ad zonam cæli pertinens. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 5. *a med.* Eadem est in ejusdem zonalis ambitus continuatione temperies.

ZŌNĀRĬUS, a, um, adject. (zona) *Sonarius* pro *zonarius* V. in ZONA init. — Zonarius est ad zonam pertinens, ut Sector zonarius, *tagliaborse*, βαλαντιοτόμος, qui zonam seu crumenam incidit, crumeniseca. *Plaut. Trin.* 4. 2. 20. Mira sunt, ni illic homo est aut dormitator aut sector zonarius. *un tagliaborse.* — Hinc

*Zonarius, ii,* m. 2. absolute, substantivorum more, est qui zonas facit, ζωνιοπλόκος. *Cic. Flacc.* 7. *sub fin.* Quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt. Adde *Lucil. Sat.* 30. 47.

ZŌNĀTIM, adverb. (zona) per gyrum, *in giro, a tondo. Lucil.* apud *Non. p.* 189. 33. *Merc.* Zonatim circum impluvium cinerarios cludebat.

ZŌNĬFRĂGĬUM, ii, n. 2. (zona *et* frango) fractio zonæ. *Thes. nov. Latinit. p.* 631. ed. *Mai.*

ZONTO. *V.* litt. Z sub II.

ZŌNŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* zona, parva zona, *cinturetta*, ζώνιον. *Catull.* 61. 53. tibi (*Hymenæe*) virgines Zonula solvunt sinus. Adde *Seren.* apud *Non. p.* 539. 13. *Merc.* V. ZONA. *Lamprid. Alex. Sev.* 52. Miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus et satur et habens aliquid in zonula.

ZŎŎPHŎRUS. *V.* ZOPHORUS.

ZŎOPHTHALMON, n. *et*

ZŎOPHTHALMOS, i, m. 2. ζωόφθαλμον et ζωόφθαλμος, herbæ genus, in tectis et subgrundiis nascentis, quæ folium habet carnosum et subrotundum oculi animalis similitudinem referens, unde et nomen accepit: a ζῷον, animal, et ὀφθαλμός, oculus. Notiore nomine aizoum seu sempervivum majus vocatur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160). Aizoi duo genera. Majus in fictilibus vasculis seritur, quod aliqui buphthalmon vocant, alii zoophthalmon, alii stergethron, quod amatoriis conveniat, alii hypogeson, quoniam in subgrundiis fere nascitur. Sunt qui ambrosiam potius vocant et qui amerimnon: Itali sedum magnum aut oculum aut digitellum.

ZŎPHŎRUS, *sæpius quam* zoophorus, i, m. 2., *a quo est contractum*, ζωοφόρος et ζωφόρος idem Græce ac zodiacus: a ζῷον, animal, et φέρω, fero. ¶ 1. Est zodiacus apud *Quintil.* 12. 10. 28.; sed certa lectio non est. ¶ 2. Est etiam, a similitudine, in architectura pars columnæ inter epistylium et coronidem: idque animalium aliarumque rerum signis sæpe ornatur. Utitur *Vitruv.* 3. 3. *a med.* et *alib.* Itali nunc *fregio* appellant, nempe a Phrygionibus, ut *Philander* ostendit.

ZŌPISSA, æ, f. 1. ζώπισσα, pix navibus abrasa, quæ admixta ceræ et marino sale macerata multo est ad omnia efficacior, quam aliæ pices: ita est appellata a ζέω, ῶ, ferveo, et πίσσα, pix, quia igne decoquitur, vel ab Hebr. זפת zephet, pix. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (56). Non omittendum, apud eosdem (*Subalpinos Italicæ*) zopissam vocari derasam navibus maritimis picem cum cera, nihil non experiente vita, multo efficaciorem ad omnia, quibus pices resinæque prosunt, videlicet adjecto salis callo. *Id.* 24. *ibid.* 7. 26. (41). Zopissam eradi navibus diximus, cera marino sale macerata.

ZŌPȲRE, es, f. 1. idem ac zopyron. *Marcell. Empir.* 22. *p.* 118.

ZŌPȲRĬĀTIM, adverb. more Zopyri, nobilis Persæ, qui, se mutilando, per fraudem Babylonem Dario, eam oppugnanti, tradidit. *V.* ONOM. *Lucil.* apud *Non. p.* 455. 17. *Merc.* Arripio et rostrum labeasque huic zopyriatim Percutio dentesque adversos discutio omnes. *Lachm.* tamen aliter leg. At *Müller* monet, ita omnino esse rescribendum; nam aperte is tangitur, de quo idem *Lucil.* apud *Non. p.* 210. 20. *Merc.* Zopyrion labeas cædit utrimque secus. Fuit hic haud dubie servus Lucilii isque plagosus; *zopyriatim* autem, ut alibi *zonatim* V. hanc voc. Cur vero *Müller* subdat *zopyriatim* pro *zopyrionatim,* non video.

ZŌPȲRON, i, n. 2. ζώπυρον, genus herbæ, quæ et clinopodion dicitur, similis serpylli. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 87. (137)., ubi in Codd. MSS. multum variat lectio. *Janus* præfert *zopyrontion.*

ZŌPȲRONTĬON. *V.* voc. præc.

ZŌRAMEA et

ZŌRĀNISCÆA. *V.* voc. seq.

ZŌRĀNISCÆOS *et* zoranisceos, i, m. 2. genus quoddam gemmæ nunc ignotum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 70. (185)., ubi varia est lectio. Alii namque leg. *zoraniscæa,* quam etiam *Index Plin.* præbet in *Elench.* hujus libri, ubi et *zoramea* quidam leg.; alii *zoronysius.*

ZŌRŎNYSĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

ZOSTER, ēris, m. 3. (ζωστήρ) ¶ 1. Est genus ignis sacri, medium hominem ambientis et enecantis, si cinxerit: a ζώννυμι, cingo. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 74. (121). Ignis sacri plura sunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui zoster appellatur, et enecat, si cinxerit. Adde *Plin. Valer.* 3. 34. ¶ 2. Item fruticis marini genus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 48. (135). Non habet lingua alia nomen, quod Græci vocant phycos, quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur; hic autem est frutex: folia lata colore viridi gignit, quod quidam prason vocant, alii zostera. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

ZŌTHĒCA, æ, f. 1. (ζωθήκη) ¶ 1. Est locus in cubiculo secretior, parvum conclave cubiculo adjunctum, in quo studii vel quietis causa degere solemus (It. *camerino, alcova, gabinetto;* Fr. *cabinet, alcôve;* Hisp. *gabineto, alcoba;* Germ. *das Kabinett, die Alkoven;* Angl. *a cabin, alcove*): a ζάω, vivo, et θήκη, repositorium. *Viscont.* in *Monum. Gabin. p.* 170., et *Mus. Pio-Clem. T.* 7. *p.* 103. ed. *Mediol.* et *Iconogr. Gr. T.* 1. *p.* 234. probat, vocabulum ζῷον, quum de sculptura sermo est, sæpe statuam hominis, non animalis significare; hinc apud *Diog. Laert.* 5. 16. Aristoteles testamento jubet statuas duas ponere quattuor cubitis longas Jovi et Minervæ his verbis: Ζῷα λίθινα τετραπήχη Διὶ σωτῆρι καὶ Ἀθηνᾷ σωτείρῃ. Usurpavit *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* Contra parietem medium zotheca perquam eleganter recedit, quæ specularibus et velis obductis reductisve, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. Sunt qui legunt *diæta:* verum ea lectio jamdiu ab eruditis rejecta est, neque cum hac *Plinii* descriptione convenire potest. ¶ 2. De cellis sacris seu loculis, quos *nicchie* Itali dicunt. *Inscr.* apud *Murat.* 690. 2. TI. CLAVDIO AVG. L. FELICI EX CONSENSV DECVRIAE VNIVERSAE HONORIS CAVSA ZOTHECAM PVBLICE DEDERVNT: ATIMETVS L. SVA PECVNIA ADORNAVIT. *Alia* apud *Gruter.* 49. 3. HERCVLI SAXANO SACRVM SER. SVLPICIVS TROPHIMVS AEDEM ZOTHECAM CVLINAM PECVNIA SVA A SOLO RESTITVIT. *Alia* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1368. VENERI VERAE FELICI GABINAE A. PLAVTIVS EPAPHRODITVS NEGOTIATOR SERICARIVS TEMPLVM CVM SIGNO AEREO EFFIGIE VENERIS ITEM SIGNIS AEREIS N. IIII. DISPOSITIS IN ZOTHECIS ET BALBIS (*h. e.* valvis) AREIS ET ARAM AEREAM ET OMNI CVLTV A SOLO SVA PECVNIA FECIT etc.

ZŌTHĒCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* zotheca,

parva zotheca, *piccola alcova*. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* Mox zothecula refugit quasi in cubiculum idem. Quidam leg. *zetecula*, sed minus recte. *Sidon.* 8. *Ep.* 16. Per armariola et zothecculas nostras non remanserunt digna prolatu. *ne' nostri camerini da studio.* Adde 9. *Ep.* 11. *a med.*

## ZU

**ZŪMA.** *V.* ZEMA.

**ZŪOSTE**, es, f. 1. nomen herbæ apud Dacos, ut videtur, quæ et artemisia dicitur. *Apul. Herb.* 11. Daci zyred vocant, alii zuosten.

**ZURA**, æ, f. 1. semen paliuri, lingua Afrorum. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 71. (115). Paliurus quoque spinæ genus est: semen ejus Afri zuram vocant, contra scorpiones efficacissimum, item calculosis et tussi. Alii aliter leg.

## ZY

**ZŸGÆNA**, æ, f. 1. (ζύγαινα) genus quoddam piscis: fortasse quem Itali dicunt *pesce martello:* sic Germani *Hammerfisch* et Galli *marteau* (*sorta di squalo*). *Ambros.* 5. *Hexaem.* 10. Quid gladios loquar aut serras aut canes maritimos aut balænas aut zygænas? Quidam haud recte ibi scribunt *zigenas* per *i* et sine diphthongo.

**ZŸGĬA**, æ, f. 1. ζυγία, genus aceris: a ζυγός, jugum, quod ex ea fiunt juga jumentis. Hinc *Vitruv.* 2. 9. Græci, quod ex ea materia juga jumentis comparant, quod apud eos juga ζύγα vocitantur, item zygiam eam appellant. Alii pro ζύγα Latinis litteris *zyza* leg. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 15. 26. (67). Tertium genus zygiam, rubentem, fissili ligno, cortice livido et scabro. Hoc alii generis proprii esse malunt et Latine carpinum appellant (*Carpinus Betulus* Linn.).

**ZŸGIS**, idis, f. 3. ζυγίς, serpyllum silvestre, non serpens humi, quemadmodum hortense, sed in altitudinem increscens, ramulos edens tenues, surculosos, foliis refertos longioribus quam rutæ, et durioribus et angustioribus, flores jucunde olentes et gustu acres. *Apul. Herb.* 99.

**ZŸGĬUS**, a, um, adject. ζύγιος, jugalis, jugatorius. Hinc *zygia tibia*, tibia nuptialis: a ζυγός, jugum: et translate nuptiæ. *Apul.* 4. *Met.* Sonus tibiæ zygiæ mutatur in querulum Lydium cantusque lætus Hymenæi lugubri finitur ululatu. — Hinc cogn. deæ, de quo *V.* ONOM.

**ZŸGOSTĂSĬUM**, ii, n. 2. ζυγόστασις, munus zygostatæ. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15. 26. 1. Quidquid de critbologia et zygostasii munere eminentia tua disposuit, roboramus.

**ZŸGOSTĀTES**, æ, m. 1. ζυγοστάτης, libripens, qui præest examini ponderum; neque fraus in iis committatur, ponderator, *pesatore:* a ζυγός, quod etiam jugum libræ significat, et ἵστημι, appendo. *Imp. Julian. Cod.* 10. 71. 2. et *Cod. Theod.* 12. 7. 2. Ideo placet, quem sermo Græcus appellat, per singulas civitates constitui zygostaten, qui pro sua fide atque industria neque fallat neque fallatur, ut ad ejus arbitrium atque ad ejus fidem, siqua inter vendentem emptoremque in solidis exorta fuerit contentio, dirimatur.

**ZŸMA.** *V.* ZEMA.

**ZŸRED**, indecl. *V.* ZUOSTE.

**ZŸTHON** et

**ZŸTHUM**, i, n. 2. ζῦθος, potus ex hordeo aqua resoluto confectus, acris gustu et vini in morem inebrians (It. *birra;* Fr. *bière;* Hisp. *cerveza;* Germ. *das Bier;* Angl. *a beer*). *Jablonskius* in *Voc. Ægyptiac.* putat, zythum esse vocem Ægyptiacam: aliis a ζύω pro ζέω, ferveo, deducunt. *Suidas* interpretatur οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος, idest vinum ex hordeo factum. Hinc etiam *Tac. Germ.* 23. Potui humor ex hordeo aut frumento in quamdam similitudinem vini corruptus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 82. (164). Et frugum quidem hæc sunt in usu medico. Ex iisdem fiunt et potus, zythum in Ægypto: celia et ceria in Hispania; cervisia et plura genera in Gallia aliisque provinciis, quorum omnium spuma cutem feminarum in facie nutrit. *Colum.* 10. *R. R.* 116. Ut Pelusiaci proritet pocula zythi. *Ulp. Dig.* 33. 6. 9. Zythum, quod in quibusdam provinciis ex tritico vel hordeo vel pane (*Cujac.* leg. *panico*) conficitur, vini appellatione non continebitur. Adde *Edict. Diocl.* 2. et etiam *Vulg. interpr. Ital. Is.* 19. 9. ex Cod. Palimps. *Cryptœferr.* p. 236. ed. *Cozza.* — Hujusmodi autem potus in Germania dicebatur *camum* et *curmi;* in Dalmatia et Pannonia *sabaja;* in Palæstina *sicera;* in Hispania *celia*, quas voces vide suo loco.

**ZYZA.** *V.* ZYGIA.

# FINIS LEXICI TOTIUS LATINITATIS